Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — F
29

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

16.1.15
16 16
G F
15 .15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MAXIMA
BIBLIOTHECA
VETERVM PATRVM,
ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM
ECCLESIASTICORVM.

PRIMO' QVIDEM A' MARGARINO DE LA BIGNE,
in Academiâ Pariſienſi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

DEINDE CELEBERRIMORVM IN UNIVERSITATE COLONIENSI
Doctorum ſtudio, plurimis Authoribus, & Opuſculis aucta, ac hiſtoricâ methodò
per ſingula ſæcula quibus Scriptores quique vixerunt, diſpoſita.

HAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI,
ad eandem Colonienſem exacta, novis ſupra centum Authoribus, & Opuſculis
hactenus deſideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

Huic etiam Editioni acceſſerunt INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vaſtiſſimâ collectione verè faces, & vt quis ad ipſorum lectionem introducatur, vtiliſſimi, imò omninò neceſſarij.*

I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipſorum ætates, & ſcripta indicans.
II. CLASSICVS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè diſtribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analyſim continens, & argumenta exhibens:
IV. GENERALIS materiarum ampliſſimus.

Conſule quæ de his indicibus in ipſorum frontiſpicio, circa eorum vtilitatem, & vſum prænotata ſunt.

TOMVS VIGESIMVSPRIMVS,

Continens Scriptores ab ann. Chriſti 1130. ad ann. 1140.

LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.

M. DC. LXXVII.

CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

SERIES AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM, QVÆ HOC SÆCVLI DVODECIMI PARTIS II. VOLVMINE I. ſeu TOMO XXI.

BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ VETERVM PATRVM comprehenduntur.

GOFFRIDVS *Abbas Vindocinenſis, Cardinalis Tituli S. Priſcæ*, vixit uſque ad tempora Innocentij II Pontificis. Scripſit Epiſtolarum libros 4, opuſcula 17, ſermones 12, quæ omnia ex recognitione & cum notis Jacobi Sirmundi S. I. extant fol. 1.

S. NORBERTVS *Ordinis Præmonſtratenſis fundator*, & poſtea *Magdeburgenſis Archiepiſcopus*, ſcripſit ſermonem qui extat fol. 118. Obiit autem S. Norbertus anno 1134.

HILDEBERTVS *ex Cænomanenſi Epiſcopo factus Archiepiſcopus Turonenſis*; vixit tempore Honorij ſecundi Pontificis, ad quem etiam Epiſtolam miſit. Scripſit Epiſtolas multas ad diverſos, quæ extant fol. 119 Carmen de myſterio Miſſæ fol. 163. Poëma in Berengarium fol. 168. Sermones diverſos, ex quibus duo extant fol. 169. Vitam Hugonis Abbatis Cluniacenſis, quæ quia apud Surium reperitur, hîc omittitur. Scripſit & alia quædam, quæ recenſet Poſſevinus, ſed non videntur extare.

MARBODVS *Epiſcopus Rhedonenſis*, ſcripſit Epiſtolam querelarum plenam ad Rainaldum Andegavenſium Epiſcopum, quæ inſerta eſt Hildeberti Epiſtolis. Extat f. 157. Obiit autem Marbodus anno 1123, de quo vide Sigebertum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 158. & Galliam Chriſtianam tom. 2 in Epiſcopis Rhedonenſibus.

PETRVS ALPHONSVS *ex Iudæo Chriſtianus*, ſcripſit Dialogum contra Judæos, diſtributum in titulos 12. Extat fol. 172. Hunc authorem Coccius ponit anno 1100.

ODO *Tornacenſis Abbas*, poſtea *Cameracenſis Epiſcopus*, varia ſcripſit Opuſcula ſtudio P. Andreæ Schotti S. I. maxima ex parte in lucem edita, extant fol. 221.

ALGERVS *Scholaſticus Leodienſis*, ſcripſit diverſa opuſcula, ex quibus extant fol. 251 de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini libri tres.

FRANCO *ſecundus Abbas Cænobij Affligienſis*, vixit circa annum Domini 1109. ſcripſit diverſa opuſcula quæ enumerat Trithemius, ex quibus extant fol. 293. De gratia Dei liber diſtributus in tomos 12. & Epiſtolæ duæ.

DROGO *primùm Abbas Laudunenſis*, poſtea *Hoſtienſis Epiſcopus*, floruit tempore S. Bernardi. Scripſit Sermonem de Paſſione Domini. Extat fol. 329. Alia etiam tria ejuſdem opuſcula habentur fol. 341.

PETRVS DIACONVS *Monachus Caſſinenſis*, ſcripſit opuſculum de viris illuſtribus Caſſinenſibus, quod erutum ex Bibliotheca Barberina ſtudio & cum notis Joannis Baptiſtæ Mari extat fol. 347. Huic opuſculo accedit appendix Domni Placidi Diaconi Caſſinenſis fol. 370. Vide catalogum aliorum hujus Petri Diaconi operum nondum editorum fol. 369.

JOANNES SAPIENS cognomento CYPARISIOTTA, ſcripſit expoſitionem

materia

materiariam eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur, in decem decades partitam, Franciſco Turriano S. I. Interprete, additis ejuſdem ſcholiis & annotationibus. Extat fol. 377. Ejuſdem Joannis Palamicarum tranſgreſſionum ſermones duo Interprete P. Combefis O. P. extant fol. 476.

Potho *Prumiæ Celebris in Diœceſi Trevirenſi Cœnobij Monachus & Presbyter*, floruit circa annum Domini 1152. Scripſit de ſtatu domus Dei libros quinque, item de magna domo ſapientiæ librum unum. Extant fol 489.

Nicolavs *Claræuallenſis ex Ordine Ciſtercienſi*, *ſancto Bernardo* primùm *à ſecretis Epiſtolis*, deinde *adverſarius*, vixit circa annum 1152, quo verò obierit, ignoratur. Scripſit Epiſtolas quaſdam ad diverſos, quæ extant fol. 517. Ejuſdem autem ſermones, quia reperiuntur inter opera Petri Damiani, hîc omittuntur.

Philippvs Solitarivs, *Græcus*, floruit hoc ſæculo. Scripſit Dioptram, id eſt, Regulam ſive amuſſim rei Chriſtianæ ad Callinicum Monachum, quatuor libris per dialogum explicatam, quæ ex interpretatione P Jacobi Pontani S. I. & cum notis Jacobi Gretſeri S. I. extat fol 553.

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ET SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM SÆCVLI DVODECIMI,

PARS SECVNDA.

GOFFRIDI

ABBATIS VINDOCINENSIS Sanctæ Priſcæ Cardinalis,

EPISTOLÆ, OPVSCVLA, SERMONES.

IACOBVS SIRMONDVS SOCIETATIS IESV *Presbyter nunc primum in lucem eruit, ac notis Epiſtolas illuſtravit.*

LECTORI.

GOFFRIDI Abbatis, quod iure mireris, neque apud illorum temporum hiſtoricos, neque apud eos qui noſtra vel avorum memoriâ illuſtrium ſcriptorum indices texuerunt, vlla vſquam eſt mentio. Huic nos ſilentio ut aliqua ex parte mederemur, vitæ breviarium ex eius ipſius Epiſtolis collegimus: tum aliquot deinceps eiuſdem ævi de illo teſtimonia; Indito etiam Franciſci Torrenſis noſtri elogio, cuius diligentiæ ϖολυπειρίᾳ Goffridi opera, quæ cæteros fugiſſe videbantur, minime latuerunt. In editione porro adornanda binis exemplaribus antiquæ & probatæ vtroque notæ vſi ſumus. Nam præter Cenomannicum, quod è Sancti Petri de cultura cœnobio nacti iam eramus, alterum nobis è monaſterio ſuo ſuppeditavit prolixa & ſingularis D. Michaëlis ſubleti Abbatis Vindocinenſis humanitas. Cui quidem opuſcula libro, XIII. nempe, ac XVIII. debemus, quæ in vetero deſiderabantur. Epiſtolas ab opuſculis & ſermonibus ſeiunximus: Permixta enim & confuſa in vtroque erant omnia. Sed in Epiſtolis, quia in Codice Vindocinenſi perpaucæ erant, Cenomanenſem ſecuti ſumus; ordine etiam intacto, niſi quod Epiſtolas aliquot, quæ extra ordinem, vtpote poſt primam, opinor, collectionem à Goffrido ſcriptæ, inter alios tractatus & ſermones ſparſæ legebantur (quibus & aſteriſcos in indice, vt tui quoque ſint iudicij, præfiximus) ſuis quaſque locis ad cæteras adiecimus: totúmque vtrarúmque corpus, levandi faſtidij gratiâ in libros quinque partiti ſumus: Cùm lectoribus plerumque idem quod iter facientibus evenire ſoleat; quibus vt Numatianus ait

Intervalla viæ feſſis præſtare videtur
Qui notat inſcriptus millia multa lapis.

GOFFRIDI ABBATIS Vindocinenſis vita.

GOFFRIDO patria fuit in Andegavis: genus clarum in primis ac nobile: quod indicat eius Epiſtola II. & aliæ, in quibus Rainaldum Credonis dominum, & Mauricium eius filium conſanguineos ſuos vocat. Educatus à Guarnerio Archidiacono Andegavenſi, magiſtróque vſus Guillelmo, ad quem lib. 4. ſcribit; prima ætate inter monachos Vindocinenſis Monaſterij, quod Goffridus Martellus Comes paucis antè annis in Carnutum finibus fundarat, nomen dedit. Nec multo pòſt, novitius adhuc & iuvenis, ac Diaconus tantùm, Bernone mortuo, quintus eiuſdem Cœnobij Abbas renuntiatus eſt. Tum ab Iuone Carnotenſi Epiſcopo inauguratus, Romámque ad Vrbanum II. Guibertinæ factionis metu latitantem profectus, immortali Pontificem beneficio devinxit, pecuniâ vnde Lateranum, & turrim Creſcentiam redimeret, affatim collata. Quo nomine primus omnium pedem Vrbano in ſede Pontificiâ cum Laterano reſtitutâ oſculatus eſt, à quo & presbyter ſacratus, Eccleſiam etiam Beatæ Priſcæ, vnde vi à Guitbertinis deiecti fuerant Vindocinenſes, cum adnexa Cardinalis dignitate poſtliminio recepit. Reverſus in Gallias Salmurum ad Ligerim eodem ipſo anno, qui fuit Chriſti M. XCIV. ab Hugone Legato ad Fulconis Rechini Comitis expiationem accitus eſt, tum ſequenti mox anno ad celeberrimum apud Arvernos Concilium ab Vrbano vocatus interfuit: adſuturus etiam Lateranenſi Paſchalis II. & Romano item Calliſti II. à quibus pariter evocabatur; niſi alterum iter brevitas temporis, alterum hyemis aſperitas excluſiſſet. Vrbano ſanè, quoad vixit, vnici filij inſtar carus fuit: quem

A etiam Vindocini, ac poſtea Paſchalem undenum dierum ſpatio hoſpitem habuit. Calliſto autem veteri neceſſitudine coniunctus, & quod utriuſque mutuæ Epiſtolæ oſtendunt, intimus fuit. Quo præterea in numero apud Ludovicum VI. Regem Goffridi nomen fuerit, hoc declarat, quod à Rege delectus eſt inter arbitros controverſiæ, quæ de maioratu, & Seneſcalcia Franciæ ab Andegavorum Comite movebatur. Monaſterium ſumma cura & vigilantia rexit: ita ut nullum illo totâ Galliâ, quod non uno loco prædicat, ea ætate ordinatius haberetur: & quanquam nonnullis aſperior videbatur; ipſe tamen ſe ad indulgentiam natura proniorem fuiſſe ſcribit. Proventus verò atque opes externas ſic amplificavit, ut monaſterium duplo quàm acceperat, locupletius, copioſiuſque reliquerit. Sed multæ illi, ut mos eſt, dum antiqua illius iura & poſſeſſiones tuetur, cum vicinis Epiſcopis, Abbatibus, & Princi-
B pibus viris ſubeundæ moleſtiæ & contentiones fuerunt. Ingenio fuit acri & vivido, quod in ſacris præcipuè litteris, Canonibuſque exercitatum omnia paſſim opera cum ſingulari eius pietate teſtantur: libertatem vel unica ad Paſchalem de inveſtituris ab eo conceſſis Epiſtola: fidem ac ſtudium erga ſedem Apoſtolicam, cuius ſpeciatim filij ſunt Abbates Vindocinenſes, tum impenſæ, quas pro ea maximas fecit, tum ſuſceptorum itinerum labores, in quibus Alpes pro Eccleſiæ Romanæ utilitate duodecies tranſcendit, ter etiam ab eius adverſariis captus eſt. De obitu nihil compertum, ad extrema Honorij II. tempora perveniſſe, Honorij ipſius ad Goffridum litteræ, anno M. C. XXIX. ſcriptæ fidem faciunt.

NOTA.

Cum fateatur Sirmundus obitum Goffridi ſibi incompertum eſſe, ex his Chronici Guidocinenſis verbis demonſtratur. Anno 1132. Combuſtum eſt Monaſte-
C *rium S. Trinitatis Andecavis, cum omnibus ædificiis, totoque burgo de Aquaria, necnon plurima parte civitatis. Eodem anno Abbas Goffridus dum causâ idem Monaſterium readificandi, & fratribus qui inerant neceſſaria miniſtrandi, Andecavi Corpus quòd ſuum erat terra commendavit, Spiritus ad cœleſtia migravit 7. Cal. Aprilis.*

VETERVM ALIQVOT eiuſdem ætatis Scriptorum, & Neotericorum duorum de Goffrido Abbate Vindoc. teſtimonia.

D

I.

HVGONIS ARCHIEPISCOPI Lugdunenſis ſedis Apoſtol. Legati litteræ de Fulconis Richini Comitis abſolutione, cui Goffridus interfuit.

HVgo Lugdunenſis Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, dilectiſſimis in Chriſto fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus ſalutem. Communi Orthodoxorum omnium notitiæ tradere dignum indicavimus, qualiter ex præcepto Domini noſtri Papæ Vrbani pro cauſa Fulconis Andegavenſium Comitis uſque ad fines Andegavorum veniendi obedientiam ſuſcepimus, ut eum à vinculo anathematis, quo diutino tempore innodatus erat pro captione fratris ſui Gaufridi, quem in bello publico ceperat, ab-
E ſolveremus: cùm tamen ipſe Comes rationem reddere, aut ſatisfacere, aut iudicium ſubire non ſubterfugeret, imò ſemper paratus eſſet: & ut virorum probabilium Clericorum & laïcorum relatione cognovimus, præfatus frater eius, tempore quo captus fuit, à Stephano Cardinale Romanæ ſedis Legato pro multimoda iniuria, quam inferebat Turonenſi Eccleſiæ, & Abbati S. Martini maioris Monaſterij, excommunicatus erat, & Fulconi huic principatus Andegavenſis Comitatus ab ipſo Legato ex parte Sancti Petri donatus erat, quem quidem & ab avunculo ſuo Gaufrido conceſſum fuiſſe, virorum probabilium de nobilibus ſuis veraci cognovimus relatione. Nos igitur hac ſuſcepta legatione, ut vigor Apoſtolicæ obedientiæ maiori à nobis tractaretur auctoritate, venerabilem fratrem no-
F ſtrum Bituricenſem Archiepiſcopum executionis huius adhibuimus ſocium & ſic ſimul poſiti fratrem Comitis, quem captum audiebamus, conſultò adivimus. Quem ita deſipientem invenimus, ut ferebatur ab omnibus, ut prorſus inutile & vanum videretur regendæ ei patriæ committere principatum, qui ſibi & omnibus ſtultitiâ ſuâ factus fuiſſet inutilis: uſque adeò, ut nec per manus noſtras à captione vellet eripi. Venimus itaque ab Cœnobium Sancti Florentij, & in die Nativitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ, virorum religioſorum Epiſcoporum & Abbatum, qui invitati advenerant, Fulconem Comitem paratum ſatisfacere, aut rationem reddere unanimi omnium voto & laude abſolvimus: acceptis ab eo ſecuritatibus, ut ſi frater eius melioritatem ſenſus reciperet, ex præcepto Domini noſtri Papæ, vel noſtro, aut concordiam faceret cum eo, aut iudicium ſubire paratus eſſet: nec uxorem duceret, de quarum numeroſitate culpabatur, abſque noſtro conſilio, cuius rei geſtæ ſeriem vobis pandere indicamus. Religioſorum autem, qui adfuerunt, nomina hæc ſunt. Aldebertus venerabilis Bituricenſium Archiepiſcopus. Ouueldus Cenomanenſis Epiſcopus. Guillelmus Ab-
G bas S. Florentij. Bernard. Abbas maioris Monaſterij. Bernardus Abbas SS. Sergij & Bacchi. Girardus Abbas S. Albini. Nualdus Abbas S. Nicolai. Baldricus Abbas Burgulienſis. GAVFRIDVS ABBAS VINDOCINENSIS. Actum eſt anno ab Incarnatione Domini M. XCIV. apud Abbatiam Sancti Florentij, die feſto Sancti Ioannis Baptiſtæ.

II.

Ivonis Epiſcopi Carnotenſis Epiſt. XLI. ad Goffridum.

IVo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter Gaufrido Vindocinenſis monaſterij Abbati cum dilectione ſalutem. *Item Epiſtola LVII. XCII. CLXIII. & CXCV.*

III.

H *Hugonis de Cleeriis militis Andeg. in Commentario de maioratu & Seneſcalcia Franciæ.*

REx Ludovicus requiſivit Fulconem Comitem, ut de guerra iſta eum iuvaret. Comes verò reſpondit, quòd nullo modo ei ſervire debebat. Eum namque ex maioratu & Seneſcalcia exhæreditabat. Tunc Rex Ludovicus per Amalricum de Monte-forti avunculum Fulconis Comitis, & per Gaufridum Abbatem Vindocinenſem, & Radulphum de Balgentiaco mandavit Comiti, de omnibus iſtis & maioribus aliis iſtorum conſilio ſe verſus Comitem emendaturum.

***

IV.

Digitized by Google

A

I V.

Calliſti I I. Papæ Epiſtola ad Goffridum Abbatem Vindoc.

CAlliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſ-
ſimo in Chriſto filio ſuo Gaufrido Vindocinenſi
Abbati ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Et tuæ
in Romanam Eccleſiam devotionis ſinceritas,& noſtra
in invicem aſſidua familiaritas nos hortantur,vt viſita-
re te frequentius Apoſtolicæ benedictionis literis de-
beamus. Viſitamus ergo,& te ſicut fratrem in Chriſto
cariſſimum amplioris dilectionis brachiis amplectentes,
diligere,& de familiari familiaritatem,& ex caro cario-
rem habere deinceps præoptamus. Perſonam tuam ho-
B notare,& Eccleſiam tuam iuvare cupimus & fovere.Sa-
nè fratres tuos per te in Domino ſalutamus , & eis om-
nipotentis Dei & B.Apoſtolorum Petri & Pauli bene-
dictionem impendimus. Quicquid verò dignitatis, li-
bertatis,ſeu immunitatis ab Apoſtolica ſede tibi,tuoque
Monaſterio conceſſum eſt , nos quoque ratum & inte-
grum perpetuò manere cenſemus. Datum Romæ VIII.
Idus Aprilis.

V.

Franciſci Torrenſis in Antapologetico pro Reſidentia Paſtorum.

DIcere autem plebem aliquando elegiſſe Epiſcopos,
aut poſſe modò, ad hæreſim de inveſtitura Eccle-
ſiaſtica à laicis accepta pertinere poteſt,quam Romana
Synodus Gregorio V I I. Pontifice damnavit , & hoc
nomine affecit , vt etiam Goffridus Vindocinenſis Ab-
bas vetus autor,& valde in ſcripturis ſanctis eruditus in
libro de ordinatione Epiſcop. & inveſtitura laicorum
ad Petrum cognomento Leonem Eccleſiæ Romanæ
Cardinalem ſcripſit , & in Epiſtola VII. ad Paſchalem
C Pontificem de pacto inito cum Rege Teutonico.

Ex Bellarmino de Scriptor. Eccleſiaſt.

GOffridus Abbas Vindocinenſis, & Cardinalis tit. S.Priſcæ ab Vrbano I I.creatus,vixit vſque ad extrema tempora Innocentij I I.vt conſtat ex Epiſtola Innocentij ad ipſum. Scripſit *Epiſtolarum libros quinque, Opuſcula quindecim, & ſermones duodecim* : quæ omnia extant excuſa operâ Iacobi Sirmundi, è Societate Ieſu.

INDEX
OPERVM GOFFRIDI ABBATIS VINDOCINENSIS.

D

EPISTOLARVM LIBRI V.

Lib. I. Ad Pontifices , & ſedis Apoſtolicæ Legatos.

VRBANO I I. *Papæ una.*
Paſchali I I. Papæ octo.
Calliſto I I. Papæ duæ.
* *Eidem aliæ duæ.*
* *Honorio I I. Papæ duæ.*
* *Petro Cardinali Diacono I.*
Richardo Epiſcopo Legato I.
Cononi Epiſc.Legato I.
Girardo Engoliſm.Epiſcopo Legato V I I I.
* *Eidem nona.*
Hugoni Archiepiſcopo Legato I.
* *Vmbaldo Archiepiſcopo Legato I.*
Radulpho Turon.Archiepiſcopo I.
* *Rainaldo Remorum Archiepiſc.I.*

E

Lib. I I. Ad Epiſcopos Carnotenſes.

IVoni Epiſcopo X I X.
Ivonis ad Goffridum I.
Goffrido Epiſcopo V I.
* *Eidem ſex aliæ.*

Lib. I I I. Ad Epiſcopos Andegavenſes, Cenomanenſes, & Santonenſes.

GOffrido Epiſc. Andeg.I.
Rainaldo Epiſc. Andeg.X.
* *Vlgerio Epiſc.Andeg.I.*
F *Ildeberto Epiſc.Cenoman.X V I I I.*
Rannulfo Epiſc.Santon.V I I.
Petro Epiſc.Santon.I I I.
* *Eidem I.*
* *I.Epiſcopo I.*
* *R. Epiſcopo I.*

Lib. I V. ad Abbates , Priores , Monachos diverſorum Cœnobiorum.

HVgoni Abbati Cluniac. I.
Pontio Abbati Cluniac.I.
Hainrico Abbati Angeriacenſi I I I.
Ioanni Abbati Dolenſi I.
Guillelmo Abbati S. Florentij I.
Eidem & Bernardo Abb.S.Sergij I.
Eidem & Guillelmo Archidiacono I.
Archembaldo Abb.S.Albini I I.
* *Hamelino Abb.S.Albini I.*
Gualterio Abb.S Sergij I.
Bernerio Abb.Bonavallis V I.
G *Bernardo Abb.S.Launomari I.*
* *Odoni Abbati maioris Monaſt.I.*
* *Amblardo Abbati Lemovic.I.*
G.Priori de Caritate I.
Hamelino & cæteris monaſterij Vindoc.I.
Monachis Vindocinenſibus I.
Ingelbaldo & cæt.monachis Vindoc.I.
Hugoni Priori, & cæt.Vindoc.I.
Roberto monacho ſuo I.
Rainaldo monacho ſuo I.
* *R.Priori & aliis Vindoc.I V.*
Fratribus Santonicis I I.
Hamelino Priori & Briccio Cellarario I I.
Andreæ monacho I I I.
Guillelmo Priori apud Caſtellum I I I.
Bernerio Priori Credonenſi I I.
I.Priori I.
Roberto de Arbruſſello Procur.*Fontis Ebraldi I.*
Herveo & Evæ Incluſis I.
Herveo eidem I I.

H

Lib. V. Ad Sæculares tum Clericos tum Laicos.

GValterio Theſaurario S. Martini , & Goffrido de Alogia I.
Gualterio eidem I I.
Stephano Decano S.Mauricij. &c. I I.
Huberto Præcentori Archidiac V.
Guarnerio Archidiacono nutritori ſuo I V.
Goffrido Decano I.
Guillelmo magiſtro ſuo I.
Hainrico Regi Anglorum, Duci Normannorum I.
Guillelmo Duci Aquitanorum I V.
Matildi Comitiſſæ Pictavenſi I.
Ermengardi Comitiſſæ Britannorum I I.
Adelardo de Caſtro Gunterij I.
Goffrido de Meduana I.
Rainaldo de Credone I.
Radulfo de Balgentiaco I.

A

OPVSCVLA.

I. *De corpore ac ſanguine Domini.*
II. *De ordinatione Epiſcoporum, & de inveſtitura laicorum ad Petrum Leonis Cardinalem.*
III. *De Simonia & inveſtitura laicorum, quare utraque dicatur hæreſis, ad Calliſtum Papã.*
IV. *De poſſeſſionum Eccleſiaſticarum inveſtitura, quod Regibus concedatur.*
V. *Qualiter diſpenſationes in Eccleſia fieri debeant, ad Calliſtum Papam.*
VI. *Quæ tria Eccleſia ſpecialiter habere debeat, ad Calliſtum eundem.*
VII. *De Arca fœderis, ad Hamelinum & Andreã.*
B VIII. *Quid Baptiſmus, quid confirmatio, quid infirmorum unctio, quid corporis & ſanguinis Chriſti perceptio in anima Chriſtiana operentur.*
IX. *Quid ſit Sacramenti iteratio.*
X. *De promiſſionibus quas pro cõſecratione ſub nomine profeſſionis Abbates faciũt Epiſcopis.*
XI. *De illis qui in Capitulo inordinate clamant, & de his qui ibi inordinate reſpondent.*
XII. *Quæ tria Paſtoribus ineſſe debeant.*
XIII. *Invectio Dei contra peccatorem, & peccatoris confeſſio precantis miſericordiam.*
XIV. *Alia Invectio contra peccatorem, & pœnitentis peccatoris conſolatio.*
XV. *Lamentatio cuiuſdam peccatoris accuſantis ſe & iudicantis.*
XVI. *Oratio ad Ieſum.*
XVII. *Oratio ad Matrem Domini.*
XVIII. *Hymnus de S. Maria Magdalena.*

C

SERMONES.

I. *In Nativitate Domini I.*
II. *In eadem II.*
III. *In eadem III.*
IV. *In eadem IV.*
V. *De Reſurrectione Domini.*
VI. *De Aſcenſione Domini.*
VII. *De Purificatione S. Mariæ.*
VIII. *In omni feſtivitate B. Mariæ.*
IX. *In feſtivitate B. Mariæ Magdalenæ.*
X. *De Latrone ſalvato in Cruce.*
XI. *In feſtivitate* B. Benedicti.

INDEX EORVM AD quos in Epiſtolis ſcribit Goffridus.

D

A.

ADELARDO *de Caſtroguntery V.* 25
** Amblardo Abbati Lemovicenſi IV.* 22
Andreæ monacho IV. 38.39.40.*Opuſc.*7
Archembaldo Abbati S. Albini IV. 10.11

B.

Bernardo Abbati S. Launomari IV. 20
Bernardo Abbati S. Sergij IV. 8
Bernerio Abbati Bonævallis IV. 14.15.16.17.18.19
Bernerio Priori Credonenſi IV. 44.45
Briccio Cellarario IV. 36

C.

Calliſto Papæ I. 10.11
** Eidem.* 12.13.*Opuſc.*3.5.6
Cononi Epiſcopo Legato I. 18

E E.

Ermengardi Britannorum Comitiſſæ V. 23.24
Evæ incluſæ IV. 48

G.

Girardo Epiſcopo Engoliſm. Legato I. 19.20.21.22.23.24.25.26.
** Eidem.* 27
Goffrido Epiſcopo Andegavenſi III. 1
Goffrido Epiſcopo Carnotenſi II. 21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.32
Goffrido de Alogia V. 1
Goffrido decano V. 15
Goffrido de Mediana V. 26
Goffrido mon. de Surgeriis IV. 34
Gualterio Abbati S. Sergij IV. 13
F *Gualterio Theſaurario S. Martini V.* 1. 2. *Archiepiſcopo Turon. deſignato V.* 3
Gualterio Archid. nutritori ſuo V. 4.5.11.12.13.14
Guillelmo Duci Aquitanorum V. 18.19.20.21
Guillelmo Abbati S. Florentij IV. 7.8.9
Guillelmo Archidiacono IV. 9
Guillelmo Priori de Caſtello IV. 41.42.43
Guillelmo magiſtro ſuo V. 16
G. Priori de Caritate IV. 23

H.

Hainrico Regi Anglorum, Duci Norman. V. 17
Hainrico Abbati Angeriacenſi IV. 3.4.5
Hamelino Abbati S. Albini IV. 12
** Hamelino Priori IV.* 36.37
Hamelino monac. Vindoc. IV. 24.*Opuſc.*7
Herveo Incluſo IV. 48.49.50
Herveo mon. de Olona IV. 34
** Honorio II. Papæ I.* 14.15
Huberto Cantori Archidiacono Andeg. V. 4.5.6.7.8.9.10
Hugoni Archiepiſcopo Lugdun. Legato I. 28
Hugoni Abbati Cluniac. IV. 1
Hugoni Priori Vindoc. IV. 27

I.

G *Ildeberto Epiſcopo Cenomanenſi III.* 13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.
Ingelbaldo mon. Vindoc. IV. 26
Ioanni Abbati Dolenſi IV. 6
Iordano monac. de Podio rebelli IV. 34.35
Ivoni Epiſcopo Carnotenſi II. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19
Ivonis Goffrido II. 20
** I. Epiſcopo III.* 42
I. Priori IV. 46

M.

Matildi Comitiſſæ Pictavenſi V. 22
Monachis Vindocin. IV. 25

O.

** O. Abbati IV.* 21
Omnibus Epiſcop. Abbatibus, &c. III. 30
H *Omnibus Chriſtianis.* *Opuſc.*1

P.

Paſchali II. Papæ I. 2.3.4.5.6.7.8.9
** Petro Cardinali Diacono I.* 16
Petro Leonis Cardinali. *Opuſc.*2
Petro Epiſcopo Santonenſi III. 38.39.40.41
Pontio Abbati Clun. IV. 2

R.

Radulpho Archiepiſcopo Turon. I. 30
Radulpho de Balgentiaco V. 28
** Rainaldo Remorum Archiepiſcopo I.* 31
Rainaldo Epiſc. Andeg. III. 2.3.4.5.6.7.8.9.10.11
Rainaldo de Credone V. 27
Rainaldo Cartaldo mon. IV. 34.35
Rainaldo monach. Vind. IV. 29
Rannulfo Epiſcopo Santonenſi III. 31.32.33.34.35.36.37
Richardo Epiſc. Legato I. 17
Roberto de Arbruſſello IV. 47
Roberto monacho Vindoc. IV. 28

** R. Epiſcopo*

A * *R. Epiſcopo III.* 43
* *R. Priori Vindoc. IV.* 30.31.32.33

S.

S*Tephano Decano Andeg. V.* 4.5

V.

* V*Lgerio Epiſcopo Andeg. III.* 12
* *Vmbaldo Archiepiſcopo Lugdunenſi Legato I.* 29

Vrbano II. Papa I. 1

GOFFRIDI ABBATIS VINDOCINENSIS
B. Priſcæ Cardinalis Epiſtolarum
LIBER PRIMVS.

B

EPISTOLA I.

Domino chariſſimo ac venerabili Papa Vrbano Goffridus ſuus reverentiam cum puræ dilectionis obſequio.

SANCTITATEM veſtram viſitare cupiens Romam venire diſpoſueram: ſed quæ adhuc valde me cruciat febris quartana, detinuit invitum. Et quia velle adiacet mihi, ſi quando Deus poſſe donaverit, venire uſque ad vos non pigritabor, beata viſione veſtra ſatiari non mediocriter optans. Interim, Pater dulciſſime, apud pietatem veſtram obtineat ſervus veſter litteris veſtris benedici pariter & ſalutari. Santonenſi Epiſcopo, humiliter quæſo, præcipiatis, ne Eblonem, qui vobis ſemper inobediens extitit, aliqua occaſione abſoluat, niſi prius nobis C ſatisfecerit de inuaſione terræ noſtræ, & de redditibus, quos per quatuor annos iniuſtè habuit. Præſentium litterarum portitorem virum religioſum, amatorem iuſtitiæ & veritatis, & ut videtur, per omnia zelum Dei habentem, bonitas veſtra nullatenus dubitet. Hic eſt enim, qui in partibus noſtris, quaſi primus & maximus cum Propheta clamare non ceſſat: *Quis conſurget mihi adverſus malignantes, aut quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem?* (Pſal. 93.) Pater benigne, nuper Canones relegens, quandam ſententiam inveni, quæ Paſchali Papæ inſcribitur, ubi neophytum factum Epiſcopum, hæreticum vocat: & ſicut Simoniacum, ita & neophytum à ſancta Eccleſia debere ſeparari docet & præcipit. Hæc autem ſententia utrum inter Canonicas recipi debeat, ſatis non video. Sed quod minus inde percipio, paternitate veſtra edocente, ſcire deſidero. Valeat maieſtas veſtra.

D

EPISTOLA II.

Dilectiſſimo Domino ac venerabili Papæ Paſchali Goffridus per omnia ſuus cum dilectione debitam ſervitutem.

AD vos venire, optime Pater, paraveram quod quanto deſiderio explere cupiebam, ſi etiam lingua mea ſileret, teſtis eſt mihi paratus ipſe quem feceram. Sed dum prompta voluntas veniendi affuit, inopinata neceſſitas non defuit, quæ meæ voluntati penitus obſtitit. Sunt enim in partibus noſtris quidam ſatis nobiles genere, ſed multùm ignobiles actione: mihi quidem carne propinqui, at moribus & vita longinqui. Hi de rebus monaſterij, cuius, licet indignus, curam gerere videor, perverſas quaſdam exactiones ſive conſuetudines extorquere laborant, quas prædeceſſores eorum longe antè per violentiam E rebus ipſis impreſſerant. Quos cum per Eccleſiaſticam cenſuram à ſua impietate revocare minime potuiſſem, cœpi laborare, ſi quo modo flecti potuiſſent per Principis poteſtatem: cuius videlicet anteceſſores monaſterium fundaverunt, & beato Petro in patrimonium & alodium proprium, cum rebus ad ipſum pertinentibus obtulerunt. In his itaque valde ſuſpenſus detineor: ſed mox ut veritas, pro qua laboro, per gratiam ſuam ab hac ſuſpenſione me liberatum habuerit, ſanctitatem veſtram, prout dignum eſt, viſitare non pigritabor. Interim tamen, piiſſime Pater, apud paternitatem veſtram obtineat ſervus veſter litterarum veſtrarum viſione ſalutari pariter & lætari: quarum auctoritate tyrannorum inhumanitatem, immo beſtialem ſævitiam refrænemus, quam vix, aut nunquam aliter refrænare poterimus.

F

EPISTOLA III.

Dilectiſſimo ac venerabili patri ſuo Paſchali Papæ Goffridus Vindocinenſis cœnobij miniſter indignus, debitam cum dilectione obedientiam.

ALodium beati Petri, Vindocinenſe videlicet monaſterium, cuius gubernandis rebus humilitas noſtra præeſſe dignoſcitur, in hoc mundo, quaſi in maris medio, gravi nimis tempeſtate perurgetur. Non quidem iam, ut aſſolet, ſæculari violentia devaſtatur; ſed læſionibus pariter & iniuria Pontificum, qui Eccleſiæ defenſores eſſe debuerant, aſſiduè moleſtatur. Ipſi namque nobis mala faciunt, & quæ ab aliis illata fuerint ſatis libenter conſentiunt. In Cœnomanenſi itaque Epiſcopatu Vindocinenſis Comitiſſa, ob ſcelera ſua de Comitatu eiecta, Eccleſiam quandam nobis aufert, & alia multa. Epiſcopus videt; & multam rapinam patitur: ſæpe quæſita iuſtitiæ iura non exercerat. Ipſe etiam quendam monachum noſtrum fugitivum, cæmentarium quidem, non tamen G habentem caritatis cæmentum, quo vivo lapidi Chriſto iungatur, nobis reclamantibus, ob utilitatem ſuæ artis ſecum detinet. Ibi ipſo ſciente, contra propoſitum monachi carnibus veſcitur, & omnino regulæ ſanctæ contrarius, perniciem animæ ſuæ cum corporis turpitudine operatur. In Epiſcopatu Andegavenſi quandam Eccleſiam in una parochiarum noſtrarum, nobis contradicentibus, ſcimus eſſe plantatam: non quam pater cæleſtis plantavit, ſed quam ibi laicus quidam temeraria potentia impreſſit. Cuius actionis Epiſcopum ſentimus aſſertorem, quem tantæ iniuriæ vindicem habere debuimus, & correctorem. Epiſcopus verò Santonenſis, quod monaſterium noſtrum per triginta & eo amplius annos abſque omni reclamatione poſſederat, nobis abſentibus, immo neſcientibus, quibuſdam æmulis noſtris ut acciperent licentiam dedit, nos denique veſtræ ſanctæ paternitatis H audientiam appellantes audivit. Apud vos, Pater, proſit, quod apud illum penitus obfuit. Quoniam vos diu eſt, amantiſſime Domine, non viſitavimus, ſuppliciter & obnixe precamur, ne ob hoc ſervis ſuis miſericors veſtra ſublimitas indignetur. Non enim alia de cauſa diſtulimus, niſi quia eos, ſi non omnes, ex ipſis aliquos, quibus iniuſte premimur, in veſtro iuſto examine præſentes habere deſideramus. Vnde veſtræ ſanctitati toto corde, tota anima, tota virtute ſupplicamus, quatenus viſcera Apoſtolicæ pietatis, quæ oppreſſis omnibus ſuccurrere conſueuit, iuxta deſiderium noſtrum ſentiamus: ut vel ſic ſævire deſinat tempeſtas quam patimur, & quod decet monachos, optata quiete perfruamur.

* * *

A

EPISTOLA IV.

Beatiſſimo Papæ Paſchali, chariſſimo Domino ſuo, & Patri, omnis congregatio Vindocinenſis monaſterij, eorumque indignus pater Goffridus, debitam cum filiali timore ſubiectionem & obedientiam.

INiuriis & perſecutionibus, quas Carnotenſis Epiſcopus nobis ſuſcitavit, & ſuſcitari fecit, valde fatigati, ad ſinum matris noſtræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, mamillam iuſtitiæ ſitientes confugimus; pro cuius amore ac fidelitate multimodas Epiſcopi infeſtationes diu portavimus.
B
Ad Romanam itaque confugimus Eccleſiam: cuius ſub alas maternitatis dum congregari & foveri, prout iuſtum eſt, deſideramus; nos diſgregare, & tribulationum funibus alligatos inde abſtrahere molitur prædictus Epiſcopus: & contemptis ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ ſedis privilegiis, quos ab initio noſtræ creationis, mater omnium Eccleſiarum Romana Eccleſia, proprios & ſpeciales filios habuit, atque lacte ſuæ dilectionis nutrivit, quia ſibi vindicare non valet, execrandis vexationibus conatur extinguere. Vnde optime & honeſtiſſimæ vitæ Pater, veſtram pietatem humiliter imploramus, quatenus educto de vagina beati Petri gladio Epiſcopus, & qui ſibi in iniuriis noſtris obtemperaverunt, ſic corrigantur ut cæteri timeant, & à noſtra perſecutione retrahant manus, & ſub præſidio Apoſtolicæ virtutis, quæ monachos decet, quietem habere valeamus. Mementote, dilectiſſime Pater, venerabilium prædeceſſorum veſtrorum, qui vos ad æthereas manſiones præceſſerunt:
C
quorum ſancta aſtutia, licet in multis diviſa minor eſſet in ſingulis; in cauſis tamen monaſterij noſtri, patrimonij ſcilicet beati Petri, ſe totam, prout videbatur, colligebat. Illi quidem, ſicut eorum honorabiles epiſtolæ, quas tanquam reliquias reſervamus, veraciter teſtificantur, benefactoribus noſtris multiplices gratias referebant: & eos qui nos impugnabant, ſeveriſſima invectione arguebant. Illis temporibus pacem habuimus & quietem: & militare Deo licuit, non implicari mundiali negotio. Nam ſi quis nos moleſtare cogitabat, ibi moriebatur ubi orta erat iniqua cogitatio. Nunc autem tribulationibus atterimur, fatigamur iniuriis, vexationibus, & maximè Carnotenſis Epiſcopi, laboramus. At de veſtra bonitate, clementiſſime Pater, & æquitatis integritate omnino confidentes, ab his omnibus liberari nos credimus. Gravamina, quibus à memorato Epiſcopo premimur, & ſub quanto illius onere gemimus, propter nimiam moroſitatem tacuimus: & domni Abbatis lingua melius omnia loquetur, quam indicare poſſit Epiſtola.
D

EPISTOLA V.

Glorioſa ac venerabilis vitæ Patri & Domino, Paſchali ſanctæ & Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Pontifici, frater Goffridus peccator dictus Abbas Vindocinenſis, quod patri filius, & Domino ſervus.

LItteras ſanctitatis veſtræ cum gaudio & reverentia, qua debuimus, ſuſcepimus, eiſque debitam obedientiam, prout dignum erat, exhibere voluimus: & quicquid à beatitudine veſtra nobis in litteris præceptum fuerat, completum utique fuiſſet, ſi in obedientia Archembaldi, dicti Abbatis ſancti Albini, & quorundam monachorum ſibi faventium non obſtitiſſet. Sanctum quidem & iuſtum veſtrum mandatum fuerat: ſed qui iuſtitiam & ſanctitatem minus diligunt, ex omnibus quæ præcepiſtis, nihil omnino fecerunt.
E
Hinc igitur veſtræ dilectioni incumbit, quod inobedienter actum eſt corrigere; ut vel ſic univerſi cognoſcant, quam grave ſit Apoſtolica præcepta contemnere. Vtile eſt enim, immo neceſſarium, ne hæc tanta præſumptio monachorum inulta remaneat: ne forte de monachis ſumpta occaſione in gradu altiori peſtis inobedientiæ caput erigere præſumat. Hoc in anno, dilectiſſime Pater, ad vos venire deſiderio deſideravi: ſed infirmitate & multiplici monaſterij noſtri neceſſitate detentus venire non potui. Sed Deo volente, quam citius potero, ad vos veniam, beatam faciem veſtram viſurus; & beatæ Priſcæ Eccleſiam, vel de Eccleſia iuſtitiam, ſi bonitati veſtræ non diſplicet, quod minimè diſplicere debet, recepturus.
F

EPISTOLA VI.

Beatiſſimo Papæ Paſchali, chariſſimo Domino & Patri, frater Goffridus, S. Romanæ ſedis humilis ſervus, debitam cum dilectione obedientiam.

DOmnum Paganum beati Albini electum, quem mihi minimo ſervorum veſtrorum, veſtræ auctoritatis decreto commendaſtis, ſcitote veraciter multa gravamina paſſum. Prius quidem, electio ſua ſine iudicio & audientia ei ablata eſt. Poſtea per invidiam in locum, quem per electionem fratrum ſuorum obtinuerat, Archembaldus ſubrogatus eſt. Qui me præſente in capitulo ſuo inter manus Andegavenſis Epiſcopi, cum regula S. Benedicti abbatiam penitus antè dimiſerat:
G
quia, ſicut ipſemet & omnis congregatio cum eo publicè confitebatur, præ animi & corporis infirmitate tantum onus ferre non poterat. Paganus verò cum ſe nec auditum, nec vocatum quaſi damnatum conſpiceret, ne per hanc, quam immerito patiebatur, repulſam, infamia poſtmodum notaretur, me audiente domnum epiſcopum Andegavenſem, & domnum Engoliſmenſem legatum veſtrum convenit: iuſtitiam & audientiam ab eis quæſivit, ſed ſicut utraque quæſita eſt, utraque ab utroque negata fuit. Salomon tamen rex, & Evangelicus Iudex nec ſic egerunt, nec ſic agere iudices Eccleſiæ docuerunt. *3.Reg 3. Ioan.8.* Quorum unus meretrices litigantes audire minimè contempſit: ſed earum cauſas diligenter diſcutiens prudenter terminavit. Alter verò in adulterio deprehenſam & apud ſe accuſatam ſapienter & miſericorditer liberavit. His quæ ſupra diximus, & aliis gravaminibus prædictus frater vehementer oppreſſus, Sanctam Apoſtolicam ſedem, quæ matris pietate oppreſſis omnibus ſubvenire conſuevit, appellavit: & ad eam, ſicut ad matrem filius, conſilium & auxilium petiturus confugit.
H
Sed nec ſua electio, nec ſanctæ Sedis appellatio, quæ quondam prodeſſe ſolebat, adhuc ſibi prodeſſe potuit. Et quia matris iniuriam ſilere non convenit filio, ſanctæ matris Romanæ Eccleſiæ iniuriam, cuius filius ego ſum, licet indignus, occultare nec poſſum, nec debeo. Archembaldus & monachi qui ſuſtinent partes eius, omnia quæ de Pagano eis præcepit Romana Eccleſia ita contempſerunt, quod ex omnibus omnino nihil fecerunt. Huic tamen univerſali omnium Chriſtianorum matri obedire eſt utile, & honorificum, & non obedire criminoſum. Hæc obedientibus dilectionem ſervare ſemper ſtuduit; & inobedientibus reddere ultionem. Vnde, præcordialiſſime Pater, paternæ pietatis viſcera qualiſcumque filius veſter humiliter precatur: quatenus in matre noſtra Romana Eccleſia ſic & iuſtitiæ ſtatus vigeat & dilectionis affectus; ne pauper innocens opprimatur, nec ſuperbus dives qualibet occaſione glorietur. Quod ſi violentia Teutonici Regis aliquid æquitatis minus à vobis

extorſit,

extorſit, & timor mortis filiorum veſtrorum ad hoc carnem veſtram, non animam, inclinavit: quanto minus iuſtitiæ in hoc actu dignoſcitur, tanto in cauſis aliis amplius peragatur. Pater in Chriſto chariſſime, non vos ultra modum afficiat, ſi qua fuit ſiniſtra operatio: non perturbet oculum mentis veſtræ regis exactio, ſed quanto fortius poteſtis, iura iuſtitiæ in rebus aliis teneatis nunc ex deliberatione: vt quod regi fecit veſtra humanitas, feciſſe credatur pro vita filiorum paterna compaſſione.

EPISTOLA VII.

Beatiſſimo Papæ Paſchali, chariſſimo Domino & Patri, frater Goffridus Apoſtolicæ ſedis ſervorum minimus, eam, quæ ſecundum Deum eſt, obedientiam.

OPtimè noſtis, Pater optime, navim Petri Petrum ſimul & Iudam habuiſſe, & ſicut beatus Ambroſius dicit, quandiu in ea Iudas fuit, ſemper paſſa eſt tempeſtatem: ſed illo filio perditionis foras expulſo, tranquillitatem habuit & quietem. Iudæ ſiquidem perverſitas exigebat, vt navi, quæ vtrumque, Petrum ſcilicet & ipſum vehebat, ſuſcitaret tempeſtatem: ſed fides & pietas Beati Petri apud Dominum obtinebat, ne colliſionem incurreret vel ſubmerſionem. Et quia noſtris temporibus alter Iudas, parturiente diabolo, contra ſanctam Eccleſiam natus agnoſcitur, qui Catholicam fidem, libertatem, & beatam eius caſtitatem modis omnibus deteſtanda præſumptione ſibi auferre conatur: valde neceſſe eſt, vt nunc etiam fides Beati Petri in ſua ſpeciali ſede, quæ nunquam errare conſuevit, tantum vigeat: quatenus in primis ſuæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & à colliſione provideat, & eam à ſubmerſione defendat: ne forte, quod abſit, Satanâ triumphante erroris fluctibus intolerabiliter oppreſſa ſuccumbat; & ſic credentium omnium multitudo Scyllam & Charybdim cum illa patiatur, & pereat: & Beatus Petrus ſub vndis latere credatur, qui olim ſuper vndas ambulabat. Firmiter credimus, nec erramus, Dominum noſtrum duobus diſcipulis, Petro videlicet & Paulo, Eccleſiæ dediſſe principatum. Petrum fidei Catholicæ principem fecit; Paulum doctrinæ. Quorum vnum elegit adhuc in terra corporaliter manens: alium vero in cœlo iam reſidens. In terra quidem Petrum elegit, vt Eccleſiam ſuam eius fidei robore firmaret: Paulum poſtea de cœlo, quatenus eius ſancta doctrina fide firmatam Eccleſiam exornaret. Iſti glorioſi triumphatores operibus veritati fidem ſervantes non ſanguini, maluerunt alter obedienter ſubire patibulum crucis, alter enſem ſuſcipere diligenter ſubmiſſa cervice; vnde amplius lactis exivit quam ſanguinis: quam Eccleſiæ ſibi commiſſæ virtutem fidei & libertatem, quam bonus eorum magiſter & Dominus fuſo ſanguine ſui ſacratiſſimi corporis comparaverat, paterentur auferri. Iſti ſanctæ memoriæ & venerabilis vitæ martyres ſuo capiti Chriſto fideliter inhærentes, quam veraciter eius membra fuerunt, mori potius pro illo quam contra illum vivere eligentes, factis amplius quam verbis clamaverunt. Quorum victorioſo ſanguine laureata ſancta Romana Eccleſia olim ſuperatis hoſtibus triumphavit: quæ in ſuis doctoribus & mori pro Chriſto ſemper optavit, & ſibi vivere recuſavit. Hi ſancti viri in æthereis manſionibus cum ſuo Domino iam exultant; vbi pro morte temporali beatam immortalitatem adepti, ſuos, ſed non degeneres ſucceſſores expectant. Quod ſi alicui eorum victoria non affuit paſſionis, non illud timor negavit; nec tam paſſio defuit, quam dies certaminis. Talibus patronis terra lætatur, cælum exultat: & quia felix eorum vita mortem meruit glorioſam; hinc ſancta eorum ſolemnia plebs Chriſtiana celebrando frequentat; & per ſupplicabiles ipſorum preces ſe tota devotione ſuo creatori commendat. Horum itaque ſolemnia celebrare eſt vtile & religioſum: ſe piis eorum precibus commendare vtile pariter & neceſſarium. A quorum ſorte beata qui in eorum ſede reſidens & aliter agens ſe privavit, factum ſuum ipſe diſſolvat, & velut alter Petrus lachrymando corrigat quod fecit. Si metu mortis titubavit ad horam carnis infirmitas, in corrigendis carnis operibus mentis integritas perſeveret, & emendare non erubeſcat, cauſans de carne, velit nolit, moritura, quod acquiſita immortalitate vitare potuiſſet. Si vero timore mortis filiorum ſuorum potius quam ſuæ, ea feciſſe vel facientibus aſſenſum dediſſe convincitur, quæ Chriſtus per ſemetipſum correxit, & B. Petrus abominatus eſt, atque ſacri Canones penitus execrantur; nullo velamine tegi poteſt vulnus tam manifeſtum: quia pater ſic filiis propitiare non potuit, ſed ſalutem impedire filiorum. Mortem ſiquidem, quæ fructum facit meliorem differre ſubito morituris, & in æternum victuris vitam à Deo paratam auferre, nulla nos docent exempla Sanctorum. Nam ſi Paulus ad horam vitavit mortem, in aliquo fidem non læſit, neque deſeruit veritatem: & ſe morti magis reſervaſſe creditur, quam ſubtraxiſſe, vt fructum deinceps faceret potiorem. Vnde nec iuſtitiæ nec miſericordiæ fuiſſe conſilium veraciter agnoſcitur, ſed Satanæ incitamentum, eos ſubtraxiſſe morti, quæ diu deeſſe non poteſt mortalibus, qui cum vtilitate totius Eccleſiæ vitæ ſtatim ſociari potuiſſent æternæ. O quam venerabilis, & quam pretioſa eſſet in conſpectu Domini mors, immo vita illorum, quibus ſi pati pro fide datum fuiſſet deſuper, vel in terra permiſſum, ſancta Eccleſia hæretica pravitate ſuperata, ſuo ſponſo, qui pro ea mortuus eſt, & reſurrexit, vſque in finem ſæculi fideles filios procreaſſet; nec frangi, nec flecti deinceps fides Catholica potuiſſet. Si obiicitur, quod inviti forſitan paterentur, & idcirco eorum paſſio crederetur infructuoſa, quod ſpontanea minimè videretur: & iterum, *Pœna martyrem non facit, ſed cauſa:* cauſa vtique idonea & multum idonea erat, quia cauſa fidei, qua melior non poterat inveniri. Pro hac etiam, ſi aliter non poſſent, contra ſuam voluntatem mori debuiſſent: quia nec ſic martyrij palma fraudari potuiſſent. Innocentes etenim ſancti, qui nec voce, nec voluntate martyrium quæſiſſe leguntur, quoniam pro Domino pertulerunt, corona martyrij non privantur. Hos ſancta Eccleſia non ſolum martyres eſſe, verum etiam martyrum flores confitetur. Vnde firmiter credendum eſt, & nullatenus dubitandum, quod ſupplicium mortis pro fide Chriſti homini collatum, etiam ſi pro carnis infirmitate noluerit, & tamen non negaverit, martyris vendicat nomen & præmium. Si autem adeo fuiſſent degeneres filij, quod à porta paradiſi, cui non Teutonici regis impietate, ſed qui bene malis vti conſuevit, Domini pietate iam propinquaverant, retro pedem dare negando voluiſſent: conſtantia patris & ratio ſpiritui propitiare potius debuerat, quam carni, eóſque in fide ſancta exhortatione firmare: ſi neceſſitas incumberet, primus pro veritate ſuccumbere; & ſicut B. Sixtus beatum Laurentium ad vitam prævenit æternam; ita & ipſe eos prævenire: ne illorum imperfectione vniverſalis Eccleſia chartam fidei, caſtitatis, ac libertatis perderet, quam Salvator ore ſuo dictatam, & ſigillatam in cruce, manibus propriis Chriſtianis omnibus tradidit in pignus & tenorem dilectionis. Et quoniam culpa hæc inexcuſabilis nullatenus dubitatur, & excuſando augeri poteſt, non minui; relicto errore ſcienter commiſſo ſine dilatione corrigatur; ne mater noſtra ſpiritualis, quæ quaſi noviſſimum ſpiritum trahit, omnino moriatur. Fide, caſtitate, ac libertate vivit, ac viget Eccleſia: quæ ſi non habet; languet, & ſeparatur à vita. Nam fide fundatur, ornatur caſtitate, libertate regitur. Sed cum laicam inveſtituram, quæ ſecundum traditiones ſanctorum Patrum hæreſis comprobatur, non contradicit, ſed præcipit; cum corrumpitur ipſa muneribus; cum

A ſæculari poteſtati ſubiicitur; fides, caſtitas, & liber-
tas ei ſimul aufertur; & quæ vitam non habet, nec
immerito mortua creditur. Huius mortis auctorem vel
noviſſimum Eccleſiæ membrum credere, etiam ſi pa-
ſtor videatur, errare eſt. Huic errori quicunque in-
hæſerit merebitur ab ipſa vitæ radice præcidi. Super
his autem ſi quis aliter ſenſerit, non eſt Catholicus,
manifeſtetur, & veritatis argumento probabitur eſſe
hæreticus. Tolerandus quidem eſt paſtor, ut Cano-
nes dicunt, pro reprobis moribus: ſi vero exorbita-
verit à fide, iam non eſt paſtor, ſed adverſarius, à
quolibet peccatore tantum Catholico deteſtandus. Li-
cet enim ſecundum ſanctorum decreta Romanorum
pontificum, etiam meretrici communem Eccleſiæ fi-
dem, quam ſuam credit & confitetur, defendere.
Multo igitur amplius atque perfectius religioſum Ca-
tholicum decet hæreticam pravitatem impugnare: nec
B Chriſtianæ legis veritatem, qui Chriſtianus eſt, in
tali negotio debet occultare. Sunt quidam epiſcopi,
quos nec clerus, nec populus elegit: ſed eos tantum
laica perſona inveſtivit, ij contra Catholicorum ſta-
tuta patrum, & maximè contra veridicam B. Grego-
rij ſeptimi Papæ vocem, qui pro defenſione huius fi-
dei mortuus eſt in exilio, inveſtituram palliantes, eam
negarent hæreſim eſſe, verbis ad ſeducendum compo-
ſitis, ſi poſſent. Quorum ſtateris doloſis, viris fidei
non appenditur: hos enim cuſtodit Dei ſpiritus, quo
reguntur. Fratres iſti, utinam ſi fieri poſſet, fratres
Catholici, qui non à ſuo conſecratore, ſed contra
claves Eccleſiæ, à laicis inveſtituram ſuſceperunt vel
ſuſcipiunt, dum quemlibet auctorem huius criminis
moliuntur defendere, ſub illius defenſione ſe, ſed
quaſi productis verendis, natibuſque nudatis operiunt.
Nam cum caſtitatem ſponſæ Dei ſepelire, & nimium
ſordida pollutione ſepultos ſuſcitare fallaciter conan-
tur, ſe faciunt amplius manifeſtos, ſed quia hæreti-
cus hæretici, teſtimonio in eo hæreſis genere quo
conveniunt, minime damnatur, mirum non eſt ſi tam
C nefanda loquuntur. In eum autem qui talia credit
Pſal. 9. & profitetur, de pharetra veritatis David rex & pro-
pheta hoc modo iaculatur: *Non eſt Deus in conſpectu
eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Et illud,
Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere, ut
quæ ſunt fidei, ſequeretur. Qui talis eſt, præeſſe,
non prodeſſe, & quæ ſua ſunt tantum quærere, non
quæ Ieſu Chriſti, deſiderat: & per qualibet devia
oves præcipitentur nullatenus curat. De quibus lac &
lana ſibi non ſufficit; ſed illarum devorat carnes & oſ-
ſa corrodit. Se tamen æſtimat paſtorem ovium, cum
ſit potius lupus non paſtor ovium creditur, qui eas
non paſcit, ſed de ipſis paſcitur. Hæc à nobis idcir-
co dicuntur, quia dum à Satana propheta corruptus
agnoſcitur, qui non ſolum verbo, ſicut Balaam, ſed
Num. 22. etiam ſcripto, in Chriſtiani populi necem conſilium
pariter & aſſenſum dediſſe convincitur; valde neceſſe
eſt, ut cui reſidet, aſina loquatur, & prophetæ corri-
piat inſipientiam, qui ſacra divinæ legis præcepta
tranſgreſſus eſt, ſacrilegi Regis ſecutus inſaniam. Et
quoniam Luciferum noſtris temporibus è cælo lapſum
indubitanter agnoſcimus, non ei qualibet occaſione
D illius impietatem diſſimulantes inhæreamus, ne in pu-
teum deſperationis cum eo, quod Deus abnuat,
corruamus. Si minus dixi quam debui,
ignorantiæ deputetur: ſi amplius, quia
de odio iniquitatis & æquitatis
amore proceſſit,
ignoſcatur.

***

E
EPISTOLA VIII.

*Dilectiſſimo patri & Domino Paſchali Papæ ve-
nerabili, frater Goffridus, Sanctæ Romanæ
Eccleſiæ ſervorum minimus, debitam cum di-
lectione obedientiam.*

PLacuit Sanctitati veſtræ Pater cariſſime, abbatem
B. Albini vocare, & ut in præſentia veſtra uſque
ad feſtivitatem omnium Sanctorum mihi iuſtitiam exe-
queretur, decreto veſtræ auctoritatis admonere. Quid
ipſe olim contra ſedem Apoſtolicam fecerit, Beatitudo
veſtra melius novit. Nunc autem vobis inobediens
eſſe non audet: quoniam ſi ad iſtam vocationem ve-
ſtram non veniret, Comes Andegavenſis poſſeſſionem, F
quam Monachi B. Albini per ſubreptionem abſtule-
runt, monaſterio noſtro reſtitueret. Ego vero ad præ-
dictum terminum inevitabili monaſterij noſtri neceſ-
ſitate detentus, ſicut prædicto Abbati ante dixi, ve-
nire non potero. Sed ſi Deus vitam & proſperitatem
mihi conceſſerit, uſque ad feſtivitatem S. Clemen-
tis beatam faciem veſtram viſitabo, de Abbate, & de
Monachis B. Albini iuſtitiam accepturus; & quia
venerabilis memoriæ Dominum Papam Vrbanum de-
ceperunt, multis auctoritatibus Sanctorum Romano-
rum pontificum probaturus. Ipſe poſtea Dominus Pa-
pa, viſis privilegiis noſtris, ſe fuiſſe deceptum aſſe-
ruit, & auctoritate privilegij ſui, quod contra nos
fecerat ita retractavit, quod Eccleſiam, de qua que-
rela manet, & quicquid predeceſſores ſui monaſterio
noſtro firmaverant, ſine exceptione firmavit. Vnde,
dilectiſſime Pater, diſcretam paternitatem veſtram, non
adoptivus, ſed proprius & ſpecialis filius veſter pre-
catur humiliter, ne proſit illis qui de iuſtitia diffidunt, G
ſi adventum prævenerint noſtrum. Monaſterium S.
Albini Romanæ Eccleſiæ nunquam ſervivit, vel ſer-
viet, niſi pro ſua tantum neceſſitate. Monaſterium
vero noſtrum ita B. Petri eſt proprium, quod ab ipſis
fundatoribus ſuis alodium ei datum extitit, & patri-
monium. Ab ipſo noſtræ congregationis initio præ-
deceſſores noſtri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ optime ſer-
vierunt: & ſi gloriari oportet, imò quia gloriari opor-
tet in Domino; nemo illorum melius, quam ego. Vn-
de ſalua veritate profiteor, quod poſtquam Monaſte-
rium regendum ſuſcepi, tredecim millia ſolidorum
noſtræ monetæ in Romanæ Eccleſiæ ſervitium expen-
di: ſola videlicet dilectione, non mea qualibet neceſ-
ſitate. Hæc autem dico, Deus ſcit, non fallaciter ex-
probando; ſed dilectionem noſtram erga Romanam
Eccleſiam veraciter approbando: ut qui Romanam Ec-
cleſiam diligunt, & me diligant, & mecum contra
meos adverſarios clypeum defenſionis opponant. Inter
cætera, quæ mea humilitas Romanæ Eccleſiæ in ſua
neceſſitate fecit ſervitia, unum, quia celeberrimum
fuit, nec poſſum, nec debeo ſilere: quo audito, qui
Catholicam fidem diligit, me nunquam poterit non
amare. Primo anno, quo, Deo volente vel permittente, H
nomen Abbatis ſuſcepi, audivi piæ recordationis Do-
minum Papam Vrbanum in domo Ioannis Fricapanem
latitare, & contra Guibertiſtam hæreſim viriliter la-
borare. Licet locus noſter pauper eſſet, Romam tamen
veni, illius perſecutionum & laborum volens particeps
fieri; & ſuam pro poſſe meo deſiderans ſupplere ino-
piam: quod & Dei gratia feci. Mala quæ in itinere
& in civitate paſſus ſum, noſtrorum per omnia, ne
agnoſcerer, factus famulus famulorum, longum eſt enar-
rare. Quaſi alter Nicodemus ad Dominum Papam in
domum prædicti Ioannis nocte veni: ubi eum pene
omnibus temporalibus bonis nudatum, & alieno
ære nimis oppreſſum inveni. Ibi per quadrageſimam
manſi cum illo: &, ſi fas eſt profiteri veritatem, eius
onera in quantum potui, caritatis humeris ſupportavi.

Quindecim

A Quindecim vero diebus ante Paſcha, Ferruchius, quem Lateranenſis Palatij cuſtodem Guitbertus fecerat, per internuntios locutus eſt cum Domino Papa, quærens ab eo pecuniam, & ipſe redderet illi turrim & domum illam. Vnde Dominus Papa cum Epiſcopis & Cardinalibus, qui ſecum erant, locutus, ab ipſis pecuniam quæſiuit: ſed modicum quid apud ipſos, quoniam perſecutione & paupertate ſimul premebantur, inuenire potuit. Quem ego, cum non ſolum triſtem, verum etiam præ nimia anguſtia lacrymantem conſpexiſſem, cœpi & ipſe flere, & flens acceſſi ad eum dicens, vt ſecure cum Ferruchio iniret pactum. Ibi aurum & argentum, nummos, mulas & equos expendi: & ſic Lateranenſe habuimus, & intrauimus palatium. Vbi ego primus oſculatus ſum Domini Papæ pedem; in ſede videlicet Apoſtolica, in qua longe B ante Catholicus non ſederat Papa.

EPISTOLA IX.

Beatiſſimo Papæ Paſchali frater Goffridus, quod cariſſimo patri humilis filius & bono Domino fidelis ſeruus.

LItteras veſtras, dilectiſſime Pater, triginta quinque diebus ante Concilium vidi: in quibus audiui quod noluiſſem, & quod audire peccando non merui. Peruenit enim ad aures veſtras, neſcio cuius relatione me perſecutoribus Eccleſiæ, & Comiti Pictauienſium participare; quod, Deus ſcit, nunquam feci; nec paternitatem veſtram optaſſem de me rem huiuſmodi credidiſſe. Hæc namque ſeminauit inimicus homo, & falſitatis ſpiritus erat in eo. Monaſterium ſiquidem noſtrum, quicquid melius habet, & vnde pene penitus viuimus, in terra Comitis Pictauienſis noſcitur haberent ideo mutare non poſſum, quin aliquando cum eo C loquar: ſed teſtem in animam meam inuoco Spiritum ſanctum, hoc neceſſitate fit Monaſterij noſtri, non mea voluntate. Occaſione quondam accepta, quia prædeceſſor noſter non potuit ad eum venire vel noluit, quandam nobis abſtulit Obedientiam, quam me poſtea viginti quinque millia ſolidorum redimere oportuit. In quibus tamen me ab excommunicato debeo abſtinere, ſi ei communicaui, vel quandiu fuerit excommunicatus, communicauero, nunquam mihi à Deo illius peccati fiat remiſſio. Hæc & ſi quælibet alia vobis de me dicta ſunt amara, credite firmiter ea fallaciter & inuidioſe fuiſſe inuenta. Vnde ſi iuſtum eſt, competens terminus ponatur, & qui me ſagittant in occulto, notificentur contra quos ſcilicet canonice me præparare debeam, & de quibus forſitan aliquid dicam; & ſine miſericordia iudicemur. Veritatem, dulciſſime Pater, attendite, non verborum relationem. D Æmulantur enim me quidam, ſcilicet diaboli æmulatione. Quorum falſis detractionibus compellor palam profiteri veritatem, quam ſatis tacere voluiſſem. Nullus itaque veraciter dicet æmulorum, quod in tota Francia Monaſterium ſit ordinatum melius quam noſtrum. Quod noſtro tempore per Dei gratiam amplius creuit, quam prius deuotio fundatorum ei contulerit: licet nunquam Eccleſiam, nunquam alterius Eccleſiæ decimam, vel quamlibet poſſeſſionem Eccleſiaſticam eo modo acquiſierim, quo faciunt quidam. Tempore prædeceſſorum noſtrorum Romana Eccleſia vel debitum cenſum, duodecim ſcilicet ſolidos, per annum vix inde habere potuit quod non propter iactantiam, ſed propter gratiarum actionem dico; in ſeruitio Romanæ Eccleſiæ amplius quam duodecim millia ſolidorum noſtra paupertas expendit. In ſpatio triginta quinque dierum, reverendiſſime Domine, me præparare & ad vos venire non potui, corporis etiam preſſus infirmitate. Iter noſtrum quam citius potero, præparabo: &, ſi Deus mihi vitam & ſanitatem donauerit, vos, ſicut cariſſimum patrem, ad præſens videbo, E vobis diligenter ſeruiturus, & Beatæ Priſcæ miſericorditer recepturus Eccleſiam, vel de Eccleſia, ſi placet, iuſtitiam. Dignum ſatis & iuſtum eſſet, ſi diſcretioni veſtræ videretur, vt quod ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum, Alexandri ſecundi videlicet, & Gregorij ſeptimi auctoritate nobis donatum eſt, & ſub eorum anathemate firmatum, & poſtea pro fidelitate Romanæ Eccleſiæ à Guitberto hæretico ablatum extitit, à Romana Eccleſia nobis redderetur, quæ mala pro bonis reddere non conſueuit. Hæc eſt enim retributio quam Deus non docuit, nec B. Petrus agnouit. De Guitberto quidem me optime vindicaui: quia poſt beatæ memoriæ Papam Vrbanum, & præcipuum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ filium, Petrum Leonis, ei abſtuli Lateranenſe palatium. Valeat Dominus Papa & vigeat: & qui eum odit, vel decipit, F conuincatur, ne pereat.

EPISTOLA X.

Dilectiſſimo Domino ſuo univerſali Papæ Calixto frater Goffridus ſuus quicquid eſt, quicquid poteſt, quicquid ſapit & habet.

IN primis, dulciſſime Pater, pro univerſis beneficiis veſtris multiplices gratias agit benignæ Paternitati veſtræ humilis ſeruus veſter. Mihi quidem ſeruo ſuo præcepit veſtra dilectio, vt infra vel circa Abbatiam noſtram expectarem, donec viderem nuntium veſtrum, ad vos venire paratus, quia de caro cariorem, & de familiari familiariorem me facere diſponebat veſtra ſancta & ſincera intentio. Cariſſime Domine, obedientiæ veſtræ ſeruaui mandatum: expectaui & adhuc expecto promiſſum. Quod ſi obliuione, vel G aliqua neceſſitate extitit prolongatum; eo tamen fraudari qualibet occaſione non potero. Sunt etenim tria maxime, quæ de gratuitæ bonitatis veſtræ promiſſis me deſperare nulla ratione permittant: nobilitas ſcilicet generis, veritas Apoſtolicæ dignitatis amica, & antiquæ vinculum dilectionis. Iubeat igitur bonus Dominus meus me venire ad ſe, quod ſuo ſeruo, licet indigno, promiſit, & ſcripſit facturus. Ego autem, ſi ipſe iuſſerit, quando & quomodo iuſſerit, ſum ad eum venire paratus. Hæc humilitas mea ſuo præcordialiſſimo Domino ſcripſit, & ſi quid minus ſcriptum eſt, cum præſens fuerit, non tacebit. Valeat benigniſſimus Dominus noſter ſemper, & vigeat: & omnis eius inimicus aut convertatur, aut pereat.

EPISTOLA XI.

H *Dulciſſimo patri ſuo, & cariſſimo Domino univerſali Papæ Calixto frater Goffridus, quod patri filius, quod Domino ſeruus.*

LOquar ad Dominum meum, quamvis non ſim omnino vtilis ſeruus, ſed tamen fidelis. Loquar ad patrem meum, quem toto corde, tota anima, tota virtute dilexi; & probatio meæ dilectionis fuit quondam exhibitio operis. Nihil aliud dicam, niſi quod divina ſcriptura loqui me docuit. Apud Noe pium & iuſtum patriarcham, nec Iaphet patris amator perdere, nec Cham patris derogator percipere patris benedictionem promeruit: maxime Cham ille, qui non ſolum patris pudenda detexit, verum etiam quæ in patre non erant, pudenda finxit, & publicauit. Vnde nullatenus dubito, immo fiducialiter credo, quod nec cenſura iuſtitiæ, nec iura naturæ, nec vinculum antiquæ dilectionis, nec veritas Apoſtolicæ dignitatis amica, me diutius fraudari patietur promiſſa mihi patris

A benedictione. Scit enim pius Pater, quid mihi, licet indigno filio, promiſerit; quid mihi poſtea litteris Apoſtolicæ veritatis ſignificaverit. Faciat igitur Pater bonus; ne facies filij, qui patrem ſemper dilexit, de non completa patris promiſſione erubeſcat; ne ille qui iniquo odio ſemper habebit utrumque, de contumelia patri irrogata ſe eius gratiam adeptum glorietur, & de filij repulſa adgaudeat. Aſcendat in mentem piiſſimi Patris & Domini, in memoria fixum teneat, quantum illum, antequam noviſſem, dilexi: quam devote ei, antequam caram eius faciem vidiſſem, ſervivi. Ego ſum, ego ſum ille, qui Armannum monachum miſſum ab eo ad Dominum Papam Vrbanum honorificè pro eius amore ſuſcepi; & qui apud Dominum Papam, qui me quaſi unicum filium diligebat, pro cauſis ipſius diligenter peroravi, & totum eius complevi negotium; B teſtis eſt mihi conſcientia, ſicut melius potui. Valeat Pater meus ſemper & vigeat: & omnis eius inimicus aut convertatur, aut pereat.

EPISTOLA XII.

Dilectiſſimo Patri & Domino univerſali Papæ Calixto, frater Goffridus ſuus quicquid eſt, quicquid poteſt, quicquid ſapit & habet.

Mihi, dulciſſime Pater, præcepit veſtra dilectio, ut ad vos venirem, quia de caro cariorem, & de familiari familiariorem me facere, perſonam ſcilicet noſtram honorare, & Eccleſiæ noſtræ conferre utilitatem diſponebat veſtra ſancta & ſincera intentio. Veniam certe, Deo auxiliante, ad Dominum meum, ei ſervire paratus, & recepturus ab eo quod verbo & ſcripto mihi promiſit, nec ero ingratus. C Interim humiliter rogo pium patrem & Dominum, quatenus miſſo ad Carnotenſem Epiſcopum ſuæ auctoritatis decreto, excommunicationem confirmet, quam Epiſcopus ipſe, litteris Apoſtolicæ ſedis coactus, in Nivelonem, & Archembaldum, qui plurima damna & multiplices iniurias Monaſterio Vindocinenſi, alodio B. Petri & eius patrimonio, fecerunt, & adhuc facere non deſiſtunt. Prædicto etiam Epiſcopo Apoſtolica ſinceritas penitus interdicat, ne quicquam à nobis contra Romanæ Eccleſiæ privilegia exigere præſumat. Dictum eſt mihi quod Hugo præpoſitus Carnotenſis Eccleſiæ ad vos venit, qui, ſicut dicitur, ſacrilego & excommunicato Niveloni communicat, & eum in rapina poſſeſſionum noſtrarum manutenere conatur. Si unquam bene aliquid promeruit de celſitudine veſtra humilis ſervus veſter, pium erga me ſentiat ille veſtræ dilectionis affectum, nec verborum eius relationem ſuſcipiatis; ſed noſtram potius expectate veritatem, quia me ad præſens, prævio Spiritu ſancto, præſentem habebitis. D Si quid minus dixit humilitas noſtra, præſentium latoris lingua ſupplebit. Hoc interſigno præſentes litteras meas eſſe pater meus agnoſcat, quod Armanno monacho Romæ pro eius amore bene ſervivi: & cum apud Turonum nocte nudatus eſſet à furibus, non dimidiam veſtem, ut B. Martinus, ſed griſiam pelliciam atque varias pelles obtuli patri meo, quem nimia charitate ſemper dilexi & diligo.

Valeat Dominus & pater meus, & vigeat: & omnis eius inimicus aut convertatur, aut pereat.

⁂

E

EPISTOLA XIII.

Dulciſſimo Patri & Domino univerſali Papæ Calixto frater Goffridus, quod patri filius, quod Domino ſervus.

Clericus, quem ad vos miſi, cariſſime Pater, octo diebus ante Pentecoſten ad me rediit: qui ex parte bonitatis veſtræ mihi nuntiavit, ut cum Comite Vindocinenſi; qui iturus eſt Ieruſalem, venirem Romam, B Priſcæ redempturus Eccleſiam. Vnde dulciſſimæ paternitati veſtræ quantas poſſum refero grates & gratias. Præſentium etenim bonorum exhibitio, eſt quædam certitudo futurorum. F Veniam itaque, Deo auxiliante, cum Comite illo, ſicut præcepiſtis, & ante, ſi potero; & quot & quantos labores & timores, noſtrarumque rerum diſtractiones, dilectiſſimum patrem & Dominum videre deſiderans, anno præterito paſſus ſum, in eius præſentia non tacebo. Confido, imò fiducialiter credo, quod humilis ſervus & fidelis filius adhuc de bono Domino valde lætabitur, de cuius benignitate etiam inimici quod deſiderant adſequuntur. Nunc utique veniſſem; ſed ſocietatem invenire non potui ſecuram, & mortiferos Italiæ calores timebam. Baiulare quidem crucem Chriſtus iubet, non quærere ſepulturam. Et quoniam B. Priſcæ Eccleſiam non bene paratam ſatis agnovi; ad vos, dulciſſime Pater, fratrem hunc præmittere dignum duxi: qui ibi nobis præparet, ubi aliquantulum honeſte poſſimus converſari. Veritatem, Pater optime, non verborum relationem attendite. G Æmulantur nos multi, ſed non Dei æmulatione nullus tamen veraciter dicet æmulorum, quod à mari uſque ad mare monaſterium melius ordinatum ſit quam noſtrum, quod noſtro tempore per Dei gratiam amplius crevit, quam prius devotio fundatorum ei contulerit. Nunquam tamen Eccleſiam, vel quamlibet poſſeſſionem Eccleſiaſticam quolibet ingenio comparavi, vel de manu laici accepi, quod utinam noſtro exemplo vitarent alij. Tempore prædeceſſorum noſtrorum Romana Eccleſia, vel debitum cenſum, duodecim ſcilicet ſolidos per annum vix inde habere potuit. Quod non propter iactantiam, ſed propter gratiarum actionem dico, in ſervitium Romanæ Eccleſiæ, non qualibet noſtra neceſſitate, ſed ſola dilectione amplius quam duodecim millia ſolidorum ante vos, & in tempore veſtro, quod valuit centum marcas argenti, noſtra paupertas expendit. Hinc igitur mihi retribui deſidero bona pro bonis: quam retributionem Chriſtus beatum docuit Petrum: & H B. Petrus poſt ipſum hanc tenendam docet & præcipit.

EPISTOLA XIV.

Dilectiſſimo Domino univerſali Papæ Honorio, frater Goffridus, quod patri filius, quod Domino ſervus.

Multo deſiderio deſideravi venire ad vos, Pater optime, & in Eccleſia Romana, non ad horam, ſed ad moram manere decreveram: ſed infirmitas corporis effectum quidem non mutavit, ſed negavit effectum. Hanc utique infirmitatem ex nimio labore & multiplici Romano itinere contraxi: &, quod non propter iactantiam dico, ſed propter gratiarum actionem, propter utilitatem Romanæ Eccleſiæ, pro qua ter captus ſum, & ter quater tranſalpinavi. Pro cuius præterea ſervitio, & maxima eius neceſſitate,

tempore

tempore Guitberti corpus noſtrum, & pene quidquid habui, expendi. Ego ſum, ego ſum ille, qui Romæ pane tribulationis cibatus, & aqua potatus anguſtiæ, cum honorabilis memoriæ Papa Vrbano, in domo Ioannis Frica-panem multos labores & timores diu paſſus ſum: & quid ibi egerim pro fidelitate Romanæ Eccleſiæ, & quomodo omnia noſtra uſque ad nouiſſimam equitaturam pro acquiſitione Lateranenſis palatij ſeminaverim, novit Deus & B. Petrus, & noverunt Romani illius temporis. Eo etiam tempore Romæ presbyter ordinatus, inueſtituram de Eccleſia B. Priſcæ per manum Domini Papæ Vrbani recepi, quam prædeceſſores noſtri longe ante poſſederant: ſed quia noluerunt obedire Guitberto, inde fuerant eiecti. Et quamvis ætas & infirmitas noſtra quietem potius deſiderent quam laborem, animo trahente ad vos, pie Pater, quam citius potero venire aggrediar, licet animus ipſe peregrinam non mediocriter timeat ſepulturam. Interim ad cariſſimum patrem mitto latorem præſentium aliqua noſtræ caritatis ſigna ferentem: cuius lingua ſupplebit quod minus dixit epiſtola. Valeat Dominus Papa ſemper & vigeat: & nos de ſua proſperitate & dilectione lætificet.

EPISTOLA XV.

Bono Domino & pio Patri univerſali Papæ Honorio, totus Vindocinenſis Conventus, quod Patri filij, quod Domino ſervi.

SAlvatoris ſequentes conſilium, ad ianuam veſtræ pietatis pulſamus, & illius Evangelicæ mulieris exemplum imitantes, poſt vos humiliter clamamus, de iniuriis & vexationibus Andegavenſis Epiſcopi conquerentes. Pater ſancte, ei quidem mandaſtis, ut pro reverentia B. Petri & veſtra, Monaſterium noſtrum, quod ad Romanam præcipue & ſingulariter ſpectat Eccleſiam, & res Monaſterij manuteneret, & nullis iniuriis, ſive moleſtiis inquietari permitteret. Ipſe vero litteras veſtras, quæ Archiepiſcopo Turonenſi, & Cœnomanenſi Epiſcopo, ſicut & ipſi, miſſæ fuerant, in præſentia legati veſtri Engoliſmenſis Epiſcopi ſuſcepit: ſed nec tunc legere, nec nobis deinceps reddere dignatus eſt: & ſic aliis, quibus eas miſiſtis, poſtea non potuimus oſtendere. Præterea aliorum iniurias non cõpeſcuit, ſed ex ſua parte exaggeravit, & exaggerat: & quos potuit raptores ſæculi verbo & exemplo incitavit. Monaſterium noſtrum, Alodium Romanæ Eccleſiæ, pro cuius amore & timore ei honorem & reverentiam olim Epiſcopi & Archiepiſcopi deferebant, Dominus iſte de his quæ multo tempore tenuit, ſine iudicio & audientia exſpoliavit, & in propoſito exſpoliationis perſeverat. Vnde non contra Suſannam teſtes ſumus: ſed de Domino Epiſcopo germana loquimur caritate, quæ & de amico, & de inimico nos dedocet loqui mendacium, & de utroque edocet profiteri veritatem. Nos quidem, quoniam monaſticam profeſſionem retractare Philippicam in pontificem minime decet, non dicimus quod mentis tempeſtate nos perſequatur, ſive mole ſuæ magnitudinis premat: ſed tamen quo ſanctitatis genere hoc faciat ignoramus, quod in veteri teſtamento præceptum non legimus, nec in nouo promiſſum, & canonum regulis non dubitatur eſſe contrarium. Humilitas utique noſtra prædicto epiſcopo in ſua neceſſitate diligenter ſervivit. Sed ſalua eius reverentia dicimus, quod retribuit nobis mala pro bonis, retributionem quam Deus non novit. Vnde, clementiſſime Pater & Domine, vobis toto corde ſupplicamus, ut de quibus ſine iudicio exſpoliati ſumus ab eo, nos inveſtiri faciatis. Quod ſi deinceps contra nos, qui ſpecialiter veſtri ſumus, cauſari voluerit; inter ipſum & nos, quoniam ad vos venire non poſſumus, iudicem, qui non ſit nobis ſuſpectus, conſtituite. Æmulantur enim nos quidam non bona æmulatione: & propter hoc maxime, quia ſub tutela & defenſione Apoſtolicæ ſedis poſiti ſumus. Domnus Abba noſter ad vos venire deſiderans, uſque Vizeliacum profectus, ibi per aliquot dies remanſit non modica infirmitate detentus. Valeat pius pater, & bonus Dominus, & ſibi placeat, & faciat, ut quam prædeceſſorum ſuorum temporibus habuimus quietem, ſuo tempore habeamus.

EPISTOLA XVI.

Petro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Diacono, cariſſimo Domino & præcordiali amico, frater Goffridus eiuſdem Eccleſiæ ſervorum minimus, quod habet, & poteſt & ſeipſum.

INfirmitatem veſtram audiuimus: quam & compaſſionis affectu, & totius animæ noſtræ viſceribus noſtram reputamus. Rogamus itaque, & rogando diſcretam dilectionem veſtram suppliciter admonemus, ut ſi nobis vel quibuslibet rebus noſtris indigetis, ſignificare nullatenus erubeſcatis. Amicus enim erga amicum erubeſcere non debet, niſi tantum cum illum offendit. Quibus licet ſit aliquando corporum diſſimilitudo, una ſemper eſſe debet imago animorum. Præterea nuda immo nulla eſt amicitia, quam mutua, & maxime in neceſſitate non probant obſequia. Valete, & quod placuerit, reſcribite.

EPISTOLA XVII.

Richardo beatæ vitæ Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis venerabili Legato, Goffridus eiuſdem ſedis ſervorum minimus, dilectionem, & dilectionis ſervitutem.

FRatre, quem ad vos cum litteris Domini Papæ miſimus, referente didicimus, Radulphum Turonenſem dictum Archiepiſcopum in præſentia veſtri de nobis verbis inhoneſtis fuiſſe conqueſtum. Quod ſi ita eſt, vehementer miramur, quia unde de nobis iuſte conqueri debeat ignoramus. Mirari autem nec poſſumus, nec debemus, ſi inhoneſte loquitur, qui pene univerſo mundo clamante, ſed nullo adhuc vindicante, multa inhoneſta & perverſa operatur. Veniat tamen, ſi placet veſtræ ſanctitati, vobiſcum Vindocinum, in alodium B. Petri, & burgenſes, quorum mercede conducitur, ſecum adducat: & quantum iuſtitia dictaverit, exequatur & accipiat.

EPISTOLA XVIII.

Canoni vitæ laudabilis Epiſcopo, ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Legato, frater Goffridus eiuſdem ſedis alodiarius, & ſervus, dilectionem & totius dilectionis ſervitutem.

VIndocinenſe Monaſterium, alodium B. Petri & patrimonium, quid libertatis, vel immunitatis, ſeu dignitatis nunc uſque habuerit, & uſque in finem ſæculi, Deo patrocinante, habebit: beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritas ſancta per venerabiles eorum ſucceſſores eidem loco conceſſa vos melius edocebit, & vobis, ut credimus, maiorem diligendi nos occaſionem præbebit. Nos enim non poteſt non diligere, niſi qui eorum intractabilem auctoritatem non diligit. Quædam Eccleſiæ noſtræ

A privilegia vobis idcirco mittimus tranſcripta ; quia quam ſpeciali, immo quam ſingulari dignitate ſancta Catholica Romana Eccleſia locum noſtrum ab ipſo ſuæ creationis initio ſibi coniunxerit, bonitatem veſtram nolumus ignorare. Nam quicquid illa ſublimavit, & dilexit, vos omnino diligere credimus, & velle honorare nullatenus dubitamus. Optimæ memoriæ Papa Vrbanus, & qui nunc eſt, Dominus Paſchalis Papa in Eccleſia noſtra, vbi ſuæ caritatis gratia per vndecim dies manſerunt, iſta & multa alia privilegia noſtra viderunt, & ore proprio legerunt, & ſuæ auctoritatis decreto firmaverunt. Sancta itaque octo Catholicorum Romanorum Pontificum auctoritate, & confirmatione monaſterium noſtrum viguit, & quietum manſit, & nulli penitus perſonæ, niſi ſoli Papæ poteſtatem aliquam aut dominationem in eo exercere, vel eius rectores qualibet occaſione ſollicitare licuit. Et B quidem ſatis iuſtè : quia ab ipſo ſui principio per venerabiles & religioſos fundatores ſuos ab Apoſtolica ſede hanc inviolabilem dignitatem obtinuit. Hac tanta à ſucceſſoribus B. Petri prædeceſſoribus noſtris dignitate conceſſa, nullus eorum alicui concilio vnquam affuit, quod ab ipſo ſummo Romano pontifice non extitit celebratum. Illis tamen temporibus, Hildebrandus Archidiaconus Romanæ Eccleſiæ, deinceps Papa factus, Giraldus Oſtienſis Epiſcopus, Stephanus, & Raimbaldus, atque multi poſtea magnæ auctoritatis viri à latere B. Petri in legationem miſſi, ad has partes venerunt, & monaſterium noſtrum, & libertatem eius atque dignitatem dilexerunt, & illibatam omnino ſervaverunt. Nos ſiquidem ad vos venire, quem cariſſimum Dominum & amicum credimus, & vobis honorifice ſervire deſideravimus, & deſideramus : & deſiderium noſtrum diligenter compleretur, ſi neceſſitas corporis & quorundam perverſitas hominum pateretur. Sunt etenim in itinere quidam Eccleſiæ noſtræ inimici : quorum iniurias, quia res Beati Petri nobis commiſſas eis relinquere nolumus, vſque ad proprij C corporis captionem iam ſumus experti : qui nunc etiam nobis captionem ſolummodo non minantur, ſed mortem : Viziliacenſis Abbatis nobis obitum exprobrantes, quem ſine vindicta capite dicunt fuiſſe truncatum. Vnde diſcretioni veſtræ humiliter ſupplicamus, quatenus aut conductum nobis quæratis, aut locum ſignificetis ſecurum, vbi poſſimus vobis occurrere, & quædam ad vtilitatem Domini Papæ veſtræ dilectioni revelare.

EPISTOLA XIX.

Cariſſimo Domino & præcordiali amico Girardo honorabili Engoliſmenſi Epiſcopo, Sanctæ Romanæ ſedis Vicario, Goffridus eiuſdem ſedis alodiarius & ſervus, dilectionem & dilectionis ſervitutem.

PReſſuras, quas monaſterium noſtrum, alodium D Beati Petri & eius patrimonium, patitur, veſtræ ſanctitati notificare curavimus, & vt eas veſtras faciatis compaſſionis affectu, vos humiliter rogare præſumimus. Magna quidem eſt hæc, ſed de magna veſtra bonitate, præſumptio. Noveritis itaque, dilectiſſime Pater, Petrum de Montele aureo quoddam cæmeterium noſtrum violenter infregiſſe : duáſque villas noſtras, rebus omnibus ablatis, pene penitus deſtruxiſſe. Mauricius iterum Rotuniardus vnam Eccleſiam & terram ad Eccleſiam noſtram pertinentem iniuſtè poſſidet, quam nobis abſtulit. Qua de re à Cenomanenſi Epiſcopo, & ab Andegavenſi ſæpe admonitus, ſemper ablata reddere contemnit. Vnde de ſinu matris noſtræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, mamillam iuſtitiæ filiali dilectione requirentes, veſtram bonitatem multum ſuppliciter precamur, quatenus prædictis Epiſcopis, miſſo ad eos veſtræ auctoritatis de- E creto, præcipiatis, vt Vindocinenſe monaſterium, Beati Petri patrimonium, nullatenus à parrochianis ſuis vexari ; vel rebus propriis exſpoliari conſentiant. Et quia venerabiles Romani Pontifices ſuorum irretractabili auctoritate privilegiorum omnes perſecutores noſtros excommunicationis vinculis alligarunt : quandoquidem, quod ab illis ligatum eſt, ipſi ſolvere non poſſunt ; tandiu Petrum & Mauricium, qui contra nos inique egerunt, excommunicatos teneant, donec illa, quæ nobis iniuſte abſtulerunt, Canonica lege reſtituant.

EPISTOLA XX.

Girardo Normanno Engoliſmenſi Epiſcopo, Sanctæ Romanæ ſedis Legato, frater Goffridus F *eiuſdem ſedis Catholicus ſervus, diſcordias non ſeminare, nec cito credere mendacia proferenti.*

MIror te, tantæ diſcretionis pontificem, contra me, licet abſentem, ea publicè protuliſſe, quæ in cor tuum, quod armarium veritatis eſſe debuerat, & puritatis ſigillum, nunquam debuiſſent veniſſe. Illa ſiquidem à te, ut arbitror, non fuerunt prius dicta : ſed vndecunque proceſſiſſent, ea non dubito invidioſe, & malitioſe fuiſſe inventa : & ſicut verum eſt, quod falſam beatitudinem Normannorum ſequetur vera miſeria : ita verum eſt, quod iſta quæ contra me dicta ſunt, fuerunt falſa. Non ſum ego adeo perturbati cerebri, nec ſanctarum inſcius ſcripturarum, quod in eum, qui ſoli cœlo innocentiam debet, ſine cauſa poſuiſſem os meum : in patrem videlicet ſpiritualem, quem brachiis filialis dilectionis amplecti de- G beo, & pura veritate venerari ; à cuius ſancta obedientia non potero vel mortuus ſeparari. Si quis de me aliter ſentit, deſipit : nec Dominum Papam honorare ſatagit, ſed publicare, ſi quid minus vel nimium egit. Nam quicunque contra puritatem meæ mentis, paternæ derogationis ſe fecerit aſſertorem, veniat palam, & me ſtatim inveniet ſuæ falſitatis veridicum correctorem.

EPISTOLA XXI.

Girardo glorioſo Engoliſmenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, frater Goffridus Vindocinenſis Abbas, & eiuſdem ſedis fidelis filius, boni operis fructum, & puræ dilectionis amplexum.

QVoniam ſancta Romana Eccleſia non quidem veſtris meritis, ſed gratiâ ſola, humilitatem veſtram adeo ſublimavit, quod minimus digitus veſter H dorſo patris veſtri groſſior videtur ; ſicut ſublimia verba, quæ ſæpius multum glorioſe profertis, teſtificantur : tanto fidelius ei debetis obedire, dulci verbo multiplicare amicos, inimicos mitigare, eam factis potius prædicare quam verbis : ne veſtra qualibet ſiniſtra operatione eius amici ſcandalizentur, & ei inimici valeant derogare. Quod ſi aliter agitis, vel egiſtis ; ſublimitas veſtra, quam venerabilis Dominus noſter Papa ſua bonitate ſatis de exili loco creavit, mala pro bonis illi retribuit ; retributionem ſcilicet, quam Deus non novit. Nos autem quod audivimus ; vnde etiam, quod peius eſt, cantilenam compoſuit vulgus ; quoniam publicatum eſt, vobis occultare nec poſſumus, nec debemus. Audivimus itaque, & dolemus, Andream de Vitreio filiæ ſuæ vobis coniugium vendidiſſe : illud etiam à vobis filium Vicecomitis de Maloleone comparaſſe. Quorum alter quingentos ſolidos

A vobis pretium dedit coniugij: alter vero quindecim marcas argenti. Hoc Epiſcopus Pictavienſis, & Guillelmus archidiaconus eius, & quidam alij qui affuerunt, ſi veritatem ſepelire noluerint, non negabunt. Carroſenſem abbatem non regulariter electum, ſed violenter, ut dicitur, intruſum, pro mille ſolidis barbarinorum, barbara nimis auctoritate conſecrari, immo, ſi verum eſt, execrari feciſtis; nolente ſuo conſecratore, & eius clero, modis quibus poterat, reclamante, & qui vidit, & partem habuit, Abbas quidam veſter vicinus teſtimonium perhibuit, & multi dicunt eius teſtimonium verum eſſe. Abbatem præterea alium, quem pro reverentia ordinis nominare erubeſco, in deteſtabili corporis turpitudine deprehenſum, & ab abbatis poteſtate, ipſo proprium crimen confitente depoſitum, nullo præcedente indicio, non modica ſuffra-B gante pecunia, contradicentibus illius congregationis fratribus, in priſtinum gradum ita reſtituiſtis, quod ſola marcarum congregatio fuit illi culparum purgatio. Hoc Bernerius abbas Bonavallenſis teſtatur, qui hoc facinus pene ubique prædicans deteſtatur. Fulco Bienenſis abbas litteras veſtras pro facienda ſibi iuſtitia quæſivit: quas illi prudentia veſtra tandiu negavit, donec illas centum ſolidis comparavit. Sed vir ille perdidit pecuniam: nec per vos potuit habere iuſtitiam. Hoc ipſemet profitetur, qui ſimul utrumque perdidiſſe conqueritur. Illud itaque quod contra Comitem Andegavenſem egiſtis, eſſet ſatis ſilentio ſupprimendum: ſed occultari minime potuit, quod multis populis extitit divulgatum. Aſſerunt quidam vos quaſi Baalam alterum, regis Anglici pecunia fuiſſe corruptum: & idcirco iniuſtam in prædictum Comitem excommunicationis protuliſſe ſententiam. Et licet excommunicatio veſtra vires etiam unius diei habere non potuerit; amicis tamen Romanæ Eccleſiæ peperit verecundiam; & eius inimicis detrahendi dedit materiam. Hoc ſolum remedium fuit, quod Dominus Papa excommunicationem illam confirmare ſapienter vitavit: & ſic ora C clauſit detrahentium: & quod à vobis ſeminatum fuerat, Apoſtolicæ ſedis delevit opprobrium. Inter cætera debuiſſem unum ſilere, ſi amico liceret amicum non præmunire. Abbati Angeriacenſi, ut dicitur, promiſiſtis, quod ſi trecentos ſolidos Pictavienſium maſculorum vobis daret, Rainaldum Cheſnelli deponeretis: unde capitula, quibus illum accuſaret, ei tranſcripta miſiſtis. Hoc Abbas ipſe fatetur, & teſtem in animam ſuam Deum invocat, quod verum loquitur. Hæc pauca de multis, modica de magnis vobis ſignificavimus, dilectionis videlicet cauſa: ut ſi vera ſunt quæ contra veſtram aſtutiam ventilantur, præteritorum tranſgreſſio fiat vobis futurorum cautela. Nam quicumque privilegio utitur Romanæ Eccleſiæ, ſanctam eius auctoritatem perverſis operibus non debet impugnare. Et cum Chriſtus Dominus ſolam Beato Petro quæ liganda erant, ligandi, & quæ ſolvenda, ſolvendi poteſtatem contulerit; vos amplius, vel aliud D pro legatione vobis commiſſa non debetis uſurpare. Quod me præſente etiam coram laicis prædicaſtis; vos videlicet Epiſcopos deponendi habere poteſtatem; novum genus præſumptionis putavimus; quia nulla ratione Legatis Apoſtolicæ ſedis conceditur, quod ad ſolius Romani pontificis pertinet dignitatem. Sed ſi ita eſt, ut à vobis publice prædicatum agnoſcitur; quaſi alterum Papam vos feciſtis; & ad Romanam Eccleſiam, quam nunc uſque in ſua neceſſitate libere quiſquam appellare potuit, vox appellationis negatur. Nos tamen credebamus mediocritatem veſtram legationem habere ſedis Apoſtolicæ, non Apoſtolicam ſedem eſſe, & à Domino Papa partem ſuſcepiſſe ſollicitudinis, quam ſolummodo cæteri Legati ſuſcipiunt, non plenitudinem exercere poteſtatis.

***

EPISTOLA XXII.

E *Dulciſſimo Domino, & præcordiali amico, domno Girardo vita laudabilis Epiſcopo, ſanctæ Romanæ ſedis Legato, frater Goffridus eiuſdem ſedis ſervorum minimus à Deo ſalutem æternam, quod ipſe eſt, & à ſe quicquid ſapit, & poteſt.*

IN primis veſtræ dilectioni, quæ ſe circa me integram & inviolatam ſeruauit, multiplices refero gratiarum actiones. Deinde paternitati veſtræ notificare dignum duxi, quod apud Dominum Papam ipſo die, F quo legatus noſter ad eum peruenit, ſua bona gratia, & meorum mala gratia æmulorum, quicquid volui, impetravi. Viſione veſtra perfrui, & colloquium veſtrum habere deſidero: & ubi, & quando, quod vehementer opto, obtinere valeam, mihi dignemini aut verbis, aut litteris ſignificare. Hoc enim Eccleſiæ Dei eſt neceſſarium, & vobis utile.

EPISTOLA XXIII.

Domno Girardo honeſta vita Epiſcopo, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ venerabili Legato, frater Goffridus veſtræ religionis ſervus, dilectionem, & totius dilectionis ſervitutem.

AVdiuimus, dilectiſſime Domine, quod Abbas S. Nicolai Abbatiam ſuam in manu veſtra deſeruerit; eo ſiquidem tenore, ut non eam deinceps, niſi in miſericordia veſtra repoſceret: & eo etiam pacto, ut conventus ille Beati Nicolai cum eo firmam pacem & G concordiam haberet. Pactum utique, quod monachi illi de pace & concordia ante vos & per vos fecerunt, vix octo diebus, ſicut ipſe dicit, & nos credimus, tenuerunt. Vnde vobis, magnæ diſcretionis Pater, multum ſuppliciter pro eo ſupplicamus, ut in adipiſcenda abbatia, quam veſtræ voluntatis conſilio dereliquit, dulcedo veſtræ pietatis pro amore Dei, & noſtro ſuffragetur; & de monachis illis, qui promiſſam ſibi pacem, & concordiam nec tenuerunt, nec tenent, debitam iuſtitiam conſequatur. Quod ſi feceritis, ſcitote veraciter, quod me ingratitudinis arguere nullatenus poteritis. Ad ianuam autem miſericordiæ Andegavenſis ulterius non pulſabit: quia ibi miſericordiam deeſſe experimento iam didicit. Quidquid tamen de illius promotione actum eſt, non cenſura iuſtitiæ, ſed ſola & immenſa miſericordia fecit. Valete, & miſericordiam veſtram nobis notam facite.

EPISTOLA XXIV.

H *Domino ac venerabili Engoliſmenſi Epiſcopo Girardo, Sanctæ Romanæ ſedis prædicabili Legato, frater Goffridus ſalutem à Deo, & à ſe puræ dilectionis ſervitutem.*

NOuerit dilectio veſtra, pater cariſſime, quod ſemel & ſecundo de fratribus noſtris Pictavienſi Epiſcopo miſimus, deprecantes ut nos ad vos uſque dignaretur conducere. Quod ipſe benigne ſuſcipiens, in aſſumptione Beatæ Mariæ ſeipſum ad Fontem Ebraldi ſpopondit venturum, & quod petieramus diligenter facturum. Nos autem, ſicut mandauerat, ad prædictum locum venimus: ubi nec ipſum, nec eius nuntium inuenientes, fatigati in caſſum à loco receſſimus. Rogamus igitur humilitate qua poſſumus, ne ſit vobis moleſtum, fidelis ſerui & veracis amici ſupplicationem ſuſcipere; & qualiter uſque ad vos tranſire valeamus, apud prædictum Epiſcopum impetrare. Quædam

A enim veſtræ ſanctitatis conſilio facere diſpoſuimus, quæ nec ſcripto, nec ore alieno volumus reuelare.

EPISTOLA XXV.

Domno Girardo laudabilis vitæ Epiſcopo, Sanctæ Romanæ ſedis Legato, frater Goffridus eiuſdem ſedis alediarius, & ſeruus, & à Deo bonæ operationis fructum, à ſe puræ dilectionis obſequium.

SIgnificaſtis mihi per fratrem, quem vobis ob aliam cauſam miſeram, quia iſtam penitus ignorabam, vt in concilio, quod mediante quadrageſima celebraturus eſtis, Abbati Batiacenſi de Eccleſia B. Mariæ, & Eccle-
B ſia B. Nicolai, quas in Olerone per ſeptuaginta annos abſque canonica reclamatione monaſterium noſtrum poſſediſſe noſcitur, exequerer iuſtitiam. Vnde mando vobis, quod prædicto termino prædicto Abbati, quantum ſancta Romana auctoritas docet & præcipit, reſpondebo, niſi canonico fuero impedimento detentus. Interim etiam, ſi domnus Abbas ille voluerit, omnem ſibi iuſtitiam offero, quocumque ſaluo conductu ire potuero. Quod ſi neutrum horum placuerit, Domini Papæ, cuius proprij iuris & Vindocinenſe monaſterium, & res ad ipſum pertinentes eſſe noſcuntur, opto & offero illi iudicium. Cuius iudicij æquitatem qui refugit audire, B. Petrum ne ſentiat iratum, debet timere. Monaſterium noſtrum patrimonium B. Petri, & eius alodium noueritis, & loco noſtro prædictas Eccleſias, perpetuo iure, Romanorum Pontificum irretractabili auctoritate firmatas eſſe, nullatenus dubitetis. Quod Abbas Batiacenſis dixit, me pro cauſa ſua litteras veſtras habuiſſe, ſcitote eum verbum veritatis non protuliſſe; ſed quod per litteras noſtras vobis
C mandaui de famulo, qui veſtras nobis afferre debuit verum credite.

EPISTOLA XXVI.

Girardo laudabilis vitæ Epiſcopo, ſanctæ Romanæ ſedis Legato, Domino ſuo & præcordiali amico, frater Goffridus, quicquid mandari poteſt, & haberi ſalubrius.

APud bonitatem veſtram, honorabilis pater, cum dolore cordis, & nimia mentis anxietate conquerimur de Petro de Monte-contorio, qui infra terminos veſtræ legationis, in Epiſcopatu ſcilicet Pictauienſi, fratres noſtros à monaſterio reuertentes cepit, &
D equos, & quidquid habebant eis abſtulit violenter. Partem quidem rerum per Comitem Andegauenſem habuimus: alteram vero adhuc crudeliter detinet ille ſacrilegus. De iniuria vero perſonis monachorum illata amplius cruciamur: quam ſic à veſtra diſcretione vindicari humiliter expoſcimus, vt raptores qui audierint, timeant, & ab huiuſmodi ſcelere retrahant manus. Ad vos venire deſiderio deſideramus, ſicut olim vobis mandauimus: ſed propter multiplices guerras, quæ in Epiſcopatu Pictauienſi excreuerunt, nec ad vos venire, nec loca, quæ in partibus illis habemus, viſitare audemus. Præterea ſexum femineum, quem etiam amicis nouimus inimicum, inimicari nobis, & in itinere inſidiari, vera relatione didicimus. Vnde veſtræ dilectioni præcordialiter ſupplicamus; quatenus per Pictauienſem Epiſcopum, vel per quemlibet alium nos ad vos conduci faciatis; quia vltra fontem Ebraldi progredi ſecure non poſſumus. Valeat Dominus Legatus & vigeat: & vt ad ipſum tranſire, & cum ipſo loqui valeamus, ſuæ gratia caritatis efficiat.

EPISTOLA XXVII. E

Bono Domino, & præcordiali amico, G. venerabilis vitæ Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, frater Goffridus ſuus, quod poteſt, quod ſapit, & quod eſt.

VEſtræ dilectioni notum facio, quod fratrem Paganum Alerici ad Dominum Papam mitto, quædam ei noſtræ caritatis ſigna ferentem. Si per illum quod opto efficere potuero, ad præſens Romam non ibo: alioquin Romam ire paratus ſum, & Romanam Eccleſiam per memetipſum viſitare, in qua à bonæ memoriæ Papa Veſtræ autem diſcretioni grates & gratias multiplices refero; qui Andegauenſi Epiſcopo F
ſemel, bis, & ter, immo quater præcepiſtis, vt quæ monaſterio noſtro abſtulerat, reſtitueret, & priuilegiis Apoſtolicæ ſedis obediret. Ipſe non ſolum contempſit vtrumque; verum etiam de me in Synodo ſua presbyteris ſuis conqueſtus eſt, eo quod apud dignitatem veſtram de illo clamorem feci. Decretum illud, quod idem Dominus Papa Vrbanus in Aruernenſi concilio ſtatuit contra Simoniam, quæ ſub nomine Vicariorum olim fieri ſolebat ab Epiſcopis, annullare machinatur. Redemptionem etenim Eccleſiarum, quæ in illo magno concilio hæretica prauitas vocata eſt, & ab Apoſtolica ſede damnata, licet in pluribus annis non niſi ſemel per Vicarios fieret, nunc ſub nomine annui cenſus à ſimplicitate noſtra extorquere conatur. Et quia ego & fratres noſtri hoc eſſe ſcelus putamus, & ideò refutamus, diuinum Eccleſiis noſtris interdixit officium. Huius ſceleris ſuſcitator eſt præcipuè & auctor Richardus Archidiaconus eius. Et quoniam neuter eorum à perſecutionibus ceſſat, nos à clamoribus ceſſare non poſſumus. Ad vos itaque clamamus: à vobis, qui Apoſtolicæ ſedis vices habetis, & G
qui B. Petri alodium maximà defendere debetis, conſilium & auxilium poſtulamus. Et ſi pro eo quod amici ſumus, facere non vultis, ſaltem pro improbitate noſtra facite quod rogamus. Quid Comes Andegauenſis de iuſtitia nobis facienda bonitati veſtræ rogando ſcripſerit, vos ignorare non credimus. Valete, & nos veſtræ ſanctitatis humiles ſeruos de conſtantia veſtra & iuſtitiæ integritate lætificate.

EPISTOLA XXVIII.

Hugoni verè religioſo Archiepiſcopo, ſanctæ Romanæ ſedis Vicario, Domino ſuo cariſſimo & præcordiali amico, Goffridus Vindocinenſis cœnobij Abbas indignus, cum dilectione reuerentiam. H

LItteras ſanctitati veſtræ à Domino Papa directas audiui: in quibus, vt mihi relatum eſt, dicitur quod Andegauenſem Epiſcopum apud eum accuſaui. Quod ſi Dominus Papa dicit, refellere nec poſſum, nec debeo: ſed ſalua eius reverentia dico, quod prædicti Epiſcopi me in nullo accuſatorem fuiſſe recognoſco: ideo vt eum accuſarem, Romam iui. Quod alia negotia plenius manifeſtant, quæ ibi perpetraui. Domino ſiquidem Papa adiurante, & ſua conſtrictus adiuratione, quædam de illo celare non potui.
Quæ ſicut in Domini Papæ præſentia tacere non licuit, nec in veſtra, ſi vobis placuerit, tempore competenti reticebo.

***

EPISTOLA XXIX.

Dulciſſimo Domino & præcordiali amico, domno Vm. honorabilis vitæ Archiepiſcopo & Apoſtolicæ ſedis Legato, frater Goffridus eiuſdem ſedis alodiarius, & ſervus, quod habet, quod ſapit, & ſeipſum.

QVendam monachum, ut audivi, ad monaſterium noſtrum miſiſtis, qui ſi me inveniſſet, me ad Concilium veſtrum invitaſſet. Ad vos quidem venire, & vobis, & Eccleſiæ veſtræ, quæ me multum honoravit, & mihi ſervivit, ſervire deſidero: & vos Aurelianis ante Concilium, vel poſt Concilium, ſi infirmitas corporis permiſerit, eo die, quo vobis placuerit, diligenter videbo. Ad Concilium autem Legatorum, quod ſalva veſtra dico reverentia, vocatus venire nec poſſum, nec debeo. Nam noverit dilectio veſtra, privilegiis Romanorum Pontificum, Victoris, Nicolai, Alexandri, Gregorij, Vrbani, Paſchalis, & Calixti ſub Anathemate confirmatum eſſe & interdictum, ne alodiarius beati Petri Abbas Vindocinenſis, ab Epiſcopo, vel à quolibet Apoſtolicæ ſedis Legato ad Concilium vocetur, nec vllo modo venire cogatur. Valete.

EPISTOLA XXX.

Radulpho laudabili Turonenſium Archiepiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, diligere quod Deus diligit, & odio habere quod odit.

SVper Arduino de Malliaco apud vos ſæpe conqueſti ſumus, & propter multa gravamina, quæ monaſterio noſtro iniuſtè, & violenter fecerat, eum à vobis iuſtè & rationabiliter cognovimus excommunicatum. Sed abſque præcedente ſatisfactione illum impœnitentem audimus abſolutum. Quòd ſi ita abſolvi potuiſſe creditur, quid peccatum noceat, & quid pœnitentia proſit, non videtur. Nam ſi vera miſeria impœnitentibus negatur, profectò eis qui de peccatis ſuis pœnitent, falſa beatitudo promittitur. Multo, vt diximus, gravamine memoratus nequam monaſterium noſtrum vexare conſuevit: vnde illum, vt quæ iniquè contra nos geſſerat, corrigeret, admonuiſtis: & ipſe propter vos promiſit ſe nobis facturum peiora: quod ad iniuriam veſtram falſa veritate complevit. Vbi enim ſervavit veritatem, qui nocuit proximo, fidem amiſit. Hinc igitur, venerabilis Pater, humiliter precamur, quatenus perverſi hominis iniquitas educto de vagina veſtræ æquitatis gladio ſic feriatur, vt quæ nobis iniuſtè abſtulit, reſtituat: & in iniuria veſtra pupillam etiam oculi Salvatoris læſiſſe, vel invitus agnoſcere cogatur. Quod ſi ſic egeritis, dignam mercedem à Deo, & à nobis debitam retributionem accipietis. Si verò inimico Eccleſiæ Dei timore vel amicitia parcitis, mutare non poſſumus, quin ad ſedem Apoſtolicam recurramus: vbi neceſſitate cogente tacere non licebit, quas in epiſcopatu veſtro tribulationes & anguſtias vobis conſentiente ſuſtinemus.

***

EPISTOLA XXXI.

Dulciſſimo Domino, & præcordiali amico, Domno R. honorabilis vitæ Remorum Archiepiſcopo, frater Goffridus, quod poteſt, quod ſapit, & ſeipſum.

PAter bone, eſurio, & ſitio vos videre, & Dominum Papam vobiſcum viſitare deſidero. Dilectam mihi paternitatem veſtram humiliter precor, vt ſi Romam uſque ad Paſcha ire debetis, ſervo veſtro diem & locum notificare dignemini, quo humilitas noſtra comitatui veſtro valeat ſociari. Inſuper etiam ego & mecum noſtra congregatio ſuppliciter & diligenter oramus, vt benignitas veſtra Epiſcopum Andegavenſem, & R. Archidiaconum eius, aut monere, aut rogare dignetur, ne conceſſionem Eccleſiarum, quam monaſterio noſtro benignè feciſtis, perturbare conentur. Quòd ſi ſanctitatis veſtræ precem ſive admonitionem contempſerint; nobis quidem laborem generabunt; ſed ſuam ſollicitabunt quietem: & beatæ Trinitatis virtus, & omnipotentia, eorum annullabit conatus. Valete, & quod placuerit, reſcribite.

GOFFRIDI
ABBATIS VINDOCINENSIS
EPISTOLARVM LIBER II.

EPISTOLA I.

Dulciſſimo Patri ſuo Ivoni vitæ venerabilis Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis cœnobij humilis Abbas, quod patri filius, & Domino ſervus.

BENEFICIORVM veſtrorum recordari minimè debeo, ſed illa potius in corde fixa tenere: ne qualibet oblivione à memoria mea queant recedere. Recordari utique, ut ipſe melius noſtis, eorum proprie dicitur, quæ interdum oblivioni traduntur. Et ideo beneficiorum veſtrorum, ut dixi, recordari non debeo, ſed ea in mente ſemper habere: quia quot vel quanta erga me extiterint, vix lingua mea dicere poſſet, ſi ſingula conaretur referre. Et quicquid lingua dicat, vel taceat, unum certiſſimè ſcio, quod conſcientia vobis ulterius non poterit repugnare. Et lingua quidem ingrata valde exiſteret, ac iuſto iudicio ſempiterno ſilentio digna, ſi unquam contra voluntatem veſtram aliter foris loqueretur, quàm intus clamat conſcientia. Valete, & ubi vos invenire potero quarta die poſt feſtivitatem omnium Sanctorum, mihi notificare curetis: quia ſi aliud ſanctitati veſtræ obſequium præſtare non valeo, eam ſaltem deſidero viſitare.

***

EPISTOLA II.

Suo chariſſimo patri & Domino Ivoni vita laudabilis Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis cœnobij humilis ſervus, cum dilectione reverentiam.

PAter ſancte, cùm me à vobis prægravari ſentio, nollem quidem; ſed quod infirmitas carnis velut anxia ſuſtinet, hoc mentis ratione levius porto. Dum enim ſanctitatis veſtræ beneficia exhibita mihi ſæpè mente pertracto, ſi in aliquo contra me facitis, fateor, murmurare nec poſſum, nec debeo. Satis congruum, immò laudabile videtur, ut qui de manu veſtra bona ſuſcipere conſueui, mala etiam quandoque in murmure debeam pati. Quæ cùm ita ſint, ſcire tamen vellem quid lateat; quæ cauſa exiſtat, cur bonitas veſtra nunc mihi quaſi crudelis appareat. Nam cùm in maiorem Eccleſiam noſtram manum mittere non poteſtis, nec audetis; in cæteris, quæ in Epiſcopatu veſtro ſunt, noſtris Eccleſiis divinum officium non quidem ſatis iuſtè abſtuliſtis: & quia veſtra auctoritate hoc iniuſtè actum dinoſcitur, auctoritate Romana, quæ omni perverſæ auctoritati eſt contraria, in ipſis Eccleſiis à fratribus noſtris privatim & publice cantabitur. Sancta & irretractabili Romanorum pontificum licentia nobis conceditur, ut ſi interdictum in Eccleſiis noſtris à quolibet Epiſcopo iniuſte factum exciterit, nullatenus à nobis obſeruetur. Si verò nimis audacter, vel præſumptuosè nos contra vos ſuper hoc agere dicitis; hinc iudex inuocetur, & fiat ſinceritas Apoſtolicæ ſedis: cuius æquitatis iudicium qui contemnit audire, B. Petrum ne ſentiat iratum debet non mediocriter formidare.

EPISTOLA III.

Ivoni honorando valde Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij qualiſcumque ſervus, debitum puræ dilectionis obſequium.

CIrca fratrem, pro quo rogaſtis, miſericorditer quidem agere volumus: ſed quia inordinatam remiſſionem pietatem eſſe non credimus; utile ſibi, immo neceſſarium iudicamus, ut ad monaſterium ſuum veniens coram fratribus ad pœnitentiam compungatur, & ſic de ſua tranſgreſſione veniam conſequi mereatur: & cui olim, ſuggerente diabolo, non diſplicuit negligenter agere, nunc tandem non diſpliceat regulariter obedire. Nos itaque pro dilectione veſtra ei quidquid deliquit ſine ſatisfactione remitteremus: ſed homini veram infelicitatem & falſam beatitudinem nec audemus promittere, nec debemus. Veniat igitur ad monaſterium, ſicut iam diximus, & ſe erraſſe humiliter confiteatur: quatenus per veram humilitatem ſui erroris veniam conſequatur, & quod deinceps de eo fieri veſtræ ſanctitati placuerit, ſine difficultate impetrare potuerit.

EPISTOLA IV.

Ivoni reverendæ vitæ pontifici, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis Abbas, quod bono patri devotus filius.

QVoniam omnia cum conſilio facienda eſſe cognovimus, bonum fuit ſanctitatem veſtram conſulere, quid nobis agendum ſit in ordinis dignitate circa fratres quando revertuntur. De clericis quidem dicimus, qui & religionis habitum abiecerunt, & in ipſa apoſtaſia diu morantes, illicitis ſe contagionibus commiſcuerunt. Quid inde Canones dicunt, audivimus ſimul & vidimus: ſed quia regula noſtra de talibus parum aut nihil loquitur, quid ſuper hoc regulariter ſimus acturi, ambigimus.

EPISTOLA V.

Domino ac venerabili patri ſuo, Ivoni, veræ religionis Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij dictus Abbas, quod dilecto patri ſubiectus filius, & pio Domino fidelis ſervus.

QVam purè & ſine membro alicuius malitiæ, veſtræ caritatis benedictio abbatem me, licet indignum, effecerit; quam diligentiſſimè poſtea, & omnino veraciter in neceſſitatibus meis veſtræ pietatis gratia manum auxilij mihi ſæpe porrexerit, dum ſedula mente conſpicio, me ingratum, multumque inutilem ſervum iudicaſſem, ſi aut veſtra voluntas, aut neceſſitas mutuæ caritatis obſequium exegiſſet, ſi non obediſſem. Nunc etiam quia nec voluntas exigit, nec neceſſitas cogit, me vltro offero quodlibet ſubire ſervitium. Relatum quidem mihi eſt, quod nunc Domini Papæ mandatum ſuſcepiſtis, quatenus aut per vos, aut per legatum veſtrum Romam uſque ad Nativitatem Domini viſitetis. Quod ſi verum eſt, quia vobis ſervire deſidero, minime diſplicet. Vellem enim, quod voluntas veſtra longo mihi tempore denegavit, nunc ſaltem neceſſitas imperaret. Non ideo dico, ut veſtra magnitudo auxilio egeat meæ paruitatis: ſed ſic me loqui compellit affectus, quem erga vos habeo, ſurgens de radice puræ dilectionis. Ecce veſtræ diſpoſitioni me, & mea pariter tota devotione ſubmitto: & ſi Romam pro vobis ire iuſſeritis, quod diu optavi, obedire non recuſo. Inuenietis forſan qui melius: ſed abſit ut inueniatur qui libentius veſtram iuſſionem exequatur. Coram Deo, cui mentiri nefas eſt, teſtis eſt mihi conſcientia mea, quod nec magis fidum, nec magis voluntarium quam me in hoc veſtro negotio invenire poteritis famulum. Valete, & quid ſuper hoc volueritis, mihi, ſi placet, reſcribite.

EPISTOLA VI.

Dilectiſſimo Patri ſuo Ivoni veræ religionis Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij miniſter indignus, cum dilectione reverentiam.

CVm ſcriptum inveniamus in decretis Romanorum Pontificum, familiares ac propinquos, vel de domo prodeuntes, non eſſe recipiendos in teſtimonium, utrum in omnibus Eccleſiaſticis cauſis, quia ibi nihil excipitur, ſeu in criminalibus tantùm intelligi debeat, ad plenum non videmus. Hinc igitur vobis, quem divina gratia ſpecialiter lumen ſcientiæ mundo prætulit, humiliter ſupplicamus, ut quod inde minùs percipimus, ſcripto veſtræ auctoritatis edocti meliùs agnoſcamus. Licet noſtræ paruitati utile, immo neceſſarium eſſet, à magnitudine veſtra multa quærere; hoc idcirco maximè quærimus: quoniam Andegavenſis eſt decanus cuiuſdam Eccleſiæ, qui in unum de confratribus ſuis vehementer inuehitur, dicens, quòd ſibi ille præbendam ſuam conceſſerit; & teſtimonium non habet, niſi eorum qui ſunt ſui familiares, & de domo ſua prodeuntes. Si quod vobis promiſimus, differtur, ne gravemini; quia dilatum non minuetur.

* * *

A

EPISTOLA VII.

Ivoni laudabilis vitæ Pontifici, domino ſuo, adhuc & amico, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, dilectionem, & dilectionis ſervitutem.

Litteras clericis & laïcis Vindocinenſibus à vobis directas audivi: quas veſtras minimè credidiſſem, niſi ibi ſigillum veſtrum appoſitum vidiſſem. Dicebant enim litteræ, vobis à fidelibus veſtris relatum fuiſſe, me contra vos & contra clericos veſtros turpia & contumelioſa verba publicè protuliſſe. Ad hæc, ſalva veritate, prorſus reſpondeo, quòd de perſona veſtra nihil unquam inhoneſtatis vel contumeliæ dixi: ſed quæ potui bona ubique de vobis uſque in hodiernum prædicavi. Clericis verò veſtris, quoniam ipſi mihi malè cantaverunt, bene ſaltare nec poſſum, nec potui.
B Illud equidem planè confiteor, quòd nulla iniurioſa verba illis irrogavi: niſi quia illorum iudicio prægravatum me ſentiens, Romanam Eccleſiam appellavi, cuius veneranda privilegia videbam ab ipſis deſpicabiliter refutari: licet ſancta Romana Eccleſia talia recipere ab eorum magnitudine non promeruerit; quia quod illi malè ligaverant, illa ſua pietatis intuitu relaxavit. Et ſi ei mala pro bonis rediderunt, hanc certè eos retributionem Deus non docuit. Qui cùm me hominem amari ſermonis appellaſſent, credidiſſem forſitan illis, ſi dulcedinem Apoſtolicæ veritatis pleniùs agnoviſſent, cuius beneficiis quamdiu ingratos videbo, etiam in veritate ſuſpectos habebo. Me ſubditum Eccleſiæ veſtræ aſſeruiſtis, unde ego nullatenus ſcandalizor: quia quamvis inter Romanum Pontificem & me peccatorem nulla, cuiuſcumque dignitatis, vel ordinis ſit, perſona media habeatur, ſi auctoritas Romanorum
C Pontificum inviolata ſervatur: omnibus tamen Eccleſiis non ſolùm ſubditum, verùm etiam earum inutilem ſervum me eſſe conteſtor. Profeſſum verò veſtrum me vocaſtis. Satis melius fuiſſet, ut à vobis ſacratum dixiſſetis. Quòd & ſi pro conſecratione profeſſionem, & pro profeſſione ab alodiario B. Petri ſubiectionem vobis vindicaſtis; conſecrationem utique illam gratis minimè impendiſtis. Non enim gratis impenditur, per quod homo homini ſubiectus efficitur. In profeſſione ſiquidem illa conſilio veſtro nimia ſimplicitate acquievi: ubi ſiquid aliter actum eſt, vos ſcienter feciſtis; ego autem ignoranter peccavi. Sed dominus noſter honorabilis memoriæ Papa Vrbanus, cùm per nos tranſiret, audivit à fratribus, me vobis profeſſionem feciſſe. Vnde columbam ſeductam, cor non habentem me dicens, & vehementer increpans, illud veraciter mihi pro crimine imputaſſet, ſi ignorantiæ meæ ac iuventuti miſericorditer non pepercilſet.
D Quid verò ſuper hoc cõtra vos protulerit, pro reverentia veſtri ordinis melius eſt inde ſilere, quàm loqui. Igitur quod illicitè commiſeram irritum fecit: & ne deinceps Abbas monaſterij noſtri cuiquam Epiſcopo profiteatur, privilegij ſui inretractabili firmitate prohibuit. Cuius auctoritatem ſecutus dominus Paſchalis Papa, qui nunc eſt, illud iterum ſua Apoſtolica auctoritate firmavit. In litteris præterea veſtris divulgatum eſt laïcis, quòd ſi ad vos ſatisfacturus non venirem, auxilium veſtrum amplius non haberem, & quicumque malefactores res monaſterij noſtri diriperent, vos adiutorem ſuum potiùs quàm noſtrum defenſorem invenirent. Hoc ex veſtra parte literis non arbitror fuiſſe inſertum: quoniam à Chriſtiana religione omnino diſcrepat; & Satanæ noſcitur incitamentum. Illud amici & inimici firmiſſimè credant, quòd nulli dabo mercedem iſtam, ut pro ſuo auxilio monaſterium noſtrum, alodium B. Petri, ſibi inordinatè ſubiiciam. Vnde ſi neceſſitatibus meis auxilium veſtrum defuerit, confido de bonitate beati Petri, quia mihi ipſe non deerit; cui dum fidem ſervare deſidero,
E nullus ob hoc Epiſcopus mihi auxilium denegare, nec quod illius eſt, qualibet occaſione ſibi deberet uſurpare. Vindocinenſem Eccleſiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nec dedi, nec auferam. Quod ſi qualibet ſuggeſtione tentarem, peccarem in animam meam: nec etiam cum peccato perficere valerem. Romanæ itaque Eccleſiæ, cui totum me debeo, omni tempore fidem ſervabo: pro cuius amore ac fidelitate multiplicata gravamina virtute conſtantiæ, & animi integritate ſuſtineo: nec multo maiora, ſi emerſerint: pro illa ſuſtinere recuſo. Illam in meis preſſuris reclamavi, & adhuc reclamare non deſino. Nam ſi modò ignorat, quanta pro illa patior; ſcio, cùm agnoverit, petenti auxilium non negabit, quæ ſemper miſericordiæ viſceribus affluens oppreſſis omnibus, & maximè domeſticis ſuis, ſubvenire conſuevit. Domnus Ernaldus, quem Decanum veſtrum dicitis, ſi ſibi ſecundum iuſtitiam placuiſſet, teſte flocello de capite ſuo, potiùs in noſtra, quàm in veſtra ſorte manere debuiſſet.
F Valete, & contra ſanctam Romanam Eccleſiam; cuius pietatis gratia vos non minùs creavit Epiſcopum, quàm religio veſtra, agere nolite.

EPISTOLA VIII.

Cariſſimo patri ſuo Ivoni laudabilis vitæ Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, reverentiam cum pura dilectionis affectu.

De Archipreſbytero veſtro Goffrido Danielis apud bonitatem veſtram conquerentes, miſimus ad vos duos de fratribus noſtris; qui ad aures veſtras & clamorem noſtrum, ut credimus, detulerunt; & ſi quid aliter à familia noſtra actum extiterat, vobis rectitudinem obtulerunt. Vnde nobis mandaſtis, ut quarto die poſt feſtivitatem omnium Sanctorum, ſi ad
G partes noſtras interim non deſcenderetis, ad vos veniremus, habituri & facturi quantum debemus. Optimum quidem hoc veſtrum mandatum fuit, & idcirco non minùs actionis, quàm devotionis brachiis amplectendum. Sed quibuſdam detenti impedimentis, quæ antequam ad vos miſiſſemus, Archidiacono veſtro machinante, ut dicitur, orta iam fuerant, illud obſervare minimè valemus: & quod ratio pariter ac voluntas agendum monet, & præcipit: agere neceſſitas ſola non patitur. At cùm Spiritus ſancti gratia nos conſolante, à præſenti, qua detinemur, neceſſitate liberati fuerimus; de qua mandaveritis, ad vos veniemus, & conſilio veſtro omnia faciemus. Rogamus tamen humilitate qua poſſumus, quòd ſi Vindocinum venire debetis, nullis ſuaſionibus Carnotum ire nos fatigetis. Super Nivelone & filio eius Vrſione, eorumque hominibus proclamantes, aures veſtræ pietatis ſæpe pulſavimus, & adhuc pulſare non ceſſamus: ut ſi
H non pro amicitia, ſaltem pro improbitate noſtra iuſtitiam valeamus obtinere, quam petimus. Valete, & eorum incitatione, qui me, ſi poſſent, contra vos ſæpius incitaſſent, ſervitium & dilectionem noſtram, diligenter obſecro, perdere nolite.

EPISTOLA IX.

Domino ſuo & amico Ivoni honorabili Carnotenſium Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, cum dilectione ſalutem.

Mandaſtis quia inducias, quas à vobis quæſivimus, nec datis, nec dare debuiſtis, non enim certum diem, ut dicitis, mandavimus vobis. Ad hæc ſalva veritate reſpondemus, quoniam certum diem vobis mandare minimè potuimus: quia quando neceſſitas, qua detinebamur, finem haberet, certi non eramus.

A Famulos noſtros aſſeritis vos excommunicaſſe, quod valde miramur, cùm in loco noſtro, nulli Epiſcopo, niſi ſoli ſummo Romano pontifici; excommunicare, ſeu interdicere liceat, vel quamlibet poteſtatem, vel dominationem exercere. Nos tamen quæcunque iuſſeritis, ſalvo Apoſtolicæ ſedis privilegio, diligenter faciemus: contra cuius auctoritatem nihil à nobis exigi debet, nec nos obedire debemus. Dignitatis utique excellentiam, quam Chriſtus Dominus noſter in Beato Petro Romanæ Eccleſiæ contulit nec poſſumus, nec debemus minuere; nec ad hoc, vt eam minuamus, debet quis laborare. De hominibus, quorum nomina nobis ſcripſiſtis, quatuor ex ipſis noſtros eſſe dicimus: de quibus quarto die poſt Theophaniam,
B quantum debebimus, libenter faciemus. Quamvis de vobis multum conqueri poſſemus, qui non ſolùm de malefactoribus noſtris, quod nemo alius Epiſcopus vnquam feciſſe dignoſcitur, nobis iuſtitiam denegaſtis: verùm etiam contra nos veſtræ auctoritatis decreto incitaſtis. Hæc vero quæ mandamus ſi diſplicent vobis, & mole veſtræ magnitudinis nos premere, & cuiuſlibet incitatione, vel propria voluntate gravare vultis, ipſam pro cuius amore multa gravamina veſtra diu portavimus, Romanam Eccleſiam appellamus: cum qua & adverſitatem ſuſtinere optamus, & ſine qua proſperitatem habere recuſamus. Vnde ſi neceſſitatibus noſtris auxilium veſtrum, quod diu nobis ſubtraxiſtis, defuerit, confidimus de bonitate Beati Petri, quia nobis ipſe non deerit: cui dum fidem volumus ſervare, nullus ob hoc Epiſcopus nobis Eccleſiaſticam iuſtitiam denegare, nec in nos ſæcularium hominum incitare ſævitiam, nec, quod ſanctæ Romanæ Eccleſiæ eſt proprium, ſub hac occaſione ſibi
C deberet vſurpare: à cuius fidelitate non fames, non gladius, non nuditas, non tribulatio, non anguſtia, non perſecutio aliqua nos vel defunctos poterit ſeparare. Nam ſi modò ignorat quanta pro illa patimur, ſcimus, cùm agnoverit, petentibus auxilium non negabit, quæ ſemper miſericordiæ viſceribus affluens, oppreſſis omnibus, & maximè domeſticis ſuis ſubvenire conſuevit. De Archipreſbytero veſtro, & Nivelone, eiuſque filio Vrſione, atque Buatmundo, & eorum hominibus, apud vos ſæpius conqueſti ſumus & conquerimur; nec iuſtitiam, nec iuſtitiæ ſcintillam aliquam adhuc ſentire potuimus. Vnde à vobis iuratam pacem minus obſervari conſpicimus.

EPISTOLA X.

Ivoni honorando Cárnotenſium Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, amicos in Deum, & inimicos propter Deum diligere.

D Licet iniuriæ & vexationes, quibus monaſterium noſtrum, & nos non mediocriter oppreſſiſtis, & opprimi feciſtis, in auribus populorum frequentiſſimè reſonent; caritatis tamen, quam Deus præcipit, funibus alligati, amare cogimur etiam non amantem. Vos autem, qui graviores moleſtias irrogaſtis, maximè diligere, ac vobis diligenter ſervire volumus; ſi amaritudinis pocula, quæ nobis ſæpius propinaſtis, melle dilectionis temperare placuerit. Genus verò dilectionis, quo & nos diligere, & à nobis ſerviri vultis & diligi, literis veſtris ſignificate: quia pacem & dilectionem veſtram vehementer optamus. Et ſi ſenſerimus, quòd nos in veritate diligatis, nullum veſtrum recuſamus ſervitium, in quo Domini Papæ indignationem non mereamur, nec ordinis noſtri incurramus periculum.

***

E

EPISTOLA XI.

Ivoni magna fama pontifici, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, prudenter & ſimpliciter in omnibus agere.

Litteræ noſtræ, quas in quibuſdam mellis dulcedinem redolere, & in quibuſdam fellis amaritudinem reſpergere dixiſtis, ſecundum noſtram intelligentiam omni amaritudine caruerunt, quia caritatis dulcedine plenæ fuerunt. Quod iterum aſſeruiſtis, Romanam Eccleſiam à Deo nullam iniuſtam accepiſſe pote-
F ſtatem; ita eſt planè, & nos nec poſſumus, nec debemus non annuere: quoniam infructuoſum eſt contra adeo apertam veritatem laborare. Quis enim inſanus credere vel cogitare audeat, bonum Deum aliquid unquam iniuſtè dediſſe, aut eius ſanctam Eccleſiam quicquam ab eo iniuſtè accepiſſe? Sed ſi quæ ſunt ſolvenda ſolvendi, & quæ liganda ligandi à Domino collatam ei poteſtatem creditis, ſicut nobis ſcripſiſtis; mirandum non eſt, ſi illa bene ſolvit, quod vos malè ligaſtis. Profeſſio, quam à me adhuc iuvene & novitio extorſiſtis, regularis minimè fuit; eámque feciſſe, peccatum extitit, & accepiſſe irreligioſum. Nam ſi pro benedictione, quam omnino gratis dare debuiſtis, vſurpaſtis profeſſionem, & pro profeſſione ab alodiario Beati Petri exigitis ſubiectionem, profana fuit illa profeſſio, & ideo non tenenda: quoniam ſubſequens benedictio, quam exhibuiſtis, navicularia potiùs videtur, quàm gratis data: quandoquidem pro illa temporalem mercedem cum iniuria fidei Chriſtianæ exigere non erubeſcitis. In profeſſione ſiquidem
G illa, conſilio veſtro nimis ſimpliciter acquievi. Vbi tamen quidquid perperam actum eſt, vos ſcienter feciſtis; ego autem ignoranter peccavi. Sed quem veſtræ impuritatis conſilio reatum contraxi, Apoſtolica ſinceritas, ignorantiæ meæ ac iuventuti compatiens, miſericorditer indulſit: & ne quis ſucceſſorum noſtrorum in puteum ſimilis deceptionis deinceps corruat, virtute ſuæ auctoritatis prohibuit. Si verò contra hæc vobis agere placet; illam maiorem audientiam, à qua omnis Chriſtianitas diiudicatur, non fugio, ſed appello: cuius æquitatis iudicium qui contemnit audire; B. Petrum ne ſentiat iratum, debet timere.

EPISTOLA XII.

Cariſſimo domino ſuo & Patri, Ivoni laudabilis vita Pontifici, Goffridus Vindocinenſis monaſterij qualiſcunque ſervus, vera humilitatis obſequium, & pura dilectionis affectum.

H FOrmatas & formoſas litteras veſtras, quas pro facienda nobis iuſtitia Archipreſbytero veſtro Goffrido miſiſtis, vidimus: & ſi non tantas, quantas debemus, ſaltem quantas poſſumus gratias veſtræ ſanctitati referimus. Ibi enim nihil aliud videri vel intelligi potuit, niſi erga nos veſtræ magnæ caritatis affectus. Omnes quidem preſbyteri caſtelli Vindocinenſis cum Archipreſbytero veſtro litteras viderunt: ſed cum illo, immo per illum, neſcimus quibus privatis conſiliis, litteris obedire contempſerunt. Vnde, dilectiſſime pater, pietatem veſtram, quibus valemus precibus, exoramus, quatenus circa ea, quæ vobis in veritate ſcripſimus, ſic paterna dilectione ſitis ſollicitus, vt quàm grave ſit iuſtis non obtemperare mandatis, agnoſcere valeat ille Eccleſiaſticæ iuſtitiæ interfector, & ſanctæ Eccleſiæ inimicus.

***

EPISTO

EPISTOLA XIII.

Honorabili domino ſuo & cordiali amico, Ivoni religioſæ vitæ Pontifici, Goffridus Vindocinenſis monaſtery humilis ſervus à Deo ſanctis repromiſſam beatitudinem, & à ſe puram & integram dilectionem.

LItteras quidem veſtræ ſanctitatis cum gaudio & honore ſuſcepimus: ſed die, quem nobis in ipſis ſignificaſtis, ad vos venire nullo modo poterimus, monaſterij noſtri inevitabili neceſſitate detenti; quæ etiam in monaſterio tunc manere nulla occaſione nos patitur. Fratribus autem noſtris, ut de poſſeſſionibus monaſterij abſque præſentia noſtra iudicium ſubeant, ſuadere non valemus: & quod eorum voluntati contrarium rationabiliter cernitur, eis, ne fortè ſcandalizentur, imperare non audemus. Sed cùm neceſſitas, quæ inevitabiliter nos detinet, finem habuerit, ante bonitatis veſtræ conſpectum, loco & tempore competenti, diligenter nos præſentabimus; de Nivelone, quem nec reverentia ordinis, nec honor ſacerdotij, nec adventus Salvatoris à genere novi ſceleris retraxit, accepturi & ei facturi quantum debemus. Rogamus interim, dilectiſſime pater, humilitate qua poſſumus, ut de his, quæ Nivelo & ſui nobis violenter abſtulerunt, & adhuc crudeliter detinent, veſtra eos cogente iuſtitia, mereamur inveſtiri, quia rebus propriis expoliati, ſicut ipſe melius noſtis, antequam quæ eis ablata ſunt, univerſa poteſtati eorum reſtituantur, ad iudicium minimè debent convocari. Valete.

EPISTOLA XIV.

Dilectiſſimo domino Ivoni venerabili Carnotenſium Epiſcopo, & omni ſanctæ Mariæ Capitulo, Goffridus Vindocinenſis monaſtery humilis ſervus, & à Deo ſalutem, & à ſe puræ dilectionis ſervitutem.

HAnc eſſe virtutem cognovimus veræ iuſtitiæ, amicum non debere iuvare mendacio, nec inimico in veritate deeſſe. De depoſitione domni Goffridi olim Bleſenſis abbatis, & de promotione domni Mauricij, qui contra nos diu iniuſtas exercuit inimicitias, & parum fructuoſas ſibi egit querelas; ſicut vidimus & audivimus veritatis teſtimonium perhibemus. Vidimus itaque domnum Goffridum in præſentia domni Brunonis Romanæ Eccleſiæ tunc Legati, abbatiam ſuam relinquere, & domnum Mauricium in abbatem propria voce eligere; eumque electum, & ſuis manibus deductum in locum, quem antè ipſe tenuerat, collocare. Hoc vidimus, & coram Deo & hominibus teſtificamur palàm ita factum fuiſſe. Sed ſi quid aliter actum eſt in occulto, confitemur nos prorſus ignorare. Fieri enim potuit, ut aliud lingua domnus Goffridus pronuntiaret, & aliud occultaret in pectore. Sed quidquid Bleſis nobis præſentibus ſuper hac cauſa factum extitit, in quantum cognoſcere potuimus, domno Mauricio, ut credimus, non obeſſet, ſi nihil aliud impediret.

***

EPISTOLA XV.

Cariſſimo domino & amico Ivoni, honorabili Carnotenſium Præſuli, Goffridus Vindocinenſis monaſtery humilis ſervus, delinquentium ſubditorum culpas ita iudicio ſancti Spiritus condemnare, ut inculpabilis ante conſpectum tremendi iudicis valeat apparere.

OPtimè noſtis, Pater optime, clericos veſtros, quos humilitas B. Mariæ fecit ſuperbos, non iure cæli, nec iudicio ſæculi, ſed ſolita mentis tempeſtate gradus domus noſtræ deſtruxiſſe. Vnde paternitati veſtræ humiliter ſupplicamus, ut quod à Clericis veſtris perverſè actum dignoſcitur, corrigatis; & gradus domus noſtræ, quos furioſi ſpiritus impetu deſtruxerunt, ab ipſis fieri faciatis. Et cum de re noſtra à nobis diu & iuſtè poſſeſſa, & iniuſtè ablata, ſecundum ſacros canones inveſtiti fuerimus; ſi poſtea de nobis conquerantur, quod iuſtus iudex, quod divina lex faciendum iudicaverit, non recuſamus. Venerabilis vitæ pater, res monaſterij noſtri, quæ in Epiſcopatu veſtro eſſe noſcuntur, & monaſterium ipſum B. Petro à fundatoribus ſuis oblatum, ſi vobis laborioſum non eſſet, & pro cura epiſcopali & pro amore B. Petri, in quantum facultas ſuppetit, cuſtodire, & ab omnibus adverſariis defendere deberetis; præſertim rem illam monaſterij, quam pene iuxta introitum portarum veſtrarum eſſe conſpicitis.

EPISTOLA XVI.

Cariſſimo patri & domino Ivoni laudabilis vitæ Pontifici, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, puram cordis dilectionem, & puræ dilectionis ſervitutem.

PAternitati veſtræ, pater optime, gratias agimus, quod Comitem Vindocinenſem pro cauſa noſtra ad tationem mitti feciſtis; & quia quod iniquè geſſerat, corrigere neglexit, eius caſtello, & caſtelli bank ugæ divinum officium abſtuliſtis. Ipſe verò malis addere peiora minatur; & vobis inobediens, nos & noſtra violenter adhuc perſequitur. Sed quia ad hoc mandatum ſuſcepimus, ut non affectemus laudes hominum, nec eorum minas timeamus; divina nos protegente clementia, & veſtræ auctoritatis ſuffragante cenſura, in preſſuris conſtantiores inveniet. Vnum tamen utile nobis, imò valdè neceſſarium eſſet, pro quo vobis, tanquam patri filij, humiliter ſupplicamus, quatenus genus pietatis, quo paſtor Eccleſiæ, cum neceſſitas exigit, impius pro Domino fieri debet; (genus enim pietatis eſt, ut B. Hieronymus dicit, impium fieri pro Domino) ita in Comitem, & in omnem terram ipſius zelus veſtræ rectitudinis propagaret; totum videlicet eius Comitatum à divinis Officiis ſegregans; & ipſum diſtrictioris iuſtitiæ vinculis alligans, ut univerſa plebs, quæ noſtram iniuriam & eius malitiam non ignorat, & cui illius iniquitas multum diſplicet, nec maior iuſtitia diſpliceret, hinc occaſione accepta proclamaret in eum: & ſic quoniam Dei amore ab iniuſta actione ſpontaneus non vult deſiſtere, clamore ſimul & timore hominum deſiſteret vel invitus. Nam ſub quanto eius malitiæ onere gemimus, noſtra humilitas non ſileret, ſi referre ſingula moroſum non eſſet, & audire tædioſum, & legati noſtri lingua fortaſſis omnia meliùs dicet, quàm noſtra indicare poſſet epiſtola. Pauperum corpora ſepeliri conceſſiſtis, quod nos abnuere nec poſſumus, nec audemus. Sed ſalva veſtra pace, & reverentia dicimus, ſi inſepulta remanerent pro Eccleſiæ iuſtitia, non ideo animæ minùs haberent de gloria. Et

A quia à ſanctitate veſtra pauperibus ſepultura conceditur; ſub nomine pauperum à ſepultura iam nullus excluditur. Valete.

EPISTOLA XVII.

Amantiſſimo domino & patri Ivoni, venerabilis vitæ Pontifici, frater Goffridus omnem vlciſci inobedientiam, & ſic vitam promereri æternam.

NOverit, cariſſime pater, veſtra dilectio in caſtro Vindocini, dictos illos regulares B. Gregorij Canonicos, in Eccleſia B. Petri apertis ianuis contra interdictum veſtrum ſolenniter feſtivitatem celebraſſe: alióſque eiuſdem caſtelli clericos quendam burgenſem defunctum, & cum defuncto iuſtitiam quaſi defunctam ſepelientes, publicis proceſſionibus ſepulturæ tradidiſſe. De qua Eccleſiaſticæ iuſtitiæ ſepultura, quæ contumaciæ ſtudio acta dignoſcitur, & de huiuſmodi ſepulturæ vindicta, veſtræ ſublimitati noſtra humilitas aliquid ſcripſiſſet, ſi monachus unus ſufficeret de inobedientia clericorum accuſare multitudinem; & præſumptuoſum non videretur, tantæ diſcretionis docere Pontificem. Illud tamen perpendat veſtra dilectio; quòd ſi tanta iuſtitiæ iniuria patienter portatur, verendum eſt, ne ſancta Eccleſia hac occaſione de ſtatu ſuo plurimum perdat, & ſuæ honeſtatis & ordinis intollerabilem iacturam patiatur. Vnde veſtræ paternitati filiali dilectione ſupplicamus, quatenus ad nos miſſo veſtræ authoritatis decreto, tam pernicioſa præſumptio ſine vindicta minimè tranſeat: vt quàm grave ſit ſuo Epiſcopo non obedire, vel ſic unuſquiſque tranſgreſſor agnoſcat. De domno Archidiacono, cuius virtutes vel vitia prudentiam veſtram ignorare non credimus, vobis vera ſcribere non audemus; ne noſtra veritas eius odium nobis generaret, & qui malè agit peius ageret. Certè, ſi inordinata remiſſio pietas vel miſericordia eſſet, circa delinquentes, ſed impœnitentes, plurimum exhiberet; quibus etiam non pulſantibus, eius miſericordiæ ianua patet. Nam quis ex divitibus contra interdictum veſtrum vult ſepeliri, & non ſepelitur? Pauperibus autem, qui culpam non habent, ſepultura negatur. Potentibus aperiuntur Eccleſiæ: impotentes per quos quod malè actum eſt, corrigi non poteſt, ab Eccleſiis excluduntur. Sancto Evangelio teſte cognovimus, & nullatenus dubitamus, benignum Ieſum Dominum noſtrum B. Petro (*Mat.16.*) quæ liganda erant ligandi, & quæ ſolvenda ſolvendi poteſtatem tradidiſſe, ſed aliter quàm Dominus dedit, vel B. Petrus ab illo acceperit, indiſcretè glorioſus veſter Archilevita, quaſi propheta docens mendacium, ſolvenda ligat, & ſolvit liganda. Providete itaque, dilectiſſime pater, ne iuſtitia veſtra, quæ ex parte iam perire cœpit, omnino pereat: & quod veraciter vobis mandamus, nobis non noceat.

EPISTOLA XVIII.

Honorabilem domino, & præcordiali amico, domno Ivoni Carnotenſi Epiſcopo, frater Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, quicquid poteſt haberi ſalubrius.

DE ſtatu domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ vobis veraciter annuntio, quòd dominus Papa & Romam, & Romanam Eccleſiam cum magna pace poſſidet & tranquillitate. Romæ dominum Papam inveni, cum quo inter alia de vobis locutus, bona quæ potui & debui de perſona veſtra dicere, quidquid alij muſſitaſſent, illi non tacui. Inde cum rediſſem, & Lugduni à domno Primate Lugdunenſi, & à tota Eccleſia eius multum honorificè ſuſceptus, & per quinque dies cum omni comitatu noſtro diligenter procuratus fuiſſem; audivi ab ipſo Archiepiſcopo, quæ veſtræ dilectioni occultare nec poſſum, nec debeo. Andivi itaque, domnum Senonenſem cum illo feciſſe pacem; & omnem obedientiam illi, tanquam ſuo Primati, promiſiſſe; nec vos illius pacis aliqua ex parte fuiſſe participem. Litteras etiam, quas in perſona ſua feciſtis, ſua voluntate dixit non fuiſſe factas, nec domino Papæ tranſmiſſas, vnde ſub celeritate domino Papæ nuntiaret, quòd litteras illas ſuas fuiſſe nullatenus crederet. Hæc autem cùm audiſſem, de vobis, ſicut de cariſſimo domino & amico ſollicitus, cùm domno Primate & Clericis ſuis, qui vobis modis omnibus, quibus poterant, adverſabantur, locutus fui: & vitæ & perſonæ veſtræ honeſtatem & magnitudinem oſtendens, inter vos & ipſos pacem ſtudioſiſſimè quæſivi. Vnde vobiſcum quò & quando placuerit, volo habere colloquium: quia iſta & quædam alia ad honorem veſtrum, & utilitatem, ut æſtimo, ſoli perſonæ veſtræ manifeſtare deſidero. Conductum tamen, ſi vultis, ut ego veniam, mihi quæratis ſecurum: quia ſacrilegos, qui me in adventu Domini à curia veſtra revertentem ceperunt, adhuc & meritò habeo ſuſpectos. Valete, & voluntatem veſtram ſuper his mihi reſcribite.

EPIST. XIX.

Ivoni Carnotenſium præſuli, frater Goffridus, ſalutem à domino, & à ſe debitæ dilectionis ſervitutem.

SIcut conſuetudines monachorum B. Benedicti regulæ concordantes laudamus: ſic eas, quas S. Benedictus nec docet, nec præcipit, & quæ à ratione penitus diſcrepare videntur, laudare non poſſumus. Sunt enim quædam apud monachos inſtitutiones, quas ratio nullatenus admittit, nec ſanctorum quilibet patrum invenit; ſed inſipientium conſuetudo hominum inſtituit. Has in monaſteriis quidam monachi ſibi pro lege vindicant: & cùm Chriſtus dixerit: *Ego ſum veritas*, nec dixerit. (*Ioan.14.*) Ego ſum conſuetudo; pro ſua tamen conſuetudine legem veritatis immutant. Et, ut cætera taceamus, in hoc, ut nobis videtur, non mediocriter errant; quòd unctionem infirmorum, cùm à ſancta Catholica & Apoſtolica ſede ſacramentum vocetur, & cùm nullum ſacramentum iterari debeat, iterandum putant. Vnctionis utique ſacramentum B. Innocentius Papa adeo magnum dicit, quòd pœnitentibus, quibus cætera ſacramenta negantur, nulla ratione putatur poſſe concedi. Quid tamen ſuper hoc magnitudo veſtræ diſcretionis ſentiat, & quid tenendum doceat, ſcire deſideramus: quia quamvis iſta & ratione, & auctoritate eſſe vera non dubitemus; ea tamen veſtræ auctoritatis decreto firmari volumus, & rogamus.

EPISTOLA XX.

Ivo Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, Goffrido Vindocinenſi Abbati, ſalutem & dilectionem.

VNctionem infirmorum non æſtimo repetendam, quia, ſicut ipſe aſſeruiſti, ſecundum inſtitutum Apoſtolicæ ſedis, genus eſt ſacramenti: qui autem ſacramenta Chriſti & Eccleſiæ repetit, iniuriam ipſis ſacramentis ingerit. Vnctio enim infirmorum publicæ pœnitentiæ eſt ſacramentum: quam non eſſe repetendã, ſicut nec baptiſmum, teſtatur Auguſtinus, teſtatur Ambroſius. Auguſtinus in Epiſtola ad Macedonium: *Cautè ſalubritérque proviſum eſt, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minùs utilis eſſet ægrotis: quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minùs contemptibilis fuerit.* Ambroſius in ſecundo libro de Pœnitentia: *Sicut eſt unum baptiſma, ita & una pœnitentia: quæ tamẽ publicè agitur. Nam quotidie nos debet pœnitere peccati ſed hæc delictorũ leviorum; illa graviorũ.*

EPISTO

EPISTOLA XXI.

Goffrido vitæ laudabilis Epiſcopo, dulciſſimo domino ſuo, & pracordiali amico, frater Goffridus ſuus quale & quantum poteſt, & ſapit, obſequium, & puræ dilectionis affectum.

APud bonitatem veſtram, venerabilis Pater, de Vindocinenſi Comitiſſa ego conqueror, & mecum omnis congregatio noſtra. Ipſa enim, dum pro neceſſitate monaſterij eſſem in pago Andegavenſi, terram quam monaſterium noſtrum pacificè tenuerat, nobis abſtulit, corticem etiam arborum, quam ad vſus ſuos homines noſtri collegerant, ſicut diu conſueverunt, cremari fecit. Præterea monachi Maioris-monaſterij, quos Beati Martini humilitas aliquantulum ſublimes fecit, decimam, de qua, vobis præſente, eis obtulimus iuſtitiam, nobis auferunt violentia ſæculari. Robertus de Monte-laudato, non laudandus, prædam noſtram rapuit, de cuius redemptione centum accepit ſolidos, quos malè acceptos Vindocini peius expendit. Quis iſtorum erga nos melior fuerit, nec ab homine, nec ab Angelo ſciri poteſt, cùm vnuſquiſque eorum contra nos peſſimè egerit. Pro quibus omnibus veſtræ dilectioni multum humiliter ſupplicamus; quatenus ad Vindocinenſes clericos miſſo veſtræ auctoritatis decreto, ſic vnuſquiſque ſupradictorum malefactor corrigatur; vt in his quæ contra nos malè commiſerunt, nullus eorum gratuletur. Archipreſbytero veſtro veſtræ bonitatis gratia præcepiſtis, vt nobis, ſi neceſſarium eſſet, Eccleſiaſtica iuſtitia ſubveniret. Ipſe quidem ad iuſſionem veſtram omnia ſe facturum pollicetur: ſed ex omnibus nihil omnino operatur. Certè circa ea quæ ſæculi ſunt, pronum eum novimus, & multum ſollicitum; & alienam aquam ſatis prudenter conducere novit ad ſuum molendinum. In his autem, quæ ad Eccleſiæ iuſtitiam pertinent, eum quidem laudaremus: ſed pro eo incurrere mendacium nolumus.

EPISTOLA XXII.

Dilectiſſimo domino ſuo, domno Goffrido Catholicæ vitæ Epiſcopo, frater Goffridus, dimidium animæ ſuæ: &, ſi non ſufficit, totam animam & corpus.

MVltiplices gratiarum actiones, dulciſſime Pater, pro multis beneficiis veſtris, vobis referimus; & maximè pro viſceribus veſtræ caritatis, quæ circa nos firma, & inconcuſſa ſentimus. De monachis Maioris, ut dicitur, monaſterij, quos Beati Martini humilitas ſuperbos, & eius paupertas pecunioſos fecit, ſæpius conqueſti, adhuc conquerimur; & de ipſis in præſentia veſtra die feſtivitatis Beati Ægidij iuſtitiam accipere deſideramus. Carnotum autem venire propter illum leproſum Guillelmi filium, & propter alios Eccleſiæ noſtræ inimicos non audemus; & pro importuna etiam multitudine laicorum, quam prædictos monachos ibi habituros nullatenus dubitamus. Ad voluntatem tamen veſtram ire & redire, vbi vel quando placuerit, veſtro conductu non recuſamus. Honeſta tamen diſcretio veſtra, ſic veſtro honori, & noſtræ vtilitati provideat; ne veſtrorum amicorum fideliſſimus iuſtitiæ ſuæ detrimentum patiatur, vel perſonæ opprobrium qualibet occaſione incurrat. Valete, & quod vobis placuerit, litteris ſignificate.

₄

EPISTOLA XXIII.

Cariſſimo domino ſuo & dulciſſimo amico, Goffrido venerabilis vitæ Carnotenſi Epiſcopo, frater Goffridus à Deo ſalutem, & à ſe puræ dilectionis ſervitutem.

AVdivit parvitas noſtra de veſtra magnitudine, quod ſine admiratione audire non potuit. Frater vnus ex noſtris, ſicut nobis retulit, olim ad vos venit, querimoniam facturus de Vrſione filio Nivelonis: cuius dimidium clamorem vix audire dignatus, quòd à fratribus noſtris excommunicati veſtri ſuſcipiebantur, ei oppoſuiſtis. Hoc non à vobis, ſed ab alio inventum credimus; qui quaſi Suſannam criminatus teſtimonium protulit falſitatis. Abſit enim à ſinceritate fratrum noſtrum tanta Chriſti iniuria, & Eccleſiaſticæ iuſtitiæ tam deteſtabilis ſepultura. Ipſi enim Dei iuſtitiam ſepelire non noverunt: ſed vbi mortuam agnoſcunt, ſuis orationibus conantur ſuſcitare. De prædicto Vrſione, & de Pagano Nivelonis fratre, honeſtæ vitæ Pater, conquerimur. Quorum unus, Vrſio ſcilicet, poſt multa alia mala, quæ iam nobis fecit, mille oves & quatuordecim boves nobis abſtulit. Paganus verò molendina noſtra, quæ apud Piſoſtum habebamus, igne cremavit. De monachis Maioris monaſterij apud bonitatem veſtram multotiens proclamavimus, & vt clamor noſter nobis proficiat, multum ſuppliciter vos rogamus. Valete.

EPISTOLA XXIV.

Bono domino & præcordiali amico Goffrido honorabilis vitæ Epiſcopo, frater Goffridus quidquid à Deo animæ fideli datur ſalubrius.

OPtimè noſtis, Pater optime, de Comitiſſa Vindocinenſi me apud paternitatem veſtram conqueſtum fuiſſe. Poſtulans adhuc rogo, & rogans poſtulo ſæpe quæſitam de domina illa iuſtitiam. Mihi veſtra bonitate mandaſtis, quòd inter me & illam aut placitandi, aut concordiam faciendi reſpectum vſque ad feſtivitatem ſancti Beati accepiſtis. Dei domini bona gratia, cum omni Chriſtiano pacem Chriſti & concordiam habeo: & ſatis deſiderarem habere concordiam cum domina illa: ſed ſemper eſt diſcors eius concordia. Ego tamen aut vobis mediatore volo concordiam, aut vobis iudice quæro iuſtitiam. Verbo & ſcripto, ne cauſam noſtram agerem ſine iudicio veſtro, mihi interdixiſtis, & meritò. Omnino enim iniuſtum eſt, & ſacris Canonibus, ſicut ipſe meliùs noſtis, penitus obviare videtur; vt Eccleſiaſtica cauſa ſæculari & peregrino iudicio terminetur, & quod vos & veſtros facere decet, aliis, etiam perſonis Eccleſiaſticis, concedatur. Hoc ſi fieri poſſet, Eccleſia veſtra damnum pateretur, & ſui iuris & honoris perderet plurimum. Eccleſiæ etenim veſtræ gloriam alteri dare, nec ſanctitatis genus eſt, nec religionis membrum. Hoc etiam bene noſtis, dilectiſſime, quòd ſæculares homines ſua conſuetudine ſanctæ Eccleſiæ auctoritatem conantur adnullare. Et cùm eis in modico occaſio cuiuſlibet conſuetudinis contra Eccleſiaſtica iura conceditur: hoc deinceps omni tempore ſibi vindicare nituntur. Sic qui hoc facit contra ſuam Eccleſiam, mundialem ſuſcitat rixam: & cùm aliquando aliter facere voluerit, ſæcularis tempeſtas non patitur. Dilectionem itaque veſtram ad locum noſtrum, immo veſtrum, venire humilitas noſtra multum precatur; ad nos veſtræ ſanctitatis ſervos prædicto termino accedere diſcretio veſtra non pigritetur. Quòd ſi vobis tunc non licet, vel diſplicet;

alius

A alius terminus inter me & Comitiſſam, loco mihi & ſibi ſecuro, à vobis ponatur: ubi aut veſtro conſilio concordiam faciamus, aut veſtro iudicio Eccleſia noſtra iuſtitiam conſequatur. Valete.

EPISTOLA XXV.

Dilectiſſimo domino & patri Goffrido, Catholicæ vitæ Pontifici, frater Goffridus pro Chriſto carcerem, exilium, vel mortem non timere: nec ea quæ ſunt his contraria, iuſtitiæ & veritati qualibet occaſione præponere.

ADverſitatem ſiquidem veſtram audivimus, quam veraciter facimus noſtram totis viſceribus, & B quia ſine vobis proſperitatem habere non gaudemus, adverſitatem ſuſtinere vobiſcum optamus diligenter & humiliter ſupplicamus vobis, ut ſi noſtræ humilitatis ſervitio indigetis, nobis litteris ſignificetis: quia privatim & publicè, & voluntati & neceſſitati veſtræ nos & noſtra offerimus. Non ſit vobis anxioſum, dulciſſime Pater, in veſtra neceſſitate, noſtræ paruitatis, imò magnitudinis ſervitium ſuſcipere: nec veſtrum ſuper hoc, ſed ſancti Spiritus ſenſum habeatis per Salo- Eccl. 6. monem dicentis, *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum. Amicus enim in neceſſitate probatur, & medicus.* Valete: & ſi quid unquam de vobis bene prometuimus, nobis in veſtra neceſſitate non parcite.

EPISTOLA XXVI.

Goffrido honorabilis vitæ patri Carnotenſi Eccleſiæ à Deo dato paſtori, frater Goffridus & perpetuam ſalutem à Domino, & à ſe debitæ di- C *lectionis ſervitutem.*

DE monachis Maioriſ-monaſterij ſæpius conqueſti, adhuc conquerimur, qui ſagittis rapinæ & ſæcularis violentiæ in nos aſſiduè iaculantur. Decimam, quam fratres noſtri à primo Abbate monaſterij ſui pacificè tenuerunt, & de qua eis, vobis præſente, obtulimus iuſtitiam, contra interdictum veſtrum, cum gladiis & fuſtibus, quaſi etiam Herodianis adductis ſecum, ſecum nobis auferunt; & alteram etiam, quam antea non auferebant: & ſic nobis mala quæ poſſunt, faciunt; & quæ faciunt, licere putant. Vos eis verbo, & eorum Abbati ſcripto interdixiſtis ne ulteriùs caperent decimam illam, eoſque admonuiſtis, ut venirent in curiam veſtram, inde habituri omnem iuſtitiam. Ipſi vero verbi & ſcripti veſtri pariter contemptores, magis ac magis nos infeſtare conantur, & veſtram auctoritatem perſequi, & vobis derogare videntur. Vnde paternitati veſtræ humiliter ſupplicamus, quatenus ex adverſo aſcendatis, & murum pro domo Iſraël inobedientibus opponatis: quo nobis neceſſarium, & vobis honorificum eſſe minimè dubitatis. Mirari tamen nec poſſu- D mus, nec debemus, ſi in nos & in vos quaſi in arido hoc faciunt, qui in viride lignum, in paſtorem ſcilicet proprium Turonenſem Archiepiſcopum, ſulfureo igne quondam exarſerunt, nec malé accenſum ſulfuris ignem poſtea extinxerunt. Quos utinam ſuperbi Saulis mors digna, & Mariæ ſororis Aaron lepra, atque Iudæ perverſi diſcipuli pœna deterrerent; & ſic mortua ipſis ſuperbia, quæ mater eſt & nutrix totius iniquitatis, & maximè cupiditatis, à monaſticæ fraternitatis infeſtatione deſiſterent: nec pontificalem, ut Iudas Chriſtum, perſequerentur dignitatem: nec pontifici ſicut Maria Moyſi, derogarent. Valete.

Iuſtitia veſtra nota ſit omnibus hominibus, & ampliùs nobis, qui ampliùs indignus.

EPISTOLA XXVII. E

Domno Goffrido glorioſo Carnotenſis Eccleſiæ Epiſcopo, frater Goffridus Vindocinenſis monaſterij qualiſcunque ſervus, ſuæ bonæ conſuetudinis obſequium, & puræ dilectionis affectum.

SEmel & ſecundò ſcripſit vobis dominus veſter & noſter Papa Calixtus, præcipiens, ut nobis de his, qui in Epiſcopatu veſtro noſtra auferrent, iuſtitiam faceretis. Quæſivimus eam de Herueo de Scalis, & de duobus preſbyteris, & adhuc habere non poſſumus. Rogamus iterum, ut ſecundum domini Papæ præceptum de prædictis hominibus nobis iuſtitiam faciatis. Parati enim ſumus ante vos loco opportuno & tempo- F re competenti venire, quod iuſtum fuerit accepturi: & de fratribus noſtris, quibus crimen ſacrilegij intenditis, quantum iuſtitia dictaverit, & Apoſtolicæ ſedis permittit auctoritas, reſponſuri. In hoc tamen non noctes, ſecundum conſuetudines laicorum, ſed ſecundum inſtituta Canonum, inducias poſtulamus. Nolite iudicare perſonaliter. Domini verba ſunt hæc: nemo rectè in iudicio perſonam accipit alienam, niſi priùs accipiat ſuam. Cert. non plus in conceſſione ornamentorum ſacerdotalium ab Apoſtolica ſede Abbatibus indulgetur, quàm illi, qui ſine vitæ meritis & ordinibus ſacris Epiſcopus eligitur. Si cuilibet retractare placet quod Romanus Pontifex facit, & in eum qui ſoli cœlo innocentiam debet, os ponere præſumit: & illud retractare placeat, quòd illum magis intuitu miſericordiæ, quàm cenſura iuſtitiæ reſpexit. Acephali non ſumus: quia Chriſtum Salvatorem caput habemus, & poſt ipſum, Romanum Pontificem. Hoc caput G habuit monaſterium noſtrum in initio ſui, & habebit, Deo auxiliante, uſque in finem ſæculi. Profeſſionem, quam obiicitis, à Sanctæ memoriæ Papa Vrbano, prædeceſſoris veſtri tempore, irritam penitus factam in hæc verba noveritis. [VRBANVS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei venerabili congregationi Vindocinenſis monaſterij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Relatum nobis eſt, quòd Carnotenſis Epiſcopus à cariſſimo filio noſtro Gauffrido veſtro Abbate, in conſecratione, quam accepit ab eo, profeſſionem extorſerit. Quam quia contra Romanæ Eccleſiæ auctoritatem factam agnovimus, Abbati quidem nos miſericorditer huiuſmodi noxam indulſiſſe noveritis. Profeſſionem verò ipſam ita adnullamus, ut nullas penitus vires obtineat. Inſuper etiam, ne Abbas monaſterij veſtri deinceps Epiſcopo profeſſionem faciat, & noſtræ auctoritatis privilegio firmatum eſt, & præſentibus litteris prohibemus. Si quis autem in poſterum contra hæc venire tentaverit, à ſanctæ Eccleſiæ liminibus arceatur, & maneat excommunicatus, donec reſipiſcat, & Romanæ Eccleſiæ ſatisfaciat. Datum Romæ VIII. Kalend. H Decembris.] Hoc ipſum dominus Papa Paſchalis ſua auctoritate firmavit. Quòd ſuper quemlibet Vindocinenſem monachum nulli Epiſcopo poteſtatem aliquam exercere liceat, ab ipſo eodem felicis memoriæ Papa Vrbano hoc modo prohibetur. [Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ filiis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In Arvernenſi Concilio reſidentibus nobiſcum Galliarum Epiſcopis, præceptum, & Romæ poſtea præſenti decreto firmatum eſt, ut nullus Epiſcoporum, vel Archiepiſcoporum ſuper quemlibet monachum Vindocinenſis monaſterij poteſtatem aliquam exercere præſumat. Monaſterium enim ipſum, & fratres eiuſdem loci ita ſpecialiter ſub Apoſtolicæ ſedis defenſione, ac Romana libertate poſiti ſunt, ut nulli omnino hominum, niſi Romano pontifici, & eorum Abbati, in ipſis poteſtatem aliquam aut dominationem liceat vindicare. Si quis autem iſta temerare ſcienter

A præſumpſerit, excommunicatus maneat, niſi reſipuerit, & Romanæ Eccleſiæ ſatisfecerit. Datum Romæ II. Kalendas Aprilis. Privilegia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quibus monaſterium noſtrum munitur, vobis videnda ſæpe obtulimus. Sed quia ſublimitas veſtra diſtulit videre, vel noluit, quædam ex ipſis veſtræ dilectioni tranſcripta mittimus: ne deinceps quaſi ex ignorantia contra Apoſtolicæ ſedis benignitatem brachia erigatis, quæ vos & nos creavit, non noſtris meritis, ſed ſua gratia. Valete in Domino ſemper.

EPISTOLA XXVIII.

Bono domino & pio Patri Goffrido laudabilis vitæ Epiſcopo, frater Goffridus, quidquid haberi vel mandari poteſt ſalubrius.

DVm apud Bonam Vallem vos & nos ſimul eſſemus, præ amaritudine animi perturbati, præſens dicere nolui, quod abſens vobis ſcribo, ne vos merito B teneam ſuſpenſum, qui me immeritò habuiſtis ſuſpectum. Animus quippe meus iuſtè fuerat perturbatus, quia mala pro bonis, odium utique pro dilectione mea ſentiebam mihi retribui: retributionem videlicet, quam Deus nec novit, nec docuit. Quidquid ſeminatores diſcordiarum ſubpungant vel muſſitent, præſentes litteræ non fabularum relationem, ſed puram loquentur veritatem, me videlicet nihil unquam contra vos, vel contra Eccleſiam veſtram à domino Papa Calixto quæſiſſe, vel ipſum feciſſe. Privilegium quidem apud Stampas mihi fieri debuit, & ſcriptum fuit. Sed quia in eo quædam ſunt poſita, quæ neque Eccleſiæ veſtræ utilia, neque monaſterio C noſtro neceſſaria videbantur, in loco, quo ſcriptum fuerat, remanſit non bullatum. Poſtea verò Pariſiis factum eſt privilegium, in quo dignitas & honor monaſterij noſtri memoratur pariter & firmatur, nec in eo honor Eccleſiæ veſtræ minuitur, ſed augetur. Quod patet omnibus, qui inuidum oculum non habent, nec obliquo ſidere res bene geſtas conſiderare conantur. Abſit hoc à ſinceritate animæ meæ, ut amico vel inimico aliud promptum in lingua exhibeam, & aliud teneam clauſum in pectore. Illud veraciter credatis; quòd in privilegio ipſo nulla contra Eccleſiam veſtram, vel de Eccleſia veſtra facta eſt mentio. Quòd ſi dominus Papa aliquid de ſuo nobis contulit, nec vobis quod veſtrum eſt abſtulit; vos dominum noſtrum & præcordialem amicum inde lætari deſideramus. Sed ſi inimici noſtri inde lugent & contriſtantur, nos idcirco quod Apoſtolica auctoritate firmatum eſt, atque ſub anathemate ligatum, nec poſſumus ſoluere, nec debemus. Valete, & ſi bene locutus ſum, & bene operatus, teſtimonium perhibete. Non enim contra memetipſum facere conſueui, nec noſtram mordere linguam, cùm loqui debui.

D

EPISTOLA XXIX.

Bono domino & ſuo viſcerali amico, Goffrido laudabilis vitæ Epiſcopo, frater Goffridus puram dilectionem, & puræ dilectionis ſeruitutem.

DOcent nos decreta ſanctorum Romanorum pontificum, Leonis videlicet magni, Symmachi, Felicis, Gregorij, Hormiſdæ, Sixti, Euſebij, nullum ſuis rebus exſpoliatum, vel à propria ſede pulſum, in aliquo iudicari, vel ad Concilium debere vocari, donec omnia, quæ ſibi ablata fuerunt, ex integro reſtituantur; quæ tanto tempore poſſideat, quanto ea amiſiſſe cognoſcitur. Si quis dicit, non ad iudicium cauſæ, ſed ad iudicium inueſtituræ exſpoliatum poſſe vel debere vocari, claves ſanctæ Eccleſiæ agitare, & leges Catholicæ & Apoſtolicæ ſedis violare conatur, qui- E bus prohibitum eſt, ne quilibet exſpoliatus vocetur ad iudicium, ſive in aliquo iudicetur. Si igitur exſpoliatus vocetur ad iudicium, ſive in aliquo iudicetur. Si igitur exſpoliatus in aliquo iudicari non debet, manifeſtum eſt, nec ſuper hoc ullatenus rationabiliter dubitari poteſt, quòd non ſolum iudicium cauſæ, & inveſtituræ, ab exſpoliato removetur: verùm etiam nulla contra eum iudicij vocatio fieri permittitur, quoniam inane eſſet & vacuum, eum ad iudicium vocari, qui in nullo iudicari conceditur. Præterea nouimus, qui præſentes eramus, dominum Papam Vrbanum, in Aruernenſi Concilio ſuper hoc diffinitam, & ab omnibus qui aderant, Epiſcopis & Abbatibus laudatam dediſſe ſententiam: ut quicumque ſine vocatione & iudicio exſpoliarentur, etiam ſine vocatione & iudicio inueſtirentur. Valeat dominus meus, & vigeat, & ſic ſanctarum ſcripturarum veritate paſcatur, ne cibo indigeat alieno, qui ſæpe famelicum facit, & neminem ſatiat.

F

EPISTOLA XXX.

Goffrido venerabili Epiſcopo frater Goffridus ſalutem & benedictionem.

LEges Romanorum Pontificum expoſuiſtis, quæ veſtra expoſitio magis exſpoliandi veſtros occaſionem præbere noſcitur, quàm inueſtiendi exſpoliatos, dum exſpoliatores defendere nititur. Licet ipſa mihi minimè placuiſſet, forſitan tacuiſſem, niſi aliter exponi & teneri ab Apoſtolica ſede vidiſſem & audiſſem. Bonæ memoriæ dominus noſter Papa Vrbanus, non in occulto, ſed in generali Concilio, adiudicavit eos abſque iudicio & vocatione debere inueſtiri, qui ſine iudicio & vocatione ſunt exſpoliati: ne ſub occaſione vocationis & iudicij interueniret dilatio, & per dilationem aut diuturna, aut ſempiterna maneret exſpoliatio. Leges itaque iſtas expoſuit ſedes G Apoſtolica, quæ illas dedit: & legum datores iure debent eſſe legum expoſitores. Hoc utique & in vetere, & in nouo teſtamento reperitur. Nam leges dederunt Chriſtus & Moyſes, & expoſuerunt. Si qui verò poſt ipſos legum expoſitores dicuntur, in hoc tantùm ſunt recipiendi, ubi nihil perverſum, nihil eis ſenſere contrarium. Eodem ſpiritu, quo dictante & lex prima per Moyſem data eſt, & per Chriſtum ſecunda, ſancta Apoſtolica ſedes leges, quas Canones appellamus, dedit, & ipſo inſpirante expoſuit. Si quis igitur Apoſtolicæ ſedi, quæ leges Canonum dedit, in Canonum expoſitione contrarium ſentit, non ſapit quicumque eſt ille, ſed deſipit: & quia ſuo ſpiritu loquitur, non cultor, vel expoſitor divinæ legis, ſed inſidiator & oppreſſor indubitanter agnoſcitur. Olim Carnotenſis Eccleſia boves & oves, vel quæcumque Eccleſiarum prædæ ſi caperentur, reddi aut H recredi faciebat, aut ſtatim in rapinarum auctores ultionem Eccleſiaſticam exercebat. Nunc autem Eccleſia Dei quinquagenaria poſſeſſione ſine ultione privatur, & vocatur ad iudicium, quæ ſine iudicio & vocatione, ſeu qualibet reclamatione exſpoliata dinoſcitur. Hoc ſanctus Euſebius non docuit, cuius ſententia minus ſapientis, quàm ipſe fuit, expoſitione non indiget, qui exſpoliatum ad iudicium vocari penitus interdixit. Et beatiſſimus doctor & martyr Cyprianus dicit, rem manifeſtam non dilatione conſilij, vel diſceptatione debere differri. Et Damaſus Papa exſpoliatis, quæ antè poſſidebant, priùs ex integro reddi, & poſtea reſpondere præcepit. Qui exſpoliato, quæ antè poſſidebat, primitus reddi, & eum poſtea reſpondere admonuit, præpoſterum ordinem in Eccleſia fieri non permiſit: ut videlicet priùs ad iudicium vocaretur exſpoliatus, & poſt iudicium inueſtiretur. Hinc ex Africano Cōcilio, *Si quis abſens exſpoliatus eſt, quicquid & à qualibet perſona ablatum fuerit, ſine omni dilatione*

reddatur

A *redditur*. Qui omnem dilationem prohibuit, exſpoliatum ad iudicium vocari non permiſit: cùm ipſa iudicij vocatio ſine dilatione fieri non poſſit. Ego ſiquidem abſens exſpoliatus fui: ſed me priuata cauſa nonabſentauerat, ſed domini Papæ obedientia. De exſpoliatis ſanctorum patrum plures ſententias protuliſſem, niſi timerem paginam facere longiorem. Vnum tamen propono, quod expono: Eccleſiaſticum ſcilicet rigorem immutari poſſe malignitate odiorum. Valde dura, & pertinax eſt indignatio, quæ aut culpabilem humiliter culpam agnoſcere, aut inculpabilem ſe rationabiliter excuſare non patitur. Hoc per maximè ab illis fit, qui aliorum humilitate ſuperbiunt, & dominatione, non miſeratione gloriantur. Cariſſime pater & domine, per primæ regenerationis, & per monaſticæ religionis ſacramentum veterem exuiſſe hominem, & induiſſe nouum me profiteor, ſed poſteà veteris veſtigia ſecutus, nouum offendiſſe me non diffiteor. **B** Nam contra vitæ merita ordinatus Leuita, deinceps verò, non quidem ſapientiæ doctrina. Abbas factus, & Romæ presbyter conſecratus, in ſancto & ſacro ordine de mea minus quàm debui: & de aliorum ſollicitus fui. Me miſerum, me infelicem prorſus confiteor. In hoc tamen miſeratio diuina me ſeruauit, quòd neque Eccleſiarum, neque Eccleſiaſticorum honorum occultus fui vel publicus emptor. Nulla ratione ab illa arbore volo euelli, immo deſiderio deſidero eius radicem colere, & illius qualiſcumque ramulus fieri, quam à parte cæleſti plantatam cognouero. Si ille timendus eſt, ille cauendus, quod bene dixiſtis, qui per pacis imaginem decipit: ille valde diligendus eſt, & honorandus, qui per caritatis veritatem dilexit: nec ſua tantùm ei, quem amicum credebat, in ſua neceſſitate exhibuit: ſed etiam per ſemetipſum magna humilitate ſeruiuit. Qui debita etiam inimico Eccleſiaſticæ æquitatis auxilia memorauit, ſeruitia ſibi exhibita cum magnæ dilectionis obſequio ſilere non debuit. Tutius eſt enim aliorum beneficia publicare, quàm **C** ſua: ne fortè in præſenti ſæculo recipiat mercedem, quam recipere debuerat in futuro. Qui bene vigilauit & vigilat, vt meliùs vigilet, admoneri debet. Nam qui bonus eſt, admonendus eſt vt melior fiat. Qui tamen aliquando bene vigilauit, etiam quando voluit, obdormiuit: & qui voluntariè ſubuenit, iterum quando voluit, ſubuenire diſtulit. Ducentas etenim libratas, præter amiſſas poſſeſſiones, & conſuetudines rebus noſtris violenter impreſſas, in veſtro Epiſcopatu, veſtro in tempore, nobis apud vos conquerentibus, monaſterium noſtrum perdidit: vnde poſtea quod valeret ſolidos ſexaginta, recuperare non potuit. Nec vos idcirco pulſatum aliunde vel coactum exiſtimo, ſi dominus Papa apud reverentiam veſtram Apoſtolicæ ſedis iniuriam depoſuit, quam ſilere non debui, nec ſilebo: & quam ipſe per ſemetipſum iuſtè vindicare potuiſſet, & adhuc ſi neceſſarium fuerit, Deo auxiliante, vindicabit. Ille inquam, vehementer eſt ingratus gratiæ Romanæ Eccleſiæ, ſi ei obedire **D** diſſimulat, pro quo ipſa cenſuram iuſtitiæ quaſi ignorare voluit: & eum reſpexit ſolo intuitu miſericordiæ. Nec bene ſeruat Romano pontifici iuratum fidelitatis ſacramentum, qui ſuum ei auferre machinatur alodium. Si legatus Apoſtolicæ ſedis, ſicut ſcripſiſtis, ne nobis faceretis iuſtitiam, præcepit, contra conſtitutionem Dei, & domini Papæ præceptionem fecit, & in ſeipſum ſuam ipſius ſagittam retorſit, dum poteſtati, pro qua ſibi obeditur, obedire prohibuit. Nam cùm adverſus poteſtatem, qua ſibi præcipere conceditur, præcepit, præcipiendi poteſtatem amiſit. Priuilegium enim, quo quiſque vtitur, meretur amittere, qui ſibi conceſſa abutitur poteſtate. Ille veraciter ſibi conceſſa poteſtate abutitur, qui occaſione legationis Romani Pontificis contra Romanum Pontificem agere conatur: ſed dum contra torrentem brachia erigit, fruſtra fatigatur. Et Angelo quidem male contigit, qui Deo æquari voluit: & Legato, qui **E** ipſo Pontifice Romano maior videri concupiſcit, malè continget: qui dum plus fieri appetit, quam Apoſtolicus, apoſtaticus fiet. Et quoniam, ſicut dicitur, in ipſo præceſſit quædam elatio reprimenda, vt videlicet de domino Papa, cariſſimo patre noſtro, cum quodam Epiſcopo, quem Romana Eccleſia creauit ex nihilo perverſè loqueretur, ab Eccleſia Dei reſpuendus eſſet & deteſtandus: vt vel ſic poſſet agnoſcere, quam graue ſit in eum qui ſoli cœlo innocentiam debet, os ponere. Nouit præterea veſtra dilectio, quid magiſtro debeatis, & quid diſcipulo. Nam ſecundum ſaluatoris teſtimonium, *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*: neque Apoſtolus maior eo, qui miſit illum. Si verò pro domini Papæ obedientia mihi iniuria redditur, lætor non mediocriter & delector pro tanto domino iniuriari, pro quo non ſolùm quamlibet iniuriam ſuſtinere, ſed etiam pro ipſo crucem portare paratus ſum: à cuius ſancta obediẽtia & fidelitate nemo vnquam viuum **F** vel mortuum me poterit ſeparare. Cum Niuelone non cauſam agendam apud Carnotum, ſed terminum audientiæ de inueſtitura, veſtro conſilio inductus, non noſtra ductus voluntate ſuſcepi: quod totum occaſione veſtra credidi & credo præteriiſſe. Nam dum adhuc apud Bonamuallem eſſem vobiſcum, dixiſtis, quòd Carnotum me minimè conducere poteratis, & ideo vtile, immo neceſſarium erat, vt terminum mutaretis, & locum, ſicut feciſtis. Per Hugonem etenim Decanum veſtrum mihi poſtea mandaſtis, ne termino inter me & Niuelonem ſtatuto Carnotum venirem, quia ibi adeſſe non poſſetis. Præterea per fratres noſtros Paganum, & Galterium vſque ad Rogationes vos ad partes noſtras venturum ſignificaſtis, vbi ſecurè & certo die de inueſtitura tractaremus, & interim Niuelonem, vt nos inueſtiret, rogaretis. Expectauimus quidem terminum: ſed neque vos, neque aliquem ex parte veſtra vidimus: & adhuc exſpoliati; & multiplicis dilationis pondere prægrauati, vt inueſtiamur, & domini Papæ præceptum obſeruetur, diligenter rogamus. Alioquin cum Naboth Iſraëlita, & plebe Iſraë**G**litica aduocatum de cœlo, vt nobis ſubueniat, implotamus.

EPISTOLA XXXI.

Dilecto Patri & domino, Goffrido honorabilis vitæ Epiſcopo, frater Goffridus puræ dilectionis affectum pariter & effectum.

NEſcio cuius ſuggeſtione & conſilio mihi ſæpius dixiſti in hoc anno, quòd Eccleſiæ veſtræ non tollerem quod habuit, & habere debet in monaſterio noſtro. Et ego vobis iam dixi, & ſcripto præſenti adhuc dico, quòd Eccleſiæ veſtræ quicquam tollere nec poſſum, nec volo: immo illam, & in tempore veſtro maximè, diligere & honorare toto corde deſidero, ſi malignitas inuidorum permiſerit, ſi non ampliùs, non tamen minùs, quàm quilibet prædeceſſorum noſtrorum ante me fecerit. Et quicquid Eccleſia veſtra in **H** creatione monaſterij noſtri ſibi in ipſo reſeruavit, vel deinceps iuſtè & regulariter habuiſſe dinoſcitur, nõ cõtradico, ſed concedo, & quamdiu vixero, velint nolint angeli diſcordiarum, diligenter obſeruabo. Iniuſtum eſt enim & impium, quod iuſta & pia diſpoſitione bonorum prædeceſſorum veſtrorum, & fundatorum monaſterij noſtri factum, & per ipſos inretractabili Apoſtolicæ ſedis auctoritate firmatum nouimus, violare. Ea quæ ab anteceſſoribus veſtris nobis ſunt ſcripta, vobis Andegauis monſtrare volui: ſed vos non habuiſtis ſpatium videndi. Ibi enim præcepta & priuilegia iam per tres annos reſeruantur, propter ſuperfluitates aquarũ, quæ armaria noſtra, quæ ſunt Vindocini, adeo inundauerunt & aquoſa reliquerunt, quòd ex parte libri noſtri, qui ibi fuerant, perierunt. Et quoniam ad præſens partim corporis infirmitates

partim

A partim monaſterij neceſſitate detentus, Vindocinum fortaſſis venire non potero, rogo ſuppliciter, ut domnum Bernardum, & domnum Rainardum, vel eorum alterum ad nos mittatis, & ego eum à Vindocino uſque Andegavim conduci faciam, & ad vos reduci, qui noſtra videat ſcripta, & ad vos, ſi placet, reportet tranſcripta. Vobis iterum, ſi quæſieritis, quando Vindocinum venerimus, ea libenter monſtrabimus. Ibi, Deo auxiliante, videbitis, unde reprimi debeat importuna loquacitas æmulorum, qui ſuorum ventoſitate verborum, tempeſtatem ſuſcitare conantur in tranquilla mente bonorum.

EPISTOLA XXXII.

B *Dulciſſimo domino & amicorum præcipuo, Goffrido venerabilis vitæ Epiſcopo, frater Goffridus dictus Abbas, & omnis congregatio Vindocinenſis monaſterij, quod poſſunt, quod ſapiunt, & ſeipſos.*

BEne, immo optimè, cariſſime Pater, de iuſtitia nobis facienda præcepit veſtra dilectio, ſed quod bene præceptum eſt, non eſt bene ſervatum. Theobaldus enim de Gravia homines excommunicatos, quos ſuos eſſe negabat, ſecum habet ad menſam, & in ſervitio ſuo: quod noverunt multi, & fortaſſis domnus Decanus non ignorat. Præter iſta & multa alia damna, domnus Ioannes filius Comitis Vindocinenſis, & cum eo quidam vavaſſores milites de Caſtro Vindocini, quandam optimam Obedientiam noſtram adeo deprædati ſunt, & devaſtaverunt, quòd neceſſe eſt monachos, qui eam inhabitabant, & cultores eius diſcedere, eámque in ſolitudinem redigi. C Hoc novit domnus Decanus veſter: Locutus eſt inde cum Comite, noſtra ammonitione. Sed Comes nihil penitus fecit quod nobis ſit utile. Vnde dilectioni veſtræ humiliter ſupplicamus, ut quod contra nos actum eſt, & quotidie peſſimè agitur, ſic corrigatis, quatenus malefactores noſtri, parrochiani veſtri, & ablata nobis reſtituant, & quietos deinceps nos eſſe permittant. Bone & pie domine, tot & tantas preſſuras, tribulationes, & anguſtias à Vindocinenſibus hominibus nobis illatas, quarum etiam partem præſentibus Comite & hominibus eius, vobis diximus, ultra ſuſtinere ulla ratione non poſſumus. Inter cætera, quæ contra nos eorum intolerabilis rabies egit, homines Beati Martini, & Sancti Launomari captos & ligatos nuper in unam de Obedientiis noſtris adduxerunt: & ibi eos, quamdiu placuit, tormentaverunt. Rapuerunt quæ erant in domo: & monachorum clauſtra carcerem fecerunt captivorum. Hac itaque nimia & inaudita neceſſitate cogente, dominus D Papa a nobis requirendus eſt. Cuius auctoritate & conſilio oportebit nos aut mutare locum, aut in loco, quæ decet monachos, quietem habere.

Horum alterum neceſſarium imminet:
vel nos ab invicem ſeparari,
& ad alia monaſteria
tranſmigrare.

***

E

GOFFRIDI
ABBATIS VINDOCINENSIS EPISTOLARVM
LIBER TERTIVS.

EPISTOLA I.

F *Goffrido Andegavenſium Epiſcopo, domino ſuo & amico, Goffridus Vindocinenſis monaſterij indignus miniſter, ſalutem.*

LITERAS veſtras accepi: quibus nullo modo credidiſſem, niſi eas ſigillatas ſigillo veſtro vidiſſem. Ibi enim dicitur, vos electioni Petri Bellilocenſis conſenſiſſe: & ideo nunc neceſſe habetis, ut eum in Abbatem conſecretis. Quod ſi ita eſt, parvitatis noſtræ conſilio ſuper hoc amplius non indigetis, quippe quia rem iam factam habetis. Tamen ſi placet & bonum vobis videtur, ut ad hoc me expectare dignemini, termino, quo mandaveritis, ad vos veniam: & quicquid melius conſulere vobis potero, minime diſſimulabo. Vnum tamen vobis celare nec poſſum, nec debeo: quòd eum Guillelmo communionem habuerit & habet excommunicato noſtro. Quem quia res Eccleſiæ noſtræ ſubtraxerat, & fratri ſuo contulerat, in quantum fas eſt, & Eccleſiaſtica cenſura G exigit, excommunicavi. Quod Petrus idem non ignorat. Valete, & quod ſecundum Deum de eius promotione facere poteſtis, hoc facite.

EPISTOLA II.

Rainaldo Andegavorum Epiſcopo, domino ſuo & præcordiali amico, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, ſalutem, & in adverſitate conſtantiam.

SI ſcripturæ ſacræ firmiter credimus, ſcimus veraciter Epiſcopum non eſſe, qui timet exilium, dolorem, vel mortem, aut qui ea, quæ ſunt his contraria, æquitati anteponit. Nolite igitur in defenſione ſanctæ Eccleſiæ deficere: nolite conſiliis eorum, qui carnaliter vivere volunt, aurem cordis inclinare: nolite à H via iuſtitiæ pedem retrahere, ne incidatis in Satanæ muſcipulam, in qua capiatur anima veſtra, vbi pereat, & ſine fine, quod Deus abnuat, torqueatur. Propterea verendum vobis eſt, ne de incepta iuſtitia in conſpectu hominum vileſcatis: quod utique fiet, ſi defeceritis. Defectione veſtra Eccleſia Dei, quæ caſta & libera vobis commiſſa dinoſcitur, meretrix efficietur & ancilla. Si autem conſtanter egeritis, ſi inceptam iuſtè iuſtitiam optimo fine conſummaveritis, totius fortitudinis & ſanctitatis exemplum relinquetis veſtris ſucceſſoribus, & gloria & pax vobis erit, & Eccleſiæ veſtræ dilectioni commiſſæ caſtitas multiplicabitur & libertas. Si quis verò amore pecuniæ, ſuæ vel cuiuſlibet rei occaſione, vobis ſuggerit ut deficiatis, dicite ſibi: *Si quis eſt Domini, iungatur mihi:* & quia eſurientes & ſitientes pecuniam, minimè iuſti ſunt apud Deum, ſed qui diligunt iuſtitiam & odio habent iniquitatem, iſti ſatiabuntur. Ego ſum ille, certiſſime credatis, qui anxietates & tribulationes veſtras meas facio affectu compaſſionis: & adverſariis Eccleſiæ Dei

Exo. 32. 26.

A vobiſcum reſiſtere opto, etiam ſi neceſſe fuerit uſque ad effuſionem ſanguinis.

EPISTOLA III.

Rainaldo excellentiſſimo Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, ſalutem cum puræ dilectionis affectu.

VIr vitæ venerabilis Archidiaconus veſter Hubertus, qui vos multum diligit, nec me multum, ut arbitror, odit, de veſtro honore, & noſtra utilitate ſollicitus, cum audit quæ nos à mutua caritate debeant ſeparare, ſtatim aut per ſe, aut per nuncios ſuos omnem culpam in animam meam transfundit, adeo B me increpans, quòd verbera verborum ſuorum vix ſuſtinere valeo patienter. Noviſſime autem diebus iſtis ita gladio oris ſui viſcera mea penetravit, quòd in eis nihil pene ſanitatis reliquit. Aſſerit ſibi dictum, neſcio à vobis, vel a quo de veſtris, me in Concilio, non quidem manifeſtè, ſed in abſcondito, contra pacem & ſalutem veſtram fuiſſe locutum. Si vos dicitis, verba veſtra refellere non audeo, quia Epiſcopus eſtis. Alter verò quicumque ſuper hoc ſe fecerit aſſertorem, veniat palam, & ſuæ falſitatis me inveniet veridicum correctorem. Contra magnitudinem veſtram, ſicut dixi, proferre quicquam nec poſſum, nec debeo. Sed unum tamen firmiter teneo, quòd in legibus criminoſum habetur, amicum cauſari immeritò: illum præſertim, qui eos qui ſe diligunt colere novit valde feliciter: & cui ſemper verecundum extitit de æmulis C ſuis quicquam ſuggerere latenter. Valete.

EPISTOLA IV.

Rainaldo magno & glorioſo Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, puræ dilectionis affectum.

QVidam ſervus Eccleſiæ noſtræ, quem propter ſacrilegium quod fecerat, à ſervitio noſtro diu removeramus, quæſtionem quandam ſiniſtra admiratione digniſſimam nobis propoſuit, poſtquam à vobis receſſimus. De duobus viris loquebatur, quorum unus monachus, alter Epiſcopus dicebatur. Epiſcopus ad locum monachi veniens, cum ipſo hoſpitari voluit: quem monachus cum gaudio & honore ſuſcepit: nec ſua tantum, verùm etiam ſeipſum in Epiſcopi ſervitium tota dilectione exhibuit. Monachus Epiſcopum ibi diutius manere voluiſſet, ſi Epiſcopus conſenſiſſet. Ille receſſit, recedenti monachus unum de famulis ſuis aſſociavit, qui ſibi, quamdiu voluit, ſervien- D tis explevit officium. Epiſcopus cum famulo locutus, cœpit ab ipſo innocentis hoſpitis vitam non approbando, prout dignum fuerat, ſed reprobando inquietare: & quibus poterat verbis, vas caritate plenum conabatur incruſtare. Quibus auditis, reſpondimus hoc eſſe novum ſceleris genus, & in novi ſceleris facto, maiorum neceſſe erat uti conſilio. Vnde vos præcipuè interrogare volumus, & quid ſuper hoc ſentiat veſtra magnitudo, audire deſideramus. Noſtræ autem parvitati videtur, quòd non erat omnino Epiſcopus, qui tantæ pravitatis ſectabatur opus. Nec circa proximum ſe diligenter habebat, poſt cuius cibos tam nequiter eructabat.

***

E

EPISTOLA V.

Rainaldo egregio Andegavorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij qualiſcumque ſervus: humilitatem, patientiam, ac benignitatem diligere, & ea quæ ſunt his contraria odio habere.

MAgiſtra ſcripturarum auctoritate didicimus, Præſul in Chriſto cariſſime, nullum Chriſtianum debere, multo minus igitur Domini ſacerdotem, malum pro malo reddere, vel qualibet occaſione proprias iniurias vindicare. Cùm itaque reddere malum pro malo, & ſuam vindicare iniuriam ſit periculoſum, malum pro bono reddere, vel diligenti ſe proximo ſine cauſa iniurias irrogare, minimè dubitatur damnoſum. Hæc idcirco, vir venerabilis, propoſuimus, ut F ſi in altero horum, vel, quod eſt gravius, in utroque peccavimus, peccatum non erubeſcamus corrigere, quod utiliter vitare debuimus. Divina gratia magis, quam noſtris meritis, Dei Eccleſiæ prælati ſumus. Quòd ſi in tanta poſiti dignitate alter alterum odio habens delinquimus, non ſolum noſtras lampades non illuminamus, verum etiam aliorum ardentes ſiniſtræ operationis exemplo extinguimus. Cúmque trabem portamus in oculo noſtro, feſtucam conſiderare non poſſumus in alieno. Si quando bona quæ novimus, hominibus loquimur, non ſequuntur verba, quæ audiunt, ſed ſola quæ conſpiciunt exempla pravitatis imitantur. Pronior eſt enim ad imitationem mali humana fragilitas: quæ ſi noſtris moribus, quod abſit, deſtruitur, eius ſanguis nobis à Domino requiretur. Quapropter non odibiliter nobis agendum eſt, dilectiſſime, quos magis prodeſſe quam præeſſe decet, & de reddenda ratione animarum noſtræ fidei commiſſa- G rum plurimùm eſſe ſollicitos. Et quoniam ſanctitatis nomen & ordinem accepimus, cæcos illuminare, non eos qui vident, excæcare debemus, dum nos invicem, quod criminaliter peccare eſt, odio & linguæ gladio proſequimur, pro luce tenebras mundo relinquentes, populum, qui per ſe nimium, ut diximus, pronus eſt ad peccatum, cum periculo animarum noſtrarum ad peccandum amplius incitamus. Certè in minimis dominum gravius exacerbamus peccatis, quam populus faciat in ſummis. Nam penè tanta diſtantia eſt inter peccatum paſtoris, & peccatum populi, quanta diſtantia fuit inter peccatum Angeli, & peccatum protoplaſti. Vnde veraciter dictum eſt, quod maiori reatu ab eo delinquitur, qui potiori honore perfruitur: & graviora facit vitia peccatorum ſublimitas dignitatum. Non ergo nos pigeat alterum alteri humiliari, quia ſcriptum eſt: *Quanto magnus es, humilia* H *Eccl. 3.* *te in omnibus.* Et qui ſe ampliùs humiliaverit, illum Deus promiſit, qui neminem decipit, ampliùs exaltari. Si alter de altero victoriam habere deſiderat, illam quæ ſecundum Deum, non quæ ſecundum diabolum eſſe dinoſcitur, victoriam quærat. Humilitate, patientia, benignitate vincere, victoria Dei eſt, ſuperbia, impatientia, ac malignitate ſuperare, victoria diaboli. Ex his duobus timeamus quod damnat: & quod coronat totis viſceribus amplectamur, & ad caritatem quæ operit multitudinem peccatorum, quidquid ab illa ſeparat contemnentes, revertamur: ſine qua cæteras virtutes habere damnabile eſt, & cum qua non habere alias veniale.

***

by Google

A

EPISTOLA VI.

Rainaldo honorabilis vitæ Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij miniſter indignus quod amanti patri deuotus filius, & bono domino fidelis ſeruus.

NOverit bonitas veſtra, Pater optime, ſeruum ſeruorum veſtrotum Andegavim ſuper equam veniſſe, nec dedignatus eſt Andegavim venire ſuper equam, qui nouit Saluatorem ſuum, & omnium, Hieruſalem veniſſe ſuper aſinam. Sibi quidem non magna facultas veniendi inerat, vel voluntas: ſed traxit illum Epiſtolæ veſtræ formoſitas, quem aſperitas temporis retinere B non potuit, vel quælibet ſua neceſſitas. Venit itaque, & multùm fatigatus venit. Quid mirum? qui indeſinentes pluuiarum inundationes, ac paludum repercuſſiones ſæpius vſque ad oculos ipſos ſuſtinuit. Valete: & tantus labor, quem, vt æſtimo, veſtrum facitis compaſſionis affectu, quanta ſit requie dignus, conſiderate.

EPISTOLA VII.

Rainaldo vitæ laudabilis Epiſcopo, domino cariſſimo & cordiali amico, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſeruus, ex aduerſo diligenter aſcendere, & pro domo Iſraël fideliter murum opponere.

PAter dilectiſſime, fama vociferante ſiniſtra audiuimus, Comitem veſtrum ſanctam Eccleſiam precioſo Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine à diaboli C ſeruitute redemptam, iugo ſeruitutis iterum velle ſubiicere: & honorabilium principum veneratione, quam & in veteri, & in noua lege circa Domini templum olim habere ſtuduerunt, contempta, matri, quæ ſpiritualiter eum genuit, nouis & execrandis conſuetudinibus chartam libertatis, propriis manibus Saluatoris ſcriptam pariter & ſigillatam, conatur auferre. Vnde ſi ita eſt, immo quia ita eſſe, ingemiſcimus, oportet vos Chriſtianæ legis auctoritate munitū ſimul & munitum, eius temerarios conatus, quibus membra Chriſti perſequitur, adnullare: & quod in eo ad iniuriam vniuerſalis matris fidelium nimium creuit, lima canonicæ diſcretionis amputare. Si verò, quod abſit, ſponſam Domini liberam, quā ipſe veſtræ fidei, tanquam matrem ſuam B. Ioanni cuſtodiendam commiſit, ancillam fieri videritis, & tacueritis, quam debuiſſetis mortuam ſuſcitare, diuinæ legis & iuſtitiæ iure ſepeliens, illam penitus extinxiſtis. Nullam vtique Chriſtianum gregem, multo minùs igitur gregis D paſtorem, decet Chriſti legem & iuſtitiam, quæ mortuos viuificant, tanquam mortuum ſepelire; ſed hunc ſpecialiter oportet, vt iuſtitiæ veritatem prædicans, Dei legem non ſileat: & quidquid ſanctæ Eccleſiæ libertatem impugnare conſpexerit, iudicio & veritate Sancti ſpiritus ſtudeat expugnare. Plurima vobis ſcripſiſſemus de præſenti materia, ſi Abbatis eſſet officium exacerbare Principem: & præſumptuoſum non videretur Pontificem edocere. Exacerbatio tamen culpabilis non probatur, & eſt venialis illa præſumptio, quæ odio iniquitatis & æquitatis amore g neratur.

Valete.

***

Ioan. 10. 27.

E

EPISTOLA VIII.

Dilectiſſimo domino & amico, domno Rainaldo venerabili Andegauorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſeruus, veraciter & ſimpliciter in omnibus agere.

CAlumniam, quam Abbas B. Nicolai in monachum ſuum abſentem quidem, ſed quem ipſe abſentauerat, protulerit, audiuimus, & quia crimen ſacrilegij, ſeductionis, & monaſterij ſui diſſipationem in eum intenderit, quoniam præſentes eramus, ignorare non poſſumus. Ad cuius obiecta monachus, quia laicus eſt, non Latina, quam non didicit, lingua, ſed materna reſpondet, & dicit, in hoc tantummodo ſe eſſe culpabilem, quòd Abbati, vt ſe abſentaret, præcipienti obediuit. De cætero autem, ſicut in hoc ſolùm ſe fatetur eſſe culpabilem, ita ſe inculpabilem F non refugit in curia veſtra oſtendere, & ſeductum potiùs, quàm ſeductorem fuiſſe. Quod ſi verum eſt, immo quia verum eſſe iam ex parte cognouimus, Abbas contra nos nec indignari rationabiliter, nec iuſtè de nobis conqueri potuit, ſi veritatis cauſam ſuſtinemus. Cum enim Chriſtus ſit veritas, ſi in Chriſto manere volumus, neceſſe eſt, vt in veritate maneamus, & pro veritate etiam vſque ad mortem, ſi opus fuerit, decertemus. Quod prædictus Abbas iam dictum monachum admonet, vt ad ſe reuertatur, & eum, quem ſine cauſa publicè criminatus eſt, ſub poteſtate ſua eſſe conatur, hoc canonica ratio prohibet, non præcipit, nec monaſtica religio cogit. Abſit enim vt religio monaſtica canonicæ veritati inueniatur contraria. In decretis ſanctiſſimi Felicis Papæ prioris legitur, quod tamen in Nicæna Synodo longè ante conſtitutum fuiſſe reperitur, quòd ſi quiſlibet impetitur crimine, nulla detentionis cuſtodia teneatur, ſed liceat ei G in omnibus liberam habere poteſtatem, ad repellenda videlicet impetitorum machinamenta, & præparandas ſuas reſponſiones, atque amicorum quærenda iuuamina, donec, aut conuincatur reus, aut liberetur innoxius. Quòd ſi aliter à quoquam præſumptum fuerit, ſecundum ſanctorum inſtituta Canonum nihil erit, & viribus omnino carebit.

EPISTOLA IX.

Domno Rainaldo laudabilis vitæ Epiſcopo, cariſſimo domino & præcordiali amico, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſeruus, ſalutem, cum puræ dilectionis affectu.

MAndaſtis, dilectiſſime domine, per fratrem noſtrum Robertum, vt domnus Sauaricus ad Abbatem Lambertum reuertatur. Quod licet à vobis bona intentione dicatur, ſalua tamen veſtræ paternitatis H reuerentia, hoc dicimus inuſitatum: & in toto corpore Canonum non inuenitur, vt quilibet ſub illius manere debeat poteſtate, à quo de crimine accuſatur. Non vos, cariſſime Pater, docere præſumimus, à quo meliùs doceri & poſſumus, & optamus. Et quoniam cognouimus vobis placere, vt prædictus frater faciat quod mandaſtis, ipſe veſtræ voluntati non refugit obedire. Hoc autem, quod ſatis iuſtum & canonicum poteſt videri, nec ſibi vlla canonica ratione debet negari, à dulcedine veſtræ pietatis depoſcit, & nos cum illo depoſcimus, quatenus auctoritatis veſtræ præcepto, ſic in monaſterio ſuo maneat, ne quolibet genere damnationis vel detentionis opprimatur, donec præſentem habeat accuſatorem, locumque defendendi accipiat conuenientem, quo blaſphemiam repellere valeat criminoſam. Quòd ſi iā dictus Abbas ſe exſpoliatū dicit, vtique non mentitur: & vtinam exſpoliatorem ſuum quāto grauiùs poſſet, impugnaret, perſequeretur,

modis omnibus infamaret : quia ſic in foveam, quam paravit proximo, primus incideret, ipſe enim ſe expoliavit. Nam ubi apud ſublimiorem perſonam accuſavit ſubiectum, quod ſuum erat, alterius poteſtatis fecit. Si iterum ab eo, ad quem iugulandum de vagina mortalis infamiæ eduxit gladium, obedientiam exigit, deſipit domnus Abbas ille, aut inſanit, & apoſtatæ Angeli perverſitate nititur, qui hominibus ſuggerit, ut ſibi obediant, quos ad mortem ille perſequitur. Pater optime, non eſt tutum male aſtuto paſtori obedire, qui iam de executione iniunctæ diſcipulo obedientis argumentum aſſumpſit contra diſcipulum criminoſæ accuſationis. Præcepit enim paſtor ille crudeliter aſtutus ovi ſimplici, ut ſe quaſi inter fruteta abſconderet, quatenus nullo reclamante eam lupina conſuetudine criminando devoraret. Paſtor ille bonus Evangelicus laſſam ovem vexiſſe legitur, non abiecisse : & quam damnatam invenit, liberavit, non liberam condemnavit. Valete, & valeat nobis apud vos magnæ diſcretionis pater, æquitatis cenſura, decepti monachi innocentia, qua vos diligimus, cordis noſtri ſinceritas, & ſi unquam bene aliquid de vobis promeruit, noſtra humilitas.

EPISTOLA X.

Rainaldo Andegavenſi Epiſcopo, quem in Deum diligit, frater Goffridus purum eiuſdem dilectionis effectum.

PRiori noſtro & domno Hamelino dixiſtis, quòd adverſarius adverſariorum noſtrorum Romam iviſtis. Præterea habebatis diſpoſitum, quòd centum libratas Eccleſiæ noſtræ daretis, quia bene vobis ſervieram : ſed poſtea bonæ intentionis animum commutaſtis, quia contra vos multùm peccaveram. Servitium quidem ſcio : peccatum neſcio. Nec mirum: quoniam huiuſmodi peccatum in charta diaboli non invenitur, Deus illud non odit, nec per eo damnatur anima, nec pœnitentiam agit. Hoc forſitan, quòd benè & ſæpè ſervivi, peccatum mihi adſcribitur: & ſic malum pro bono, & odium pro dilectione mea retribuitur. Hanc utique retributionem Deus non docet, ſed prohibet, & qui illam ſectatur, diabolum in malitia ſuperare conatur. Iuſtiùs enim iudicare diabolus videtur, quàm ille, cùm diabolus ſic agat quòd tantummodò mala pro malis, ille verò mala pro bonis retribuat. Ego ſiquidem pro ſervitiis meis nullum aliud præmium, niſi dilectionem veſtram quæſivi, vel quæro : quam quidam indignè citò inveniunt, & quidam ſatis quidem digne eam promerentur, ſed aut nunquam conſequuntur, aut ſubitò perdunt. Hoc autem dico, Deus ſcit, non amaro animo, & ſi vobis non diſplicet, quod minime diſplicere debet, detur mihi audientia : & quod dictum eſt vera propoſitione probabo.

EPISTOLA XI.

Rainaldo prudenti & multiplici genere pecuniarum ſublimi, frater Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, Chriſtianam legem diligenter obſervare, & neminem pro aſſertione veritatis odio habere.

DOmino H. fratri noſtro dixiſtis, me vobis in electione veſtra fuiſſe infeſtum. Sic magnitudini veſtræ loqui placuit, meæ tamen parvitati ſatis diſplicuit, quod Canonum regulis, & ſanctorum conſtitutionibus patrum ibi novi eſſe contrarium. Nam ubi vidi unicum & ſingulare ſanctæ Eccleſiæ oſtium claudi, & aliud aliunde, per quod qui intrant, fures ſunt & latrones, oſtium aperiri, Apoſtolicam vel ſingulari doctrinam, ſanctum Evangelium penitus contemni, ſi in his placuiſſet, Chriſti ſervus non eſſem, ſed diaboli. At mihi ſoli ſicut arbitror, pro crimine non debet adſcribi, quod Stephano Decano veſtro, & perſonis, quæ affuerunt, poteſt potiùs imputari. Omnes utique contradixerunt illam, quam veſtram fuiſſe dicitis electionem, & reprobaverunt. Nec immeritò, nam illis invitis & non petentibus, arreptus fuiſtis à vulgo : & quod ibi factum eſt, hoc præſumptuoſa & pernicioſa fecit ſeditio. Nos autem quæ vidimus & audivimus, nec poſſumus, nec debemus non loqui. In illa ſiquidem actione, immo vulgi conſpiratione, quam pro electione reputatis, lex velut inter arma ſiluit : vox divina locum non habuit. Totum ibi levitas vindicavit & vanitas : ubi mima quædam & mulier publica, quæ vos garruliter acclamabat, ampliùs potuit, quam plebis maturitas, vel clericalis honeſtas potuerit. Hinc Ildebertus vir religioſus, qui poſt Metropolitanum in provincia primus erat Epiſcopus, non tacuit : qui à veſtra conſecratione, licet a ſuo Metropolitano vocatus, ſeipſum abſentavit, & execrationem eſſe potiùs, quam conſecrationem, Apoſtolica & Evangelica veritate prædicavit. Bonus Mauricius, quem veſtrum prædeceſſorem fuiſſe gloriamini, beato eligente Martino, & præſignante Spiritu ſancto electus eſt & conſecratus. Vos autem vulgo furente, & ſpreta canonica electione eſtis creatus. Fruſtra utique de bono prædeceſſore gloriatur, qui ſortem electionis & bonitatis, quam ille ſortitus eſt, non ſortitur. Nam & alterius bonitas ei, qui in crimine manet, nullatenus ſuffragatur : & Epiſcopus ſine canonica electione, eſt quaſi arbor ſine radice. Arbor autem quæ radicem non habet, etiam ſi folia habeat, fructum ferre nullatenus valet. Ad huiuſmodi arborem Chriſtus quidem acceſſit, & cùm ibi fructum non inveniſſet, eam maledixit. Tota utique ordinatio Epiſcopi in ſola electione conſiſtit, & conſecratione, ſi tamen illam electio recta præceſſerit. Hæc autem priùs per ſemetipſum fecit Chriſtus : deinde verò vicarij eius. Et in Apoſtolis quidem à Chriſto facta ſunt, quoniam ab ipſo electi & conſecrati fuerunt : in aliis verò omnibus, à nullis aliis fieri licet, niſi à vicariis, Chriſti ; ſunt autem vicarij Chriſti clerici in electione, Epiſcopi in conſecratione. Cæteri omnes petere quidem Epiſcopum poſſunt : eligere verò vel conſecrare non poſſunt. Quicumque igitur alio modo, quaſi ſub nomine Pontificis, Eccleſiam vel poteſtatem Eccleſiaſticam ſibi vindicare præſumit, hic iam non per oſtium intrat, ſed aliunde aſcendit : ut meritò non inter Epiſcopos computetur, ſed inter fures & latrones connumeretur. Inveſtituram, quam de manu laici accepiſtis per paſtoralem virgam, ſilere non debeo, nec loqui ſine dolore, quod ad maiorem iniuriam ſanctæ Eccleſiæ in occulto factum non fuit, ſed publicè. Qui autem cognoſcere voluerit, quid Catholica & Apoſtolica Eccleſia de inveſtitura ſenſerit, quid docuerit, quid iudicaverit & conſtituerit, legat in primo capitulo illius Concilij, quod tempore Gregorij ſeptimi Papæ factum eſt. Et ibi omnes clericos, qui de manu laici inveſtituram ſuſcipiunt, hæreticos vocatos, & ideo damnatos eſſe & excommunicatos inveniet. Licet enim alia hæreſis de inveſtitura dicatur, alia Simoniaca : iſta tamen quæ de inveſtitura dicitur, contra ſanctam Eccleſiam fortius iaculatur. Ibi enim in primis omnis Eccleſiaſticus ordo confunditur, quando hoc quod unicuique à ſuo conſecratore in Eccleſia cum orationibus, quæ ibi conveniunt, dari debet, à ſæculari poteſtate priùs accipitur. Quod ſancti Apoſtoli non ſolum interdixerunt: verùm etiam omnes illos, qui per ſæcularem poteſtatem Eccleſiam obtinent, à Chriſto ſibi tradita poteſtate damnaverunt. Et meritò Apoſtoli iudicio Spiritus ſancti hanc hæreſim in Eccleſiæ principio damnare decreverunt, quam longo poſt tempore ex patre diabolo naſcituram eſſe prævidetunt. Cùm igitur laico & inveſtitura, & omnis etiam

A diſponendarum Eccleſiaſticarum rerum facultas à Spiritu ſancto, qui in Apoſtolis loquebatur, negata ſit penitus & interdicta, qui inveſtituram à laico ſuſcepit, non iam contra Apoſtolos tantum, immo contra dominum Apoſtolorum, quod ſanctum eſt canibus exponit. Inveſtitura enim, de qua loquimur, ſacramentum eſt, id eſt, ſacrum ſignum, quo princeps Eccleſiæ, Epiſcopus ſcilicet, à cæteris hominibus ſecernitur pariter atque dinoſcitur: & quo ſupra Chriſtianum gregem cura paſtoralis ei tribuitur. Hanc inveſtituram ab illo ſolo ſuſcipere debet, à quo & conſecrationem habet. Illum ſiquidem prius oportet conſecrari; deinde verò tanquam ducem Eccleſiæ ſacris inſignibus decorari. Si quis autem cuilibet ſæculari poteſtati iſta licere putat, errat. Quòd ſi defendere nititur; Apoſtolorum doctrinam, & ſancti Spiritus ſenſum adnullare deſideras, unde hæreticus eſſe nullatenus dubitatur. Hæc præterea hæreſis de inveſtitura, ſi recte perſpiciatur, etiam hæreſis Simoniaca eſſe, viva & vera ratione probatur. Nam quæ ſæcularis
B poteſtas ſibi vindicare nititur inveſtituram, niſi ut per hoc, aut pecuniam extorqueat, aut, quod eſt gravius, ſibi inordinatè ſubiectam efficiat pontificis perſonam? Nullus eſt utique laicorum, etiam ſi ei liceret, qui tanta intentione anulum, vel virgam dare deſideret, niſi per hæc, quæ ſunt ſacramenta Eccleſiæ, temporalibus lucris inhiaret. Laicis quidem ſacramenta ab Eccleſia ſuſcipere licet, non Eccleſiæ quælibet ſacramenta dare, anulus autem & virga, quando ab illis dantur, à quibus dari debent, & quando, & ubi, & quomodo debent; ſacramenta Eccleſiæ ſunt: ſicut ſal, & aqua, & quædam alia, ſine quibus hominum & Eccleſiarum conſecrationes fieri non poſſunt. Semper laicus de inveſtitura, ut diximus, aut pecuniam ſibi vindicat; aut quod eſt amplius, Epiſcopi vel Abbatis perſonam. Hac utique non tam humana quàm diabolica malignitate Eccleſia Catholicam fidem, libertatem & caſtitatem amittit, ſine quibus nulla ratione ſubſiſtit. Hæc etenim tria ſemper
C Eccleſia habere debet: quorum vel ſi unum defuerit, velut paralytica iacet: nec ligandi, nec ſoluendi poteſtatem habet. Hanc igitur quicumque ſub ſpecie paſtoris ſuſcipere præſumit, fit paralyticus, & hæretica lepra pollutus. Illum non paſtorem fiducialiter dico, nec illius paſtoris, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, quodlibet membrum, ſed fur & latro, & lupus eſt, nam ad hoc venit ut furetur, & rapiat & mactet. Hanc autem deteſtabilem impietatem non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt ei, damnati ſunt. Ille verò conſentit, qui eam tacet, qui eam non corrigit, & qui ei palàm non contradicit. Et nemo eſt qui contradicere palàm non debeat, & poſſit. Nam ſi prælati non habet auctoritatem, habet tamen Chriſtiani vocem: & ſcriptura dicit, & neminem excipit: ***Maledictus eſt, qui prohibet gladium à ſanguine,*** (Hier. 48.) id eſt, vocem ſuam ab increpatione peccati. Illud
D etiam factum meminerit, quòd aſina fatuum prophetam olim correxerit. Quòd ſi fuerit vitioſus, vel quolibet alio crimine infamis factus, non ideo ſilere debet: quoniam unicuique peccatori communem Eccleſiæ fidem, quam ſuam eſſe credit & confitetur, defendere, & contra eius aduerſarios liberè pugnare licet. Nam illi duo, qui in paſſione Domini crucifixi ſunt cum eo, omnino infames erant: nam publici latrones: quorum unus non tantùm quia credidit, ſed quia ſuæ fidei veritatem contra alterum defendere cœpit, bonum illud & delectabile verbum à Salvatore noſtro audire meruit. *Hodie*, ſcilicet, ***mecum eris in paradiſo.*** Vnde in latrone illo maximè declaratum agnoſcitur, quod defenſio fidei paradiſum pariter & cum Chriſto eſſe meretur. Hæc pauca de multis, quæ forſitan oblivioni tradidiſtis, veſtræ ſublimitati dignum duxi ad memoriam revocare: ut unde & quomodo ſumpſiſtis Epiſcopi nomen, vobis ulteriùs non liceat ignorare. Illa verò ſileo, quæ dominus Papa no-

E vit & indulſit: quia meum non eſt retractare quod ipſe fecit. Vitam enim veſtram nullo genere religionis approbatam noverat, & vos infra annos eſſe, & nullum penitus ordinem habere fortaſſis audierat. Priùs quidem ordines accipere contempſiſtis, ut vobis liceret ea liberius exercere, quæ minime licent ad animæ ſalutem. Omnes poſtmodum ordines, ſed ſine ordine, quia in octo diebus, & non certis temporibus accepiſtis propter Epiſcopatus ambitionem. Vnde vera propoſitione probatur, quòd eos amore gloriæ temporalis accepiſtis, non Chriſti caritate. Quicumque tamen ſacramentis Eccleſiæ cæmento caritatis non iungitur, iniuriam quidem Eccleſiæ facit, ſed quaſi paries luteus diſſipatur: qui licet dealbari poſſit ad tempus, eius ſubita diſſolutione, qui ante confidebant in eo, premuntur. Hac igitur ſimilitudine rectè colligitur, quòd qui ad iniuriam ſanctæ Eccleſiæ eccleſiaſticum ordinem & maxime Pontificatum aſſequitur, ſuam deſtructionem in primis, deinde populi mortem operatur. Et tunc Eccleſia iniuriam pariter
F ſuſtinet & verecundiam; quando in eligendo pontifice canonica perit electio, & quod ordinato ſoli debetur, datur inordinato, & qui non vocatus à Deo præponitur, ſed violenter intruſus à vulgo. Gravius nihil eſt apud Chriſtum Eccleſiæ iniuria: cuius ſacramenta qui perverſe ſuſcipiunt, cum Chriſto eſſe, vel prodeſſe non poſſunt. Cum Chriſto etenim ſimul eſſe, & contra Chriſtum facere, nemo poteſt, cùm ipſe dicat, *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* (Luc. 11.) Qui autem cum Chriſto non eſt, nec ſibi prodeſſe, nec aliis poteſt, cùm ipſe iterum aſſerat, *Qui non colligit mecum, diſpergit.* (Ibid.) Et alibi dicit, *Sine me nihil poteſtis facere.* (Ioan. 15.) Hæc idcirco veſtræ dilectioni ſcripſi, quia ſaluo ordine noſtro, pacem vobiſcum feci: & ſalvum noſtrum non feciſſem ordinem, ſi hanc vobis veritatem tacuiſſem. Valete: & non quæ veſtra ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quærite & diligite.

EPISTOLA XII.

G *Domno Vlgerio venerabili Andegavenſi Epiſcopo, frater Goffridus dictus Abbas ſalutem & dilectionem in Chriſto.*

MIhi dictum eſt, quòd in ſynodo veſtra de me querimoniam feciſtis. Sed miror ſi ita eſt: non enim bonitatem veſtram offendi in aliquo. Si monaſterium noſtrum alodium B. Petri, & patrimonium, de his quæ multo tempore pacificè poſſederat, & Apoſtolica auctoritate ſibi firmata ſunt, ſine iudicio & audientia exſpoliaſtis; in hoc me peccare vel peccaſſe non credo. Si ſanctorum Romanorum Pontificum privilegia vobis oblata ad videndum, videre noluiſtis; meritò culpari nec poſſum, nec debeo. Si Legatus Romanæ Eccleſiæ vobis præcepit, ut ſedis Apoſtolicæ privilegiis debitam reverentiam exhiberetis, & redderetis quod nobis abſtulerat veſtra ſublimitas, ſi neutrum obſervaſtis, inde noxam minimè contraxit noſtra hu-
H militas. Annuntiaſtis, ut dicitur, presbyteris veſtris, & perſonis Eccleſiæ veſtræ, quòd dominus Papa Vrbanus in Aruernenſi Concilio præceperat, ut Epiſcopi annuū cenſum habeant à monachis pro redemptione altariū. Benè novit prudentia veſtra, non eſſe bonū, quod Apoſtolica ſinceritate diſponitur, per cōtrarium prædicare. Bone Domine, vos illi non adfuiſtis Concilio, & ego interfui, qui huius rei cognoſco veritatē. Redemptionem Eccleſiarum, quæ vulgari vocabulo Altaria nuncupantur, beatus vir ille Simoniacam pravitatē vocavit, & Apoſtolica auctoritate damnavit. Illa tamen magica & Simoniaca pecunia, aliquando in triginta, aliquando verò in quadraginta, aliquando etiam in ſexaginta annis ſoluebatur Epiſcopis. Qui autem redēptionem altarium, quæ in pluribus annis non niſi ſemel per Vicarios fieri ſolebat, hæreſim vocavit, & condemnavit: ſub nomine annui cenſus pro redemptione

vicariorum, ſive altarium, annuam pecuniam extorquere dedocuit, non præcepit: imò omnia quæcumque Abbates & monachi in Eccleſiis ſub redemptione Vicariorum tenuerant, ut quietè deinceps, & ſine cuiuſlibet exactione pecuniæ poſſiderent, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate firmavit. Nam ſi in pluribus annis non niſi ſemel, ut dictum eſt, per Vicarios pecunia pro altaribus dabatur Epiſcopis, & pecuniam ipſam Apoſtolica auctoritate probatum ſit Simoniam eſſe: ſingulis annis Epiſcopis pro vicariis altarium pecuniam dare, quid eſt aliud, quàm pro plurimorum annorum Simonia, per annos ſingulos, ſub nomine annui cenſus, annuam Simoniam exercere? Non eſt hoc doctrina Chriſtianæ fidei, ſed exactio peſſima, quæ Simoniam multiplicat, & ſanctæ Eccleſiæ violat caſtitatem. Pecunia itaque pro Eccleſiis ſub palliata cupiditate extorta, quæ redemptio altarium dicitur, ab Apoſtolica ſede damnata, ſive per Vicarios rariùs, ſive pro vicariis frequentiùs, ſub qualicumque nomine vel occaſione extorqueatur, Simoniaca pravitas eſſe nulla ratione dubitatur, illa tamen gravior, quæ ſæpius agitur. Quapropter illam ſpecialiter Chriſtianus Catholicus vitare, & Epiſcopus maximè deteſtari debet, ne fiat noviſſimus error peior priore. Semel, bis & ter, imò multipliciter vos rogavi & monui, & adhuc humilitate qua debeo & poſſum diligenter rogo & moneo, ut quæ nobis abſtuliſtis, non differat reddere veſtra magnitudo. Alioquin, quia veſtra gravamina fratres noſtri diutiùs portare non poſſunt, ipſi & nos cum ipſis Romanam Eccleſiam appellamus, licet eam & Legatos ſuos vos ſæpe contempſiſſe minimè dubitemus. Et ne ulterius de decreto Vicariorum dubitetis, illud vobis tranſcriptum mittimus. Vale.

EPISTOLA XIII.

Ildeberto venerabili Cenomannorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij inutilis ſervus, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare, ſed rectam viam tenere.

SI eos, qui ſunt Domini, ut vobis iungantur, quæritis, ecce nos paratos habetis. Abrahæ etiam filios nos eſſe confitemur, & eius opera facere deſideramus; qui in die Domini ſtare in prælio, & noſmetipſos murum opponere pro domo Iſraël nullatenus formidamus, ubi tutus vel competens fuerit locus. Turonum verò nec poſſumus nec debemus, & vos illuc tendere penitus diſſuademus. Ibi enim congregabuntur omnes factores Rainaldi, furore ac ſeditione potiùs, quàm ratione vobiſcum agere parati. Putat etiam ille, qui vos illuc vocavit, aut iuſtitiam veſtram turbæ importuno clamore faciliùs ibi pervertere: aut vos, ut eius dementiæ conſentiatis, quod abſit prece vel pretio flectere. Bene quidem incepiſtis, quoniam pro libertate ſanctæ Eccleſiæ contra eius adverſarios viriliter vos erexiſtis. Vnde Deo, & Dei amicis vos magis carum reddidiſtis, & famam nominis veſtri per hoc non mediocriter dilataſtis. Grande per omnia vobis decus extiterit, ſi conſtanter egeritis: ſed grande dedecus, ſi defeceritis. Valete: & quia contra Rainaldum & eius auctores vobiſcum erimus, veraciter credite. Vſque ad Caſtrum Ledæ, vel uſque ad Carcerem ſexta feria dignemini accedere: ubi de hoc & de aliis invicem loqui poſſimus & conferre.

***

EPISTOLA XIV.

Ildeberto beatæ vitæ Epiſcopo cariſſimo domino ſuo & amico, Goffridus Vindocinenſis monaſterij qualiſcumque ſervus, dilectionem & dilectionis ſervitutem.

QVoniam illicitæ electioni non conſenſiſtis, bonitati veſtræ gratias refero: quod mecum nemo facere recuſat, qui Deum diligit corde perfecto. Pro captione Redonenſis Epiſcopi fama noſtra minui nullatenus debet, nec in aliquo lædi. Non enim per me hoc actum eſt: neque etiam ſciebam, quòd ab illis, à quibus captus eſt, deberet capi. Inimici mei me in hoc habent ſuſpectum, quem ſuæ pravitati ſemper ſenſere contrarium. Et quia factis mihi nocere nequeunt, hoc verbis mendacibus facere moliuntur, & cupiunt. Quorum venenoſa verba, Deum teſtor, nec timeo, nec unquam timui: quibus, me Chriſto protegente, velint nolint, quamdiu vixero, ero timori. Ego tamen quod mihi laudando mandaſtis, libenter facio: nec aliquando à conſilio veſtro deviabo, de cuius dilectione dubitare nec poſſum, nec debeo.

EPISTOLA XV.

Ildeberto Cenomannorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij miniſter indignus, diligere iuſtitiam, & odio habere iniquitatem.

MVltotiens apud vos conqueſti, adhuc conquerimur de Comitiſſa Vindocinenſi, quæ nobis Eccleſiam de Saviniaco, & omnia quæ ibi habebamus, tam mobilia quàm immobilia, nobis iniuſtè abſtulit, & violenter ſemper detinuit. Annonam noſtram, quæ in ipſa Eccleſia in arcis habebatur, arcis ipſis fractis rapuit, & impiis, quos ſecum habebat, diſtribuit. Archipreſbyter veſter quaſi ex veſtra parte nobis dixit, ut in curiam veſtram iremus, & de his omnibus ſubiremus iudicium. Quod magis ab ipſo inventum eſſe credidimus, quàm à vobis mandatum: cùm nec iuſtum nec canonicum eſſe videatur, ut quiſquam rebus expoliatus, antequam inveſtiatur, iudicetur. Nec in hoc vos docere præſumimus, à quo ſemper doceri deſideramus. In curiam etiam veſtram libenter veniſſemus, ſi conductum poſſemus habere, quem à prædicto clerico veſtro quæſivimus. Plures enim ſuſtinemus inimicos, non quia velimus quæ ſua ſunt auferre, ſed quia nolumus eis conferre quæ poſſidemus. Olricus de ſancto Karileffo, & milites ſui, multum de noſtro nobis abſtulerunt: unde vos eis divinum officium interdixiſſe audivimus. Sed quomodo poſtea fuerint abſoluti, ignoramus: quia de his quæ perdidimus, nihil penitus recuperare potuimus. Hoc etiam, ſalua veſtra reverentia, veraciter dicimus, quòd poſtquam, ut credimus, diſponente Deo Epiſcopus factus eſtis, in Epiſcopatu veſtro pluſquam ducentas libratas amiſimus, nec deinceps quod viginti ſolidos valeat per iuſtitiam veſtram conſecuti ſumus. Hoc tamen non aliter quàm vobis ſerviendo, & vos diligendo peccavimus. Sed forſitan ita amicos veſtros beare noſtis, quod ſi ita eſt, novum genus beatitudinis inveniſtis. Hac ſiquidem beatitudine nec vos, nec amicos noſtros beare didicimus, nec ſic à vobis beari deſideramus. Valete, &, quoniam meliora ſunt vulnera diligentis, quàm obedientis oſcula fraudulenta, ad mentem revocate. *Luc. 13.*

***

ed by Google

A

EPISTOLA XVI.

Ildeberto Cenomannorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſeruus ſalutem.

IVſtitiam in curia veſtra obtulit nobis, & adhuc offert Comitiſſa, ſicut ipſe mandaſtis. Qua de re viſum eſt, quòd eius iniuſtitiam magna ex parte defenditis, cùm neutrum verum ſit, niſi quia vos hoc verum eſſe perhibetis. Nondum enim vidimus vel audivimus aliquem ex parte Comitiſſæ illius nobis iuſtitiam offerentem. Hoc tantùm novimus, quòd Archipresbyter veſter Petrus ex parte veſtra nuntiavit, quòd de illa nobis iuſtitiam faceretis: ſed ubi vel quando aut ignoravit dicere, aut noluit. Quòd conductum quæſivimus multum miramini, & certè vehementer mirandum eſſet, ſi non potiùs veſtræ debilitati imputari poſſet, quàm noſtræ formidini. Quis etenim poteſt in Epiſcopatu veſtro non timere vobis epiſcopante? Vos vidimus parrochianos veſtros metu devitare, & fugere velut hoſtes, puduitque videre. Si miramini, hoc utique mirari poteſtis, quòd nuſquam ſecurus præſumit cuiquam ſecuritatem promittere. Non tunc perſonis noſtris, ſed equitaturis timebamus & famulis: de quibus ſi aliquod damnum incurriſſemus, non plus iuſtitiæ per vos nos habituros crediſſemus, quam de noſtris aliis rebus habuimus. Mandaſtis, ut ſi in aliquo nobis defuiſtis, determinate vobis ſcriberemus, & ſupplere paratus eratis. In hoc prudenter eſtis locutus, ſi dicta factis non evacuatis. In quibus autem nobis defuiſtis, iuxta rei veritatem meliùs determinare non poſſumus, quam ſi fateamur in omnibus, de quibus vos nunc uſque rogavimus. Et idcirco vos tanquam promiſſionis & propoſiti, quod ſemel & iterum in capitulo noſtro feciſtis, oblitum miramur, & mirando dolemus. Hoc etiam tam ſubitò à memoria veſtra excidiſſe non debuiſſet, cùm quondam de Sigebranno apud Comitem clamorem facturus Vindocinum veniſſetis, quòd Comitem & Comitiſſam contra nos pro vobis ad iram concitavimus, eorum inimicitias incurrere pro amore veſtro minimè recuſantes. Tunc propter vos offendimus Comitiſſam, de qua, & propter quam nunc, ſed immeritò, diſtuliſtis nobis, & adhuc differtis iuſtitiam. In libro Canonum de Grato Epiſcopo mentionem factam audivimus, ſed quis fuerit ipſe, penitus ignoramus. Ingratus verò Epiſcopus quis ſit, vel unde ſit, quid valeat, qualiter vivat, ipſo ſeipſum revelante, occultare non poſſumus. Si vos quoquo modo gravat quod diximus, non nobis, ſed vobis imputetis, qui prius contra nos indiſciplinata verba profudiſtis, non quidem æquitatis cenſura, ſed amore mulieris. Domine Epiſcope, meminiſſe debuiſſetis, quoniam multùm vos diliximus, multum vobis ſervivimus, multùm in futuro ſervituri erimus. Bene, in quantum potuimus, vobis cantavimus, & ut nobis ſaltaretis, expectabamus. Sed dum expectaremus, quatenus iuxta cantilenam noſtram ſaltum ipſe daretis, amaritudines quaſdam ſub ironica locutione conſcriptas, contra nos direxiſtis. Nunc vos erga nos veraciter agnovimus pigrum, contra nos factis & dictis velocem & pronum. Vnde fraternitate qua coniungimur vos rogamus, & rogando monemus, ut quod minus iuſtitiæ & dilectionis noſtro & veſtro monaſterio exhibuiſtis, ſub celeritate emendare curetis. Non eſt nobis neceſſarium, nec vobis utile, propter iniuſtam iam dictæ fœminæ cauſam, à caritate, qua vos pure ſemper diliximus, ſeparari. De illa ſiquidem iuſtitiam accipere in curia veſtra parati fuimus, & ſumus, & apud Montem aureum, vel apud Carcerem, ſeu apud Seuſam ob hoc vobis obviam ibimus. Cenomannum verò ire nec poſſumus, nec volumus, quia vos gravare timemus: & olim nobis mandaſtis, ne ad vos

B

C

D

cum turba famulorum veniremus. Sed credite mihi, non tam mirum extitit, ſi ibi, ubi nemo tutus eſſe poteſt, quæſivimus conductum, quàm mirandum foret, ſi tam longa terræ ſpatia tranſiſſemus ſine conſortio famulorum. Hilgoto & Vulgrino, de quibus nobis ſcripſiſtis, iuſtitiam exequi volumus, & ab ipſis idem accipere deſideramus. Valete. Ioannem cæmentarium monachum noſtrum, quem vobiſcum habetis, propter iniquitatem ſuam à nobis excommunicatum indubitanter agnoſcite.

E

EPISTOLA XVII.

Ildeberto bona vita Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſeruus, ſalutem.

HAmelinum de Monte aureo propter mala quæ nobis fecerat, à vobis & à Legato Romanæ Eccleſiæ excommunicatum, nulla tamen nobis facta ſatisfactione abſolutum audivimus, & ſcimus. Vnde bonitati veſtræ diligenter ſupplicamus, ut aut ea quæ nobis abſtulit ſub celeritate reſtituat, aut excommunicationi, quam evaſiſſe illicitè videtur, iterum ſubiaceat: ne quod in eum à vobis, & à Vicario ſedis Apoſtolicæ actum dignoſcitur, irritum fiat.

F

EPISTOLA XVIII.

Ildeberto vita laudabilis Epiſcopo, ſuo in Chriſto dilecto patri, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervorum minimus, beatè vivere ſemper, nec omni ſpiritui credere.

DIdiciſtis, ſicut nobis mandaſtis, quòd propterea clerici veſtri H. prohibitam ſibi communionem reddiderunt, quia fratres noſtri iuſtitiam de eo recipere noluerunt. Hoc fratres veridica voce ſe feciſſe abnegant: & quòd nec iuſtitia, nec iuſtitiæ faciendæ ſecuritas eis oblata fuerit, affirmant. Et ideo ſalua veſtra pace dicimus, quòd gravat nos, vos talia didiciſſe; contriſtat nos, vos talia mandaſſe: conturbat nos funditus, vos in his clericis veſtris credidiſſe, quæ & nobis noſtra differendo auferunt, & canonicis regulis contraria prorſus exiſtunt. Habetur enim, ut ipſe meliùs noſtris, in decretis patrum ſancitum, quatenus iudices Eccleſiæ ſummopere caveant, ne abſente eo, cuius cauſa ventilatur, ſententiam proferant. Et ſicut accuſatum, eo abſente, non ſtatim ſequitur pœna damnationis: ita excommunicatus vel interdictus, eo reclamante, qui eius iniuriam ſuſtinuit, conſequi non debet remedium abſolutionis. Quæ cùm ita ſint, miramur vehementer, qua ratione H. abſolutus dicitur, contra quem iniuriæ noſtræ adhuc clamant, & adhuc queruntur. Nec illud minus eſt mirandum, ſi quis illum conatur abſoluere, vel abſolutum iam habet, quem Romana Eccleſia vinculo excommunicationis tenet ligatum. Nec ſub nomine iuſtitiæ, quam obtuliſſe fertur, abſolui iure debuerat, vel induciari. Nam qui ſemel ab Eccleſia iuſſu Epiſcopi eiicitur, non iam contentione, ſeu qualibet occaſione reconciliari permittitur, ſed ſatisfactione. Hoc in Toletano Concilio ſic fuiſſe definitum, à vobis, ut credimus non ignoratur. Hæc clericis dicta ſufficiant, qui ſi bene Deum timuiſſent, eius iuſtitiam utroque pede claudicare minimè feciſſent. Veſtræ autem religioni, optime Præſul, tota devotione ſupplicamus, ut querimoniæ noſtræ finem imponatis, & iuſtitiæ viciatæ à clericis ſtatum erigere diutius non differatis.

Valete: & nobis ſervis veſtris, ne ſic omnia in diœceſi veſtra perdamus periclitante iuſtitia, pro Dei amore ſuccurrite.

G

H

A

EPISTOLA XIX.

Domino ſuo & amico, Ildeberto venerabili Cenomannenſium Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, cum dilectione reverentiam.

VItæ venerabilis Præſul, cùm Turonis vos & nos eſſemus, dixiſtis, quòd de Comitiſſa Vindocinenſi in uno de diebus Paſchalis hebdomadæ nobis iuſtitiam faceretis, ipſumque diem nobis antè ſignificare promiſiſtis. Et quia aut noluiſtis facere, aut fortaſſis oblivioni tradidiſtis, adhuc veſtræ dilectioni ſupplicamus, diu deſideratam iuſtitiam, & promiſſum
B iuſtitiæ diem diligenter requirentes. Valete, & feſtinanter atque veraciter voluntatem veſtram nobis reſcribite.

EPISTOLA XX.

Ildeberto vita laudabilis Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij qualiſcumque ſervus, ſalutem cum pura dilectionis obſequio.

FOrmatæ & formoſæ litteræ prudentiæ veſtræ ad nos uſque venerunt, quæ & mentem noſtram pro cauſa quam noſtis non mediocriter perturbatam modulatione ſuæ cytharæ mitigaverunt: & quibus oculus noſter penitus obtundebatur, manu ſuæ lenitatis lachrymas deterſerunt. Et quia nobis optimè cantare nunc tandem incepiſtis, ſi perſeveraveritis uſque in finem negotij, nos non ingratos ſaltatores habebitis.

C

EPISTOLA XXI.

Ildeberto prudenti ac ſimplici Cenomannorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, ſalutem cum pura dilectionis obſequio.

COmitiſſa Vindocinenſis, licet modò aliud dicat, Eccleſiam Saviniacenſem, & quidquid monaſterio noſtro abſtulerat, nobis reddidit in præſentia Cardinalis. Quod humilitas noſtra comprobare minimè recuſaſſet, ſi Romanæ Eccleſiæ teſtimonium non præceſſiſſet: cuius teſtimonio aliquid addere temerarium eſt, & contradicere criminoſum. Vnde cavendum eſt vobis, venerande Præſul, ne fœmina decipiat veſtram ſimplicitatem, & compellat vos agere contra Romanam Eccleſiam veſtram matrem. Vſitatus eſt valde ad decipiendum ſexus fœmineus. Sexus enim
D iſte ſua ſuaſione decepit hominem primum, ſuaque interrogatione circumſcripſit Apoſtolum Petrum. Illum ad prævaricandum impulit: hunc compulit ad negandum. Hic itaque ſexus more ancillæ oſtiariæ gerens officium, omnes quos illicit, aut excludit à vita, ſicut Petrum à Chriſto, aut includit in mortem, ſicut Adam in paradiſo. Hæc idcirco veſtræ dilectioni ſcripſimus, quatenus de ruinis aliorum cautelæ melioris vobis ſumatis exemplum. Quòd ſi magis ruina placet quàm cautela, & retractare velitis quod fecit Romana Eccleſia, licet inuiti & multùm coacti faciamus, Romanam audientiam, cuius roboramur auctoritate appellamus.

***

E

EPISTOLA XXII.

Ildeberto venerabili Cenomannorum Epiſcopo, Goffridus dictus Vindocinenſis Abbas, ſalutem & dilectionem.

TErmino quem ſignificaſtis, conſpectui veſtro præſentabimur, ſi interim vitam & ſanitatem nobis concesſerit Deus. Noſtræ tamen parvitati ſatis inconveniens eſſe videtur, quòd minus Vicario Romanæ Eccleſiæ credi debeat, quàm verbis Comitiſſæ, & propter ſexum femineum hominem tantæ auctoritatis habere ſuſpectum.

F

EPISTOLA XXIII.

Cariſſimo domino ſuo & viſcerali amico, Ildeberto venerabilis vitæ Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, quidquid poteſt obſequij & amoris.

QVia nobis quod promiſiſtis, minimè facere potuiſtis, vos apud nos, ſicut rogaſtis, excuſatum habemus. Nec propterea apud Deum vos accuſare poſſumus, vel debemus, apud quem ſi etiam in cæteris rebus illum offendiſtis, ſi non quantis debemus, ſaltem quibus poſſumus, orationibus excuſamus. De veſtra caritate & humilitate adhuc præſumentes, iterum ſuplicamus vobis ne noſtram petitionem, & veſtram promiſſionem ampliùs qualibet occaſione implere differatis, ſed veniatis Lavarzinum, quod optamus, facturus ſicut antè propoſuiſtis: & in qua hebdomada Iunij ieiunia ſitis celebraturus, nobis notificare
G curetis.

EPISTOLA XXIV.

Dilectiſſimo patri Ildeberto venerabili Cenomannorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, cum dilectione ſalutem.

SIgnificaſtis nobis Ioannem monachum Hieruſalem rediiſſe. Satis melius ſibi eſſet, in monaſterio ſuo bene vixiſſe. Non omnes qui terreſtrem Hieruſalem viderunt, ſed qui bene egerunt, Hieruſalem quæ in cælis eſt habere meruerunt. Quòd ad vos declinavit, nobis minimè diſplicuiſſet, ſi ad nos veniſſet priùs, ſicut debuiſſet. Quòd ex noſtra licentia eum requiritis vobiſcum habitare, non eſt hoc animæ ſuæ conſulere, ſed nocere. Monaſterio etenim ſuo, à quo per inobedientiam diſceſſit, regulari ſatisfactione reconciliari priùs debet, quàm veſtra ſit, vel alicuius Catholici, dignus communione. Veniat itaque ad monaſte-
H rium ſuum, & ſe minus perfectè egiſſe confiteatur, & de ſua imperfectione non pœnam, ſed medicinam conſequatur: & quicquid deinceps ſanctitas veſtra à nobis petierit, noſtra humilitas proſequetur. Non timeat ille venire: non trepidet, ubi non eſt timor, timore: vulneratum utique curare nos decet, non vulnera augmentare: quia Paſtor ſummus laſſam ovem portaſſe legitur, non abieciſſe, cuius infirmitati in tantum compaſſus eſt, ut infirmus ipſe fieri mallet, quàm eius infirmitatem pietatis remedio non ſanaret. Si verò nobis eum diligenter vocantibus non acquieſcit: ſi oblata ſibi & ſæpe exhibita paternæ dilectionis remedia refugit: ſi maternæ dulcedinis viſcera contemnit, eum ſicut ſacrilegum excommunicamus, donec regulariter ſatisfaciat, in quantum regula ipſa docet & præcipit.

Digitized by Google

A

EPISTOLA XXV.

Cariſſimo domino & amico, Ildeberto honorabili Cenomannorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij amicorum ſeruus, ſalutem & dilectionem.

IOannem cæmentarium eſſe monachum Eccleſiæ noſtræ, & ab ipſa Eccleſia ſæpius per inobedientiam receſſiſſe, firmiſſimè ſcitis, & nullatenus dubitatis. Eum tamen contra ſuæ profeſſionis fidem, & noſtram voluntatem diu retinuiſtis, & adhuc retinetis, illius, ut videtur, ſalutis contemptor, & veſtræ oblitus promiſſionis. Promiſiſtis enim, quando nouiſſimè nobiſcum locutus fuiſtis, quòd illum ad monaſterium ſuum B ſub celeritate remitteretis. Et quia nec à vobis miſſus, nec à ſua iniquitate permiſſus, nondum venire voluit, illum iam admonitum, iterum admonemus, & monendo rogamus, ut qui à nobis receſſit inobedienter, ad nos uſque ad proximam Dominicam veniat obediturus regulariter, & ſuſcipiendus miſericorditer. Quòd ſi qualibet occaſione diſtulerit, eum donec reſipiſcat, ita excommunicamus, ut nec communionem percipiat viuus, nec ſepulturam defunctus. Vobis autem, cariſſimo domino noſtro & amico, ſupplicando mandamus, ut quem veſtræ petitioni ad tempus conceſſimus, caritatis gratia, eum nobis diutius non deneget veſtra prudentia.

EPISTOLA XXVI.

Dilecto in Chriſto patri & domino Ildeberto Cenomannorum Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſeruus, veritatem diligere C *& quidquid eſt veritati contrarium odio habere.*

SAgitta, quæ quaſi à Turono contra nos miſſa eſt, ex qua pharetra proceſſit, ſatis cognouimus, non enim verſutias hominum ignoramus. Nulla ſiquidem ratione vel auctoritate vobis potuit prohiberi, ut bonum, quod gratia dilectionis penè centies promiſeratis, nobis debuiſſet negari. Defuit planè auctoritas: ſed ſi unquam affuit vobis, eſt immutata voluntas. Promiſſionem tamen veſtram veritatis effectus commendare debuiſſet, non qualibet impedire doloſitas. Illud etiam veſtræ bonitati nec debemus, nec poſſumus occultare, quod excellentiæ pontificali minimè videtur expedire, amicum ſcilicet incaſſum fatigare, & decipere credulum, qui ſe, ſuáque omnia commiſerat fidei veſtræ. Valete, & quod minus erga amicum, amicum dico non quemlibet, ſed vobis in omnibus D fidum, & contra illum ampliùs ſiniſtro conſilio feciſtis, ſicut vitare debuiſſetis, ita ſtudeatis corrigere.

EPISTOLA XXVII.

Ildeberto Cenomannorum Epiſcopo honorabilis vitæ viro, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſeruus, ubi non eſt timor non timere, nec qualibet ſuaſione minus Deo quàm hominibus obedire.

LItteras, quas Clerici Turonenſes vobis miſerunt, nobis miſiſtis, in quibus altitudinem ordinis veſtri ſubiectionis vinculis alligantes, mandauerunt, ne in caſtro Carceris apud Eccleſiam S. Nicolai cœmeterium faceretis. Hoc totum ad depreſſionem veſtræ dignitatis, & ad iniuriam Cenomannenſis Eccleſiæ dinoſcitur præſumptum: quia Epiſcopum in aliquo ſubiectum E Clericis nulla patitur regula ſcripturarum. Quo igitur adipe iniquitatis præſumpſerunt Epiſcopum ſibi inordinatè ſubiicere, quem in nullo, etiam ſi aliter egiſſet, redarguere debuiſſent, niſi diſſentiret à Catholica fide. Archiepiſcopus eorum magiſter ſi adeſſet, nulla diuina lege, quòd à vobis iuſtè fieri precabamur, potuiſſet prohibere: quòd ſi præſumpſiſſet, veſtrum non eſſet ei ſuper hoc obedire. Prælato quidem obediendum eſt: non tamen in omnibus, quæ ipſe ſuggerit: ſed in his tantùm, quæ Deus præcipit. Nam ſi quid contra conſtitutionem Dei, vel Patrum prælati præcipiunt, ſtatim auctoritatem præcipiendi amittunt: & in illa re nullatenus eſt eis obediendum: exemplo videlicet Apoſtolorum. Ipſi certè à bono Magiſtro formam acceperunt obedientiæ: in qua eis de Scribis & Phariſæis dictum eſt: *Quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite.* (*Mat. 23.*) Sed cùm illis præcipientibus, ne in nomine Ieſu F loquerentur, poſtea audierunt, quod ſibi ſub nomine obedientiæ fallaciter imperatum fuerat, ſapienter vitauerunt dicentes: *Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus.* (*Act. 5.*) Hanc lineam obedientiæ ſi tenere vobis placuiſſet, promiſſionem utique veſtram veritatis dedicaſſet effectus: & quid contra vos Archiepiſcopus propter hoc rationabiliter diceret, non haberet. Si verò contra doctrinam Apoſtolorum, quibus ipſe non eſt melior, ira, vel odio, ſeu qualibet mentis tempeſtate ſimplicitatem veſtram inquietare voluiſſet, Euangelicæ auctoritatis teſtimonia vobis eſſent in adiutorium, & contra illum iacularentur ad ſempiternum eius opprobrium. Litteræ, quas vobis ante iſtas miſimus, manſuetudinem veſtram aliquantulum turbaverunt, ſicut audivimus: unde eas miſiſſe nos pœnitet, fatemúrque erraſſe, ſed nimio labore fatigati, & immoderata ſpiritus agitati procella, contra tot reluctantium fluctuum impetus navem noſtræ rationis gubernare nequivimus. Valete, & bonum quod inordinato timore dimiſiſtis, caritate, quæ foras mittit timorem, perficite. G

EPISTOLA XXVIII.

Cariſſimo domino ſuo & præcordiali amico, Ildeberto vitæ laudabilis Epiſcopo, Frater Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſeruus, dilectionem, & totius dilectionis ſeruitutem.

NOſtis, dilectiſſime Pater, quòd monaſterium noſtrum patrimonium Beati Petri ſit, & eius alodium, & res ad ipſum pertinentes, ubicumque ſint, ſub Sanctæ Romanæ Eccleſiæ poſitæ ſint defenſione. Vnde benignæ paternitati veſtræ humiliter ſupplicamus, quatenus & pro Beati Petri dilectione, & pro noſtra humilitate de Petro de Caortiis, & de Caſtello in quo habitat, nobis iuſtitiam faciatis: qui quendam monachum noſtrum de equo ſuo proſtravit turpiter, H & ei unum ſeruum noſtrum & duos aſinos iniuſtè abſtulit, & adhuc eos detinet violenter. Valete.

EPISTOLA XXIX.

Domno Ildeberto honorabilis vitæ pontifici, cariſſimo domino & patri, Frater Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſeruus, quidquid poteſt mandari, & haberi ſalubrius.

NOverit, optime Pater, veſtra dilectio, Ioannem cæmentarium monachum noſtrum, qui noſtra licentia uſque hodie vobiſcum manſit, à nobis multotiens eſſe vocatum, ut ad nos veniret, & ſe quidem multotiens promiſit venturum, nec venit, timens

fortaſſe

fortaſſis ne rediret. Nunc autem à veſtra diſcretione noſtra humilitas eum repoſcit, quem pro veſtra neceſſitate vobis ad horam noſtra caritas commendavit. Quòd ſi uſque ad quintam feriam, niſi gravi corporis infirmitate detentus, ad nos non venerit, indubitanter agnoſcat, quia in eum faciemus, quod in illum fieri debet, qui & proprij loci deſeruit obedientiam, & ſuæ profeſſionis fidem irritam fecit.

EPISTOLA XXX.

Omnibus Epiſcopis, Abbatibus & univerſis Sanctæ Eccleſiæ filiis, præcipuè tamen Domno Ildeberto, diſcreto & venerabili Cenomannenſi Epiſcopo, Fr. Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, diligere quod Deus diligit, & odio habere quod odit.

IOannem cæmentarium monachum quidem, ſed non habentem caritatis cæmentum, quoniam proprij loci deſeruit obedientiam, & ſuæ profeſſionis fidem irritam fecit, & multotiens admonitus, & longo tempore exſpectatus, quod deliquerat emendare neglexit, & negligit, à nobis noveritis excommunicatum, & à corpore ſanctæ Eccleſiæ ſeparatum, in quantum regula ſancta docet & præcipit. Vnde omnes Chriſtianos in Chriſtum credentes, qui neminem extra Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ unitatem nouit, humiliter rogamus & obteſtamur, ut ab huius excommunicati conſortio ſe abſtineant, ne eius, quòd abſit, fœda & nimium ſordida participatione maculentur, & pereant. Memorato autem honorabili viro Cenomanenſi Epiſcopo diligenter ſupplicamus, ut non ſolùm à communione nequam illius, quem ei pro Eccleſiæ ſuæ neceſſitate ad horam commendauimus, ſe abſtineat, ſed, quod iam ſe facturum promiſit, nobis reddere ſtudeat commendatum.

EPISTOLA XXXI.

Rannulfo beatæ vitæ Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij inutilis ſeruus, & fratres ſibi commiſſi, cum dilectione reverentiam.

SAtis notum vobis eſſe ſcimus, quòd conſilio veſtro & admonitione, cum Eblone & eius uxore pacem fecerimus. Hoc etiam qualiter factum fuerit, vos minimè latere cognoſcimus: quem nimirum huius facti mediatorem pariter & laudatorem habuimus, & per cuius manum hoc ipſum fieri & firmari decrevimus. Hac conditione ſcilicet, & intentione, ut ſi quis in poſterum quod in veſtri præſentia factum fuerat violare præſumeret, veſtra auctoritate à ſancta Eccleſia alienus, donec reſipiſceret, haberetur: quod totum Eccleſiaſtica cenſura continere videtur. In ſacris enim Canonibus reperitur, ut qui rem quamlibet in præſentia Epiſcopi ſui iuſtè diſpoſitam quaſſare tentaverit, ſemel, ſecundóve commonitus, ſi emendare contempſerit, ab ipſo Epiſcopo excommunicetur, cuius præſentiam irritam facere præſumpſerit. Hinc itaque facilè advertere poteſtis, quid contra Ivetam & Iſembertum, & homines eorum agere debeatis. Eblo quidem, & nunc dicta eius uxor Iveta nobis per fidem promiſerant, & vobis & nobis obſides ſuper hoc tradiderunt, quòd Iſembertus eorum filius, qui aberat, concederet pacem, quam ipſi in manu veſtra firmauerunt. Quod quia facere diſtulit, adhuc differt, ei, & eius matri, quod dignum & iuſtum fuit, diuinum officium abſtuliſtis: & litteris veſtris nobis poſtea mandaſtis, ut de iuſtitia, quam inceperatis, nihil penitus dubitaremus: quod ad laudem veſtræ dignitatis in multis locis iam prædicaveramus. Sed quia nunc vos Ivetam abſoluiſſe, in qua mali ſumma tota conſiſtit, fama referente ſiniſtra audivimus, ſi ita eſt, non mediocriter admirari & poſſumus & debemus: quippe cùm de veſtra conſtantia, & iuſtitiæ integritate amplius dubitare potuerit nullus. Valete, & quod in cauſa noſtra minus iuſtitiæ peregiſtis, ſupplere rogamus vos non differatis. Non enim ingratis amicis adiutorium veſtrum, Deo ſuffragante, præbebitis.

EPISTOLA XXXII.

Rannulfo honorandæ vitæ Epiſcopo cariſſimo domino ſuo & præcordiali amico, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, ſalutem & reverentiam.

ILlud quod quaſi pro concordia Goffridus Tauniacenſis ſe nobis obtuliſſe aſſerit, nunquam mihi placuit, nec placet, nec in æternum placebit. Cæterùm quòd conſilio veſtro ſe ſatisfacturum nobis promittit, ſatis laudamus: ſed verendum vobis eſt, ne ſub hac humilitatis ſpecie ſimplicitatem veſtram decipiat: quod & nos non mediocriter formidamus. Rogamus igitur ſanctitatem veſtram, & rogando monemus, ne à vobis inducias habeat, niſi priùs vos bene ſecurum fecerit, quòd ſecundum domini Papæ decretum nobis ſatisfaciendo obediat.

EPISTOLA XXXIII.

Rannulfo venerabili Epiſcopo, Goffridus B. Petri alodiarius, prudenter & ſimpliciter in omnibus agere.

LItteras à vobis directas ſuſcepimus, quas veſtras eſſe minimè crediderimus, niſi eas ſigillo veſtro ſigillatas vidiſſemus. Ibi quidem continetur, vos de rebus monaſterij noſtri, alodij videlicet Beati Petri, diffinire cœpiſſe, & quibuſdam inſperatis adverſariis noſtris, nobis abſentibus, immo neſcientibus, diffinitionis diem dediſſe. Quod, ſalva pace veſtra, dicimus nec iuſtum fuiſſe, nec canonicum. In decretis utique Romanorum pontificum præcipitur, ne iudices Eccleſiæ ſententiam proferant, abſente eo, cuius cauſa ventilatur. Quòd ſi obiicitis, quia per fratres noſtros qui aderant nos monuiſtis: ad hæc, optime Præſul, non magis humiliter quàm veraciter reſpondemus: quoniam nec veſtrum erat, ſic nos per eos monere, nec eorum, quod ſapienter vitaverunt, hanc veſtram monitionem ſuſcipere. Monitio namque huiuſmodi, quod vos ignorare non credimus, non per eos qui impetuntur, ſed per eos qui impetunt, ſive per alios iudicis legatos debet fieri. Impetiti autem ſi legationem contra ſe ſuſciperent, quaſi cultrum, quo iugularentur, ſecum portarent. Si quis aliter ſentire voluerit, Eccleſiaſtica ſibi deerit auctoritas, & erit pro ratione voluntas. De vobis, cariſſime Pater, vehementer miramur, qui privilegia Romanæ Eccleſiæ, quæ habemus, & vidiſtis ſæpè & legiſtis: & hæc omnia, pro quibus adverſarij noſtri contra nos clamant, nodo Apoſtolicæ virtutis monaſterio noſtro indiſſolubiliter eſſe firmata, legendo inveniſtis. In quibus etiam ſcriptum ſcitis, ſi oblivioni non tradidiſtis, quia quidquid de rebus monaſterij noſtri ſine iudicio & voluntate Romani pontificis definitum, vel diſtractum fuerit, irritum manebit & vacuum, & qui definire tentaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate privabitur, ſpe recuperationis ſublata. Nos tamen, quia veſtri debitores caritate ſumus, reuerendo conſpectui veſtro tempore competenti diligenter præſentabimur: ibi de prædictis aduerſariis iuſtitiam accepturi, & executuri quantum debebimus. Tempus verò & diem per fratres, qui ad feſtum ſanctæ Trinitatis venerint, accepto cum eis conſilio, vobis mandabimus. Quòd ſi hæc diſplicent,

A quæ minimè diſplicere debent ; domini Papæ audien-
tiam appellamus : cuius gratia & auctoritate firmiter
ſtantes, neminem timemus, quem non diligimus. Va-
lete in Domino, Pater ſancte.

EPISTOLA XXXIV.

*Rannulfo Santonenſium venerabili Epiſcopo, do-
mino ſuo & præcordiali amico, Goffridus B. Pe-
tri alodiarius, æquitatem diligere, & odio
habere iniquitatem.*

TErminum quem mandaſtis gratanter ſuſcepimus:
ſi tamen interim ex integro, ſicut ius Eccleſiaſti-
cum exigit, inveſtiti fuerimus. In decretis enim Ro-
manorum Pontificum legimus, quòd nemo ad com-
B provincialem, ſive ad generalem Synodum vocari de-
bet, vel in aliquo iudicari exſpoliatus. Et ſi contra
hæc, vobis conſentiente, nos deinveſtire & exſpolia-
re quiſquam tentaverit, adverſus conſentientem pari-
ter & tentatoris præſumptionem, domini Papæ au-
dientiam appellamus, cuius ſpeciales filij ſumus. Va-
lete : & ne talia fieri permittatis, pro quibus intolera-
bilis labor vobis naſcatur, quod non optamus, opti-
me Præſul, providere debetis.

EPISTOLA XXXV.

*Rannulfo honeſtæ vitæ Epiſcopo, Goffridus eius
præcordialis amicus, conſtanter in
omnibus operari.*

IVdicium, quod vos & nos vobiſcum fecimus, ani-
C mos æmulorum noſtrorum vehementer commovit,
adeo, uti mihi relatum eſt, quòd ad eum, qui ſini-
ſtra ſemper graditur viâ, vox eorum rauca pervenerit.
Quorum latrantia ora veritate ſanctorum Canonum &
poteſtis Dei gratia, & debetis obſtruere, & in rebelles
illos cenſuram Eccleſiaſticæ diſciplinæ totis viribus
exercere : ut vel ſic cognoſcant quàm grave ſit epiſco-
po ſuo iuſtè iudicanti non obedire. Auctoritate nam
que Toletani Concilij illorum importuna lingua re-
frænatur, cùm dicitur : *Quia clericum ſive monachum
aut paterna devotio, aut ſpontanea devotio facit.* Quic-
quid horum fuerit, alligatum tenebit. Michaëlem ve-
rò, non dico obedientem Archangelum, ſed illum
inobedientem clericum, Antiochenum his verbis dam-
nat Concilium. *Si quiſlibet de Clero Epiſcopum pro-
prium, contempſ rit, vel ei obedire noluerit, hic omni-
no damnetur, nec ultra remedium conſequatur. Quòd ſi
Eccleſiam conturbare, vel ſollicitare niſitur, per poteſta-
tes exteras ut ſeditioſus opprimatur.* Iterum contra Ar-
chiepiſcopum, qui in parœcia veſtra, vobis inconſul-
D to, multa iam egit, & adhuc agere conatur, ex pha-
retra Iulij Papæ ſagitta dirigitur hoc modo : *Si quis
Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo
propriam pertinet parœciam, ſine conſilio & voluntate
omnium comprovincialium Epiſcoporum, aliquid agere in
provincia tentaverit, gradus ſui periculo ſubiacebit : &
quod egerit, irritum habeatur & vacuum.*

EPISTOLA XXXVI.

*Rannulfo Santonenſi Epiſcopo, & Petro Archidia-
cono, dominis ſuis cariſſimis & præcordialibus
amicis, Goffridus Abbas, licet indignus, ſa-
lutem & dilectionem.*

QVod Abbas ſancti Ioannis cum ſociis ſuis Ab-
batibus teſtificatur, placitum videlicet, quod in
præſentia veſtra facturi eramus, mea conceſſione ac E
conſilio, donec Hiſpania rediret, fuiſſe dilatum, ſci-
tote penitus à veritate eſſe alienum. Cæterum quòd
veſtro iudicio ſe nobis facturum iuſtitiam pollicetur,
amicus veſter qualiſcumque toto corde amplectitur, ſi
eius promiſſio actione firmetur. Ad vos tamen, ſicut
mandaſtis, ad præſens venire non potero, multo re-
rum dolore detentus, & inevitabili monaſterij noſtri
neceſſitate occupatus. Sed cum corporis infirmitas,
& monaſterij neceſſitas, Deo donante tranſierit, beni-
gno conſpectui veſtro ſervus veſtræ ſanctitatis præ-
ſentabitur, de prædicto Abbate tempore competenti
iuſtitiam accepturus, & quantùm debebit, diligenter
executurus. Si hæc refutatis, quæ canonicè minimè
refutare poteſtis, appello Romam, cuius fultus aucto-
ritate, nullius formido iniuriam.

EPISTOLA XXXVII. F

*Rannulfo Santonenſi Epiſcopo, Goffridus Vindoci-
nenſis monaſterij ſervus, non omni
vento agitari.*

FAma referente ſiniſtra, ad nos uſque pervenit,
quòd de inſula Flaici, de qua olim nos abſentes &
Romanam audientiam appellantes exinveſtiſtis, &
poſtea veſtro & clericorum veſtrorum iudicio reve-
ſtiſtis, nunc iterum nos deinveſtitos habetis. Si verum
eſt, vehementer miramur, unde tantam poteſtatem
accepiſtis, quòd res Eccleſiæ Romanæ deputatas,
de quibus nullus pontificum, niſi anathemate ſuſce-
pto, quicquam ſubtrahere vel diffinire conceditur,
ita leviter nobis auferre, & quibus volueritis, con-
ferre poſſitis. Altitudinem itaque veſtram monen-
do rogamus, & rogando monemus, ut iuxta præ-
ceptum Cardinalis, nos adhuc amicos veſtros inve- G
ſtiatis : alioquin contra vos, ſicut contra perſecuto-
rem noſtrum, & privilegiorum Romanorum violato-
rem proclamabimus, illud etiam, quod in Haimeri-
co de Rancone à vobis actum eſt, non tacentes.
Haimericus ſiquidem propter multa mala, quæ no-
bis fecerat, à domino Papa & à vobis fuerat excom-
municatus, & in ipſa excommunicatione iuſto Dei iu-
dicio peremptus eſt, & ideo meritò extitit à cœmete-
rio alienus. Poſtea verò precibus uxoris illius, & pre-
tio, ut quidam dicunt, corruptus, excommunicato,
excommunicatum illum ſine ſatisfactione abſolvendo,
communicaſtis : & præſentibus fratribus noſtris, per
quos iniuriæ noſtræ in auribus veſtris reſonabant,
quæ adhuc reſonare non ceſſant, corpus eius ſepul-
turæ ipſemet tradidiſtis. Auctoritate tamen ſanctorum
Canonum firmiter tenemus, & nullatenus dubitamus,
quia quibus vivis non communicamus, nec mortuis
communicare debemus : & qui aliter fecerit, ſi lai- H
cus eſt, debet & ipſe excommunicari, ſi clericus,
cuiuſcumque dignitatis vel ordinis ſit, debet penitus
degradari. Valete, & quæ dicta ſunt ſapienter ad-
vertite.

EPISTOLA XXXVIII.

*Cariſſimo domino & præcordiali amico Petro ho-
norabili Santonenſium Epiſcopo, Goffridus
Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, ora-
tionum inſtantiam cum pura dilectionis af-
fectu.*

ABſentes quidem corpore, ſed præſentes mentis
devotione, venerabilis Pater, pro beneficiis quæ
nobis ſæpius exhibetis, vobis gratias reddimus ; cu-
ius caritatis ignem tanto erga nos ardentiorem eſſe
cognovimus, quanto contra eos qui de nobis que-

runtur

runtur, veſter conſtantior exiſtit animus. Et quamvis dignas meritis veſtris grates non valeamus rependere: adhuc tamen de veſtra bonitate non mediocriter præſumentes, humiliter rogamus, ut quæ in Epiſcopatu veſtro contra nos iniuſte fiunt, non ſit vobis tædioſum corrigere. Guillelmus Oleronis præpoſitus, & quidam alter Aſtho nomine, ſed nequam, crudeliter novas quaſdam, & prædeceſſorum noſtrorum temporibus penitus inuſitatas exactiones terris noſtris violenter impreſſerunt, quas vobis melius dicent fratres noſtri, qui eorum angarias portaverunt. Nos autem, iſta licet vera ſint, idcirco non loquimur, quia excuſabilius eſt etiam vera quædam reticere, quàm qualibet ſuggeſtione lineam veritatis excedere. Vitæ laudabilis Præſul, malorum ſemina nulla occaſione diſſimuletis: ſed mox ut oriri cœperint, radicitus amputetis. Arbuſta etenim, ſi ſtatim ut plantata ſunt concutiantur, radicari non poſſunt: ſi verò diutiùs tolerantur, altius radicem figunt: & quæ priùs poterant quaſi ſola manu & abſque difficultate avelli, nunquam ſine ſecuri, & vix cum ſecuri, valent deinceps extirpari. Ex hac igitur ſimilitudine facile advertitur, quòd ſi in primo impetu inimicis ſanctæ Eccleſiæ minimè reſiſtitur, eorum creſcit iniquitas, & reſiſtendi facultas minuitur. Valeat dominus noſter Epiſcopus, de cuius conſtantia & iuſtitiæ integritate omnino confidimus.

EPISTOLA XXXIX.

Cariſſimo domino & præcordialiſſimo amico Petro honorabilis vitæ Epiſcopo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, ſalutem à Deo, & à ſe puræ dilectionis obſequium.

AVdivimus, dilectiſſime Pater, Rainaldum Cheſnellum clericum veſtrum cum domno Guillelmo monacho noſtro duellum cœpiſſe: nullum tamen ex ſua parte, vel ex parte monachi teſtem habuiſſe. Quod quia ſæculi leges nulla ratione fieri permittunt, & ſacri Canones omnino, ne fiat, interdicunt, humiliter rogamus, ut quod in Epiſcopatu veſtro ab Eccleſiaſticis viris contra Eccleſiaſticas regulas præſumptum dinoſcitur, veſtra auctoritate irritum fiat, & corrigatur: ne fortè perverſa conſuetudine prævaleat hominum iniquitas canonicæ æquitati: & ſic, quod abſit, ſubdatur veritas falſitati. Si verò Rainaldus veſter claves ſanctæ Eccleſiæ agitare, & Romanorum decreta pontificum, quæ inter Eccleſiaſticos viros monomachiam penitus inhibent, adnullare conatur, contra eius inflatos conatus humilitatem Romanæ Eccleſiæ, quæ inflata crepare, & ſuperba premere novit, appellamus.

EPISTOLA XL.

Cariſſimis dominis & præcordialibus amicis, domno Petro Santonenſium venerabili Epiſcopo, & domno Goſcelino honorabili eius Archidiacono, Goffridus eorum humilis & fidelis amicus, ſalutem, ſervitium, & dilectionem.

PErvenit ad nos, quòd oblationes confeſſionum in Eccleſia Surgeriarum nobis abſtuliſtis. Quòd ſi ita nos abſentes, de hoc quod per triginta annos nullo Epiſcopo vel archidiacono reclamante tenuimus, atque Romanorum pontificum licentia nobis conceſſum eſt, exinveſtiſtis, & preſbytero noſtro, quod noſtrum erat, nobis nolentibus, contuliſtis, nec dilectionem circa nos exhibuiſtis, nec dilectionis ſpeciem. Vel ſi ita amicos veſtros beare noſtis, novum genus beatitudinis & dilectionis inveniſtis. Hoc tamen ſi ab aliis hominibus contra nos ageretur, non dilectionis, ſed odij opus videretur. Si aliquid mali vobis feciſſe videremur, debuiſſemus prius admoneri, ut ſic aut culpam, ſi adeſſet, nobis liceret humiliter agnoſcere: aut ſi non eſſet, rationabiliter excuſare. Si verò aliquid boni vobis facere potuimus, & fecimus, retributionem, quam Deus non novit, recipere non optamus. Vnde vos, ſicut dilectiſſimos dominos & amicos ſuppliciter rogamus, ne à vobis, de quibus ſemper ſperavimus bona, quælibet mala ſentiamus: quia veſtra gravamina, quoniam amici noſtri præcordiales eſtis, patienter portare non poſſumus. Si dicitis, quòd ille oblationem confeſſionis habere debet, qui pœnitens confitetur: ſimili modo dicere poteſtis, ut oblationem altaris habeat, à quo Miſſa cantatur: & oblationem mortui, à quo mortuus ſepelitur: & ſic miniſter noſter totum accipiat, ut nihil oblationum in Eccleſiis, quibus die ac nocte ſervimus, nobis relinquat. Pro reverentia veſtræ religionis hoc iniuſtum non dicimus, ſed iuſtum eſſe penitus ignoramus. Nam lex Moyſi non præcepit; prophetæ non prædixerunt; ſanctum Evangelium inde ſiluit: auctores Canonum aut noluerunt dicere, aut oblivioni tradiderunt. Valete.

EPISTOLA XLI.

P. honorabili Epiſcopo, frater Goffridus Abbas Vindocinenſis, alodiarius Apoſtolicæ ſedis & ſervus, non facere alij quod non vult fieri ſibi.

DOmini Papæ Calixti accepiſtis decretum, in quo vobis & quibuſdam Epiſcopis aliis fuerat præceptum, ut rerum Vindocinenſis monaſterij, ſicut earum quæ Apoſtolicæ ſedis ſunt propriæ, defenſores eſſetis & adiutores. Et alij quidem omnes non verbo nec lingua tantùm; ſed opere & veritate, domini Papæ ſervaverunt mandatum. Vos autem quæ in Epiſcopatu veſtro nobis ablata ſunt, & quot, & quantas fratres noſtri, qui ibi habitant, portaverunt iniurias, ſatis audiſtis; ſed aut noluiſtis corrigere, aut minimè potuiſtis. Inſuper etiam decimas ſalinarum veſtrarum, quas monaſterium noſtrum, patrimonium ſcilicet B. Petri & eius alodium, per ſexaginta annos pacificè noſcitur poſſediſſe, nobis aufertis. Vnde dilectionem veſtram rogamus, ut quod aliter actum eſt, corrigatis: ne qui Apoſtolica præceptione nobis defenſor conſtitutus fuerat, videatur perſecutor: & ſic lupus fiat, quod Deus abnuat, qui eſſe debuerat paſtor. Nobis dictum eſt, quia dicitis, quòd Eccleſia non debet decimam dare. Hoc verum eſt, ubi Eccleſia nihil habet in parœcia alterius Eccleſiæ: ubi verò Eccleſia in alterius Eccleſiæ parœcia poſſeſſionem aliquam habet, vel quippiam quod decimari debeat; ibi Eccleſia Eccleſiæ decimam reddere debet, ſi illud iuſtè poſſidere deſiderat. Hoc tenet Italia: hoc tenet Gallia. Ibi enim novimus Eccleſias Eccleſiis decimas reddere, & maiores minoribus, & minores maioribus, ubi altera earum poſſeſſionem obtinet in iure alterius. Hoc facimus nos Eccleſiis, & hoc Eccleſiæ faciunt nobis. Hoc etiam bonæ vitæ & bonæ memoriæ veſtri prædeceſſores, qui vos præceſſerunt ad ſidereas manſiones, fecerunt, decimas ſcilicet, quas ſine iudicio, & ſine audientia nobis aufertis, reddiderunt. Sed illi beati viri forſitan idiotæ fuiſſe putantur, quoniam caritatem habuerunt, & vitaverunt rapacitatem, & neminem mole ſuæ magnitudinis premere voluerunt. Non convenit matri Eccleſiæ, aliarum Eccleſiarum iura vel decimas ſibi uſurpare. Parentum eſt enim, Paulo teſtificante Apoſtolo, theſaurizare filiis, non quæ ſunt filiorum auferre. Si tamen aliquid quod iuſtum ſit in prædictis decimis vos habere confiditis, Romani Pontificis iudicium vobis offerimus, cui ſoli de rebus monaſterij noſtri iudicare licet, & definire. Et

ut

Digitized by Google

A ut iſta quæ dicimus vera credatis, nec deinceps per ignorantiam adverſum nos contrahatis offenſam, venerabilium Romanorum Pontificum, Vrbani & Calixti privilegia vobis tranſcripta mittimus. Novit enim prudentia veſtra, quòd ſine periculo non diſſolvitur ſive contemnitur, quod Apoſtolica auctoritate firmatum eſſe noſcitur, vel præceptum. Valete; & dum precamur, noſtram audite precem, ſi veſtram non vultis ſollicitari quietem.

EPISTOLA XLII.

Domino ſuo & præcordiali amico, I. honorabilis vitæ Epiſcopo, frater Goffridus Abbatum minimus, dilectionem, & dilectionis ſervitutem. B

IN craſtino capitis ieiuniorum ad vos venire non poſſum, neceſſitate corporis occupatus. Cùm verò à neceſſitate, qua detineor, fuero liberatus, ad vos veniam tempore competenti; de Pagano, & de ſuis iuſtitiam recepturus. Paganus ille, ſicut dicitur, à vobis expoſcit, quod olim à ſanctis Apoſtolis interdictum eſt, & decretis Apoſtolicæ ſedis nunc interdicitur. Laicis enim, etiam religioſis, ut ipſe meliùs noſtis, diſponendarum Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum rerum omnis facultas negatur. Clericus autem, qui per laicam perſonam Eccleſiam, ſive poſſeſſionem Eccleſiaſticam nititur obtinere, ſecundum Gregorium ſeptimum, & Vrbanum, & Paſchalem ſecundum, excommunicatus eſt, & ab ipſis etiam hæreticus iudicatus. Vale; & de gradu in gradum Deus vos promotum habeat ad utilitatem Eccleſiæ ſuæ. In vobis completum eſt, ut creditur, quod legitur in Evangelio, C (Luc. 14.) *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Humilem mentem veſtram nunc uſque credidimus: audivimus humilem loquelam: ſatis etiam humilem veſtem conſpeximus. Iſta utique omnia oportebit vos augere, non minuere; ne vobis contingat, quod Deus, abnuat. *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Quod hîc noviſſimè locutus ſum, eſt quidem præſumptuoſum; ſed præſumptum amica præſumptione. Vos viſcera mea noſtis, & ego veſtra ſimiliter. Nec vobis, nec mihi mutua familiaritas contemptum pariet; ſed in divina iuſtitia aſſenſionem nutriet, & magis in Deo devotam dilectionem.

EPISTOLA XLIII.

Dulciſſimo domino & præcordiali amico, domno R. laudabilis vitæ Epiſcopo, frater Goffridus dilectionem, & dilectionis ſervitutem.

D COncilium, ut nunc dicitur, Romæ celebrabitur, non, ſicut audieramus, Cremonæ. Vnde animus meus vehementer perturbatur; quoniam illuc ire voluntas domini Papæ cogit, ſed aſperitas temporis, & longioris viæ tribulatio diſſuadet. Et hæc quidem pro tanti domini & magiſtri voluntate poſtponenda fuiſſent, ſi corporis infirmitas quod iubetur fieri ulla ratione permitteret. Seipſum exponere morti, niſi certa ſpe retributionis æternæ, nullus ſenſatus unquam fecit. Si quis verò in ſe concitavit mortem, quam vitare debuiſſet, requiem inveniſſe non legitur, ſed ærumnam. Chriſtus utique baiulare crucem iubet, non quærere ſepulturam. Vale.

E

GOFFRIDI
ABBATIS VINDOCINENSIS EPISTOLARVM
LIBER QVARTVS.

EPISTOLA I. F

Dilectiſſimo domino ac beatiſſimo Patri ſuo Hugoni omnium Abbatum excellentiſſimo, Goffridus filiorum ſuorum minimus, quod patri filius, & domino ſervus.

QVID ſalutis, quidve honoris, nullis meis præcedentibus vel ſubſequentibus meritis, pura dilectio veſtra mihi contulerit, dum ſæpenente conſidero, quæ pro tantis beneficiis dignè rependere valeam invenire non poſſum. Quod tamen carius habeo, offero meipſum: quippe cuius totum bonitate veſtra hauſiſtis animum. Sed quem bonitas veſtra ſapienter hauſit, quem diligenter ſibi ſubdidit, domnus Henricus Abbas impugnare non deſinit. Antequam haberet Abbatiam, & poſtea, bona quæ potui de illo dicere, dixi: ad honorem monaſterij Cluniacenſis nomen eius prædicavi. Illorum etiam inimicitias, quibus præeſt, incurrere pro eo non metui. Ipſe verò mihi confratri ſuo mala pro bonis retribuit, retributione videlicet, quam Deus non novit. G Neſcio qua mentis tempeſtate agitatur, & in me ſervum veſtræ ſanctitatis ſine cauſa invehitur. Terram, quam monaſterium noſtrum tempore venerabilium anteceſſorum ſuorum per triginta annos & eo amplius pacificè & apoſtolica auctoritate ſibi firmatam noſcitur poſſediſſe, terris ſuis quia vicina eſt, ſibi ſatis immoderatè nititur copulare. Hinc occaſione accepta, omnia machinamenta, quibus poteſt nocere, in me exercet; cui ſi non pro fraternitate, ſaltem pro veſtra paternitate parcere debuiſſet. Velut alter Saul, me quaſi David fugientem perſequitur: nulla erga me fraternitatis compaſſione movetur. Ego ei reſiſtere nec poſſum, nec debeo: quoniam manſuetudinem veſtram offendere metuo. Et quia me erigere contra eum nullatenus præſumo; veſtra pia ſeveritas, humiliter quæſo, ſe contra eum erigat, & ſibi mandare dignetur, ne me veſtro amore potiùs, quàm mole ſuæ magnitudinis premat. Si autem de me queritur, querimoniæ ſuæ præſentia veſtra iudex exiſtat. Vos ſemper appellavi, & adhuc appello. Sapientiæ veſtræ iudicium ſubire deſidero. H Ambo filij veſtri ſumus: ille quidem oris profeſſione; ſed ego, Deus ſcit qui corda novit, cordis devotione. Non debemus igitur invicem diſſentire; ſed honorem & utilitatem Cluniacenſis monaſterij quærere concorditer: vobis multiplicare amicos, inimicos mitigare: ſi neceſſitas exigit, eis pariter obviare. Magnæ diſcretionis Pater, ne aliter agat, compeſcite domnum illum Abbatem, quem dicunt homines ex longo tempore fuiſſe diſcordiæ amatorem, ſeminatorem iurgiorum, pacis perturbatorem. Non auferat fratribus noſtris veſtram caritatem: non eos ſine utilitate provocet ad iram: non tribuat eis contra locum Cluniacenſem, quem ſecundum Paradiſum vocare audeo, proclamandi occaſionem. Et quæ olim amputata ſunt veſtræ dilectionis dulcedine; pullulare non faciat ſua amaritudine. Non ſeparet à Cluniaco, beatitudinis videlicet loco, monaſterium noſtrum: non inter vos & fratres noſtros ſuſcitet ſcandalum.

A dalum. De me, quia ſcandalizari debeam, minimè loquor: nam & ſi omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor. Valeat dulciſſimus dominus meus & pater meus.

EPISTOLA II.

Dilectiſſimo patri domno Pontio, honorabilis vitæ Abbati, frater Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, ſanctæ Romanæ ſedis alodiarius, puram dilectionem, & puræ dilectionis ſervitutem.

B QVendam monachum noſtrum, Petrum Goſcelini nomine, ad vos veniſſe audivimus: ſed qua intentione venerit, ignoramus. Quòd ſi vos, vel locum veſtrum viſitandi gratia fecit, licet cum licentia noſtra fieri debuiſſet, pro reverentia veſtra, vituperare non audemus. Sed ſi ea intentione actum eſt, ut locum, in quo ſecundæ regenerationis habitum ſuſcepit, relinquat, laudare non poſſumus: cùm hoc Sancti Benedicti regula omnino contradicat, & ſanctorum Romanorum Pontificum auctoritas, qua patrimonium Beati Petri, monaſterium videlicet noſtrum, munitur, ſub anathemate interdicat. Vnde ſicut cariſſimum dominum & patrem humiliter vos rogamus, quatenus ad nos ſecundum humilem petitionem noſtram frater ille noſter remittatur; ne primam ſui monachatus fidem irritam feciſſe videatur: & vinculum caritatis, quo venerabilis prædeceſſor veſter, vir piæ recordationis, domnus Hugo ſibi & monaſterio Cluniacenſi nos diligenter alligavit, ſub hac occaſione, quod abſit, rumpatur. Illud vobis veraciter dicimus, ut ſi quid prædictus frater contra nos egit, ſi tamen ad nos venerit, pro amore veſtro, & pro anima glorioſi viri C domni Hugonis, qui nos, cùm nec ſervi eius fieri digni fuiſſemus, ſuos caritate filios fecit, illi totum & toto corde dimittimus. Si verò ad nos minimè veniens obedire contempſerit, & prima profeſſione, quam apud nos fecit, violata, alio in loco profiteri præſumpſerit; nec prima eius profeſſio Deo grata erit, nec ſecunda: quia nec prima promiſſæ ſtabilitatis expectavit fructum, & ſecunda, quæ primam ſui monachatus oblationem Eccleſiæ noſtræ abſtulit, habebit ſacrilegium. Quòd ſi alicuius privilegij auctoritate monachum de noto & regulari monaſterio ſine licentia ſui Abbatis vobis retinere conceditur, huius auctoritas privilegij contra Sancti Benedicti regulam nititur; & aliud quàm privilegium, quod Chriſtus Dominus Beato Petro donavit, continere videtur. Hoc enim privilegium fuit à Deo Petro collatum, ut quæ erant ſolvenda ſolveret, & quæ liganda ligaret: non ut hominibus fidem mentiendi, vel ſe periurandi occaſionem præberet. D Et quoniam quem Sanctus Benedictus damnationis vinculis alligat; nec Beatus Petrus ſolvit, nos ſolvere non debemus; licet multum inviti, & coacti faciamus, in virtute ſanctæ regulæ, & auctoritate ſanctorum Canonum, illum ita, donec reſipiſcat, excommunicamus, ut nec communionem ſacram vivus percipiat, nec mortuus ſepulturam. Vnum præterea vobis mandamus, quod ſimplicitatem veſtram ignorare non credimus, quia unumquemque paſtorem decet oves proprias conſervare, non rapere alienas. Quòd ſi alienas rapuerit, lupi conſuetudinem habet, non paſtoris. Si quis iterum auctoritate privilegij ſe talia poſſe confitetur, eadem auctoritate quod non ſeminavit colligere, aliorum villas, caſtella, & civitates obtinere; patribus ſuis ſubtrahere filios, ſuas hominibus uxores auferre, quid plura? omnem alienam ſubſtantiam ſuam facere ſe poſſe confiteatur. Privilegium utique pravitatis plurimum habet, & nihil penitus divinæ legis cuius auctoritas ſuos in primis obſervatores reos facit, & proximos opprimit innocentes. Et quicunque privile- E gio, contra privilegium quod Chriſtus contulit Petro, facere conatur; quaſi propheta docens mendacium comprobatur. Cuius vocem falſam beatitudinem, & veram miſeriam proteſtantem, dum animæ ſequuntur Chriſtianæ, periclitantur.

EPISTOLA III.

Dilectiſſimo domino ſuo Hainrico vitæ venerabilis viro, Goffridus Vindocinenſis monaſterij qualiſcunque ſervus, eandem quam ſibi optat ſalutem.

F QVæ mutuæ caritatis affectu nuper à nobis ſunt conſtituta, multis modis poſtea impedire voluit inimicus. Ab ipſo quippe, ut æſtimo, fratribus noſtris ſuggeſtum eſt, ut contra ea recalcitrare deberent: nec pacis, dilectioniſque à nobis conſtitutæ vinculo paterentur adſtringi. At benignus Deus, qui malignum etiam in ſuperioribus Ægypti ligatum tenet, ita loris ſuæ potentiæ illum colligavit, ut quidquid diſcordiæ, ac diſſenſionis fratribus priùs ſuggeſſerat, habere vires non potuit. Vnde præſentibus litteris dilectionem veſtram admoneo, ut uſque ad proximam feſtivitatem Beatæ Mariæ quacumque die volueritis in Capitulum noſtrum veniatis, de confirmatione pacis & concordiæ, ſicut à nobis & à vobis conſtat eſſe ſtatutum, nihil penitus hæſitantes. Non enim tales ſumus, qui aliud promptum in lingua, & aliud clauſum in pectore habeamus.

EPISTOLA IV.

Domno Hainrico venerabili Angeriacenſi Abbati, domino & amico, frater Goffridus à Deo puræ G *veritatis effectum, & à ſe veræ dilectionis affectum.*

LOcutionem, quam de cauſa Dei habuimus ad invicem, labialem ex veſtra parte fuiſſe arbitror, non præcordialem. Vnde vos minùs vigilanti verbo uſum doleo, & gladiatorium ſpiritum habere intelligo. Ego tamen Deo volente, quod dixi, incipiam, & quod inceptum fuerit, ipſo largiente perficiam. Valete; & ſi qua ſunt in vobis Catholicæ pietatis viſcera, mihi & in veritate reſcribite.

EPISTOLA V.

Dilectiſſimo patri & domino Hainrico honorabilis vitæ Abbati, frater Goffridus cum H *dilectione ſalutem.*

FEre duorum menſium iam præteriit ſpatium, ex quo vobis uſque Pictavim noſtrum tranſmiſi ſigillum, ſicut locutus fueram vobiſcum. Et quia ibi inveniri minimè potuiſtis, quod tunc libenter feciſſem, uſque ad Quadrageſimam facere non poſſum. Facultas utique faciendi quod vobiſcum facere diſpoſueram, mihi ſubtracta eſt, non immutata voluntas. Pecunia etenim mihi non ſuppetit; guerræ imminent, & aſperitas temporis interdicit. Valete: & quod fratres noſtri queruntur, quòd apud Abbatiam veſtram minùs regularis humanitas eis impenditur, agnoſcite: & quòd aliter factum eſt, ſi placet, corrigite. De ſuſceptione hoſpitum vobis ſcripſiſſem, ſed docere Minervam novi ſuperfluum.

⁂

A E

EPISTOLA VI.

Ioanni vitæ venerabilis Abbati, Goffridus Abbatum omnium minimus, in omnibus miſericorditer agere.

HVic fratri, qui neceſſitate ſimul ac voluntate ad vos, ſicut ad ſpiritualem patrem ſuum revertitur, neceſſe eſt ut magna miſericordia ſuffragetur. Multum quidem peccavit, quod eius lingua ſatis convenienter loquitur. Vnde ſi veſtræ pietati placet, magis dignus venia, quam cum eo & ipſi poſtulamus, eſſe videtur. Valeat igitur apud bonitatem veſtram huius pœnitentis humilis & vera, ut credimus, confeſſio. Valeat etiam
B
noſtra pro eo devota & caritativa ſupplicatio. Super omnia autem hæc, conſideretur à vobis pij patris revertentis filij pia ſuſceptio, qui in longinqua regione partem ſubſtantiæ, quam acceperat, diſſipavit luxurioſè vivendo.

EPISTOLA VII.

Dilecto in Chriſto Patri Guillelmo honorabilis vitæ Abbati, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, hoſpitalitatem, per quam multiplicaverunt, nullatenus oblivìſci.

QVoniam utilitati proximi tanquam noſtræ providere, ipſa Evangelica præceptione monemur, quod honori & bonæ opinioni monaſterij noſtri con-
C
trarium eſſe cognoſcimus, vobis celare nec poſſumus, nec debemus. Cum nuper Santonicum iremus, ſicut priùs vobis nos illuc ituros dixeramus, metuenda repentè tonitrui & coruſcationis tempeſtas exoritur: qua vehementer territi & reverberationibus grandinis, & pluviæ inundationibus non mediocriter fatigati, ad Obedientiam veſtram de Pinu, quam obviam habuimus, hoſpitandi gratia divertere dignum duximus. Vbi valde indignum obedientia reperimus monachum Garinum cellararium domus, inhumanum videlicet hominem & avaritiæ ſervum. Qui quando primùm primam domus portam intravimus, grunnire cœpit, & nos torvo vultu, & obliquo oculorum lumine inſpicere: poſtea verò indiſciplinata verba proferre non diſtulit, Deum non metuens, nullam nobis, nullam ordini reverentiam exhibens; vocibus, quas in eo deformis formabat tenacitas, nos ſubſannando dominos vocans demoniacus monachus ille clamabat: Quò intratis? Prior abeſt: nihil faciemus vobis: non
D
habemus etiam ſpatium, in quo duodecim equi veſtri valeant collocari: & locus ſtabulorum ſufficienter capere poterat, & adhuc poteſt equos viginti. Qui cùm hæc & alia multa expulſoria verba ab eo diu ſimilitudine tantùm patientiæ ſupportaſſemus: licet in corde noſtro aliud verſaretur, impatientiæ tamen flammam ratione ſupprimentes, diximus ſibi: Frater noli contriſtari: vides quia pluvia nos urget: iam Sol occidit: neceſſitas admonet hoſpitari: panem & vinum, piſcem & caſeum nobiſcum portamus: ememus libenter cætera quæ non habemus. Sic tandem cœpit atrocitatem vultus paulatim deponere: aliquantulum levare ſupercilia: & quos prius quaſi clauſos tenuerat oculos, monſtrare, deinde nobis dignatus eſt loqui; nobiſcum etiam, ſed multùm rogatus voluit refici. Panem & vinum, quæ nos habere ſciebat, & quæ longius ferre equos gravabat, nobis obtulit: fœnum & annonam, quibus abundabat, & nos prorſus indigebamus, penitus denegavit. Valete; & diſcipulum Sátanæ, qui caritate conditum ordinem ſua amaritudine inſipidum reddit, ne ampliùs noceat, loris monaſticæ ſeveritatis alligate.

EPISTOLA VIII.

Venerabilibus dominis & fratribus Guillelmo S. Florentij Abbati, & Bernardo Abbati Sancti Sergij, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervorum ſervus, Deum & quæ Dei ſunt perfecto corde diligere, & quæ contra illum ſunt in mundo perfecto odio habere.

SI veræ caritatis vinculo in invicem alligati ſumus; & ſi fervore Spiritus ſancti accenſi contra tortuoſum & ſubdolum illum, quem noſtis, ne animæ noſtræ cum populo Dei pereant, pugnare decrevimus, eiuſdem Spiritus ſancti igne magis ac magis igniri de die in diem debemus. Scimus quidem, quoniam non omnibus bene inchoantibus æternæ beatitudinis præmium repromittitur; ſed illis ſolummodo qui perſeveraverint, habere conceditur. Parum enim vel nihil F
penitus eſſe monſtratur, bene aliquid inchoaſſe, quod imperfectum dimittitur. Hoc etiam apud ſæculares magna irriſione dignum videtur, cùm aliquis eorum quicquam incepit, quod ad finem minimè perducit. Si ita eſt, immo quia ita eſt in negotio ſæculi, liquet profectò quales eſſe debeamus in negotio Dei. Nam ſi illi, qui mundum & ea quæ mundi ſunt, diligunt, de opere ſuo; ſi imperfectum relinquatur, ſic erubeſcunt: quanto magis nos, qui Deum, & quæ Dei ſunt, ante omnia & ſuper omnia diligere debemus, erubeſcere poſſumus, ſi eius opus, quod incepimus, imperfectum relinquamus? Dilectiſſimi, ſi nunc in Dei opere tepidi, vel negligentes exiſtimus, & quaſi ſub ſpecie ſimplicitatis adverſariis Eccleſiæ ſuæ reſiſtere diſſimulamus; verendum nobis eſt ne in die magni & formidandi valde iudicij illum contrarium ſentiamus, & illo increpante cognoſcamus nos ſtulta ſimplicitate fuiſſe deceptos. G
Tunc forſitan in contumeliam noſtram, quod abſit, vulnerum ſuorum cicatrices denudabit, dicens: O falſa ſimplicitate decepti, hæc pro vobis ipſe pertuli; & quam vicem mihi rependiſtis, qui ſemper homines laudare ac venerari occultando veritatem præſumpſiſtis? Hæc omnia, ne contra nos in iudicio ſuo Dominus proferat, non mediocriter formidare debemus, quæ iam ex parte per eius miniſtros annuntiata eſſe cognovimus. Ex teſtimonio enim ſcripturæ divinæ didicimus, quòd ſi propter perſonam hominis veritatem reticemus, ipſum, qui eſt veritas, Chriſtum negamus. Quòd etiam præ nimia ſimplicitate quidam damnari merentur, in Propheta apertè monſtratur, ubi ſicut oves in inferno poſiti memorantur. Oves ibi, non propter veram innocentiam, ſed propter inhoneſtam ſimplicitatem, quæ malis reſiſtere nolunt, vel neſciunt, homines appellat: quos ſine fine perituros eſſe denuntiat. Et ideo reiecto H
ſimplicitatis velamine, palàm loquamur veritatem, cum Propheta dicentes: *Quis conſurget nobis adverſus malignantes, aut quis ſtabit nobiſcum adverſus operantes iniquitatem?* Illud Apoſtoli ſubiungentes, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Nos tales ſumus, immo tales eſſe debemus, qui laudes hominum non affectemus, neque eorum vituperationes expaveſcamus: quoniam qui huiuſmodi ſunt, iuxta Apoſtolum, ſervi Chriſti eſſe non poſſunt. Vnde & propheta: *Qui hominibus placent, confuſi ſunt.* Si fortè quærimus, quid pro Deo agere, vel pro eius nomine pati debeamus: quid ipſe egerit, quidve pro nobis pertulerit conſideremus: & ſic quid pro illo ſimus acturi pleniùs agnoſcamus. Omnia quidem, quæ pro nobis Dominus in mundo egit, & pertulit, referre non poſſumus; ſed illud firmiter credamus, & credendo aſſeramus, quia quidquid fecit & pertulit, totum noſtræ ſalutis myſterium fuit. Factus eſt homo de Virgine matre, cùm Deus eſſet; opprobria, irriſiones, convicia, tribulationes, flagella, percuſſiones, infidelium ſputa ſuſtinuit: cruci clavis affigi, ſpinis coronari, felle cibari,

Pſ. 93. Rom. 8. Pſ. 52.

A cibari, aceto potari, lancea vulnerari voluit: & guſtans mortem ad horam æternæ mortis vincula ſolvit. Quid, fratres, aliud hæc agendo nos docuit, niſi ambulare vias, quas prior ipſe ambulavit? Ambulemus igitur vias eius, & ſequamur eum, ſicut ſequendum ſe docuit: quem qui modò ſequi noluerit, illum proculdubio ſequetur, cuius pœna fine carebit. Sed quomodo Deum ac Dominum noſtrum ſequimur; quomodo eius vias ambulamus, videntes abominationem ſtantem in loco ſancto, ſi tacemus? In loco ſancto abominatio ſtare videtur, cùm in ſancta Eccleſia abominabilis quiſque, nemine contradicente, aliis dominatur. Qui hoc videt & tacet, maledictus à Domino eſſe perhibetur, dicente propheta: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*; id eſt, vocem ſuam à peccati increpatione. [Hier. 48.] Si illi qui quodlibet malum non increpant, maledici à Domino merentur, B quanto graviorem maledictionem incurrunt, qui abominationem tacendo augmentant, per quam ſine dubio plures fœdantur? Abominationem quippe ſatis augmentat, qui in quantum prævalet, eam non amputat. Ortum eſt certè moderno tempore novum genus abominationis: iam incipit regnare filius perditionis: & quod olim quaſi in occulto faciebat, nunc palàm operatur myſterium iniquitatis. Quem contra qui legitimè certaverit, verè coronabitur: & velut alter Enoch vel Helias effectus, licet martyrium ob hoc non conſequatur, martyrum tamen immortalitate glorificabitur. Et ut adverſus prædictum nequam fortiores animos habeamus, quid Moyſes, cùm quoſdam de populo Iſraël proclives ad peccandum conſiderat, dicat, audiamus: *Si quis eſt Domini, iungatur mihi, occidat vir fratrem & amicum & proximum ſuum.* [Exod. 32] Fratrem quippe, & amicum, & proximum ſuum interficit, qui cùm punienda invenit, neque eis, quos per cognationem diligit, parcit. Si ergo ille Dei dicitur, qui contra delinquentes zelo divini amoris excitatur; profectò ſe Dei eſſe denegat, qui eorum C pravas actiones increpare recuſat. Hinc itaque facilè advertitur, quid ambitioſo illi à Chriſti fidelibus debeatur, cuius nomen præ indignatione ſuppreſſimus. Nam quo proprio nomine dignus habeatur prorſus neſcimus. Illum utique ultra modum malitioſum eſſe, à puero fama referente didicimus, & ex parte per nos cognovimus. Et quia hunc ad augmentum iniquitatum ſuarum contra ſanctam Eccleſiam arte Simonis Magi niti audivimus, utile valde eſt, immo neceſſarium, quatenus auctoritate Simonis Petri ei in faciem reſiſtamus. Cui ſi pro officij noſtri loco vehementer non reſtiterimus, cum ipſo Simone Mago, qui hoc genus iniquitatis primus invenit, nos habituros portionem, quod Deus abnuat, nullatenus dubitemus. Nam quid prodeſt nobis orare? quid prodeſt aliquando ieiunare? quid etiam pauperes recreare? vel quælibet alia bonitatis opera exercere, ſi Simoniacam hæreſim à finibus noſtris diſſimulamus repellere? Quæ, ut Beatus Gregorius dicit, ante omnes alias in ſancta D Eccleſia ſubdola fraude irrepſit, & quaſi prima & maxima Eccleſiæ caſtitatem fœda nimium pollutione contaminare præſumpſit. Igitur in Deum, & propter Deum rogamus vos & obteſtamur, ſi habere partem in Chriſto vultis, unà nobiſcum ſummopere laboretis, ut tam ſæva peſtis, quæ perſæpe dictum hæreticæ pravitatis miniſtrum in partibus noſtris diabolica ſuggeſtione emerſit, non quidem gladio ferri, ſed gladio Spiritus ſancti penitus computetur: ne nobis tacentibus in Spiritum ſanctum peccetur: quod neque hìc, neque in futuro ſæculo remittetur. Valete in Domino ſemper, iterum dico Valete: & contumax ille, de quo agitur, ſentiat nos Dei virtute plus poſſe, quam poſſit ipſe Simonis Magi impia arte.

***

EPISTOLA IX.

E *Guillelmo Sancti Florenty Abbati, & Guillelmo Archidiacono fideli ſuo, Goffridus Vindocinenſis monaſtery indignus ſervus, proſpera mundi deſpicere, & nulla eius adverſa formidare.*

ROgamus vos, & per veritatem, quæ Chriſtus eſt, obteſtamur, ne in cauſa Dei, quam contra Rainaldum inſpirante Spiritu ſancto aſſumpſiſtis, aliquo modo deficiatis. Quod ſi feceritis, Chriſtum, qui eſt veritas, planè abnegaſtis; & Eccleſiam ſuam, quæ omnino caſta debet eſſe & libera, ſæcularitatis concubinam & ancillam cum periculo animarum veſtrarum conſtituiſtis. F Præterea etiam omnibus amicis veſtris, quod evenire non credimus, mendaces facti eſtis, & eorum inimicitias merito incurriſtis. Non eſt vobis timendum; quia multos poſt Deum bonos adiutores habetis. Inter quos me & Abbatem S. Sergij veraciter reputare poteſtis; qui mallemus vivi excoriari, quàm huic tantæ conſentiremus abominationi. Valete; & ſubſtantiam temporalem nullatenus ob hoc timeatis amittere. Non enim diabolus tanta poterit auferre, quanta vobis potens eſt Deus reſtaurare. Nihil tamen pro hac cauſa amittetis, & de manu Dei mercedem recipietis, ſi pro eius fide & nomine conſtanter egeritis.

EPISTOLA X.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, dilecto in Chriſto patri Archembaldo, Sancti Albini Abbati, fratres ſibi commiſſos diligere, & eorum vitia odio habere. G

EX teſtimonio divinæ auctoritatis didicimus, quoniam de profectu proximi, ſicut de noſtro, debemus gratulari: & de eius defectu, tanquam de proprio, tribulari. Vnde de quodam fratre veſtro, Ioſcelino nomine, vehementer tribulamur; in quo non ſolùm læſam eſſe caritatem cognovimus, ſed defunctam. In diebus iſtis, cùm monaſterij noſtri neceſſitate cogente, iuxta Maironem, ubi obediens ſibi, & non Deo ille commoratur, tranſitum feciſſemus, miſimus ad eum, ut in domum Beati Albini & veſtram nos hoſpites ſuſciperet deprecantes. Verba, quæ his, qui à nobis miſſi fuerant, reſponderit, mala quidem & omnino indiſciplinata fuerunt: ſed facta ſatis peiora. Omnia quæ ille Converſus averſus in nos protulerit, vobis ſcribere noluimus, quia longum eſſet & in nullo veritatem lædere volumus, quæ vix in longiloquio illæſa ſervatur. Illud firmiſſimè tenemus, quia dixit, quòd nullatenus nos ſuſciperet; & poſtea non bene devotus complevit. H Hæc veſtræ dilectioni de ſervo avaritiæ conſcribentes, non noſtram, ſed caritatis iniuriam vindicari depoſcimus.

EPISTOLA XI.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, dilecto in Chriſto confratri Archembaldo S. Albini Abbati, peccata delinquentium non diſſimulare; ſed mox ut oriri cœperint radicitus amputare.

DE veſtro Ioſcelino conquerentes vobis ſcripſimus, & ut de illo manifeſtam iuſtitiam Deo & ordini veſtro faceretis, diu auſcultavimus, & adhuc auſcultamus: & nihil à vobis actum ſuper hoc audire potuimus. Vnde manifeſtum eſt, quia aut aures noſtræ ſurdæ

ſunt,

ſunt, & audire non poſſunt; aut manus veſtræ contractæ, & ad exercenda iura iuſtitiæ nullatenus eas poteſtis aperire. Sed nos Dei gratia aures non habemus ſurdas: cauete igitur, ne manus habeatis contractas. Quod ſi fortè contractæ vel aridæ nunc vſque fuerunt, non iam iam olinæ, ſed oleo iuſtitiæ vngantur, vt ſanentur, & ad reprimendum Ioſcelinum peſtifera inflatum ſuperbia citiùs aperiantur. Et quoniam cor eius repletum novimus iniquitate, & veſtrum credimus plenum caritate, toto dilectionis affectu vos rogamus, vt adeo vigeat contra illum veſtra æquitas, ne ampliùs ſancto ordini illius dominari poſſit iniquitas. Si verò bonitati veſtræ ſuggeſſerit, quia cauſam contra vos habemus; nolite ſibi parcere propter hoc; ſed quanta ſint viſcera caritatis conſiderate. Caritas enim, ſicut bene noſtis, non modò amicum non diligit, verùm etiam eſurienti, & ſitienti inimico cibum & potum pariter cum hilaritate tribuit. Nos tamen inimici veſtri non ſumus; ſed omnia quæ in vobis Deus diligit, & nos diligimus: & vobis & veſtris, ſi placet, germana caritate ſervire volumus. Nam quidquid de querelis noſtris, quæ concipiunt laborem & dolorem parturiunt, faciamus, caritatem, quod eſt vinculum perfectionis, erga vos ſemper integram, Deo donante ſervabimus. Hæc eſt, inquam, illa bona, immo optima virtus, ſine qua habere cæteras virtutes eſt damnabile, & cum qua non habere eas, veniale. Valete, & quid de his, quæ vobis ſcripſimus, facturus ſitis, nobis reſcribite.

EPISTOLA XII.

Frater Goffridus Hamelino Abbati S. Albini, diligere quod Deus diligit, & odio habere quod odit.

ET formicam plauſtrum trahere dedecet; & doctorem Eccleſiæ manu tenere mendacium, ſed oportet illum veritatem ſemper attendere; non relationem verborum. Si Albericus ſe nobis condonatum diffitetur*, & ſi Paganus filius eius in Eccleſia noſtra ſub titulo monaſterij veſtri ſe factum monachum profitetur, negat vterque veritatem, dum falsò loquitur. Quod Paganus vobis ſuggerit, etiam ſi verum eſſet, ſicut veraciter falſum dinoſcitur, diſcuti tamen priùs debuiſſet, antequam illum reclamantibus monachis noſtris prudentia veſtra ſuſcepiſſet. Iniuſtum eſt enim, & Canonum regulis prorſus contrarium, ſine iudicio exſpoliare veſtitum. Quòd illum non eſſe fugitivum dixiſtis, mihi non mediocriter diſplicet hoc ab ore veſtro fuiſſe prolatum, quod ſobrietatis armarium olim credideram, & veritatis ſigillum. Ille vtique de loco noſtro, in quo monachus noſter factus fuerat, aufugit, & ſtola ſecundæ regenerationis reiecta occultè fugiens, clauſtrum B. Clementis infregit. Vnde non ſolum fugitivus agnoſcitur, verùm etiam vera propoſitione ſacrilegus eſſe probatur. Si de illo nobis offertis iuſtitiam, quod iuſtum eſt facite; nos de illo priùs inveſtite. Nam vos ignorare non credimus, quòd nec ad comprovincialem, nec ad generalem Synodum, multominus igitur ad quamlibet cauſam vocari debet exſpoliatus. Præterea noveritis, nec genus veræ religionis eſſe, nec ſignum puræ dilectionis, pro Pagani familiaritate Philippicam retractare in amicum. Nec pro illo, ſi veſtræ magnitudini placuiſſet, contentio, quæ inter monaſterium noſtrum & veſtrum eſſe ſolebat, & quæ penè vel penitus pro dilectione veſtra fuerat extincta, rediviva fieri debuiſſet. Nos verò quod contra Paganum fecimus, adhuc facimus: nec extractum de vagina Canonicæ iuſtitiæ gladium, niſi præcedente ſatisfactione, ab illo retrahemus. Quod ſi quis aliter actum intelligit, nos tamen iuſtè & rationabiliter factum eſſe, ſanctorum Canonum auctoritate monſtrabimus.

EPISTOLA XIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, domno Gualterio vitæ laudabilis Abbati, ſalutem cum dilectionis obſequio.

IN regula B. Benedicti, ſecundum quam profeſſi ſumus prohibitum dinoſcitur; & quod eſt amplius, auctoritate ſancti Evangelij; ne alter alteri faciat, quod ſibi fieri non optat. Vnde tota mentis intentione cavendum eſt, vt quod nobis fieri non optamus, nulla occaſione alij faciamus: ne fidei noſtræ profeſſionis ſciſſuram facientes, Evangelicæ etiam traditionis contemptores à Deo iudicemur. Hæc Idcirco, venerabilis pater, propoſuimus, quoniam hominem quendam, Garinum ſcilicet Galandi, qui ſub confeſſionis actione, & ſuæ fidei promiſſione, ſe ſuaque omnia nobis devoverat, ſubita preſſum infirmitate monachaſtis, & res ſuas, immo noſtras, quia Eccleſiæ noſtræ priùs fideliter oblatas, accepiſtis. Quod quàm ſit religioni Chriſtianæ contrarium, ſi ſcienter actum eſt, quod abſit, nos minimè latet, & vos certum habetis. Requirimus igitur à dilectione veſtra hunc hominem, & vniverſas res huius hominis cum homine ipſo nobis reddere non differatis: ne fortè actio dilationis vobis adſcribatur argumentum cupiditatis; & ſic per vos fraterna caritas vulneretur, quod eſt vinculum perfectionis. Valete.

EPISTOLA XIV.

Bernerio honorabilis vitæ Abbati, Goffridus abbatum omnium minimus, à Deo ſalutem, & à ſe germanæ dilectionis devotionem.

SErvitio veſtræ bonitatis, quod mihi, licet immerito, ſæpe obtuliſtis, nunc opus habeo: & quem caritas debitorem fecit promittendo, non pigeat debitum ſolvere promiſſa reddendo. Andegavis ſiquidem Eccleſiaſticum negotium in craſtino Aſcenſionis acturi ſumus, ad quod prudentiæ veſtræ conſilium & auxilium diligenter invitamus: & ne in præſenti neceſſitate nobis deſit, humiliter deprecamur. Quòd ſi deprecationem noſtram qualibet occaſione exaudire diſſimulatis; amicus vtique diei poteſtis, ſed qui non permanet in tempore neceſſitatis.

EPISTOLA XV.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, cariſſimo domino & præcordialiſſimo amico, Bernerio Bonevallis Abbati, viro verè religioſo, beatam Trinitatem puro ſemper corde diligere, & eius proximæ feſtivitati nulla occaſione deeſſe.

AD celebrandam nobiſcum, quam diximus, ſanctæ & individuæ Trinitatis feſtivitatem, & tantæ ſolemnitatis devotio vos venire compellit, & vt ſepoſitis curis omnibus nullatenus differatis venire, quem erga vos habemus puræ dilectionis affectus ſuppliciter expoſcit. Debitum quippe religionis eſt; & germanæ caritatis argumentum, feſta ſanctorum Dei, & maxime ſuam ipſius feſtivitatem devotione celebrare; & diligentis ſe proximi iuſtum deſiderium totis viſceribus adimplere. Valete: & in his quæ humiliter rogamus, non ſit vobis tædioſum Deo & nobis obedire.

ized by Google

A

EPISTOLA XVI.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij inutilis ſeruus, viro æterna memoria digno, Bernerio Abbati Bonæuallis, in valle ſpiritualis frumenti abundare, & hymnum Deo dicere ſempiternum.

SAncti ſpiritus, vt arbitror, igne ſuccenſus, & ab increpatione Simoniacæ impietatis ſpiritum, quo agitaris, reprimere non valens, multos in te adverſarios incitaſti: inter alios maximè vnum, cuius nomen dicere ſuperfluum puto, quia nec vulgo manet incognitum. Et ſi illud, natura negante ſurdi non audiunt, nec muti loquuntur; eis tamen ab aliis nutibus & ſignis eſt indicatum. Tibi, religioſe Abba, à multis
B dicitur, quòd Simonem Magum noſtris temporibus in Eccleſia ſuſcitatum fruſtra extinguere verbis conaris, quia in hominibus qui corrigat non invenitur. Tu verò deſiderio repletus prophetico: tibi ſuaderi nullatenus poteſt, quin ſemper inquiras, qui tecum aſſurgat contra regnantem in ſancta Eccleſia abominationem, cum ipſo Propheta fideliter clamare non ceſ-
Pſal. 93. ſans, *Quis conſurget mihi adverſus malignantes, aut quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem?* Clama itaque tu organum Dei, tuba Spiritus ſancti. Ne ſileas, egregie præco veritatis, nec voce retrahas à correctione hæreticæ pravitatis: ſi eos qui ſanctæ Eccleſiæ caſtitatem fœda nimium pollutione commaculant, de templo eiicere, ſicut Salvator fecit, non vales verberibus, ſaltem verbis nulla deſinas occaſione. Noli, vir ſancte, noli credere illis, qui te loqui aſſerunt ſine vtilitate, quoniam eos, contra quos loqueris, revocare non potes à ſcelere. Qui talia dicunt, tecum pariter Ioannem ſanctum domini præcurſorem redarguunt. Ille
C enim quamvis Herodem ab inceſtu revocare non poſſet; veritatem tamen non ſiluit, dicens quòd ei vxorem fratres ſui habere nulla ratione liceret. Vnde ſi vir ſanctus decollari meruit, & coronari, Herodes impius, cum eis qui ſibi conſenſerunt, promeruit æternaliter cruciari. Satis eſt igitur melius cum Ioanne redarguere, quàm reticendo veritatem conſentire Herodi. Nulli certè Chriſtiano Chriſti Dei & Domini ſui legem ſilere licet, nec propter perſonam veritatem occultare. Nam qui propter perſonam veritatem occultat, Chriſtum, qui eſt veritas, videtur abnegare. Vale: & agnoſcant impij Simoniaci, te veritatis virtute plus poſſe, quàm poſſint ipſi Magi Simonis perverſitate.

EPISTOLA XVII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſeruus, venerabili Abbati Bernerio, viro verè religio-
D *ſo, dimidium animæ ſuæ, & ſi non ſufficit animam totam.*

PAter in Chriſto cariſſime, eſſe veſtrũ deſiderio ſcire deſiderans, quoniam præſens corpore non poſſum, præſentibus litteris dilectam Deo & caram hominibus dilectionem veſtram interrogare præſumpſi, qualiter congregatio veſtra ſe erga vos habeat: vos enim erga illam optimè habere non dubito. De viribus corporis iterum quæro: nam de virtutibus animæ veſtræ quærere ſuperfluum æſtimavi, quia illam de die in diem proficere credo certa fide, cùm divina cooperante gratia, veſtræ bonitatis longæua conſuetudo in hac credulitate ſenſus meos omnino firmet & muniat. De eſſe veſtro quærens, mirandum non eſt ſi valde ſollicitor, nam in proſperitate veſtra lætor vehementer & delector: in veſtra adverſitate non mediocriter afficior & contriſtor: licet in adverſitate, quæ iuſtum hominem probat, eſſet potiùs lætandum, ſi vis amoris, quo vos ſemper amavi, virtutem rationis admitteret.
E Hæc autem ratio, quamvis ad oſtium meæ mentis ſæpius pulſet, ei pulſanti non aperitur, nam funibus veſtræ dilectionis alligata, intrare non ſinitur. Veſtram igitur proſperitatem diligere poſſum: veſtram adverſitatem deſiderare vlla ratione non poſſum: ſed illam meam faciens compaſſionis affectu; vobiſcum vſque ad mortem humeris caritatis portare paratus ſum. Valete.

EPISTOLA XVIII.

Honorabili patri & ſuo præcordiali amico Bernerio, viro ſapientia doctrina, & vita meritis
F *decorato, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſeruus ſe totum cum poſſe ſuo.*

QVod vobis, venerande Pater, dixi ſimpliciter, ſicut audivi, monachi veſtri intellexerunt nequiter. Et ego mando vobis, quia illud libenter corrigam, nec vnde veſtri inſidiatores, quos filios credebam, vos valeant moleſtare, vlteriùs dicam. Simplicibus & bonæ voluntatis hominibus me loqui putabam: ſed præſentibus illis religioſæ ſimplicitatis inimicis ponam ori meo cuſtodiam. Quorum impuritas, velit nolit, quamdiu vixero certis indiciis poterit approbare quàm pura caritate vos diligo. Cum quo, ſi neceſſitas exigit, & adverſitatem ſuſtinere lætor, & ſine quo proſperitatem habere non delector.

EPISTOLA XIX.

G *Bernerio vita laudabilis Abbati, frater Goffridus, ſalutem & dilectionem.*

NOveritis, quod tamen vobis in aure dico, Deo volente, me ad præſens Romam iturum: ſed nec mulam habeo, nec mulum: & quia vos habere credo quod ego non habeo, humiliter ſupplico, vt animal vtrunque mihi præſtetis, aut vnum, vel, ſi placet, neutrum. Non tamen ideo de amicitia minus; quia vos propter veſtra non diligo, ſed propter vosmetipſum.

EPISTOLA XX.

Amico ſuo cariſſimo, Bernardo Abbati S. Launomari, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis Abbas, ſalutem.

H FRatrem hunc, quem vobis notum, & ex parte familiarem agnovimus, cum litteris noſtris ad vos mittere curavimus, vt eum ad ſalutem animæ ſuæ in congregatione veſtra recipiatis: ſi tamen recipere vultis Diu enim, vt ipſe bene noſtis, nobiſcum fuit; ſed mores ſuos iuxta deſiderium noſtrum corrigere noluit. Vnde meritò aut eius malitioſa vita blaſphemari poteſt, aut ignorantia, vel incuria noſtra, quod Deus abnuat, accuſari.

EPISTOLA XXI.

Venerabili fratri & coabbati, Odoni ſuo præcordiali amico, frater Goffridus ſalutem & dilectionem.

FAma diſcurrente ſiniſtra ad noſtrum vſque pervenit auditum, quòd Hieruſalem redeundi habetis

animum.

A animum. Hieruſalem ſemel vidiſſe vobis ſufficere de-
bet, quam ſi nunquam vidiſſetis, neque propter hoc
contra vos orta eſſet calumnia Diaboli, neque vobis
neceſſaria indulgentia Dei. Fides utique monaſticæ
profeſſionis eundo Hieruſalem obſervari minimè po-
teſt, ſed violari. Hieruſalem etenim ire, ſicut indictum
eſt laicis, ſic interdictum eſt monachis ab Apoſtoli-
ca ſede. Quod novi ego ipſe, ſicut ille, cuius aures
erant ad os domini Vrbani Papæ, cùm & eundo Hie-
ruſalem peregrinari præciperet laicis, & ipſam pere-
grinationem monachis prohiberet. Vbi ſanctus Bene-
dictus de peregrinis monachis mentionem facit, de
illis loquitur, qui eo tempore mundo quidem renun-
tiabant, ſeſe in Domini ſervitutem profitentes; nul-
lam tamen ſua profeſſione alicubi firmantes ſtabilita-
tem. Eos verò, qui certo in loco profitentur, ubi pro-
feſſi ſunt, & baiulare crucem Domini, & Dominum
ſequi neceſſe eſt, non peregrinam quærere ſepultu-
B ram. Non igitur ſub occaſione Hieroſolymitani iti-
neris deviemus ab itinere noſtræ profeſſionis: ne dum
falſam beatitudinem quærimus, veram & corporis &
animæ inveniamus miſeriam. Carnalis amore fratris
veſtri, qui in Hieruſalem eſt, aut fortaſſe iam mortuus
eſt, aut quouſque illuc perveniatis mori poteſt, mens
veſtra ad illicita minime trahatur; & ſpiritualium fi-
liorum, & fratrum, quos ſub pollicitatione fidei ve-
ſtræ regendos ſuſcepiſtis, & de quibus etiam Domino
redditurus eſtis rationem, cura deſeratur. Non eſt enim
opus fidelis & bonæ mulieris, proprios partus porcis
exponere; & quos ſemel vigilans peperit, dormiendo
opprimere. Hac arte Satanæ multi, qui in regeneratio-
ne prima diabolo, & in ſecunda diabolo ſimul & ſæ-
culo renuntiaverunt, terramque promiſſionis prævio
Spiritu ſancto iam ingreſſi fuerant, corde in Ægy-
ptum ſunt reverſi: & manna faſtidientes, ollas car-
nium, & cætera, quæ divinæ legi erant contraria, pe-
C tierunt. Habuerunt itaque eſcas: ſed in eſcis illis re-
tia, quibus capti, & hamum, quo ſunt tranſgulati, in-
venerunt. Hi comparabiles ſunt corvo infideli nuntio,
qui cupiditate cadaveris Noe ſancti Patriarchæ con-
tempſit imperium. Prius quidem, ut columba, accepe-
runt ramum olivæ, cum quo ad arcam redirent, & in
arca manerent: ſed de feneſtris arcæ, ad quas fide ba-
ptiſmatis & monaſtica profeſſione iam volaverant,
non redituri evolaverunt. De quorum numero quem-
libet hominem, multo minus igitur dominici gregis
paſtorem & cuſtodem eſſe non opto: ne fortè contin-
gat, quod Deus abnuat, illum ex paſtore lupum fieri,
& ex cuſtode latronem. Valete: & quæ bono animo
ſcripſimus, vobis placeat retinere.

EPISTOLA XXII.

Frater Goſſridus dilecto confratri Amblardo Lemovicenſi Abbati ſic fratres tibi commiſſos diligere, ne à te eorum diligantur errores.

D PErlectis literis tuis, quibus de Monacho tuo con-
queſtus es, agnovimus, quòd immemor Eccleſia-
ſtici vigoris, & honoris, & officij ac miniſterij ſui
oblitus, linguæ aculeis te exacerbare præſumpſerit.
Lingua quidem ſecundum Iacobum, inquietum ma-
lum eſt, modicumque membrum, ſed magnam ſyl-
vam incendit, quia animæ & corporis ſubſtantiam
perdit. Lingua ignis eſt, & in ea univerſitas iniquita-
tis conſiſtit. Lingua gladius eſt, quo conditor & re-
demptor noſter à Iudæis interfectus noſcitur: nec illis
tantùm qui Chriſtum gladio ferri, quantùm illis qui
eum gladio verbi peremerunt, mors Chriſti deputa-
tur. Chriſtus ipſe in cruce iam poſitus pro illis potiùs
oravit, qui eum gladio ferri pupugerunt; non pro
illis, qui eum gladio verbi occiderunt. Si igitur lin-
guæ perverſitas non reſtringitur, non multum pro-
deſt, ſi cætera mala corrigantur. Habes circa huiuſ-
modi delinquentes, & in veteri & in novo teſtamen-
to, divina conſilia & præcepta; cum Dominus Deus
in Deuteronomio dicat, *Et homo quicumque fecerit in* E
ſuperbia ut non exaudiat ſacerdotem aut iudicem, qui- Deut. 17.
cumque fuerit homo ille morietur, & omnis populus cùm
audierit, timebit: & non aget impiè, ne moriatur. Et
ut ſciamus hanc Dei vocem cum vera & ſumma ma-
ieſtate eius proceſſiſſe, ad honorandos & vindicandos
ſacerdotes, qui in eius loco ſtant, aut de eius loco ca-
dunt; cùm adverſus Aaron ſacerdotem tres de mini-
ſtris Chore, Dathan & Abiron auſi ſunt ſuperbire,
hiatu terræ abſorpti ac devorati pœnas ſtatim ſacrile-
gæ audaciæ perſolverunt. Nec illi ſoli, ſed & cæteri
ducenti quinquaginta, qui eorum comites ad auda-
ciam fuerunt, prorumpente à Domino igne conſum-
pti ſunt. Vnde vera propoſitione probatur, quòd non
ſolùm qui contra præpoſitos Eccleſiæ ſuperbiunt, ſed
etiam qui conſentiunt eis, à Deo damnantur. In libro
quoque regnorum, cùm Samuel ſacerdos à populo
contemneretur, exclamavit Dominus, & dixit: *Non*
te ſpreverunt, ſed me. Et ut hoc ulciſceretur, excita- F
vit Saulem regem, qui ſuperbum populum calcaret
& premeret, & per diverſa pœnarum genera afflige-
ret, ut contemptus ſacerdos ultione divina vindica-
retur. David ſanctus cùm oram chlamydis Saulis re-
gis peſſimi, & iam in Dei diſpoſitione depoſiti, oc-
culte abſcidiſſet, quod factum parviſſimam contra
doctorem muſſitationem ſignificat, magna cordis
contritione ſe arguit, quia in peccatore præpoſito
Dei poteſtatem, quam venerari debuiſſet, & aucto-
ritatem agnovit; quæ nec maior iuſtis paſtoribus à
Deo conceditur, nec minor iniuſtis. Sed & Salomon
in Spiritu ſancto conſtitutus docet, quæ ſit ſacerdota-
lis auctoritas & poteſtas, dicens: *Ex tota anima tua* Eccl. 7.
time Deum, & ſacerdotes eius ſanctifica. Et iterum: Ibid.
Honora Deum tuum ex tota anima tua, & honorifica Act. 23.
ſacerdotes eius. Quorum præceptorum memor B. Pau- Ibid.
lus, cum Sacerdoti, neſciens eum Sacerdotem eſſe,
malediceret, & ei diceretur, *Sic inſilis in Sacerdotem*
maledicendo? ſtatim culpam agnovit: & quia noxam G
ex ignorantia contraxerit, aſſeruit, dicens, *Neſcie-* 1. Reg. 9.
bam, fratres, quia Pontifex eſſet. Scriptum eſt enim,
Principem populi tui non maledices. Et alibi dicit: *Non*
eſt poteſtas niſi à Deo: Et qui reſiſtit poteſtati, divinæ
ordinationi reſiſtit: & qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnatio-
nem acquirunt. Dominus etiam noſter ipſe Ieſus Chri-
ſtus, Rex & iudex & magiſter noſter, uſque ad paſ-
ſionis diem ſervavit honorem ſacerdotibus, quamvis
illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſervaſ-
ſent. Nam cum leproſum mundaſſet, dixit illi, *Vade*
& oſtende te Sacerdoti. Ea humilitate, qua nos quo- Mat. 8.
que humiles eſſe docuit, ſacerdotem appellabat, quem
ſciebat eſſe ſacrilegum. Item ſub ictu paſſionis, cùm
alapam accepiſſet, & ei diceretur, *Sic reſpondes Pon-* Ioan. 18.
tifici? nihil contumelioſè locutus eſt in perſonam
Pontificis; ſed magis innocentiam ſuam ſervavit, di-
cens: *Si malè locutus ſum, exprobra de malo: ſi autem*
benè, quid me cadis? Quæ omnia ab eo ideo facta
ſunt humiliter atque patienter, ut nos ſuæ humilita- H
tis ac patientiæ haberemus & ſequeremur exemplum.
Docet Doctores Eccleſiæ legitimè & plenè honorari,
etiam ſi aliter agant quàm debeant, dum circa falſos
doctores Deus ipſe talis exiſtit. Præterea ſanctos Apo-
ſtolos Scribarum & Phariſæorum, perverſorum at-
que ſacrilegorum doctorum, poteſtati ſubſtituit; qua-
tenus Apoſtolorum & probaretur humilitas, & meritũ
augeretur; & per hoc plebs Chriſtiana diſceret porta-
re iugũ veri ſacerdotis, etiam ſub falſo ſacerdote. Me-
miniſſe Monachi debent, quoniam Abbates Deus in-
ſtituit: Abbates autem monachos conſtituerunt. Quòd
ſi nos aliquid audere contra Deũ poſſumus, qui Abba-
tes facit; poſſunt & contra nos audere monachi, à qui-
bus fiunt. Qualeſcũque ſunt Eccleſiæ doctores, de ipſis
tamẽ Dominus dicit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos* Luc. 10.
ſpernit, me ſpernit. Et: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi* Zach. 2.
mei. Tangere hoc in loco non verberum quamlibet
actionem ſignificat; ſed quæ fit in prælatos à ſubditis,

A Num. 12. præloquente prælato eis diabolo, linguæ vel cordis detractionem. Maria utique ſoror Aaron prophetiſſa, dum Moyſi detraxit, quamvis ipſe aliquando aliter fecerit, illico ſtigmate lepræ perfuſa eſt, & de caſtris Domini foras proiecta. Ozas etiam Levites, cùm arcam Domini recalcitrantibus bobus cerneret inclinatam, eam volens erigere, ſtatim ab Angelo Domini percuſſus interiit. Per arcam præpoſitus Eccleſiæ ſignatur, quem reprehendere minori ordini nulla ratione permittitur. Vtile eſt & neceſſarium, ut B. Euſebius dicit, ut rectores à ſubditis timeantur,& ab ipſis corrigantur; ut humana formidine peccare metuant, qui divina iudicia non formidant. Deteriores quippe ſunt, ut idem ipſe aſſerit, qui detractionibus doctorum vitam moreſque, quamvis videantur reprehenſibiles, inſequuntur, his qui ſubſtantias aliorum prædiaque diripiunt. Et ideò iuſtè infames ſunt, & ab Eccleſia extorres fiunt. Nam ſic odit Deus eos, qui linguarum gladiis, ſeu quolibet alio modo, adverſus patres armantur, ut patrum invaſores, & in omni mundo notantur infamia. B Quos enim Deus ſuo reſervavit iudicio, humano examine condemnari nec debent,nec poſſunt. Et B. Gelaſius Papa: [Oves quæ paſtori ſuo commiſſæ ſunt, eum reprehendere, niſi à Catholica fide exorbitaverit, nec debent, nec ullatenus accuſare poſſunt: quia facta paſtorum oris eorum gladio ferienda non ſunt, quamvis rectè reprehendenda videantur.] Et B. Gregorius in moralibus ſcribit, dicens: [Magiſtrorum vita, etiam ſi iure reprehenditur, oportet tamen ut à ſubditis ſufferantur pariter & timeantur.] Subtilis ergo via tenenda eſt à ſubditis rectitudinis,& humilitatis, ut reprehenſibilia magiſtrorum facta nec placeant, nec tamen eorum mentes à ſervanda magiſtrorum reverentia recedant.Quod bene Noe debriato exprimitur, cuius nudata verecundiora boni filij averſi veniendo texerunt. Quid eſt quod filij verecundiam patris ſuperiecto dorſis pallio averſi venientes operiunt; niſi quòd bonis ſubditis ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, ut tamen hæc ab aliis occultent! C Si verò ſubditi à rectorum ſuorum reprehenſione temperare ſe negligunt, uſque ad reprehenſionem ipſius conditoris excedunt, cuius ſuperna diſpoſitione prælati ſunt. Nam ſi opera hominum iniuſta videntur, poteſtas, quæ à Deo eſt, nunquam erit niſi iuſta: quam iniuſti homines multotiens propter ſubiectorum merita habere permittuntur.Non eſt toleranda à præpoſitis ſuperba loquacitas vel præſumptio ſubiectorum. Hæc ſunt enim, ſicut venerabilis doctor & martyr Cyprianus ſcribit, hæreticorum ortus, atque conatus ſchiſmaticorum malè cogitantium: ut ſic ſuperbi ſuperbis placeant; ut præpoſitum ſuperbo tum ore contemnant. Sic de Eccleſia receditur: ſic altare profanum extra Eccleſiam collocatur: ſic contra pacem Chriſti & ordinationem, atque unitatem Dei rebellatur. Oportet ergo monachum, de quo mihi ſcripſiſti, ne & ipſe dæmonium fiat, D agere audaciæ ſuæ pœnitentiam:& honorem Dei in ſacerdote etiam aliter agente agnoſcere:& tota cordis & corporis ſupplicatione ſuo præpoſito ſatisfacere. Quòd ſi ſuperbus extiterit, exerce in eum honoris tui poteſtatem: ut tanquam homicida, ab omni ordine depoſitus, vel ſic agnoſcat Eccleſiaſticæ cenſuræ rigorem. Nam ſi Deus ſuperbis Angelis non pepercit, ſuperbis hominibus parcendum dedocuit. Homicidarum verò tria genera eſſe Clemens ſanctus,diſcipulus B. Petri & ſucceſſor eius, in Concilio reſidens aſſervit: & pœnam eorum parilem fore nos docuit. Sicut enim interfectores fratrum, ita & detractores eorum, eorumque odientes, homicidas appellavit. Quia & qui occidit, & qui odit fratrem ſuum, & qui detrahit, homicida eſt, quoniam detractio, etiam ſi cum veritate miſceatur, ex odio ſurgit. Optare tamen debes, magis iniurias odientium pietate & patientia vincere,quam conceſſa tibi licentia & auctoritate vindicare. Vale,& quæ tibi ſcripſimus, ſi bona ſunt, tene.

E

EPISTOLA XXIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij Abbas, G. venerabili priori de caritate cum dilectione ſalutem.

PRæſentium latorem veſtræ bonitati transmittimus, quatenus cum in congregatione veſtra ad ſalutem animæ ſuæ,ſi vultis, recipiatis. Hoc tamen vobis laudare nec audemus, nec vituperare volumus. Diu etenim nobiſcum fuit, & pravos mores ſuos ſemper emendare contempſit. Sed bonum, quod apud nos diutius facere diſtulit, apud vos forſitan facere curabit.

EPISTOLA XXIV.

F

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis Abbas, in Chriſto dilectis filiis Hamelino & cæteris omnibus, proſpera mundi deſpicere, & nulla eius adverſa formidare.

GAudeo planè propter conſtantiam veſtram,quam Deo acceptam eſſe non dubito, & coram bonis hominibus cognovi approbatam. Si moleſtum habetis, quod in Eccleſia voces cantando non exaltatis, dico vobis quia oris vocem Deus non attendit, ſed cordis. Quare non eſt opus ſonantibus verbis cum oramus: ſed ubi ſacrificamus, ibi & orare debemus. Vbi verò ſacrificandum ſit,pſalmiſta manifeſtat, cum dicit: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Psal. 50. Si quis fortè huic ſententiæ obviare tentaverit, aſſerens in Eccleſia ſuper altare eſſe ſacrificandum ſicuti fit, verum eſt utique quod dicit.Sed ſcire debet, quia in Eccleſia altare ibi nihil aliud ſignificat, quam cor in homine. Quæ ergo,fratres,dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini. Sacrificate ſacrificium, G ut diximus, ſperantes in Domino, cuius miſericordia adiuti viſibilem & inviſibilem ſuperabitis inimicum. Certè, fratres, vos non pugnatis eo, quod alicui ſua auferre vel ſubripere velitis: ſed ne ſponſa Dei Eccleſia, quæ caſta omnino debet eſſe & libera, ſecularitatis concubina fiat, & ancilla. Hoc ſi fieri poſſet, quod abſit, non tam domus Dei quam ſpelunca latronum, & ſentina vitiorum dici deberet. Eſt etiam alia cauſa veſtræ magnæ ſecuritatis, quod non feriendo, ſed patiendo reſiſtitis: & non tam pro vobis, quàm pro ſucceſſoribus veſtris, hoc facitis.Vnde patet,quòd ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti exemplum tenetis, qui & pro aliis pertulit, & patiendo hoſtem ſuperavit. Et ſicut Dominum Ieſum, caput noſtrum, viciſſe diabolum veraciter credimus;ita & nos omnes adverſarios noſtros ſuperare valebimus, ſi illius membra fuerimus. Cariſſimi,mirari nolite,quod ad vos venire H differo: quia ſexum illum mihi ſuſpectum invenio, quem nec amicis bene fiſum agnoſco. Sexus iſte noſtrum primum venenavit parentem;ſuum quoque maritum & patrem:iugulavit Ioannem Baptiſtam:inimicis ſuis fortiſſimum tradidit Samſonem: quodam etiam modo interfecit Salvatorem: quia niſi eius culpa exigeret, Salvator noſter pro nobis mori neceſſarium non haberet. Heu quantos iam perdidit! quos adhuc poteſt perdere non deſiſtit. Vt breviter dicam: omnibus qui perierunt, qui pereunt, ſeu qui utique in finem ſæculi perituri ſunt, ſexus iſte duplicem contulit mortem. Niſi enim peccaſſet, & peccando primum hominem peccare feciſſet, homo non moreretur in corpore; nec eius anima in æternum periret. Væ ſexui, cui nec timor ineſt, nec verecundia, nec bonitas, nec amicitia: qui magis timeri poteſt cũ amatur,quàm cùm odio habetur.In his verbis epiſtola noſtra cõcluditur.Dominus Ieſus Chriſtus

ſit

A ſit Abbas & pater veſter; bona eius genitrix Maria, veſtra mater. Ipſi Deo & Domino noſtro, qui pro peccatis noſtris in cruce poſitus, B. Ioanni ſuam ſanctiſſimam commendavit matrem, veſtram commendo fraternitatem; ut ſua pietate vobis donare dignetur veram caritatem, veram obedientiam, puram cordis & corporis caſtitatem: & inter proſpera humiles, & inter adverſa ſecuros vos faciat, & ad gaudia ſine fine manſura perducat.

EPISTOLA XXV.

Goffridus Vindocinenſis cœnobij ſervorum ſervus, dilectis in Chriſto fratribus æternam benedictionem.

B QVod vos diu eſt non viſitavi, ſcitote hoc non meæ voluntatis fuiſſe, ſed penitus neceſſitatis. Infirmitas enim, quæ dum apud vos eſſem me cœpit, ut à vobis receſſi, quatuor tantùm diebus me dimiſit; ſed poſtea graviter invaſit. Vnde ab amicis noſtris accepto conſilio potionem ſumpſi, qua dum corpus purgare debui, penè me corporis vita purgavi. Sed Dei gratia de infirmitate illa convalui: & ad vos quàm citius potero, revertar, quos præ cunctis hominibus ſemper diligo, & dilexi.

EPISTOLA XXVI.

Dilectis in Chriſto diſcipulis Ingelbaldo & omnibus aliis Goffridus eorum indignus pater, ſalutem à Deo & benedictionem.

CAlumniæ, quæ in partibus patriæ Andegavenſis C olim contra nos ortæ fuerunt, divina opitulante gratia, ad honorem noſtrum & utilitatem ſunt ſedatæ. Novitium quendam honeſtæ vitæ, & optimè litteratum ſuſcepi: quem ſeculi pannis exutum, regulari veſte habeo veſtitum. Dominus Prior noſter infirmus tenetur, ſed de beata illa anima quid dicerem, quæ ſi vocante, Domino, à ſeculo migraret, nunquam, ut æſtimo, gehennam ſentiret? Sed me infelicem! me miſerum! quem nulla peccatorum meorum recordatio momordit, dum carnis ſanitas blandiretur. Num ſaltem inopinata infirmitas, quæ me ſubito preſſit, circa mea mala reddere deberet ſollicitum. Cum ſanguinis immoderantiam metuens parum me minui feciſſem; minutionis die tertia, diſcors humorum fluxus ordinem naturæ tranſgrediens per diem & noctem de corpore meo emanavit. Quem dum bona Dei pietas reſtrinxiſſet, febris mihi cognita pridem me vacuum pariter & fatigatum ſtatim arripuit. Hinc igitur non iam ut ſubditos, non iam ut diſcipulos, ſed ſicut dominos & amicos cariſſimos, ex intimo cordis affectu vos deprecor, quatenus D quidquid in vos deliqui, propter caritatem, quæ Chriſtus eſt, corde, ore mihi demittatis, & infirmitati animæ meæ ſuccurrere, quia valdè neceſſe eſt, non differatis. Caro quidem, unde gloriari oportet, affligitur: animæ verò ſuccurrendum eſt orando; de qua lugendum vehementer, ſi periclitatur.

EPISTOLA XXVII.

Frater Goffridus Vindocinenſi monaſterij qualiſcunque miniſter & humilis ſervus, dilectis filiis & fratribus, Hugoni priori, & cæteris omnibus, perpetuam benedictionem à Domino, & à ſe puram & integram dilectionem.

QVoniam oculus animæ noſtræ vobis vigilat diligenter; ut mihi vicem mutuæ dilectionis reddatis, E quæſo humiliter. Vigilate itaque orantes pro me, licet indigno, veſtro, tamen paſtore: qui vos intra ſinum memoriæ noſtræ ſemper contineo, & de mamilla proprij pectoris lac paternæ dulcedinis, abſens quidem corpore, ſed præſens dilectione, vobis tribuo, potum ſimul animarum veſtrarum & eſcam. Tali potu & eſca fidelium diſcipulorum mentes ſatiantur; dulcedine ſcilicet ſui paſtoris & amore. Ego certè veſtræ anxietati, quam pro noſtra abſentia vos habere non dubito, valde compatiens, pane tribulationis mens noſtra frequenter cibatur, & potatur aqua anguſtiæ. Eſt mihi tamen conſolatio maxima, cara videlicet dilectio veſtra, & malorum hominum patienter portata perſecutio. Verè vera dilectio veſtra me conſolatur; quæ pro purificatione animæ noſtræ Deum die ac nocte precatur. Pravorum autem hominum etiam maledictio vehementer optanda eſt, & eorum benedictio non mediocriter formidanda. F Nam maledictio illorum creat beatitudinem, & eorum benedictio acquirit damnationem. Vnde ſi mihi non creditur, Chriſto ſaltem credatur, qui non mentitur: qui diſcipulis ſuis loquitur, dicens: *Væ cùm benedixerint vobis homines, & cum vos maledixerint beati eſtis.* Non horariam, ſed aſſiduam fidelibus, non infidelibus Chriſtus in hoc mundo promiſit preſſuram. Vnde vera ratione & Chriſti auctoritate probatur, quòd quicunque preſſuram odit quam Chriſtus promiſit, non fidelis filij ſortitur hæreditatem; ſed infidelis ſervi carcerem promeretur. Nec promittentem diligit Chriſtum, qui Chriſti promittentis odit promiſſum. Nos autem, fratres, & promittentem Chriſtum & eius promiſſum toto corde, tota anima, tota virtute diligamus: & preſſuræ, quam ſuis promiſit, ſi ſui eſſe volumus, nos ultro offeramus: quia parum eſt, vel nihil penitus, quamlibet preſſuram pro tanto domino ſuſtinere, cum ipſum dominum preſſuræ præmium agnoſcamus. Omnis itaque preſſura, tribulatio, & anguſtia deſiderio deſideranda eſt, ubi Chriſtus eſt in G cauſa. Chriſtus utique ſemper eſt in cauſa Eccleſiæ ſuæ, in qua nulli deeſt homini ſive iuſto, ſive peccatori. In hac cauſa iuſtum quidem probat, ut adhuc iuſtificetur: hac examinat peccatorem, ut iuſtus efficiatur. Pro hac cauſa ipſemet etiam carnem ſuſcepit, & decertavit uſque ad mortem: nec feriendo, ſed patiendo ſuperavit. Nos igitur amplius non affectemus laudes hominum, ut quaſlibet eorum preſſuras timeamus: ſed Chriſtum in ſua cauſa eſſe nobiſcum firmiſſimè credamus: & pro ipſo, qui nos redemit ſanguine proprio, etiam ſi opus fuerit, uſque ad ſanguinem decertemus. Nam penè aut penitus irremiſſibile nobis ab ipſo peccatum imputabitur, ſi ſanguinem noſtrum pretioſiorem habeamus, quàm ſuum. Valete; & in cauſa Dei cum ipſo conſtantes eſtote.

EPISTOLA XXVIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij Abbas, cariſſimo fratri Roberto ſalutem.

H ABſtinentia, quam facis, ſcilicet quòd tribus diebus tantummodo in hebdomada reficis, ſatis laudabilis eſſet, ſi quo modo videretur regularis. Regula namque, quam te obſervaturum coram Deo & ſanctis eius promiſiſti, præcipit, quod ſi quis fratrum, aliquid Deo offerre voluerit, illud prius Abbati ſuo oſtendat, ut eius voluntate & concilio fiat. Si autem aliter fecerit, præſumptioni deputabitur, & non mercedi. Tu verò ſine voluntate noſtra hanc abſtinentiam arripuiſti. Vnde timeo ne vanitati potius deputetur, quàm ſaluti. Te igitur, frater, admoneo, ut quod voluntate propria præſumpſiſti, voluntate noſtra & conſilio deſeras, &, non veni facere voluntatem, cum Domino dicas. Iterum ſi te ieiunare delectat, laudo; ut ieiunando comedas, & comedendo abſtineas. Ille enim ieiunando comedit, & comedendo abſtinet, qui ſic

quotidie

quotidie comedit, quod ventri nullatenus ſatisfaciat. Vno ſiquidem die omninò abſtinere, & altero ad plenum reficere, non ſatis videtur probabile. Die enim quo homo nihil cibi accipit multotiens murmurat: altero verò cum multum deſideratum cibum habuerit, vix modum in comedendo ſervat: & cùm iam repletus fuerit, ineptam lætitiam gerit. Et idcirco utile valde, immò neceſſarium animæ & corpori eſſe cognoſcimus, ut & caro quotidie cibis ſuſtentetur, & tamen à vitiis refrænetur. Nam qui ſic vivit, duobus modis ſibi proficit: quandoquidem & ab elatione alienus exiſtit, & cætera bona operari non renuit. Ad conquirendam itaque ſalutem æternam abſtinentia corporalis ſola non ſufficit, niſi & animæ quoque ieiunium per abſtinentiam vitiorum fuerit ſociatum. Et ideò, dilectiſſime, ita corpus exerce ieiuniis, ut purges mentem a vitiis. Hoc eſt autem ſpirituale ieiunium, per quod ſine dubio ſocietas acquiritur civium ſupernorum. Et ille laudabiliter hoc ieiunium ſervat, quem detractio nulla exaſperat: quem nec furor, immoderata ira exagitat: quem ſuperbia gratia Dei non ſpoliat: quem maledictis lingua non maculat: quem rancor, ſeu murmur non cruciat. Vale, & ſuper hoc obedire non negligas.

EPISTOLA XXIX.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, ſuo multum dilecto fratri & filio Rainaldo, Deum timere, & cum timore diligere.

INfirmitas veſtra, quam noſtram facimus compaſſionis affectu, non magis ſibi ſubveniri exigit, quàm noſtra optat dilectio. At quia animo cupienti nil ſatis feſtinatur, forſan venit vobis in mentem, quòd ſalus veſtra aut non curetur à nobis, aut oblivioni tradatur. Sed non ita eſt: quia omnia, quæ mandaſtis vobis eſſe neceſſaria, quæſivimus: quæſita iam quædam invenimus: quædam adhuc invenire nequivimus. Medicus verò, in quo ſpes ſoſpitatis veſtræ tota ſuſpenditur, ad nos venit, Turonum rediturus, ibi confecturus medicinam omnino vobis profuturam, ut aſſerit, & ſic ad vos nobiſcum venturus. Interim mittit vobis electuarium utile valdè veſtræ infirmitati, immò neceſſarium, quod quotidie ieiunus accipiatis, & poſt cœnam antequam dormiatis.

EPISTOLA XXX.

Frater Goffridus fratribus & filiis, R. Priori & aliis omnibus: omnia quæ corpori ſunt neceſſaria, & utilia animæ, à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto, & Spiritu vobis multiplicentur, ut bona voluntate domino ſerviatis, & gaudeatis in ipſo.

CVm tranquillitate, & multa pace, & omni amicitia deſiderio deſidero venire ad vos: ſed quæ ſunt neceſſitatis veſtræ & utilitatis me impediunt. Vnde Deo auxiliante expediar, & quàm citius potero vos videbo. A quibus licet abſens corpore videar, me vobis infirma fide credatis corde ſemper & dilectione præſentem. Vos enim eſtis ſenſus mei, mea cogitatio; vos viſcera mea, vobis utrumque dedi, corpus utique meum, & animam meam: pro vobis utrumque, ut fidelius poſſum, expendo quotidie. Per vos utrumque commendo Domino Deo vivens, & etiam moriens commendabo. De cætero, fratres, quæ bona ſunt & ſancta, quæ bonæ famæ, quæ ſanæ doctrinæ & diſciplinæ cogitate & facite: quoniam vobis à Deo optimè retribuetur: & à me pro viribus meis, qualicumque veſtro paſtore. Valete, & quæ vobis in membranis ſcripſi, in cordibus veſtris tranſcribite: ne me pœniteat, ingratis, quod abſit, tam bona ſcripſiſſe.

EPISTOLA XXXI.

Frater Goffridus fratribus & filiis, R. Priori, & cæteris omnibus, Deum timere, & obſervare mandata eius.

MAndavi, & mando, quòd pro veſtra neceſſitate & utilitate feci moram: ſed ad præſens prævio Spiritu ſancto veniam ad vos, quos puræ dilectionis affectu dilexi, & diligam. Si tales invenero, quales vos invenire deſidero; talem me inveneritis, qualem invenire deſideratis. Servate innocentiam, humilitatem habetote, diligite patientiam, iſta ſunt enim quæ diſcipulorum obedientiam laudabilem faciunt, & tranquillam mentem magiſtrorum. Hæc abſens ſcribo, ut mihi detis occaſionem vobis quod melius potero faciendi cùm præſens fuero. Si fratres, qui aliter quàm debuiſſent fecerunt, ſe digna emendatione correxerunt, mihi multùm placet, & omnipotenti Deo multiplices grates & gratias ago. Natura noſtra etiam ad culparum vindictam invita trahitur, & velox eſt ad indulgentiam. Conſilium quidem ſtabile unicuique rectori animæ ineſſe debet: ſed in eo qui peccavit, & pœnitet, non ſit difficilis mutare ſententiam. Vtinam qui peccavit, tam cito pœnitentia duceretur, quàm citò mutaretur in ipſo noſtra ſententia. In ædificationem me miſſum intelligo, non in deſtructionem. Neminem veſtrum vexare quæro, ſed vobis omnibus opto quietem. Sed ille, inquam, inſanus eſt, & malignum ſpiritum habet, qui eum ad iram provocare ſatagit, à quo poſt Dominum omnia ſperare licet, & ſine quo nihil ei poſſit eſſe quod proſit. Valete.

EPISTOLA XXXII.

Goffridus Abbas non ſuis meritis, ſed Dei gratia, dilectis filiis R. Priori, & omnibus aliis ſalutem & dilectionem.

QVod vobiſcum in Paſcha non fui, noſtri corporis infirmitas cauſa extitit. Gibbus enim mihi crevit in dorſo, unde me ſecari oportuit. Et quamvis inter manus & lacrymoſas voces dilectarum Deo ſanctimonialium de fonte Ebraldi, raſorio ſcribente in noſtra carne ſuas litteras, corpus noſtrum infirmitate pariter & vulnere non mediocriter fatigatum teneretur, nec infirmitas, nec ſecantis crudelitas, nec ſtatim impoſiti ſalis aſperitas, ut vos vel ad momentum obliviſcerer, facere potuit: ſed ſpiritus puræ dilectionis, quo vos ſemper dilexi, & diligo, & diligam manſit vobiſcum. Dei tandem adiuvante clementia aliquantulum de infirmitate convalui: & partim aqua, partimque equo portatus Andegavim veni. Valete in Domino omni tempore; ipſum Deum & Dominum noſtrum rogantes, ut me, & in infirmitate patientem, & in proſperitate humilem faciat: & me, & vos in ſui dilectione cuſtodiat.

EPISTOLA XXXIII.

Goffridus Abbas non ſuis meritis, ſed Dei gratia, dilectis filiis R. Priori, & omnibus aliis, illam à Deo, quam dedit ſuis ſanctis diſcipulis, benedictionem.

PRo veſtris piis precibus & lacrymis, quas pro me, licet indigno paſtore veſtro, filiali devotione

A Domino Deo obtuliſtis, multiplices gratiarum refero actiones. Pius & patiens Dominus, cuius patientia me diu peccantem ſuſtinuit, pietate ſua; veſtris intercedentibus meritis, meæ infirmitatis & vulneris ſpecialis medicus fuit. Vnde nullatenus valeo deſperare ſoſpitatem. Ego quidem quàm citius potero ad vos veniam, quos deſiderio videre deſidero: & in quibus poſt Deum totius animæ meæ poſui intentionem. Valete.

EPISTOLA XXXIV.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervorum ſervus, dilectis in Chriſto filiis, Goffrido de Surgeriis, Iordanq de Podio rebelli, Rainaldo

B *Cartaldo, Herneo de Olona, ſalutem.*

MAndamus vobis, & mandando præcipimus, quatenus in proxima ſanctæ Trinitatis feſtivitate ad nos venire, & monaſterium veſtrum, prout dignum eſt, viſitare non differatis; quod etiam non invitati facere deberetis. Hoc autem ſi quis veſtrum contemſerit, niſi gravi corporis infirmitate detentus, donec de inobedientia ſatisfaciat, à ſanctæ Eccleſiæ liminibus alienus exiſtat.

EPISTOLA XXXV.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus dilectis in Chriſto filiis, Iordano, Rainaldo, Cartaldo, ſalutem & benedictionem.

C SI iuſſionibus noſtris aliquando vos gravamus, non ideo contra nos murmurare debetis, vel quod abſit, nos odio habere; quoniam vobis multa imperamus neceſſitate monaſterij potius, quam voluntate. Obedientia tamen hanc ſibi ſpecialiter poteſtatem vindicat, ut non tam eius cui præcipitur, quàm eius qui præcipit voluntas fiat. Vnde Dominus in Evangelio obedientiæ formam tribuens, dicit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui me miſit.* Expedit itaque vobis ſecundum Domini ſententiam, alterius obedire voluntati, non veſtram ſequi. Sed quæ, vel quanta vobis ob hoc in futuro merces repromittitur, ſi bene conſideratis, ſuave, leveque vobis erit, quidquid in præſenti pro Domino ſuſtinueritis. Repromittitur ſiquidem vobis vita ſine ſenio, ſatietas continua ſine faſtidio, ſocietas Angelorum, & quod ſuper omne bonum eſt, facie ad faciem aſſiduè videre Deum. Et quia de obedientia caritati veſtræ loqui cepimus, ſub ipſius obedientiæ nomine, & in remiſſionem omnium peccatorum

D veſtrorum mandamus vobis, quatenus piſces noſtros, cibaria videlicet fratrum veſtrorum, uſque Andegavim adducatis. Valete, ſi obedientes fueritis.

EPISTOLA XXXVI.

Goffridus, qui gratia Dei eſt id quod eſt, dilectis in Chriſto fratribus, Hamelino Priori, Briccio Cellario, ſalutem.

VOlo vos non ignorare, ſed firmiter credere, me cum magno comitatu pro cauſa, quam ſcitis, Andegavim venturum vigilia Aſcenſionis, ſi detentus non fuero, quod Deus abnuat, corporis infirmitate. Hoc vobis curavi prædicere, quos ad expenſas faciendas paratos deſiderio deſidero invenire. Si verò verbis aut clamore cordis obiicitis, paupertatem veſtram

E ad hæc minimè poſſe ſufficere; hic nulla neceſſitas cogit me reſpondere: ſed imperat veritas vos non debere ſic loqui, nec ſic cogitare, qui divite Chriſto non debetis pauperiem formidare, & quibus, quod habemus, nullatenus poteſt deficere. Mallemus quidem quidquid Credonis poſſidere cernimur honorabiliter expendere, quàm rebus Eccleſiæ Dei iniuſtas ac pravas conſuetudines homo incompoſitus & fatuus abſque reclamatione violenter poſſet imprimere. Valete: & cui ſervitis, de ſancti Clementis magna clementia confidite, de victoria nihil penitus hæſitantes.

EPISTOLA XXXVII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, dilecto fratri Hamelino, ſi obedire,

F *ut obedientiæ fructum poſſit recipere.*

INfirmitati tuæ, qua, ut mandaſti, ingraveſcente ad nos venire non potuiſti, ſed domum redire potuiſti, quanto poſſumus, & debemus cordis affectu compatimur. Illam tamen infirmitatem vehementer miramur, quæ tibi impedimento fuit, ne ad nos venires, & impedimento eſſe non potuit, ne redires. Certè ſi non potuiſſes venire, ſicut potuiſti redire, mittere debuiſſes, per quem conſtitutionem Dei & noſtram compleſſes. Firmiſſime crede, & nullatenus dubites, fili in Chriſto cariſſime, quod monachus, qui verbis obedientiam ſapit, & obedientiæ opus non facit, verbis quidem monachus videtur, ſed opere monachus eſſe negatur. Vnde eius verba verbera potius quàm gratiam promerentur. Vale, & formoſa verba obedientiæ proſequere obedientiæ formoſo opere.

G EPISTOLA XXXVIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, dilecto fratri Andreæ, ſalutis monita oblivioni non tradere

DE te nobis relatum ſcias, quod generalem refectorij panem & vinum reſpuiſti: & ut alium panem, vinumque aliud tibi quæreret, cellario præcepiſti. Si per invidiam & non ex veritate dictum eſt, dicentem non dubites pœnam acquiſiſſe ſibi. Si verò à te actum eſt, ſapienter corrige quod feciſti. Oportet enim te, frater, ſic in omnibus temperari, ne quaſi libera utens poteſtate quicquam facias, unde meritò fratribus, quos tuæ dilectioni commiſimus, ſcandalum valeat vel murmur generari.

H EPISTOLA XXXIX.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, dilecto in Chriſto filio Andreæ, prudenter & ſimpliciter in omnibus miniſtrare.

CIrca fratres, quos tuæ fidei commiſimus, ſic te decet eſſe ſollicitum, ut dum animas eorum ſalvare deſideras, curam corporum exhibere non negligas. Non enim bene in homine animam diligit, qui corpori in ſua neceſſitate refugit ſubvenire. Vtrumque Deus condidit, & ut utrumque repararet, utrumque ſuſcepit; carne quidem mortuus eſt, & animæ vitam, quam peccato ſuo perdiderat, iterum dedit. Non ex carnis corruptione, ſicut quidam putant, animæ mors proceſſit: nec diabolus prius carnem noſtram infecit,

quàm

A quàm animam. Vnde qui rectè credit, intelligit, quòd corruptibilis caro non animam peccatricem, ſed anima peccatrix carnem corruptibilem fecit. In quibus fraternitati tuæ non dicimus, ut ea facias vel conſentias, quæ inordinatè concupiſcit voluptas, ſed quæ iuſtè fieri cogit neceſſitas. Vale.

EPISTOLA XL.

Goffridus Vindocinenſis monaſterÿ humilis ſervus, venerabili fratri ſuo Andreæ, non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me, memoriter retinere.

B AD te, dilectiſſime, dilectum filium noſtrum Herbertum miſimus, quem in rebus ſeculi providum eſſe cognoſcimus, & ut ea quæ foris agenda ſunt, ſapienter & tuo conſilio agat, præcipimus: hoc ſibi ſpecialiter iniungentes, quatenus te toto corde diligat, & tibi tanquam Priori ſuo diligenter obediat. Tu verò talem te circa ipſum & cæteros tuæ dilectioni commiſſos fratres cura paſtorali exhibe, ne quid minus perfectionis in eis paſtor æternus valeat invenire. Quod ſi circa animas tuæ fidei creditas, iuxta admonitionem noſtram, te ſollicitum exhibueris, firmiſſime crede, & nullatenus dubites, quoniam de minori ſubſtantia meritò cauſari non poteris. Deus enim per me indignum famulum ſuum tuam ſupplebit inopiam: & pro grege bene ſervato mercedem ab ipſo recipies ſempiternam.

EPISTOLA XLI.

Goffridus Vindocinenſis monaſterÿ humilis ſervus,
C *Guillelmo, & aliis fratribus apud Caſtellum manentibus, ſalutem.*

FRater Guillelme, diximus tibi, ut ad nos quam citius poſſes venires, & Bernardum tecum adduceres. Tu autem quæ tibi diximus non feciſti, ſed literas, quales tibi placuit, nobis miſiſti; in quibus Bernardum, non poſſe venire ſignificaſti. Adhæc tibi reſpondemus; quia ſi venire non poteſt, deferri poteſt. Præcipimus igitur tibi auctoritate ſanctæ regulæ, ut infra quatuor dies, viſis his litteris, ad nos venias, & Bernardum, ſi equitare non poteſt, afferri facias. Si verò aliter feceris, & te perpetuæ infamiæ nota damnamus, & Bernardum ita excommunicamus, ut nec communionem percipiat vivus, nec ſepulturam defunctus.

EPISTOLA XLII.

D *Goffridus Vindocinenſis monaſterÿ ſervus, Guillelmo Priori de Caſtello & fratribus qui cum eo ſunt, obſervare regulam, & gulæ irritamenta declinare.*

PErvenit ad aures noſtras de vobis irreligioſa & inordinata prorſus opinio. Dictum eſt enim, quòd contra regulam, quam coram Deo & ſanctis eius vos obſervaturos promiſiſtis, carnes ſolemniter & generaliter manducatis. Vnde ſi ita eſt, immo quoniam ita eſſe credimus, veſtræ intemperantiæ vehementer condolemus, & ne ulterius fiat, regulæ vobis auctoritate prohibemus. Carnis comeſtio, ſicut monachis pro corporis infirmitate conceditur; ita eis in carnis voluptate negatur, infirmi etiam ſi à carne penitus abſtinerent, non propter hoc regulam violarent. Carnibus namque veſci in regula non eſt præceptum monachis E infirmis, ſed permiſſum. Sed quia paucorum, vel nullorum iſtam virtutem eſſe cognoſcimus, ut videlicet à carne omninò abſtineant; cum alicui carnem comedendam tribuimus, rationabilis eſt conſideranda neceſſitas, non carne carnis nutrienda cupiditas.

EPISTOLA XLIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterÿ humilis ſervus, dilecto in Chriſto filio Guillelmo, & fratribus cum eo apud Caſtellum manentibus, obedire Deo magis quàm hominibus.

NVntiatum eſt nobis, quia tantam ſæcularium hominum, & quod periculoſius eſt mulierum frequentiam vobiſcum eſſe patimini; quòd vix aut nunquam quæ Dei ſunt loqui poteſtis vel meditari, & ubi inordinatè ſæcularis eſt aſſiduitas, diu deeſſe non creditur grandis iniquitas: maximè in loco, in quo ſexus fœmineus habitare permittitur, per quem etiam religioſæ perſonæ ſuſpectæ habentur. Sexus tamen ille, ubi bonus, nullus melior: ſed ubi malus, nullus eſt peior. Bonitatem veſtram, dilectiſſimi fratres, præſentibus litteris admonemus, & admonendo rogamus, ut ſi quid minus cautè nunc uſque egiſtis, nullo modo corrigere differatis: ne fortè ordini veſtro, quod abſit, acquiratis infamiam: & ſic, iuſtitia dictante, nos contra vos provocetis ad iracundiam. Valete, & quæ mandamus, diligenter obſervate. F

EPISTOLA XLIV.

Goffridus Vindocinenſis monaſterÿ miniſter indignus, dilecto in Chriſto fratri Bernerio priori Credonenſi, Deum diligere & cum dilectione timere. G

SVæ profeſſionis fidem non bene cuſtodit, qui B. Benedicti regulæ, quam ſe coram Deo & ſanctis eius iureiurando tenendam promiſit, non obedit. Sancta etenim regula nos edocente didicimus, quod ſua peccata & aliena quibus inficitur, Abbati ſuo non occultare, ſed revelare debeat monachus. Tu verò peccatum præpoſiti tui, quod conſentiendo tuum feciſti, nec occultum, ſed publicum, quia cum publicis mulieribus publicè factum, nobis occultaſti. Vnde evidentiſſimè patet, quòd te peccando & nos contemnendo læſiſti. Præſentibus igitur literis tibi præcipimus, ut camerulam illam, in qua ſordidator ille & ſordidus pravam exercuit actionem, omninò & feſtinanter deſtruas: & extraneum à clauſtra, & à Curte B. Clementis facias eum, quod quandiu diſtuleris facere; tandiu te ab introitu ſanctæ Eccleſiæ eſſe volumus alienum. Vale. H

EPISTOLA XLV.

Frater Goffridus Bernerio Priori, benedictionem à Deo, & à ſe dilectionem.

INfirmitatem tuam, frater in Chriſto cariſſime, audivimus; quam fecimus noſtram compaſſionis viſceribus. Et quia te conſilio, & auxilio pariter indigere non ignoramus, dilectum noſtrum fratrem & filium Gilbertum tibi transmittimus, qui pro te curam totius domus B. Clementis adimpleat, & tuis præceptis in nullo contradicat. Tu verò ſic tua moderare præcepta, ut quod ipſe fecerit, cum timore Dei faciat & & amore. Vale.

Digitized by Google

A

EPISTOLA XLVI.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, dilectis fratribus, I. Priori & ceteris omnibus, benedictionem à Domino Deo, & à ſe dilectionem.

MAndaſtis nobis, quod dictum vobis fuerat, quòd Herbertus presbyter de Saviniaco quandam maritatam tenebat; cuius maritum nocte graviter vulneravit, eo quòd proprio uxori adulterini amoris habenas non laxabat. Si vera ſunt hæc, quæ de presbytero fama ſparſit, valde nequam eſt presbyter qui talia fecit. Nos tamen non decet, & ſecundum Canones nulli licet, in incerta re certam ſententiam dare. Licet enim vera ſint, non ſunt tamen credenda,
B nisi prius canonico ordine fuerint comprobata: nec rebus ſuis presbyter exſpoliari, vel ab Eccleſia projici debet, donec aut convincatur reus, aut liberetur innoxius. Nec iſta nobis, ſed ab Epiſcopo ſuo ſunt examinanda. Scripſiſtis nobis, quòd presbyter pro veritate, quam populus de eo dicit, populum odit. Et ego ſcribo vobis, utrumque verum eſſe, quia & veritas ſæpe odium, & odium ſæpè mendacium parit. Potuit itaque & presbyter pro veritate odiſſe populum, & populus pro odio adverſus presbyterum incurriſſe mendacium. Ducendus eſt, fratres, populus, non ſequendus nec recipiendus in accuſatione clericorum. Et verum eſt proverbium illud: *Præcedere debet qui ducit aſellum.* Populus eſt aſellus; quem vos præcedere & ducere debetis, non ſequi eum.

EPISTOLA XLVII.

C *Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, ſuo in Chriſto multum dilecto fratri Roberto, ſervare modum diſcretionis, & terminos, quos patres poſuerunt eſſe contentum.*

NOvit, cariſſimè, & bene novit tua dilectio, aliquid aliter agere eſſe humanæ imperfectionis: & quod aliter actum eſt nolle corrigere, diabolicæ præſumptionis. In nullo agere, præter id quod eſt agendum, eſt Angelica perfectio, quam habere minimè poteſt, quandiu hic ſumus, noſtra conditio. Dum igitur non habemus perfectionem Angeli; nullatenus habeamus præſumptionem diaboli. Hæc idcirco, venerabilis frater, propoſuimus, quia te talia egiſſe, & adhuc agere fama diſcurrente ſiniſtra audivimus; quæ ſi vera ſunt, ut nulla excuſatione illa defendas, ſed cum omni feſtinatione corrigas, tuam ſimplicitatem germanæ caritatis viſceribus commonemus. Au-
D divimus enim, quoniam circa ſexum fœmineum, quem regendum cepiſti, duobus modis altero alteri prorſus contrario te ita ſollicitum reddis, quod modo in utroque modum diſcretionis penitus excedis. Fœminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis: quibus privata verba ſæpius loqueris: & cum ipſis etiam, & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis. Hinc tibi videris, ut aſſeris, Domini Salvatoris dignè baiulare crucem, cum extinguere conaris malè accenſum carnis ardorem. Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum inauditum, ſed infructuoſum genus martyrij inveniſti. Certè nec utile fieri poteſt, nec aliquo modo fructuoſum, quod contra rationem noſcitur eſſe præſumptum. Tu autem contra rationem non mediocriter præſumpſiſti; ſi qualibet occaſione cubaſti cum mulieribus, quas mundo furatus lucrari Domino debueras. Præſertim cum prohibitum ſit à Salomone in ipſo, & per ipſum Spiritu ſancto intonante: *Cum muliere*, inquit, *non accumbas, nec ſis aſſiduus cum ea, nec*
E *illam conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in pulchritudine illius, & pereas:* Et item: *Mulier pretioſas animas capit; cuius colloquium velut ignis comburens accendit.* Nunquam, frater, de tua religione tantum confidas, ut credas te non poſſe labi, ſi cautè non ambulas. Labilis eſt mundus, plenus limo; diu in eo ſtare firmus homo non potuit: ſubitò lapſus eſt; vix aut nunquam ſurrexit. Tu quidem in mundo quaſi montem excelſum aſcendiſti; ac per hoc in te linguas, & oculos hominum convertiſti. Ergo ſtans in monte, vide ne corruas: nec per martyrium martyribus ſanctis penitus ignotum, religioſæ vitæ principio notam infamiæ derelinquas. Nulla, etiam tua actione mundo, qui penè totus te ſequitur, ſuſcites ſcandalum. Nam fieret tibi damnatio gravior, ruina plurimorum. Mulierum quibuſdam, ſicut fama ſparſit, & nos ante diximus, ſæpè privatim loqueris, & earum accubitu novo quodam martyrij genere cruciaris. Illis ſiquidem
F te ſemper ſermone iocundum oſtendis, & alacrem actione: omneque genus humanitatis exhibes, nulla ſervata parcitate. Aliis verò, ſi quando cum ipſis loqueris, ſemper locutione nimis durus appares, nimis diſtrictus correctione: illas etiam fame & ſiti, ac nuditate crucias, omni relicta pietate. Quod ſi ita eſt, in utroque vehementer offendis, & modum totius diſcretionis tranſgrederis. Nam & erga illas nimium remiſſibiliter, & contra illas nimium pœnaliter agis. Duram valde provinciam regere cœpiſti: & quæ ſuum rectorem ſæpiſſimè traxit ad mortem. A muliere enim initium factum eſt peccati, & per illam moriuntur homines univerſi. Vnde tibi ita prudenter ac ſimpliciter agendum eſt, ut te & matrem pietatis gratia, & patrem circa mulieres exhibeat diſciplina: & quæ minus non habebunt perfectionis, minus non habeant tuæ dilectionis. Non una à te plus diligi debet, quàm alia, niſi quæ melior fuerit inventa, iuxta
G modum meriti vel culpæ, extende modum correctionis vel gratiæ. Illud tamen præcipuè in mente tua fixum teneatur, quod in Evangelio Dominus dicit: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Fragilis eſt multum & delicatus ſexus fœmineus: & idcirco neceſſe eſt, ut pietatis dulcedine potius, quàm nimia ſeveritate regatur; ne fortè abundantiori triſtitiâ abſorbeatur; & qui eum regere debet, ſic à ſatana circumveniatur. A ſatana rector circũvenitur, ſi per nimiam triſtitiam regendum perire contingat, qui potuit liberari per indulgentiam. Cùm de pietate tuam hic hortamur bonitatem, tibi auferre nolumus inſtitiæ actionem, te iuſtum eſſe pariter deſideramus & pium. Sit igitur tibi pietas reſpuens inordinatam remiſſionem: ſit tibi iuſtitia piam ſemper habens compaſſionem. Vale: & nos tuarum ſanctarum precum, ſuppliciter precamur, participes effice.

EPISTOLA XLVIII.

H *Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, ſervo & ancillæ Dei, Herveo & Evæ incluſis, bona initia fine meliori terminare.*

ADmonendo nos docent, & docendo admonent, quibus feliciter obedire propoſuiſtis, ſacra eloquia; ut id uſque in finem operemur, unde ſine fine gaudere mereamur. Vltra enim omnem infelicitatem eſt, pro temporali vita doloribus ac laboribus plena, quæ utique brevis eſt, & eius brevitatis incerta, vitam perdere, quæ nec oculo cerni, nec tacita mentis cogitatione poteſt comprehendi: quam revera conſequi eſt facilius, quam enarrari. Ibi namque vivitur ſine termino, ſine dolore, & ſenio, abſque timore & periculo: ubi refectio ſine faſtidio; quæ nullo cibi vel potus indiget adiutorio. In iſta ſiquidem beatitudine refici nihil aliud eſt, quam contemplatione divinæ maieſtatis ſatiari. Hanc ſancti Angeli conſiderant:

& conſiderantes eam ſemper conſiderare deſiderant. Huic beatæ viſioni perfecti quique non deerunt, qui in mundo pro Chriſti nomine ſe & ſua pariter contempſerunt. Ad illam igitur, cariſſimi, dum tempus habemus, ſanctis operibus accedere feſtinemus: quam qui ſemel viderit, nullo inimico inſidiante ultra amittere poterit. Et certè feſtinare debemus dum vocat, certi de tanta mercede, qui incerti ſumus de die. Vigilantes nos inveniat extrema neceſſitas, quæ ſæpè prævenit dormientes. Tarde etenim nos male egiſſe pœnitebit, cùm die ultimo ſuperveniente ſe unuſquiſque ſeparari a ſuo corpore viderit: cùm ſibi in fine oculos claudenti nigreſcere & horreſcere nox perpetua cœperit. Tunc verum eſt malitia noſtra ceſſabit: mundi vanitas velut umbra deficiet: carnalis delectatio quaſi fumus evaneſcet: pro quibus opprobria ſola & crimina remanebunt, & tormenta ſine fine manſura. O quam infelix erit anima illa, cui mox egreſſæ de corpore inſultare & inſiſtere cœperint infernalium diræ facies miniſtrorum! cum rebus humanis vale ultimum dicens, mortem ante ſe habens, & vitam poſt ſe relinquens, in illud horrendum, & vix oculis attingendum pertrahetur profundum. Heu quantum perdidit gaudium, tantum exceptura ſupplicium! Quid tunc animi habebit, cùm corpus ſuum recipiet ad æternæ damnationis augmentum: Illo die præſentabitur ante regem ſeculorum, eorum quæ geſſit in corpore rationem redditura. Sed quia nulla ad comparationem malorum bona oſtendere poterit, ab ipſa ſanctæ Eccleſiæ radice præcidetur, & nunquam effugiendis gehennæ ignibus tradetur perpetuò crucianda. O quam triſte, quàm lugubre erit a dulci intuitu ſanctorum ſeparari, & quàm terribile immundorum ſpirituum agminibus ſociari! quibus qui ſociabitur, beatum ſe diceret, ſi, ut quodlibet brutum animal, in anima & in corpore mori valeret. Sed quia mors illa finem non habet, ſic ibi ſemper moritur homo, ut ſemper reſurgat, ſed ad hoc reſurgit, ut pereat; nec tamen pereundo omninò eſſe deſinat; ſed ſemper moriens mortis exitum nunquam inveniat. In hoc autem damnati hominis miſeria prorſus augebitur, quòd Deum videbit, nec habebit, & ante ſui redemptoris conſpectum peribit. Væ illis, qui hæc in poſterum toleranda timere nunc recuſant; quæ ſi modò timerent, nunquam talia tolerarent. Timere dico non timore quolibet, ſed illo, quem vera fides adducit, qui ex caritate non ficta procedit. Caritas enim timorem parit, & timorem repellit. Parit timorem, ut ſcriptura dicit, *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus*. Timorem repellit, ut ait Apoſtolus, *Qui perfectus eſt in caritate, non timet*. Quorum unus filialis eſſe dinoſcitur, alter ſervilis. Iſte filialis videlicet cum dilectione & deſiderio, ſed ille cum faſtidio exhibetur & odio. Inter hæc forſitan aliquis dicit, cur homini tot & tanta minaris de Deo? Nunquam perdet ipſe quem ſua gratia creavit: quem creatum & propria culpa perditum ineffabili dilectione, dato ſe pretio, à diabolo liberavit. Hunc quaſi non deſperantem proſpicio, ſed ultra quam debet ſperantem, niſi ante finem vitæ ſic ſperare deſierit, periturum non dubito. In quantum enim mihi videtur, & ipſa exigit ratio, tantò graviora apud Deum ſunt noſtra delicta, quantò maiora erga nos ſe oſtendunt eius beneficia. Verendum eſt etiam, ne vocem illam glorioſæ reſurrectionis pretioſa crucis veſtigia proteſtantem, in iudicio ſuo ad vaſa iniquitatis prolaturus ſit atque dicturus, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum*: & agnoſce quæ pro te, & à te, impietas humana, pertulerim. Hoc contra illos dictum ſit, qui ſibi nimis blandiuntur de promiſſionibus miſericordiæ, & contemnunt vires iuſtitiæ. Non eſt Deus talis, qui in uno verum dicat, & in alio mentiatur. Sed ſicut certum eſt quod promittit, ita certum eſt & quod ipſe minatur. Et ideo, dilectiſſimi, Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pium & iuſtum pariter credendo confitentes, & confitendo credentes, cum Pſalmiſta dicamus: *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*. Univerſæ viæ Domini ſunt duo adventus filij eius: qui in primo prærogavit miſericordiam: in ſecundo verò prærogaturus eſt iuſtitiam. Et ne tunc iuſtitia dictante pereamus, nunc confugiamus ad ipſum, qui magis præſto eſt dare veniam, quàm peccator converti ad pœnitentiam: ſatis promptior ad ignoſcendum, quàm quilibet homo ad peccandum. Hæc ideo dixi, ut qui converti voluerint, ſpem habeant, & ſpem habentes penitus reſipiſcant. Quod eius pietas præſtare dignetur, qui ita diſpenſavit utramque vitam, ut in præſenti ſeculo labores ac dolores citò finem haberent: in futuro verò honorum & præmiorum gaudia ſine fine manerent.

Prov. 28.
1. Ioan. 4.

EPISTOLA XLIX.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij indignus ſervus, Herveo incluſo amico ſuo, ſancti propoſiti perſeverantiam.

HSecretarius S. Mariæ ſi monachus vult fieri, ſicut nobis mandaſtis, non eſt reſpuendus. Vigilate itaque ut citius convertatur, & mundum deſerat, cui forſitan illicitè famulatur. Alterum verò, qui noviter preſbyter factus eſt, de quo iterum ſignificaſtis, ſi vobis bonæ vitæ eſſe videtur, nobis mittere curetis: & quoſcumque honeſtæ vitæ clericos inveneritis, nobis tranſmittere non differatis. Plus itaque in hominibus diligimus honeſtam paupertatem, quam ſuperbas eorum divitias; quas ſi habuerint, reſpuendæ non ſunt: habent enim & illæ locum ſuum, nihil tamen pro faciendis monachis quærimus: ſed ſi quid oblatum fuerit, quia illud regula ſuſcipi iubet, ſuſcipimus. Ordo ſiquidem noſter exigit ut tales ſimus, qui non lucris temporalibus, ſed lucrandis animabus operam demus.

EPISTOLA L.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij inutilis ſervus, dilecto ſuo Herveo incluſo, inter parietes lapidum ſic includi, ne lapideis detrahentium verbis aliqua ex parte poſſit violari.

NObis, fili in Chriſto cariſſime, ſignificaſti; quoniam unus de fratribus noſtris dixerit, quòd de Britonibus, quos monaſterio noſtro monachandos miſiſti, congregationem noſtram dedecoraſti: ſed nomen fratris iſta dicentis qua neſcimus occaſione tacuiſti. Nos contra garruloſa verba illius infidelis fratris veraciter proteſtamur, quod congregatio noſtra per te & per eos, quos nobis miſiſti, non dedecoratur, ſed convenienter ornatur. Illum tamen, qui quod bonum eſt, eſſe malum aſſerit, manifeſtum vellemus habere, ut veritas eius falſitatem manifeſtè poſſet arguere. Certè, optime frater, qui adeo nequiter loquitur, ſolummodo te immeritò non accuſat; ſed nos potius criminatur. Nullum enim per violentiam nobis ſociaſti; quia libenter ſuſcepimus, quos mundo auferre potuiſti. In qua noſtra & tua actione, ſi aliquid aliter actum eſt, nos quidem amplius & tu minus peccaſti. Hæc autem peccata ſic impœnitenti corde ſimul portemus, ut Deo donate nulla alia habeamus. Et ſi quid tu & nos fecerimus caritate, mirari non debes, ſi illi diſplicet, cuius cor plenum eſt iniquitate. Semper etenim diſſentient à filiis Hieruſalem filij Babyloniæ. Illud etiam religio tua indubitanter agnoſcat, quod nemo Abel iuſtitiam valet obtinere, quem Cain malitia non impugnat. Vale; & quæ dicta ſunt, ſæpius ad mentem revoca.

Digitized by Google

A

GOFFRIDI ABBATIS VINDOCINENSIS EPISTOLARVM

LIBER QVINTVS.

EPISTOLA I.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, Gualterio vitæ laudabilis Theſaurario, Gofſ B *frido de Alogia, ſuis præcordialibus amicis, cum dilectione ſalutem.*

INFIRMITATEM ſiquidem veſtram audivi: quam ſicut animus meus veraciter novit, meam feci compaſſionis affectu. Dilectum mihi valde miſi vobis Medicum: ſatis libentius, ſi neceſſarius eſſem, miſiſſem me ipſum. Hunc ſi adhuc habere placet; quod vobis placere cognoſco, mihi non diſplicet. Si iterum remittere vultis, bonum eſt mihi, & neceſſarium habeo, ſi ſine damno corporis veſtri remittere poteſtis. In Domino ſemper valeatis: & quia in quantum humilitas mea ſufficit vos diligo, nullatenus dubitetis.

C

EPISTOLA II.

Goffridus Vindocinenſis, monaſterij ſervus, Gualterio honorabilis vitæ Theſaurario, ſe & omnia ſua.

CVm de ſubverſione adverſariorum Eccleſiæ Dei nuper Turonis in domo veſtra loqueremur, & nos ibi mutuæ dilectionis vinculis ſub teſtibus alligaremus; inter alia quæ ſumus locuti, ut cum domino Radulpho Archiepiſcopo concordiam facerem me admonuiſtis, quoniam utilis erat, & multum neceſſarius in cauſa quam ſcitis. Quod iterum atque iterum conſiderans, invenio eſſe ſalubre conſilium, ut pravis hominibus ſemper utamur in bonum: exemplo videlicet Salvatoris, qui Iudam apoſtatam habuit noſtræ ſalutis inſtrumentum. Ars etiam optima, & altus eſt ſenſus, ſi per unum nequam nequam alter fuerit condemnatus. Hinc igitur volo, ut cum eo prudentia veſtra D ſapienter loquatur; & quid ſuper hoc actum extiterit, mihi celeriter notificare non pigritetur.

EPISTOLA III.

Gualterio Turonorum Archiepiſcopo deſignato, frater Goffridus ſe & ſuum poſſe.

MEntis quidem deſiderio deſidero vobis obedire; ſed quod mentis firmitas vehementer optat, carnis infirmitas vehementer formidat. Vrbem Romam, referentibus peregrinis inde noviter venientibus, ita audivi perturbatam, quod dominus Papa ibi non eſt, & Sutrium Petro Leonis ablatum eſt. Dominus ſiquidem Papa apud Beneventanam urbem moratur; ſed revertendi Romam non habet facultatem. Si verò perſona quælibet ad eum tranſiens invenitur, non ei auffertur capa, ſed de vita ſtatim & membris agitur. Vnde oportet me conſilium veſtrum adhuc audire: & ſi E pro certo vitæ periculo vos exponere vultis, antequam legati veſtri revertantur, quod laudare non poſſum nec debeo, mihi notificate. Ego autem ſine vobis movere non audeo: vobiſcum tamen, ſed pro veſtra utilitate, ſi ſanus fuero, paratus ſum & in carcerem & in mortem ire. Vale; & quod in aure vobis dico, nulli prædicate.

EPISTOLA IV.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, ſuis in Chriſto dilectis, Stephano Decano, Huberto Cantori, Guarnerio Archidiacono, puræ dilectionis obſequium.

F QVia me indignum & peccatorem vocaſtis ad Epiſcopi veſtri electionem, multas vobis refero gratias. Ego quidem veſtræ vocationi ſatis libenter acquieviſſem, niſi ſub hac occaſione, quod dicere nolo, ſubire timuiſſem. Et quoniam, ut poſtulatis, me præſentem nunc habere minimè poteſtis: abſens laudo, quod ſecundum Deum feceritis.

EPISTOLA V.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij miniſter indignus, Stephano Decano, Huberto Cantori, Guarnerio Archidiacono ſalutem.

SVbdolum illum, quem multa falſitas facit etiam in veritate ſuſpectum, nunc veraciter à deſiderio ſuo fruſtratum cognoſcimus. Vnde omnipotenti Deo, cu- G ius miſericordiæ dono hoc actum eſſe dinoſcitur, gratias referre unanimiter debemus. Et quia eiuſdem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti operante clementia cauſam noſtram omninò in proſpero ſtatu conſiſtere cernimus; ſummopere cavendum eſt, ne proſperitatem, quam ipſe nobis miſericorditer tribuit, in errorem vertamus. Sæpe enim quidam in adverſitate poſiti Deo ſervire & eum quærere deſiderant: ſed cùm iam proſperitatem adepti fuerint, ei quem quaſi prius dilexerant, obedire recuſant. Et ideò ſicut in adverſitate, bonitate eius ſuffragante, fracti non fuimus, in proſperitate nullatenus extollamur: ne nos, quos adverſitas nocere non potuit terrendo, gravius noceat proſperitas ſeductoris blandiendo. In Domino ſemper valeatis, & de adiutorio noſtro minimè diffidatis.

EPISTOLA VI.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij miniſter indi- H *gnus, venerabili Præcantori Huberto, diligere quod Deus diligit, & odio habere quod odit.*

AMicus veſter ſum ego, non qualiſcumque, ſed qui animum ſuum à dilectione, qua vos diligere cœpit, nullo tempore poterit revocare. Vos tamen, ut mihi videtur, me minus ſolito diligitis, & quod vos diligo, parum vel nihil penitus curatis. Si utrumque aut unum horum verum eſt, vellem quidem neutrum; non ideò vos pigrius diligam, qui per germanam caritatem amare compellor etiam non amantem. Si cauſam habuiſſetis, qua me minus diligere iuſtè poſſetis, culpam certè minimè excuſaſſem: ſed Dei gratia quod ex me actum foret perperam, non inveniſtis. Hoc tantum obiicitis, quod inter me & dominum Redonenſem Epiſcopum pacem reformatam videtis. Ex hoc nulli, qui Deum diligit, ſcandalum naſcitur,

A & vobis gaudendum eſſet, ſi cor veſtrum quomodo pateretur. Nam ſi odium declinare culpa meritò nuncupatur, diabolus, qui ſectatur illud aſſiduè, immeritò deputatus ad pœnam prædicatur. Sed non ita eſt optime Cantor: nullum Chriſtianum decet, multò minus igitur ſacerdotem, fraternum odium exercere, nec proprias vindicare iniurias, ſed toto animo condonare, condonandæ quippe iniuriæ non eſſent, ſi remittenda nobis peccata deeſſent. Sed quia tales ſumus, quibus debetur, & qui debemus; neceſſe valde eſt, ut dimittamus hominibus quæ debent nobis, ſi ea, quæ à nobis debentur, dimitti deſideramus. Nunc forſitan dicitis, vobis non diſplicere, quòd nos prius diſcordantes reconciliatos tandem conſpicitis: at quia ſine veſtro conſilio hoc egerim, mihi quaſi pro crimine imputatis. Quærendum ſiquidem eſt conſilium, & maximè in dubiis rebus, in re autem tam manifeſta opus fuiſ-
B ſe conſilio non videmus. O vitæ venerabilis Cantor, ſi quantùm te diligo veraciter ſcires, crederes utique noſtro conſilio, & quendam tibi valde contrarium humorem accepta potione purgares, ſicque futuram vitares paſſionem. Si nondum noſti iſtum humorem, nec iſtius humoris paſſionem; vade, conſule Medicos; & quis ſit iſte humor, agnoveris; nec de eius paſſione amplius poteris dubitare. Medicos dico, non qui reparant ſalutem corporis ad horam: ſed qui, ſi bene intelligantur, vitam conferunt ſempiternam. Medici iſti ſunt libri divini, quibus ſi firmiter creditur, contrarius humor ſtatim agnoſcitur: iam paſſio ipſa timetur: medicamentum etiam, quo humor ſanari, ac paſſio vitari valeat, invenitur. Licet in homine quaſi contrarius humor peccando naſcatur, certum eſt, nihil hoc certius, quod nimis abundanter illi dominatur,
C qui Simonem Magum à Beato Petro olim extinctum contra ſanctam Eccleſiam iterum ſuſcitat, vel ſuſcitatum extinguere qualibet occaſione diſſimulat. Hic ex contrario humore ſubitò ſentiet paſſionem: quia niſi ante finem vitæ pœnitendo reſipuerit, pro perpetrata iniquitate ſine fine patietur dolorem. Vale, & quid dixerim ſapienter adverte.

EPISTOLA VII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, cariſſimo ſuo Huberto vitæ laudabilis Archidiacono, à Deo æternæ benedictionis effectum, & à ſe germanæ affectum dilectionis.

FElix amicitia veſtra circa me diu utiliter egit, nec defectum habuit, nec eſt paſſa faſtidium. Illa me
D quæſivit, immo acquiſivit; quæſitum invenit, invento licet immeritò ſe contulit. Semel cœpit, nunquam deſiit: quidquid utilitatis vel honoris valuit & valet mihi conferre, nec differt, nec diſtulit. Si quis hæc mea verba adulatoriè ſive ironicè dicta intelligit, non ei ſophiſtica garrulitate reſiſtitur, ſed pura veritate pravum intellectum habere convincitur. Quid enim amplius amicus facere potuit, qui ſe, ſuáque omnia, & mihi obtulit ſæpè, & ſæpius dedit? Coram Deo, cui mentiri nihil eſt aliud quàm damnari, firmiter aſſero, ſi talem ſe omnibus exhibet, cœlo dignus eſt potiùs quàm mundo: in mundo tamen multùm neceſſarius habetur; quia multis vivendi forma proponitur. Hic loquens ſilentium tenet, honeſto ſilentio etiam loquitur, verba oris eius æquitate plena ſunt, & tranquillitate. Honeſto ſilentio loquitur, quia videlicet dum rationabiliter ſilet qualiter cæteri ſe habere debeant, ſerena ſilentij voce apertè monſtratur. Prudenter ea quæ ſunt mundi poſſidere novit, & ſimpliciter quæ Dei ſunt quærere non deſiſtit. Quotiens hominum mores vult ſermone componere, de ſe protinus invenire poteſt quid dicat, & unde meliùs inſtruere valeat. Huius námque vitam doctrinam meritò dicere
E poſſumus & diſciplinam. Vivat dilectus meus: cui & ſi abſens corpore loquor, hunc tamen præſentem retineo mente, & fixum habeo in corde.

EPISTOLA VIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij amicorum ſervus, dilectiſſimo ſuo Huberto, nondum diſſolvi, & ſemper eſſe cum Chriſto.

FRatres noſtri beneficia, quæ eis feciſtis, & quotidie facitis, cognoſcentes, nobis humiliter ſupplicarunt, ut quod ipſi verbis nequeunt, ſaltem literis ex eorum parte veſtræ caritati grates non pigritaremur referre. Sed ſi millies mille membra haberemus, & omnium iuncturæ membrorum in ſingulas verterentur linguas, beneficia quæ nobis impenditis, non poſſemus loqui, nec aliquo modo condignam gratiarum actionem repe ere veſtræ dilectioni. Quod ta-
F men per nos minimè valemus. Deum, qui omnia poteſt, ut ſua ineffabili pietate vobis recompenſare dignetur, cordis affectibus imploramus.

EPISTOLA IX.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, Huberto honeſtæ vitæ Archidiacono, amico ſuo præcordialiſſimo inimicos propter Deum diligere & nullas eorum inſidias formidare.

ABel iuſtitiam, dilectiſſime, ſi vultis obtinere, non ſit vobis contrarium Cain malitiam ſuſtinere. Alter Ioſeph fieri non poteſtis, niſi perſecutiones à falſis fratribus vobis illatas, expertus fueritis. Quod in præ-
G ſentia domini Epiſcopi cauſam, quam mihi ſignificaſtis, ſine conſilio noſtro cœpiſtis tractare, laudare non valeo: & quia vobis parco, nolo vituperare. Solent tamen infirmæ & vitiatæ cauſæ amicorum iuvamine & conſilio relevari, & eis, quæ ſanæ & firmæ videntur, ne æmulorum doloſitate infirmari, vel qualibet ex parte vitiari poſſent, provideri. Vos autem de altitudine ſenſus veſtri, & ſuffragiis eorum, qui me ætate & ſcientia præcellunt, adeo præſumpſiſtis, quod in tanto negotio, conſilio noſtræ parvitatis, quæ ſpecialiter veſtra eſt, opus non habuiſtis. Sæpè tamen contingit minores maioribus ſuccurrere: & quod à ſapientibus & prudentibus Dominus abſcondit, conſuevit parvulis revelare. Advocate me parvulum veſtrum in omni veſtra neceſſitate: cuius ſinceritatis oculi providebunt, ne quis veſtræ ſimplicitati ſtatera fraudulenta appendere valeat: & cui ſe Neptunus & Æthiops, de quo mihi
H ſcripſiſtis, vel in ſuam foveam merſus, non poterit occultare. Valete ſemper in Domino: & veſtri negotij diem non impero quidem notificari mihi, ſed opto.

EPISTOLA X.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, amico ſuo præcordiali Huberto honorabili Archidiacono, mundum præcipitem non ſequi, nec eius amara dulcedine velle repleri.

PRæcipitem hunc, dilectiſſime, qui ſequitur, non poteſt non præcipitari: & qui eius repletur dulcedine, non poteſt non amaricari. Verè graviter & multum graviter præcipitatur, qui mundum per devia ſequens, illius amore deceptus, viæ, quam per ſemetipſam veritas docuit, cæmento caritatis non iungitur. Ille etiam vehementer amaricatur; cui dum præſens

ſeculum

A ſeculum proſperitatis dulcedine blanditur, in amaritudinem vertitur vitis alienæ: & quia veræ viti Chriſto inſeri noluit, ut palmes fieret; ab ipſo, ut ſarmentum fiat, præciditur. Viam, quam ſpecialiter ac ſingulariter tenendam vita docuit æterna, utinam ſicut ignorare non poſſumus, ita non accipere non poſſemus, & tenere vellemus. Via utique illa hæc eſt, non ſolùm quæ ſua ſunt Chriſti pauperibus erogare, ſed pro Chriſto etiam ſeipſum abnegare. Pauperibus quod ſuum eſt dare, ſpecies eſt virtutis: ſed quod ipſe eſt dare, virtus eſt perfectionis. Licet enim omnia noſtra pauperibus conferamus, nobis prodeſſe non poterit, ſi nos DEO auferimus, cuius ſumus. Quando Deus ex limo terræ hominem fecit; ad hoc factus eſt, ut divitias ſine fine manſuras cum illo poſſideret in cœlo; non ut divitias ſubitò perituras pauperibus donaret in ſæculo. Poſtea verò cùm falſam beatitudinem appetens, & veram miſeriam inveniens, de altitudine veræ beatitudinis homo confractus cecidit; Deus qui eum creaverat, eius miſeriæ B compaſſus, collegit fracturas, & igne caritatis conflavit; & quod omninò confractum fuerat, integrum fecit. In qua ſuæ inæſtimabilis dilectionis operatione pius Dominus, non quod homo habebat, ſed quod homo erat, non quidem ſua neceſſitate, ſed hominis vtilitate, quæſivit. Seipſum pro homine dedit Deus pro homine factus homo: & cùm de plaga lateris, immò potius de vena ſuæ dulciſſimæ caritatis pro homine in cruce funderet ſanguinem proprium, tali commercio hominem comparavit, non hominis cenſum. Reddat igitur homo, nec reddere differat Deo ſeipſum: credat ſe eius pretioſo ſanguine emptum miſericorditer & redemptum: nec ſe illi præferat, qui eum redemit: ſed id potius tribuat, quod ille maximè quærit. Iniuſtum eſt enim, ut homo ſe Deo auferat, quem tanto pretio acquiſivit: ſed creatoris ſui & redemptoris diligenter tenens conſilium, ſua omnia pro eius amore relinquat, & ſeipſum: quia licet omnia reliquerit, ad conquirendam ſalutem æternam C ſibi non proderit, niſi mundo renuntians Chriſtum ſequatur, ſicut ſequendum ſe docuit. Chriſtum ſequi ſimul & mundum eſt impoſſibile. Vnde ſi nobis non creditur, illi ſaltem credatur, qui non mentitur; qui in Evangelio dicit: *Quia nemo poteſt duobus dominis ſervire*, Deo videlicet & mundo. Liberalitates eleemoſynarum pauperibus factas abſit ut vituperemus: ſed divitibus huius ſeculi hoc daremus conſilium, ſi nobis acquieſcere vellent, ut ventres pauperum horrea facerent, ne pauperes fame, nec ipſi tenacitate perirent. Certè pauperes paſcere probabile eſt: ſed valdè probabilius ſe pro Deo pauperem facere. Multi, enim & pauperes paverunt, & reliquerunt omnia: ſed quia ſe ſervaverunt, ſibi damnati inventi ſunt. At nemo unquam ſe pro Deo pauperem fecit, & Deum habere nequivit. Vnde Salvator in Evangelio, cum Petrus ſe & alios diſcipulos omnia reliquiſſe, & illum ſecutos D eſſe dixiſſet, non ad hoc quia omnia reliquerant, ſed ad hoc quia eum ſecuti fuerant, reſpondit, & inde illis præmium æternæ retributionis promiſit. Quod utique Dominus non feciſſet, ſi homo pro ſola rerum dimiſſione Deum habere potuiſſet. Ille tamen pro ſe relinquere omnia non reprobavit: ſed illud, ubi certam hominis ſalutem ſciebat, approbavit. Et nos itaque pro Deo relinquere omnia, & pauperes recreare, quia bonum eſt, non reprobamus; ſed quod melius eſt, veritate docente, approbamus; & omnes & maximè amicos noſtros, ut viam indubitatæ ſalutis teneant, germana caritate rogamus, & rogando monemus. Hæc autem deprecatio noſtra vel exhortatio ſi contemnitur, meritò culpari non poſſumus: ſed eos plangere, & de ipſis non mediocriter dolere debemus, qui de tanto contemptu exiſtunt culpabiles, & minus capaces rationis eſſe videntur, quàm pecudes. Pecudes enim paſcua meliora libenter appetunt, & ad illa paſtorem ſuum diligenter ſequuntur, & ſi ad alia minùs E bona fortè ducantur, quibus valent motibus contradicunt. Cum igitur homo, quem formans Dominus non ſolum rationalem fecit, verùm etiam ei ſigillum ſuæ imaginis & ſimilitudinis impreſſit, videat an in alia, quæ creator omnium creaturarum irrationabilia creavit, propriæ ſaluti providere, & melioris utilitatis cauſa, paſtori ſuo corde & corpore obedire, vitare minùs bona, ut meliora valeant invenire: ſi Dei & Domini ſui conſilio, vel præcepto duci non patitur, ſaltem pecudis exemplo ad meliora provocetur: relinquat tranſitoria; cum quibus pro certo & ipſe tranſierit; quatenus invenire mereatur. Satis tamen eſt melius, hominem rationalem rationalis ſapientiæ Dei duci conſilio, quàm inſenſati & irrationalis animalis provocari exemplo. Ducatur itaque conſilio Dei, ſeipſum pro eius amore pauperem faciens; qui non idcirco reconciliationis opibus nos ditavit, quia pauperes pavit; quamvis bonum eſſet; ſed quia ſe pro nobis pauperem fecit. Si enim Dominus in mundo dives fieri voluiſſet, F militia utique ſua ne Iudæis traderetur, ſicut ipſe in Evangelio dicit, pro illo decertaſſet, nec pro nobis crucifigi potuiſſet, nec mori. Et quia humana miſeria aliunde non inveniſſet ſuffragium, miſerorum caruiſſet fine ſupplicium. Si ita eſt, immò quia veraciter ita eſſe creditur, poſt ſuſpenſionem Salvatoris, poſt poculum fellis, poſt plagam lateris, poſt perceptam gratiam baptiſmatis, qui à creatore ſuo diſcordaſſe peccando ſe meminit, utile eſt atque neceſſarium, ut peccator homo voluntaria paupertate Domino reconcilietur; qua iuſtus Dominus peccatorem hominem ſibi reconciliaſſe agnoſcitur. Vnde & pauperi paradiſi ianua patet, & ab illa dives excluditur.

EPISTOLA XI.

Goffridus indignus Vindocinenſis monaſterij ſervus, Guarnerto Archidiacono, quod verus amicus amico. G

Si pro rebus noſtris adverſus Adelardum de Caſtro-Gunterij cenſura iuſtitiæ vos erexiſtis, grates vobis referre & poſſum & debeo. Sed quia vos aliter feciſſe, fama referente audieram, mirabar dolendo, & mirando dolebam. Nunc autem, ſicut mandaſtis, in tyrannum illum pro rebus noſtris, quas iniuſte tulit, & adhuc violenter detinet, plenam iuſtitiam exercetis, nec unquam exercere diſtuliſtis. Vnde ſi ita eſt, & vos mihi magis carum, & me vobis magis obnoxium reddidiſtis. Quod ſi perſeveranter hoc egeritis, ſcitote quia non ingrato amico ſervitium veſtrum exhibuiſſe ſentietis.

EPISTOLA XII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij qualiſcumque ſervus, Guarnerio ſuo cariſſimo nutritori & præcordiali amico, ſalutem & dilectionem. H

Pervenit ad aures noſtras, quòd Hugo Chaorcinus, apud Credonem monachi habitum ſuſcepit. Vnde gratulari oportet; quia qui iam dudum in anima mortuus fuerat, Deo ſuſcitante, revixit. Sed quia quod in eo actum eſt blaſphematis, rogamus vos, quatenus ab huiuſmodi blaſphemia bonitas veſtra, quæ me diligenter nutrivit, pro amore noſtro penitus deſiſtat: ne qui longo tempore perverſus extitit, ſub hac occaſione peior fiat. Sic enim neceſſe eſt vulneratæ animæ medicamentum temperetur: ne nimia medicamenti auſteritate amplius vulneretur.

A

EPISTOLA XIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus ſervorum Guarnerio Archidiacono, ſalutem.

CVm in literis, quas Archipresbytero tuo miſiſti, raptorem me ſignificares; ſi te potius raptorem animarum, & alienæ pecuniæ importunum exactorem aſſereres, & ſic te, quem paſtorem fateris, lupum crederes, optime feciſſes. Decuerat enim te, frater non optime, prius eiicere trabem de oculo tuo, ut poſſes feſtucam in meo agnoſcere: & excutere pulverem quo gravatur ab eo, ut pure conſiderares maculam in membro alieno. Cùm luteas manus habeas, cur niteris ſordes tergere alienas? Raptorem me vo- B caſti, quod utique bene fuiſſem, ſi te avaritia oneratum, & cupiditate fœdatum, de lacu tantæ miſeriæ, & de luto fæcis rapere potuiſſem. Dixiſti me agere contra Synodale decretum; cui prorſus obedire deſidero, ſi conſtat Apoſtolica diſcretione ſancitum. Decretum etenim ſive concilium nullum ratum legitur, quòd non fuerit Apoſtolica auctoritate firmatum. Multo minus igitur, quod eiuſdem auctoritatis privilegiis videtur eſſe contrarium. Monaſterium ſiquidem noſtrum, patrimonium B. Petri & eius alodium, ſub protectione ſedis Apoſtolicæ ſpecialiter permanere, & omnia quæ olim habuiſſe dinoſcitur, quatenus abſque diſtractione, vel qualibet diminutione poſſideat, Apoſtolicæ ſinceritatis privilegia manſuro in perpetuum decreto corroborant: & eum qui inde quicquam ſubſtraxerit, perpetuo anathemate damnant.

C

EPISTOLA XIV.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, cariſſimo nutritori ſuo Guarnerio Archidiacono, mundo deceptori non credere, nec ei labenti diutius inhærere.

REligiosè vivere honorificum eſt: peccata & crimina, quæ diaboli ſunt opera, fugere, & execrari, utile, immo neceſſarium eſt: Deum toto corde diligere, glorioſum. Religiosè itaque vivit, qui peccata & crimina ſua perfecto odio habet, & Deum toto corde diligere valet: qui mundum & ea quæ ſunt mundi deſpiciens, extremi iudicij diem ante ſuæ mentis oculos revocat, aſſiduè orans & dicens cum
Pſal. 25. Propheta: ***Ne perdas cum impiis Deus animam meam,***
Pſal. 50. ***& cum viris ſanguinum vitam meam.*** Et illud: ***Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut ſalvum me facias.*** Prius quidem deſerendus eſt mundus, &
D ſic orandus Deus, ne mundialis inhabitatio vocem orantis impediat. Nam qui Deum ore precatur, & cor eius quæ mundi ſunt cogitat, huius orationem non approbat Deus, ſed improbat; ſicut ipſe de quibuſdam, qui quaſi bene loquebantur, & corde terram ſa-
Iſai. 29. piebant, aſſerit, dicens: ***Populus iſte labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.*** Certè hi quorum corda implicantur ſeculari negotio, longè fiunt à Deo,
Pſal. 72. & pereunt. Vnde Pſalmiſta: ***Qui elongant ſe à te, peribunt; perdidiſti omnem qui fornicatur abs te.*** A Deo procul dubio fornicatur, qui ab illo recedens, mundum fugientem ſequitur, quem tamen nunquam conſequitur. Sed qui, ut diximus, extremum illud & formidandum valde iudicium ante animæ ſuæ faciem ponit, quidque ibi ſit futurum oculo puræ intentionis conſiderat, nil ſibi aliud reſtat faciendum, niſi ut depoſita omni alia ſollicitudine, ad pondus tanti examinis incitatus, totis viſceribus contremiſcat: & ut iuſtum, ac vehementer diſtrictum iudicem in illa hora

E propitium ſibi valeat invenire, quidquid hic temporaliter delectare poteſt, pro eius amore contemnat. Quis, inquam, de die illo perfectè cogitare poterit, & præſentem mundum diligere; cuius tunc amatores in horrendum gehennæ puteum intolerabili fœtore & igne inextinguibili, vermeque immortali, & cæteris indicibilibus tormentis plenum præcipitati, ſine remedio, ac ſpe remedij, cruciabuntur? Hæc qui antè non credit, quàm videat, cum iam videre cœperit, quæ utiliter credere & vitare potuiſſet, æternaliter patietur. Reminiſcamur, dilectiſſime, dum licet, extremæ & tremendæ horæ illius, & in memoriæ noſtræ oculis ponamus illum diem, in quo quidem pœnitentia futura eſt, ſed ſera: perpetui gemitus erunt, ſed infructuoſi: indeficientes lacrymæ, ſed ſteriles: planctus & fletus aſſiduus, ſed inanis: nec iam tunc à peccatoribus datur hoſtia quælibet pro peccatis. Recogitemus etiam quanta erit tunc retributio illorum,
F qui propinquorum dulces affectus, & caras parentum facies, quaſi odiſſent, fugientes, præſens ſeculum cum ſuis delectationibus reliquerunt: & ut Deum purè & ſine impedimento diligerent, divitias aut omnino noluerunt habere, aut habitas contempſerunt. Illo, inquam, die receptis corporibus de beata immortalitate & inenarrabili gloria iam ſecuri, ante iudicem ſeculorum, ó quam feliciter apparebunt, ſedeſque duode-
cim obtinentes, ſicut S. Evangelio teſte didicimus, Matth. 19.
cùm illo iudicabunt! Quid admirationis, quidve exultationis tunc eſſe poterit, cum unuſquiſque eorum donum divinæ gratiæ ſubſequentibus meritis, in Angelorum ſtatum promovebitur: & cum terreno quondam corpore, ſuper excelſa regni cæleſtis elevatus, tanquam dilectus filius, præclara Dei hæreditate ditabitur? Inde loqui multa mihi ineſſet voluntas: ſed tantæ gloriæ, tantæ lætitiæ, tantæque beatitudinis negat immenſitas; quæ etiam SS. Doctorum linguas ſuperat
G & ſenſum. Non eſt humanæ facultatis ad plenum diſſerere, quantum ſit præmium, quod præparavit Deus his qui diligunt eum in veritate. Diligamus eum, cariſſime, non verbo tantùm, nec lingua, ſed opere & veritate, ſequamurque ſicut ſe docet ſequendum, qui nec fallit, nec fallitur; pro eius amore mundum reliquentes, qui magis decipit dum blanditur. Conſuetudinem illam perverſam, atque damnabilem, quam impugnante diabolo in ſeculi converſatione quaſi monſtruoſum partum concepimus, vel quadam nobis illata violentia, ut mortem animæ, fugiamus, & revertamur ad illum, qui nos ad imaginem, & ad ſimilitudinem ſuam diligenter creavit: à quo ſæpius peccando diſceſſimus; & tamen adhuc miſericorditer vocat, ut nos multo pulvere peccatorum, & criminum fœdatos mundet, & pulchros faciat. Redeamus, dilectiſſime, ad miſericordiſſimum creatorem noſtrum, dum tempus habemus: & illum animæ noſtræ brachiis ſemper amplectentes, illius dilectionem mundo, & fallacibus eius divitiis
H anteponamus, nulla occaſione corvum illum inobedientem imitantes, qui aviditate fœtentis cadaveris, Noe ſancti Patriarchæ cõtempſit imperium. Acquieſcamus itaque domini ac Salvatoris noſtri conſilio: & ut ipſe præcipit, qui neminem decipit, mundo renuntiemus, cuius falſam beatitudinem ſequitur vera miſeria: cuius voluptas brevis eſt, & voluptatis pœna perpetua. Eligamus potius pauperem vitam cum Lazaro humili & deſpecto, quàm divitias cum glorioſo divite & ſuperbo. Pauperem Lazarum ſinus Abrahæ ſuſcepit glorificandum cum Sanctis: ſuperbum divitem tartarus horrens abſorbuit cruciandum cum impiis. Hic paupertate beatam ſortem meruit: ille divitiis perpetuam mortem. Hunc ſua paupertas fecit excelſum: illum ſuæ divitiæ fecere deiectum. Dives factus omnino indigens ſepultus eſt in inferno, & ſine fine damnatus: Lazarus in ſinu Abrahæ collocatus, & paradiſi divitias obtinens cum Deo lætatur. Væ divitiis, quæ non ſolum pereunt, ſed ſuum etiam perire faciunt amatorem. Felix & ſecura paupertas, quæ ditat

& ſubleuat ſe patienter portantem. Non iam nobis ſpes divitiarum incerta qualibet occaſion. blandiatur: ſed voluntariam ſectemur pauperiem; quatenus divitiarum ſuarum nos faciat eſſe participes; qui ideo pauper fieri voluit in terra, vt nos ſua paupertate ditaret in cœlo, Ieſus Chriſtus dominus noſter, cui eſt cum Patre & Spiritu ſancto honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

EPISTOLA XV.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij diſpenſator immeritus, G. venerabili Decano ſuo vtili amico & veraci, feliciter vivere, & eſſe beatum.

QVam purè, quàm firmiter nos dilexeritis, ipſe otiens effectus probavit, quotiens voluntas, aut nec. uitas noſtra vos in ſua cauſa advocavit. Mens mea confitetur, quod lingua loquitur · & neutra ingrata efficitur. Mens igitur mea grata eſt confeſſione, lingua locutione: Deus abnuat, vt ingratus efficiar actione. Et quia, ſicut prælocuti ſumus, dilectio veſtra nobis ſervire parata nunc vſque extitit, in noſtra multa anxietate ſuam optimam conſuetudinem non amittat: quam veſter amicus fidelis non merito quidem, ſed gratia oprando repoſcit. Habemus enim negotium contra conſanguineum noſtrum Mauricium de Credone in craſtino Ramiſpalmarum: cui vt aſſitis, multipliciter rogamus. Si qualibet occaſione defueritis, vehementer dolemus: quippe quoniam amicum talem perdidimus, quem in noſtra caritate nulli ſecundum poſſidebamus. Si primũ poſſedimus in caritate, primum poſſidere eum debuimus in tentatione, ſicut ſcriptum
Eccl. 6.
eſt, *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum.* Vale.

EPISTOLA XVI.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, Guilielmo ſuo magiſtro, non plus ſapere, quàm oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem.

OMnes qui in fide non ficta vivere cernimur, vt fidei noſtræ veritas inſtruatur, non vt deſtruatur in omnibus locis vnanimiter laborare debemus. Igitur de propoſita nobis quæſtione, quæ magna ex parte, immo prorſus ſecundum tuam intelligentiam fidei Catholicæ obviare videtur, plenam ſectandæ fidei reddimus rationem: ita quemadmodum olim intellexiſti, aut adhuc forſan intelligis, intelligi non debere. Credens enim, niſi fallimur, propoſuiſti, quod ſolummodo quatuor peccata confeſſione indigebant: cætera autem à Do nino ſine confeſſione ſanabantur. Quod te inueniſſe aſſeris in expoſitione Bedæ de Evangelio, vbi decem leproſi ſanati à Domino memorantur. Sed hoc ita intelligendum minimè cenſemus, & iuxta fidem Chriſtianam ſic intelligere nec poſſumus, nec debemus. Determinanda eſt enim iſta ſententia ſapienter, vt intelligi poſſit vtiliter, & fidei noſtræ integritas conſervetur. Illa vtique quatuor peccata, error videlicet gentilis, ſchiſma fraternum, hæretica pravitas, & Iudaica perfidia, in quantum prævalent, vniverſalis Eccleſiæ caſtitatem commaculant. Vnde neceſſe eſt, vt quicumque iſtis peccatis vel vno ex ipſis polluuntur, non iam ſoli ſacerdoti, ſicut in cæteris agitur, ſed vniverſæ Eccleſiæ confiteantur: & ſic ad eius vnitatem redeant, cuius fidem antea impugnabant. Iuſtum eſt enim, vt qui alios diabolica præſumptione infidelitatem docent, eos etiam publica ſatisfactione in fide confirment, & quibus antè fuerunt occaſio & exemplum publicæ perditionis, forma & exemplum fiant publicæ reconciliationis. Cætera verò vitia, ſicut dicis, per ſemetipſum Dominus ſanat & corrigit. Licet enim omnia quæcumque ſanantur, Dominus ſanet & corrigat, quædam tamen per ſemetipſum ſanare atque corrigere perhibetur: ea videlicet, quæ ſibi privata in confeſſione revelantur, vt ſanentur. Sibi dico: quia illi, qui in eius loco eſſe dinoſcitur. Certum eſt, nihil hoc certius, omnia peccata, vel crimina confeſſione indigere & pœnitentia. Et quamvis quædam ex ipſis per publicam pœnitentiam puniri videantur; nulla tamen alia publica confeſſione opus habent, niſi ea, quæ communem Eccleſiæ fidem violare conantur.

EPISTOLA XVII.

Clariſſimo Duci Normanorum, & præcellentiſſimo regi Anglorum Hainrico, cariſſimo domino & præcordiali amico, frater Goffridus Vindocinenſis Abbas, in præſenti proſperè ſemper & feliciter vivere, & in futuro manere cum Rege Angelorum.

VEſtræ magnitudini, dulciſſime Pater & domine, ſignificaui iter noſtrum: & quia vobis ſenſi eſſe contrarium, itineris ſtatim mutaui propoſitum. Veſter itaque ſervus, teſtis eſt mihi Deus, in veſtra fidelitate remaneo: in qua, quandiu vixero, indeſinenter permanebo. Quod quando & quomodo excellentiæ veſtræ placuerit, ſecundum meum poſſe operibus comprobabo. Valeat Dominus meus Rex & vigeat: quem omnipotens Deus ab omni adverſitate defendat, & tribuat ei quod bene deſiderat.

EPISTOLA XVIII.

Guillelmo Aquitanorum Duci clariſſimo Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, dilectionem Dei, & de inimicis victoriam.

SIcut quicquid eſt ſecundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam, vos decet à nobis quærere, & nos ſuper hoc libenter obedire: ſic quicquid eſt Deo & ſanctæ regulæ contrarium, nec dignitatem veſtram exigere decet, & nos ſuper hoc vobis obedire non oportet. Parum enim & vos, & alij benefactores noſtri, in ſervitio, quod Deo quotidie, licet indigni, in Miſſis & orationibus, & pauperum recreationibus exhibemus, confidere poteſtis, poſtquam à nobis regulam, ſecundum quam profeſſi ſumus, videritis violari, à quibus omnino debet obſervari. Rogaſtis itaque, vt Rainaldum Quartaldum in Obedientiam, de qua eum amovimus, remitteremus; quia & vobis vtilis erat, & nobis valde neceſſarius. Quod vobis vtilis erat, quia dicitis, credimus: ſed quia nobis neceſſarius eſſet, ſi vellet, nullatenus dubitamus. Et quanto magis ſe vobis eſſe vtilem, & nobis eſſe neceſſarium agnoſcebat, tanto ſecuriùs turpitudinem corporis ſui, & animæ ſuæ perditionem exercebat. Et ideò profectus temporales pretioſiores quàm animam fratris noſtri facere non debuimus; de qua ſine dubio in die iudicij rationem reddituri ſumus. Nunc autem pro quibus culpis eum ad ſalutem animæ & corporis ſui nobiſcum habeamus, nec veſtrum eſt inquirere, nec noſtrum vobis amplius aperire. Sed cum ad præſens ad partes veſtras venerimus, quicquid ſecundum Deum & ordinem noſtrum à nobis petieritis libenter faciemus. Valete: & de cura animarum nobis commiſſarum vos intromittere nolite. Mallemus enim quicquid eſt temporale amittere, quam cuiuſlibet fratris noſtri animam conſentiremus p-rire.

EPISTOLA XIX.

Guillelmo omnium militum magiſtro, & nobiliſſimo Duci Aquitanorum, Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſeruus, in præſenti de inimicis victoriam, & in futuro gloriam ſempiternam.

MEminiſſe debet, optime Princeps, veſtra prudentia, nos domino Abbati de ſancto Iohanne, de querelis, quas adverſus illum habebamus, pro amore veſtro terminum dediſſe, non de terra noſtra, quam violenter invaſerat, vllas inducias conceſſiſſe. Vnde ad Epiſcopum Santonenſem, cuius iudicio ſe illam cepiſſe aſſerebat, perreximus: & ibi per os eiuſdem Epiſcopi nullum inde factum fuiſſe iudicium veraciter cognovimus. Et ideo quod ab illo iniuſtè præſumptum fuerat, canonico Epiſcopi & clericorum eius iudicio irritum factum eſt, & vacuum. Vos autem, Dux vitæ laudabilis, quem corporis pulchritudine ſimul & animi magnitudine ſuper alios Deus honoravit in mundo; vt ipſe ſpecioſus forma præ filiis hominum, pulchrum & magnum vos faciat in cœlo. Monaſterium noſtrum, quod in iure ſuo, ſumptu ſuo parentes veſtri honorificè conſtruxerunt, exhonorari, vel rebus ſuis minui nullatenus permittatis. Hoc ſi feceritis, verendum vobis eſt, ne à ſanctis Angelis parentibus veſtris ſit nuntiatum; & eorum animas triſtes reddatis, qui eos potiùs lætificare debuiſtis. Si olim in aliquo nos læſiſtis, Dominum Deum, quibus valemus precibus, exoramus, vt illud vobis perdonet dono ſuæ pietatis: & de omnibus, quæ illicitè commiſiſtis, cor pœnitens vobis tribuat; & erga omnes, & erga nos maximè puræ caritatis viſcera vos habere concedat. Ad vos venire, vir venerande per orbem, voluntas noſtra minimè diſtuliſſet, ſi renum infirmitas cum dolore lateris non obſtitiſſet. Et quia me neceſſitas detinet, non voluntas; humilis amici, immò ſervi veſtri, excuſationem diligenter recipere dignetur veſtra ſublimitas, Vale.

EPISTOLA XX.

Glorioſo ac venerabili Aquitanorum Duci Guillelmo, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, Deum timere, & cum timore diligere.

DE honore & vtilitate veſtra plurimum ſollicitus, optime Princeps, mando vobis, vt ſi Romam mittere debetis, ſicut olim mecum eſtis locutus, nullo modo differatis vlterius. Paratus ſum enim de hoc vobis conſilium & auxilium, quod melius potero, dare: & pro regni veſtri augmentatione, cum vno vel duobus de clericis veſtris tantum laborem ſubire. Quod facere nec poſſum, nec debeo, nec vos exigere debetis ſine digna remuneratione. Hanc ad præſens remunerationem quæro, vt conſuetudines, ſeu exactiones, quas terris noſtris Præpoſiti veſtri violenter impreſſerunt; quas tamen terras religioſi Principes prædeceſſores veſtri, & monaſterij noſtri fundatores, abſque conſuetudine vel qualibet exactione donaverunt, Deo & loco noſtro relinquatis: & ne deinceps repetantur, me bene ſecurum faciatis. Si vobis hoc placet, quod omnino placere debet, in prædicto negotio non recuſo obedire, licet fieri non poſſit ſine rerum noſtrarum magnis expenſis: & quod eſt amplius, abſque corporis noſtri labore maximo & anxietate. Valete: & quicquid ſuper hoc vobis placuerit, per literas veſtras multùm familiariter mihi notificate.

EPISTOLA XXI.

Clariſſimo Aquitanorum Duci & incomparabili militi, Guillelmo cariſſimo Domino & præcordiali amico, Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, diligere quod Deus diligit, & odio habere quod odit.

DVx vitæ laudabilis, vt ad vos venirem mihi mandaſtis: ſed diem & locum, quo vos invenire potuiſſem, non ſignificaſtis. Quapropter miſi ſtatim ad partes veſtras quendam monachum, qui me ad vos, quo ipſe iubetis, diceret venturum. Qui per duodecim dies ibi vos expectans, cum invenire non poſſet, inde ad me reverſus, mihi nuntiavit vos ad Clarummontem profectum. Mitto iterum vobis iſtum fratrem, per quem mihi mandetis, ſi magnitudini veſtræ meæ parvitati ad præſens loqui placuerit, & vbi, & quando placebit. Ad vos, cariſſime domine, ſæpius veniſſem, & de vtilitate veſtra vobiſum locutus fuiſſem, ſi gratiam & dilectionem apud vos potuiſſem invenire, quam apud prædeceſſores veſtros noſtri veraciter dicuntur inveniſſe. Sed fortaſſis hoc apud Deum peccando mereri potui: ſed Deus ſcit, nunquam apud vos niſi ſerviendo & diligendo promoveri. Deſiderio tamen vobiſcum loqui deſidero, apud vos querimoniam facturus de Præpoſitis veſtris, Guillelmo videlicet & Haimerico fratre eius, qui res, quas pretium redemptionis animarum ſuarum venerabiles anteceſſores veſtri, loci noſtri fundatores, eidem loco contulerunt, penè penitus deſtruxerunt. Res ipſas opulentas & divites de larga manu prædeceſſorum veſtrorum, qui vos, vt credimus, ad æthereas manſiones præceſſerunt, rectores monaſterij noſtri, qui fuerunt ante me, ſuſceperunt, & tota vita ſua ſine labore tenuerunt. Ego autem qui multum pro rebus iſtis & laboravi & expendi, eas inveni pauperes, & prædictorum mala gratia Præpoſitorum de die in diem invenio pauperiores. Vnde, optime Princeps, ſi mihi non creditur, ſaltem rerum diſtractioni & locorum paupertati, quæ nec mentiri, nec occultari poteſt, credatur. Vale, Dux multum dignus laude humana, & vtinam amplius divina.

EPISTOLA XXII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis Abbas, cariſſimæ dominæ ſuæ Matildi Pictauenſi Comitiſſæ Deum timere, & cum timore diligere.

QVod poſtquam dominus Comes, maritus veſter Hieruſalem perrexit, vos non vidimus, ne miremini humiliter rogamus, quoniam hoc potius neceſſitate quam voluntate dimiſimus. Ad præſens igitur, Deo volente, ad vos veniemus: & de bonis Eccleſiæ noſtræ veſtræ nobilitati libenter ſerviemus. Vnum tamen vobis celare nec poſſumus, nec debemus, quod & animæ veſtræ periculoſum eſſe, & cariſſimo domino & amico noſtro, marito veſtro contrarium, ſi per vos, quod abſit, factum eſt, non mediocriter formidamus. Eſt itaque in partibus veſtris quidam, Rainaldus videlicet Quartaldus, qui tonſura & habitu eſſe videtur monachus, ſed ab operibus, & vita monachi valdè eſt alienus. Iſte enim penitus contempta profeſſione ſua, & B. Benedicti regula, in vobis, vt idem ipſe aſſerit, confiſus, ſanctæ obedientiæ & monaſterij ſui refugit præcepta, & pro lege regulari vtitur voluntate propria, animæ ſuæ nullatenus curans detrimenta. Vnde vos ſicut cariſſimam ſanctæ Eccleſiæ filiam obteſtamur, & pro timore Dei & amore mariti veſtri: vt ipſe Deus eum ad vos ſanum & incolumem cum omni victoria reverti faciat, ſuppliciter rogamus, ne per veſtram fiduciã

animam

A animam ſuam perdat ille, qui iam propria iniquitate à Deo cognoſcitur ſeparatus. Hunc ſiquidem cum omnibus ſibi conſentientibus à Domino Papa, & à nobis excommunicatum veſtra excellentia indubitanter agnoverit, ſi unquam ulterius nobis & monaſterio ſuo inobediens eſſe præſumpſerit.

EPISTOLA XXIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, dilectæ in Chriſto filiæ Ermengardi Britannorum Comitiſſæ, nec mundum ſequi, nec eius flore, quia cito marceſcit, velle delectari.

B ESt utique quem ſequi, cuius pulchritudine debemus potius delectari, Ieſus Chriſtus videlicet Dominus noſter, qui adeo nos dilexit, quod pro nobis corpus & animam ſuſcepit, & ne perpetua morte damnaremur, inæſtimabili caritate in mortem ſe tradidit. Eius, inquam, beneficia, ſi diligenter conſiderare voluiſſes, ô creatura, pro qua auctor vitæ mortuus eſt, adulantium linguæ non te à creatore tuo ſeparaſſent, nec unde ſemel receſſeras, iterum ſociaſſent mundo, in quo nihil præter id quod eſt funeſtum reperies. Præſentem namque mundum ſic vera miſeria, & falſa beatitudo comitatur, ut vix aut nunquam Deum habere valeat, quicunque illum amplectitur. Vale, & quæ dicta ſunt, ſapienter conſidera.

EPISTOLA XXIV.

C *Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus dilectæ in Chriſto filiæ Ermengardi vita laudabilis Comitiſſa, ſic in hoc ſeculo miſericorditer agere, ut in futuro miſericordem Dominum videre valeat, & habere.*

PErvenit ad me de te, regia proles; quod mihi non diſplicet, & nemini debet diſplicere, quia Deo placet. In terreno regimine, ut audivi exercens iura iuſtitiæ; & patriæ faciens pacem, multis proficis, pauperes paſcis eſurientes, ſitientibus porrigis potum, nudos veſtis, & nobilitatem generis morum nobilitate ſuperans, Deo potius militare, quam ſæcularibus negotiis implicari videris. Hæc ſancta iuſtitiæ & pietatis opera in te cum gaudio laudare & poſſum, & debeo, ſed eſt aliud, quod ſicut pro tua reverentia non præſumo reprobare, approbare non audeo. Nam dum D caritate tua leniente pene omnis mœſtus ad te veniens lacrymam tergat, & vix aliquem à tua præſentia recedere liceat triſtem: inſuper etiam multarum Eccleſiarum ianuas ſæpiſſime aperiat tuæ devotionis oblatio: mirum valde, nec eſt pia admiratione mirandum, cur Eccleſiam, in qua tuus venerabilis pater ſibi elegit ſepulturam, & quæ pro illo à te amplius debuit honorari, filiali dilectione honorare non ſtudeas; & naturæ iura conſervans, te eius fuiſſe filiam, ſicut veraciter fuiſti, debitis beneficiis non oſtendas. Olim & in veteri lege, & in nova, religioſi & omni laude & memoria digni Principes extiterunt, qui loca, ubi patrum ſuorum corpora ſepulta ſciebant, ſemper carius diligentes, ut ea vario ornamentorum genere decorarent, & multimodis poſſeſſionibus dilatarent, tota intentione ſtudebant. Nos, quos ille vir piæ recordationis nec carne genuit, nec magnas divitias, nec aliquam nobis poſſeſſionem reliquit, Eccleſiam, in qua ſepultus eſt, pro illo diligimus magis & honoramus, & numerum monachorum, qui in ea ſacrificia pretioſa, pretia ſcilicet animæ ſuæ, Deo quotidie offerant, au- E mentantes, de rebus Abbatiæ noſtræ maximam partem, unde ibi vivere valeant, eis contulimus. Has pro patre tuo, qui defunctus eſt ſæculo, utinam Deo vivat, tibi ſpecialiter literas ſcripſimus: quia niſi tu ſola patris tui animæ hæres extiteris, qui eius hæres exiſtat alium de ſua carne genitum ad præſens invenire non poterit. Cum verò memor paternæ ſalutis aliis tuæ caritatis expanderis ſinum, contra locum, in quo tuus pater egregius Princeps corpore iacet, nulla occaſione deinceps contineas, clauſum. Vale, & parce mihi, ſi male locutus ſum, ſi bene, acquieſce.

EPISTOLA XXV.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis Abbas, Adelardo de Caſtroguntherij timorem F *Domini pariter & amorem.*

MVlta mala nobis feciſti, & Deum in nobis, cuius, licet indigni, ſervi ſumus, ad iracundiam non mediocriter provocaſti. Nos autem diu te ſatis patienter portavimus, quem de tantis malis acturum quandoque pœnitentiam ſperabamus. Sed quia præteritis malis nova quædam peiora prioribus addere non timuiſti, rogamus te, ſicut cariſſimum noſtrum, ut quod contra nos illicitè commiſiſti; emendare feſtines: & prædam quietam dimittas, quam cepiſti. Quod ſi conſilio noſtro acquieſcere nolueris, verendum tibi eſt, ne tota terra tua tali interdicto feriatur, quod ſolvi deinceps non poſſit ſine Apoſtolicæ ſedis licentia, cuius alodium Vindocinenſe cœnobium eſſe dinoſcitur. Inſuper etiam in eodem monaſterio, & in omnibus Eccleſiis, quæ ad prædictum locum pertinent, per ſingulos dies ante ſacratiſſimum corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti de te clamorem facie- G mus: quatenus ipſe qui omnia poteſt, violentiam tuam: quam vi humana refrænare nec poſſumus, nec debemus, ſuæ dexteræ virtute corrigere & refrænare in præſenti dignetur: ne anima tua in futuro propter hoc æternum incendium patiatur. Vale.

EPISTOLA XXVI.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij Abbas, Goffrido de Meduana ſalutem.

IN præſenti vita ſapiens ut mala ageres diu fuiſti; bene autem agere vix potuiſti, quia noluiſti. Quædam tamen bona feciſti: ſed ad comparationem malo- H rum tuorum pauca ſunt aut penitus nulla. Vnde te quaſi iam in ultima hora poſitum admonendo conſulo, & conſulendo ammoneo, ut mala opera quæ longo tempore perpetraſti, ſaltem in fine emendare feſtines: ne cum morte corporis etiam in anima moriaris. Reſiduum vitæ tuæ, quod modicum eſt, certiſſimè ſcias, conſerva vivendo Deo creatori & redemptori tuo: quia quidquid huc uſque vixiſti, totum aut penè totum vixiſti ſæculo. Præveni igitur peccata tua, ne ipſa te præveniant. A quibus ſi forte ſiniſtra, quod abſit, præventus fueris, credo veraciter quoniam pœna tua fine carebit. Peccata quippe ſua quiſque prævenit, quando mala quæ fecit, & adhuc facere poteſt, pœnitendo deſerit. Sed tunc à peccatis prævenitur, cum iam mala agere urgente mortis neceſſitate non ſinitur. Vale, & conſilio noſtro acquieſce.

***

EPISTOLA XXVII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij amicorum ſervus, Rainaldo dulciſſimo conſanguineo ſuo & amico præcordiali, ſic poſſidere temporalia, ut non amittat æterna.

PIetatis divinæ pia flagella, quæ hoc in anno ſuper vos venerunt, mentem veſtram valde terrere debuiſſent, & ab his, quæ contra Deum egiſtis, velocius revocare. Ad hoc enim, ut credimus, vobis à Deo miſericorditer collata fuerunt, ut qui in incolumitate corporis voluntate Deum quærere differebatis, neceſſitate ſaltem ac timore ei de illicitis operibus veſtris ſatisfacere feſtinaretis. Hoc etiam nobis promiſiſtis, quando noviſſime locuti vobiſcum fuimus, quod vitæ veſtræ emendationem Dei & noſtro conſilio ſumeretis. Opera, quæ deinceps feciſtis vel facitis, ignoramus, ſed ſi piiſſimo Redemptori noſtro contraria exiſtunt, non parvum dolorem ob hoc ſuſtinemus. Utinam, cariſſime, aſſiduè cogitaveris, quanta in die iudicij triſtitia, quanta tribulatio, quanta miſeria, quantus ſuper omnes dolores dolor erit homini, qui Deum videbit, nec habebit, & ante Redemptoris ſui conſpectum peribit. Hoc autem nemo unquam ad plenum cogitare potuit, qui magis ſæculo quam Deo militare decrevit. Nunc forſitan cogitatio veſtra vobis dicit, aut qui vobis adulantur, dicunt, ſi dominus noſter efficeretur monachus, vel moreretur, iam tota terra ſua diſſiparetur, ſcitote quia animæ veſtræ minimè conſulunt, qui ſic loquuntur. Terram enim, & quidquid temporaliter poſſidetis, oportet vos ad præſens, velitis nolitis, relinquere. Sed animæ veſtræ valde erit contrarium, ſi hoc neceſſitate feceritis, non voluntate. Certè, dilectiſſime, Deus, qui permiſit vos honorem Credonenſem habere, ipſe, ſi voluiſſet, honorem illum conferre potuiſſet Orhandi monoculæ, quam dum puer eſſem in curia veſtra recolo me vidiſſe. Et quanto plura vobis dediſſe Deum agnoſcitis, tanto magis ei obnoxius eſtis. Valde miſer eſt, nec veraciter credit in Deum, quem mundus ante deſerit, quam ipſe deſerat mundum. Mundum enim, antequam ipſe nos deſerat, deſerimus, cum illi ſponte renuntiantes, quidquid ex eo ſordis vel criminis contraximus, ob vitæ perennis amorem odimus. Sed tunc quaſi prior mundus nos deſerit, cum in ſordibus noſtris proſtratos extrema dies invenit. Et tunc miſeranda hominis conditio gemit, quod Deo ſervire noluit, quando iam reparare non poteſt, quod nequiter vixit.

EPISTOLA XXVIII.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij ſervus, dilectiſſimo domino ſuo & præcordiali amico, Radulpho, ſic tranſire per bona temporalia, ut conſequatur æterna.

SCimus quoniam monaſterium noſtrum, quod in honore & nomine Sanctæ Trinitatis conſtitutum eſt pariter & ſacratum, toto corde diligitis. Et nos ipſam beatam Trinitatem Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, pro cuius amore hoc facitis, toto mentis affectu imploramus, quatenus corpus & animam veſtram in præſenti ab omni impedimento cuſtodiat, & in futuro vitam vobis conferat ſempiternam: atque animam patris veſtri, de quo plurimum vos ſollicitum eſſe cognoſcimus, ſua ineffabili pietate & glorioſa B. Mariæ ſemper virginis interceſſione, ab omni vinculo peccatorum & criminum ſuorum abſolvat: & ipſum ſuum & omnium Deum ac Dominum videre & habere valeat, qui eſt remiſſio peccatorum & ſuorum merces & retributio ſervorum. Rogaſtis fratrem, qui noviter venit ad ordinem, veſte religionis mutata remitti parentibus ſuis, ut vel ſic damnum poſſent recuperare terrenum. Pro amore veſtro remitti quidem poteſt: veſtis autem religionis ſine offenſione & nota infamiæ mutari non poteſt. Si quis obiicit, quod Epiſcopi & Abbates Romam ſæpe ierunt veſte mutata, ſcire debet, quia illud cogebat, quæ domino Papæ debetur, obedientia. Pro temporis neceſſitate novum dedit dominus Papa obedientiæ præceptum: in hac veſtra poſtulatione novum, ut ita dixerim, audio cupiditatis peccatum. Iterum ſi dicitis, eum nondum feciſſe profeſſionem, nondum monachi habuiſſe benedictionem: firmiter credite & veraciter agnoſcite, nec profeſſione, nec benedictione perfectum monachum ſive Chriſtianum poſſe fieri ſine cordis devotione. Et ubi eſt cordis devotio, ibi ſancta benedictio deeſſe non poteſt, & vera profeſſio. Igitur ſi conſuetudinaria profeſſio, quæ fit viſibiliter, & benedictio illum, ſicut dicitis, non tenet ligatum, propoſita devotio religionis, in qua adhuc perſeverat, mundo amplius non patitur eſſe ſolutum: præſertim cum illam profeſſionem ſua voluntate iam feciſſet, & ſuſcepiſſet benedictionem, ſi per nos ei dilatum non extitiſſet.

Goffridi Abbatis Vindocinenſis Epiſtolarum Finis.

GOFFRIDI
ABBATIS VINDOCINENSIS
B. Priſcæ Cardinalis Opuſcula.

I.

TRACTATUS DE CORPORE & Sanguine Domini Ieſu Chriſti.

Frater Goffridus peccator, in præſenti tractatu Catholicus ſcriptor, omnibus Chriſtianis, de Corpore & Sanguine Domini fideliter credere, & ipſum, cuius Corpus & Sanguinem percipiunt, Chriſtum Dominum videre pariter & habere.

DE Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, dum à fidelibus piè quæritur, quod veraciter dicendum eſt, & firmiter credendum, ipſo Chriſto Deo & Domino noſtro donante dicatur, ut in illorum cordibus dubitatio nulla relinquatur. Prius quidem panis & vinum ſuper altare ponuntur: ſed ſicut ante conſecrationem nihil aliud præter propriam panis & vini naturam habent, ita poſt conſecrationem nullam naturam, nullam materiam panis vel vini retinent, niſi quantum ad ſaporem, ſpeciē, & odorem Hoc tamen propter infirmitatem hominum & imbecillitatem. Nam ſi illa glorioſiſſima caro, & ſacratiſſimus ille ſanguis non in ſpecie panis & vini, ſed in ſua propria natura hominibus apparerent, præ ſui magnitudine homines illa ferre non poſſent, quod ſi fieri poſſet, fidei meritum non haberent. Sed ſi S. Apoſtoli, Petrus, Iacobus, & Ioannes Dominum in terra adhuc mortalem & corruptibilem carnem

portantem transfiguratum non poterunt aſpicere, iam incorruptibilis & glorificati corporis illius tantam claritatem alij homines quomodo poſſent ſuſtinere? Illis ſiquidem ſanctis diſcipulis non naturam divinitatis, ut quidam exiſtimant, Dominus oſtendit, ſed ſpeciem poſtea glorificandæ carnis exhibuit. Firmiter itaque credamus, & nullatenus dubitemus, quia quod in altari poſt conſecrationem à Chriſtiana religione ſumitur, nihil aliud eſt, nihil aliud habet, præter quod ipſa veritas per ſe profitetur: *Accipite*, inquit, *Hoc eſt corpus meum*, & de quo ſuo corpore diceretur per ſemetipſum expoſuit dicens: *quod pro vobis tradetur*. Similiter & de Calice, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Si quis autem aliam carnem præter iſtam habuiſſe Dominum Ieſum credit, deſipit, non eſt Catholicus, ſed hæreticus. Hac carne redemit hominem Chriſtus: hac in carne Chriſtum homo peremit. Anima tamen & caro hominis ſunt redempta: ſed hæc caro hominis fuit pretium redemptionis. Hæc eſt illa una eadémque verè vera caro, non alia, quæ cooperante Spiritu ſancto concepta, nata eſt de Maria virgine, & paſſa in cruce: quam ipſe Deus omnipotentia divinitatis ſuſcitavit à mortuis tertia die. Quapropter nemo formidet hanc carnem Chriſti Dei, Dei patris unigeniti filij, naturalem & propriam, incorruptibilem & immortalem iam factam dicere, & dicendo credere, & credendo accipere, non tantum in Sacramento, quod & multi mali faciunt, ſed uſque ad Spiritus participationem. In iſto ſancto myſterio, quod & Sacramentum, id eſt, ſacrum ſignum dicitur, quia aliud eſt, id eſt Chriſti ſancta caro, & aliud, id eſt, panis ſpecies, videtur, ipſam beatiſſimam & vivificatricem carnem multi homines perverſi accipiunt: ſed quia mali malè accedunt, peiores quam prius fuerant exiſtunt. Quidam verò ſumunt uſque ad ſpiritus participationem, quia qui cum caritate, id eſt cum Dei & proximi dilectione percipiunt, cum Chriſto participantur uſque ad animæ vivificationem. Et ſicut nemo ſine caritate Chriſti ſacroſanctum corpus & ſanguinem accipere poteſt quin peior exiſtat, ſic nemo cum caritate illud accipere poteſt, quin inde melior fiat. Vnde ſi quis quærit; quomodo panis caro Chriſti, & unum ſanguis eius fieri poſſit, certè ſi ea quæ ſunt, Dominus non creaſſet, creata forſitan mutare non poſſet. Sed minoris miraculi non fuit ex nihilo omnia creare, quam in melius ex omnibus quædam convertere. Qui talia quæris, noli errare. Si Deum omnipotentem eſſe credis, nullatenus ſuper hoc poteris dubitare, quoniam ſi omnia poſſe confiteris eum, & iſtud poſſe negare non poteris, cum ſit ex omnibus unum. Ille namque qui in carnem in virgine matre, omnino ſervata virginitate, ineffabiliter & veraciter aſſumere potuit, qui etiam cum ſit immortalis, pro nobis mortuus eſt, & die tertia imperij ſui potentia ſeipſum à morte ſuſcitavit, panis & vini materiam in ſui corporis naturam in conſecratione convertit.

Mat. 26

II.

DE ORDINATIONE EPISCOPORVM, & de inveſtitura laicorum.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, cariſſimo Domino & præcordiali amico Petro Leonis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Catholicam fidem toto corde diligere, & eos qui ei contradicunt totis viribus impugnare.

VEſtræ petitionis & meæ promiſſionis non immemor, ſi non ut debui, ſaltem ut potui, tentavi ſolvere & quod à vobis quæſitum eſt, & à me promiſſum: de ordinatione videlicet Epiſcopi, & de inveſtitura laicorum. In primis firmiter credere nos oportet, & nullatenus dubitare, ut quemadmodum baptiſmus Chriſtianum facit, ita electio & conſecratio facit Epiſcopum, & ſicut impoſſibile eſt ſine baptiſmo Chriſtianum fieri: ita eſt impoſſibile Epiſcopum ſine electione & conſecratione creari. In ordinatione Epiſcopi electio & conſecratio, ſic eſt utraque neceſſaria, quod conſecratio ſine electione, & ſine conſecratione electio Epiſcopum facere ſola non ſufficit. Nam ſicut in baptiſmate aqua & invocatio Spiritu ſancti ſunt neceſſaria, quæ faciunt Chriſtianum, ita in ordinando Epiſcopo electio & conſecratio ſunt neceſſitate coniuncta, quæ creant Epiſcopum. Et ſicut aqua ſola, aut ſola invocatione Sancti ſpiritus, nec baptiſmus fieri poteſt, nec homo eſſe Chriſtianus, ita ſola electione, aut ſola conſecratione nemo ordinari, vel fieri valet Epiſcopus. Magnum quidem & baptiſmatis, & electionis, & conſecrationis Epiſcopi eſt ſacramentum, ſed illud præcepit, & per alios facit Chriſtus, & hoc egit per ſemetipſum. In illo ſpiritualiter creatur homo, & à Chriſto Chriſtianus dicitur: in iſto verò dominus & Imperator creatur Chriſtianorum, qui non ſolum vocatur Chriſtianus à Chriſto, ſed etiam Chriſti vices agere creditur. Sciendum vero eſt, quod hic vel ubicumque de electione Epiſcopi agitur, canonicam neceſſe eſt electionem & Evangelicam intelligi: ut qui bene electus eſt, & iuſtè conſecretur. Alioquin fit quædam prava ſimulatio in Eccleſia, & Eccleſiaſticæ dignitatis illuſio non parva. Nam quicumque canonicè non electus quaſi ſacrandus accedit, execratus recedit, & falſo nominatur Epiſcopus, qui adnullare conatur electionis & conſecrationis ordinem, quem Chriſtus per ſemetipſum primus inſtituit. Ipſe enim primus & elegit Apoſtolos, & conſecravit, quos niſi prius electos conſecrare non voluit. Hoc ſanctum Sacramentum, electionem videlicet & conſecrationem Apoſtolorum, Chriſtus primus primum fecit, per quod cætera fierent ſacramenta. Nullus autem Apoſtolorum apoſtolatum audacter appetiit: nullus eorum ſe impudenter obtulit eligendum. Tota itaque ordinatio Epiſcopi non in ſua, ſed in aliorum electione conſiſtit, & conſecratione, ſi tamen illam electio recta præceſſerit. Hæc autem prius per ſemetipſum, ut dictum eſt, Chriſtus fecit, deinde verò vicarij eius. Et in Apoſtolis quidem à Chriſto facta ſunt, quoniam ab ipſo & electi & conſecrati fuerunt. In aliis vero omnibus à nullis aliis fieri licet, niſi à vicariis Chriſti. Sunt autem vicarij Chriſti clerici in electione, Epiſcopi in conſecratione. Cæteri omnes petere quidem Epiſcopum poſſunt: eligere vero vel conſecrare non poſſunt. Quicunque igitur alio modo, quaſi ſub nomine Pontificis Eccleſiam vel poteſtatem Eccleſiaſticam ſibi vindicare præſumit, hic iam non per oſtium intrat, ſed aliunde aſcendit: ut meritò non inter Epiſcopos computetur, ſed inter fures & latrones connumeretur. Iſte aliis benedictionem non porrigit, ſed peſtem, & vulnus potius inferre videtur, quam ſalutem: qui tanta præſumptione Dei maledictionem meretur. Nam Epiſcopus ſine canonica electione eſt quaſi arbor ſine radice. Arbor autem quæ radicem non habet, etiam ſi folia habeat, fructum ferre nullatenus valet. Ad huiuſmodi arborem Chriſtus quidem acceſſit, & cum ibi fructum non inveniſſet, eam maledixit. Ille maximè à Deo maledicitur, qui Sacramentis Eccleſiæ quaſi ſociari ſua cupiditate deſiderat, non Chriſti caritate. Et omnis qui ſacramentis Eccleſiæ cæmento caritatis non iungitur, iniuria quidem Eccleſiæ facit, ſed quaſi paries luteus diſſipatur, qui licet dealbari poſſit ad tempus, eius ſubita diſſolutione, qui ante confidebant in eo, premuntur. Hac igitur ſimilitudine rectè colligitur, quod qui ad iniuriam ſanctæ Eccleſiæ Eccleſiaſticum ordinem, & maximè Pontificatum aſſequitur, ſuam deſtructionem in primis, deinde populi mortem operatur. Et tunc Eccleſia iniuriam pariter ſuſtinet

&

A & verecundiam, quando in eligendo pontifice canonica petit electio, & quod vitæ meritis, & ſapientiæ doctrinæ, atque ſacris ordinibus debetur illis quaſi imponitur, quibus nec bonæ vitæ merita, nec ſapientiæ doctrina, nec ſacri ordines ſuffragantur. Iſti terrenum, immò paludoſum habent fundamentum, & ideo corruunt, qui tali fundamento ædificantur. De
Pſal. 17. talibus enim dicitur in Pſalmo: *Proieciſti eos dum allevarentur.* Gravius nihil eſt apud Chriſtum Eccleſiæ iniuria, cuius Sacramenta qui perverſe ſuſcipiunt, cum Chriſto eſſe, vel prodeſſe non poſſunt. Cum Chriſto etenim ſimul eſſe, & contra Chriſtum facere
Luc. 11. nemo poteſt, cum ipſe dicat: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Qui autem cum Chriſto non eſt, nec ſibi prodeſſe, nec aliis poteſt: cum ipſe iterum aſſerat:
Ioan. 15. *Qui non colligit mecum, diſpergit*, & alibi dicit, *Sine me nihil poſteris facere.* Sunt quidam qui Romanæ Eccleſiæ omnia licere putant, & quaſi quadam diſpenſatione aliter quam divina ſcriptura præcipit eam facere
B poſſe. Quicumque itaque ſic ſapit, deſipit, nam Romanæ Eccleſiæ poſt Petrum minimè licet, quod Petro non licuit. Petro quæ liganda erant ligandi, & quæ ſolvenda ſolvendi eſt à Chriſto data poteſtas, non quæ liganda ſolvendi, vel quæ erant ſolvenda ligandi conceſſa facultas. Petrus etiam, ſi aliquando aliter egit, Paulus licet in converſatione novitius ei in faciem reſiſtere minimè timuit. Petrus verò ſui iunioris increpationem libenter ſuſcipiens, quod plus iuſto fecerat, diligenter correxit. Præterea nulla ratione fieri licet, quod Chriſtus ſuo exemplo dedocuit. Ipſe enim legem ſolvere non venit, ſed adimplere. Romana itaque Eccleſia divinarum ſcripturarum legem ſolvere non debet, ſed conſervare: & tradita ſibi à Chriſto poteſtate, non ad ſuam voluntatem uti, ſed ſecundum Chriſti traditionem. Si etiam à
C ſuo iuniore Romano Pontifici ſuggeritur, ut ſi aliquando plus iuſto fecerit, iuſtè corrigat, tanquam Petrus Pauli admonitionem ſuſcepit, & ipſe ſuſcipiet, ſi Petrum imitari deſiderat. De inveſtitura autem laicorum, ſi quis cognoſcere voluerit, quid Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſenſerit, quid docuerit, quid iudicaverit, quid conſtituerit, legat in primo capitulo illius Concilij, quod tempore Gregorij ſeptimi Papæ factum eſt: & ibi omnes clericos, qui de manu laici inveſtituram ſuſcipiunt, hæreticos vocatos, & ideo damnatos eſſe & excommunicatos invenerit. Licet alia hæreſis de inveſtitura dicatur, alia Simoniaca: iſta, quæ de inveſtitura dicitur, contra ſanctam Eccleſiam fortius iaculatur. Simoniaca etenim pravitas multotiens fit latenter: hæreſis verò de inveſtitura, ſemper publicè agitur. Ibi etiam in primis omnis Eccleſiaſticus ordo confunditur, quando hoc quod unicuique à ſolo ſuo conſecratore in Eccleſia, cum orationibus quæ ibi conveniunt, dari debet, à ſæculari poteſtate priùs accipitur. Quòd
D Sancti Apoſtoli non ſolùm interdixerunt, verum etiam omnis illos, qui per ſæcularem poteſtatem Eccleſiam obtinent, à Chriſto ſibi tradita poteſtate damnaverunt. Et meritò Apoſtoli iudicio Spiritus ſancti hanc hæreſim in ipſo Eccleſiæ principio damnare decreverunt, quam longo poſt tempore ex patre diabolo naſcituram eſſe præviderunt. Cùm igitur laicò & inveſtitura, & omnis etiam diſponendarum Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticarum rerum facultas à Spiritu ſancto, qui in Apoſtolis loquebatur, negata ſit penitus & interdicta, qui inveſtituram à laico ſuſcipit, non iam contra Apoſtolos tantum; immo contra dominum Apoſtolorum, quod ſanctum eſt canibus exponit. Inveſtitura enim, de qua loquimur, Sacramentum eſt, id eſt, ſacrum ſignum, quo princeps Eccleſiæ, Epiſcopus ſcilicet, à cæteris hominibus ſecernitur pariter atque dinoſcitur, & quo ſuper Chriſtianum gregem cura paſtoralis ei tribuitur. Hanc inveſtituram ab illo ſolo ſuſcipere debet, à quo & conſecrationem habet. Illum ſiquidem

prius oportet conſecrari; deinde verò tanquam regem Eccleſiæ ſacris inſignibus decorari. Si quis E
autem cuilibet ſæculari poteſtati iſta licere putat, errat. Quod ſi defendere nititur, Apoſtolorum doctrinam, & ſancti Spiritus ſenſum adnullare deſiderat: unde hæreticus eſſe nullatenus debitatur. Inveſtitura itaque laicorum, quæ fit per virgam & anulum: meritò hæreſis appellatur. Nam ſicut à Simone Simoniaca hæreſis dicitur, ita ab eo qui inveſtit, & ab illo qui inveſtitur, quoniam vterque in illa ſua actione, & agitare claves Eccleſiæ, & eius vnicum ac ſingulare oſtium violare conatur, recto nomine hæreſis de inveſtitura vocatur. Hæc præterea hæreſis de inveſtitura, ſi rectè perſpiciatur, etiam hæreſis Simoniaca eſſe viva & vera ratione probatur. Nam quæ ſæcularis poteſtas ſibi vindicare nititur inveſtituram, niſi ut per hoc aut pecuniam extorqueat, aut, quod eſt gravius, ſibi inordinatè ſubiectam efficiat Pontificis perſonam; Nullus eſt itaque laicorum, etiam ſi ei liceret, qui tanta intentione anulum, vel virgam dare deſideret, niſi per hæc quæ ſunt Sacramenta Ec- F
cleſiæ temporalibus lucris inhiaret. Laicis quidem Sacramenta ab Eccleſia ſuſcipere licet, non Eccleſiæ quælibet Sacramenta dare. Anulus autem & virga, quando ab illis dantur, à quibus dari debent, & quando, & ubi, & quomodo debent, Sacramenta Eccleſiæ ſunt, ſicut ſal & aqua, oleum & chriſma, & quædam alia, ſine quibus hominum & Eccleſiarum conſecrationes fieri non poſſunt. Semper laicus de inveſtitura, ut diximus, aut pecuniam ſibi vindicat, aut, quod eſt amplius, Epiſcopi vel Abbatis perſonam. Hac non tam humana quam diabolica malignitate Eccleſia Catholicam fidem, libertatem & caſtitatem amittit, ſine quibus nulla ratione ſubſiſtit. Hæc etenim tria ſemper Eccleſia habere debet: quorum vel ſi unum defuerit, velut paralytica iacet; nec ligandi, nec ſolvendi poteſtatem habet. Hanc G
igitur, quam ſuprà diximus, inveſtituram quicumque ſub ſpecie paſtoris ſuſcipere præſumit, fit paralyticus & hæretica lepra pollutus. Illum non paſtorem fiducialiter dico, nec illius paſtoris, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, quodlibet membrum: ſed fur & raptor & lupus eſt. Nam ad hoc venit, ut furetur & rapiat & mactet. Hanc autem deteſtabilem impietatem, non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt ei, damnati ſunt. Ille verò conſentit, qui eam tacet, qui eam non corrigit, & qui ei palam non contradicit. Et nemo eſt qui contradicere palam non debeat, & poſſit: nam ſi prælati non habet auctoritatem, habet tamen Chriſtiani vocem, & ſcri- Hier. 48.
ptura dicit, & neminem excipit: *Maledictus eſt, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, id eſt, vocem ſuam ab increpatione peccati. Illud etiam factum meminerit, quod aſina fatuum Prophetam olim correxerit. Quod ſi fuerit vitioſus, vel quolibet alio crimi- H
ne infamis factus, non ideo ſilere debet: quoniam unicuique peccatori communem Eccleſiæ fidem, quam ſuam eſſe credit & confitetur, defendere, & contra eius adverſarios liberè pugnare licet. Nam illi duo, qui in paſſione Domini crucifixi ſunt cum eo, omnino infames erant: nam publici latrones: quorum unus non tantùm quia credidit, ſed quia ſuæ fidei veritatem contra alterum defendere cœperit, bonum illud, & delectabile verbum à Salvatore noſtro audire meruit, *Hodie*, ſcilicet, *mecum eris in paradiſo.* Vnde in latrone illo maximè declaratum agnoſcitur, quod vir Catholicus, licet infamiæ maculis aſperſus, fidei defenſione paradiſum pariter, & cum Chriſto eſſe meretur.

* * *

III.

DE SIMONIA ET INVESTITVRA Laicorum; quare utraque dicatur hæreſis.

Vniverſali Papæ Calixto, bono domino ſuo & præcordiali amico Geffridus Abbas Vindocinenſis, beatæ Priſcæ Cardinalis, quod patri filius, & domino ſervus.

CVm Simonia & Laicorum inveſtitura hæreſis dicatur, quare utraque ſit hæreſis, & meritò hæreſis appellari debeat, præſenti, brevique ſatis Epiſtola monſtrabitur, ne ſuper hoc deinceps dubitetur. Firmiſſime crede, Pater cariſſime, quòd nihil aliud propriè hæreſis dicitur, niſi quod à Patris unitate Filium ſive Spiritum ſanctum conatur ſeparare, vel perſonarum alteram altera minorem vel maiorem aſſerere. Igitur Simon Magus non tantùm hæreticus, ſed hæreticòrum primus & peſſimus extitit; qui non ſolùm à Patris æqualitate ſeparari poſſe Spiritum ſanctum exiſtimavit, ſed etiam ipſo Spiritu ſancto maior eſſe præſumptuosè tentando concupivit. Nam cùm ſe poſſe pecunia poſſidere Spiritum ſanctum putavit, quid appetiit aliud, niſi ut Spiritu ſancto maior ipſe haberetur; cum maior ſit qui poſſidet, quàm quod poſſidetur? Cum itaque Patris & Filij & Spiritus ſancti perſonas inæquales quilibet nititur aſtruere, ratione pariter & auctoritate hæreticus habeatur; multo magis Simon Magus, qui Spiritum ſanctum Deo Patri & Filio æqualem per omnia ſibi pecunia ſubiicere tentavit, hæreticus, & Simonia, quæ ab ipſo inventa eſt, & ab eo dicitur, hæreſis comprobatur. Laicus autem, cùm inveſtituram Eccleſiarum tribuit per virgam & anulum, quæ ſunt Eccleſiæ ſacramenta, ſicut ſal & aqua, oleum & chriſma, & quædam alia, ſine quibus hominum & Eccleſiarum conſecrationes fieri non poſſunt, ſibi ius Chriſti uſurpat & poteſtatem; & quodammodo ſe Dei filio prædicat altiorem. Nam dum illa Eccleſiæ ſanctæ ſacramenta ibi dantur, ubi dari debent, & quibus, & quando debent, à Dei filio dantur; per conſecratorem videlicet illius actionis miniſtrum; ſicut in remiſſionem peccatorum Spiritus ſanctus dabatur per Petrum. Vnde Deus pater ad Ioannem loquitur, dicens, *ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, ille eſt qui baptizat.* (Ioan. 1.) Quando dixit, ille eſt qui baptizat, à parte totum ſignificavit. Nam Dei filius univerſa Eccleſiæ conficit & tribuit ſacramenta. Laicus autem, quando contra Dei filium ſic præſumit, ſi non ampliùs, non minùs tamen quam Simon Magus intumuit, & ipſe intumeſcit, qui in collatione ſacramentorum ſe Dei filio anteponit. Et quia Deo Dei filio non ſolum ſui patris æqualitatem demere nititur, ſed ſeipſum Dei filio ſuperiorem ſua impia actione ſignificare videtur, recto nomine & ipſe hæreticus, & eius inveſtitura hæreſis appellatur. Vale, & Simoniam & laicorum inveſtituram omni occaſione, vel qualibet diſpenſatione ſepoſita impugnare ſatagite.

IV.

De poſſeſſionum Eccleſiaſticarum inveſtitura, quòd regibus concedatur.

NOn ſit imperatoribus & regibus moleſtum quod dicimus, nec conſuetudine ſibi vindicare nitantur, quod eis veritate negatur. Cùm laicis, etiam religioſis, diſponendarum Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum rerum omnis facultas ab Apoſtolis prohibeatur, manifeſtum eſt quòd eis inveſtitura negatur ab ipſa Veritate, à Chriſto videlicet, qui in Apoſtolis loquebatur. Quòd autem Chriſtus in Apoſtolis locutus ſit, Paulus Apoſtolus aſſerit dicens, *An experimentum eius quæritis, qui me loquitur Chriſtus?* (1. Cor. 1.) Cùm igitur Chriſtus veritas ſit, ſicut ipſe dixit, *Ego ſum veritas*, (Ioan. 1.) nec unquam, Ego ſum conſuetudo, dixerit; qui Chriſtianus eſt Chriſtum, & qui rex eſt, regem regum, ipſam ſcilicet veritatem ſequatur, non conſuetudinem. In Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, quamvis nec in legibus, nec in Canonibus inveniatur, tamen propter ſcandalum & ſchiſma vitandum, talis regibus inveſtitura conceditur, ut nec ipſi propter hoc pereant, nec ſancta Eccleſia detrimentum patiatur. Inveſtituram per virgam & anulum accipere, niſi à ſuo conſecratore, manifeſtum eſt eſſe damnoſum: quia nulli laico licet illa Eccleſiæ Sacramenta dare; ſicut ei non licet Epiſcopum conſecrare. Res etiam quæ ſemel Eccleſiæ datæ ſunt, reges iterum eas dare, vel de ipſis inveſtire, nec debent, nec convenienter poſſunt. Nam alicui dare qaod habet, & de hoc inveſtire aliquem quod ille iam tenet, ſuperfluum eſt & vanum; non tamen videtur criminoſum. Alia utique eſt inveſtitura, quæ Epiſcopum perficit, alia verò quæ Epiſcopum paſcit. Illa ex divino iure habetur, iſta ex iure humano. Subtrahe ius divinum, ſpiritualiter Epiſcopus non creatur. Subtrahe ius humanum, poſſeſſiones amittit, quibus ipſe corporaliter ſuſtentatur. Non enim poſſeſſiones haberet Eccleſia, niſi ſibi à regibus donarentur, & ab ipſis non quidem divinis Sacramentis, ſed poſſeſſionibus terrenis inveſtirentur. Ex iure divino regibus quidem & imperatoribus dominamur; ipſis tamen ex eodem iure, quia Chriſti Domini ſunt, honorem debemus & reverentiam, ſicut dicit Apoſtolus, *Regem reveremini.* (1. Petr. 2.) Ex iure autem humano tantum illis debemus, quantum poſſeſſiones diligimus, quibus ab ipſis, vel à parentibus ſuis Eccleſia ditata & inveſtita dinoſcitur. Vnde Beatus Auguſtinus ſuper Ioannem ſic loquitur, [Noli dicere, quid mihi & regi? Quid tibi & poſſeſſioni? Nam per iura regum poſſeſſiones habentur. Si verò dixeris, quid mihi & regi? noli iam dicere poſſeſſiones tuas, quia ad ipſa iura, quibus poſſeſſiones poſſidentur, renuntiaſti. Nam ſecundum ius imperatorum poſſides terrena. Tolle imperatorum iura; quis audet dicere, mea eſt illa villa, aut meus eſt iſte ſervus, aut mea eſt iſta domus? Quo iure defendis villas? divino, an humano? Divinum ius in ſcripturis habemus, humanum ius in legibus regũ. Vnde quiſque poſſidet quod poſſidet? nonne iure humano? nam iure divino, Domini eſt terra & plenitudo eius. Pauperes & divites Deus de uno luto fecit; & divites & pauperes una terra ſupportat. Iure tamen humano dicis, hæc mea villa eſt, hæc domus mea, hic ſervus meus eſt. Iure ergo humano, iure imperatorum, quare? quia ipſa iura humana per imperatores & reges ſæculi Deus diſtribuit Eccleſiæ ſuæ.] Poſſunt itaque ſine offenſione reges, poſt electionem canonicam & conſecrationẽ, per inveſtituram regalem in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus conceſſionem, auxilium & defenſionem Epiſcopo dare, quod quolibet ſigno factum extiterit, regi vel pontifici, ſeu Catholicæ fidei non nocebit. Voluit bonus Dominus & magiſter noſter Chriſtus ſpiritualem gladium & materialem eſſe in defenſione Eccleſiæ. Quod ſi alter ab altero retunditur, hoc fit contra illius voluntatem. Hac occaſione de regno iuſtitia tollitur, & pax de Eccleſia: ſcandala ſuſcitantur & ſchiſmata; & fit animarum perditio ſimul & corporum. Et dum regnum & ſacerdotium unum ab altero impugnatur, periclitatur utrumque. Nam rex & Romanus Pontifex, cùm unus contra alium, alter pro regni conſuetudine, alter pro Eccleſiæ libertate erigitur, regnum illam conſuetudinem obtinere nec poteſt, nec poterit; & Eccleſia ſuæ libertatis amittit plurimum. Rex præterea ſacroſancta communione pariter & regia dignitate privatur: à Romano verò Pontifice multis, qui ſibi ſervire debuerant, neceſſitate cogente ſervitur: & qui à Pontifice docendus erat, & ducendus

A à Rege, Rex & Pontifex populum ſequitur. Habeat autem Eccleſia pacem, & regnum iuſtitiam: habeat Rex conſuetudinem, ſed bonam; non quam malè repoſcit, ſed quam ſuprà diximus inveſtituram. Habeat Eccleſia ſuam libertatem; ſed ſummopere caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat ſanguinem; & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur. Hoc eſt præcipuum diſcretionis membrum ne quis qualibet actione Eccleſiæ à ſatana circumveniatur. Tunc enim à ſatana quis circumvenitur, quando ſub ſpeciē iuſtitiæ illum per nimiam triſtitiam perire contingit, qui potuit liberari per indulgentiam. Præterea bonus & diſcretus Auguſtinus in Epiſtola ad Parmenianum dicit, vix aut nunquam excommunicandum eum eſſe, qui in malo opere obſtinatam multitudinem habet ſecum. Nam tolerabilius videtur uni
B parcere, ne in Eccleſia ſchiſma ſeminetur plurimorum. Et beatiſſimus doctor & martyr Cyprianus aſſerit, dicens: [Schiſma non eſt faciendum etiam ſi in eadem fide, & in eadem traditione non permaneat qui recedit,] & Salomon in Eccleſiaſte, *Scindens ligna periclitabitur in eis, ſi exciderit ferrum.* Item in Exodo,
Eccl. 10. Exod. 12. *In domo una comedetur: nõ efferetis de domo carnem foras.* Ex quibus verbis colligitur, eum non excommunicandum eſſe, qui multitudinem habet ſecum: ne dum unum corrigere nitimur, perditio fiat multorum. Hoc etiam Hieronymus ad Auguſtinum ſcribit, dicens, quòd ſecundum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli prudentiam, diſpenſationémque honeſtam, aliquando fieri neceſſe eſt, quod iure reprehenditur, ne Chriſtianæ plebi ſcandalum oriatur. Nam propter metum Iudæorum, ne ipſi ſcandalizarentur, & Paulus poſt converſionem Timotheum circumciſum fecit, & ceremonias etiam exercuit Iudæorum: & Petrus coëgit quoſdam Iudaizare gentilium, uterque Sanctus Apoſtolus ſimulans ſe veteris legis præcepta ſervare; ne qui fideles ex Iudæis facti fuerant ſuſceptam veritatis
C notitiam ſcandalizati negarent. Fecerunt hoc ſancti Apoſtoli miſericordi & pia compaſſione, non ſimulatione fallaci; quamvis legem poſt Evangelium non eſſe ſervandam minimè dubitarent. Vbi beatiſſimæ vitæ viri intelliguntur non quidem commutaſſe conſilium, ſed ad horam pro aliorum ſalute ſuæ doctrinæ ſententiam. Si de præſenti materia minùs vel aliter dixi, quàm debui, ignorantiæ deputetur, & indulgeatur miſericorditer: ſi autem bene, benignè ſuſcipiatur, & obſervetur diligenter.

V.

Ad Calixtum Papam, qualiter in Eccleſia diſpenſationes fieri debent.

DIſpenſationes aliquando in Eccleſia faciendæ ſunt, non quidem amore pecuniæ vel quolibet
D humano favore, ſed pia & miſericordi intentione. Tunc enim à paſtore Eccleſiæ diſpenſatio piè & miſericorditer fieri creditur, cùm aliquid minùs perfectè ad tempus fit ab illo vel fieri permittitur, non voluntate ſua, ſed aliorum neceſſitate; ne in ipſis videlicet fides Chriſtiana periclitetur. Sic igitur facienda eſt diſpenſatio ab Eccleſia, ut ſemper fidei noſtræ veritas inſtruatur: & ſi quid aliter ad horam factum fuerit vel permiſſum, opportuno tempore corrigatur. Hac diſcreta & ſancta diſpenſatione uſi ſunt beati Apoſtoli Petrus & Paulus propter metum Iudæorum, ne ipſi ſcandalizarentur. Nam Paulus poſt converſionem Timotheum circumciſum fecit, & ceremonias etiam exercuit Iudæorum; & Petrus coëgit quoſdam Iudaizare gentilium. Vterque Sanctus Apoſtolus ſimulans ſe veteris legis præcepta ſervare; ne qui fideles ex Iudæis facti fuerant, ſuſceptam veritatis notitiam ſcandalizati negarent. Fecerunt hoc ſancti Apoſtoli miſericordi & pia compaſſione, non ſimulatione fallaci; quamvis legem poſt Evangelium non eſſe ſervandam minimè
E dubitarent. Vbi beatiſſimæ vitæ viri intelliguntur non quidem commutaſſe conſilium, ſed ad horam pro aliorum ſalute ſuæ doctrinæ ſententiam. Nam ſuper hoc quod ipſi & alij aliter fecerant, & ſe, & alios poſtea correxerunt. Poſſunt etiam & debent fieri diſpenſationes, quibus Eccleſiarum & monaſteriorum conſuetudines immutentur, ſed ubi poſtponitur minus bonum, ut quod eſt melius inſtituatur. In nullo autem malum fieri debet vel permitti, niſi in ea tantùm neceſſitate, ubi timetur, ne periclitetur fides, & illud poſtmodum corrigatur. Nam qui mala faciunt ut veniant bona, horum iuſtam eſſe damnationem Paulus Apoſtolus proteſtatur. Si quis verò aliter in Eccleſia diſpenſationes facit, rationi ſimul & veritati contra-
F dicit: nec ſolùm lucernam ardentem non habet, verùm etiam aliorum ardentes extinguit. Et ideo non rectè dicitur Chriſti vicarius, ſed dux eſt cæcorum ipſe cæcus.

VI.

Quæ tria Eccleſia ſpecialiter habere debet. Ad eundem Papam.

ECcleſia ſemper Catholica, libera, & caſta eſſe debet. Catholica, quia nec vendi debet, nec emi: libera, quia ſeculari poteſtati non debet ſubiici: caſta, quia nullatenus debet muneribus corrumpi. Quando enim Eccleſia venditur vel emitur, evacuatur fide: quia quod incomparabile factum eſt à Deo ab homine comparari poſſe æſtimatur. Præterea qui vendit Eccleſiam, cupidum Iudam imitatur: qui autem emit illam, Iudaicam avaritiam ſectatur. Iudas utique cupiditate vendidit Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ, & Iudæi avaritia emerunt illum. Quando
G verò Eccleſia ſæculari poteſtati ſubiicitur, quæ ante domina erat, ancilla efficitur; & quam Chriſtus Dominus dictavit in cruce, & quaſi propriis manibus de ſanguine ſuo ſcripſit, chartam libertatis amittit. Hanc enim libertatis chartam Chriſtus vindicavit in cruce, & ſuæ ſponſæ Eccleſiæ per ſemetipſum dedit; ut homines alios per peccatum factos diaboli ſervos, ipſa libera liberos & Dei filios faceret, & ſuos; qui ſibi diligenter ſervirent, & tanquam bonæ matri devoti filij humiliter obedirent. Tunc etiam Eccleſiæ caſtitas omnino periclitatur, cùm corrumpitur ipſa muneribus; & ex caſta & virgine ſponſa Domini, quaſi mulier publica veraciter facta dinoſcitur. Hoc enim eſt proprium meretricis, ut ſemper ſub pretio redigatur. Hæc tria quæ diximus, propriè propria Eccleſia habere debet: quorum unum ſi defuerit, falſo nomine dicitur ſponſa Chriſti; quæ velut paralytica iacet; nec ligandi, nec ſolvendi poteſtatem habet. Nam Chriſtus paſtor bonus ſponſam fidelem quærit, reſpuit infidelem: liberam ſibi ſociat, abiicit ancillam; caſtam diligit, odit corruptam.

H

VII.

De Arca fœderis.

Goffridus Vindocinenſis monaſterij humilis ſervus, dilectis in Chriſto diſcipulis Hamelino & Andreæ bona principia ſorte meliori terminare.

MVltis ac diverſis actibus ſæculi deditus, fratribus, quos meæ imperfectioni divina patientia regendos commiſit, loqui vel ſcribere quæ debeo non poſſum. Iuſtum tamen eſt velle magis prodeſſe, quàm præeſſe: nec paſtorem Eccleſiæ decet minùs de ſalute animarum, quam de rerum adminiſtratione eſſe ſollicitũ. Vnde, licet animus meus pro ſua conſuetudine circa alia verſaretur, vobis, quos ſpecialiter diligo,

A quædam ad conſolationem veſtram religioſorum credidi non tacere. Et quoniam de conſolatione veſtra propoſui; vos ſalubriùs conſolari, vel ædificare non valeo, quàm ſi pauca pluribus, quæ in veteri lege facta memorantur, veſtræ humilitati ſtudeam revelare. De his autem quæ palàm ſunt, & valde omnibus trita, diſſerere ſuperfluum æſtimavi; quia & faſtidium auditoribus generant, & eos culpabiles exhibent de contemptu. Illa tamen proferri neceſſe eſt, quæ & à vobis poſſint intelligi, & vitæ veſtræ convenienter aptari. Igitur poſt Hebræorum de Ægypto profectionem poſt maris rubri tranſitum, poſt Ægyptiorum extinctionem, quid Dominus ad Moyſen, ad ſuorum vtilitatem præceperit, diligenter audiendum eſt, atque memoriter retinendum. Dicit itaque Moyſes ad univerſum populum, ut unuquiſque pro viribus conferens faceret tabernaculum. Collatio quidem illa non debuit fieri qualibet coactione, ſed ſpotanea voluntate. Ait namque Deus
Exod. 25 B ad Moyſen, ut unuſquiſque, ſicut viſum fuerit cordi ſuo, ea offerat quæ ad conſtruendum tabernaculum ſunt neceſſaria. In primis quidem de Hebræorum ex Ægypto profectione, de maris tranſitu, de Ægyptiorum extinctione mentionem feci: & quoniam iſta quibuſdam clauſa ſunt, ea reſerare vtile, immo neceſſarium duxi. Quamvis enim realiter fuerint hæc omnia; latent tamen in ipſis myſteriorum pretioſa monilia. Per Ægyptum namque, in qua, velut Dominus, Pharao principabatur, præſens ſæculum, cuius princeps eſt ſatanas deſignatur. Huius principis infeliciſſimum dominatum Hebræus, per quem ſignatur fidelis populus, proficiſcendo, id eſt, proficiendo, Moyſe duce ſapienter devitat. Qui Ægypto, præſenti ſcilicet ſæculo renuntiat: & ſimul legiſlatorem Chriſtum, eius inhærendo mandatis, dilectione amplectitur: neque amplius audit vocem alienorum, malignorum videlicet ſpirituum, ſed ſuam, qua dicit, *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Mare quidem rubrum, quod Hebræis fuit præ-
C Ioan. 12. ſidium, & Ægyptiis dedit interitum, aqua baptiſmatis, vel lacrymabilis pœnitentia intelligitur. Quod idcirco rubrum dicitur, quia & in baptiſmate Chriſti ſanguine conſecratur: & in lacrymabili pœnitentia aliquando uſque ad ſanguinem oculorum, nonnunquam autem uſque ad carnis macerationem pervenitur. In hoc itaque mari adverſarij noſtri Ægyptij ſuffocantur, quia & per baptiſmum, & per pœnitentiam lacrymarum peccata & crimina noſtra, quæ inter nos & Deum ſeparant, mortificantur. Tabernaculum unde
Heb. 9. loqui maximè cœpi, pellibus & ciliciis extrinſecus fuiſſe coopertum, intrinſecus verò auro & argento, ære atque lapidibus pretioſis, multiſque aliis, de quibus dicendum per ſingula neceſſarium modo arbitror, legimus, adornatum. In tabernaculo etiam erat candelabrum, & arca de lignis Sethim fabricata; & intra arcam, ut legitur, lex, & manna, & virga Aaron continebantur. Tabernaculum ſignificat Eccleſiam, congregationem videlicet iuſtorum: pelles &
D cilicia, quibus extrinſecus tegebatur, mortificationem indicant vitiorum: per aurum fides, per argentum confeſſio: in ære fortitudo exprimitur: in lapidibus pretioſis pretioſa vitæ æternæ deſignantur eloquia. In candelabro bonæ intentionis manifeſta operatio intelligitur. Per arcam memoria, per ligna Sethim munditia, per legem mandata Dei ſignantur. Manna verò pietatis dulcedinem dicimus: ſed virgam diſciplinæ ſeveritatem. Præcipit benignus Deus in lege ſua, pro noſtra vtilitate, non pro ſua neceſſitate, ut tabernaculum, id eſt, ſanctificationis habitationem ei faciamus. Vbi verò habitatio iſta facienda ſit vel conſtruenda, ſcriptura inſinuat, cùm di-
1 Reg. 7. cit *Præparate corda veſtra Domino.* Corda vtique noſtra Domino præparamus, ſi ſibi ea receptacula munda, quæ dignè inhabitare poſſit, exhibemus. Hæc etiam receptacula non vult ſibi exhiberi cum aliqua difficultate; ſed cum omni devotionis hilaritate. Multùm diſcretus omnipotens Dominus, non velut im-

E portunus exactor, à nobis exigit, quæ non habemus: nec eius iuſſio nos ſibi offerre quod debeat eſſe contrarium cordi noſtro. Pellibus ſiquidem & ciliciis tabernaculum extrinſecus bene tegimus, cùm exteriùs & interiùs noſtrum, carnem ſcilicet noſtram, ita cum vitiis & concupiſcentiis mortificamus, ut cor noſtrum, quod tabernaculum Dei dicitur, eius illecebris minimè corrumpatur. Ornamus tabernaculum auro, ſi pura & integra fides eſt in corde noſtro. Fides autem pura & integra hæc eſt, ut Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnum Deum & Dominum eſſe, ſine aliqua hæſitatione, ſed cum omni dilectione credamus. Licet enim Trinitas ſit in perſonis, una ſola natura, una ſola ſubſtantia eſt Deitatis. Et quamvis alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus: non tamen aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus: ſed Pater & Filius & Spiritus ſanctus tres quidem ſunt perſonæ, vt diximus, & iſtæ tres perſonæ unus eſt Deus,
F vnius ſolius naturæ, vnius ſolius ſubſtantiæ atque eſſentiæ. Et ne in creatrice omnium creaturarum Trinitate, cui nihil eſt impoſſibile, aliquid huic fidei contrarium ſentiamus, in humanis etiam creaturis eorum, quæ dicta ſunt, ſimilitudinem habemus In ipſis etenim creaturis quædam inveniuntur, quæ licet tria ſint, & vnumquodque eorum propriam in ſe habeat perſonam, unam, eandémque naturam habent, & unam, eandém ſubſtantiam. Veniamus itaque ad fontem, & fontis rivum conſideremus; aquam etiam ab utroque procedentem, quod videlicet ſtagnū vocatur, nihilominus videamus. Ecce fontem, rivum, & ſtagnum tres perſonas invenimus: & licet ſint tres perſonæ, una tamen eſt aqua, & aquæ una, eadémque natura, atque ſubſtantia. Argentum ad decorem tabernaculi offerimus, cùm per veram & ſanctam confeſſionem animas noſtras ab omni contagione peccati & criminis mundamus. Sed ubi, & cui, & quando confeſſio ipſa fiat, ſcire debemus.
G Vbi? non apud Hæreticos, ſicut ſæpè ſolet fieri; ſed in Eccleſia Catholica vnumquemque Chriſtianum neceſſe eſt confiteri. Cui? ſuo paſtori præcipuè: ſi tamen talis eſt ille; qui ſua & aliena vulnera curare ſciat germana caritate; non per ſuperbiam detegere & publicare. Quando? dum ſalus corporis manet, dum ſua quiſque utitur poteſtate. Non debent homines, ut confiteantur, expectare ſuæ vitæ extremum diem: quoniam qui uſque in finem confeſſionem differunt, vix aut nunquam perveniunt ad ſalutem. De talibus enim dicitur in Pſalmo, *Cùm Deus occideret eos, tunc quærebant eum.* Æs etiam in tabernaculo cum auro & ar- Pſal. 77.
gento ſolidamus, ſi in fide & confeſſione Chriſti fortes uſque ad finem huius vitæ perſeveramus. Multo quippe pretioſior eſt fides atque confeſſio, ſi cum ipſis contra adverſa omnia fuerit operis fortitudo. In ædificio tabernaculi lapides pretioſos ponimus & componimus, cùm verba ſanctæ exhortationis ad invicem proponimus atque exponimus. Debet enim alter alteri exponendo proponere ubi fuit, ubi eſt, ubi non
eſt, & ubi erit. Vbi fuit; videlicet in paradiſo, in beatitudinis loco, ubi omni munditia abundabat ac ſanctitate & perpetua, niſi primus homo peccaſſet, fruebatur immortalitate. Vbi eſt; utique in hoc mundo, ſub iugo aſperæ conditionis, ubi quotidie in lacu miſeriæ verſatur, & in luto fæcis. Vbi non eſt; in ea ſcilicet mentis devotione, qua beati Apoſtoli, Martyres, & Confeſſores, ſanctæque virgines Deum ac Dominum noſtrum multùm benignum Ieſum dilexerunt, & pro eius amore mundum cum ſuo flore penitus contempſerunt. Vbi erit; in illo, inquam, vel tremendo die iudicij, ubi verbis ad loquendum compoſitis nemo alterum protegere, vel quaſi tueri præſumpſerit: ubi iniquitas verborum compoſitione colorari non poterit: ubi nulli ſe excuſare vel quicquam occultare licebit: ubi de ipſa conſcientia accuſator procedet & teſtis. Ibi certè ſemel accuſari nihil erit aliud, quam æternaliter condemnari. Candelabrum ad honorem tabernaculi fabricamus, cum bonæ intentionis manifeſtis

A operibus aliis bonitatis exempla monſtramus. Collocamus etiam in tabernaculo arcam, quando ad ea, quæ Dei ſunt, noſtram applicamus memoriam. Idcirco arca de lignis Sethim, quæ imputribilia ſunt, dicitur fabricata; quia memoria noſtra corruptionis, vel cuiuſlibet turpitudinis locus eſſe non debet; ſed totius munditiæ armarium, & caſtitatis ſigillum. Arca quoque intra ſe legem perhibetur continere; quia noſtra mens & memoria divina mandata aſſiduè debet obſervare. Manna præterea in arca continetur & virga, nam memoriæ noſtræ & pietas ineſſe debet, qua humiles & manſuetos, ut in melius proficiant, convenit obſecrari: & diſciplinæ ſeveritas, qua ſuperbos & immites corrigi neceſſe eſt & increpari. Correctio quidem noſtra vel increpatio non cum ira & indignatione fieri debet, ſed cum tranquillitate. Licet enim extrinſecus diſciplina ſæviat, cor ſemper plenum ſit caritate. Sciendum tamen eſt, quia delinquentibus aliquando iraſci poſſumus & indignari.
B Sed iterum non oblivioni tradendum eſt, quia ira noſtra, vel indignatio, ultionis executio eſſe non debet, ſed magis abſolutionis operatio. Ad hoc namque iraſci, & indignari debemus, ut eos qui delinquunt ad ſatisfactionem, non ad deſperationem provocemus. Non enim in deſtructionem, ſicut ait Apoſtolus, ſed
2.Cor.10 in ædificationem miſſi ſumus. Cuncta ergo, fratres, quæ agimus iuſta pietate, & pia ſeveritate pariter faciamus, ut & cætera quæ de tabernaculo dicta ſunt, nihilominus retinentes, ſanctum & immaculatum tabernaculum effici mereamur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui immenſæ pietatis & ſummæ iuſtitiæ vivit & regnat Deus cum Patre & Spiritu ſancto per æterna ſæcula ſæculorum Amen.

VIII.

Quid Baptiſmus, quid Confirmatio, quid infirmorum unctio, quid Corporis & Sanguinis
C *Chriſti perceptio in anima Chriſtiana operetur.*

IN baptiſmate, per Spiritum ſanctum datur remiſſio peccatorum. In confirmatione, Spiritus ſanctus invitatur ut veniat, & domum ipſam, quam ſanctificavit, inhabitet, muniat, & defendat. Ipſi etiam Apoſtoli poſt baptiſmum acceperunt Spiritum ſanctum, quem in ipſo baptiſmo iam acceperant in remiſſionem peccatorum. Acceperunt iterum Spiritum & in die Pentecoſtes ad totius virtutis & ſcientiæ perfectionem. Hæc igitur ultima confirmatio fieri iubetur ab Epiſcopis, ad totius perfectionis ſimilitudinem. Quæ idcirco fieri iubetur in fronte; quia perfectorum eſt, non in occulto, ſed in manifeſto Chriſti nomen ſemper habere. Apoſtoli utique antequam hac unctione ungerentur, & ſancto Spiritu confirmarentur, nondum perfecti erant; adhuc timebant, &
D nondum Chriſti nomen in fronte gerebant. In unctione autem infirmorum datur iterum per Spiritum ſanctum remiſſio peccatorum, ut neque in vita, neque in morte deſit Chriſtianis Chriſti miſericordia. In perceptione verò corporis & ſanguinis Domini anima Chriſtiana ſanatur à vulnere vitiorum, & reformatur in ſtatum ſalutis æternæ, & unum cum Chriſto corpus efficitur.

IX.

Quid ſit Sacramenti iteratio.

IBi reiteratur ſacramentum, ubi idipſum iterum datur; quaſi quod priùs datum eſt, poſtea poſſe dari credatur. Verbi gratia, ſi aliquis baptizatus, iterum in aquis baptiſmatis mergeretur ea intentione, ut ab originali & aliis peccatis ſolveretur. Aliter enim non rebaptizatur, etiam ſi multotiens aliquis
E aquis baptiſmatis ſubmergatur. Vbi verò propter aliud & aliud datur, non iteratur ſacramentum, ſed tribuitur ad virtutis augmentum. Quamvis enim prius in vertice, & poſtea in fronte homo chriſmate ungatur, non tamen iteratur chriſmatis ſacramentum: quia, ut ſuperius diximus, propter aliud & aliud fit: ſicut & baptiſmus minimè iteratur, etiam ſi multotiens poſt baptiſmum aquis baptiſmatis aſpergamur. Inunctio infirmorum magnum ſacramentum eſt, & ideo nulla eſt ratione iterandum. Sicut enim cætera ſacramenta per Apoſtolos Chriſtiana religio ſuſcepiſſe creditur: ita & iſtud ſuſcepiſſe ab Apoſtolica traditione minimè dubitatur. Omne autem ſacramentum à Spiritu ſancto, per doctores ſanctos, in quibus ipſe loquitur, iterari prohibetur: idcirco videlicet, ne medicina ſancta vileſceret, & minus utilis eſſet, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis invenitur.

X.

F *De promiſſionibus quas pro conſecratione, ſub nomine profeſſionis, Abbates faciunt Epiſcopis.*

DEus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in
Mat.8. Evangelio monet & dicit, *Gratis accepiſtis, gratis date:* & quod monet verbo, facto complevit. Ipſe enim gratis nos creavit, & redemit miſericordia. Suis itaque ſermonibus monet, & docet operibus, munera ſua, ſanctæ videlicet Eccleſiæ ſacramenta, & gratis accipi debere, & gratis dari: quia licet haberi poſſint, non poſſunt tamen comparari dona Spiritus ſancti: & hæreticus eſſe ratione & auctoritate convincitur, qui quod incomparabile factum eſt à Deo, credit vel actione prædicat poſſe comparari ab homine. Ideo Simon Magus hæreticus factus eſt, quia donum Dei ſe poſſe æſtimavit pecunia poſſidere. Non eſt utique venundandum vel emendum Eccleſiæ quodlibet ſacramentum, quod eſt donum ſancti Spiritus, ex quo,
G & in quo, & per quem divina myſteria iure celebrantur, & peccatorum datur remiſſio, & ſine quo nulla ſanctificatur oblatio. Igitur Eccleſiarum & hominum conſecrationes, ſive benedictiones, omnino gratis fieri debent; nec quolibet ingenio pro huiuſmodi facto quippiam exigatur; ne dum falſa quæritur beatitudo, vera miſeria inveniatur. Sunt quidam Epiſcopi, qui pro benedictionibus Abbatum, ſub nomine profeſſionis ab eis exigunt, quod eſt Chriſtianæ profeſſioni valde contrarium. Nam cùm profeſſio alia in divina laude ſit, alia pro peccatorum depoſitione; iſta laudem Dei non facit, ſed minuit, nec deponit peccata, ſed apponit. Nec ſacræ fidei profeſſio recto nomine dicitur, ſed execranda promiſſio, quæ claves Eccleſiæ agitare, & unicum ac ſingulare eius oſtium violare conatur. Iſta neque veritate, neque auctoritate inventa, ſed conſuetudine & hominum cupiditate
H reperta, triplici genere Simoniæ contra Sanctam Eccleſiam iaculatur: quoniam Simonia à lingua, Simonia à manu, Simonia ab obſequio ibi committitur. Eſt à lingua, cùm publicè recitatur illa promiſſio: fit à manu, quando charta, qua continetur, ſcripta ponitur ſuper altare: fit ab obſequio, cum ipſum malè promiſſum ſubiectionis obſequium ſervatur. Qui ſic agit forſitan dicit, pro benedictione non quæro pecuniam: immo ſatis ampliùs exigit, quia hominis perſonam. Sicut anima plus eſt quàm corpus, ita corpus ſimul & anima, tota videlicet hominis perſona, multo plus eſt quàm eius pecunia. Divina lege & manifeſta ratione probatur, quia benedictio minimè datur gratis, quam præcedit abbatis illa proſcriptio, ut quod deſiderat aſſequatur. Non enim faceret illam, ſi repulſam non pateretur. Illud etiam quod bonum eſt fit perniciosũ, cùm promittitur non bene, vel malè ſuſcipitur. Nam pecunia quam Simon Magus obtulit Petro,

bona quidem erat, ſed quia malè obtulit illam, damnatus à Petro prædicatur. Et ideo nec Evangelica, nec canonica, ſed navicularia eſt illa quæ dicitur benedictio, quam, quæ falſo nomine vocatur, profeſſio præcedit, ſive ſubſequitur. Ibi venditur ſimul & emitur primum Eccleſiæ ſacramentum. Chriſtus etenim primus hoc ſacramentum per ſemetipſum fecit; conſecrationem ſcilicet Apoſtolorum. Præterea ſciendum eſt, nec oblivioni tradendum, quod quicumque emit Eccleſiam, Iudæorum perfidiam; & qui vendit eam, traditorem Iudam imitatur. Iudæi etenim Chriſtum emiſſe noſcuntur, qui eſt caput Eccleſiæ: & eum vendidiſſe Iudas minimè dubitatur. Qui verò pro divino myſterio munus exigit, Giezi ſequitur diſcipulum Elizæi, & Naaman Syri lepram conſequitur. Caveant igitur Epiſcopi & Abbates, qui ideo dicuntur Chriſti vicarij, quoniam Chriſti creduntur agere vices; ne contra Chriſti auctoritatem, qui gratis tribuit, & eius vocem, qui gratis dari monet & præcipit, cupiditatem ſive conſuetudinem ſequantur, qua fides Eccleſiæ, libertas, & caſtitas ſimul corrumpitur. Non mediocriter utique delinquit Epiſcopus, niſi gratis dederit; & Abbas, niſi gratis acceperit, ſimiliter peccat; quia facientem & obſequentem par pœna conſtringit; & facinus quos inquinat, æquat.

X I.

De illis qui in Capitulo inordinatè clamant; & de his qui ibi inordinatè reſpondent.

SÆpe inter monachos agitur, ut per eos, qui de aliis in Capitulo clamores faciunt, & per illos, de quibus clamores fiunt, animorum perturbationes, verba amara, contentiones naſcantur; propter hoc maximè, quòd hi qui accuſantur, modum reſponſionis, & hi qui accuſant, modum accuſationis ignorant. Nam cùm ex odio peccati, & ex dilectione fratris culpam tantùm notificare debeant, qui accuſant, non ita faciunt, ſed minantur & increpant. Illi autem qui increpantur, cùm patientiam Chriſti, quia Chriſtiani ſunt & monachi, imitari deberent, qui coram tondente non aperuit os ſuum, nec in ſua paſſione contra ſuos accuſatores impios & mendaces verba contumelioſa protuliſſe, ſed iudici, ſe licet iniuſtè iudicanti, patienter reſpondiſſe legitur; quod Chriſtus fecit facere erubeſcunt: & Chriſtum, & eius exemplum, nomenque Chriſtianum; ſuum etiam monachatum, ſummæ videlicet humilitatis ſignum, obliviſcuntur: & verba ſuperba & litigioſa contra eos præparant, qui de ipſis loquuntur: atque malis prioribus peiora iungentes, ſuos ſimiles adiutores invocant, quaſi iniuriarum ultores. Vnde, Deo auctore, quomodo, vel cui, filij & fratres noſtri in Capitulo accuſati reſpondere, & qui accuſant quomodo accuſare debeant, ordinare volumus. Ordinamus itaque, & ordinando ſub nomine ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut alter alterius culpam ſic in Capitulo notificet, quatenus eum minari non præſumat, nec increpet. Is verò, quia accuſatus fuerit, adverſus ſuum accuſatorem verbis quibuſlibet non contendat: ſed unde accuſatur ſoli Abbati, vel eius Priori humiliter atque veraciter reſpondeat. Liceat unicuique qui accuſatur, aut humiliter culpam agnoſcere, vel ſi culpabilis minimè fuerit, ſe non audacter ſed patienter excuſare. Ordinationem iſtam; à Deo potiùs quàm à nobis pro pace & quiete animarum & corporum fratrum noſtrorum factam, ſi quis ſcienter violaverit, præter præſentium plagas virgarum, ſeptem continuatis diebus abſque indulgentiâ cibus ei detur ſolummodo panis & aqua.

* * *

X I I.

Quæ tria Paſtoribus ineſſe debeant.

PAſtoribus Eccleſiæ tria ſpecialiter ineſſe debent, iuſtitia videlicet, diſcretio, & providentia. Vnumquemque igitur diſpenſatorem Eccleſiæ in iudicio iuſtum eſſe decet, diſcretum in præcepto; in conſilio providum. Tribus iſtis præcipuè paſtor Eccleſiæ & animarum ſaluti; & corporum neceſſitati prodeſſe poteſt. Quòd ſi unum iſtorum defuerit, cætera duo aut minùs, aut nihil penitus proſunt. Nam ſi iuſtè iudicet paſtor, & indiſcretè præcipiat, ipſa indiſcreta præceptio etiam iuſti iudicij erit deſtructio. Quòd ſi diſcretè præceperit, & iniuſtè iudicaverit, iniuſta & iniqua adiudicatio fiet diſcretæ præceptionis corruptio. Si verò & iuſtè iudicaverit & diſcretè præceperit, in conſilio autem animarum providus minime fuerit, improvida conſilij præcipitatio erit & iuſti iudicij & diſcretæ præceptionis diſſolutio. Ea propter unumquemque paſtorem Eccleſiæ habere oportet & in iudicio veritatem, & dilectionem in præcepto, & in conſilio ſollicitudinem.

X I I I.

Invectio Dei contra peccatorem, & peccatoris confeſſio precantis miſericordiam.

MIſer homo, ego te feci de luto & vſque ad imaginem & ſimilitudinem meam ſublimavi. † Ita eſt Bone: ſola tua gratia ex fragili ſatis materiâ immortalem & æternum, ſi non peccaſſem, me factum cognoſco. †. Tantæ gratiæ ingratus, factus es contemptor obedientiæ. † Sic eſt Sancte, vt aſſeris: locum dedi inventori meæ miſeriæ. † Deus & Dominus pro te ſervo peccati factus ſum caro, & ex animâ rationali & carne perfectus homo. †. Quod profiteris, Conditor pie, & ipſe profiteor: & hoc factum eſt ne perirem ego peccator. †. Super hæc omnia, natus de fœminâ, captus, ligatus, verberatus, multas & multiplices paſſus iniurias, occiſus etiam, ut Dei filium te facerem, qui Diaboli eras mancipium. †. Credo veraciter, Benigne, quod loqueris; ſed ſuſtinere vix valeo, confuſus meâ magnâ & longâ iniquitate. †. Multa & multa circa te mea bona: multa & multa contra me ſunt tua mala. †. Vllâ ratione, Altiſſime, negare non poſſum tua verba vera eſſe, quia & tua bona, ſicut verâ propoſitione propoſuiſti, circa me multa ſunt, & contra te multa mea mala: & quod eſt culpæ gravioris, non me reum aliquando purè confeſſus ſum, nec meum bene agnovi reatum. †. Nullis præcedentibus, vel ſubſequentibus meritis te cuſtodem Eccleſiæ meæ fieri permiſi, & paſtorem. †. Et iſta quidem, miſerator & miſericors, veritate amplector; ſed tuæ miſericordiæ, & miſerationi utrumque confiteor, & antè fuiſſe, & poſtea eſſe me miſerum peccatorem; & qui vehementer timere debeo, ne ex paſtore lupum me fecerim, & ex cuſtode latronem. Meam itaque miſeriam non occulto, & tuam quæro miſericordiam, omnipotentiæ & gratiæ immenſæ. Tua igitur, Deus, gratiâ quâ factus ſum, & quâ ſum redemptus miſericordiâ, mei miſeri & peccatoris miſerere, & beatitudinis illius latronis me participem facito, cui pendens in cruce dixiſti; *Hodie mecum eris in paradiſo.*

* * *

A

X I V.

Alia invectio contra peccatorem, & pœnitentis peccatoris conſolatio.

PEccator agnoſce, & pœnitentiam age, quâ præſumptione contra creatorem tuum & redemptorem egiſti: quàm tepide & negligenter in ſancto ac ſacro ordine longo tempore vixiſti. Serve inutilis, recole beneficia Dei, & dilige. Appende peccata tua in quantum appendi poſſunt, & expaveſce. Miſer Eccleſiæ ſanctæ miniſter, tracta apud te quid bonus Dominus fecerit tibi, & tu quid feciſti: multa bona contulit tibi, & tu multa mala commiſiſti. Hanc (B) retributionem ipſe te non docuit, nec tu ab alio ſic doceri debuiſti. Debitor Dei & tui deceptor, memento promiſſionum, quas ſummo Domino ſæpius feciſti, & non bene tenuiſti. Ipſe multùm patienter te diu expectavit, & tu contempſiſti: ipſe te vocavit, & vocat, & tu ad ipſum redire noluiſti: ipſe te fugientem ſequitur, non propter peccata tua perſequitur; & ut ad eum revertaris, paterno affectu blanditur dicens: *Nolo mortem peccatoris, ſed tantùm pœniteat & vitam conſequatur.* (Ezech. 3) Iterator peccaminum recordare extremi iudicij, & quanta ibi futura ſit gloria Sanctorum, & miſeria impiorum; ubi nec mala anima aliqua ex parte bonum inveniet, nec bona malum. Vas penitus peccatis confractum ingemiſce, dum licet, & dum induciaris, lacrymabiliter plange quidquid contra benignum Deum, ac Dominum corruptus à Satana perpetraſti: & tuam magnam miſeriam confitens, eius magnam miſericordiam humiliter quære. Non plus homo peccator deſperes de tua imperfectione, quàm pœnitendo præſumas de pietate illius, qui te redemit inæſtimabili caritate. Miſerum te quærit, non abiicit plenus miſericordia: infirmum non reſpuit (C) omnipotens medicina. Optat miſericors miſericorditer miſero ſubvenire, ne iuſtum iuſtè contingat miſerum condemnare. Paſtor ille bonus laſſam & ſauciatam ovem non abieciſſe, ſed vexiſſe legitur: nec vexiſſe (Luc. 15) ſolùm, verùm etiam mori maluit, quàm illa moreretur. Hæc Dei miſericordiam ſapiunt & pietatem: & peccatori occaſionem auferunt deſperandi. Vult enim Dominus vitam peccatoris, non mortem: perire peccatum, non hominem. Vnde unicuique peccatori de magna Domini miſeratione indulgentiam ſperare licet, ſi ſe cognoverit peccatorem; & ſuis proximis compatiens de peccato pœnitere voluerit. En ego ſum ille, Ieſu pie, quem non meritis, ſed tua gratia ſola Eccleſiæ tuæ qualemcunque paſtorem aut voluiſti fieri, aut permiſiſti: & quem, licet indignum, ad paſtoris vocaſti officium, perire non ſinas: ſed inter cætera tuæ gratiæ dona tribue, ut me veraciter peccatorem agnoſcens, antequam de præſenti (D) vita tollar, de peccatis meis tibi dignè ſatisfaciam: & quotieſcumque cuiuſlibet fratris mei peccatum audiero, non ſuperbè increpem, ſed compatiar: & quamvis odio habeam peccatum, ipſum tamen diligam peccatorem. Sit mihi ſemper non modica de peccatore compaſſio, & contra peccatum moderata correctio. Abſit ut odio culpæ perire faciam iura naturæ. Natura enim humana ſibi indulgeri quærit, non ultra modum affligi: & quia ſatis citò per ſe labitur, eam erigi neceſſe eſt, non conculcari. Quod eſt Diaboli in homine Deus perire faciat; & quod ſuum eſt, ſervet ne pereat. A Diabolo culpa eſt, creatura à Deo. Divina itaque moderatio in me ſuam etiam iuſtitiam temperet: nedum quaſi amore iuſtitiæ culpam perſequi videor, perire contingat creaturam, & ſi quem diſciplinæ vinculis me ligare contigerit, non mea auctoritate eum premam; ſed dignum faciam abſolutione. Nullum ſub manu mea per nimiam triſtitiam perire contingat; ſed omnes potius per indul- (E) gentiam valeant liberari. Quod ipſe præſtare digneris, Ieſu pie & bone, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnas & dominaris per ſæcula ſine fine manſura. Amen.

X V.

Lamentatio cuiuſdam peccatoris accuſantis ſe & iudicantis.

NOn tantùm me terret miſera vita mea, quantùm terrere deberet; nam anima mea propter ſordidas cogitationes ſuas à fideli amico deiecta, & crudeli ſubiecta inimico, dum pium paſtorem deſervit, facta eſt præda lupo: & quæ antè fuerat ſponſa Chriſti, ſe in ſervitutem redegit Antichriſti. (F) Peperit itaque adultera triſtitiam & verecundiam Deo, gaudiúmque Diabolo atque victoriam. O multùm peccatrix & multùm infelix anima mea! cur peſſimas cogitationes concepiſti, quibus ignem libidinis, immunditiæ, & avaritiæ prudenter & ſcienter accendiſti, quibus etiam iugiter, & non mediocriter exarſiſti, & te gehennæ ignibus perpetuò cremandam tradidiſti? Nonne legeras, & legendo audieras? immo legeras & intellexeras Apoſtolum dicentem: *Quia omnis fornicator, aut immundus, aut avarus in regno Chriſti & Dei non habet hæreditatem.* (Ephes. 5) Habebas utique, unde, ſi voluiſſes, utiliter cogitare potuiſſes; ſcilicet beneficia Dei, & quod tu contrà egiſti. Meminiſſe etenim & cogitare debueras, quis eſt qui te fecit, & quod pro te fecit, & quid tu feciſti, & qualem tu te feciſti: quatenus aut amore creatoris tui, aut timore inferni peccare deſiſteres, & quod à te impiè actum eſt, pœnitendo defleres: ut ſi non requie digna, eſſes ſaltem aliena à pœna. Benignus Deus & Dominus ipſe eſt, qui ſolâ gratiâ te fecit cùm non eſſes, ſanctam ſcilicet & immortalem, ſi non poſtea propriâ voluntate (G) peccaſſes. Nam ibi mortua fuiſti, ubi ab eo peccando receſſiſti: ipſe tamen ut maioris caritatis vinculis te ſibi colligaret, quæ receſſeras ab eo, & capta eras à Diabolo, te redemit: nec qualecunque pretium pro tuâ redemptione; ſed proprium filium dedit; tibi quidem naturâ & veritate carnis & animæ ſimilem, ſed virtute & omnipotentiâ Deitatis longe diſſimilem. Et quia utrumque te quidem primùm & ſociam carnem corrupiſſe Dei filius agnovit, ut utrumque redimeret, utrumque ſuſcepit. Ecce pro te factus eſt homo Deus. Factus eſt ſervus Dominus pro ancilla. Pro te factus eſt creatura creator: pretium tuæ redemptionis ipſe redemptor. O infelix anima mea, indigna requie, & digna perditione, agnoſce, crede, & piè confitere, quæ pro te miſerâ, immo miſerrimâ Deus ſuſtinuit in carne aſſumptâ! Conceptus ſiquidem in virgine matre, comite & cooperante Spiritu (H) ſancto, eodémque duce virgineo egreſſus de utero ſpecioſus forma præ filiis hominum, novus homo venit in mundum: ibi pro te multas modico tempore paſſus iniurias. O impia & crudelis, quando ſuperbè & ſordidè cogitabas, ubi erat memoria dominicæ paſſionis & crucis? ubi ſpinea corona capiti tui creatoris infixa? ubi eius cara facies ſanguine profluente de capite cruentato ſuffuſa? ubi ligaturæ, quibus pro te nimis crudeliter ligatus eſt pius & humilis Salvator? ubi alapæ palmarum? ubi plagæ virgarum, & pugnorum ictus, & impiorum ſputa Iudæorum, quæ pro te ſuſtinuit manſuetus redemptor? ubi crux ei impoſita ad opprobrium eius, in qua & ipſe crucifixus eſt? ubi loca clavorum? ubi poculum fellis? ubi latus lanceâ perforatum? Hæc omnia credis & diſcredis: confiteris & diffiteris. Credis corde, confiteris ore: ſed diſcredis & diffiteris operatione. Habes itaque fidem, ſed mortuam. Nam fides mortua eſt ſine Dei dilectione. Si credis & non diligis, Diabolum imitaris. Credit enim Diabolus, & Dominum confitetur:

A & quoniam illum non diligit, nec vel unius momenti remedium habet, & fine caret eius ſupplicium. O inverecunda, ſordida, nequam! veraciter ſic egiſti. Credidiſti quidem, & adhuc forſitan credis: ſed Deum minimè dilexiſti. Quem ſi dilexiſſes, odiſſes utique Diabolum, & acceptam notitiam veritatis diligenter obſervans, nec primam fidem irritam feciſſes, nec ſecundam. Abrenuntiaveras ſiquidem Diabolo in baptiſmate: in monaſticâ autem profeſſione, Diabolo ſimul & ſæculo. Sed iam nec prima profeſſio tua Deo grata erit, nec ſecunda; quia periurium pariter commiſiſti & ſacrilegium. Periurium, dum quod Deo iuraveras non tenuiſti. Sacrilegium, dum ei, cui te devoveras, abſtuliſti. Quæ non te ſolam, verùm etiam carnem ſociam ita voluntati & cupiditati turpiſſimi & fœdiſſimi corruptoris expoſuiſti; quòd univerſa tui corporis membra vaſa vitiorum feciſti. O ſuperba & inflata, cuius bona opera non ſpreviſti? Tua verò, quæ vix B aliquid, vel penè nihil bonitatis habebant, ſemper admirando laudaſti. Cùm millies & millies aut cogitatione ſolà, aut cogitatione ſimul & actione fuiſſes corrupta, te quaſi coloribus caſtitatis pingebas, & cùm immundiſſima eſſes, pudica dici gaudebas. Quòd ſi aliquando te ream confitens accuſaſti, auditori potiùs, non Deo auctori placere deſiderabas. Filia Diaboli, violatrix templi Spiritus ſancti, quid de te dicam, immo quid dignè contra te proferam, quæ pene te totam, vel penitus totam abſtuliſti Deo, & contuliſti Diabolo? Memento captiva, quo pretio fuiſti redempta, cuius ſponſi fueris ſponſa: quàm pulchra, quàm ſancta cum eo ſemper manſiſſes, ſi ei fidem ſervare voluiſſes. Memento etiam unde, & quò cecidiſti. Vocatione utique & electione Dei uſque ad cælum aſcenderas; & in infernum corruiſti. O quàm peſſimam ſortem ſortita es, quæ crudeliſſimum damnatorem tuum ſecuta; totius bonitatis auctorem reliquiſti! C Deus tuus, Dominus tuus, conditor & redemptor tuus, amplius quàm ſeipſum tibi conferre non potuit, vel melius. Primùm quidem quando te fecit, tibi dedit ſeipſum. Poſtea cum peccato perdita eſſes, ſe tuæ redemptionis contulit pretium. Tu certè peccaſti; & ipſo tui pœnitentiam fecit peccati. O multùm ingrata! abnegaſti benignum redemptorem, qui pro te, ne perires mortuus eſt, & terribilem inimicum tuum, qui per linguas Iudæorum, & manus militum eum interfecit, tibi Dominum elegiſti. Sancto fonte olim extinxeras, & ſuſcepti ordinis ſanctitate extinctum contriveras, quem ad tuam perpetuam pœnam peccando ſuſcitaſti. Quandiu cum bono Deo & pio Domino fuiſti, eras contra Diabolum fortis, & debilis contra te erat Diabolus: tu ſana, ille infirmus: tu domina, ille ſervus. At poſtquam ab eo receſſiſti, qui te ſuâ bonitate creavit, & inæſtimabilis caritatis dilectione redemit: contra te ſpiritus fornicationis erexit caput, & intra viſcera tua ſe totum immerſit. Ibi D peſſimus fornicator fœdâ nimium pollutione te maculans, & ad te cum multitudine dæmonum ſæpius intrans, fœtida in te veſtigia dereliquit. Itaque veneno libidinis imprægnata concepiſti dolorem, & iniquitatem peperiſti. Talium coniugum eſt partus monſtruoſus, horribilis, turpis, immundus. Væ tibi miſera, quæ tui viliſſimi ſervi ancilla facta es, & fornicatoris peſſimi concubina. O vilis facta nimis, ubi ſperas? quid expectas? iacere in ſordibus eſt damnabile: ſurgere de ſordibus eſt tibi impoſſibile; dic mihi, ſi noſti, à quo tibi conſilium, per quem auxilium ad quem refugium? Non vales accedere ad Sanctos, quia ligata es, nec invocare eos, quia muta es. Quòd ſi etiam tibi loqui dignarentur; non audires eos, quia ſurda es. Quid facies? quod tibi remedium invenies? Multa & multa ſunt peccata & crimina tua, his tamen omnibus maior eſt Dei miſericordia. Omnipotens eſt Deus, pius eſt, cuius omnipotentia & pietas immenſa neminem patitur deſperare pœnitentem. Agnoce igitur infirmitatem tuam: confitere te propriâ iniquitate damnatam: & ſi ad piſcinam ſalutaris aquæ, E in quam Angelus Domini deſcendebat, propriis pedibus non poteſt venire, ſaltem bonæ voluntatis greſſibus accede, & ſi vociferari vel loqui non potes, reſpirare & ſuſpirare adhuc potes. Reſpira tandem, & ex intimo corde ſuſpira, & fortaſſis inveniet te Chriſtus ſuſpirantem, qui hominem triginta octo annos in infirmitate habentem invenit; & [illegible] mitati compatiens, prout pius & benignus conſuevit, dicet tibi, *Vis ſana fieri?* Quòd ſi miſeriam & impotentiam tuam humiliter confeſſa fueris, & omnipotentiam firmiter credens agnoveris ſuam, quod illi exhibuit, & tibi exhibebit: & quod Mariæ Magdalenæ pœnitenti, & lacrimis peccata confitenti minimè negavit, nec tibi negabit. Et qui leproſum mundavit humilem, omnem lepram peccatorum & criminum tuorum mundabit: & te quaſi quatriduanum mortuum, F etiam iam fœtentem, de ſepulcro miſeriæ, & de luto fæcis ſuſcitabit, & ſolvi præcipiet Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui immenſæ pietatis & omnipotentiæ Deus vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

XVI.

Oratio ad Ieſum.

IEſu bone & pie, fili Dei vivi, & David, te adoro, te laudo, te glorifico. Tibi omnipotenti Deo, creatori meo piiſſimo, ſummo & vero ſacerdoti, & tuæ beatiſſimæ matri Mariæ ſemper virgini, & omnibus ſanctis tuis, confiteor me multùm miſerum & peccatorem, & qualem tu noſti. Sicut meis meritis iuſtificari nec poſſum, nec potui; ſic tuâ magnâ miſericordiâ me poſſe ſalvari profiteor; de cuius magnitudine præſumens in te ſperavi. Poſſem quidem deſperare, quia aliter vixi quàm debui: ſed illa tua ma- G gna miſeratio me deſperare non patitur, quæ te de cælis depoſuit ad terras, ne perirem. Salvum fac quæſo, benigne Ieſu, ſervum tuum, quoniam ſperavi in te: & omnes qui ſperatis in ipſum orate pro me: ut ſi non ad præſens requie dignus, ſaltem ab æterna pœnâ, ipſo miſerante, alienus inveniar.

XVII.

Oratio ad Matrem Domini.

O Maria glorioſa
Ieſſe proles generoſa,
Per quem fuit mors damnata,
Atque vita reparata.
Virgo ſemper pretioſa,
Super omnes ſpecioſa;
H Stella maris, cæli porta,
Ex qua mundo lux eſt orta.
Templum ſacrum Salvatoris,
Refugium peccatoris,
Mundi ſalus, mors peccati,
Summi facta parens nati.
Quæ filium habes regem,
Qui divinam dedit legem:
Tu mater, tu ſponſa Dei,
Mei miſerere rei.
De convalle lacrymarum,
Preſſus mole peccatorum,
Ad te clamo, Virgo pia,
Sis mihi dux, atque via.
Quem tu benedicta regis,
Obſervat præcepta legis,
Deum amat, Deum credit,
Nunquam ab illo recedit.

A Rege, quæſo, me miſerum,
Sanctiſſima mulierum,
Vt divinæ memor legis,
Sim ad velle magni regis,

Qui per ſuam caritatem,
Preſtet mihi caſtitatem:
Et mundus ab omni ſorde,
Hunc diligam puro corde.

Hic cuius eſt ſemper eſſe,
Scit quid mihi ſit neceſſe:
Meam ſcit infirmitatem,
Quam ſanet per pietatem.

Eſt hæc mea infirmitas,
Peccatum & iniquitas:
Cicatrix meæ vulneris,
Obduratio ſceleris.

B Morbo peccati langueo,
Qui me curet non habeo:
Sola miſereri mei
Poteſt medicina Dei.

Peccans corde, peccans ore,
Receſſi à Creatore:
Sed ſuccurre mihi reo,
Mater eius ſancta Virgo.

Fac mihi propitium,
Quem genuiſti filium:
Pro me apud ipſum ora,
Et ſuccurre ſine mora.

Qui aſſumpſit ex te carnem,
Exaudiet tuam precem:
Nihil tibi denegabit,
Quem mamilla tua pavit.

Et cui inter cunabula
Cara dediſti oſcula,
Quicquid illum petieris,
C Impetrare poteris.

Deus puer ex te natus,
Et filius nobis datus,
Mundet ſua pietate,
Me ab omni iniquitate. Amen.

Hymnus de ſancta Maria Magdalena ad Veſperas.

MAria pœnitentiæ
Forma lapſi, ſpes veniæ,
Vt nos auctor bonitatis
Iam ſepultos in peccatis
Reſuſcitet, obtine.

Ora pro peccatis noſtris,
Iuſtificata peccatrix,
Eo mentis ſtudio,
Quo æterno, vivo, vero
Supplicaſti Domino.

Irrigavit te, Maria,
D Chriſti pietatis unda
Qui te lavit & mundavit,
Nos abluat à peccatis
Charitatis gratiâ.

Hæc infirma ad medicum
Venit, quærens remedium:
Proſternitur, non loquitur,
Sed lacrymis confitetur:
Sic agit negotium.

Plenus miſericordiâ
Dat medicus remedia.
Nulla reſpuit vulnera
Omnipotens medicina:
At vult cordis intima.

Offert hæc pœnitentiam,
Hic confert indulgentiam:
Fugat ſeptem dæmonia
Septiformis clementia,
A converſâ fœminâ.

E Pœnitenti devotio
Peccatorum remiſſio
Fiat nobis, ſummo Deo,
Qui eſt noſtra redemptio,
Laus, honor & gloria. Amen.

Ad Nocturnos.

MAria quædam nomine,
Magdalena cognomine.
At ſeducta dæmonum,
Peccatrix fuit nimiùm.

Quæ ſpecie intumuit,
Et turpiter ſuccubuit,
Superbæ mentis vitio
Venit carnis corruptio.

F Crimen quidem eſt gravius
Mentis, ſed carnis turpius:
Dum turpius erubuit,
Quod eſt gravius timuit.

Quærit ancilla Dominum,
Optat infirma medicum:
Obtulit hæc obſequium,
Hic contulit remedium.

Mirifica potentia,
Et pietatis gratia,
Quæ in iſta peccatrice
Vulnus ſanavit vulnere.
Gloria ſit Patri ſummo,
Laus eius unigenito,
Honor Spiritui ſancto,
Trinitati, uni Deo. Amen.

In matutinis laudibus.

G ET miſeras & miſeros
Vocat Deus miſericors,
Omnes ad pœnitentiam,
Et pollicetur veniam.

Contemptor pœnitentiæ
Solus eſt expers veniæ:
Factor miſericordiæ
Chriſte, noſtri miſerere.

Immenſa tua bonitas
Mariæ dedit lachrymas:
Per lachrymarum fluvium
Fluxum reſtrinxit criminum.

Hæc ſubdita dæmoniis,
Atque dedita vitiis,
A te priùs obtinuit,
Quicquid tibi exhibuit.

At te cordis compunctio,
Et capillorum terſio,
Et pedum oſculatio,
Et unguenti effuſio.

Totum tuæ pietatis,
H Quod fecit hæc pro peccatis,
Quod pro noſtris faciamus,
Da, pie, ne pereamus.

Deo Patri, & Filio,
Spiritui paraclito,
Honor, virtus, & gloria
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Goffridi Abbatis Vindocinenſis Opuſculorum Finis.

GOFFRIDI

GOFFRIDI
ABBATIS VINDOCINENSIS
Beatæ Priſcæ Cardinalis
Sermones.

In Nativitate Domini.

SERMO I.

HODIE, dilectiſſimi, venerabilis & univerſalis regina Angelorum & hominum virgo Maria, quem verbo concepit Angelico, clauſo vtero natum mundo edidit Salvatorem. O cum gaudio & fide admiranda Nativitas! Ecce mulier ſine coitu concipit, gravida ſine gravitate efficitur, parit ſine dolore. Virgo ſancta ante partum, in partu virgo ſanctior, ſanctiſſima virgo poſt partum; hæc ſola lætitiam matris ſimul obtinere meruit, & gloriam virginitatis: de cuius caſtis viſceribus, Deus homo factus ad nos venit, in ſinu Virginis matris beata vbera quibus piè nutriebatur filiali dilectione appetere non dedignans. Et nos, fratres, Dei & hominis nativitatem devotione celebrantes exultemus: quia hæc Dei & Domini noſtri nativitas perditum vitæ remedium hominibus reddidit; novum intulit cælo gaudium. Reparatio generis humani facta eſt mors peccati: diaboli confuſio, exſpoliatio inferni. Hæc, inquam, ineffabilis, cara Angelis, hominibus neceſſaria Dei nativitas, hominem primum ſervum Diaboli per inobedientiæ peccatum, liberum fecit: eumque, vnde ceciderat, reduxit ad paradiſum, non minùs gloriæ obtinentem, quàm antequam peccaſſet, habuerat, Ad deiiciendum hominem potens fuit inobedientiæ culpa, ſed ad illum erigendum dominicæ nativitatis potentior extitit gratia. Valuit equidem inficere antiqui ſerpentis venenoſa aſtutia; ſed infectum curavit nati Salvatoris præpotens medicina. Inimicus Dei & hominis Diabolus miſeriæ inventor extitit; ſed Deus factor miſericordiæ. Ille ſua fraude hominem miſerum reddidit; Deus compatiens miſero, ne miſer in miſeria remaneret, miſericordiam fecit: & qui priùs peccantem Angelum iuſtè damnaverat, ab eo ſeductum hominem miſericorditer reſpexit. Peccavit Angelus, & à Deo in æternum damnatur: peccavit homo, & Deus in tantum illi compatitur, vt non ſolùm pro illo incarnari & naſci dignaretur, ſed mori. O mira & inenarrabilis circa hominem Domini pietas! O valde diſtricta, ſed omnino iuſta contra Angelum Dei ſeveritas! Iuſtus itaque & pius Dominus & contra Angelum egit ſeveritate, & erga hominem pietatis amore. Vterque peccando corruerat; ſed Angelum ad pœnam Deus deputavit æternam cenſura iuſtitiæ; & hominem revocavit ad gloriam intuitu miſericordiæ. Provida namque & rationabili Dei diſpenſatione actum eſt. vt cuius gradus fuerat altior, eius caſus fieret gravior: & qui nullo alio, niſi ſeipſo, ſuadente vel decipiente; nec carnem portabat humanam, de qua forſitan, licet iniuſtè, materiam peccandi poſſet contrahere: ſed ſola iniquitate ſuperbiæ, ſuæ perditionis factor fuit, & alterius culpæ; dum in illo ſuperbia cepit initium, eius careret fine ſupplicium: nec vlla deinceps ratione ei liceret habere ſpem veniæ, qui inventor extitit & manet auctor tantæ nequitiæ. Homo verò inexcuſabilis, quia peccavit per inobedientiam, & interrogatus culpam confiteri diſtulit, deiectionem meruit & ruinam. Et qui antè in paradiſo ſolam beatitudinem noverat, cùm ſe per peccatum diabolo mancipatum cerneret, & diverſas in mundo experiretur miſerias, nimia infelicitate compulſus amiſſam felicitatem plangere cœpit converſus ad lacrymas. Gemebat homo reus ſub onere reatus; nec ſuis lacrymis à peccato valebat ablui; quia lacrymas illius miſeri ſuperabat magnitudo peccati. Sed Deus reum ſalvare volens & damnare reatum, nuntiante Angelo, & ſuperveniente Spiritu ſancto, in vterum virginis deſcendit; & in qua pro homine pateretur, carnem aſſumpſit. O ſtupenda, & fidei ac dilectionis brachiis amplectenda aſſumptio, per quam factura factori, natura creata vnitur creatori: Deus pro homine homo, miſericors efficitur pro miſero; iuſtus pro peccatore damnatur, pius pro impio! O inæſtimabilis divinæ pietatis miſeratio, per quam natus Dei filius mundo apparuit: & cùm eſſet Dominus omnium, vt à morte ſervum redimeret, immortalis mortem ſuſcepit: ſed quia beatæ vitæ mors dominari nequivit, die tertia Dominus reſurrexit. Morte ſua Salvator noſter hominem ſuſcitavit peccato mortuum: reſurgens à mortuis non ſolùm illi paradiſum reddidit, ſed contulit cœlum. Incarnatio itaque Redemptoris noſtri, nativitas, mors, & reſurrectio, noſtræ ſalutis operatio fuit, & diabolicæ artis deſtructio. Sua præterea incarnatione benignus Ieſus nobis humilitatis exemplum propoſuit. Natus apparens mundo & loquens hominibus, ſapientiæ ſuæ doctrina nos inſtruxit, morte ſua nos docuit patientiam: reſurrectione invitavit ad gloriam. Igitur, dilectiſſimi fratres, quæ ſurſum ſunt diligamus, non quæ ſuper terram, & ſanctis operibus Redemptorem noſtrum ſequamur ad gaudia æternæ felicitatis, quò nos ipſe in carne noſtra præceſſit, & vocat ſedens ad dexteram patris. Ipſum etiam pro nobis apud patrem intercedere toto corde credamus: quia niſi eius ſanctiſſima interceſſione & virtute muniamur, diabolo non valemus reſiſtere, qui vires ſuas mutavit quidem, non amiſit deiectus. Verè orat pro nobis Dominus in carne quam aſſumpſit pro nobis. Nec mirandum, ſi patri ſuo preces propitiationis pro ſalute hominis exhibet, qui homo fieri voluit, ne homo periret. Non dedignatur pius Dominus in cœlum aſſumptus, hominem iuvare in terris, quem & à peccato mundare vult, & ſecum regnare in cœlis: illumque tanto amore amplectitur, vt ſi eum adhuc pro illo mori iuſtitiæ iura exigerent, pietatis ſibi viſcera non deeſſent. Non debet homo deſperare de proprio lapſu; cui Deus compatitur tantæ dilectionis affectu: nec iterum ſine timore ſperare; ne ſumat occaſionem peccandi de magnitudine miſericordiæ. Culpabilis eſt valde homo ille, ille, inquam, omnino culpabilis, qui de pietate Salvatoris ſe facit impium: & eius beneficium dilectionis vertit in iniquitatis augmentum. Chriſtianæ fidei obviat, & derogat pietati, qui præſumens de miſericordia Dei ſecuriùs peccat; vel ſpe agendæ pœnitentiæ peccata cumulat. Divina enim miſericordia, & pœnitentia, quæ ab illa nobis tanquam infirmis porrigitur medicina, remedia ſunt peccandi, non incitamenta peccati. Cum timore pariter & amore, fratres cariſſimi, admiremur & admirando intelligamus collata nobis divinæ dilectionis & gratiæ munera pretioſa; & peccatis noſtris perfecto odio renuntiemus. Perfecto odio peccatis renuntiare eſt, ſe qualem illum Deus fecit diligere, & qualem ſe ipſe peccando fecit, odiſſe. Ponamus ante faciem animæ noſtræ, & in memoria fixum teneamus, quàm admirabili gratia, antequam eſſemus, Deus nos condidit: de quanta miſeria, & quanta eius miſericordia liberati poſtea ſumus: & illum, qui hodie de ſua ſanctiſſima virgine matre glorioſa Maria natus eſt nobis, totis viſceribus diligamus. Qui nos, licet reos, & diligit, & noſtros odit reatus, quos ipſe ſuæ pietatis gratia mundare dignetur Ieſus Chriſtus Deus & Dominus noſter, cui eſt cum Patre & Spiritu ſancto omnis honor & gloria per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

A

In Nativitate Domini.

SERMO II.

HOdie, dilectiſſimi, Redemptoris noſtri facta eſt quædam ſpecialis, & ſingularis operatio: quia ipſe natus eſt de matre ſine patre in ſæculo, qui ante ſæcula ſine matre de patre natus eſt, ad nos veniens de cœlo. Natus eſt itaque de fœmina virgine, omnipotentia divinitatis ordinem naturæ tranſgrediens, & honorem ſuæ honeſtiſſimæ matris, pudicitiæ & virginitatis ſigillo cuſtodiens. Non eſt iam ampliùs miſeris deſperandum de venia, ſi tantùm admiſſorum pœniteant,
B quibus hodie in humana carne naſcitur de virgine miſericordia. Hodie medicina de cœlo datur mundo, per quam infirmæ & peccatrices animæ ſanantur: & damnata atque facta deformis peccato humanæ conditionis natura, in ſtatum priſtinum reformatur. Hodie de ſplendida ſtella radius ſatis ſplendidior ad tenebras proceſſit; qui inibi reſidentes homines magno & admirabili fulgore irradians, honorans creaturam, & conſumens culpam, ad patriæ cœleſtis claritatem provexit. Hæc, dilectiſſimi fratres, de noſtri Salvatoris omnipotentia & pietate diligenter conſiderantes, non deſperemus, magis de noſtris exceſſibus, quàm de illius bonitate pœnitentes præſumamus. Fructuoſa eſt valde, ſed de Domini pietate præſumptio: cùm priùs pœnitendo accuſatur anima, & ſanatur: proditur peccatum, & deletur: & qui ante peccator extiterat, ex peccatore iuſtus efficitur. Talis namque præſumptio iudicem mitigat, non provocat; cuius eſt intentio ab accuſatore diabolo accuſatum hominem liberare, ne pereat. Et ſi aliquando pius dominus nobis peccatoribus indignans iraſcitur, ad hoc facit, vt ſuæ indi-
C gnationis terrore nos convertat; & eius ira vel indignatio, non executio vltionis, ſed magis peccatorum noſtrorum abſolutio fiat. Verè bonus & benignus eſt per omnia Dominus, cuius indignatio artem exhibet piæ & compatientis iuſtitiæ; & eius ira eſt operatio iuſtè conſulentis miſericordiæ. Huius piiſſimi Redemptoris noſtri eſt incomparabilis amicitia, incomprehenſibilis patientia; qui hominem, pro quo paſſus eſt mortem, quotidie peccantem patitur, diu expectat, & vt revertatur ad ipſum, non ſolùm veniam, ſed mercedem pollicetur. Homini itaque peccanti, ſed pœnitenti non quia peccavit, ſed quia pœnituit, Dominus indulget, qui ſi non peccaſſet, nunquã pœnitere de peccato potuiſſet; & quid creaturæ creator dimitteret, nõ haberet. Eſt igitur bonum hominem peccare, qui pœnitet? Non, inquam: ſed bonum eſt eum pœnitere qui peccavit, & non peccet, nec iterum peccabimus, vt Deus ignoſcat? abſit. Sed peccata quæ facimus, vt deleat, confeſſione prodamus, & tegamus pœnitentia, ne ipſe agnoſcat. Aliquando tamen bonus & pius Do-
D minus, ad oſtenſionem ſuæ bonæ voluntatis, qua ſemper circa peccatores, quaſi quodam piis patris affectu hæret, ne ad pœnam tradat errantes, cùm nos, qui nec bonis benè vtimur, de medicina noſtra facimus plagam, ipſe de vulnere noſtro nobis adhibet medicinam. De medicina etenim noſtra miſeri & inſipientes vulneramur, cùm de abſtinentia, vel qualibet virtute noſtra, quæ medicina eſſe debuit animæ, ſuperbimus. Sed miſericors & omnipotens Deus de vulnere noſtro medicinam operatur, cùm in luxuriam corruentes, non quia ſit luxuria ſuperbia gravior, ſed quia turpior eſſe videtur, nos humiliat: & ſic in nobis vulnus de vulnere ſanat. Iſte veraciter verus & plenus pietatis viſceribus medicus, noſtræ infirmitati omnino compatiens, pro exhibenda nobis infirmis ſanitate nullum exigit pretium: ſed ſi tantùm ab illo ſanari deſideramus, mercedem promittit, ſeipſum videlicet, & tribuit. Venit de cœlis cœlo-
E rum conditor, hodierna die, vt ſuprà diximus, de Virgine matre natus, qui contra ſuperbientes & impœnitentes Angelos ſententiam protulit damnationis, & pœnitentibus attulit abſolutionis remedium. Licet, fratres cariſſimi, hunc ſacratiſſimum diem in laudem dominicæ nativitatis totum debeamus celebrare feſtivum, & in hac tam iucunda ſolemnitate triſtitia temporali, ſeu mœrore carnali affici non oporteat, pro quo hodie natus eſt Chriſtus, Chriſtianum: tamen ſi placet, quod ſatis placere debet, aliquid vel parum loquamur de pœnitentia, ſine qua peccatoribus nulla proſunt ſacramenta: nulla ab eis dignè feſta celebrantur. Dicamus priùs quid eſt pœnitentia, quo agenda ſit fructu, quo tempore, & qua mentis intentione. Pœnitentia eſt præteritorum humilis ſatisfactio peccatorum, & cavendorum pro-
F vida ſollicitudo futurorum; finis & odium mali, quoddam initium & amor boni. Fructus pœnitentiæ eſt magnus, utilis pariter & neceſſarius. Nam pœnitentia præcedente bonitate divina, ut iuſtus fiat, vertit peccatorem: hominem à diabolo victum, diaboli facit victorem. Delicta laſcivæ iuventutis Deum meminiſſe non ſinit, nec ignorantias pueritiæ: ſenes etiam longa peccandi conſuetudine deceptos reparat; ſed virtute potiùs mentis, quàm corporis novitate. Pœnitentia ſiquidem more fidelis oſtiariæ gerens officium, oſtium paradiſi peccantibus clauſum, quando vult, aperit; & quos pœnitentes agnoſcit, recipit intra: impœnitentes verò nec prece, nec pretio intrare permittit: ſed quia mortem dilexerunt, eos penitus excludit à vita. Eo agenda eſt pœnitentia tempore, quo ſalus corporis manet, quo ſua quiſque utitur poteſtate. Ad agendam pœnitentiam non debemus expectare vitæ noſtræ extremum diem: quoniam qui uſque in extremum diem pœnitentiam differunt, vix aut nunquam perveniunt ad ſalutem. Fit
G plerumque in miſeris hominibus, quòd eorum vita per voluptatem carnis expenditur: ſed cùm repente voluptas ipſa ſubtrahitur, cùm caro infirmitate atteritur, cùm iam egredi anima urgetur; tunc quaſi ad benè vivendum ſalus amiſſa ab illis requiritur, quibus pro voluptate brevi perpetua pœna debetur. De talibus enim dicitur in Pſalmo: *Cùm Deus occideret eos, quærebant eum.* Psal. 77. Certè nimis tardè ante iudicem, qui facit omnia iuſtè, ſuam quiſque cauſam exponere cœperit, cùm in ſe prolatam triſtem & immutabilem ſuæ damnationis ſententiam ab illo ſuſceperit. Igitur dum licet, & agendæ pœnitentiæ tempus conceditur, nos otiari non decet, nec nimiùm eſſe ſecuros; quibus pro meritis ſingulorum, poſt vitam, quæ brevis eſt, & eius brevitas incerta, aut ſempiterna felicitas reſervatur, aut miſeria ſine fine manſura. Ea mentis intentione pœnitentiam agamus, ut inde non affectemus laudes hominum, ſed ſoli Deo de bono pœnitentiæ placeamus, cui diſplicere veraciter non poſſunt pœnitentes, & ſine pœnitentia placere ulla ratione peccantes. Ita præterita peccata noſtra plangamus, ut nulla deinceps plangenda, auxiliante pietate divina, facia-
H mus. Pietas enim divina auxiliari deſiderat, ſi homo non differat pœnitens confiteri, occaſionem quærit vas confractum reparandi, non conterendi quaſſatum; & ut peccator ad Deum convertatur, patienter expectat: ut ſe Deus ad peccatorem convertat. Noſtros gemitus optat, ſed temporales, ut remittat perpetuos. Ab oculis noſtris brevis huius temporis lacrymas exigit, ut ſancti Spiritus unctionem ſuper nos effundat: quæ & à nobis in præſenti omnem maculam, & ab oculis noſtris in futuro omnem lacrymam tergat. Non eſt, fratres, de Domino tantæ pietatis deſperandum, nec ab illo, ſed ad illum fugiendum, qui magis voluntarius creditur ad ignoſcendum, quàm diabolus ad ſuggerendum fuerit, vel homo ad peccandum. Quod hic à nobis dictum eſt de pœnitentia, non erat prætereundum; quæ ſola medicina peccati hominibus relinquitur poſt baptiſmum. De nativitate Dei & Salvatoris noſtri Ie-

A ſu Chriſti, unde tractare propoſuimus, quamvis vita noſtra non mereatur; & facundia ad loquendum non ſuppetat: & parùm vel penitus nihil ſcientia noſtra ſuffragetur; tamen de dulciſſima Domini caritate, & pia eius patientia ampliùs præſumentes, quàm de noſtra deſperantes imperfectione; prout ipſe indignis ſæpe tribuit, digna loqui donaverit, proſequemur. Solemnitas hæc quæ hodie à Chriſtiana religione annua celebratur, iocunditatem mentis magis, quàm carnis afflictionem requirit: quia hodierna die valde iocundari & lætari oportet; qua homo perditus inventus eſt, & qui mortuus fuerat, revixit. Natus eſt hodie Deus factus homo, pro nobis modico tempore multas paſſus iniurias, qui cùm in cruce poſitus eſſet ab illis, pro quibus venerat, de ſacratiſſimo eius latere lancea vulnerato, unda potiùs pietatis exivit, quàm ſanguinis. O humana impietas, niſi à Deo permiſſa, B omnino impotens, audi & intellige quæ pro te & à te pertulit Deus omnipotens. Tuis execrandis manibus, quas faciens ille ſacraverat, non eſt alligatus cruci, ſed clavis affixus, ut maiori dolore eum conſtringeres, qui venerat ut te ab æternis doloribus liberaret, & graviorem in eum exerceres vindictam, qui nullam commiſerat culpam. Tu quidem contra eum impiè ſæviens, ſed in hoc etiam ipſe tibi piè compatiens, ideirco inſtituit graviora tuæ crudelitatis tormenta, ut tibi, qui eum oderas ſine cauſa, maiorem dilectionem oſtenderet: & per memoriam tam iniurioſæ paſſionis, quaſi quibuſdam miſericordiæ clavis animam transfigeret peccatricem, ut vel ſic revocaret errantem, ne periret. Pius ac benignus Deus, cùm in cruce ſe ſitire perhiberet, & ab illo infideli populo accepiſſet amaritudinem fellis, pro illis orans dulcedinem exhibuit caritatis. Nec tunc multum humilis diſpenſator noſtræ ſalutis, tam vitis vel aquæ calicem, quàm populi ſe interficientis ſitiebat ſalutem. C O inæſtimabilis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti circa peccatores benignitas! ô ineffabilis miſericordia! ô miſericordia inenarrabilis! ô admirabilis patientia! Quæ enim maior benignitas, ſive miſericordia, humilitas vel patientia peccatoribus exhiberi potuit; quàm ut ipſe Deus ſe contemnentis fieret pretium hominis: ita ut contra Deum peccaret homo, & Deus pœnitentiam faceret pro peccato: homo etiam contra Deum ſæviret; ſævienti etiam Deus propitiaret: formam ſervi cœli & terræ Dominus aſſumeret, in qua ipſe panis verus eſuriret, fons vivus ſitiret, virtus firmiſſima infirmaretur, immortalis vita pro ſuo interfectore moreretur? Quicquid boni in terra exhibuit Deus, pro homine fecit: & quicquid mali ſuſtinuit, ab homine & pro homine fuit. Quid ad hæc, fratres, cogitabimus? quid dicemus? quid faciemus? cùm Deus talis ſit circa nos, quòd melior eſſe non poſſit; & nos tales contra eum ſimus, quò penè peiores eſſe non poſſumus? quò ibimus? quò fugiemus? aut quem conſiliatorem aut auxiliatorem contra iuſtum iudicem Deum nos iniuſti habere D poterimus? Nullum penitus, niſi ipſum. Ab illo ergo conſilium & auxilium dilectione, humilitate, patientia & caſtitate imploremus, cuius bonitatis & miſericordiæ non eſt numerus. Vtinam enim tam citò unuſquiſque noſtrum ſe pœnitendo agnoſceret reum, quàm citò Deus ignoſceret reatum. Vtinam tam citò converteremur ad pœnitentiam, quàm citò pius conditor noſter etiam præfinitam de nobis præſto eſſet mutare ſententiam. Mutatur ſententia incommutabilis conditoris pro converſione, & bona converſatione peccatoris: & cui peccanti antè pro ſua iniquitate minabatur mortem, eidem converſo vitam promittit & tribuit ſempiternam, quam ipſe Deus & Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, qui hodie pro mundi ſalute naſci dignatus eſt, ſuâ dulciſſimâ caritate, miſericordiâ ac bonitate nobis donare dignetur: qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

In Nativitate Domini. E

SERMO III.

CHriſtus Dei filius, fratres cariſſimi, qui in Evangelio, ut eum hodierna die corporaliter natum credamus, docet & præcipit, ipſe etiam quòd concipiendus eſſet in virgine, & quòd de virgine naſceretur per prophetam dixerat antè, quòd ſic fuiſſe prædictum agnoſcitur: *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* *Eſa. 7.* Quod olim à prophetâ de incarnatione & nativitate Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti futurum prædicebatur, iam factum agnovimus. Nam ſecundum vaticinium ſanctiſſimi prophetæ illius, virgo quædam erat conceptura, & paritura filium: & hæc virgo fuit bona Maria. Hæc enim concepit & peperit, non quemlibet, vel cuiuſlibet filium: ſed Deum & filium F Dei. Deus cum patre, filius de patre: Deus unus cum patre; quia unius ſubſtantiæ, unius eſſentiæ, unius divinitatis, unius potentiæ, & naturæ. De patre filius; quia in patre: & de patre eſt ſapientia eius. Meritò ſapientiam patris eius filium dicimus; quia ſicut rex quilibet temporalis per ſapientem filium ſuum regna terrarum regit & ordinat; ita pater cæleſtis per ſapientiam ſuam omnia creavit; diſponit & gubernat. Hunc cariſſimum filium ſuum conſubſtantialem ſibi, atque coæternum incarnari, id eſt, ab illo hominem aſſumi, & ipſum hominem miſericorditer mori diſpoſuit, ut hominis morte ſecundi, primum ſuſcitaret à morte peccati. Sic cæleſtis & novus Adam, Adam terreſtrem & veterem, unde receſſerat, reparavit ad vitam. Hæc ſancta miſeratio, id eſt, inenarrabilis divinæ pietatis circa peccatores exhibitio, à Deo patre per filium, cooperante Spiritu ſancto, de virgine, & in virgine, & per virginem facta eſt, nuntiante Archangelo. G Pater quidem ut filius incarnaretur, præcepit caritate: filius voluntate carnem ſuſcepit: carnem ipſam, quam ſuſcepit filius, ſanctificavit in Maria Spiritus Sanctus. Et ſicut ſunt duo præcepta caritatis; ita duobus principaliter modis Spiritus Sanctus operatus eſt in ſanctificatione virginis. Prima in virgine ſancti Spiritus operatio extitit, in ea omnium peccatorum mortificatio. Secunda, beatæ eius virginitatis ſancta cuſtodia. Et hoc eſt, quod Mariæ ab Angelo dicitur, priuſquam in ea Dei filius conciperetur: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* *Luca 1.* Supervenit in eam Spiritus Sanctus; quia corpus eius & animam ab omni peccato mundificavit. Altiſſimi virtus ei obumbravit; quia beatam eius virginitatem illibatam ſervavit. Et quæ ante partum erat virgo ſancta, in partu facta eſt virgo ſanctior, & poſt partum virgo ſanctiſſima. Spiritus Sanctus & Altiſſimi virtus non ſunt duo, ſed unum, ſicut in Evangelio diſcipulis ſuis Chriſtus dicit, *Ego mittam promiſſum patris in vos*, *Luc. vlt.* Spiritum videlicet ſanctum: *vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*; H id eſt, repleamini Spiritu Sancto. Archangelus Gabriel miſſus à Deo venit ad Mariam virginem, annuntians ei divinam ſimul & humanam ex ea futuram nativitatem. Chriſtus itaque de virgine carnem in virgine non quidem de Adam peccatore, ſed unde Adam iuſtus animam ſuſcepit, & per virginem carnem egrediens Deus homo mundo apparuit. A Deo data eſt Adæ anima, ſicut in Geneſi legitur: *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* *Gen. 2.* Et qui carnem Adæ animavit factam de limo, animavit & Chriſti carnem in matris utero Spiritus ſanctus. Igitur unde Adam longè antè ſuſceperat animam, & qualem ſuſceperat, & Chriſtus ſuſcepit; non talem qualem Adam eam peccando poſtea fecit. Cæteri ſiquidem homines, qui ſunt homines tantùm, naſcuntur lege hominum, in peccato ſcilicet, cum dolore

A & corruptione matrum. Filius autem Dei, qui Deus erat & homo, lege quidem hominis natus eſt, ſed ampliùs lege Dei. In quantum natus eſt de fœmina, natus eſt lege hominis: ſed ampliùs lege Dei natus eſt, quia ſine peccato & ſine dolore & corruptione matris. In eo quòd de fœmina natus eſt, ſe verum hominem oſtendit: in eo verò quòd natus eſt ſine peccato, & de virgine matre, Deum omnipotentem. Nec credendum eſt, impoſſibile fuiſſe ei qui omnia poteſt, & ſeipſum in matre, & de matre creaſſe hominem, & matris ſuæ ſervaſſe virginitatem. Potuit itaque & voluit Deus & homo fieri, & de virgine naſci, ut per hoc quòd factus eſt homo, veritatem oſtenderet carnis: per hoc autem quòd inviolato virginitatis ſigillo prodiit de matris utero, omnipotentiam divinitatis monſtraret. Præterea aliorum hominum priùs
B formantur corpora in uteris matrum, & formatis corporibus inſpirantur poſtea animæ, quibus corpora ipſa vivificantur. Filij verò Dei vera caro non priuſquam ipſe veniſſet in virginem, in utero virginis concepta eſt: nec poſtquam carnem ſuſcepit, carni ipſi anima coniuncta: ſed mox ut ipſe venit in virginem, totum ſimul ſuſcepit hominem, animam ſcilicet & carnem, unde Auguſtinus: *Cùm verbum Dei permixtum eſt anima habenti corpus, ſimul & animam ſuſcepit & corpus.* Et Leo Magnus: *Dei filius accepit ſimul in virgine animam & corpus.* Et B. Gregorius, *Domini*, inquit, *caro non prius in utero virginis concepta eſt, & poſtmodum divinitas venit in carnem: ſed mox ut Verbum venit in uterum, factum eſt caro, & perfectus homo*, id eſt, in veritate carnis & animæ. Hoc admirabili modo, dilectiſſimi, puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Pueri naturæ eſt, nulli nocere, humiliter obedire, ſuam citò condonare iniuriam. Puer Chriſtus nulli nocuit,
C omnibus profuit, patri uſque ad mortem obediens fuit, mortis ſuæ condonavit iniuriam: pro illis etiam qui eum occiderunt, diligenter oravit. Puer iſte, fratres, verus innocens, verus humilis, verus patiens, & noſtræ fragilitati multùm compatiens, puros quærebat non ætate, ſed malignitate parvos, nec tamen æquales ſibi, ſed ſimiles. Huic enim puero æquari nemo poteſt: ſed ſicut ei nemo poteſt æquari; ita nemo eſt qui eum in aliquo, quo ſalvari valeat, eo adiuvante, non poſſit imitari. Natus eſt nobis, noſtræ videlicet cauſa ſalutis. Ad hoc enim natus eſt, ut ſacerdos eſſet: nec ſacerdos tantùm, ſed ſacerdos & ſacrificium. Non eſt ſacerdos ſecundum id quod natus eſt de patre, ſed propter carnem aſſumptam, de virgine matre. Propter victimam utique quam accepit à nobis, & pro nobis obtulit ipſe. Ad hoc etiam nobis apparuit, ut ſuæ nos innocentiæ, humilitatis, & patientiæ priùs exemplo doceret, quàm pro nobis mortem ſubiret. Vitam ſuam novam nos docuit, quam teneamus: dedocuit veterem noſtram, & interdixit, ne eam ſequamur. quia vitam malam mors bona non ſequitur. Chriſtus puer parvulus natus de matre, filius excelſus Dei patris
D eſt, æqualis ei per omnia in divinitate. Hic pius, humilis, dulcis, benignus datus eſt nobis, noſtræ utique pretium redemptionis. Debitores eramus Diaboli, & quia nemo noſtrum ſolvere poterat quod ei debebatur per primi hominis peccatum, in eius carcere tenebamur captivi, duris & diris legibus peccatorum adſtricti. Nos autem à peccato liberare nemo valebat, niſi qui ſolus erat ſine peccato, filius Dei. Iſte ſapientis more medici, qui languebat diligens hominem, & odio habens hominis languorem, carnem aſſumpſit, & de carne ſua noſtri fecit medicinam peccati. Vere aſſumpſit carnem: inæſtimabilis ſcilicet miſericordiæ artem inveniſſe veraciter creditur, ut beata vita, quæ mori non poterat, pro vitâ hominis moreretur. Vnde Iſaias Propheta ſic loquitur: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel,*
Iſa. 7. *quod eſt Nobiſcum Deus.* Quid eſt, Nobiſcum Deus, niſi Deus de nobis, & pro nobis homo futurus? Quod futurum Propheta prædixit, hoc Evangeliſta Ioannes iam eſſe factum aſſerit, dicens: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Ioan. 1. Verbum factum caro, nihil eſt aliud, quàm Dei filius factus homo: Habitavit in nobis, id eſt, in carne noſtra: noſtram dico, ſecundum carnis proprietatem, non ſecundum peccati originem. Ipſe enim ſanctam in ſanctâ, immaculatam in immaculatâ matre animam ſuſcepit, & carnem, totum, ut dictum eſt, in virgine hominem. Chriſtus, fratres, Deus & Dominus Angelorum, ut à Diaboli ſervitute hominem liberaret, non ſolùm homo factus eſt, ſed ſervus hominum. Suſcepit, inquam, formam ſervi filius Dei, in qua ſervivit hominibus uſque ad mortem; & uſque ad ipſam, quam peccando perdiderant, vitæ cæleſtis reparationem. Primus etenim homo peccaverat, & confractus eſt, elapſus de paradiſo, ſed Deus miſericors compatiens miſero, collegit fracturas, & conflavit igne caritatis in cruce; & quod confractum fuerat, integrum fecit. Sic peccatorem hominem Deus homo, & ſuæ divinæ nobilitatis voluit eſſe conſortem; & æternæ beatitudinis ſublimavit hæredem. Scire autem & firmiter credere debemus, quòd Chriſti nativitas & mors eius, illis ſolummodo proficit, qui dilectione ſequuntur eum, ſicut ſequendum ſe docuit. Hos autem non ſua membra tantùm, ſed ſua viſcera facit; firmat eos in bono, & à malo cuſtodit. Vnde per prophetam dicitur, *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.* Eſa. 7. Butyrum ſuave eſt, & mel dulce: & nihil dulcius, vel ſuavius eſt caritate, in quâ tota Lex pendet & Prophetæ. Chriſtus huiuſmodi butyrum & mel comedet: ſuaves & dulces, ſuam videlicet caritatem habentes, in corpus ſuum traiciet, id eſt, ſua membra, ut dictum eſt, & viſcera faciet. Et meritò qui caritatem habent, membra & viſcera Chriſti dicuntur: quoniam Chriſtus meditatur in ipſis, & per ipſos operatur. Vt ſciat, id eſt, ut ſcire hoc modo eos faciat: *reprobare malum*, à malo ſcilicet declinare: *& eligere bonum*, in electione boni uſque in finem perſeverare: ſicut ipſe in Evangelio dicit: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Tali butyro & melle ſuam beatiſſimam matrem maximè Chriſtus cibavit. Hac ſua & proximi dilectione eius ſacravit viſcera, de quibus ſibi humana membra aptavit. Nunquam enim in eâ carnem ſumpſiſſet, niſi priùs ab eo caritate cibata fuiſſet. Sed iſtâ caritatis gratiâ Maria repleta, Deo prima devovit virginitatem, unde filium habere meruit, ſuum, & omnium patrem. Hæc eſt illa certè bona mulier, immò beatiſſima Dei mater, cuius mentionem Dominus faciebat, quando in paradiſo Diabolo comminabatur, qui in ſpecie ſerpentis latebat. *Ponam*, inquit, *inimicitias inter te & mulierem, & inter ſemen tuum* Gen 3. *& ſemen illius: ipſa conteret tibi caput.* Verè beata Maria Diaboli caput contrivit, quæ in ſe principalem eius ſuggeſtionem penitus extinxit. Suggeſtio Diaboli principalis, eſt concupiſcentia mentis & corporis. Per concupiſcentiam mentis, quamlibet perverſam cogitationem intelligimus: & per concupiſcentiam carnis, omnem pravam operationem. Bona verò Domini Mater virgo Maria horum neutrum habuit; quæ Spiritu ſancto repleta, mente & corpore pariter ſancta fuit. Semen beatæ Mariæ, Chriſtus; & quas in Chriſto peperit virtutes animæ. Semen Diaboli, vitia ſunt univerſa. Quæ vero inimicitiæ inter virtutes & vitia poſitæ ſint, ſatis eſt manifeſtum; quia nullum eorum quicquam deſiderat, quod alteri non ſit contrarium. Verum eſt, fratres, nihil eſt verius, quòd Maria ſemel de virgine carne peperit Chriſtum: & quòd Chriſtus in baptiſmate ſpiritualiter parit quotidie Chriſtianum. Vnde nos, qui Chriſtiani à Chriſto vocamur,

A vocamur, & ſumus, Chriſtum verum Deum & ve-
rum hominem hodierna die de matre virgine natum
toto corde credamus & confiteamur, & condignis
noſtræ fidei laudibus, ipſum & beatiſſimam eius ma-
trem Mariam virginem humiliter, atque ſuppliciter
imploremus, ut ſuâ dulciſſimâ pietate, & ſuæ dul-
ciſſimæ matris interceſſione, animas & corpora no-
ſtra à peccatis omnibus purget, virtutibus illuſtret:
quatenus hanc ſuæ ſanctiſſimæ nativitatis feſtivita-
tem dignè celebremus: & eum qui pro nobis naſci
& mori dignatus eſt, & die tertiâ reſurrexit, videre &
habere mereamur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit
& regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

In Nativitate Domini.

SERMO IV.

B MIrum eſt quod hodie factum eſt, ſed fide & de-
votione mirandum. Hodie pro ſalute noſtrâ na-
tus eſt Deus de fœminâ, de filia pater; Dominus de
ancillâ; de creaturâ creator; ſol de ſtellâ. Hodie na-
tus eſt in ſæculo ante ſæcula natus, qui ſæcula fe-
cit, & omnia creavit ex nihilo. Chriſtus, per quem
Deus Pater cuncta creavit, quod homo eſt eſſe vo-
luit, ut quod Chriſtus eſt fieri poſſet homo. Tunc
homo factus eſt quod Chriſtus eſt, cùm Chriſtus fa-
ctus eſt homo. Hoc autem ſecundum naturam aſſum-
ptæ humanitatis dico, non ſecundum Deitatis ſub-
ſtantiam. In hoc utique eſt homo quod Chriſtus eſt,
quod Chriſtus aſſumpſit de homine. Non in eo eſt ho-
mo quod Chriſtus eſt, quod Chriſtus factor eſt; ſed in
C eo quod Chriſtus factura eſt. Ex tribus enim ſubſtan
tiis Chriſtus in unâ perſonâ ſubſiſtit, divinitate ſcili-
cet, carne, & anima. Sicut Pater & Filius, & Spiri-
tus Sanctus ſunt tres perſonæ, & trium perſonarum eſt.
una ſubſtantia: ſic verbum, caro & anima ſunt tres
ſubſtantiæ, & trium ſubſtantiarum eſt una perſona,
Deus & homo. Nata eſt itaque hodie in unâ perſonâ,
& in homine vera divinitas, & in Deo vera anima &
vera caro. Hac nativitate Diabolus, quam mendacio
ceperat, prædâ privatus eſt veritatis compaſſione: ere-
xit creator creatum qui lapſus fuerat, & perdidit per-
ditor perditum. Hodie nata eſt inter Deum & homi-
nem maior concordia, quàm fuerat ante caſum: & in-
ter hominem & diabolum diſcordia gravior; qui ſe
non ſolùm victum erubeſcit, ſed quem vicerat homi-
nem, etiam Angelis eſſe prælatum indubitanter agno-
ſcit ille peſſimus æmulator. Hodie hortus concluſus ex
illâ portâ proceſſit; & in illam & per illam fons mana-
Ezec. 44. vit ſignatus, de quâ Propheta dicit, *Eſt porta, quæ non
aperietur in domo Domini, clauſa.* Hæc porta templi,
& templum Domini, eſt Maria beatiſſima & incompa-
rabilis virgo: de cuius utero ad nos venit Dei Patris
D imago. Et quomodo venerit, & quare venerit, oſten-
ditur, cùm ad Mariam & ad Ioſeph ab Angelo eis
revelante divinæ diſpenſationis conſilium dicitur. Ad
Luc. 1. Mariam quidem, *Spiritus ſanctus in te veniet Maria,
& concipies filium Dei.* Ad Ioſeph verò, *Noli timere
accipere Mariam coniugem tuam: quod in ea natum eſt,
de Spiritu ſancto eſt. Pariet filium, & vocabis nomen eius
Matt. 1. Ieſum, qui ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*
Ortus noſtri Salvatoris licet Angelis ſanctis & per eos
hominibus bonæ voluntatis manifeſtus extiterit, oc-
cultus tamen fuit Diabolo & idolis eius. Idola Diabo-
li ſunt præcipuè infideles, & retrogradi homines, qui-
bus propter cor impœnitens eorum, ignotum eſt con-
ceptionis dominicæ & nativitatis myſterium. Quæ
idola Diaboli rectè vocantur; quia in ipſis, & per ipſos
loquitur pariter & operatur. Salvatorem noſtrum ſcri-
ptura ſacra meritò fontem appellavit; quia ipſe unda
aquæ & ſanguinis, ſuo profluentis ex latere, genus
humanum lavit à ſordibus peccatorum, & creavit Ec-
cleſiam ſine rugâ & macula; id eſt ſine deformitate &
immunditiâ, & ſibi ſponſam elegit, & templum. Fons E
iſte eſſe ſignatus non incongruè perhibetur; quia in
omni veritate & ſanctitate eſt à patre ſanctificatus.
Fons iſte manens, & indeficiens ſuo rore, ſancti Spi-
ritus ſcilicet infuſione, rigavit viſcera glorioſæ Ma-
riæ, quam plenitudo divinitatis corporaliter inhabi-
tans, dedit illi ſuam benignitatem, novam & ſolam ſi-
ne exemplo conceptionem. Illa autem ſanctiſſima terra
dedit fructuum ſuum; virgo videlicet Maria, quem An-
gelo nuntiante fide & dilectione concepit, clauſâ eiu
uteri portâ peperit filium, in Deo quidem hominem
& in homine Deum. Hoc ineffabili & inexcogitabi-
li modo, *Verbum factum eſt caro*; Deus ſcilicet Dei
patris filius, factus eſt filius fœminæ virginis, natura-
liter ſimul & potentialiter natus. Naturaliter utique,
quia ex eâ parte corporis Mariæ virginis, quâ homo
quiſque de ſuâ matre naſcitur, natus eſt Chriſtus: F
ſed potentialiter; quia, ſicut dictum eſt, porta ven-
tris eiuſdem virginis clauſa: ſervans igitur in uno na-
turam humanitatis; in altero verò humanam naturam
ſuperans omnipotentiâ divinitatis. Si quis ſuper hoc
aliter ſentit, vel aliter loquitur, vitandus eſt, non ſe-
quendus: quoniam ipſe devia ſequitur. Dedocet enim
veritatem, & docet errorem. Et cùm aliena ab his
quæ Spiritus ſanctus per os Sanctorum ſuorum locu-
tus eſt, dicere nititur, quaſi novam ſibi gloriam pin-
git: & dum falſam ſequitur felicitatem, veram infe-
licitatem conſequitur. Hoc idcirco dixerim, quia
quibuſdam perſonis aſcribitur, quod matrem Domi-
ni & ante partum & poſt partum prædicant quidem
virginem, ſed portam ventris eius apertam in ſuo par-
tu, & poſt partum ſtatim clauſam fuiſſe fatentur: qua-
ſi ad horam fuerit virgo, & ad horam perdiderit vir-
ginitatem. Inſanum eſt hoc dicere; & credere pro-
phanum. Qui hoc dicit, vel credit, Spiritui ſan-
cto contradicit. Nam diffitetur veritatem quam Spi-
ritus ſanctus per Ezechielem prophetam confitetur di- G
centem: *Eſt porta in domo Domini clauſa, & non ape-
rietur.* Ego autem in Spiritu ſancto firmiter credo, Ezec. 44.
& indubitanter profiteor, & ad horam, & ad mo-
ram, & ante partum, & in partu, & poſt partum
eam fuiſſe virginem, & peperiſſe in una perſona Deum
& hominem, & ſine carnis apertione, & ſine cor-
poris & animæ corruptione. In paradiſo fuiſſet qui-
dem iſta conditio, niſi primi parentes peccaſſent, quòd
ſine corruptione, id eſt, ſine læſione corporis & ani-
mæ crearent & crearentur, non tamen ſine carnis aper-
tione. Nam ſi deeſſet carnis apertio, virginitas ſer-
varetur: & ita unuſquiſque naſceretur de virgine. Sed
fieri minimè potuit, ut naſceretur de virgine homo,
niſi ille ſolus, qui eſt Deus & homo. Quicunque
igitur ſuper hoc aliter ſapiunt, deſipiunt, & quod
eſt prorſus alienum à veritate narrant: ſed errant, &
nihil prodeſt eis matrem Salvatoris, & ante partum,
& poſt partum confiteri virginem, qui eam in ſuo
partu fuiſſe virginem negant. Virgo etenim ſancta
fuit ante partum, & in partu virgo ſanctior, & ſan-
ctiſſima virgo poſt partum: quia quanto maiora egit
in ea divina operatio, tanto maior in ipſa ſanctitas H
crevit, atque religio. Hoc docemur fide Catholica, &
Chriſtiana doctrina contrarium execratur. Nunquam
itaque aperta, ſed clauſa ſemper & ſigillata fuit uteri
matris noſtri Salvatoris ianua: per quâ exivit ipſe Deus
homo, tanquam ſponſus procedens de thalamo. Ute-
rus bonæ & beatæ Virginis Mariæ thalamus dicitur,
quia in eo ſociata ſunt & divinitas carni, & caro no-
ſtra divinitati. Vulva mulieris, porta ventris eius rectè
dicitur; quia per illam exit homo, & venit in hunc
mundum cùm ipſe naſcitur. Quæ in aliis quidem mu-
lieribus, prole exeunte, aperitur, in ſola autem matre
Domini, & eo naſcente, & ante, & poſtea clauſa fuiſſe
legitur veraciter, & firmiter creditur, Ezechiele pro-
pheta atteſtante, qui dicit, *Eſt porta in domo Domini
clauſa, quæ non aperietur.* Honorabilis & prædicabilis
fœmina, digna Deo Virgo. Maria domus Domini

A appellatur, in qua porta Orientalis clauſa ſemper eſſe perhibetur. Recto nomine Maria, domus, id eſt, templum Domini dicitur; quia Deus ipſe habitavit in ea, & per ſanctificationem Spiritus, & per humanam conceptionem. Servata itaque divinæ proprietate naturæ in utero virginis factus eſt caro, & perfectus homo in veritate carnis & animæ; & per portam templi quæ reſpicit ad Orientem, quæ nec per ſe patuit, nec ab alio aperta fuit, proceſſit de virgine matre. Eadem quippe poſſibilitate vulva ſuæ matris clauſa proceſſit, ac ſi fuiſſet aperta. Verumque mirandum eſt; & factum Deum hominem, & Deum hominem de virgine natum. Si quis Deum hominem factum attendat, quare de partu virginis dubitat? Non enim minoris miraculi fuit Deum fieri hominem, quàm parere fœminam virginem. Breviter dicam, ne faſtidium faciam audienti. Quæro unde, & à quo facta ſunt
B omnia? A quo ſiquidem facta ſunt, ſcitur; ſed unde facta ſunt, neſcitur. Deus utique omnia fecit: ſed nulla materia fuerat ante, de qua faceret ea. Solummodo
Pſ. 32. voluntatem habuit faciendi: *Dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt.* Ecce Deus ſine difficultate, & ſine materia creavit univerſa. Nonne quædam ex his quæ fecit, in alios uſus convertere, & quibus voluit, & ſicut voluit, uti potuit? Potuit planè. Omnipotens eſt filius Dei, in quo & à quo ſunt omnia. Ipſe quod voluit, & modo quo voluit facere potuit pro ſua voluntate. Et ſicut ad diſcipulos ianuis clauſis intravit: licet per ipſas ianuas clauſas, & propter metum Iudæorum etiam obſeratas intraverit: ita per illam beatitudinis, & uteri virginalis portam clauſam pariter & obſeratam exivit, & mundo apparuit, una eademque divinitatis omnipotentia, & ad diſcipulos clauſis ianuis ingrediens in ſua reſurrectione, & clauſa ſuæ matris uteri porta in ſua nativitate egrediens. Voluit Deus & homo concipi in fœmina, & homo de fœmina naſci; ut per hoc quòd factus eſt
C homo veritatem oſtenderet carnis; & in eo quòd in virgine homo conceptus eſt, & homo de virgine natus, ſe Deum monſtraret omnipotentem; qui omnia creavit ex nihilo. Adhuc fortaſſis aliquis quærit, quomodo fieri potuit, Deum videlicet hominem factum de fœmina naſci, ſervata fœminæ virginitate. Qui hoc inquiris, non dubites, ſed firmiter crede, quia ſi Deum omnipotentem veraciter credis, nullatenus ſuper hoc poteris dubitare: quoniam ſi omnia poſſe confiteris eum, & iſtud poſſe negare non poteris, cùm ſit ex omnibus unum. Non enim Deus omnipotens eſſet, niſi poſſet facere quæcumque vellet. Perfectus itaque Deus à Deo Patre Chriſtus: perfectus homo, animæ & carnis aſſumptione. Et licet aliud ſit Deus, & aliud homo: non eſt tamen alius filius Dei, Deus; & alius filius virginis, homo: Sed filius Dei & filius virginis unus eſt, non unum; Deus & homo revera, ut dictum eſt ſuprà, ex tribus ſubſtantiis conſtans, verbo videlicet, carne, & anima.
D Hic unigenitus Dei patris, & primogenitus virginis matris, in mundum venit plenus miſericordiæ & veritatis. Venit miſericorditer, venit veraciter, qui nos à poteſtate ſatanæ liberavit: & ſicut ſe venturum per Prophetas ſuos dixerat antè, iam veniſſe novimus eum, non parvas parvo tempore in hoc mundo pro nobis paſſum iniurias. Ab illo enim die, quo Patris caritas & ſua voluntas Chriſtum depoſuit ad terras, & apparuit mundo, homo, pro cuius ſalute venerat ut eum occideret, fallaciter ei tetendit inſidias. Et ut brevi narratione comprehendam, multiplices ab hominibus & pro hominibus perſecutiones ſuſtinuit, & contumelias. Ipſe verò pius Deus, & miſericors Dominus, non ultionem in hominibus deſiderans, ſed eorum abſolutionem; non ſolùm ſuas condonavit iniurias, verùm etiam pro iniurioſis crucem paſſus eſt & mortem. Ita lux vera & beata vita Deus filius Dei nos miſeros, qui de iure & lucro peccati in tenebris eramus, & in morte ſepulti, ſua pietate & miſericor-

E dia ſuſcitavit: & quæ nobis ab ipſo data prius fuerant, ſed à nobis non bene ſervata, gaudia lucis & vitæ remedia iterum dedit. Vnde licet eius gratiæ & miſericordiæ nos indignos fuiſſe & eſſe non dubitemus, noſtro tamen conditori & redemptori grates & gratias referamus, eo auxiliante, ſine quo nihil boni facere poſſumus. Ipſum quoque hodierna die pro noſtra ſalute Deum & hominem de Maria Virgine natum pura fide credamus, & vera confiteamur dilectione: cui eſt omnis honor & gloria cum Deo patre ſuo & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

De Reſurrectione Domini.

SERMO V.

F HOdie, dilectiſſimi, quia Dominicæ reſurrectionis ſolemnia celebramus, de tanta ſolemnitate loqui religioſum eſt, & ſilere irreligioſum putamus. proponamus itaque, & exponamus prout ipſe donaverit, qui omnia novit, cur nec prima die, qua mortuus eſt pro noſtra ſalute; nec ſecunda; ſed die tertia Dominus reſurrexit. Quærendum eſt etiam, quare poſt reſurrectionem ſuam ſolis bonis & paucis, & modico tempore apparuit: cùm ante reſurrectionem multis, & bonis & malis, & aliquanto tempore apparuerit. Quod tertia die vita beata Deus ſeipſum ſuſcitavit à morte; reſurrectionem utique noſtram die tertia futuram ſignificavit: quod longè antè dixerat per Prophetam. Locuturus Oſee propheta de reſurrectione noſtra, ante mortem & noſtram reſurrectionem, nos, ne iuſtus iudex imparatos inveniat, pia & fideli exhortatione ſollicitat, dicens: *Venite, & revertamus ad Dominum, quia ipſe cepit, & ſanabit nos:* Oſee 9.
percutiet, & curabit nos. Dicit, venite, id eſt, viam tenete: neque ad dexteram declinemus, neque ad ſiniſtram: ſed unuſquiſque noſtrum fide, confeſſione, & pœnitentia revertatur ad Dominum. Habeamus fidem, quæ per dilectionem omne bonum & præcipuè peccati odium operatur. G Nam fides ſine opere bono, & maximè ſine peccati odio, mortua creditur. Veniamus ad confeſſionem, qua venenum antiqui ſerpentis evomitur, ſolvitur à peccatis peccator; Deo victoria, diabolo verecundia generatur. Agamus pœnitentiam, qua divina pietas ſic nobis ignoſcit, quòd nos diabolus peccatores ignorat, nec Deus agnoſcit. Hoc eſt poſt peccatum reverti ad Dominum: ad quem quicumque revertitur, viam tenet, non deviæ ſequitur. Cœpit nos ſanare bonus Dominus, quando ab infirmitate mortis æternæ ſua magna miſeratione liberavit. Nos quidem in primo homine diabolus per peccatum infirmos pariter & miſeros fecit. Deus verò pius & omnipotens medicus, noſtræ miſeriæ & infirmitati compatiens, quod ante non fuerat, & nobis miſeris nomine & actione conveniret antidotum, quo nos ſanaret, invenit.
H Hoc autem ſuæ caritatis maximum opus baptizavit per ſemetipſum, nomen imponens ei Miſericordiam, quam miſeriæ & infirmitati noſtræ oppoſuit medicinam. Hac igitur ſalubri & ſalutari medicina animas noſtras ſanavit & corpora. Per hoc incomparabilis ſuæ dilectionis opus præcipuum nobis condonavit, & donavit plurimum. Condonavit culpam, & donavit gratiam. Mortem noſtram mortificavit, & reddidit vitam. Hac arte pietatis diabolum vicit, & confregit infernum: nobis aperuit portas cœli, & dedit ſeipſum. Diximus quòd miſericordia ſua omnipotens Deus hæc ſua tanta beneficia nobis donaverit: quomodo etiam ipſam miſericordiam fecerit, eo adiuvante, dicemus. Operante itaque tota Trinitate Dei filius conceptus eſt homo in virginis utero, & de virgine matre natus in mundo. Beata Trinitas Pater & Filius & Spiritus ſanctus

A vnus eſt Deus, vna eſt totius Trinitatis operatio. Hanc admirabilem, ſed dilectione & fide mirandam operationem Pater diſpoſuit caritate: Spiritus ſanctus, quam ante ſanctificare cœperat, longè ampliùs virginem ſanctificavit; quia totam ſanctiſſimam & anima & corpore fecit: Filius verò in illa ſanctiſſima virgine totum hominem, id eſt, animam & carnem ſuſcepit. Non enim aliqua ex parte non ſanctiſſima eſſe poterat, in qua plenitudo divinitatis corporaliter habitavit. Deus itaque Dei filius in ſuſcepta carne multas non multò tempore paſſus iniurias, vt pro nobis moreretur crucem aſcendit: & licet ab homine iudicatus eſſet iniuſtè, ibi etiam iudicem hominis novimus eum, & factum pro homine ſacerdotem, & ſacrificium. Verè poſitus in cruce Dominus iudicabat, iam agnos ab hædis regia poteſtate ſeparabat, vbi latronem B alterum in dextris poſitum, in quo fidei & confeſſionis ſacramentum præceſſerat, vocavit ad gloriam pia compaſſione: alterum poſitum in ſiniſtris, in pœna dimiſit cenſura iuſtitiæ. Et ea hora diei, qua primus homo factus latro, latronem diabolum ſequutus, eiectus eſt de paradiſo & vitam perdidit, ea hora, nona videlicet, Chriſtus paſſus eſt mortem, & latroni paradiſi ianuas reſeravit. Ille ſiquidem in Evangelio dicit, *Maiorem caritatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, (Ioan. 15.) dixit, nemo: ſed ipſe qui Deus eſt & homo, multo maiorem caritatem exhibuit, qui non ſolùm pro amicis, verùm etiam pro inimicis poſuit animam & pro inimicis apud patrem oravit. Pontificatum vel regnum, quod aliquando hominem facit ſuperbum, Chriſtus habere noluit; ſed à patre rex & ſacerdos ordinatus in cruce, in ara crucis, quam præſentia ſui corporis ſanctificavit, ſemetipſum obtulit pro noſtra redemptione ſacrificium: & ita nos pius Rex & iuſtus iudex ad regna cœleſtia rexit. In illa ſancta cruce de eius latere dextro exivit ſanguis & aqua: ſanguis quo nos à diaboli poteſtate redimeret: aqua, qua nos à peccatis mundaret. Quare de latere C exivit ſanguis & aqua? Vt videlicet vnde culpa proceſſerat, inde proceſſiſſet & gratia. De latere Adæ fœmina facta eſt quæ nos peccati cibo cibavit. De latere Chriſti manavit gratia, quæ & peccatum abſtulit, & contulit vitæ remedium. De latere Chriſti dextro ſanguis & aqua potiùs exiſſe dicitur, non de ſiniſtro. Nam quod per ſiniſtram illius manum, hoc ipſum per latus eius ſiniſtrum accipimus; humanæ videlicet carnis ſuſceptionem: per dextrum verò latus eius, quod per illius dexteram intelligimus; divinam ſcilicet maieſtatem, quam quia aliter exprimere nemo potuit, huiuſmodi, id eſt, dexteræ nomen accepit. Ab illa ergo & incarnatio Chriſti, & ille ſanguis & aqua, & vniverſa eiuſdem incarnationis Sacramenta proceſſerunt, à qua omne bonum procedit. Hac etiam ratione iuſti ponendi ſunt in dextris in die iudicij: quoniam in Chriſto & intellexerunt divinam maieſtatem, & eius cum dilectione crediderunt incarnationem, & ſi aliqui ex ipſis nondum credentes, Chriſtum in carne occiderunt; poſtea comederunt carnem Chriſti credentes, & eius, quem effuderunt, ſanguinem biberunt. Iniuſti autem in ſiniſtris erunt, quia nec guſtaverunt divinæ Maie- D ſtatis dulcedinem, quæ in Chriſto eſt, nec eius venerati ſunt incarnationem, ſed ſemper ſapuerunt propriam carnem: & ideò ſiniſtra, id eſt, iniuſta opera dilexerunt, pro quibus perpetuum odium ſui Creatoris habebunt. De latere Chriſti ſanguis quidem exivit & aqua; ſed exiſſe ſimul vtrumque non dicit Evangeliſta. Quòd ſi aqua ſimul cum ſanguine exiſſet, aqua in ſanguine dinoſci ab homine minimè potuiſſet, Sanguis itaque priùs exivit, quàm aqua: & meritò; quia ſanguinis effuſionem, id eſt, fidem dominicæ paſſionis, baptiſmus ſequitur, & peccatorum remiſſio. Hac fide Patriarchæ & Prophetæ, & multi alij in vtroque ſexu Chriſtum venturum redemptorem ſperaverunt; & quod nos factum credimus, ipſi expectando futurum crediderunt, & quia iam conceperant fidem Chriſti, Chri-

E ſtiani erant, & fuerunt redempti. Omnes etiam, quicumque viſo Salvatore apud inferos de illo ſperaverunt ſ[illegible]ntem, de pœnis inferni liberati ſunt. Nos autem, & illi beati noſtri prædeceſſores, qui nos præceſſerunt, ad ſidereas manſiones, quoniam ex primis parentibus traximus offenſam, per gratiam Redemptoris, quaſi quibuſdam unguentis de eius ſanguine factis, ſanati ſumus: ut qui aliorum infidelitate & prævaricatione cecidimus in mortem, alterius, id eſt, noſtri conditoris compaſſione & miſeratione reſurgeremus ad vitam. Dicit propheta: *Percutiet nos Dominus, & percutiendo ſanabit.* (Deut. 32.) Quibus verbis manifeſtè oſtendit, quia leve non eſt iterare crimina, quæ ſunt ſemel Chriſti paſſione redempta. Reus erit, inquam, reus erit non modicæ rei, ſed paſſionis & ſanguinis Chriſti, qui iterum occidit animam, Chriſti paſſione & ſanguine à morte redemptam. Priùs, ut diximus Redemptor noſter & Dominus per ſanguinem proprium à tranſgreſſione parentum nos F ſanavit: ſed illis vulneribus noſtris quaſi unguentum adhibuit: & qui aliunde peccati plagam habuimus, aliunde habuimus & peccati medelam. Nunc verò quia propria voluntate, & in perfecta ætate peccavimus, percuſſione opus eſt, id eſt, cordis contritione: & ſi curari volumus, iam non quæramus olivæ oleum, vel quodlibet aliud unguentum: quoniam ignitum gravis pœnitentiæ ferrum neceſſarium eſt, quo noſtrorum uratur rubigo peccatorum. Nemo unquam poſt perpetratum vel ſemel criminale peccatum, illam utilem ſibi confeſſionem, ſeu pœnitentiam credat, quam ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non præcedit: quia ubi non eſt vera cordis converſio, non ſequitur plena remiſſio. Debet igitur quiſque noſtrum ſecundum Salvatoris exemplum infremere ſpiritu contra capitale commiſſum, & quadam ſollicitudine turbare ſeipſum, quatenus ſuper extinctam animam dare valeat gemitus præcordiales & lacrymabiles planctus; ut vel ſic Dei miſeratione reviviſcat. Chriſtus enim quando venit ad ſuſcitandum Lazarum, qui ſignificat hominem in criminali peccato ſepultum, lacrymatus eſt, infremuit ſpiritu, turbavit ſeipſum, & dixit, *Lazare veni foras.* Et ſic illum à Domino legimus ſuſcitatum: G Ibi verba non prævenerunt lacrymas, ſed lacrymæ verba redemptoris præceſſerunt. Neque priùs Lazarum vocavit de monumẽto: neque Lazarus prius reſurrexit, donec Chriſtus infremuit ſpiritu, & ſeipſum turbavit. Quo facto, pius redemptor & bonus doctor docuit peccatorem, quo ſtudio, quo mentis affectu, quo corporis actu, qua intimorum concuſſione viſcerum, pœnitentiam agere debet, ſi ſuſcitari deſiderat de ſepulchro peccatorum. Vtilis eſt immò neceſſaria pœnitentia poſt peccatum: cùm Chriſtum mortuos quidem ſuſcitaſſe, nullum autem in peccatis mortuum abſolviſſe legamus. Mirandum verò non eſt, ſi pro peccatis propriis & ſcienter commiſſis fortiter eſt agendum, cùm alieni peccati pœna nos ſequatur: nec nos ſolùm, ſed ſanctos Apoſtolos ſequuta ſit etiam poſt baptiſmum. Licet ignoremus quis, à quo, & ubi, & quando baptizati fuerint: ipſos tamen baptizatos fuiſſe non dubitamus, cùm ipſum Salvatorem credamus fuiſſe baptizatum. H Prius quidem Salvator noſter baptizari voluit, ac poſtea dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum.* (Ioan. 3.) Iſtam formam baptiſmi verbo & exemplo diſcipulos docuit ſuos, qua cum prædicarent aliis, hanc priùs obſervaſſent in ſemetipſis. Neque conveniẽs eſſet & minùs prodeſſent, ſi docerent alios baptizandos, & ipſi baptizati non eſſent. Et ideo & eos baptizatos fuiſſe credimus, & quòd alter ab altero extitit baptizatus, cum ipſi ſoli tunc accepiſſent à domino poteſtatem baptizandi. Nulla ratione immutari potuit quod Veritas dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, regnum cælorum non habebit.* In nullo maiorem auctoritatem vel meliorem auctorem habere poſſumus quàm ipſam veritatem. Vnde veræ fidei propoſitione, immo ipſius veritatis voce probamus, quod nemo ſalvus fieri poterit

A vel poteſt, qui non fuerit baptizatus. Sed alij, ubi viſibiliter baptiſmi myſteria celebrantur, baptiſmum accipiunt. Alij verò, ſicut Evangelicus latro, & Martyres ſancti, licet viſibiliter myſteria baptiſmi circa eos non fuerint celebrata, baptiſmum tamen fide & voluntate perceperunt. Nam, ſicut veraciter legimus,
Rom 8 *Quicumque Spiritum Dei habent, accipiunt & gratiam eius.* Accepiſſet vtique latro ille viſibiliter baptiſmum ſi potuiſſet: quia paſſione ſua, vel quolibet bono opere, quod antè feciſſet, ſalvatus non eſt, ſed fide Chriſti & confeſſione; non enim pro nomine Chriſti crucifixus eſt, nec quia credidit, paſſus creditur: ſed credidit dum pateretur. Aliquem etiam quaſi pro nomine Chriſti martyrem fieri vanum eſt, niſi præceſſerit in illo fides baptiſmi. Quantum itaque valeat, etiam ſine baptiſmi Sacramento viſibili, quod ait Apoſtolus
Rom 10 Paulus, *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, & in illo latrone & in martyribus ſanctis declaratur. Sed tunc impletur inviſibiliter, cùm viſibilia baptiſmi myſteria articulus neceſſitatis
B minimè fieri permittit, non religionis contemptus. Nam poſtquam ſemel Veritas prædictum baptiſmi fecit edictum, clamans & dicens: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum*, ſi latro, cui in cruce ab ipſa Veritate dictum
Luc. 23. eſt, *Hodie mecum eris in paradiſo*, vel quilibet martyrũ, viſibiliter baptiſmum potuiſſent habere, & contempſiſſent, incaſſum & latro Dominum rogaſſet, cuius ſpreviſſet mandatum, & martyr ſuſtinuiſſet ſine vtilitate martyrium. Hoc, vt dictum eſt, habent boni & mali, quod eos ſequitur paterni pœna peccati: Pœna peccati eſt eſurire, ſitire, labores & dolores perpeti, infirmari & mori in corpore, atque diverſas in mundo miſerias experiri. Hæc omnia ex primi parentis peccato proveniunt, quæ tamen ſine peccato haberi poſſunt. Sed mirum videtur; cùm à Deo nobis peccatum dimiſſum fuerit, quod adhuc peccati illius iam dimiſſi pœna nos ſequitur. Nonne Deus ita nobis indulgere peccatum potuit, quòd nos peccati pœna minimè ſequeretur? Potuit planè, ſed noluit. Potuiſſet etiam in
C paradiſo, quod nec diabolus inſtigaret hominem ad peccandum, nec homo peccaret. Sed ſi poteſtatem ſui non dediſſet homini, & ideo non peccaret, quia peccare non poſſet; nec vnde laudaretur à Deo, nec vnde remuneraretur, haberet. Laudem ſui creatoris, & magnam eius remunerationem primus homo ſemper habere potuiſſet, ſi non ſuperbia tumidus, & propriæ vxoris nimio amore corruptus ſe contra creatorem erexiſſet. Non, vt pene omnes loquuntur, primùm Adæ peccatum fuit, quod comedit vetitum. Iam enim de magnitudine præſentis & futuræ beatitudinis præceſſerat in ipſo quædam elatio reprimenda: vnde iuſto Dei iudicio permiſſus eſt à diabolo tentari, & ſuccumbere tentatori. Extollenti vtique ſe animæ, & nimium de propria virtute præſumenti, experimento pœnæ fuerat demonſtrandum, quàm non bene ſe habeat facta natura, ſi à bono factore receſſerit. Eodem
D gladio quo Angelus nequam ſeipſum peremit in cœlo, eodem gladio hominem in paradiſo occidit. Non enim ex eo tantum Angelus ille intumuit, quod iam à Deo ſuſceperat, quantum ex eo quod ab illo acciperet, ſi ei humiliter ſubdi voluiſſet. Si igitur in illis locis beatitudinis, immo in ipſis creaturis, in quibus præceſſerat dignitas prælationis, reperta eſt pravitas elationis, quid de nobis futurum eſſet, vel quid nobis reſtaret agendum, ſi in hoc ſæculo proximo inferis & vicino peccatis, nunquam ſenes, ſed ſemper ſani, ſemper iuvenes eſſemus, & immortales effecti? Certè nullam aliam quæreremus beatitudinem, nec ipſum etiam agnoſceremus creatorem: ſed elati ſemper & ſuperbi, & creatoris gratiæ, & redemptoris miſericordiæ eſſemus ingrati. Nam licet pœna peccati nos ſequatur, ita inflati ſumus & ſuperbi, quod ſuperbia noſtra mortem animæ noſtræ quotidie, immo aſſiduè operatur. Divina tamen miſeratio idcirco nos pœna peccati flagellari voluit & caſtigari, vt vel ſic agnoſcamus quales per nos, & quales à Deo facti ſumus: & habeamus odio, quales nos fecimus: & ipſum ante omnia & ſuper omnia diligamus, & nos quales fecit: & ei gratias agamus, qui peccati pœnam, peccatorum nobis exhibet medicinam. Quòd die tertia reſurgamus, aſſerit Propheta Dei dicens: *Vivificabit nos Dominus poſt duos dies, & in die tertia ſuſcitabit nos.* Hæc dies Oſee 6.
prima fuit ab Adam vſque ad Noë. A Noë eſt dies ſecunda uſque ad finem ſæculi. Tertia dies erit ſecundus advetus Chriſti. In illa tertia die omnipotentia divinitatis ſuæ corpora noſtra Chriſtus ſuſcitabit, qui mortis ſuæ die tertia ſeipſum ſuſcitavit. Quod dicit Propheta: *Vivificabit nos poſt duos dies*, ſcilicet die tertia, & ipſa eadem die *nos ſuſcitabit*, ordinem noſtræ reſurrectionis oſtendit. Eo vtique ordine reſurgemus, quo Chriſtus reſurrexit: excepto quod non ſuſcitabimus nos, vt ipſe ſeipſum ſuſcitavit. Sed ſicut anima Chriſti ſemel ab eo ſuſcepta, nec deinceps ſeparata ab ipſo, die tertia rediit ad ſepulchrum, & ibi corpus ſuum vivificavit, & ita de ſepulchro Chriſtus ſuſcitavit ſeipſum: F
ita & animæ noſtræ die tertia, Deo præcipiente, corporibus ſuis ſociabuntur in ſepulchris; & ita vivificata ſtatim de ſepulchris ſuſcitabuntur. Prius enim à Deo vivificata, id eſt, animata erunt corpora, quàm ſuſcitentur. Quod, inquam, triduano mortuo, à Domino ſuſcitato apertè monſtratur: qui ante mortuus erat, quam illuc Dominus veniret, & illum vocaret de monumento, ſed mox vt illum vocavit, qui mortuus fuerat, de ſepulcro vivus exivit. Non enim ei dixit Dominus, Mortue, ſed, *Lazare veni foras*, Vnde manife- Ioan. 11.
ſtum eſt, quod in monumento iam animaverat, quem viventem vocabat. Vna vox Domini ibi duo miracula ſimul egit, quia & mortuo vitam reddidit in ſepulchro, & ligatum hominem extra ſepulchrum produxit. Poſt reſurrectionem ſuam Chriſtum Deum & Dominum noſtrum ſoli boni & pauci, & modico tempore viderunt. Soli etenim boni futuræ reſurrectionis gloriam G
habebunt, & creatorem ſuum ac redemptorem, cuius præſentiam corporis poſt reſurrectionem modico tempore habuerunt, ſine fine videbunt. Et pauci erunt ad comparationem malorum. Nam, ſicut ipſe in Evangelio dicit, *Multi vocati, & pauci electi ſunt.* Ante reſurre- Mat. 14.
ctionem ſuam multi & boni & mali, & aliquanto tempore Salvatorem noſtrum viderunt, & habuerunt in carne præſentem: vt qui pro multis, immo pro cunctis ſalvandis venerat, ab omnibus aliquanto temporis ſpatio videretur, quo in illum credere poſſent, & ſalvarentur: qui verò credere nollent, de peccato ſuo nullam excuſationem haberent, & damnarentur. Multa Salvator noſter in hoc mundo operatus eſt, vnde omnes in eum potuiſſent credere ſi voluiſſent: ſed tria ſpecialiter & principaliter egit, quæ nemo alius faciet vel fecit. Vnum videlicet, quòd de virgine natus eſt: alterũ verò, quòd à morte ſuſcitavit ſeipſum: aliud quod carne ſuſcepta de virgine aſcendit in cœlum, Rex & Dominus etiã in humano corpore factus Angelorũ. Supra H
diximus, quòd poſtquam Chriſtus Dei filius animam noſtram ſuſcepit, adeo, dilexit eam, quòd ſe ab illa deinceps minimè ſeparavit, Sicut enim carnem noſtram, ita & animam noſtram in beata & glorioſa virgine Maria ſuſcepit: ſed talem qualem habuit Adam ante peccatum, non qualem Adam peccando fecit. Quo nos docuit exemplo, ne animam noſtram, quam adeo dilexit, vt moreretur pro ea, nec in mortis anguſtia ſe ſeparavit ab illa, infideli ſervo, & crudeli inimico noſtro qualibet occaſione tradamus, qui eam nititur adulteram facere, & ancillam. Mors namque filij Dei, & eius paſſio carnem quidem ab anima ſeparavit; animam verò à Verbo, id eſt, à Dei filio ſeparare non potuit. Ad commendandam itaque erga hominem præcipuæ dilectionis ſuæ gratiam, vt homo poſſit eſſe quod Chriſtus eſt, quod homo eſt Chriſtus eſſe voluit. Illum, fratres, qui nos tanta caritate ſibi coniunxit, totis animæ noſtræ viſceribus diligamus; eumque humiliter

atque

A que ſuppliciter exoremus, ut qui ſe participem fecit naturæ noſtræ, participes nos faciat gloriæ ſuæ: & qui iam ſemel de fonte baptiſmatis per eius gratiam & miſericordiam ſine peccato ſurreximus, eadem gratia & miſericordia ſua, in illa reſurrectione ſecunda abſque omni contagione peccati reſurgamus: ipſumque videre pariter & habere mereamur Ieſum Chriſtum, creatorem & redemptorem noſtrum: qui unus Deus cum patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

De Aſcenſione Domini.

SERMO VI.

B HOdierna die, dilectiſſimi, homo in Deo cœlos aſcendit, & Deus in homine. Chriſtus Dei & virginis filius, matrem in qua cepit animam, & carnem corporaliter in terra reliquit, & aſcendens in cœlum petiit patrem: qui licet in alio aliud eſſet, in altero extitit idem. Aliud quidem in natura divinitatis, non aliud tamen in perſona aſſumptæ humanitatis. Forma utique Dei forma hominis induta eſt: quod ſalubriter creditur: & qui erat cum patre, patrem petiit in homine. Sed alter ab altero elevatur, & ſuſceptus à nube in patris dextera collocatur. Hanc venerabilem aſcenſionem ſuam priùs quidem per ſemetipſum, & poſtea Magdalena nunciante Maria, Chriſtus prædixit Apoſtolis: qui cum aſcendentem in cœlum videntes pariter & admirantes, loquentibus ad eos Angelis, in fide & ſpe primæ & ſecundæ reſurrectionis confirmantur. Prima quidem reſurrectio in capite noſtro iam præceſſit, quæ vera fide creditur; ſecunda verò ſequetur in membris, quæ certa ſpe expectatur. Huius miræ gaudio & dilectione mirandæ divinæ & humanæ aſcenſionis magna ſunt ſacramenta: de quorum magnitudine, nec homo, nec Angelus de cœlo tantum dicere poſſet, quod ad comparationem C magnitudinis eorum modicum non videretur, & eſſet. Hoc inter cætera eſt magna devotione mirandum, quòd homo priùs diabolo ſubditus per peccatum, non ſolùm liber factus eſt à peccato, ſed quodcunque ligat, ligatum eſt, & quodcumque ſolvit, noſcitur abſolutum. Homo minor Angelo ante factus fuerat, ſed gloria & honore poſtea coronatus, conſtitutus eſt ſuper omnia quæ Deus fecerat. Homo ſiquidem Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes cœlorum, Cherubin & Seraphim ſua magnitudine ſuperat, & eis imperat: & ei obediunt voluntate. Homo præterea in Dei filio collocatus in cœlo in ſede maieſtatis divinæ venturus eſt ad iudicium, non in ea humilitate, qua iniuſtè iudicatus eſt, ſed in ea poteſtate, qua iuſte iudicaturus eſt. Quoddam præcipuum videtur fuiſſe divinæ diſpenſationis myſterium, quòd in eo, quod minor eſt Patre Filius, æqualis Filio eſſet homo: & ab initio hoc ſpeciale privilegium homini ſervaretur? ut non ſolum hominum iudex fieret, ſed etiam Angelorum. In qua poteſtate iudicij cùm homo D iudex futurus ſingulariter dicitur, membra à capite minime ſeparantur. Deus Filius hominis, homo, eſt caput Eccleſiæ, & huius capitis membra Apoſtoli præcipuè dicuntur, qui cum illo iudicabunt, quod Chriſtus in Evangelio proteſtatur. Nec Apoſtoli ſoli iudicabunt cum eo, ſed qui Apoſtolos vita & moribus imitantur. Hæc poteſtas à Deo Patre data eſt Filio, & à Filio data eſt Petro, & in Petro data Eccleſiæ. Hanc filius accepit in forma hominis, qua Patre minor eſt: non in forma patris, qua patri æqualis eſt. Forma Patris, in qua filius eſt patri æqualis, ſicut nec minor eſſe poteſt, nec maior; ſic nec minùs poteſt habere quàm habet, nec ampliùs. In ea utique forma nihil Filio datur, in qua ipſe omnia continet, & habet. Poteſtatem autem, de qua loquimur, accepit humanitas à divinitate, ſicut in Evangelio dicitur: *Data eſt Chriſto poteſtas iudicium facere, quia filius hominis eſt.* [Ioan. 5.] Poteſtatem quam Chriſtus non habuit ex eo, quòd eſt filius hominis, E aliunde accepit. Vnde? deſuper utique, à Patre, à Filio, à Spiritu ſancto. In Chriſto poteſtas data eſt, unde eius anima & caro beata facta eſt. A Chriſto Deo Chriſtus homo beatus factus eſt, & ei ab illo poteſtas data eſt. Aliud quidem eſt Chriſtus Deus, & aliud Chriſtus homo: non tamen duo Chriſti, ſed unus eſt Chriſtus, Deus & homo. Poteſtate autem in humanitate ſuſcepta, Chriſtus homo in Chriſto Deo, & Chriſtus Deus in homine Chriſto ligat, ſolvit, & iudicat. Adeo enim ſunt unita in Dei filio, & divinitas humanitati, & humanitas divinitati; quòd licet non ſint unum, una tamen eſt perſona utriuſque, unum opus, unum velle, una poteſtas, una veritas, una miſericordia, una cenſura iuſtitiæ. Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eſt ubique una & communis operatio: & totius Trinitatis F diſpoſitione ad formam hominis, quam ſolus Filius ſuſcepit, ſpecialiter iudicium pertinet. Quod ipſe in Evangelio aſſerit, dicens: *Pater non iudicat quemquam, ſed iudicium omne dedit filio.* [ibid.] Quod alibi dicitur: *Ego non iudico quemquam*, [Ioan. 8.] ad hoc reſpicit quod dixerat Iudæis, *Vos ſecundum carnem iudicatis*, id eſt, carnaliter: *Ego autem*, carnaliter, ſcilicet iniuſtè, *quemquam non iudico*, ſicut vos facitis, ſive, *non iudico quemquam*, ſecundum carnem tantùm, ſicut vos iudicatis: ſed etiam ſecundum cordis intentionem. Vel *Ego non iudico quemquam*, non dixit, non iudicabo: ſed illa hora, qua iſta dicebat, neminem iudicabat. Veraciter iudicandus, & iudicaturus in hunc mundum venit: & ſacra teſtificante ſcriptura, iterum iudex venturus aſſeritur. Vbi cum iterum venturum iudicem ſacra ſcriptura teſtatur, eum extitiſſe iam iudicem manifeſtè monſtratur. Quod utique iterum faciendum eſt, hoc altera vice fuiſſe factum minime dubitatur. Nos quidem miſeros bonus factor & pius redemptor reſpexit intuitu miſericordiæ: ſed contra diabolum egit cenſura iuſtitiæ. Nam ubi pro nobis ad mortem iudicabatur iniuſtè, quid aliud faciebat, quàm nos vero iudicio ab æterna morte liberabat? G Vbi verò ligabatur, quod aliud agebat opus quam iuſto iudicio vincula peccatorum noſtrorum ſolvebat? Iudicabat etiam in hoc ſæculo ſuos Chriſtus, cùm eos aut martyrio, aut exilio, ſive falſorum perſecutione fratrum examinat. Vnde Apoſtolus Paulus dicit: *Cum iudicamur à Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* [1. Cor. 11] Chriſtus ipſe quod iudex venerat teſtificabatur, quando dicebat: *Ego ſicut audio iudico, & iudicium meum verum eſt.* [Ioan. 5.] Et iterum: *in iudicium ego in hunc mundum veni.* [Ioan. 9.] Et alibi: *Princeps huius mundi iudicatus eſt.* [Ioan. 16.] Ego ſicut audio, ſcilicet, à Patre meo in aſſumpta carne: *ſic iudico, & iudicium meum verum eſt.* Ac ſi diceret: non poteſt verum non eſſe iudicium meum, quia pater qui mihi iudicandi tribuit poteſtatem verax eſt: & ego qui iudico, veritas ſum. In iudicium in hunc mundum ſe veniſſe teſtatur, ut iudicaret, non ſolum ut iudicaretur: unde ſubditur. *Vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Qui Chriſto veniente non videbant, qui ſe non videre, ſcilicet non iuſtos eſſe æſtimabant, ſed peccatores confitebantur, illuminati ſunt, quia lumen vitæ perceperunt. H Et qui videbant, videlicet Scribæ & Phariſæi, qui ſe ſolos videre, id eſt, iuſtos eſſe credebant, & cæteros tanquam cæcos aſpernabantur, cæci facti ſunt, quia lumen veritatis, quam habuerunt præſentem, perdiderunt. Hoc itaque Chriſti iudicio actum eſt, & etiam quotidie agitur, quod illuminantur humiles peccatores, & iuſti ſuperbi excæcantur. Iſtam diſcretionem, quam inter bona & mala opera hominum tenuit Chriſtus & tenet, iudicium appellavit. Alibi dictum eſt: *Non miſit Deus filium ſuum in mundum ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum* [Ioan. 3.] Hoc utique verum omnino creditur: non enim poteſt verum non eſſe quod veritas loquitur, verè filius Dei non eſt in mundum miſſus à Patre ut mundum iudicaret, qui ad hoc in mundum venit, ut mundus per ipſum ſalvaretur, ſi mundus voluiſſet. Sed quod voluit Chriſtus, noluit mundus. Si voluiſſet mundus quod voluit Chriſtus, in Evangelio

A *Mat.23.* ipſe non diceret, *Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti:* Si quod voluit Chriſtus mundus voluiſſet, credere utique & ſalvari potuiſſet. Non enim credere potuit, quia noluit quod Chriſtus voluit. Et quia ſua ſponte, non Chriſti voluntate infidelis factus eſt, eum iudicatum non dubitamus, cum Chriſtus dicat: *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* Hoc in loco mundi nomine populus Iudæorum intelligitur, quibus ipſe ſpecialiter locutus eſt, & ad quos præcipuè miſſus eſt. Mundus itaque & princeps mundi huius, Chriſto teſtimonium perhibente, iudicatus eſt. Ubi principem huius mundi diabolum iudicatum aſſerit, ſe profectò iudicaſſe diabolum oſtendit, cum à nullo niſi ab ipſo, & per ipſum poſſit diabolus iudicari. A Chriſto igitur diabolus iudicatus eſt, cum eos quos infidelitatis vinculis alligaverat, Chriſti prædicatione converſos amitteret, & ſeipſum plangeret eiectum foras de cordibus
B hominum, & nullum poſſet tenere, qui crederet. Etiam in cruce poſitus circa illos duos latrones crucifixos, inter quos & ipſe crucifixus fuerat, iura iuſtitiæ exercebat, ubi illorum alterum iudicavit ad gloriam, alterum vero deputavit ad pœnam. Sua voluntate ſtans fixus in cruce verus imperator ille de hoſte ſuperbo triumphabat. Iam divina poteſtate iuſtus iudex indicabat: iam agnos ab hædis ſeparabat, & quid in alio iudicio ſit facturus ſignificabat. Ratione pariter & auctoritate docetur, quod iudex iam venerit, & iudex venturus expectatur. Maieſtatem divinam, quam unam eandemque æqualiter habet cum Patre & Spiritu ſancto filius humiliavit, ubi formam ſervi ſuſcepit: in qua Dominus omnium factus eſt hominum ſervus, & ſervivit hominibus uſque ad mortem. Hanc quidem ſuſcitavit, quam ſecundo aſſumpſit, in ea noviſſimum illud & formidandum valdè iudicium facturus, ad quod omnia elementa, & etiam virtutes cælorum commovebuntur. Forma divinitatis, quæ una eſt Patris, & Filij &
C Spiritus ſancti, nec mundo apparuit, nec apparebit in iudicio: ſed forma hominis cum claritate multa, & magna poteſtate videbitur, quæ in Dei Filio, & Dei Filius in ea iudicabit. Et hoc quidem iuſta & rationabili ordinatione conſtat eſſe diſpoſitum, ut Deus in ea forma, in qua iudicatus eſt à mundo, iudicet mundum. Quam quia mundus vidit humilem, & ſuperbus contempſit, videbit ſublimem & timebit, & quæ fuit in cruce exaltata ad pœnam, & in aſcenſione exaltata ad gloriam, & in iudicio exaltabitur, & humiliabuntur ſuperbi. Et nunc maximè complebitur quod dicitur, *Qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*
Luc.18. Noſtri Salvatoris adventus quia Dei eſt & hominis, vehementer diligendus eſt: & quia iudicati, & iudicaturi eſt, non mediocriter metuendus, & nos itaque Dei & hominis adventum cum dilectione timeamus, cum timore diligamus: quatenus ipſum qui ſecum hodie naturam noſtram elevavit in cælum læti iudicem
D videre & habere valeamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui una, eademque gloria & maieſtate, cum Patre, & Spiritu ſancto, vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

De Purificatione Sanctæ Mariæ.

SERMO VII.

Solemnitas hæc, quæ ad honorem Dei & eius ſanctiſſimæ matris hodie celebratur, maioribus feſtivitatibus anni iure creditur non minor eſſe, quod ratione & veritate monſtrabitur. Donabit Deus homo, & mater virgo, ut quod ad laudem & gloriam utriuſque promiſſum eſt, utriuſque reddatur auxilio. Eadem quippe devotione, qua dies Nativitatis Domini, & Epiphaniæ à Chriſtiana religione noſcitur celebrata, debet & iſta celebrari. Nam ſicut illa eſt ſua præcipuè, & matris ipſius, ſic & iſta eſt ſua ſpecialiter & matris il-

lius. Eſt quidem illius diei ſolemnitas magna, qua Chriſtus de virgine matre natus eſt, & qua eſt à Ioanne baptizatus: & iſta æqualiter magna: qua ab ipſa eadem virgine, & à iuſto Simeone eſt Deo Patri in templo oblatus. Deus Pater ante tempora ex ſe genitum filium, ut homo fieret in ea, contulit virgini matri: mater virgo eundem ipſum ex ſe in tempore natum hodierna die hominem obtulit Deo Patri. Manet itaque & Deo Patri, & virgini matri mirandus filius. Valde namque mirandum eſt, quod excepta hominum communi creatione Deus habet filium hominem, & fæmina filium Deum. Hoc utique in Chriſto factum conſtat, qui eſt Deus & homo, & uterque unus, & filius utriuſque. Hic unicus filius unico patri ab unica matre oblatus eſt, unus uni: immo in uno omnes fideles ſunt oblati. Hanc diem venerabilem, diem eſſe purgationis Mariæ ſecundum legem Evangelium teſtatur. Merito mater legem ſervavit, cuius filius, & legem dederat, & venerat ut in ſe legem adimpleret, quam aliis dederat ante. Illa tamen pudica puella, nec in aliquo, nec de aliquo habuit, unde tunc purgaretur. Sancta etenim virgo fuit & in conceptione, & in nativitate prolis: & idcirco puer natus ex ea vulvam eius non aperuit, licet per illam illius uteri portam naſceretur. Porta ventris eius virginis extitit vulva eius, de qua Ezechiel Propheta, ſic loquitur: *Eſt porta in domo Domini clauſa, & non aperietur.* *Eze.44.* Domus Domini eſt bona Maria, quia ipſe fundavit eam, & homo factus eſt in ea. Porta huius domus, ut dictum eſt ſuperiùs, fuit vulva in virginis utero, per quam clauſam quidem egreſſus eſt in una perſona Deus & homo. Cuius beatiſſima mater licet non ignoraret quis eſſet quem genuiſſet, cui videlicet non erat lex poſita, ſed ſubiecta, in templo tamen filium obtulit, iuxta legis mandatum. Expectavit quidem diem purgationis, & occultavit filij deitatem. Nam ſi Chriſti incarnatio fuiſſet nota diabolo, nec Chriſtus pro nobis moreretur, nec fieret noſtra redemptio. Nata prole agnum, par turturum, aut duos pullos columbarum offerri pro ea fuerat legis præceptum. Quod ſi fortè alicui agnus deeſſet, alterum horum, vel utrumque, par videlicet turturum, aut duos pullos columbarum, Domino in filij oblationem offerret. In utroque teſtamento, & in lege, & in Evangelio mentis & corporis parilitatem Dominus exigit. Parilitas illa hæc eſt, quæ à Domino exigitur, ut bonum quod à nobis foris oſtenditur, prius concipiatur in mente. Non enim cum difficultate bonum opus fieri debet, ſed cum hilaritate: nec inde affectare debemus laudem hominum; ſed expectare à Domino retributionem. Hoc modo fit hoſtia grata Deo, gratumque ſibi Deum facit, qui ſic pauperi porrigit manum. Turtur avis caſta eſt, quæ numeroſa coniugia reſpuens, blanditias non curat aliorum, uno ſolo coniuge contenta. Per hanc Eccleſia Catholica ſignatur, quæ uni viro ſponſo Chriſto ſolummodo deſponſata, nec muneribus corrumpitur, & quaſi numeroſa coniugia reſpuens, hæreticorum vitat conſortia. Duo pulli columbarum iuxta legis decretum in holocauſtum offeruntur. Quod duo ſunt, commendat caritatem: quod pulli, innocentiam ſignat: quod columbarum dicuntur, indicat unitatem. Merito duobus caritas commendatur, quoniam in ea duo continentur præcepta, quibus Deus & proximus diligitur. In pullis, id eſt, in parvulis rectè ſignatur innocentia, à quibus non propria vindicatur, ſed condonatur iniuria. In columba non incongruè Eccleſiæ unitas figuratur, ſicut Dominus dicit, *Una eſt columba mea.* *Cant.6.* Columba præterea cohabitantium ſecum unitatem non deſerit, ſed fideliter ſervat: & ſi cauſa expoſtulet, fortiter dimicat. Tunc fidelis quiſque columba erit, ſi pia longanimitate, uſque in finem in Eccleſiæ Catholicæ manſerit unitate: & ſi legitime pro fidei defenſione certaverit. *Et ecce homo erat in Hieruſalem nomine Simeon: & homo iſte iuſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſraël.* *Luc.2.* Ecce, deſiderantis ſignat affectum, quia Simeonis animo Chriſtum

vide-re

A videre cupienti nil ſatis feſtinabat. *Et erat homo nomine Simeon in Hieruſalem*, id eſt, in pacis viſione, in qua viſione pacis, ſicut omnis in quo manet Spiritus ſanctus indubitanter eſſe creditur: ita omnis qui Spiritum ſanctum non habet, longè fieri ab illa minimè dubitatur. Vnde tot & tanta bona, quæ in præſenti Evangelio memorantur, ſeni Simeoni collata fuerunt, ſi quis deſideraret noſſe, ex eius nominis interpretatione diſcat. Simeon enim, audivit triſtitiam interpretatur: & triſtitia ſignificat pœnitentiam. Simeon, in quo omnes pœnitentes figurantur, per pœnitentiam deſiit eſſe peccator, & factus eſt iuſtus ex peccatore! Qui non ſolum de ſe, ſed etiam de proximis ſuis ſollicitus, orabat pro illis aſſiduè. Orabat pro illis & pro illis timebat. Sciebat enim quod ita pro proximis ſicut pro ſeipſo erat agendum: & quod ſibi & proximis fuerat præmium expectandum. Timoratus igitur ex præteritorum memoria peccatorum, & ex legis obſervatione, & ex fidei operatione, atque pia compaſſione
B proximorum iuſtus, iuſtè perhibetur in eo eſſe Spiritus ſanctus. *Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Christum Domini.* Sicut neſcimus ubi & quando acceperit, ita quod acceperit, & à quo & quomodo acceperit certi ſumus. Nam fide & dilectione, multiplici prece, aſſidua oratione, & bonorum aſſertione operum hoc reſponſum meruit a Spiritu ſancto, & obtinuit promiſſum. Hoc ipſum ſpiritualiter unaquæque fidelis anima à Spiritu ſancto percipit, ſe videlicet non viſuram mortem, niſi prius videat Salvatorem. Vidit Simeon corporali intuitu Chriſtum in carne, & corporaliter habuit præſentem. Et nos obtutibus mentis & fidei illum in ſuis ſacramentis videmus manentem in nobis, & operantem. Nam niſi quiſque ante mortem corporis ſpirituali gratia cerneret, & haberet Deum, morte damnaretur æterna. Vidit Simeon oculis corporis Chriſtum hominem, & corde & corpore Dei in homine adoravit ma-
C ieſtatem. Et nos quidem in baptiſmate oculis carnis aquam videmus, & in aqua Chriſtum ipſum oculis animæ præſentem cernimus, & in ipſo totam Trinitatem. Sicut enim tota Trinitas affuit in baptiſmate Chriſti, ſic tota Trinitas firmiter adeſſe creditur & in baptiſmate Chriſtiani, in quo non ſolum cernimus Chriſtum, ſed ipſum induimus. *Et venit in Spiritu in templum.* Si quæritur, in quo ſpiritu Simeon iuſtus in templum venerit, utique in Spiritu Sancto, qui ſecundum Evangelicam veritatem in eo erat. Verè Spiritus ſanctus, quo ductus eſt Ieſus in deſertum, in Simeone erat: & Simeon in eius virtute venit in templum. *Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas.* Et hoc ſiquidem iuſta Domini diſpoſitione factum contigit, ut cuius divinitati longo tempore iuſtus iſte cordis devotione ſervierat, nunc tandem quaſi in ultimo poſitus, eius corpori corporis deſerviret officio: & ſic piam vitam digna morte fini-
D ret. *Et benedixit Deum.* Benedixit Deum, ei ſcilicet gratias agens, benedici ab eo meruit. Benedicere Deum, eſt optare à Deo benedici, & ei gratias agere. Sciebat beatus ſenex per Spiritum ſanctum, quo erat ipſe repletus, per Chriſti incarnationem, & originale peccatum eſſe ſibi dimiſſum, & quem per ſe contraxerat reatum. Vnde exultabat interius, & exterius gaudebat, dicens: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace.* Se ſervum dicit, & Chriſtum Dominum vocat: ſervum utique illius, & dimiſſum, ſecundum quod ei ille promiſerat. Propheta ſanctus miſſus creditur & dimiſſus. Quo miſſus? unde dimiſſus? dimiſſus à tribulatione ſæculi, à prima tranſgreſſione, à propria offenſione, & in pacem miſſus. Nemo enim pacem, quam Simeon habuit, habere poteſt, niſi ab hoc ſæculo alienus fiat, & à peccatorum pondere fuerit abſolutus. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Quem corporis oculis videbat hominem, corde credebat & voce confitebatur mundi Salvatorem. Huius itaque venera-
bilis ſenis cordis intentio, ad ſuam ipſius iuſtitiam pertinebat, & eius oris confeſſio, ad proximorum ſalutem. E
Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Hoc ſalutare Dei paratum, id eſt, ad ſalutem omnibus propoſitum: omnes populi, nec corporeis, nec ſpiritualibus oculis viderunt. Sed ideo *ante faciem omnium populorum* paratum dicitur, quia ex omnibus populis crediderunt in Chriſtum: & credentes eum, oculis conſpexerunt. *Lumen ad revelationem gentium.* Hoc enim lumine, gentes quæ Deos colentes alienos ſe à facie Creatoris abſconderant, revelatæ ſunt: hoc lumine, quæ perditæ fuerant, ſunt inventæ. Hoc etiam lumine illuminatæ ſunt: quia hoc lumine, lumen fidei perceperunt. Chriſtus lumen eſt: qui non ſolum gentes illuminat: ſed lumen omnium qui illuminantur, ſive in anima interius, ſive exterius in corpore. De hoc lumine dicit Propheta: *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtra non* *Pſal. 33.*
confundentur. Quæ enim fiunt in tenebris, mala ſunt, & F
digna confuſione. Vnde Dominus in Evangelio dicit: *Omnis qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, ne eius mala opera manifeſtentur.* Lumen paratum ad re- *Ioan. 3.*
velationem gentium, paratum eſt & ad gloriam plebis Iudæorum. Plebs iſta valde illuminata eſt, & ſpecialiter ſua eſt: quia præ cæteris nationibus electa eſt. De plebe iſta Patriarchas, & Prophetas, Apoſtolos ſanctos elegit: & de illis qui in plebe iſta erant, cuſtodes pecorum, rectores populorum, & dominos fecit. Legem, promiſſiones, multum per omnem modum, quod Apoſtolus Paulus teſtatur, huic populo dedit. Præter cætera & ſuper omnia quæ eis dederat, de ipſis elegit matrem, & de eorum carne carnem aſſumpſit. Caro ſiquidem omnium hominum una eſt, & de uno limo facta. Sed magis in plebe Iſraëlitica Chriſtus carnem accipere voluit ad maiorem eorum gloriam, quam in alia gente. In hac igitur carne eius honorabilis mater virgo eum concepit, & peperit, & cauſa ſalutis, & humilitatis exemplo obtulit in templo hoſtiam vivam & viviſicantem in odorem ſuavitatis. Verè bona Maria peperit Chriſtum, & in Chriſto peperit Chriſtianos. Eſt itaque mater Chriſti, mater Chriſtianorum. Si mater G
Chriſti, Chriſtianorum mater eſt, patet profectò, quia fratres ſunt Chriſtus & Chriſtiani. Nec ſolum Chriſtus Chriſtianorum frater eſt, ſed pater omnium hominum & præcipuè Chriſtianorum. Et nos quidem Chriſtiani ſumus: & voluntate, malitia & multiplici malignitate à tanta fraternitate facti degeneres, tanti patris nos indignos fecimus hæreditate. Vnde ad matrem ipſius, & per ipſam ad ipſum recurramus, qui pia & miſericordi diſpenſatione matrem ſuam noſtram eſſe voluit, ut nobis in noſtra neceſſitate ferret auxilium. Et quoniam redemptorem noſtrum paratiſſimum ad ignoſcendum novimus, & eius gloriam Matrem habemus, ſi volumus, in adiutorium, non eſt nobis iacendum in peccatis, ſed citius reſurgendum: Et quia noſtris meritis hoc minus, immo, nihil penitus agere poſſumus, aliunde quæramus conſilium. Solummodo & miſericordia redemptoris, & eius matris auxilio, nobis reſtat agendum. Et ideo, fratres, nos miſeros, & infelices humiliter confiteamur, & cum timore H
pariter & dilectione oremus bonam Domini matrem Mariam piam virginem, ut nobis peccatoribus non indignetur, quam nunquam, ut dignum eſt, honoravimus, ſed multis iniuriis provocavimus ad iram. Non ſit memor iniuriarum, ſed quo nos genuit amore vincatur, & matris pietate circa nos hæreat, quaſi iam pro peccatis deputatos ad pœnam. Suſcipiat cauſam noſtram piiſſima mater, & negotium noſtrum agat, nobiſque auxilietur, ut nos à morte peccatorum eius auxilio ſuſcitatos, inducat cum lumine fidei & ſapientiæ in templum gloriæ cœleſtis, & offerat filio ſuo, & ad pedes eius nos ponat: & in Hieruſalem, quæ pacis eſt viſio, cum iuſto Simeone ſuis piis precibus faciat permanere: Quod ipſe Filius Dei, & Filius Virginis Ieſus Chriſtus Dominus noſter nobis donare dignetur, qui unus Deus una & æquali gloria & maie-

A ſtate cum Patre ſuo & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

In omni feſtivitate B Mariæ Matris Domini.

SERMO VIII.

Diem iſtum, fratres, meritò celebramus feſtivum, quem ad honorem glorioſæ matris Domini beatiſſimæ & incomparabilis virginis Mariæ novimus conſecratum. Hæc eſt enim, quæ ſola virgo concepit, virgo peperit, & poſt partum virgò mente & corpore inviolata permanſit. Sicut radius ex ſtella procedit, ſic Dei Filius proceſſit ex Maria. Nec ſtella radio prodeunte corrumpitur, nec beata Mater filio naſcente violatur. Sanè huius virginis partus deificus ei quidem fœcunditatem attulit, & ſalvam fecit eius virginitatem. Et ſicut voluit ut veraciter in ea fieret B una perſona ipſe Deus & homo: ita voluit ut ipſa fieret una perſona Mater & virgo. Hunc itaque partum beatum dicamus, immo beatiſſimum certa fide credamus, quem ſingularis & honorabilis regina cœlorum virgo Maria mundo protulit, non mundi meritis, ſed Dei gratia. Verum Dei Filium, verum hominem hæc virgo ineffabilis ineffabiliter concepit & peperit, in ſua conceptione & partu ſatis amplius ſanctitatis & incorruptionis percipiens, quàm ante ſuſceperit. Vnde Dei Filio hæc ſancta virgo tantùm placuerit, ſi quæratur, dilectione videlicet & humilitate, qua prima Domino virginitatem devovit. Ipſa enim Dei ſapientia dicit, *Ego diligentes me diligo.* Verè dilexit Dei ſapientia Mariam, & Maria dilexit, & multùm dilexit Dei ſapientiam, Deum ſcilicet Dei patris filium. Dilexit quidem alter alterum, ſed Deus ampliùs dilexit, qui ampliùs diligere & novit & poteſt. Dilexit utique eam ſuper beatam ſocietatem Apoſtolorum, Angelos C & Archangelos, & ſuper omnes virtutes & poteſtates cœlorum. Ad hanc beatiſſimam virginem Deus pater ex ſe genitum Filium miſit, ut ipſe Dei filius, virginis etiam filius fieret & ſponſus. Hoc pater diſpoſuit caritate, Filius voluntate complevit, Spiritus ſanctus perfecit, ſanctificavit & ornavit, id eſt, ab omni corruptione peccati mundavit virginis uterum, & multiplici ſanctitate replevit. Ibi tanquam in aula regia Deus qui omnia ante creaverat, ſeipſum creavit in Maria. Nemo miretur quod ſponſum Mariæ eius Filium diximus. Nam pater & ſponſus huius virginis, eſt filius eius. Pater planè, quia ab ipſo creata eſt; filius, quia natus ex ea; ſponſus, quia ei caritate coniunctus. Mirum coniugium, ſed fide & pietate mirandum, ubi virgo mater extitit, virginitas uxor, maritus Spiritus ſanctus, per aurem conceptio, conceptionis interpres Angelus, ſemen Chriſtus, proles virginis filius Dei. In hac utique ſacroſancta commixtione, non caro carnem carnaliter tetigit, ſed Deus pater ſapientiam ſuam viſceribus D virginis infudit, quæ & in virgine matre carnem aſſumpſit, & ſuam beatiſſimam matrem incorruptam ſervavit, & per virgineum corpus egrediens verbum, quod Maria verbo concepit Angelico, verus Deus in vero homine apparuit. Aſſumpſit verè in vera virgine verus Dei Filius Chriſtus Dominus totum hominem, animam ſcilicet & carnem. In hac carne natus eſt homo pro homine. Hac in carne hominem in cruce redemit. Hac in carne Chriſtum homo peremit. Homo quidem & in anima & in corpore redemptus eſt: ſed hæc caro Domini fuit pretium ſuæ redemptionis. Carnem ſuam in ſpecie panis diſcipulis ſuis in cœna, quam ante paſſionem ſuam cum eis noviſſimam fecit, manducandam donavit. Vnde illis aſſeruit dicens, *Hoc eſt corpus meum.* (*Lu. 22. 19.*) Et quia de ſuo proprie proprio corpore diceret, ſubiunxit, *Quod pro vobis tradetur.* Nemo hæſitet ſuper hoc, quod Chriſtus in carne ſua diſcipulos cibaverit ſuos, cum cibus iſte animarum ſit potius intelligendus, quàm corporum. Nam ſi caro Chriſti animarum tantùm cibus non eſſet, poſt cibos E corporum Chriſtus eam diſcipulis nequaquam dediſſet. Morte ſuæ carnis redemit ſuos, ſuorum etiam animas eadem carne ſpiritualiter pavit. Fecit enim Deus quod voluit, & quod voluit, facere potuit. Alioquin Deus omnipotens non eſſet, ſi aliquid vellet facere, quod minime poſſet. Qua autem ratione hoc Deus fecerit, non eſt opus diſputatione: ſed fides adhibeatur, & ſufficit. Fide etenim hæc opera Dei noſcuntur, non ſophiſtica contentione. Hanc ſuam veraciter carnem ipſe ſuſcitavit à mortuis tertià die omnipotentia divinitatis: illam videntibus Apoſtolis elevavit in cœlum: in hac ad iudicium veniet cum poteſtate magna, & maieſtate. Deum in hac carne videbunt impij, non in ea humilitate, qua pro ipſis, & ab ipſis iniuſte iudicatus eſt: ſed in ea ſublimitate, qua pro ſuis eos ſceleribus iuſtè iudicaturus eſt. Videbunt, inquam, illum quos ipſe dilexit, & quem ipſi oderunt, ſuum videlicet redemptorem, & ante ſui redemptoris conſpectum per- F ibunt. Iuſti autem, ſuper id quod dici, vel cogitari poteſt, ab auditione bona lætabuntur, & exultabunt. Audient enim ipſum Dei filium vocantem eos, & dicentẽ, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* (*Matt. 25*) Illo utique die homines qui in hoc ſæculo humiles ſunt & obedientes, patriã illam cœleſtem & ſupernam, duce ſuo capite Chriſto, cum honore magno & exultatione intrabunt, unde ſuperbi & inobedientes Angeli cum verecundia magna & confuſione ceciderunt. Ibi videbunt homines Deũ facie ad faciem, ſicuti eſt: & donabitur eis vita, ſalus & gloria ſempiterna, quæ Deus eſt. Beata autem Maria mater Virgo, & ſponſa intacta, ibi piiſſima apud piiſſimum filium ſuum obtinebit, ut nemo illorum pereat, pro quibus vel ſemel oraverit. Nec mirum: quia univerſum ſuis precibus mundum ſalvare poteſt, ſi ipſa voluerit. Et ipſa quidem pro univerſo mundo paratiſſima eſſet ad precandum, totúſque mundus ſalvaretur, ſi precibus eius ſe faceret dignum. Hæc veraciſ- G ſimè apud omnipotentem filium, ut diximus, orando poteſt quidquid deſiderat: ſed pro illis, qui ſemper peccare deſiderant, nullatenus orat. Nam qui huiuſmodi ſunt, Deo placere ulla ratione non poſſunt. Pro talibus nullus ſanctorum ſupplicare præſumit: nec eis eleemoſynæ ad conquirendam vitam æternam, nec ſacrificia proſunt. Vnde princeps Chriſtianæ doctrinæ Paulus Apoſtolus dicit: *Poſt acceptam notitiam veritatis voluntariè peccantibus nobis iam non relinquitur hoſtia pro peccatis*, (*Hebr. 10*) ac ſi diceret, nullus baptizatus poſt peccatum Deum ſibi reconciliare poterit, quamdiu in peccati voluntate permanſerit. Cæteri ſiquidem ſancti dominum Deum orant, & orando impetrant: ſed honorabilis Virgo Maria ſi illum ex eo quòd Deus & Dominus eſt, exorare meritò creditur, ex eo tamen quòd homo eſt, & natus ex ea, quaſi quodam matris imperio apud ipſum impetrare quicquid voluerit pia fide non dubitatur. Nam ſi quilibet ſanctus apud iuſtum H iudicem Deum obtinet quicquid ſibi iure debetur, hæc quæ eſt mater iudicis & omnium ſanctorum Domina, iure matris nunquam fraudabitur. Hoc eſt enim materni iuris apud filios dignitate ſublimes, ut ſi eos matres eorum ſæpius rogent, quia Domini ſunt, eis etiam aliquando quaſi imperent, quia filij ſunt. Bonum utique naturæ, quod Deus hominibus dedit, nunquam ſibi, qui eſt ſummum bonum, & à quo bona cuncta procedunt, negabit. Et quod hæc beatiſſima virgo mater Domini feciſſe legitur in terris, immeritò facere dubitaretur & in cœlis. Nam vino deficiente nuptiarum in Chana Galilææ, dixit mater Ieſu ad Ieſum, virgo videlicet Maria ad Filium, *Vinum non habent*, (*Ioan. 2.*) ac ſi ei ipſa præciperet, ut ipſe faceret, quòd qui non habeant vinum, haberent. Hoc bona mater pietate quidem præcepit, quod bonus filius pia obedientia complevit. Nihil in huius virginis laudibus hæſitemus: honorat ſiquidem filium qui laudat matrem: ſine cuius laude Deo placere impoſſibile eſt, & cum laude eius ei diſplicere nemo poteſt. Hanc igitur ſanctiſſimam

A & admirabilem virginem laudemus, quia virginis filio placere ſine matris virginis laude non poſſumus. Diligimus eam ſicut cariſſimam Domini matrem, quam ipſe diligit ut propriam carnem. Cuius etiam laudabilem virginitatem adeo approbare & honorare diſpoſuit, ut quoſdam magis de ſuo ortu : quàm de eius virginitatis integritate dubitare voluerit. Hæc eſt dulciſſima mater Virgo Maria, quæ mortis peperit mortem, vitam hominis, diaboli confuſionem, abſolutionem peccatorum, omnium iuſtorum beatitudinem. Res mira, ſed cum gaudio & fide miranda. Homo qui eſt ex hac virgine natus, non ſolùm hominum res eſt ſed Angelorum & omnium cœleſtium virtutum creator & dominus. Hæc eſt cui Angeli ſerviunt, Archangeli famulantur : omnis etiam militia cœleſtis exercitus hanc Virginem laudat & veneratur. Hæc ſola poſt Deum ſuper omnes creaturas obtinet principatum. O B quàm venerabilis, quàm ſublimis hæc beatiſſima mater, cuius filius, quamvis omnipotens Deus ſit, ei tamen nihil unquam negare potuerit! Hæc virgo tam ſancta, tam glorioſa, tam honorata, à Deo tam ſublimata, ita eſt humilis, ita compatiens, ita miſericors & pia, quòd propter animam peccatricem, & iam pœnis deputatam æternis, ſeveritati diſtricti iudicis ſe oppoſuerit peccatricem. Chriſtianus etenim quidam Theophilus nomine, ſicut veraciter legitur, ſuis infortuniis adeo deſperatus fuerat, & ſeductus à quodam Iudæo, quòd Chriſtum dominum & eius ſanctiſſimam matrem negaverat, Chriſtianæ fidei renuntians, quam ſuſceperat in baptiſmo, & ipſum diabolum adorans; huius deteſtabilis operationis ei fecerat chartam proprio annulo ſigillatam. Poſteà verò divinæ pietatis miſeratione compunctus, ad miſericordiſſimam Domi- C ni matrem Mariam piiſſimam virginem conſilium & auxilium petiturus ſe convertit : ſecum meritò reputans, quòd nullus Sanctorum, nec Angelus, nec quælibet cœlica virtus tantùm poterat apud Deum, quantùm mater eius. Hoc etiam mente pertractans, quòd filius matris iniuriam graviùs vlciſcitur quam ſuam: & nulla ratione inultam dimitteret, niſi priùs ipſa pro ſuo injuriatore rogaret. Glorioſæ itaque virgini matri miſericordiæ amaritudinem peccati amarè lacrymans confitetur : pectus verberibus vrget, gemitibus ſupplicat continuis, eam deprecatur aſſiduè, ſed cordis potius intentione, quàm verbis. Mater autem pietatis diligenter audiamus quid fecerit. Conſolatur utique peccatorem, & quaſi ſuum quodam compaſſionis affectu faciens peccatum, cauſam peccatoris ſuſcipit, pro eo peroratura ad iudicem. Perorat miſericors mater pro miſero ad miſericordiam filium : miſericordia à miſeria liberat miſerum. Lacrymatur peccator iſte, vt diximus, ſed amarè. Mater pro peccatore filio D ſupplicans accedit : filius reſpicit peccatorem : à peccator peccatum diſcedit : ut decepti hominis chartam reddat diabolo deceptori virgo potenter imperat : invitus & confuſus criminator obedit : homo per manum Virginis chartam recipit abſolutus : & ubertim lacrymas fundens præ gaudio, Deo & eius beatiſſimæ matri laudes non modicas, & multiplices gratiarum actiones rependit. Hæc eſt laudabilis, & univerſalis imperatrix Angelorum & hominum virgo ſanctiſſima, quæ licet à creatore omnium creata ſit, in ipſa creator ipſe factus eſt creatura. Filia quidem Dei, ſed Dei ſimul & hominis mater incorrupta. Hæc poſt filium ſuum eſt præcipuum refugium peccatoribus, quò poſt lapſum fugiant, conſilium, ut pœniteant, auxilium, ut cõvertantur ne pereant. Nulla tã gravis eſt peccati vel criminis plaga, cuius non ſit, ſi ipſa voluerit, medicina. Confeſſionem & pœnitentiam in hominibus deſiderat peccatorum, ut pro illis occaſionem habeat deprecandi. Huic igitur excellentiſſimæ ac piiſſimæ matri Domini ſemper virgini Mariæ humiliter ſupplicantes, quod malè fecimus confiteri nulla occaſione differamus, & per ſupplicabiles ipſius preces, nos & omnes actus noſtros Domino commendemus, ut ad ipſum qui & peccantibus iuſtè iraſcitur & pœnitentibus miſericorditer indulget, pervenire mereamur, E præſtante eo qui pro nobis ex ea factus eſt homo Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

In feſtivitate B Mariæ Magdalenæ.

SERMO IX.

AVdivimus, fratres, cùm Evangelium legeretur, quia quidam Phariſæus rogavit Dominum, vt manducaret cum illo. Cuius ſuperbiam licet non ignoraret Dominus qui omnia novit, Phariſæi tamen domum ingreſſus eſt, & ſic diſcubuit. Vnde prudenter conſiderandum eſt quantùm Deus charitatem diligat, qui nec in ſpeciem caritatis refutat. Phariſæus namque valdè ſuperbus erat, & idcircò caritatem habere non poterat. Dum igitur Dominum, ut ſecum manducaret, F rogavit, non virtutem quàm non habebat, ſed ſpeciem caritatis exhibuit. Inter hæc *mulier quæ erat in civitate peccatrix ut cognovit quod* benignus *Ieſus accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, ſtánſque retro ſecus pedes domini, cœpit* humiliter *lacrymis rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergere & oſculari.* Ac deinde *unguento* quod attulerat, *ungere non ceſſabat.* Luc.7. Iſtam peccatricem fœminam nulli dubium eſt, Mariam fuiſſe Magdalenam, quæ prius quidem extitit famoſa peccatrix, ſed poſtea facta eſt glorioſa prædicatrix. Hæc ut cognovit Salvatorem eſſe cum Phariſæo, humilem videlicet cum ſuperbo, elegit magis de pietate Salvatoris confidere, quam auſteritatem Phariſæi formidare. Formidabat ſexus fragilis Phariſæum, hominem ſine miſericordia, & nimis aſperum, qui mulierem aſpernabatur, & alienam à ſalute credebat, & ab ea tangi penitus dedignabatur. Sed fons bonitatis G & pietatis origo Deus humilis, qui humiles peccatores quærebat, non ut damnaret, ſed ut iuſtificaret, mulierem peccatricem non deſpexit, nec ei ſuos ſubſtraxit pedes, ſed tradidit, & eius obſequium multum gratanter ſuſcepit. Illa verò quando primum acceſſit ad dominum, attentiùs audiamus quid fecerit. *Retrò ſecus pedes ſtetit, & flebat :* quia quamvis de miſericordia Domini plurimum præſumeret, accuſatrix peccatorum conſcientia eam vehementer vrgebat. Hæc itaque peccatrix dum dilectio dat ei ſpem, & memoria peccatorum ſuorum incutit timorem, dubitavit pene quid faceret : quoniam & ad Chriſtum accedere propiùs recordatio criminum & timor eam retardabant, & ab illo abſtinere diutius ſpes & dilectio prohibebant. Timore tandem bonæ ſpei concorditer ſociato, ambo duces peccatricis mulieris fiunt, & eam pariter uſque ad tenendos ipſos pedes multum benigni Salvatoris adducunt : ubi illam devotione proſternentes feliciter H commendarunt. Beati tales duces, qui ſemper ducunt ad Chriſtum : & beata peccatrix, quæ talem meruit habere ducatum. Spem atque timorem, dilectiſſimi, ita alterum alteri neceſſarium eſſe cognoſcamus, quòd unum ſine altero nunquam nobis prodeſſe credamus. Timor utique ſine ſpe, eſt deſperatio : & ſpes ſine timore, ſtulta præſumptio. Ecce mulier peccatrix pedes tenet, quos tenere diu deſideravit : ſuper alios ipſos lacrymas fundit. Non ibi eam locutam fuiſſe legimus, ſed lacrymatam : & tamen optimè locutam credimus, ſed lacrymis, potiùs quam verbis. Valde namque fructuoſa eſt apud bonum Deum locutio lacrymarum. Dum mulier ore tenet ſilentium, lacryma agit negotium : & dum lingua ſilebat, lacryma meliùs confitebatur, & decentiùs perorabat. Meritò ſancta peccatrix dum flevit, tacuit : ne fortè minus diceret quod nequiter egit. Satis ſunt vtique meliores lacrymarum preces, quàm verborum. Nam qui verbis precatur interdum offendit : lacryma autem offendere minimè

A novit. Verba aliquando non proferunt totum negotium: lacryma ſemper totum mentis oſtendit affectum. Et ideò mulier iam non utitur verbis, per quæ multos deceperat, ac decipiendo multum peccaverat; ne per verba minus illi credatur ad confitendum, quibus uti conſueverat ad peccandum. Multa enim hominis falſitas eum reddit etiam in veritate ſuſpectum. Vnde maluit cauſam ſuam ante iudicem, quem nec cordis arcana latent, fletibus agere; quod voce deliquerat lacrymis confitendo delere. Certè Deus ipſe fons miſericordiarum peccatrici fœminæ fontem contulerat lacrymarum: & fons per ſe deficiens non deficiebat, quia fons naturaliter indeficiens illum abundanter irrigabat. Capillis ſuis terſit pedes, quos lacrymis lavit. In quo nobis fortitudinis exemplum monſtravit. Dum enim humiliter flendo peccata & crimina noſtra abluimus, multum neceſſe eſt, ut mentis ratione, quod eſt noſtra fortitudo, non ſolum crimina, B verum etiam peccata deinceps vitemus. Lacrymæ itaque non verbo, ſed opere peccatorum prædicant extinctionem: & terſio capillorum, quia poſtmodum peccata vitare debemus, fortitudinis indicat actionem. Capilli licet ſuperfluere capiti videantur, in ipſis tamen aliquando hominis fortitudo figuratur. Quod in Samſone illo fortiſſimo apertè monſtratur, cuius maxima fortitudo in capillis fuiſſe refertur. Vnde Salvator etiam diſcipulis ſuis loquitur, dicens: *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Non illos utique capillos eſſe numeratos, qui vel ferro attonderi, & projici ſolent, vel temporis ætate defluere ac perire, dicit: ſed virtutes animæ, & multitudinem ſenſuum, qui de principali mentis, quaſi de capite Apoſtolorum producebantur, capillos capitis appellavit. Iſti profectò capilli in Nazaræis erant: iſtis, ut ita dicam, funibus alienigenas alligabant. Pedes, quos lacrymis laverat, & capillis, ut diximus, terſerat, oſculatur. Oſculum familia- C riſſimum pacis eſt, atque concordiæ ſignum. Ecce quantus eſt fortitudinis fructus, & lacrymarum. Pacem & concordiam firmat inter multum ream ancillam, & iuſtiſſimum iudicem Deum. Vere multum ream, ſed multum glorioſam hanc fœminam dicam. Non quidem inde glorioſa eſt, unde rea: quia multum rea cùm peccando Dominum contempſit: ſed multum glorioſa, cùm illum dilexit. Hæc mulier dum Domini pedes vnguento, quod ſecum detulerat, vnxit, odorifero medicamento ſuæ bonæ actionis, quam per univerſum mundum longè, latéque diſperſit non ſua tantum, verùm etiam multorum vulnera peccatorum mitigando ſanavit, & quotidie ſanare non deſinit. Quis enim peccata Mariæ audiens poterit amplius veniam non ſperare, ſi perfectè pœnitere voluerit? Impium eſt credere, ut ad pœnam deputetur æternam, qui vel poſtea quàm peccavit, pœnitet, & Domini mandata cuſtodit. Hæc, inquam, peccatrix à ſeptem dæmoniis poſſeſſa legitur, D id eſt univerſitate vitiorum plena fuiſſe perhibetur. Sed cum ad miſericordiſſimum Dominum compuncta corde revertitur, immo ab ipſo ad ipſum miſericorditer trahitur, ſtatim peccatorum & criminum ſordibus purtur: & quæ prius fuerat poſſeſſio dæmonum, gratia Spiritus ſancti tota repletur: Ac ſi ex miſeranda peccatrice felix diſcipula facta, in omni ſua vita deinceps Domino diligenter obſequitur. Inter obſequia, quæ ſancta fœmina illi exhibuit, licet univerſo ſit mundo notiſſimum, irreligioſum credidi ſilentio præterire. Cùm ipſe Dominus & Salvator noſter Ieſus Chriſtus cum diſcipulis ſuis in domo Simonis cœnaturus recumberet, hæc ad illum mulier acceſſit, atque, prout bene conſueverat, vnguentum detulit, & quod ipſi Apoſtoli minimè præſumpſiſſent, ſuper caput ipſius illud cum magna devotione effudit. O quam beata mulier, quæ humilis peccatrix antea cum timore Domini pedes unxit, poſtmodum non minus, quam ipſe Petrus, ſui creatoris ardens dilectione caput eius ungere meruit. Illum ſiquidem Petrus negat, quem mulier prædicat: & quia Deus eſt univerſorum, myſti- E ca vnctione deſignat. Hæc eſt, inquam, illa bona fœmina, quæ prima cum puræ dilectionis ſtudio ad monumentum venit: hæc eſt illa veraciter, quæ ibi beatas lacrymas flevit. Huic Chriſtus ſurgens à mortuis primum apparuit: & hæc illum ſurrexiſſe Apoſtolis prima nuntiavit. Hæc eſt peccatoribus forma pœnitentiæ, ſpes veniæ; quæ peccatorem etiam multis criminibus reum deſperare non patitur, ſi tantum admiſſorum pœniteat, & corde ad Dominum convertatur. Hæc præterea non ignorat humanam fragilitatem, pro qua divinam pietatem inceſſanter exorat. Hanc ſpecialiter poſt Dominum, & eius ſanctiſſimam matrem, mirabilem & incomparabilem Virginem, lacrymis potius imploremus quam verbis: vt quæ, Domino propitiante, ſuorum veniam lacrymis obtinuit delictorum, ſancta interceſſione ſuum propitiatorem nobis peccatoribus propitium reddat: & peccatorum remiſſione percepta, nos intra ianuam recipiat para- F diſi, illiúſque divino conſpectui ſanctos & immaculatos exhibeat. Hæc ſpecialiter, vt diximus, à nobis eſt invocanda: hæc ut nobis patrocinetur, humiliter & frequenter deprecanda. Nam quid ſit magis neceſſarium peccatoribus experimento didicit, quomodo per ſe ruit humana fragilitas: quomodo ex divino auxilio reſurgit: quicquid eſt intus, & quicquid extra, cognovit. Hæc divini adhuc ignara myſterij, prius quidem peccando corruerat, ſed de ſuo caſu ſe contra ſe erexit fortiorem, quam ſi peccando nomine cecidiſſet. Quæ enim vincula peccatorum non relaxaret fuſa ſuper pedes Salvatoris ſanctarum inundatio lacrymarum? Cuius plagam criminis non ſanaret illa cum tanta devotione celebrata capitis vnctio redemptoris? O quàm pura, quàm provida extitit huius pœnitentis intentio, cui licet pius Dominus quidquid deliquerat, dimiſiſſet, quaſi odiſſet, propriam deinceps perſecuta eſt carnem, continuis caſtigans eam ie- G jiuniis, & longa orationum & vigiliarum aſſiduitate fatigatam legi mentis ac rationis diligenter ſubjiciens. Non quia ſancta caro ſpiritui repugnaret: ſed ſic agebat, vt de ſua carne non quotidianam dico, ſed aſſiduam hoſtiam laudis ſuo propitiatori offerret. O quam venerabilis diſcipula veritatis, quæ poſt perceptam à Domino Ieſu Chriſto abſolutionem omnium peccatorum poſt eius reſurrectionem & aſcenſionem in cœlos, & ſancti Spiritus adventum, declinans invidiam Iudæorum & patriæ vltimum valedicens, pro ſui conditoris amore ſuſcepit gaudens exilium. Eſt itaque de propriis egreſſa finibus, Dominum Ieſum Chriſtum Deum verum aſſiduè prædicans & eius reſurrectionis teſtificans veritatem. Manſit uſque ad exitum vitæ, in hac veritatis aſſertione perſeverans. Hæc ſancta mulier corrigendis hominibus præbuit correctionis documentum, & correctis virtutis exemplum. Huius oratio eſt medicina peccati: eius lingua pia oſtiaria facta cœli. Omni perfectè pœnitenti ianuam aperit: nullus ab H ea peccator excluditur, niſi qui impœnitens intrare noluerit. Hui igitur glorioſæ fœminæ, fratres mei, animas & corpora noſtra tota intentione ac virtute cõmendemus: quatenus eius ſuffragiis & interceſſionibus intra illam beatitudinis januam recipi valeamus, & ad ipſum, ad quem iam feliciter pervenit, & nos pervenire, eúmque videre & habere mereamur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

De Latrone ſalvato in Cruce.

SERMO X.

IN Paſſione noſtri Salvatoris latro ille, qui in ſiniſtris poſitus fuerat, & adulabatur Iudæis, & conviciabatur Chriſto, malam vitam peiori morte finivit,

&

A & recepit ſicut meruerat. Et ideo diu loqui de eo inanis labor eſt, & mora inutilis. Loquamur igitur de alio, de quo loqui & materia fidelis eſt, & cauſa ſalubris. Hic vero in dextris poſitus, non quia crediderat Chriſto, patiebatur; ſed credidit, dum pateretur. Chriſtum hominem crucifixum clavis in cruce, toto corpore tenſum vidit aſpectu corporeo, & in ipſo ſpinarum vulnera, ſanguinem de membris radiantem, & ſola ſigna afflictionis & mortis, ſicut in homine mox morituro? Concepta autem & nata in eo fide, operante Spiritu S. Angelicis oculis immortalem & divinam in Chriſto contemplatur maieſtatem: admiratur, adorat, laudat, & confitetur. De cruce pro fide pugnat, ſocium increpat blaſphemantem, & in eo Iudæorum, qui aderant, infidelitatem arguit; nec blanditur eis, nec eos veretur. Mirabilis divina potentia! Crux quæ ante ad ſupplicium gerebatur, iam ſuffragatur ad præmium: & reus, qui pro ſuo ſcelere damnabatur in cruce, de reatu ſuo antidotum, quo ſanatur, B conficit; & de cruce operatur myſterium. Reatus in pœnitentiam, mortis interitus in æternam vitam commutatur. Iſta quidem felix commutatio; nec eſt inferior illa quæ ſequitur. Latro confeſſor ex latrone efficitur, & martyr ex confeſſore: & tormenta quæ prius in latrone cœperant, nova gratia coronam & præmium martyris ſortiuntur. Huic beato & mirando viro nullum ſalutare defuit Sacramentum. Nam quod per vicarios Chriſtus viſibiliter agit in aliis Chriſtianis, hoc inviſibiliter egit in illo per ſemetipſum. Per Chriſtum itaque baptiſmum in cruce percepit, & cætera fidei Sacramenta. Niſi enim à Chri- *Luc.23.* ſto baptizatus eſſet, & factus omnino perfectus Chriſtianus, ei Chriſtus minimè diceret. *Hodie mecum eris* *Ioan.3.* *in paradiſo.* Iam enim dixerat. *Non intrabit in regnum cœlorum, niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto.* Vir iſte beatus quam perfectus à Deo factus eſt, videamus. Eo tempore venit ad fidem, quo Petrus fidem C deſeruit: & quam Apoſtolus perdiderat, hanc die ſequenti latro invenit. Ad vocem ancillæ primus paſtor Eccleſiæ illum ſe noſſe negat, quem voce publica latro prædicat: & quem princeps Apoſtolicæ electionis ſe etiam hominem noſſe diffitetur, hunc Devm eſſe latro manifeſtè & piè confitetur. Tota illa beatorum Apoſtolorum electio relicto Domino perturbatur & fugit: Latro inter ſævientes Iudæos manet intrepidus; Chriſtum aſſerit innocentem, & ſe reum publicè dicere non erubeſcit, nec ſuum confiteri reatum. A Chriſto itaque veniam poſtulat, precatur miſericordiam, dicens: *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Chriſtus veniam poſtulanti compatitur, *Luc.23.* miſeretur miſericordiam deprecantis: & Devs crucifixos in homine crucifixo latroni ſic loquitur: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Confirmationem utique, quam in die Pentecoſtes Apoſtoli per Spiritum ſanctum ſuſ- D ceperunt, Latro iſte poſitus in cruce primus ſuſceperat, qui nec Iudaicam perfidiam formidabat, & nomen Chriſti perfectus Chriſtianus, pius confeſſor, & martyr glorioſus, non in occulto, ſed palam portabat. Apoſtoli quidem à Chriſto vocati fuerant, & electi, & ſæpe privatim & publicè ab eo vitæ æternæ verba audierant; illum cæcos illuminantem, leproſos mundantem, eiicientem dæmonia viderant, & mortuos ſuſcitantem. Multa præterea, quæ nemo alius facere poterat, niſi ſolus Deus, in illo cognoverant. Illi etiam in eius nomine, quæ ipſe faciebat, & ipſi faciebant. In paſſione vero illius quam eis ante prædixerat, ita conturbantur, quod & illum ignorant, & ſeipſos, quales in eius virtute fuerant, obliviſcuntur. Latro ſanctus nec fidem antè noverat, nec dilexerat ſanctitatem: quippe qui initium bonæ vitæ nunquam perceperat; in morte autem Chriſti fidei cognovit veritatem, quam Petrus præſente corporea divinitate, & ipſum edocente didicerat. Mira res! ubi fidem depoſuit Apoſtolus, latro recepit. Iſte ſi Chriſtum antea cognoviſſet, crediddiſſet utique, & in illo felici Apoſtolorum E conventu non eſſet noviſſimus, qui & in regno extitit primus, & nulli in fide ſecundus. Vtraque autem, & primi electi in Chriſti paſſione negatio, & venerabilis latronis in cruce confeſſio, ex medicinæ cœleſtis venit conſilio. Permiſſus eſt cadere electus, ut unuſquiſque diſcat nulla perfectione de ſe præſumere. Erectus eſt latro, qui lapſus fuerat, ut nullus de ſua imperfectione, ſi tantum pœniteat, & digne confiteatur, valeat deſperare. Hunc Deus virga iuſtitiæ caſtigat, & illum ſuſtentat baculo miſericordiæ. In iſto iuſtis, ne incidant in elationem, timorem incutit, & in illo ſpem tribuit peccatoribus, ne veniant in deſperationem. Dicamus aliquid & breviter quod dici poteſt, & de Petro & de latrone veraciter. Petrus à Chriſto vocatus eſt, & electus eſt: Latro electus eſt, non vocatus. Petrus Apoſtolus & martyr Latro confeſſor & martyr factus eſt. In operibus bonis, in virtutibus, in miraculis, in latronibus, in ligandi & ſolvendi poteſtate, Petrus Latrone longè excelſior: F Latro ſi non maior Petro in fide, non tamen extitit minor. Vterque bonus valdo: ſed Latro eſt in his, quæ diximus, Petro inferior. Quicunque iſtorum minus poteſt apud Deum, ab illo obtinet quod rogat, quod petit, & quod deſiderat. Nos autem & beatum Petrum præcipuum Apoſtolorum & principem, & illum glorioſum confeſſorem & martyrem Dimam nomine, diligenter oremus, quatenus ſuis precibus & meritis apud bonum creatorem noſtrum, & pium redemptorem nobis obtineant, ut ipſe in exitu vitæ noſtræ, animas noſtras à Diaboli poteſtate cuſtodiat: & cum in ſuum regnum venerit, in illam ſcilicet regiam & admirabilem claritatem, qui vivos & mortuos iudicaturus eſt, noſtri meminiſſe dignetur, & unicuique noſtrum dicere, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Qui vivit & regnat unus Deus cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

G

In feſtivitate Beati Benedicti.

SERMO XI.

Licet, dilectiſſimi fratres, aliorum Sanctorum feſtivitates celebrare pio debeamus amore, beatiſſimi patris noſtri Benedicti hæc ſancta ſolemnitas à nobis, quaſi ex debito, præcipuum honorem exigit & devotionem. Glorioſus etenim iſte Sanctus noſtræ ſecundæ regenerationis inventor pariter extitit, & ſcriptor. Monaſtica, inquam, religio quam ipſe inſtituit, ſecunda regeneratio iure nominatur, & etiam pontificali confirmationi non immeritò comparatur. Huius namque vitæ obſervatione & præterità peccata, ſicut in baptiſmate, delentur, & contra futura, velut in confirmatione, Chriſtianus munitur. Hæc beata vita, qui priùs in ſæculari converſatione peccando mortui H fuerant, vivificantur: & hac poſtea, dum correctione diſtricta peccandi licentia moritur, optime munitur anima Chriſtiana, cui ſolummodo facultas bene operandi relinquitur. Huius igitur ſanctiſſimi & honorabilis viri diem feſtum debita veneratione & ſpeciali devotione celebrantes, gaudeamus: de cuius beata & amica ſocietate Angelos & Archangelos, & omnes cœlorum ordines gaudere, & Dei filium collaudare minimè dubitamus. Ex gratia ſupernæ benedictionis, Benedictus benedictum nomen accepit; ſed vir ſanctus gratiæ ingratus non extitit. Nam cùm adhuc puer eſſet, opus quodlibet puerile contempſit: ſed ſolummodo in pio pectore humilitatem, patientiam, & innocentiam retinens, mundi relicta converſatione, ſe totum Domino commendavit. Deſpectis itaque literarum ſtudiis, quibus à parentibus traditus fuerat, ne amor parentum, ſive divitiæ eorum vitæ melioris propoſitum immutarent; eos, tanquam odiſſet, fugiens, cum Chriſti divitias paupere vita lucrari deſiderat; vanum & quaſi impium reputat, quod multis aliis carum & pium videtur. Sic Dei famulus inſpiratione

A diuina repletur: eius adhuc tenera & delicata caro mentis conſtantia & vigore ſpiritus roboratur: & ſi violentia opus fuit, eam ſibi inferre non diſtulit, ut crucifixus crucifixum Dominum ſequeretur. Hunc Domini ſeruum ſola nutrix ſua, quæ eum tenere nutrierat, & quam ipſe ſatis piè diligebat, ſecuta eſt, non quidem ſanctitatis amore flagrans, ſed ei etiam nolenti carnalis affectionis ſtudio miniſtrare deſiderans: Sed vir beatus Deo potius miniſtrare volebat, non ſibi miniſtrari ab homine. Erat tamen in utriuſque pectore pietas; at diverſa valde intentio, licet amica videretur; dum illa carni, ille ſpiritui ſervire meditatur. Ibant ambo ſimul tanquam mater & filius, donec ventum eſt ad locum, qui Effide dicitur. Quo in loco à quodam paupere viro, pro Chriſti amore, pauper Chriſti cum ſua nutrice hoſpes ſuſcipitur. Nutrix vero illius, cum à vicinis mulieribus capiſterium accepiſſet, quo modicum tritici, quod eis pro B Dei amore collatum fuerat, purgare debuiſſet, vas ipſum ſuper menſam non bene collocatum cecidit, & ita confractum eſt, ut in duas partes inveniretur diviſum. Quæ cum præſtitum ſibi capiſterium fractum conſpiceret, & gentem regionis illius tenacem, & importune quod ſuum eſt repetentem agnoſceret, nec omnino haberet unde damnum reparare poſſet alienum; flere cœpit, & domum, in qua hoſpitati fuerant, lacrymoſis vocibus replere. Puer autem pius & ſanctus, cum nutricem ſuam clamantem & flentem audiret pariter & videret, illius anxietatem ſuam faciens compaſſionis affectu, duas fracti capiſterij partes accepit, & cum lacrymis orationis ſacrificium tota mentis devotione Domino obtulit. Quod completa oratione ita ſanum & integrum inventum eſt, ac ſi minimè fractum fuiſſet. Quod religioſa anima omnipotenti Deo gratias referens accepit, & nutricem ſuam ſanctis & humilibus verbis conſolatus, ei capiſterium reddidit, quæ licet ſtupefacta miraculo fuiſſet, illam tamen capiſterium C ſanum vehementer lætificat, quod non mediocriter mœſtificaverat fractum. Rem itaque geſtam cum eiuſdem loci incolæ, non quidem ſine magna admiratione, agnoviſſent, ſuper fores Eccleſiæ, quæ ibi in honore B. Petri ædificata fuerat, vas ipſum ſuſpenderunt: quatenus omnes agnoſcerent, præſentes ſcilicet & futuri, fidelis ſervus Domini Benedictus a quanta perfectione ei cœperit famulari. Templum autem Spiritus ſancti gratia repletum, laudes hominum & vituperationes eorum eodem animo ſuſcipiens, nutricem ſuam occulte deſeruit; deſerti loci receſſum petens amicum religioni. Quò dum tenderet, cuidam monacho, Romano nomine, obviavit; à quo diligenter inquiſitus, piæ voluntatis ſecretum ei tandem ſub nomine confeſſionis aperuit. Cuius devotam Chriſto animam cùm Romanus monachus cognoviſſet, non ſicut invidus ſanctitatis alterius derogator, ſed pius conſiliator ſimul & adiutor extitit: & ei, cuius virtutem iam mente conceperat, religionis habitum tradidit. Cultor D autem Dei, & ſui contemptor Benedictus ad locum, qui Sublacus vocatur, perveniens, inter petrarum ſciſſuras, in quandam arctiſſimam ſpecum ſe contulit; ubi deſideria carnis mentis ratione mortificans, tribus annis nulli hominum notus, excepto Romano monacho, manſit. Romanus vero Abbatis ſui, Adeodati nomine, aſpectibus, horis quibus poterat ſe piè abſentabat, & quem ſuo corpori ſubtrahebat, panem Benedicto portabat. Ad prædictum antrum, quod Dei famulus pro patria poſſidebat, quia nimis gravis erat aſcenſus, Romanus venire non valebat: ſed in rupe, quæ deſuper eminebat, longiſſimum copulaverat funem; in quo panem ligabat, ubi etiam parvum inſeruit tintinnabulum; ad cuius videlicet tintinnabuli ſonum vir ſanctus poſſet agnoſcere, ad ſe Romanum cum pane veniſſe. Sed inimicus amicorum Dei diabolus, quatenus & in Romano ignem caritatis extingueret, & à bona intentione Benedicti animum vel fame cogente revocaret, lapidem iactavit, & quod funi fuerat inſertum

E tintinnabulum fregit. Bonus tamen Romanus opus caritatis, quod cœperat, non reliquit. Omnipotens vero Deus, & Dominus bonus remunerator & pius indultor, cùm beato viro Benedicto, in cuius corde & corpore mundus & flos eius, patriæ cœleſtis amore prorſus aruerat, in hoc ſæculo centuplum reddere decreviſſet; ut prima promiſſione completa, ſecundam, vitam videlicet æternam, perfectus mundanæ imperfectionis contemptor ſe recepturum indubitanter agnoſceret, cuidam religioſo preſbytero, qui ſibi in die Paſchæ cibos parabat, Dominus per viſum apparere dignatur: cumque diligenter ſollicitat dicens: Tu tibi cibos delicatos paraſti, & ſervus meus Benedictus fame cruciatur. Qui licet & locum & illum Domini ſervum ignoraret, ſtatim ſurrexit, & quicquid ad manducandum ſibi paraverat, Dei hominem cibaturus F ſecum aſſumpſit. Et quoniam admonitioni divinæ obedire minime diſtulit, ſancto Spiritu ſui itineris duce carere non potuit. Quo prævio pervenit ad locum, in quo vir ſanctus ſe occultans latitabat. Qui ſoli Deo placere cupiens, non ſolum notitiæ hominum, ſed etiā eorum, quæ in mundo fiebant adeo expers erat, quòd quando Paſcha, vel quælibet ſolemnitas ageretur, penitus ignorabat. Facta itaque oratione poſt dulcia vitæ perennis colloquia, preſbyter, qui ad eum venerat, ſic Sanctum alloquitur. Surge, & ambo pariter ſumamus cibum, quia hodie Paſchalis ſolemnitas celebratur. Cui vir Dei protinus reſpondit. Novi quia Paſcha eſt, quoniam humilitas mea videre te meruit. Honorabilis vitæ preſbyter iterum aſſeruit: Veràciter hodie dies eſt reſurrectionis Dominicæ: abſtinere tibi non licet in tam glorioſa feſtivitate. Propterea à Domino miſſus ſum, ut quem mihi cibum paraveram, tibi debeam miniſtrare. Benedicentes itaque Dominum, & pariter cibum ſumentes, poſt expletam refectionem, & ſanctam collocutionem; quem Deus hominibus exemplum bene vivendi voluit demonſtrare, preſbyter ad Eccleſiam, quam regebat, veniens, nec G potuit occultare, nec voluit. Fama igitur diſcurrente ſanctæ converſationis illius, Benedicti nomen non mediocriter mundo innotuit, quia poſita ſuper candelabrum lucerna latere non potuit, quæ in hominibus peccatorum tenebras fugans, & eorum mentes ſplendore bonæ actionis irradians, in amorem ſui creatoris convertit. Vir iſte laudabilis vitæ, mira ſunt, ſed fidei admiratione miranda quæ in hoc mundo, Domino cooperante, peregit. Nam præter regulam monachorum, ubi invenitur omnis perfectio hominum, quam dictante Spiritu ſancto ſcripſit, nec ipſe quidem minus perfectè vixit, quam docuit. Omnes ſanctos ac venerabiles Patres, quotquot ab initio ſæculi fuerunt, imitatus veraciter agnoſcitur, qui aut æquale, aut opus ſimile, quod illi fecerunt, feciſſe minimè dubitatur. Vnde meritò non omnium iuſtorum ſpiritum habuiſſe tantum, ſed omnium iuſtorum ſpiritu plenus fuiſſe in ſecundo libro Dialogorum S. Gregorij laudabilis vitæ doctoris, qui venerabilem vitam illius ſcripſit, prædi- H catur. Nulla ratione ſilendum eſt, ſed veritate dicendum, quòmodo Romano monacho tunc licebat, ſine ſui Abbatis licentia quodlibet opus bonum patrare, cùm monachis modò non liceat. Hoc utique ſatis agnoſcitur, ſi tempus, & temporis ordo diligenter penſatur. Fuerunt namque ante S. Benedictum Abbates, & Abbatum inſtitutiones, ſicut ante Chriſtum legiſlator extitit Moyſes. Bonam quidem & ſanctam Iudaico populo Moyſes attulit legem: ſed Chriſtus Chriſtiano populo contulit meliorem. Ita ſancti viri illius temporis ſecundum datam ſibi à Deo gratiam monachorum leges ſtatuerunt: ſed pater ac legifer noſter Benedictus, ſicut à Deo maiorem gratiam percepit, ita meliorem legem inſtituit. Nam quicquid illi minus vel amplius faciendum prædixerunt, vel fieri permiſerunt, ipſe poſt illos correxit. Vnde monachis, ut opera bona ſine ſpiritualis patris licentia minimè faciant, idcirco nunc prohibetur: ne quiſquam eorum propriá

voluntatem

voluntatem ſub ſpecie pietatis, vel cuiuſlibet bonæ operationis, ſequatur. Et per hoc maxime qualis & quanta ſit virtus obedientiæ oſtenditur, qua non ſolum mala vitare, ſed etiam à quibuſdam bonis operibus ſubditis abſtinere præcipitur. Cùm igitur alligati funibus obedientiæ, ſubditi ea non faciunt, quæ ſibi bona videntur, neceſſe eſt, ut hi qui eis præſunt, ex ſua parte bona demonſtrent, quæ operentur. Hanc obedientiæ formam Dominus in paradiſo parentibus primis primus inſtituit: qui cùm omnes alias paradiſi arbores eis conceſſiſſet, unam interdixit: quatenus videlicet ipſi agnoſcerent quod Dominum & magiſtrum ſuper ſe habebant, cuius voluntati obedire debebant. Qui non ideo peccaverunt, quod malum eſſet pomum quod comederunt: ſed quia quod bonum erat contra interdictum Domini tetigerunt. Huius obedientiæ virtutem S. Benedictus plenius agnovit, quam ante illum quilibet Abbatum aut noluit revelare, aut minus intellexit. Romanus igitur in illo ſuo facto meritò laudatur, quia iſta & quædam alia monachis tunc licebant, quæ nunc prohibentur. Sunt etenim quædam bona, quæ prius quidem licere poſſunt, ſed illicita poſtea fiunt. Nam monachis illius temporis illa humanitatis opera licebant, quia ſe non ab illis operibus abſtinere promiſerant. Modernis vero ſic illa licere minimè poſſunt: qui nec illa, nec alia bona facere ſine ſpiritualis patris voluntate devoverunt, & fide ſuæ profeſſionis firmaverunt. Quam videlicet ſuæ profeſſionis fidem, ſecundum regulam S. Benedicti, tenendam coram Deo, & Sanctis eius promiſerunt. Licet etiam mulieri, ſi voluerit, nubere; quia ei bene conceditur, ſed ſi virginitatem voverit, & poſtea nupſerit, rea tenebitur. Bonum eſt tamen coniugium, ſed coniugio virginitas melior. Sic Sanctorum præcedentium patrũ omnis inſtitutio eſt quidem bona, ſed venerabilis Benedicti longè præſtantior. Quæ ante illum patres ſancti conſtituerunt, velut lex Moyſi, dura & aſpera fuerunt. Sapientis vero Benedicti inſtitutio ſancta, ſuavis, & levis eſt: & matre virtutum diſcretione videlicet plena. Antiquorum ſanctio patrum, quaſi veteris legis cultores habuit. Plus autem & diſcretus Pater Benedictus illorum ſtatuta tanquam duræ legis auſteritatem temperans, nos novæ gratiæ filios procreavit. Illa quaſi vetera pene vel penitus omnia tranſierunt: & ecce à S. Benedicto facta ſunt nova. Illa etiam tanquam umbra & figura futuræ monaſticæ vitæ fuiſſe videntur; ſed per laudabilem patrem Benedictum, cooperante Spiritu ſancto, eſt veritas revelata. Ipſe tamen pro magna ſua humilitate S. Baſilij & præcedentium vitam & opera Patrum, vel ſua tacens, vel quaſi modica dicens, laudat & miratur. Bonus optimum diſcipulus Magiſtrum imitatus, qui taceri præcipiebat, cùm ea, quæ ſine ipſo nemo alius facere poterat, operabatur. Et quidem illi noſtri ſancti prædeceſſores, qui nos præceſſerunt ad ſidereas manſiones, & religioſè vixerunt, & religioſè ſcripſerunt. Sed ſicut poſt beatos tres Evangeliſtas, Matthæum ſcilicet, Lucam, & Marcum, eorum quartus Ioannes Apoſtolus ſcripſit, & melius. Sic vir iſte beatus poſt alios patres Monachorum regulam ſcripſit, qua tanquam dulcioris caritatis cæmento, vivo lapidi Chriſto homines diligentius iungit. De quo veraciter dicere poſſumus, & firmiter credere debemus, quod à Deo nobis ſit tanquam Apoſtolus & Angelus deſtinatus. Nam illum idcirco nobis ſpecialiter miſit Deus, ut ipſe formatæ & formoſæ vitæ ſuæ exemplo nos propriè & ſingulariter informaret, atque ſuæ doctrina ſapientiæ nobis quæ ſunt bona, familiariter nuntiaret. Illum etiam poſt ſe præcipuum patrem, paſtorem, medicum & magiſtrum decrevit eſſe monachorum. Hunc igitur beatiſſimum virum, præcordiales amici, & fratres, corde & ore ſuppliciter exoremus, quatenus pater, paſtor medicus & magiſter ſic noſter eſſe dignetur, ut pia paternitate nos nutriat, animas noſtras paſcat pane virtutum, vulneribus peccatorum & criminum noſtrorum medeatur; & ſuo magiſterio diligenter edocti, quæ bona ſunt operemur, & ad ipſum pervenire mereamur, qui eſt dator & remunerator bonorum, Deus & Dominus noſter Ieſus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Goffridi Abbatis Vindocinenſis Sermonum Finis.

PRIVILEGIVM THEODERICI CARNOTENSIS EPISCOPI, pro Monaſterio Vindocinenſi, ipſo Dedicationis eius die ſcriptum.

IN nomine Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus ſancti. Ego Theodericus DEI gratia Carnotenſis Epiſcopus, univerſis S. Eccleſiæ fidelibus notum facio, quòd Gaufridus inclytus Comes, & uxor eius venerabilis Agnes Comitiſſa, Monaſterium ſanctæ & individuæ Trinitati dicatum in caſtello ſuo, quod Vindocinum dicitur, ex noſtro conſilio propriis ſumptibus conſtruxerunt, noſtroque & clericorum noſtrorum aſſenſu, & conceſſione B. Petro & eius Romanæ Eccleſiæ in patrimonium & alodium obtulerunt: exinde futuræ vitæ beatitudinem ſe facilius precibus B. Petri adepturos, & præſentem felicius exacturos non vana ſpe confidentes. Quod cum rerum ſuarum amplitudine liberali munificentia locupletaſſent, & ornamentorum vario ac multiplici genere decoraſſent, ad illius venerabilis loci dedicationem nos, & multos alios Epiſcopos & Abbates vocaverunt: & ut fratres inibi Deo ex S. Benedicti norma militaturi tranquillius & abſque ulla inquietudine permanerent, petierunt à nobis, ut quicquid redhibitionis ſive debitæ ſubiectionis noſtræ Epiſcopali ſedi aliæ perſolvunt Eccleſiæ, huic noviter ædificatæ, pro ſummæ Trinitatis honore & amore, & eorum ſupplicatione, in præſentia perſonarum, quæ ad dedicationem convenerant, remitteremus, & ne quis Eccleſiam vel poſſeſſionem Eccleſiaſticam in Vindocinenſi Comitatu, in quantum ad noſtrum pertinebat Epiſcopatum, alteri Abbatiæ niſi Vindocinenſi donaret, vel concederet, noſtra auctoritate prohiberemus. Nos vero quod ab initio ipſius monaſterij & ipſi petierant, & nos feceramus laudantibus clericis noſtris, in tanto conventu confirmare iuſtum putavimus. Conceſſimus itaque & concedimus, ut prædictum monaſterium omnino liberum ex noſtra parte, & ab omni ſubiectione abſolutum perpetualiter exiſtat: nullam nobis vel ſucceſſoribus noſtris poteſtatem, nullam dominationem in eo loco, ſive in habitatoribus loci retinentes: ſed eis fraternæ caritatis conſilium annuentes, & in ſua neceſſitate noſtræ auctoritatis auxilium. Concedimus etiam eidem monaſterio quicquid in Epiſcopatu noſtro hodie poſſidet, & quicquid in futuro iuſtè acquirere poterit: & ne quis Eccleſiam, ſeu quamlibet Eccleſiæ poſſeſſionem in Comitatu Vindocinenſi ad noſtram diœceſim pertinentem alteri monaſterio, niſi Vindocinenſi tribuat vel concedat, prohibemus. Quod quidem conceſſionis & libertatis firmamentum ut veracius per tempora ſucceſſura credatur, firmiùſque conſervetur, præſentem chartam conſcribi iuſſimus, & in auditu popularis frequentiæ recitari, & omnes tam Eccleſiaſticæ quàm ſæcularis militiæ huic noſtræ actioni obviantes, niſi dignos pœnitentiæ ſuper hoc fecerint fructus, publica excommuni-

A cation damnavimus. Chartam etiam iſtam propriis manibus poſuimus ſuper altare Vindocinenſis monaſterij, in ſignum & teſtimonium perpetuæ libertatis. Huius autem rei aſſertores, & teſtes nobiſcum fuerunt honorabiles perſonæ Epiſcoporum, Abbatum & Clericorum.

Arnulfus Turonorum Archiepiſcopus.
Iſembertus Pictavorum Epiſcopus.
Gervaſius Cenomanenſis Præſul.
Hubertus Pontifex Andegavenſis.
Geraldus Ingoliſmenſis Præſul.
Amelinus Albienſium Epiſcopus.

A Civitate Carnoto.

Arnulfus Archidiac. & Præcentor.
Georgius Archidiaconus.
Sigo Magiſter ſcholarum.
Aginerius Capellanus.
B Hildegarius Subdecanus.
Hilduinus Iuvenis.
Walterius Archidiaconus.

A Civitate Turono.

Bovo Decanus.
Wenilo Archidiac. & Theſaurarius.
Robertus Cellararius.
Gauterius Æditnus.

A Monaſterio Sancti Martini.

Goffredus Decanus.
Walterius Cantor.
Frogerius Subdecanus.
Albertus Cellararius.
C Odo Subcantor.

A Civitate Pictava.

Arnulfus Decanus.
Willelmus Cantor.
Raino Cantor S. Hilarij.

A Cenomanno.

Gerardus Cantor.
Ingoiſus, Iſbertus.
Ermenulfus Scholaſticus.
Manſelinus.
Rainardus Capellanus.
Willelmus.

D *A Civitate Andegava.*

Gauſlenus Decanus.
Beringerius Archidiaconus.
Buchardus Theſaurarius.
Rainaldus Archidiaconus.
Fulcoius Capellanus.
Ioannes Scholaſticus.
Gauſlenus puer.
Gaufridus puer.
Petrus Subdiaconus.

Ab Ingoliſmo.

Guillelmus Archidiaconus.
Vivianus Capellanus.

A Santonis Civitate.

Ramulfus Archidiaconus.
Acbaldus Archidiaconus.

Nomina Abbatum.

Hugo de S. Salvatore Karofi Abbas.
Fredericus de S. Florentio.
Walterius de S. Albino. E
Ebrardus de S. Karileſo.
Landricus de S. Petro Carnot.
Durandus de S. Gildoſio.
Salomon de Bonavalle.
Hugo Longiledij Abbas.
Fulco de S. Ioanne.
Anſegiſus Pece.
Petrus de Nantoilo.
Algerius de S. Amando.
Arnaldus de Angeliaco.
Odo de S. Sabino.
Azo de S. Michaële eremi.
Archembaldus de S. Maxentio.
Ioannes de Luzione.
Theobaldus de Quinciaco.
Anſbertus de Ponteleveo.
Theudo de Burgulio.
Odolricus de S. Martiale. F
Ermenteus Abbas de Tuſcio.
Theobaldus de S. Benedicto.

Actum Vindocini in Caſtro, anno ab incarnatione Domini 1040. Indict. 7. regnante Henrico Francorum Rege anno nono. In Dei nomine feliciter.

Ex Kalendario S. Sergij, & Chronico S. Albini. Prid. Kalend. Iunij apud Vindocinum caſtrum, Monaſterium S. Trinitatis dicatum eſt, anno ab incarnatione Domini 1040.

LECTORI.

PEne, ut vides, conſilium fuerat hunc libellum omittere, quod aliud nihil videretur, quam aliquot Opuſculorum, hoc eſt 2. 3. 4. 5. 6. unum in corpus congeſta repetitio. Poſtea tamen cum animo ſubiret, non ſolum in utroque codice noſtro exſtare: verum in illo etiam fuiſſe, quo uſus eſt Fr. Turrianus: ac præterea ſic in iſto repeti, quæ in illis Opuſculis dicta ſunt, ut nonnulla interdum adiecta, detracta, interpolata conſtet, dubitari ut nequeat, quin huius etiam libelli auctor ſit Goffridus: præteriti omnino nefas rati, vel hoc ſaltem loco edendum curavimus. G

TRACTATVS
DOMNI GOFFRIDI
ABBATIS VINDOCINENSIS
De ordinatione Epiſcoporum, & de inveſtitura Laicorum. H

GOFFRIDVS VINDOCINENSIS humilis ſervus, ſuo præcordiali amico, Petro Leonis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Catholicam fidem toto corde diligere, & eos qui contradicunt totis viribus impugnare.

QVæ petitionis, & meæ promiſſionis non immemor, ſi non ut debui, ſaltem ut potui, tentavi ſolvere, & quod à te quæſitum eſt, & à me promiſſum; de ordinatione videlicet Epiſcopi, & de inveſtitura Laicorum. In primis firmiter credere nos oportet & nullatenus dubitare, ut quemadmodum Baptiſmus Chriſtianum facit, ita electio & conſecratio facit Epiſcopũ. Et ſicut impoſſibile eſt ſine baptiſmate Chriſtianum fieri, ita eſt impoſſibile Epiſcopum ſine electione & conſecratione creari. In ordinatione

Digitized by Google

A Epiſcopi electio & conſecratio ſic eſt utraque neceſſaria, quod conſecratió ſine electione, & ſine conſecratione electio Epiſcopum facere ſola non ſufficit. Nam ſicut in baptiſmate, aqua & invocatio Spiritus ſancti ſunt neceſſaria, quæ faciunt Chriſtianum: ita in ordinando Epiſcopo electio & conſecratio ſunt neceſſitate coniuncta, quæ creant Epiſcopum. Et ſicut aqua ſola, aut ſola invocatione ſancti Spiritus nec baptiſmus fieri poteſt, nec homo eſſe Chriſtianus: ita ſola electione aut ſola conſecratione nemo ordinari, vel fieri valet Epiſcopus. Magnum quidem & baptiſmatis, & electionis & conſecrationis Epiſcopi Sacramentum: ſed illud præcepit, & per alios facit Chriſtus: & hoc egit per ſemetipſum. In illo ſpiritualiter creatur homo, & à Chriſto Chriſtianus dicitur: in iſto vero Dominus & Imperator creatur
B Chriſtianorum, qui non ſolum vocatur Chriſtianus à Chriſto, ſed etiam Chriſti vices agere creditur. Sciendum vero quod hic vel ubicunque de electione & conſecratione Epiſcopi agitur, canonicam neceſſe eſt electionem, & liberam conſecrationem intelligi: ut qui canonicè eligitur, & libere conſecretur. Alioquin fit quædam prava ſimulatio in Eccleſia, & Eccleſiaſticæ dignitatis illuſio non parva. Quicunque igitur canonicè non electus quaſi ſacrandus accedit, vel qui non eſt liberè conſecratus, etiam ſi canonica præceſſerit electio, execratus recedit. Nam ſicut ubi non eſt vera cordis converſio, non ſequitur plena remiſſio: ita ubi non ſequitur libera conſecratio, etiam ſi canonica electio præcedat, minimè prodeſt, cum neutra ſola Epiſcopum creare ſufficiat. Nec eſt illa libera conſecratio, quam præcedit factum ſine iudicio & iuſtitia iuramentum: cum B. Hieronym. ſuper Hieremiam dicat, iuramentum non eſſe facien-
C dum, ubi non eſt iuſtitia ſimul, veritas, & iudicium. Quod ſi aliter fuerit præſumptum, iuramentum non erit, ſed periurium.

Præterea tria propriè propria Eccleſia habere debet, quorum unum ſi defuerit, velut paralytica iacet, nec ligandi, nec ſolvendi poteſtatem habet. Debet itaque Eccleſia Catholica eſſe caſta, & libera: Catholica, quia nec vendi debet nec emi: caſta, quia nullatenus debet muneribus corrumpi: libera, quia ſæculari poteſtati non debet ſubiici; nec ab eius ſponſo qualibet occaſione à ſæculari poteſtate Sacramentum extorqueri: cum omnino lege divina prohibeatur: nec ab Epiſcopo, niſi pro ſola fide Catholica Sacramentum exigatur. Chriſtus utique paſtor bonus ſponſam quærit fidelem: infidelem reſpuit: caſtam diligit, odit corruptam: liberam ſibi ſociat, ancillam abiicit. Falſo itaque nominatur Epiſcopus, qui annullare conatur electionis & conſecrationis
D ordinem, quem Chriſtus per ſemetipſum primus inſtituit. Ipſe enim primus & elegit Apoſtolos, & conſecravit. Tota itaque ordinatio Epiſcopi in electione & conſecratione conſiſtit. Hæc prius per ſemetipſum, ut dictum eſt, Chriſtus fecit. Deinde vero vicarij eius. Et in Apoſtolis quidem à Chriſto facta ſunt, quoniam ab ipſo & electi & conſecrati fuerunt. In aliis vero omnibus, à nullis aliis fieri licet, niſi à vicariis Chriſti. Sunt autem vicarij Chriſti clerici in electione, Epiſcopi in conſecratione. Cæteri omnes petere quidem Epiſcopum poſſunt, eligere vero vel conſecrare non poſſunt. Hoc ſanctum Sacramentum, electionem videlicet & conſecrationem Apoſtolorum, Chriſtus primum fecit, per quod cætera fierent Sacramenta. Si vero Sacramentum, quod primum, ut dictum eſt, Chriſtus fecit per ſemetipſum, aliter factum fuerit, quam docuit; Sacramenta cætera quæ ſequuntur, quas vires habere valeant, nec ratio docet, & fides ignorat Chriſtiana. Quicunque ergo ſine Canonica electione & libera conſecratione, ſub nomine Pontificis Eccleſiam, vel poteſtatem Eccleſiaſticam ſibi vendicare præſumit, hic iam non per oſtium intrat, ſed aliunde aſcendit: ut merito non

E inter Epiſcopos computetur, ſed inter fures & latrones connumeretur. Iſte aliis benedictionem, non porrigit, ſed peſtem, & vulnus potius inferre videtur, quam ſalutem, qui tanta præſumptione Dei maledictionem meretur. Nam Epiſcopus qui Canonicam electionem, & liberam conſecrationem non habet, eſt quaſi arbor non habens radicem. Arbor autem, quæ radicem non habet, etiam ſi folia habeat, fructum ferre nullatenus valet. Ad huiuſcemodi arborem Chriſtus quidem acceſſit, & cum ibi fructum non inveniſſet, eam maledixit. Ille maximè à Deo maledicitur, qui Sacramentis Eccleſiæ quaſi ſociari ſua cupiditate deſiderat, non Chriſti caritate. Et omnis qui Sacramentis Eccleſiæ cæmento caritatis non iungitur, iniuriam quidem Eccleſiæ facit: ſed quaſi paries luteus diſſipatur, qui licet dealbari poſſit ad tempus, eius ſubita diſſolutione, qui ante confidebant, in eo premuntur. Hac igitur ſimilitudine rectè
F colligitur, quod, qui ad iniuriam ſanctæ Eccleſiæ Eccleſiaſticum ordinem, & maxime pontificatum aſſequitur, ſuam deſtructionem in primis, deinde populi mortem operatur. Et tunc Eccleſia iniuriam pariter ſuſtinet & verecundiam, quando in eligendo Pontifice, canonica electio & libera conſecratio perit: & quod vitæ meritis, & ſapientiæ doctrinæ, atque ſacris ordinibus debetur, illis quaſi imponitur, quibus nec bonæ vitæ merita, nec ſapientiæ doctrina, nec ſacri ordines ſuffragantur. Iſti terrenum, immo paludoſum habent fundamentum, & ideo corruunt, qui tali fundamento ædificantur. De talibus enim dicitur in Pſalmo: *Proiecisti eos dum allevarentur.* Gravius nihil eſt apud Chriſtum Eccleſiæ iniuriâ: cuius Sacra- *Pſal.72.* menta qui perverſe ſuſcipiunt, cum Chriſto eſſe, vel prodeſſe non poſſunt. Cum Chriſto etenim ſimul eſſe, & contra Chriſtum facere nemo poteſt, cum ipſe dicat: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Qui autem *Luc.11.*
G cum Chriſto non eſt, nec ſibi prodeſſe, nec aliis poteſt, cum ipſe iterum aſſerat: *Qui non colligit mecum,* *Ioan.15.* *diſpergit.* Et alibi dicit, *Sine me nihil poteſtis facere.* Sunt quidam qui Romanæ Eccleſiæ omnia licere putant, & quaſi quadam diſpenſatione aliter quam divina ſcriptura præcipit, eam facere poſſe. Quicunque ergo ſic ſapit, deſipit. Nam Romanæ Eccleſiæ poſt Petrum minime licet, quod Petro non licuit. Petro quæ liganda erant ligandi; & quæ ſolvenda ſolvendi, eſt à Chriſto data poteſtas, non quæ liganda ſolvendi, vel quæ erant ſolvenda ligandi, conceſſa facultas. Pe- *Galat. 2* trus etiam ſi aliquando aliter egit, Paulus licet in converſione adhuc novitius, ei in faciem reſiſtere minime timuit. Petrus vero ſui iunioris increpationem libenter ſuſcipiens, quod plus iuſto fecerat, diligenter correxit. Præterea nulla ratione fieri licet, quod Chriſtus ſuo exemplo non docuit: Ipſe enim legem ſolvere non venit, ſed adimplere. Romana itaque Eccleſia *Matt.5.* divinarum ſcripturarum legem ſolvere non debet, ſed conſervare; & tradita ſibi à Chriſto poteſtate non ad
H ſuam voluntatem uti, ſed ſecundum Chriſti diſpoſitionem. Si etiam à ſuo iuniore Romano Pontifici ſuggeritur, ut ſi aliquando plus iuſto fecerit, iuſtè corrigat; tanquam Petrus Pauli admonitionem ſuſcepit, & ipſe ſuſcipiet, ſi Petrum imitari deſiderat.

Adverſus eos, qui contra Chriſti diſpoſitionem armantur, bonus doctor & martyr Cyprianus loquitur, dicens, Adulterium eſt, impium & ſacrilegum, quodcunque humano facto inſtituitur, ut diſpenſatio Chriſti violetur: qui ſic agit, tenebras pro luce, noctem pro die, pro cibo famem, pro potu ſitim, venenum pro remedio tribuit, pro vita mortem. Non fuit illorum ætas venerabilis, nec eſt auctoritas imitanda, qui Suſannam pudicam corrumpere voluerunt: quorum veterem nequitiam imitantur, qui Chriſti veritatem, & eius ſponſæ virginitatem violare machinantur. Hi ſunt utique, qui Dei diſpoſitiones immutant, & traditiones ſuas ſtatuere conantur.

A quibus recedente doctrina dominica, recedit & Domini gratia, quorum [illegible] acta quandoque ſummus paſtor vindicabit, & ultoris vigore, & iudicis poteſtate. Diſpenſationes quidem in Eccleſia faciendæ ſunt, non amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, ſed pia & miſericordi intentione. Tunc enim a paſtore Eccleſiæ diſpenſatio pie & miſericorditer fieri creditur, cum aliquid minus perfecte ad tempus fit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate ſua, ſed aliorum neceſſitate; ne in ipſis videlicet fides Chriſtiana periclitetur. Sic igitur facienda eſt diſpenſatio ab Eccleſia, ut fidei noſtræ veritas inſtruatur: & ſi quid aliter ad horam factum fuerit, vel permiſſum, opportuno tempore corrigatur. Hac diſcreta & ſancta diſpenſatione uſi ſunt beati Apoſtoli, Petrus & Paulus propter metum Iudæorum, ne ipſi ſcandalizarentur.

Nam Paulus poſt converſionem Timothæum circumciſum fecit, & ceremonias etiam exercuit Iudæorum: & Petrus coëgit quoſdam Iudaizare gentilium. Vterque ſanctus Apoſtolus ſimulans, ſe veteris legis præcepta ſervare; ne qui fideles ex Iudæis facti fuerant, ſuſceptam veritatis notitiam ſcandalizati negarent. Fecerunt hoc ſancti Apoſtoli miſericordi & pia compaſſione, non ſimulatione fallaci: quamvis legem poſt Evangelium non eſſe ſervandam minimè dubitarent. Vbi beatiſſimæ vitæ viri intelliguntur, non commutaſſe conſilium, ſed ad horam pro aliorum ſalute ſuæ doctrinæ ſententiam. Nam ſuper hoc quod ipſi & alij aliter fecerant, & ſe & alios poſtea correxerunt. Poſſunt etiam, & debent fieri diſpenſationes, quibus Eccleſiarum, & monaſteriorum conſuetudines immutentur: ſed ubi poſtponitur minus bonum, ut quod eſt melius inſtituatur. In nullo autem malum fieri debet vel permitti niſi in ea tantum neceſſitate, ubi timetur ne periclitetur fides, & illud poſtmodum corrigatur. Nam qui mala faciunt, ut veniant bona, horum iuſtam eſſe damnationem Paulus Apoſtolus proteſtatur. Si quis vero aliter in Eccleſia diſpenſationes facit, rationi ſimul & veritati contradicit, nec ſolum lucernam ardentem non habet: verum etiam aliorum ardentes extinguit. Et ideo non recte dicitur Chriſti vicarius, ſed dux eſt cæcorum ipſe cæcus.

De inveſtitura autem laicorum, ſi quis cognoſcere voluerit, quid Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſenſerit, quid docuerit, quid iudicaverit, & conſtituerit, legat in primo capitulo illius Concilij, quod tempore Gregorij ſeptimi Papæ factum eſt: & ibi omnes Clericos, qui de manu laici inveſtituram ſuſcipiunt, hæreticos vocatos, & ideo damnatos eſſe, & excommunicatos invenerit. Licet alia hæreſis de inveſtitura dicatur, alia Simoniaca; iſta quæ de inveſtitura dicitur, contra ſanctam Eccleſiam fortius iaculatur. Simoniaca etenim pravitas multoties fit latenter: hæreſis vero de inveſtitura ſemper publicè agitur. Ibi etiam in primis omnis Eccleſiaſticus ordo confunditur, quando hoc quod unicuique à ſolo ſuo conſecratore in Eccleſia cum orationibus, quæ ibi conveniunt, dari debet, à ſæculari poteſtate prius accipitur. Quod ſancti Apoſtoli non ſolum interdixerunt; verum etiam omnes illos, qui per ſæcularem poteſtatem Eccleſiam obtinent, à CHRISTO ſibi tradita poteſtate damnaverunt. Et merito Apoſtoli iudicio Spiritus ſancti hanc hæreſim in ipſo Eccleſiæ principio damnare decreverunt, quam longo poſt tempore ex patre Diabolo naſcituram eſſe prævidерunt. Cùm igitur laico & inveſtitura, & omnis etiam diſponendarum Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticarum rerum facultas à Spiritu ſancto, qui in Apoſtolis loquebatur, negata ſit penitus & interdicta, qui inveſtituram à laico ſuſcipit, non iam contra Apoſtolos tantum, immo contra Dominum Apoſtolorum, quod ſanctum eſt, canibus exponit.

Inveſtitura enim, de qua loquimur, Sacramentum eſt, id eſt ſacrum ſignum, quo princeps Eccleſiæ, Epiſcopus ſcilicet, à cæteris hominibus ſecernitur pariter atque dinoſcitur; & quo ſuper Chriſtianum gregem cura paſtoralis ei tribuitur. Hanc inveſtituram ab illo ſuſcipere debet, à quo & conſecrationem habet. Illum ſi quidem prius oportet conſecrari: deinde vero tanquam regem Eccleſiæ ſacris inſignibus decorari. Si quis autem cuilibet ſæculari poteſtati iſta licere putat, errat: quod ſi defendere nititur, Apoſtolorum doctrinam, & ſancti Spiritus ſenſum annullare deſiderat. Vnde hæreticus eſſe nullatenus dubitatur. Inveſtitura itaque laicorum, quæ fit per virgam & anulum, merito hæreſis appellatur. Nam ſicut à Simone Simoniaca hæreſis dicitur, ita ab eo, qui inveſtit, & ab illo qui inveſtitur; quoniàm uterque in illa ſua actione, & agitare claves Eccleſiæ, & eius unicum, ac ſingulare oſtium violare conatur, recto nomine hæreſis de inveſtitura, vocatur. Hæc præterea hæreſis de inveſtitura, ſi rectè perſpiciatur, etiam hæreſis Simoniaca eſſe viva, & vera ratione probatur. Nam quæ ſæcularis poteſtas ſibi vindicare nititur inveſtituram, niſi ut per hoc aut pecuniam extorqueat, aut, quod eſt gravius, ſibi inordinate ſubiectam efficiat Pontificis perſonam?

Nullus eſt utique laicorum, etiam ſi ei liceret, qui tanta intentione anulum, vel virgam dare deſideret, niſi per hæc, quæ ſunt Sacramenta Eccleſiæ temporalibus lucris inhiaret. Laicis quidem Sacramenta ab Eccleſia ſuſcipere licet, non Eccleſiæ quælibet Sacramenta dare.

Semper laicus de inveſtitura, ut diximus, aut pecuniam ſibi vindicat, aut quod eſt amplius, Epiſcopi vel Abbatis perſonam. Hac non tam humana, quam Diabolica malignitate, Eccleſia Catholicam fidem, libertatem, & caſtitatem amittit, ſine quibus nulla ratione ſubſiſtit.

Hanc igitur, quam ſupra diximus, inveſtituram quicunque ſub ſpecie paſtoris ſuſcipere præſumit, fit paralyticus, & hæretica lepra pollutus. Illum non paſtorem fiducialiter dico, nec illius paſtoris, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, quodlibet membrum: ſed fur, & raptor, & lupus eſt. Nam ad hoc venit, ut furetur, & rapiat, & mactet. Hanc autem deteſtabilem impietatem non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt ei, damnati ſunt. Ille vero conſentit, qui eam tacet, qui eam non corrigit: & qui ei palam non contradicit: & nemo eſt, qui contradicere palam non debeat, & poſſit. Nam ſi Prælati non habet auctoritatem, habet tamen Chriſtiani vocem. Et ſcriptura dicit, & neminem excipit: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, id eſt, vocem ſuam ab increpatione peccati. *Hier. 48*

Illud etiam factum meminerit, quod aſina fatuum Prophetam olim correxerit. *Num. 22* Quod ſi fuerit vitioſus, vel quolibet alio crimine infamis factus, non ideo ſilere debet: quoniam unicuique peccatori communem Eccleſiæ fidem, quam ſuam eſſe credit, & confitetur, defendere, & contra eius adverſarios libere pugnare licet.

Nam illi duo, qui in paſſione DOMINI crucifixi ſunt cum eo, omnino infames erant: nam publici latrones, quorum unus non tantum quia credidit, ſed quia ſuæ fidei veritatem contra alterum defendere cœpit, bonum illud & delectabile verbum à Salvatore noſtro audire meruit: *Hodie* ſcilicet *mecum eris in paradiſo*. Vnde in latrone illo maximè declaratum agnoſcitur, quod vir Catholicus, licet prius infamiæ maculis aſperſus, fidei defenſione paradiſum pariter & cum Chriſto eſſe meretur.

Et quoniam de Simonia mentionem fecimus, cur ipſa & laicorum inveſtitura ſit hæreſis, & merito hæreſis appellari debeat, amplius Deo adiuvante dicetur, ne ſuper hoc deinceps dubitetur. Hoc etiam ſilendum non erit, quod ſicut quædam

A inveſtitura laicorum contra fidem, ita quædam inveſtitura eorum ſalva fide fieri poteſt. Credendum eſt, frater cariſſime, & firmiter tenendum, illud præcipue hæreſim eſſe, quod a patris unitate filium, ſive Spiritum ſanctum conatur ſeparare, vel perſonarum alteram altera minorem vel maiorem aſſerere. Sunt quidem errores & diviſiones, quæ hæreſes appellantur, quibus de perſona Patris vel Filij, ſive Spiritus ſancti, vel de ſimul tota Trinitate perverſe ſentitur. Sed ſciendum eſt, quod ille maxime & magis propriè hæreticus nominatur, qui fidem Chriſti quam accepit, obſtinato animo impugnare videtur. *Act. 8.* Igitur Simon Magus à Sancto Philippo baptizatus non tantum hæreticus, ſed hæreticorum primus & peſſimus extitit: qui non ſolum à patris æqualitate ſeparari poſſe Spiritum ſanctum exiſtimavit, ſed etiam ipſo Spiritu ſancto maior eſſe præſumptuoſe tentando concupivit. Nam cum ſe poſſe pecunia poſſidere Spiritum ſanctum putavit, quid appetiit aliud, niſi ut Spiritu ſancto maior ipſe haberetur; B cum maior ſit qui poſſidet, quam quod poſſidetur? Cùm itaque Patris & Filij & Spiritus ſancti perſonas inæquales quilibet nititur aſtruere, ratione pariter & auctoritate hæreticus habeatur: multo magis Simon Magus, qui Spiritum ſanctum Deo Patri & Filio æqualem per omnia ſibi pecunia ſubiicere tentavit, hæreticus; & Simonia, quæ ab ipſo inventa eſt, & ab eo dicitur, hæreſis comprobatur. Laicus autem cum inveſtituram Eccleſiarum tribuit per virgam & anulum, quæ ſunt Eccleſiæ Sacramenta, ſicut ſal & aqua, Oleum & Chriſma, & quædam alia, ſine quibus hominum & Eccleſiarum conſecrationes fieri non poſſunt; ſibi ius CHRISTI uſurpat & poteſtatem: & quodammodo ſe DEI filio prædicat altiorem. Nam dum illa Eccleſiæ ſacramenta ibi dantur, ubi dari debent, C & quibus, & quando, & quomodo debent, per conſecrationis miniſtrum, à Dei filio dantur, à quo univerſa fiunt Sacramenta, & à quo tribuuntur. *Ioan. 1. v. 37.* Vnde Deus pater ad Ioannem loquitur dicens, *Super quem videris Spiritum deſcendentem, ille eſt qui baptizat.* Quando dixit, *Ille eſt qui baptizat*, à parte totum ſignificavit.

Nam Dei filius univerſa ſanctæ Eccleſiæ conficit & tribuit ſacramenta. Laicus autem, quando contra Dei filium ſic præſumit, ſi non amplius, non minus tamen quam Simon Magus intumuit, & ipſe intumeſcit, qui in collatione Sacramentorum ſe Dei filio anteponit. Et quia Deo Dei filio non ſolum ſui patris æqualitatem demere nititur, ſed ſeipſum Dei filio ſuperiorem ſua impia actione ſignificare videtur; recto nomine & ipſe hæreticus, & eius inveſtitura hæreſis appellatur.

D Non ſit Imperatoribus & Regibus moleſtum quod dicimus, nec conſuetudine ſibi vendicare nitantur, quod eis veritate negatur.

Cum laicis etiam religioſis diſponendarum Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum rerum omnis facultas ab Apoſtolis prohibeatur, manifeſtum eſt, quod eis inveſtitura negatur ab ipſa Veritate, à Chriſto videlicet, qui in Apoſtolis loquebatur.

Quod autem Chriſtus in Apoſtolis ſit locutus, *2. Cor. 13* Paulus Apoſtolus aſſerit dicens: *An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus?* Cùm igitur *Ioan. 14.* CHRISTVS veritas ſit, ſicut ipſe dixit: *Ego ſum veritas*, nec unquam, Ego ſum conſuetudo, dixerit; qui Chriſtianus eſt, Chriſtum; & qui Rex eſt, Regem regum, ipſam ſcilicet veritatem ſequatur, non conſuetudinem. In Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, quamvis nec in legibus, nec in canonibus inveniatur, tamen propter ſcandalum & ſchiſma vitandum, talis regibus inveſtitura concedatur, ut nec ipſi propter hoc pereant, nec ſancta Eccleſia detrimentum patiatur. Inveſtituram per virgam, & anulum accipere; niſi à ſuo conſecratore, manifeſtum E eſt eſſe damnoſum: quia nulli laico licet illa Eccleſiæ ſacramenta dare, ſicut ei non licet Epiſcopum conſecrare. Res etiam, quæ ſemel Eccleſiæ datæ ſunt, reges eas iterum dare, vel de ipſis inveſtire nec debent, nec convenienter poſſunt. Nam alicui illud dare quod habet, & de hoc inveſtire aliquem, quod ille iam tenet, ſuperfluum eſt & vanum, non tamen videtur criminoſum. Alia utique eſt inveſtitura, quæ Epiſcopum perficit; alia vero, quæ Epiſcopum paſcit. Illa ex divino iure habetur: iſta ex iure humano. Subtrahe ius divinum, ſpiritualiter Epiſcopus non creatur: Subtrahe ius humanum, poſſeſſiones amittit, quibus ipſe corporaliter ſuſtentatur. Non enim poſſeſſiones haberet Eccleſia, niſi ſibi à Regibus donarentur; & ab ipſis, non quidem divinis ſacramentis, ſed poſſeſſionibus terrenis inveſtiretur. Ex iure divino Regibus quidem & Imperatoribus dominamur: ipſis tamen ex eodem iure, quia Chriſti Domini ſunt, honorem debemus & reverentiam, F ſicut dicit Apoſtolus: *Regem reveremini.* Ex *1. Petri 2.* iure autem humano tantum illis debemus, quantum poſſeſſiones diligimus; quibus ab ipſis, vel à parentibus ſuis Eccleſia ditata & inveſtita dinoſcitur. Vnde beatus Auguſtinus ſuper Ioannem ſic loquitur: *Noli dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & poſſeſſioni?* Nam per iura Regum poſſeſſiones habentur. Si vero dixeris, quid mihi & Regi? Noli iam dicere poſſeſſiones tuas, quia ad ipſa iura, quibus poſſeſſiones poſſidentur, renuntiaſti. Nam ſecundum ius Imperatorum poſſides terrena. Tolle Imperatorum iura, quis audet dicere, Mea eſt illa villa, aut meus eſt iſte ſervus, aut mea eſt iſta domus? Quo iure defendis villas? divino an humano? divinum ius in ſcripturis habemus: humanum ius in legibus Regum. Vnde quiſque poſſidet, quod poſſidet? Nonne iure humano? Nam iure divino, *Domini eſt terra & plenitudo eius.* Pauperes & divites Deus de uno luto fecit: & divites & pauperes una terra ſupportat. G Iure tamen humano dicis: Hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, hic ſervus meus eſt: Iure ergo humano: iure Imperatorum quare? Quia ipſa iura humana per Imperatores, & Reges ſæculi DEVS diſtribuit Eccleſiæ ſuæ. Poſſunt itaque ſine offenſione Reges poſt electionem canonicam & liberam conſecrationem per inveſtituram regalem in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, conceſſionem, auxilium, & defenſionem Epiſcopo dare: quod quolibet ſigno factum extiterit, Regi, vel Pontifici, ſeu Catholicæ fidei non nocebit. Voluit bonus Dominus & Magiſter noſter Chriſtus ſpiritualem gladium & materialem eſſe in defenſione Eccleſiæ. Quod ſi alter ab altero retunditur, hoc fit contra illius voluntatem. Hac occaſione de regno iuſtitia tollitur, & pax de Eccleſia: ſcandala ſuſcitantur & ſchiſmata: & fit animarum perditio ſimul & corporum, & dum regnum, & Sacerdotium unum ab altero impugnatur, periclitatur utrumque. H Nam Rex & Romanus Pontifex, cum unus contra alium, alter pro regni conſuetudine, alter pro Eccleſiæ libertate erigitur, regnum illam conſuetudinem obtinere non poteſt, nec poterit: & Eccleſia ſuæ libertatis amittit plurimum, Rex præterea ſacroſancta communione pariter & regia dignitate privatur; à Romano vero Pontifice multis, qui ſibi deſervire debuerant, neceſſitate cogente, ſervitur. Et qui à Pontifice docendus erat, & ducendus à Rege, Rex & Pontifex populum ſequitur. Habeat autem Eccleſia pacem, & regnum iuſtitiam: habeat rex conſuetudinem, ſed bonam, & non quam malè repoſcit, ſed quam ſupra diximus, inveſtituram. Habeat Eccleſia ſuam libertatem: ſed ſummopere caveat, ne dum nimis emunxerit, eliceat ſanguinem: & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur. Hoc eſt præcipuum diſcretionis membrum, ne quilibet rector Eccleſiæ, ſua qualibet actione à Satana circumveniatur. Tunc enim rector à Satana circumvenitur,

A quando ſub ſpecie iuſtitiæ per nimiam triſtitiam regendum perire contingit, qui potuit liberari per indulgentiam. Præterea bonus, & diſcretus Auguſtinus in epiſtola ad Parmenianum dicit, vix aut nunquam excommunicandum eum eſſe, qui in malo opere obſtinatam multitudinem habet ſecum. Nam tolerabilius videtur uni parcere, ne in Eccleſia ſchiſma ſeminetur plurimorum. Et beatiſſimus doctor & martyr Cyprianus aſſerit dicens, Schiſma non eſt faciendum, etiam ſi in eadem fide, & in eadem traditione non permaneat qui recedit. Et Salomon in Eccleſiaſte, *Scindens ligna periclitabitur in eis, ſi exciderit ferrum.* Item in Exodo, *In domo una comedetur, non eiicietis de domo carnem foras.* Ex quibus verbis colligitur, quod ſit tolerandus ab Eccleſia qui multitudinem habet ſecum, ne dum unum corrigere nitimur, perditio fiat multorum. Hoc etiam Hieronymus ad Auguſtinum ſcribit, dicens, quod (Eccl. 10. Exod. 12.)

B ſecundum beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli prudentiam, diſpenſationémque honeſtam, aliquando fieri neceſſe eſt, quod iure reprehenditur, ne Chriſtianæ plebi ſcandalum oriatur. Si vero Imperatoris & Regis perſonæ, non tamen illius terræ aliquando in ſumma iuſtitia parcendum eſt, ne ſumma creſcat inde malitia. Miniſtris Eccleſiæ penitus interdicatur, ne quod iuſtum eſt, iniuſtè conſequantur. De præſenti materia ſi minus vel aliter dixi, quam debui, ignorantiæ deputetur, & indulgeatur miſericorditer. Si autem bene, benignè ſuſcipiatur, & obſervetur diligenter.

C

IACOBI SIRMONDI, SOCIETATIS IESV PRESB. NOTÆ

AD GOFFRIDI ABBATIS VINDOC. Epiſtolarum Lib. V.

AD LIBRVM I.

Epiſt. 1. SANTONENSI Epiſcopo] Rannulfo, ad quem de eodem Eblone ſcribit lib. 3. epiſt. 31.

D PASCHALI P.] Id nominis primo. Extat hic Canon apud Ivonem Decreti P. II. c. 84. cuius etiam meminerunt Gloſſographi editionis Romanæ decretorum Gratiani 1. q. 1. *Quiſquis.* ſed Paſchali II. tribuunt, cum primi dicere debuerint. Primi etenim fuiſſe vel hic Goffridi locus oſtendit, cum ad Vrbanum II. ſcribat, qui Paſchalem II. anteceſſit.

NEOPHYTVM FACTVM EPISCOPVM] Neophytus hoc loco non novitius Chriſtianus, quo ſenſu Apoſtolus Neophytum fieri vetat Epiſcopum 1. ad Timoth. 3. & Synodus Nicæna Can. II. ſed novitius Clericus, ex laicorum cœtu in ſacrum ordinem recens adſcriptus, & novus adhuc, ut Gregorij Magni verbis utar, in ſancta converſatione. Nam & hos quoque Neophytos dici Gregorius voluit, & ab Epiſcopali gradu una cum Simoniacis anathemate arceri. Lib. 4. epiſt. 5. ad Virgilium, & lib. 7. ep. 112. ad Syagrium & alios. Etſi enim primis ſæculis propter Eccleſiæ neceſſitatem creati utriuſque generis Epiſcopi fuerant non pauci, & in quibuſdam præclare ſucceſſerat, ut in Philogonio Antiochiæ, & Nectario Conſtantinopoli, & Ambroſio Mediolani, & Sidonio noſtro apud Arvernos, & in aliis: poſtea tamen ſublata neceſſitate interdici, ambitúmque hominum ad ſacros honores repente proſilientium coërceri placuit. Synodus ſane Arvernenſis II. nondum edita, Aurelianenſem V. imitata paulo ante Gregorij ætatem, unius anni ſpatium Neophytis præfixerat Can. 9. his verbis: *Vt nullus ex laicis abſque anni converſatione præmiſſa Epiſcopus ordinetur, ita ut intra anni ſpatium à doctis & probatis viris diſciplinis & regulis ſpiritualibus plenius inſtruatur.* At Gregorij ſententiam & verba ſecutus eſt ſuo Canone Paſchalis. Sed quod in eo ſcriptum eſt, Neophytos iſtos, ſi Epiſcopi fiant, hæreticos à Gregorio appellari, cum apud Gregorium nuſquam legatur, ſubdititium videtur. Quæ cauſa fortaſſe, cur de canone illo ambigat Goffridus. Neophytorum tamen hæreſim etiam Ivo nuncupat epiſt. 149. (E)

F QVIDAM ſatis nobiles] Præpoſiti Olarionis Santonum inſulæ, ubi has conſuetudines exigebant, lib. 3. epiſt. 38. & lib. 5. epiſt. 20. (Epiſt. 2.)

PRINCIPIS poteſtatem] Guillelmi Aquitaniæ Ducis lib. 5. epiſt. 20. & 21. Vindocinenſe cœnobium fundarunt quidem Goffridus Martellus Comes Andegavenſis, & Agnes eius uxor, verum Agnes antea nupſerat Guillelmo Comiti Aquitano, Guillelmi caput nuppæ filio: ex eoque coniugio prognatus Guido Guillelmi huiuſce Principis avus. Eius igitur proavia fuerat Agnes fundatrix. Monaſterij porro Vindocinenſis defenſores erant comes Pictavenſis una cum Andegavenſi & Vindocinenſi. Vrbanus II. in diplomate anni 1098. *Præterea ſtatuimus, ut Andegavenſis, Pictavenſis, ac Vindocinenſis Comites omni tempore ſint defenſores & adiutores eiuſdem loci ad honorem Apoſtolicæ ſedis.*

G IN PATRIMONIVM ET ALOD.] Hoc multis locis repetitur à Goffrido. Paſſim etiam in diplomatis Pontificiis, aliiſque Vindocinenſis monaſterij monimentis: ut in tabulis fundationis, & in iis, quibus Goffridus Comes fundator teſtatur ſe, cum Vindocinenſem Comitatum Fulconi ſororis ſuæ filio donaret, de monaſterio excepiſſe, caviſſéque ne à poteſtate Andegavenſium Comitum ſubtraheretur, quas quidem integras potius hoc loco ſubiiciam, tum quia breviores ſunt, tum quia originem indicant paucis vulgo notam Comitum Vindocinenſium, ſic igitur habent.

GOFFRIDI MARTELLI COMITIS præceptum de tutela monaſterij Vindocinenſis.

H IN NOMINE *Salvatoris Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ego Goffridus divina miſeratione Andegavorum Comes, notum facio omnibus ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, quod monaſterium in honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis in quadam poſſeſſione mea, quæ iure hereditario apud Caſtrum Vindocinum mihi contingebat, pro ſalute animæ meæ parentúmque meorum ſumptu meo fundavi, & iuxta poſſibilitatem meam rebus propriis exſtruxi: monachorúmque congregationem ſub regula & Abbate viventium divina operante clementia conſtitui. Monaſterium autem ipſum & res illius univerſas ab omni conſuetudine, ſive exactione quietas auctoritate, & aſſertione Domini mei Regis Francorum Henrici, Theoderici etiam Carnotenſis Epiſcopi conſilio, Beato Principi Apoſtolorum Petro, & Romanæ eius Eccleſiæ in alodium obtuli & patrimonium. Solummodo loci defenſionem mihi & meis ſucceſſoribus Andegavenſis patriæ Principibus retinens, ad Apoſtolicæ ſedis honorem ſcilicet, & ad perpetuam animæ meæ, & ſucceſſorum meorum ſalutem. Cùm vero nepoti meo Fulconi honorem Vindocinenſem, quem Patri eius Bodoni cuidam Burgundioni*

pater

A *pater meus Fulco cum filia ſua ſorore mea Adela ſine mea conceſſione & aßenſu ante contulerat, donaviſſem; Abbatiam cum omnibus quæ tunc habebat & habitura erat, ipſo nepote meo concedente retinui, & ut Abbatiam ipſam, & omnes res eius pro Dei amore, & noſtro diligeret & conſervaret, nec aliquo in tempore à poteſtate Andegavorum Comitum ſubtraheret, diligenter admonui. Quod ille multum ſupplicìter ſuſcepit, & ſpontanea voluntate hoc ſe mihi obtulit iuraturum. Vnde habito cum Baronibus meis conſilio, me ſuſcepturum ſacramentum reſpondi. Venimus itaque ad Eccleſiam Beatæ Trinitatis, ibique ſuper textum Evangeliorum extrinſecus de auro fabricatum & ſuper ipſum altare mihi iuravit, quod Abbatiam & cunctas res eius ad honorem Dei & beati Petri quanto melius poſſet conſervaret; nec Abbatem loci, vel Mona-* B *chos ſe ſciente qualibet occaſione moleſtaret; nec aliquam conſuetudinem vel violentiam rebus eorum inferret, nec unquam ab ipſa Vindocinenſi Abbatia Andegavenſis Comitis expelleret poteſtatem, etiam ſi pro aliquibus rebus Comes Andegavenſis ſibi guerram moveret. Conceſſit etiam ut quicquid ab hominibus ſuis in toto comitatu ſuo Monaſterio venditum eſſet vel datum, quatenus illud monachi Vindocinenſes abſque ſua, vel ſucceſſorum ſuorum contradictione, ſeu conſuetudine pacificè poſſiderent, & quicquid inde pro utilitate Monaſterii agere vellent, liberam facultatem haberent. Actum eſt apud Caſtrum Vindocinum in Eccleſia ſancta Trinitatis, anno ab incarnatione Chriſti milleſimo quinquageſimo indict. III. Regnante Henrico Francorum Rege. Anno Imperij ſui nono decimo Iſti ſunt qui affuerunt.*

Ego Goffridus Andegavorum Comes.
Fulco nepos meus.
Eblo de Blaſone
Rainaldus de Malolebrario.
C *Nichardus de monte Aureo.*
Landricus de Balgentiaco.
Hubertus de munitione.
Fulcherius de turre
Robertus de monte contorio.
Robertus de Burgodio.
Goffridus de Pruliaco.
Adelardus de Caſtro Gonterij.
Harduinus de Rupibus.
Salomon de Laverzino.
Nivelo de fracta valle.
Ingelbaldus Brito.
Chotardus Budellus.
Et multi alij.
Signum † Goffridi Comitis Andegavenſis.
Signum † Fulconis Comitis Vindocinenſis.

Goffrido Martello ſorores duæ fuerunt: Hildegardis, ex qua & Alberico Vaſtinenſium Comite orti D ſunt Goffridus & Fulco Rechinus, poſterique eorum Comites Andegavenſes: quod prodit inter alios Ordericus Vitalis lib.4.Hiſt.Eccleſ. & Adela, quam Fulco Nerra pater, ut hæ tabulæ declarant, Bodoni, ſeu quod verius putem, Odoni uxorem dedit cum comitatu Vindocinenſi. Ex Odone porro & Adela ſatus Hugo, fons & caput familiæ Comitum Vindocinenſium.

In Alodium obtulerunt] Alodium olim dicebant fundum liberum nullius iuri obnoxium. Vnde & nos prædium liberi alodij nunc etiam dicimus, quod nec fidem nec penſitationem debet, in quo differt à feudo, quod fidem & hominium debet. Ivo Carnot. epiſt.168. *Emit Comes Rotrocus partem illius fundi, quæ alodium erat*, id eſt, quæ liberi iuris erat: pars enim altera fundi libera non erat, ut pote in beneficium data. Dare igitur in alodium, eſt transferre in ius proprium. At dare in feudum non item; quia fundi feudalis proprietas manet penes ſuperiorem Dominum; uſusfructus tantum vaſſallo conceditur, cui proinde quod eſt feudum, id ipſum Domino eſt alodium. E

Retinent hodieque priſcum alodij vocabulum vici aliquot in Gallia, quos quia liberæ conditionis erant, Alodia & Alodos appellabant. Nam Alodos etiamnum vocant Andegavi, quos Adela Comitiſſa S. Albino dedit, & Pictavi monaſterium S. Mariæ de Alodiis, quod in eius nominis vico ſitum eſt.

Vindocinensis Comitiſſa] de ea non liquet, ſed Eccleſiæ, quam invaſerat, nomen Saviniacus lib.3. epiſt.15. *Epiſt.3.*

Qvendam Monachum] Ioannem, cuius crebra mentio in Epiſtolis ad Ildebertum Epiſcopum lib.3.

Ecclesiam in una Parochiarum] Antiqui ac perpetui iuris fuit, novam Eccleſiam ſine Epiſcopi, F cuius in diœceſi ſolum erat, permiſſu non ædificari. Synodus Calchedon. cap.4. ἔδοξε μηδένα μηδαμοῦ οἰκοδομεῖν μηδὲ συνιστᾶν, μοναστήριον, ἢ εὐκτήριον οἶκον παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου. Quod ius ita ſanctum apud Reges noſtros fuit, ut ſua etiam lege, & parendi exemplo firmavit, Capitul. lib.5. cap.182. *Placuit nobis ne Capella in noſtro palatio, vel alibi ſine permiſſu Epiſcopi, in cuius eſt parochia, fiant.* Quod ergo Epiſcoporum hac in re ius fuit, idem ſuum eſſe Abbates voluerunt in parochiis, quæ in ipſorum erant poteſtate. Tale autem Cluniacenſium ius fuit, ex Lucij II. privilegio. *Prohibemus*, inquit, *ut infra parochias ad ius Cluniacenſis monaſterij pertinentes abſque Cluniacenſis Abbatis conſenſu nullus Eccleſiam vel Capellam ædificare præſumat.* Romæ anno 1144.

Episcopvs vero Santonenſis] Rannulfus idem, à quo inſulam Flaici, de qua hic ſermo, ſemel atque iterum monaſterio ſuo ſubtractam queritur lib.3. epiſt.17.

G Carnotensis Epiſcopus] Ivo, quo cum de vexationibus iſtis multa ſæpe expoſtulat lib.2. Scripta quidem eſt epiſtola totius monaſterij nomine, ſed à Goffrido dictata, Romamque ad Paſchalem allata. *Ep. 4.*

Vindicare non valet] Ideo non poterat, quia Theodoricus Epiſcopus ſuo & ſucceſſorum nomine, monaſterium Vind. ab Epiſcoporum Carnotenſium poteſtate liberum fecerat privilegio, quod ad calcem operum Goffridi edidimus.

Archembaldi dicti Abbatis] Hoc argumentum tractatur in epiſt.ſeq. *Epiſt.5.*

B. Priscae Ecclesiam] Et hoc etiam peti debet ex epiſt.9.huius l.

Domnvm Paganvm B. Albini Electvm] Vetus & nobile S. Albini cœnobium Iuliomagi Andegavorum, in quo poſt Girardum II. creatus Abbas Archembaldus an. Ch. M. C. VI. cum ſua ſponte abdicaſſet, ſuffectuſque in eius locum eſſet Paganus, mutata mox voluntate Abbatiam iterum affectavit, obtinuitque ut Pagani electio infringeretur. H Pro Pagano literas ad Goff. dedit Paſchalis, de quibus epiſt. præcedenti: ſed ei nec literæ Pontificiæ, nec adhibitæ apud Legatum & Epiſcopum Andegavenſem preces profuerunt, quo minus Abbatiam retineret Archembaldus. *Epiſt.6.*

Cvm Regvla S. Benedicti] hoc eſt librum porrigens Regulæ Abbatiam addicarat. Ductum è priſca illorum temporum conſuetudine, qua ad faciendas, firmandaſque ceſſionum & inveſtiturarum actiones baculum, cultellum, aliudve quippiam eiuſmodi adhibebant: interdum etiam librum regulæ ſancti Benedicti, apud monachos nimirum. Cuius rei in ipſo ſancti Albini tabulario varia ſuppetunt exempla, ut in donatione Adelardi de Caſtro Gonterij, quam lib.5. epiſt.25. proferemus. Item in altera conceſſione Samſonis Paſſavantij militis, In qua poſt eorum enumerationem, quæ monaſterio apud Curtumcampum donarat anno 1138. ſic concludit. *De hac*

A *igitur eleemoſyna ego ipſe Samſon cum regula ſancti Benedicti, cum qua Eccleſiæ beneficium ab Abbate & fratribus memoratis acceperam, memoratos inveſtivi Abbatem & conventum, & eandem regulam ſuper altare B. Albini detuli ob memoriam perpetuæ firmitatis.* Vt in his librum regulæ; ſic in aliis tabulis cultellum, baculum, chirothecas in manum miſſas, altarique impoſitas legimus: Quin exſtant hodieque in eodem ſancti Albini cœnobio, & in aliis pleriſque veteris moris monumenta: baculi, inquam, & chirothecæ, & alia, inveſtiturarum, traditionumque, quas ſiguarant, titulis inſcripta.

Episcopvm Andegavensem] Rainaldum, ad quem ſcribit lib. 3.

Engolismensem Legatvm] Girardum, de quo epiſt. 19. huius libri.

B Violentia Regis Tevtonici] Henrici IV. poſtmodum Imperatoris, de ea re mox dicetur ad epiſt. ſequentem.

Epiſt. 7. Hvivs epiſtolæ argumentum in indice codicis Cenomannenſis ita concipiebatur. *Rationabiliter oſtendit pactum, quod cum Teutonico Rege fecerat, non tenendum.* Pactum ſcilicet de inveſtituris Epiſcoporum & Abbatum, quas Henricus à Paſchali armata militum manu ad urbem circumceſſo, captoque per vim extorſerat 3. Id. Aprilis anno 1111. cum eas Henrico eius patri ut concederent Gregorius & Vrbanus nullis unquam mi…s, neque blandimentis, neque vexationibus inflecti potuiſſent. Quod factum, Paſchalis etſi excuſare videbatur neceſſitas, quod alioqui, ut ipſe in epiſtola ad Guidonem Viennenſem cauſatur, ſervitus Eccleſiæ, captivis interitus, excidium urbi & Italiæ imminere videretur. Vſque adeo tamen omnibus locis improbatum eſt, ut apertum ſchiſma tantum non excitarit. Itaque prudentes & cordati viri, quos violata Eccleſiæ iura male habebant in quibus Goffridus hic noſter, & alij, quorum extant epiſtolæ, Paſchalem hortari atque urgere non deſtiterunt ut pactum, quod invitus fecerat, & ipſemet ultro damnabat, publico decreto reſcinderet, quod quidem præſtitit anno ſequenti in ſynodo Lateranenſi, in qua inveſtitura Henrico iterum abrogavit. C

B. Ambrosivs Dicit] Lib. 4. in Lucam cap. 4. *Hæc eſt*, inquit, *illa navis, quæ adhuc ſecundum Matthæum fluctuat, ſecundum Lucam repletur piſcibus.* Et poſt alia: *Non turbatur iſta quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Iudam habet.*

Tolerandvs Q. Est Pastor.] Ex Anacleti epiſt. 3. citat Iuo decreti P. 111. cap. 111.

Mortvvs Est In Exilio] Salerni. Henrico Imperat. cedere coactus, qui Romam expugnarat. Gregorij VII. verba, cum in lethalem morbum incidiſſet, à Petro Bibliothecario hæc memorantur; D *Dilexi iuſtitiam, & odi iniquitatem: propterea maior in exilio.*

Epiſt. 8. Eam Negarent Haeresim Esse] Hac de re uberius agit lib. 3. epiſt. 11. & in Opuſculis.

Abbatem S. Albini] Archembaldum, de quo epiſtola 5. Is nunc Romam cum Goffrido vocabatur, diſceptaturi ambo de Eccleſia ſancti Ioannis ſuper Ligerim, quam Vrbani II. iudicio Albinianis, pro Credonenſi quam repetebant, dare coacti fuerant Vindocinenſes. Goffridus vero Abbas factus, cauſam ſuam ſic egerat apud Vrbanum, vt iudicium ſuum retractaret, Eccleſiamque ſancti Ioannis Vindocinenſi poſtea Monaſterio inter cæteras eius poſſeſſiones aſſereret. Quod quidem non ſolum ab Vrbano, verum etiam à Paſchali eius ſucceſſore factum vidimus diplomate anni 1103. Attamen, quoquo modo compoſita res fuerit, obtinuit tandem Vrbani decretum, potiunturque hactenus illa Eccleſia monachi S. Albini.

Comes Andegavensis] Fulco eius nominis V. idem qui Hieroſolymorum poſtea regnum adeptus eſt, de quo iterum epiſt. 21. & libro ſecundo epiſt. 7. E

Specialis Filivs Vester.] lib. 3 ep. 14. B. Bernardus epiſt. 294. ad Eugenium Papam: *Abbas Vindocinenſis, qui ſpecialiter veſter eſt, rogamus vt & ipſe ſpecialem inveniat gratiam.*

XIII. Millia Solidorvm.] Duodena tantum millia leguntur epiſt. 9. & 13. ad Calliſtum. Quare mendum hoc loco videtur.

Primo Anno Qvo.] Chriſti 1094. ex Bartoldo Conſtantienſi, qui res Vrbani accurate perſecutus eſt, conſtat initio huius anni turrim Creſcentij in Guibertinorum poteſtate adhuc fuiſſe: Goffridus paulo ante ferias Paſchales opera ſua turrim cum palatio Lateranenſi receptam notat, quod in eundem prorſus annum incidiſſe compertum eſt. Goffrido autem vt beneficium Vrbanus, ita nos egregij facinoris memoriam debemus. Nam niſi ipſe proderet, neſciremus. F

In Domo Ioannis Frica-panem.] vetuſtiſſimæ ac nobiliſſimæ apud Romanos familiæ nomen, nunc paululum inflexum, Frangipanes enim dicuntur: Quod ergo generatim ſcribit Bertoldus, Vrbanum Romæ prope S. Mariam nouam in quadam firmiſſima munitione moratum, id ipſum videtur quod explicatius dicitur à Goffrido, illum in Ioannis huius domo latuiſſe.

Contra Gvitbertistam Haeresim.] Contra Guibertum, eiuſque fautores. Hic eſt quem ex Archiepiſcopo Ravennate Pſeudopontificem; indito Clementis III. nomine, adverſus Gregorium VII. crearat Henricus Imp. anno 1083. Quo ex tempore & Gregorium quoad vixit, & Victorem, Vrbanumque ſucceſſores tum aliis diris modis exercuit, tum Roma extorres pene ſemper habuit. Ita vt in Apoſtolica ſede, quod extrema epiſtola ſcribit Goffridus, Catholicus Papa longo interuallo non ſederit. Vndecim plane anni fuerunt ab exordio Guiberti ad receptum ab Vrbano Ferruchij deditione Lateranum. G

Epiſt. 9. XXXV. Diebvs Ante Concilivm.] Lateranenſe, anni 1112. de quo ad epiſt. 7. diximus. Eadem excuſatione vſus etiam Iuo Carnot. epiſt. 150. quo minus ad Concilium proficiſceretur: quod Paſchalis Papæ litteras quibus vocabatur, ſeptem tantum hebdomadibus, hoc eſt 49. diebus ante conſtitutum Concilio diem acceperit.

Comiti Pictaviensivm.] Guillelmo, de quo epiſt. 2. eius nominis & familiæ poſtremo, quem ſæpius excommunicatum conſtat. Sed de ea nunc excommunicatione agitur, quam Girardus Engoliſmenſis legatus, & Petrus Epiſcopus Pictauenſis ob illicitas pulſa legitima vxore nuptias inflixerant, vt narrat lib. 5. Hiſtoriæ Guillelmus Malmesburienſis. Multa Vindocinenſes & opima in huius Principis ditione prædia poſſidebant, vt Oleronis & Surgeriarum Eccleſias in pago Santonico, Olonenſem, & aliâs in Pictavenſi. H

Praedecessor noster] paulo poſt, *Prædeceſſorum noſtrorum.* Lib. 5. Epiſt. 21. *Rectores monaſterij noſtri qui, fuerunt ante me.* Quatuor omnino ante Goffridum Vindocini Abbas fuerunt Rainaldus, Odericus, Dauid & Berno, quem hoc loco ſignificat. Bernoni Obedientiam ſeu Prioratum S. Georgij (de hoc enim agi puto) eripuerat Guillelmus Comes quem Goffrido poſtea reſtituit. Vrbanus II. Goffrido.: *Eccl ſiam S. Georgij in Oleronis inſula, quam ab omni exactionis conſuetudine liberam Guillelmus Pictavenſis Comes excommunicatione noſtra coactus reddidit, ſicut ab Andegavenſi Comite Gaufrido & Agnete Comitiſſa loco veſtro tradita fuerat.* Qua de re iterum lib. 5. epiſt. 19. & 20. De Obedientiæ autem hac notione vocabulo lib. 4. epiſt. 7.

Dvodecim Scilicet Solidos.] Idem repetit ep. 13. ad Calliſt. Cenſum hunc Abbati Vindoc. tanquã ſedis Apoſtolicæ alodiario indixerant fundatores,

Tabulæ

Tabulæ fundationis : *Abbas vero , qui alodiarius B. Petri eſſe dignoſcitur , matrem ſuam Romanam Eccleſiam per ſingulos annos aut per ſe , aut per legatum ſuum viſitare ſtudeat , & ſi maiorem caritatem non fecerit, cenſum ſaltem 12. ſolidorum ad concinnanda luminaria ante venerabile corpus Beatiſſimi Petri ibi perſolvere non negligat.* Clemens II. in privilegio confirmationis : *Cenſum vero ad memoriam cognitionemque ſempiternam 12. ſolidos de moneta patria veſtra B. Petro reddi per annos ſingulos volumus.* Sic olim Cluniacenſes tutelæ nomine 10. ſolidos quinto quoque anno pendebant. in diplomate Agapiti II. *Sane ad recognoſcendum quod prædictum cœnobium S. Apoſtolica ſedi ad tuendum atque fovendum pertineat , dentur per quinquennium ſolidi 10.* Vizeliacenſes ſingulas quotannis libras argenti. Paſchalis II. Altardo Abbati Vizeliacenſis. *Ad indicium quoque huius libertatis , Apoſtolica ſedi , cuius iuris eſſe dignoſcitur , libram argenti per ſingulos annos perſolvat.* Sic alios cenſus.

B. Priscae Ecclesiam] B. Priſcæ Eccleſiam titulum Presbyteri Cardinalis in monte Aventino Abbatibus Vindocinenſibus cum dignitate Cardinali primus illuſtri & inuſitati exempli prærogativa conceſſit Alexander II. ita ut quicunque legitimi Vindocini Abbates forent , iidem Romanæ Eccleſiæ huius tituli Cardinales eſſent. Alexandri hæc ſunt verba in literis ad Odericum Abbatem anno 1062. *Concedimus etiam omnibus huius loci Abbatibus Eccleſiam B. Priſca cum dignitate Cardinali , ſancti Spiritus iudicio decernentes , ut nulla deinceps Eccleſiaſtica ſecularisve perſona prædictam B. Priſca Eccleſiam ſeu Eccleſia dignitatem eis auferre qualibet occaſione præſumat.* Quod eidem Oderico beneficium confirmavit Gregorius VII. anno 1079. Verum graſſante poſthæc in urbe factione Guibertina , Eccleſia hæc Vindocinenſibus, quod partes illas averſarentur, adempta, atque ad al[illegible]s tranſlata eſt. Et quanquam Goffrido noſtro , ut eſt in epiſt. 16. eius inveſtituram reddidit Vrbanus II. iterum tamen eius poſſeſſione deiectos fuiſſe ex eo liquet , quod eam nunc repetit à Paſchali , & epiſt. 13. promiſſam ſibi à Calliſto teſtatur , à quo tandem in integrum reſtitutus , Cardinalis B. Priſcæ titulum uſurpare cœpit. Sic enim ad Calliſtum ipſum ſcribens ſe appellat opuſc. 3. Calliſti diploma, quo vindicias Goffrido inſtauravit , integrum proferetur ad epiſt. 28. lib. 1. Eius porro veſtigia decimo poſt anno ſecutus eſt Honorius II. cuius etiam extat privilegium Romæ 9. Kal. April. anno 1129. perſcriptum. Nec tamen diuturna ſatis aut illibata Vindocinenſibus fuit hæc poſſeſſio. Nam ſive quod Eccleſiæ illius ſarta tecta negligerent , ſive alia potius cauſa fuit , iterum illis eſt adempta , & aliis Cardinalibus , quos B. Priſcæ titulo creabant , per Pontifices attributa. Denique Innocentius III. intermiſſam poſſeſſionem Hamelino Abbati , qui octavus fuit à Goffrido , poſtliminio reſtituit , ſed cum hac exceptione , ut ipſe quidem eiuſque ſucceſſores Abbates priſtinam Cardinalis dignitatem , eiuſque inſignia cum B. Priſcæ Eccleſia perpetuo retinerent. Cæterum ſi quando alij eiuſce tituli Cardinales crearentur, his parerent, quartamque proventuum partem penderent ii, qui B. Priſcæ Eccleſ. pro Vindocinenſibus adminiſtrarent. Innocentij verba , tametſi paulo longius excurrunt, non abs re fuerit audire. Sic igitur habent. *Licet autem anteceſſores noſtri Eccleſiam S. Priſca in monte Aventino ſitam cum omnibus pertinentiis ſuis , & Cardinali etiam dignitate prædeceſſoribus tuis duxerunt concedendam , ſicut in ipſorum privilegiis perſpeximus contineri ; quia tamen poſt aliqua tempora per incuriam & neglectum eorum ipſa Eccleſia deſtructionem & deſolationem incurrit ; quidam prædeceſſorum noſtrorum eam diverſis temporibus diverſis Cardinalibus adſignarunt , quos ad titulum eiuſdem Eccleſia promoverunt. Nos vero tuo volentes honori deferre , de conſueta ſedis Apoſtolica benignitate concedimus , ut dignitatem , quam anteceſſores tui ex conceſſione ipſius Eccleſia ſunt adepti , tu & ſucceſſores tui nihilominus habeatis. Sandaliorum uſum , tunica , & dalmatica , mitra , & annuli, ſicut eis presbyteri Cardinales utuntur , vobis in perpetuum auctoritate Apoſtolica confirmamus , ipſamque B. Priſca Eccleſiam Vindocinenſi monaſterio de ſpeciali gratia reſtituimus : hoc adhibito moderamine , ut ſi forte nos aut ſucceſſores noſtri presbyteros Cardinales ad eius titulum duxerimus promovendos , pro ea maxime cauſa , ut ſuper altare B. Petri conſuetum agant officium , ſicut à ſanctis Patribus provida fuit deliberatione ſtatutum , hi quibus pro tempore curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſia commiſeritis, eiſdem Cardinalibus debitam impendant obedientiam humilem & devotam. Qui videlicet Cardinales de proventibus Eccleſia eiuſdem percipiant quartam partem : vos autem de ipſa Eccleſia geratis ſollicitudinem diligentem, ne per veſtram incuriam in ſollicitudinem iterum redigatur : quia privilegium meretur amittere , qui permiſſa abutitur poteſtate.* Hactenus Innocentius. Ex eo factum eſt , ut gemini deinceps fuerint B. Priſcæ Cardinales : alij ordinarij , quos Pontifices deſignabant ; alij extra ordinem perpetui ac velut nati , Abbates Vindocinenſes. Illi munere & officio , hi titulo tenus & dignitate. Hodie vero nec B. Priſcæ Eccleſiam retinent , nec dignitatem : quam tamen Conſtantienſis concilij tempore adhuc retinebant. Hæ rerum viſces.

Petrvm Leonis] Præcipuum hoc ſæculo Romanæ Eccleſiæ columen & decus Petrus Leo , Romanorum omnium opibus & potentia facile princeps, nec ſolum ſub Vrbano , ſed poſtea etiam ſub Paſchali , cuius pacis cum Henrico interpres , ut Dodechinus & alij ſcribunt : atque , autor fuit , quin etiam ſub Calliſto, ut eſt lib. 5. epiſt. 3. Is eſt cuius reſtat ſepulchrum in atrio Baſilicæ S. Pauli via Oſtienſi cum Epitaphio. Cuius acroſtichis Petri Leonis nomen notat.

Epiſt. 11.

Nobilitas Generis] Guidoni enim Archiepiſcopo Viennenſi , qui in Pontificia dignitate Calliſtus II. appellatus eſt , pater fuit Guillelmus Comes Sequanorum genus , ut cum Sugerio in Ludovici Regis vita loquar , imperialis & Regiæ celſitudinis derivativa conſanguinitate clarum.

Epiſt. 12.

Qvia De Caro Cariorem] Supra epiſt. 10. verba ſunt Calliſti in litteris ad Goffridum , quas in fronte operis inter elogia præfiximus.

Ad Carnotensem Episcopvm] Gaufridum Ivonis ſucceſſorem Hinc pater datas à pontifice de excommunicando Nivelone litteras fuiſſe ad Gaufridum , ſimiles earum quas de eadem ſe ad Ivonem à Paſchali ſcriptas ſervant Vindocinenſes.

Armanno Monacho] Quem ad Vrbanum Papam miſerat Calliſtus , Viennenſis tunc Archiepiſcopus, epiſt. 11.

Nocte Nvdatvs Esset a Fvribvs] Simili caſu equos ſibi Cabillone nocturno furto ſublatos queritur Ioannes VIII. epiſt. 97.

Epiſt. 13.

Comite Vindocinensi] Goffrido, ni fallor, Griſa-tunica , ad quem Ivo epiſt. 129. Duo , Goffrido Abbate , Comites Vindocini Hieroſolymitanam expeditionem iniere : quorum utrique nomen Goffrido , ſed prior Goffridi de Pruliaco filius in ipſa expeditione ad Aſcalonem cæſus occubuit anno 1101. ut narrant Guillelmus Tyrius libro 10. cap. 20. & Malmeſburienſis lib. 4. de geſtis Regum Angliæ. Alter hic Goffridus cognomento Griſa-tunica , cuius maternum genus ſuo eadem epiſtola deſcribit ; peregrinationi ſacræ ſuperſtes ad S. Ægidij oppidum poſtea diem clauſit, relicto Ioanne filio hærede , de quo alibi Goffridus.

B. Priscæ Ecclesiam] de ea dictum eſt ad epiſt. 9. ſed omiſimus monere , Odericum Abbatem, quod ex alio Alexandri II. diplomate didicimus, quia B. Priſcæ monaſterium in monachorum ſancti Pauli

A iure ac poteſtate tunc erat, illud ab Hildebrando Archidiacono Cœnobij ſancti Pauli Oeconomo & Rectore impetraſſe hac lege, ut 12. aut ſaltem 8. in ea monachi ab Abbate Vindocinenſi ex ea penſione, quam Hildebrandus approbante ſancti Pauli conuentu adſignabat, perpetuo alerentur. Itaque Eccleſiam hanc deinceps coluerunt monachi Vindocinenſes. Vrbanus II. Goffrido noſtro. *Eccleſiam B. Priſcæ in qua fratres monaſterij tui religioſè viuentes ipſi vidimus.* Hoc eſt numero inter primos fuit B. Arnulfus, quem Alexander II. Vapincenſem poſtea Epiſcopum creauit.

Epiſt. 14. LATOREM PRÆSENTIVM] Paganum epiſtol. 27.

Epiſt. 15. ANDEGAVENSIS EPISCOPI] Vlgerij, quocum de iiſdem vexationibus conqueritur lib. 3. epiſt. 12. Archiepiſcopus Turonenſis Ildebertus, ut coniicio: B Epiſcopus Cenomanenſis Guido, Ildeberti in ea cathedra ſucceſſor. Legatus autem Girardus, de quo epiſt. 19.

RETRACTARE PHILIPPICAM] ſic etiam loquitur lib. 4. epiſt. 12. Ildebertus in epiſtola 53. *Inuectionem fortaſſis expectas, & Philippicam retractari pallidus ſuſpicaris.*

Epiſt. 16. PETRO DIACONO CARD.] SS. Coſmæ & Damiani, hunc enim eſſe arbitror Petrum Leonis Cardinalem, ad quem de ordinatione Epiſcoporum ſcribit Opuſc. 11. Is à Paſchali creatus Diaconus Cardinalis tituli, quem dixi, Gelaſium in Gallias ſecutus eſt: ubi cum ægrotaret, ad eum miſſa hæc epiſtola videtur.

Epiſt. 17. RICHARDO EPISCOPO LEGATO] Cardinali ſcilicet Albano, de cuius in Gallia legatione, conuentuque Balgentiaci, ac ſynodo Trecis conuocata Ivo Carnotenſis, tum in epiſtolis quas ad ipſum complures ſcribit, tum in aliis ad Paſchalem, cuius Legatus erat, ſub annum 1104.

C Epiſt. 18. CONONI LEGATO] Et hic Epiſcopus item Cardinalis, ſed Præneſtinus, eiuſdem Paſchalis Legatus anno 1115. quo anno tria in Galliis à Conone Legato celebrata Concilia docuit nos cum Roberto monacho S. Mariani, vetus Chronicum Turonenſe. Primum Remis, alterum Bellouaci, tertium Catalauni. Sunt & Ivonis aliquot ad Canonem Legatum epiſtolæ.

OCTO PONTIFICVM] Benedicti IX. Clementis II. Victoris II. Nicolai II. Alexandri II. Gregorij VII. Vrbani II. Paſchalis II. Quorum omnium de hac monaſterij Vindoc. prærogatiua literas vidimus, præterquam Benedicti. Sed huius quoque conceſſionis mentio eſt in literis fundatorum, quorum ſcilicet nutu & voluntate id honoris Abbati Vindocinenſi à ſede Apoſtolica tributum eſt, ut ſoli Papæ ſubſit.

NVLLI PENITVS PERSONÆ] Nec Epiſcopis, nec legatis. Gregorius VII. ad Odericum Abbatem. *Hoc etiam diuina fulti fiducia Apoſtolica auctoritate prohibemus, ne in Vindocinenſi cœnobio ulli unquam perſonæ,* D *niſi ſoli Papæ liceat poteſtatem aliquam, aut dominationem exercere, aut excommunicare, ſeu interdicere.* infra lib. 2. epiſt. 9. & 27.

Nullus Eorum AL. CONCILIO] epiſt. 29.

HILDEBRANDVS ARCHIDIACONVS] Id nomen, munuſque Gregorio VII. priuſquam Pontifex renuntiaretur. Legationis, quam à Victore II. miſſus obiit in Gallia meminit ipſe in colloquio, quod cum Reginaldo Radulfi Archiepiſcopi internuntio habuiſſe illum narrat vetus hiſtoria in tabulario S. Martini Turonenſis. *Ego autem*, inquit, *memini aliquando tempore Victoris Papæ Turoni moras feciſſe in diebus Bartholomæi ipſius urbis Archiepiſcopi, ad diſcutiendam cauſam fratris noſtri B. & me honeſtè à Clericis ſancti Martini eſſe ſuſceptum, quoties volui, & communionibus illorum frequenter uſum fuiſſe.* Duas enim ea in legatione ſynodos egit: Vnam Lugduni aduerſus Simoniacos: alteram Turonis contra Berengarium. E

GIRARDVS OSTIENSIS EPISCOPVS] Legatus primum Alexandri II. mox Gregorij VII. qui & Turonis illum fuiſſe teſtatur in Colloquio quod dixi, & ſynodum ab eodem in Nouempopulis coactam commemorat, lib. 1. epiſt. 16.

STEPHANVS] Si tempora ſpectes, præponi debuit Giraldo. Prior enim legatione functus eſt Nicolao II. Pontifice, Gregorius VII. in Colloquio. *Præterea Stephanus in diebus Nicolai II. Romanæ ſedis Pontificis ad eaſdem partes miſſus eſt, vices acturus Apoſtolicas, vir maximæ auctoritatis. Qui neque proceſſionem à Canonicis poſtulauit; neque expoſtulandam eſſe cenſuit. Quæ ſcilicet ſi adeo improbus eſſet, potuiſſet negari, quippe quæ niſi Regibus Franciæ & Apoſtolicis ab ipſis Canonicis nunquam fit.* F *Quem etiam quandiu ibi fuit honeſtè habuerunt, & ſua maxima caritatis exhibitione largiti ſunt.* Præterea Gregorius idem libr. 7. epiſtol. 18. ubi legati utriuſque meminit, Stephanum legatum prius nominat quam Giraldum. Durauit porro Stephani legatio etiam ſub Alexandro II. Is enim eſt, qui Goffridum Barbatum Comitem anathemate percuſſit ſub annum 1068. Quare illi, ut opinor, ſucceſſit Giraldus.

RAIMBALDVS] Subdiaconus Eccleſiæ Romanæ, Giraldi Oſtienſis in legatione collega. Gregorij VII. lib. 1. epiſt. 6.

VIZELIACENSIS ABBATIS] epiſtol. 15. *Vizeliacum profectus.* Quod oppidum eſt Carroſum in diœceſi Auguſtodunenſi, ubi nobile (ſic enim appellat Bernardus epiſtol. 150.) B. Magdalenæ monaſterium à Gerardo Comite, Bertaque uxore Caroli Calui temporibus conditum. De eodem Petrus Cluniacenſis Abbas libr. 4. epiſtol. 28. *In partibus noſtris Vizeliacus, excepto Cluniaco, in noſtri ordinis ſtudiis nullum patitur habere Priorem.* Ordinis ſui dixit, quia Vizeliacenſe cœnobium, etſi antiquius, G ſub Cluniacenſi diſciplina diu ſtetit, nunc pro monachis canonicos habet ſæculares. Paſchalis II. extant literæ, quarum pericopen epiſtol. 9. vidimus, Beneuenti anno 1103. ſcriptæ Altardo Abbati Vizeliacenſi, huic ipſi fortaſſe, quem impune cæſum narrat Goffridus.

GIRARDO Engoliſmenſi] Duo huius nominis modico interuallo Epiſcopi Engoliſmenſes fuerunt. Epiſt. 19. Prior dedicationi Eccleſiæ Vindocinenſis interfuit anno 1040. Verum hic legationem, cuius extet memoria, nullam obiit. Alter hic ab illo quartus genere Normannus, pene continuus in Aquitania ſedis Apoſtolicæ vices egit, primum ſub Paſchali, & aliis poſt eum legitimis Pontificibus: deinde ſub Anacleto Antipapa, ad quem, Bernardo teſte, quia legationem ab Innocentio extorquere non poterat, fœda præuaricatione defecit. Anacleti binæ epiſtolæ quibus legationem illi decernit, in Annalibus Eccleſiaſticis leguntur: miſerabilis vitæ exitus deſcribitur in vita S. Bernardi.

PETRVM de Monte-aureo] libro tertio epiſtol. 17. H Hamelinus de monte-aureo, eadem ex familia Ioannes de Monte-aureo Comes Vindocinenſis.

A CENOMANENSI Epiſcopo & Andegauenſi] Ildeberto & Rainaldo.

FALSAM beatitudinem Normannorum] Non eo Epiſt. 20. dictum puto, quaſi Normannis peculiare aliquod placitum fuerit de falſa beatitudine: ſed quia Girardus Normannus erat, ad Normannos id aptauit, quod ſæpe uniuerſim pronuntiare ſolet: Ex falſa beatitudine veram miſeriam ſequi, epiſt. 30. & lib. 2. epiſt. 3. lib. 5. epiſt. 14.

DOMINVM PAPAM] Paſchalem II. qui in priuilegio inueſtiturarum Henrico nimium indulſerat, epiſt. 7.

DOMINVS

A

DOMINVS noſter Papa] Paſchalis, qui legatum illum crearat.

ANDREAM DE VITREIO] Notum eſt oppidum in Armoricis, à quo nomen vetuſtæ ac primariæ quondam familiæ, in qua & Robertum Vitreienſem in Conani Comitis aula memorant literæ Hamelini Epiſcopi Redonenſis, ad librum 3. epiſt. 39.

EPISCOPVS PICTAVIENSIS] Petrus, cui ſucceſſit Guillelmus, is fortaſſe, qui Archidiaconus hoc loco. Guillelmum Archidiaconum Pictavienſis Eccleſiæ docent tabulæ ſancti Albini, anno 1100. Matronenſibus monachis conceſſiſſe, ut altare conderent in Francavilla.

B

CARROFENSEM ABBATEM] In dedicatione Vindocinenſi numeratur inter Abbates qui adfuerunt, Hugo de Sancto Salvatore Carrofi Abbas. Hic enim titulus monaſterio pagi Pictonici, à Rothario Comite, ut auctor eſt Theodulfus Aurelianenſis, & Euphraſia eius uxore condito, Ludovici Pij Auguſt. temporibus Carrofiucum monaſterium dicitur Fulberto epiſt. 116. quod iterum poſtea inſtauratum, dedicatumque oſtendit Calendarium Sancti Sergij Andegâvenſis, his verbis: *X V I. Kal. Iulij Carrofenſe monaſterium Dei & Domini noſtri Salvatoris mundi dedicatum eſt anno à nativitate eiuſdem ex Virgineglorioſa* 1048. Theodulfi verſus de Carrofenſi Cœnobio, ſi quis forte deſiderat, hi ſunt.

Eſt locus, hunc vocitant Carroph cognomine Galli,
' Que pates electis aulica porta poli.
Quo Salvatoris ſub nomine pranitet aula,
Quove monaſterij clauſtra decora manent.
Enitet hic rutilo Sanctorum pignore fretus,
Vivis & eximiè turba fidelis ibi.
Denique Rotharius Comes ingens, inclytus heros,
Coniuge cum Euphraſia condidit iſtud opus.
Hoc fulvo argento, gemmiſque exornat & auro,
Affluit & libris, veſtibus atque ſacris, &c.

C

Carrofium itaque loci nomen eſt, non viri, ut perſuaſum videtur, non infimi, quod mireris ævi ſcriptoribus, qui monaſterium Sancti Carrofi appellarunt.

MILLE Solidos Barbatinorum] Arabicos, Saracenicos barbaris notis ſignatos. Theodulfus idem Epiſcopus in Parænesi:

Hic & cryſtallum, & gemmas promittit Eoas,
· Si faciam alterius ut potiatur agris.
Iſte gravi numero nummos fert divitis auri,
Quos Arabum ſermo ſive character arat.
Aut quos argento Latius ſtylus imprimit albo,
Si tamen adquiras prædia, rura, domus.

D

Frequens iam tum aureorum huius notæ nummorum uſus erat in Gallia, rerum potiente alterâ Regum noſtrorum familiâ: poſt ſtabilitum nempe Saracenorum Arabum Imperium in Hiſpania, unde ad nos, ut equidem cenſeo, illa externi auri copia ex commercio fluebat: effodiunturque etiam nunc ſolidi Arabici multis Galliæ locis, ut docuit nos V. C. Paulus Petavius Pariſienſis Curiæ Senator, cuius indicio Theodulfi quoque hos verſus debeo.

BERNERIVS Bonæ-vallis Abbas]ad hunc aliquot Epiſtolæ lib. 4.

FVLCO Biennenſis Abbas] Monaſterium eſt in Santonum diœceſi, Sancti Stephani de Beania vulgo vocant.

COMITEM Andegav.] Fulconem V. de quo epiſtol. 8. Huic enim bellum fuit cum Henrico Anglorum Rege, ac Duce Normannorum, anno 1118. ad

E

Alencionem Caſtrum, & Sagium, ubi collatis ſignis Comes victor abiit.

ABBATI Angeriacenſi] Henrico ad quem lib. 5. ſcribit.

SOLIDOS Pictavienſium Maſculorum] In geſtis Ademari Epiſcopi Engoliſmenſis. *Cùm epiſcopus à Prepoſito mille ſolidos Pictavenſium pro acaptamento exigeret, & ipſe reddere non poſſet, Iterius Epiſcopo mille dedit.* Maſculi Pictavenſes peculiaris notæ nummi, ut Fortes Lugdunenſes, in teſtamento Guichardi de Belloioco, quem Sibylla uxor literis ſuis anno 1200. profeſſa eſt Eccleſiæ Cluniacenſi pro anniverſario ſuo legaſſe in ſingulos annos 10. libras Fortium Lugdunenſium.

RAINALDVM CHESNELII] lib. 3. epiſt. 39.

DOMINVM PAPAM] Calliſtum II. epiſtol. 12. & 13. *Epiſt. 12. epiſt. 13.*

F

ABBAS S. NICOLAI] Lambertus, de quo lib. 3. epiſt. ſ. & 9.

ANDEGAVENSIS] Rainaldi Epiſcopi, de cuius electione, quam tacite perſtringit, plura lib. 3. 11.

AD FONTEM EBRALDI] epiſtol. 16. & lib. 4. epiſt. :2. *Epiſt. 14.*

EPISCOPVS PICTAVIENSIS] Guillelmus Petri ſucceſſor.

ABBATI BATIACENSI] In pago Santonico. Geſta Grimoardi Epiſcopi Engoliſm. *Huius tempore quidam de principibus Engoliſmenſibus Guadardus de Lorichis ædificavit in Santonico pago Monaſterium Batiacenſe in honore ſancti Stephani Protomartyris, & cenſuale fecit Romana Eccleſia.* Baſſacenſe & de Baſſaco nunc dicunt.

G

DE ECCLESIA B. MARIÆ] Tres in Olerone Inſula iuris Vindocinenſis erant Eccleſiæ, quas recenſet his verbis Gregorius V I I. Oderico Abbati. *Eccleſia ſancti Georgij in Oleronis inſula, cum magna parte eiuſdem inſulæ. Eccleſia Beatæ Mariæ de Caſtro Oleronis, Eccleſia ſancti Nicolai de Olerone.* Ex his ſecunda B. Mariæ Parrochialis erat, ut teſtatur Nicolaus I I.

PATRIMONIVM B. P. & Alodium] Duo iſta ſæpe coniungit, & reipſa coniuncta ſunt. Nam quod Alodium eſt, tranſit ad hæredem, & fit patrimonium. Quod in feudis, aliiſve beneficiis locum non habet. Etſi enim hodie pleriſque locis feuda ſunt patrimonialia, id tamen non habent ex feudi natura, quod in perſonam vaſſalli conſtitui ſolebat: ſed ex peculiari pacto & conventione. Alodium vero ſemper eſt patrimoniale. Quare patrimonium dicitur, & hæreditas, quatenus ab alio manat: proprium ius, & proprietas, ut à Domino poſſidetur. Hinc illa ſæpe connexa, in proprio alodio, de proprio alode, & alia id genus. Vrbanus I I. Hugoni Abbati Cluniac. *Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis in Marciniaco, quod in alodio proprio ædificaſti.* Noſter epiſt. 2. *In patrimonium & alodium proprium.*

H

PETRO de Monte-Contorio] & tamen eadem è familia Robertus Vindocinenſe Monaſterium ſuis olim beneficiis ornarat. Georgius V I I. *Eccleſia ſancti Petri de Monte Soleti, & quidquid Robertus de Monte-Contorio Vindocinenſi cœnobio donavit, & eius filius Bertrannus conceſſit.* Mons-Contorius Pictonum oppidum, memorabili prælio noſtra ætate nobilitatum.

INFRA terminos veſtræ legationis] Girardus in tota Gallia Legatus non erat, ſed in Aquitania duntaxat, quod docent acta ſynodi Lateran. Anno 1112. Verum Aquitaniæ Legatis præter Aquitanicas Provincias attribui ſolebat etiam tertia Lugdunenſis. Quo fit, ut cum Giraldo Aquitaniæ Legato multa tractentur, quæ ad tertiæ Lugdunenſis diœceſes pertinebant, ut epiſt. 6. & 23. cauſæ Abbatum ſancti Albini, & ſancti Nicolai; apud Idelbertum epiſt. 38. cauſa Abbatis Ebronenſis: quorum hic in Cenomanenſi Epiſcopatu erat, illi in Andegavenſi. Hoc ipſum liquet

A ex literis Amati Epiſcopi Olorenus, qui Aquitaniæ item legatus fuit pro Gregorio V I I. ut Gregorius ipſe teſtis eſt, lib. 2. epiſt. 2. Is enim ad Rodulfum ſcribens Archiepiſcopum Turonorum, ei ut ad ſynodum Burdigalenſem cum Suffraganeis ſuis veniat, præcipit his verbis. Præſtat enim eius literas audire.

AMATVS ELLORENSIS *Epiſcopus, ſanctaque Romana Eccleſiæ Dei gratia Legatus, Radulfo venerabili Turonorum Archiepiſcopo ſalutem, & omne bonum in Domino Ieſu-Chriſto.*

Noveris veſtra Caritas, frater dilectiſſime, nos authoritate Dei omnipotentis, omniumque legationis noſtræ Epiſcoporum, Abbatum, Principum conſenſu Concilium Burdegala in octava ſancti Michaelis celebrandum conſtituiſſe. Quapropter fraterna dilectione vos rogando admonemus, & Apoſtolica autoritate iubendo præcipimus, B *quatenus recraſtinatione poſtpoſita, cum omnibus ſuffraganeis veſtris, Eccleſiaque veſtra privilegiis ad Concilium ſupradictum veniatis, ut conſilio veſtro ſolatioque cauſa Dei confirmetur, & Eccleſia veſtra iuſtitia pro qua hactenus magna, diverſaque contentiones extiterunt, Deo annuente, reſtituatur. Nos autem, ſi Deus permiſerit, in reverſione noſtra de Britannia vobiſcum loquemur, ut quidquid ſuper his cæteriſque negotiis veſtris conſtituendum ſit, Deo omnipotente tribuente ſalubriter ordinemus.* Ex his ergo manifeſtum eſt legationem Aquitanicam totius etiam tertiæ Lugdunenſis fines complexam eſſe. Quod confirmatur ex iis, quæ Bernardus Bonævallis Abbas de hoc ipſo Girardo ſcribit lib. 2. vitæ B. Bernardi cap. 6. *Erubeſcebat*, inquit, *ad primam domum redire, cuius Potentatui & Turonica, & Burgedalenſis, & Auxienſis provincia ſubdita fuerant, & quidquid à callibus Iberorum uſque ad Ligerim complectitur, & claudit Oceanus, paruerat eius imperio.*

PER COMITEM Andegav.] Fulconem item epiſt. ſequenti.

C Epiſt. 27. PRÆTEREA SEXVM FOEMINEVM] Ivo epiſtol. 28.

Ille ſexus mihi eſt ſuſpectus & infeſtus, qui etiam amicis aliquando non ſatis eſt fidus.

PICTAVIENSEM Epiſcopum] Guillelmum.

AD DOMINVM Papam] Honorium I I. ut docet epiſt. 14.

Epiſt. 28 ANDEGAVENSI Epiſcopo] Vlgerio, epiſt. 15. & lib. 3. epiſt. 12. ubi & de Vrbani decreto.

RICHARDVS ARCHIDIACONVS] epiſtol. 31.

HVGONI Archiepiſcopo] Ex Epiſcopo Dienſi factus eſt Archiepiſcopus Lugdunenſis, legationemque in utroque munere ſub Gregorio V I I. geſſit in Gallia: tum poſtea etiam, quod ex Ivonis epiſt. 24. & aliis patet, ſub Vrbano I I. quem hoc loco intelligit Goffridus, Epiſcopum vero Andegavenſem Gaufridum à Meduana, qui ad ſedem illam evectus eſt anno 1907. Hugonis Legati literas, quibus Fulconem 4. Comitem Andegav. Eccleſiæ communioni reſtituit apud D S. Florentium, inter Goffridi elogia vidimus.

Epiſt. 29. VMBALDO Archiepiſcopo] Lugdunenſis etiam Archiepiſcopus, fuit, Ioannis poſt Gauceranum ſucceſſor, quartus ab Hugone. Legatus autem Honorij I I. quod docet Epiſtola 22. S. Bernardi, Honorio Pontifice ſcripta *Vmbaldo Lugdunenſi Archiepiſcopo & Romana ſedis Legato.*

VICTORIS, Nicolai, &c.] Horum omnium Privilegia exhibet tabularium Vindocinenſe. Quin & ante hos omnes Clementis I I. de eadem re diploma, ne Abbas Vindocini coactus ad Concilium ullum veniat, quod ab ipſo Romano Pontifice non fuerit celebratum. Quare Legatis Illum vocare nefas erat. Alexander 11. Oderico: *Abbas Vindocinenſis, qui Alodiarius B. Petri noſcitur, ab Epiſcopo, vel à quolibet noſtræ ſedis Vicario ad Concilium nullatenus vocetur:* quod cæteri poſtea Pontifices iteratis ſanctionibus approbarunt.

RADVLFO Turonenſi Archiepiſcopo] Duo in ea ſede Radulfi alter alteri ſucceſſerunt. Prior Fulcredi filius, ad quem multæ extant Gregorij V I I. epiſtolæ. Poſterior Aurelianenſis patria, qui ſub Vrbano I I. iniit anno 1094. Ad hunc ſcribit non ſolum Goffridus hoc loco, ſed Ivo etiam Carnotenſis ep. 235. De eodem & noſter lib. 5. epiſt. 2. E Epiſt. 30

HARDVINVS de Malliaco] Haud ſcio an frater Iaquelini de Malliaco, quem cum fratribus quatuor expeditioni Fulconis V. adverſus Henricum Regem, de qua ſuperius dictum eſt, interfuiſſe narrant Geſta Comitum Andegavenſium. Malliacus oppidum eſt agri Turonici verſus Andegavos.

R. REMORVM Archiepiſcopo] Rainoldo, prius Epiſcopo Andegavenſi, qua ex Cathedra Ludovici V I. Regis ope ſubnixus ad Remenſem tranſlatus eſt; Vlgerius in eius locum ſubrogatus. Breve Chronicum ſancti Albini. *Anno 1124. Exercitus de Moſteriolo. Rainaldus Remenſis Archiepiſcopus eligitur. Obiit Calliſtus Papa Anno 1125. Vlgerius Epiſcopus ordinatur 12. Kalend. Octobris.* Papa igitur in hac epiſtola eſt Honorius I I. Calliſti ſucceſſor. Andegavenſis Epiſcopus, Vlgerius. Archidiaconus eius, Richardus, de quo epiſt. 27. Fuerat paucis ante annis alter huic cognominis Remorum ex, S. Martini Theſaurario Archiepiſcopus Rainaldus, Græciæ poſtea Comitiſſæ filius, ad quem Ivo epiſt. 13. & de quo Anſelmus in præfatione libri de Incarnatione. Epiſt. 31 F

AD LIBRVM II.

IVoni Epiſcopo] Carnotenſi. Notior eſt, quam ut de eo dici multa debeant. De auſpiciis Epiſcopatus eius, tantum monebo, cum diſcrepent ſententiæ, certum videri ea incidiſſe in annum 1092. Ac labente quidem anno conſecratum fuiſſe, indicant èpiſtolæ Vrbani Ivonis epiſtolis præfixæ: nam Capuæ VIII. Kalend. Decembris datæ leguntur paulo poſt conſecrationem. Annum autem Chriſti illum fuiſſe, quem dixi, non ſequentem, quod nonnulli tradunt, argumento eſt locus, unde ſcriptæ ſunt. Vrbanus enim anno 1093. ad. 8. Kalend. Decembris Tarenti erat, non Capuæ. Præterea ſi hoc anno inauguratum dixeris, non conſtabit ante obitum Vrbani ſeptem annorum numerus, quos à ſuſcepto Epiſcopatu exactos numerat epiſtol. 67. Itaque conſecratus ab Vrbano Epiſcopus fuit Ivo anno 1092. Ipſe poſtea Goffridum electum Abbatem ſolemni benedictione impertiit. Quod nimirum inter beneficia, quæ accepta hoc loco fert Ivoni, præcipuum fuit. Epiſt. 1. G

In maiorem Eccleſiam noſtram] Monaſterij ipſius Vindocinenſis, quod Theodericus Epiſcopus Carnotenſis, ut lib. 1. epiſtol. 4. obſervatum eſt, à ſua & ſucceſſorum poteſtate exemerat, ac nominatim etiam de excommunicatione & interdicto caverat, ut Clementis I I. aliorumque Pontificum litteræ declarant. Denique non ſolum id vetitum Epiſcopo Carnotenſi: ſed nulli omnino licuit præter loci Abbates & Pontificem. Alexander I I. Oderico Abbati. *Hoc etiam adiicimus, ut memoratus Vindocinenſis locus nullatenus niſi ab Abbate loci pro ſuis iniuriis, vel à prima ſedis Pontifice excommunicetur vel interdicatur, etiamſi Carnotanſem patriam excommunicari contigerit.* Epiſt. 2. H

Interdictum in Eccleſiis noſtris] ſubditis Monaſterio Vindocinenſi. Gregorius V I I. Oderico. *Neque etiam ſubditas prædicto loco Eccleſias, ubicumque ſint, excommunicare vel interdicere cuiquam liceat, niſi apertis pro culpis, & quas Vindocinenſis & fratres canonice ab ipſis Epiſcopis admoniti emendare contempſerint.* Apertas culpas excipit, ut Goffridus iuſtum interdictum, quia in cellis Vindocinen-

ſium

A ſium non procedere ac in Monaſterio vetitum erat omne interdictum.

Epiſt.3. Circa fratrem] Danielem nomine; Sic enim appellat Ivo epiſtol. 82. ad quam Goffridus hic reſpondet.

Epiſt.4. In ordinis dignitate.] Primis ſæculis Monachi extra Clerum erant. Ideo in pœnis canonicis non depoſitione, ut Clerici, ſed excommunicatione cum laicis plectebantur. Synodus Calchedonenſis canone 2. καὶ οὗτος εἰ μὲν κληρικὸς εἴη τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ, εἰ δὲ λαϊκὸς ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω. Poſtea ſacris ordinibus initiari cœperunt. De Monachis igitur Clericis, qui poſt apoſtaſiam ad Monaſteria ſua redeunt, quærit quomodo recipiendi ſint: an ita nimirum, ut in priſtina ordinis ſui dignitate, gradúque maneant: an ita potius ut eo excidant, & ad laicorum ſortem revocentur. Qua in re etſi ſevera quondam erga omnium ordinum Clericos Eccleſiaſticæ cenſuræ lex fuerit, mitius tamen actum eſt interdum, & pro criminis pœnitentiæque modo indultum, ut videre eſt in iis quæ collegit Gratianus D. L. Ivonis porro epiſtola, qua de Monachis ad Goffridi conſultationem reſpondebat, interiit. B

Epiſt.5. Domino Papæ] Paſchali II. An Goffridi opera uſus ſit Ivo, non liquet. Bernerium Bonævallis Abbatem ad Paſchalem à ſe aliquando legatum docet epiſt. 147. *Vnde miſi, inquit, vobis vice mea Dominum Bernerium Monaſterij Bonævallis Abbatem, boni teſtimonij.*

Familiares ac propinquos.] Eo ſpectat quod eſt apud Ivonem Decreti P.16.cap.361. *ut contra extraneos parentela aut propinquitas teſtimonium minime dicat.* Hoc argumento idem Ivo epiſt.108. Archiepiſcopi Turonenſis teſtes Paſchali ſuſpectos reddit, ut conſanguineos ac de domo productos, & Alexander III. cap. in litteris, de teſtibus, nobilis item cuiuſdam Firmani teſtes reiicit, quos in divortij cauſa de familia ſua producebat. C Vbi hoc igitur exemplo id patet, quod ambigit Goffridus, teſtes domeſticos non ſolum in capitalibus, ſed in aliis etiam cauſis non eſſe recipiendos. At receptos aliquando conſtat ex privilegiis. Nam ex præcepto Philippi Pulchri Audacis Regis didicimus, cum ab Abbate & Conventu Sancti Dionyſij adverſus Latiniacenſes quaſdam fœminas de ſtatu earum moris eſſet, teſtéſque contra illas producti rejicerentur, quod de corpore eſſent Eccleſiæ Beati Dioniſij, & Monachi contra obtenderent, ſe regium privilegium à Ludovico VI. in eam rem habere, Curiam perlecto privilegio pronuntiaſſe, teſtes in ea cauſa idoneos, eorum teſtimonium validum videri. Anno 1287. menſe Iunio.

Epiſt.6. Litteras veſtras.] Non extant hæ litteræ Ivonis

D Nulla perſona media.] In privilegio Victoris II. *Confirmamus igitur, atque BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate ipſum Monaſterium ita ſpecialiter corroboramus, quatenus inter primæ & Apoſtolicæ Sedis Pontificem, & Venerabilis loci Vindocinenſis Abbatem nulla cuiuſquã dignitatis, vel ordinis perſona ſit, media habeatur:* quæ eadem ferè verba leguntur in aliorum Pontificum diplomatis, atque in tabulis ipſius fundatoris.

Profeſſum veſtrum me vocaſtis.] Iure antiquo Abbates omnes in Epiſcoporum erant poteſtate. Concilium Aurelianenſe primum, can.11. *Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant.* Synodus Calchedonenſis can.4. ἔδοξε τοὺς καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ. Quare Epiſcopis ante conſecrationem ſuam ſubiectionis, obedientiæque profeſſionem edebant, ad eam formulam, aut eius certè conſimilem, quam à Ciſtercienſibus edi ſolitam docet Honorius III. c. *ne Dei Eccleſiam.* De ſimonia: *Ego N. Abbas Ciſtercienſis ordinis ſub electionem & reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam ſancti* E *Benedicti, tibi Domine Epiſcope, tuiſque ſucceſſoribus canonice inſtituendis, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſalvo ordine meo, perpetuo me habiturum promitto.* Qui vero Sedis Apoſtolicæ privilegiis exempti fuerant ab Epiſcoporum poteſtate, ut Vindocinenſes, ij nimirum profeſſionem illam non edebant. Elicuit tamen Ivo Epiſcopus à Goffrido, quem propterea ſubditum & profeſſum ſuum appellabat. Sed Ivonis factum, ut mox dicet, improbavit Vrbanus profeſſionémque à Goffrido extortam antiquavit; quod iterum repetit epiſt.11.

Sed Papa Vrbanus.] Vrbani hac de re privilegium inſertum eſt epiſt. 27. huius libri, ad Goffridum Epiſcopum Ivonis ſucceſſorem. Epiſt.7.

Domnus Ernaldus] ſubſcribit is litteris Ivonis, quæ Canonicorum ſancti Ioannis Valiacenſis fundationem continent, leguntúrque inter ep. Ivonis n. 286. F *Signum Ernaldi Decani.* Videtur idem poſtea ex Clerico factus monachus: deinde iterum abiecto monachi propoſito ad priſtinum gradum regreſſus. Monachum factum teſtatur Ivo epiſtol 262. ad Pontium Abbatem Cluniacenſem. *Collectiones Canonum per Dominum Ernaldum modo Monachum veſtrum, olim Clericum noſtrum tranſmiſi vobis.* Non perſeveraſſe, tacito ſenſu indicat hoc loco Goffridus.

Teſte Flocello de capite] Monaſtici cultus parte, quam retinebat. Flocus, ut docet Clemens V. *de ſtatu Monachorum, capite primo*: ea eſt Monachorum veſtis quæ longas & amplas habet manicas. Flocus & Flocellus, minor Flocus. Noſtrates hodie, litterula mutata, magnum & parvum Frocum vocant. Qui ex Canonicis facti fuerant Monachi, hi, ſi ad Canonicos redibant, cucullam deinceps ad memoriam ex Vrbani II. decreto deferebant 19. q. 3. *mandamus.*

Potius in noſtra, quam in veſtra ſorte.] Monachus potius, quam Clericus. G

Epiſt.8. Goffrido Danielis] Archipreſbytero Vindocinenſi, cuius iterum meminit epiſtol. 9. 12. & 21. ubi eaſdem de illo querelas retexit.

Archidiacono veſtro] Vindocinenſi, quem tacito etiam nomine perſtringit, & glorioſum Archivelitam vocat epiſtol. 17. Rambaldus, opinor, dicebatur. Ivonis ſane litteris, quibus maiori Monaſterio Eccleſiam Hauchenſem conceſſit anno 1114. teſtes primo loco adſcripti Raimbaldus Vindocinenſis Archidiaconus, & Anſgerus Bleſenſis Archidiaconus. In Eccleſia Carnotenſi præter Vrbanum Archidiaconum, qui magnus appellatur, quinque ſunt Archidiaconi pagenſes, Caſtrodunenſis, Piſciacenſis, Bleſenſis, Drocenſis, & Vindocinenſis.

Nivelone & filio eius Vrſione.] De his lib. 1. epiſtol.11. & infra epiſtol.9. 13.23. & 30. Extant in ſcriniis Vindocinenſibus Paſchalis II. litteræ ad Ivonem, in quibus utrumque ob injurias & damna Vindocinenſi Monaſterio inflicta, ſacris arceri iubet. H

Epiſt.9. Nulli Epiſcopo niſi Romano.] Lib.1. epiſt.18. & infra epiſt.27.

Litteræ noſtræ.] Ea epiſtola 7. huius libri Ivonis autem epiſtola, cui Goffridus hic reſpondet, numero 195. hoc habet exordium. *Accepi litteras tuas palpantes & pungentes: in quibuſdam mellis dulcedinem redolentes: in quibuſdam fellis amaritudinem reſpergentes.*

Epiſt.10. Profeſſio quam à me.] Dictum eſt epiſt.7. dicetúrque iterum epiſt.27.

Epiſt.11. Navicularia potius quam gratis data.] Vtitur eadem voce eadem in re opuſculo 10. Navicularia benedictio dicitur, ut navicularia functio in Codice, ſed alio ſenſu. Naviculariam enim benedictionem appellat, non gratuitam, ſed mercenariam, & pro qua aliquid exigatur, ut pro tranſvectione navium & merces à naviculariis. Non abſimili tranſlatione inſtitoriam lectionem dixit epiſtol.1. Ildebertus, cui ſordidus & illiberalis quæſtus eſt propoſitus, ut lucrum inſtitori.

A Sic enim ſcribit : *Hinc eſt quod ambitioſam ſuppellectilem inexorabili odio proſequeris: quod inſtitoriam abdicas lectionem, quod magnum quæſtum indicas pietatem cum ſufficientia.*

Ab alodiario Beati Petri.] Beneficiario ſupra ep.7. Vt feudatarius Domini dicitur, qui eius feudum tenet, ſic alodiarius, qui alodium.

Nec tamen perpetuo hæc ſibi reſpondent. Nam Abbas Vindocinenſis alodiarius Beati Petri rectè dicitur, quia Monaſterium eius alodium eſt Sedis Apoſtolicæ : feudatarius dici non poteſt, quia Monaſterium fundi iure non habet

Epiſt.11. Archipreſbytero veſtro Goffrido] epiſt.8.

Epiſt.13 Propriis rebus exſpoliati.] Infra epiſt.29.

Epiſt.14 Goffridi olim Bleſenſis Abbatis.] Cœnobij ſancti Launomari ; ad quem honore iam defunctum, atque ex Abbate anachoretam priſtinæ ſolitudini redditum tres leguntur epiſtolæ Ivonis 164.28. 140. B

Exercuit inimicitias.] Ob controverſiam videlicet, inter Bleſenſes Monachos & Vindocinenſes agitatam de oblationibus Parochiæ Vlchenſis, de qua Ivo epiſt.162.

Veritatis teſtimonium.] Cur teſtimonium hoc exquiſierit Ivo, intelligi poteſt ex tribus ſupra ſcriptis eius epiſtolis, in quibus docet pœnituiſſe poſtea relictæ Abbatiæ Goffridum, Mauricióque ſucceſſori propterea obtrectare, & adverſari ſolitum.

Brunonis tunc Legati.] Ivo epiſtol.164. ad Goffridum Bleſenſem : *Qui in manu Romana Eccleſia Legati, nullo te cogente, immo ipſo Legato diſſuadente Abbatiam dimiſiſti, & in electione ipſius Mauricij primam vocem dediſti.* Incidit Brunonis Signiæ in Campania Italica Epiſcopi legatio in annum Chriſti 1106. Hoc ſiquidem anno in Gallias veniſſe Buamundum Ducem notat Chronicum Sancti Albini. C Buamundum autem Paſchalis iuſſu comitatus eſt Bruno Legatus. Auctores Petrus Diaconus, & Sugerius Abbas ; qui & Synodi ab eodem apud Pictavos celebratæ meminerunt.

Epiſt.15 Clericos veſtros] Canonicos ſanctæ Mariæ Carnotenſis.

Gradus domus noſtræ] Eccleſias quinque à Theoderico Epiſcopo Vindocinenſibus datas oſtendunt litteræ Pontificum. Clemens I I. Victor item, & Nicolaus I I. in Privilegiis confirmationis. *Eccleſias quinque, quas Theodericus Carnotenſis Epiſcopus Monaſterio Vindocinenſi dedit amore Dei & ſupplicatione Goffridi Comitis. Eccleſiam ſcilicet ſancti Beati, Eccleſiam ſancti Ioannis de Caſtrodunenſi, Eccleſiam de Balneolis, Eccleſiam de Villarebla, Eccleſiam Ancherici.* D Sed harum nulla Carnuto proxima. Quare alibi quærenda eſt.

Epiſt.16 Comitem Vindocinenſem] Goffridum lib.1. ep.12.

Caſtelli Banleugæ,] Gauffridus Comes in tabulis fundationis ea enumerans quæ Monaſterio Vindocinenſi obtulerat ; *In caſtro,* inquit, *Vindocino terram ad burgum faciendum, cum rapto & furto & incendio, vicaria & banleuga, & conſuetudinibus univerſis.* Ludovicus V I. in præcepto pro Cœnobio S. Dionyſij, anno 1111. *Item ſtatuimus, ut quicumque ſit infra Bannileugam Sancti Dionyſij, vel infra terminos antiquitus inſtitutos à nullo rapiatur, neque res eius diripiatur, ſed ſi aliquid foris fecerit, ab Abbate tantum vel à Monachis iuſtificetur.* Banleuga ſeu Bannileuga dicitur is modus agri, cuius finibus loci alicuius immunitas vel iuriſdictio terminatur. Nota vox & ſignificatio multis in locis Galliæ. Banni apud maiores noſtros multiplex fuit notio. Nam & publicum edictum bannum appellabant, & mulctam, & proſcriptionem bonorum, & exilium, & alia iudiciariæ ſummæque poteſtati connexa. Quos ego ad fines ea poteſtas porrigebatur, cum ambitum ſive procinctum, ut loquebantur, Bannileugam dicebant : ſeu quia leugæ ſpatio plus minus definiebatur, ſeu fortè quia leugæ, ſive Leuvuæ nomen pro quovis terræ ſpatio, tractúque uſurpabant. E In Caroli Calvi præcepto ſancti Dionyſij Banleuga in hunc modum deſcribitur. *Statuimus ut prædictus locus immunitatem habeat.* Et poſt alia : *Cui quidem immunitati ipſos eoſdemque terminos imponi cenſemus, qui in Privilegio Domni Dagoberti Sereniſſimi Regis, quod de fugitivis ad idem cœnobium iſdem glorioſiſſimus Rex fecit, præſcripti ſunt. Id eſt, uſque ad eum locum, quo ad eandem Eccleſiam tendentes Tricenam pontem ingrediuntur, necnon etiam uſque ad montem Martyrum, ubi ipſe præcellentiſſimus Domini teſtis agonem ſuum fideliter complevit : ſimilitérque uſque ad viam publicam, quæ ad Luperam ducit. Itaque hanc totam procinctã Deo, Sanctóque eius Dionyſio donamus, cum omni iudiciaria poteſtate. Hoc eſt bannum, omnémque infracturam, & ſi quæ ſunt aliæ conſuetudines legum.* Satis ex deſcriptione liquet, ſancti Dionyſij bannileugam ultra leugæ unius ſpatium porrectam fuiſſe. Quod vero leuvam abſolutè pro ſpatio & menſura, vſurpaſſe videantur, dederunt aliud præceptum Caroli Magni, quo villas Faverolas, & Nonte F ntem in pago Carnoteno eidem Sancti Dionyſij Monaſterio cum ſylva Aquilina donat. Eius autem ſylvæ Leugas, hoc eſt, ſpatia, regionéſque ſuis finibus circumſcribit his verbis. Totum enim locum exſcribam, etſi antiquariorum vitio parum caſtigatum.

Inſuper & cum Foreſte ad eas pertinente, quæ vocatur Aquilina, cum Foreſtariis & cæteris finibus in ea deſignatis. Videlicet contra pagum Madriacenſem pervenit Leuvua uſque ad Petram fictam. Deinde ad montem Presbyteri : deinde ad Condacum uſque ad Cuculoſa. Secunda Leuvua contra pagum Pinciaſenſem pervenit ad Codonarias, deinde ad Vennas vſque ad Aureovallo, deinde Levicias. Tertia Leuvua contra pagum Pariſienſem de Vlfanciacas pervenit ad campum Dominicum. G *Deinde ad campum Mulgeverti. Deinde ad Sarnecum uſque ad cellam ſancti Germani. Deinde per illam ſtratam quæ pergit ad vetus Monaſterium. Contra pagum Stampenſem pervenit Leuvua ad Raſbacium. Deinde ad Affrumenterilas, deinde ad Waranceras. Contra pagum Carnotenſem pervenit Leuvua ad Puciolos : inde ad Putilitos : deinde ad Hitlinvilare : inde ad Wadaſtivillam, & illud pirarium. Deinde ad illam fronam quæ fuit Stephanonæ. Inde ad Calmontem : deinde ad illam ſtratam quæ pergit ad Helmeretum. Inde ad Longum lucum & Senona vallem ſuper Nivigellam.* Pro Banleuga leugam ſimpliciter poſuit Ivo, epiſt.101. & 259. *quod ab omnibus molendinis Belvacenſis Leuvæ committitur.*

Vt B.Hieronymus dicit] epiſt. 23. ad Marcellam de ægrotatione Blæſillæ.

Pauperum corpora ſepeliri conceſſiſtis.] Eccleſiaſticam ſepulturam prohibet interdictum. H Excipit Innocentius I I I. Clericos, qui tamen interdicto paruerint, cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiſ. Quod pauperibus illam conceſſit Ivo, peculiare fuit privilegium.

In caſtro Vindocini] Vindocinum, quod Caſtrum Goffrido & Caſtellum dicitur, non obſcuræ notæ eſt oppidum ad Ledi fluminis ripam, in Carnutum agro ac diœceſi. Quod vnum argumentum ſatis eſt ad minuendam opinionem, quæ multorum hodie animos pervaſit, Vindocini à Ptolomæo Geographo mentionem fieri, Vindinúmque appellari. Vindinum enim *ουίνδινον*. Ptolomæus non in Carnutibus, ſed in Aulerciis Cenomanis locat, & primariam eorum vrbem facit. Quare haud dubium eſt aliam non eſſe, quam Cenomanum ipſum, totius Cenomanicæ provinciæ caput, cuius nomen Gallica conſuetudine ſuum fecit ; etiam apud Goffridum lib. 3 epiſtol.16. Vindocini vero Caſtelli antiquiſſima, quæ nunc quidem ſuccurrat, mentio eſt in pactione Guntranni & Childeberti Regum, quæ inſerta eſt Gregorij Turonenſis hiſtoriæ, lib.9.c.20.

Regulares Beati Georgij Canonicos.] Hi originem ſuam debent Agneti Comitiſſæ, illi ipſi quæ

A Vindocinenſe Monaſterium cum Gaufrido viro ſuo fundavit: nec multo ſunt poſteriores, cum tabulæ fundationis annis præferant 1047. Regulares hodie non ſunt.

De Domno Archidiacono Rambaldo.] Supra epiſtola 8.

Epiſt.18. De ſtatu Papæ] Paſchalis II. ad quem profectum Goffridum vidimus lib.1.epiſt.4. ſub annum, ut apparet, 1108.

Domno Primate Lugdunenſi] Ioanne Hugonis ſucceſſore, quem mirum eſt ab iis hactenus præteritum fuiſſe, qui Antiſtitum Lugdunenſium catalogos texuerunt. Sed Ioannis Archiepiſcopi Lugdunenſis nomen, tempúſque vindicant epiſtolæ apud Ivonem 236.& 237. quas ſcriptas conſtat anno 1111. ſucceſſit ergo Ioannes Hugoni, rexitque Eccleſiam ante Gauceranum.

B Domnum Senonenſem] Daimbertum Archiepiſcopum; cui cum Archiepiſcopis Lugdunenſibus non una fuit contentio. Prima cum Hugone Legato, cum eius ordinationem moraretur, ut docet Ivonis epiſtolá 60. Altera cum Ioanne, cum ab eo ad Concilium Anſanum extra Provinciam vocaretur; ut eſt in Daimberti ipſius epiſtola apud Ivonem. Tertia, quam Goffridus hoc loco indicat, cum Ioanne eodem, ſed paulo ante alteram nata, ob veterem de primatu controverſiam. Frequens enim fuit, quod Ivo idem epiſtola 51. ſcribit hac de re Præſulum Senonenſium cum Lugdunenſibus altercatio, etiam poſt reſcriptum Gregorij VII. quo ſtatuit, ut Archiepiſcopo Lugdunenſi tanquam Primati ſuo pateant quatuor Lugdunenſes Provinciæ, id eſt, Lugdunenſis, Rotomagenſis, Turonica, & Senonia. Lib. 6. epiſt. 34. & ſequenti.

C Cum illo feciſſe pacem.] De hac pace, ni fallor, Ioannes ipſe ad Daimbertum ſcribens, *Meminiſſe potes*, inquit, *quia ex quo amicitiam, & familiaritatem Lugdunenſis Eccleſiæ recuperaſti, gratulanter te vidit, exultanter recepit, & quanta potuit affectione honoravit. Noli, frater, omni ſpiritui credere, ſenſimus olim procellam iſtam, ſed Deo favente aliquandiu reſedit, & ipſe faciente quievit.*

Litteras quas in perſona ſua feciſti,] quas eius nomine dictaſti. Scripſerat Ivo, utpote omnium Metropolitani ſui controverſiarum ſocius, & adjutor, litteras Daimberti nomine ad Paſchalem: in quibus Ioannem Primatem perſtringebat. Eas litteras Daimbertus, cum pacem cum Ioanne, inſcio Ivone, faceret, ſuo nutu ſcriptas, miſſáſque ad Pontificem negabat. Hic germanus huius loci ſenſus videtur: & ſi alium viro docto placuiſſe ſentio in Obſervationibus ad Ivonem epiſt.67.

Epiſt.19. Unctionem infirmorum.] In ea videntur ſententia fuiſſe Goffridus & Ivo epiſtol. ſequenti, ut nullum

D Eccleſiæ ſacramentum iterari poſſe exiſtimarint; cum ex Theologiæ placitis ea ſolum repeti nequeant, quæ characterem imprimunt; Baptiſmus nimirum, Confirmatio, & Ordo. Quo fit.ut Extremam-Unctionem, quia ex eo numero non eſt, iterare liceat, non ſolum in diverſis morbis, verum etiam in uno eodem, quandocunque morbus ex intervallo ita recrudeſcit, ut vitæ novum ſit diſcrimen.

Ep.20. B.Innocentius] epiſt.1. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum.

Ivonis eſt epiſtola, quæ totidem verbis legitur in epiſt.255. ad Radulfum Abbatem S.Fuſciani.

Publicæ Pœnitentiæ eſt Sacramentum.] Futile argumentum. Qui enim dici poteſt unctio infirmorum ad publicam pœnitentiam pertinere; cum publice olim pœnitentibus, ut Innocentius Papa docuit, permitti non ſoleret? Quare verum ſanè eſt, quod Auguſtinus & Ambroſius affirmant, publicam pœnitentiam non iterari. Sed hoc ad rem nihil facit.

Epiſt.21. Goffrido Epiſcopo Carnotenſi.] Succeſſor fuit Ivonis, vir multis vitæ, rerúmque geſtarum laudibus inE ſignis, in Aquitanica præſertim legatione, quam adverſus Girardum Engoliſmenſem, aliosque Anacleti fautores geſſit pro Innocentio II. De quo in vita S.Bernardi lib.11. Bernardus ipſe epiſt. 47. & 55. Petrus Cluniacenſis epiſt.40. Ioannes Sariſber.lib.5. Polycratici cap.15.

Vindocinenſis Comitiſſa.] Lib.1. epiſt.3.

Monachi maioris Monaſterij.] Infra epiſt.26.

Archipreſbytero veſtro Goffrido Danielis.] Supra epiſt.8.

Quos B.Martini humilitas.] Sic epiſtola præcedenti de iiſdem Monachis, epiſt.15. de Canonicis B. Mariæ Carnotenſis. Epiſt.22.

Molendina quæ apud Piſoſtum.] Numeratur inter molendina, quæ fundator Monaſterio dedit, apud Piſoſtum unum. Id Caſtello nomen paulo ſupra Vindocinum in eadem Ledi ripa poſito; cuius meminit etiam Odo Tuſculanus Epiſcopus Legatus in litteris ad Abbatem Vindocinenſem anno 1247. Epiſt.23. F

Placitandi,] diſceptandi, litigandi. Honorio II. Goffrido Abbati. *Prohibemus ne ullus te, vel aliquem ſucceſſorum de his quæ ille venerabilis locus ſub tritennali poſſeſſione tenuerit cogat placitare.* Item in placito Monachorum ſancti Albini, & ſancti Sergij de controverſia pro Campiniaco anno 1074. *Et cum voluiſſent Monachi ſancti Sergij de minoribus rebus prius placitare, & poſtea de Campiniaco, viſum fuit iudicibus hoc eſſe iniuſtum, ut cauſa illa poſterior diſcuteretur, pro qua Abbates vocati fuerant, & in unum convenerant.* Epiſt.24.

Reſpectum uſque ad feſtiv] frequens illius ævi ſcriptoribus vocabulum, quo litis ſive negotij alterius inducias ac prorogationem ſignificabant. Goſlenus Epiſcopus Carnotenſis ad Sugerium Abbatem S. Dioniſij de Præpoſito Hienvillæ; *Reſpectum nobis poſtulantibus dare noluit timens lucris ſuis aliquid deperire, ſi cauſam noſtram contigerit ad vos diſcutiendam venire. Proinde diſcretionem veſtram ſuper hoc imploramus, ut huius rei diſcuſſionem non ante alium quam in conſpectu veſtro ponatis; & donec à vobis id ipſum examinari valeat induciari iubeatis.* Plura exempla collegit doctiſſimus & diligentiſſimus Franc. Iuretus ad Ivonis epiſtol. 127. Manet hodiéque vox vernacula. Nam *ſine reſpectu* dicimus ſine intermiſſione, *Sans reſpit.* Inde & reſpectandi verbum formàrunt Rodulfus Viromanduorum Comes Sugerio eidem: *Comes Andegavenſis reſpectavit colloquium.* Idem eidem: *Si ergo placeret vobis negotia Pariſius facere, vel reſpectare, multum vellem & bonum eſſet. Neſcio enim quando venire potero à Curia.* G

Sæculari & peregrino iudicio.] Alterum pertinet ad *κοσμικὰ δικαστήρια*, ſæcularia ſeu publica tribunalia: alterum ad extranea iudicia; hoc eſt, Eccleſiaſtica quidem, ſed alieni iudicis non ſui: ut ſi extra Provinciam quorum utrumque eſt ſacris legibus interdictum. Ivo epiſt.85. *Cùm autem in Provincia veſtra peregrinum ſit iudicium noſtrum, peregrinum tamen non putamus eſſe conſilium noſtrum.* Epiſt.25. H

A primò Abbate Monaſteria ſui.] Is fuit Reginaldus ex Monacho maioris Monaſterij deſtinatus Abbas ſancti Nicolai Andegavenſis, ſed à Gauffrido Martello Vindocinenſi præpoſitus. Rem prodit Fulco Nerra Comes in commentario, quo Cœnobij ſancti Nicolai, quod fundarat, originem exponit. *Poſtquam vero*, inquit, *Baldricus Abbas Monaſterium dereliquit, eremúmque furtim petiit, ac poſtremo ad maius Monaſterium repatriavit, apud Tabenneſium Monaſterium vitam finiit. Poſt hunc Domnus Albertus Abbas Raginaldum Monachum loco eius reſtituit: qui ante benedictionem ad filium meum Gaufridum fugit, atque regimen Monaſterij Vindocinenſis noviter conſtructi abſque licentia ſui Abbatis ſuſcepit. Poſtquam me vidi eſſe illuſum à duobus Abbatibus, iratus valde iuſſi ut Monachi alij ad Monaſterium ſuum cito remearent. Deinde rogavi Domnum Walterium* Epiſt.26.

Abbatem ſancti Albini, ut Dominum Hildinum Priorem illius Eccleſiæ concederet, qui ordinatus anno 1033. ab Incarnatione Domini die Nativitatis Beatæ Mariæ, qui eſt annus tertius Henrici Regis, Monaſterium regulariter rexit. Hucuſqe adſcripſi, ut quo anno Monaſterium Vindocinenſe Abbatem habere cœperit exploratum habeamus. Ab hoc Raginaldo ad Michaëlem Subletum, qui Monaſterio Vindocinenſi nunc præeſt, Abbates fuerunt VII. & XXX. quorum ſeriem indicat hic Elenchus.

ELENCHVS
ABBATVM MONASTERII S. TRINITATIS VINDOCINENSIS.

I.	*Rainaldus.*	
II.	*Odericus.*	
III.	*David.*	
IV.	*Berno.*	
V.	GOFFRIDVS.	
VI.	*Fromundus*	
VII.	*Hubertus.*	
VIII.	*Robertus.*	
IX.	*Guillelmus.*	
X.	*Gerardus.*	
XI.	*Lucas.*	
XII.	*Hamelinus.*	
XIII.	*Goffridus*	II.
XIV.	*Hugo.*	
XV.	*Rainaldus.*	II.
XVI.	*Raginaldus.*	III.
XVII.	*Raginaldus.*	IV.
XVIII.	*Philippus.*	
XIX.	*Ioannes.*	
XX.	*Guillelmus*	II.
XXI.	*Ioannes*	II.
XXII.	*Michaël.*	
XXIII.	*Simon de Pleſſiaco.*	
XXIV.	*Guillelmus de Pleſſiaco*	III.
XXV.	*Ioannes de Buſſa.*	III.
XXVI.	*Petrus.*	
XXVII.	*Ivo de Fonte.*	
XXVIII.	*Ioannes de Villeraya.*	
XXIX.	*Aimericus de Coſduno.*	
XXX.	*Ludovicus de Crevanto.*	
XXXI.	*Anton. de Crevanto Doct. Pariſ.*	
XXXII.	*Anton. Sanguinus Card.*	II.
XXXIII.	*Carolus de Borbonio Card.*	
XXXIV.	*Marc. Siticus ab Altaemps Card.*	
XXXV.	*Ludovicus de Camera.*	II.
XXXVI.	*Carol. de Borbonio Card.*	II.
XXXVII.	*Michaël Subletus.*	II.

EOrum Abbati.] Odoni, ad quem extat epiſtola Hugonis Pontiniaci, & Bernardi Claræuallis Abbatum, & altera Goffridi noſtri lib. 4.

In Paſtorem proprium Turon. Archiepiſcopum.] Gravis & diuturna fuit Maiori Monaſterio cum utroque Radulfo Metropolitanis ſuis contentio. De qua fuse Anonymus eiuſdem cœnobij Monachus, cuius prolixam narrationem ex veteri Codice deſcribit Iurretus ad Ivonis epiſt. 108.

Papa Calixtus] infra epiſt. 30.

Non noctes ſecundum conſuetudinem laïcorum] Lib. III. Capitulorum XLV. de quadruplici legitima vocatione. *Prima mannitio ſuper noctes* VII. *Secunda ſuper noctes* XIV. *Tertia ſuper noctes* XXI. *Quarta ſuper* XLII. *fiat.* Item Addit. IV. XXCIII. *Poſtquam cives & pagenſes de qualicumque expeditione hoſtili reverſi fuerint ex eo die ſuper* XL. *noctes ſit bannus reſciſus, quod lingua Theodiſca ſcaſt legi, id eſt, armorum depoſitio vocatur.* Galli olim, ut ad priorem locum ex Cæſare obſervat Vir doctiſſimus, ſpatia temporis non numero dierum, ſed noctium finiebant; quod ipſum de Germanis item ſcripſit Tacitus, manétque in vernacula noſtra priſci moris veſtigium, cum præſentem diem interdum ſic enunciamus, vt non Hodie, ſed hac nocte dicere videamur. Goffridi ergo ætate, cum dilatio in iudiciis petebatur, laici noctes poſtulabant & Clerici Inducias. Felix II. in epiſtola ad Ægyptios; *Cum accuſatus ad iudicium veneris, ſi volueris & neceſſe fuerit, Induciæ ei petenti à Patribus conſtitutæ abſque impedimento concedantur.*

In conceſſione ornamentorum ſacerdotalium,] id eſt, Epiſcopalium. Sacerdos enim primi ordinis eſt Epiſcopus, ſecundi Preſbyter, apud Sidonium, & alios. Epiſcopalia ergo inſignia ſunt Mitra, Annulus, Sandalia, & cætera: quæ Abbatibus nonnullis à Sede Apoſtolica concedi male nimirum habebat Epiſcopos. Neque Epiſcopis modo, ſed aliis ſanè permultis parum olim ea res probata. In quibus Sanctus Bernardus epiſtol. 42. ad Henricum & Senonenſem, & Petrus Bleſenſis epiſtol. 90. ad Guillelmum Abbatem. Et tamen incredibile dictu eſt quam latè tandem hoc privilegium patuerit. Vindocinenſibus quidem; vtpotè Cardinalibus, mitræ, aliorúmque ius fuiſſe Innocentij III. litteræ nos docuerunt ad lib. 1. epiſtol. 19. Cæterum cum offenderentur Epiſcopi, quod in Conciliis & Synodis Abbates, quibus mitræ ius erat, ab Epiſcopis non diſtinguerentur, hoc diſcrimen inſtituit Clemens IV. ut in ſynodis exempti mitris auriphrigiatis, ſed ſine gemmis, laminiſque aureis vel argenteis vtantur, non exempti ſimplicibus albis & planis. In aliis vero locis vtriſque iis uti mitris liceat, quas ſedis Apoſtolicæ indulta permiſerint. Viterbij 19. Kal. Sept. anno 2.

Quam illi qui ſine ordinibus ſacris.] Quod Goffridi Carnotenſi tacitè obiicit, idem de Rainaldo Andegavenſi ante ſacros ordines electo ſcribit, libro 3. epiſtolâ 11. ſed Goffridum præterea humili loco natum, atque ex nihilo, ut loquitur, à Papa creatum indicat epiſtol. 30. huius libri, & 42. lib. 3.

Acephali non ſumus.] Synodus Pariſienſis apud Ivonem P. VI. de Clericis, qui nulli parent Epiſcopo: *Tales Acephalos, id eſt, ſine capite priſca Eccleſiæ conſuetudo nominavit.* Alterum id caput veteris Epiſcoporum querimoniæ adverſus Abbates, ipſorum ſcilicet exemptio, ægre enim ferebant illos poteſtati ſuæ ſubduci. Ideo Acephalos appellabant. Quod nomen vt illis immerito forſan exprobrari videatur, qui ſedis Apoſtolicæ privilegio nituntur, ut Goffridus: ita iure in illos conveniat, qui libertatem ſibi ſine autoritate vindicant & uſurpant. De quibus, opinor & prava, quam obtendebant, conſuetudine. Innocentius II. Henrico Regi Anglorum: *Expedit ut in regno ſive ducatu divina diſpoſitione tibi commiſſo tuo tempore pravæ conſuetudines amputentur, & vitiorum radicibus reſecatis, bona quæque per tuæ nobilitatis ſtudium Domino cooperante plantentur. Aliter enim Abbates & reliqui Clerici nec gratum Domino famulatum impendere, nec animarum ſuarum ſaluti poterunt providere. Immo Acephali, id eſt, ſine capite reputantur, niſi Epiſcopis ſuis & Prælatis debita fuerint humilitate ſubiecti.* Alio ſenſu, tanquam acephalos Petrus Bleſenſis Monachos dixit, qui ſegnem, & in officio languidum Præſidem habent.

Profeſſionem quam obiicitis.] epiſtol. 7. huius libri. His vero Vrbani, Paſchaliſque decretis attexendæ Goffridi ipſius Carnotenſis Epiſcopi litteræ, quibus

A teſtatur ſe propter huiuſmodi diplomatum interdictum Fromundo & Huberto Goffridi noſtri ſucceſſoribus, cum Abbates illos ſacraret, profeſſionem remiſiſſe. Eæ igitur ſic habent.

GOFFRIDVS DEI GRATIA Carnotenſis Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Legatus, Huberto eadem gratia Vindocinenſi Abbati ſalutem & gratiam.

B *CVM Venerabilis prædeceſſor tuus Goffridus Deo, ut credimus, vocante præſentis vitæ curſum terminaſſet, communis aſſenſu Capituli Fromundus cum vitæ honeſtate prudentia decoratus in Abbatem electus eſt. Qui cum ad benedicendum nobis præſentatus fuiſſet, profeſſionem ab eò ſicut ab aliis noſtræ Diœceſis Abbatibus quæſivimus. Ille vero reſpondit profeſſionem ſecundo modo facturum, quoniam à Venerabilibus Sedis Apoſtolicæ Pontificibus Vrbano, & Paſchali ſub anathemate interdictum erat ne Abbas Vindocinenſis pro benedictione ſua profeſſionem faceret; & ne ullus eam ab eo acciperet & ſi Carnotenſis Epiſcopus eum nollet benedicere à quocumque vellet Epiſcopo benedictionem acciperet. Quorum viſis privilegiis, cum eis reſiſtere nec vellemus, nec poſſemus, ſine profeſſionem benediximus. Illo defuncto te quoque poſtea benediximus, nullam à te profeſſionem exigentes. Accepta benedictione rogaſti nos humiliter, ut tuæ anteceſſoris* C *tui benedictionis ſic factæ noſtrum tibi ſigillum daremus, & ne aliquis ſucceſſorum noſtrorum à tuis ſucceſſoribus profeſſionem quæreret, noſtra auctoritate prohiberemus. Perhibemus itaque teſtimonium veritati, quod venerabilis prædeceſſor tuus Fromundus, & tu ſic à nobis benedictionem accepiſti, quod nullam nobis, vel noſtræ Eccleſiæ profeſſionem feciſtis. Inſuper Dei & noſtra auctoritate prohibemus, ne ſucceſſores noſtri à tuis ſucceſſoribus profeſſionem exigant, ne tui ſucceſſores noſtris eam ſucceſſoribus faciant. Concedimus etiam Monaſterio, cui Deo autore præſides, omnem dignitatem & libertatem, quam bonæ memoriæ prædeceſſor noſter Theodericus ei conceſſit, & quidquid in Epiſcopatu noſtro tam in decimis quam in Eccleſiis, vel in quibuſlibet poſſeſſionibus hodie poſſidet, ei confirmamus, & quidquid vel legitima emptione, vel fidelium donatione acquirere poterit. Et quoniam idem Monaſterium procul eſt à nobis disiunctum concedimus tibi tuiſque ſucceſſoribus, ut ad quoſcumque volueritis Epiſcopos Monachos veſtros ordinandos mittatis, eoſdem* D *Epiſcopos rogantes, ut eos ſine hæſitatione ordinent, nullam inde noſtri ſive ſucceſſorum noſtrorum verentes offenſam. Gratia Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum omnibus eidem loco iſta ſervantibus. Contradictores autem, niſi reſipuerint, in æternum pereunt, & in æterna morte, & damnatione permaneant.*

Papa Paſchalis.] Extat in armariis Vindocinenſibus exemplum privilegij Romæ ſcripti 11. Idus Martij.

Quapropter ſuper quemlibet Vindocinenſ. Monachum.] Huic ſimillimum aliud Vrbani decretum ſeruant Vindocinenſes, datum Romæ 7. Kalend. Decembr. Aliud item eiuſdem Vrbani reſcriptum ad Epiſcopos Ivonem Carnotenſ. & Ranulfum Santonenſem? in quo poſt alia hæc leguntur. *Ipſi enim Arvernenſi Concilio adſtitiſtis in quo reſidentibus nobiſcum Galliarum Epiſcopis dictum eſt, & præſentium litterarum auctoritate firmamus, ut Epiſcopi vel Archiepiſcopi ſuper quemlibet Monachorum Vindocinenſis Monaſterii poteſtatem aliquam exercere, ſive de rebus eiuſdem loci quicquam diſtrahere non præſumant.* Romæ undecimo Kalendas Martij. E

Epiſt.38

Bonam vallem.] Lib. 4. epiſt. 14.

Non Bullatum.] Sine Bulla & Sigillo. Rathodus Archiepiſcopus Trevirenſis in epiſtola ſua formata: *Hanc epiſtolam Græcis litteris hinc inde munire decrevimus, & annulo Eccleſiæ noſtræ Bullare cenſuimus.* Bullare etiam litteras dixit Petrus Bleſenſis obſignare. Quin & Bullarum inde nomen diplomatis Pontificum & Imperatorum, ut Formatarum Eccleſiaſticis Antiſtitum epiſtolis, à forma, ſeu ſigillo quod addebatur, ut alibi, ſi Deus volet, oſtendemus.

Pariſius factum eſt.] Privilegium hoc Calliſti, non ſolum ut confirmentur quæ de illo ſcribit Goffridus, ſed quia præcipuas monaſterij Vindocinenſis prærogativas & immunitates continet, ita ut inſtar multorum eſſe poſſit, integrum deſcribemus. Hoc vero eſt antigraphum.

F

CALLISTI SECVNDI Privilegium Pariſiis, Datum pro Monaſterio Vindocinenſi.

CALLISTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Gaufrido Vindocinenſis Monaſterij Abbati, eiúſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

G *CVM Univerſis Eccleſiæ ſanctæ filiis ex Apoſtolicæ Sedis authoritate ac benevolentia debitores exiſtamus, illis tamen locis atque perſonis, quæ ſpecialius atque familiarius Romanæ adhærent Eccleſiæ, propenſiori nos convenit caritatis ſtudio imminere. Quamobrem cariſſime in Chriſto fili Gaufride Abbas, tuis petitionibus non immerito annuendum cenſuimus, ut Vindocinenſe Monaſterium, cui Deo autore præſides; quod videlicet ab ipſis fundatoribus Gaufrido Andegavenſi Comite & Agnete Pictavenſi Comitiſſ. Sedi Apoſtolicæ oblatum eſt, ad prædeceſſorum noſtrorum ſanctæ memoriæ Alexandri, Vrbani, Paſchalis Romanorum Pontificum exemplar Apoſtolicæ ſedis privilegio muniremus. Sicut ergo iidem fundatores devoverunt, & in eorum chirographo continetur, ſub Apoſtolicæ Sedis defenſione ac Romana libertate ab omni conditione aliarum perſonarum abſolutum ſemper & liberum idem Monaſterium permanere ſancimus. Ita videlicet, ut inter Romanum Pontificem, & te, tuóſque* H *ſucceſſores, nulla cuiuſcumque dignitatis, vel ordinis perſona ſit, media habeatur. Nec ipſe Vindocinenſis Abbas ad Concilium ire, ubi Papæ perſona non aderit, ullatenus cogatur. Porro Eccleſiam Beatæ Priſcæ in monte Aventino ſitam, quam cum univerſis pertinentiis ſuis prædicti Domini noſtri Alexandri Papæ conceſſione prædeceſſores tui longo tempore poſſediſſe noſcuntur, tibi tuiſque ſucceſſoribus cum omni dignitate, quæ ad eandem Eccleſiam pertinet, confirmamus; Sancti Spiritus iudicio decernentes, ut nulla deinceps Eccleſiaſtica ſecula; ſive perſona prædictam Beatæ Priſcæ Eccleſiam, ſeu Eccleſiæ dignitatem tibi tuiſve ſucceſſoribus qualibet aſtutia, vel occaſione auferre præſumat. Quod ſi fortè contigerit Romanæ Legatum Eccleſiæ prædictum Vindocinenſe Monaſterium viſitare, caritativè ibi ſuſcipiatur, & ei iuxta loci poſſibilitatem diligenter quæ corpori fuerint neceſſaria miniſtrentur. Porro Legatus ipſe in eodem loco nihil per ſe diſponere, vel corrigere audeat, neque*

A *occaſione legationis Rectorem loci vel fratres moleſtare præſumat, ſed ſi quid forte corrigendum cognoverit, Papæ notificare licebit. Si quis autem adverſus locum illum pro aliquibus rebus cauſari voluerit, nullatenus Abbas vel fratres ei reſpondeant, antequam Romanum Pontificem conſulant: quia quod ſine noſtro vel ſucceſſorum noſtrorum iudicio diſtractum, vel diffinitum fuerit, irritum erit. Sanè ad iudicium percepta huius à Romana Eccleſia libertatis duodecim ſolidos monetæ veſtræ Patriæ quotannis Lateranenſ. Palatio perſolveris. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiòve commonita ſi non ſatiſfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reámque ſe divino iudicio de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine* B *diſtrictæ ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.*

Ego Calliſtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS

Datum Pariſiis per manum Chryſogoni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij VIII. Idus Octobris Indict. XIII. Dominicæ Incarnationis Anno milleſimo centeſimo decimo nono, Pontificatus autem Domini Calliſti Secundi Papæ anno primo.

Epiſt. 29 Leonis videlicet.] Huc facit quod in XLVII. eius epiſtola ad Synodum œcumœnicam, de reſtituendis Epiſcopis ſede ſua pulſis.

Symmachi.] In quinta ſynodo Romana.

Felicis II.] Cuius eſt Canon in epiſtola ad Epiſcopos C Ægyptij III. q. II. *Tamdiu in ſede.*

Gregorij Magni, lib. 8. epiſt. 24. Fortunato Epiſcopo Neapolitano.

Hormiſdæ] quem pro Heliæ, Thomatis, & Nicoſtrati Epiſcoporum reſtitutione laboraſſe docent epiſtolæ 56. cum aliquot ſequentibus; & 72.

Sixti] Xyſtus II. in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpanorum.

Euſebij] in epiſt. ad Ægyptios & Alexandrinos. Horum pleraque, & alia eiuſdem notæ Pontificum decreta videre eſt in Collectaneis Gratiani II. q. II. & III. q. I. & II. & Decretalium lib. II. *de reſtitutione ſpoliatorum.*

In Arvernenſi Concilio] Epiſtola ſequenti, ſed nulla, quod ſciam, huius rei mentio in iis quæ ſuperſunt eius ſynodi reliquiis.

Epiſt 30 Eodem ſpiritu] Damaſi eſt ſententia 25. q. 1. *Violatores Canonum voluntarij graviter à ſanctis Patribus* D *iudicantur, & à Spiritu Sancto, cuius inſtinctu ac dono dictati ſunt.*

Sedis Apoſtol. Leges, quas Canones appellamus] Κανόνες Ἐκκλησιαστικοὶ, Regulæ Eccleſiaſticæ, Athanaſio in Epiſt. ad Orthodoxos. Quod propriè ſunt in republica leges, hoc in Eccleſia Canones. Ideo ſæpe comparantur, vt cum dicuntur, πλέον νόμων ἰσχύουσιν οἱ κανόνες, & τοῖς κανόσιν οἱ νόμοι ἀκολουθεῖν. Noſter Opuſc. 4. *Quamvis nec in legibus, nec in canonibus inveniatur:* & lib. 3. epiſtol. 39. *Sæculi leges nulla ratione fieri permittunt, & ſacri Canones omnino ne fiat interdicunt.* Inde & Photius Patriarcha Nomocanonum opus ſuum inſcripſit, ex legibus ſcilicet Canonibúſque compoſitum.

Reddi aut recredi.] Ivo epiſt. 275. *Reddet aut recredet Comitem Nivernenſem.* Synonyma ſunt. Nam recredere pragmaticis eſt reſtituere. Vnde & recredentia, pro vindiciis ſeu poſſeſſione reſtituta notum Gallicanis foris vocabulum.

S. Euſebius] II. q. II. *In ſcripturis.*

Damaſius Papa] epiſt. 4. ad Stephanum cap. 5.

Ordinatus Levita] Diaconus erat Goffridus, cum E Abbas creatus eſt: exin ſacratus Abbas ab Ivone: cum Romæ preſbyter ab Vrbano.

Ducentas etenim libratas] lib. 3. epiſt. 10. & 15.

Si Dominus Papa] Calliſtus, opinor, vide lib. 1. ep. 12. ubi litteras petit à Calliſto ad Epiſcopum Carnotenſem adverſus Nivelonem: & huius lib. epiſt. 7. vbi ſemel atque iterum ſcripſiſſe ſignificat.

Si legatus Apoſtolicæ ſedis] Cono, vt videtur.

Hugonem Decanum veſtrum] Ernaldi ſucceſſorem.

Privilegium meretur amittere] Simplicius ep. 11.

Domnus Ioannes filius Com. Vindoc.] De quo dictum eſt ad epiſt. 13. lib. 1. Comes fuit poſt Patrem, bellúmque geſſit cum Sulpitio Domino Ambaſiæ, cum quo & Goffridus Ioannis parens antea bellarat, uterque infelici exitu, ut narrat vetus autor Hiſtoriæ Ambaſienſis.

F Vavaſſores] Vaſſalli. Inter epiſtolas Sugerij: *Sugerio Abbati Domino ſuo G Maior & Vavaſſores, & tota ſancti Richarij communia.* quod hodie dicitur; *nobiles atque incolæ oppidi alicuius.* Valvaſſores appellat Obertus lib. 2. de feudis, tit. 10. eóſque propriè dici docet qui à Capitaneis feudum tenent: qui vero à Valvaſoribus habent, Valvaſinos nuncupari.

Vnam de Obedientis] lib. 4. epiſt. 7.

AD LIBRVM III.

Epiſt. 1. GOffrido Andeg. Epiſcopo] Hugonis de Meduana filio; qui poſtea relicto Epiſcopatu factus eſt monachus Cluniacenſis. Chronicum S. Albini. *Anno* 1093. *ordinatus eſt Gaufridus filius Hugonis de Meduana 8. Kalend. Decembris vix ſeptem annis in Epiſco-* G *patu manſit. Accuſantibus namque & conquerentibus plurimis apud Papam, quod eo iubente neophytus & pene illiteratus fuiſſet ordinatus, monitu eiuſdem Vrbani Papæ ſedem deſerens monachus Cluniaco factus eſt. Poſt cuius abſceſſum ordinatus eſt Andecavis Epiſcopus Rainaldus prid. Id. Ian. anno* 1102.

Electioni Petri Bellilocenſis.] Huius nominis Monaſteria multa ſunt in Gallia, ut dubitari poſſit cuiuſnam Abbas hic fuerit. Labor ut de Lucacenſi in pago Turonico agi credam, quod Fulco Nerra Comes Hieroſolymis reverſus in honorem S. Sepulcri ultra Augerem fluvium Bello-loco conſtruxit, ubi & ſepulturæ locum ſibi delegit.

Epiſt. 2. Rainaldo Andeg. Epiſcopo] Rainaldus hic ſeu Reginaldus de Martiniaco, Brientij filius, Goffridi Meduanenſis ſucceſſor, vt modo dictum eſt: ad quem H Ivo epiſtola 272. & Marbodus Epiſcopus Redonenſis apud Ildebertum epiſtol. 80. Tranſlatum inde ad metropolim Remenſem docuit nos epiſtola 31. lib 1. Kalendarium Sancti Mauricij Andegavenſ. 19. Kalend. Februarij. *Obiit Rainaldus Iunior primo noſter Epiſcopus, poſtmodum Archiepiſcopus Remenſis, in cuius anniverſario ſingulis annis 4. pauperes alere debemus, & ſigna pulſare.* Iuniorem vocat, ad diſcrimen alterius Rainaldi, à quo hic ſextus.

In defenſiones Eccleſiæ.] Contra Comitem Andegavenſem epiſt. 7.

Archidiaconus veſter Hubertus.] Ad quem epiſtolæ aliquot lib. 5.

Comitem Veſtrum] Fulconem V. lib. 1. epiſt. 3.

Abbas S. Nicolai] Lambertus, qui Natali ſucceſſit anno 1096. Monachi vero nomen, Savaticus epiſtola ſequenti. Cœnobium S. Nicolai ad Iuliomagum Andegavorum in ſuburbano ſitum eſt: Eius conditor, ut obiter notatum eſt ad epiſt. 26. lib. II. Fulco III. Comes: cuius etiam commentarij meminimus, in quo monaſterij originem explicat, narrationémque orditur, his verbis: *Hiſce temporibus nonnulli reges ac principes Eccleſias in Chriſti nomine ædificare curaverunt: & ego Fulco Comes Andegavorum, licet de ulti-*

A *mis & deſidioſis hominibus vnus, in Dei nomine, atque ſummi Præſulis Eccleſiam in proſpectu vrbis Andegavię ædificare decrevi, ac 1020. anno ab Incarnatione Domini a Domino Præſule Huberto prædicto vrbis feci ſacrare. Poſt cuius ſacrationem non multo poſt tempore ex Monachis Sancti Martini Monaſterij maioris nomine Baldricum Abbatem inſtitui, atque ad fratrum ſuſtentationem, atque pauperum, ex meis rebus propriis ipſam altare curavi*, &c. Monaſterium hoc poſt Fulconem fundatorem multis rebus auxerunt Goffridus Martellus filius, & Goffridi ſucceſſor Fulco IV. cuius quidem ac Natalis Abbatis rogatu Eccleſiam Sancti Nicolai ab Vrbano II. iterum dedicatam in Vrbani ipſius litteris legimus apud Sabloilum datis 16. Kal. Martij, Anno 1096.

Felicis Papæ prioris.] Leguntur hæc magnam partem in epiſtola Felicis II. ad Epiſcopos Synodi Alexandrinæ 3. quæſt. 5. *De induciis*. Nonnulla etiam B alludere videntur ad Felicis I epiſtolam ad Paternum. Sed ſi Felicem II. intelligit Goffridus, cur priorem appellat? ſi primum, cur illo antiquiorem facit Synodum Nycænam? Scripſerat forcaſſe *Poſterioris*. Nycænæ porro ſynodi decretum cum iis quæ hodie reſtant, non extet, vbi nactus ſit incertum eſt.

Epiſt. 9. Fratrem noſtrum Robertum] ad quem lib. 4. epiſtola 28.

Priori noſtro & Domno Hamelino.] Vtrique ſcribit lib. 4.

Epiſt. 10. Centum libratas.] Lib. 11. epiſt. 30. & huius libri epiſtola 15. *ducentas libratas*, terræ nimirum. In præcepto Sancti Ludovici Regis anno 1230. *Dilecto & fideli noſtro Ioanni de Valeriaco in augmentum feudi quod tenebat, dedimus centum libratas terræ*. In Arvernis ſcilicet, apud Eſcurolas & Maëſium Scholæ Antiqui menſores integras agri menſuras ad ſimilitudinem aſſis aut libræ in uncias, & unciæ partes dividebant, ut videre eſt apud Columellam lib. 5. cap. 1. Varro de re ruſtica lib. 1. cap. 10. *Ab hoc principio menſores nonnunquam dicunt in ſubſicivum eſſe unciam agri, aut ſextantem, aut quid aliud, cum ad iugerum pervenerunt.* C *Id habet ſcrupula 288. quantum as.* Quod ergo fiebat in partibus, id etiam in toto à nonnullis factum eſt, ut integris agri menſuris à libra, vel ſolido aſſe nomen darent. Libratam ergo terræ dixerunt integrum iugerum terræ, arapennem, aut aliud ſimile. Dicta etiam ab eodem principio ſolidata terræ. In litteris Seguini Epiſcopi Matiſconenſis anno 1260. *Cum Guillelmus de Oblato miles ab Eccleſia Cluniacenſi LX. ſolidatas terræ teneret in feudum*, &c.

Epiſt. 11. Domno H.] Hamelino, ut epiſt. præcedenti.

In electione veſtra.] De Rainaldi Epiſcopi electione, cui multis nominibus adverſatus eſt Goffridus, aget iterum lib. 4. epiſtol. 9. eandem impugnat tribus epiſtolis Ildebertus: IX. ad Archiepiſcopum Turonenſem XII. & XIII. ad Rainaldum ipſum Electum, cui ſuadet, ut promotionem non canonicam ejuret. De eadem etiam Marbodus in Epiſtola ad Rainal-D dum.

Stephano Decano veſtro.] Cui cum aliis inſcripta epiſtola 4. & 5. lib. 5. de eadem præterea Marbodus epiſtola eadem, & Ildebertus epiſt. 9. utriuſque verba, quia totum hunc locum illuſtrant, ſubjiciemus. Sic igitur in ea epiſtola Ildebertus. *Petitio veſtra, qua vocamur ad Electi veſtri conſecrationem, facilem apud nos inveniret aſcenſum, ſi eam ratio tueretur. Sed teſtantur qui adfuerunt, quod ad iuvenem infra ſacros ordines & annos inventum, nec à clero electum ſeditioſus turbatæ turbæ clamor Pontificalem detorſerit electionem. Aſſerit etiam Decanus, Cantorem, Archidiaconos, & maiorem Capituli partem, quantum licuerit obclamaſſe, ſimulque talibus auſis aſſenſum ſubtraxiſſe pro ratione ſeipſum præſentiam pro timore.* Item epiſt. 12. *Quippe non elegit te Clerus, ſed mina populares intruſere venienti.* Hactenus Ildebertus, deinceps Marbodus. *Nec tamen elapſus deſtiti, ut tunc putabam conſtan-* E *ter, ut nunc intelligo pertinaciter urgere propoſitum, & contra optimos Clericorum, qui pluribus ex cauſis abſque ſuo aſſenſu à vulgo factam improbabant electionem, quoniam & infra annos, & extra ordines, & per tumultum populi magis ficta eſſet quam facta, promotionis tuæ cauſas aſſerere*; & de Stephano poſt pauca. *Idem cum Stephanus cum quibuſdam, quos omnes tibi poſtmodum dicam, ut fertur pactus dejectionem ex infeſtiſſimis amicos feciſti, iniquam eſſe clamaret, ego ſtulte quidem & improvide, ſed nimio tuo favore ſeductus, meipſum devovi, in me inquiens ſit iſta iniquitas.*

Ildebertus.] Hoc tempore Turonorum Archiepiſcopus: ſed cum Rainaldus electus eſt, tum adhuc Cenomannorum Epiſcopus, de quo epiſtola 13. & ſequentibus.

A ſuo Metropolitano vocatus.] à Radulpho Turonum Archiepiſco. Vnde apparet, quo paulo ante mo-F nuimus, epiſtolam 9. Ildeberti quæ titulo caret, ad Radulphum hunc reſcriptam eſſe, cum ab eo vocaretur ad Rainaldi conſecrationem. Quam quidem deprecatur, & epiſtolam claudit his verbis: *Parcat mihi pater, quia ego parcam animæ meæ: fruſtra, inquam, expectabitis me, quia manus imponetis ſine me.*

Poſt Metropol. in Provincia primus erat Epiſcopus.] utpote Cenomannorum Antiſtes. Inter Epiſcopos eiuſdem Provinciæ primus interdum cenſebatur is, cuius civitas ſecundum à Metropoli locum tenebat, ac ſecundo ab ea loco in Provinciæ notitia deſcribebatur. Hoc enim prærogativæ argumento vtitur Fulbertus in epiſtola ad Deodatum Epiſcopum Sueſſionenſem. *Sed nec civitati vel Eccleſiæ Catalaunorum ſuum denegetis honorem, meminiſſe vos decet, quod in antiqua deſcriptione Provinciæ Belgicæ ſecundum ipſa civitas à Remenſi locum habeat.* Vt igitur in Belgicæ II. Provincia proxima Remenſi Metropoli eſt civitas Catalaunorum: ſic in tertia Lugdunenſi prima poſt Turonorum Metropolim civitas Cenomannica. Quare Epiſcopus Cenomannenſis primus eſt Epiſcopus illius Provinciæ. Eodémque modo in prima Aquitania, primus G Epiſcopus Arvernorum, in Aquitania II. primus Epiſcopus Pictavorum, atque in cæteris. Alio modo primus inter Comprovinciales Epiſcopos dicitur, qui honoris ævo antecedit: quem & Primatem quoque ei ſolitum ex Hilari Papæ litteris didicimus. Sic enim ſcribit ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis, & alios. *Ei qui nunc Eccleſiæ Narbonenſi præſidere permittitur, ordinandorum Epiſcoporum ob hæc quæ pravè facta ſunt ſuſtulimus poteſtatem. Quam ita ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Conſtantium Vceticæ Eccleſiæ Antiſtitem, quia ævo honoris primus eſſe dicitur pertinere cenſuimus, ut ſi ſuperſtite Herme Epiſcopo defunctus fuerit, illum hæc cura reſpiciat, quem repererit Epiſcopalis ordo Primatem.* Id eſt, Epiſcoporum Provinciæ antiquiſſimum. Qui quidem ante alios ſedere & ſubſcribere in Concilio ſolet ex Synodo Cabilon. cap. 6. At Sanctus Gregorius ſingulari privilegio in Syagrij Epiſcopi Æduenſis gratiam ſtatuit lib. 7. epiſtol. 112. ut Epiſcopus eius Eccleſiæ H primum locum in provincia prima Lugdunenſi poſt Metropolitanum obtineat: cæteri poſt illum ſuæ quiſque ordinationis tempus & prærogativam ſequantur.

Bonus Maurilius] vitæ B. Maurilij cap. 13.

Epiſcopus ſine Canonica electione.] Totus hic locus de canonica electione & ſequens de inveſtitura laicorum ad verbum leguntur opuſculo 11. ad Petrum Leonis Cardinalem, ubi argumentum vtrumque tractat ex inſtituto.

Vos infra annos eſſe.] Ildebertus epiſtol. 9. *Infra ſacros ordines & annos inventum.* Idem epiſtol. 12. *Eſt ætas, quam rigor canonicus, quia conſecratis metuit, à conſecrandis excludit*: & mox. *In ſummis enim ſacerdotibus ætas integra poſtulatur, unde nec periculum religio metuat, nec reverentiam dignitas amittat.*

Nullum penitus ordinem habere.] Ildebertus idem

A Epiſt.12. *Ordines tibi deſunt, quos in promovendis cognovimus inquirendos*, & poſt alia. *Præterea quiſquis in ſacris ſuis ordinibus inventus, ad ſummum ſacerdotium accedere canonicis prohibetur Eccleſiæ inſtitutis.* Leges Eccleſiaſticæ in eligendis Epiſcopis non ſolum ordines requirunt, ſed ordines ſacros; ac ſaltem Diaconatum. Synodus Aruernenſis cap. 5. *Vt nullus laicus, vel tantum ſubdiaconus in Epiſcopatum eligatur.* Quin illum demum ſummo gradu dignum cenſuerunt, qui per ſingulos inferiores diu ante ante probatus fuiſſet, nomine Ioannem Cabilonenſem Epiſcopum deſignatum commendat Sidonius noſter lib.4.epiſt. 25. quod in lectoris, Diaconi, & ſecundi ordinis ſacerdotis, hoc eſt, presbyteri gradu verſatus, per ſingulos ordines ſtipendia feciſſet.

Epiſt.11. Vlgerio.] Rainaldi Archiepiſcopi Remenſis in Andegauenſi cathedra ſucceſſori, vt dictum eſt ad B epiſtolam vltimam lib. 1. ſedem illum rexit ſolidos annos 23. hoc eſt ex anno 1125. ad 48. Eius opus eſt epitaphium, quod tricenis verſibus elegit inciſum eſt in tumulo Marbodi Epiſcopi Redonenſis Iuliomagi apud S. Albinum. ad Vlgerium vero ſcripta eſt S. Bernardi epiſt. 200.

In Synodo veſtra.] lib.1. epiſt. 27.

Si Monaſterium noſtrum.] Controverſia hæc, quæ Vindocinenſi monaſterio fuit cum Epiſcopo Andegavenſi de Eccleſiis & oblationibus, & ante Vlgerium nata eſt, & Goffridi ætate non deſiit. Compoſita tandem eſt inter Vlgerium eundem & Fromundum Abbatem Goffridi ſucceſſorem, arbitrio & auctoritate Innocentij II. cuius extant de ea re litteræ ad Fromundum prid. Idus Ianuar. anno 1136. datæ.

Si Legatus Romanæ Eccleſiæ.] Girardus Epiſcopus Engoliſmenſis. epiſt. 17.

Quo Dominus Papa Vrbanus.] epiſt. eadem. Iure communi Eccleſiæ omnes in Epiſcoporum ſunt ordinatione & poteſtate. Synodi Aurelian. 119. Cabilonenſis. 110. & paſſim. Plerique autem Eccleſias vel C à ſe conditas, vel iuris ſui, monaſteriis olim offerebant, vt in eorum eſſent poteſtate. Quod quia ſine Epiſcoporum conſenſu fieri non poterat, Epiſcopi nonnunquam Eccleſias monachis hac lege permittebant, vt ſtatis annis, quotieſcunque ſcilicet illarum vicarij, ſeu perſonæ, vt vocabant, mutarentur, certam pecuniam Epiſcopo penderent, quæ Redemptio altarium dicebatur. Hanc vt nefariam & Simoniacam interdixit Vrbanus in Synodo Arvernenſi. Poſt Synodum vero fuerunt Epiſcopi, qui pro redemptione illa, quæ multorum annorum internallis fiebat, anni cenſus penſitationem exigerent. Quo è numero Vlgerius Andegavenſis hoc loco, & Iuo Carnotenſis, ac Ranulphus Santonenſis, quos eo nomine arguit Paſchalis II. cuius hæ litteræ extant in chartophylacio Vindocinenſi.

Paſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus Epiſcopis Ivoni Carnotenſi & Rannulfo Sanctonenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

D *Iuxta ſanctorum Canonum ſanctiones non ignotum vobis eſſe credimus, quid vltionis maneat Eccleſiaſtici ordinis viros Apoſtolicæ ſedis decreta ſpernentes. Ipſi enim Arvernenſi Concilio affuiſtis, in quo præſidente prædeceſſore noſtro bonæ memoriæ Papa Vrbano, conſidentibus Galliarum Epiſcopis, decretum eſt vt altaria, quæ ab annis triginta & ſub vicariorum redemptione Monaſterii poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps & ſine moleſtia qualibet Monaſterij ipſis firma permaneant. Vos autem huic ſimplicitati incongruas duplicitates innectitis, & perſonarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Verum oportet nos huiuſmodi verſutiis ſinceritate veritatis Apoſtolicæ obuiare. Præcipimus ergo, vt decretum illud omnino teneatur integre, nec ſuper illud quicquam vlterius pro eiſdem Altaribus exigatis. Sane quod vobis dicimus, cæteris quoque Galliarum Epiſcopis erga ſuarum Diœceſium Monaſteria præcipimus obſervandum. Datum Romæ II. Idus Martij.* Ex his litteris Paſchalis, & ex E Goffridi verbis intelligi licet cuiuſmodi fuerit ſynodicum Vrbani decretum de vicariis, cuius extrema epiſtola fit mentio. Hactenus enim in lucem non prodiit.

Ildeberto.] cuius extant epiſtolæ & alia opuſcula. Epiſt.13. Hoello in cathedra Cenomanenſi ſuffectus fuerat anno 1097. Hac relicta Gilleberto poſtea in Turonenſi ſucceſſit anno 1025. vir in Epiſcopatu eximius: ante illum, vitæ ſolutioris, vt indicat Iuonis epiſtola 277. quam quidem qui de Ildeberto, quo de agimus, ſcriptam pertinacius neget, is opinor clauſis oculis ſibi credi velit. Ecque enim alia Iuonis tempore Cenomannenſis Epiſcopi electio fuit, quam Ildeberti? quem præterea ſcimus ex Archidiacono, quod Iuo notat, ad Epiſcopalem cathedram euectum neque tamen hæc ita diſſero, vt viri docti, qui contra F ſenſit, nomini obtrectem, ſed quia immortalis memoriæ Cardinali Baronio debere me iudico, vt quæ recte & vere ab eo dicta ſunt, ea vt pro veris habeantur, enitar quoad poſſum.

Omnes Factores Rainaldi.] electi Epiſcopi Andegavenſis. Epiſt. 11.

Qui vos illuc vocavit.] Radulfus Turonenſis epiſt. eadem.

Caſtrum Ledæ.] oppidum in finibus Turonum & Cenomannorum, ſed in horum pago, ac diœceſi. Caſtrum Lidi appellat vetus hiſtoria vitæ Ildeberti, quem eo ſe recepiſſe narrat poſt captam vrbem ab Henrico Rege Anglorum. Ledam ergo fluuium dicit, qui aliis Lidus vel Ledus, vt Sidonio in Panegyrico Maioriani.

Vſque ad Carcerem.] oppidi nomen, de quo epiſt. 16. & 27. huius libri.

Illicitæ electioni.] Rainaldi Andegan. de qua dictum Epiſt.14 epiſt. 11.

Captione Redonenſis Epiſcopi.] Marbodi, captus G eſt à parte adverſa, dum Rainaldi electioni inconſulto fauet. Sic enim Rainaldo ſcribit, qui peſſimam poſtea gratiam Marbodo repoſuit. *Nam & carcerem & catenas, dum ad te in auſpiciis tuæ illius electionis vocatus feſtino, tui cauſa paſſus ſum, machinamento eius, qui tibi nunc places, Stephani, quaſi tunc iam præſagiente, & præmonente fortuna, vt ab infauſto cœpto deſiſterem.* Huius ſancti præſulis egregias virtutes, præter Vlgerium, qui eius ſcripſit. Epitaphium, his verſibus complexus eſt Riuallonus Archidiaconus Redonenſis.

Reddidit ingenium ſapientem, lingua diſertum,
Mens memorem, vigilem ſollicitudo gregis:
Ætas longa ſenem, iucundum gratia moris,
Ordo Pontificem Religioque ſacrum:
Sobrietas parcum ſibi munificentia largum
Pauperibus, rectum regula iuſtitiæ.
Hic baſis Eccleſiæ pondus portabat, & idem
Manſuetudine bos & feritate leo.

H Quia nimirum, vt ſcripſit Vlgerius in Epitaphio,
Lenis erat placidus & rigidus tumidis. —

Eccleſiam de Saniniaco.] epiſt. 21. *Eccleſiam Saniniacenſem.* Epiſt.15.

Archipresbyter veſter.] Petrus Epiſt. ſeq.

Olricus de S. Karilefo.] nunc nomen familiæ, alias Monaſterij Aniſolenſis, vt in litteris Theodorici Epiſcopi, *Ebrardus Abbas de S. Karilefo:* alias Caſtri. villa Caiani olim dicebatur in finibus Cenomannorum & Carnutum, vbi S. Carileſus ad Aniſolam, fluuium Cœnobium Childeberto Rege condidit & Monaſterio, Caſtro, Caſtrique Dominis nomen reliquit S. Caleſium hodie vocitant.

De Grato Epiſcopo.] Mirum eſt ignorari potuiſſe à Goffrido. Gratum Epiſcopum fuiſſe Carthaginienſem: cum docere id potuerit non modo Carthaginienſe

Concilium

Concilium primum cui præfuit, verum etiam Sardicenſe, cui ſubſcripſit, ſed nimirum in libro Canonum, vbi Grati Epiſcopi nomen præfixum viderat, ciuitatis nomen cui præerat non legebatur.

Apud Montem aureum.] Id oppidum infra Vindocinum ſitum eſt in altera Lidiripa.

Apud Carcerem.] infra Montem aureum in læva eiuſdem fluvij ripa non procul à caſtro Lidi & Turonum finibus, Carcer Cenomanicæ Diœceſis caſtellum non ignobile, quod à Fulcone IV. captum narrat Chronicum S. Albini anno 1004. *Poſt non multo igitur dies*, inquit, *dum Fulco Comes quod volebat implere non poſſet, pacem cum filio ſuo Gaufrido Martello fecit, pariterque ſequenti anno Caſtellum* CARCERIS *ceperunt, & Toarcium magnum & nobiliſſimum Caſtellum concremaverunt.* Chartam hodie appellant, quod vernacula maiorum lingua Carcerem ſonat. Itaque vt Pariſii S. Dionyſij de Chartra ædem vocant, vbi carcer illi fuit: ſic indigenæ Chartram, aut S.Vincentium de Chartra caſtellum id dicunt, quod Carcer eſt Goffrido.

Apud Seuſam.] Nomen hactenus retinet cum titulo Comitatus in Pago Cenomanico ad Sartam fluvium, qui & ipſam Cenomannorum principem vrbem præterfluit.

Ioannem Cæmentarium.] epiſt. 25.

Hamelino de Monte aureo.] Hic familiæ nomen non patriæ, vt & li.1.epiſt.19.Petrus de Monte aureo. de Hamelino iterum epiſt.ſequente.

Et à Legato.] Girardo Engoliſmenſi.

In Decretis Patrum.] infra epiſt. 33. verba ſunt Zephyrini Papæ ad Epiſcopos Galliæ, vt ei quidem tribuuntur. 3. q. 9. *Caveant iudices Eccleſiæ, ne abſente eo, cuius cauſa ventilatur, ſententiam proferant, quia irrita erit.*

Eo reclamante.] Hoc eſt, niſi adverſæ parti ſatisfecerit, vnde & li. 1. epiſt. 30. pari expoſtulatione apud Radulfum Turonenſem conqueſtus eſt, quod Harduinum de Malliaco abſque præcedente ſatisfactione abſolverit. Iuo epiſt. 38. *quos ſine ſatisfactione reconciliare non valeo, & excommunicatos in hoſtem mittere non debeo.*

Eccleſiam Saviniacenſem.] Eccleſiam de Saviniaco dixit epiſt. 15. cuius Archipresbyter Petrus epiſt. 16. & in ſcriniis S.Albini, Durandus item Presbyter de Saviniaco, Heliæ Cenomannorum Comitis, id eſt Goffridi noſtri temporibus. Abeſt autem Saviniacus Pagi Vindocinenſis caſtellum, Vindocino, qua ad Cenomannos itur, leucas fere 7.

Lavarzinum.] Lavarzinenſe Caſtrum in vita Ildeberti, cui patria fuit Lavarzinum, ſive vt hodie loquuntur Lavardinum Monti aureo in adverſa ripa finitimum.

Quæ hebdomada Iunij.] Hinc apparet, ieiunij æſtivi ante illa tempora ſtatam ac definitam ſedem non fuiſſe, quod ſane verum eſt. Nam in Concilio Arvernenſi 127. eorum quæ collegit Lambertus Epiſcopus Atrebatenſis, decretum conſtat, *vt ſemper fiat ieiunium veris in prima hebdomada. Quadrageſimæ Ieiunium vero æſtatis, infra hebdomadam Pentecoſtes.* Et apud Bertoldum in appendice ad Hermanum Gebehardus Epiſcopus Legatus ſedis Apoſtolicæ idem ſtatuit in Synodo, quam Conſtantiæ habuit anno 1094. exemplum vt reor ſequutus Gregorij VII. quem primum huius decreti autorem facit Micrologus. Quam vero incerta & anceps antea res fuerit, teſtatur Synodus Salegunſtadienſis, cum incertum ieiunium quatuor temporum vocat. Et mira prorſus per gentes & ætatis varietas fuit. Nam vt de æſtivo tantum Iunij menſis ieiunio dicam, & ſi receptum fuerat à pleriſque, vt ſecunda eius menſis hebdomade celebraretur, quod ex Synodo Moguntina anni 813. excerptum legimus libro 5. Capitul. 506. & in Synodo Rotomagenſi Ioannis Archiepiſcopi anno 1072. In ipſius tamen Hebdomadis deſignatione non idem omnium ſenſus & mos fuit: cum alij à feria 4. rationem inirent, quod præcipit Synodus Salegunſtadienſis, alij à Sabbato, quod faciendum docet Berno Abbas Augienſis. Fuerunt præterea, qui ſiquando evenerat vt ſecundum Iunij Sabbatum in vigiliam Pentecoſtes incideret, illa ipſa nihilominus hebdomade ieiunium obſervarent: nonnullis tum prævertere atque in antecedentem hebdomadem ieiunium revocare placuit: alij contra in ſequentem (quam hodie ſequimur) reiicere maluerunt. Nec minor fere in verno, hibernoque ieiunio diverſitas: Hoc igitur quamvis in re non magna diſſidium ab Eccleſia tolli, & communem omnibus legem dari intererat, quam ſancitam diximus in Synodo Arvernenſi. Sed non vbique ſtatim obtinuit. Adeo difficile eſt pleriſque antiquos mores, ritusque vel melioribus mutare. Propterea Goffridus tanquam in re adhuc incerta Ildebertum interrogat.

Ioannem Monachum.] Cæmentarium epiſt.ſeq. 24. & 30. Epiſt.24.

Sagitta qua q.3. à Turono.] litteræ Clericorum Turonenſium ad Ildebertum, de quibus epiſt.ſeq. Epiſt.26.

Clerici Turonenſes.] Metropolitanæ Eccleſiæ S. Gratiani. Epiſt.27

Eccleſiam S. Nicolai.] in privilegiis Innocen. III. & Ioan. XXIII. Caſtri carceris Eccleſiæ tres numerantur, quas Goffridi de Meduana illuſtris viri conſenſu Cœnobio Vindocinenſi conceſſiſſe dicitur Ildebertus. Eaſdem recenſet Guido Epiſcopus Ildeberti ſucceſſor in litteris quibus Fromundo Abbati Eccleſias omnes confirmat, quas in Epiſcopatu Cenomannico poſſidebat. *Eccleſiæ*, inquit *de Carcere, Capellæ ſcilicet S. Mariæ, Capella S. Vincentij, & Capella S. Nicolai: ſub perpetuo anathemate prohibentes, ne infra Banlengam eiuſdem Caſtri Eccleſia vel Capella conſtruatur ſine licentia Vindocinenſis Capituli.*

Etiamſi aliter egiſſet.] aliter agere trita Goffrido ſignificatione eſt male & perverſe agere, turpiter & indecore. Sic enim uſurpavit lib. 1. epiſt. 7. lib. 2 epiſtol. 7. & 8. & hoc libro 41. *rogamus vt quod aliter actum eſt corrigatis.* lib. 4. epiſt. 12. Item 47. *aliquid aliter agere eſſe humanæ perfectionis: & quod aliter actum eſt nolle corrigere diabolicæ præſumptionis*: & lib. 5 epiſt. 22. Legerat nimirum in S. Benedicti regula cap. 4. *Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamſi ipſe aliter quod abſit agat*, quæ eadem verba, ſed de Epiſcopis ſcripta, leguntur in Epiſt. 1. Clementis ad Iacobum, Rufino interprete.

Archiepiſcopus.] Radulfus ad quem libro 1. epiſt. 30.

Promiſſionem dedicaſſet effectus.] Epiſt. præcedente; *promiſſionem tamen veſtram veritatis effectus commendare debuiſſet*, id eſt, probare. Tunc enim approbantur promiſſa, cum præſtantur. Sæpe ludit in hoc verbo Tertullianus. De Monogamia: *At vbi primum ſcelus homicidium in fratricidio dedicatum eſt*, de pœnitentia: *Iam inde in ſemetipſo pœnitentiam dedicavit.* Et in Apologetico Neronem damnationis noſtræ dedicatorem vocat, hoc eſt primum auctorem perſecutionis. Dedicare in his locis Tertulliani eſt auſpicari, rem novam exhibere. At Goffrido exequi & perficere, quia nimirum & nova dedicantur, & dedicari niſi perfecta non ſolent.

Litteræ quas vobis. Epiſt. 16. Epiſt.28.

Petro de Caortis.] lib. 5. Epiſt. 12. Hugo Caorcinus. Epiſt.30.

Ioan. Monachum Camen. q.] Fugitivus hic Monachus à Goffrido ſæpe fruſtra revocatus, ob artis ſuæ vtilitatem ab Ildeberto retinebatur, vt queſtus eſt lib. 1. Epiſt. 3. ad Paſchalem. Veriſimile eſt poſt excommunicationem redditum Monaſterio fuiſſe, & deprecatoria quapiam epiſt. commendatum qualis eſt 23. inter epiſtolas Ildeberti, quam libenter huc

transferrem, niſi Monachi nomen, pro quo intercedit, aliud fuiſſe primi apicis nota indicaret.

[*Epiſt. 31.*] *Rannulfo Epiſcopo.*] Sanctonenſi, Boſonis ſucceſſori, Huius auſpicia Epiſcopatus in vetere Chronico Vineti coniiciuntur in annum M.X X C I I I. Synodo Arvernicæ interfuit, vt teſtantur litteræ Vrbani & Paſchalis, quas produximus ad lib. 11. epi. 18. & 12. huius, ſequenti anno Vrbanum Santonos venientem excepit Idibus Aprilis.

Cum Eblone.] lib. 1. Epiſt. 1.

[*Epiſt. 32.*] *Goffridus Tauniacenſis.*] Tauniacus duplex in Santonis prælabentium fluviorum nominibus diſtinguuntur, nam altera Carantoni dicitur, altera Vultonnæ.

[*Epiſt. 33.*] *Abſente eo.*] ſupra epiſt. 18.

Monitio namque.] Iudicij vocatio, lib. 11. epiſt. 29.

Definitum vel diſtractum.] Privilegium Gregorij V I I. *Si quis vero contra illum B. Petri locum pro aliquibus rebus cauſari voluerit, non ei Abbas vel fratres reſpondeant, antequam Romanum Pontificem conſulant, quia quidquid ſine noſtro, vel ſucceſſorum noſtrorum iudicio definitum ſive diſtractum fuerit, irritum erit.* Item Vrbani I I. 10. 8.

Nemo ad Synodum.] Euſebius Papa in epiſtoia ad Alexandrinos & Ægyptios de Epiſcopis exſpoliatis. *Quos ſciatis*, inquit, *nec ad Synodum Comprovincialem, nec ad generalem poſſe vocari, nec in aliquo iudicari, antequam cuncta, quæ eis ſublata ſunt, legibus poteſtati eorum redintegrentur*, lib. 11. epiſt. 29. lib. 4. epiſt. 12.

[*Epiſt. 35.*] *Toletani Concilij.*] 4. Can. 48.

Antiochenum.] Canone v. *Si quis Presbyter, aut Diaconus, Epiſcopum proprium contemnens ſe ab Eccleſia ſequeſtravit, & ſeorſum colligens, altare conſtituit, & commonenti Epiſcopo non acquieverit, nec conſentire vel obedire voluerit, ſemel & iterum convocanti, hic damnetur omnino, nec vltra remedium conſequatur, quia ſuam recipere non poteſt dignitatem. Quod ſi Eccleſiam conturbare & ſollicitare perſiſtat, tanquam ſeditioſus, per poteſtates exteras opprimatur.* Hic integer eſt Canon adverſus Presbyteros ac Diaconos, qui ab Epiſcopis ſuis ſeceſſionem faciunt, & altaria ſibi ſeorſum erigunt. Goffridus, aut ſi quis ante illum, ita contraxit, vt Clericos omnes, qui Epiſcopis ſuis quaqua in re non obediunt, conſtringere videatur.

Contra Archiepiſcopum.] Burdigalenſem Aquitaniæ 11. Metropolitanum. Is erat hoc tempore, vt opinor, Arnaldus Amati ſucceſſor.

[*Epiſt. 36.*] *Iulij Papæ.*] Epiſt. 1. ad Orientales pro Athanaſio 33.

Abbas S. Ioannis.] qui Angeriacenſis lib. 4. epiſt. 3. Abbas de S. Ioanne lib. 5. epiſt. 19. quæ ad hoc pertinet argumentum.

Placitum.] lib. 3. Capitul. 83. *Vnuſquiſque Comitum placitum ſuum habeat, & iuſtitias faciat.* Placitum dicebant iudicium, aut conventum iudicij cauſa, vnde & placitare lib. 11. epiſt. 24. Nec iudicij modo, ſed cuiuſlibet negotij cauſa conventus agerent, & conventiones ipſas, tranſactioneſque rerum quarum cauſa convenerant, placita vocabant: vt placitum Ticinenſe Caroli Calvi anno 8077. Principum, apud Ivonem epiſt. 28. Flodoardus in Chronico anno 9053. *Placitum concordiæ ac pacis Rex & Hugo mediante Quadrageſima inière Sueſſionis.* Placitum venditionis, Capitul. lib. 3. 75. Concilium Triburienſe cap. 9. *Cum Epiſcopus Epiſcopatum circumeundo placitum canonice decreverit, populumque illo invitaverit: & Comes eadem die placitum cum populo ſuum condixerit, & per bannum illic venire preceperit: placitum Comitis omnes poſtponant, & Comes ipſe, idemque populus poſt Epiſcopum feſtine pergant: ſcientes ſe non illic ſeditioſa contentione decertare; ſed pro fide Catholica invigilare, non cumulum pecuniarum, ſed lucrum congregare animarum.*

[*Epiſt. 37.*] *De Inſula Flacci.*] Inſula eſt non maris aut fluminis, ſed mediis olim ex paludibus eruta, qui nunc etiam eius ſitus cernitur non procul Surgeriis; quarum Eccleſiæ membrum eſt. In privilegio Vrbani I I. Romæ anno 1098. *Eccleſia B. Mariæ de Surgeriis cum inſula Flaici, quam à ſe prorſus erutam Hugo miles per manum Ranulfi Sanctonenſis Epiſcopi Vindocinenſi Cœnobio dereliquit.*

Haimerico de Rancone.] Clara ſuperioribus ſæculis familia, ex qua huic cognomini alter Haimericus de Rancone fundationis Vindocinenſis Cœnobii litteris inter proceres ſubſcripſit anno 1040. Item Gaufridus de Rancone Pictavenſi regioni à Ludovico V I I. Rege, Aquitaniæ Duce præpoſitus: cuius extant ad Sugerium Abbatem litteræ inter epiſtolas Sugerij. Haimerici præterea Ranconenſis his omnibus antiquioris, cruentique eius interitus meminit vetus Chronicum Ademari Engoliſmenſis. *Haimericus*, inquit, *Princeps Ranconenſis contra Guillelmum Engoliſmæ Comitem inſurgens à Goffrido Comitis filio ferro confoſſus occiditur.*

Auctoritate Canonum.] Leo Ruſtico Narbonenſi. *Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.* Innocentius I I I. Archiepiſcopo Nidroſienſi cap. 12. de ſepulturis. *Sacris eſt Canonibus inſtitutum, vt quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: & vt careant Eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erant ab Eccleſiaſtica vnitate præciſi, nec in articulo mortis Eccleſiæ reconciliati fuerint.* Poteſt tamen in excommunicatione mortuis abſolutio impertiri, & poſt abſolutionem ſepultura, C. *A nobis. De ſentent. excommunicationis.*

[*Epiſt. 38.*] *Petro Santonenſi Epiſcopo.*] Ranulfi ſucceſſori.

Guillelmus Oleronis præpoſitus.] huius atque Haimerici fratris iterum fit mentio lib. 5. epiſt. 21. Olero, ſive ut loquitur Sidonius, Olario inſula eſt Oceani Santonici, de qua dictum etiam lib. 1. epiſt. 25. Vliarus Plinio.

Rainaldum Cheſnellum.] Rainaldum Cheſnelli dicit lib. 1. epiſt. 21.

Duellum cepiſſe.] Monomachiam, ſingulare certamen, quo ambiguas diſceptationes dirimebant, quæ ordinario iudicio terminari non poterant. In diplomate Stephani Regis Anglorum ad Hugonem Archiepiſcopum Rotomag. *De his qui trevia Dei infringunt, & in trevia Dei homines occidunt ſimiliter ſtatui, quemadmodum Henricus avunculus meus teneri mandavit. Videlicet ſi occiſorem aliquis in trevia Dei duello probare voluerit, duellum illud in curia erit.* & poſt alia. *Si vero defuerit, qui occiſorem in trevia Dei duello probare voluerit, tunc ille occiſor per miniſtros Eccleſiæ vocatus, aperta lege iudicij, aut aqua vel igni ſe purgabit.* Aquæ nimirum calidæ aut frigidæ, vel ferri igniti iudicio. Nam hæc alia erant genera vulgaris purgationis. Qui ritus è priſco Francorum, Germanicarumque gentium more in Eccleſiam olim receptus, reclamantibus licet Eccleſiæ rectoribus, ſic invalvit, ut multorum ſæculorum contentione impetrari vix potuerit, vt abrogaretur. Sed vt de duello ſeorſum dicamus, fiebat hæc pugna ſcuto & fuſte. lib. 4. Capitul. 23. *qui cum ſcutis & fuſtibus in campo decertent.* & 29. *liceat ei contra vnum ex ipſis cum ſcuto & fuſte in campo contendere.* At quamquam his armis dimicabant, vix tamen ſine ſanguine, interdum etiam non ſine cæde pugnabatur. Vel hanc igitur ob cauſam Eccleſiaſticis præcipue vetita erat monomachia, quod multis etiam locis docet Ivo, vt epiſt. 247. Propterea in diplomate Stephani Regis duellum in curia Regis indicitur: in Eccleſiaſtico foro aquæ vel ignis purgatio, quia Eccleſiaſticis non ſolum ipſis duello contendere non licebat, ſed nec alios

committere.

committere. Sæpins tamen ab illis temporum vitio vtramque in partem peccatum eſt, quod ſubiecta etiam duo exempla teſtantur, quæ quoniam veterum duellorum morem illuſtrant: & memorabilium præterea rerum notitiam continent, non indigna viſa ſunt, quæ in lucem proferantur. Alterum è Tabulario ſancti Albi in Andeg. ſpecimen exhibet duelli oblati & accepti: ſed non peracti, in controverſia Theoderici Abbatis cum Vicecomite Toarcenſi, in hæc verba.

HAIMERICI VICECOMITIS Toarcij cum Theodorico S. Albini Abbate controverſia.

NOtum ſiat omnibus Chriſtianis præſentibus & futuris, quod Vicecomes Toarcenſium Haimericus nomine exigebat officialium ſuorum perſuaſione ab Abbate S. Albini Theodorico nomine, qui noviter onus ſuſceperat Abbatis, conſuetudinem quandam inauditam, & omni religioni contrariam: videlicet pro Abbatis mutatione & relevatione Abbatis, equum vnum centum ſolidorum, aut ſolidos centum. Dicebat enim, ſicut illis fuerat ſuggeſtum à talium aucupibus lucrorum, quod quicumque noviter crearetur Abbas in Monaſterio S. Albini prædictum pro ſua ordinatione præiudicium ſolveret Vicecomiti. Quod cum prædicto de parte Vicecomitis nunciatum fuiſſet Abbati, prævidens & ſibi & ſucceſſoribus ſuis nociturum, ſi redderetur, hanc conſuetudinem negavit ſolvere, quod intelligebat exigi perverſe. Vnde factum eſt vt ob hanc cauſam peteret Toarcium, Vicecomitem adiret, paratus aut calidi ferri iudicio ſecundum legem monachorum per ſuum hominem probare, aut ſcuto & baculo iuxta legem ſæcularium defendere, nunquam in Abbatia Sancti Albini fuiſſe iſtam, & iniuſte exigi conſuetudinem, vtrum fieret horum, Vicecomitis eſt iudicio relictum. Cumque ille duellum potius elegiſſet, obtulit Abbas hominem Sancti Albini, qui & ſacramentum faceret, & ſacramento fidem brachio daret. Interea Vicecomitis optimates quam immaniter hæc conſuetudo omni Chriſtianitatis profeſſioni, & præcipue monaſtico ordini poſſit officere; perpendentes, ſimulque Vicecomiti, quod contra Deum & Sanctos eius & animam faceret, proteſtantes, iniuſtum proclamabant eſſe pro tam iniqua bellum fieri conſuetudine. Ipſe quoque Vicecomes, vt homo prudens & nobilis, & bene morigeratus, licet iuvenis, ſentiens in periculum animæ ſuæ pugnam iſtam, vter pugnantium vinceretur, vergere, qua aut ſuum aut Sancti cogeret hominem fortaſſis occidi: conſilio inito cum fidelibus ſuis, pro anima Patris ſui iam pridem defuncti cuius ipſo die anniverſaria volvebatur dies, nec non & ſua quotidie periclitantis ſalute; & vt Abbas ſibi, vxorique ſuæ, & fratribus ſocietatem daret beneficij congregationis Sancti Albini, remiſit pugnam, remiſit & conſuetudinem: & vt nullus poſt hac ſuæ vel ditionis vel parentelæ hanc valeat exigere, notitiam huius rei ſcribi præcepit, quam fratres ſuos, Gauffridum videlicet & Rodulfum; nec non & milites, qui hanc conſuetudinem de illo in feudum reclamabant, Guillelmum ſcilicet & Americum Præpoſitum, auctoramento gratuito firmare perſuaſit. Data igitur ab Abbate beneficij ſocietate, & irrita facta à Vicecomite ſæpedicta conſuetudine, ab vtraque parte diſceſſum eſt in pace. Facta ſunt hæc apud Toarcium in Curia Vicecomitis Haimerici, &c.

Alterum è Codice S. Petri Redonenſis, Hamelini Epiſcopi litteris continetur, quæ duellum commiſſum, ſed ſine victoria diremptum oſtendunt. Sic igitur habet.

HAMELINI REDONVM Epiſcopi litteræ de controverſia Mainguenoij & Ivonis, duelloque inter eos commiſſo.

EGo Hamelinus Dei gratia Redonenſis Epiſcopus memoriæ commendo, & poſterorum meorum trado notitiæ finem controverſiæ, quæ fuit in præſentia noſtra inter Mainguenoium filium Eveni de Croteniaco, & Ivonem quondam filium Hamelini nepotem Galterij Groiſnardi. Iſte Ivo anno quarto Epiſcopatus mei clamorem mihi fecit ſuper hæreditate vt aſſerebat ſua, quam Galterius Patruus ſuus & Hamelinus Pater ſuus ab Epiſcopo Mainone emerant, & in pace poſſederant in vita ſua. Poſt quorum mortem ipſe Ivo & fratres eius cogente paupertate & ſolitudine ſua in aliam demorantes parrochiam hæreditatem ſuam dereliquerunt in manu Epiſcopi ſolutam & quietam. Nunc autem repoſcere ſe hæreditatem ſuam, quam Mainguenoius iniuſte poſſideret interim ſibi traditam à miniſtris Epiſcopi, quam nullus anteceſſorum antea poſſediſſet. Ad hunc clamorem vocatus Mainguenoius die conſtituto & loco, huiuſmodi dedit reſponſum. Ego nec tuam, nec Patris tui poſſideo hæreditatem; ſed hæreditatem meam, quam Pater meus, & Avus, & Proavus meus in pace tenuerunt & poſſederunt tempore Mainonis, & Sylveſtri, & Marbodi, & Rotaldi Epiſcoporum, & nunquam à iuſtitia defuerunt, neque vnquam à poſſeſſione iſta deiecti ſunt, ſed neque ego. Ad hæc Ivo: nec tu, Mainguenoi, terram iſtam ſine calumnia noſtra poſſediſti, nec Pater tuus, nec avus tuus, nec proavus tuus aliquando de ea fuerunt inveſtiti. Super his ſententia data eſt, ſcilicet vt Mainguenoius narrationem ſuam iureiurando aſſereret. Huic iuramento reſiſtere ſe Ivo dixit. Itaque iudicatum eſt inter illos duellum. Acceptum eſt ab vtraque parte, & laudatum iudicium. Cumque die conſtituto ventum eſſet in campum, & poſt facta iuramenta pugiles hinc & inde fortiter & viriliter dimicarent in prato Epiſcopi, iuxta fluvium Iſolam, præſentibus nobis & Comite Conano, & Roberto Vitreienſi tunc excommunicato, & Oliverio de Dinanno, & Hamone de Guirchia, & aliis proceribus multis, & fere omni Clero & populo Redonenſi, tractatum eſt de concordia, & convenit, & placuit, vt Mainguenoius terram ſuam quietam teneret & poſſideret, & Ivoni daret quinquaginta ſolidos propter impenſas: & ita Ivo calumniam Poſſeſſionis illius prorſus dimitteret, & factum eſt ita, deditque Ivo fidem ſuam in manum Epiſcopi de huius pacis compoſitione firmiter & fideliter obſervanda ſimiliter & fratres Rainaldus, & Iudicaël, & Ruellonus Bodinardus, & Radulphus ſocer Ivonis, & Robertus ex pallare datuſque eſt locus & terminus, vt quinquaginta illi ſolidi Ivoni redderentur. Die conſtituto cum Mainguenoius præſto eſſet, & Ivo à nobis invitatus ſemel, & ſecundo, & tertio pecuniam nollet recipere, ego illam recepi, dans Mainguenoio ſecuritatem & tutelam promittens omni tempore me, & ſucceſſorum meorum Epiſcoporum Chartulam quoque pactionis ſignavi ſigillo Epiſcopali, vt rata ſit & firma, & inconcuſſa permaneat. Sed quoniam huc uſque provecti ſumus, accedat & tertium duelli exemplum, in quo pugilum alter vincitur, & ſuo, quod monuimus, cruore perfuſus deſcribitur. Id depromptum eſt ex vetere hiſtoria ſeu geſtis Comitum & Antiſtitum Engoliſmenſium, vbi de Guillelmo Arnaldi F. Comite agitur in quem malefica mulier noxias artes exercuiſſe ferebatur.

***

STEPHANI PRO COMITE Engoliſmenſi, & Guillelmi pro malefica Duellum.

D*Vm malefica*, inquit, *mulier non confiteretur, iudicio Dei commiſſum eſt, vt quod verum latebat per duellum duorum virorum inter ſe pugnantium data victoria probaretur. Factis ergo ſacramentis feria ſecunda prima hebdomada Paſſionis, decertaverunt diu multumque extra Civitatem in inſula Carantoni fluminis, ſcilicet miſſus Comitis Stephanus & defenſor malefica Guillelmus, cum baculis & ſcutis, defenſor enim malefica erat ipſo die maleficatus à quibuſdam incantatoribus, & quibuſdam potionibus herbarum initiatus. Sed Stephanus de ſolius Domini vero iudicio confidens victor ſine ſui corporis damno fuit. Alter toto corpore conquaſſato, ſuo nimium ſanguine coopertus, victus ſtetit in pedibus ab hora tertia vſque ad horam nonam. Cum ſe movere iam non poſſet, clypeo & baculo evomuit quadam malefica qua guſtaverat: ſeminium aliorum manibus deportatur & longo tempore languens decubuit, incantatores vero eius de longo ſtantes, qui & quadam pracantamina dicebant, mox territi fugerunt. Stephanus vero latus & exiliens eadem hora cucurrit Deo gratias referre ad tumulum ſancti Eparchij, vbi pradicta nocte pervigil excubaverat. Deinde reverſus eſt equitans in civitate vt ſe reficeret. Malefica vero multis tormentis ignorante* (*omite*) *mox excruciata nec ſic confeſſa eſt: ſed à tribus mulieribus, qua cum ea interfuerant maleficiis, convicta eſt teſtimoniis. Comes tamen ei pepercit & vitam conceſſit.*

Epiſt. 40. *Oblationes confeſſionum in Eccleſia Surgeriarum.*] Non diſſimilis fuit Vindocinenſium controverſia cum Epiſcopo Andegavenſi, vt obſervatum eſt ad Epiſt. 12. de qua inter Vlgerium Epiſcopum & Fromundum Abbatem coram Innocentio II. ita conventum eſt, vt Abbas oblationes baptiſteriorum in Eccleſiis Epiſcopi Andegavenſis remitteret; Epiſcopus Abbati oblationes purificationum vel nuptiarum & alias, ſicut antea obtinuerat, in poſterum concederet. Surgeriarum Caſtellum nomen retinet in Epiſcopatu Santonenſis: de cuius Eccleſia Vrbanus Gaufrido Abbati. *Eccleſia Parrochialis S. Maria de Surgeriis, & omnes Eccleſia, qua infra terminos eiuſdem parochia continentur.*

Epiſt. 41. P. *Honorabili Epiſcopo.*) Petro eidem Santonenſi. Habuit & decimas ſalinarum Cœnobium Vindoc. vt ex tabulis fundationis liquet, in pago Pictavenſi ad Olonam. Quare dubitari poſſet an ſcripta ſit Epiſtola ad Petrum Epiſcopum Pictavenſem, niſi compertum eſſet Calliſti tempore non Petrum Pictauis ſediſſe, ſed Guillelmum Petri ſucceſſorem.

Eccleſia non debet decimam dare.] Non negabat Epiſcopus decimas à Monachis iure poſſideri; ſed contendebat ab Eccleſiaſticis non deberi quod ſcite refellit Goffridus.

Vrbani & Calliſti privilegia.] Vrbani hac de re decretum citatum ad epiſt. 33. Calliſti integrum attulimus ad libri 11. epiſt. 28.

Epiſt. 42. *I. Epiſcopo.* Goffrido ſuſpicor Carnotenſi, ad quem ſcribens epiſt. 30. Pagani etiam monachi meminit. Ioffridum pro Goffrido interdum ſcribebant, atque ita vetus codex Abbatem noſtrum repræſentat epiſt. ad Honorium: Locus ergo huic epiſtolæ debetur in calce lib. 11.

Laicis etiam religioſis.] Ex Symmachi Papæ ſynodo III. lib. 6. capitul. 294. Ivo P. 16. cap. 36. & Gratianus 16. q. 7. laicis.

Gregorium 7.] In ſynodo Romana epiſtol. 11. & op. II.

Vrbanum.] In ſynodo Arvernenſi.

Paſchalem.] In ſynodo Lateranenſi.

Epiſt. 44. R. Epiſcopo] Rainaldo fortaſſe Andegavenſi. nec enim occurrit, cui potius adſcribi queat. Hoc pacto adiungi cæteris debet, quæ ad illum ſupraſcriptæ ſunt.

Concilium Roma.] A Calliſto II. anno 1123. Appendix Sigeberti. *Concilium Roma celebratur: pax inter regnum & ſacerdotium reformatur: & ius inveſtiturarum Epiſcopalium ab Imperatore exfeſtucatur* i. abdicatur. Hoc idem eſt Concilium opinor, ad quod evocatus Ildebertus graues in itinere difficultates meditatur in epiſtol. 76. *Maxime autem hac in tempeſtate orationibus tuis egemus fatigandi Romam quo Papa Cardinalibus citramontanis Epiſcopis & Abbatibus convocatis generale concilium in vrbe eſt celebraturus: nobis illuc profecturis tempus hyeme ſuſpectum, nivibus Alpes, incrementis aqua, vinculis Imperator, ſeditionibus civitas, exactione palatium.*

AD LIBRVM IV.

H*Vgoni Abbatum excellentiſſimo.* Singulare prorſus ſæculi huius ornamentum, ordiniſque ſui decus Hugo Cluniacenſium Abbas V. Ordericus Vitalis de Roberto, Abbate poſtea Vticenſi. *Cluniacum perrexerat, vbi tunc monaſtica phalangi Hugo Abbas temporibus noſtris ſpeciale Monachorum decus præerat.* Huius tanto illuſtrior laus fuit, quanto præfectura diuturnior. Annos enim præfuit III. & LX. Quanti autem eum fecerit Vrbanus II. qui Monaſticæ vitæ initiatus ab eo fuerat, declarant quæ ad illum in ipſis Pontificatus ſui exordiis inter alia ſcripſit his verbis. *Tibi ergo ſanctiſſime, reverentiſſime, ac dilectiſſime frater, tam ex antiqua ſedis Apoſtolica familiaritate, quam ex nobiliſſima tua, tuique Cœnobij religionis reverentia ſingularis à nobis debetur prarogativa dilectionis. Eſt praterea quod nos tibi non minus, tuoque monaſterio debitores faciat, quoniam per te Monaſtica religionis rudimenta ſuſcepi, in tuo Cœnobio per ſecundam ſancti Spiritus gratiam renatus.*

Henricus Abbas.] Angeriacenſis, ad quem Epiſt. III. Angeriacenſe Monaſterium in iis hoc tempore cenſebatur, quæ à Cluniacenſi Abbate regebantur. Tanta enim fuit primis ſæculis fama Cluniacenſium, vt Principes atque Antiſtites antiqua iuris ſui Cœnobia in eorum corpus & familiam cooptare certatim expeterent. Quo in numero Goffridi ætate, Abbatias duodeviginti Gelaſij & Honorij II. ad Petrum venerabilem litteris expreſſas vidimus. S. Martialis Lemovicenſis. In Pago Arvernenſi, S. Auſtremonij Mauziacenſis, Tiernenſem & Menatenſem. In Pictavico, Novi Monaſterij, S. Petri Malleacenſis, & S. Cypriani Pictau. In Cadurcino Figiacenſem, & S. Petri Moyſiacenſis. S. Germani Altiſiodorenſis In Æduenſi, S. Mariæ Viziliacenſis. In Rotomagenſi, apud Ponteſeram. In Taruanenſi, S. Bertini, & S. Vlmari In Cameracenſi, Hunoldi curtis. In Santonico. S. Ioannis Angeriacenſis. In Nemauſenſi, S. Ægidij. In Italia S. Benedicti ſuper Padum. Fuerunt & aliæ poſtea complures, in quibus præter conſenſum Abbatis Cluniacenſis Abbas non eligebatur. Itaque non vana laus eſt, quam Cluniacenſium ordini tribuit Paſchalis ad Hugonem ſcribens. *Religioni*, inquit, *veſtra per omnipotentis Dei gratiam ſedis Apoſtolica benignitas gratulatur, quoniam pleriſque in locis, largiente Domino per veſtra ſollicitudinis ſtudium, vbi defecerat, per Galliarum partes eſt reſtituta religio.* Et Calliſtus II. ad Pontium Abbatem, religionis Monaſticæ ſuis temporibus ſpeculum, in Gallia documentum Cluniacenſe Monaſterium fuiſſe ſcribit.

Retributione quam Deus non novit.] Marbodus Redonenſis ad Rainaldum Andegavorum Epiſcopum *Hac eſt retributio impiorum, quam Dominus neſcit, qua mala retribuuntur pro bonis.* Noſter lib. 1. Epiſt. 15. lib. 11. epiſt. 7. & 28. lib. 111. epiſt. 10. & 40.

A Secundum Paradiſum.] ſic Fulbertus Ep. 81. ad Guillelmum Abbatem Divionenſem: *ſua culpa de veſtri Cœnobij paradiſo ſe conquerebatur expulſum.* Quod autem hi de uno atque altero Cœnobio, idem alij de omnibus recte inſtitutis cœnobiis prædicare non dubitarunt. Petrus Bleſenſis epiſt. 13. *Iuxta ſententiam cordis mei, ſi Paradiſus in hac vita præſenti eſt, vel in clauſtro eſt, vel in ſcholis.* Sed amonet hic locus veteris in hoc genere poematis, autoris quidem adhuc incerti, ſed ut tempora ferebant minime inſulſi: quod quidem huic loco inſeri, ut ex Codice S. Melanij Redonenſis à nobis exſcriptum eſt, ferent, ut ſpero, quos eius vitæ laudes capiunt, non inviti.

B

LAVS VITÆ MONASTICÆ.

FElix Grex hominum, qui Chriſti dogma ſequentes
Contemptis opibus nil proprium retinent.
Vnius arbitrio quos regula ſancta coërcet,
Quorum quiſque ſuo nil agit ex libito.
Cor quibus eſt unum, quibus indiſcreta voluntas,
Par cunctis habitus & cibus eſt ſimilis.
Sic tamen ut capiat quo quiſque videtur egere,
Ætas ut fragilis debilitaſve iubet.
Luxus abeſt omnis, peccandi rara facultas,
Cuncti cunctorum cum timeant oculos.
Lex communis habet viſas mox prodere culpas,
Vt naſcens vitium pœna ſequens reſecet.
Deſidiam fugiunt, labor utilis occupat omnes.
Noxia torpentes ne ſubeant animos.
Confuſum nihil eſt, ubi fiunt ordine cuncta,
Curatur totum, negligiturque nihil.
Nec ſolum vitæ, ſed conſtat & ordo loquendi;
Diſpenſant æque maxima cum minimis,
C Non niſi præſcripto quiſquam loquiturve ſiletve,
Stat, ſedet, incedit, ordine quiſque ſuo.
Eccleſiæ limen noctesque dieſque frequentant,
Et ſanctis precibus ſeque, ſuoſque iuvant.
Quid moror, & verbis evolvere ſingula tento?
Quidquid agunt opus eſt corporis aut animæ.
Quid quod ſic habitant, ut ſit ſacer ipſe domorum
Et ſitus & numerus, ſufficienſque ſibi?
Quadratam ſpeciem ſtructura domeſtica præfert.
Atria bis binis inclyta porticibus.
Quæ tribus incluſæ domibus, quas corporis uſus
Poſtulat, & quarta quæ domus eſt Domini.
Diſcurſum monachis, vitam dant, & ſtationem,
Qua velut in caulis contineantur oves.
Quarum prima domus ſervat potumque cibumque,
Ex quibus hos reficit iuncta ſecunda domus.
Tertia membra fovet vexata labore diurno,
Quarta Dei laudes aſſidue reſonat.
Plurima prætereo ſimili condigna relatu,
D Sed breviter dicam, nil ſupereſt, vel abeſt.
Hos igitur proceres, hunc dignum laude ſenatum,
Exiguum ſpecie, moribus eximium,
Comparo formicis, quarum ſtudioſa laborum
Turmula convectat corpore maius onus.
Quæ ne non poſſint communem ducere vitam,
Iſdem ſub laribus horrea parva locant.
Comparo divinis apibus, quæ corpore parvo.
Ingentes animas egregiaſque gerunt.
Exagonis cellis quæ mella liquentia condunt,
Vtile mirificum quæ fabricantur opus.
Quæ diſciplinam, quæ iura domeſtica ſervant.
Quaſque ſimul reficit ingenioſa domus.
Comparo ſideribus, quibus aula ſuperna refulget,
Aëra qua furvum noctibus irradiant.
Quæ ſemel impoſitam ſervant per ſæcula legem,
Quæ ſolitos curſus & numeros peragunt.
Comparo gyranti ſollemniter omnia cœlo:
Inſuper Angelicis comparo ſpiritibus.
E Qui ſemper ſanctus triplicata voce reſultant,
In terris monachi quod modulantur idem.
Sic Cherubin cœlo; Monachi tellure manentes,
Vnum dant uni ſervitium Domino.

Pontio Abbati] Cluniacenſi, Hugonis ſucceſſori, ſed longe diſſimili, ut oſtendunt quæ de illo narrant Petrus venerabilis, & Petrus alter Pictavenſis. *Epiſt. 2.*

Petrum Goſcelini] Transferat hic à Vindocinenſibus ad Cluniacenſes, illum reperit Goffridus, ac ſine ſuo conſenſu retineri non poſſe docet. Eiuſdem argumenti eſt epiſtola prima S. Bernardi ad Robertum nepotem qui à Ciſtercienſibus ad Cluniacenſes convolarat. Quo loco & in libro De præcepto & diſpenſatione, ubi hoc etiam argumentum tractat, multa ſunt cum verbis Goffridi conſentanea.

Hainrico Abbati Angeriacenſi, ad quem etiam Ivo epiſtol. 233. Angeriacum Santonum ad Vultonam fluvium oppidum olim dixerunt: deinde litterulæ mutatione Angeliacum, & S. Ioannem de Angeliaco, poſtquam eo delatum eſt caput Præcurſoris Domini, Monaſteriumque à Pipino Aquitaniæ Rege conditum, ut habet vetus narratio ad calcem operum S. Cypriani. Ademarus Sancti Martialis Monachus. *Pipinus Rex Aquitaniæ Ludovici imperat. filius iuſſu Patris Monaſterium Sancti Ioannis Angeriaco ædificari fecit.* Priſcam igitur appellationem cum nova retinuit, quod in paucis id genus factum eſt: nam in aliis priora nomina plane ſilent. Vt mons Indiclatus in Sancto Floro apud Arvernos, Centula in Sancto Richario apud Ambianos, Segeſtrum in S. Sequano apud Lingogones, Ceſſaro in S. Tiberio apud Septimanos. Caculiacus & Novigentum in S. Dionyſio & S. Clodoaldo apud Pariſios, & aliis innumeris. Monaſterium porro Angeriacenſe inſtauratum poſtea & reditibus auctum eſt ab Agnete, fundatrice Vindocinenſi, & nova Baſilica, anno M.LVIII. Goffrido Abbate, Arnaldi, qui Vindocinenſi dedicationi adfuerat, ſucceſſore conſecrata. *Epiſt. 3.* F

G Gladiatorium ſpiritum] Epiſt. 1. de eodem: *Dominum illum Abbatem, quem dicunt homines ex longo tempore fuiſſe diſcordiæ amatorem, ſeminatorem iurgiorum, pacis perturbatorem.* *Epiſt. 4.*

Pictavim tranſmiſi] Flodoardus Chronic. anno DCCCC.LV. *In Aquitaniam profectus, urbem Pictavim petiit.* Lib. 2. 31. *Andegavim conduci faciam.* Petrus Bleſenſis epiſtol. 12. *Tota fere in lacrymas Aurelianis efflueret.* Aurelianim, Bleſim, Pictavim eius ſæculi & proximorum ſcriptores ſingulari numero uſurpabãt. Et tamen ubi aliquid in his locis eſſe, aut fieri ſignificabant, Aurelianis, Bleſis, Andegavis plurium numero dicebant. Fulbertus, ut quidem legendus eſt, in Epiſtola 113. ad Robertum Regem, *ſed audito quod Aurelianis, in civitate videlicet incendio vaſtata conſilium habiturus ſis, miror & paveo,* noſter epiſt. 14. *Andegavis negotium acturi ſumus.* Eodemque modo Turonum, & à Turono dicere ſolet, & Turonis eſſe, ac Turonis loqui. *Epiſt. 5.*

Ioanni Abbati] Dolenſi, ut docuit nos Elenchus Codicis Cenomanenſis. Eſt autem Dolenſe ſeu Burgi Dolenſis illuſtre Monaſterium in Biturigibus ab Ebbone Toparcha, Carolo non Calvo, ut quibuſdam viſum eſt, ſed Simplice regnante, iiſdem fere quibus Cluniacenſe temporibus conditum. Fuit & Dolenſe aliud cœnobium in Armoricis in Epiſcopalem poſtea Cathedram converſum; quæ Dolenſis Eccleſia Ivoni epiſt. 176. *Epiſt. 6.* H

Guillelmo Abbati] Salmurenſi, hoc eſt, S. Florentij ad Ligerim: viro, ut eius cœnobij monimenta tradunt, genere ac religioſis moribus inſigni. Frater enim fuit Dolenſis Toparchæ, qui in eius gratiam lautam S. Florentio & proventibus optimam apud Dolum Obedientiam dicitur obtuliſſe: præfuit annis 8. & 40. uſque ad exceſſum fere Paſchalis II. *Epiſt. 7.*

Obedientiam de Pinu] id eſt, Prioratum, paulo inferius. *Quo intrasis? Prior abeſt.* Eccleſias, cellas, altaria,

A quæ Monaſterio, vel maiori cuipiam Eccleſiæ parent, quia eius nutu & imperio reguntur, eius loci Obedientias vocabant. Sic lib. 1. epiſt. 9. lib. 2. epiſtol 32. & lib. 5 epiſtol. 18. Fulbertus epiſt. 1. *Alij duo Vivianus ſcilicet & Durandus ambo Præpoſiti ſimulantes ad Obedientias ſuas ſe velle exire.* In Epiſtolis Pontificum paſſim: ut Vrbani II. *Vrbanus Epiſcopus Archiepiſcopis, Epiſcopis, in quorum Parochiis Prioratus & Obedientiæ Eccleſiæ Cluniacenſis exiſtunt.* Vlgerius Epiſcopus Andegavenſis ad Sugerium de electione Roberti Abbatis Burgulienſis: *Sane venerabilis ac religioſus eiuſdem loci Conventus, qui ad feſtum loci illius etiam de remotiſſimis Obedientiis convenerant, feſtinaverunt eligere ſibi in patrem & paſtorem unum de viſceribus Monaſterij ſui, Robertum virum magnum* Hinc & Obedientiarij Obedientiarum præpoſiti; ut in litteris Innocentij II. *Priores & Obedientiarij Cluniacenſium fratrum.* Cæterum in Pago Pictavenſi, præter hunc Prioratum S. Florentij, à Pinu etiam nomen gerit Mo- B naſterium S. Mariæ de Pinu ordinis Ciſtercienſis.

Duodecim equi veſtri] Numeroſo equitatu ſtipatum iter facere ſolitum Goffridum indicant ea, quæ ſcribit lib. 1. epiſtol. 8. ad Paſchalem, & lib. 3. epiſtol. 16. ad Ildebertum. Nimirum is Eccleſiæ ſplendor & opes tunc erant, neque tamen immodicum dixeris in Goffrido, qualem in alio quodam Abbate merito perſtringit S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem. *Quod enim*, inquit, *ut cætera taceam ſpecimen humilitatis eſt, cum tanta pompa & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum ſtipari obſequiis, quatenus duobus Epiſcopis unius Abbatis multitudo ſufficiat? Mentior, ſi non vidi Abbatem 60. Equos, & eo amplius in ſuo ducere comitatu.* Triginta equos uni Epiſcopo concederet: quot pauci hodie alere poſſint Epiſcopi.

Epiſt. 8. *Bernardo Abbati S. Sergij.*] In ſuburbio Andegavæ Civitatis. Numeratur in litteris Hugonis Legati inter Abbates, qui Fulconis Comitis abſolutioni adfuerunt, Bernardus Abbas SS. Sergij & Bacchi. Sic enim hoc Monaſterium interdum appellant, interdum SS. C Sergij & Medardi, ut in diplomate Childeberti III. Regis, ad cuius avum Clodovæum II. originem ſuam referunt Monachi S. Sergij.

Contra tortuoſum & ſubdolum illum] Rainaldum electum Andegavenſem, cuius hic nomen præ indignatione ſupprimit, ſed nominat epiſtola ſequenti. De huius electione dictum eſt epiſt. 11. lib. 3.

Epiſt. 9. *Guillelmo Archidiacono*] Andegavenſis Eccleſiæ, qui cum Stephano Decano Rainaldi electioni præcipue refragabatur: uterque poſtea eidem amici ex infeſtiſſimis facti. Quo nomine taxantur, in epiſtola Marbodi, *Multiplex eſt Andegavenſis malitia, multos Stephanos habet, multos Willelmos.*

Epiſt. 10. *Et Abbatem S. Sergij*] Bernardum. De hac Abbatum contra Rainaldum conſpiratione, Ildebertus epiſt. 11. ad Rainaldum ipſum. *Pro eo religioſos Abbates, & integri nominis perſonas audivi ſtare adverſum te: cum quibus tanto periculoſius eſt congredi, quanto eorum fama D ſyncerior, cauſa iuſtior, dignitas maior.* Inter hos erat & Bernerius Bonævallis Abbas epiſt. 16.

Archembaldo V. Albini, Abbati] de quo lib. 1. epiſtol. 6. Chronicum, S. Albini. *Anno* M.C.VI. *obiit Girardus Abbas S. Albini. v. Idus Ianuar. qui fuit Abbas annis 9. Eodem anno ordinatus eſt Archembaldus Abbas* 8. *Idus. Februarias.*

Iuxta Maironem] Vetuſtiſſima monaſterij S. Albini poſſeſſio Curtis Maironis in pago Pictavenſi, cum eius partem à primis Andegavorum Comitibus uſurpatam, à Goffrido griſa tunica, Widone fratre eiuſdem cœnobij Abbate, reſtitutam antiquæ tabulæ teſtentur, Andegavis datæ anno Domini DCCCC.LXVI. Lotarij Regis XV. Maironis etiam caſtelli fit mentio in chronico S. Albini, ubi de bello agit inter Ludovicum VII. Regem & Comitem Goffridum Anno M.C.LI. *Moſteriolum deſtruitur. Maironus priſtinæ li-* E *bertati reſtituitur. Rex & Comes pacificantur, Goffridus* Comes obiit.

Prior Abeſt.] Goſcelinus, opinor; quem Maironis Priorem ſub annum M. C. faciunt aliæ tabulæ S. Albini.

De veſtro Ioſcelino] Epiſtola præcedenti Ioſcelinum & Goſcelinum promiſcue ſcribebant, ut Ioffridum & Goffridum, quod ante monuimus. Epiſt. 11.

Quia cauſam contra vos.] Lib. 1. Epiſt. 8.

Hamelino Abbati S. Albini] poſtea Epiſcopo Redonenſi. Succeſſit Hamelinus in Monaſterij præfectura Archembaldo anno M.C.XIX. ad Epiſcopatum Redonenſem evectus eſt M.C.XXVII. Chronicum S. Albini eo anno: *Hamelinus Epiſcopus Redonenſis efficitur idib. Maij.* Idem eius obitum annotat 1141. *Obiit Hamelinus Epiſcopus 4. Non. Februarias.* Is eſt cuius litteras de duelli probatione libro ſuperiore protulimus ad Epiſt. 39. Epiſt. 12.

Paganus filius eius.] Idem videtur qui in epiſtol. 27. lib. 1. *Fratrem Paganum Alerici ad Dominum Papam mitto*, cognomen videlicet factum ex nomine parentis; qui rectius hic Albericus vocatur. Quare ſic etiam legendum arbitror libro primo. F

Clauſtrum B. Clementis.] Prioratus Credonenſis, de quo epiſt. 44.

Gualterio Abbati.] Sergij Bernardi, ad quem epiſtol. 8. ſucceſſori Bernardi obitum S. Sergij tabulæ coniiciunt in annum 1102. 8. idus Aprilis, Vvalterij in ann. M.C.XIII. 5. Idus Ianuarias. Epiſt. 13.

Garinum ſcilicet Galandi.]Ea forma dictum, qua Petrus Goſcelini, Paganus Alberici, &c.

Bernerio Abbati.] Bonævallis, eſt autem id Monaſterium eiuſdem ac Vindocinenſe diœceſis, hoc eſt Carnotenſis, ſed in agro Caſtrodunenſi. Bernerij facta eſt mentio lib. 1. epiſt. 21. alibi religioſum & boni teſtimonij virum vocat. Epiſt. 14.

Trinitatis feſtivitatem.] Titulus hic Monaſterij Vindocinenſis, ut Goffridi fundatoris, & Theodorici Epiſcopi litteræ declarant. Vrbanus II. *Dilectis in Chriſto filiis Girardo Abbati S. Albini Andegavenſis & Bernoni Abbati S. Trinitatis Vindocinenſis* Breve Chronicum S. Albini, *Pridie Kalend. Iunij apud Vindocinum Caſtrum Monaſterium S. Trinitatis dedicatum eſt anno ab incarnat. Domini* M.XL. Goffridus ipſe lib. 5. epiſt. ultima. Epiſt. 15 G

Vnum cuius nomen.] Rainaldum electum Andegavenſem. Hinc videre eſt, quod epiſt. 9. monuimus, Bernerium è numero Abbatum fuiſſe, qui Rainaldi electionem coniunctis ſtudiis oppugnabant. Epiſt. 16

Bernardo Abb. S. Launomari] id eſt Bleſenſi, ut ſcripſit lib. 2. epiſtol. 14. Ivo epiſt. 172. *Mauricius Bleſenſis Cœnobij S. Launomari Abbas*, Mauricij, ut puto ſucceſſor Bernardus. Epiſt. 20

Coabbati Odoni] Maioris monaſterij. Sic enim noſtra eſt coniectura. Odonem virum religioſiſſimum, poſt reſtitutos Maiori Monaſterio Monachos Abbatem nonum, eiuſdem Cœnobij tabulæ ſucceſſorem faciunt Guillelmi, diemque obitus notant 13. Kalend. Iulias, & tumuli locum in dextra porticu Eccleſiæ, iuxta Abbatem Bernardum Guillelmi prædeceſſorem. Hic rurſus eſt Odo Abbas maioris Monaſterij, ad quem extat Hugonis & Bernardi Abbatum epiſtola poſt Ivonis epiſtolas edita. Quare Odoni haud dubie inſcribenda eſt. Epiſt. 21. H

Amblardo Lemovicenſi Abbati]In diplomate Philipi I. Regis de tranſlatione Manziacenſis cœnobij ad ordinem Cluniacenſem ſubſcribit *Ademarus Abbas Lemovicenſis*, hoc eſt S Martialis, ut in dedicatione Monaſterij Vindocinenſis *Odolricus Abbas de S. Martiale.* Monaſterium Lemovicenſe quod pro monachis Canonicos ſæculares nunc habet)& Monaſterium S. Martialis unum atque idem eſt; ut Floriacenſe, & S. Benedicti, Miciacenſe & S. Maximini, Segeſtrum & S. Sequani. Vticenſe & S. Ebrulſi, Ricomagenſe & S. Amabilis. Alterum enim tituli nomen eſt, alterum loci, in quo Epiſt. 22

A condita fuerunt. Atque in iis ſane locis, quæ unicum habent Monaſterium, id ſtatim intelligitur. In amplioribus vero civitatibus, & quæ multis cœnobiis nunc florent, de vetuſtiſſimo & ſui temporis unico accipi debet: ut in ſynodo Remenſi Leonis IX. Oylardus Abbas Catalaunenſis, de Abbate S. Memmij, apud Ivonem epiſt. 116. Abbas Carnotenſis, id eſt, S. Petri.

B. Euſebius.] Papa, cui tribuitur etiam ab Ivone decreti part. 5. cap. 252.

B. Gelaſius *Papa*] Quæ hic Gelaſij dicitur ſententia, eam Caio Papæ tribuit Ivo part. 5. cap. 253. legitur in Euſebij epiſtola ad Ægyptios: unde & à Gratiano citatur 11. q. 7. *oves quæ.*

B. Gregorius *in moral.*] lib. 25. cap. 14. & 15. &
B apud Adelbertum Diaconum lib. 2. c. 1 V. Speculi, quod ex Gregorij moralibus excerpſit.

Doctor & martyr Cyprianus] epiſt. 65. ad Rogatianum de diacono contumelioſo.

Clemens ſanct[illegible]] epiſtol. 1. ad Iacobum fratrem Domini.

Epiſt. 23. *G. Priori de Caritate.*] Inter primarios quinque Prioratus ordinis Cluniacenſis principem locum tenet is, qui Caritati agri Nivernenſis oppido ad Ligerim nomen fecit. Quibus acceptum hunc debeant Cluniacenſes, Ludovici VI. Regis diploma Aurelianis editum docet his verbis: *Prioratus Beatæ Mariæ de Caritate ſuper Ligerim: quem Gaufridus Antiſidorenſis Epiſcopus & Guillelmus Comes Nivernenſis, & Bernardus de Chaillant, & alij fideles regni noſtri, ad quos locus ille de Caritate cum villa & pertinentiis ſuis omnibus, in ſpiritualibus & temporalibus totaliter pertinebat, Hugoni Abbati & monaſterio Cluniacenſi & eorum ſucceſſoribus dederunt, & conceſſerunt, abſque ulla retentione per ſe & monachos ſuos profeſſos omni tempore habendum, tenendum & poſſidendum.*

C Epiſt. 24 Hamelino lib. 3. epiſtol. 10. & 11. monachis Vindocinenſibus ſcripta eſt hæc epiſtola cum aliquot ſequentibus.

Quod in Eccleſia voces] Interdictum, opinor, deſignat, quod Vindocinenſibus ſuis indixerat adverſus Comitiſſam.

Sexum illum mihi ſuſpectum] lib. 1. epiſt 26.

Epiſt. 26 Ingelbaldo] monacho Vindocinenſi. Oſtiarius iam erat ante Goffridum Abbatem; quando ad Vrbanum Papam, una cum Frotmundo Priore miſſus eſt ob litem Credonenſem cum monachis S. Albini.

Dominus Prior noſter] Legendum ex veteri codice Domnus, item lib. 5. epiſt. 2. *Domno Radulfo.* Domni & Domini perpetuum hoc diſcrimen apud Goffridum quando de hominibus ſermo eſt, quod Domni vocem præponit nominibus propriis, aut iis, quæ propriorum vicem gerunt; *ut Domnus Ildebertus, Domnus Paganus, Domnus Ernaldus, Domnus Hamelinus, & Domnus Epiſcopus, Domnus Abbas, Domnus Prior, Domnus Archidiaconus.* In cæteris Dominum dicit cum adiecti locum habet, ut in epiſtola-
D rum inſcriptionibus paſſim, *Domino & Patri Domino & amico.* Hac tamen acceptione, quod cum de Papa loquitur, præcipui honoris cauſa Dominum pro Domno uſurpat, ut *Dominus Papa, Dominus Papa Vrbanus*, cum alij fere ſcriptores *Dominum Papam & Domnum Apoſtolicum* dicere ſoleant, Domini nomen uni Deo tribuentes.

Epiſt. 28 Laudo ut ieiunando comedas] Idem eſt conſilium S. Hieronymi epiſt. 22. ad Euſtochium. *Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio ſatietatem fugiens. Nihil prodeſt biduo, triduoque tranſmiſſo vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ſi compenſetur ſaturita-*
Epiſt. 3: *te ieiunium*, & epiſtol. 10. ad Furiam. *Parcus cibus & venter ſemper eſuriens, triduanis præfertur ieiuniis: & multo melius eſt quotidie quam raro ſatis ſumere.*

Sanctimonialium de Fonte Ebraldi] Fontis Ebraldi nudum nomen vidimus lib. 1. epiſt. 24. & 26. Hic ſanctimoniales nominat, quibus celeberrimum eo loci monaſterium Petri Epiſcopi Pictavenſis, in cuius dioeceſi haud procul a Turonum Andegavorumque finibus eſt locus, nutu & auctoritate inſtituit Robertus de Arbriſſello is, ad quem ſcripta eſt epiſt. 17. huius libri. E
Conditum anno Chriſti M. C. notat Chronicum Turonenſe his verbis. *Anno Domini* M. C. *Henrici Imper.* 44. *Philippi Regis* 40. *Concilium Pictavis celebratur; nec multo poſt Abbatia Fontis Ebraldi in Pictavenſi diœceſi fabricatur.* Mirum eſt quod de ingenti ſanctimonialium eius loci numero prodit Sugerius Abbas, cum ſcriberet, hoc eſt annis nondum ab ortu Cœnobij quinquaginta, ad quatuor fere aut quinque millia excreviſſe, ſed digna eſt Sugerij epiſtola, quæ propter argumentum integra legatur. Sic ergo ſcribit ad Eugenium III. Papam.

SVGERII ABBATIS EPISTOLA ad Eugenium III. pro Sanctimonialibus Fontis Ebraldi. F

CAriſſimo Domino & Patri Dei gratia ſummo & univerſali Pontifici Eugenio Sugerius, Beati Dionyſij Abbas, obedientiæ & ſervitij plenitudinem. Pro ſororibus apud Fontem Ebraldum ſancta & Deo acceptabili religione degentibus, quas Epiſcopus Pictavenſis, ſubiectionem ab eis requirens, earumque Abbatiſſam benedicere nolens defatigat, ſancti Apoſtolatus veſtri celſitudinem, qua poſſumus prece pulſamus: ut ſicut veſtræ incumbit diſcretioni, imbecillitatem debilium confovendo ſuſtinere, quid unicuique expediat providere; fragilitati ſexus condeſcendatis, & quæ veſtra auctoritate innituntur, eas ſub veſtra protectione retineatis, nec alteri ſubiici velitis, & ab hac defatigatione in pace eas eſſe faciatis. Novit enim veſtra diſcretio, quod animabus earum non expedit clauſtra monaſterij ſui exire: nec hac occaſione, vel alia ſæculo ſe iungere. Noſtis enim, ſi veſtræ placet Paternitati, quod præfatus Epiſcopus ſubiectos ſuos conſuevit inquietare. Placeat igitur excellentiæ veſtræ ab iis moleſtiis eas eripere: & ut in pace Deo deſerviant, eis in multitudine miſericordiæ veſtræ providere, ſub protectione Dei cœli, & veſtra Apoſtolica auctoritate confovere, & protegere, utpote tantum tantæ religionis locum, quem cum in partibus illis in ſcholis eſſemus, noviter inceptum eſſe vidimus, & pro Dei voluntate fere uſque ad quatuor aut quinque millia ſanctimonialium iam excreviſſe audivimus, & gaudemus. G

Goffrido de Surgeriis] Elenchus epiſtolarum in Codice Cenomanenſi, fratribus de Santonia ſcriptam monet: quod maiori ex parte verum eſt. In pago enim Santonico eſt Eccleſia Surgeriarum, de qua dictum lib. 3. epiſtol. 40. itemque Eccleſia de Podio rebelli quam Vindocinenſi cœnobio; approbante filio Guillelmo Comite Pictavenſi, dedit Agnes Comitiſſa. At Olona in littore Pictavico, tabulæ fundationis. *In pago Pictavenſi medietatem Eccleſiarum de Olona cum decimis ſalinarum, & vinearum & omnium inde exeuntium.* Epiſt. 34

Hamelino Priori] Credonenſi. Vrbanus II. Goffrido: *Eccleſia parochialis S. Clementis de Credone, & univerſa Eccleſia, quæ infra terminos eiuſdem Parochiæ continentur.* Sed de Credonis Caſtro & quæ in eo eſt Eccleſia S. Clementis, epiſt. 44. & lib. 5. epiſt. 27. H Epiſt. 36.

Andreæ] Priori, ut patet ex epiſt 40 ſed cuius loci Prior fuerit non ſignificat. Epiſt. 38

Non ex carnis corruptione ut quidam p.] Ex Auguſtino lib. 14. de Civitate Dei cap. 3. *Corruptio corporis quæ aggravat animam, non peccati primi eſt cauſa, ſed pœna: nec caro corruptibilis animam peccatricem, ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilem carnem.* Epiſt. 39

Guillelmo & aliis apud Caſtellum] Priori & Monachis Honorij II. & aliorum litteræ, plurali numero enuntiant, *Eccleſiam B. Mariæ de Caſtellis*, quo modo nunc etiam vulgo vocitant Andegavorum vicum in extrema eorum diœceſi Turonũ finibus conterminum. Epiſt. 41.

Qui igitur Goffrido Prior de Caſtello dicitur, aliis Prior B. Mariæ de Caſtellis diceretur.

Epiſt.44. *Bernerio Priori Credonenſi*] Notiſſimum eſt Credonis, ſive ut Gallicus mos inflexit Craonis Caſtrum in inferiore Andegavorum pago Amoricis finitimum. Huic proximam Eccleſiam ſancti Clementis nomine inſignem Suhardus Credonis olim Dominus ſancti Albini monaſterio ſtatis legibus cum donaſſet, poſtmodum Guarinus Suhardi filius, quod pacta non expleſſent, in ius ſuum revocavit & Clericos pro monachis in ea conſtituit. Deinde vero Goffridus Martellus Comes Credonenſi dominio in manum ſuam ac fiſcum recepto ſancti Clementis Eccleſiam Vindocinenſi Cœnobio, quod recens fundarat, addixit, priuſquam Credonenſe dominium Roberto Burgundioni concederet, quod ipſemet in Tabulis fundationis Vindocinenſ. teſtatur his verbis. *In Epiſcopatu Andegavenſi Eccleſiam ſancti Clementis apud Caſtrum Credonenſe cum omnibus ad ipſam pertinentibus quam quidem exceptam, ſicut prius B. Petro donatam, retinuimus, cum honorem Credonenſem Roberto Burgundioni fideli noſtro donavimus.* Inde orta monachorum ſancti Albini cum Vindocinenſibus de Eccleſia Credonenſi diu ac ſæpe agitata contentio. Primum apud Nicolaum II. qui eam Vindocinenſibus adiudicavit; ut eius nos litteræ docent ad Odericum Abbatem, *Apud Caſtrum*, inquit, *Credonenſe parochialis Eccleſia ſancti Clementis, de qua inter Vindocinenſes & Beati Albini monachos in præſentia noſtra querimonia orta fuit, & Apoſtolicæ ſedis iudicio Vindocinenſi monaſterio adiudicata.* Iterum apud Vrbanum II. qui rem ita compoſuit, ut Vindocinenſibus maneret quidem Eccleſia S. Clementis; ſed ita ut eius loco unam de tribus deſignatis, quam ipſi mallent, S. Albini monaſterio cederent. Deiecta eſt & S. Albino tranſcripta Eccleſia S. Ioannis ſuper Ligerim. De qua rurſum à Goffrido noſtro & Vindocinenſibus, qui ſe Vrbani ſententia læſos indicabant, nova excitata eſt controverſia. Sed vicit tamen, ut ad lib. 1. epiſt. 8. dictum eſt, Vrbani auctoritas, relicta S. Albini monachis, quorum in poteſtate hodieque manet, S. Ioannis Eccleſia, Goffrido ut reor adhuc ſuperſtite; cum ab Innocentio II. in literis ad Frotmundum Goffridi ſucceſſorem, inter eas iam non numeretur, quas Vindocinenſe cœnobium in diœceſi Andegavenſi poſſidebat. Quæ omnia paulo fuſius hoc loco expoſita ſunt, ut controverſiæ, cuius aliquot locis meminit Goffridus, quænam cauſæ fuerint intelligatur. Nunc Vrbani de ea re decretum, quoniam aliis etiam in rebus uſui eſſe poteſt, ex S. Albini armario proponemus. Hoc igitur eſt exemplum.

VRBANI II. DECRETVM de controverſia Credonenſi inter Monachos Sancti Albini & Vindocinenſes.

VRbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis Goffrido Abbati S. Albini Andegavenſis, & Bernoni Abbati S. Trinitatis Vindocinenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Anno Dominicæ Incarnationis M.XCIII. *Pontificatus noſtri V. Indict. 1. Cum eſſem in Provincia Calabria apud Monaſterium S. Mariæ quæ dicitur de Matina, Monachi S. Albini, Girardus Prior, Milo, Stephanus adverſus monachos S. Trinitatis de Vindocino, Frotmundum Priorem, Ingelbaldum Oſtiarium, qui præſentes aderant, conqueſti ſunt, quod Vindocinenſes fratres Eccleſiam S. Clementis Credonenſis, quæ à monachis S. Albini iuſte ſecundum illorum temporum conſuetudinem acquiſita, & per 30. annos quiete, & ſine interruptione poſſeſſa, violenter ablatam iniuſte detinerent. Qui cum ſuis inſtrumentis & rationibus cauſam ſuam defendere niterentur, primo die proclamationis res diu & multum ventilata nullo potuit fine terminari. Secundo vero die ſimiliter multum diſcuſſa, ad nullum tamen eſt finem deducta. Die autem tertio, 12. ſcilicet Kalendas Decembris, reſidentibus nobis in Anglone Civitate Apuliæ, præſidentibus religioſis, & venerabilibus tam Epiſcopis quam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſive Diaconibus: adſtantibus etiam nobilibus Romanis, & Comitibus Apuliæ glorioſiſſimis, Boamunte & Guillelmo, re iterum diu & multum inquiſita, tandem inſpirante Deo lucidius eluxit, in quam potius partem iuſtitia declinaret. Cum enim utraque pars ſuis nobis allegationibus obviaret & hinc pactionem Abbatum, confirmationem Pontificum, Romanæ Eccleſiæ Legatorum: illinc vero legitimum introitum, & canonicam xxx. annorum poſſeſſionem nobis opponerent: nos qui omnium fidelium cauſas æqua lance penſare debemus, utriuſque utilitati providentes, ipſam litem concordiæ convenientis æquitate decidere maluimus. Omnes igitur qui nobiſcum aderant hanc ſententiam collaudantes, conſentientibus prædictis utriuſque Cœnobij fratribus, & in manus noſtras fidem pollicendo firmantibus, concordia & pax inter eos hoc modo poſita eſt; ut ſcilicet Vindocinenſes monachi de his tribus Eccleſiis, aut Eccleſiam Manitilium, vel S. Saturnini, ſive S. Ioannis ſupra Ligerim, unam quam congregatio tota S. Trinitatis elegerit, cum omnibus quæ ad eandem Eccleſiam tam mobilibus quam immobilibus interius exteriuſque ad præſens pertinent, infra dies xxx. poſtquam domum redierint, Monaſterio S. Albini in perpetuum tradant. Fratres itaque S. Albini omnem litem, omnemque calumniam ex cauſa hac in manus noſtras & Vindocinenſium fratrum refutarunt: Vindocinenſes vero unam ſupradictarum Eccleſiarum in manus noſtras reddiderunt, & per nos eoſdem monachos inveſtierunt. Præſenti igitur autoritate fraternitatem veſtram admonemus & præcipimus, ut hoc pactum à nobis intentione pacis & quietis diſpoſitum & ſtatutum omni tempore deinceps ratum & inconcuſſum teneatis & obſervetis. Quæcumque autem pars hanc noſtræ deciſionis ſententiam non ſuſceperit, vel tranſgredi præſumpſerit, tam canonum ſeveritati ſubiaceat, quam legitimæ compoſitionis pœnam, id eſt auri centum librarum ſuſtineat, & à cauſa penitus cadat. Data Tarenti 8. Kal. Decemb.*

Præpoſiti tui] Præpoſitus monaſterij dicebatur is, cuius ſecundum Abbatem cura erat domus & domeſticæ diſciplinæ. Priorem clauſtralem hodie vocant. Aliud ergo Abbas ſeu Pater monaſterij; aliud Præpoſitus: ut Fundani monaſterij, de quo B. Gregorius I. dialog. 1. Abbas erat Honoratus, Præpoſitus Libertinus: Soractenſis, de quo cap. 7. Præpoſitus Nonnoſus; Abbas alius, quem aſperrimum fuiſſe ſcribit. Eodem modo diſtinguunt Græci πατέρα καὶ ἡγούμενον τῆς μονῆς. Ex hoc vero loco patet non ſolum ſub Abbatibus, verum etiam ſub Prioribus fuiſſe Præpoſitos, in iis nimirum Prioratibus, qui conventuales eſſent, ut appellant, cuiuſmodi eſt Credonenſis.

A Clauſtro & à Curte S. Clementis.] Id eſt, à Monaſterio & villa. Curtes olim villas vocabant, ſed alodes & liberi iuris. In donatione Adelæ Comitiſſæ, quam S. Albini monaſterio inſtituit, anno 974. *Dono igitur illi Curtem dono mihi à parentibus traditam, ſitam in pago Belvacenſi, quæ vocatur Vndanis-villa, cum duabus Eccleſiis, una in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ conſtructa, altera in honore S. Aniani.* Sic Curtis & Eccleſia Campiniaci, Curtis Maironis, Curtis Chiriaci, & aliæ in eiuſdem cœnobij tabulario. Hæret hodie Curtis nomen, in extremis plurimorum Galliæ locorũ vocabulis, ut Bovonis Curtis in pago Remenſi, Hunoldi Curtis in Cameracenſi, & aliis.

Secundum Canones] Gregorius Magnus lib. 8. ep. 30. Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi, *Grave ſatis eſt & indecens, ut in re dubia certa detur ſententia.* Quæ ſequuntur nunc ex Victoris I. epiſtola ad Alexandrinos; nunc ex Sixti II. epiſt. 2. citat Ivo Part. 5. cap. 144. & 247. Gratianus XI. q. 3. *Quamvis vera* ex Auguſtino de Pœnitentia cap. 3. Epiſt.46

Fratri Roberto.] Elenchus Codicis Cenomannici. *Ad Robertum de Arbruſſello Procuratorem ſanctimonialium*

A *de Fonte Ebraldi, in qua hortatus eſt eum ut magis diſcreto ſe haberet circa ſexum fœmineum*, Procuratorem vocat, quem alij fundatorem Chronicum Sancti Albini. *Anno* 1116. *Obiit Robertus de Arbriſſelis V. Kalend. Martij. Iſte fuit fundator Monaſterij Fontis Ebraldi.*

Hervæo & Evæ incluſis] Incluſi monachorum genus, ſed horum duplex claſſis. Quidam enim monaſticam diſciplinam nunquam experti hanc profeſſionem ſtatim arripiunt, ac ſuburbanis ſeſe locis in cellulas incluſi ſolitudinem æmulantur, Monachorum potius umbræ quam monachi. Eremitas & recluſos vulgus nuncupat, quorum frequens in Gallia iam olim numerus: eoque ex numero hi videntur, ad quos ſcribit Goffridus. Alij veri erant Monachi: qui Cœnobiis relictis, in quibus aliquandiu cum aliis vixerant, ſublimioris profectus ſtudio in ſolitarias cellas ſe abdebant, ἐγκλείστοι Incluſos etiam Græci vocabant. Huius generis illi, ad quos non ſemel ſcribit
B Theodorus Studita. Cuius etiam extant non inelegantes Iambi εἰς ἐγκλειστον, quos ſubiiciam.

IN INCLVSVM.

INcluſus ille eſt, qui procul ab affectibus
Toto recluſit in Deum ſe pectore.
Fræno coercens mentis errores vagos,
Animumque curis erigens cœleſtibus,
Precibus inhærens, quæ perurunt dæmonas.
Et quo retruſa res patent ſilentio.
Spe gaudioque neſcius fatiſcere.
Labore corpus & fame exercens gravi.
Hymnos gemente ſpiritu iuges canens,
Hic Angeli ritu ore conſpicuo nitens,
Diu intuentum corda colluſtrat face.
Nil unquam inane ſuetus ad riſum loqui:
Sed quo iuvari ſentiant ſe qui audiunt:
Nec ſic profuſæ vela dans loquentiæ.
Hæc aſſequi ſi potes, in tuto eſt ſalus.
C *Sin; ad gregalem protinus vitam redi,*
Vbi porro agonas excolas aſceticos.

Epiſt.49 *Secretarius Beatæ Mariæ*] Eccleſiæ Carnotenſis lib. 11. epiſtol. 14. *Sanctæ Mariæ Capitulum* & epiſtol. 15.

AD LIBRVM V.

Epiſt.1 *GValterio Theſaurario*] Eccleſiæ B. Martini Turonenſis, de quo mox pluribus epiſt. 3.

Goffrido de Alogia] Villæ Alogiæ, unde Goffrido huic nomen, meminit Fulbertus epiſt. 23.

Epiſt.2. *Cum Domino Radulpho Archiepiſcopo*] Turonenſi de eo dictum lib. 1. epiſtola 30. Taxatur item epiſtol. 17. & ab Ivone multis locis, ſed præcipue epiſt. 66. & 104.

Turonorum Archiepiſcopo deſignato,] Deſignatus fuerat poſt mortem Radulfi Archiepiſcopi anno 1119. ſed non iniit, cedere coactus Gilleberto Radulfi ne-
D poti, quem cleri pars altera diviſis ſuffragiis elegerat. Huius rei notitiam debemus veteri Hiſtoriæ rerum Ambazienſium, quæ totum hoc diſſidium de cathedra Turonenſi, cladeſque locorum inde conſecutas, favente Galterij partibus Hugone Domino Ambaſiæ, Gilleberti autem Archembaldo de Breſis, qui eius duxerat ſororem: denique exitum controverſiæ explicat his verbis. *Poſt obitum Radulfi, pars clericorum Gillebertum fratrem Gillæ in Paſtorem & procuratorem Turonenſis Eccleſiæ elegit: alia pars Galterium B. Martini Theſaurarium, virum genere nobilem, bonis moribus adprime imbutum, ſanctæ matri Eccleſiæ Turonenſi Epiſcopum deſtinavit Galterio Epiſcopo totius diœceſis proceres, Turonorum omnes excepto Archembaldo*

E *de Breſis favebant. Hugo tunc Archembaldo ex amico factus inimicus Bliriacum munit, milites & famulos ibidem poſuit, quicquid circa Bleſim invenit vaſtando delevit: Larchaiacum, & Vernonum vicos Archiepiſcopales cremavit. E contra Gillebertus milites & clientes multos Breſis poſuit, qui Campaniam fere totam uſque ad Carum fluvium excepto Cliriaco vaſtaverunt. Quadam die Archembaldus Breſis & ſui, Caro flumine evadato, terram Hugonis intraverunt. Quod Hugo comperiens eadem nocte copiis ſuis congregatis, ſummo mane illos terram ſuam deprædantes reperit, quos invadens fuſos fugatoſque Carum tranſire coegit; multiſque captis reliquos uſque ad Andreſium fluvium fugavit. Archembaldus vero uſque Lochas fugiens evaſit. Non longo tempore poſt Hugo Breſim iterum excepto domicilio totum ſuccendit & cremavit. Gillebertus habens ſecum Alveredum Archidiaconum, virum prudentia inter clericos illius urbis pene ſingularem, perſona inſignem, bonitate morum per omnia pollentem, humilitate præditum patien-*
F *tia perluſtratum, divina & humana ſapientia divinitus ſollertem, indulgentia Domini Ludovici Regis, deliberante & favente omni populo, ſuffraganeis Epiſcopis iuſſu Domini Papæ manum præbentibus, omnipotentis Dei auxilio cathedram Epiſcopalem in pace poſſedit. Gillebertus tunc Hugoni ex inimico amiciſſimus effectus eſt, & cum Archembaldo Breſis firmiter concordatus eſt.*

Dominus Papa] Calliſtus II. quo Romam ex Galliis adventante anno 1120. Burdinus Antipapa urbe relicta Sutrium propinquum Hetruriæ oppidum, pulſo, ut hinc apparet, Petro Leonis, ibi ſe tutaturus invaſit. At Calliſtus, ut copias ad expugnandum Sutrium compararet, in urbe haud diu moratus, Beneventum ad Guillelmum Apuliæ Ducem profectus eſt. Sequenti anno Sutrium recepit, Burdinumque ad Cavenſe monaſterium relegavit quæ ſingula à Pandulpho, aliiſque illorum temporum ſcriptoribus commemorantur.

Non ei aufertur capa] non ſpoliatur, ſed necatur. G
Negotiatorum cappas legimus apud Lupum Ferrar. Abbatem epiſtol. 125. ſed analogia Goffridi lectionem confirmat. Sic enim dicta videtur capa, ut capis poculi genus, & capulum, ſeu manubrium, ſeu feretrum, à capiendo, unde & capella.

Stephano Decano] Eccleſiæ S. Mauricij Andegavenſis, ut dictum eſt lib. 3. epiſt. 11. cum de Rainaldi Epiſcopi electione ageretur, de qua hic etiam ſermo, & in epiſtolis ſequentibus. Epiſt.4.

Huberto Præcentori] Nunc Cantorem vocat, nunc Præcentorem: ut in dedicatione Vindocinenſi *A Carnoto Arnulfus Archidiaconus, & Præcentor.* Proximus Huberto gradu, ac tempore fuit Stephanus Cantor item & Archidiaconus Andegavenſis, de quo in hæc verba Kalendarium Sancti Mauricij xv. *Kalend. Novembris obiit Stephanus Cantor & Archidiaconus, propter ſervitium huius Eccleſiæ ab hoſtibus interemptus Anno Domini* 1116. Epiſt.6.

Redonenſem Epiſcopum] Marbodum, qui pro Rainaldi electione primum ſtetit, pro qua & captus eſt ut dictum lib. 3. epiſtol. 14. poſtea eidem, ut ingrato adverſari cœpit, ut declarat ipſius Marbodi epiſtola inter Idelbertina 80. Quare facilis illi tum fuit cum Goffrido, qui Rainaldi electionem præ cæteris improbabat, reconciliatio. H

Iterum ſuſcitat] In Rainaldo.

Huberto Archidiacono] Andegavenſi, lib. 3. epiſtol. 3. ad Rainaldum Epiſcopum, *vir vitæ venerabilis Archidiaconus teſter Hubertus* Elenchus Codicis Cenomanenſis eundem facit cum Huberto Cantore, ut idem fuerit Archidiaconus & Cantor, quod veriſimile videtur. Epiſt.7.

Domni Epiſcopi] Rainaldi Andegavenſis. Epiſt.9.

Guarnerio Archidiacono] Andegavenſi, ad quem cum aliis epiſt. 4. Epiſt.11.

Adelardum de Caſtro Gunterij] De Adelardo dicemus epiſt. 25. quæ ad eum ſcripta eſt. Caſtrum Gunterij

A Meduanæ fluvio impoſitum in pago Andegavenſi ad veterem vicum Baſilicarum, nobilem ſortitum eſt conditorem Fulconem III. Comitem, ſed nomen ignobile à villico Fulconis Gunterio. Rem narrant antiquæ tabulæ Monaſterij S. Albini de Caſtro firmato in Curte Baſilicarum, quibus Fulco ipſe ſubſcripſit anno 1037.

Earum hoc initium. *Anno ab Incarnatione Domini, 1007. indict. 5. Goffridus Martellus natus eſt Et pater eius Fulco nobiliſſimus Comes Andegavorum filius Goffridi, fortiſſimi Comitis qui cognominatus eſt Griſia Gonella, firmavit Caſtellum ſuper Meduanam fluvium, in Curte qua vocatur Baſilica, quam ipſe ante plurimos annos pro quadam Curte, qua nuncupatur Vadanis-villa in pago Belvacenſi ſita, Rainaldo Abbati, & Mo-*
B *nachis S. Albini commutaverat, eiſque ſolidam & quietam cum omnibus ad ipſam pertinentibus in perpetuum poſſidendam tradiderat. Firmato itaque Caſtello, eoque ut poterat munito, ex nomine cuiuſdam villici ſui illud* Caſtrum Gunteri appellavit.

Epiſt. 11. *Hugo Coarcinus*] A Coartiis Cenomanenſis pagi Caſtello, cuius & Petri de Coartiis mentio facta lib. 3. epiſt. 28. ad Ildebertum.

Epiſt. 14. *Concilium nullum ratum*] Iulij Papæ contra Orientales, pro Athanaſio. *Nec ullum ratum eſt aut unquam erit Concilium, quod non fultum fuerit eius autoritate*, id eſt, Romanæ Eccleſiæ, apud Gratianum 3. 17. c. 11.

Epiſt. 15. G. Decano] Goffrido, ut docet Elenchus codicis Cenomannici. Sed cuius Eccleſiæ Decanus fuerit non indicat, ſuſpicor Cenomannenſem, illum ipſum, ad quem extat epiſtola 52. Ivonis.

Mauricium de Credone] Filium & ſucceſſorem Rainaldi Dynaſtæ Credonenſis, quem conſanguineum etiam ſuum vocat epiſtola 27. Sed Mauritij Credonenſis peculiaris mentio inter proceres, qui Fulconis
C V. Comitis caſtra Normannico bello, ſecuti ſunt adverſus Henricum Regem. Geſta Comitum Andeg. *Erant autem cum eo Hugo de Matafelone, & Theobaldus filius eius, Fulco de Candeio, Mauricius de Credone, Petrus Camilliacenſis, Iaquelinus de Malliaco cum quatuor fratribus ſuis, &c.*

Epiſt 16. Guillelmo] Elenchus Cenomannenſis, *Ad Guillelmum, qui ante magiſter eius fuerat, in qua eum redarguit non bene ſentire de confeſſione peccatorum.*

Bedæ de Evangelio] Bedæ verba ad quæ impegit Guillelmus, extant lib. 5. expoſitionis in Lucam cap. 69. quæ quidem ut à Goffrido exponuntur, planam habent, & certam ſententiam.

Sibi dico, quia illi qui in eius loco] Deo nimirum præcipue fit confeſſio, quæ fit ſacerdoti. Leo Magnus epiſtola ad Epiſcopos Campaniæ *Sufficiat illa confeſſio, qua primum Deo offertur, tum etiam ſacerdoti.* Sidonius item lib. 4. epiſt. 14. Sed Sidonij inſignis eſt locus de ſacra Confeſſione, dignuſque qui ab ætatis noſtræ Guillelmis attentius expendatur. Scribit iam Epiſcopus ad Polemium PP. Galliarum, diſcrimenque oſten-
D dit fori ſui, hoc eſt Eccleſiaſtici & ſæcularis, ſeu prætoriani. *At ſi*, inquit, *videtur humilitas noſtræ profeſſionis habenda contemptui, quia Chriſto res humanas vitaſque medicaturo putrium conſcientiarum cultro ſqualens ulcus aperimus: quod in noſtri ordinis viris, & ſi adhuc aliquid de negligentia fœtet, nihil iam tamen de ſuperbia tumet: noveris volo non ut eſt apud Præſulem fori, ſic eſſe apud iudicem mundi. Namque ut is, qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur: ita nobiſcum qui eadem Deo fuerit confeſſus, abſolvitur.*

Epiſt. 17. *Hainrico Duci Norm. & Regi*] Guillelmi Magni Regis filio, natu omnium poſtremo, ſed unico in regia patris purpura progenito. Poſt Guillelmi Rufi fratris interitum anno 1100. regnum occupavit, abſentem Hieroſolymitana expeditione Roberto Duce altero fratre, cui ætatis prærogativa debebatur. Chronicum Turonenſe. *Eodem anno Guillelmus Rufus Rex Angliæ in ſylva venaturus progrediens à Gualtero Te-*
E *rello milite pro cerva ſagitta percuſſus interiit, & ad Vvintoniam eſt ſepultus, cui ſucceſſit Henricus frater eius minor.* Novo Regi paternum ſolium adepto gratulatus eſt Ivo Epiſcopus epiſt. 106. Is eſt, quocum Fulconem V. Comitem bellaſſe iam diximus. Poſtea vero duplici cum eo matrimonij fœdere ſociatus eſt. Nam & Matildem Fulconis filiam Guillelmo filio ſuo copulavit, & filiam item ſuam Matildem alteram, Henrici Imperat. viduam, Goffrido Fulconis filio uxorem dedit: ex qua prognatus eſt Henricus II.

Guillelmo Aquitanorum Duci] Qui Comes Pictavenſis lib. 1. epiſtol. 9. & in ſuis ipſius litteris, quas ad epiſtol. 22. proferemus, Aquitaniæ Dux, & Vaſconiæ Comes. Ad Comitatum Pictavenſem, qui Comitum Pictavenſium (quorum familiam clauſit hic Guillelmus, ut dictum eſt lib. 1.) antiquiſſima fuit poſſeſſio; acceſſerunt poſtea coniugum beneficio pri- Epiſt. 18.
mum Aquitaniæ Ducatus; deinde Vaſconiæ, hoc eſt veteris Iulianæ cis Garumnam Aquitaniæ Comitatus. F

Rainaldum Quartaldum] Sic etiam nominat epiſtol. 22. pro eo quod lib. 4. ſcriptum eſt Cartallo & Cartaldo. Prioratus ſeu Obedientiæ, quam rexerat hic Rainaldus, nomen ſupprimit, quo modo & Ivo epiſt. 163. Goffridi noſtri conſultationi de altera quadam Obedientia reſpondens, propriam eius appellationem reticuit. *De monacho*, inquit, *illo, quem iuramento conſtrinxiſti ne ultra illam adminiſtraret obedientiam, quam aliquandiu ſibi uſurpaverat per inobedientiam, conſilium meum eſt, ut ulterius eam non habeat, quod & illi eſſet criminoſum, & cæteris fratribus ruinoſum.*

Domno Abbati de S. Ioanne] Angeriacenſi Henrico. Huc faciunt, quæ ſcripſit lib. 3. epiſtol. 36. ad Ranulfum Epiſcopum Santonenſem, de quo etiam hic ſermo. Poſteriorem hanc illa fuiſſe conſtat, quia Epiſcopum interea convenerat, & tamen renum adhuc dolorem cauſatur, quo retentus fuerat, quo minus tum ad Epiſcopum iret. Epiſt. 19.

Si olim in aliquo nos læſiſtis] Cum Oleronenſem Eccleſiam Bernoni Abbati eripuit Goffridi deceſſori. G
Qua de re dictum lib. 1. epiſtol. 9. verum Vrbani litteras, quibus obſequens Guillelmus Eccleſiam reſtituit, ob alia etiam quæ de illo, eiuſque Patre narrat, operæ eſt audire. Sic igitur habent in tabulario Vindocinenſi.

VRBANI II. AD GVILLELMVM Aquitaniæ Ducem.

VRbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Guillelmo Pictavienſium Comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sæpe tuam indolem commonuimus, ut egregij Principis Patris tui devotionem atque prudentiam imiteris. Ipſe Principatus ſui Eccleſias devotiſſime coluit plures rebus ſuis ditavit, novas etiam à fundamentis extruxit. De te vero miramur: qui cum aliis bonis ſtudiis quantum ad militem polleas, in hoc à Patris tui probitate degenerare perhiberis, quod Eccleſiarum iura perturbes, & quas ille fundavit expolies. Pervenit ad nos,
H *quod Monaſterio Vindocinenſi Eccleſiam Beati Georgij in Oleronis inſula ſitam cum quadam optima terra abſtuleris. Te itaque Cariſſime fili, præſentibus litteris admonemus, ut ſicut Sanctorum Apoſtolorum & noſtram gratiam diligis, Eccleſiam illam & cætera quæ Vindocinenſibus Monachis abſtuliſti in eorum poteſtatem omnino reſtituas. Res enim eorum Parentum tuorum Eleemoſynæ ſunt & Apoſtolicæ ſedis alodium. Quod ſi infra dies triginta viſis his litteris quod mandamus adimplere contempſeris, & indignationem noſtram incurriſti, & Apoſtolicæ ſedis anathemate te percuſſum indubitanter agnoſcas. Monaſterium Vindocinenſe & res ad ipſum pertinentes ita Apoſtolica auctoritate corroborata noſcuntur, ut ſi quid inde ablatum vel diſtractum à quoquam fuerit, à prædeceſſoribus noſtris excommunicatum*

A *non dubites : & quem beati illi viri excommunicaverunt non poſſumus ſolvere , nec debemus : ſed quod fecerunt, nos eadem auctoritate firmamus. Datum Romæ 2. Kalendas Aprilis*

Epiſt.20 *Præpoſiti veſtri*] Guillelmus Oleronis Præpoſitus, Haimericus , Aſto , & alij de quibus lib. 1. epiſt. 11. lib. 3. epiſt. 38. & hoc ipſo, epiſt. ſequente.

Epiſt.21 *Vos ad Clarum montem profectos*] Arvernorum urbem primariam , quæ nomina ſubinde mutavit Antiquiſſimum fuit, quod apud Strabonem l. gitur νεμωσσός. Nemoſſus & ſi male ad Ligerim locat. Ex inflexa & conflata voce , Auguſtonemetum poſt tempora Auguſti : tum propria & recepta in ſingulis Galliæ civitatibus conſuetudine , communi totius gentis vocabulo , Arverni & urbs Arverna. Denique Clarus mons , de priſcæ arcis appellatione , cum inibi poſt Pippinianum incendium inædificari cœpiſſet. B Arvernorum Comes hoc tempore feudatarius fuit Ducis Aquitaniæ, multæ proinde Guillelmo ſuberant cauſæ, cur ad Arvernos proficiſceretur.

Epiſt.22 *Matildi Pictavenſi Comitiſſæ*] Guillelmi Comitis, ad quem Epiſtolæ ſuperiores , coniugi. Diu nobis in Matildis huius inveſtigatione hærendum fuerat, niſi opportune ſuccurriſſet vetus diploma Guillelmi mariti, cui ipſa ſubſcripſit , de Altari S. Mariæ de Solaco , quod paternum exemplum ſecutus Burdigalenſi S. Crucis Monaſterio , unde id exſcriptum eſt , conceſſit anno 1096. Id ad verbum ſic habet.

GVILLELMI DVCIS Aquitaniæ privilegium pro Monaſterio Sanctæ Crucis Burdigalenſis.

EGo Vuillelmus , divina ordinante providentia, Aquitaniæ & Vaſconiæ Dux & Comes. Notum omnibus fidelibus per hoc privilegium noſtræ autoritatis fieri volumus , quod vir venerabilis Fulco , Sanctæ Crucis Abbas , poſtulavit à nobis , ut ſicut clariſſimus genitor noſter venerandæ memoriæ Vuillelmus , qui & Goffridus vocatus eſt, Altare S. Mariæ de Solaco, cum omnibus ſuis appendiciis , iudicio Legatorum S. Romanæ Eccleſiæ, Amato videlicet Elorenſium Epiſcopo, & Hugone Dienſium Pontifice, in Cōcilio Burdegalenſi præſidentibus, Goſcelino Burdegalenſi Archipræſule aſſiſtente, cū multis aliis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Abbatibus, Arnaudo Abbati Sanctæ Crucis iure perenni & eius ſucceſſoribus conceſſit ; ita & nos concederemus : & locum Sanctæ Crucis cum loco Sancti Macarij ſub tutela & defenſione noſtra ſuſciperemus. Cui petitioni libentiſſime noſtrum præbuimus aſſenſum ; & Petro Decano & Archidiacono Eccleſiæ Burdigalenſis , ut totum hoc ſcriberet aut ſcribi præciperet , ſub teſtimonio , &c. præcepimus & ſigilli noſtri impreſſione ſignari. Ego Matildis uxor Domini Guillelmi Ducis Aquitaniæ & Comitis Guaſconiæ affui & aſſenſum præbui. Ego Petrus Decanus ſanctæ matris Eccleſiæ Burdegal. & Archidiaconus ſubſcripſi, confirma hoc Deus. Eblo Archidiaconus , Arnaldus Simonis Cantor , Andro , & multi alij Canonici S. Andreæ interfuerunt. Hugo frater Comitis Guillelmi. Arnaldus de Blancafort. Vuillelmus Præpoſitus , Gumbaldus Auſtrini, & multi alij milites ſimiliter. Actum eſt & conceſſum ann. 1096. Incarnationis Dominicæ 8. Kal. April. Epacta 23. Concurrente 2. Indict. 4. Domino Papa Vrbano II. & D. Amato Burdegalenſi Archiepiſcopo. Data per manum D. Guillelmi Comitis ante Altare S. Andreæ, Fulconi Abbati, 8. Kalend. April. prima conceſſio in turri Caſtellari 11. Kal. Aprilis.

Maritus veſter Hieruſalem p.] Secundæ in Palæſtinam expeditionis , quæ priorem paucis poſt annis ſecuta eſt anno 1101. princeps & coryphæus fuit Guillelmus Comes Pictavenſium , & cum eo Comites alij , Stephanus Burgundiæ , Hugo Viromandenſis , Stephanus item Bleſenſis & Carnotenſis , Goffridus Vindocinenſis , cum Hugone fratre Raimundi E Comitis Toloſani. Militum millia 60. multo plura peditum fuiſſe , autor eſt Willelmus Malmeſburienſis , lib. 4. de geſtis Regum Anglorum. De eiſdem Guillelmus Tyrius lib. 10. Hiſtoriæ belli ſacri cap. 12. & 19.

Rainaldus V. Quartaldus] Epiſt. 18.

Epiſt.33 *Ermengardi Britannorum Comitiſſæ*] Filiæ Fulconis IV. Comitis Andegavenſis , Fulconis V. Regis ſorori, nupſit enim Alano Fergento Comiti Britannorum, Conanúmque III. procreavit , qui Conanus Ermengardis à matre cognominatus eſt. Kalendarium Sancti Mauricij Andegav. *Kalendis iunij obiit Ermengardis Comitiſſa Britanniæ , Mater Conani Ducis , & ſoror Fulconis Regis Hieroſolymitani.* De eadem conditor Geſtorum Comitum Andegav. *Fulco plures duxit uxores filiam Lanceloti de Balgentiaco , ex qua edita eſt Comitiſſa Britanniæ , illa quæ poſt obitum viri ſui Hieruſalem in Eccleſia S. Annæ vitam monialem exercuit.* Monialem ergo poſt 7. mortem profeſſa eſt, ſed F conſilio exinde mutato ad ſæculum reſiliit. Quo tempore hæc ad illum ſcripſit Goffridus , ſuadens ut priſtinum inſtitutum repetat. Quod tandem feciſſe videtur. Multis ſiquidem poſt annis Ermengardi tanquam Deo devotæ , & humili Chriſti ancillæ ſcripſit Bernardus Epiſt. 116. 117.

Epiſt.34 *Eccleſiam in qua tuus V. Pater*] Ermengardis Patrem epiſtola ſuperiore dictum eſt fuiſſe Fulconem IV. Comitem, qui Rechinus appellatus eſt, eius obitus diem annumque notant Chronicum utrumque Sancti Albini , Calendarium Sancti Sergij , & Calendarium Sancti Mauricij his verbis , 18. *Calendas Maij obiit Fulco dulciſſimus Comes Andegavenſis , nepos Goffridi prioris Martelli.* Sepulturæ locum non tradunt.

Epiſt.35 *Adelardo de Caſtrogunterij*] Ex Fulconis Nerræ litteris , quarum initium recitavimus Epiſt. 11. conſtat G illum caſtrum Gunterij , quod muniverat , Rainaldo cuidam Ivonis donaſſe , quem optimum militem vocat. Huius Rainaldi poſt alios hæres ; caſtríque Dominus fuit Adelardus , ad quem ſcripta hæc epiſtola. Huius præterea inſigne monumentum extat in antiquis tabulis Monaſterij Sancti Albini, quibus decimam portus ſui S. Albino concedit. Eæ porro ſunt huiuſmodi.

ADELARDI DE CASTRO-Gunterij conceſſio Decimarum, quas obtulit S. Albino.

RAinaldus Andegavorum Epiſcopus donum quod Adelardus Caſtrigunterij Dominus per manum noſtram Sancto Albino de decima portus Caſtelli ſui fecit, litteris mandare curavi , quod factum eſt hoc modo. H *Anno Incarnationis Domini 1123. Indictione 1. Calendis Martij feria quinta , ipſa ſcilicet de qua celeberrima Beati Albini ſolemnitas agitur ; veni ad Eccleſiam eiuſdem Sancti. Et rogatu Dni Hamelini Abbatis & monachorum eius , cum multis illuſtribus Clericorum & laicorum perſonis ingreſſus ſum eorum Capitulum. Vbi veniens Adelardus Caſtrigunterij Dominus , decimam portus Caſtelli ſui de vino de qua paucis ante diebus Hamelinum Abbatem apud Caſtellum ſuum , concedente hoc Matilde uxore ſua , & filio ſuo Adelardo reveſtierat , tunc etiam in manus noſtras in libro regulæ miſit , & per nos ſupradictum Abbatem & Monachos S. Albini reveſtivit : ipſúmque librum regulæ , quem in manus meas miſerat , ſuper altare eiuſdem ſancti detulit. Et quia idem Adelardus hanc eleemoſynam benigne faciebat , dedit ei prædictus Abbas ſub nomine caritatis 26. libras denariorum & decem ſolidos , ac filio eius quinque. In teſtimonium huius conceſſionis decrevimus ante propter auctoritatem & inviolabilem iſtius rei firmitatem , ut noſtro ſigillo , & ſigillo Abbatis , atque ſigillo eiuſdem Adelardi præſens pagina firmaretur.*

Præſentibus. Petrus Abbas Sancti Georgij, Daniel Abbas Sanctæ Mariæ Ebronenſis, Rannulphus Abbas Sancti Mauri & plures alij.

Hæ tabulæ Adelardi uxorem fuiſſe docent Matildem, filium Adelardum. Illum fortaſſe, cuius & Meliſſendis coniugis mentio in Calendario Sancti Mauricij. *Nonis Auguſti obiit Adelardus Dominus Caſtrigunterij, pro quo facere debemus, quantum pro uno Epiſcoporum noſtrorum 18. Calend. Septembris, Obiit Melleſſendis uxor Adelardi Domini Caſtriguntérij.*

Prædamque dimittas] Epiſt. 11.

Epiſt. 26. *Goffrido de Meduana*] Meduana Cennomannici pagi oppidum, ad fluvium cognominem, Ducatus hodie titulum gerit. Facit autem Goffridi de Meduana ætas, quam noſter affectam atque annis gravem fuiſſe ſignificat, ut illum ipſum eſſe coniiciam, qui pro Cenomannorum libertate adverſus Normannos, eorumque principem Guillielmum diu pugnavit, ut narrat inter cæteros Ordericus Vitalis, qui Goffridum Meduanenſem fortiſſimum Cenomannorum appellat lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Epiſt. 27 *Rainaldo Conſanguineo*] Domino Credonis, ut ſequentia declarant, & Elenchus Cenomannenſis; idem qui Rotæ in pago Andegavenſi monaſterium fundavit anno 1096. Huius filius Mauricius de Credone, quem ſuum etiam conſanguineum dixit Epiſtol. 15. Credonenſium Dominorum familiæ illo ſæculo duæ fuerunt. Prior, quem clauſerunt Suhardus de Credone & Guarinus eius filius, qui Fulconis Nerræ Comitis temporibus Credone potiti ſunt. Poſterioris caput Robertus Burgundio, cui Goffridus Martellus Nerræ F. Caſtrum Credonis, quod tunc in manu ſua in dominica tum habebat, iterato conceſſit. Roberti huius filius & hæres fuit Rainaldus de Credone; Mauricius vero Rainaldi: Goffridus Abbas utriuſque conſanguineus.

Honorem Credonenſem] Id eſt dominium. Honor pro ditione ac dominio paſſim in eius ævi monimentis. Vidimus in pericope Fundationis Vindocin. ad lib. 4. epiſt. 44. Idem Martellus in fundatione Credonenſi: *Cum vero Honorem Credonis in manu dominicatum habui, ſanctæ Trinitati illam Eccleſiam dedi, antequam Honorem Roberto Burgundioni fideli meo donaviſſem.* Sic Honor Vindocinenſis pro Comitatu in litteris eiuſdem Martelli, quas ad Epiſt. 2. lib. 1. produximus. Honor Andegavenſis in litteris Fulconis iunioris anno 1096. *Pro animabus parentum meorum Fulconis ſcilicet avunculi mei. Goffridi Martelli patrui mei, qui me nutrivit, per quem poſt Deum hunc Honorem teneo.*

Radulfo] Elenchus Cenomannenſis, *ad Radulfum de Balgentiaco*; cui etiam ſcribit Ivo Epiſt. 248. Eſt autem Balgentiacum Aurelianenſis agri ad Ligerim oppidum, crebris qui in eo acti ſunt Epiſcoporum & Principum conventibus celebre Nobilem ibi Eccleſiam hodie quoque poſſident Vindocinenſes, de qua Vrbanus Goffrido his verbis, *Eccleſiam S. Sepulcri de Balgentiaco, quam ipſius Caſtri Domini Lancelino petente Raunarius b. m. Aurelianenſis Epiſcopus prædeceſſori tuo Oderico perpetuo poſſidendam conceſſit.* Lancelinus de Balgentiaco ſocer fuit Fulconis Rechini Comitis, avus Ermengardis de qua dictum eſt, filiæ Fulconis. Lancelini eiuſdem filius, opinor, Radulfus. Quare quæ de Radulfi Patre in hac epiſtola dicuntur, de Lancelino accipienda ſunt. Radulfum vero Guillielmus Tyrius inter præcipuos Hieroſolymitanæ militiæ duces numerat lib. 1. cap. 17. Eumdem cum Amalrico de Monteforti & Goffrido Abbate noſtro legatum à Ludovico VI. Rege miſſum legimus ad Fulconem Comitem Rechini F. ad componendam controverſiam de Maioratu ſeu Seneſcalcia Franciæ, quam Fulco proavo ſuo, poſteriſque eius hæreditario & perpetuo iure conceſſam à Roberto Rege repetebat. Rem memoriæ prodidit Hugo de Cleeriis, miles Andegavenſis, Fulconis & ipſe ad Ludovicum Regem eadem de cauſa Legatus, cuius proinde integrum Commentarium coronidis loco his Notis apponam: ut hinc lucem accipiant, quæ de ea re ambigere ſe teſtatus eſt vir clariſſimus, & rerum noſtrarum peritiſſimus Ioannes Tilius in Collectaneis ſuis, cap. de magno Franciæ Magiſtro. Eius ergo Commentarij, quem à Fulconis Comitis verbis exorditur, in antiquis Sancti Albini codicibus hoc exſtat exemplum.

HVGONIS DE CLEERIIS Militis Andegavenſis Fulconis V. Comitis ad Ludovicum Regem Legati, Commentarius de Maioratu & Seneſcalcia Franciæ, Andegavorum olim Comitibus hæreditaria.

CVM Deus voluit ſublimare Robertum filium Ducis in Regem, Goffridus Griſa-gonella cum tribus millibus armatorum ſerviebat Domino ſuo Regi Roberto. Otho ſiquidem Rex Alemannorum cum univerſis copiis ſuis. Saxonum & Danorum montem Morciaci obſederat, & urbi Pariſius multos aſſultus ignominioſe faciebat. In hac neceſſitate prælij Rex Robertus & pater ſuus, ducatum primæ cohortis prædicto Comiti Goffrido Griſa-gonnella tradidit, & ad perſequendum exercitum Alemannorum Ducem & Conſiliarium conſtituit. Perſecutus eſt itaque Rex Robertus Regem Alemannicum præeunte Goffrido Griſa-gonnella uſque ad fluvium Eſne. Comes vero Goffridus gnarus pugnandi & aſſuetus, tantam ſtragem hoſtium ſuper fluvium ediderat ante Regis Roberti adventum, quod ſtagnum putares, non fluvium. Alemannis itaque fugatis, Rex Robertus congregato generali concilio, conſilio Patris ſui & Epiſcoporum, Comitum, Baronum, dedit Goffrido Comiti, quicquid Rex Lotharius in Epiſcopatibus ſuis Andegaviæ, ſcilicet, & Cenomaniæ habuerat. Si quæ vero alia ipſe vel ſucceſſores ſui acquirere poſſent, eadem libertate, qua ipſe tenebat, ſibi commendavit. Sed nequitia Comitis Tricacenſis non potuit ſuſtinere proſperitatem Roberti Regis. Sed ad eius deprimendam perfidiam, quam maiorem potuit exercitum Rex congregavit. Obſedit itaque Meludunum & cum ibi diu ſediſſet, vidit quod nihil proficeret. Vocato itaque Goffrido Griſa-gonnella cum Andegavenſibus ſuis, ſine mora ad conſuetum properavit obſequium. Goffridus autem veniens præmiſit Conſtabularios, ſuos, rogans ut oſtenderet ei qua parte ſederet. Illi vero reverſi nunciaverunt Domino ſuo, quod tantus erat exercitus, quod nullus erat eis ad obſidendum competens locus. Prædictum enim oppidum in inſula Sequanæ ſitum, erat circumdatum undique muro calce & arena compoſito. Videntes itaque Andegavi, quod nullum poterant habere hoſpitium, induunt arma, perrumpunt per medium exercitum, tranſeunt fluctus Sequanæ, dant aſſultum oppido, virtute conſueta capiunt caſtrum. Quod exercitus non potuit per tres menſes, illi dimidiæ diei ſpatio adepti ſunt. Franci vero huius gentis inauditam admirantes audaciam, ubicumque locorum ipſos omni laude magnificabant. Videns autem Rex tantam Principis ſtrenuitatem, & ipſum prævalere in regno tantum armis, quantum conſilio, & quia hic & alibi benè meruerat, ſibi & ſucceſſo-

ribus ſuis jure hæreditario Maioratum regni & regiæ domus Dapiferatum, cunctis applaudentibus & laudantibus exinde conſtituit. Hæc verba dixit Fulco Comes Teſcellino Capellano ſuo, Audi Preſbyter, cuiuſmodi obſequia præſtitit Comes Goffridus Griſagonnella Domino Regi Roberto. David Comes Cenomannorum, & Goffridus Comes Corbonenſis dedignabantur recipere feudum ſuum à prædicto rege, aſſerentes nullo modo ſe poſſe ſubiici generi Burgundionum. Audiens autem Rex eorum ſuperbiam, & videns regni ſui non parvam diminutionem, habito conſilio cum Goffrido Comite, & cum primatibus regni, tempore conſtituto & die denominato decrevit obſidere caſtrum Moritoniæ. Comes vero Goffridus cognoſcens adventum exercitus Regis, movens caſtra de Vindocino, dans aſſultum prædicto caſtro virtute conſueta & probitate gentis ſuæ, Goffridum Comitem & oppidanos ſuos minus timentes cepit, & Domino ſuo Regi tradidit. David vero Comes dedignans ad colloquium Regis venire, mandavit quod nullo modo ſe Regi ſubiiceret, & quod nullo tempore Rex Robertus Cenomannicam ſuam videre præſumeret. Audiens autem Rex arrogantiam & indignationem prædicti Comitis, ipſum dedit, & Cenomannicam ſuam Goffrido Griſa-gonnella & ſuis ſucceſſoribus ex Regio dono tribuit iure poſſidendam. *Hucuſque ſunt ſcripta Fulconis Hieroſolymitani.*

Vos autem qui iſta ſcripta audieritis, ſcitote quod ego Hugo de Cleeriis vidi ſcripta Fulconis Comitis Hieroſolymitani in Eccleſia Sancti Sepulcri de Lochis, de Maioratu & Seneſcalcia Francorum ſibi & ſuis anteceſſoribus à Rege Roberto collatis.

Inter Regem Ludovicum Philippi Regis filium, & Fulconem, qui poſtea factus eſt Rex Hieruſalem, magna erat diſſenſio. Fulco enim Comes nolebat ei ſervire. Rex vero Ludovicus dederat Maioratum & Seneſcalciam Franciæ Anſelmo de Garlanda, & poſtea Guillelmo de Garlanda, de quibus Fulco Comes ſuas redibitiones & ſua hominia habere non poterat. Contigit autem Regem Ludovicum maximam guerram habere cum Henrico Rege, filio Guillelmi acquiſitoris Angliæ. Ob hoc itaque Rex Ludovicus requiſivit Fulconem Comitem, ut de guerra iſta eum iuvaret: Comes vero reſpondit, quod nullo modo ei ſervire debebat, eum namque de Maioratu & Seneſcalcia Franciæ exhæreditabat. Tunc Rex Ludovicus per Amauricum de Monte-forti, avunculum Fulconis Comitis, & per Goffridum Abbatem Vindocinenſem, & Radulphum de Balgentiaco mandavit Comiti, de omnibus iſtis & maioribus aliis iſtorum conſilio ſe verſus Comitem emendaturum. Comes igitur Fulco ſuos conſulens homines, videlicet Robertum de Blo, Salmacium de Permina, Hugonem de Cleeriis, Gaudinum de Vegia, & multos alios, reſpondit Regi Ludovico, ut ſi hoc faceret quod mandaverat, quod hoc & alia adiutoria quæ ab eo exigebat, libenter faceret. Die autem illo, quo conſilium captum eſt, Curia Andegaviæ erat repleta bonæ militiæ & ſapientiſſimæ. Tunc Amauricus de Monte-forti, aliique qui verba Regis attulerant, laudaverunt Comiti Fulconi, ut per quendam quem Rex cognoſceret, Regi reſponderet, ac ſuper his, antequam nuntij Regis forent reverſi, feſtinanter grates & mercedes redderet. Conſiliatores autem Comitis audientes conſilium, quod Amauricus dederat, laudaverunt illud conſilium, quod cum Comitiſſa Aremburgis audiret conſilium, laudavit quod nullus iret niſi Hugo de Cleeriis. Ego itaque Hugo de Cleeriis perrexi Pariſius: dehinc ad Guenoricum inveni regem & Comitem Belli-montis. Eo itaque invento apud Genoricum, inter Ponteſium & Bellum-montem, & Calvum montem, locutus ſum cum Domino Rege. Primum illum ſalutans ex parte Comitis reddidi ei grates & mercedes ſuper ſuo mandato quod Comiti Fulconi mandaverat. Hinc ei dixi, quod Fulco Comes ei ſuum offerebat ſervitium, aut in præſentiarum, aut poſt, ſi vellet, colloquium. Rex inde lætatus dixit ſe multum prius velle colloqui. Aſſignatus eſt ergo & dies & locus colloquij inter Marcheſnerum & Birciam in Beauſſa. Inter hæc mandavit Rex Comiti, ut Gaufridum filium ſuum, qui nunc iacet in Eccleſia Sancti Iuliani Cenomanenſis, ad colloquium ſecum abduceret. Illum namque multum optabat videre. Cúmque dies inſtaret colloquij Dominus Rex Ludovicus & Fulco Comes ad locum conſtitutum venerunt cum ſuis conſultoribus, ibique recognita ſunt iura Comitis, videlicet Maioratus & Seneſcalcia Franciæ, Guillelmus de Garlanda tunc Franciæ Seneſcallus recognovit in illo colloquio hominium ſe debere Comiti Fulconi de Seneſcalcia Franciæ; & inde fuit in voluntate Comitis. Poſt Guillelmum fuit Seneſcallus Stephanus de Garlanda, qui fecit hominium Comiti, poſt Stephanum, Radulphus Peronæ Comes, qui ſimiliter fecit hominia & ſervitium. Ille enim qui Seneſcallus erit Franciæ, Comiti faciet hominium, & talia ſervitia. Si Comes perrexerit ad Curiam Domini Regis, Seneſcallus præcipiet Mareſcallis Domini Regis, ut præparent & liberent hoſpitia Comiti. Cùm Comes venerit, Seneſcallus ibit ei obviam, & conducet ad ſuum hoſpitium. Tunc Seneſcallus ibit dicere Regi Comitem Andegaviæ veniſſe. Si Comes ad regem ire voluerit. Seneſcallus ad curiam eum deducet, & de curia ad ſuum reducet hoſpitium. Si vero ad coronamenta Regis Comes ire voluerit. Seneſcalius præparare & liberare faciet hoſpitium; quod Comes habet proprium & debitum. Cum autem die ſuæ coronæ ad menſas Rex diſcubuerit, ſcamnum pulcherrimum fulcro pallij aut tapeto coopertum Seneſcallus præparabit, ibique Comes quouſque fercula veniant ſedebit. Cum vero primum venerit ferculum, Comes ſe deſibulans è ſcamno ſurget & de manu Seneſcalli ferculum accipiens, ante Regem & Reginam apponet, & Seneſcallo præcipiet, ut exinde per menſas ſerviat: & Comes retro ſedebit, donec alia veniant fercula: & quemadmodum ſuper primo fecit, de aliis ſimiliter faciet. Finita demum celebratione menſarum, Comes equum aſcendet, & ad ſuum redibit hoſpitium, Seneſcallo comitante. Deinceps equus ille, quem Comes adduxerit ad curiam, dextrarius videlicet, coquo Regis feudaliter dabitur: pallium quo in Curia affibulatus erit, diſpenſatori dabitur, ſcilicet poſt prandia. Tunc Panetarius mittet Comiti duos panes atque vini ſextarium, & coquus fruſtum carnis & vini hauſtum. Hæc eſt enim liberatio Seneſcali illo die. Hæc fercula accipiet Seneſcallus Comitis, atque dabit leproſis. Inſuper, cum Comes in exercitu Regis perrexerit, Seneſcallus Franciæ papilionem centum militum capacem ei præparabit, & ſommarium ad illum portandum, & chordas, & paxillos, & hominẽ equitantem ad conducendum, & duos homines pedites. Finito exercitu, Comes ſi voluerit Seneſcallo reddet papilionem: ſi non reddidit, non ideo minus in alio exercitu papilionem habebit. Comes cum in exercitu Regis fuerit vel ierit, protutelam faciet ei; in reditu retutelam: & quicquid ei acciderit ſive bonum ſive malum, ore Domini Regis inde non vituperabitur. Ego Hugo de Cleeriis vidi hæc ſervitia reddere Comiti Fulconi Regi Hieruſalem in duobus exercitibus Alverniæ, & in uno coronamento Bituri: & Comiti Gaufrido, qui eſt ſepultus Cenomani, vidi reddere in uno coronamento Bituri, & in alio Aureliani. Item Galterius de Silvanecti provincia recognovit ante Regem Ludovicum me præſente & audiente, ſe tenere de Comite Andegavenſi quicquid habebat in villa Sylvanectis extra muros, & foragia totius Arbriæ eſſe de feudo Comitis Andegavenſis, & omnia caſamenta. Radulphus de Martreio & Thomas frater ſuus ſolebant ſervire in An-

degavia

A degavia de feudo ſuo. Et ego Hugo de Cleeriis, dum loquor cum Rege Ludovico, audivi ab ipſo hæc verba: Raduſphe de Martreio, vide Hugonem de Cleeriis militem Comitis Andegavenſis Domini tui, vade ſervitum feudum tuum Mareſcalciæ, & hoſpitare Hugonem, quia habes iſtum feudum à Comite. Tunc Radulphus hoſpitatus eſt me ſub nomine Mareſcalciæ, & adiecit Rex: Ego Dei gratia iam ſum bene cum Comite Andegavenſi. De cætero Comes appellatur Maior in Francia propter retutelam quam facit in exercitu Regis. Item quando erit in Francia, quod & curia ſua iudicaverit firmum erit & ſtabile. Si vero contentio aliqua naſcetur, iudicio facto in Francia, Rex mandabit quod Comes veniat illud emendare: & ſi pro eo mittere noluerit, ſcripta utriuſque partis Comitis tranſmittet, & quod indeſina B curia iudicabit, firmum erit & ſtabile: Ego Hugo de Cleeriis vidi multoties iudicia facta in Francia in Andegavia emendari. Sic fuit de bello apud Sanctum Audomarum facto, & pluribus aliis placitis & iudiciis. Hoc vidi, & multi alij mecum.

SANCTI

NORBERTI

ORDINIS

C PRÆMONSTRATENSIS

FVNDATORIS,

Sermo exhortarius ad Fratres.

EX AVCTVARIO BIBLIOTHECÆ Eccleſiaſticæ Auberti Miræi.

SANCTVS Norbertus, Sanctis Cliviæ oppido natus, relicto Canonicatu, D quem in Patria poſſederat, *Præmonſtrati*, loco ſilvis horrido ac ſolitario in Diœceſi Laudunenſi anno 1120. cœnobium fundavit, adiuvante Bartholomæo Laudunenſi Epiſcopo; unde Ordini Præmonſtratenſi nomen eſt natum. Magdeburgenſis in Germania Archiepiſcopus creatus, ſanctiſſimè ibidem 1134. obiit. Scripſit varia, quæ Guillelmus Eiſengrenius in Catalogo Teſtium Veritatis, & alij recenſent. Sed ex iis unicus extat ſermo.

EX BIBLIOTHECA Præmonſtratenſis Patris Ioannis Le Paze eiuſdem Ordinis.

SANCTVS Patriarcha Norbertus multos interpretatus eſt ſacræ ſcripturæ libros, qui extant manuſcripti in Bibliotheca Cappenbergenſis Monaſterij in Weſtphalia. Scripſit quoque de viſionibus ac revelationibus ſibi Coloniæ & alibi factis libros tres; Item ſermones de obitu Sanctorum ad populum, ut teſtatur Guillelmus Eiſengrenius in Catalogo Teſtium Veritatis Orthodoxæ Eccleſiæ doctorũ. Scripſit præterea luculenter & doctiſſime de brevitate & caducitate vitæ humanæ; de ſuaviſſimo Chriſti iugo; de reſtitutione regularis vitæ ac diſciplinæ, & E præclarum opus pro defenſione Innocentij Papæ II. contra Petrum Leonis filium Pſeudopapam; quæ bellorum ſtrage perierunt. Extat unus ſermo de prædictis eius operibus excuſus.

SERMO.

HOrtamur vos fratres dilectiſſimi, ad ſedulam Dei, cui ſpecialium votorum profeſſione vos obligaſtis, ſervitutem. Tenemini enim vobiſmetipſis, & cunctis veſtris ſponte abnegatis, & purè propter Deum derelictis, in humeris veſtris quotidie portare crucem Chriſti; hoc eſt crebris diverſarum paſſionum anguſtiis patienter ducere vitam totam in pœnitentia. Hæc eſt enim arcta via cœli, quæ in ea F perfectè ambulantes ad veram perducit patriam, quam Chriſtus moriendo & vivendo, opere & verbo vobis ſtrenuè præmonſtravit. Quam niſi cum fiducia aggrediamini & pro modulo veſtræ poſſibilitatis in ea ambuletis, non poteſtis ad Chriſtum venire, ſicut dicit Apoſtolus; *Nullus coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* Et iterum, *qui voluerit Chriſto commanere, debet ſicut ipſe ambulavit, ambulare.* Ambuletis ergo in via Dei cautè, ne morte comprehendamini improviſè, promptam obſervantes obedientiam, voluntariam paupertatem, & famoſam caſtitatem. Sine iis omnis ſubſtantialis virtus Ordinis penitus deſolatur. Vos enim qui ſtabilitatem promiſiſtis in hoc ſacro loco, ſitis ſine faſtidio ſuſcepti oneris in Dei ſervitute continui, niſi interdum ne- G ceſſitate exteriorum actionum præpediti; ne diſſolutio inutilium divagationum ſuavitatem virtutum, in æterna dulcedine divinorum myſteriorum guſtatam auferat: & labentis mundi, qui nullum locum à ſordibus habet tutum, fallaciter amorem inducat, quia ſicut piſcis extra aquam penitus neceſſariis alimentis naturalibus carens, citò moritur; ſic inſtabilis religioſus munitione & cuſtodiá clauſtri exutus, exemplis & doctrinis bonorum alienus, mundo (cuius ſtatus in maligno poſitus eſt) pluries converſatus cito ad vitia labitur, & nexibus perpetuæ mortis detinetur. Fugite igitur ſæcularium hominum frequentiam, ſicut piſcis ſiccitatem; ne obliviſcamini interioris cuſtodiæ diligentiam, quæ mentis generat paritatem. Illud enim glorioſum nomen ſanctæ religioſitatis vobis indigne uſurpatis, ſi in deſideriis veſtris non ſoli Deo, ſed plus mundo religati eſtis. Debetis igitur eſſe ſtabiles, charitate concordes, maxi- H me linguas veſtras refrænantes, ut ſine murmuratione, detractione, & abſque invidia in domo Domini habitetis unanimes. Lingua enim maliloqua & doloſa, inquietum malum eſt, plena veneno mortifero, non deſinens lædere, bonum pacis conturbans, & religionis devotionem enervans. Idcirco de talibus ſcribitur; Qui litigioſus vel queruloſus eſt, verus monachus non eſt. Quapropter refrænate linguas veſtras, figentes vel erigentes corda veſtra ad ſuperiorum regna, ubi vera ſunt gaudia: Et deſiderio devotionis veſtræ cum perfectis volate in nubibus, contemplando divina, & cum mœrore portate pondus carnis veſtræ, ut poſſitis dicere cum beato Apoſtolo; *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*; & cum Pſalmiſta; educ de carceribus corporum noſtrorum animas noſtras, ut valeant conregnare Chriſto in æternum. Si quis autem habitu religioſo ſub ſpecie columbinæ ſimplicitatis, & lactis innocentiæ exteriùs nitidè amicti, à devotione perfectæ religionis coram Deo (cui cogitationes omnium nudæ & apertæ ſunt) interius miſerè nudati, ſalutaris doctrinæ monita, monitorémque contumaci corde ſpernunt, ſanctum regularis diſciplinæ ordinem non obſervantes, proculdubio ad illum teterrimum æternorum tormentorum

locum

Digitized by Google

A locum (niſi ſe prius emendaverint) perducentur; ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Præcaveatis igitur horrenda divinæ maieſtatis iudicia, illi devotè ſervientes in timore & iuſtitia, ut vos conſervet in religioſa vita, & à pœnis prædictis vos cuſtodiat ipſius clementia, qui ſibi fideliter ſervientes affluenter ditabit, piè dans pro parvis magna, pro temporalibus æterna, ſicut ipſe diſcipulis ſuis de contemptu rerum ſuarum & de labore bonorum operum ſuorum mercedem inquirentibus dicebat; *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*: ad quam vos perducat Chriſtus. Amen. Nullum tædeat vel moleſtet hanc chartam ſæpius inſpicere, in qua brevis exhortatio ad cultum Dei reperitur. Verbum enim Dei ignitum eſt, ſecundum Prophetam, ardore ſpiritus Sancti inflammatum, vrens vitia, augens virtutes, benevolas animas ditans ſapientiâ, miniſtrans illis cœleſtia alimenta. Et ideo voce Salvatoris dicitur; *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt il*
B *lud.* Sic Beata Maria Magdalena intentâ aure perfectæ devotionis, & ardenti deſiderio divinæ contemplationis verbum Dei, fideliter audiendo, optimam partem dicitur elegiſſe, quam Beata Martha ſedulo cultu laborioſæ miniſtrationis, Salvatori noſtro in' ſuis humanis fragilitatibus impenſo, nequaquam potuit conſequi, nec valuit obtinere. Audite ergo illud libenter, cuſtodite ſapienter & adimplete ſemper; ut in fine ſæculorum illud mellifluum verbum Dei hilariter poſſitis audire; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum æternum.* In quo tunc tranquillitate perpetuæ pacis, glorificatâ facie viſionis perfectæ, & cognitionis Dei æternaliter gaudebitis; ubi Deus abſterget omnes lachrymas oculorum veſtrorum, nec erit ultra mors, neque ullus dolor: quia momentanea tormenta priorum paſſionum veſtrarum
C omnia breviter tranſierunt. Ibi manifeſtabitur multitudo dulcedinis Dei, quam abſcondit vobis, & omnibus timentibus ſe; ibi apparebunt delectationes infinitæ mirabilium dexteræ Dei, quibus conſolabitur vos, & omnes electos ſuos uſque in finem; ibi ſaluberrimus fons hortorum Dei, quo vos fœcundabit; ibi indeficiens puteus aquarum viventium, quo vos iucundabit; ibi inæſtimabilis ubertas deliciarum domûs Dei, quæ vos inebriabit; ibi dulcis torrens voluptatum eius, quo vos potabit; ibi Deus præcinget ſe virtute & potentiâ, & candore lucis æternæ veſtitus, miniſtrabit vobis, dans ſe ipſum in mercedem magnam, & in omnium deſiderabilium veſtrorum ſupereffluentem immenſæ largitatis effectum, ſicut quondam beato Abrahæ Patriarchæ ipſi credenti & obedienti promiſit dicens: *Ego ero merces tua nimis valdè* Hæc eſt illa ſola una pretioſa marga-
D rita iam prædicta, pro qua debetis omnia veſtra vendere & inceſſanter laborare, ut comparetis eam. Cuius nobilitatis ſuavitatem, præ multitudine magnitudinis ſuæ, indagatio ſenſus humani ſecundum Apoſtolum non valet ad plenum cognoſcere, nec intima cordis ſuarum ſubtilium acie cogitationum metam, ſcientiæ illius attingere, neque ſcire, quam etiam propter magnitudinem virtutum & excellentiam dignitatum, nec ſuppliciis paſſionum, nec exercitiis bonorum operum poteſtis ad plenum promereri, niſi Deus vobis illam dederit gratioſè. Quia ſecundum Apoſtolum; non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ poſt hanc vitam revelabitur in vobis. Rogetis ergo devotè omnipotentem Deum, qui pro vobis homo factus eſt, qui fragilitatem humanæ conditionis in ſe ipſo expertus, cognoſcit figmentum veſtrum, quoniam vanè conſtituti ſunt omnes filij hominum, & quoniam ſenſus hominum proni ſunt ad malum, ut ſuâ vos pietate adiuvet & bonitate cuſtodiat, quatenùs peracto curſu, ſine delectatione carnalis amoris, ſic tranſeatis per bona temporalia, ut non amittatis ſed obtineatis æterna, hoc vobis piè tribuat, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per infinita ſæculorum ſæcula. Amen. E

HILDEBERTI, TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI, EPISTOLÆ.

EX PETRI BLESENSIS Epiſtola 102. ad R. Archidiaconum Nannetenſem de Puerorum Inſtitutione. F

Scio mihi plurimum profuiſſe quod cum parvulus erudirer, materiam mihi non de fabulis, ſed de hiſtoriarum ſumebam veritate. Profuit mihi quod Epiſtolas Hildeberti Cœnomanenſis Epiſcopi, ſtyli elegantia & ſuavi urbanitate præcipuas, firmare & corde tenus reddere adoleſcentulus compellebar. Præter cæteros etiam libros qui celebres ſunt in G ſcholis, profuit mihi frequenter inſpicere Trogum Pompeium, Suetonium, Cornelium Tacitum, Livium, &c.

Quis autem, qualis, quantúſque fuerit Hildebertus, primum Cœnomanenſis Epiſcopus, poſtmodum Turonenſis Archiepiſcopus è tomo 11. & 12. Annal. Eccleſiaſt. poteris intelligere, floruit tempore Anſelmi Cantuarienſis Epiſcopi, & Vrbani II. circiter annum Domini 1100. temporibus quoque Honorij II. clarus eſt habitus.

EX BELLARMINO de Scriptoribus Eccleſiaſticis. H

Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis, vixit tempore Honorij II. Pontificis, ad quem epiſtolam ſcripſit. Honorius autem ſedere cœpit anno Domini 1125. Scripſit Sermones, Epiſtolas, & Carmina ſacra, quæ extant. Ad eum una exſtat Epiſtola S. Bernardi, qua eum hortatur, ut Innocentium II. ut verum Pontificem agnoſcat, & veneretur.

EX TOMO I. DISSERTATIONIS Hiſtoricæ P. Labbe Societatis IESV *in Bellarminum.*

Hildebertus de Lavardino, Berengarij Sacramentariorum ſigniferi in receſſu illo ſuo Turonenſi poſt abdicationem hæreſeos quondam diſcipulus, & ſcripto in eius laudem non inelegant elegiaco carmine Encomiaſtes, cuius etiam meminit Guillelmus Malmeſburienſis libro 3. de geſtis Anglorum, & ſcholæ magiſter, poſt Hoëlum electus fuit anno 1097.

A

Cenomanenſis Epiſcopus, tum Gilleberto Archiepiſcopo mortuo, iuſſu Honorij II. Romani Pontificis anno 1124. tranſlatus eſt ad Turonenſem Metropolim, ubi obiit die 15. Kalend. Ianuarij anni 1132. de eo in pluribus non conſentiunt inter ſe Cenomanicæ hiſtoriæ illuſtratores, Corvæſerius & Bodonnetus, vel cum Voſſio qui morti eius aſſignat annum 1136. Lotharij Imperatoris XI. quos conſule, & ex antiquioribus Ivonem Carnotenſem, Goffridum Vindocinenſem, & Sanctum Bernardum in Epiſtolis, Willelmum Malmeſburienſem libro 5. cap. 9. Henricum Gandanenſem cap. 8. Bernardum Morlacenſem Congregationis Cluniacenſis Monachum libro de contemptu mundi ad Petrum Ven. Abbatem Cluniacenſem, Vincentium Bellovacenſem, Sanctum Antoninum, Trithemium & alios.

Inclytus & proſa, verſúque per omnia primus,
Hildebertus olet prorſus ubique roſam.

B

Vide etiam Galliam Chriſtianam in Archiepiſcopis Turonenſibus & in Epiſcopis Cenomanenſibus.

EPISTOLA I.

Gratulatur amico converſionem à Seculo ad veram Philoſophiam: Eúmque demum, beatè victurum, & perfectum Philoſophum exhibiturum ait ſi nihil metuat, nil ſperet. Poſtremo illum exhortatur ad verbi Dei prædicationem.

Quid ſit vere Philoſophari. C

DE Converſione & converſatione tua lætatur & exultat anima mea, illum proſequens actione gratiarum cuius muneris eſt quod nunc tandem philoſophari decreveris. Nondum quippe redolebas philoſophum, cum ex acquiſita Philoſophorum ſcientia, morum tibi minime depromeres venuſtatem: Nunc autem ſicut ex * lance mellis dulcedinem, ſic ex ea bene agendi formulam expreſſiſti: Hinc eſt quod Eccleſiaſticis dignitatibus omiſſis, elegiſti abiectus eſſe in domo Dei tui magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hinc eſt, quod ambitioſam ſuppellectilem, inexorabili odio proſequeris: Quod inſtitoriam abdicas lectionem; quod magnum quæſtum indicas pietatem *Cum ſufficientia*. Hinc denique eſt quod intra fines virtutis totum te colligis; quod de vita tua cum natura non deliberas, minus attendens quid caro poſſit, quam quid ſpiritus velit. Hoc * vero philoſophari eſt: ſic vivere magnum iam cum ſuperis eſt inire conſortium. Nulla hinc ad ſuperos via compendioſior. Eo facile pervenies, ſi tamen exoneratus inceſſeris. Porro animus ipſe ſibi ſarcina eſt donec & ſperare deſinat & timere. Nondum enim beatè vivit: quem vel voti torquet dilatio, vel à voto decedendi metus excruciat. Diogenes quia nullius ſperavit favorem, nullius potentiam formidavit. Ille in dolio ſuo tam ſpe vacuus quam timoris expers, locupletam tranſegit paupertatem. Porro quæ ſic infidelis Cynicus abhorruit, tanto amplius neceſſe eſt ut Chriſtianus doctor abhorreas quanto fructuoſior eſt profeſſio quæ per fidem operatur. Morum hæc offendicula ſunt, & ad virtutem gradientes remorantur. Eruditus ſermo, & cultus abiectior, & ſeverius retracta veræ religionis inſtituta: religioſum exhibent Chriſtianum. Nunc autem exhibebis & perfectum exprimes philoſophum, ſi nec ſperes aliquid nec extimeſcas: hoc, & verum animi robur & integrum Mundi contemptum denunciat. Fert autem fama id à quibuſdam tibi perſuaſum, ut ab omni lectione penitus abſtineas: Super hoc attende quid ſentiam. Citra profectum proficit, quiſquis alteri cum poteſt non prodeſt: virtus eſt, etiam male uſuro, virtutis miniſtrare materiam. Præterea ſub Evangelico te cohibuiſti conſilio quo Iuvenis à Chriſto audivit; *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me?* Holocauſtum igitur habeo offerre, non ſacrificium: de eorum quippe differentia apud Gregorium ſuper Ezechielem ſic legiſti. *In ſacrificio quidem pars pecudis, in holocauſto autem, totum pecus offerri conſuevit.* Et poſt pauca: *cum quis ſuum aliquid Deo vovet, ſacrificium eſt: cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo voverit, holocauſtum eſt.* Offer ergo te totum Domino Deo, quoniam Domino Deo totum te devoviſti: alioquin promiſſo eum defraudas holocauſto. Denique *ſapientia abſcondita, & theſaurus abſconditus: quæ utilitas in utriſque?* aurum melius diſperſum rutilat quam ſignatum. Nihil à vilibus tophis gemmæ differunt, niſi in medium deducantur: Scientia quoque diſtributa ſuſcipit incrementum: & avarum dedignata poſſeſſorem, niſi publicetur, elabitur. Noli ergo claudere rivos doctrinæ tuæ, ſed iuxta Salomonem, *deriventur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis divide.*

* Melius favo. 1. Tim. 6. * alias, vere. Animus ipſe ſib. ſarcina eſt. D † Non. E Mat. 19. Luc. 18. Lib. 1. Hom. 10. in Ezec. Eccl. 41. F

EPISTOLA II.

Amico, ſynceram in adverſis amicitiam pollicetur, & gratulatur quod etiam inter arma, ſenſu locuples & ordine venuſtum carmen illi exuberat.

Epiſt. 2.

IVſtum eſt ut adverſa communicent qui proſperis continentur: hinc eſt quod eiſdem confodior iaculis quibus te didici vulneratum. Quicquid enim eſt quod ledeſcit non te unum perſequitur, ſed alterum. Omnia tecum ſuſtineo quæ te doleo ſuſtinere. Porro amicum me dum ſerenus aër elegiſti, donec nubilus erit, invenies. Infamis quæſtus eſt proximum colere dum ſuccedit: dum male eſt ignorare. Si quid igitur habeo, ſi quid poſſum: malo exuli ſerviat quam civi: exul enim verum probabis amicum quem civis, forſitan ignorabas, huius autem deſolationis tuæ nonnullum mihi remedium eſt. Quid etiam inter arma, poëtam integrum profiteris. Liberum curis exiſtimo, tui & ſenſu locuples, & ordine venuſtum carmen exuberat: fieri enim non poteſt tot idem pectus, & tantarum ſollicitudinum & talium ſit officina ſtudiorum. In armis audio te Cæſarem, in carmine Virgilium obſtupeſco. Donec ita Virgilium exprimes, nec Cæſaris negotia nec militiæ labores vel curare te credam vel ſentire. Alioquin maiorem mortalibus animum geris qui tam diſſidentibus ſtudiis integer præparatur.

Vera amicitia. G

EPISTOLA III.

H

Gratulatur amico donatum à Rege, ob virtutem, ſacerdotium, quo nulla convenientior eſt ſanctorum vel remuneratio vel materia ſtudiorum. Demum Guidonem quendam illi commendat.

Epiſt. 3.

VIrtuti gratulor cui ſub ſolo rege noſtro ſuam video non deeſſe mercedem. Novit ille, regiam manum melius donativo ſplendere quam ſceptro: nec ſatis eſſe principi, ſubditos ad bene agendum exemplis provocare, niſi provocentur & præmiis. Hinc eſt quod defecati mores tui ſummo donati ſunt ſacerdotio; quo nihil convenientius ſanctorum vel remuneratio eſt vel materia ſtudiorum. Sanè ſana Regis diſpoſitio, quæ Chriſti Eccleſiæ nihil melius potuit providere quam te; cuius & ſcientia ſubiecti proficiunt, & patrocinio virtus exultat. Talem te pro

Guidone

A Guidone noſtro rogare decreveram, ſed veritus ſum ne quod per te facturus es, id precibus extortum putaretur. Gratiora ſunt beneficia quæ non alieno interventu, ſed affectu ſpontaneo proveniunt. Præfatum tamen fratrem filiumque noſtrum eo non debui defraudare teſtimonio: quod non minus vita quam litteratura promeruit. Vnus ex noſtra Eccleſia excerptus eſt, cui & ad fructum ſcientia & ad exemplum mores exuberant. Vnus ille tibi pro multis erit quoniam in illo uno multos magiſtros invenies. Porro diuturnior eius apud te converſatio, pauca me ſemper eo ſcripſiſſe, conclamabit. Vale: mortemque non pluribus ſtadiis ab aula quam à tugurio diſtare memineris. *Mors æqua omnibus.*

EPISTOLA IV.

Commendat Pontifici Guillelmum quendam.

B PRo Guillelmo noſtro, pater ſancte, ſupplicandum putarem, niſi ad promerendum favorem tuum, ſibi, ſolus ipſe ſufficeret. Præterea ſuperfluum duxi, ad beneficium excitare Pontificem, qui ante Pontificatum vel innumeris benefacere conſuevit: hoc ſecum dignitas non attulit, ſed invenit. Non itaque vereor ut præſul beneficentiæ, renunties; cui te privatus obligaſti. Credo etiam præſcriptum fratrem non indignum, cui gratiæ tuæ limen ultroneus aperias.

EPISTOLA V.

Invitat amicum ad ſcribendas illi prolixiores Epiſtolas.

COmmeantium raritas facit ut rariores noſtræ inter nos epiſtolæ diſcurrant. Illa nobis & obſequium ſalutationis invidet, & amica colloquia. Cæterum epiſtolarum raritatem pagina poteſt ſupplere prolixior. C Memineris igitur invigilare aliquid, quod & ſolatium tuæ ſit abſentiæ, & oculos amici diutius remoretur. tuam prolixitatem ſic amplector, ut epiſtolas longiores & occupatus ſuſcipiam, & invitus deponam. Illæ quidem me ad legendum otioſum non inveniunt, ſed faciunt: vale, atque id potius age, ut aliquando obliviſcaris me, quam ut aliquando cogites de me.

EPISTOLA VI.

Gratulatur amico quod corruptum Monaſterij ſtatum & mores in melius reformarit, & hortatur ut pergat.

Cant. 1. NOn potuit ad nos uſque tua non pervenire opinio, quia iuxta Salomonem; *oleum effuſum, nomen tuum.* D Eius odore tuam, mi frater, edocti devotionem, benedicimus Domino Deo Iſraël, quoniam devotio tua nihil aliud eſt, quam gratia ſua. Quis enim corruptis moribus, & monaſtico ordini conculcato ſubvenire poſſet, quis conſulere niſi adiutus ab eo qui dixit, *ſine me nihil poteſtis facere?* *Ioan. 15.* grave quidem eſt in pugnam tyrones animare, gravius autem revocare fugientes. Maiori eget ſtudio reddere, quam conſervare ſanitatem: Ita vix eſt qui dubitet, hoc ordine facilius ignaros informari quam reformari perverſos. Vnde & te ſplendidior gloria reſpicit cui deſurſum datum eſt & colligere diſperſa, & confracta ſolidare. Sub te cultore ſterilis ficus effloruit, & in gratiam cum ſuo rediit Domino, cuius minas & ſecurim formidabat. Erit itaque ſtudij tui circa commiſſam tibi arborem fodere, circa eam ſtercora immittere. Talis planta facile reſilveſcit: &, ſi colere deſinas, eius virentia brevi tempore repuereſcunt. Quotidie flat Aquilo, non floribus tantum, ſed & fructui ſuſpectus & foliis. Rogandus eſt Auſter ut veniat, & perflet hortum ſuum, & efficiatur odor eius ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. E Fortaſſis in publica commoda pacem, ſi longo ſermone morer te; ſi quos debes pluribus, oculos prolixiore pagina teneamus. Hoc tamen unum nec te legere tædeat, nec fidem dictis adhibere; vicem mihi rependes, ſi & ames me & ores pro me.

EPISTOLA VII.

Monet fratrem (non dubium quin Diœceſis ſuæ Presbyterum unum quendam) ut initiandis obviet vel initiatas reſcindat nuptias filij iunioris, Galteri de Duncampo, cum puella cuius coniugium cum altero eius ſeniori fratre peractum fuerat ſolemniter conſenſu voluntatis, licet non debito commixtionis. F

ITerare clamorem continuata nos iniuria compellit: ea in promptu eſt. Galterus de * Duncampo duos dicitur filios habuiſſe: eorum maior virum reddens, puellam ſibi deſponſavit imparem viro atque nuptiarum negotiis immaturam. Convenientibus tamen parentibus, virgo ſolemniter tradita eſt, dotata eſt; celebrata ſunt matrimonij cætera ſacramenta, peractum eſt coniugium, conſenſu voluntatis non debito commixtionis. Defuncto autem viro priuſquam convenirent, pater defuncti, præfatæ puellæ facultatem remeandi ad parentes intercludit; alteri filio ſuo, eam, ſicut fama eſt, in uxorem traditurus. Cæterum ſi autoritati defertur, taliter tradita viro atque unita conſenſu, coniux fuit; quamvis coniugalis concubitus non ſucceſſit. Vnde Ambroſius ad virginitatis exhortationem: deſponſata, inquit, viro; coniugis nomen accepit. Cum enim initiatur coniugium, tunc coniugis nomen aſſumitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium; ſed pactio coniugalis. Denique cum puella coniungitur, coniugium eſt; non, cum viri ammixtione cognoſcitur. Iſidorus, Ethymologiarum lib. 9. cap. 7. Coniuges verius appellantur à prima deſponſationis fide, quamvis apud eos ignoretur coniugalis concubitus. De eodem Ioannes Chryſoſtomus: Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas. Attendendum præterea nequaquam ſatis eſſe manifeſtum: Verum maritus ita puellam reliquerit immaculatam, ſicut incorruptam. Quam ſi quolibet attactu polluerit, frater fratri non ad coniugium ſuccedet, ſed ad inceſtum. Relinquitur igitur ſolicitudini tuæ, vel initiandis obviare nuptiis, vel reſcindere initiatas. Memineris etiam, puellam parentibus remittendam: quatenus & ea nubat in Chriſto, & patris hæreditas ad filiam, Legis beneficio, revertatur. Vale frater, & dilige me diligentem te. G

** Alias, Chincampo.*

EPISTOLA VIII.

Miſerat amico flabellum: interpretatur autem eo, myſtice ſignificari abigenda eſſe muſcarum portenta, pravas ſcilicet cogitationes, quæ altaris officia frequenter impediunt. H

FLabellum miſi tibi, congruum ſcilicet propulſandis muſcis inſtrumentum. Eſt etiam quod in munuſculo noſtro interpretari te oporteat. Attende ergo quibus muſcis immolantes Domino ſacerdotes gravius infeſtentur; quibus frequenter impediantur ſalutaria altaris officia. Mille ſunt occurſantium fantaſmata cogitationum, mille diaboli ſuggeſtiones, mille mortalium tentationes animorum: quæ dum ſe ſacrificantium mentibus inopinato ingerunt illapſu, dum eas ad alia atque alia cogitanda abſtrahunt, dum hæreticam moliuntur inducere pravitatem, quid aliud

A aliud faciunt quam, velut quædam muſcæ, ſacrificantes altaris miniſtros infeſtant & impediunt; Talium portenta muſcarum patriarcha noſter abraham propulſanda præſignavit, cum à ſacrificiis aves abegit incuſantes: Scriptum eſt enim; *deſcenderunt volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abraham.* Dum igitur, deſtinato tibi flabello, deſcendentes ſuper Sacrificia muſcas abegeris, à ſacrificantis mente, ſupervenientium incurſus tentationum, Catholicæ fidei ventilabro exturbari oportebit. Ita fiet, ut quod ſuſceptum eſt ad uſum, myſticum tibi præbeat intellectum. Et quoniam præfatæ volucres ſuper ſacrificia tantum deſcendiſſe leguntur, non etiam cœptum interrupiſſe officium; ſacerdotes Chriſti, tentationes quas perferunt, ita doceantur abigere, ut à ſacramentis altaris talis eos lapſus non cogat abſtinere. Hic enim defectus infirmitas eſt, quæ virtutem perficiat; non, quæ virtutis opera in irritum deducat.

Gen. 16

Sacramenta altaris.

B

EPISTOLA IX.

Epiſcopo cuidam comprovinciali, qui eum ad Electi Andegavenſis conſecrationem invitaverat, negat ſe adfuturum, quod ille præter Canones electus ſit. Ac proinde reprehendit Epiſcopos qui adfuerant, & hortatur, ne Electo illi imponant manus.

PEtitio veſtra qua vocamur ad Electi veſtri conſecrationem, facilem apud nos inveniret aſſenſum, ſi eam ratio tueretur. Sed teſtantur qui affuerunt quòd ad iuvenem, infra ſacros Ordines & annos inventum nec à Clero electum, ſeditioſus turbatæ turbæ clamor pontificalem detorſerit electionem. Aſſerit etiam Decanus, Cantorem, Archidiaconos, & maiorem Capituli partem quantùm licuerit obclamaſſe: ſimulque, talibus auſis, aſſenſum ſubtraxiſſe pro ratione; ſeipſum præſentiam, pro timore. C Quod ſi ita eſt, his qui interfuerunt, doleo pro exceſſu; iuſtitiæ, pro contemptu. Quis enim non doleret canonicum rigorem tanto conculcatum præiudicio? Quis non nimiùm miraretur, religioſarum providentiam perſonarum in aſſenſum novi declinaſſe piaculi? Pace veſtra loquar; inexcuſabilis eſſet ille ſubverſo autoritatis aſſenſu, ſi eum neceſſaria diſpenſatione non putaremus extortum. Niſi enim fallor, timori ceſſiſtis non rationi: nihilque aliud fuit, dicere *faveo*: quàm, *Cæſarem appello.* Nemo maior Paulo, nemo par Chriſto. Paulus tamen dum cuſtodiretur Damaſci, *per feneſtram in ſporta demiſſus eſt per murum.* Chriſtus quoque quia tulerunt lapides Iudæis, *abſcondit ſe, & exivit de templo.* Vterque diſpenſatoriè ſubfugit, neuter tamen, ſuo tempore, pro veritate mori recuſavit. Paulus enim, quando oportuit, paſſus eſt pro Chriſto, Chriſtus pro mundo. Si placuit exemplum fugæ, placeat exemplum conſtantiæ: timoris lapſum veritatis ſuppleat aſſertio. Non cadit turpiter, quiſquis poſt caſum fortiùs congreditur. D Non turbetur præ ira oculus patris in filium, ſed attendat (iuxta Salomonem) *meliora eſſe vulnera amici, quàm adulantium oſcula.* Vt autem vobis (ut inveni) maturiùs conſulatur, manus ei cito non imponatis, ne hoc vel illi deputetur ad iudicium, vel vobis ad lapſum. Quiſquis huic negotio ita non providet, invidet. Pateat mihi pater, quia ego parcam animæ meæ: fruſtrà, inquam, expectabitis me, quia manus imponetis ſine me.

Act. 15.
Act. 9.
2. Cor. 11.
Ioã. 8. 12.

***

E

EPISTOLA X.

Familiaris eſt Epiſtola, & proſperam valetudinem M. Reginæ Anglorum gratulatur.

Humilis Cœnomanorum miniſter, M. * *venerabili atque Auguſtæ Anglorum Reginæ, ad illius ſtare dextram, cuius dextris aſtitit regina in veſtitu deaurato circundata varietate.*

* Lege, Mathildi.

AVdita per præſentium latorem & ſalute qua incolumis, es & ſalutatione qua me dignata es: de primo quidem ſubortum eſt mihi gaudium, de ſecundo verò, nomen & gloria mihi exuberant. In leges enim & in Eccleſiam Chriſti peccare convincor, F niſi de ſalute illius lætetur & exultet ſpiritus meus; cuius incolumitas, & legum reverentiam & Eccleſiæ ſtatum ſervat incolumem. Nihi enim eſt unde magis oporteat lætari animam, quàm ſuper eorum incolumitate, quibus & legum integritas & Eccleſiæ ſtatus incolumis perſeverat. Gaudeo igitur; ſed & gaudebo, quoties meas aures aura, quæ te ſoſpitem nuntiet, afflaverit; quoties audiam vivere reginam & valere, cui & poteſtas collata eſt ad iudicium ſceleris, & mores ad exemplar honeſtatis.

Regum incolumitate cur ſit lætandũ.

EPISTOLA XI.

Monachis S. Cuthberti gratulatur bonas fieri vias eorum, & ſtudia: polliceturque ſe pro illis oraturum ubi Patri Filius immolatur: ſcilicet ad altare.

Humilis Cenomanorum ſacerdos, toti Conventui fratrum Monaſtery ſancti Cuthberti, de bono principio exitum bonum.

G

EX quo veſtram promerui notitiam, deſiderio deſideravi rurſus videre vos, ſed nondum hoc placuit Domino Deo, quia cùm diſponat homo viam ſuam, Domini tamen eſt dirigere greſſus eius. Quia verò audio bonas fieri vias veſtras & ſtudia veſtra, gratias ago Ieſu Chriſto, in quo vobis repoſita eſt corona iuſtitiæ. Eius muneris eſt, quòd nobis ab Aquilone panditur bonum; quod pro Olla ſuccenſa, incenſa ſanctæ converſationis veſtræ, relationibus adventantium odoramus. Reficitur inde ſpiritus meus Domino Deo gratias agens & congaudens vobis quos audit cantare canticum graduum, & aſcenſiones in corde diſponere: unde & nos tantò confidentiùs veſtrarum ſuffragio inhæremus orationum, quantò novimus vos, velut è foribus, ſupernam interſpicere Hieruſalem, & videre iam Dominum dominorum in Sion. Nos quoque ſi quid peccatoris, ſed ſacerdotis, poteſt oratio; ibi pro vobis fratribus noſtris agimus, ubi Patri Filius immolatur * valere.

Sacrificij miſſæ elegans periphraſis.
* Scilicet in altari.

EPISTOLA XII.

H

Electo Andegavenſi demonſtrat Patrum authoritatibus, eius electionem canonibus detici, quod negligente (imò repugnante) clero à populo in ea ætate quæ à rigore canonico in conſecrandis metuitur, & ſacris ordinibus nondum initiatus intruſus ſit: proinde eum hortatur ut animæ ſuæ conſulat.

PAuca, bone frater, habeo adverſum te, ſed tamen omnia pro te. Nihil eſt in eis fuco livoris infectum, nihil quod odio ſerviat alieno: Æmulor enim te Dei æmulatione.

æmulatione. Aſſume ergo patientiam, & amplectere commonitorium ſalutis quod prodiit ex radice charitatis. Si vera ſunt quæ dicuntur, promotionem tuam canonica reiiciunt & deiiciunt inſtituta. Quippe non elegit te clerus, ſed minæ populares intruſere renitenti. Ordines tibi deſunt, quos in promovendis cognovimus inquirendos. Eſt ætas, quam rigor canonicus quia in conſecratis metuit, à conſecrandis excludit. Hæc ſi ita ſe habent, infinitus tibi labor incumbit;nec facilè bonos exitus invenient quæ malo ſunt inchoata principio. In ſummis enim ſacerdotibus ætas integra poſtulatur, unde nec periculum religio metuat, nec reverentiam dignitas amittat. Hinc eſt quòd Ezechieli in trigeſimo anno cœli aperiuntur, & videt viſiones Domini, & prophetat: priùs ætas Prophetæ deſcribitur, ut quibus annis prædicatio committi debeat, oſtendatur. Chriſtus quoque Ioannem ſupra Petrum dilexit: Petro tamen non Ioanni conceſſa eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi. Qui enim per Eſaiam dixerat, auferte offendicula de via populi mei; coram diſcipulis offendiculum ponere noluit, nec maioribus anteponere iuvenem, quamvis eũ prærogativa caſtitatis ſibi præ cæteris fecerat familiarem. Detulit igitur ætati, non meritis: nec prætulit coniugatum Virgini, ſed provectiorem iuniori. Denique Luca docente didicimus quòd beatiſſima virgo maria Chriſtum invenerit in Templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem; donec annorum defuit integritas, Doctor omnium, fines diſcipuli non exceſſit: ubi verò pleni dies acceſſerunt, factus eſt magiſter pro debito, qui fuerat diſcipulus pro exemplo. His omnibus impreſſa eſt Eccleſiæ forma quam ſequatur; certuſque limes ætatis appoſitus infra quem fieri Epiſcopum, facto, cedit ad iudicium. Præterea quiſquis in ſacris non fuit Ordinibus inventus, ad ſummum ſacerdotium accedere canonicis prohibetur Eccleſiæ inſtitutis. Nam de electione quid loquar, in qua populo minimè licet Clerum præcedere, ſed aſſenſu proſequi eligentem? Scrutare Scripturas, & in hoc negotio primum ei locum reſervatum invenies. Vnde Cœleſtinus Papa ad Epiſcopos in Viennenſi provincia conſtitutos, ſic ait: *Nullus invitis detur Epiſcopus*: Cleri & plebis, & ordinis conſenſus & deſiderium requiratur. De eodem in Decretis Leonis Papæ, c. 5. *Cùm de ſummi ſacerdotis electione tractabitur; inquit, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtulaverit.* Vides itaque mi frater, quantus in te coniuret autoritatum concurſus, quàm multa te pulſent capitula: proinde timendum eſt, ne hac temporali promotione ab æternitate decidas cum illis de quibus per Pſalmiſtam dicitur, *Deiecisti eos dum allevarentur.* Conſule igitur animæ tuæ, conſule dum licet. Non eſt tibi colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus eum qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt. Pro eo, religioſos Abbates & integri nominis perſonas audivi ſtare adverſum te: cum quibus tantò periculoſiùs eſt congredi, quantò eorum fama ſyncerior, cauſa iuſtior, dignitas maior. Vale, & hoc ultimum tene: Conſilium ſalutis aſpernari, ſeipſum odiſſe eſt.

Ætas iuvenilis in Epiſcopis metuenda.

Populus in Epiſcopi electione.

Pſalm.

EPISTOLA XIII.

Eundem hortatur ut oblatam unctionem recuſet, ne augeat animæ diſcrimen.

FAma eſt Epiſcopos ad tuam conveniſſe conſecrationem. Ei autem quia autoritate reſiſtitur, neceſſe eſt miſericordia ſuccurratur: hanc, ut opinor, pronum eſt impetrari, ſi oblatam tibi recuſes unctionem. Alioqquin creari Pontificem, eſt augere diſcrimen. Homo es ſub poteſtate conſtitutus: illam graviùs exaſperabis, ſi quaſi per arrogantiam præſumitur, quod inde per miſericordiam expectatur. Facilis eſt iudex ad veniam, cui pauca offeruntur punienda: eundem delictorum exacerbat multitudo. Vale.

EPISTOLA XIV.

Hortatur (non dubium quin ſuæ Diœceſis Decanum vel Presbyterum unum quempiam) ne fratrem pecunia Diaconum ordinatum patiatur in Diaconatu (quem fortè non accepit) vel in Sacerdotio, quod malè accepit, miniſtrare.

FRatrem illum quem Diaconatum pretio comparaſſe ſignificaſti: à Diaconatu & ſuprà, ſummovendum cognovimus & ſummovemus. Nullam enim partem, nullam ſortem concedit ei Petrus in Ordine, quem dum emit, non accepit: unde & Simoni dictum eſt: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, non enim eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto.* A Sacerdotio quoque canonica eum ſuſpendit auctoritas, quod vel nondum vel malefactus diaconus * evolavit. Quomodo enim ſtabit ædificium, cui nullum ſuppoſitum eſt fundamentum? Agitur itaque de periculo tuo: ſi patiaris præſcriptum fratrem vel in ſacerdotio miniſtrare; quod re vera malè accepit, vel in Diaconatu, quem fortaſſe non accepit. Nam de eius reformatione quid loquar; cum morbo huiuſmodi nullum penitùs inveniatur ſubvenire remedium? Vnde & in decretis Nicolai c.6. ita reperies. *Nullus Epiſcopus ſacros Ordines à maiore uſque ad minorem vendat, quia Simoniacum eſt: Quod ſi quis fecerit, & venditor & emptor omni Eccleſiaſtico officio privetur.* De eodem in Chalcedonenſi Concilio, cap. 11. *ſi quis Epiſcoporum accepta pecunia Ordinationem fecerit, & ſub pretium deduxerit impretiabilem gratiam, atque ordinaverit per pecunias Epiſcopum, ſive Preſbyterum, ſive Diaconum, aut quemcunque alium qui connumeratur inter Clericos: quicunque ergo hac mendicaverit ſive convictus fuerit, ipſe quidem ſubeat gradus ſui periculum: & qui ſic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex huiuſmodi mercimonio & creatione probroſa, ſed ſit alienus & dignitatis & ſolicitudinis eius, quam per pecunias intravit: Sed & ille qui tam turpibus & illicitis interceſſor apparuerit, ſiquidem clericus fuerit, de proprio decidat gradu, ſi verò laicus, ſive monachus fuerit, anathema ſit.*

Act.

* Fortè melius, vacuavit.

…monia… …num …cena.

EPISTOLA XV.

Gratulatur Reginæ cuidam, de bono, quod aliud fuiſſe non puto quam nuptias cum Rege. Prætereà illam hortatur ut Deum non ita ſperet miſericordem, ut non etiam expectet Iudicem.

GRatulor honori tuo atque bonæ opinioni tuæ quæ mihi melior indies innoteſcit. Gratulor, inquam, & Domino Deo gratias ago de bono tuo, quoniam bonum tuum nihil aliud eſt quàm donum ſuum. Quid enim *habes quod non accepiſti?* & nos omnes, ait Evangeliſta, *de plenitudine eius accepimus.* Eius ſcilicet de plenitudine, de quo & tu habes ut ſis; habes ut bona ſis; habes etiam ut melior eſſe poſſis. Attende quid habeas ex tam bono Factore tuo, & intende quid ei debeas ex tam magno beneficio ſuo. Attende, inquam, qualem te elaboraverit artifex tuus; & labora ne degeneret labor eius. De temporalibus loquor & caducis; ſed temporalia etiam & caduca, dona ſunt Domini Dei tui. Non meruiſti nobilis naſci; & regius ſanguinis nata es: non laboraſti; & dives facta. De potentia nihil movebaris; & ecce ſuper capita filiorum hominum poſita es. Nulli pro gloria formæ ſupplicaſti; & uſque ad Regis delicias formoſa facta es. Hæc opera operatus eſt Dominus Deus; Deus bonus opera bona, quoniam ipſe ſummè bonus fecit omnia valde bona.

His autem boni, non ſunt homines boni; ſed eis benè utendo, faciunt ut & ipſi fiant boni. Vt igitur & tu ſis bona coram Domino Deo tuo, utere benè bono munere ſuo. Si benè uteris, & eius munus eſt & tuum bonum: ſi verò malè, eius quidem munus eſt & bonum, ſed bono munere Dei malè vtendo facis tuum malum: nihil enim eſt homini bonum ſine ſe bono, bonis autem & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Porrò munera Dei damno ſunt poſſeſſoribus otioſis, quibus, nolle negotiari ad lucrum, probè negotiatur ad ſupplicium. Intellige quæ dico; dedit enim tibi Dominus intellectum. Magnus fœnerator eſt hic Deus noſter; coram eo loquor; importunè uſuras exigit iſte creditor noſter. Creditor noſter eſt, & durus creditor eſt. Ille homo quidem qui peregrè profectus eſt, ipſe plenilunio revertetur, cùm redierit, duplum requiret à te: cùm ſuſceperit, centuplo munerabit te. O Beatum commercium in quo nos uſuras exigens, criminis arguitur; nec ſolvens, in aliquo gravatur! O felicem negotiationem, in qua creditor eſt opportunè importunus, & debitori pluſquam debeat debetur! proinde timendum eſt ne ad Iudicium ſive venia venias, ſi (quod abſit) negotiandi negligentiam oblivione fore impunitam ſomnias. Intellige quæ dico: magnæ memoriæ eſt iſte creditor noſter: pænaliter oblita es, tui, ſi putes eum oblitum debiti ſui. Nihil obliviſcitur tempore, nihil occupatione, æquè recolit & quod hodie pręſtat, & quod heri præſtitit, quoniam hodie ſuum eſt & heri. Abeunt dies & dies, anni & anni; ſed mille dies, *& mille anni ante oculos ſuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit.* Nunquid ergo non numerabit quantùm tibi præſtiterit, qui ſolus dinumerat arenam maris & pluviæ guttas & dies ſeculi? Nunquid non dividet in minutias talenta tua, qui diviſit aquas ab aquis in ſapientia ſua? Fortaſſis autem trahes in ius creditorem tuum dum repetet à te commodatum ſuum! intellige quæ dico. Bonus cauſidicus eſt qui tecum rationem poſiturus eſt. Coram Angelis referet, veritati deferet, terribilia proferet, horribilia inferet. Sed dicis mihi, idem offenſus clementiam promittit, punire prætermittit, pœnitentem admittit, minas remittit, debita dimittit, ampliora committit. Ita eſt, inquam; confiteor: *miſericordia Domini plena eſt terra*: cæterùm plures eam ſibi infructuosè occupantur, qui (licet abiurato benè agendi ſtudio) Deum tamen quem merentur Iudicem, ſperant miſericordem: quaſi, eum invenire propitium merces ſit iniquitatis, quod credimus eſſe religionis. Verùm, non eſt ita: neque enim miſericordiam Dei lucrantur mali, quam ſibi etiam timidè pollicentur boni. In ea ſperare, ſaluberrimum eſt conſilium, ſed de ea totum pendere, periculoſum eſt refugium. Oportet enim iudicem mitigent aliqua bona, ſi volumus miſericorditer iudicari multa mala. Proxima eſt veniæ cauſa, non tota rea. Virtus quæ cum delicto ad Iudicium venit, intervenit. Hi verò iudicem ſentiunt expertem miſericordiæ, qui ſe, peccando, faciunt expertes iuſtitiæ. Quis igitur aget pro te, ſi ille, quod abſit, perorabit adverſus te, & averſus ait: *Grave eſt incedere in manus Dei viventis.* Vale, atque deliciis, pro regina, utere, non pro te.

Dei munera, damno ſunt otioſis poſſeſſoribus.

Deus creditor durus eſt.

EPISTOLA XVI.

*Aurea Candelabra Epiſcopo dono miſerat M. Regina Anglorum: Epiſcopus, quantùm poteſt, donum verbis commendat, & quos ex eo myſticos intellectus didicerit, exponit. Humilis Cænomanorum ſacerdos * I. M. Venerabili Anglorum Regina, gloria & honore digniſſimæ, ſalutem & orationum inſtantiam.*

* Lege ſic; Hildebertus, Mathildi, &c.

DIfficile eſt diſcretè ſemper ac providè beneficia collocari. Neſciunt hanc excelſæ poteſtates providentiam, quas pulchrum eſt benefacere, vel indignis. Talem ergo apud te munificentiam expertus, benedictionem tuam gratiarum proſequor actione, ſtupefactus pariter & gloria muneris & affectu tribuentis. Munus enim tuum plurimùm commendationis ex ſe ipſo promeretur, utpote ambitioſum materia, præclarum celatura: eius tamen pretium mittentis maieſtate cumulatur, minuſque eſt quod ars ei contulit aut natura, quàm quod habet ex regina. Quòd ſi nec pondere nec ingenio placeret artificis, non aliter tamen illud amplecterer quàm ſuperi vel thura vel pinguium libamina victimarum. Illi ſiquidem, non hoſtiam, ſed affectum conſiderant: eorumque gratiam, devotio, non impenſa, promeretur. Purus & integer animus eos quocumque vult, inclinat: nec minus quadrante quàm talento, cœleſtem mitigat indignationem. Sic & apud me, tuum donum tuus animus commendat, ſic magnificat, ſic illuſtrat. Ipſum benè quidem rutilat auro ſuo, ſed meliùs, animo tuo: animo cui beneficium placuit, cui innata eſt, non ſuggeſta, voluntas largiendi. Animo (inquam) tuo qui ex animo voluit, qui citò præſtitit, à quo improvidus accepi: non importunus extorſi. Porrò ex hoc etiam manifeſtum eſt, quàm devota dominicis interes ſacramentis: quibus quia miniſtrare non poteſt fœmina, provides inſtrumenta. Imitaris quantum licet ſanctas mulieres illas quæ priùs ad Crucem cum lachrymis, deinc ad monumentum cum aromatibus acceſſerunt. Illæ nimirum pro ſuccenſæ deſiderio, quibus potuere ſtudiis, & Crucifixo compaſſæ ſunt, & obſequutæ tumulato. Tu quoque præſens es cùm Chriſtus immolatur, cùm traditur ſepulturæ, neutrumque ſine tuo celebratur obſequio, cùm ibi luminaria præparas ubi luminis adeſſe autorem & corde credimus & ore confitemur. Nec refert utrum diſſimile ſit obſequium, quod ſimili frequentatur affectu. ſunt autem duo, quæ (niſi fallor) Epiſcopo ſuggerere decreviſti: tui ſcilicet memoria, debitique recordatio paſtoralis: unde velut quoddam commonitorium, candelabra mihi miſſa intelligo, quibus coram poſitis, & doctrinæ lumen gerere; & pro te reminiſceret ſupplicare. Eorum præſentia ſuccurrit, & excitat ſpiritum meum, ſecretis exigens hortatibus, ut dum utor beneficio, proficiam exemplo. Occultè quidem, ſed acutè ſatis iubeor attendere cuius ſim baiulus luminis; quibus divina dicant eloquia: *vos eſtis lux mundi: Et, non abſcondunt lucernam, nec ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Amplector tuam, filia Chriſti exhortationem, quæ ſi defuit intentioni, ſi dediſti ſimpliciter, ſic tamen muneris accipio ſamplatum, ne contemnam documentum. Licet undecunque proficere ac doceri. Omnia ferè myſticos offerunt intellectus; & facilè eſt ex qualibet re morum figurare venuſtatem. Nihil ita creatum eſt pro ſe, * nihil ita ſimplex cui non ſit aliquid unde doceamur vel cavere noxia, vel ſalutaria providere. De tua verò memoria quid loquar; quæ meum pectus altiùs irrupit, latiùs occupavit? ſtabilis poſſidet, viventi convivet. Convivet ea mihi: convivet, inquam, frequentiſſima, futura frequentior quotiens ad altare Domini peccator aſtabo, ſed ſacerdos. Ibi pro te, regina venerabilis; ibi pro tuis & candelabra agent obſequio, & Pontifex monimento. Vale.

Marc.

* Alij, per ſe & fortè paulò meliùs.

EPISTOLA XVII.

*Eſt eiuſdem Argumenti cum 7. & ſcripta ad eundem Presbyterum, aut fortaſſe ad ipſummet Galterum * de Duncampo: non iniuria tamen conіici poteſt ex epiſtola illius ſeptima initio, hanc priorem, illam poſteriorem ſcriptam eſſe: iſtic enim,* iterare clamorem, *inquit,* iniuria continuata nos compellit, *&c.*

* Clincampo.

SI fides auctoritati non ſubtrahitur, coniugium fit conſenſu voluntatis non commercio permixtionis.

Vnde

A Vnde Ambroſius ad virginitatis exhortationem : *Non defloratio*, inquit *virginitatis facit coniugium, ſed pactio coniugalis.* Idem : *cùm puella coniungitur, coniugium eſt, non, cùm viri commixtione cognoſcitur.* Hæc ſi diligentiùs (ut potuit) attendiſſes; profectò non iniret puella cum viro coniugium, cuius fratri ſolennes eam nuptiæ copulaverant atque conſenſus inierat; quamvis ſecreta matrimonij mors inopina præciderit. Inter quos enim tale contrahitur matrimonium; nequaquàm tolerantur diſpenſatione Eccleſiæ, ſed iuſtitiæ cenſura puniuntur. De talibus, hæc in Concilio Tyburienſi reperies; Cap. 10. Quidam deſponſavit uxorem cum qua coire non potuit : illam frater eius clàm corrupit, & gravidam reddidit : decretum eſt ut quamvis nupta eſſe non poterit legitimo viro; deſponſatam tamen fratri frater habere non poſſit, ſed mœchus & mœcha fornicationis quidem vindictam ſuſtineant, licita verò eis coniugia non negentur. Ex abundanti itaque fuit, ad contactum calidi ferri præfatam deducere puellam, tanquàm tali probaturam examine cum priore viro nulla ſe coeundi miſcuiſſe conſortia. Etenim fruſtra lex adducitur quæ ad urgentis cauſæ deciſionem minimè ſuffragatur.

B

EPISTOLA XVIII.

Canonici B. Martini apud Turonenſes, dum privilegia ſua tueri volunt, aliquid peccaverant : ignorantia id factum excuſat Epiſcopus, & veniam à S. P. illorum nomine precatur.

NOn paucis declaratur privilegiis quantum Eccleſiæ beati Martini, Romani detulerint Pontifices; quantamque providerint libertatem. Quam dum præfatæ Eccleſiæ Canonici ſalva reverentia veſtra tueri niterentur, fortaſſe prolapſi ſunt; ſuamque dignitatem quærentes obtinere, derogaverunt alienæ. Eorum tranſgreſſionem, ſanctiſſime Pater, non purgo, non excuſo, non minuo; quibus vel levis error ad iudicium cedit, ſi Romam offendit. Cæterùm generaliter omnibus ex charitate debemus, ut ſupplicemus ad veniam ſi frater declinet ad culpam. Charitas igitur nos compulit ad oſtium pulſare miſericordiæ, atque, pro fratribus interpellare apud Petrum, qui ſeptuagies ſepties dimittere præcipitur ſi totiens in eum delinquatur. Sicut autem prædicti teſtantur Canonici, nihil adverſus Apoſtolicam præſumptum eſt maieſtatem, nihil quod autenticis non purgetur privilegiis, quæ ſi vel autoritate conferentium, vel proceſſu temporis ſtabilitatem meruerunt, rogamus ne mater filiæ ſubtrahat gratiam quam contulit ad quietem : neque enim dignitatem minuit Apoſtoli libertas impenſa Confeſſori. Nec nos ita Martinum venerari quærimus, ut Petrum conculcemus. Si verò prædicta minùs ſe defendunt privilegia, pateat pater filiis, & indulgeat ex miſericordia quod admiſſum eſt ex ignorantia. Conſervet nobis Dominus ſanctitatem veſtram, & præparent nobis orationes veſtræ viam qua proſpero eventu liminibus Apoſtolorum præſentari mereamur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

C

D

EPISTOLA XIX.

Invitatus Epiſcopus ad Concilium, excuſat, tyrannide Conſulum Cænomanenſium ita ſævitum eſſe in pauperũ facultates & ſacerdotum reverentiam, ut prope omnia evanuerint in favillas: quodque ipſe citatus ad ſubeundum in Anglia iudicium, quòd Eccleſia turres, petente Rege, deiicere noluiſſet, cogatur ad auxilium & conſilium R. P. confugere : huic verò profectioni vix illi ſumptus ſuppetant.

E

SIcut frequens tribulationum concurſus ſacris nos invitat Conciliis, ſic idẽ revocat & abducit : adverſa etenim quæ turbam querimoniarum nobis offerunt, ita noſtram contrivere facultatem, ut unicum ſuperſit ſolatium, uſus ipſe patiendi. Ea profectò ante peractum cœpere triennium, quod totum, continuis evolutum lamentis, recens vulnus in vulnera quotidiè fatigavit. Denique tam modico tempore, ſex in urbe ſuſtinuimus Conſules, quorum nullus pacificum prætendens ingreſſum, gladiis & igne curam ſibi vindicavit poteſtatem: Plebe coacta in favorem, tyrannũ ſuſcepit ex neceſſitate, non ducem ex Lege : in ſuſceptum ſtudia ſimulavit, non exhibuit : Fidem reperit in ea, quia ſuperior. Conſul verò tantò graviùs dominatus eſt, quantò breviùs. Miles eius ſimulatis uſus iniuriis, eos ſcelerum indicavit expertes, quos rerum. Et quia non parcit populis regnum breve, finem rapinis inopia poſuit, non voluntas. Ea clades uſque ad Sanctuarium Domini pervagata eſt : & primò quicquid extra muros noſtræ fuerat poteſtatis, vel evanuit in favillas, vel diſſipatum eſt in rapinam : Deinde ſimilibus ceciderẽ præiudiciis Epiſcopales domus & Eccleſiæ non paucæ In reliquis quibus ignis pepercit, æquè periclitata eſt & facultas pauperum, & reverentia ſacerdotum. Omnia confracta ſunt, omnia direpta, omnia contaminata ! Nihil eorum manus evaſit qui gratis ad flagitia diſcurrunt, ad honeſtum, nec pretio. Eiſdem Clerus iniuriis affectus, ſummam rerum affluentiam iudicat, ſolari naturam : ad neceſſaria votum reſtringit, omnibus indigens. Illius anguſtiæ ſuper dolorem noſtrorum vulnerum addiderunt : graviuſque confundimur quòd eorum relevare non poſſumus inopiam, quàm quòd nemo vult, noſtram. Præterea longum eſt enarrare, quàm conſtanti tyrannide Rex Anglicus in nos ſevierit, qui (temperantia Regis abiecta) decreverit non priùs Pontifici parendum, quàm Pontificem compelleret in ſacrilegium, quia etenim turres Eccleſiæ noſtræ deiicere noluimus, tranſmarinis ſubiiciendi iudiciis, coacti ſumus iniurias pelagi ſuſtinere : ſingularem ſcilicet moleſtiam itineris, atque unicam totius humanæ compaginis diſſolutionem. Tantis igitur his agitati turbinibus, ad Apoſtolorum limina decrevimus proficiſci, magnum novæ tribulationis arbitrati remedium, ſi Romanus Pontifex nobis & conſilio ſubvenerit, & auxilio. Suſcipite igitur noſtram, benevoli, excuſationem, diligenter attendentes, noſtros ſumptus, itineris expenſæ pariterque Concilij ſufficere non poſſe, qua de reliquiis incendiorum (tanquàm tabula de naufragio) extracti, defectum nobis in via pollicentur. Vale.

Conſules Cœnomanenſium tyrannis.

Regnum breve non parcit populis.

F

Eccleſia Cœnomanẽſis à militibus expilata.

Militum elegans periphraſis.

G

Epiſcopus à Rege afflictum, ad P. M. confugit

EPISTOLA XX.

Mulieri quidem ſcribit, at cuinam, neſcio : planetam verò qua eget, petit dono.

ATritæ frontis eſt egeſtas, nihil pudet dummodo vivat. Egeſtas & ad crimen urget, & intercedit ad veniam. Ignoſces igitur ſi quid, ea urgente, ſupra meritum poſtulabo. Doces me ſperare maiora meritis quæ meritis maiora largiri non deſiſtis. Si quæris, quid aut qua poſtulem fiducia; planeta indigeo, eam mihi promiſiſti : ſicut arbitror non deſeres promiſſum, quæ etiam non promiſſa feſtinas erogare.

H

EPISTOLA XXI.

Fiducia charitatis (cuius laudes ut breviter ita eleganter perſtringit) petit à quodam Anglo Pontifice, ut quæ in Barenſi Concilio diſputavit contra Græcos de proceſſione Spiritus ſancti à Filio, ad illum mittat.

FAmiliare eſt ſapienti tolerare neſcientem. Hinc eſt quod ſcientiam meam aperire non timui,

A quia erat cum ſapiente colloquium. Eam, niſi fallor, & ſcientia veſtra erudiet, & charitas ſupportabit. Fœlicem me, inquam, ſi meruiſſem vel præſens inſtrui, vel tanquam familiaris, epiſtolam ſuſcipere deſtinatam. Hoc autem invidet mihi locus, nec aliter ſalutationis indulſit obſequia, niſi prius orbis dimidium conſultarem. Oportet enim maris & aeris explorare clementiam, ſiquidem iudicamus in Anglia ſalutandum. Cæterum incommoda ſeparationis, charitatis copula ſupplentur; quæ neminem patitur eſſe nobis abſentem, neminem non familiarem. Ea nihil eſt diffuſius; par enim latitudo eſt & charitatis & mundi. Charitas amplectitur quicquid Oceanus; Charitas in ſacrario dilectionis & amicum colligit in Deum, & inimicum propter Deum. Eadem, diligere non deſinit, cùm diligi deſinitur. Omnes habet præſentes, omnes affines: quibus non poteſt obſequio, ſubvenit affectu.

Charitatis deſ. elementis. Charitatis à rē publicā fecit, cœlum & terram.

B Abſit igitur ut publicum charitatis beneficium, maris mihi fluctibus auferatur, cùm ſcriptum ſit; *aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Facile enim eſt ut diverſi littoris cultores charitas uniat, quæ unam Rempublicam, terram fecit & cœlum. Huius itaque fiducia, iniecta eſt mihi præſumptio inquirendi atque poſtulandi id quod impenſum, non minuet erogantem. Si votorum ſumma quæritur, ſequens illam pagina declarat. Appulſorum relationibus didici vos in Concilio Barenſi *a* ſermonem habuiſſe de Spiritu ſancto; quem calumnioſa Græcorum verſutia à Filio minimè procedere fabulatur: quòd igitur adverſus hanc illorum dementiam in præfato promulgaſtis Concilio; ſuccincto tractatu, deprecor annotari. Et quia ipſi Latinorum Patrum teſtimonia non ſuſcipiunt; his auctoritatibus, opus flagitatum munire non tædebit: quas Græca calliditas, & ſuas fateatur & noſtras. Magna quidem, Beate Pater, poſtulo; ſed quæ pariter & ſuſcipienti proficiant, & danti. Nobilis enim poſſeſſio eſt ſcientia; quæ diſtributa ſuſcipit incrementum,
C & avarum dedignata poſſeſſorem, niſi publicetur, elabitur. Conſervet nobis Dominus ſanctitatem veſtram, & videant vos oculi mei antequàm moriar.

a In Concilio Barenſi. *In Concilio Barenſi* (*Chronologis omnibus, & Eccleſiaſticarum rerum ſcriptoribus hactenus, quod ſciam, inaudito*) *Sancti Hildeberti ætate Vrbano* II. *Pontifici Maximo contra Græcos adfuiſſe S. Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, rationabilique & Catholica diſputatione Græcos de Spiritus S. proceſſione confutaſſe: ipſi verò P. maximo, ad eam diſputationem, multum roboris contuliſſe Librum illius de Incarnatione Verbi, vide apud Edmerum, lib.* 2. *de vita B. Anſelmi: ac proinde ſuſpicor eum eſſe ad quem hæc Epiſtola ſcripta ſit.*

EPISTOLA XXII.

Agit gratias eidem Epiſcopo ob miſſum ad ſe illum de Spiritus ſancti proceſſione Tractatum.

D ET dies lætus & vultus ſolemnes cum tuo Tractatu mihi pariter acceſſerunt. Suſceperam priùs benedictionem tuam ego ſervus tuus, & egi gratias Domino, & tibi devotus effectus eſt affectus meus. Humanum quidem fuit ſubvenire proximo per compaſſionis affectum: ſed divinum, fidem defendere Catholicam per inhabitantem in te Spiritum ſanctum: utrumque autem operatus eſt unus atque idem Spiritus volens tibi virtutum exuberare gratiam, quem ſuæ proceſſionis à Filio defenſorem, reſervabat. *In malevolam* enim *animam non poterat introire ſapientia, nec habitare in corpore ſubdito peccatis.* (*Sap.* 1.) Vnde dignum fuit, ut advocatus veritatis, exemplum prætenderet religionis. Talis præterea paſtoralibus excubiis congruebat, cui nihil deeſſet ad plenitudinem iuſtitiæ, nihil ad integritatem doctrinæ. Beatum ſanè pectus quod virtutum conventus, reverendum ſibi penetrale conſecravit. E Inde velut ex adytis divina prodeunt oracula, nihilque aliud ſacra verba profitentur quàm cæleſtis interpretem voluntatis. Eorum me ſæpiùs recordantem, opprimit ſtupor; & dum ſingula diligenter intueor, omnia Spiritui ſancto confiteor aſcribenda, cum Pſalmiſta dicens: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* (*Pſ.* 117.) Vicem mihi, Pater ſancte, rependes, ſi tuarum me participem feceris orationum. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Deprecatoria eſt epiſtola ad Abbatem quendam pro G. Monacho, qui eius conſilio & ſuaſu ad Conventum redierat. Petit itaque ut eum ſuſcipiat in pace, & aſperitatem Legis molliat virtute pietatis.

F CONfrater & filius veſter G. exiit in regionem longinquam; ubi eum ſine monacho inventum, ad Conventum monui redire monachorum. Credidit ergo mihi; & priùs ad ſe, dehinc ad Monaſterium reverſus eſt. Vnde oportet & te, fili mi, gaudere, *quia frater tuus mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus eſt.* (*Luc.* 15.) Priùs autem quàm recederet à me, deprecatoriam ſuſcipit epiſtolam ad te: ad quam cùm oculos inclinaris, an animum quoque ad miſericordiam inclines. Miſericordia ſpecioſum eſt humanæ naturæ ornamentum; cuius expers, malè degenerat & hominem diffitetur: unde, & neſcire miſereri cum feris eſt habere commercium. Sed abſit ut renuncies homini; & manſuetudine proiecta, in animal ſilveſtre declines. Totus enim hominem redoles, cumque geris ſicut opus naturæ ſic etiam exemplum doctrinæ. Suſcipe igitur filium tuum in pace, quia tuæ ſollicitudinis eſt aſperitatem Legis, virtute mollire pietatis. Vale.

Sine Monacho conventus Monachus, pro indiſciplinato & errone.

Miſericordiæ laus.

G

EPISTOLA XXIV.

Sanctiſſimo cuidam Abbati fatetur debere ſe eius precibus quòd dum Roma rediret, pericula effugit maxima; & iam dudum paratum fuiſſe; eius ſinum ut aram complecti, ſi ab eo conſultus Papa, Pontificis onus à ſe amoliri ei permiſiſſet.

MAximum duco atque habeo quòd mihi veſtræ ſacrarium familiaritatis aperuiſtis. In eo ſuſceptus multis & magnis expertus ſum periculis, quantum valet deprecatio iuſti aſſidua. Huic & ſoli debeo quod inſidias mihi Roma redeunti diſpoſitas intactus pertranſij; quòd ingentes & urgentes maris procellas illæſus evaſi, quòd non incidi in barbaros pyratas larvali forma deformes, ferina crudelitate hominem diffitentes; H ſuper omnia etiam gaudentes, nulla ſe cum Chriſtianis habere conſortia. Ij Catholicæ religionis expertes & hoſtes, in Inſulam beatiſſimi Honorati, ſacratiſſimo die Pentecoſtes, in multis navibus delati ſunt. Ibi, ad fundamentum Monaſterio penitus everſo, plurimi monachorum gladio percuſſi ceciderunt: reliquis, & latibulis & turre proxima conſultum. Eadem die de præfata Inſula fœlix me ventus expulerat; & ita ipſis pene leonum faucibus evulſus, auſpicato curſu Magalonam navigavi. Hæc ideò, ſanctiſſime Pater, oppoſui; ne quis ignoret, quantis oratione veſtra periculis ereptum me confitear. Habeo igitur atque ago veſtræ gratias religioni; cuius ſinum (quaſi reus aram) iam dudum complexus eſſem, ſi conſultus Papa Pontificis onus amoliri permiſiſſet. Ille dum me remiſit ad laborem, invidit gloriam, non imputet ei Dominus. Interim in umbra alarum tuarum ſperabo, donec educar de lacu miſeriæ, & de luto

Pyratarum barbaries.

Hildebertus Pontificatum abdicare voluit.

A

fæcis ; atque dicam, ecce venio ut faciam voluntatem tuam Deus meus. De cætero ; redundantis operæ eſt, ſuper Andegavenſi Epiſcopo (tyrone ſcilicet beati Benedicti) vos rogare ; cuius affectus & ſingularis eſt in univerſis, & univerſus in ſingulis. Vale.

EPISTOLA XXV.

Comitiſſam quandam laudat ob clementer & benè adminiſtratum, etiam abſente marito, Principatum : quin & eam ad clementiam hortatur, & eius aliquot præſcribit capitula.

B

Bonorū copia, in fœmina, gratiæ eſt, non naturæ.

ABſentia mariti, laborioſior tibi cura Conſulatus incubuit. Eam tamen & fœmina ſic adminiſtras, & una ; ut nec viro nec precariis conſiliis neceſſe ſit adiuvari. Apud te eſt, quicquid ad regni gubernacula poſtulatur. Sanè tantus bonorum conventus in fœmina, gratiæ eſt non naturæ. Gratia Dei prædicandos tibi titulos cumulavit ; quibus & ſexui eſſes ad gloriam, & poteſtatem temperares. Defers enim fœminæ, dum colis in pulchritudine caſtitatem: Comitiſſam reprimis, dum ſervas in poteſtate clementiam. Illa tibi virum conciliat, hæc populum: inde nomen adquiris, hinc favorem. Vtrumque bonum, per ſe quidem ſatis inſigne eſt atque conſpicuum, nec linguæ ſupplicat alienæ. Cæterùm clementiæ plurimùm laudis accedit, quia pluribus prodeſt. Quippe formoſa pudica, ſibi providet : mitis autem principatus, regnum ſervat incolume. Huius profectò virtutis locus eſt apud potentes, qui iure parentum, vel vi, vel electionis beneficio cæteris principantur : apud populum verò non ita ; cui nulla eſt poteſtas puniendi. Ipſe autem ex alto crudelitatem deteſtatur, adorat clementiam, quorum alterum feris, alterum hominibus natura docuit aſſignandum. Ea ſanxit oportere homines manſueſcere clementia, timeri feras crudelitate. Igitur crudelem eſſe, cum feris eſt habere commercium, & hominem diffiteri. Prætereà ſummum eſt hominis, ratio; qua cætera ſupergreditur animantia, Deo autem cedit: at rationi nullum penitus eſt cum crudelitate conſortium. Illa cum Deo & cum ſapientibus divinam pepigit manſionem, hæc ad infima & ſanguine gaudentia demigravit. Quæ igitur ſocietas homini ad crudelitatem, cuius Lares ratio tam ſupernè deſpicit, tam longè relinquit, tam conſtanter abiurat, tam penitùs ignorat? Aliud habet illa contubernium, atque aliis cohabitatoribus conſtipatur, inter quos clementia non ultimum poſſidet locum ; quæ, ſicut humanitati nihil eſt affinius, ita nihil glorioſius in principe. Ea rationem, quaſi pediſſequa matrem familias comitetur oportet, cuius arbitrio ſeveras Poteſtates emolliat, mitiores animos adiuvet, reis parcat. Omnibus enim virtutibus ratio præſidet, omnibus fines ordinat, omnibus ſuorum tempora denuntiat officiorum. De clementia quoque, compendioſa Principibus capitula vigilavit : In quibus ideò brevitatem dilexit non obſcuram, ut magnis occupatos, legere non tæderet. Ea igitur pro te, & ad te ſuſcepta, ſuſcipe ; atque recordare quæ dudum didiceris ex te & per te: pauca ea ſunt. Clementiæ eſt, aliquid ultrici detrahere ſententiæ : Nam quiſquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit. Culpa eſt, totam perſequi culpam. Immiſericordem ſe confitetur, cui quicquid licet, iubet. Item, glorioſa virtus eſt in Principe, extrà punire quàm liceat. Virtus eſt, ad vindictam neceſſitate trahi, non voluntate venire. Magnum quid & divinum ſapit, offenſus, clemens. Item bonus Princeps neminem ſine pœna punit ; neminem ſine dolore proſcribit. Bonus princeps ita crimen inſequitur, ut quem punit hominem, reminiſcatur. Item ; bonus Princeps ſibi dominatur, populo ſervit, nullius ſanguinem contemnit. Inimici eſt, ſed eius qui amicus fieri poteſt; nocentis, ſed hominis, cuiuſcunque ſit; quia non potuit dare crimen, putat auferre : ideò quotiens funditur, confunditur. Sufficiunt hæc animo docili & amanti diſciplinam. Ex quibus diligentiores facilè percipient quantùm hæc crudelitas obſit, vel proſit clementia Poteſtati. Vale.

Clemētiæ & pudicitiæ laus & cōparatio in Principe fœmina.

Crudelitatis & clementiæ comparatio.

C

Ratio, virtutū omnium moderatrix eſt.

D

E

EPISTOLA XXVI.

Petit ab eadem Comitiſſa ut quemadmodum Epiſcopo Carnotenſi ad Concilium profecturo providerat de conductu, eiuſdem gratiæ beneficium illi communicet.

ABſentia mariti, laborioſior tibi cura Conſulatus incubuit. Ea non magis animo quàm corpore, ad diverſa te demigrare compellit. Incertus igitur ubi locorum te invenirem, certus autem quod honeſtatis obſequia ubique invenirem apud te ; domi reſidens, ad dominam litteras dedi, quarum ſumma hæc eſt. Epiſcopo Carnotenſi conductum, ſicut fertur, providiſti ad Concilium profecturo: quod ſi ita eſt, præfatæ gratiæ beneficium mihi communices, exoro. Symmachus dixit : ex uſu venit ut opem deſiderantes ad ſuffragia probata confugiant : ea propter ad tuum patrocinium tranſvolavi, quæ tota ſupra fœminam & exēplum es virtutis & inſtrumentum. Vivunt vitæ bonæ boni ſeculi reliquiæ ; per quam & ſexus reſpirat ad gloriam, & genus elabentem retinet dignitatem. Argueret mendacij, niſi cuiuſque optimi iudicium, mecum in hoc conſentiret. Vale.

F

G

EPISTOLA XXVII.

Pollicetur amico, ſe in eius gratiam (quod anteà non rogatus ſæpius fecerat) quendam in vinculis conſtitutum, viſitaturum in benedictionibus, officiis, & beneficiis.

PRæter officium eſt, quouſque rogemur, oppreſſis differre ſubſidium : hac enim celeritate præſtanda ſunt beneficia, ut ea potiùs accipiat improvidus, quàm importunus extorqueat. Vnde expectatas preces antevenire decrevi, ne ſi rogatus ſubvenirem, ſerò ſubveniſſe iudicarer. Veſter hic vinculatus non tacebit, cui ſpontaneus & hilaris ad omnem me obtuli humanitatem. Illum ſæpius in benedictionibus viſitavi, diligenter omnia proſecutus quibus vel carcerales anguſtiæ, vel inopiæ relevari potuerunt. Sed ne nihil pro eo veſtræ preces efficiant, eadem frequentiùs iterabo. Vale.

Amicitiæ quæſita vis.

H

EPISTOLA XXVIII.

Gratulatur amico fœlicem ab Vrbe reditum ; ſeque illi & animo & oratione adfuiſſe ait.

ET vultus tuus & reditus diem hilaravit mihi. Fortaſſis ignoras; ſed tecum fui Romæ, tecum nivium ſum perpeſſus iniurias, tecum montes vel lubricos glacie vel ſcopulis exaſperatos. Vniverſa tecum pertuli, quæ dolui dum perferres. Hæc enim eſt inter amicos animorum concordia; ut nihil ab altero ſit alienum, nihil alteri ſingulare : omnia facit eis unam rempublicam voluntas tua. His amicitiæ legibus actum noveris, ut memoria reverterer ad te, compaſſione eſſem iuxta te, orationibus agerem pro te. Audivit igitur & exaudivit Dominus Deus clamorem cordis mei, quoniam & tu cum ſalutari obſequio ad Eccleſiam, & cum ſalute reverſus es ad amicos.

A

EPISTOLA XXIX.

Petiis ab amico ut faciat illum certiorem, læta an triſtia ſint quæ literis Apoſtolicis ad eum ſcripta ſunt.

AD nos uſque decurrit, Apoſtolicam te paginam ſuſcepiſſe; quæ, ſi tibi mœroris aut lætitiæ calicem miniſtravit, unus eram cui primò poſt te fuerat propinandum. In omni fortuna, prudenter ad amicum feſtinatur: bonam etenim, communicata facit lætitia, gratia gratiorem, adverſa verò magnum ſuſcipit ex amici ſolatio remedium. Hoc ſanè vitium meum nec exuere ipſe poſſum, nec fateri erubeſco. Omnia tam ſecurè cum amico loquor quàm mecum plenus ſum rimarum; effluit quicquid præter aut propter voluntatem fortunæ variat audacia. Verùm hæc miſſa facio. Ne diſſimules; volo ſcire quid Apoſtolica te monumenta dòcuerunt. Quidquid illud ſit, iteratum gratiùs audietur. Redimes igitur accuſati culpam ſilentij, ſi ea quæ poſtulo tuarum mihi recurſus oſtendit literarum. Vale.

B

EPISTOLA XXX.

Arguit Sacrificem quendam (ſic enim Sacerdotem appellat) quòd nimiùm ſevera quæſtione animadverterit in quendam furti ſuſpectum; neque enim id decere Sacerdotem.

C

Reos torquere, Eccleſiæ diſciplinæ nõ eſt.

REos tormentis afficere, vel ſuppliciis extorquere confeſſionem; cenſura Curiæ eſt, non Eccleſiæ diſciplina. Vnde & ab eius animadverſione abſtinere debuiſti, quem pecuniam tuam furto ſuſpicaris abſportaſſe: neque enim carnifex es, ſed ſacrifex; pro reis quidem, ſed non reos immolare conſtitutus. In veris etiam iniuriis decuit hæc manſuetudo Sacerdotem; ut habentem malles impunitum abſcedere, quàm pro incerto certis ſuppliciis debacchari. Vnde Auguſtinus ad Macedonium. * *Aliquando*, inquit, *miſericordes & in ipſo dubio nolunt homini pro incerta pecunia certa inferre ſupplicia. Ad hanc miſericordiam etiam nos provocare & exhortari decet, meliùs enim etiam ſi habes amittis; quàm ſi non habet, aut excrucias aut occidis.* Abhorreas itaque, reum cruciatibus & morti tradere (tu qui dici Chriſtianus vis) pro quo Chriſtus Dominus cruci traditus eſt & morti: aut ſi tam carnaliter pecuniam ſuſpiras amiſſam; qualiter eam repetere te oporteat, ad eundem Macedonium ſic Auguſtinus oſtendit: *Nolentes reddere, quos novimus & malè abſtuliſſe & unde reddant habere; arguimus increpamus, deteſtamur, quoſdam, clam; quoſdam, palàm; ſicut diverſitas perſonarum, diverſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad maiorem inſaniam concitari.* Vale.

* Ep. 54. quomodò ſit intercedẽdum pro reis.

D

EPISTOLA XXXI.

Nobilis quædam vidua ſeculo renuntiaverat: hanc initio miratur & laudat; deinde hortatur ut ad illam, qua vitam hanc inſtituit, prudentiam; adiungat temperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam: Ante omnia verò fugiat ſuperbiam, quæ virtutum dilapidatio maxima eſt; Humilitatem verò ſectetur.

COnfidimus in Domino Ieſu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti. Vnde enim deliciarum contemptus in fœmina? unde luxus oblivio, niſi ex illo qui dixit; *ſine me nihil poteſtis facere?* Nunquid non *eduxit te de lacu miſeriæ & de luto fæcis*, qui eduxit vinctos de lacu in quo non eſt aqua? aut mutatio iſta, nonne *mutatio eſt dexteræ excelſi.* Filia ſeculi, facta es filia Dei: nec ceſſerunt ad interitum quæ conceſſa ſunt ad uſum. Porrò, viro qualem tibi tu ipſa depingeres; Lege nupſiſti. Suſcepta ex eo proles; futuræ virtutis auſpiciis univerſas matrimonij mitigavit anguſtias. Acceſſerunt ad hæc ſolennes cultus, & blanda ſervorum obſequia; quibus vel gloriam comparares, vel domeſtica res ordine tractaretur. Plebis etiam ſtudium ſic in te declinavit, ut ea inter ſucceſſus numeraret quidquid in tuum tranſiret obſequium. Præterea nihil eorum tibi defuit quæcunque iucundiora poterat excogitare fortuna benignior. Hi profectò laquei ſunt mortis; hæc animæ retia Chriſtianæ. Virtutum muros arietes huiuſmodi concutiunt; arcem deiiciunt rationis. Inde prædonibus infelices exponuntur animulæ, ſuæque libertatis expertes in Ægyptum perennis exulant ſervitutis. His uſus Pharao miniſtris, maſculos noſtros quotidie interficit, quotidie luto damnat & paleis. Sub eius iugo diu gemuit anima tua: ſed *in manu potenti & brachio excelſo* libera facta eſt, & dirupta ſunt omnia vincula ſua. Egreſſa es in libertatem gloriæ filiorum Dei, cui hoſtiam laudis & ſpiritum ſacrificas contribulatũ cum Pſalmiſta, dicens. *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Sanè prudẽs & diſpoſitiſſima electio, qua tranſitoriis æterna, vitiis virtutes, exilio patriam prætuliſti. De qua electione, quid Auguſtinus ad Macedonium dicat, audiamus. *Virtus*, inquit, *nihil aliud eſt quàm diligere quòd diligendum eſt:* Id eligere, prudentia eſt; nullis inde averti moleſtiis, fortitudo eſt; nullis illecebris temperantia eſt; nulla ſuperbia, iuſtitia eſt. Porrò paucis tibi oſtenſa eſt vitæ perfectio Chriſtianæ, hæc eſt ea quadriga, qua non habentes hic *manentem civitatem, futuram* inquirunt. Beatus quidem currus, quo Theſbites Helias evectus in cœlum, mortem diſtulit, non evaſit. Hic autem multò beatior, quẽ qui aſcenderit, mortem non guſtabit in æternum. Ad illum quoque igneum niſi priùs hunc aſcenderet, Propheta non veniret. Huius tam ſalutaris vehiculi prima tibi præparata eſt rota, quæ ſanctarum teſtimonio Scripturarum Prudentia nuncupatur. Prudentia fuit, qua diligenda antè dilexiſti, & à noxiis utilia ſeparaſti. Prudentia, inquam, fuit, qua elegiſti iuxtà Pſalmiſtam, abiecta *eſſe in Domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Scimus autem pleroſque virtutẽ profeſſos, adverſitatum defeciſſe incurſu. Sitiebat in deſerto Iſraël, & ſitis moleſtias impatienter ſuſtinebat. Vnde & adverſus Moyſen murmuraſſe legitur; & malè locutus de Deo, dixiſſe: *nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Idem quoque inter hoſtium incurſus, inter iniurias itineris, ollas carnium deſiderat, ad pepones revertitur, Ægypticam optat ſervitutem. Sic pleroſque frangit adverſitas. Et ſicut ſcriptum eſt, invenies paucos, niſi ad nutum cuncta ſuppetant, qui non minimis quibúſque proſternantur. Quos dum paupertas urit, dum contemptus excruciat, dum ſublimes & ſplendidos aſpiciunt quos aut electione fecerunt hæredes aut Lege; ad faſtiditas revolant divitias, ademptam ſibi gloriam conqueruntur, ſuis invident. Et quod magnum ſuſceptæ religionis eſt diſpendium; dum modica ſuſpirant quæ reliquerunt, quanta pro relictis expectent nõ attendunt. Tales profectò, bona quæ diligenda ſunt inutiliter eligunt, dum prædictis exterriti procellis, ad non diligenda mente reducuntur. Adhibenda eſt igitur prudentiæ fortitudo, ut ad tenendum quod prudenter elegimus, inſurgentibus moleſtiis fortiſſimè reluctemur. Hac virtute, Paulus ſtimulo carnis & Angelo Sathanæ reſiſtebat. Hac in carceribus, hac in omnibus anguſtiis quas ad Corinthios enumerat, armabatur, cùm dicebat: *Quando enim infirmor, tunc fortior ſum & potens.* Eadem quoque David in adverſis innocentiam ſervavit, eadem perſequenti ſe, Sauli pepercit: eadem, audita morte filij ſui, conſolatus eſt & panem comedit. Ad

quam

E

Ionn. 15.
Pſal. 36.
Pſal. 46.

F

Pſ. 15.
Exod. 1.

Pſal. 115
Prudens electio.
Quid ſit virtus.

Heb. 13. 4
G

Pſal. 83.
Exod. 17

Pſal. 77.

Exod. 16
Num. 11
Pleroſq; frangit adverſitas.

H

Eccl. 16.
Paupertas Pœnitentiæ liberalitatẽ aliquando ex mittitur.

2. Cor. 12.
2. Cor. 11
23.

1. Reg. 26
2. Reg. 19

A

* C. Ger. livor in feſtet.

quam tu quoque confugias oportet, ſi acuatur adverſum te detrahentium ſtimulus linguarum, ſi contemplationis requiem murmur * infeſtet, ſi ſpontaneæ paupertatis libertatem incommoda commoveant, ſi ſtatum mentis contumeliæ perturbent. Adverſis enim uſque ad victoriam difficile reſiſtitur, niſi fortitudo prudentiæ copuletur: quibus invicem coniunctis, temperantia neceſſario ſupponitur virtutem ſervatura in proſperis, quæ ex fortitudine ſervata eſt in adverſis.

Voluptas & in cōceſſa virtuti maximè inimica eſt.

Virtuti nihil æquè noxium eſt, quam voluptatis admixtio in conceſſis. Negligenter cavetur hoſtis, cuius ingreſſus pacificus expectatur. Sic plerumque bonum corruit propoſitum, cùm mens minus illecebras adverſatur, cùm proſperitate reſolvitur, cum impenſam ſibi reverentiam diligit, cùm inſolutis inſoleſcit.

C. Germ. inſultis, forſitan melius, inſolutis.

B

Deut. 32 Exod. 32 1 Cor. 10 Ioan. 6.

Hoc luxu & lapſu receſſit à Deo dilectus Dei, dilectus de quo dicitur; *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit. Incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* De eodem quoque Apoſtolum ſic dixiſſe invenies: *ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Hanc ſanè virtutis everſionē Salvator noſter ad exemplum declinavit, cùm turbis eum regem ſtatuere volentibus, oblatæ ſibi dignitatis faſtigia recuſavit. Ne qua igitur oblectamenta fructum tibi religionis extorqueant, temperantiæ fines excedere formidabis.

Temperantiæ modus.

Temperantia plerumque infra licitum quieſcit, ultra nunquam progreditur. Ea ſi deſit, cæteræ virtutes vel decidunt à ſummo, vel non aſcendunt ad ſummum: Impetus enim eſt, non ratio, quicquid ſine temperantia profitemur. Temperantia metitur vires, & à medio non recedit: unde & nunc remiſſa intendit, nunc ardua moderatur, ſic ipſa virtutes perennat, & ad præmium uſque perducit. Profectò fabrica hæc, in præfato curru tertium ſibi locum defendit præparata adverſum luxus, & latrociniis occurſura voluptatum.

Paulatim ſuccidēda deliciarū cōſuetudo.

C

Hæc itaque paulatim tibi ſuccidenda eſt deliciarum conſuetudo; reiicienda obſequiorum ſedulitas; feſtivi cultus, & odores peregrini penitus dediſcendi: qui dum vel apud alios tibi, vel aliis apud te malè placerent, integritatem vulnerabant animarum.

Conſuetudinis vis eſt maxima.

Vſus ægrè dediſcitur. Ab eo autem præcipuè difficillimum eſt revelli, qui multo nos tempore tenuit, multa placuit voluptate. Ex quo (niſi fallor) bellum te gravius expectat, & hoſtis (quod abſit) ad victoriam paratior. Hoſtem (ſi neſcis) appello, frequentatas à cunis delicias, gratiam mariti, charitatem ſobolis, obſequiorum diligentiam, cæteráque omnia, quæ tibi lenocinio ſexus, aut licentia poteſtatis, aut faſtu generis acceſſerunt. Forſitan hæc relicta ſuſpirabis; tantò tenerius eorum recolens, quantò ea vel tempore tibi coæva ſunt, vel experientia gratiora. Vnde & Temperantiam vix conſueſces; ad quam vel præ conſuetudine difficultas eſt deſcendere, vel pro conditione dedignatio.

Tēpore dediſcuntur omnia.

Cæterū tempore dediſcuntur univerſa: nihil humano pectori ſic inhæret, ut tempore non evaneſcat. Tempore mater mœroris obliviſcitur, quæ in morte unici filij ſui ſolatia non admiſit. Tempore vulnus in cicatricem cohæret; & Quartanis plerumque profuerunt tempora, quibus non profuit medicina.

D

Dies adimit ægritudinem.

Contra Cōcupiſcentias quomodò ſit pugnandum.

Tu quoque te ipſam tempore deſueſces; & reſides concupiſcentiæ quæ ſimul expugnari non poſſunt, ſigillatim meliùs eludentur. Adverſus huiuſmodi latrunculos manumque ſicariam, ſic vigilare neceſſe eſt filiam Chriſti, ut non dormiat neque dormitet; ſic negligere cùm diſceſſerint, ut reditū formidet, ſic pugnare cùm redierint, ut de victoria non deſperet: *Fidelis* enim *Deus eſt, qui non patietur te tentari ſupra quod poſſis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum*, ut poſſis ipſam ſuſtinere. A primo enim heri uſque hodiè *reſpexit Deus in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum*. Parvus erat David, ſed in nomine Domini terribilem contrivit Philiſtæum. Iudith quoque cùm uſque ad deſperationem trepidarent ſacerdotes, Bethuliam liberavit in oratione & ieiunio.

Pſ. 120. 1. Cor. 10 Pſ. 101. 1. Reg. 17 Iud. 13.

Actum fortaſſe putas & plenam iactas victoriam, ſi nulla moleſta, ſi nulla læta propoſitum tibi religionis extorſerint: cæterùm male te decipis, & inanem ſomnias valetudinem, ſi nondum ſuperbiæ tumores humilitatis cataplaſmate ſubiderunt.

E

Superbia virtutes inficit.

Superbia totum virtutis corpus inficitur, vitale columen emarceſcit, formoſa quæque deformantur. Superbia, natione cœleſtis, ſublimes appetit mentes, & velut ad proprios ortus revolans, in gloriam & puritatem irrumpit hominum, quæ à gloria & puritate prorupit Angelorum. Ea priùs in cœlis, dehinc in terra triumphans, ſic angelis innata eſt, ut ab eis non recederet; ſic homines infecit, ut à Deo ſepararet. Et quaſi modicum profecit cum Angelum deiecit & hominem, adiecit Deum tentare pariter & hominem, ut quem videbat ſimilis conſortem naturæ, conſortē faceret & ruinæ.

Matth. 4.

Prima hæc & ultima pernicies, ante omnia vitia ſuperavit, poſt omnia ſuperatur. Nam & poſtquam fidelis anima de abyſſo vitiorum emergens, ſalutare virtutum culmen aſcendit, velut ex inſidiis proſilit & occurſat elatio, totum domus Domini ædificium concuſſura ad ruinam quod ſurrexerat ad conſummationem.

F

Quid enim pernicioſius iuſto; quam quòd iuſtus videri deſiderat? quod ad ſalutationes in foro hilareſcit & exultat; quòd adulatorio favore demulcetur, quòd penè hominem diffitens, æqualem ſe Superis metitur & mentitur? Qui dum malè gloriatur, & præſumit quod non eſt, in confuſionem proſternitur, & amittit quod eſt. Tantoque fit à Deo per parietem ſuperbiæ remotior, quanto ſibi videbatur per celſitudinem virtutum propinquior. Vnde & per Pſalmiſtam dicitur, *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.*

Pſal. 90.

Morum dilapidatio, eſt ſuperbia.

Vides igitur quanta morum dilapidatio ſit ſuperbia, quam neceſſaria in benè geſtis humilitas! Sine humilitate per prudentiam eligere quod diligendum eſt, erronea diſcretio eſt: adverſa per fortitudinem ſuperare, iacens victoria: illecebris per temperantiam reſiſtere, temulenta ſobrietas. Vnde & his quartam ſcilicet rotam neceſſe eſt coniungari, quam velut omnium complexione clauſuláque virtutum, in præfatis capitulis iuſtitiam Auguſtinus nominavit. Ea cæteris colligata totum ſtructuræ noſtræ corpus conſurget in currum, tu in cœlum.

G

Exod. 5.

Pſ. 67. 20 Luc. 15.

Currus iſte non currus Pharaonis, quem Dominus proiecit in mare, ſed currus, quo aſcendens in montem Sion, montem magnum & excelſum, montem ad quem *proſperum iter faciet tibi Deus ſalutarium noſtrorum.* Beatum ſanè vehiculum, quo perdita ovis ad gregem refertur, inventa dragma in theſaurum infertur, regina Auſtri ad Salomonem defertur, in amplexus David Berſabea transfertur.

3 Reg. 10 2. Reg. 11

Verè (inquam) beatum & omni prædicandum laude, quo poſt laborē venies ad denarium, poſt ventilationem pervenies ad horreum, de exilio reverteris in patriam, de ſervitute converteris in libertatem. Hæc ſunt illa quatuor flumina paradiſi, quibus terra cordis tui ſobriè debriata, ſuſceptum ſemen in ſpem meſſis emittit, & fructum affert in patientia. Hos quoque quatuor angulos illa B. Iob domus habuit, in qua ventus irruens ſeptem convivantes filios oppreſſit: quia etenim, iuxta Gregorium, per domum Iob, conſcientia noſtra intelligitur, per quatuor verò angulos, prudentia, fortitudo, temperantia, iuſtitia deſignatur, domus illa quatuor angulis ſubſiſtit, quia totum bonæ voluntatis ædificium præfato Quaternario conſurgit.

Iob. 1.

H

Ventus autem irruit, & domū concutit, quia dum gravis nos tentatio infeſtat, plerumque purum conſcientiæ noſtræ domicilium ad ruinam impulſat: unde & domo concuſſa, quatuor anguli procumbunt, quia perturbato bonæ mentis diverſorio, quatuor præfatæ virtutes nequaquam ſtare poſſunt. Porro iidem anguli, ſeptem convivantes filios (dum corruit) obruunt, quia dum principales illæ Virtutes opprimuntur, ſuffocantur etiam ſeptem dona Spiritus ſancti: quæ benè ſoboles Dei, piis animæ deſideriis velut quibuſdam ferculis paſcuntur & gaudent, convaleſcunt & vigent, roborantur & permanēt. Vides ergo filia mea, ſoror mea, chariſſima mea, ventum inſurgentem & urgentem, ventum ab Aquilone irruētem & diruentem, ventum quidem interficientem, ſed

ad

[A] ad Spiritum levis auræ deficientem. Spiritus levis auræ, ſcilicet Spiritus ſanctus, ſpiritus placidus & ſuavis, obumbrabit & proteget domum tuam, ſi tamen domus tua *fundata eſt ſupra firmam petram : Petra autem* (ut Apoſtolus ait) *erat Chriſtus.* [Matt. 7. Luc. 6. 1 Cor. 10. Matt. 8.] Super hanc petram Petrus ſtabat; qui *cùm vidiſſet ventum venientem mergique cœpiſſet, clamavit dicens : Domine ſalvum me fac.* Ille quia dubitavit, cecidit; quia confirmatus eſt, ſurrexit. Ventus validus impulit & merſit; firma petra ſuſtinuit & evexit. Dicat ergo Petrus; [Pſ. 117. b] *Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Dicas & tu vento tentationis, ut mergaris impulſa, ſed ne ſubmergaris firma petra ſuſtinenda: [Pſ. 120.] *auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Nihil igitur de te præſumens, [Pſal. 54.] *iacta cogitatum tuum in Domino*; nihil de Deo diffidens, confirma cor tuum in ſalutari ſuo. Si gloriari oportet, gloriare & exulta in Spiritu ſancto. Hic eſt ille funiculus, de quo Sapientia ait : [Eccl. 4.] *funiculus triplex non cito rumpitur*, quid enim certiùs quàm ſperare in [B] Domino Deo, qui fecit & formavit te? quid firmius quàm confirmari in Chriſto eius, qui reformavit & conformavit ſibi te? quid ſecurius quam gloriari in Spiritu ſancto, qui illuminavit te? Ad hunc unum triplicémque funiculum manus extendere, ſurgere eſt: huic inhærere, confirmari eſt, ab hoc trahi, currere eſt, ab hoc aſtringi, manumitti eſt. Ad hunc igitur [Exod. 17.] cum Moyſe manus extendas; ut Amalech, orante Propheta ſuperatus, ſuperetur orante & fœmina. Huic firma fide inhæreas: ut quando tentationum procella nutaveris, [Matt. 8.] cum Petro confirmeris, cum Petro ſtes, cum Petro clames : *Domine ſalvum me fac.* Ab hoc ad hunc [Cant. 1.] trahi deſideres, ut appoſiti ſpe bravij, curſum ſpondeas meliorem, iuxta illud Salomonis : *Trahe me poſt te, curremus i. o. v. t.* Ab hoc, huic aſtringi ardeas, ut adepta Saræ libertatem, Rachelis pulchritudinem; in amplexus Patris non multarum ſed omnium gentium tranſitura, dicas : [C] [Cant. 8.] *Læva eius ſub capite meo & d. i. a. m.* De eodem quoque funiculo, [Ioan. 2.] flagellum memineris faciendum, quo eiiciatur de Templo pectoris tui, ſæcularium ſtrepitus & turba voluptatum. Ante conſpectum eius deliciarum prurigo diffugiat, mollities purpuræ contemnatur, varietas deſipiat ferculorum, gemmarum fulgor deniteat, operoſa monilia conculcentur, abhorreatur ſecreta matrimonij licentia, faſtus decidat poteſtatis, leges palatio, cilicium lino, favori contemptus, obſequiis iniuriæ præferantur. [Matt. 25] Talibus oblectata ſtudiis, ad nuptias Agni cum ſapientibus intrabis Virginibus, de cœlibe coniugio fructum ſuſceptura ſempiternum. [Beatitudo cœleſtis, qualis futura ſit.] Fructus ille, Deus tuus, Deus in quo omnia bona : Fructus ille, verbum Dei, verbum de quo ſola bona: Fructus ille, ſpiritus utriuſque, ſpiritus cum quo nulla niſi bona. In hoc fructu regnum ſine termino, ſatietas ſine tædio, ſublimitas ſine deſcenſu, glorificatio ſine defectu. Iſte fructus tibi ſapiat, iſte dulceſcat, iſte diligatur tota anima tua, recolatur tota memoria tua, ut quandoque paſcat & ſatiet te in perpetua gloria ſua. Vale, memento mei in orationibus tuis.

[D]

EPISTOLA XXXII.

Andegavenſis Epiſcopi puerum fratrem diſciplinis militaribus imbuendum laudat. Regem vel Gallorum vel Anglorum; eique miſſum in eius Curiam, commendat.

BEnedictus Dominus Deus Iſraël, qui temporibus veſtris, & pauperibus pacem & Eccleſiis antiquam reformavit dignitatem. Divinum munus & omnium bonorum votis acclamandum confitemur; vitiis acceſſiſſe indicem, moribus fundatorum. Exaltatum eſt ſolium iuſtitiæ, rebúſque ſuus ordo ſub Rege clementiſſimo reſtituitur, qui novit reddere [Matt. 22. Marc. 12. Luc. 20.] *quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo.* Porrò candidioris fortunæ ſortitus eſt gratiam, quiſquis apud hunc alicui [E] ſubvenire poſſe prædicatur : quod etiam ſi non poteſt, magna tamen gloriæ eſt materia, quia hoc eum poſſe populus arbitratur. Neque enim cuilibet conceſſum eſt Regis illius extorquere favorem, qui diem malè perditum indicat in quo pro perditis moribus agere non contingit. Magni animi eſt & de virtute gloriantis, ad votum ſuum ſeveras inclinare Poteſtates. Hoc autem poſſe me, plurimi ſomniant; hanc in oculis veſtris gratiam conſecutum fabulantur. Arbitratur hoc & Andegavenſis Epiſcopus : vir nullo genere virtutum vacans, ſi non crederet plus poſſe me, quàm poſſim ego ipſe credere de me. Viſum eſt huic eligere ſervum tuum, & apud te interprete uti quò fratrem ſuum militaribus informandum diſciplinis, Regiæ maieſtati commendaret. Puero quidem ſublimium patebat aditus Curiarum, ſed ſublimiori conſilio frater fratri eam providit, in qua ſic militiam diſceret, ne dediſceret honeſtatem. [F] [Sic militiam diſcere ne honeſtas dediſcatur.] Miſſus eſt igitur ad columen morum, miſſus eſt ad militum gloriam, miſſus eſt ad ſereniſſimum Regem : cuius in caſtris nec obſequium præmio, nec virtus reverentia defraudatur. Veſtræ maieſtatis intereſt, Epiſcopi gratia puerum ſuſcipere deſtinatum, atque utrumque in altero promereri. Egò quidem ſi quam mihi merita mea præſtarent fiduciam pro eodem decrevi ſupplicandum : ſed novi Regem non attendere merita, cuius eſt antecedere meritis univerſos. At ſi meritum requiritur, ibi de Rege benè mereor, ubi Patri Filius immolatur. Vale.

EPISTOLA XXXIII.

Divitem quendam & improbum aulicum accuſat crudelitatis & ſuperbiæ, nititúrque, divini Iudicij & eius flagitiorum divina antitheſi, terrere & revocare ad reſipiſcentiam.

[G] DOleo, Frater mi, doleo te ſic obnoxium, ſic ingratum Creatori. Vnus es, qui fruſtra tot ad virtutem ſuſceperis inſtrumenta. Invectionem fortaſſis expectas, & Philippicam retractari pallidus ſuſpicaris. Talis certè ſollicitudo, nec inuſitata flagellat te nec iniuſta : conſuetudinis enim eſt, reos formidare ſupplicia quæ merentur. [Reus metuit quòd meruit.] Hinc eſt quòd linguam meam metuis, qui maledicendi materiam linguis omnibus adminiſtras. Verùm non eſt ea ſcribentis intentio. Neque ego te vrgeo maledictis ad laqueum, ſed ne malefactis ad laqueum traharis, elaboro. Talis nimirùm ingredior ad te, qualis medicus ad ægrum, qualis Menedemus ad filium ſcortatorem. [In Heaut. tont. Terentiana.] Tela mea non vitam, ſed vitæ turpitudinem perſequuntur: quæ ſi patienter admiſeris; putredinem vitiorum elicient, & virtutem tecum in gratiam fœderabunt. Quis igitur finis loquendi clauſerit initium, diligenter attende. [Officioſa eſt in homines gratia Dei.] Officioſiſſima eſt hominibus gratia Dei, & velut in eorum irrata obſequium : quibus hoc ſolum tribuit ex quo boni ſint, ſeu per quod boni poſſint : quippe quicquid eis tribuit, aut virtus eſt, aut inſtrumentum ad virtutem. [H] Ex ipſa autem virtute eſt, vt ſint homines boni, ex inſtrumento verò facultas proxima eſt, qua fiant homines boni. Porrò virtus eſt; manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, & his ſimilia, quibus manifeſtum eſt fieri homines bonos, fieri homines beatos. [Ancillſtur virtuti divitiæ.] Cæterùm divitiæ, poteſtates, & cætera in hunc modum : quædam ſubſidia ſunt quibus iuvamur ad bonum virtutis, tanquam calamis & atramento ad artem ſcribendi. Opibus abundas? ad officium liberalitatis impenſæ ſunt. [Aulicorũ qualis eſſe debeat ſcopus.] Potens factus es? ſubiectorum tibi patrocinia deſtinantur. De familiaritate principum glorianti, facultas oblata eſt, qua tam multis vnus ſubvenias quantis obeſſe decrevit aut poteſtas ſæviens aut palatinæ licentia clientelæ. Sic omnia mortalibus ad virtutem providentur: & inter tot armamenta iuſtitiæ non eſſe iuſtum, creaturæ defectus eſt, non incuria Creatoris. Vult enim

bonos

A

1. Tim. 2.

bonos fieri homines, quoniam *vult omnes homines ſalvos fieri* Deus, & ad excludendum periculoſæ excuſationis refugium, præparat gratiam ſuam cui innitantur; diſtribuit inſtrumenta, quæ ſuffragentur; offert præmia, quibus excitentur: *intendit arcum* ſuum, quo pigritantes terreantur. Nihil eſt quod vacet, quod homini ſit inutile niſi homo ipſe. Cùm enim tam diligenter homini procuret omnia Deus, ſpernitur tamen ab homine tam diligens procurator Deus. Nulla ei mentio de ſe, nulla cura pro ſe, nulla reverentia in ſe. Iniuriis in Proximum debacchatur, in Deum contemptu, in res abuſu. Omnia in ſuum congregat iudicium, omnium reus. Vnde fit ut tantò diſtrictiorem mereatur Iudicem, quantò maiorem benè agendi habuit facultatem. Copioſe etenim plectitur, copioſius nequam. Copioſe puniri procurat, cui fruſtra procurantur opifices ad virtutem. Porrò talem tibi damnationis ſarcinam pollicetur, *qui facit iudicium & iuſtitiam in Iacob.* Ille multos tibi famulos ad virtutem præparavit; divitias loquor & poteſtatem, cæteráque in hunc modum, quæ vel vacant ad damnum, vel ad virtutem exercentur. Ad coëmptas enim poſſeſſiones, ad avorum theſauros, ad ambitioſa palatia, beatus te natalis invitavit & eduxit. Semen eras informe, nec adhuc ex hac humo materia emerſerat, cùm tibi ſervorum familiæ plebeſcerent, deſignarentur honores, divitiæ foverentur. Iam te quibuſdam blandimentis natura delinibat; gratuitis præveniendum cenſens officiis, quem in ſuam prævidebat iniuriam naſciturum. Cæterùm nihil illi cumulatoria profuerunt obſequia, nihil favor ſumptuoſus. Hactenùs ea niſi fallor ignoravit, tam multis criminibus vnam poſſe ſufficere perſonam: vnde & ipſam mirari ſuſpicor, ex quibus involucris vniverſarum prodierit imago Furiarum. Quotidiè Nero noſtris occurſat aſpectibus, quotidie Tarquinius, quotidiè Polymneſtor: In dubium venit, magiſne populus in te Thraſonis gloriam faſtidiat, an crudelitatem Dionyſij deteſtetur. Denique quiſquis vel naturam flagitio, vel leges contemptu fatigavit; hæredem te ſuæ reliquit ignominiæ. Quicquid moribus, quicquid honeſto, quicquid ſacris obviat inſtitutis, ita tibi familiare eſt ut te puniendum cenſeas, quotiens graviſſimè punienda non committis. Quid ergo facturus es cùm ſederit Iudex tuus, & exarſerit in te zelus vltionis, zelus ſuus? Nunquid non erubeſces coram ſanctis Angelis ſuis, cum perhibuerint teſtimonium flagitiis & iniquitatibus tuis? Aut quibus argutiis Apoſtolorum ſuffugies iudicium, quorum relicta tibi doctrina, dum fruſtrà monuit innocentiam, dictavit pœnam? Cæterorum quoque patrocinia Sanctorum, qua tibi promittis audacia; quorum, dum contemnis exemplum, demereris interventum? Conſidera cœleſtis Curiæ ordines, attende perſonas; inter tam multos, nullum reperies advocatum, quia nullum non offenſum. Æquum eſt vt infeſtos omnes invenias, omnibus infeſtus. Miſera quidem, ſed immiſerabilis erit tibi cauſa tua quam Deus & homo plenam conquerentur iniuria ſua: Reſtat tamen adhuc interpellandi locus, & offert ſe placandum qui promittit puniturum: cæterùm non miſeretur omnium Deus. Eius enim miſericordiam virtutes non requirunt, facinora non merentur. Ea nec valde bonis neceſſaria eſt, nec impetrabilis valde malis. Eſt inter vtrumque vitæ quædam permixtio non adeò purgata, vt non egeat placato Iudice poſt mortem, nec ſic obſtricta crimibus, ut placatum non mereatur poſt mortem. Porrò talem tibi Iudicem polliceri non audeo, donec ipſe talem pollicceris peccatorem.

Pſ. 57. 8.

Homo, ſuapte culpa virtute deſtituitur.

Homo abutitur divinis donis.

Copioſe nequam, copioſe punitur.

Pſal. 98.

B

C

Quid faciat in malis aſſuetudo.

Doctrina Evangelica, dum fruſtra monet innocentiã dictat pœnam.

D

Vitæ permixtio quædam ex vitiis & virtutibus.

***

E

EPISTOLA XXXIV.

Epiſcopum quendam certiorem facit, ſe prorſus diſſentire nedum conſentire matrimonio filiæ Ganterij de Meduana cum Comite de Mortonio. Et cuius in parochiam, Nupta demigraverit; eius eſſe, uſque ad diſſidium, illis nuptiis reſiſtere.

SIcut ſanctitatis veſtræ pagina denuntiat, filia Gauterij de Meduana, Comiti de Mortonio ſanguine proxima prædicatur. Priùs autem quàm matrimonij vinculum præfatas perſonas aſtringeret, idem Gauterius conſanguinitatem mihi ſubmurmurans; quid idem ſentirem, cautiùs exploravit; bonum ſibi videri, ſi bellum quo diutiùs Comes in eum deſævierat, intervenientis coniugij charitas terminaret. Addidit prætereà, vos veſtróſque comprovinciales, ei confirmaſſe ſcripto, compendia pacis & quietis tolerandum conſanguinitatis piaculum. Vnde & aſſenſum Cœnomanenſis Eccleſiæ futuris nuptiis poſtulavit, vt eius quoque auctoritate, coniugio filiæ ſtabilitatem adquireret, ſi quando ei libellus repudij ſcriberetur. Mihi autem nec extorqueri aſſenſus, nec perſuaderi potuit prudentiam veſtram in eorum ſimplicitatem deſcendiſſe, quos redarguit Apoſtolus dicentes: *faciamus mala, ut veniant bona.* Super his ergo quod ad me pertinuit, ſollicitus fui. Petenti aſſenſum, diſſenſum nuntiavi, nullius diſpenſationis intuitu permittens, conſanguineos aut affines inhibitarum fœdera contrahere nuptiarum. Huic autem connubio vſque ad diſſidium reſiſtere, illius erit ſollicitudinis, ad cuius parochiam Nuptam demigraſſe cognoſcitur. Conſervet vos Dominus Deus, Pater ſancte.

F

Rom. 3.

G

EPISTOLA XXXV.

Andegavenſis quidam canonicus eum rogaverat perficere apud Epiſcopum Andegavenſem, ut ei ex canonicato ſubſtitueretur nepos: Quid agendum in ea re conſuluerit Andegavenſis, quidque ſit aſſequutus, lepidè & eloquenter narrat.

ANdegavenſem pro te conveni Pontificem, ſedulus quidem ſed inutilis interceſſor. Relata eſt ei promotio tua, labor tuus, & confuſio tua. Inculcatum, quid eis contuleris; quid protuleris pro eo, vt dum retractatur meritum, ad præmium doceretur. Excanonicari poſtulabas, tuúmque tibi nepotem ſubſtitui moribus inſignem, & ad literalem ſcientiam coævis excultum diſciplinis. Vnde & Epiſcopo quid conſulerem, ſecretiùs exploranti: ne differas (inquam) quod rogaris; vt ſi diligis, ſatisfiat amico; ſi non diligis, longè fiat inimicus. Approbanda eſt commutatio, qua vel augebis devotionem, vel requiem comparabis. Si igitur benè de te promeruit, obſequere; ſi ſuſpectus eſt, proſcribe: diſce vel ingrati cavere nomen, vel inſidias amoliri. His ille fractus abſceſſit, bonam ſecum reportans voluntatem, qua tibi non mercede pacis, ſed amicitiæ compendio ſucceſſor crearetur. Actum putabam, cum didici ſpiritum Præſulis immutatum, Canonicos obnitentes, factu difficile eos tibi morigerari quos cum ſimules obſequium, iniuriis (vt ferunt) exacerbas. Incubuit timor tuus & tuorum ſuper eos, dúmque perſona arguitur aſtutiæ, ſuſpecta eſt vniverſitas parentelæ. Parentare credunt aſtutiam; & Vlyſſis argutiam experti, metuunt Danaos & dona ferentes. Vnde & vix aliquem ſuſcipient pro te, qui propter te præiudicant vniverſis. Si vis ergo pertingere quò tendis, alia eundum eſt via: dediſcendæ ſi quæ præceſſerunt iniuriæ, ſermo ſuſpendendus amarior,

H

Virg. 2. Æneid.

A

Beneficium non acquirit offenſio. Ingrati, ſingunt iniurias.

obſequiis inſiſtendum. Blandiri oportet, non detrahere Poteſtati: his enim temporibus beneficium non adquirit offenſio. Fortunæ gratia opus eſt, vt vel bene promeriti præmia conſequantur. Plerique mortales ingrati ſunt obſequiis, & ne cultores ſuos remunerent, offenſos conqueruntur. Super quos niſi fallor Andegavenſem non accuſabis Epiſcopum, ſi benignum, ſi filium pacis invenerit.

EPISTOLA XXXVI.

Virgini cuidam virginitatis propoſitum gratulatur Epiſcopus, & ex eius comparatione cum nuptarum & viduarum ſtatu & præmio, longè eſſe excellentius demonſtrat: Porrò, ut ſuſpectam Deo & cum qua in gratiam nunquàm redit, ſuperbiam fugiat, hortatur.

B

Côiugatorũ nô ſatis cõſulta ſũt cõſilia. Ex nuptiis nô ſperatur impunè fœlicitas.

CONſideranti mihi votum tuum, votum bonum; ſuborta eſt de propoſito lætitia, de lapſu, metus, æmulatio de corona. Lætari oportet animæ Chriſtianæ, quæ mortales illecebras adverſata coniugij, perennem quærit ex virginitate progeniem. Placet ſanè quam pluribus hæredes procreare, dotales tabulas nuptiali debito promereri. Eas aliquod ſumentes ex prole ſolatium; vel inanis ſpes decipit, vel dilatio cruciat expectantes. Præterea ex nuptiis nulla ſperatur impune felicitas, quam primò neceſſe eſt quadam carnis contumelia comparari. Infeliciter ei ſuccedit, quæ ſucceſſum virginitatis mercatur impendio. Magni ſoboles emitur; cuius conceptus, infeſtatio eſt pudicitiæ, partus, vitæ. Ea in lucem progrediens, auſpicium ſollicitudinis eſt, non materia gaudiorum: vitioſo quippe progenies odium ſuſcitat: cum bona verò, timor naſcitur amittendi. Quis autem animo locus eſt gaudij, qui vel inflammatur odio, vel timore cruciatur? Fortaſſe dicitur: emolumento dotis & variæ ſupellectilis acceſſu incommoda præſcriptarum ſupplêri nuptiarum. Cæterùm ſicut huius damni nulla eſt reformatio, ſic omnis compenſatio inferior. Impar mercimonium eſt, brevem quæſtum iactura perenni comparare. Minus ſibi providet, quiſquis gratiæ virginitatis aliquid anteponit; virginitati tamen divitiæ præferuntur. Sed eis ærugo ſuſpecta eſt, ſed tinea demolitur, ſed inſidiantur latrunculi, ſed timetur maioris violentia poteſtatis: earum ſpe, pudoris abiicere venuſtatem, ſeipſum perſequi eſt. Magni quippè boni ruina quæritur, vnde vitæ noſtræ charus quoque ſucceſſor invideat. Incomparabili comparatur pretio, quo fur ſollicitetur vt aſportet, Dominus ut ſervet. Neſcit à quanta hæreditate decidit, quiſquis vt hæredes relinquat ſimilitudinem deponit Angelorum. An neſcis, quia hi qui neque nubunt neque nubentur, iuxta Evangelium ſimiles ſunt Angelis Dei? An ignoras huius boni magnitudinem? Nunquid non intelligis ſabbathum virginitatis, ſabbathum conſilij non præceptis, ſabbathum quo feriatur ab opere carnis caro: quo ſapit quiddam ſupra carnem, caro? Neſciunt virgines quid ex maritali licentia muliebris ſuſtineat infirmitas. Neſciunt (inquam) quibus vxor ſubiiciatur iniuriis, quanta fœcundam ſauciet anxietas, quo ſterilis mœrore crucietur. Si formoſa eſt, difficile caret infamia: Informem, maritus aſpernatur. Nunquam lectus eſt ſine rixa, cuius vel pudet vel tædet coniugalem. Porrò conſequens eſt vt ei vir diſpliceat, quæ viro placere non quærit. Quæ ergo quærit, ſagaciores ſollicitat aniculas, maleficiis aſſidet, & vt adquirat gratiam proiicit innocentiam. Quæ igitur quies eſt animæ, cui vel maritus eſt pro ſupplicio, vel conſcientia pro flagello: His accedunt innumeræ formandi ſeminis moleſtiæ, quæ conceptum nuntiant, naturam perſequuntur. Vultum pallor inficit, caput vertigine fatigatur: renum dolor aſſiduus, ſtomachi frequens indignatio: eſuritur etiam inter delicias, & quibuſdam nubeculis circumvolantibus, oculi tenebreſcunt. Hæc & alia nuptiarum ſunt incommoda, quæ numerare longum ducens Apoſtolus: *Mulier (inquit) non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir.* Virginitas maritalis ignara negotij, non labores puerperæ, non novi partus ſpurcitias experitur. Virginitas, nutricis vigilias ignorans, quàm multa ſupellectile, quibúſve ſorbitiunculis alumnus indigeat; non inquirit. Virginitas contenta parvo, ſollicita eſt pro natura, non ambitioſa pro matrona. Virginitas curarum eſt ſilentium, pax carnis, vitiorum redemptio, virtutum principatus. Virginitas angelicam redolens converſationem, cantat Canticum novum, Canticum felix, Canticum quod nemo poteſt dicere, *præter eos qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.* Cantat aliquid virgo, quod vidua cantare non poteſt; quod non poteſt coniugata. Quicquid autem vel coniugata cantat vel vidua, totum cantare poteſt & virgo. Porrò *Canticum novum*, laudem Creatoris, & actiones intellige gratiarum. Laudent ergo Chriſtum virgines Chriſti, laudent viduæ, laudent & coniugatæ. Laudant coniugatæ, quia ex eo habent quod vel nubunt præter culpam, vel operibus miſericordiæ redimunt, quam nubendo contrahunt culpam. Laudant viduæ, quia ex eo habent quòd expertæ nuptias ſecundùm Deum, denuò nubere dedignantur propter Deum. Laudant innuptæ, quia ex eo habent, vt quibus (virginibus ſpiritu) licuit hominibus nubere, Deo nubere mallent, & carne virgines & ſpiritu. Ecce ſacrarum virginum canticum, canticum non vetus ſed novum; non illius ſcilicet Adæ in quo & per quem mentis & carnis corrupta eſt integritas, ſed eius in quo & per quem non ſolùm ſanata, ſed etiam ſuper Angelos glorificata eſt humanitas. Huius laus & exaltatio virtutis, Canticum eſt quod ignorant viduæ, quod neſciunt coniugatæ: cæteris nimirum virtutibus exultare poſſunt, & agere gratias viduæ bonæ; poſſunt etiam nuptæ, ſi tamen bonæ: ſolis virginibus virtus iſta eſt à Chriſto, ſolius iſtius virtutis præmium, & à Chriſto & cum Chriſto. Cum Chriſto quippe communem quodammodò ſortiuntur coronam virgines Chriſti, quæ ſolæ (iuxta Ioannem) *ſequuntur agnum, quocunque ierit.* Hunc agnum, viduitas quò ſequitur; ſequitur etiam coniugalitas: cæterum non quocunque ierit, vel coniugalitas eum ſequitur vel viduitas. Vtraque etenim cæterarum virtutum tramite ſequi poteſt Agnum, quoniam poteſt imitari Chriſtum: per virginitatis verò ſemitam neutra poteſt Agnum ſequi, quoniam Chriſtum neutra poteſt imitari: Virginitatis enim reflorationem ſeparare, naturæ oblivio eſt. Canticum ergo novum cantant ſolæ virgines Chriſti, ſolæ ſequuntur Agnum quocunque ierit. Quippe quibus fuit cum Chriſti quoddam virginitatis participium, quoddam eſt & in præmio conſortium. Sub hoc autem Sponſo fœcunditatem non impedit integritas; nec famulante concupiſcentia, filij procreantur. Beatum ſane coniugium, non quotidianis oneroſum moleſtiis, non de craſtino ſollicitum, non virginitati ſuſpectum! Beata nimirum ſponſa, cuius pudor dum concipit, non deperit, dum generat; non laborat. Beatiſſimus etiam Sponſus, cui niſi cohæreat, nulla virgo, nulla caſta, niſi eum diligat; nulla libera niſi ei ſerviat. Eius amore nihil honeſtius, quo nec regia erubeſcit ſublimitas; eius amplexu nihil mirabilius, ex quo parit nec perit virginitas. Eius prole nihil vivacius, cum qua nulla propagatur mortalitas: eius dote nihil vtilius, in qua ſufficientiam comitatur æternitas. Is in ſponſa ſua tranſitoriam non quærit pulchritudinem, non inſerto veſtibus auro, non ſplendore Natalium gloriatur. Affectatus decor, & quidquid aliud quàm quod natum eſt, oculos faſcinat intuentes; odium provocat non gratiam; repudium non favorem. Ille nimirum deformem non aſpernatur, *ſpecioſus forma præ filiis hominum:* Pauperi libens copulatur, *dives in omnes, in omnes qui invocant illum.* Diſtortas amplectitur & gibboſas, cui ſimplex oculus totum corpus lucidum facit. Generoſa non attendit nomina, *generationem* tamen *eius quis enarrabit?*

C

Virginitatis perditæ non eſt reformatio, nec recepta cõpenſatio.

Qui excidit virginitate, excidit Angelica ſimilitudine.

Marc. 12. *Matt.* 22.

D

Sperniturdeformis formoſa nõ caret infamia. Nuptiarum incõmoda.

E

1. *Cor.* 7.

Virginitatis encomia.

Apoc. 14.

F

Commẽdatio virginitatis.

G

Apoc. 14

H

Pſal. 44. *Rom.* 10. *Luc.* 11. *Iſa.* 53. *Eccl.* 14. *Pſal.* 12.

A Indecrepitas ardet aniculas, *primogenitus ante omnem creaturam.* Nullam ſterilitatis arguit, *Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum latantem.* Vnum tamen eſt quo ille ſponſam ablaterat, & propriam diffitetur: huius etenim ratio diſſidij mentis ſola eſt corruptela. Mentis deformitas offendit virum, ſponſalia diripit, abiudicat dotem, eliminat, introductam: mentem tuus amans explorat, & ex eius qualitate vel dictat repudium vel maritum pollicetur. Huic autem ſuſpecta eſt ſuperbia: nec fieri poteſt vt cum ea in gratiam revertatur. Diverſum eſt vtrique hoſpitium, nec in eodem cohabitant animo, quibus cohabitare non licuit in cœlo. In cœlo nimirum nata eſt ſuperbia, ſed velut immemor * qua inde via ceciderit, illuc vltra redire non novit. Ea de ſupernis corruens & parentans in terris; omnibus ſuis, apud inferos æternam pepigit manſionem. Ipſa ex puriſſimis & ſimplicibus orta ſubſtantiis, puros adhuc animos inquietat, auſa victoriam ſperare de homine, quæ de Angelo triumphauit. Vale, atque in valle humilitatis, divinarū ſtillicidiis Scripturarum, pudicitiæ lilium ne marceſcat, irrigare memineris.

Superbia damnat in virgine.

* *al. qua in deum.*

B

EPISTOLA XXXVII.

Frater quidam ad paſtoralis ſolicitudinis excubias aſſumptus, ereptam ſibi contemplationis requiem deplorabat: Eum ſolatur Epiſcopus: & frequentibus Scripturæ exemplis; qualia ſunt Rachelis & Lyæ: Martha & Maria, & alia multa; oſtendit non parvum eſſe bonum, vitæ vtriuſque ſtudia alternare. At dignum eſſe lachrymis, quòd plures (& in iis ipſemet) neutram vitam vivunt.

C

VSu pariter & neceſſitate didicimus; vel ad amicos, vt conſulant, vel ad medicos vt curent, confugere vulneratos. Ea profectò ratione contritionem ſpiritus & mentis anguſtias ad me (Frater chariſſime) detuliſti, quæ vel amici conſilio penitus abſcederent, vel aliquod invenirent ex ſolatio remedium. Ereptam tibi deploras adoptatæ requiem contemplationis, & Actiuæ ſarcinam ſollicitudinis invitum ſuſtinere. Ad pedes Domini Ieſu cum Maria ſedebas: & ecce, cum Martha iuberis miniſtrare. Animum tuum Rachelis ſpecies illexerat; & nunc ſubinductæ tibi Lyæ morigerari compelleris; qui licet collætareris ad ſobolem, lippā tamen faſtidis & deformem. Recordaris quàm delicata fuerit ſub Rachele iocunditas, quàm dura ſub ſorore prouincia. Recordaris (inquam) quas tibi Chriſtus amplectenti pedes eius epulas miniſtraret, quibus deliciis animi propulſaret inediam. Sapidiora confiteris fercula quæ Maria ſedens & audiens accipit, quàm quæ Martha ſatagens præparat & apponit: in his etenim panis hominum; in illis autē erogatur panis Angelorum. In illa divitis menſa nihil eſt quod faſtidiatur oblatum, quod non deſideret ſaturatus; ad hanc omnes animæ tuæ ſenſus velut quidam conviuæ recumbentes, ſpiritualium varietate ſatiabantur ferculorum: deguſtantes inde quod congrueret ſingulis, quod ſufficeret vniverſis. Ibi mentis auditu cœleſtium hauriebas melodiam Canticorum, & in plateis ſupernæ Sion, Angelicum tibi reſultabat Alleluia. Afflabat ibi nares tuas *odor vita ad vitam*, & aura, *flores roſarum & lilia* ſpirans *convallium*, ver æternum nunciabat. Ibi etiam, *panem Angelorum* manducabas *homo*: panem *qui de cœlo deſcendit*, & dat vitam mundo. Quanta autem gloria mentis tuæ oſtenderetur oculis; nemo niſi qui eam diligit, intelligit. Occurrebat eis diſpoſitiſſima lex ſupernæ Reipublicæ; quæ de regno Dei ſic omnia colligit ſcandala, vt ſuperiori nemo invideat, parem dedignetur. Videre videbaris inſignitas pudicitiæ lilio virgines, martyres roſis, violis confeſſores. Eorum gloriam, cognitione divinitatis diſſimilem coniectabas, æternitate

Collatio Actiuæ vitæ & Contemplatiuæ. *Luc.* 10. *Ioan.* 11.

Gen. 29.

D

2. *Cor.* 2. *Cant.* 2. *Pſal.* 78. *Ioan.* 6.

Mat. 13. 41.

E coæqualem: In omnium tamen ſinu *menſuram* ita *bonam* videbas *& confertam, ita coagitatam & ſupereffluentem*, vt potius beneficium gratiæ, quam virtutis præmium putaretur. Inter adminiſtratorios Spiritus, quantum tibi permiſſum fuerat, aſcendebas: ſecretiore conſiderans intuitu, quanta Deo charitate cohæreant, qua ei ſubmittantur humilitate, quàm officioſe diſcurſent *miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Et quoniam legiſſe te non dubito: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*: ſuum vnicuique Angelum aſſignabas: tuo, de te, beatum, illud ingerens gaudium, de quo in Evangelio Dominus ait: *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Præterea ad miſerabiles tormentorum officinas *vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, in gemitu recurrebas & luctu, ſæpiùs illud propheticum commemorans: *quis durare poterit cum ardoribus ſempiternis?* Augebant devotionem tuàm nunc inſpecta damnatorum ſupplicia, nunc præmia beatorum: ſic inferioris irrigui nonus poſſeſſor effectus, totus in lacrymas quas prius delictorum conſcientia profuderas, dilatione gloriæ diffluebas. Hos tibi contemplatio provocabat affectus, his obtutibus per cœleſtes deambulabas manſiones: & dolens animum tuum tam tædioſum cum carne pepigiſſe hoſpitium, cum Apoſtolo cantitabas: *cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Nunc autem conquereris ereptas tibi vitales delicias, diſcurſum ad Superos interclusum, ſublata cœli terræque commercia, quibus ſic intereras rebus hominum, vt colloquiis intereſſes Angelorum. Vnde tanto tenerius amiſſæ contemplationis & fructum commemoras & requiem ſuſpiras, quanto in agenda aliorum cura, minus invenis ſecuritatis, plus laboris. Sed ſi ſollicitè conſideras, actiua vita materia eſt ad glorias, non deſcenſus ad ruinam, quod, ne te velut ignotum tranſeat, paulò altius (nec tædeat) inchoabo. Contemplativam vitam (chariſſime Frater) atque activam: aliquando quidem in eodem, aliquando vere in diverſis ſeparatas invenies. Quod vt nobis ſacræ ac myſticæ demonſtrent hiſtoriæ, Iacob deducatur in medium, cui Rachel & Lya, typus ſcilicet vtriuſque vitæ ſimul nupſiſſe comprobantur. Chriſtus quoque nunc docens in campeſtribus, nunc in montibus orans, ſuis eos figurabat ſtudiis, in quibus ſic invicem præſcriptæ conſonant profeſſiones, vt nec actio contemplationem, nec contemplatio ſtrangulet actionem. Talis Moyſes in tabernaculis cum populo, pro populo in excelſis cum Domino loquebatur. Sic Petrus, intermiſſo paſtoralis providentiæ negotio, ſpeculam contemplationis aſcenderat, cùm ei à Domino diceretur, macta & manduca. Sic & Paulus vniverſarum ſolicitudinibus Eccleſiarum permixtæ ſecretæ viſionis requie ſubueniens; *raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Cæteri quoque Prædicatores ſancti, nunc ex ſecreto ſpeculationis, ad publicum doctrinæ prodeunt, nunc ex doctrinæ publico, ſecretū ſpeculativæ repetūt libertatis. Hi profectò, quod in adminiſtratoria diſpenſatione delinquunt, in ſacrario contemplationis deplorant; quod autem in contemplatione aſpiciunt, prout opus eſt, ad ſubditos reportant. Quod autē ſola in quibuſdam ſit actio, in quibuſdam verò contemplatio tantùm refulgeat, Maria nobis & Martha denunciant: quarum ſtudiis vtramque figurari vitam ſacra nos Eloquia docuerunt. Maria quippe ſediſſe tantùm legitur & audiviſſe, nec aliquando ſorori ſubueniſſe diſcurſanti: licet eius auxilium quadam mentis amaritudine ſoror anxia poſtularet, dicens: *Domine non eſt tibi curæ quod ſoror mea relinquit me ſolam miniſtrare? dic igitur illi, vt me adiuvet.* Martha quoque nequaquam memoratur Mariæ partem ſuo miſcuiſſe obſequio: licet eam Veritas optimam teſtaretur, dicens: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Per Mariā ergo, quæ ſedendo requiē nullo adminiſtrationis interrupit negotio, ſoli contemplationi vacantes (ſicut opinor) exprimūtur, qui noſtro huic publico ſpeculativā præferentes ſolitudinē cū Apoſtolo dicunt: *Noſtra autē*

Luc. 6. 38.

Beneficium eſt non præmiū fœlicitas.

Heb. 1. *Mat.* 18. *Cuique aſſignatur cuſtos Angelus.* *Luc.* 15. *Iob.* 10.

Iſai. 33.

Ind. 1. 6.

F

Phil. 1.

G

Actiua ea materia eſt ad gloriam.

Gen. 30. *Mat.* 14. *Marc.* 6. *Luc.* 6. & 9.

Chriſtus, Moyſes, Petrus & Paulus vtramque vitā amplexati. *Exod.* 18. 19. & 19. *Actor.* 11. 2. *Cor.* 12.

H

Luc. 10.

Phil. 3. *Pſal. 54.*

converſatio in cœlis eſt. De talibus Propheta: *elongaui fugiens & manſi in ſolitudine.* Martha verò, cui ſola miniſtrandi credita eſt diſpenſatio, nonnullos noſtri maximè temporis indicat Sacerdotes, quibus occurſantium turba negotiorum, ſacrarium contemplationis occludit, cordis extinguit holocauſtum, ſacrificium deſiccat lachrymarum. Hos, in hoc magno mari & ſpatioſo, dum reptilia, quorum non eſt numerus, exagitant, quia in mente velut forenſes tumultus ſentiunt, ad quietem contemplationis non pertingunt: neque enim fieri poteſt vt aliquando loquatur cum Domino, qui (etiam ſilens) cum toto mundo fabulatur. Talem ego miſer fabuligerum profiteor, talem circumfero ſacerdotem qui cùm totam diem conſervandis expendo animalibus, nec vnũ ſaltem momentũ conſervandis animabus. Occurſãt inimica ſpiritui meo expendo negotia, quæ me ſibi totũ vendicant, quæ ſecretum furantur orationum, quæ ſuis temporibus Eccleſiaſtica defraudant officia, quæ velut modicum diutnis inſæuiant aculeis, infeſtant etiam dormientem: & quod abſque lachrymis vix poſſum confiteri: ſubrepens & furtiua cauſarum recordatio, miſerum me ad ſacra ſequitur altaria, vbi dum eius fugam deprecor, aſſultu circumuallor. Talium nobis occurſus infeſtationum, volucres illas figuraſſe reperies, de quibus per Moyſem dicitur, *deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham.* Has, infelix ego! cum ſacrificante Abraham, ſacrificans & ipſe perfero, ſed cum abigente, nondum datum eſt abigere. *Væ mihi, quis liberabit me de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Sequuntur autem captiuæ mentis occupationes, innumera virtutum diſpendia; quibus dum miſeri ſubiacemus, nec etiam cum Martha miniſtramus. Martha quippe miniſtrauit, ſed Chriſto: nos verò quis dicat diſcurrere cum Martha & miniſtrare: qui, dum diſcurrimus nec pro Chriſto miniſtramus, ſed non Chriſto. *Omnes nos* (ut ait Apoſtolus) quærimus quæ noſtra ſunt, *non quæ Ieſu Chriſti.* Si ergo ex ipſo Marthæ miniſterio, quæ tua ſunt deſideras; ſi plebeculæ rumuſculos aucuparis, ſi occuparis carnalium lenociniis voluptatum; profectò nec Martha es quam ſimulas, nec Maria quam ſuſpiras. Inde chariſſime frater, iuſta eſt conquerendi ratio, iuſtiſſima flendi. Cæterum ſi Martham ſimpliciter agis, bene agis: ſi inter Lyam & Rachelem diſcurris, melius agis: ſi cum Maria ſedes & audis, optimè agis: bona enim eſt actio cuius inſtantia (licet contemplationis facultas depereat) frater tamen aberrans in Chriſto revocatur: & cùm iuſtus in nomine iuſti ſuſcipitur, erogatur etiam ille *panis qui deſcendit de cœlo*, & dat vitam mundo. Melius tamen eſt, ſedendi vicibus adminiſtratoriam diſtinguere ſollicitudinem, & inter tædioſas Lyæ noctes, grato Rachelis amplexu reſpirare. Fit ex hac permixtione compendioſus ad ſuperos diſcurſus; cùm mens eadem modo de beatitudine ſatagit hominum, modò beatitudinem participat Angelorum In illo ſeminetur quod metatur: in iſto, quod ex ſemine ſperetur, iam videtur. Illud ergo, curſus eſt ad brauium, iſtud, calcar ad curſum. Nam de ſingulari Mariæ ſtudio quid loquar; cui ſolùm Saluatoris ſufficit teſtimonium dicentis: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea!* Bona eſt ergo Marthæ ſollicitudo, ſed optima pars Mariæ. Bona illa, quoniam Fratri temporale providet ſubſidium, hæc optima, quoniam quod iam complectitur eſt æternum: Bona illa, quoniam bonum eſt ſeminare; hæc optima, quoniam metere multo melius. Hæc idcirco dixerim, ne vel nullum, vel paruum putes bonum, diverſa ſic alternare ſtudia vt nunc requieſcere libeat in contemplatione cœleſtium, nunc ad provectum laborare proximorum. Vna eſt & eadem ſcala, qua Iacob aſcendentes Angelos vidit, & vidit deſcendentes. Eius ſummitas dum cœlos tangere deſcribitur; quòd ad cœros per eam ſit tranſitus demonſtratur. Per hanc, & tu Frater aſcendiſti: vidiſti quid agatur *in civitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.* Nunc autem de deſcenſu conquereris; & qui velut è foribus introſpiciens odorabas cœleſtis divitias palatij, nunc ad hæc infima devolutus à longe ſtas: & licet opulentus aliis miniſtres; tamen quia viſis opibus non frueris, inopiam non euadis. Sed faceſſat, quæſo, querimonia tua; faceſſant ſuſpiria tua, quoniam Lya quoque ſortitur hæreditatem in prole ſua. Non enim vel ſola Rachel vel tantum Lya, Iacob ad patriam comitata eſt revertentem. Comitata eſt Rachel virum, viro grata propter ſpeciem; comitata eſt eundem ſoror eius, eundem complexata propter prolem. Comitata eſt Rachel Iacob, in filio vteri ſui & filiis ancillæ ſuæ. Comitata eſt eundem Lya, in filiis vteri ſui, & filiis ancillæ ſuæ. Sic ille reuiſens patriam; *in baculo meo* (inquit) *tranſiui Iordanem, & ecce cum duabus turmis regredior.* Idem quoque dum comitantibus regreditur vxoribus, Angelum videt, Angelum apprehendit; & factus in luctamine ſuperior, areſacti contactu nerui claudicaturus abſceſſit. Hæc autem *omnia* (ſicut ait Apoſtolus) *in figura contingebant illis*: vnde & hæc eadem, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, *in quos, fines ſeculorum devenerunt.* Factus itaque Iacob; Lyam ſimul amplecteris & Rachelem, ſi inter paſtoratus excubias ſollicitudinis, ſupernæ tibi claritas arrideat viſionis. Factus, inquam, Iacob; Rachelem diligis ſpecie; Lyam, prole: ſi ſic ſpeculationis amplecteris gaudium, vt in exteriori diſpenſatione fructum quæras animarum. Nec impedit iter Patriarchæ laborioſi ſarcina coniugij, quoniam reditum ad patriam paſtoralium occupatio vigiliarum non abrumpit. Et ne cauſemur hac eadem occupatione contemplationis abſcedere facultatem, Iacob Angelum videt dum ad parentes regreditur, quia fidelis ſervus & prudens dum terram viuentium pio petit deſiderio, Deum iam per contemplationem videre, iam complecti promeretur. Hinc eſt etiam quod nato Domino, paſtores ſuper gregem vigilantes, Angelos aſpiciunt: quia his qui pie ac ſollicitè conſervandis gregibus invigilant, ſublimia ac divina innoteſcunt. Cæterum iuxta Apoſtolum, quamvis ſancti, quamvis perfecti; tamen *nunc ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Vnde & Iacob dum revertitur, luctamen iniiſſe cum Angelo memoratur. Conditione quippe luctaminis, nunc ſuperior eſt qui luctatur, nunc ſuccumbit: nos autem in his quæ de Deo mente comprehendimus, quodammodo ſuperamus: in his verò quæ comprehendere non poſſumus, indubitanter ſubiacemus. Vt igitur verbis vtar Gregorij, Iacob luctatur & vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Luctatur & ſuccumbit, quia lumen incircumſcriptum dum comprehendere nititur deficit. Qua in lucta, Iacob ſuperante, neruum femoris Angelus tangit & areſcit, quia dum mens in contemplatione divinas apprehendit delicias, ex earum deſiderio, carnis affectus marceſcit. Areſacto autem neruo, pes vnus incolumis, alter languet, quia mortificata in nobis carnis concupiſcentia, conualeſcit pes quo ad Deum dirigimur, infirmatur ille quo à Deo declinamus. In quo & notandum puto quòd percuſſus in femore Iacob, ſano pedi firmius innititur, infirmus autem pes nec totus hæret terræ, nec à terra totus eleuatur. Poſt exſiccatas quippe huius quam circumferimus mortalitatis illecebras, interior homo noſter pedi divini amoris, qui in eo præualet, totus incumbit, totus hæret. Infirmo autem pede partim Iacob ſuſtentatur, & à terra partim ſuſpenditur: quia languente in nobis rerum ſecularium dilectione, partim illis innitimur pro natura, ſuſpendimur à reliquis pro corona. In illa, neceſſitatis eſt quod appetimus; in his, conſilij quod vitamus. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe*: Et *omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Vides ergo chariſſime frater, quòd & Lya comite, Iacob ad patriã redierit; quòd occurrerit Angelus vxorio Patriarchæ: nec abhorruerit cũ muliere revertentẽ, qui mulierem ſuper ſe confitetur exaltatam. Eſt autem cœlum, patria tua: patria fœlix, & expetenda gloria ſua. Ibi ſpirituales parentes tui, parentes beati, parentes qui te Chriſto genuerunt, te præceſſe-

runt

Marginalia (left): Sacerdotes præ multitudine negotiorũ, obliti contemplationis. — Reprehenſio ſacerdotum, ſecularia tractantium. — B — *Rom. 6.* — *Phil. 2. 21.* *1. Cor. 10. 24.* — C — *Ioan. 6.* — Temperandam actione contemplationẽ. — *Luc. 10* — D — al. prouẽtum, ſeu profectũ. — *Gen. 28.* — *Pſal. 47.*

Marginalia (right): E — *Gen. 30.* — *Gen. 32. 10.* — *Gen. 32. 28.* — *1. Cor. 10.* — F — *Luc. 2.* — Peruigilantibus divina innoteſcunt. — *1. Cor. 13.* *Gen. 32.* — *Lib. 2. in Ezech. hom. 14.* — G — Quo myſterio nervus Iacob emarcuit. — H — *Rom. 8.* *1. Cor. 9.*

A *Beato ſi interceſſio.*

runt ad Chriſtum, pro te ſupplicant apud Chriſtum. Ad illos tibi cum Lya quoque reditus eſt (ne timeas) præparatus: in via videbis Angelum magni conſilij; nec dedignabitur oſtendi filio virginis Eccleſiæ, qui dignatus eſt fieri filius Mariæ. Eius viſionis dulcedine carnis tibi lenocinia diſplicebunt, areſcet maleſuada lumborum concupiſcentia; interior tuus homo à terrenis ſuſpenſus, pauca indulgebit naturæ, nulla gulæ. Vale frater.

EPISTOLA XXXVIII.

B

Monaſterij Ebronenſis apud Cœnomanos, planè depravatum ſtatum; & Abbatis indocilem pertinaciam ſtupiditatemque deſcribit: demum à S.R.Eccleſiæ Legato in illam beſtiam & malè providum Abbatem, Monaſterij fructus in herba ſolitum prævendere; quid ſtatui oporteat, vt reſpondeat, petit.

DEi gratia Engoliſmenſi Epiſcop , ſanctæque Eccleſiæ Romanæ Legato, G. I. humilis Cœnomanorum miniſter, ſalutem & obedientiæ integritatem. Eſt apud nos Abbatia, quæ dicitur Ebron, poſſeſſionibus & re quondam percelebris, vicinisque Cœnobiis ſola pauperior honeſtate. Hanc, ea cæteris inuidens, inter locupletes reditus, morum mendicat venuſtatem. Nulla ibi legum cuſtodia, nullus violati cenſor Ordinis invenitur. Cœnobitæ non minus Monachum perſequuntur, quàm ſi cum turpitudine fœdera pepigiſſent. Si quid Fratrum ſumptibus, Anteceſſorum devotione collatum eſt; in mercedem tranſit iniquitatis, non in ſubſidium religionis. Clauſtrales, quibus conventicula plebis & ſermones ocij lex arctior interdicit; plateis, pro clauſtro, ſcurrilitatibus, pro lectione continuntur. Eſt etiam eis publica & inexpugnabilis cum mulieribus familiaritas, quibus illæ, promiſſis & præmiſſis obligatæ munuſculis, dies iniquitatis & noctes infamiæ venditare comprobantur. Inter tot ſacræ profeſſionis iniurias, hoc etiam præiudicio Reſpublica premitur, vt quia Monachi ab infeſtatione ordinis non abſtinent, ab infeſtatione monachorum ſeculares minime abſtineant: res Sanctuarij, rapinis expoſitæ, diſpoſitæ flagitiis, exterius violentia, vinolentia & petulantia interius atteruntur. Tanto rerum pariter ac morum defectui, Paſtoris negligentia magnum contulit incrementum. Nihil ei cum Abbatis officio: cui nec mores ad exemplum, nec ad doctrinam ſcientia ſuffragatur. Primò, quia ſimplicitate nimia & cognata ſtultitia, quid cui conveniat, ignorat. Deinde maturioribus eum perſonis acquieſcere, pertinax & indocilis flecti prohibet improbitas. Ita ſuo ſuſtentatus, nec alieno credens conſilio, aſininam ſibi conformat & exprimit tarditatem. Ille neſcius morum reviſere officinas; cæteris præſidet ad diſpendium ſanctimoniæ, non ad iudicium culpæ: neque vel occultas explorat offenſas, vel manifeſtis erogat diſciplinam. Quàm rarus & invtilis in clauſtro reſidet, tam negligens & remiſſus in Capitulo conticeſcit. Nam de Refectorio quid dicam? de quo ſicut nulla ei cura eſt quid in illo edatur; ita nulla, quando edatur. Dormitorio quoque tam inexorabile odium indixit, ac ſi in eo quieſcere, communis materia eſſet infamiæ, non ſpecies doctrinæ. Accedit ad hæc, ornamentorum pariter ac poſſeſſionum diſtractio, qua nihil relictum eſt ad decorem domus Domini, nihil ad ſolatia pauperum, nihil ad Conventus alimentum: Dici vix poteſt, quotiens eum convenerim, quotiens præſentibus religioſis Abbatibus hominem increpauerim, nec tamen ideo vel moribus exhibita eſt reverentia, vel vitiis irrogata diſciplina. Porrò ne quid mihi ad eius correptionem defuiſſe videatur, ſub veſtra invitavi & traxi audientia, ibi cùm negligentiam ſuam purgare non poſſet, emendationem promiſit, fidem dedit: ſed facta ſunt noviſſima hominis illius peiora prioribus. Vt enim de ordine taceatur, quem penitus delictorum exinanivit impunitas, eo vſque monachorum ſuperbia declinavit, vt per præfati loci Burgenſes quotidiana ſtipendia mendicentur. Eò miſſus Abbas ſancti Vincentij, vir ſcilicet conſummatæ religionis, quàm dilapidatum invenit Ordinem, deſtinata vobis pagina nuntiavit. Super his ergo quid vobis placuerit, aut quid in præfatam beſtiam ſtatui oporteat, filium veſtrum ſigillatis apicibus inſtruatis. Diſſipatio fructuum, quos malè providus Abbas in herbam prævendere conſuevit, reſponſum deſiderat feſtinatum: Vale.

Cœnobium, Cænomanis indigens. C

Monachorum inexpugnabilis cum mulieribus familiaritas.

Abbas, officio & doctrina prælocat.

D

Correctio fraterna.

E *Purgare qui nequit emendare promittit.*

EPISTOLA XXXIX.

F

Innata & Iudaica proditione Canomanenſium Comes Rothrocus (licet reſectis & ad matrem miſſis capillis id pernegaverit) tum & Hubertus eius Dapifer, Ildebertum Epiſcopum tunc ſuum truſerant in carcerem, è quo cùm non viderentur illum dimiſſuri priuſquam nomine Redemptionis, argento aliquo illum emungerent, nec ei prodeſſent Epiſcopi Carnotenſis preces, & iactum in Hubertum Anathema, commendat ſe omnium Epiſcoporum & Eccleſiæ filiorum precibus: & cùm videret Eccleſiæ comparari ſervitutem ſi ſub precio redigeretur Epiſcopus, vitam redemptã nihil facere ſe, conſtanter profitetur.

G

OMnibus Epiſcopis, Presbyteris, atque vniuerſis filiis Eccleſiæ, I. Cœnomanorum ſacerdos, vinctus Chriſti Ieſu, ſalutem. Fœliciter ſunt miſeri, quos conſtat non meruiſſe quæ perferunt: In adverſis ſiquidem quædam felicitas eſt, qua reum putas eſſe, tamen innocentem. Hinc eſt quòd gloriamur in vinculis: quorum cauſa, nobis eſt pro ſolatio, non conſcientia pro flagello. Gloriamur cum Paulo, dicentes, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Qualis autem ea ſit, vel quæ fuerit noſtrorum cauſa vinculorum; audiant fratres mei, Conſacerdotes mei, Domini & amici mei: credo tantò devotiùs oraturos eos pro me, quantò noverint in me magis pati Chriſtum quam me propter Chriſtum. Viuit Deus & Dei Filius, & vtriuſque Spiritus novit, quia non mentiar. In turre Cœnomanenſi Comes Rothrocus in vinculis tenebatur: ad eum metu mortis trepidum vocatus acceſſi; deinde mihi confeſſus, domui ſuæ diſpoſuit, teſtamentum fecit, Eccleſiis diſtribuit. Quod vt illibatum permaneret; ſubmiſſis precibus à me impetravit, quatenus ego ipſe matrem eius aditem de teſtamento prohiberem teſtimonium, inhiberem ne quis illud minuere præſumeret, ne quis omnino tentaret adnullare. Factum eſt ſicut Comes poſtulauit. Iui, quòd vtinam pedem non tuliſſem! Mater Comitis in oſculo me ſuſcepit, applauſit teſtamento, gratias agens quod gratia Comitis acceſſiſſem. Rem taliter factam, nec filius nec mater diffitetur. Eadem die initum eſt adverſum me conſilium, in craſtinum iniectæ manus, in me iteratam diſcite Chriſti traditionem. Quinta enim feria, in oſculo ſum ſuſceptus: ſexta Feria, tanquam cum Chriſto iturus ad crucem, contumelioſe captus ſum, & poſitus in cuſtodia publica. *Diviſerunt etiam ſibi veſtimenta mea;* equis iam diſtributis inter eos qui gratis ad facinus diſcurrunt, ad honeſtum, nec precio. Porrò in illo caſtello, in quo hæc acta ſunt, Carnotenſis erat Epiſcopus, venerandæ vir auctoritatis: ſed apud ſceleris auctores, ſine auctoritate fuit auctoritas. Is in ſpiritu contrito Hubertum conveniens, (hoc enim Phariſæorum principi nomen eſt) primò blanditus eſt illi beſtiæ; ſed beſtia rationem non admittit: de hinc illum ſacrilegij liberè arguit, obſecrauit opportunè, importunè increpauit; poſtremò tradi-

Fœliciter miſeri, qui dici poſſint. Cõſcientia pro flagello. 2. Cor. 1. 12.

H

Epiſcopus Carnotenſis excommunicat Hubertũ pertinacem.

A

dit eum Sathanæ in interitum carnis,anathematis vinculo quo debuit alligatum. In omnibus his non eſt averſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Religioſi quoque Abbates,& conſummati nominis Anachoretæ ad lapidem convenerunt & invenerunt lapidem;non eum de quo ſuſcitat Dominus filios Abrahæ, ſed in quo nihil eſt humoris,in quo radicem non habet ſemen verbi Dei: In omnibus enim his non eſt averſus furor eius, ſed adhuc manus extenta. Miſſum denique ad Comitem Rothrocum; relata ei captio mea, confuſio & ignominia mea. Is primò, in corde & corde locutus, tandem dimitti me & ſatis Eccleſiæ fieri nuntiavit. Ac ne ſimulatoriè loqui putaretur, abſciſſos de capite ſuo capillos, matri ſuæ tranſmiſit;addens: Hubertum in me minorem ſibi intuliſſe iniuriam quàm ſi reliquos abſtuliſſet. In omnibus his non eſt averſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Ad vos ergo converſio mea, chariſſimi Fratres mei,Conſacerdotes mei, domini & amici mei. Oro vos orare pro me, curam agere de me, compaſſione eſſe iuxta me. Nam de redemptione nihil ago: ſemel Chriſti ſanguine redemptus, iterum redimi non requiro. Sanguis ille, redemptio mea: Sanguis ille, pretium meum. Indignum eſt,vt ſub pretio redigar cuius pretium ſine pretio eſt. Præterà infamis eſt redemptio, qua libertas perit Eccleſiæ, qua ſeruitus comparatur. Neceſſe eſt membra ſeruiant, ſi caput humilis ſub tributo.Neceſſe eſt Clericum redimi, ſi Epiſcopum cenſeas redimendum. Neceſſe eſt trepidare ſubiectos, ſi iuxta Comicum, ei opus eſt patrocinio, quem paras defenſorem. Ego certè tanti vitam non facio, vt brevem diligam, & redemptam. Malo periclitari de ea,quàm pro ea communem conculcare libertatem. Proſit Eccleſiæ mea mors, cui vivens dum præfui, non profui. Pontificis eſt ſi non vivere, mori ſaltem univerſis. Vale.

Capilli deſecti, ad contumeliæ notam.

B

Infamis eſt redemptio Epiſcopi qua perit Eccleſiæ libertas.

C

EPISTOLA XL.

*Scribit è carcere * ad Herlonem Sagienſem Epiſcopum, vt anathemate feriat Comitem illum Hubertum Comitis Rothroci dapiferum,qui violentas manus in illum iniecerat.*

* *Lege* Setionē

H. Dei gratia Sagienſi Epiſcopo;I.vinctus Chriſti Ieſu, ſalutem. Credimus ignorare te, quòd in vinculis tenemur iuxta te: ſi noſſes,nequaquam nobis tua ſolatia defuiſſent.Epiſcopus enim es,& illud Chriſti legis & intelligis; *In carcere eram,& veniſtis ad me.* Noueris ergo Coepiſcopum tuum carceribus mancipatum; Chriſtum Dei militibus iterùm traditum; multiplici cuſtodia iterum circumſeptum, & ab eo exigi quod conſtat non deberi. A modo niſi eum viſites;non ignorantiæ deputabitur, ſed culpæ. Viſitet ergo Chriſtus Domini vinctum Ieſu Chriſti; viſitet non paſſibus corporeis, ſed affectu charitatis,viſitet non rerum exhibitione, ſed precum. Bene nos viſitabis, ſi anima tua in amaritudine eſt propter nos: benè nos viſitabis, ſi ores ne relinquat Dominus virgam peccatorum ſuper nos: benè nos viſitabis, ſi cum Petro Malchum percutis perſequentem Chriſtum apud nos. Non gero docentis perſonam,ſed quærentis:ſicut enim Hieronymus ad Euſtochium ait: ſtultum eſt docere quod noverit ille quem doceas. Duos in cœna fuiſſe gladios; hoc quoque & legis & intelligis: vnum quidem Petrus in Malchum vibrauit,dum Malchus in Chriſtum manus extenderet, alter verò eductus fuiſſe non legitur. Aptè profectò inventus eſt vterque apud diſcipulos Chriſti,quia adhuc vterque oſtenditur in membris corporis Chriſti. Membrum enim Chriſti,Rex: membrum Chriſti,ſacerdos.Scienti loquor,noſti gladiū Regis, noſti gladium ſacerdotis. Gladius Regis cenſura Curiæ:gladius ſacerdotis,Eccleſiaſticæ rigor diſciplinæ. Hos Evangeliſtam figuraſſe legiſti, dicentem: *Domine Ecce gladij duo hic.* Si eſſet qui in gladio regni liberaret me, non peteretur duci gladius ſacerdotij propter me. Cæterū vides quia iā *Poteſtas ſine cauſa gladium portat,* in vagina reconditus eſt: pellibus mortuorū animalium tectus eſt. In Chriſtum Malchus, in vaſa templi Balthaſar impunè manus extendit. Nemo eſt quem zelus domus Domini comedat:nemo eſt qui cum Moyſe minetur & dicat: *Inebriabo ſagittas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Bonum eſt ergo ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus: Vnde, *ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri,*miſerebitur autem noſtri Deus. Adhuc ille *reſpicit in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum.* In Angelis eius repoſita eſt ſpes mea, collocat anchora mea, ne mergatur procellis fragilis nauicula mea.Scienti loquor:Angeli Domini, Pontifices eius, Angeli Domini, Sacerdotes eius: Malachias enim ait: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Si ergo Angelus Domini es, imò quia Angelus eius es, illum geris gladium,qui apud Ioannem de ore Angeli, bis acutus exiit. Hunc & tu (quod abſit) ſine cauſa portabis, niſi ſeces & tradas Sathanæ filium mortis: niſi claudas & obſeres reliquiis Adæ paradiſum Domini Dei tui. Hoc autem non dico tanquam mortem peccatoris deſiderans, ſed vt oſtendas peccatori cauteriatam conſcientiam ſuam,ſed vt ei cum propheta dicas: *arguam te,& ſtatuam contra faciem tuam.* Porrò filius ille perditionis, Hubertus Capræolus eſt. Hubertus conſilium malignauit adverſum me, manus iniecit in me, captum tenet me, de dapifero Comitis factus dapes diaboli. Illum enim nihil aliud ſapientem quàm terram, Serpens ille comedit qui ventre repit & pectore,cui dictum eſt, *terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Terra hæc ſpinas & tribulos mihi germinavit, propinauit vinum, non vinum quod lætificat cor hominis,ſed quod inebriaret amaritudine ſpiritum meum. In amaritudine enim ſcripſi tibi, rogans vt talem inveniam te,qualem me velles inveniri à te.

Mat.25.

D

Charitatis affectu inuiſere eos qui in carcere ſunt.

Membra Chriſti, rex & ſacerdos.Gladius duplex,curiæ & Eccleſiæ.

E

Luc.22.

Deut.32.

Pſ.122.

Pſ.101.

F

Malac.2.

Pſ.49.

Hubertus Capræolus.

Gen.3.

G

EPISTOLA XLI.

Vidua quadam iuvenis, olim peccatrix,ad Chriſti nuptias (non dubium quin voto Monaſtico) tranſierat. Eam humaniſſimè hac epiſtola hortatur Epiſcopus, ne ob anteactam vitam animum deſpondeat; nam & pœnitentes vt iuſtos, & Viduas vt Virgines placere Chriſto:Cæterum contra varias tentationes, varia illi præſcribit è Scripturis pharmaca, vtque ſibi à dæmone ſedulo caueat, admonet.

H

HVmilis Cænomanorum Epiſcopus I. A. tuæ Dominæ atque dilectæ, bonos eventus ex bono promereri principio. Quia te dominam appello, noveris eſſe meriti tui: quòd dilectam, debiti mei,ſponſa Domini mei, domina mea eſt: hinc eſt quòd te puro & ſanctitatis amore complector,quod *æmuler* te *Dei æmulatione.* Vapularem ſub iudice Chriſto, niſi ſponſam Chriſti zelarer & in Chriſto & pro Chriſto. Iterum enim dico, ſponſa Domini Ieſu Chriſti es. An regis amplexus de cubiculo militis traducta es; vxor hominis, vxor Dei facta es. Nolo tamen repudium timeas, quia cùm virgo eſſes; hominem Deo, regi militem prætuliſti.Oſee noſter meretricem ducit vxorem,Moyſes Æthiopiſſæ coniugio delectatur. Vnde ſitim Chriſtus extinguit? Samaritana poculum adminiſtrat. In plateis & vicis, pauperes & debiles, cæcos & claudos Evangelium quærit,vnde domus Patrisfamilias impleatur de reptilibus & immundis, in Actibus Apoſtolorum dictū legiſti: *macta & manduca:*denique peccatrix fuerat,de qua Ioannes in Evangelio ait:diligat Ieſus Mariam & ſororem eius Martham,& Lazarum. Innumera ſunt

2.Cor.11.

Oſe.1.

Num.12.

Ioan.4.

Luc.14.

Act.11.

Ioan.11.

A

ſunt exempla quibus etiam tabernarias peccatrices, ſuo Chriſtus coniugio dignari figuratur. Non enim de iuſtis, ſed de talibus quoque dictum eſt, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Evangeliſta quidam inquit: quidam ex eis, de longè venerunt, de longè Scortator ille filius veniebat, quem pater in ſymphonia & choro ſuſcipiens, ſaginatum pro eo vitulum interfecit.

Zach. 1. Mar 8. 3. Luc. 15.

De longè venientes zelatur Sponſus tuus; eis etiam ſe maritum offerens, quæ numerum perdidere maritorum. Chriſto itaque multæ vxores. Eius vxor, Agnes & Anna & Suſanna eſt. Agnes, nullius niſi eius: Anna, poſt alterum, tamen eius: Suſanna ſimiliter & alteris & eius. Quæ plus enim diligit parit vberius, quæ plus parit, dotatur ab eo ſublimius: nulla tamen indotata, quia nulla infœcunda.

Chriſtus ducit, & virgines & viduas. Mulier poſt annũ quinquageſimum nõ parit.

Apud ſponſas hominum (ſi verus eſt Phyſicus) in quinquageſimo anno fœcunditas omnium conquieſcit, quibuſdam nulla omnino filiorum benedictio eſt. Apud Chriſti coniuges non ſic: nullam tempus facit infœcundam, omnis ætas ab eo concipit, ei parit: In ortu quippe ſumunt Chriſti nuptiæ principium. Virgines naſcuntur omnes, cui ſorti debetur in cæleſti thalamo principatus. Fœmina fœminam generans, antè Dei ſocrus eſt quam hominis. Feſtiuum tam feſtinum coniugium! fœlix vix nata, & iam nupta, *Angeli* enim *neque nubunt, neque nubuntur*, quorum conditio ſexum ignorat.

B

Mar. 12.

Nam de cæteris Chriſti coniugibus, quid loquar, quibus exuberat in ſenectute fœcunditas? Anna fœcundior octogenaria quàm iuvencula fuit: vnum Sara genuit Abrahæ filium, Domino plures: *Omnes*, ſicut Salomon ait, *gemillis fœtibus* abundant, *& ſterilis non eſt in eis* Hæ ſunt quæ cum propheta dicunt: *à timore non concepimus & doluimus & peperimus, ſpiritum ſaluationis fecimus ſuper terram.*

1. Reg 1. Gen. 24. Cant. 4. Iſa. 26. 18.

Ad hoc & tu ſoror mea, Domina mea, ab hoc & tu, niſi fallor, concepiſti. Si autem concepiſti, neceſſe eſt ante partum doleas: cùm dolueris, enitendum tibi eſt vt parias, cùm pepereris, tunc tandem veraciter dictura es, *Spiritum ſaluationis tua Domine fecimus ſuper terram.*

Conceptũ ſpiritualem ſequuntur dolores.

Scio, mea chariſſima, quia Salomonem legiſti dicentem, *qui timet Deum, faciet bona*: & in Pſalmo: *initium ſapientiæ timor Domini*: cæterum, non illius ſapientiæ quæ apud Deum ſtultitia eſt, qua ſapientes ſunt homines vt faciant mala, ſed quam inter perfectos loquitur Apoſtolus; quam prudentes Virgines oleum in vaſis accipiunt, & cum Sponſo ad nuptias admittuntur.

Eccl. 15. Pſal. 100.

C

Hanc à timore ſapientiam, à conſtantia * timorem concepiſti. Rapina gaviſa es? legeras, *neque fures, neque rapaces regnum Dei* poſſidebunt. Mentita es? legeras: *os quod mentitur, occidit animam.* In damnum pudicitiæ iuvenibus placere ſtuduiſti? legeras? *qui hominibus placent confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.* Audiſti & exaudiſti ventrem? legeras, *Eſca ventri & venter eſcis, Deus autem & hunc & has deſtruet.* Ætas melior fluxerat, & nihil adduc feceras boni? legeras, *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio, ſuccide ergo illam.* Hæc mala, vel nulla bona feceras.

* Fort. conſciẽtia. Luc. 15. 1 Cor 6. Sap 1. Pſal. 52. 1 Cor 6 Luc. 13.

Met. 12.

Gal. 3.

Iudicium timuiſti? meritò autem timuiſti, quoniam iudicem dicturum didiciſti, *ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium, Timenda eſt ſanè atque tremenda hæc ſententia.* Timor illius, timor ſeruilis, ſed vtilis: de ſeruo quippe facit & filium. Quòd ſi filium, & hæredem: *Hæredem quidem Dei, cohæredem autem Ieſu Chriſti.*

D

Hoc timore timere cœpiſti, & concediſti: ſed vbi, vel quid concepiſti? in agro mentis, ſpiritum pœnitentis. Delicatus profectò conceptus, & excuti facilis ante partum! Mille ſunt veneficia dæmonum quibus iniectis, vel rude ſemen penitus deficere: vel enecari iam formatum conſuevit. Vnde Ambroſius, Facilius (inquit) inveni qui innocentiam ſervaverint, quàm qui veram egerint pœnitentiam.

Dæmones mille modis procurãt abortum ſpiritualis fœtus. Innocentiam ſervare quã ...

Hanc profeſſis, periculoſa eſt præteritarum recordatio voluptatum: eas enim tenerrimè caro ſuſpirat; & immemor vxoris Loth, egreſſum de Sodomis ſpiritum, frequentius reſpicere ſubhortatur. Multa eſt in hoc & ſemper ſollicita, non tam impetrare quàm extorquere conſenſum: nec ei laborioſum eſt in tali triumphare negotio, cùm omnes facile trahamur illecebris; & efficacior ſit conatus carnis ad crimen, quàm ſpiritus ad virtutem: vnde neceſſe eſt interiorem hominem dolere, quoniam non iam quod vult, hoc facit, ſed quod non vult, illud agit.

E

Pœnitẽti, facilius Voluptatum recordatio periculoſa eſt pœnitentibus.

Nolo expaneſcas, nolo deſperes, ſi dum incipis fugere te, velut poſt tergum muſſitet prurigo voluptatum: ſi iuxta quod Auguſtinus de ſeſe meminit, ſuccutiat carneam veſtem tuam, & dicat, quò fugis? quid tibi & vitæ; cui eſt impar muliebris infirmitas? quid tibi & oneri, ſub quo defectum ſexus muliebris pollicetur? Quid ſomnias, teneros artus & exquiſitis educatus deliciis, longum poſſe ferre Martyrium? Incipe, ſed quod te non pœniteat incepiſſe: quantæ tibi vires: tantus ſit & conatus, ne non poſſis quod conaris.

Gen 14. Caro fortior eſt ſpiritu.

2. Cor. 9. Vita Monaſtica, eſt longum Martyrium.

Caro, & mulier, duplex infirmitas; & conſortium vix diſcens dediſcere voluptatem. Apud neutram tuta eſt religio; donec maturior ætas, vtriuſque reſtinguat incendium. Eo tempore conſultius incipies quod modo periculosè profiteris.

Apud iuvenculas non eſt tuta Religio.

Neminem ſerò pœnitet, quem mors invenit pœnitentem. In extremo vitæ, Latro dum paradiſum meruit, exemplum reliquit. Operarios, qui circa vndecimam horam venerant, pares illis in præmio legiſti qui portaverant pondus diei & æſtus.

Serò non pœnitet, quem tãdem pœnitet. Luc. 23.

F

Hæc & his ſimilia ſacris obſiſtunt initiis, hæc ſementem virtutis extinguunt, & ſuffocant ante partum. Talia Syrenes amariſſimè dulces; talia cœli volucres, animæ cantitant inchoanti: ſi Syrenes audieris; à portu recedes in voraginem longiùs abſtracta voluptatum: ſi volucres te demulcent; fruſtrà ſeminas, quia quod ſeminas, à volucribus comedetur. Adverſus tam peſtilentes cantus (ſi ſapis) obſurdeſces: & ne eos exaudias, aſpidis exemplo, mentis aures obturabis. Eſt tibi *ſcutum fidei, in quo poſſis omnia tela Nequiſſimi*, & excipere miſſa & *ignea extinguere.*

Epheſ. 6.

Sunt etiam parata tibi iacula, quibus inſtantes confodias & expugnes inimicos. Si circa te fabulatorij ſpiritus, & incantatores carnis motus obſtrepuerint, eſto conſtans & dic: *declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Si recalere mulierem ſenſeris, & ad ſuas revolare velle ineptias, eſto conſtans, & dic: *Dominus confige timore tuo carnes meas, à iudiciis tuis timui.*

G

Pſal. 118.

Si paupertatem odiſſe cœperis, & perceperis divitiarum ſuſcitari deſiderium, redi ad te, & dic: *Væ vobis divites, quia habetis hic conſolationem veſtram.* Si te demulceat adulator, & ad plebeculæ laudes hilareſcas, redi ad te, & dic: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Si tibi ſuggeratur: in frigidiores annos bonum differre propoſitum, reſpõde & dic, *dies mei ſicut fur, ita in nocte venient.* Si gula deſæuiens tibi lautiores commendaverit apparatus, reſponde & dic: *non eſt regnum Dei eſca & potus.*

Pſal. 118. Luc. 6. Pſal. 141. 1. Theſ. 5. Rom. 14.

His velut quibuſdam increpationibus diffugiunt inimici: elabitur memoria voluptatum: carnis garrulitas conticeſcit, ſanctæ converſationis initia convaleſcunt, his formabitur & in fructum proficiet quicquid bona terra cordis tui conceperit à timore Domini Dei caltoris ſui. Fructum autem hunc intellige, fructum ſpiritus, fructum de quo Apoſtolus ait: *Fructus Spiritus, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, adverſus quæ non eſt lex.*

H

In huiuſmodi filiis hæreditas acquiritur ſempiterna. Fœlix, ſi ludat & exultet apud te tam beata progenies. fœlicior autem ſi de ea tuus triumphare non poterit inimicus. Fortaſſis ignoras, ſed in maſculos huiuſmodi ſuperſtes adhuc Pharao debacchatur, inuidiam quam cœpit ante partum conſtanter exercens & poſt partum: quos enim conceptos doluit, editos mergit in flumine, ne ſciens cum iam natis in gratiam reverti, quos oderat naſcituros. Perſequitur ergo illos vſque in hodiernum diẽ. nec pudet congredi ſuperatum, dummodò ſperet aliũ ſuperare. Sive igitur parturias adhuc, ſive iã educes quod peperiſti, illũ time Pharaonẽ, quo ſicut nihil perverſius eſt, ita nihil aſtutius Eius aſtucia factũ

Gal. 5. Exod. 1. Gen. 4.

A eſt, vt de prima muliere modico triumpharet apparatu: vno enim pomo ſuperavit, quo dum laceſſit perſonam, vulneravit & naturam. Inde nimirum corrupta eſt tota progenies, & proſtratos invenit hæredes, parentum triumphator. Eſto igitur non immemor, cum quo hoſte bellum inieris, quo congreſſa ſis patrimonio, vt non minus inimici pertinacia, quàm præmij magnitudine ſaluti tuæ invigiles, in eo & per eum vincere quærens, qui propter te mortuus vicit, ſepultus triumphavit Ieſus Chriſtus Dominus Deus noſter.

EPISTOLA XLII.

Epiſcopo cuidam (vt veriſimile eſt) ſcribit, anathemate non iuſtè percuſſum ab illo Liſiardum quendam, ob raptum filiæ Gaufridi, qui raptus non ſit veriſimilis, imò, verum eſſe illius cum illa Gaufridi filia matrimonium, cùm intervenerit vtriuſque conſenſus.

B NE vel deeſſe iuſtitiæ, vel adverſus iuſtitiam, Liſiardo, immeritam videamur anathematis inferre ſententiam, de ſacrilegio, rapina, quorum ipſum arguitis, veritatem diligentius inquirere diſpoſuimus. Itaque ſecundum tenorem recitati nobis negotij, præfatum Liſiardum nec ſacrilegij reum eſſe manifeſtum eſt, nec aliquam filiam Gaufridi impetiuiſſe violentia. Quis enim affirmare audeat, puellam de monaſterio Sanctimonialium abſtractam: quam (maturioris doctrinæ cauſa, ſacris commixtam Virginibus) ad virum egredi dictavit, mater voluit, amita eduxit, ipſa conſenſit, conſenſit vtique, in nullius niſi Liſiardi (ſicut ipſa teſtatur) eo vivente, tranſitura coniugium? Sanè conſilium ſapiens & maturius ſuis annis, quo ſic harmonia ſuâ legitimis eſt ſervata nuptiis, vt eligeretur vir non inferior genere, non conditione abiectior, non minor poteſtate! Quantum autem conſenſus obtineat in matrimonio principatum, Nicolaus Papa ſic demonſtrat Hincmaro Epiſcopo, ſufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, quorum de coniunctionibus agitur, qui conſenſus, ſolus in nuptiis defuerit, omnia cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur. De eodem Ioannes Chryſoſtomus: Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas. Hoc etiam Vrbanus Papa non tacuit, ſuper Arragonum regem, qui neptem ſuam cuidam militi ſe daturum, ſub fidei promiſſione firmauerat, canonicum proferens in hæc verba Capitulum: de neptis tuæ coniugio, quam te cuidam militi daturum, neceſſitatis inſtante articulo, ſub fidei pollicitatione firmaſti: hoc (æquitate dictante) decernimus, vt ſi illa virum omnino (vt dicitur) renuit, & in eadem voluntatis authoritate perſiſtit, vt viro illi prorſus ſed eneget nupturam, nequaquam eam invitam & renitentem eiuſdem viri cogas coniugio ſociari: quorum enim vnum corpus eſt, vnus debet eſſe & animus, ne fortè cùm virgo alicui invita fuerit copulata (contra Domini, Apoſtolique præceptum) aut reatum diſſidij, aut crimen fornicationis incurrat: cuius videlicet peccati malum in eam redundare conſtat, qui eam coniunxit invitam.

Puella in Monaſterio Sanct-monialium, doctrinæ cauſa, enutrita

C

Non coitus ſed conſenſus matrimonii facit.

Hom. 36. in Matth. 32. q. 11. c. de Neptu.

D

EPISTOLA XLIII.

Profitetur ſanctum ſuum, erga Reginam Anglorum (vt puto) amorem, ſeque nunquam eius oblitum eſſe ad altare.

LOcorum vel temporis incommoda, ſanctus amor ignorat: Affectus in eo principatur qui ſemper ſui iuris eſt, nec ei vis præiudicat aliena: omni ſiquidem tempore licet diligere, etſi quem diligas videre liceat. Hinc eſt quòd mari & terra ſeparatus à te, in Chriſto diligo te, illuc mentionem tuam deferens, vbi & honeſta cogitatio præmium, & illicita ſupplicium promeretur. Ad altare quippe Domini tua me comitatur memoria, timentem ne mihi cedat ad iudicium, ſi eo te interventu defrando, quem beneficiis regina comparaſti. E

EPISTOLA XLIV.

Quidam ſacerdos, de communi pane ſacrificium obtuliſſe confeſſus, mittitur puniendus, magis ob ſcandalum Eccleſiæ (cuius gregem Sacrificij novitas conturbauerat) quàm ob grauitatem culpæ.

SAcerdos præſentium lator dum miniſtraturus ſacris adſtaret altaribus, nec in hoc præparatum panem inveniret, de communi pane ſacrificium ſe confitetur obtuliſſe: qua in re licet potiùs conſuetudo quàm fides impugnetur, nos tamen nonnullam in eo culpam attendimus, arbitrantes grauius puniendum eſſe Eccleſiæ ſcandalum, quam delictum, & ſacerdotis iniuriam, quàm reatus qualitatem: quod quia in veſtra Diœceſi factum eſt, perſonam quæ peccatum peccavit, ſub veſtro ſtatuimus iudicio, quatenus ab eo Paſtore tranſgreſſio puniatur, cuius gregem Sacrificij novitas conturbavit. Erit igitur veſtræ deliberationis in ſacerdotem, qui malè conſecravit, eam proferre ſententiam, quæ plus patris habeat quàm Iudicis, plus miſericordiæ quàm cenſuræ: Scriptum eſt: *cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* F

Eccleſiæ ſcandalum, ipſo delicto etiã grauius puniendum

Hab. 3.

EPISTOLA XLV.

Hortatur Eccleſiaſticum quempiam, ad bonum perſeverantiæ, ac ne patiatur puriſſimum conſcientiæ argentum cuiuſquam muneris ſcoria decolorari.

ZElum legis habes, quem tamen tibi cathedra non contulit, ſed apud te invenit: Id oſtendunt commiſſa tibi Eccleſiæ negotia; quæ pariter, & inter minas intrepidus, & integer inter munera ſub capitis diſcrimine peregiſti. Cæterum, *qui perſeveraverit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Perſeveres oro, nec aliundè patiaris, vt illud puriſſimum bonæ conſcientiæ argentum, cuiuſlibet muneris ſcoria decoloret. Venturus eſt Satanas ad te, qui tentet te, qui dicat, *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me:* ſed ſi benè novi te, ſic reſpõſurus es Tentatori, *vade retrò Sathana.*

Mat. 10. 24.
Mat. 4.

G

EPISTOLA XLVI.

Quendam ſibi benè notum, derelicti gregis ac male ſuffecti procuratoris arguit.

SIcut reprimendæ præſumptionis eſt, ad animarum regimen accedere non vocatum, ſic iam ſuſceptum deponere nulli, niſi quem ſua deiecit culpa, canonicis permittitur inſtitutis. Vnde & apud Fratres, qui ſub data tibi profeſſione vitam vivunt communem, graviſſimum noveris exortum eſſe ſcandalum, quia eos inconſultos relinquere, & invitis ac renitentibus Procuratorem ſubſtituere decreuiſti. Qui poſtquàm ſic ſe dimitti, ſic ſubmitti quorundam relatione didicerunt, ad nos vſque fatigati, gravem nimis & plenam gemitu deprompſere querelam. In dubium namque venit, magiſne tuum accuſent abſceſſum, an acceſſum illius recuſent, quem indicaſti ſubrogandum derelictis. Eum quidem credimus facile ſuſcepto abrenuntiatorum negotio, vtpote qui noverit oportere trahi,

Animarũ ſemel ſuſceptã curam deponerẽ nõ licet.

H

non

A

Durius arguendus eſt qui ſe gregi ſubtrahit. Boni nõ deſerendi, mali tolerandi.

non vltro ad ſarcinam currere paſtoralem. Tu autem vehementer arguendus es, & durioribus verbis increpandus, & ſine cauſa legibus tradita, gregi commiſſo Paſtoris præſidium ſubtraxiſti. Quo in grége, ſi vel unius vel plurimorum tibi perverſitas diſplicuit, Auguſtinum tamen tua debuit attendere paternitas, ad Vincentium, ſic ſcribentem: Propter malos boni non ſunt deſerendi, ſed propter bonos mali tolerandi ſunt. Si verò totus grex (quod abſit) vias incedit tortuoſas, nec in ſermone tuo requieſcit eorum ſpiritus inquietus, prius tamen fuerit in auribus noſtris eorum ponenda cauſa, quàm deponenda cuſtodia. Porrò de demiſſione huius, idem Auguſtinus in 3. lib. contra Donatiſtam Parmenianum: qui vult corporaliter, quaſi manifeſtos malos deſerere, ſpiritualiter deſerit latentes bonos, quos inexpertos & incognitos cogitur accuſare, dum ſeparationem ſuam conatur defendere. De eodem quoque, vir vitæ Venerabilis, gratia Benedictus & nomine amplectendum nobis exemplum propoſuit, nequaquam paucùlas oves deſerens, donec vllam omnino cui prodeſſe poſſet, invenit. Hinc & Gregorius ſuper Ezechielem, ſic ait: qui animarum cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera ſuſceperunt, mutare loca minimè permittuntur. Memineris igitur, ſumma cum feſtinatione ad commiſſum tibi gregem reverti ſub diſtricto Iudice puniendus, ſi vel parere, vel quæ poſt diſceſſum tuum perperam facta ſunt, corrigere diſtuleris.

B

Paſtores à grege abeſſe non licet.

EPISTOLA XLVII.

Spiritualem quendam hominem (ni fallor) ſumma animi modeſtia hortatur vt ſicut cæpit pergat libare Deo, quod pro Deo aurum recuſaverit: alioqui fatetur, ægrotum ſe valenti conſilium dare.

C

Levit. 3. 9. & 7. 3.

Virtutem profiteri, pronum, profeſſam vſq; tueri, arduum.

SAnctæ converſationis veſtræ procedentibus primordiis gratulamur; eorum authorem deprecantes, vt mereamini talarem induere tunicam, & hoſtiæ caudam immolare: quod ita futurum Chriſto Ieſu cooperante confidimus, bonam ſpem nobiſcum reportantes, quia eo duce pervenietis ad bravium qui movit ad curſum: quo in propoſito, quanta vobis occurſent remoramina, iam niſi fallimur, experientia didiciſtis. Ad virtutem namque gradientes, quo offendant, utique inveniunt. Eam profiteri, pronum quidem eſt, perſeverare autem, difficile. Inde fit, vt cum propè ſit, quò curritur, plures tamen breviſſima deficiunt in via. In Ægypto enim ſumus, in qua maſculorum vitam ſuperſtes adhuc Pharao perſequitur. Tot in deſerto, vel gladiis vel ſerpentum morſibus ceciderunt, vt duo tantum terram intrarent promiſſam. Denique *multi vocati, pauci verò electi.* Quid autem ſit, quo retardentur contendentes in hoc agone ſacerdotes, etſi veſtram non lateat prudentiam, nos tamen illud vobis ſcribere decrevimus, exhortandi potiùs gratia quàm docendi. Equus cum benè currat, plurium tamen clamoribus exhortatoriis adiuvatur. Ociùs iuvenci moventur, notis vocibus excitati: ſic & virtus ſtimulos requirit, & exhortatione ſuſcipit incrementum. Ad verum itaque deſudanti bonum nihil æquè noxium eſt, quàm inter divitias ſibi minimè conſtare, nec animi retinere libertatem. Animus deſurſum veniens, ſurſum nititur: difficilè, quò ſperat vel aſpirat, perventurus, niſi exoneratus inceſſerit. Ille ſimulatque ad inferiora declinat bona, degenerat, & incipit ex proprio defectu ſervire, cuius eſt ex natura dominari. Grave nimis, hanc excutere ſervitutem, quæ voluntate potiùs quàm ſervitute ſuſtinetur. Imperioſus enim dominus eſt, amor habendi, faciliùs impugnans animos quàm corpora, Siculorum immanitas Tyrannorum. Nemo eſt cui tandiu tam devotè ſerviatur; quocunque vult, ſuum ducit ſervũ. Non eripitur ſibi fuga,

D

Mat. 20.

Virtus exhortatione ſuſcipit incrementum.

non alicuius violentia poteſtatis, vix enim de cupiditate triumphat, de quo ſemel cupiditas triumphavit. Cupiditas leges obliterat, ius omne perſequitur, divinas abradit ſanctiones. Cupiditas, *in regionem diſſimilitudinis*, adducit hominem oblitum quam cum Deo, & ex Deo habet dignitatem. Denique (ſicut ait Apoſtolus) *Radix omnium malorum cupiditas.* Radix huiuſmodi, radix mortalis, & ramos proferens toxicatos: ex ea namque eſt quod Oſee Propheta teſtante: *maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Sub vmbra ramorum iſtorum *animalis* homo quieſcit, eò, cupiditate, docilis declinare. Is ad viam difficilè revertitur, torpens & quaſi frigore gelatus Aquilonis. Nimirum propter hoc frigus, *piger arare non poteſt*, &, *peccator cum venerit in profundum iniquitatis, contemnit.* Pharao cùm eſſet ferventi plagæ proximus, hoc frigore tamen induruit, quia labores manuum Iſraël indebitè vſurpavit. Dici non poteſt quantas animas hoc frigus aſtrinxerit, quorum propè conſummatum abruperit curſum, quàm gravem retentis indixerit ſervitutem. Animi quippe libertatem, plures inter tormenta ſervarunt, inter opes autem pauci. Miſerabilius cupiditas de Saule ipſo, quàm Saul de Amalech triumphavit. Mercede captus Balaam, plenam maledictionis animam geſſit, cùm verbis eius ad benedicendum Dominus vteretur. Ante hoſtes cædit Iſraël, donec pro ſublatis de anathemate ſpoliis, lapidibus Acham puniretur. Et ut roſam de ſpinis colligamus; Atalanta, ſecundum poëtam benè currebat, quæ dum declinaret ad aurum Hippomenis, victa ſuccubuit. Legimus, plures etiam perfectos, hac infectos amurca, & converſam eſſe in divinationem, multorum prophetiam prophetarum. De his enim ſic Micheas, ait: *Sacerdotes Hieruſalem in mercede docebant, & propheta eius in pecunia divinabant, & requieſcebant ſuper Dominum, dicentes: numquid non eſt Dominus nobiſcum? non venient ſuper nos mala!* Quem locum exponens Beatus Hieronymus: Sacerdotes (inquit) in morte dedocebant, & prophetæ in pecunia divinabant, &c. neſcientes aliud eſſe prophetiam, aliud eſſe divinationem, videbantur quidem ſibi eſſe prophetæ, ſed quia pecuniam accipiebant, prophetia eorum facta eſt divinatio: quæ dum minus attendunt qui ſub pretio redigunt impretiabilem Spiritus gratiam, ſimiles fiunt lignis ſylvarum, quæ in libro Iudicum olivam & ficum & vitem imperare ſibi poſtulant, nec impetrant: poſtulant deinde rhamnum & rhamus ei acquieſcit. Noſtis equidem per ſicca & infructuoſa ſylvarum ligna pſeudo-eccleſiæ figurari miniſtros fœcundante gratia carentes, nec fructum facientes, quæ Dei ſunt malè quærentes, nec impetrantes. De huiuſmodi ſic Apoſtolus Iudas ait: *hi ſunt arbores autumnales eradicatæ, infructuoſæ, bis mortuæ.* Noſtis etiam quia unctio illa, nomine figuratur olivæ: qua diffunditur charitas Dei in cordibus noſtris, qua Filium Deum *Deus vnxit præ conſortibus* ſuis, qua interius deliburi ſunt diſcipuli Chriſti; ſed iuxta miniſterium donationis Chriſti. De hac unctione Dominus per Prophetam Ioel: *Effundam* (inquam) *de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ.* Porro, per ficum, lex vetus indicatur, quæ plantata in vinea Domini Sabaoth, in vineam de Ægypto tranſlata, ficus malas protulit & bonas: malas quidem, malas valde, bonas autem, bonas valde. *Littera* enim Legis *occidit, ſpiritus autem vivificat.* Hanc ficum, in Evangelio innuit cùm dicit: *quidam Paterfamilias plantavit vineam*, & in vinea plantavit ficum. Nam per vitem, quis rectiùs quàm Chriſtus exprimitur, qui de ſeipſo diſcipulis loquens, ait: *Ego ſum vitis, vos palmites?* Vitis huius vinum, Evangelij muſtum eſt, muſtum lætificans cor hominis, & utres eorum recuſans animorum quos fecibus vetuſtatis obſoletos invenerit. Huiuſmodi muſtum Evangeliſta indicat his verbis; *Nemo mittit vinum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & pereunt*

E

Cupiditas r. d. radix malorũ.

1. Tim. 6

Oſe. 4.

Prov. 18.

Exod. 13.

F

Inter tormenta manſere liberi multi, inter divitias pauci.

Ioſ. 7.

Mich. 3.

G

Iud. 9.

H

Pſal. 44.

Ioël. 2.

2. Cor. 3.

Luc. 13. 6

Ioan. 15.

Matth. 9

A Matth. 7. Luc. 5.

eunt utres. Rhamus autem, ſcilicet ſpinoſum genus rubi & aſperum convenienter oſtendit hominem peccati, filium perditionis, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus. Has ſpinas & aculeos.

Luc 5. Pſal 13. Pſal 9. ud. 9.

Pſalmus innuit cùm dicit: *cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine & dolo, ſub lingua eius labor & dolor.* Et poſt pauca: *inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua.* Cum itaque ligna ſylvarum præſcriptas arbores imperare ſibi poſtulant, non impetrant, quia cùm præfatæ perverſitatis homines, quæ Dei ſunt, malè quærunt, non accipiunt. Scriptum namque eſt:

Pſal. 65.

iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Poſtulant iſti operatricem Spiritus ſancti gratiam,

Actor. 5.

ſed Simoni Petrus ait: *Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto.* Poſtulant myſtico Legis intellectu, quaſi

B Eſai. 6.

quibuſdam dulciſſimis fructibus paſci: ſed iuxta Iſaiam: *excæcat Dominus cor populi huius, & aures eius aggravat, & oculos eius claudit, ne fortè intelligant & audiant & videant, & convertantur & ſanentur.* Poſtulant hærere Chriſto quaſi palmites viti, & evangelica imbui doctrina; ſed eis nihil eſſe conventionis cum

2. Cor. 6. Sap. 1.

Chriſto ſic Apoſtolus oſtendit: *quæ convenientia Chriſti ad Belial?* Et Salomon: *in malevolam* (inquit) *animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Quia igitur huiuſmodi nec ſpiritu Dei reguntur, nec legalibus aut Evangelicis ſubiiciuntur documentis, Rhamum ſibi poſtulant, quoniam Antichriſtum rectorem ſibi conſtituunt, in eis iam myſterium iniquitatis operantem. Quanta ergo ſit peſtis cupiditas, quæ virtutis abjuratio, quam præceps ad infernum deſcenſus, nec etiam tardiores credimus ignorare.

Imaginẽ Dei. dolo ſubſterni indignũ. C

Turpe nimis Chriſtum Dei hoc inquinari atramento, quo prophetia in divinationem degenerat exinaneſcit interior Spiritus vnctio, myſticus legis obſcuratur intellectus, aufertur Evangelicæ ſapor doctrinæ, & qui ſe jactitant regnum Chriſti, regnum fiunt Antichriſti. Turpe (inquam) nimis, animam Domino ſimilem, huic Idolo ſubſterni, curvare genua ante Baal: his hominem amittere maleficiis, quibus etiam ſapientum oculi faſcinantur, ut non videant cœlum, neque recordentur iudiciorum iuſtorum. Scimus autem, & Domino Dei gratias agimus, vos omnimodè præfatam fugere tempeſtatem, nec diſſimulanter indignari, Chriſtum Dei vel auram odorari munerum, vel favorem quærere perſonarum. Sancta hæc & Deo placens indignatio, quam & lingua loquitur, & actio atteſtatur. Audivimus tamen non defuiſſe qui vos urgerent ad ſpatioſas & ſpectantes ad mortem vias: qui dicerent, rem veſtram, ſumptuoſis non ſufficere expenſis, habendum præ manu, quod de manu pauper accipiat: his *qui altari* deſerviant licere, *de altari* vivere.

1. Cor. 9. D 1. Reg.

Saulum deſiderium animi ſui vaticinio quæſiturum, pondus argenti ad Prophetam Samuelem tuliſſe verba hæc, ſibili ſunt antiqui ſerpentis, cui parum eſt abſorbere fluvium, niſi & hoc attentet, ut influat Iordanis in os eius. Hæc dicentes, ignorant:

Pſ. 36. 16. 3. Reg 14

melius modicum iuſto, ſuper divitias peccatorum multas. Et quidem Saul aſinas quæſiturus, quartam partem cicli ad Samuelem gerit: & uxor Ieroboam, cum paſſis uvis & panibus ad Ahiam virum Dei ingreditur. Hi profectò, ſicut ſcribit Hieronymus, quia didicerant nonnullos mercede vaticinari, credebant & iſtos in mercede vaticinari. Cæterum neuter eorum legitur delata ſuſcepiſſe munera, cum potiùs Samuel ſatis hoſpitaliter Saulem paviſſe, Ahias vero præfatam mulierem verbis durioribus increpaſſe memoraretur. Fateamur autem eos accepiſſe, ſecundum eundem Hieronymum, ſtipes potius dicenda ſunt templi, quam præmia prophetiæ: Vos igitur agite quod agitis, incedite ſicut cœpiſtis, vos, ad vocem incantantium & *venefici incantantis* ſapienter ad mortem, mentis aures obturate, ſcientes quoniam aurum & argentum libatis Deo, quod pro Deo recuſatis. Aquam etenim periculo militum de Bethlehemitica ciſterna ſumptam, quia David (cùm ſitiret) propter Dominum, eam fudit, gratum Domino ſacrificium fecit.

E 2. Reg. 23. 15. * Recharedo uiſigottorum. C. Cr. * Epiſtol. lib 7. Indictionis 2. Epiſt. 126. Necharedo Regi Viſigottorum.

Qua de aqua, Betharedo * Guiſi Gothorum regi qui oblatum ſibi aurum pro Deo recuſaverat, ſic Beatus Gregorius ait: * David Regis factum mihi ad memoriam venit, cui dum concapita aqua de ciſterna Bethlehem, quæ inter hoſtiles cuneos habebatur, ab obſequentibus militibus fuiſſet allata, protinus dixit: *Abſit à me, ut ſanguinem iſtorum hominum bibam:* quam quia fudit & bibere noluit, ſcriptum eſt, *libavit eam Domino.* Si ergo ab armato Rege in ſacrificium Dei verſa eſt aqua contempta, penſemus quale ſacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, ſed aurum accipere contempſit. Hæc ſanctitati veſtræ ſcripſimus ſimiles ægroto bene habentibus antidotum procuranti. Cæterum ſanis quoque, languentium manus aliquando profuerunt. *Novimúſque Poetam fungi vice cotis, acutum reddere quæ valeat ferrum exors ipſa ſecandi.*

F

Sanè dum vobis hæc exaramus, exoramus ſcrutantem renes & corda, ne patiatur hoc defectu veſtrum pulſari ſpiritum, quo præſumeretis ea potius arrogantiæ quàm charitati deputare. Ignorat imperfectum hoc anima mea; cùm depreſſam ſe graviſſimis exceſſibus non audeat diffiteri. Quicquid eſt actum, charitas docuit, cuius eſt *gaudere cum gaudentibus*, & cum infirmantibus infirmari. Vicem mihi rependitis, ſi diligitis me, & oratis pro me. Rom. 12.

EPISTOLA XLVIII.

Orationum ſuffragia pro defuncta Regina petentis amici exhortationem, ſic antevertiſſe, licet eam ita vixiſſe ſciret, ut non egeret interventu poſt mortem, reſcribit: & ad extremum, exceptiones decretorum pollicetur.

G

PLerumque fit vt ex præteritis eventum colligamus futurorum, unde & nos veram amicitiam ſperamus ex vobis, quæ amico ſepulto non ſepelitur in vobis. Docet hoc, animi veſtri erga reginam ſanctus & ſuperſtes affectus, cui, pro ea intervenire non ſufficit, niſi & aliorum etiam impetret interventum. Oratis quidem orari pro ea: ſed credimus eam plus poſſe ſuis nos adiuvare, quam egere noſtris precibus adiuvari. Fateamur enim neceſſe eſt eam deceſſiſſe reginam, cui nec ex opulentibus deliciis, nec ex poteſtatis licentia, nihil ex lenocinio ſexus, ad honeſtatis periculum ſurrepſit. In ea, præter virtutem, nihil virtus invenit. Quem vitæ modum licet interventu poſt mortem non egere noverimus, veſtram tamen præceſſimus exhortationem, veriti iudicium niſi orationum ſedulitatem, quam à nobis regina promeruit, ſpontanei potiùs quàm rogati ſolveremus.

H

Ingratum coluit, niſi colatur & ipſa pro ipſa. Præterea non ſolamur à debito, ſi interventum noſtrum alienus ei compararet interventus. Beneficium namque pro alio remunerare quàm pro ſe ipſo, non ſolvit ſed obligat debitorem. Sanè pro deſtinatis nobis ſcriniis, primo paginæ noſtræ capitulo gratias ageremus, niſi ſicut in animo, ſic & in ſcripto primum ſibi locum regina vendicaret: ſerò enim reginæ meminit, quiſquis eius poſt aliud recordatur.

Pollicetur exceptiones Decretorum.

Exceptiones autem Decretorum quas in unum volumen ordinare diſpoſuimus, ad ſuum finem nondum perductæ ſunt: opus enim hoc, liberum curis pectus deſiderat, cuius nos immunes, Epiſcopatus fecit: bonam tamen explevimus partem, atque ad id peragendum quod reſtat, Epiſcopum deponemus. Peractum veſtras veniet in manus, nec opus erit quod pro eo deferendo veſter Legatus ad nos uſque fatigetur. Officij noſtri erit, vobis illud per noſtrum deſtinari. Vale.

A

EPSTOLA XLIX.

Sancti Auguſtini teſtimonio Epiſcopum laudat qui ſtudioſus libertatis Eccleſiæ Epiſcopaliter deſudaſſet, nec abſtraherentur de Eccleſia, qui illuc immunitatis gratia confugerant, atque quod cœpit ſtrenuè peragat, hortatur.

AVdivimus & valde lætati ſumus, fraternitatem veſtram pro eorum deliberatione, qui de Eccleſia violenter abſtracti ſunt; ſatis Epiſcopaliter deſudaſſe. Cæterum qui *perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* Credimus autem vos perſeveraturos, quoniam & honorem Eccleſiæ Chriſti diligitis, & canonicas non ignoratis ſanctiones. In his enim noviſtis contineri; reum fugientem ad Eccleſiam, nemo abſtrahere audeat nec inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor ſervetur Eccleſiarum. Auguſtinus quoque inter illa quæ fidei adverſantur, hanc eſſe contumeliam ponens, ad Bonifacium Comitem qui de Eccleſia hominem abſtraxerat, ſic ſcribens ait: Miror quàm ſubitò fidei murum aries ruperit inimici, novi enim qua religione ſemper ſis Eccleſiam veneratus; quo inſtigante furore hominem de Eccleſia rapuiſti? Idem poſt pauca: Ecce igitur illæſum revoca, quem vt irreligioſius rapuiſti. Oblatio verò domus tuæ à Clericis ne ſuſpicatur, interdixi, communionemque tibi interdico, donec peracto pro auſibus à me definito tibimet pœnitentiæ tempore, contrito corde & humiliato, dignum offeras Deo ſacrificium. Porrò dictum eſt nobis, raptores dicere, quod * Walguerius fidei pollicitatione promiſerit, ſe (niſi eorum licentia) de captione nullatenus exiturum, quod ſi etiam verum ſit, tamē nec uſus habet, nec ratio permittit ut reus de Eccleſia abſtrahatur. Qui enim dixit: Reum de Eccleſia nemo abſtrahat: nullum omnino excluſit quem ſalva liceret abſtrahi iuſtitia. Nos quoque conſuetudinem ſequentes, quæ nec rationem impugnat nec legem, his etiam qui violata fidei promiſſæ reverentia ad ſinum matris Eccleſiæ confugiunt, integram egrediendi vindicamus libertatem, & raptores Eccleſiaſtica punimus diſciplina. Qui ſcilicet raptores, ſi adverſus liberatos læſæ fidei cauſam moverint, neminem omnino liberatorum Eccleſiaſtica compellit reſpondere iuſtitia. Valete, & quod cœpiſtis, ſtrenuè peragite.

Mat. 10.

B

Eccleſia locus immunitatis.

16. q. 4. c. Miror.

* Galvvenus.

C

Deus abſtrahi eccleſia nequit.

EPISTOLA L.

*Nomine Wilſelmi de * Longeio, qui Hugoni excommunicato communicans exciderat gratia Epiſcopi, apud quem gratus ante pro Hugone intercedebat, petit Hildebertus, illi & alteri in integrum ignoſci.*

POteſtati cedit ad gloriam, iniurias ulciſci nolle cùm poſſit: quod ſerenitas veſtra ſatis epiſcopaliter attendens, Wilielmo * Longeio, indulſit, qui pro Hugone (veſtro ſcilicet excommunicato) in Engoliſmenſi concilio agens, dum eius quæreret gratiam, amiſit veſtram: in quam licet interceſſione veſtra redierit, tamen quia ſemper ſuſpecta eſt offenſa Poteſtas, adhuc per nos deprecatur ſibi in integrum ignoſci: quod eum conſtabit adeptum, ſi eius provectui perſona quam offendit non obſtiterit. Abſit autem ut ſic ad ultionem remiſſæ revoletis iniuriæ, cuius eſt, in remittenda ex animo iniuria Solem prævenire occidentem. Bis Deo ſacrificat offenſus & clemens præſul. A tyranno parum differt ſacerdos, illatæ memor iniuriæ. Præterea, immeritum perſequitur, puniens qui remiſit offenſam. Remiſiſtis autem & hoc nobis ſignum: eundem vero nobis in præfato commiſiſtis concilio: præcipientes ut ex noſtra deliberatione ſuper hoc ſatisfaceret Deo, quod excommunicato veſtro communicare præſumpſerat. Si quid apud amicum preces amici poſſunt, ſentiat Guilhelmus, verè ab animo veſtro omnem omnino propulſatum rancorem: quoniam qui potuit offendere poteſt & vult offenſam devotis redimere obſequiis.

* Lonleio.

D

* Lonleio.

Tam donandæ eſſe poſſunt ulciſci iniuriæ.

Poteſtas offenſa, ſemper eſt ſuſpecta.

Epheſ. 4.

Sacerdos memor iniuriæ, tyranno eſt æqualis.

E

EPISTOLA LI.

Vigilantianæ hæreſeos interpellatorem inſectatur & confutat, qui ut maiore auctoritate impietatem propagaret (otioſas nimirum eſſe Letanias quibus Sanctos oramus pro nobis intereſſe, cùm nec audiant nos, nec ſciant quid agatur apud nos) Hildebertum, eadem ſecum ſentire & docere ventilabat.

F

IN regno quidem, nullus; in errore animi, omnis homo ſibi conſortem quærit, quod ideo utique fit, quia cuilibet inventioni hominum, conſenſu multitudinis auctoritas accedit. In ortu ſuo Arriana ſuffocaretur impietas, niſi tutores qui natam educarent inveniret. Donati ſchiſma premeretur ſilentio, ſi perſonam infeciſſet, non turbam. Tu quoque tanquam doleas omnimodo ſuppreſſam Vigilantij perverſitatem, ſuſcitare eam prohiberis, & tibi ſocios adhibere, quorum cultu *plantatio quam non plantavit Pater meus cœleſtis*, ſicca dudum revireſcit. Ais enim (ut aiunt) quid in iſta geratur vita, Sanctorum animas ignorare, atque ideo otioſas iam eſſe Letanias quibus oramus, ut orent pro nobis Sancti, quia audiunt nos, nec noſcunt quid agatur apud nos. Qua videlicet Sanctorum injuria, & gravius anima noſtra vulneratur quòd quibuſdam dixiſſe diceris, me idipſum ſentire, idipſum tenere & docere. In cœlo eſt Iudex meus, conſcius meus, quem nec intuentem fallere, nec evadere poſſum iudicantem. Coram eo loquor: novit ille quia nunquam in tantum evanui defectum, ut id vel dixerim, vel aliquando carnaliter ſenſerim, quod inſenſatè ſentitur, quod periculosè creditur, quod docetur. Ego quidem ſimulare decreveram, & te quaſi non viderim præterire; legeram enim illud Apoſtoli: *gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Legeram & Gregorinm, ad Palladium ſic ſcribentem: inter verba laudantium & vituperantium, ad mentem ſemper recurrendum eſt; &, ſi in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet; & rurſum ſi in ea non invenitur malum quod de nobis loquuntur homines, in magnam debemus lætitiam proſilire. Item ſi nobis eſt teſtis in cœlo, ſi in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt. Cæterùm quia ſuggeſtum eſt mihi, alios quoque atramento eodem reſperſos, aſſumpſi me expertem huius novitatis oſtendere, & refellere profeſſores. Nondum explet Epiſcopum, qui ſuorum cenſor ad vitia ſilet aliena: huiuſmodi profeſſio delicti arguitur, quoties non arguunt delinquentem. Sacerdotis enim eſt ſatagere, ne ſolus Deo placeat, ſed ſociis, unde peccare convincitur: niſi bonum quod in ſeipſo diligit, in ſuo etiam diligat inimico. Hinc eſt quòd ego (frater mi) deſidero bonas fieri vias tuas & ſtudia tua, nec in eorum reperiri numero, *quorum ſermo ſerpit ut cancer*, qui narrant *fabulationes, ſed non ut lex* Domini Dei, quibus profectò fabulationibus memorata iam perverſitas accedit, cui reſiſtere conſtat eccleſiæ conſuetudinem, refragari authoritatem, deeſſe rationem. Quòd enim univerſalis Eccleſiæ Letaniis inſiſtat: quòd in lachrymis & ſpiritu contribulato dicere conſueverit, *ſancta Maria ora pro nobu*: nec indoctus ignorat cùm audit, nec doctus cùm audit impugnat. Nos tamen veritati nequaquam præponimus conſuetudinem, ſcientes, quia conſuetudini nil debetur, cui veritas adverſatur: unde & in tertio libro de Baptiſmo parvulorum

Impietas ambit fautores.

G

2. Cor. 1.

Conſcientia mille teſtes.

H

2. Tim. 2.

Pſ. 118.

Qualis ſit hæreſis eorum qui negāt Sanctos ſ interceſſionem.

Conſuetudini nil debetur, cui veritas adverſatur.

ſic

A ſic ait Auguſtinus, veritate manifeſta, cedat conſuetudo veritati. Item, nemo conſuetudinem veritati & rationi anteponat, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit De eodem Cyprianus: Qualibet conſuetudo, quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati eſt omnino poſtponenda: Et uſus qui veritati eſt contrarius, abolendus. Cæterum cum veritati conſuetudo concurrit, exhibendam conſuetudin prohibeo reverentiam, & oportere longiorem uſum immobilem cuſtodiri. De quo Auguſtinus in eodem lib. de Baptiſmo, ſic ait: hoc planè verùm eſt, quia ratio & veritas conſuetudini præponenda eſt, ſcilicèt cùm veritas conſuetidini ſuffragatur, vel oportet firmius retinere, forſitan revelatum eſt tibi deſuper, Eccleſiam Chriſti uſque ad tua tempora deſipuiſſe: atque Apoſtolicum illud in te completum, *ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis revelavit*: fœlix qui ſolus factus es Eccleſiæ cœleſtium interpres ſecretorum! Credebam tamen Paulum *raptum in paradiſum*, & audiſſe *arcana verba quæ non licet homini loqui*: ſed & tu forſan raptus es illuc, & inde attuliſti hæc verba, quæ non licet homini loqui, ſed *quod ſignum oſtendis, ut credamus tibi?* quis Sanctorum tuæ huic aſtipulatur doctrinæ? Nunquid tibi eſt authoritas, qua mihi ſilentium imponas? Sentio enim, ſentio & dico, Sanctorum animas iam cum Chriſto regnantes, ſcire quid agatur à nobis, & eaſdem (cum oportet, & expedit) orare pro nobis! Infirmum & debile teſtimonium quiſque ſibi: Habeo mecum plenas auctoritates, animas, quas & meritum paſtores animarum fecit, & Spiritus Dei *omnem* docuit *veritatem*. Decepit me vigilantia tua, niſi Gregorium legeris in 12. lib. ſuper Moralia, his ſcribentem verbis: Sicut hi qui adhuc viventes ſunt, mortuorum animas quo loco habeantur ignorant; ita mortui vita in carne viventium, poſteà qualiter diſponantur neſciunt, quia vita ſpiritus longè eſt à vita carnis: & ſicut corporea atque incorporea diverſa ſunt genere: ita etiam diſiuncta cogitatione: quod tamen de ſanctis animabus ſentiendum non eſt, quia qui intus claritatem Dei omnipotentis vident, nullo modo credendum eſt quia ſit foris aliquid quod ignorent. Item Gregorius in Moralibus: Sanctorum Spiritus, interiùs exteriùſque ſentiendo, diſtenti ſunt, quia ipſum fontem ſcientiæ contemplantur: quid enim de iis quæ ſcienda ſunt, neſciunt, qui ſcientem omnia, ſciunt. Eorum itaque ſcientia comparata noſtræ, valde dilatata eſt, ſed tamen divinæ ſcientiæ comparata, valde anguſta eſt, ſicut & ſpiritus mortuorum, comparatione quidem corporum noſtrorum ſpiritus ſunt, ſed comparatione ſummi & incircumſcripti Spiritus, corpus. Poſt hanc itaque Gregorij aſſertionem, qua temeritate dices Spiritus iuſtorum omnino ignorare quid in iſta agatur vita: niſi maiori dementia dixeris, quòd ſpiritibus iuſtorum nulla poſt hanc omnino ſit vita, quod & de illis ſentire impium eſt, & hæreticum atteſtari? In hanc enim prolabi inſaniam, ſpem cœleſtium evacuat præmiorum, & ei miſeriæ addicit, de qua ſic ait Apoſtolus: *ſi tantùm in hac vita in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Porrò: quàm pro interpellantibus, eædem animæ interpellent, ad Vigilantium, cuius pediſſequam feciſti animam tuam, Hieronymus ſcribens, his eum redarguit verbis: Dicis in libello tuo quòd dum vivimus, mutuò orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit exaudienda pro alio oratio: præſertim cum Martyres, ultionem ſui ſanguinis precantes, impetrare nequiverint. Si Apoſtoli & Martyres in corpore conſtituti adhuc poſſunt orare pro cæteris, quando adhuc de ſe debent eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas & victorias & triumphos? Vnus homo Moyſes, ſexcentis millibus armatorum impetrat veniam; & Stephanus imitator Dei ſui, & primus martyr in Chriſto, pro ſuis perſecutoribus veniam deprecatur: & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex animas ſibi condonatas dicit; & reſolutus, cùm cœperit eſſe cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro iis qui in toto orbe ad ſuum Evangelium crediderunt, mutire non poterit, vel audebit? Præterea Gregorius in Homilia ſuper: *Si quis vult poſt me venire*: inſcitiam tuam his confutat verbis: Adſunt defenſores noſtri, martyres ſancti, rogari volunt, atque (ut ita dixerim) quærunt ut quærantur: hos adiutores veſtris orationibus quærite, hos protectores veſtr[..] reatus invenite. His auctoribus conſultis, negare non potes animas Sanctorum vel ſcire quid agatur à vivis, vel cùm oportet & expedit orare pro vivis. Præterea nimis caligaverunt oculi tui, ſi non vides orationem quoque Hieronymi atque Gregorij teſtimonio ſuffragari. Nulli enim dubium, cæteris virtutibus eminentiorem eſſe charitatem: In charitate nimirùm *tota lex pendet & prophetæ*, cùm iuxta Paulum) *evacuentur prophetiæ, cùm linguæ ceſſent, cùm ſcientia deſtruatur, charitas nunquam excidit* Cùm (teſte propheta) *cæli ſicut veſtimentum veteraſcant*, cùm terra (Veritatis aſſertione) tranſeat; *charitas nunquam excidit*: poſtremò excidit fides, excidit ſpes; charitas nunquam excidit. Vnde cùm præmiſiſſet Apoſtolus: *nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc*, ſubjunxit dicens: *maior autem horum charitas.* Ideò vtique maior; quia cùm fides evacuetur & ſpes, charitas manet in æternum. Manet (inquam) non eo tamen arctata modo, quo diligitur in hac vita Deus & proximus; ſed tantò maior, quantò pleniùs poſt hanc vitam, & in Deo cognoſcitur proximus, & in ſemetipſo Deus, Qui enim plus metent quam ſeminaverunt; pluſquam dilexerunt, diligent: quia ex debito dilectioni additur, cùm meritum præmio ſuperatur. Hoc incrementum charitatis conſiderabat, cùm dicebat Iſaïas; *dixit Dominus cuius ignis eſt in Sion, & caminus in Hieruſalem.* Noſti frater mi, Sion ſpeculationem, Hieruſalem verò viſionem pacis interpretari. Et quidem dum Sanctorum animæ mortalitatis huius circumferunt corpus, in Sion eſſe dicuntur ſcilicet à longè ſpeculantes quam ſperant & & expectant mercedem. Sunt autem eædem in Hieruſalem, quando ſarcina carnis depoſita, facie ad faciem Deum vident, mutantes imperfectum, plenitudini: ſpem, muneri; imaginem, veritati: In illa Sion erat Apoſtolus, cum dicebat: *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Hanc ſibi Hieruſalem promittebat, cùm ſummittebat; *tunc autem facie ad faciem.* Iterùm idem: *nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Eſt igitur ignis in Sion, caminus in Hieruſalem, quia fervor charitatis modicus eſt in hac vita: plurimus eſt in futura: in hac ignis calefaciens; in futura caminus ardens; hìc portio, illic plenitudo: *veniet* enim *quod perfectum eſt, & evacuabitur quod ex parte eſt.* Si tamen id verum quod aſſeris, animæ Sanctorum quos neque Angeli, neque Principatus, neque Poteſtatès, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque aliqua creatura potuit ſeparare à charitate Chriſti, charitatem exemit ſimul & carnem. Et qui propter nomen Domini mortificati ſunt *tota die, atque æſtimati ſunt ſicut oves occiſionis*, tunc deſinunt diligere Deum, dum præcipuè cognoſcunt, quòd diligendus ſit etiam inimicus propter Deum? Cum enim teſte Gregorio, nihil foris ſit quod ignorent animæ ſanctorum, quæ ſcientem omnia ſciunt: quis dicet, ab eis proximum diligi; qui proximi clamores audiunt, & nunquam exaudiunt, pulſari ſciunt, & aperire neſciunt? anguſtias vident, & viſcera claudunt? Quid charitati & eis quibus afflictorum gemitus nullam extorquet compunctionem, nullum lachrymæ momentum, quæ inter cætera ſupplicationes, principatum ſibi vendicant impetrandi? Quia igitur eis deeſt dilectio proximi; Deeſt & Dei. Neque enim vel ſine proximo, Deus; vel ſine Deo, proximus diligi poteſt: teſtatur hoc Ioannes, his ſcribens verbis: *qui non diligit fratrem ſuum quem videt, quomodò poteſt Deum diligere quem non videt?* Item, *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui*

Marginal notes (left): Pr[..] è in Calvi[..]illas — *Phil. 3.* — B — [..] *Co.* 1[..] — *Ioa. 2. 18.* — *Ioa. 16. 13* — C — Beatos omnia ſcire & pro nobis orare. — D — Spiritus collati Deo ſũt corpus — Qui negãt Sanctorum interceſſionem, omnino negant Animarum immortalitatem. — *1. Cor. 15.* — *Exod. 12.* — *Act. 7.* — *Act. 27*

Marginal notes (right): E — Sanctos exorandos. — F — *Mat. 22. 40.* — *1. Cor. 13.* — *Pſ. 102.* — *1. Cor. 13.* — *Iſai. 31.* — G — *1. Cor. 13.* — H — *Pſal. 43.* — Beati noſcunt anguſtias viventium. Lachrymarum in oratione vis præcipua. — *1. Io. 4.* — *Ioan. 15.*

diligit

A *diligit Deum diligat & fratrem ſuum.* Quiſquis ergo ſanctis animabus alterum ſubtrahit, neutrum derelinquit. Satis iam niſi fallor animadvertis quò tua evagetur doctrina, quàm lutulentam bibas aquam illic charitatem excidere ſomnians: verùm *charitas nunquam excidit*, [1. Cor. 13.] ubi gaudium eſt pro peccatoribus converſis; ubi ſicut pro ſe, ſic laudant omnes Deum pro omnibus, [Luc. 15.] ubi Deus eſt omnia in omnibus. Reſpice igitur; &, ſi peccatum non invenis apud te, pro quo neceſſe ſit orare Sanctos, ut orent pro te; noli inſultare nobis, orantibus ut Sancti orent pro nobis.

EPSTOLA LIII.

B *Clarembaldus canonicus regat H. ut mitteret ei miracula quæ in Oxonienſi Eccleſia Dominus dignatus eſt operari: exemplar verò per multa tempora caſu amiſſum, parturientem tenuiſſe voluntatem excuſat.*

Dilectiſſimo fratri atque venerando Oxonienſis Eccleſiæ canonico, Clarembaldo, Ildebertus humilis Cœnomanorum ſacerdos: plurimam in Domino ſalutem. Timeo (chariſſime frater) timeo quòd negligentiæ arguas me, qui (toties rogatus ut miracula quæ in Oxonienſi Eccleſia Dominus operari dignatus eſt, iuxta fidem deſtinati mihi exemplaris, annotare non tæderet) ſatisfacere tibi diutiùs diſtulerim. Vnde & opus flagitatum, non gratis exaraſſe me accuſatis, quòd & diurna expectatione, & innumeris precibus comparaſti. Quippe iuxta philoſophum; non tulit gratis, qui rogans accepit. Et quidem ſcio, quia nullum vendit amicus obſequium, libenter, & gratis & citò ſubvenit, neſcit preces expectare, ſed velut egentis vaticinetur voluntatem, prævenit rogaturum. [C — Amicus dat gratis & citò.] Dubitat enim verùm ſit obſequium, quod vis precum elicit, quod non accipit improvidus, ſed importunus extorquet. Portò ab eo quod à me expoſtulaſti obſequio, procul fuiſſe noveris quidquid obſequij minuerit majeſtatem. Ex quo enim tuum didici deſiderium & ex abundanti preces addidiſti, ſtatim ſtatui obſequi: ſed exemplar caſu amiſſum, parturientem tenuit voluntatem, quòd cùm mihi per multa defuiſſet tempora, poſtea repertum meiſque redditum manibus, in negotium ſcribendi, ſopitum excitavit affectum. Finis erat operi, cùm ingreſſus ad me nuntius chartam mihi nomine tuo titulatam prætendit, & id ipſum, quod in primo legeram exemplari continentem. Adiecit idem nuncius, idcirco mihi ſecundum etiam exemplar tranſmiſſum, ne priorum amiſſione ſilentium excuſarem. Accepta igitur & relecta non ſemel pagina movit ſpiritum relegentis: in ea namque, miracula quædam continebantur quæ in prima; ſed in ea aliter, aliter in prima: quod quia non ſic attendi, ut adverſa ſibi [D] iudicarem, in his quæ iuxta primum exemplar addideram, nil addere decrevi, nil demere, nil mutare: eiuſdem namque rei diverſa relatio, nil veræ præiudicat hiſtoriæ. Tuo itaque (frater mi) indicio reſervavi, vel operis vitium corrigere, vel opus omnino ſupprimere vitioſum; vices amici geres, ſi removeas ab oculis quidquid linguas noveris formidare. Hæc ideò Clarembalde, imò clarè valdè prælibavi, ne putares voluntate potius quàm neceſſitate dilatum ſtyli obſequium, me ſic tædere amico ſcribere, tanquam ſi & amare pœniteret. Cæterùm cùm diverſo teneat littore; cùm nec te ſalutare poſſim niſi propitium præſens habeam dimidium mundi; cùm multis à te ſeparer aquis, *aquæ* tamen *multæ non poterunt extinguere charitatem*

Vale.

E

EPISTOLA LIV.

Fratres quidam à Monaſtica diſciplina lapſi, carcere tenebantur: Eos ſolvendos, ut oſtendat condonandas iniurias hortatur; eò magis quòd inſtet dies Paſcha, dies liberationis & immunitatis.

Paſcha Domini eſt in eo, Iſraël de Ægypto, & animæ iuſtorum de tenebris exierunt. [Exod. 8. 9.] Illuxit nobis hæc dies, ad uſum; ſi utamini die ad exitum. Paſcha etenim tranſitus (ut noſtis) interpretatur. [Paſcha myſticum.] Paſcha igitur eſt, tranſire in patrem de Iudice; in unitatem de conciſione; ad oſculum de diſcordia, ad miſericordiam de virga. Fratres qui peccaverunt in vos, adhuc in tenebris ſedent, manducantes panem dolorum, & [F] aquam triſtitiæ bibentes. Percuſſum ſatis eſt quicquid in eis Ægyptum ſapiebat, ſatis erubuit Sydon in ignominia ſua, [Ier. 47.] ſatis pœnarum dedit: clamat poſt vos, clamat poſt nos. Si miſericordiam ignoramus, humanæ ſalutis viam perdimus certiorem. [Miſericordia eſt via certior humanæ ſalutis.] Petrum negantem, qua hora flevit, Chriſtus reſpexit. Nullo ſe intervallo comitata ſunt lachrymæ, peccatricis & indulgentia Salvatoris. Doceat itaque nos præſens feſtivitas, Fratres, qui ad Monaſticum ſuſpirant Conventum, miſericordiæ paſſu tranſire, *carbones ignis* ſuper eorum capita coniecturi, [Mat. 26. Luc. 7. 38.] ſi non vincamini à malo ſed vincatis *in bono malum.* [Rom. 12. 21.]

EPISTOLA LV.

G *Gratulatur Claromontenſis Eccleſia Antiſtiti, ob collatum Willelmo viro præſtanti Archidiaconatum, miratúrque, apud Claromontenſes, Subſtitutiones invaluiſſe, atque (præter præcepta legis & gratiæ) Eccleſiaſticas dignitates, præſertim Canonicas, à Laicis & quibuſlibet, hæreditario iure obtineri.*

Reverendiſſimo ac Benigniſſimo Confratri ſuo, ſanctæque Claromontenſis Eccleſiæ Epiſcopo A. I. humilis Cœnomanorum miniſter, ſalutem & orationum munus. Meliùs me cucurriſtis conſequuti bravium ad quod anhelare diſponebam. Willelmo ſiquidem de * Longeio benefacere decreveram? [* Lonlegio.] ſed animadverti, meliùs providente Domino Ieſu Chriſto, à vobis idem Willelmus audire meruit, *Amice aſcende ſuperiùs.* [Luc. 14.] Sanum profectò conſilium, quo factum eſt, ut in Eccleſia Claromontenſi Archidiaconus ille aſſignaretur, [Vvillelmi Archidiaconi cõmendatio.] cui ad fructum ſcientia, & ad gratiam mores exuberant. Ortus eius nec lege reprobabilis, nec abiectus parentela, ex eo nulla inveni nota venit, nulla ex obſcuritate generis confuſio: [H] qui converſatione hominis familiariùs vſi ſunt, eam intus & manſuetam prædicant & honeſtam; foris, integrum & ſplendidum teſtimonium. Inde factum eſt ut ad gradum Subdiaconatus eum ducerem promovendum, non magis litteraturæ ipſius deferens quàm vitæ. Bonam gero ſpem, quia ſeipſum præbebit vas in honorem, vas ad omne opus bonum in domo Domini præparatum. Gratias igitur beatitudini veſtræ de collato agens beneficio, eundem Willelmum, vobis & veſtræ commodo Eccleſiæ, ab ea quam Conſecratori ſuo debet obedientiam, liberum omnino & abſolutum. [Hypodiaconus abſolutus ab obedientia quam debet Epiſcopo qui eum conſecrauit.] Ex abundantia eſt, pro eo intercedere apud vos, quem feciſtis ultrò non quodlibet membrum corporis Eccleſiæ, ſed oculum. Audivimus autem, & vltra quàm credi poſſit admirati ſumus, in veſtra matre Eccleſia, hæreditario iure Canonicas obtineri, pernicioſa hæc & exhæredans hæreditas. Canonica namque, ſtipendium eſt gratiæ, non hæreditatis principatus.

unde

A

Archidiaconus eſt oculus Eccleſiæ Canonicatum hæreditas, eſt exhæredans hæreditas.

Electi tam ſub Lege, quâ gratia.

Num. 11.

unde & hæreditate Canonicum fieri, exire de Eccleſia eſt, non Eccleſiam introire. Qui enim dicunt, *hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei, nec cohæredes ſunt Dei*, nec cohæredes Ieſu Chriſti. Væ illis quando iudex ſedebit cum ſenatoribus terræ! Væ (inquam, illis, quos tunc non ex altari vixiſſe, ſed ex rapto, verbera docebunt, non verba: obumbrata enim rapina eſt, ea quæ electionis ſunt, hæreditate vendicari. Fallitur autem quiſquis Epiſcopos tantùm electione dixerit aſſumendos: Electio (tam ſub lege, quàm ſub gratia) ſanctuarij reſpicit dignitatem. Deus ipſe, Moyſen, Moyſes autem ex præcepto Domini, ſeptuaginta viros ex ſenioribus. Iſräël elegit: non enim præterit nos, Dominum ſic locutum Moyſi: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes ſint & magiſtri, & duces ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum ut deſcendam & loquar tecum, & auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis ut ſuſtentent onus populi tecum, & non ſolus tu graveris:* deinde quales, & ex qua tribu ſacerdotes aſſumerentur, aut etiam Levitæ, ſeu etiam ceteri qui Tabernaculo deſervirent, non fuit arbitrij, ſed præcepti, non hæreditatis, ſed Legis. Cùm enim ſolam Tribum Levi Dominus hac ſorte dignaretur, nulli tamen ex eadem Tribu licuit vltrò vel indifferenter ad quam vellet irrumpere dignitatem, ſed quæ eſſent vocandæ ad Tabernaculi obſequium, deſcripta eſt proprietas perſonarum. Hæc autem *omnia* (ſicut ſcribit Apoſtolus) *in figura contingebant illis:* Lex enim, & præconium gratiæ fuit & exemplum. Inde etiam eſt quòd univerſæ dignitates Eccleſiæ, ſuam quærunt electionem. Si Apoſtolos conſideremus; de illis Dominus ait: *nonne ego vos duodecim elegi?* Si ſeptuaginta duos illos etiam à Chriſto fuiſſe deſignatos Lucas meminit; Stephanum, & cum eo ſex diaconos, nulli dubium eſt Apoſtolos elegiſſe. In his & eorum ſucceſſoribus præſcripta eſt Eccleſiæ forma, quam in electione vel conſecratione ſummorum & inferiorum ſacerdotum, ſeu etiam Diaconorum non cuſtodiri, cauſalis eſt & vicinus ruinæ provectus. Cæteros quoque gradus ad minimum uſque Clericum, pro Epiſcoporum deliberatione ſubſtituendos & diſtribuendos, iudicandos & reformandos, canonica cenſent & præiudicant inſtituta. Perit autem, ſolis Pontificibus collata hæc à Domino poteſtas, ſi ſubſtituendi Canonicum, vel aliud in Eccleſia diſponendi hæreditas alicui facultatem acquirat. Quid enim Epiſcopo in commiſſa licebit in Eccleſia, in qua Clericus arbitrio aſſignetur alieno? Quid ibi ſacræ poterunt ſanctiones, vbi naſcitur non fit Canonicus; ubi plus nuptiis debetur quàm meritis; vbi plus genituræ quàm gratiæ; plus foro quàm cœlo? nunquid oblaturus eſt gratum ſacrificium Deo: cui, altaria cubile deſtinat? cui ſacerdotium natales deſpondent, non mores; parentela, non ſcientia; Laicus generans, non præſul adoptans? quem non moveat in Eccleſia Chriſti, Laicum principari; qui dum in ea ſubſtituit hæredem, Pontificis evacuat libertatem? Attamen quòd Laïcis ad diſponendas res Eccleſiaſticas nullum paraverit authoritas acceſſum; Stephanus Papa, & martyr his oſtendit verbis: Laïcis (quamvis religioſi ſint, nulli tamen de Eccleſiæ facultatibus aliquid diſponendi legitur unquam attributa facultas, neque deinceps permittimus: ſi quis ergo Principum vel Laïcorum, diſpoſitionem, ſeu dominationem rerum, ſive poſſeſſionum Eccleſiaſticarum ſibi vendicaverit; ut ſacrilegus iudicetur: Clerici verò ſeu Monachi qui eas per eorum poteſtatem ſuſceperint; excommunicationi ſubjiciantur. Porrò hæreditariam illam Canonicorum ſubſtitutionem, conſuetudine velle tueri, vel ignorare vel perſequi eſt ſanctorum tenorem regularum. Voluit ille noxiam conſuetudinem abolere, & irritum fieri uſum, cui nec authoritas adeſt, nec ratio ſuffragatur. De hoc Auguſtinus in primo lib. de Baptiſmo, ſic ait: Fruſtrà qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt:

B

Num 3. 17.

1 Cor 10

Ioan. 15.

Luc. 6.

C

Act. 15.

D

Excommunicatur Clericus ecclesiam ea ſuſcipiens à Laico.

E

quaſi conſuetudo maior ſit veritate, aut non ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod in melius à Spiritu ſancto fuerit reuelatum. Idem in 3. lib. de vnico Baptiſmo, ſic ait; Veritate manifeſta cedat conſuetudo veritati: planè quis dubitet veritati manifeſtatæ conſuetudinem cedere? Idem in libro de Baptiſmo? in Evangelio Dominus inquit; *Ego ſum veritas:* non dicit; Ego ſum conſuetudo: itaque veritate manifeſta, cedat conſuetudo. Revelatione igitur facta veritatis, cedat error veritati, quia & Petrus qui circumcidebat, ceſſit Paulo veritatẽ prædicanti. Igitur cùm Chriſtus veritas ſit; magis veritatem quàm conſuetudinem ſequi debemus, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excedit. De eodem Cyprianus: quælibet conſuetudo, quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata; veritati omnino eſt poſtponenda: & uſus qui veritati eſt contrarius, abolendus eſt. Iſidorus in Synonimis, libro ſecundo: Vſus authoritati cedat: pravum uſum lex & ratio vincat. Quia igitur noxiæ conſuetudini tam multa reſiſtat autoritas, vobis (beatiſſime Præſul) incumbit, de domo Domini, hæreditarium amovere piaculum in quod negligenter agere, Pontificem, Pontifici cedit ad pœnam. Iudicialis enim exceſſus eſt, in Eccleſia Chriſti, vel indebitè aliquid præſumere, vel quod præſumptum reperitur, incorrectum derelinqui. Oza dum titubanti Arcæ indebito ſubveniret obſequio, ab Angelo præfocatus expiravit. Nabad & Abiud filios Aaron ignis egreſſus à facie Domini ideò devoravit, quoniam thuribulis acceptis ignem alienum offerre præſumpſerunt. Oziam, quia ſummi ſacerdotis prærogativam uſurpavit, lepra percuſſum ſacra tradit Hiſtoria. Chore, & qui cum eo thuribula ſchiſmatis aſſumpſere, de tribu Levi deſcendiſſe memorantur: eos tamen, quia indebitè incenſum obtulerunt, terra vivos abſorbuit. Hæreant veſtris in mentibus (dilectiſſimi Fratres) ſublata incendio thuribula, quæ Dominus, ne quis in Eccleſia ſibi arrogaret aliquid indebitum, altari præcepit affigi ad monumentum: non enim minus prodeſt iniquitatis peccatum, quam virtutis præmia recenſeri. Nimirùm pœna timorem generat, qui de ſervo facit & filium; quòd ſi filium, & hæredem; hæredem quidem Dei, cohæredem autem Ieſu Chriſti. Hoc timore timere (fratres) mementote; qui dum facitis forenſem de Eccleſia poſſeſſionem, debitum de gratia; conſtituitis ædificium, cui nullum ſuppoſitum eſt fundamentum. Super arenam (fratres chariſſimi) ædificatis; veſtrum hoc ædificium, veritatis teſtimonio ruinam pollicetur; teſtimonio veritatis, pluvia deſcendet, venient flumina, flabunt venti & irruent in ædificium, & cadet, & erit ruina magna. Nolite filij) nolite partem veſtram ponere cum his qui dixerunt; *Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei*, Deus ultionum perſequetur eos in tempeſtate ſua, & in ira ſua turbabit eos. De veſtro quoque, Reverendiſſime Præſul, de veſtro, inquam, agitur periculo, niſi explantare ſategeris plantationem quam non plantavit Pater veſter cœleſtis, nec aſſumpta eſt de ligno, cuius *folium non defluet, & omnia quæcumque faciet, ſemper proſperabuntur.* Plantatio hæc, plantatio læthalis; nec ſuo plantatori pernicioſior quàm ei cuius negligentia iam plantata convaluit: non enim immunis eſt à malefacto quiſquis anteceſſoris malefactum (cum poſſit) non corrigit. De hoc enim Hilarius Papa, ſic ait; Quiſquis commiſit illicitum, aut à Deceſſoribus ſuis invenit admiſſum; ſi proprium periculum vult evitare, damnabit. Item idem: non in vllo volumus ſeveritatem ultionis exercere; ſed qui in cauſis Dei, vel contumacia, vel aliquo exceſſu deliquerit, aut ipſe quod perperam Prædeceſſor eius fecit abolere noluerit; ipſe quidquid in alio non reſecavit, inveniet. Porrò ſi quis eradicantem manum veſtram vel contumacia, vel quolibet auſu (quod abſit) reprimere tentaverit; ipſe debitam ſacrilegis experietur ultionem. De huiuſmodi namque Stephanus Papa, his ſcribit verbis: Sunt quidam qui

F

1. Reg. 25.

Num. 54.

1. Par. 2.

Num. 16.

G

Prodeſt, pœnam iniquitatis receſſeri.

Rom. 8.

Forenſis facta poſſeſſio de Eccleſia.

H

Pſ. 82.

Mat. 15.

Pſal. 1.

Errorem qui non damnat, approbat.

vel

A

vel violentia vel favore non permittunt Eccleſias regulariter ordinari; hos etiam decrevimus vt ſacrilegos iudicandos. Hæc vobis ſcripſimus (fratres chariſſimi) exhortandi gratia potiùs quàm docendi; quæ dum exaravimus exoravimus ſcrutantem renes & corda ne pateretur vos in eam declinare opinionem, ut aſcriberetis iactantiæ quod impenſum eſt charitati. Hoc exceſſu libera eſt anima mea; licet ſe gravioribus delictis obnoxiam non audeat diffiteri. Vicem mihi rependetis, ſi diligitis me, & oratis pro me.

EPISTOLA LVI.

Conſolatoria eſt ad Regem (ni fallor) Anglorum, de filio quem naufragio amiſerat: Multa verò eleganter de vero Sapiente, & rerum humanarum contemptu philoſophatur.

B

Meliùs, Poteſtas exemplũ promit quã gladiũ.

CVm benè multis imperes, nulli meliùs imperas quam tibi: maiore ſiquidem laude, Poteſtas exemplum promit quam gladium. Illud enim doctrina levis eſt, & iniquitatem flagello reprimit incruento: hic autem, ſæpiùs odio educitur quàm iudicio; furore, quàm lege. Noſti profectò, Regis eſſe ſibi primùm, deinde populo dominari: noſti, principem (donec de ſeipſo triumphet, obſcurè de hoſtibus triumphare. Hinc eſt quòd in adverſis animo creviſti, quod aliquid magnum de illo vultus hilaris & ſerenus eloquitur. Vultus, interpres animi eſt, & quàm liber ac ſuus ſit homo interior, conſtantia meliùs quàm vox denunciat. De fortuna (ſi quid tamen fortuna eſt) celeberrimè triumphati: ea nec * in alium tam hoſtiliter, tam fruſtrà conata eſt. De tot miſſilibus quæ victoriam illi accelerabant acutiſſimum elegit, & quo neminem recordor anteà vulneratum: Quod ne tanquam laxiùs emiſſum, ſine vulnere vulneraret; totis viribus collectis illud intorſit, non minùs lacerto confiſa quàm telo. Cæterùm nihil ea conatu, nihil acumine profecit; cutem tamen ſignavit, nequaquam ad interiora perveniens. O benè munitum pectus quo ſe fortuna minorem erubeſcit! O animum cuſtodem ſui; & ignarum, vel ſapientem extorqueri ſibi vel regem. Neuter tibi ablatus eſt, neuter imminutus; alter libertatem mentis; alter ſtatum regni ſervat incolumem. Dubium eſt; quis integriùs ſuum apud te expleat officium. Quippe nulla verba rumpuntur ſuſpiriis; nullæ vultum tenebræ operiunt: in ore ſua eſt ſeveritas, & animi ſolennitatem * riſus indicat moderatus. Denique non pendent regni negotia; nec ſubſidium fruſtrà præſtolantur oppreſſi. Curia, legi, regnum, Curiæ; nec ei aliquid eſt cum rapinis, niſi vltio rapinarum. Magnum hoc Regis, magnum ſapientis iudicium. Sapientis enim eſt, nec in proſperis effluere, nec in adverſis mœrore ſepeliri. Statum quemdam natura homini paravit, quo, ſemper eundem, ad vtrumque ſe præſtaret eventum: illum deponere, & pro habitu variari fortunarum, non natura, ſed naturæ defectus eſt. Omnis enim natura bona, quoniam *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: eſſe autem malum, à conditione propria defeciſſe naturam, nemo eſt qui dubitet. Et quidem priùs quam Creatoris interdictum lethali ſolveretur edulio; inerat homini gratia iuvans ad bonam arbitrij libertatem. Vnde tunc apud eum agebatur, vt quid offenderet, nihil eſſet in anima; nec in carne, quod puderet. Omnis affectus hominis anhelans & pronus ad virtutem, illicitus & indecens motus, longè prorſus à corpore. Totum hominem, obedientia ſibi vendicabat. Omnia enim ei ſubiecta, quàmdiu mulieri ſubiectus non fuit, cui poſtquàm malè morigeratus eſt, cœpit eſſe non ſuus, & tot dominis ſervire quot vitiis: *Omnis enim qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Hanc

* Nihil.

C

al. Precibus.

* Melius, ſerenitatem.

D

Gen. 1.

Ioan. 8.

E

ſervitutem ſibi vir vxorius ſuſcitavit, cum in vetitum Domini ſui epulatus, eſurire meruit libertatem. O nunquam ſatis punita tranſgreſſio! prolatam in reos parentes ſententiam, nullus evaſit ſucceſſorum: huius inducias nemo vel annis vel ſexu promeruit; in ea concipimur puniendi etiam in ſepulchro. Attende miſerias hominis, intuêre cineres: vectigalia peccati ſunt. Peccatum tot ſecutæ ſunt ultiones, quot ex eo incommoda pullularunt: quarum ſcilicet ultionum ea fuit prima quæ velut inermem & auxilio deſtitutum hoſti tranſgreſſorem expoſuit. Ex quo enim homo culpam commiſit, amiſit & gratiam: à qua ille derelictus, factus eſt ſicut ſine tutore puer, ſicut equus ſine freno. Vnde & arbitrij libertas ad malum convaluit, proiectum à gratia, ad vitia patentem inveniens: Nec pronum fuit vt is amiſſo auxilio multas vinceret illecebras, quoniam unà vicerat & adiutum. Ea victoria victi ſumus omnes, & particulare * delictum proſcripſit univerſos. *Ea venudati ſumus ſub peccato, ſine argento redimendi*, ea ſceptrum exactionis eſt exaltatum, & impoſitum nobis *iugum* quod niſi *à facie olei computreſcere* non potuit. Tunc primùm ſubactus carne ſpiritus, illum adhuc deplorat principatum, de quo ſic Apoſtolus ait: *non enim quod volo id facio, ſed quod nolo id ago.* Tunc etiam indeclinabiles hominum miſeriæ, & omnia hæc emerſerunt incommoda, quæ cùm illata ſint pro peccato, non tamen ablata ſunt cum peccato. Denique tunc homo noſter exterior inde immutabilitatis ſtatum amiſit, incipiens cum tempore labi ac præterire: qui niſi peccaſſet, eo manente tempora præterirent: vbi autem peccatum peccavit, licet poſtea nongentos & eò ampliùs vixerit annos, ſtatim tamen amiſſa ſtabilitate animi cum gratia, de die in diem deficere & mori quodammodò cœpit, operante iam in eo illa communatione dominica, quæ dicit; *qua die comederis, morte moriemini.* Neque is tantùm mutationi præſcriptæ ſuccubuit, ſed interiorem hominem perturbationes illæ ſibi vendicare cœperunt, quas nomine erucæ & locuſtæ, bruchi & rubiginis propheta Ioël ſic declarat: *reſiduum erucæ comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus, reſiduum bruchi comedit rubigo.* De eiſdem, doctiſſimus poëtarum, his loquitur verbis.

Hinc metuunt cupiúntque, dolent gaudéntque, nec auras
Deſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco:

Quorum duo (gaudium ſcilicet & dolorem) varius rerum ſuſcitat eventus, impotens animi conſtantiam, extorquere Sapienti. Sapiens enim adverſus eam quam dicitis fortunam, nunquam imparatus, nunquam inermis invenitur: ſecum habet quo præcaveat inſidias, quo iacula fruſtretur inimici, extra ſe nullum pugnæ quærit apparatum. In omni caſu ſeipſo tutus eſt: pectus eius pharetra fertilis, & armamentarium copioſum ſemper ſagittis exuberat, ſemper abundat munimentis, hauriri non poteſt cùm tela promere non deſiſtat; quibus ille munitus univerſa fortunæ miſſilia contemnit, obſequente pariter & perſequente ſuperior. Dum ea blanditur, ingratus eſt: dum intonat aſpernatur: nullis rerum movetur eventibus, exultans vniverſis: quippe nihil eſt unde non triumphet animi triumphator. Si fortaſſis autem quæris, quibus armis tam viriliter ſapiens dimicet, quæ pugnandi forma, biformi hoſte ſit potentior: quod ſi neſcis, deceptum me confiteor, qui ea nec ignota tibi nec tibi deeſſe crediderim. Infelix, cuicunque contigit præfata carêre armatura; infeliciſſimus, cui etiam ignorare. Apud huiuſmodi Democritus materiam riſus invenit; Demoſthenes * lachrymarum. Abſit autem vt alea rerum talem te efficiat; & ſobolis amiſſionem ſequatur amiſſio ſapientis. Gravius naufragium paſſus es in ſolo quàm in ſalo, filij tui; ſi fortunæ tempeſtas ſapienti ſapientiam * extorſit. Quod factum non dubito, ſi te præteriit quibus inſtrumentis tuetur ſapiens, non domum ſed ſeipſum, non ſupellectilem, ſed animi libertatem. Quorum ſcilicet

Vectigalia peccati primorum Parentũ.

* al. perſonale.

F

Iſa. 52.
Iſa. 10. 17.

Rom. 7.

Gen. 3.

G

Ioël. 1. 4.

Sapienti nullus rerum eventus animi conſtantiam extorquere poteſt.

H

* Forſan Melius, Heraclitus.

* al. ſapientem.

A inſtrumentorum ſi tibi elapſa eſt notitia, redi ad te, & quos reipublicæ debes oculos, ſcriptis præſentibus admovere non moreris: quæ cùm nec ſententiarum maieſtate ſcintillent, nec ordine commendentur aut arte, fortaſſis tamen ex eis exprimes aliud quo vel à longe ſpeculeris illam Sapientis armaturam. Non omnia contemnenda ſunt, quibus multa poſſunt reperiri meliora. Ex aqua plures quàm ex mulſo, ſitis ardorem extinxiſſe invenies. Imprimis igitur neceſſe eſt attendas, quamlibet hominis poteſtatem vel ætatem, vel extrinſecus aſcitis tutoribus vel ingenita ſibi ratione gubernari. Quippe quanto tempore hæres parvulus eſt, pædagogus ei providet ne quid excidat de ſumma patrimonij, ne lingua vaniloquiis aſſueſcat, ne turpitudinem teneræ præbibant medullæ; nec tamdiù puerum iuvat, donec puer centenarius ad tumulum lætis deferatur obſequiis. Reliquæ autem ætates ratione reguntur; niſi perturbatio proprij domicilij vel aliquid alienum, officium rationis impediat. Quòd ſi B contigerit in republica interioris huius hominis noſtri, & eius quem circumferimus aliquid quod nec ritè fit, nec ordine, nec vnde doceamur, qui à cæteris animantibus hominem ſeparet, vivat Deo. Cæterùm cùm rationi pax eſt, & ipſa in adminiſtratione præfatæ reipublicæ ſuam retinet libertatem, totus homo benè regitur: id eſt, animo, ſive pulſetur adverſis, ſeu læta blandiantur: tunc ea vivendi leges præſcribit, decernit immobilia, diſpenſandis inclinatur: tunc ad componendum pectus humanum circumſpectis invigilat inſtitutis; tunc & creat & educat ſapientem, quæ videlicet inſtituta cùm ad me traducibus paginis pervenirent, publicis conſpectibus exhibenda decrevi veritus invidiam poſterorum, ſi ea poſt ris inviderem. Hoc igitur illis exaravi, qui nec poſteris reverenter vtuntur, nec immoti dura pertranſeunt. Conſideranti diligentiùs quid ſit homo, nihil probabilius occurrit quàm ipſum eſſe animal divinum, & quaſi quodam participio Numinis inſigniri. Oſſibus & carne parentem circumfert, & ſapit ter-C ram, ratione Deo ſe propinquum & affinem denuntiat. Hac ſanè prærogativa, cum ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum, Beatus Moyſes atteſtatur: vnde id etiam homini acceſſit, vt vera bona per eam cognoſcat & diligat; quæ autem opinione bona ſunt, cognoſcat quidem, ſed non ſicut oportet, & in quibus oportet non diligat. Ratione ſiquidem docemur, ea quæ virtutis ſunt, vera eſſe bona, & hæc eſſe intra nos; quæ verò temporaliter, opinione eſſe bona, & hæc eſſe circa nos. Porrò quæ circa nos ſunt, non noſtri, ſed alterius iuris ſunt, caſus eis principatur. Neſciunt ex noſtro vel venire vel ſtare arbitrio: nobiſcum tanquam precaria ſunt, tanquam ſervus alienus: nihil his & illis quibus vera vel habetur vel amittitur felicitas. Quippe nemo felix, nemo miſer ex ani-D mo eſt, ſuum eſt hominis, quidquid hominem vel beatum facit vel miſerum. Evangelij ficulnea, ex fœcunditate ſua gratiam acquirit, ex defectu ſuccidium. Sicut ſcribit philoſophus, equum ſua facit inſignem velocitas, incitatior ad molam deſtinatur, nullus ei contemptus ex humili, nulla gratia ex ambitioſo provenit apparatu. Vterque alienus eſt, vterque (vt equo meliùs, non meliore vtamur) de foris adiunctus eſt: ſic & homini alienum eſt, quicquid non in homine, ſed circa hominem eſt. Aſſignantur & dignitates: aſciſcitur vxor cui nihil deeſt ad gratiam coniugij in ſobole, ſuam deoſculatur imaginem: in cellariis clauſa eſt totius anni fœcunditas: in loculis opes Crœſi, & quocunque circumiectat oculos nihil non ſuum intuetur. Cæterùm hæc aliena eſſe, fuga ipſorum denuntiat. Bona vaga, bona pennata ſunt hæc omnia. Eorum eſt, nuſquam eſſe diutiùs: eorum ſtatus, nemini ſtatum præfigere certiorem. Præterea dubium eſt, infideliùs ne morentur nobiſcum an hoſtiliùs. Quippe res in infinitum cederet, ſi recenſere velim diſcrimina principum, ſi turbati querelas coniugij, ſi mille Menedemos

Gal. 4.

Quid homo?

Gen. 1.

Quæ sũt Bona, opinione, circa nos: vera Bona, in nobis ſunt, quæ diſtinctio eſt Epicteti apud Arrianũ.

Luc. 11. Matt. 21.

E deplorantes filios ſcortatores, ſi conflatas denique vel attritas turpiter divitias, ſi poſſeſſiones abrogatas armis, erogatas flagitiis, ſublatas dolo, translatas præiudicio, & (quibus in hoc tempore nihil eſt abiectius) iactura nominis quæſitas, & honeſti. Huiuſmodi querimoniis fora perſtrepunt, reſonant auditoria, litigatur in triviis, in conviviis, in manibus leges, decreta præ oculis, nec vllum iam tempus eſt in quo vel Eccleſiæ deſint quos ipſa eliminet, vel Curiæ deſint quos damnet. Ecce vides quanta mundus laboret inſania! gaudere neſcit donec adeptus quo gaudium in mœrorem, cythara in luctum convertatur. His invigilat acquirendis, quaſi ſerò veniant: priùs dilatione cruciant, quàm uſu paſcant. Si citò, de propinquioribus anguſtiis faciunt certiores. O inſani, quibus celebre eſt ſollicitos eſſe ne deſit materia ſollicitudinum, ne cauſa tormentorum: quæ tamen cùm Sapiens aſſequitur, inter varios eventus, variari non novit ipſe, ratione regitur, quam in gubernandis actibus humanis non dubitat obtinere principatum? Huic ſapiens aſſidet, hanc attendit pædagogam: docet hæc, vti ſummiſſe proſperis, adverſis inſultanter, & biformes eventus, uniformi conſtantia ſuperare. Docet ea-F dem ne diſcipulus ſuus ex alterato vultu res alteratas circa ſe oſtendat: aliud eſſe quo gaudere hominem ac dolere conveniat, quod cupere conſpicuum ſit ac timere. Si ea (inquit) tibi ſunt, adverſus quæ non eſt lex, gaude: ſi ea propter quæ poſita eſt lex, dole: illa enim beatum te faciunt, hæc miſerum. Illa cùm tibi ſunt, & Dei & tua etiam ſunt: hæc autem cùm tibi ſunt, non Dei ſed tua ſolummodò ſunt. Porrò, cùm cognoſcis utrumque; ſi ea diligis adverſus quæ non eſt lex, imago Dei apud te ſuum explicat & peragit officium. Cùm utrunque cognoſcens, ea diligis propter quæ poſita eſt lex, imago Dei apud te quidem eſt, ſed velut obducta ſordibus aut pulvere ſqualidior, à ſuo excidit & procul eſt officio. A malis enim bona eligere ac diligere, Dominum imaginari eſt, à bonis mala eligere ac diligere, diabolum imaginari eſt. Quantò autem quiſque alteri eorum voluntate eſt G confinior, tantò ei vel in gloria ſimilior, vel in pœna.

Calamitas ſeculi.

EPISTOLA LVII.

Monialem propoſiti tenacem exultabundus monet cavendum à carne & fœmina, quæ ſunt ſanctitati infeſtiſſima; & ab iis longè fieri quarum vicinia eſt procax lenocinium.

GAudij materia * exuberat & exultatio quotiens audio te incolumem; atque in propoſito ſanctimoniæ lyncem ſequi, quæ prædam ſequens, reſpicere poſt tergum ignorat. Ignoras enim reviſere vanitates & inſanias falſas, à quibus elongaſti fugiens, & H manſiſti in ſolitudine. Sanum hoc & providi pectoris conſilium; averti enim & fugere ab illis, omni triumpho celebrius. Huiuſmodi fuga, Sponſo tuo nulla dos eſt acceptior. Hæc etenim faciet, & tibi uxorium, & de celebri coniugio progeniem præſtabit immortalem. Memineris igitur ab eis longè fieri, quarum vicinia importunum & procax lenocinium eſt. Sub hoc virtuti difficilè providetur. Iſtud attendere frequentiùs, maſculæ mentis robur effœminat; neminem invenies cum quo ſit perículoſius congredi: huiuſmodi hoſtis meliùs fuga quam certamine ſuperatur. Caro enim & mulier, cumulata infirmitas; & inter exempla etiam virtutum, facilis ad ruinam. De omni hoſte ſimul triumphat, cui datur de carne & fœmina triumphare. Confido autem in Domino Deo; & ipſe reſpiciet humilitatem ancillæ ſuæ, & diriget greſſus tuos in ſemitis ſuis, ut non moveant veſtigia tua: quod futurum non dubito, ſi in eo perſeveras quod cœpiſti,

* al. gaudium mihi.

Monaſticæ vitæ propoſitum Deo gratiſſimũ.

Caro & mulier, cumulata eſt infirmitas.

ſi

A ſi curſum dirigas quò aſſumpſiſti. Vale ſoror; dilectiſſimas in Chriſto filias & ſorores tuas, ex parte noſtra, ſaluta.

EPISTOLA LVIII.

Agit gratias Beluacenſium Epiſcopo, ob exhibitam in ſuos benignitatem.

AD votorum plenitudinem acceſſiſſe confiteor, cui gratiæ tuæ limen contigit aperiri. In eo ſuſceptus; & ſi te ipſe non videam, video tamen affectum tuum in puero meo, cui adventanti Beluacum, Defenſoris manum quotiens oportere attendis, extendis: ſplendorem ſuffragij tui obſervare, & precibus agere ne deſiſtas, non vereor huic te propoſito defuturum, cui oppreſſis concurrere, & cathedra faciat vt velis, & Curia vt poſſis. Tui ſiquidem iuris
B eſt, quidquid in civitate Beluaco vel ſacerdotium ſpectat vel regnum: interim cumulatas tibi gratias agens, ſcripto finem pono; dilectioni tuæ finem minimè poſiturus.

EPISTOLA LIX.

Comitem non Epiſcopum ſed amicum agens humanis ac civilibus aliquot rationibus dehortatur ab inſtituta peregrinatione ad Beati Iacobi Compoſtellanenſem memoriam, quam alioqui probat; graviterque illum officij admonet.

C AD memoriam Beati Iacobi (ſtrenuiſſime Comes, & prædicanda virtute ſublimis) iter, ut fertur, aſſumpſiſti: quod nos bonum quidem non negamus; ſed quiſquis adminiſtrationem ſuſcipit, alligatur obedientiæ, quam (niſi ad maiora vocetur & utiliora) ſi relinquit, delinquit. Vnde te (fili chariſſime) culpa inexcuſabilis ſpectat, qui neceſſariis non neceſſaria, diſpenſationi otium, debitis debita proponis. Inter talenta quæ ſervis ſuis Pater familias diſtribuit circuire vagum orbem terrarum, nullus Doctor, nulla omnino Scriptura commemorat. Hieronymi teſtimonio, ſanctus Hilarion, cùm eſſet proximus civitati Hieruſalem, ſemel eam vidit ne loca Sanctorum contempſiſſe videretur. Porrò præter ſolitum, mentis tuæ oculus caligavit; ſi non vides plenam periculoſis caſibus aſſumptam tibi peregrinationem per munitiones ducis Aquitanorum tranſiturus es, cuius tibi invidiam ſuſcitaſti, quando factus eſt in expugnatione Thoari ſuperior: ferè apud omnes diuturnior eſt iniuriarum memoria quàm beneficiorum. Præterea neſcis ſi renata ſint in filio paternæ vota perfidiæ: quippe plures hodie generantur iniquitatum hæredes quàm virtutis. Tuis itaque timorem relinquis & tremorem, ſi te inveni & offenſo committis; in quo neceſſe
D eſt verearis ex patre perfidiam, levitatem ex annis, ex iniuria vltionem. Audivimus autem venerabili Anglorum Regi, tuóque avunculo, id quod te facturum ſignas, diſplicere altiùs, id ferre graviter, id conſtanter improbare. Sanè eorum aſpernari conſilium, vicina dementiæ pertinacia eſt. Hi nimirùm tuis providere commodis, & affectu volunt, & ſucceſſu poſſunt. Fortaſſis autem dices: *Votum vovi Domino*, tranſgreſſionis arguar, ſi irritum facio votum. Agnoſce (ô princeps) quia tu quidem te alligaſti voto, ſed Deus officio: tu viæ, ſed Deus obedientiæ: viæ, qua Sanctorum memorias videres; obedientiæ, qua Sanctorum memoriis provideres. Appende ergo ſi tantus fructus ſit itineris, ut ſuperare poſſit intermiſſæ diſpendium obedientiæ. Quod ſi ita eſt, ſcutum depone pro pera, baculum ſume pro gladio, feſtina egredi, & facundis

Boni eſt peregrinatio ad S. Iacobi Memoriam.

Mat. 25. 15.

Beneficiorum, levis: Iniuriarū, plumbea memoria.

Eſdr 8.

E adhærere comitibus, qui iuxta Salomonem tibi pro vehiculo in via ſint: ſi autem bonum adminiſtrationis longe maius eſt & elegantius (quod inficiari nemo prorſus audebit) ſede in palatio. Reſponde * ſuffragiis afflictorum, & ut omnes tibi vivant, omnibus vive: Reipublicæ vive, noctes illi præſtans & dies. Iudicium Curiæ tuæ dictet æquitas, non acceptio perſonarum: teipſum legibus; amore ſubiectos rege. Eſto tuorum cenſor, cùm ignoveris exceſſibus alienis. Inſontes minimè patiaris impunè lædi, tu impunè læſus. Iniquitatis vltionem inter ſplendidiores triumphos enumeres; ſanguinem nec ſine cauſa, nec libenter effundas. Dole quotiens illum etiam effuderis quem lex iudicat effundendum: in omnibus reverenter exerce poteſtatem. Da gloriam Deo cùm feceris aliquid glorioſum: ſuper omnia pauperibus adeſſe memineris & Eccleſiis, quibus plerumque principes boni proprio ſanguine quietem emerunt & pacem: ex tuis etiam miniſtris neceſſe eſt divinam metuas indignationem, qui circa eoſdem pauperes & Sanctuarium Dei quidquid impiè volunt, impunè agunt. Huiuſmodi bonos principes, ſed pravos habentes miniſtros; Scriptura nunc Scyllam, nunc Harpyas appellat. Etenim Scylla facie humana, ſed caninis capitibus accincta deſcribitur; Harpyæ vultum habent virgineum, ungues autem rapaces. His quidem boni principes comparantur; ipſi crudelitatem abhorrentes, de iniuriis proximorum conquerentes, hominem manſuetudine & miſericordia exprimentes; cæterùm miniſtri eorum odoratu prædæ canibus, rapacitate ſimiles ſunt unguibus Harpyarum. Tu itaque pro voto rapacitatem atque exactiones tuorum compeſce, quas pauperum clamor & orphanorum gemitus, & lacrymæ comitantur viduarum. His tibi ſi neſcis, *theſaurizatur tibi ira in die iræ & revelationis iudicij Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera ſua.* Qui enim malum (cùm poſſit) non corrigit; quia malefactori conſors eſt in culpa, conſors erit & in pœna. Sicut igitur præſenti pagina commoneris; utere tuorum conſilio amicorum, utere meo: domi ſedens, pauperum ſubſidiis inſiſtens; loca Sanctorum non deſiderans intuêri, ſed tueri ſatagens, non circumferri per memorias lapidum, ſed * circumferri memoria virtutum: Vale.

* al. diſpende, Principis officia.

Boni Principes Eccleſiæ quietem ſanguine proprio emerunt.

F

G

* al. ſecû tranſferre memoriam.

Carnotenſi Epiſcopo.

EPISTOLA LX.

Non licere Sacerdoti latronem invadentem occidere; at non expedire ſaltem: Eum qui verò ſecùs feciſſet, ad Apoſtolicam audientiam mittendum, vt certiorem ſuſcipiat de reformatione ſententiam.

SIcut parvitatem meam veſtra docuit pagina; cum latro quidam portitorem præſentium Sacerdotem invaderet; & pannis eius lancea perforatis eum vellet occidere; Sacerdos latronem lapide percuſſit; & ictus ipſius percuſſione & occaſione latro mortuus eſſe putatur. Pro quo ſcilicet delicto, iam per ſeptennium ab officio Dominicæ menſæ providentia veſtra eundem ſuſpendit Sacerdotem. Sanè ſuper hoc dignati eſtis meum quærere conſilium. Niſi fallor & id veſtram reſcribi ad inquiſitionem, ſi Sacerdoti ad ſacrum liceat redire officium, quod ei medicinaliter abſtuliſtis. Conſideranti igitur mihi quanta in ſacerdote poſtuletur innocentia, & maximè quòd immunis eſſe debeat à ſanguine: non videtur Sacerdotem reum ſanguinis, oportere deinceps miniſtrare; quamvis tuendæ ſalutis neceſſitate homicidium occurrerit. Quòd enim vir Chriſtianus quærere ſibi vitam aliena morte non debeat; Ambroſius his oſtendit verbis: H

A

quærit aliquis; ſi ſapiens in naufragio poſitus inſipienti naufrago tabulam extorquere poſſit; vtrùm debeat? mihi quidem, etſi præſtabilius communiter videatur vſui, ſapientem de naufragio quàm inſipientem evadere: non tamen videtur, quòd vir verè Chriſtianus, ſapiens & iuſtus quærere ſibi vitam aliena morte debeat: vtpote qui, etſi in latronem armatum inciderit, ferientem referire non poſſit, ne dum ſalutem defenderit, pietatem contaminet. De reformatione igitur Sacerdotis, mihi rem intuenti; nihil aliud quam quod ſupradictum eſt, videtur. Quòd etiamſi liceat, non tamen expedit; quoniam & exemplo offendit, & vlciſcendi ſecuritatem adducit. Si autem ſimile aliquid in commiſſa mihi parrochia contigiſſet; reum ad Apoſtolicam miſiſſem audientiam, quatenus ex conſilio illius, & ego inſtruerer, & peccator de reformatione ſententiam ſuſciperet certiorem. Vale.

B

Iocunditas mihi & exultatio exuberat, quotiens obſequio famæ vos benè valere cognoſco. Etenim ſolemne eſt mihi vos colere, vos amplecti, veſtrámque promotionem inter meos aſſignare ſucceſſus. Inde eſt vt mihi ad plenitudinem gaudij cedant, quæ circa vos proſpera ſunt ad cumulum vos eſſe incolumes: Mendacij arguar, ſi fruſtrà poſtulatis à me quod poſſit & expediat amico erogari. Interim rogo vt ad me veſtra pagina transferatur, qua myſterium veſtræ voluntatis & ſalutis agnoſcam. Vale.

EPISTOLA LXI.

Conventuales quoſdam reprehendit alioqui ſatis moratos qui paupertatis prætextu Carnotenſem Epiſcopum hoſpitio prohibuerant: docens in eiuſmodi obſequium quæque pretioſiora Eccleſiæ venundari potuiſſe.

C

Apoſtolicis erudimur exemplis, ut infirmitatem proximi, noſtram (compaſſione) faciamus: vnde & anima mea, in amaritudine, exinanitum dolens oleum nominis veſtri: Oleum cuius odorem, ſicut odorem ſuavitatis Dominum quidem credimus odoratum. Nunc autem non ſic; quippe retrorſum converſi eſtis, etiam iuxta portam dum veſter anhelat equus. Attamen legeratis; *nemo ponens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.* (Luc. 9.) Aſpicitis autem & vos retrorſum. Aſpicitis (inquam) ſi tamen ad aratrum veniſtis, ſi inveniſtis arctam & arduam viam *quæ ducit ad vitam.* (Mat. 7. 15.) Cæterùm pauci ſunt qui inveniunt eam: extrà plures aberrant, cùm in ea ſe greſſum fixiſſe & inoffenſam currere glorientur. Eſt enim qui cum propheta, Eleemoſynam *in ſinu pauperis* abſcondat, (Eccl. 29. 15.) qui frequenter antelucanus ad Eccleſiam accedat, qui patrociniis invigilet oppreſſorum: ſed his minimè cultor propriam gloriam quærit, ſed populo placere deſiderat; ſed anteà manus ad munus, quàm promittat advocatum: fallor ſi is viam invenit, *quæ ducit ad vitam.* De ſeipſo enim Veritas ait; *ſi glorifico me ipſum, gloria mea nulla eſt.* (Ioan. 8.) Et Pſalmus; *qui hominibus placent* (inquit) *confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.* (Pſal. 52. Prov. 5.) Et in Proverbiis: *conturbat domum ſuam qui ſectatur avaritiam, qui autem odit munera, vivet.*

D

Alij vita placet excelſior, ieiuniis carnem perſequitur, lautiorem declinat apparatum, naturæ vivit non gulæ: ſcilicet quem tu eſurire ac ſitire iuſtitiam putas, ita facilè turbatur, ſcilicet *cum hypocritis* ponit portionem ſuam, ſcilicet aliud adverſus honorem carnis ex ſua carne præſumit: fallor ſi is viam invenit quæ ducit ad vitam; *Ira enim viri, iuſtitiam non operatur:* & de hypocritis Dominus per Eſaiam dicit, *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me:* & Apoſtolus: *fornicatores & avaros iudicat Dominus.* Vides hominem huiuſmodi, ſolitudine gaudet, neceſſitati radicibus & herbis obſequitur, nihil cibo eius, & igni, iuxta prophetam, *in olla* mortem eſſe declamat.

Dæmon impouit perfectionibus. Mat. 24. 28. Iac. 1. Iſa. 29. Heb. 13.

E

Sed quem hic in mundo vides vt expertem mundi credas, de ſe præſumit ſuper ſe, ſcilicet Phariſæi iactantia cæteros aſpernatur, ſed ſibi iuſtitiæ arrogat principatum: fallor ſi is viam inveniet quæ ducit ad vitam, *quia enim ſe exaltat humiliabitur.* Et de his qui aliter bona vel mala ſua penſant, aliter aliena, Sapiens ait: *pondus & pondus, ſtatera & ſtatera, utrumque eſt abominabile ante Deum.* Ille relictis omnibus quæ poſſidet, evadet ad arcem monaſtici refugij, deoſculatur humiliter indumenta quòd ad ea ſervus acceſſit, exequitur vniverſas ſuſcepti agonis difficultates, ſine querela, ſuſtinet in ſpem denarij, *pondus diei* portans *& æſtus.* Sed hæc imago Monachi, gradu ſublimiore torquetur, ſed dormire non poteſt, donec pauperem Naboth de ſua extirpet vinea, ſed ſubeſſe detrectat ordinatæ divinitus poteſtati, fallor ſi is viam invenit, quæ ducit ad vitam: nimirùm his modis *fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus.*

4. Reg. 4. Luc. 18. Matt 23. Luc. 14. Prov. 21. Mat. 20. Monachi imago, pro non vero Monacho. Mat. 12. 45.

F

Hanc itaque viam invenire, difficillimum, præterire difficilius: plena eſt offendiculis, & eam latrones obſident, nullum prorſus intentatum ſuſtinentes tranſire. His voluntas ſemper iniqua eſt, his fallendi principatus. Ab his nemo vnquam nocendi inducias extorſit, cum his quotidianus & anceps congreſſus. Ex iis innumerum vulnus, nec ex facili cicatricem promittens. Sub his caſus frequens & reſpiratio difficilis, de his rara & nunquam ſecura victoria. Quis igitur viam inveniet? quis inventam percurrit illæſus? quis latrones evaſit miſſilibus toxicatis formidandos, aſtutia ſuperiores, exercitatos vſu frequenti, pertinaces victoria, nullis fatigatos vigiliis, nullis aut mortibus aut ſpoliis ſatiatos? Quis (inquam) de ſicariis animarum triumphavit? Animus integer, & in omni ſtatu, ad ſolam pronus virtutem, qui nihil averſetur, quod amplecti conveniat, nihil amet quod pudeat confiteri.

Via vitæ plena eſt offendiculis. Homini, nullæ ſic prorſus à dæmone induciæ. Dæmonũ oppugnatio, homini metuẽda eſt. Animũ dæmonũ victorem qualem eſſe oporteat.

G

Huius expers, extra viam eſt quæ ducit ad vitam: ut in eo adoretur etiam exanguis vultus, ut cor circuncisum, clamet altiùs circunciſa cæſaries; ut, ſermo cenſorius ei ſit, & cultus incultior, extra viam eſt quæ ducit ad vitam. Cùm vagetur pes laxioribus calciamentis, cùm caput in ampliorem radatur coronam, cùm loquuntur cætera monachi inſignia; extra viam eſt quæ ducit ad vitam. Extra eſt & foris errat, cuius ita non occidit ante ſolem occidentem. Foris errat qui cùm falli nolit, fallere non veretur, foris errat quem videris forum libenter frequentantem: foris errat qui vaniloquiis effluit, qui paſcitur exactione ſubiectorum, qui lucrum putat operati litibus extorquere mercedem. Erraſtis & vos foris, cùm fores veſtras Carnotenſi epiſcopo clauſiſtis; cùm excluſiſtis Chriſtum Ieſu Chriſti, obliti pariter & bonum hoſpitalitatis & præmium.

Qui ſint extra viã vitæ. Caput in ampliorẽ coronam radi, inſigne Monachi eſt.

H

Hunc & per vos tranſire via coëgerat, & apud vos hoſpitari temporis articulus; nox imminens & aëris intemperies, Pontificem hoſpitio inſtare perurgebant. In caſtello, nullus ad quem Præſul honeſtè declinaret. His anxietatibus homo Dei circunventus, antè veſtras fores fruſtrà ſedit, fruſtrà clamavit: excluſus eſt enim qui ut diverteret ad vos, non invitandus tantum fuit, ſed etiam trahendus: excluſus ille eſt, qui graviùs doluit vos abieciſſe monachum quàm excluſiſſe Pontificem, vobis charitatem quàm ſibi officium defuiſſe. Excluſus eſt ille in quo ſi Chriſtum dubitatis excluſum, vel non legiſtis vel neglexiſtis illud Chriſti, *qui vos ſpernit me ſpernit.* Quam bonum vobis, ſi meruiſſetis dici de vobis quòd *coëgerunt illum dicentes, mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit, & iam inclinata eſt dies.* Fortaſſe paupertate repulſam excuſatis; ſed non modicum auri circa altare rutilabat, ſed plurimùm reſplendebat argenti, ſed ſupererant ornamenta quæ meliùs exponerentur ad uſuram, quàm præſul ad imbrem. Attamen legeratis etiam: *hoſpitalitatem nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Legeratis etiam quid Loth ex hoſpitalitate meruit;

Hoſpitalitas cõmendatur. Luc. 10. Luc. 24. Hoſpitalitatis ergo, Eccleſiæ ornamẽta poſſe oppignorari. Heb. 13. Gen. 18. & 19.

qualis

A qualis Abraham etiam, hoſpitibus ſuſceptis memoretur. Non leguntur alia Loth benefacta, niſi quòd hoſpitalitatis prærogativam dilexerit, quòd maluit turpitudini filias exponere, quàm in hoſpites aliquid turpiùs ageretur. Hæc illi hoſtia fuit; hoc ſacrificio ſulphur & ignem evaſit Sodomorum. Hinc ille ſubverſionem civitatis edoctus, exivit, gaudens, ad ſuos etiam domeſticos, hoſpitis perveniſſe mercedem: tota enim ſervata eſt familia, etiam vnius meritis. Actum erat de ſalute plurimorum. Ad Abraham quoque, ſub ſpecie hominis Angelos deſcendiſſe novimus, & cœlorum incolas eo vultu ſuſceptos, qui teſtarentur hilarem Abrahæ voluntatem. Idem teſtata eſt Sara, cui ſub patriarcha viro, nec hoſpitalitatis credo defuiſſe virtutem. Conſidera Patremfamilias, attende pueros, in Domino devotionem invenies, in familia diſciplinam. Quippe in domo patriarchæ nemo repertus eſt ſacris indevotus obſequiis: ille tres viros videt ad oſtium tabernaculi ſedens, nec expectavit quæri hoſpitium, ne ſi precibus impetrarent, ægrè præſtitum videretur. Occurrit venientibus, & his verbis prævenit accedentes: *Domine ſi inveni gratiam in conſpectu tuo, ne tranſeas ſervum tuum.* Ecce vides quo affectu hoſpites invitentur. Non extorquent importunè hoſpitium, qui precibus ingredi compelluntur. *Domine, ſi inveni gratiam in conſpectu tuo, ne tranſeas ſervum tuum.* Rogantur vt intrent, oblatum ſponte officium gratius accipitur. Lavantur pedes, vt ordine ſuo ſingula hoſpitij debita ſolverentur: deinde viro iubente tria ſata ſimilæ coniux accelerat, ipſe ad armentum currit, vitulus tener occiditur, vrget apparatum puer, tota domus feſtinat, tota fervet obſequio, nihil negligenter fit in domo iuſti, omnes eius contubernales, tanquam ſi ab eo didiciſſent maledictum eſſe hominem *qui opus Dei negligenter agit.* Nondum hoſpites exierant: & ecce, Saræ data eſt fœcunditas. Abrahæ namque dudum facta promiſſio, interventu hoſpitalitatis impletur. Prædicitur eodem anno filium eius naſciturum, in quo ipſi plus promiſſioni deberent quàm nuptiis, plus gratiæ quàm naturæ: quem cùm Dominus Abrahæ prædeſtinaſſet ad ſuſcipiendum tamen repromiſſum ſibi filium, non niſi precibus & meritis patriarcha pervenit. Quod enim prædeſtinatur Electis, precibus & meritis obtinetur. Si Rebeccæ clauſus eſſet vterus, fruſtra Dominus in Iſaac multiplicandum ſemen Abrahæ promiſiſſet: legitur autem, precibus Iſaac, datum Rebeccæ conceptum, vt generis multiplicatio, quæ prædeſtinata in eo fuerat, precibus impleta monſtraretur. De quo ſic in Dialogo Gregorius ait: Ipſa perennis regni prædeſtinatio ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, vt ad hoc electi ex labore orationum perveniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſæcula diſpoſuit donare. Idem Iſaac deprecatus eſt Dominum pro uxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Iſaac prædeſtinata fuit, cur coniugem ſterilem accepit? Sed nimirum conſtat quòd prædeſtinatio precibus impletur: quoniam is in quo Deus multiplicare ſemen Abrahæ prædeſtinaverat; oratione obtinuit vt filium habere potuiſſet. Nolumus vos verbis prolixioribus onerare, quos enormitate ac rubore delicti credimus oneratos. Finem loquendi omnes pariter audiatis; *niſi converſi fueritis, & efficiamini* monachi, *non intrabitis in regnum cœlorum.*

⁂

[Margin: Hoſpitalitas fuit ſacrificiũ ipſi Loth. — Gen. 19. — B — Gen. 18. — Ier. 48. — C — Quod prædeſtinatur, precibus obtinetur. Gen. 25. — Lib. 1. — D — Prædeſtinatio impletur precibus.]

E

EPISTOLA LXII.

Monialis nuper profeſſæ ſtudium circa divina, & contemptum circa humana commendat, eidem hoc genere vitæ utiliter conſultum ſignificans, quod liberorum ſucceſſio non urgeat, quo minus bonorum erogatione pauperes comparet apud Deum interceſſores.

CVm ſuſceperis epiſtolam hanc, ſcito completum apud nos deſiderium tuum. Deſiderio deſideravi, ſanctæ Cœnomanenſis Eccleſiæ, te & filiam fieri, & orationum eius conſortem. Huius voti tui atque petitionis tuæ, venerabilis Abbas Sancti Vincentij nobis nuntius fuit. Quod ergo poſtulaſti, per oblatam tibi ſuſcipies paginam, inter conſorores & filias eiuſdem Eccleſiæ deinceps numeranda: nos quoque cum illis, quorum ſpecialiter ad altare Domini facimus mentionem, nomen tuum decrevimus frequentandum. Præterea ex his quæ dicta ſunt mihi de te, lætari noveris ſpiritum meum, & requieſcere in te. Andivi te totam ſacris occupatam ſtudiis, & viam inveniſſe quæ ducit ad vitam. In ſemitis paucorum poſuiſti veſtigia tua; & facies tua, facies ſpectantis ad civitatem, cuius plateæ ſonant laudes de die in diem. Illuc transferas ſanctitatem tuam, pro quadrante talentum inventura. Felix & fructuoſa tranſlatio huiuſmodi; quam commiſſam manibus pauperum, cum centeno recipies incremento. Nemo ſibi theſaurizat, niſi loculos in eorum manibus evacuet; nemo bene metit, niſi horrea ſua ventres eorum efficiat. Age ergo, quod agis filia Chriſti. O à Deo edocta, perge quò pergis; bene pergis, ſi eo quò pergis pertingis! Confidimus autem in Domino Ieſu, quia ipſe auferet offendicula de via filiæ ſuæ, & diriget greſſus eius in viam pacis Deus Iſraël, habens quoddam pignus gratiæ ipſius, cui deſuper datum eſt & abundare divitiis, & carere ſarcina liberorum. In his duobus, ad currendum fœliciter, bonum ſortita es apparatum: divitiis enim viam tibi ſternis ad vitam; liberis carens, exonerata incedis: divitiis, operibus miſericordiæ ſervitur, divitiis, ei miniſtratur qui non venerat *miniſtrari*, ſed *miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Denique divitiis, illud Evangelicum impletur; *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Amici huiuſmodi, amici certi & in die calamitatis & miſeriæ neſcij ſuum neſcire cultorem, quàm multo fœnore tunc recipies, quod eis modò committis! quàm fideliter iſti agent pro te, quando Antiquus dierum ſedebit ſcrutaturus renes & corda ſingulorum! In foro candidatis divitibus rei ſuam committunt actionem: in cœlo autem nulli melius pro reis agunt, quàm pauperes advocati: pauperes ante ſupremum tribunal in propulſandis dilationibus obtinent principatum. Vnde fit vt bene ſperet de iudice, quiſquis pauperum meretur interventum: pro quo eorum voces convaleſcunt, ſententiam non timet capitalem. Hos igitur tibi compares, hos facias advocatos: eorum inopiæ, copiæ tuæ ſubveniant: illis egentibus, egere Chriſtum crede. Qui te non viderunt in benedictionibus tuis, tuum videant affectum. Vellera tibi ſunt, operi nudum. Sub oſtenſione veſtium, quas Dorcas viduis faciebat, Dorcam legimus orante Petro ſuſcitatam, noli *hoſpitalitatem oblivisci.* Loth & Abraham quia conſueverant homines, angelos hoſpitari meruerunt. Sepeliri mortuum; ſi non manu, vel ſumptu: In ſepultis vivunt meritis Tobias & Ioſeph; quorum alter defunctis fratribus, alter Chriſto ſepulturam providit. Sanctorum cole memorias, & in muneribus eorum quære ſuffragium. Matronæ cuidam, Proceſſi & Martiniani

[Margin: F — G — Loculi theſaurorum, ventres pauperũ. — Mat. 20. 28. — Luc. 16. 9. — Dan. 7. — H — Pauperes advocati erga Deum. — Act. 6. — Heb. 13. — Gen. 18. — Tob. 1. 2. 4. 8. — Mat. 25. — Mat. 15.]

A

oratorium frequentanti, Beatus Gregorius eoſdem martyres apparuiſſe refert; & in cauſa animæ, ſuum promiſiſſe interventum. Nulli deſunt extra miſericordiæ, nulli facultas miſericordiam promerendi: tota Petri & Andreæ relicta poſſeſſio, & dimidium bonorum Zachæi, & duo minuta Viduæ, & panis fractus eſurienti, & calix aquæ frigidæ pariter acceptantur ſi ſit par affectus offerentium. Deus enim non quid, ſed qualiter offeras, attendit. Iratus, non hoſtiarum numero, ſed devotione miteſcit animorum. Miteſcet autem ſi perſeveras in eo quod cœpiſti. Cœpiſti non parcere divitiis tuis, ne non parcatur delictis tuis. Bonum & ſalutare conſilium; huius nunquam pœnitet, nunquam pudet ſapientem. Quippe reſides & intactas opes, immoto puteo, Ambroſius his comparat verbis: Puteus (niſi eum exhaurias) inerti otio & degeneri ſitu facilè corrumpitur, exercitus niteſcit ad potum. Idem de eodem: Aqua ſtativa, ſtatim vermes facit, ſic & opulentia rerum, vſu iocunda eſt, inutilis otio, & quaſi cœnulento odore Deo moleſta; vindices avaritiæ & iniquitatis, vermes facit. Porrò de tuis opibus id minimè timetur, quibus multiplicandis non vrget te ſucceſſio liberorum; in quo & divina gratia tibi officioſè providit, quam maluit eſſe fœcundam ſpiritu quàm carne, cœlo parere quàm ſepulchro. Carnis enim fœcunditate retrorſum plures abeunt, ſollicitæ quid hæredibus derelinquant, quas eis emant poſſeſſiones, ubi conſultius adultas collocent filias, quæ palatia nepotes nondum natos expectent. His earum vigiliæ ſerviunt, his labores theſaurizant: Afficiuntur etiam inedia, torpent algoribus, & quod hæres ſcortator aut ventricola dilapidet, ſpontaneo cruciatu corporis acquirunt. O inſani parentes, qui filiis officioſi, ſibi officiunt: tu autem fælix, cui non ſunt quibus dividas animum tuum, propter quos reſpicias *vanitates & inſanias falſas*. Tota ergo adſis gratiæ Dei, ſine qua nec benè volumus, nec bene operamur. Niſi ei defueris, credas eam tibi minimè defuturam. Vale in Chriſto dilectiſſima ſoror, & vice noſtra maritum tuum ſaluta, cui etiam idipſum concedimus quod tibi: vtrique autem ex eo gratias agimus, quòd monachos B. Vincentij filios & fratres noſtros manutenentis in largis benedictionibus (vt audivi) frequenter eos viſitantes. Hoc etiam bene feciſtis, & vt in id perſeveretis, veſtram rurſus rogamus devotionem. Vale.

Matt. 19.
Luc. 19.
27.
Matt. 10.
Mar 9.

B

Cura ſi lhorum, parentes tranſfer ſum agitur, ut fine.
Pſ. 39.

C

EPISTOLA LXIII.

Adelæ Comitiſſæ iam converſæ gratulatur, quod cùm noſtræ Redemptionis officinas (ſcilicet Terræ-Sanctæ divina loca) obſequio Chriſtiano venerari & inviſere hactenus deſideraſſet; Monaſticam vitam eſſet profeſſa.

D

HIldebertus Cœnomannorum Epiſcopus, A. ancillæ & filiæ Chriſti, ſuæ quondam dilectæ, nunc autem dilectiſſimæ: bonum exitum, de bono promereri principio. Egredienti tibi de medio nationis pravæ atque perverſæ, congratulatur & applaudit tibi ſpiritus meus laudans Dominum & glorificans, cuius miſerationis eſt quòd Ægyptiacam averſata ſervitutem, ad terram promiſſionis iter aſſumpſiſti. Confido autem in Domino meo Ieſu Chriſto, quòd ipſe proſperum faciet deſiderium tuum, quod *perficiet greſſus* tuos *in ſemitis ſuis, ut non moveantur veſtigia tua*. Et quidem ego credidi, alia via filiam Abrahæ de Ægypto egreſſuram, ſed filia Abrahæ compendioſiorem viam elegit. Credidi enim te deſiderio deſiderare ſepulchrum Salvatoris inviſere, & noſtræ redemptionis officinas, obſequio venerari Chriſtiano. Sciebam quòd in eo rectè offerres, ſed ne rectè etiam divideres dubitabam. Tu autem & rectè obtuliſti, quia pro Chriſto omnia reliquiſti: rectè etiam diviſiſti, quia Chriſtum ſepultum quàm Chriſti ſepulchrum ſequi maluiſti. Porrò ſalutaris hæc, & plena conſilij diviſio: vt enim efficiamur diſcipuli Chriſti, baiulare movemur ipſius crucem, non quærere ſepulturam. Quam ſcilicet crucem, vt tu & portare poſſis, & ſequi Chriſtum; patientiam amplectere, amplectere humilitatem, quæ inter cæteras virtutes inveniuntur, humanæ redemptionis obtinuiſſe principatum. Si diligenter attendis, tota Chriſti vita nihil aliud in terris quàm exemplum & doctrina earum fuit. In eis igitur dum per ſerpentes deſerti huius & innumeros hoſtes ad promiſſam tendis Ieruſalem, mentis oculos habe, vt illud Salomonis in te compleatur: *Oculi ſapientis in capite eius, ſtultus autem in tenebris ambulat.*

Pſal. 16.

E

Patientia & humilitas, principes virtutum.

Eccl. 2.

EPISTOLA LXIV.

F

Monet Abbatem quendam paulò curioſiorem ſermonis, & quidem ſupra quàm Chriſtianum deceat; tollendam eſſe ex eius monaſterio conſuetudinem, quæ Euchariſtiam niſi intinctam non concederet.

PRomiſſam beatitudini tuæ paginam, ſatis ſuperque expectaſti. Promiſi (fateor) ſed veritus ſum ne rudi ſtylo, res legenti diſpliceret. Ratio hæc diuturnum mihi ſilentium imperavit. Cæterùm cùm Paulus eſſet in manibus, & illud ad Philippenſes occurreret, *dum omnimodo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur, in hoc gaudeo, ſed & gaudebo*; debitum ſolvere diſpoſui, & quo poſſum ſcripto improbare, quem approbatis errorem. Periculosè delicatus eſt quiſquis, niſi eum venuſtas verborum demulceat, doctrinæ præiudicat ſalutari. Quis exuſtus ſiti, oblatam fictilibus aquam proiicit? aut quis ægrotare maluit, quàm nigra & horrenda manu Æthiopum præparatam ſumere potionem? In primis igitur attendas iudicialem eſſe pertinaciam, conſuetudinem præferre veritati. Nec liber eſt vſus à culpa, cui vel auctoritatem conſtat obſiſtere, vel adverſari rationem. Noverat hoc Auguſtinus in tertio libro de vnico baptiſmo ſcribens his verbis: Veritate manifeſtata, cedat conſuetudo veritati. Item: Nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit. Item in libro de baptiſmo, qui contempta veritate præſumit conſuetudinem ſequi; aut circa fratres invidus eſt & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Dominum ingratus eſt, cuius inſpiratione Eccleſia eius inſtruitur: nam Dominus in Evangelio: *Ego ſum* (inquit) *veritas*: non dixit, ego ſum conſuetudo. Item: revelatione facta veritatis, cedat error veritati; quia & Petrus qui circuncidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti. De eodem Cyprianus: Conſuetudo quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati omnino pòſtponenda eſt: Et, vſus qui veritati eſt contrarius, abolendus eſt. His auctoritatibus inſtructos culpa reſpicit, ſi malunt poſt conſuetudinem deviare quàm ſectari veritatem. Quod ideo tibi (chariſſime frater) exaravi, vt vel excitatus evigiles, vt videas, quoniam traditioni ſacramentorum altaris, quæ in veſtro celebris eſt Monaſterio, nec Evangelica conſonant nec Decreta concordant. In eo enim conſuetudinis eſt, Euchariſtiam nulli niſi intinctam dari: quod nec ex Dominica inſtitutione, nec ex ſanctionibus autenticis repetitur aſſumptum. Si Matthæum conſulis, ſi Marcum, ſi Lucam, ſeorſum panem traditum invenies, ſeorſum vinum. Vnde & ſic Papa Iulius ait: Illud quod pro complemento Communionis, quidam intinctam tradunt Euchariſtiam populis, non

Phil. 1.

G

Veritas otuatum neglegit.

Pertinacia eſt, cõſuetudinem præferre veritati.

Veritati cedat cõſuetudo.

Ioan. 14.

H

Gal. 2.

Euchariſtiã, niſi intinctã no dare, reprehẽſibilis eſt conſuetudo.

hoc

A

hoc prolatum ex Evangelio teſtimonium repererunt, ubi Apoſtolis corpus & ſanguinem ſuum Dominus commendavit: ſeorſum enim panis, & ſeorſum calicis commendatio commemoratur. Nam intinctum panem aliis præbuiſſe Chriſtum non legimus, excepto tantùm illo diſcipulo, quem intincta buccella, Magiſtri proditorem oſtenderit, non quod huius ſacramenti inſtitutionem ſignaret. Porrò ſi quis dicat ex intincto pane, quem traditori Chriſtus porrexit, præfatam emerſiſſe conſuetudinem; tanquam præſcripta fuerit in eo forma, qua tradi oporteat Communicaturis, panem qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo: forſitan credendum putarem, ſi panem illum, Chriſti corpus fuiſſe, vel Evangelium vel plena fidei reliquiſſet auctoritas. Cæterùm vel tenuiter ſcienti manifeſtum eſt, aliud fuiſſe Chriſti corpus, & aliud buccellam panis intinctam, Iudámque prius ad mortem ſaginatum corpore, quod erat traditurus, quàm buccella panis proderet Traditorem. De qua buccella ſic Auguſtinus ſuper Ioannem ſcribens ait: Non autem, ut putant quidam negligenter legentes: tunc Iudas corpus Chriſti accepit. Intelligendum eſt enim quod iam eis omnibus diſtribuerat Dominus ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, ubi & ipſe Iudas erat, ſicut S. Lucas evidentiſſimè narrat: ac deinde ad hoc tamen, ubi (ſecundùm narrationem Ioannis) apertiſſimè Dominus per bucellam tinctam atque porrectam, ſuum exprimit traditorem, fortaſſis per panis tinctionem, illius ſignificans fictionem. Hæc tibi (chariſſime) ſufficiant, ſi veritatis compendia ſequi, quàm poſt longos relinquendæ conſuetudinis circuitus aberrare malueris.

Ioan.13.

B

Buccella intincta, porrecta Iudæ a Chriſto, non erat Chriſti corpus. Iudas prius ſaginatus corpore Chriſti, quam eũ proderet buccella *Luc.22.*

EPISTOLA LXV.

Summum Pontificis ſuffragium requirit ſuper iis quæ decreta ſunt in Britannia de ſubſtantia morientium, & naufragantium quæ fiſco addicebatur, item de inceſtis nuptiis, deque ſacerdotalium filiorum ordinatione.

C

Beatitudini veſtræ (reverendiſſime Pater) decrevimus exarandum; quod ex ſuggeſtione venerabilis Britannorum Comitis, pariterque provincialium conſilio Epiſcoporum in Britanniam deſcenderimus: ubi præter alias multiformes & abhorrendas enormitates, matrimonia quidem, inceſtus; Sanctuarium autem Domini, hæreditaria ſucceſſio polluerat. Quapropter, convocatis eiſdem & Abbatibus multiſque religioſis ac ſapientibus viris, in urbe Nannetenſi triduo ſedimus, in ea ſynodum celebrantes: ex qua largiente Domino, & Eccleſiæ honorem, & populo magnum conſtat emerſiſſe fructum. Siquidem uſque in diem præfati Conventus, huiuſmodi conſuetudo in terra Comitis exciterat, ut decedente marito vel uxore, univerſa decedentis mobilia in proprietatem Poteſtatis tranſirent. Præterea quicquid evadebat ex naufragiis, totum ſibi Fiſcus lege vendicabat patriæ: paſſoſque naufragium, miſerabiliùs violentia Principis ſpoliabat, quàm procella. Vtramque autem exactionem ſub oculis totius Concilij, Comes in noſtra manu depoſuit, poſtulans in eos excommunicationis gladium extendi, quicunque aliquando vel manumiſſa petere, vel manumiſſionis plenitudinem imminuere attentarent. Totus itaque conſeſſus & gratiarum actione illum proſecutus eſt, & perſecutus anathemate beneficij diſtractorem. De inceſtuoſis autem coniugiis, hoc univerſitati conſidentium placuit, ut Epiſcopi quidem in omnibus ſuis Conventibus, reliqui verò ſacerdotes in Eccleſiis talia contrahi matrimonia publicè prohiberent, eos excommunicationi ſubiicerent quicunque poſt præſentis Synodi actionem ſcienter inirent inceſtarum fœdera nuptiarum. Placuit & hoc univerſis, ut ad incutiendum cæteris metum, filij, vel huiuſmodi commixtione deinceps generati, velut ſpurij haberentur, & ad legitimos hæredes ius paternum tranſiret. Porrò in Ordinibus celebrandis, canonicas ſanctiones & diligenter attendi iuſſimus, & inoffenſè cuſtodiri. Ordinari filios ſacerdotum, niſi prius Canonici regulares aut Monachi fierent, aſſenſu communi nobis ſynodus interdixit. His autem quos iam ordinatos conſtabat, abolendæ ſucceſſionis intuitu, in Eccleſiis quibus Patres eorum miniſtrarent, miniſtrandi abſtulimus facultatem. Præbendas, & quaſlibet Eccleſiæ dignitates, rigore quo debuit inhibitum eſt hæreditate obtineri. His addita ſunt & alia in hunc modum, quibus ex canonicis prodeuntibus inſtitutis, præſens Synodus & aſſenſum præſtitit, & ſervanda decrevit. Hæc igitur vobis (ſancte Pater) ſignificanda cenſuimus; quatenus acta canonicè, veſtra confirmare dignetur auctoritas: & datis ad Epiſcopos litteris, communiter exhortari omnes; ut quæcunque eis facienda ſanximus in Chriſto & docenda, ipſi quoque cum Chriſto facere ſtudeant & docere. Illam præterea manumiſſionem de naufragiis & de ſubſtantia morientium, quam Comes in noſtra manu depoſuit; vos (beatiſſime Pater) non gravemini confirmatione Apoſtolica roborare, ac prohibere ne quis omninò eam reſcindere, vel aliqua ex parte minuere præſumat. Conſervet vos Dominus Eccleſiæ ſuæ, ſancte Pater.

Synodi nãnetẽſi. Canones ſeu Decreta.

D

Comes Britãnorum, in manu Epiſcopi renũciavit cuidã iuri ſuo de ſpoliis Naufragorũ. Suſcepti ex inceſtis nuptiis, ſpurii pronũciantur.

E

Synodus Provincialis, à S. A. debet confirmari.

F

EPISTOLA LXVI.

Pontificis Honorij II. eſt reſponſio confirmatoria eorum quæ decreta fuerant in Synodo Nannetenſi, & quæ relata ſunt ſuperius epiſtola quæ incipit, beatitudini veſtræ Reverendi.

G

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Turonenſis metropolis, Suffraganeis, Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Chariſſimus frater noſter Hildebertus Turonenſis Epicopus, ſicut bonus paſtor pro grege ſuo vigilans, evocatis fratribus ſapientibus & aliis religioſis viris, quemadmodum ex ſuarum literarum inſpectione cognovimus in Nannetenſi civitate, de more Metropolico, concilium celebravit. Ibique de inceſtis nuptiis, & de ſpuriis ſacerdotum filiis, & de his qui quaſi hæreditaria ſucceſſione Eccleſiaſtica petebant beneficia, & de aliis diligenter pertractans, corrigenda correxit, & ſtatuenda conſtituit. Vniverſitati ergo veſtræ mandamus, quatenus ea quæ ab ipſo iuxta ſanctorum Patrum decreta ibi ad honorem Domini & ſalutem populi ſtatuta eſſe noſcuntur, irrefragabiliter obſervetis. Sicut enim in humani compage corporis, membra famulantur & obediunt capiti tanquam ſupremo & proviſori, ut ſic perſona ſervetur incolumis: ita fidelium mentes unius effectæ voluntatis, pro cuſtodienda unitate fidei & ſtatu Eccleſiæ, ſuis debent humiliter parere Prælatis. Ad hæc pravas illas conſuetudines à Comite Britanniæ clariſſimo, in manu præfati Archiepiſcopi, in conſpectu Synodi refutatas, quarum una fuit, quod maritis vel uxoribus decedentibus bona eorum mobilia à Poteſtate ſæculari diripiebantur; altera, qua illis qui naufragium evaſerant, etiam quæ in portu poſtmodum inventa erant, auferebantur, damnamus: & ne quis eas futuris temporibus renovare præſumat, auctoritate Apoſtolica interdicimus. Iniquum enim cenſemus eſſe, ut quem divinæ clementiæ magnitudo à ſævientis pelagi voracitate exuit, hominum ſæva rapacitas audeat ſpoliare. Piorum namque Imperatorum emanavit auctoritas, * ut etiam earum rerum quæ in tempeſtate maris, levandæ navis cauſa, eiiciuntur: non amittatur dominium: non enim eas aliquis eo animo abiicit, quod habere nolit, ſed quò periculum effugere poſſit. Et qui res ipſas lucrandi animo abſtulerit, furtum committit. Datum Laterani 13. Kalend. Iunij.

Nãnetẽſis Synodus.

H

* *Ad L. Rhod. de iactu ff. l. 1 §. Fronali, & l. qui levanda, & tit. incend. ruin. nauf. l. 1. l. ne quid.*

A

EPISTOLA LXVII.

Conqueritur apud honorium II. quæ ſunt Sanctuarij, Regem Galliarum fiſco aſcripſiſſe, & ſe perſequi in dies, quia dignitates Eccleſiaſticas, nec ex ipſius Regis præcepto diſponat, nec diſponendi facultatem indulgeat: tandem ſummum Pontificem monet rixarum Decani & Canonicorum Eccleſiæ Turonenſis

HOnorio, Dei gratia, Reverendiſſimo Patri, ſanctæque Romanæ ſedis ſummo Pontifici, Hildebertus humilis Turonum Archiepiſcopus, debitæ integritatem obedientiæ. Quantis tribulationum turbinibus Turonenſis agitetur Eccleſia, veſtram venerande Pater latere non credo ſanctitatem. Adhuc enim

B Francorum Rex innocentiam meam tantum perſequitur odio, ut traducat in gravamen Eccleſiæ; & quod conſtat eſſe Sanctuarij, fiſco aſcripſit. Tota quoque terra ipſius ita mihi, & his qui mecum ſunt in Domino, ſuſpecta eſt & clauſa, ut nec ego, nec illorum aliquis in ea pedem ponere audeat. His aliiſque premor anguſtiis, quia *zelo zelatus ſum legem Domini Dei*, quia non ſum tranſgreſſus, *terminos quos patres noſtri poſuerunt*; quia dignitates Eccleſiaſticas nec ex Regis præcepto diſpoſui, nec ei diſponendi facultatem indulſi. Sciens enim quia *oportet magis Domino obedire quàm hominibus*, perſonas elegi quæ in exequendis Eccleſiæ negotiis pondus diei portarent & æſtus. Alteri igitur Archidiaconatum, alteri Decaniam dedi. Nullus omninò fuit, qui ei quem in Decanum promovi, quando promotus eſt, aliquid opponeret, ſeu quando fuit in ſede collocatus: Omnes gratiam ipſius habebant, omnium ipſe. Sequenti autem tempo-

C re contigit, ut quoſdam Canonicorum, qui ſub virga erant, propter eorum turpia verba & reprimendorum enormitates operum, Decanus ex officio Decaniæ, Eccleſiaſtica corrigeret diſciplina. Quam nimis graviter iidem Canonici ferentes, adverſus eum inexorabili odio exarſerunt. Cui ſcilicet odio, plurimùm ex quadam diſcordia eſt additum, quæ inter eoſdem Canonicos & Fratres Decani ſuſcitata, ex verbis ad rixam uſque pervenit. Ex occaſione huiuſmodi, ſimulque ſuffragio diſciplinæ, præſcripti Caconici de ſua egreſſi Eccleſia, ad Regem Francorum, cuius iram circa Decanum noverant implacabilem, tranſierunt, ipſius indignationem, quantis quibus potuère delationibus in eum cumulantes. Cùm autem à Rege egreſſi eſſent, unus ex illis nomine Nicolaus, à quodam fratre Decani captus eſt, & aliorum auxilio, tam fratrum eiuſdem Decani quàm amicorum demembratus. De quibus cùm mihi frater abſciſſus lachrymabilem deponeret clamorem: addidit, ut etiam ſuper Decano proclamaret, dicens, ſuggeſtione & conſilio ipſius membrorum ſe abſciſſione imminutum, quorum violentia ipſe tentus fuit & abſciſſus.

D Alterum quoque Canonicum Herbertum nomine ſimili ſuſpicione Nicolaus de illata ſibi pulſavit iniuria. Pulſanti itaque & pulſato utrique, diem dedi competentem, in quo aſcitis religioſis viris & ſapientibus perſonis, cauſam iuvante Domino canonicè terminarem. Omnes ſtatuto die aſſuerunt, omnes hoc modo ſuam aſſecuti ſunt actionem. Qui igitur pro Nicolao eſt loquutus, dixit, Nicolaum ſuggeſtione & conſilio decani demembratum, ipſum tamen Nicolaum minimè ſuſcepturum iudicium. Ad hæc Decanus: Non mea (inquit) ſuggeſtione, nec meo conſilio; ſed nec etiam mea voluntate actum eſt, ut Nicolaus abſcinderetur: ut autem ſuper illato mihi ſcelere purgarer, meamque monſtrarem innocentiam, vocatus à meo Archiepiſcopo, Conventum præſentem ingreſſus ſum, libenter executurus quicquid canonicè fuerit adverſum me iudicatum: ſive itaque Nicolaus iudicium ſuſcipere diſ-

E ferat, ſive omninò dimittat, ego tamen Eccleſiæ & Archiepiſcopo meo, quam ſanctiones canonicæ dictant, offero purgationem. His dictis, alter ſimili capitulo pulſatur ſimili reſponſione ſuum proſecutus eſt negotium: & quidem quæſitum eſt, ſi quos teſtes adverſus accuſatos Nicolaus haberet. Cæterùm nullus omnino inventus eſt, nullus nominatus. Quapropter iudicatum eſt, Decanum, ſi non pro Nicolao (quibuſdam moratoriis cauſis, quærente iudicium differri) pro Eccleſia tamen, quæ eum habebat ſuſpectum, debere purgari: atque in ſeptima manu Ordinis ſui, ſuam iureiurando declarare innocentiam: quod & ita factum eſt. Ex eodem quoque iudicio, Herbertus in ordine ſuo ſimilem exhibuit purgationem. Hoc idcircò vobis (Pater ſancte) ſcripſi, quatenus ſi quis aliud ſanctitati veſtræ de præfato retulerit negotio, vos ipſam cognoſcatis veritatem. Vigeat ſanctitas veſtra, venerande Pater.

F

EPISTOLA LXVIII.

Scribit Honorio II. P. M. Bracerium Canonicè reſtitutum: Romam quoque iter inſtituiſſe Radulphum fatigatum delationibus iuniorum quorundam & improborum canonicorum, quorum cum Decano controverſiæ componendæ Pontifex Legatum cognitoremque Roma Turoniam uſque dimiſiſſet, neceſſe eſſet tamen ut ultimam imponeret manum.

HOnorio, Dei gratia ſanctiſſimo Patri ſuo, ſummoque Pontifici, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, Hildebertus humilis Turonum miniſter, integræ cuſtodiam obedientiæ. Factum eſt (beatiſſime Pater) quod à nobis dignatio veſtra poſtulavit. Etenim Bracerio

G Præbendam, quam enormitate delictorum amiſerat Apoſtolicus reſtituit interventus. a Radulphus quoque Beati Mauricij Decanus ex præcepto veſtræ ſanctitatis iter aſſumpſit; conſcientia ſecutus non via, divino conductu, non humano. Qui ſi proſperante Deo ad veſtram evaſerint audientiam, ſcitis eum non ſua fatigari culpa, ſed potiùs odiis & delationibus quorundam iuvenum: de quibus dubium eſt, magiſne attriverint famam ſuam malefactis, an maledictis alienam. Hinc eſt quod opinionem Decani gratuito perſequuntur, qui ſuæ nec rogati parcere voluerunt. Eidem tamen Decano ſic data eſt à nobis in capitulo Decania, ſic ipſe ſubſtitutus in ſede, ut huic eius promotioni nemo prorſus aut verbo reſiſteret, aut opere contrairet. Ad menſam debitæ refectionis æquanimiter ſederunt omnes, cùm gratiarum actione ſurrexerunt, agentí Decanum. Aliquandiu impenſa eſt & integritas obedientiæ, & facultas diſciplinæ. Hanc autem circa eum reverentiam, temeritas cuiuſdam Fulconis fratris ipſius

H imminuit, à quo & per quem captus eſt abſciſſuſque Nicolaus; de qua ſcilicet abſciſſione, quòd Decanum Nicolaus accuſaverit, & quòd ipſe Decanus adiunctis ſibi ſex venerabilibus viris iureiurando ſuam declaravit innocentiam, iam noſtrarum literarum inſpectione, beatitudini veſtræ veraciter innotuit præterea, iudicio aſſuiſſe venerabilem Cœnomanorum Pontificem, Abbates etiam quàm plures, alioſque religioſos & ſapientes viros, quorum omnium prona fuit ad hæc ſedulitas, ut non molirent ex licentia Iudicis ſententiam, ſed ſequerentur canonicæ rigorem diſciplinæ. His talibus peractis, non tamen circa Decanum quorundam quievit invidia. Qui dum apud eum delationis materiam non inveniunt, ipſi fingunt. Hi ſiquidem ſunt, quibus eſt elegantius de mendacio damnari, quàm præmium de veritate promereri. Porrò cùm ad aures veſtras aſcendiſſet, pro irrigata Nicolao contumelia gravem inter Canonicos eſſe diſcordiam, Eccleſiæ quoque divinum deeſſe officium, ob reformandam in ea

pacem

Margin notes: Quod eſt Chriſti, tepe ficta. — *Act. 5.* — *Mat. 20.* — Canonicorum quidam ſub virga iratæ ſunt cum Decano. Canonici caſtigandi. — Comprimendo ſchiſmati Legatus mittitur à S. A.

A pacem, D. G. Romanæ Eccleſiæ Legatum Turonis uſque fatigari inſſitis. Vbi cùm data eſſet Nicolao, & amicis Decani audientia, ſinguli prout quiſque pulſabantur, ſuam executi ſunt actionem: deinde prolatum iuxta conſuetudinem provinciæ eſt iudicium. Conqueſtus in eo ſe gravari Nicolaus, Apoſtolici examinis vigilantiam appellavit. Inde factum eſt, ut inter Nicolaum & eos de quibus appellaverat Nicolaus, res indiſcuſſa maneret. Adhuc autem ſedentibus Epiſcopis qui de cauſa iudicaturi convenerant, Legatus ex auctoritate ſedis Apoſtolicæ præcepit, ut ſi quis Canonicorum vel adverſus Decanum, vel adverſus alium aliquam haberet querelam, in medium proferret ſuper clamore ſuo, quicquid iuſtitia dictaret adepturus. Idipſum cùm Legatus de perſona Decani ſpecialiter, & Bidonis iteraret, nullus omninò eſt inventus, qui ſibi aliquid adverſus eos fateretur. B Placuit igitur tam legato, quàm Cœnomanenſi & Redonenſi Epiſcopis, pariterque parvitati noſtræ, in accuſatione Decani ſive Bidonis, neminem illorum admitti, qui (ſi quid adverſus eos haberent) iuſſi probare, ſiluerunt. Ita bis iam deſcuſſa Nicolai adverſus Decanum & Bidonem querimonia, Legatus Canonicos diligenter adhortatus eſt ad pacis unitatem reverti, ſingulos ſingulis in ordine ſuo debitam exhibere reverentiam: converſari ſic in domo Domini, ut quos dividebat diſtinctio graduum, coünitet æqualitas animorum. Quod, ut fieri (Pater beatiſſime) poſſit, neceſſe eſt, vos ultimam manum præfato imponere negotio.

a *Radulphus. Hic fortaſſis eſt Arnulphus ille concionator egregius, qui acerbior in reprehendendo, Cleri inſidiis eſt necatus. Plat.*

EPISTOLA LXIX.

C *Henricus Anglorum Rex, monaſterio Fontis Euerardi dederat eleemoſynam perſolvendam quotannis, pro remiſſione peccatorum: petit Hildeb. tandem Sanctitatis ſuæ ſigillo muniri, & Apoſtolica authoritate confirmari.*

HOnorio Reverendiſſimo patri ſuo, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, Hildebertus humilis Turonum miniſter, debitæ perſeverantiam obedientiæ. Et relatione plurimorum didicimus, & re ſumus experti, quòd apud veſtram (ſanctiſſime Papa) vigilantiam, iuſtæ petitiones debitum inveniant effectum. Vnde & nos tam devotè quàm fiducialiter id expetimus à vobis, quod & ſummum Pontificem erogare deceat, & Eccleſiæ proſit erogatum. Sereniſſimus ſiquidem Anglorum Rex Henricus, monaſterio de fonte Euerardi quandam in Anglia providit eleemoſynam, pro remiſſione peccatorum ſuorum eidem loco ſingulis annis in perpetuum exolvendam. D Quam profecto eleemoſynam auctoritate ſedis Apoſtolicæ confirmari, veſtróque muniri ſigillo, precibus multiplicatis imploramus. Hanc ad vos (beatiſſime Pater) interventionem pro virginibus Chriſti ſuſcipimus, quarum ſicut exterior eſt apud homines converſatio, ſic apud Deum, prout credimus, mentis puritas innoteſcit: ea propter noluimus ancillis Chriſti noſtrum deeſſe interventum. Quod ſi non mereatur exaudiri à patre filius, mereatur tamen à Domino aliquam de pia voluntate mercedem fidelis ſervus. In ſinu tamen noſtro ſpes bona repoſita eſt, pro eis à Patre filium exauditum iri, quæ ad promerendam ſervorum Dei gratiam ipſæ ſibi ſolæ ſufficiunt.

Iuſtæ petitiones inveniũt effectum

***

EPISTOLA LXX.

E *Reginæ Anglorum ſcribit, ſterilitatem non in opprobrium contigiſſe, ſed ad ſalutis ſubſidium, ut adoptaret utique ſibi pauperes, ſalutis (& forſitan prolis) apud Deum interceſſores.*

HIldebertus humilis Turonum Archiepiſcopus A. excellentiſſimæ ac reverendiſſimæ Anglorum Reginæ, ſalutem & orationum inſtantiam. Transfretare tibi (ô Regina illuſtris) ut fertur, incumbit, & regno coronæ tuæ, tuo reditu iocunditatem reſtituere & exultationem. Nolvimus te inſalutatam de Normannia egredi, cuius ſalutem inter ſuos ſucceſſus Chriſti pauperes enumerant: audivimus enim te de illis curam gerere, & eos frequenti benedictione conſolari. F Optimum hoc & timoratæ mentis conſilium actori ſumus omnes coram omnium Redemptore ſimul & iudice. Illuc neceſſe eſt nos præveniant, ſi volumus ut nobis ſubveniant advocati. Advocati autem illi ſunt, de quibus in Evangelio Dominus dicit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Amici huiuſmodi, amici certi, & in die calamitatis & miſeriæ, neſcij ſuum neſcire cultorem. Hi profectò pauperes intelliguntur. Pauperes ante ſupremum tribunal in propulſandis delationibus obtinent principatum. Vnde fit ut benè ſperet de iudice Chriſto, quicunque ſub Chriſto pauperum meretur interventum. Pro quo iſtorum voces convaleſcunt, ſententiam non timet capitalem. Hos itaque tibi compares, hos facias advocatos. Illis egentibus, egere Chriſtum, crede. Qui te non vident, in benedictionibus tuis tuum videant affectum. Si non eſt tibi deſuper, ut Anglorum Regi parias; his abſque damno pudicitiæ, Regi parias Anglorum: fortaſſis ideò Dominus clauſit uterum tuum, ut progeniem adoptares immortalem. G Quod ſi ita eſt, attende ſterilitatem carnis animæ quæſtum eſſe, non diſpendium, gloriam, non confuſionem, beneficium, non flagellum. Fœlicius enim eſt fœcundam eſſe ſpiritu, quàm carne: cœlo parere, quàm ſepulchro. Fieri etiam poteſt, ut quam ſuſpiras ſobolem, ſubſidiis egenorum adipiſci merearis: quippe naturam quoque merita mutant, & apud nonnullas invenies abſterſum eleemoſynarum virtute, ſterilitatis opprobrium. Abraham quia homines conſueverat, Angelos hoſpitari promeruit. Eundem, prærogativa fidei & obedientiæ, Scriptura, Domino placuiſſe commemorat. His ô Regina noveris evacuatam Saræ ſterilitatem, datumque ei filium, quod plus egit meritum patris, quàm debitum thori, ſanctimonia, quàm natura. Quem videlicet filium cùm Dominus Abrahæ prædeſtinaſſet, ad eum tamen ſuſcipiendum non niſi præcedentibus meritis Patriarcha pervenit. H Quod enim prædeſtinatur electis, precibus & meritis obtinetur. Vnde etiam legitur, Iſaac datum Rebeccæ precibus conceptum: ut generis multiplicatio, quæ prædeſtinata in eo fuerat, precibus impleta monſtraretur. De quo ſic Gregorius in Dialogo ait: ipſa perennis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotenti Domino diſpoſita, ut ad hoc electi ex labore orationum perveniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod Dominus ante ſecula diſpoſuit eis donare. Idem: Conſtat quòd prædeſtinatio precibus impletur, quando is, in quo Dominus multiplicare ſemen Abrahæ primò deſtinaverat, oratione obtinuit ut filium habere poſſet.

Luc. 16. 9

Pauperes idoni apud Deum interceſſores.

Sterilitas non eſt flagellum, ſed beneficium.

Naturã merita mutant. Gen. 18.

Gen. 22.

Quod prædeſtinatur, precibus & meritis obtinetur. Greg. dial. li. 1

***

A

EPISTOLA LXXI.

Comitiſſam quandam, quæ ſpretis ſecularibus deliciis tranſierat ad vitam monaſticam, hortatur ad tolerantiam.

QVoties, quæ circa te aguntur audio: lætatur & exultat ſpiritus meus. Audio enim te deduci in ſemitas mandatorum Dei, & ad terram viventium inoffenſo currere viſtigio. Audio etiam de locuplete, pauperem ſpiritu, de ſplendidiſſima & conſtipata cuneis obſequentium Comitiſſa, humilem Monacham, atque ad inſtar abiectioris ancillæ, cæteris filiabus Chriſti, quæ tecum Domino ſerviunt, & providere quod neceſſarium eſt, & officioſiſſimè famulari. Sanè mutatio *hec, mutatio dextera Excelſi.* In ea profectò neceſſe eſt, ut illud Sapientis diligenter attendas: *Fili accedens ad ſervitutem Domini, prapara animam tuam ad tentationem.* Ad quam profectò ſervitutem te acceſſiſſe non dubito, cùm ad Chriſti ſervitium per prudentiam acceſſiſti. Prudentia ſiquidem fuit, quia elegiſti abiecta *eſſe in domo Domini tui magis, quàm habitare in tabernaculo peccatorum.* Falleris autem ſi inter emerſuras tentationes, tutam putas electionem tuam, & eam ſine gravi certamine conſummandam. In ea ſiquidem ſpiritum tuum adverſa pulſabunt, proſpera concutient, elatio fatigabit. Adverſus huiuſmodi neceſſe eſt ita dimices, ut hoſtes (mulierem aggreſſi) virum inveniant: quod aliter fieri minimè putes, niſi bonum (cui te per prudentiam alligaſti) per fortitudinem in moleſtiis obtineas, in ſecundis per temperantiam, in rectè geſtis per humilitatem. Iſraël adverſitatibus in deſerto frangitur, ardore ſitis & defectu menſæ erga Moyſen murmurat, divinis miſerationibus, Ægyptiacam præfert ſervitutem. Ergo in eis fortitudo periit; à ſerpentibus ipſi periiſſe leguntur. Idem quoque populus in terra Madian manducare cœpit & bibere: de hinc ut ludat, ſurgit; diſtentus crapula & ebrietate, fornicatur. Vnde factum eſt, ut viginti tria millia eorum una die caderetur, gladiis, in ultionem intemperantiæ devorati. Vides ergo (ò filia Chriſti Ieſu) quanta ſolicitudine cuſtodienda ſit & in moleſtiis fortitudo, & temperantia in ſecundis: Et quia utroque pariter mundi contemptus eget, eorum ſi deſit alterutrum, quicquid per prudentiam eligitur inaneſcit. Falleris autem ſi talia hæc adepta, tutum putas iam propoſitum tuum; ſi navigans in hoc magno mari & ſpatioſo, portum te credis attigiſſe. Reſtat enim humilitas, quam (ut repoſitum accipias bravium) reliquis neceſſe eſt adiungi. Humilitate curſus ille conſummatur, quo de ærumnis tranſitur ad veram ſufficientiam, de luteis domibus, ad cœleſtes aſcenditur manſiones; de incolatu, ad patriam remeatur. Si neſcis qui iſte curſus ſit, Auguſtinum lege, his ad Macedonium ſcribentem verbis: Virtus in hac vita nihil aliud eſt quàm diligere quod diligendum eſt: id diligere, prudentia eſt: nullis inde averti moleſtiis, fortitudo eſt, nullis illecebris, temperantia eſt, nulla ſuperbia, iuſtitia eſt: humilitas hoc in loco, nomine intelligitur iuſtitiæ, tanquam cæterarum conſummatio & clauſiuncula virtutum. Vnde & diſcipulis ſuis Dominus ait, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Iam Petrus & Andreas naviculam & retia dimiſerant, iam Ioannes Evangeliſta virginitatis obtulerat holocauſtum, iam telonium Matthæus depoſuerat, iam cæteri dixerant Apoſtoli Domini: *ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Attende cur ad humilitatem invitantur, carnis hoſtes & mundi! Attende quod egebant ad perfectionis plenitudinem iam ſecuti Chriſtum, relictis omnibus præter Chriſtum! magnus theſaurus magna eget cuſtodia: fur enim ſemper ſolicitus eſt ut effodiat ut furetur, ut traducat. Erat Apoſtolis pretioſus & inæſtimabilis theſaurus ipſa Redemptoris gratia, & divinum eius colloquium: erat eis theſaurus ſacræ menſæ communicatio, & ſpiritualis alimenti veritas: erat eis theſaurus, in amorem cœleſtium quotidie miraculis eius proficere & exemplis. Huius theſauri cuſtodem oportuit eſſe humilitatem: & eius excubiis acceſſum ſuperbiæ amoveri: quæ ubi ipſa ſubſiſtere non potuit, ægrè ſuſtinet aliquem pervenire. Ea ſi quidem orta ſignaculo *ſimilitudinis Dei*, in inferiores partes à cœleſti ſublimitate corruit: patri eius quædam prærogativa erat beatitudinis, expreſſiùs eſſe ſimilem Creatori. Verùm quantò fuit conditione ſublimior, tantò factus eſt potentia inferior & gloria: gloriam verò quam ex gratia hauſerat, amiſit ſuperbia quam omnibus invidet, inferos autem, nulli, quos meritis eſt adeptus: ad Inferos enim qui eum ſponte ſequuntur, multi ſunt, eo quòd plures multimodis tentationibus ipſe trahit. In illos autem quorum facies eſt ſpectantis ad charitatem, & quam ipſe non redditurus eximit; tanta utitur invidia, ut ei parum ſit inflixiſſe mortem, qua corpus (non anima) moritur niſi & infligat illam, qua corpus & anima pariter moriuntur. Hinc eſt quod eis nunquam ceſſat adverſari, totus in hoc, ut cum uxore Loth ad ſulphur & ignem Sodomæ reſpiciant, tunicam Ioſeph non attendant, & hoſtiæ eandem immolare deſiſtant. Porrò ſuper omnia elationes pugnant, qua ſola ſicut ſe novit ſuperatum, ſic univerſos eadem ſola credit ſe poſſe ſuperare. Tu igitur amplecti humilitatem memineris, ſciens nihil eſſe quo glorioſius de Sathana triumphetur, illius iaculis ſcutum humilitatis oppone, quod ſi ipſe invenerit impenetrabile confundetur, & te perſequi deſiſtet. Vnde & Beda ſuper Lucam ait: Conſumpta omni tentatione Chriſti diabolus receſſit ab illo uſque ad tempus. Vides ipſum diabolum in ſtudio eſſe pertinacem, ut veræ virtuti Eccleſiæ ſobolem invidere non deſinat, tamen iuſta formidat, quia frequentiùs reſurgit triumphari. Vale.

Comitiſſa fit Monacha. B Eccl. 2. Mal. 8. Tentationes Monachæ proiecti. Exod. 16. Num. Exo. C Fortitudo in adverſis, tem, et temperantia in ſecundis, eſt obſervãda. Humilitas prorſus neceſſaria eſt in curſu virtutis. D Quid ſit virtus, aliud nihil eſt quàm dilectio. Matt. 11. 29. Matt. 4. Matt. 9. Matt. 19. 27. E Iſa. 41. F * al. excidit. Gen. 19. Gen. 39.

G

EPISTOLA LXXII.

Gratulatur verò cuipiam monacho, optimam exiſtimationem: & petit in eius familiaritatis ſacrarium admitti.

BAlſamum, ex odore ſuo, & arborem ex fructu paucos credimus ignorare: ſic & nobis, ex opinione tua (chariſſime frater) innotuit, quàm ſis & ad ſanctimoniam compoſitus, & integer ad doctrinam. Cùm enim locorum interſtitio longius à te ſepararemur, ad nos tamen uſque pervenit, quam iocundas noctes cum tua Rachele ducas, quæ progenies ex ea tibi exuberet, quòd totus exhibeas & cultorem virtutis, & hoſtem carnis. Non alium loquuntur te, quicunque nobis loquuntur de te. Talis eſt odor olei effuſi nominis tui, talia iam tuorum præmia meritorum. Has ex agro tuo ſpicas, ante ſupremam colligis meſſionem. In hac enim vita, quædam merces virtutis eſt, conſpicuum & immortale teſtimonium. Hoc ipſa ſibi comparat, hoc ſibi ipſa cuſtodit: huius ſplendor non minuetur invidia, non exterioribus ſtudiis adiuvatur. quippe bonorum exiſtimatio ſicut falſis delationibus auferri non poteſt, ita nec adulatoriis favoribus acquiri. Penes ipſos autem eſt, eam vel ubertate virtutum proficere, vel defectu minorari. Sanè de celeberrima opinione tua, ſpes in ſinu Eccleſiæ repoſita eſt, eam minimè caſuram, quoniam fundata creditur ſupra firmam petram. Ex ea nos tuam edocti devotionem, deſiderio deſideramus, in ſacrario familiaritatis tuæ recipi: ibique recordatione tecum eſſe, ubi teipſum furatus colloquiis mortalium, pro mortalibus loqueris cum Rege Angelorum. Porrò huic deſiderio noſter Gebuinus Trecenſis Archidiaconus plurimùm adiecit, vir moribus & litteratura conſpicuus. Eum tibi cenſeremus commendandum, niſi conſtaret illos quos tua dignaris gratia,

H Bonum nomẽ in hac vita, eſt merces quædam virtutis. Exiſtimatio nec delatione aufertur, nec adulatione quæritur. Gebuinus Trecenſis Archidiaconus.

A

gratia, commendatione aliena non egere. Si neſcis, illius etiam atteſtatione didicimus, te in Eccleſia eſſe cui ad eruditionem virtutis & exemplo ſufficias & verbo. Cœterùm, ne litteris prolixioribus onereris, ſcripto ponimus finem: ſupradictæ petitioni (donec exaudire mereamur) finem minimè poſituri. Quid autem ex hoc animi geras, doceri precamur tuarum recurſu literarum. Vale.

EPISTOLA LXXIII.

Poſtulat ſibi literis potiùs quàm aliena relatione ſignificari quid agatur apud Anglos, quidve rex Anglorum de contumelia filia ſtatuerit.

B

NOta loquar, & uſu frequenti comprobata: Sitienti ſatius eſt de fonte quàm de rivo ſitis ardorem extinguere: vina quoque de primo ſumpta dolio, nativum ſaporem prætendunt: eadem ſæpius de alio in aliud transfuſa degenerant. Sic uberius meum implet deſiderium, quæ circa vos aguntur agnoſcere pagina veſtra, quàm relatione aliena. Quicquid enim de vobis certius mihi futurum eſt, quàm ſi ad aures meas idipſum vulgi rumor pertulerit. Ex quo igitur comperi ventos in veſtrum ſpirare obſequium: ſtatim literas ad vos dedi, ratus advectum de Anglia, qui vobis voluntatem Regis aperiret, qui declararet quem affectum de contumelia filiæ, Patris pectus indueric. Hæc ut merear ſcire per vos: clamo poſt vos. Clamo: quid? ſed ſicut veſter amicus in Domino, ſicut veſter ſervus in Chriſto: ſicut qui honorem veſtrum in principio lætitiæ meæ pono. Quæ igitur tam de rege, quàm de vobis amico ſignificanda noveritis, mihi precor aperiri.

C

EPISTOLA LXXIV.

Eccleſiaſticum quempiam lenius & blandius iteratis crebrò litteris ad explendum profeſſionis officium provocaverat: nunc tantam inobedientiam, ut grave peccatum deteſtatus, minatur acerbiores litteras, ne pulvillum ſuperpoſuiſſe videri poſſit.

SEmper fuit opus, bis aut tertiò iteratis ad te litteris: ut vel crebrò commonitus ageres, quod exequi ſpontaneus debuiſti. Verùm nec ſic aliquando evigilaſti, nec ſuſcitatus es ad explendum tuæ profeſſionis officium: legeras tamen quantum ſit obedientiæ bonum, quod apud Deum ſacrificiis præfertur: legeras quia nolle acquieſcere, Samuël idololatriam appellet.

1. Reg. 15 23.

Sed neque hoc elapſum tibi credo, quod electus à Domino Saul inobedientiæ piaculo, & eius gratiam & ſolium regni amiſit. Quendam de filiis Prophetarum, quia prohibitus in Samaria panem ſumpſit & aquam, leo miſſus à Domino percuſſiſſe memoratur.

D

3. Reg. 20.

1. Cor. 10

Inobedientia punitur durius.

Scripta ſunt autem hæc ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt: etenim in hoc etiam ſapientibus & inſipientibus debitor eſt Apoſtolus. Vt utriſque contexat, & violatæ ſupplicium, & cuſtoditæ præmium obedientiæ. Porrò nulla virtus eſt, quæ contempta diſtrictius à Domino puniatur: non enim ad innocentes uſque pertingit reliquorum pœna delictorum. Ezechielem attende ſic dicentem: *Anima quæ peccaverit ipſa morietur.* Et illud, *filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.*

Ezech. 18.

Inobedientia verò plerunque reis innoxios miſcuit, & facti ſunt in pœna ſimiles, diſſimiles in culpa. Præceperat autem lex, ut à viginti annis & ſupra numerarentur qui poſſent ad bella procedere, vel aliquo fungi miniſterio. Quia verò David infra viginti annos & ſupra, generaliter iuſſit omnes numerari, indignatus eſt Dominus; & miſſa in populo triduana peſtilentia, ſeptuaginta millia virorum Angelo percutiente ceciderunt.

E

Ioſ. 7.

Acham filium Carmi, de anathemate Iericho præſumpſiſſe ſacra tradit Hiſtoria: Inde factum legitur, ut Iſrael coram filiis urbis Hiericho, gladio caderet, & exceſſum perſonalem ruina populi ſequeretur.

Gen. 3.

Denique Protoplaſti culpam, totus uſque hodie luit mundus, & unius inobedientia proſcripſit univerſos. Hæc te (Frater) opportuit attendere, & de contemptu obedientiæ vereri iudicium, ſi de reverentia primùm non curaſti. Scio quidem, ſcio, te abuſum patientia mea: & iuxta Comicum, lenitatem meam malè te multa docuiſſe. Verùm patientiæ meæ & lenitatis meæ locus fuit & tempus, quas præire oportuit inobedientiæ ultionem.

F

Non punit Deus principio malitiæ.

Gen 9.

Exemplo ſiquidem docemur & verbo, non ſtatim & pœnas exceſſibus irrogandas. Noluit Dominus in principio exuperantis malitiæ, humanum genus aquis delere diluvij: ſed centum viginti annos præfigens eis ad pœnitentiam; tanto generalius iniquitates eorum ultus eſt, quantò ipſi poſt carnem evagati carnalius, naturæ legem & ordinem rerum, & tempus pœnitentiæ contempſerunt.

Ioan. 1. 3.

Ad prædicandum Ninivitis, Ionam miſſum accepimus, & iuxta verbum Prophetæ, peracta ſatisfactione quadragenaria, ſuper eos divinam quieviſſe indignationem.

Eccl. 19.

De his etiam ſic ſapientia dicit: Corripe proximum priuſquam commineris.

Mat. 18.

Correptionis modus.

Salvator quoque noſter inſtruens Apoſtolos, Simoni Petro ait: *ſi peccavit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, quod ſi te non audierit, dic Eccleſia, ſi autem Eccleſiam non audieris, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* His edoctus exemplis, conveni te, corripui te, ſed inter me ipſum & te ſolum. Corripui te quidem, ſed non ſum lucratus fratrem meum.

G

Adhibui mihi unum, adhibui duos; ut in ore duorum, vel trium ſtaret meum verbum. Adhibui, ſed nec ſic lucratus ſum fratrem meum. Quid itaque reſtat, niſi ut hæc dicam Eccleſiæ? Quid ſupereſt; niſi ut Eccleſiam quoque contemnens, ſis mihi ſicut Ethnicus, & publicanus? Abſit autem, ut audiat hæc Eccleſia! Abſit, ut revelem fratris mei pudenda! Confundor enim quotiens proximus, quod ei ad confuſionem cedit; operatur.

Charitas proximum.

Siquidem citra perfectum, Præſul de ſua erubeſcit offenſa, niſi ad offenſam erubeſcat alienam. Eius eſt, eiſdem iaculis vulnerari, quibus proximum cognoſcit vulneratum.

2. Cor. 11

2. Cor. 10

Hinc eſt quod Apoſtolus ait: *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* fortaſſis illud Corinthiorum dices mihi: Eccleſiæ tuæ graves ſunt & fortes! Ad quod ego; vulneratus eras à latronibus in quos incidit homo deſcendens à Ieruſalem in Hiericho. Cùm igitur te ſemivivum offendiſſem; vulneribus tuis cum Samaritano prius oleum infudi, dehinc & vinum.

Luc. 10.

Vt enim vino cenſoriæ correctionis, vulnus inobedientiæ curaretur, quod curari paternæ commonitionis oleo non potuit, epiſtolas (quas graves dicis) ad te dedi. Væ mihi, cui nihil eſt, quo poſſim meam purgare tarditatem!

H

Ezech. 13.

Legeram enim; Væ his qui ponunt pulvillos ſub omni cubito hominum, & faciunt cervicalia ad capiendas animas! Legeram verba ſapientis; clavi ſunt in altum fixi.

Eccl. 12.

Porrò dum blandis & lenibus, quibus te tibi redderem indulſi; cubito tuo quaſi pulvillum ſuppoſui; quaſi cervical, quo capta eſt anima tua feci. Tali pulvillo, talique cervicali, circa filios delinquentes uſus eſt Heli, cùm diceret: *Non eſt bona fama (filij mei) quam audio de vobis.*

1. Reg. 2.

De huiuſmodi correctione Gregorius Nazianzenus in libro de Epiphaniis his loquitur verbis: Heli ſacerdos pro filiorum iniquitate damnetur, quod eos divina ſacrificia temerantes minus ſevera animadverſione plectebat: & quidem corripuit, ſed lenitate & manſuetudine Patris, non ſeveritate & authoritate Pontificis. Ne igitur eodem plectar exceſſu

A

Imputatus præſentibus ſi horum iniquitas *Ephes. 5.* Morti proximũ eſt, craſtinam medicinam expectare *Apoc. 2.* *Pſal. 11. &* *Act. 1.*

clavis epiſtolæ præſentis confortantur; quos in altum confixos, ex ulceribus elicere putredinem pauci ignorant. Siquidem in ea patrem exuens, indui pontificem: blanditias increpationibus mutavi, pro lenibus aſpera ſum mutuatus: ut ſi contemnis tibi me proximum effici, ego ipſe mihi proximus efficiar. *Surge ergo, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Surge citò, ſurge hodie, quia nimirum morti proximum eſt, craſtinam expectare medicinam. Surge (inquam) citò, quia niſi citò ſurrexeris, citò egeris pœnitentiam; citò veniet qui movebit tuum candelabrum de loco ſuo, & Epiſcopatum tuum accipiet alter. Miſericordem non fortiter Iudicem diutius expectata, nec aliquando ſecuta correctio. Forſitan longioris Epiſtolæ tædet animam tuam, & ea quibus patere refugis, legere faſtidis. Scio quod timoratus animus, & correctionis parcimoniam ſuſcipit, & affectat ubertatem: Iniquo vero, quicquid loquitur virtutem, cedit ad pœnam. Vale.

B

EPISTOLA LXXV.

Queritur nullius, ne amicorum quidem interventu, ſuam vel Eccleſiæ cauſam defendi apud Regem Galliarum: demum innocentiam profeſſus, ſolatur ſeipſum, quòd offendere hominem propter Dominum, ſit lucrari gratiam Dei.

IN adverſis nonnullum eſt ſolatium, tempora ſpera lætiora. Diutius ſpes hæc mihi blandita eſt, & velut aegricolam meſſis in herba, ſic animum meum proſperitatis expectatio confortavit. Cæterùm iam nihil eſt quo ſerenitatem nimboſi temporis expectem: nihil eſt, quo navis in cuius puppi ſedeo, crebris agitata turbinibus, portum quietis attingat. Silent amici, ſilent ſacerdotes Ieſu Chriſti, denique ſilent & illi, quorum ſuffragio credidi Regem mecum in gratiam rediturum. Credidi quidem, ſed ſuper dolorem vulnerum meorum Rex illis ſilentibus adiecit. Eorum tamen erat gravamen Eccleſiæ, canonicis obviare inſtitutis. Eorum erat (ſi res ita poſtulaſſet) opponere ſe *murum pro domo Iſraël*, verùm apud ſereniſſimum Regem, opus eſt exhortatione potius, quàm increpatione, conſilio, quam præcepto; doctrina, quàm virga. His ille conveniendus fuit, his reverenter inſtruendus, ne ſagittas ſuas in ſene compleret ſacerdote, ne Sanctiones canonicas evacuaret, ne perſequeretur cineres Eccleſiæ iam ſepultæ: cineres, in quibus ego panem doloris manduco; in quibus bibo calicem luctus; de quibus eripi & evadere, de morte ad vitam tranſire eſt. Inter has tamen anguſtias, nunquam de me ſic ira triumphat, ut alicui ſuper Chriſto Domini clamorem deponere vellem; ſeu pacem ipſius in manu forti & brachio Eccleſiæ adipiſci. Suſpecta eſt pax, ad quam non amore, ſed vi, ſublimes veniunt Poteſtates: ea facilè reſcinditur; & fiunt aliquando *noviſſima illius priora prioribus.* Alia eſt via, qua compendioſius ad eam (Chriſto ducente) pertingam, Iactabo *cogitatum meum in Domino, & ipſe dabit petitiones cordis mei.* Recordatus eſt Dominus Ioſeph, cuius pincerna Pharaonis oblitus, dum proſpera ſuccederent, interveniendi pro eo curam abiecit. Recordatus eſt & David pueri ſui, quem à ſuo etiam filio derelictum, & triumphis extulit, & regni gloria ſublimavit. Fortaſſis recordabitur & mei; atque in deſiderato littore navem ſiſtet fluctuantem. Ipſe enim eſt, qui *reſpicit in orationem humilium; & non ſpernit precem eorum.* Ipſe eſt, in cuius manu corda Regum cærea ſunt. Quocunque ſibi placet, eò ſolus inclinat; alterat in quam vult formam. Si invenero gratiam in oculis eius; gratiam Regis vel facilè conſequar, vel utiliter amittam. Siquidem offendere hominem propter Dominum, lucrari eſt gratiam Dei.

C

Patronus Eccleſiæ nullus.

Rex, quomodo ſit caſtigandus.

D

Pax ſuſpecta.

Pſal. 54
Gen. 40

2. Reg. 12.
Pſal. 21

E

EPISTOLA LXXVI.

Excuſat ſe dilati munuſculi; precaturque pro ſe Romam ituro (quòd multa immineant incommoda) Deum exorari.

SCimus quidem, Beate Præſul, dilatione minui beneficij maieſtatem; dubitatur enim an ſit beneficium, cuius dilatio cruciat expectantem. Cæterùm nos apud animum ad virtutem compoſitum, his etiam beneficiis integram credimus eſſe gratiam, quibus occurrit neceſſitas differendi. Hinc eſt quod munuſculo noſtro eius, cui elaboratum eſt, favorem ſperemus affuturum. Neque enim nos vel ultrò diſtulimus beneficium, vel ſtuduimus homini qui cauſas ingratitudinis exquirat. Totus is Epiſcopum vivit; nihil habens odio quod amare ſit melius, nihil amans quod pudeat confiteri. Talem (frater chariſſime) loquitur ſermo noſter; talem credit ſpiritus noſter, eandem tibi deſiderans ſalutem, quam ſibi. Optamus enim te ſemper in Chriſto valere & ſcire quia vicem rependis nobis, ſi diligis nos & oras pro nobis. Maximè autem hac in tempeſtate orationibus tuis egemus fatigandi Romam, quo Papa, Cardinalibus citramontanis, Epiſcopis, & Abbatibus convocatis generale Concilium in urbe eſt celebraturus. Nobis illuc profecturis; tempus hieme ſuſpectum; nivibus Alpes, incrementis aquæ, vinculis Imperator, ſeditionibus civitas, exactione palatium. Sanè omnia hæc orationibus evacuari poſſe credimus; ſolam verò exactionem nec oratione nec ieiunio temperari. Vale.

F

Sola exactio, oratione & ieiunio non temperatur.

EPISTOLA LXXVII.

Eccleſiaſticus, nomine Hildeberti, officioſius aliquos habuerat qui Turonis tranſeuntes rem Hild. grati nunciant: H. officioſe huic & ſibi ignoto homini ſcribit, cauſam hoſpitalitatis exquirens.

G

FVere qui dicerent; inter ſex opera miſericordiæ, nihil horum hoſpitalitati præferendum. Hos attendiſſe arbitror, nonnulla in hoſpitio reperiri quibus diverſa ſucceptorum incommoda propulſari noſcuntur. Idcircò ſplendidiſſimam eſſe hoſpitalitatis gratiam, qua Loth & Abraham (quia conſueverant homines) Angelos etiam hoſpitari meruerunt. Prèterea velut in ampliorem huius gratiæ mercedem, alter Sodomæ ſubverſionem evaſit, alter filium de ſterili coniuge meruit obtinere. Tibi quoque deſuper (ni fallor) acceſſit; ut dum præfatam frequentas beneficentiam, tres Chriſtos Chriſti colligeres, & hoſpitalitatis hoſtiam quam apparatu gratiſſimam feceras, hilaritate faceres gratiorem. Sanè dum Clerici tui tranſitum Turonis haberent, plenas mihi gratias egere, in nomine meo præſtitum ſibi beneficium aſſerentes. Recordari tamen non potui quid egerim tibi, vel alicui propter te; quò miniſtrare mihi deberes, aut alicui propter me. Fieri autem potuit, ut evitandæ cauſa iactantiæ diceres collatum pro me beneficium; quod eis pro Domino & in his Domino contuliſti. Verùm minimè opportuit piam occultare devotionem, ſi tranſitoriæ laudis cupidus non fuiſti. Siquidem laudis huius contemptores gravis offenſa reſpicit, ſi quid benè agunt, latere quam videri malunt; unde & ſic Gregorius ait; quiſquis laudis concupiſcentias calcare non ſufficit, ædificationis fraudem perpetrat, ſi bona quæ egit occultat.

Gen. 1.
Gen. 19.
Gen. 21.

H

Greg. papa.

A

EPISTOLA LXXVIII.

Ea Epiſtola veluti publico teſtimonio palam fieri cupit Epiſcopis & Archiepiſcopis; Cyprianum & Petrum, iuvenili levitate in hæreſim Henrici prolapſos, in ſinum Eccleſiæ (quod ſit citra infamiam) fideles nunc rediiſſe.

OMnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, Hildebertus humilis Cœnomanorum ſacerdos, ſalutem & orationes in Chriſto. Præſentium latores Cyprianus ſcilicet ac Petrus, dum diſponerent aſcenſiones in corde ſuo, deſcenderunt in lacum mortis ſecuti quendam Pſeudo-prophetam; quem qui ſecuti ſunt, perſecuti ſunt ſemetipſos. Henricus is erat: magnus diaboli laqueus, & celebris armiger Antichriſti. Huic & habitu religionem, & verbis litteraturam ſimulanti; tandiu præſcripti Fratres adhæſerunt, donec eis & turpitudo in vita, & error innotuit in doctrina. Vbi enim cognouerunt vias eius, vias eſſe non rectas, prius ad ſe reverſi ſunt; de hinc ad nos tranſierunt, cuius Diœceſin peſtis ea ſic infecerat, vt renitens ei clerus vix inter parietes Eccleſiæ ſuam tueretur libertatem. Poſt multas autem tribulationes, Deo auxiliante ſerpens ille crepuit apud nos, patefacta pariter & ignominia vitæ, & veneno doctrinæ. Extunc iidem Fratres, noſtro parentes conſilio; ad quod propoſuerant ſtudium rediere, veſtimento ſeditionis & Angelo tenebrarum derelicto. Hæc ideò, Fratres, veſtræ fraternitati ſcripſimus: ne ſi contigerit præfatos iuvenes veſtras ingredi parochias; ex huiuſmodi mutatione, aliqua notentur infamia, ſed potius vtrique congaudeatis, quia vterque *mortuus fuerat & reuixit, perierat & inventus eſt.* Valete.

B — *Henricus, à quo Henriciani hæretici.*

C — *Luc. 15.*

EPISTOLA LXXIX.

Dedecet Virginem diebus feſtis, frequenti populo (nec vſque alias ſolam) monaſterio egredi: Poſtremò autem reprehendit eas quæ forinſecus quærunt hoſpitia, vt viuant licentius.

QVæ viuunt in monaſterio, & quarum ſimul magnus eſt numerus, nunquam ſolæ, nunquam ſine matre procedant. De agmine columbarum crebro accipiter vnam ſeparat, quam ſtatim inuadat & laceret, & cuius carnibus & cruore ſaturetur. Morbidæ oues ſuum relinquunt gregem, & luporum faucibus deuorantur. Scio ego ſanctas virgines, quæ diebus Feſtis propter populorum frequentiam, pedem domi cohibent; nec tunc egrediuntur; quoniam maior eſt adhibenda cuſtodia; & publicum penitus deuitandum. Ante annos circiter triginta de virginitate ſeruanda edidi librum, in quo neceſſe mihi fuit ire contra vitia, & propter inſtructionem virginis quam monebam, diaboli inſidias patefacere, qui ſermo offendit plurimos, dum vnuſquiſque in ſe intelligens quod dicebatur, non quaſi monitorem libenter audiit, ſed quaſi criminatorem ſui operis adverſatus eſt. Veruntamen quid profuit armaſſe exercitum reclamantium; & vulnus conſcientiæ dolore monſtraſſe? liber manet, homines perierunt. Scripſi & ad pleraſque virgines, ad viduas, & pleroſque alios, & quicquid dici poterat, in illis opuſculis deſtoratum eſt, vt aut ex ſuperfluo eadem à nobis repetantur, aut neque prætermiſſa plurimum noceant. Certè & beatus Cyprianus egregium de virginitate volumen edidit, & multi alij, tam latino ſermone quam græco, omniumque gentium litteris atque linguis; præcipueque in Eccleſiis, virginis vita laudata eſt. Sed hoc ad eas pertineat, quæ necdum elegerunt virginitatem, & exhortatione indigent; vt ſciant quale ſit quod eligere debeant. Nobis electa ſervanda ſunt, & quaſi inter ſcorpiones & colubros incedendum, vt accincti lumbis calciatique, & apprehenſis manibus, baculis, iter per inſidias ſeculi huius & inter venena faciamus, poſſimuſque ad dulces Iordanis peruenire aquas & terram repromiſſionis intrare, & ad Dominum aſcendere, ac dicere cum propheta, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*: & illud, *vnam petij à Domino, hanc requiram, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*: fœlix illa conſcientia & beata virginitas, in cuius corde præter amorem Chriſti qui eſt ſapientia, caſtitas, patientia, atque iuſtitia, cæteræque virtutes, nullus alius verſatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando ſuſpirat, nec videre deſiderat, quem cùm viderit nolit dimittere, ſecundum virginum propoſitum, & cœleſtis, angelorumque familiæ gloriam; quarundam non bene, ſcilicet agentium nomen infamat, quibus apertè dicendum eſt, vt aut nubant, ſi ſe non poſſint continere, aut contineant ſi nolunt nubere. Digna res riſu, imò planctu, intercedentibus dominis, ancilla virgo procedit ornatior, vt pro nimia conſuetudine, quam incomptam videris, dominam ſuſceperis. Nonnullæ ſeparatæ, abſque arbitris quærunt hoſpitia, vt viuant licentius, vtantur balneis, faciantque quod volunt, & deuitent conſcientias plurimarum. Hæc videmus, & patimur: & ſi aureus nummus affulſerit, inter bona opera reputamus. Finem iungo principio, nec ſemel monuiſſe contentus ſum: ama Scripturas ſanctas, & amabit te ſapientia. Dilige eam, & ſeruabit te, honora illam, & amplexabitur te: hæc monilia in pectore, & in auribus tuis hæreant. Nihil aliud noverit lingua niſi Chriſtum: nihil poſſit ſonare, niſi quod ſanctum eſt: Aniæ tuæ tibi ſemper ac matris more, dulcedo verſetur, quarum imitatio, forma virtutis eſt.

D — *H. liber de virginitate.*

E — *Virginitatis encomium.*

F

1. Cor. 7.

G

EPISTOLA LXXX.

Querelarum plena eſt epiſtola Marbodus Rhedonenſis Epiſcop. Romam profectus confirmandi Andegavenſis Epiſcopi gratia, delatione quorundam ſpoliatur interim ab eo cuius negotium gerebat, omnibus Eccleſiaſticis bonis, & præterea exul pronunciatur; quod factum, ab ingrato, meritò contigiſſe ait; eo quod contra fas piumque, præter Metropolitani ſententiam, & ſuam ipſius conſcientiam, leuiſſimum iuvenem promovendum ad Epiſcopatum ſategiſſet.

H

MArbodus minimus Epiſcoporum, R. glorioſo Andegauorum Pontifici, non alta ſapere, ſed humilibus conſentire. Flumen eſt, ſecundum cuiuſdam ſapientis ſententiam, vbi cum poteſtate habitat iracundia. Quamvis ergo periculoſum mihi fore intelligam (vtpote hoc flumine iam afflatus) ſi paulò liberius te convenire tentavero, loquar tamen quod mens mihi ratioque dictauerit: nec tanti faciam fauentis tibi nunc fortunæ terrorem, vt mecum iuſtitiæ facientis non afferam veritatem. Vitrea eſt enim fortuna, quæ ſic ſplendet, vt facilè frangi poſſit, ſtabilis autem & inconcuſſa veritatis aſſertio. Quòd ſi mihi more ſolito violentus extiteris, tunc maximè perſecutionem meam aſtrues perſequendo. Quæro igitur à te (religioſe Epiſcope) quænam tam vehemens cauſa contra fratrem & conſacerdotem tuum (ne dicam patrem, & conſeruatorem) indignationis tuæ furorem accendit, vt

Dictus eſt P. Mimi.

A vt inexpugnabili odio me perſequens, poſt damna & dedecora mihi meiſque crudeliter illata, ad vltimum humilitatis meæ perſonam inauditam & indiſcuſſam damnaueris, indignum me Clericorum tuorum collocutione præiudicans, nec ante maieſtatis tuæ præſentiam paſſus admitti. Nunquid enim ſi in te peccaſſem, corripiendus prius ſingulariter non eram, deinde duo, vel tres, ſi incorrigibilis exiſterẽ adhibendi? Et ecce cum nihil horũ præceſſerit contra regulã à Chriſto datã, quæ prima poſuiſti apud Eccleſiã tuam de abſente conqueſtus. Deinde ſicut Ethnicum & Publicanũ me habens, in quo non mea, ſed communis omnium ſacerdotum; non mea (inquam) ſed ipſius Chriſti iniuria, non tam conſtitutum à Domino Eccleſiaſticæ correptionis ordinem pervertiſti, quam perverſum & præcipitem turbulentæ iracundiæ motum tibi domininari manifeſtiſſimè declaraſti. Non enim licuit mihi culpam vel excuſare vel negare vel agnoſcere, quatenus aut excuſantis ſuſcipienda ratio, aut negantis iuſtè eſſet admittenda B purgatio, aut confitenti clementer venia concedenda. In hoc ergo præiudicio, vniverſas vias Domini reliquiſti; quia nec miſericordiam, nec veritatem ſecutus es. Vniverſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius. Nam & ſi peccatum agnoſcens, veniam poſtularem, humilitatis tuæ fuerat bene prius de te merito libenter ignoſcere, & ad reconciliationis gratiam feſtinare; etiam ſi Chriſtus non dixiſſet, peccanti fratri ſeptuagies ſepties dimittendum. Siquidem & apud Gentilium Philoſophos, proximum ab innocentia locum tenet verecundior peccati confeſſio: & magnarum virium eſſe perhibent lædentem negligere, & vindictam putant vindicare potuiſſe, maiuſque vindictæ eſſe genus, ignoſcere. Infirmi autem ac muliebris eſſe animi, quærere vltionem, ex hoc vel ſolo colligi, vt Satyricus ait; *Vindicta quòd nemo magis quàm fœmina gaudet.* Sed quæ culpa tandem extitit, quam tandem puniendam exterminio cenſuiſti? Quod videlicet apud Dominum Papam, moras meas excuſans; inter alia (quod verum eſt) ſcribere auſus ſum Andegauenſem C malitiam mihi impedimento fuiſſe, quæ facultati meæ plurimum detraxiſſet. Quod quidem ab anno priori, & ipſi Papæ, & Romanæ Eccleſiæ notum erat, & ipſa Andegauenſis malitia negare non poteſt. A quo igitur mihi veritas imputatur ad crimen, ab illo conſequenter poteſt falſitas expectare mercedem. Et qui eum qui ſibi honorem pepererat, ſpoliauit; non eſt mirandum ſi deiectores & impugnatores ſuos honoribus ſublimauit. Hæc eſt retributio impiorum quam Dominus neſcit, qua mala retribuuntur pro bonis. Eiuſdem generis eſt illa qua bona redduntur pro malis, quando fit continenter ab eadem perſona, non leuitate gratiæ ſed perverſæ malignitate naturæ. At fortaſſe pro malitia debui ponere bonitatem; vt dicerem quòd tunc me Andegauenſis bonitas impediſſet. Sed hoc modo, vel me ipſum dum excuſare molior, accuſarem; bonum dicens impedimentum: vel ſi per antiphraſim loqui putarer, non mutaretur. Veram ergo & notam omnibus debui excuſationis cauſam D prætendere, cùm aliam penitus non haberem. In quo læſum te putas; Andegauenſem te eſſe intelligis: quòd ſi non intelligis; nec te in hoc læſum debes exiſtimare. Neque enim Epiſcopum nominaui, vbi Andegauenſem dixi malitiam. Multiplex autem eſt Andegauenſis malitia, multos Stephanos habet, multos Willelmos. Vtinam tota in vno duorum capite reſideret. Pax eſſet forſitan inter nos, & inviolata concordia. Sed redeo ad culpam meam quam ſolam ſufficere tibi credis; imò non credis: ſed alios credere cupis, vt meritò videar tot laborum quos pro te ſuſcepi mercede fraudatus. Quæ ſi nulla eſt, debet ſileri; ſi parua, debet ignoſci; ſi magna, maiorum meritorum debet comparatione ſuperari. Nam & carcerem & cathenas, dum ad te in auſpiciis tuæ illius electionis vocatus feſtino, tui cauſa paſſus ſum; machinamento eius qui tibi nunc placet

Correptionis formula præſcripta.

Matt. 18. Secunda innocentiæ, confeſſio.

Iuu. Sat. 13.

Crimen is pendit qui mercedem ſoluere nolunt.

E Stephani; quaſi tunc iam præſagiente & præmonente fortuna, vt ab infauſto cœpto deſiſterem; & non tantum verborum, ſed & factorum ludibria multa ſuſtinui. Siquidem rerum mearum iacturam, grauis mihi proprij corporis contumelia leuem fecit. Nec tamen elapſus deſtiti, vt tunc putabam conſtanter, vt nunc intelligo pertinaciter, vrgere propoſitum; & contra optimos Clericorum, qui pluribus ex cauſis, abſque ſuo aſſenſu, à vulgo factam improbabant electionem: quoniam & infra annos, & extra ordines, per tumultum populi magis ficta eſſet, quam facta, promotionis tuæ cauſas aſſerere. Ceſſerat iam contradicentibus ipſe metropolitanus, & quia ratione ſuperabatur, rem iudicio Papæ non tam decidendam quàm reſcindendam reſeruare decreuerat. Ego tamen multo conatu, multo diſcurſu, magnis precibus, tandem apud ipſum vt conſecrateris obtinui. Idem cum Stephanus, cum quibuſdam quos omnes tibi poſtmodum, F meam (vt fertur) pactus deiectionem, ex infeſtiſſimis amicos feciſti, iniquam eſſe clamaret; ego ſtultè quidem & improuidè, ſed nimio tuo fauore ſeductus, meipſum devoui: in me (inquiens) fit iſta iniquitas. Idem ne ocioſè dixerim, cùm primum licuit tu ipſe caniſti: eandem iniquitatem in caput meum refundens, nouo & inaudito genere charitatis; vt is potiſſimum amico dedecus & damnum inflixerit, pro cuius operibus & honore id ille ſibi fuerat imprecatus. Et vtinam me ſtatim vt à nobis conſecutus es, & inthronizatus, quemadmodum mente conceperas; honoribus ſpoliaſſes; nec diſſimulandum deliberaſſes ad tempus, quouſque operâ meâ vſus fuiſſes, ad exhauriendum quod Romæ reſtabat periculum. Saluum mihi eſſet viaticum, quo tibi meis ſtipendiis militaui: ſalui tot & tanti longiſſimi itineris labores, ſaluæ preces & lachrymæ quas pro te fudimus, apud Papam, ſalua pecunia quæ cùm eſſet neceſſaria (vtpotè longius progredienti) tui tamen egredientis vſibus accommodaui. Cuius partem, poſtquam à te expulſus ſum, cùm repetiſſem, vix tandem & difficulter recipere merui, partem in compenſationem iumenti quod G à te commodatum in obſequio tuo conſumpſeram, tua cautela retinuit. Poſtquam ergo reverſi ſumus, & te confirmatum, conciliata tibi ſoli (ſicut ſuperius prælibaui) communium adverſariorum parte, ſenſiſti; protinus eorundem conſilio, nec opinantem aggreſſus, omnibus honoribus ac beneficiis quæ mihi anteceſſorũ tuorum contulerat liberalitas, me priuaſti: nec precibus vllis aut præcedentium meritorum obtentu à te impetrare potui ſaltem ſex menſium inducias, quibus pudori meo conſulens, exire me fingerem non expelli. Adeò non tibi ſatis fuit amicum damno afficere, niſi & dedecoris improperio cumulares. Cumque me indignè tractatum conquererer, ad Papæ audientiam, è veſtigio provocaſti. A te antè audientia ſpoliatum, pro te ſumptibus nuper exhauſtum, per te laboribus fatigatum, ad hæc ætate iam ſenem, febribus anhelantem: Ipſe iuvenis, robuſtus, opulentus, inito nuper honore glorioſus, vt ſcilicet, ibi te cogente cauſam dicerem, vbi pro te ſpontaneus eodem anno H lachrymas dederam. Et tu quidem hæc omnia te credebas callidè ſpeculatum; ego verò perſenſi hæc eadem malitioſè, crudeliter machinatum, tanquam ſi armatus & integer ſaucium & inermem, non hoſtem, ſed amicum prouocares ad pugnam. Nam ea quæ apud omnes alios mihi prodeſſe poterant, ad impetrandam miſerationem, tu ſolus convertebas ad me protſus extirpandi occaſionem. Et quæ cæteros mitigarent, quæ ſunt clementiæ, te potius irritabant. Reverſus ergo Roma; accepta videlicet faciendi quod iam feceras poteſtate, ne quid odio tuo deeſſet, delere nomen meum de catalogo proropiſti; prius omnia, meas etiam ſyllabas perſecutus. Vtinam & ſubſcriberes: *Iniquo odio oderam illum.* Tale trophæum titulo tuo dignum erat. Idem ſi zelo iuſtitiæ id feciſſe reſponderis,

Epiſcopi ficta non facta electio.

Pſal. 18.

quia

A XXI. *q.* 1. *c.* 1. *in duabus Eccl. &c.*

quia videlicet Canon in duarum civitatum Eccleſiis vetat Clericum aſcribi, arguit te ſicarius, arguit te Stephanus, alter in Cœnomannenſi, alter in Turonenſi Eccleſia prius conſcripti. Sed dum hæc refero non quaſi texens hiſtoriam, ſed quaſi texens iniuriam, tua forſitan ſublimitas indignatur, iraſcitur, incandeſcit, & dum imbecillitatem meam cum ſuis metitur viribus, ad exerendam accingitur vltionem. Noli obſecro cogitare quid poſſis, ſed quid debeas meditare, nec fortunæ vires attendas, ſed communis iuſtitia conſiderationem. Quantum enim in me tibi licuit, tantum & aliis in te licet. Et neminem eo fortuna provexit, vt non tantundem illuminetur, quantum permiſit. Excelſus multò facilius caſus nocet. Memor igitur conditionis humanæ, impetum fervidæ iuventutis compeſce, & inflata nimium ſecundæ fortunæ vento vela contrahe, ne fortè ipſa tibi proſperi curſus velocitas cauſa fiat colliſionis in ſcopulos. Nondum per ætatem longam cœpiſti experientiam, nec adhuc mens tua caſuum varietate decocta

B *Iob* 12. *Deut.* 32.

maturuit. *In antiquis* (ait Scriptura) *eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Et alibi: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, & maiores tuos, & dicent tibi.* Si tibi ante annos debita provectioribus contigit reverentia, non id viribus tuis adſcribas, quæ vel non erant, vel certè neſciebantur: fortuna enim ſæpius plus quam conſilium valet, ſicut tam in hoc quàm & in aliis frequenter experti ſumus. Timenda tibi potius

Prov 20. *Prov.* 13.

illa ſapientis ſententia, *hereditas ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit.* Et illud. *ſubſtantia feſtinata minuetur.* Refellenda etiam quorundam de te (vtinam falſa) opinio, qui ingenium tuum non tam mutatum fœlicitate quàm manifeſtatum putant.

Magiſtratus virum indicat.

Multorum ſiquidem vitia quæ imbecillitate latent, dum eis inſtrumenta explicandæ nequitiæ deſunt, cum illis ſuæ vires placuerint, fœlicitas aperit. Sic peſtifera Serpens ſecurè tractatur, dum riget frigore, non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Quod ne tibi iuſtè poſſit aptari, ſummo conamine elaborandum eſt: & non ſolum hoc ne te detexerint, ſed & il-

C *Pſal.* 91.

lud ne te effecerint fortunæ beneficia peiorem. *Divitiæ* (inquit Pſalmiſta) *ſi affluant nolito cor apponere.* Tum ergo tibi ſalutaria conſilia advoca, cùm tibi alludit vitæ proſperitas. Tunc te valde in lubrico retinebis, ac ſiſtes, nec tibi dabis impetus liberos, ſcilicet ſi circumſpicies quo eundum ſit, vel quouſque. Ne altiori te rei impone, in qua ſtanti tibi, vel tremendo deſcendendum ſit, vel cadendum. Nec iſta dico, vt in me ſias vel indulgentior de cætero, vel liberalior, quod vtrumque iam dudum certis indiciis deſperavi, ſed ne meo exemplo in multorum excurras perniciem, abutens ſcilicet poteſtate quam tibi permiſit Dominus *in ædificationem, & non in deſtructionem.* Ego enim, licet Appenninum ad præſens evaſerim, in quo, mihi ſepulchrum inter Anteceſſores meos quibus indignum me fateor (Melanium dico, & Moderannum) inſolenti ſatis elogio devovebas: iam tamen defunctus laboribus,

D

& debitam mihi (Domino largiente) adeptus menſuram, tranquillum magis vitæ finem expectare debeo, quàm ſuperfluis ulterius ſtipendiis occupari. *Sufficit præteritum tempus* (ſicut dicit Apoſtolus) *ad conſummandam voluntatem gentium, vt de cætero iam non nobis vivamus, ſed ei qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit.*

EPISTOLA LXXXII.

Salva ſemper auctoritate Sanctæ ſedis Apoſtolicæ exponit quid provocationes illæ quæ fiebant Rom. utilitatis in ſe habeant vel incommoditatis.

HOnorio Dei gratia excellentiſſimo ac Reverendiſſimo patri ſuo, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ

E

ſummo Pontifici, H. humilis Turonum miniſter, debitè integritatem obedientiæ. Philoſophus, ait, colere officiis, non exaſperare verbis oportet Poteſtatem. Ideò cumulatis precibus exoro, ne vos, Reverende Pater, ſcriptum præſens exaſperet; aut velitis de neceſſitate præſumptionem figurare. Etenim neceſſitate ſcripſi, eodem quo ſum læſus iaculo, lædi metuens Eccleſiæ ſoſpitatem. Bonam ſpem in ſinu meo gero, quia ſcribens pro iuſtitia, gratiàm patris non avertam. Quaſlibet igitur Appellationes in Romana vigere & ſuſcipi Eccleſia, cis Alpes auditum non eſt, nec ex ſacris traditum Inſtitutis. Quod ſi fortè huiuſmodi emerſit novitas, vt placeat omnem indifferenter admittere Appellationem, Pontificalis cenſura peribit, & omnino conteretur Eccleſiaſticæ robur diſciplinæ. Quis enim raptor ad ſolam anathematis comminationem non ſtatim appellabit? Quis Clericus aut preſbyter, fruſtratoriæ appellationis refugio non putrebit aut etiam ſi pelietur in ſtercore ſuo? Quis Epiſcopus habebit in promptu, non omnem dico, ſed ali-

F

quam vlciſci inobedientiam? Eius virgam quævis appellatio quaſſabit, ſolvet conſtantiam, ſeveritatem emolliet, adducens & illi ſilentium & reis impunitatem delictorum: ſic fiet vt ſacrilegia ac rapinæ, fornicationes ac adulteria pernitioſo inundent incremento, cùm Præſul ad ſuperfluas Appellationes clauſerit ora, & deſierit perſequi piorum perſecutores locorum, cum viduarum iniurias deſierit vlciſci & orphanorum. Dilatione nimirum cenſuræ facinora fovebuntur, & venient in profundum iniquitatis impunè delinquentes, ſuper quos Evangelicum illud implebitur præceptum: *exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc.* (*Luc.* 14.) Quis vel cæcum vel claudum intrare compellet, ſi cæcus, cùm compelletur, appellet? Denique pro delicto Heli, nullus pontificum punietur, quoniam appellationis excuſatione ſuam quiſque defenderet offenſam. Exempla quædam cenſuræ ſemper vivent, æmulatores autem eius, quælibet Appellatio ſepeliet & vivos. Sanè parva eſt materia & exilis ſcientia, quæ ſi (iuxta Iob) in- (*Iob.* 39.)

G

ter aquilas in prætuptis luſitantes cum pullis, earum ſanguinem lambit, ſatis eſt: non erubeſco meam & attendere & profiteri menſuram. Inter cæteros tamen ſacerdotes, ad me pervenit quas appellationes Ciſalpina ſuſceperit Eccleſia, quas & ſine offenſione Sedis Apoſtolicæ renuit & abiecit. Accepi enim, & vniverſitas Eccleſiæ prædicat, quod gravatis iudicio, ſubventus appellationis debeatur. Accepi quod ſuſpectos habens Iudices, aut infeſtos, aut formidat vim temerariæ multitudinis, eodem remedio poſſit & debeat relevari. Vnde etiam in Decretis Cornelij Papæ, taliter Eccleſiæ traditum eſt: ſi quis Iudicem adverſum ſibi ſenſerit, vocem appellationis exhibeat, (*Can. ſi quis iudicem.* 2. *q.* 6.) quod nulli oportet negari. Item in eodem: Nullus ſacerdotum cauſam ſuam alieno committat iudicio, niſi ad Sedem Apoſtolicam fuerit appellatum, ſed vnuſquiſque comprovinciales Iudices & notos habeat, niſi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit, aut infeſtos vel ſuſpectos Iudices ibi habuerit,

H

pro quibus cauſis ad maioris authoritatis Iudices & ad alias provincias appellare & venire conceſſum eſt. Audivi etiam alias quoque Appellationes eſſe, ſed moratorias nec aliquando recipiendas, de quibus in ſacris Legibus his legimus verbis: Quicunque non confidentia iuſtæ cauſæ, ſed cauſa afferendæ moræ, ne contra eum ſententia proferatur, appellaverit, & ſi de facto ſuo confeſſus ne addicatur appellare voluerit, huiuſmodi appellationes non recipiuntur. Et quidem videri mihi plures talium Appellationum ſpecies, quas prudens Iudex ita neceſſe eſt diſcernat, vt circa iudicandos debitam in omnibus ſervet æquitatem. Porrò ea quæ prærogativam obtinent, ſicut paruitati meæ miniſtravit auctoritas, perſtrinxerit: quæ ſi plura ſunt; etiam vſque ad ipſius Cathedræ veſtræ Sedem Apoſt. cucurrere vigilantia: confiteor non

A

tranſgrediendos eſſe terminos quos poſuerunt patres noſtri : Moratorias autem Appellationes omnino à veſtra relegandas eſſe audientia ; nec ſuſtinendum in horto Domini plantari toxicum mortis ; toxicum quo ſubventus afflictorum morietur, quo iuſtitia in nihilum revertetur, incrementum ſuſcipiet vbertas delictorum. Vale.

EPISTOLA LXXXIII.

Sancti Hildeberti Turonenſis Archiepiſcopi ; in ſuas Regularum Eccleſiaſticarum Exceptiones, de multiplici divinorum Præceptorum genere ; Præfatio.

B

EXceptiones Eccleſiaſticarum regularum, partim in Epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum Catholicorum Epiſcoporum ; partim ex Tractatibus Orthodoxorum Patrum, partim ex inſtitutionibus Catholicorum Regum, nonnullo labore in vnum corpus ordinare curavi : vt qui ſcripta illa ex quibus iſta ſunt excerpta ad manum habere non poterit, hinc ſaltem accipiat, quod ad commodum cauſæ ſuæ valere perſpexerit. A fundamento igitur Chriſtianæ religionis (id eſt, à fide) inchoantes, ſic ea quæ ad Eccleſiaſtica Sacramenta pertinent, ſub generalibus titulis, ſic ea quæ vel ad inſtruendos, vel ad corrigendos mores, ſic ea quæ ad quæque negotia diſcutienda vel diffinienda pertinent, ſub generalibus titulis diſtincta congeſſimus, vt non ſit neceſſe quærenti, totum volumen evoluere, ſed tantum titulum generalem ſuæ quæſtioni congruentem, & ei ſubiecta capitula ſine interpellatione tranſcurrere. In quo prudentem Lectorem præmonere dignum duximus, vt ſi fortè quæ legerit, non ad plenum intellexerit, vel ſibi nova æſtimaverit, non ſtatim reprehendat : ſed quid ſecundum rigorem, quid ſecundum moderationem, quid ſecundum iudicium, quid ſecundum miſericordiam dicatur, diligenter attendat, quæ inter ſe diſſentire non ſentiebat qui dicebat, *miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine :* Et alibi, *vniverſa via Domini, miſericordia & veritas.* Habet enim omnis Eccleſiaſtica diſciplina principaliter hanc intentionem : ſcilicet, omnem ædificationem adverſus ſcientiam Chriſti ſe erigentem deſtruere, vel ædificationem donorum virtute & morum honeſtate conſtantem conſtruere, vel eandem (ſi contaminata fuerit) pœnitentiæ remediis emendare. Huius ædificationis magiſter eſt charitas, quæ ſaluti proximorum conſulens, ad finem ſacris Inſtitutionibus convenientem id præcipit aliis fieri quod ſibi quiſque vult ab aliis impendi. Quicunque ergo Eccleſiaſticus Doctor, Eccleſiaſticas regulas ita interpretatur aut moderatur, vt ad regulam charitatis cuncta quæ docuerit vel expoſuerit, referat ; nec peccat nec errat, cum ſaluti proximorum conſulens ad finem ſacris inſtitutionibus debitum pervenire intendit. Vnde dicit Beatus Auguſtinus, de diſciplina Eccleſiaſtica tractans: habe charitatem, & fac quicquid vis, ſi corripis, corripe cum charitate ; ſi parcis, cum charitate parce. Sed in his adhibenda eſt ſumma diligentia, & mundus oculus cordis, quatenus in puniendo vel parcendo, ſanandis morbis charitas ſyncera ſubveniat, & nemo (venalium medicorum more) quod ſuum eſt, ibi quærat, ne propheticam illam reprehenſionem incurrat: *mortificabant animas, quæ non vivebant, & vivificabant animas quæ non vivebant.* Sicut enim corporalis medicinæ, ratio vel depellere morbos, vel curare vulnera, ſalutem ſervare vel augere intendit, nec medicus contrarius ſibi videtur cum pro qualitate vel quantitate ægritudinis vel ægrotantis, nunc mordentia nunc mollientia ægrotanti medicamina apponit, & nunc ferro ſecat, cui fomento ſubvenire non poterat ; & è converſo, ei ſubvenit vnguento, quem ferro ſecare non audebat: Ita ſpirituales medici (Doctores videlicet ſpirituales Eccleſiæ ſanctæ) nec à ſe nec inter ſe diſſentiunt, cùm illicita prohibent, cùm neceſſaria iubent, ſumma ſuadent, veniale indulgent, cùm ſecundum duritiam cordis delinquentium pro correctione delinquentium vel cautela cæterorum, ſæveras pœnitentiæ leges imponunt, vel cum ſecundum devotionem dolentium & reſurgere volentium conſiderata fragilitate vaſis quod portant, indulgentiæ malagma ſupponunt. Nam qui indulgent, maioribus morbis amovendis provident; & qui illicita prohibent, à morte deterrent: qui verò in neceſſariis indulgent, ſalutem cupiunt conſervare; qui autem ſumma ſuadent, ſalutem ſtudent augere. Hoc attendens diligens Lector intelliget vnam faciem eſſe Eloquiorum ſacrorum ; cùm diſtinctè conſiderabit quid ſit admonitio, quid ſit præceptum, quid prohibitio, quid remiſſio ; & hæc, nec ſe invicem impugnare, nec à ſeipſis diſtare ; ſed in omnibus ſanitatis remedium pro ſua moderatione & diſpenſatione moderare. Sed omnia quid ponderis habeant, quibúſve conveniant, quæ ſint remiſſibilia, quæ irremiſſibilia, & quando vel quibus ſint remittenda, paulo latius diſtinguendum. Et prima quidem admonitio, pœnam non intentat, ſi quis poſt eam non eat ; ſed primum, ſibi adquieſcentibus præmium pollicetur: vnde Dominus dicit in Evangelio ; *ſi vis eſſe perfectus, vade vende omnia quæ habes, da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* Ecce lectio iſta Evangelica, in voluntate hominis perfectionem ponens, non cogit, non minas intentat. Sicut illa quæ Spadones laudans, *qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum*, ſubinfert ; *qui poteſt capere capiat :* attamen cùm ad perfectionem ſe quiſque aſtrinxerit ; vel gradum quem nullus aſcendere abſque magna contentione virtutis poteſt, aſcenderit, iam ſit neceſſarium & pœnale, ſi non teneatur quod ante hanc aſcenſionem fuerat voluntarium: vnde & Dominus dicit ; *nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Poterat enim fieri ante aſcenſionem inferior, non tamen deterior: poſt deſcenſionem verò, inferior eſt, & deterior. Hæc de admonitione. Indulgentia verò quantum nobis videtur, quia meliora non eligit, remedium quidem habet in præmium, ſed ab hoc ſi quis declinaverit, meretur exitiale iudicium. Vt verbi gratia : ſcimus (ſicut ab Apoſtolo didicimus) humano generi, propter vitandam fornicationem, indultum eſſe coniugium, cuius violator meretur æternum (eodem Apoſtolo teſtante) ſupplicium : Dicit enim, *fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.* Et hic gradus, ſicut de admonitione diximus, nullum cogit niſi qui ſe privatus alligaverit : voluntarius enim, non eſt neceſſarius, alioquin tranſgreſſor eſſet quicunque vxorem non duceret. Poſtquam verò ſe alligaverit ; audiat Apoſtolum dicentem : *Alligatus es? noli quærere ſolutionem.* Idémque Apoſtolus cum de nuptiis loqueretur, non dixit, *mulier ſi nupſerit, præmium meretur:* ſed tantum dixit, *non peccat, ſi nubat:* Ita quoque, ſi quis ad quotidiana ieiunia invitet aliquem ; invitat quidem ad rem remuneratione dignam, acquieſcenti & perſeveranti : ſed qui non acquieverit, non fit ſeipſo melior, ſed licet maneat facientibus inferior, non fit ſe ipſo peior : ſi verò à voto ceciderit, fit ſe ipſo inferior ac deterior : ſi verò infra metas ſobrietatis & menſæ frugalis ſe cohibuerit, ſummorum præmia non aſſequitur, ſed ſi ad comeſſationes & ebrietates prolapſus fuerit, rem reprehenſione & confuſione dignam feciſſe perhibetur. Iſti itaque duo ſtatus; vnus ſuperior, alius inferior, qui ante votum ſunt voluntarij, poſt votum verò neceſſarij; habent modos & inſtitutiones ſuas ; quæ obſervatæ (ſicut iam ſupradictum eſt) aliis remedium, aliis adquirunt ſupplicium ; obſervatæ, præmium acquirunt; non obſervatæ vero, æternum merentur ſupplicium. In his itaque, ante ſuſceptionem deliberandum eſt: poſt ſuſceptionem verò, perſeverandum. His itaque

prælibatis,

Margin notes:

Excep. Eccleſ. quorſum vtiles.

C

Pſ. 100. Pſal. 24.

Diſcip. Eccl. intentio.

Interp. regula charitas.

D

Ezec. 13. Corporalis medicinæ, ad ſpiritualem, analogia.

E

Spiritualis medicinæ ratio & methodus.

F

Mat. 19

Mat. 19

Luc. 9.

G

1. Cor. 7.

Coniugium, eſt voluntatis, non neceſſitatis.

1. Cor 7.

H

Votum ligat.

[A] prælibatis, de præceptione & prohibitione, aliqua ſunt nobis dicenda.

[Mandata duplicia.] Præceptiones itaque & prohibitiones; aliæ ſunt mobiles, aliæ ſunt immobiles. Præceptiones ſunt immobiles, quas lex æterna ſanxit, quæ obſervatæ ſalutem conferunt, non obſervatæ eandem auferunt: qualia ſunt: [Deut. 30.] *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & proximum tuum ſicut te ipſum:* Et, *honora patrem tuum & matrem tuam*, & ſi qua ſunt ſimilia. Mobiles ſunt, quas lex æterna non ſanxit, ſed poſteriorum diligentia invenit ratione utilitatis, non ad ſalutem principaliter obtinendam, ſed ad eam tutius inveniendam. Quale eſt illud Apoſtoli: [Tit. 3.] *hæreticum poſt primam & ſecundam correptionem devita:* non quod eorum colloquium per ſe ſaluti obeſſet, ſed quod frequentatum, ex obliquo, quorundam ſimplicitatem corrumpere poſſet. Et multa reperies in canonicis inſtitutionibus in hunc modum. [B] Similiter immobiles prohibitiones ſunt, quæ adverſus vitia loquuntur, qualia ſunt, [Mat. 5.] *non occides, non mœchaberis, &c.* Hæc ſunt illa minima mandata, de quibus Dominus dicit, *quia qui ea ſolverit & ſic docuerit, in regno cœlorum minimus erit*, qui verò obſervaverit, non ſtatim dignus erit regno Dei, quia inchoantia ſunt hæc, non perficientia. Sunt alia interdicta, quæ ſi non interdicta fuiſſent, nec in illis operaretur, nec ſalus pereclitaretur. Sed hæc ſanctorum Patrum authoritas reverenda ita decrevit, ut & præſentibus non obeſſent, & compeſcendis maioribus malis vel cavendis ſyncera charitas provideret. Quale eſt illud, ut Clericus poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam clericus non maneat, vel ad clericatum non accedat: [Apoſtolicarum Sanctionum cā. 60. & 64] quod (ut ait B. Auguſtinus) dictum eſt, rigore diſciplinæ, non deſperatione indulgentiæ. Alioquin contra claves Eccleſiæ diſputaretur, de quibus dictum eſt, *quodcunque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* [Mat. 16.] Sed ne forſitan ſpe oneris Eccleſiaſtici animus intumeſceret & ſuperbe ageret pœnitentiam, ſeveriſſimè placuit, ut poſt pœnitentiam nemo fiat Clericus, vel maneat Clericus. [C] Quæ poſteriorum non eſt putanda ſupervacua diligentia, qua ut ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt quo ſalus totius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias. Cogunt enim multas medicinas inveniri, multorum experimenta morborum. Tale eſt illud in Evangelio: [Matt. 6. Iac. 5.] *ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non; quod autem amplius eſt, à malo eſt*, non iurantis, ſed iurare cogentis. Non quod malum ſit iurare in contractibus humanis, ex neceſſitate, ſed quòd longius ſit à periurio, qui nunquam iurat, quàm ille qui qualicunque occaſione iurat. Nam de Domino dicitur: [Pſ. 109. Heb 6.] *iuravit Dominus*: & Apoſtolus dicit: [2. Tim. 2.] *omnis controverſia eorum finis eſt iuramentum*: & idem Apoſtolus dicit ita iurans, [2. Cor. 5] *eſt veritas Chriſti in me:* Et alibi: *quotidie morior propter veſtram gloriam, fratres.* In his ergo, in quibus obſervatis ſalus adquiritur, ut in quibus neglectis mors indubitata conſequitur, nulla eſt admittenda diſpenſatio, ſed ita ſunt omnia mandata vel interdicta ſervanda, ſicut ſunt æterna lege ſancita. In his vero quæ propter rigorem diſciplinæ, vel propter muniendam ſalutem poſteriorum ſanxit diſciplina, ſi honeſta vel utilis conſequatur compenſatio, poteſt procedere diſpenſatio auctoritate præſidentium, diligenter deliberata: [D] multa enim talia, in Evangelica hiſtoria, in Actibus Apoſtolorum, in geſtis Conciliorum, & contigiſſe legimus & poſtmodum Apoſtolicorum virorum auctoritate roborata cognovimus. Aſſumamus itaque primum teſtimonium de Evangelio. [Mat. 10. Luc. 10.] Dominus quippe mittens Diſcipulos ad prædicandum, interdixit eis ſacculum & peram. Et quia iuxta Domini noſtri Ieſu Chriſti in terris diſciplinam morum, inſtante tempore paſſionis ſuæ, & peram reddidit eis & ſacculum, ſeipſum primum dans in exemplum, quòd in huiuſmodi traditionibus neceſſitati temporis ſit cedendum. Similiter Paulus, cùm per Corinthios ſe tranſiturum promiſiſſet in Macedoniam, [E] & præſenſiſſet hoc eis minimè profuturum, mutavit diſpoſitionem ſuam non tamen ſententiam. Vnde ſe ita excuſat: [2. Cor. 1. 7.] *cùm ergo hoc voluiſſem, nunquid levitate uſus ſum, aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me, eſt, & non?* Non enim ſententiam ſuam ſe mutaſſe intelligebat, qui in veniendo ad eos & non veniendo, ſalutem eorum quærebat. Vnde & in ſequentibus dicit: *ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quòd parcens vobis ultra non veni Corinthum.* Secundum carnem quoque, diſpoſitionem ſuam mutaſſe ſe dici poſſe non putat, quoniam qui ſecundum Dominum cogitat, tunc non implet quod diſponit quando perſonis maioribus defert, aut certè lucris aut maioribus apparatibus vincitur. Spiritualis autem tunc propoſitum implet, quando conſulto, & communi ſententia Hieroſolymis confirmatum eſt, [Rom. 15. Gal. 5.] & per Paulum & per Barnabam Fratribus per Aſiam deſtinatum, ne quiſquam ad fidem veniens Circumciſioni Legis obnoxius haberetur. [F] Ipſe etiam Apoſtolus ad Galatas ſcribens, ita dicit: *ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit*, [Gal. 2.] idem Apoſtolus cum Petrò reſtitiſſet in facie, quod ſimulationi quorundam conſenſiſſet Iudæorum: qui circumciſionem ſaluti putabant eſſe neceſſariam; tamen neceſſitati temporis cedens, Timotheum Liſtris circumcidit, [Act. 16.] ut ſcandalum Iudæorum ibidem commorantium devitaret, oſtendens actu, quod alibi ait: [1. Cor. 9.] *factus ſum Iudæis tanquam Iudæus; ut Iudæos lucrifacerem.* Quod dixiſſe intelligendum eſt, non actu metuentis, ſed affectu compatientis, cuique ita cupiens ſubvenire, quemadmodum ſibi ſubveniri vellet ſi ita affectus eſſet. Multa quoque Principes Eccleſiarum pro tenore Canonum diſtrictius iudicant, multa pro temporum neceſſitate tolerant; multa pro perſonarum utilitate vel ſtrage populorum vitanda diſpenſant: multa etiam à ſanctis Patribus imminuta Scripturarum teſtimoniis comprobantur; ſicut ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſanctus Pontifex Leo neophytos ad ſummum ſacerdotium permiſit accedere, [Aſſumptus eſt neophytus Nectarius in Epiſcopo patum.] quos Paulus publica prædicatione ſtuduit ab hoc negotio removere. Sicut etiam Arrianos, priuſquam converſi fuerint, legimus in ſuis Officiis fuiſſe ſuſceptos. Inde etiam prætextatus Populeo deteſtabile non mutandorum ex diſcretione temporum, ita ſcribit [G] Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo: [Hiſt. eccl. l. 11. c. 21. Trip. c. 13 l. 9. ut Ambroſ. Eccl. hiſt. l. 11. c. 11 contra Apoſtoli præceptum. 1. Tim. 2. & quod poſtea fuit conſtitutum in Aurel. Conc. can 1 in conſt. 8. a c. 11 Laodic. can. 1.] Sicut quædam ſunt quæ nulla poſſunt ratione mutari? ita multa ſunt quæ aut pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum oportet temperare: illa ſemper conſideratione ſervata, ut in his quæ dubia fuerint aut obſcura, id noverimus ſequendum quod nec præceptis Evangelicis ſit contrarium, nec Decretis ſanctorum Patrum inveniatur adverſum. Vnde Auguſtinus in Epiſtola ad bonifacium: In huiuſmodi cauſis niſi per gravis diſſenſionem ſciſſuræ, aut illius aut huius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages ſubiacent, detrahendum aliquid eſt ſeveritatis, ut maioribus malis ſanandis charitas ſyncerius ſubveniat. Idem adverſus hæreticos: Si (inquiunt) oportet ut Eccleſiam nos fuiſſe pœniteat, ut ſalui eſſe poſſimus, quomodo poſt iſtam pœnitentiam, apud vos, Clerici vel etiam Epiſcopi permanemus? Hoc non fieret, quoniam revera quòd fatendum eſt) fieri tamen non deberet, niſi pacis ipſius compaſſione ſanaretur. Sed ſibi hoc dicant, & multo maximè humiliter doleant, qui in tanta morte præciſionis iacent, [H] ut iſto quodam vulnere matris Catholicæ reviviſcant. Cùm enim præciſus ramus inſeritur, fit aliud vulnus in arbore, quo poſſit, recipi ut vivat qui ſine vita radicis peribat: ſed cùm receptus recipienti coaluerit, & vigor conſequitur, & fructus: ſi autem non coaluerit; ille quidem areſcit, ſed vita arboris permanebit. Eſt enim tale inſerendi genus, ut nullo præciſo ramo qui intus eſt, ille qui foris eſt inſeratur, non tamen nullo, ſed vel leviſſimo arboris vulnere. Ita ergo & iſti cum ad Catholicam radicem veniunt, nec eis quamvis poſt erroris ſui pœnitentiam

A

honor Clericatus, aut Epiſcopatus aufertur: fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris, contra integritatem ſeveritatis: Veruntamen, *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

PROSA DE NATALI Domini.

PRomiſſa mundo gau lia ſuperna ſoluit gratia. Die iſta, in virgine fœcunditas, in prole fulſit deitas. Die iſta in ſupernis genitus ſine matre, hac in valle natus eſt ſine patre. Die iſta virga Ieſſe florida fructum dedit, Gedeonis vellera ros infudit. Die iſta preſſus pede mulieris coluber contritus eſt. Die iſta Eliſæus exiit, & de fructu adiit ſubſecutus baculum. Die iſta eructavit cor excelſi verbum bonum, Die iſta manducavit homo panem angelorum; die iſta ſator exit ſeminare ſemen verum, novus eſſe cœpit antiquus dierum.

B

Die iſta rex in prædam prodiit, & in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Die iſta terra vermem protulit, per quem Ionas perdidit & deflet umbraculum. Die iſta ſplenduit lucerna quam accendit mulier, micuit electrum quod videt Ezechiel. Die iſta veritas de terra, de Sion Emanuel ortus eſt; & miſſus in ſalutem Iſrael. Die iſta fides matris virginis obumbramen flaminis verbi vis & hominis cataplaſma confecerunt. Die iſta hac reſpirant miſeri, ſpoliantur inferi, cedunt nobis ſuperi, renovatur ordo rerum. Die iſta tot beneficia, ſacra cœpit Eccleſia Die iſta Deo ſit gloria ex cuius gratia ſperamus cœleſtia.

Pſal. 1.

DAvid futura in ſpiritu prævidens: *liberavit* (inquit) *Dominus pauperem à potente, & inopem cui non erat adiutor.* Non omnium eſt ſcientia, ignorant aliqui pauperem iſtum, ignorant potentem illum: ſcientes hortamur, ignorantes inſtruimus. Pauper ille primus parens noſter & eius ſucceſſio eſt, potens iſte diabolus eſt.

C

Primus parens in paradiſo dives; extra paradiſum pauper: primus parens liber ante culpam; ſervus poſt culpam. Magnæ huius divitiæ, quia abundavit omnibus quæ voluit, quandiu voluit quæ Deus iuſſit, vera huius libertas, quia ſub ſolo Dei fuit dominio quandiu benè libero uſus eſt arbitrio: ubi autem voluit quod Deus noluit; dives eguit, liber ſervivit; eguit medico, ſervivit peccato. Ex tunc, pro gloria ſortitus eſt ignominiam; pro tranquillitate, ſollicitudinem; pro colloquio angelorum, murmur & tumultum vitiorum. Ex tunc fecit illum Princeps huius mundi regnum ſuum; *& fortis armatus* atrium ſuum, pater tenebrarum obcæcatum ſuum. Adverſus huiuſmodi potentem, nullum pauperi noſtro adiutorium ex ſe, nullum ex ratione, nullum ex lege.

Homo, cur ſibi redimẽdo inſufficiens.

Quia etenim natus eſt de corrupto, corruptus; de ſubacto, ſubactus; de debitore, debitor; de peccatore, peccator; ad liberandum ſe non potuit ſufficere per ſe. Potuit quidem ratio conferre filiis Adæ ne peccarent ad mortem, ſanare autem non potuit, quàm ex Patre contraxerant mortem.

D

Fuit enim illis de futuro cautela; non de præterito medicina. Subſecuta eſt lex, non quæ ſanaret plagam, ſed quæ factores legis præpararet ad gratiam.

Lex quie contere bat *Hebr.* 7. 19. 4. *Reg.* 4.

Lex nec adducit ad perfectum imperfectum noſtrum; nec ad paradiſum reducit eiectum noſtrum: nec ad vitam deducit mortuum noſtrum. Ad ſuſcitandum filium Sunamitis, Giezi præcedens Heliſæum portavit baculum, domum intravit, ſuperpoſitus eſt puero baculus, ſed non erat puero nec vox nec ſenſus. Meritò itaque mater pueri, pedes Heliſæi tenuit; meritò ab Heliſæo non diſceſſit; meritò in Heliſæo ſperavit dicens: *Vivit Dominus & vivit anima tua, quia non dimittam te.* Audivit & exaudivit Heliſæus deprecantem, deſcendit & intravit; totum ſe ſuper puerum mortuum expandit, & mortuum ſuſcitavit. Attendant hiſtoriæ figuram neſcientes, excitentur ſcientes, increpentur negligentes: puer mortuus, primus parens à Dei gratia derelictus: hic animæ defectus eſt: hic animæ mors eſt.

E

Moritur homo bitatiam *Gen.* 2.

Moritur caro, cùm ab anima deſtituitur; moritur anima, cùm à Deo ſeparatur. Hæc mors homini promiſſa eſt ante peccatum: illata propter peccatum, ablata per eum qui non novit peccatum. Sic enim homini dictum legiſti: *qua die comederis, morte morieris*: pro humano igitur genere tali morte mortuo, ſupplicavit mater pia, mater ſancta, mater de qua ſic Apoſtolus ait: *Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt*, quæ eſt mater noſtra: mater profectò: non carnis opere, ſed dilectionis exhibitione.

Gal. 4.

Hieruſalem cœleſtis eſt mater, noſtra. *Luc.* 15.

Mater, quia tempore nos præcedit, oratione propter nos intercedit. Mater (inquam) quia maternus ei erga nos affectus, quoniam ei gratiſſimus inde eſt profectus. Noverat hoc qui dicebat: *gaudium eſt in cœlo coram Angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Poſtulavit iſta manumiſſionem noſtram, poſtulavit vitam noſtram: poſtulavit (inquam) non labiorum motu, ſed charitatis affectu.

F

Exaudita eſt illa mater noſtra, & curatum eſt de vita noſtra. Vt enim homo erudiretur ad promerendum divitias gloriæ Dei, ut præpararetur ad ſuſceptionem medicinalis gratiæ Dei; Giezi prophetam præceſſit cum baculo, quia Moyſes præcurrit cum legali Teſtamento.

Baculus importabilis, onus Legis.

Baculus importabilis, onus legis. Lex illa, lex peccare docens non iuſtificans; lex puniens, non coronans: lex plus habens cenſuræ, quàm miſericordiæ. Occidis? occidi iuberis: abſcindis? abſcindi iuberis: Sabbatho lignum colligis? lapidari iuberis. Huic baculo ſuppoſitus eſt infirmus noſter; gravatus eſt mortuus noſter. Non eſt evacuata mors noſtra, neque ſanata plaga noſtra. Oportuit ut ad ſuſcitandum mortuum ipſe accederet Eliſæus, quia neceſſe fuit ut antidotum vitæ præpararet homini, homo Deus. Expanſus eſt ille in lectulo ſuper mortuum; extenſus eſt hic in patibulo propter mortuum. Spiritus vitæ mortuo redditus eſt in ſpirante Eliſæo quia gratia reddita eſt homini moriente homine Deo.

G

Heliſæi mortuũ puerum ſuſcitantis, cum Chriſto comparatio.

Vivificatus puer rediit ad gremium matris; homo iuſtificatus, ad conſortium ſupernæ civitatis aſcendit. Recolat igitur & veneretur purus homo, quod memoratur hodie egiſſe pro homine Deus homo. Hodie quippe noſter Eliſæus, domum in qua ſuperpoſitus erat mortuo baculus, intravit; quia miſſa ſalus Dei noſtri hodie civitatem Hieruſalem, in qua oves quæ perierant domus Iſraël, legis pondere gravabantur, humilis aſcendit. Attendat (inquam) homo, qua humilitate verus propheta redemptionis noſtræ officinas intraverit, quanta patientia tulerit, quam mirabili charitate nos ad ſe traxerit.

Brevis enumeratio vitæ Chriſti.

Si humilitatem ignoras; ſervili forma Dominus univerſitatis indutus eſt, de paupercula virgine natus eſt, in præſepio collocatus eſt, idem cùm liber eſſet à lege, factus eſt ſub lege, circumciſus eſt ex lege, ſine querela converſatus eſt in lege: denique cum peccatoribus & publicanis cibum ſumpſit: ad locum paſſionis accedens, aſino inſedit, diſcipulorum quos elegerat de plebe, pedes lavit: hoc ab ortu uſque ad finem vitæ ſatagens, ut ſicut in matre ſpecialis & ſine exemplo fuit integritas, ſic & in filio ſingularis & unica eſſet humilitas.

H

Iſai. 53. *Act.* 8.

Quòd ſi de patient a quæritur, *ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt*, ſpectaculo crucis addictus eſt, propter iniquitates noſtras vulner:tus eſt, & cum iniquis deputatus eſt, quæ ſcilicet præiudicia, ne potius impotentiæ reſiſtendi aſcribas quam patientiæ, ſuppetebant ei *pluſquam duodecim legiones angelorum*, quibus poſſet etiam ſacrilegorum manus evadere miniſtrorum.

Mat. 26. Iniurias cur Chriſtus pati voluit. *Luc.* 23.

Ideò autem patienter præfatas tulit iniurias, quia (ſicut Leo Papa teſtatur) neminem ſalvaret illæſus, qui pro omnium ſalute venerat moriturus. Nam de charitate quid loquar, cui hoc ſolum ſufficit ad teſtimonium, quòd dum crucifigeret eum Iudæus, orabat ut illi indulgeret Deus? Charitas iſta, charitas admiranda: dum clavi manibus, lancea lateri, fel ori

admoverentur

A admoverentur ab inimicis : manus , & latus , & os angebant pro inimicis. Sanguine quippe lavabatur delictum , quod crucifigens aliunde contraxerat , & oratione , quod crucifigens committebat. Oſtenſa tibi ſunt arma fortia , arma victricia , arma quibus [Epheſ. 6.] pugnatur *adverſus Principatus & Poteſtates , adverſus mundi rectores tenebrarum harum , contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* His armis accinctus advocatus tuus , hodie campum pugnaturus intravit. Sexta Feria fortiter dimicavit , prima ſabbati triumphavit. Sub his armis actum eſt pro cauſa tua , pugnatum pro libertate tua, triumphatum pro gloria tua. Quid itaque reddes huic advocato tuo , pro tam magno negotio tuo ? Magnum quidem eſt pretium quod impendit pro te , ſed parabile eſt , & ad manum habes quod poſtulat à te. Poſtulat enim ne auferas ei ius ſuum , poſtulat ne alieno Domino aſſignes ſervum ſuum. B Ius ipſius , anima tua eſt : ſervus illius , corpus tuum eſt. Ius ſuum fecit animam tuam , quando pro ea poſuit animam ſuam : ſervum ſuum fecit corpus tuum , quando pro eo in mortem tradidit corpus ſuum , Toto ſe comparavit totum te. Attende igitur quid exigat à ſpiritu tuo , quid à corpore tuo, vtroque ſervo ſuo. *Dilige* eum *ex toto corde tuo :* exſolutum eſt quod exigit à ſpiritu tuo : impende totum te membris ſuis , & ſolutum eſt quod exigit à membris tuis. [Chriſtus p'ſſus totus. hominẽ totũ redempturus.] Caligaverunt in mortem oculi ſui, vt averterentur ne viderent vanitatem oculi vagi, oculi tui. Convitiis & blaſphemiis patuerunt aures ſuæ , vt non obturarentur ſed paterent ad clamorem pauperis , aures ſurdæ , aures tuæ : felle & aceto potatum eſt os ſuum , vt loqueretur veritatem & iudicium os mendax , os tuum. Extenſæ ſunt in cruce manus ſuæ , vt extenderentur inopi manus contractæ , manus tuæ : confixi ſunt clavis pedes ſui, vt dirigerentur in ſemitas rectas pedes diſtorti , pedes C tui : anguſtias mortis pertulit totum corpus ſuum , vt huius corporis membrum fieret putridum corpus, corpus tuum. Ecce quæ Domino Deo placent in te, pro quibus emit te , quæ poſtulat à te. In arbitrio tuo poſuit Dominus tuus , vt ab eo ſupplicium merearis aut præmium. Neſcit ille parcere , ſi nequam ſervus es , neſcit parcè remunerare , ſi bonus ſervus es. Si nequam te ſervum invenerit , cum malignis ſpiritibus invenies indignationem ſuam. Si fidelem; cùm Angelis & electis intrabis cœleſtem Hieruſalem , civitatem ſuam. Porrò beatus ille introitus deſignatur per pueros Hebræorum : deſignatur per eoſdem reſurrectio dormientium beatorum. Ingrediente ſiquidem Domino in ſanctam civitatem , Hebræorum pueri , reſurrectionem vitæ denuntiantes, [Mat. 21. Mar. 11. Ioan. 12.] cum ramis palmarum clamabant , *Oſanna in excelſis.* Quid (fratres chariſſimi) quid aliud Reſponſorio præſenti decantatur, quam futuræ reſurrectionis qualitas , quam capacitas , & membrorum beatitudo ſempiterna ? Quid prænuntiant egreſſi de domibus D pueri , niſi Fideles egreſſuros de ſepulchris ? Quid [1. Theſ. 4.] occurſu eo declaratur , niſi quod ait Apoſtolus ; *nos qui vivimus , qui relinquimur , rapiemur obviam Chriſto in aëra , & ſemper cum Domino erimus ?* Erimus quidem cum Domino ; ſed ſi nos Dominus non ſpiritu , ſed malitia pueros invenerit : ſi palmas in manibus , ſi flores inſpexerit. [Ramorũ myſterium.] Rami palmarum ſigna victoriæ ſunt ; in floribus , virtutum iocunditas oſtenditur. Hanc patriarcha Iacob de longè odorabat , cùm dicebat ; *ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Venienti ergo Salvatori , pueri cum palmarum ramis occurriſſe memorantur , quia venturo ad iudicium Chriſto , egreſſi Fideles de ſepulchris vitiorum , apparere præmonentur. [Neceſſariũ iudicium vt veniat præmiũ. Pſal. 63.] Sed quia neceſſe eſt , ſic illis deeſſe quod Iudex iudicet , vt inveniat quod coronet : iidem pueri flores gerunt in manibus , quia Fideles non niſi in virtutum decore placituri deſcribuntur. Vnde etiam dictum eſt : *deſine à malo , & fac bonum.* Vos igitur E (fratres chariſſimi) humilitatem noſtri Salvatoris attendentes , imitantes patientiam, amplectentes charitatem , contra vitiorum potentiam conſtantes inſurgite ; cum odore virtutum , in Iudicio occurrere ſatagite , vt eum laudare & cum eo regnare valeatis , qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

HILDEBERTI
Turonenſis Archiepiſcopi , verſus de Myſterio Miſſæ.

SCRIBERE propoſui , quid myſtica ſacra priorum F
Miſſa repræſentet , quidve miniſter agat.
Pro multis vna, pro quotidie repetitis
Eſt oblata ſemel Hoſtia vera Deus.
Involucrum legis Chriſtus patefecit, ovémque
Significativam vera removit ovis.
Presbyter hanc offert , & in hac ceſſare figuras ,
Rémque figuratam teſtificatur agi.
Sic etenim templi, ſic & Crucis exprimit aram,
Vt ſacra commemoret illius, huius agat.
Ergo quid in Miſſa vel agatur, vel memoretur ;
Quæ quibus aſſimiles, ſub brevitate canam.
Turba Prophetarum venturi nuntia Chriſti ,
Myſterium fertur præcinuiſſe Crucis.
Hunc deſideriis, hunc laudibus, hunc prece multa
Præſuſpiravit , extulit , expetiit.
Hæc tria commemorat, ſimulque ſub ordine ponit
Introitus Miſſæ, quem chorus antè canit.
Antè recenſentur ſuſpiria, poſtea laudes, G
Inde preces, in quo quæque notentur, habes.
Exprimit officium ſuſpiria, gloria, laudes :
Kyrie eleiſon ter triplicata preces.
Interea veniens in ſacra veſte ſacerdos ,
Altaris dextram, dona daturus, adit.
Illius adventus, quibus, ô Iudæa, reviſit
Te tuus Emanuël tempora plena notat.
Secreta ſiquidem procedit ab æde miniſter ,
Ortu ſecreto venit ad ima Deus.
Veſtibus ille ſacris tegitur, texit caro verbum,
Tota carens macula, tota ſacrata Deo.
Ille ſtat à dextris, quia quæſiit author inanes ,
Execrata Deos gens, quaſi dextra fuit.
Angelicum poſt hæc ſacrifex pater incipit hymnum,
Inceptum complet vociferando chorus.
Incipiens memorat, quæ Salvatoris in ortu
Gaudia paſtores Angelus edocuit.
Cantica quæ poſt hunc Superi cecinere , recenſet
Gloria, quam complet vociferando chorus.
Hinc oraturus, alios hortatur vt orent, H
Diſcipulis Chriſtus iuſſit, & egit idem :
Nam turbas in monte docens, oravit, & ipſis
Orandi formam fratribus inſtituit.
Lectio quæ ſequitur, doctrinam ſignat eorum,
Qui ſunt præmiſſi ſeptuaginta duo.
Illorum monitis, dum reſponſoria cantat ,
Edocet aſſenſum ſe tribuiſſe chorus.
Alleluia ſequens, memorat, quæ gloria mentis,
Quam pia laus oris ſit comitata fidem.
Inde ſiniſtrorſum Domini ſacra verba leguntur ;
Plebs baculos ponit, ſtat, retegitque caput.
Neve ſuperveniens zizania ſeminet hoſtis ,
Frontibus imprimitur myſtica forma Crucis.
Reiiciente fidem Iudæa , gratia Chriſti
Tranſiit ad gentes : Iſraël errat adhuc.
Tranſitus is ; quoties Evangelium recitatur ,
Mentibus occurrit, exprimitúrque loco.

A Ad lævam legitur, quia quo tranſivit aberrans,
Et velut à læva gens idololatra fuit.
Vt ſis attentus, patiens, erectus in hoſtem,
Et caput, & baculus, & ſtatus ipſe docet.
Quippe caput retegens, attente audire moneris:
Parere, cum baculum reiicis, inſtrueris.
Stans diſcis, quoniam ſtantes pugnare ſolemus,
Quòd te pugna gravis ſub vigili hoſte manet.
Succinit ecce chorus fidei compendia noſtræ,
Aſſenſum verbo ſe tribuiſſe docens.
Hic etenim monſtrat, quantum profecerit, in quem
Crediderit, quæ ſit, quidve datura fides.
Ordo bonus, quoniam quò Rex vocat atque magiſter,
Reſpondet miles, diſcipulúſque, ſequor.
Quámque notam paſtor novit, propriámque fatetur,
Hac ſe ſignatam teſtificatur ovis.
Quæque probant opifex, & ſignifer, & caput idem,
His opus, his proceres, his ſua membra fovent.
B Sic confeſſa fidem pia plebs, orare monetur,
Vt ſit in hac ſtabilis, inſuper aptet opus.
Effectum ſpondet chorus, offertoria cantans:
Tanquam ſi dicat, credo, fatebor, agam.
Hinc eſt quod poſt hæc offert ſacranda miniſter
Dona, dehinc populus, quod ſibi lege licet.
Ordo decens: Evangelium præcedere cernis,
Pone fidem pandi, dona deinde dari.
Audis, ut credas: & credis, vt hoſtia fias.
Taliter incipimus eſſe, ſumúſque Dei.
Præterea donis, quæ plebs devotior offert,
Dona domûs Iudæ commemorare licet.
Cùm Salomon templum, Salomon altare ſacraret,
Oblata à populo victima multa fuit.
Exemplo, Iudæa, tuo plebs vſa fidelis,
Altari dat ſe, dat ſua, tu neutrum.
Non ſine myſterio, ſine re, vel panis ad aram,
Vel vinum fertur, cui ſuperaddis aquam.
C Vtraque danda Deo præſignavere figuræ,
Traditio docuit, ſanctior vſus habet.
Vtraque ſub typico ritu formáque futuri,
Melchiſedech Domino ſacrificaſſe ferunt.
Vtraque diſcipulis cœnantibus ipſe redemptor
Tradidit, in corpus vtraque verſa ſuum.
Vſus & ipſe placet, quo ſic mactetur in imis,
Vt ſit in excelſis inviolata caro.
Admixtum vino laticem miraris, at ipſum
Grande ſacramentum eſt, nec ratione vacat.
† iuncta. Vnda fluens, homo præteriens: ea † mixta Lyæo,
Eſt Chriſto Chriſti ſanguine iunctus homo.
Dividit vnitos, vel aquam, vel vina miniſtrans,
Et caput à membris ſeparat ipſe ſuis.
Præterea nil fons ſine ſanguine, nil ſine fonte
Sanguis, vtrunque ſimul ſalvat, vtrunque ſacrat.
Cùm rimaretur pendentis viſcera Chriſti
Lancea, manavit ſanguis & vnda ſimul:
D Sicut vtrunque ſimul fluxit, ſimul offer vtrunque:
Vnum deme, Crucis non imitaris opus.
His ita præmiſſis, ſecretò preſbyter orat,
Secretas memorans, aſſimilánſque preces,
Quas egit Chriſtus, cùm te iam Iuda remoto,
Abſceſſit modicum, térque precatus ait:

(*In exemplari manuſcripto erant hic inſerta verba hæc minio deſcripta:*) PATER SI FIERI POTEST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE.
(*Ex ipſo metro ſic reddi poterant:*
Velle tuo ſalvo poterit ſi rite precari,
Alme parens, à me tranſeat iſte calix.)

HIs precibus veluti labiorum victima quædam
Eſt oblata, typum legis & ipſa gerens.
Pro ſe, pro populo, pro principibúſque, Sacerdos
Supremus Domino myſtica dona dedit.
Nam ſua, nam populi, nam pontificum malefacta
Portarunt aries & caper & vitulus.
Pontificum vitulus, populi mala pertulit hircus, E
Ipſius exceſſum dux gregis ipſe luit.
Hæc tria Salvator triplici prece commemoravit,
Iam tunc pro nobis omnibus vnus agens.
Nam ter humi ſtrato contritio cordis, & ille
Sanguineus ſudor, Crux fuit ante Crucem.
Iam tunc anxietas finem ſpondentibus vmbris
Et veteri ritu gratior vna fuit.
His actis, populum ſublimi voce ſalutat
Preſbyter; & ſurſum corda levare monet.
Inde patri grates per Chriſtum ſemper agendas
Aſſerit, & poſt hæc, dona ſacranda ſacrat.
Si bene cuncta notes, hoc totum filius egit,
A prece diſcipulos, inde, petendo Crucem.
Primum iuſſit eos vigilare, ſtatimque precari,
Poſt dormire, dehinc agnus & ara tulit.
Nimirum dum dicit eis, vigilate, ſalutat:
Quippe ſalus animæ, ſi vigilemus, adeſt. F
Dum iubet orari, ſurſum cor ſuadet habere,
Orari ſi quidem ſola ſuperna iubet.
Dum tandem vocat ad requiem, monet edere grates.
Mentis enim requie gratificamur ei.
Nam grates agere, eſt Domino nos reddere gratos,
Quod facit, à vitiis mens, manus, óſque vacans.
Vt talis fiat, quiſquis ſub iudice Chriſto
Sacrificat, ſub quo iuſtus & ipſe tremit.
Cum Superum cantu, quos aræ conſtat, adeſſe,
Admitti proprias poſtulat ille preces.

CVM QVIBVS ET NOSTRAS VOCES VT ADMITTI.

POſtulat vt ſua vox laudi concordet eorum,
Quos adſtare ſacris pagina multa docet.
Si verbis * hominis, quem nectar vbique ſupernum * S. Gregor.
Eructaſſe liquet, vis adhibere fidem.
Tempore quo ſupplex aſſiſtit Preſbyter aris, G
Mactatúrque Patri Filius ipſe manens:
Æthra patet, cœleſtis adeſt chorus, ima ſupernis
Iunguntur: fiunt author & actus idem.
Cœtibus his dum mens, dum vox, dum vita miniſtri
Concordant, grates indubitanter agit.
Hinc benè cum populo, ter Sanctus, quæque ſequuntur
Antea quam ſacret myſtica dona, canit.
Credimus has laudes aſſumptas ex Iſaia,
In quibus innuitur trinus & vnus apex.
Ter poſitum Sanctus, trinum notat eſſe: ſed vnum
Declamat Dominus, atque Deus Sabaoth.
His tribus, huic vni ſacrifex litat, angelus offert,
Aſcribit clerus, plebs veneratur idem.
Et quia percipiunt in ſacro munere quidam,
Pro ſacro Dominum munere glorificant.
Laudibus his venerantur eum, quibus æthra reſultat,
Quas duo de Seraphin, nocte diéque canunt.
Has pro perceptis quaſi grates ritè rependunt,
Ne quando fruſtra percipienda petant. H
Hactenus explicui, quid repræſentet in ipſo
Officio Miſſæ, quidve miniſter agat.
Ex quibus hoc totum, quod in æde priore iubetur
Offerri, coram commemorare licet.
Quicquid enim fit in Eccleſia, tantummodo profit
Moribus aut fidei, victima grata Deo eſt.
Offerimus vitulos linguæ, mactamus, & hircos,
Solvimus in cineres thus, oviúmque virum.
Dum canimus, vel dum legimus quod prava refrænet.
Quod populum, quod nos ad meliora vocet:
Tunc etiam vitulus, tunc ſacrificatur & hircus,
Cùm faſtum calcas, luxuriámque premis:
Agnus ab innocuis, à ſimplicibúſque columba,
Turtur ab his qui flent, gaudia ſumma procul.
In clibano coctos panes altaribus offers,
Si robur mentis nulla flagella movent:
Conſperſos oleo, ſi ius pietas moderetur,
Inque reos infra, quàm liceat, libeat.

Non

A Non fermentatos, ſi mens tibi purior adit,
Excoquat & carnis fluxa ſupernus amor.
Offers & ſimilam, ſi quos diviſerat error,
Colligis, inque fidem, iungis, idemque facis.
Hoc catechizans, mollis: in baptiſmate mergens,
Vnis informans aſpera ferre, coquis.
Sic eadem moreſque docent, Chriſtumque figurant,
Sic geminos uſus cætera legis habent.
Quod verò Miſſæ ſupereſt, ita ſacra recenſet
Legis,ut exhibeat ſub Cruce ſacra crucis.
Quippe recenſetur, quicquid lex præco futuri
Intra ſanctorum ſancta iubebat agi.
Hæc aperire labor, quia metro, nominibuſque.
Ignaris, metri,materiaque premor.
Da veniam Lector: rem tantum pandere & uſum,
Non ſpeciem, noſtris verſibus eſſe ſat eſt.
Non tamen expectes, ut ſingula verba vel actus
B Quoſlibet aggrediar clarificare tibi.
Ad ſummam rerum curret ſtylus, & quibus umbram
Legis, opuſque Crucis exprimat ara,canam.
Et ſemel & ſoli ſanctorum ſancta patebant
Pontifici, precibus plebe vacante foris.
Angulus is * velo diſtabat ab æde priori,
Adventu Superum, colloquioque ſacer.
Idem thuribulo, ſimul & thymiamatis ara,
Et teſtamenti fœdere clarus erat.
Clarus & inſigni tabula quæ præminet arcæ.
Quam ſuperobnubilat pronus uterque Cherub.
Summus eò præſul ſemel accedebat in anno,
Pro ſe, pro populo myſtica dona ferens.
Scilicet illius hirci vitulique cruorem,
Quos proles Aaron immolat ante fores,
Carboneſque ſimul, quos deſuper exteriorem
Sumendos aram pagina ſacra docet,
Hos in thuribulo ponit, tantumque ſacerdos
Thus cremat, ut fumus uber obumbret eum.
Adſpergit tabulum, poſt hæc adſpergit & aram
Exterius ſacram ſanguine pacifico.
C Hinc redit ad populum, veſtem lavat, attamen idem
Non niſi ſub ſero veſpere mundus erat.
Hic locus, hic ſacrifex, ea munera ſigna fuere:
Signa receſſerunt,ſignificata manent.
Exprimit Eccleſiam prior ædes altera cœlum,
Antiſtes Chriſtum: ſanguis, amara Crucis:
Carbones, ſummam virtutum Chriſte tuarum:
Thuribulum carnem: thura cremata,preces.
Summa tabella patrem, cœleſtes ara cohortes,
Veſte notatur homo, veſpere mors hominis.
Hæc perſtricta tibi rerum velamina pandunt,
His ea, ſed veluti ſemitecta, vides.
Ex his non aliter fit res tibi pervia, quam ſi
E Foribus ſpectes interiora domus.
Interiora ſacri, te, Chriſte, docente,patebunt,
Cuius morte patent interiora poli.
Quas igitur partes perſtringere nitor, eaſdem
Sicut habet ſeries Canonis, expoſui.
Sic levius diſces quod opus, quæ verba miniſtri:
Quid reminiſcantur legis, agantve Crucis.

D TE IGITVR CLEMENTISSIME PATER. *uſque*, ILLIBATA.

INtrabat præſul vitulorum ſanguine ſacrum,
Intravit proprio Chriſtus & ipſe polum.
Intrat agens ſacrifex in ſanguine ſemper ad aram,
Effuſi ſemper ſanguinis ipſe memor.
Nam quoties fuſum, verbo, Cruce, mente retractat,
Hunc ſpecie toties in ſacroſancta gerit.
Quippe velut quidam cruor eſt, meminiſſe cruoris,
Huius nos memores Crux iterata facit.
Mentio mortis adeſt, ubicunque perennibus eſcis
Imprimit uncta manus myſtica ſigna Crucis:
Sic Aaron, Chriſtumque ſequens altare frequentat,
Preſbyter, hunc hauſtum ſanguinis ipſe gerit.

In primo ſiquidem verſu vexilla ſalutis. E
Ter ſuper appoſitas prætegat ille dapes.
In quo iam mortis, mitiſque piuſque recordans,
Appellat triplici nomine munus idem.
Dona vocat primum, mox munera nuncupat eſcas,
Poſt ſacrificij nomine cenſet eas.
Dona vocat, quoniam Deus has donavit, ut inde
Suſtentaretur lege modoque caro.
Munera ſunt, quoniam Deus his donatur, & inde
Muneret authorem, cui dedit author eas.
Nam quod ſacrifici cenſentur nomine,monſtrat,
Qua ratione prius munera dicat eas.
Scilicet idcircò, quia ſacrificantur, & aptè.
Munerat authorem, qui data reddit ei.
Sic eadem quæ dona vocat, cùm ſacrificantur,
Munera ſunt, quoniam munerat inde Deum.
His quoque nominibus pulchrè ſatis hoſtia triplex
Innuitur,ſcripto iam recitata meo. F
Hoc etenim totum quod ſpondebatur in illis,
Completum memorant, ſub ſpecieque gerunt.
Nam quod ſperavit prius in vervece ſacerdos,
In capro populus, in vituloque duces:
Crux dedit, eſca ſapit, totum canit eſſe tributum
Nominibus trinis hæc tria ſacra notans.

IN PRIMIS QVÆ TIBI OFFERIMVS. *uſque*, ANTISTITE NOSTRO. MEMENTO DOMINE FAMVLORVM. *uſque*, DEO VIVO ET VERO.

INgrediens ſacra ſanctorum Leviticus, orat,
Pro ſe, proque ſuo principe, gente,domo.
Ante crucem Chriſtus rogat & ſe clarificari,
Et cuſtodiri quos dedit ipſe Deus;
In cœlis etiam ſemper pro plebe Sacerdos,
Pro ſervo Dominus, pro grege paſtor agit.
Noſter in hoc ſacrifex Aaron Chriſtumque ſecutus,
Pro tota primum ſupplicat Eccleſia.
Hinc etiam pro pontificis, regiſque ſalute,
Pro reliquis infrà ſicut oportet agens,

COMMVNICANTES ET MEMORIAM. *uſque* MVNIAMVR AVXILIO. G

LEge iubebatur ſumptos altaris ab igne
Carbones vivos in ſacroſancta geri.
Lege iubebatur Aaron feſtinus eiſdem
Thuribulo poſiti thus adolere Deo.
Thuribulum carnis tanquam carbone refertum
Virtutum cumulo Chriſtus ad aſtra tulit.
Hos ex igne Deo quo mentis fluxa cremantur,
Quo laxæ carnis lubrica ſumpſit homo.
Tanquam carbones inter ſacroſancta Sacerdos,
Nomina ſanctorum commemorando gerit.
Hos etenim vivis carbonibus aſſimilamus,
Qui ſplendent actu, iuris amore calent.
Denique qui ſequitur, quod lex iubet, umbra figurāt;
Dum litat, hunc ignem mente miniſter habet.
Ingrediens etenim ſanctorum ſancta ſacerdos,
Pectore geſtabat nomina ſcripta patrum.
Scilicet inſinuans exempla, fidemque priorum
His imitanda, quibus myſtica menſa patet. H
Nec ſatis eſſe Deo, verbis meminiſſe bonorum,
Si non exhibeas moribus ipſe bonos.
Sic ſacrifex, intuſque calens,extraque coruſcans,
Carbones carbo factus & ipſe gerit.
Sic bene contexit multorum nomina patrum,
Sic meritis multos exprimit ipſe patres.

HANC IGITVR OBLATIONEM. *uſque* NVMERARI. PER CHRISTVM. QVI PRIDIE QVAM PATERETVR. *uſque*, HOC EST ENIM CORPVS MEVM. SIMILI MODO POSTEAQVAM COENATVM. *uſque*, MEMORIAM FACIETIS. VNDE ET MEMORES DOMINE. *uſque*, IMMACVLATAM HOSTIAM.

A HAc nebula fumi tegitur Leviticus orans,
Vt pateat nulli, dum thymiama cremat.
Hac prece pro nobis, hac ſedulitate precatur
Chriſtus, ut angelicum tranſeat intuitum.
Neſcitur quantùm ſumptæ præſentia carnis
Poſſit apud patrem, quid ſine voce preces.
† ſine. His precibus cedit, quicquid Leviticus offert,
Et quocunque modo, tempore, * ſive gradu.
His patrem precibus dediſcere iudicis iras,
Et flecti conſtat, & meminiſſe patris.
Tanquàm ſub nebula ſacra dona frequentat & offert,
Quiſquis agit Chriſti, Chriſtus & ipſe, vices.
Hæc etenim virtus, hæc efficientia verbi
Et Crucis eſt, ut mens, linguaque cedat eis.
Neſcit homo, latet & ſuperos, quo provehat eſcas
Gratia verborum, myſteriumque Crucis.
Incipit his verbis ſupplex inſtare ſacerdos,
Quæ ſalua ſpecie munus utrumque novant.
B Incipit, & toto contritus corde, cremanſque
Thuribulo mentis lucida thura precum.

QVÆSVMVS VT PLACATVS.

ORat ut accipiat placatus dona, ſuaque
Ordinet in pace tempora noſtra Deus.
Orat ut accipiat de maſſa perditionis,
Inter & electos nos numerare velit.
Orat ut hic idem benedicat, quas dedit, eſcas:
Orat ut aſcriptas, atque ratas faciat.
Orat ut hoc altaris opus ratione geratur,
Sitque quod acceptet, quod probet ipſe Deus:
Dum rogat ut Dominus, quæ condidit, hæc benedicat,
Vt novet in melius, promoveatque rogat.
Dum rogat aſcribi, quod eam ſibi prætoget eſcam,
Atque dicet propriam ſanctificando rogat.
Dum rogat eſſe ratam, ne fruſtra ſperet in illa,
Sed ſit quæ proſit, ſint rata vota, rogat.
Dum rogat hanc ratione geri, quæ munera rectè
C Offert, ut rectè dividat, ipſe rogat.
Iſtius ergo dapis benedictio, gratia maior,
Vberior fructus, perpetuanſque vigor.
Hoc ſanè totum verbis confertur in illis,
Quæ ſubdit ſacrifex, non ſua, ſed Domini.
Quippe recenſurus, quæ protulit ille vel egit,
Cùm cœnans idem, cœna beata fuit.

QVI PRIDIE QVAM PATERETVR, ACCEPIT PANEM.

PAnis in hoc verbo, ſed adhuc communis. ab ara
Sumitur, & ſumptum tollit utraque manu,
Preſbyter hinc idem, cùm pervenit ad Benedixit,
Imprimit elato myſtica ſigna Crucis.
Nec prius in menſam demittit, quàm tua Chriſte
Verba repræſentans, explicet iſta ſuper.

ACCIPITE ET MANDVCATE EX HOC OMNES, &c.

D HInc levat & calicem, ſignatque, nec ante reponit,
Quam ſuper authoris verba retractet ita:

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES. *uſque* IN REMISSIONEM PECCATORVM.

SI qua fides patribus, quos vita beata perennat,
Eſca ſit hæc animæ, quæ modo carnis erat.
His verbis utrumque novas acquirere vires,
Maioreſque ſuis ſcripta probata docent.
Sub Cruce, ſub verbo natura novatur, & aram
Panis honorificat carne, cruore calix.
Preſbyter idcircò, cum verba venitur ad illa,
In quibus altari gratia tanta datur:
Tollit utrumque, notans, quòd ſit communibus eſcis
Altior, & quiddam maius utrumque gerat.

Quæque parans animæ, carnis fomenta paravit,
Omnia ſacratis inferiora cibis. E

ET quoniam quoties libaverit iſta Sacerdos,
Chriſtus eum memorem præcipit eſſe ſui,
Hoc ſacramento nos commemorare fatemur,
Quòd mortem tulerit omnicreator homo.
Quòd ſurgens cœlos aſcenderit, hæc tria ſanè,
Qualem ſacrificem vult cibus ille, notant:
Scilicet ut carne moriatur, mente reſurgat,
Ter quinis gradibus templa ſuperna petat.
Sic memores paſſi, ſurgentis, ad aſtra * volantis, * mentis.
Et nos & pariter plebs tua, magne Deus.
De donis propriiſque datis tibi munera pura,
Munera ſancta, ſed & immaculata damus.
Dona quidem nobis Domino data: nam quod in eſcam
Donat, nos ipſi ſacrificando damus.
Pura damus, quoniam non his * eſt mixta vetuſtas, * admixta.
Aut ad ſalvandum non ope legis egent. F
Sancta damus, quia qui ſacras diiudicat eſcas,
Proficit, & libans ſanctificatur eis.
Immaculata damus, quia quod fuit immaculata
Hoſtia, quodque dedit, noſtra ſit, & dat idem.
Preſbyter inſiſtens implorat, ut illa ſerenus
Reſpiciat clemens, at* beet illa Deus. † probet.
Nec minus hæc placeāt, quàm quod puer obtulit Abel,
Quam quod Abraham, quàm quod Rex ſacrifexque Salem.
His tribus innuitur variorum forma ſacrorum,
Quæ ratio, quæ lex tradita, lex breviata,
Lex nuturalis, lex tradita, lex breviata,
Placavere Deum munere quæque ſuo.
Et tamen impariter, quia ſpeque fideque ſupremè
Dicitur in reliquis plena fuiſſe ſalus.
Hæc ſibi ſufficiens, nec eget perfecta futuris,
Nec de præteritis, unde iuvetur, habet,

SVPPLICES TE ROGAMVS. MEMENTO ETIAM DOMINE. NOBIS QVOQVE PECCATORIBVS. *uſque*, OMNIS HONOR ET GLORIA. G

ADſpergi tabulam lex, umbra iubebat & aram,
Exteriuſque ſacrum ſanguine pacifico.
Filius aſſeritur toties adſpergere patrem,
Adſperſo quoties ſanguine placat eum.
Adſpergit ſemper ſuperos, quia ſemper eorum
Adſperſo reparat, reſtituitque gregem.
Adſpergit ſemper homines, quia ſemper & ipſos
Adſperſos renovat, conciliatque patri.
Hos adſtans aris adſpergit & ipſe ſacerdos,
Cùm memor adſperſi ſanguinis unit eos.
Vnit eos placando Deum, ſupplendo ruinam
Spirituum, vitam reſtituendo reis.
Vita Deus moriens, hoc totum præſtitit orbi,
Hoc per eum mortis mentio præſtat adhuc.
Tunc igitur ſacrifex adſpergit ſanguine patrem,
Cùm ſemel adſperſi mentio placat eum.
Tunc idem cœtus aſpergit cœlicolarum,
Cùm ſemel adſperſi mentio ſupplet eos.
Tunc adſpergit & hos, quos abluit unda ſalutis,
Cum ſemel adſperſi mentio purgat eos. H
Preſbyter hæc ſatagens, ſumpta ſibi ſupplice forma,
In ſublime geri myſtica dona rogat.
Addit & erectus, ut participatio menſæ,
Quotque eam ſument, proſit & intus alat.
Neve ſepultorum pia mentio prætereatur,
Et bene defunctis, & ſibi poſcit idem.
Poſcit idem ſibi, dum ſanctis rogat aſſociari,
Quos & nominibus * nominat ipſe ſuis. * exprimit.
Angelus is, cuius manibus ſacer ille miniſter
In ſublime geri munus utrumque rogat,
Angelus eſt eius, vel quos reverenda vetuſtas,
Deſurſum miſſos dicit adeſſe ſacris.
Ara ſuperna, Dei conſpectus, eo ſacra ferri,
Eſt etiam meritis ſacra placere Deo.

Digitized by Google

A Angelicas ea ferre manus, eſt plaudere noſtro
Affectu ſuperos, myſteriíſque ſacris.
Quæ tam ſecreto plauſu perlata, feruntur
In ſublime: placant, pacificántque Deum.
Ergo pius ſacrifex aſpergit ſanguine patrem,
Cum ſic adſperſi mentio placat eum.
Cum vivis veniam, refrigeriúmque ſepultis,
Impetrat & partem, quam petit ipſe ſibi.
Et ſuperos & mortales aſpergere fertur:
Nam quæ nos purgat mentio, ſupplet eos.
Porrò cum ſacrifex ſublimem nominat aram,
Quo ſupplex orat dona ſacrata geri.
Commemorat liquido velaminis interiora,
Quo ſemel intrabat Pontificalis apex.
B Cum ſacra perferri ſurſum rogat, innuit hircum,
Quem lex deſerti vaſta ſubire iubet.
Quippe duos foribus templi lex applicat hircos
Vni deſertum deſtinat, alter obit.
Chriſtus diverſis reſpectibus hircus vterque:
Nam tulit in ligno, vivit in arce Poli,
Vivit & hic humilis deſerto regnat in illo,
* revenit Quo propriis humeris, ipſe * reduxit ovem.
Sic meminit legis, meminit Crucis ipſe Sacerdos,
In ſublime vehi munus utrumque petens.
Idem dum memorat ſanctos, humerale recenſet,
Quod bis ſena patrum nomina ſcripta gerit,
Pectus enim logion, ſcapulas humerale tegebat
Præſulis, intrantis interiora ſacri.
Hic in vtroque gerens gemmis inſculpta priorum
Nomina, venturi præco typúſque fuit.
C Nos etenim gerimus logion, cum nomina patrum
Circa principium Canonis exprimimus.
Nos humeralis onus gerimus, cùm nomina patrum
Hac in parte ſacri Canonis inſerimus.
Tunc etiam logion, tunc fert humerale miniſter,
Cum mores patrum, cum labor ipſe placet.
Ecce ſubinfertur, quod tu bone conditor orbis,
Per Chriſtum ſemper hæc bona cuncta creas.
Sanctificas, & vivificas, idem benedicis,
Glorificans primæ conditionis opus.
Nam quia ſic homini verbum Deus hæret, ut una
Sint perſona, creans atque creatus homo,
Quicquid per verbum Deus ordinat aut operatur,
Per Chriſtum fieri dicitur illud idem.
Ergo per Chriſtum rerum natura novatur,
Communiſque cibus fit ſpeciale bonum.
D Per Chriſtum quoque ſanctificat Deus unus utrumque
Vivificat pariter & benedicit idem.
Sanctificat, quoniam datur hæc quoque gratia rebus,
Vt benè percipiens, ſanctificetur eis.
Vivificat quoniam datur hæc vegetatio rebus,
Vt moriens intus vivificetur eis.
Hic idem benedicit eas, qui provenit inde,
Vt benedicatur qui bene ſumit eas.
Eſt honor, eſt etiam per Chriſtum gloria Patri,
Per quem cuncta pater glorificanda facit.
Eſt cum Chriſto, quia glorificatur & ipſe,
Cum quo cuncta pater glorificanda facit.
Eſt ſimul in Chriſto, quoniam Deus unus uterque,
Et quod in hoc uno eſt, eſt in utroque ſimul.

OREMVS. PRECEPT. PATER NOSTER. LIBERÀ NOS QVÆSVMVS, &c.

AD populum regredi, veſtéſque lavare ſupremum
Pontificem, legis myſtica iuſſa volunt.
Ipſe tamen mundus, eadem ſic iuſſa cavebant,
Non niſi, cùm iam Sol occubuiſſet, erat.
* quam Eccleſiæ Chriſtus,* quia non abeundo reliquit,
Subveniens, ad eam compatiendo redit.
Has eius veſtes, has vivis abluit undis
Fons, qui perpetuò vulnera noſtra ſanat.
E Fons tamen illa lavans, donec famulabitur orbi
Sol, velut immundus, atque lavandus erit.
Eius enim membris, dum Sol aget iſte labores,
Hærebunt maculæ, quódque lavetur, erit.
Dicitur ad populum tanquam remeare Sacerdos,
Pro populo rurſum multiplicando preces.
Iámque velut foris eſt, cum vocem mutat & orans
Admonet, ut pariter oret & ipſe chorus.
Admonet orandi formam, ſublime retractans,
Quam ſtatuit Chriſtus, edocuitque ſuos.
Talibus officiis, interventúque ſacrorum,
Et ſimul intinctu ſanctificantis aquæ.
Ipſe lavans populum, ſua veſtimenta lavare
Fertur, & apta Deo reddere fonte precum.
Eſt tamen immundus, donec Sol occidat, idem,
Nam dum vivit, habet, quod lavet, omnis homo.
F Sic ſacrifex remeans, ut dignus percipiendis
Fiat, & ad vitam ſumat vtrumque ſimul.
Iam quaſi cum populo ſeptem ſibi dona precatur,
Quæ voluit Chriſtus, inſtituitque peti.
Illorum tria prima quidem ſine fine manebunt;
Sed reliquis finem ſpondet amara dies.
Semper enim ſanctum nomen patris, ídque beato
Quod metuat, quod amet, quod vereatur, erit.
Semper & ipſe bonus, regnum patris, vnde profectò
Scandala cuncta, procul, quódque reſiſtat, erit.
Semper ut in cœlo, ſic in tellure voluntas
Fiet, & in neutro, quod reprobetur, erit.
Fit verò pariter in vtróque paterna voluntas
G Cum quod amat, quod vult Angelus, hoc & homo.
Præterea ſicut quidam ſenſere priorum,
Terra, caro: cœlum, ſpiritus accipitur.
Conſummatur in his pariter divina voluntas,
Cum çaro ſubjicitur, ſpirituíque favet.
Hæc tria nunc iuſto variis eventibus adſunt,
Poſt mundi finem neſcia finis erunt.
Quatuor eſſe ſinent, nam paſci nullus egebit,
Cuive remittantur debita, nullus erit.
Tentari nemo poterit: mala nulla deinceps,
A quibus electos liberet, author, erunt.
Nam verbum vitæ, panem puto quotidianum,
Sive ſacramentum, quo viget intus homo.
Tunc neque doctrina, nec ea dape iuſtus egebit,
Qui ſciet omne bonum, cui Deus ipſe cibus.

ET quia præteriti meminit, præſente gravatur,
H Venturum metuit Preſbyter ipſe malum.
Vt prece ſanctorum Deus illum liberet, utque
Pax data tranquillet tempora noſtra, rogat.
Officit Eccleſiæ, cum perturbatio fervet:
Pax in ſpe fructus ſemina iacta fovet.
Hinc ſequitur panis infractio tradita nobis
A Domino, quiddam legis & ipſa gerens.
Legis præcepto minui ſimilago iubetur,
Non niſi fruſtatim ſacrificanda Deo.
Sic ſacrum panem cœnans fregiſſe Redemptor
Dicitur & fractum diſtribuiſſe ſuis.
Nos quoque non fruſtra legem Chriſtúmque ſequentes
Aptè partimur dona dicata Deo.
Nam tres Eccleſiæ ſunt partes, una laborat
In terris, partem iam fovet alta quies.
Partem quæ reſtat, clementior excoquit ignis,
Excoctæque patet tranſitus ad requiem,
Diverſas meritis, diverſas ſorte locorum,
Tres iſtas partes hoſtia fracta notat.
Pars intincta mero, vivis aptatur, opúſque
Sanguinis & carnis expiat ipſa caro.
Pro benè defunctis, quorum purgatior vnus
Hoc interventu non eget, alter eget.
Offerri reliquas ratio † iubet, obtinet uſus, * docet
Nec tamen hinc idem fructus utrique datur.
Nam dum pro iuſto ſacris aſſiſtitur aris,
Pro iuſto grates ipſe miniſter agit.

Cum

A Cum pro ſolvendis nunc pœnam temperat ultor,
Nunc & plena qui es acceleratur eis.
His epulis epulas illius ſumimus agni,
Quem lex præcinuit, Crux tulit, ara ſapit.
Presbyter hunc in myſterio ſumpturus, ab ipſo
Tam ſibi quam populo munera trina petit.
Inter eos ſiquidem primum rogat enumerari,
Quos in carne pudet turbine carnis agi.
Hinc in eo regno petit idem glorificari,
Quò ſua membra caput glorificanda trahit.
Poſtremò quia ſpiritui caro lenta reſiſtit,
Cedit & infelix ſpiritus, ipſe caro.
Implorat pacem, qua fiat vterque quod alter,
Concordéſque velint, atque ſequantur idem.
Nam niſi re bene compoſita, nec iuſtificatur,
Nunc, nec in æternum glorificatur homo.
B Hoc intellectu diſtingnit priſca vetuſtas,
Quod clerus triplici voce precatur ita.
Ad Chriſti reditura fidem Iudæa notatur,
Cum pater ad dextram ſedit, & explet opus.

Agnus Dei, &c.

TOllimur è medio fatis vrgentibus omnes,
Et trahimur, quo nos vita peracta vocat.
Hi nunquam, hi ſemper, alij plectuntur ad horam
Purgatiſque datur tranſitus, ad requiem.
Hanc illis altare ſacrum vel criminis expers
Vita, vel obſequiis emptus amicus emit.
Perfectos, valdéque malos nil vota ſuorum,
Nil impenſa precum, nil holocauſta iuvant.
Nam nec iuſtus eget, nec peſſimus iſta meretur:
In medio eſt, veniam cui ſacra menſa parat.
Ipſa tamen vivos à vitæ calle vagantes
Vt redeant, ſaltem ſerò iuvare ſolet.
Vnde fit ut ſacris quoties aſſiſtitur aris,
Particulis cedat hoſtia fracta tribus.
Pars intincta mero pro vivis orat, opúſque
Sanguinis & carnis expiat ipſa caro.
Pro benè defunctis, quorum purgatior unus
Hoc interventu non eget, alter eget.
C Offerimus tibi ſumme duas, ſed propter eoſdem
Oblatæ pariter non operantur idem.
Nam pars pro ſanctis, pars eſt pro ſanctificandis,
Mentio pro reliquis: cauſam agit alterius.
Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,
Myſterio ſimplex, utilitate triplex.
Fit cibus hic ovis in ligno, leo fortis in vrna,
Ales ad Aſtra volans, Rex ſuper aſtra ſedens.
Néve putes illi tumulúmve crucémve deeſſe,
Ipſe calix tumulum denotat, ara crucem. *
Vtque fides adſit, terrórque recedat & horror.
Fit cibus ipſe caro, panis imago manet.

* Ara, Crucis: tumuli calix: lapidiſque patena: Sindonis officium candida byſſus habet.

E Illa dies, damnoſa dies, & perfida mundo,
Qua dolor & rerum ſumma ruina fuit.
Qua ſtatus Eccleſiæ, qua ſpes, qua gloria cleri,
Qua cultor iuris, iure ruente ruit.
Quidquid Philoſophi, quidquid cecinere Poëtæ
Ingenio ceſſit eloquióque ſuo.
Sanctior & maior ſapientia, maior adorta
Implevit ſacrum pectus, & ora Deo.
Pectus eam volvit, vox protulit, actio prompſit,
Singula factori ſic ſtuduere ſuo.
Vir ſacer & ſapiens, cui nomen creſcit in horas,
Quo minor eſt quiſquis maximus eſt hominum.
Cui ſenſus peperit, partos ſervavit honores,
Cui potior pauper divite, iúſque lucro.
Cui nec deſidiam, nec luxum res dedit ampla;
Nec tumidum fecit multus & altus honos,
Qui nec ad argentum, nec ad aurum lumina flexit,
F Sed doluit quotiens, cui daret hæc, aberat.
Qui non ceſſavit Inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando pauper & ipſe fuit.
Cuius cura, ſequi naturam, legibus uti,
Et mentem vitiis, ora negare dolis,
Virtutes opibus, verum præponere falſo,
Nil vacuum ſenſu dicere, nil facere,
Lædere nec quemquam, cunctis prodeſſe, favorem
Et populare lucrum pellere mente, manu.
Cui veſtis textura rudis, cui non fuit vnquam
Ante ſitim potus, vel cibus ante famem.
Quem pudor hoſpitium ſtatuit ſibi, quamque libido
Inceſtos ſuperat, tam ſuperavit eam.
Quem natura parens cum mundo contulit, (inquit,)
Degenerant alij, naſcitur iſte mihi.
Quæque vagabatur, & pœnè reliquerat orbem,
Incluſit ſacro pectore Iuſtitiam.
Vir ſacer à Puero, qui qantum præminet orbi
Fama, tam Famæ præminet ipſe ſuæ.
G Fama minor meritis cum totum pervolet orbem,
Cum ſemper creſcat, non erit æqua tamen.
Vir pius atque gravis, vir ſic in vtroque modeſtus,
Livor ut in neutro rodere poſſit eum.
Livor enim deflet, quem carpſerat antea, vel tam
Carpſit & odit eum, quàm modo laudat, amat.
Quàm prius ex vita, tam nunc ex morte gemiſcit
Et queritur celeres huius abiſſe dies.
Vir verè ſapiens, & parte beatus ab omni,
Qui cœlos animâ, corpore ditat humum.
Poſt obitum vivam ſecum, ſecum requieſcam,
Vel fiat melior ſors mea ſorte ſuâ.

FINIS.

D

EIVSDEM HILDEBERTI POEMA IN BERENGARIVM.

NOTA

Willielmus Malmesburienſis lib. 3. Hiſtoriæ Anglorum de hoc Poëmate ſic loquitur. Laudat Berengarium Cænomanenſis Pontifex Hildebertus verificator eximius, etſi fortaſſe metas veræ laudis amore incitatus tranſilierit.

QVEM modo miratur ſemper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus, obit.
Quem ſacræ fidei faſtigia ſumma terentem
Iam dum quinta dies abſtulit, auſa nefas.

H

HILDEBERTI TVRONEN. ARCHIEP.

in illud Iſaïæ 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum*, &c.

SERMO I.

DIcite *puſillanimes, confortamini; ecce Deus veſter veniet, & ſalvabit vos; Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; Et ſaliet, ſicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Ante adventum Domini totum genus humanum in magna caligine volvebatur,

quia

quia neque Dominum cognoſcebant, neque verba eius audire volebant, neque bonum operabantur. Notat ergo Iſaïas eos quatuor languoribus laborare ſpecialiter. Cæci enim erant, & ſurdi, & claudi, & muti; cæci, quòd Dominum ignorabant, ſurdi, quòd verba eius negligebant, claudi, quòd pravo greſſu incedebant, malè operando, muti, quòd peccata ſua tacebant, nec confitebãtur. Hæc omnia initium ſumpſerunt à primo homine: Adam enim à primo præcepto ſibi (a Domino) iniuncto, ſurdus effectus eſt. Cùm enim dictum fuit ei: *In quacumque die de ligno ſcientia boni & mali comederitis, morte moriemini*, non audiſſe viſus eſt, *morte moriemini*, cùm non fuit obſervator mandati. Cæcus fuit, cùm non intellexit verba diaboli dicentis, *eritis ſicut dij*: videlicet cùm putavit ſe fieri Deum, excæcatum iam gerebat animum. Quod deinceps improperavit ei Dominus, dicens: *Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis*: quaſi deridendo dicens: Ecce Adam qui putavit ſe futurum Deum, ſed modò ſe invenit miſerum, *factus eſt quaſi unus ex nobis*: id eſt, ſimilis Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, id eſt, Deus factus eſt, idque ſub ironia dictum eſt: quaſi diceret, aliter ſe invenit quàm putavit. Claudicavit Adam, quod cùm cœpit incedere (id eſt, operari) pravo greſſu inceſſit: vulneratus eſt enim aculeo venenati ſerpentis, & malè operando claudicavit. Primum, quòd legitur feciſſe, peccatum eſt: duos pedes debet habere homo, dilectionem Domini & proximi: qui altera illarum caret, claudus eſt: Adam igitur claudicavit, quia nimium vxorem dilexit, unde ab amore Domini reflexit, Dominum non dilexit, cuius mandata neglexit. Amorem vxoris, amori Domini prætulit, cùm libentius vxoris perſuaſioni quàm Dei obtemperavit voluntati: itaque claudicavit. Mutus verò fuit in confeſſione peccati, quia non ſolùm non confeſſus eſt peccatum, ſed etiam excuſare cœpit, dicens: *mulier quam dediſti mihi, dedit mihi, & comedi.* Cùm enim ait, *mulier quam dediſti*; in mulierem culpam vertit: & Deum etiam infamare voluit in hoc verbo, *quam dediſti.* In hæc eadem vitia genus humanum devolutum erat, antequam Chriſtus naſceretur: adeò enim excæcati erant, ut idola pro Deo colerent. Vnde Apoſtolus: *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum.* Ecce quomodo cæci erant! Surdi erant iuxta hoc quod dicit Iſaïas: *Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando oculis videant, & auribus audiant.* & Pſalmiſta: *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas.* Et iterum: *& non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi.* & Stephanus, *dura cervice & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper me reſtitiſtis Spiritui ſancto.* Claudicaverunt malè operando, iuxta illud: *Omnes declinaverunt & ſimul inutiles facti ſunt*, &c. & iterum: *filij alieni mentiti ſunt mihi*, &c. Muti facti ſunt, iuxta quòd David dicit de ſeipſo: *quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea.* Hæc omnia ſanavit medicus cœleſtis: cæcos illuminavit, cum *aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas*, & etiam Patrem ſuum nunciavit mundo: iuxta quod ait: *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*, quia prius *erat in mundo, & mundus eum non cognovit.* Hæc eſt illuminatio quam poſtulat David, dicens: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam, ne quando dicat inimicus, prævalui adverſus eum.* Inde aures aperuit, cùm dixit: *Qui habet aures audiendi, audiat*, & populus gentilis habuit aures apertas, iuxta hoc quod ipſe ait per David: *Populus quem non cognovi ſervivit mihi, in auditu auris o. m.* Claudi erant, quia bonis operibus non vacabant: ſed direxit Dominus greſſus hominum, & corda eorum, ad cœleſtis patriæ viam direxit. Corda directa ſunt, cùm neque ad dextram, neque ad ſiniſtram divertunt: dextra, eſt miſericordia domini, ſiniſtra eſt, deſperatio, unde Iſaias ait: *Hæc via, ambulate in ea neque ad ſiniſtram, neque ad dextram.* Iudas & diabolus qui deſperaverunt ad ſiniſtram divertêre, Origenes & & alij qui (nimium confidentes de Dei miſericordia) prædicaverunt, diabolum ſalvandum eſſe & ſolvendum poſt mille annos, nimis ad dextram exorbitaverunt. Itaque medius callis ſequendus eſt, vt neque deſperent homines, neque nimium confidendo in miſericordia licenter peccent. Huius rei figura eſt, quòd Arca fœderis cùm reduceretur de loco Philiſtinorum ad locum ſuum, vaccæ duæ ibant in plauſtro. Arca eſt Eccleſia, duæ vaccæ, prædicatores Iudæorum & Gentium. Ideò David, ait: *beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Vtrumque poſuit, ſpem & timorem. Spes ſine timore, præſumptio; timor ſine ſpe, deſperatio eſt. De hac via recta ait Ioannes Baptiſta: *parate viam Domino, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Sed in hac vita ſaliendum eſt, vnde ait, *tunc ſaliet quaſi cervus, claudus.* Cervus cùm venerit ad loca ſpinoſa & lutoſa, tranſilit? Sic & nos, ſi occurrit amor pecuniarum quæ pungunt ſollicitudine, ſi lutum luxuriæ vel alicuius voluptatis fœtidæ, tranſilire debemus. Cervus deſerit valles, & montes appetit: ſic & nos deſeramus terrena, & cœleſtia quæramus, iuxta illud Pauli, *quæ ſurſum ſunt, ſapite*, &c. unde David: *qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.* Cervus quoque ſeneſcens, ſerpentem devorat, & nimio ardore currit ad fontem, poſt cuius potum, deponit pellem veterem & cornua, & reiuveneſcit: ſic & nos occidamus ſerpentem, & curramus ad fontem (id eſt. Chriſtum) & deponamus veterem ſuperbiam, ut cum David dicamus, *quemadmodum deſiderat cervus ad fontes a. i. d. a. ad te Deus.* Sequitur, *& aperta erit lingua mutorum*: cùm enim clamavit de Chriſto, agite pœnitentiam, qui prius erubeſcebatis confiteri peccata tunc pœnituerunt & confeſſi ſunt. Clamavit Maria Magdalena veniam, quæ prius muta erat: clamavit latro in cruce, clamavit & Chananæa pro filia gravata, clamarunt & decem viri leproſi: clamemus ergo & nos (chariſſimi) ad Dominum, ut miſereatur noſtri, ut remittat nobis peccata noſtra, ut aperiat oculos cordium noſtrorum in fidem & agnitionem ſui ipſius, ut patefaciat aures noſtras, ne ſint negligentes in verbis mandati ipſius, & aperiat nobis linguam in confeſſionem peccatorum, per quam poſſimus habere gratiam ſuam, & pervenire ad gloriam civium ſupernorum, quò nos perducat ipſe Chriſtus: Amen.

Diabolus deſperatione, Origenes ... miſericordia.

Media inter ſpem & deſperationem via incedendum.

HILDEBERTI TVRONENS. ARCHIEP.

ad Paſtores; in illud Luc. 12. *cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo,*

SERMO SYNODICVS.

QVANTAS, commiſſis vobis, quibus debeatis excubias, Evangelica vos docet aſſertio, dicens: *cui plus committitur, plus ab eo exigitur*: ab illo autem, iſta vobis commiſſa ſunt, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt*, *quid enim habes quod non accepiſti?* Et nos *omnes* (ut ait Evangeliſta) *de plenitudine eius accepimus.* De eius (inquam) plenitudine, de quo habetis & vos quòd Chriſtiani eſtis, quod Paſtores eſtis. Quòd Chriſtiani eſtis, propter vos eſt: quòd ſacerdotes eſtis, propter Deum eſt, quòd paſtores eſtis, propter oves eſt. Ex eo enim quòd Chriſtum profitemini, fidem debetis cuſtodire; ex officio ſacerdotis,

A Deum placare, ex cura paſtoris, gregem paſcere. Deni-
que ex primo, nomen geritis Chriſti, ex ſecundo &
tertio vices agitis Chriſti: de quibus, ut (iuvante
Domino) aliquid ad noſtram trahamus eruditionem,
plenius ſingula perſequamur. Meminiſſe vos oportet,
veſtram (fratres) quam feciſtis in Baptiſmate promiſſio-
nem: cui, & ſub quo vos obligaſtis teſtimonio. Pro-
miſſio veſtra fides Catholica eſt: cui fidem pepegiſtis,
Pater & Filius, & Spiritus ſanctus eſt: teſtis pacti, Ec-
cleſia eſt. Teſtatur autem Apoſtolus, quòd *fides ſine
operibus mortua eſt:* ideò mortua, quia non vivit in ea
vegetatio actionis: ideò mortua, quia non movet aut
regit animam ad gaudia patriæ cœleſtis. Fide huiuſmodi
dæmones inſigniti ſunt, & tamen à conſortio bonorum
ſpirituum ſeparantur. Credunt, & nihilominus eis æter-
num incendium præparatur: quippe fides ſine opere,
B flos eſt ſine fructu, manipulus ſine grano, moneta ſine
argento. Ex hoc manipulo nihil excutitur, unde ani-
ma paſcatur. Ex hac moneta panis emi non poteſt, qui
de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Cùm in do-
mo Domini multæ manſiones ſint, nulla prorſus hu-
iuſmodi moneta comparatur. Alia profectò moneta eſt,
quæ in civitate Domini noſtri in pretio eſt, per hanc
mortalibus quoddam cum ſuperis commercium eſt, per
hanc fit una reſpublica, conventus hominum & con-
ventus Angelorum. In hac moneta, Rex imagini
ſuæ applaudit; pro hac, regnum ſui cuilibet venale
exponit. Vultis eo pane refici; poſt quem nullus eſu-
rit? proferte hanc monetam, & ſatiabit vos. Vultis
invenire Iudicem placatum, quando ſedebit cum ſe-
natoribus terræ? proferte hanc monetam, & à dextris
C ordinabit vos: vultis ad cœnam nuptiarum Agni ſu-
ſcipi? proferte hanc monetam, & intromittet vos;
vultis videre bona Domini in vita viventium? pro-
ferte hanc monetam, & non latebunt vos. Porrò tam
accepta & tam fulgens moneta, fides Chriſtiana eſt;
cæterum non ea fides, quæ operum expers eſt, ſed
cui operi ſtructura ſuperpoſita eſt. Vult & exigit à
nobis Dominus huiuſmodi fidem, ſicut ab emptore,
venditor, monetam puram, monetam pretioſam. Hanc
ei fidem (ſi bene recolitis) promiſiſtis: hac fide cum
eo fœdus percuſſiſtis: huius fidei vos Trinitati debi-
tores feciſtis. Cùm enim interrogaretur, credis in
Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & ter-
ræ; & reſponderetis, credo: Patri vos obligaſtis;
cùm quæreretur, credis & in Ieſum Chriſtum filium
eius unicum, Dominum noſtrum? & ſubjiceretis, cre-
do: Filio vos obligaſtis; cum diceretur, creditis &
in Spiritum ſanctum? & ſuperponeretis, credo: Spi-
ritui ſancto vos obligaſtis. Grave nimis eſt, à pactio-
D ne huiuſmodi reſilire. Si enim patri mentimini, nihil
vobis & ea proderit, quæ promittitur filiis, hæredi-
tas: Si filio, non proderit vobis aſſumpta pro vobis
humanitas: Si Spiritui ſancto, extinguetur, quæ dif-
fuſa eſt in cordibus veſtris, charitas. Quia igitur
fidei huius promiſſio facta eſt, quia fundamentum
poſitum eſt, ſuperædificate lapides rutilos, lapides
pretioſos. Eorum ſtructura nihil patietur periculi,
quando *Deus manifeſtè veniet*; nihil exuſtionis, cùm
ignis in conſpectu eius exardeſcet; nihil commotionis,
cùm *in circuitu eius tempeſtas valida* deſæviet. His
itaque diverſis, quæ ex Chriſtiana fide veſtra debet
fraternitas, id quod ex ſacerdote debetis, ſequens pa-
gina vos docebit. Offenſus primò Deus tranſgreſſio-
ne originali, frequenter offenditur Actuali. Illa ſe-
mel commiſſa deleta eſt ſemel in Chriſto, in cruce paſ-
ſo. Hæc acta, quotidie deletur Chriſto quotidie in
altari immolato. Ut illa evacuaretur, miſſus eſt in
mundum Chriſtus, Deus & homo, hoſtia & ſacerdos:
ut evacuaretur iſta, ordinatur in Eccleſia miniſte-
rium Altaris, non Deus, ſed homo, non hoſtia, ſed
ſacerdos. Eſt itaque profeſſionis veſtræ, cœleſtem ſa-
crificiis placare indignationem. Veſtrum ſpectat mi-
niſterium, per myſterium Dominici corporis peccato-
res in divinam revocare gratiam. Non omnes tamen
apud Deum impetrant, quicumque pro aliis interpel- E
lant, neque enim omnes Deum placant, qui Deo im-
molant: immolat facinoroſus, ſed per Iſaiam Domi-
nus, ſic ait: *facinoroſus qui mihi ſacrificat, tanquam
qui canem occidat.* Immolat iniquus, ſed teſte Sapien-
tia, non reſpicit Altiſſimus in oblationes iniquorum,
nec in multitudine ſacrificiorum propitiabitur pecca-
tis eorum: & Propheta: *iniquitatem ſi aſpexi in corde
meo, non exaudiet Dominus.* Credite mihi, credite (fra-
tres) credite conſacerdotes, non placatur talibus votis
Deus. Eo teſte loquor; Amplius aliquid loquor;
exacerbatur hoſtiis impiorum Deus. Si mihi non cre-
ditis, maiori credite auctoritati. Gregorius enim dicit:
cùm is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, iudi-
cis animus ad iracundiam provocatur. Exacerbant ita-
que Dominum ſacrificia veſtra, ſi diſplicet illi vita
veſtra, placabitur autem ipſe & aliis pro vobis, Si
prius viam trium dierum feceritis, ſacrificetur ei à vo- F
bis. Quam ſcilicet viam Moyſes ad Pharaonem lo-
quens, his oſtendit verbis: *Ibimus viam trium dierum
in ſolitudinem, ut ſacrificemus Domino noſtro.* Quæ-
nam eſt hæc via chariſſimi fratres, quam priuſquam
ſacrificet, iubetur fatigari populus Domini? Quæ ſunt
iſtæ tres dies, quibus peractis offertur beneplacitum
Deo ſacrificium. Prima ſanè dieta à malo declinare eſt.
Secunda bene agere eſt. Tertia aſcenſiones in corde
diſponere eſt. De prima Apoſtolus, ſic ait: *qui fura-
batur, iam non furetur.* De ſecunda idem dicit, induite
vos armamenta Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias
diaboli. Tertiam Salomon in Canticis Canticorum
admirans, ait: *Quæ eſt illa quæ progreditur ſicut aurora
conſurgens?* Si ergo ſecundū Apoſtolum carnis renun- G
ciatis operibus, primam feciſtis dietam. Si iuxta eun-
dem novum induitis hominem, qui ſecundùm Deum
creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate verus, ſecundam fe-
ciſtis dietam. Si Prophetam ſequuti, aſcenſiones in cor-
de veſtro diſpoſuiſtis, tertiam feciſtis dietam. His igi-
tur expletis placebunt Domino ſacrificia veſtra. In his
enim fit Iudæa ſanctificatio eius. In his Iſraël fit pote-
ſtas eius. Iſta triplex dieta, quòd præ cæteris vobis
incumbit, præ cæteris igitur à vobis. Hinc eſt quòd ſa-
crificantes Domino ſacerdotes, huiuſmodi dietarum
mentionem faciunt, dicentes: Unde & memores dicunt
nos tui ſervi, ſed & plebs tua ſancta eiuſdem Domini
noſtri Ieſu Chriſti tam beatæ paſſionis, necnon & ab
inferis reſurrectionis, ſed in cœlos & glorioſæ aſcen-
ſionis, offerimus præclarè maieſtati tuæ de tuis donis
ac datis hoſtiam puram & certam. Sic enim reminiſci
debent mortis & crucis Ieſu Chriſti, ut eius gratia mor-
tificent & crucifigant carnem ſuam cum vitiis & con-
cupiſcentiis ſuis. Sic recolere renovationem reſurre- H
ctionis, ut eius exemplo aſpirent ad animæ reſurre-
ctionem. Sic recordari glorioſæ ad cœlos aſcenſionis,
ut illum imitantes ſcalam quam vidit Iacob, aſcende-
re laborent. Hæc profectò ſunt quæ reſpicit profeſ-
ſio ſacerdotum. Ex eo autem quod paſtores eſtis,
oves paſcere debetis. Hinc eſt quod Ezechieli Domi-
nus, dicit: *Fili hominis Propheta ſuper paſtores Iſrael,
nunquid non oves paſcunt paſtores?* Ecce teſtimonio
Domini non ſe paſcunt paſtores, ſed oves, Paſtoris
enim eſt quærere non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chri-
ſti: non commoda temporalium rerum, ſed ſalutem
animarum. De his autem qui ſeipſos paſcunt, & ne-
gligunt, quid Spiritus ſanctus per eundem Prophe-
tam dicat, audiamus: *Lac*, inquit: *conſumitis, &
lanis vos tegitis, & quod infirmum eſt non confortatis,
quod ægrotum, non corroboraſtis, quod perierat, non re-
quiſiſtis, quod fortè fuit confregiſtis, & diſperſa ſunt
oves meæ, eo quod non ſit paſtor.* Arguuntur his verbis
paſtores qui ſe paſcunt & nō oves. Qui ſunt qui ſeipſos
paſcunt? De quibus ait Apoſtolus: *Omnes quærunt
quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Qui ſunt qui ſua quæ-
runt; qui lac ovium comedunt, qui lanis ſe induunt.
Qui ſunt iſti qui non quærunt ea quæ ſunt Ieſu Chri-
ſti? qui quod infirmum eſt, non confortant; quod

A ægrotum eſt, non corroborant; quod perit, non quærunt, quod forte eſt & pingue confringunt. Lac omnium ovium eſt, quicquid ad ſuſtentandum temporalem neceſſitatem prælatis exhibent ſubiecti. Exhibent decimas & primitias; decimæ & primitiæ ſunt lac ovium. Exhibent oblationes altarium, & eleemoſynas defunctorum: oblationes & eleemoſynæ lac ovium ſunt. Et quum diximus quid ſit lac ovium, dicemus & quid ſit lana. Qui lac præbet, potum præbet; qui lanam præbet, honorem præbet. Lana enim honori eſt corpori. Tegitur inde nuditas eius, tegitur infirmitas & confuſio eius. Eſt itaque lana quicquid honoris à ſubiectis prælatis impenditur: cùm ergo exhibentur primi recubitus in cœnis, cùm primæ cathedræ in ſynagogis, lana præbetur. Cùm ſalutantur in foro, & eis dicitur, ave Rabbi, lana præbetur. Hæc ſunt quæ paſtores quærunt, qui ſeipſos paſcunt, & oves negligunt. Commodum ſcilicet
B ſupplendæ neceſſitatis, & auram favoris & laudis. Sed fortaſſis ad hæc dicitis, nunquid de altario vivunt, qui altario deſerviunt? *Quis plantavit vineam, & de fructu eius non comedit? Quis alligavit os bovi trituranti? Ita, inquis, dignus eſt operarius mercede ſua.* Licet vobis ovium lacte veſci, licet lacte potari, licet & indui lana, cùm lanam quærere, nec liceat, nec expediat. Cæterùm his tantum licet, qui cum lacte & lana temporalem ſuſtentent neceſſitatem, ovium non negligunt infirmitatem. Si enim non confortatis ovem infirmam, ſi non roboratis ægrotam, ſi non requiritis erroneam, pernitioſè lac conſumitis ovium, quia vos ipſos paſcitis, & oves contemnitis. Quæ autem ſunt oves, quæ ægrotæ, quæ erroneæ, quæ infirmæ? Si neſcitis, diſcite: ſi ſcitis, ſcire vos operibus oſtendite. Oves ſunt, ſed infirmæ, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: oves ſunt, ſed infirmæ, qui cùm intelligant ſuper egenum & pauperem, cùm bonas faciant vias
C ſuas & ſtudia ſua; cedunt tamen imminentibus adverſis, cedunt amiſſione ſobolis, cedunt damno rei temporalis. Petrus ovis infirma fuit, cùm in Caiphæ atrio ad vocem oſtiariæ Chriſtum negavit; ovis infirma fuit Marcellinus Papa, qui tempore perſecutionis thus idolis adolevit. Cùm igitur ovem paſtor ſenſerit infirmam, cùm flagella timentem, debitum confortationis adhibens ſolatium dicat: Fili præpara animam tuam ad tentationes. Cùm temporalis tribulatio aderit proferat; *diligit pater filium quem corrigit.* Habet & hoc quod ſubiungat. *Oportet vos per multas tribulationes intrare in regnum Dei.* Et illud: *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis:* ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere. Sed hæc & his ſimilia infirmæ ovi dicere, ovem confortare eſt infirmam. Adſit igitur infirmis ovibus præſcriptum confortationis auxilium.
D Adſit & corroborium ægrotis. Oves ægrotæ ſunt, *viri ſanguinum & doloſi, quorum os loquitur vanitatem, & dextra eorum dextra eſt iniquitatis.* Oves ægrotæ ſunt filij tenebrarum impliciti carnalibus deſiderijs, quæ militant adverſus animam. Denique miſerabili ægritudine laborant, de quibus Apoſtolus, ait: *Nolite errare, Deus non irridetur; neque adulteri, neque fornicatores, neque maſculorum concubitores, neque avari, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Omnes huiuſmodi velut ægroti iacent, velut quadam paralyſi torpentes languent. Vnde & animas has paralyſi reſolutas, ille paralyticus figuraſſe legitur, qui delatus ad Chriſtum per apertum tectum demiſſus eſt ante Chriſtum. Anima ſiquidem quæ diverſis aggravata vitiis enitendi ad meliora vires amiſit, quid aliud eſt, quàm malè torpens paralyticus, & omninò viribus corporis deſtitutus? Porrò veſtrum eſt huiuſmodi paralyticum quaſi quibuſdam ſcapulis deferre; tectum ei domus aperire, medico eum præſentare. Animæ enim huiuſmodi ægritudine decumbenti, compaſſionis humerum ſupponere vos convenit, ea infirmante infirmari, ea

E ſcandalizante vri, ut cum Apoſtolo dicatis: *Quis infirmatur, & ego non infir» or? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Sed fortaſſis tantus deſperat ægrotus, fortaſſis ſuum neſcit medicum; neſcit quo manum dante ſurgat, neſcit quo curante convaleſcat. Neceſſe eſt ei tectum domus aperiri, niſi aperiatur tectum, non demittetur paralyticus ante Chriſtum. Tectum domus ſcripturarum eſt intellectus. Latet ibi gratia medici, latet benignitas, latet poteſtas. Cùm igitur ægrota ovis deſperat, aperite Prophetam ſic dicentem: *Spera in Domino, & fac bonum, & inhabitabis terram, & paſceris in divitiis eius.* Cùm de medici benignitate diffidit, diſcat quid medicus dicat, *nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Cùm medici poteſtatem ignorat, à paſtore audiat; *omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Hæc & alia huiuſmodi di-
F cere, tectum eſt aperire. Tecti autem apertione dimittetur paralyticus ante medicum peccatorum, ante Chriſtum. Si hanc curam omnibus ægrotis impenditis, oves ægrotas roboratis. Incumbit & vobis oves requirere pereuntes. Ovis errat & perit, quæ perverſitatibus hæreticorum fallitur, quæ ab unitate Eccleſiæ ſeparatur. In his ab errore revocandis, eſtote vos paſtores ſolliciti, eſtote importuni, audite Apoſtolum dicentem; *Prædica verbum: inſta opportunè & importunè.* Quibus opportunè, & quibus importunè? Opportunè quidem volentibus, importunè autem noltntibus. Sunt enim oves quæ revocatæ redeunt; ſunt & quæ redire nolunt; quæ perire diligunt; has præcipuè paſtor bonus requirit: bonus paſtor pro his animam ponit. Cùm inquirentem vepres damnorum pungant, cùm ſpinæ perſecutionum fatigent, cùm terreat inſania Principum, cùm laniet varietas tormentorum: paſtor tum bonus revocat errantem, requirit pereuntem. Sic revocat errantem, ſic requirit pereuntem,
G ſi poſt Arium ovis aberrat, ſi cum Ario à Patre Filium ſeparat, ovis à paſtore audit illud filij: *Ego & Pater unum ſumus.* Si decepta ovis fabulatur cum Eutyche duas in Chriſto perſonas, reprimitur Athanaſij auctoritate ſic de Chriſto dicentis: *licet Deus ſit & homo, non tamen duo, ſed unus eſt Chriſtus.* Item, *unus omninò, unus non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Si geſtat ovis notam Sabellij, ſi caracterem Donati, ſi cæterorum cauterium hæreticorum, affert paſtor Prophetas, innitur Evangelio, pungit Apoſtolo. His atque aliis authenticis paginis revocat errantem, requirit pereuntem. Cui & hæc ratio eſt, qua revocet errantem, qua requirat pereuntem; quòd qui timet & negligit revocare errantem, & requirere pereuntem: hoc quod forte eſt confringat, quod craſſum eſt occidat. Hoc enim eſt quod ſequitur, & quod forte fuit confregiſtis. Ovis ea fortis eſt, quæ in Catholica fide permanet, quæ ab unitate fidei non recedit; quæ Petri retia non rumpit. Hanc
H tamen paſtor confringit, hanc occidit: ſi non revocat errantem; ſi non requirit pereuntem. Quæ enim fortis eſt, nullum credit periculum in errando, nullum in pereundo, cùm videt paſtorem ſilentem, cùm videt negligentem, cùm remiſſum circa errantes, circa pereuntes. Vnde fit vt & ipſa non vereatur errare, non vereatur perire. Dicit enim apud ſe: ſi malum eſſet in hæreſin labi; ſi ſequi Arium, ſi imitari Donatum, paſtores contrà loquerentur, revocarent errantes, requirerent pereuntes. Quia itaque ſilent, poſt illos ire, cum illis credere, ſuo me docent ſilentio. Cùm igitur paſtor ſilet non revocans errantem, non requirens pereuntem, paſtoris negligentia ovis quæ eſt fortis, confringitur: quia qui Catholicus eſt, hæreticorum perfidiæ ſociatur. Ecce patet, chariſſimi fratres, ſolius ſilentij culpam eſſe non exempli, quod non confortatur ovis infirma, quòd non roboratur ægrota, quòd aberrans non revocatur, quòd fortis confringitur. Sed fortaſſis paſtor nitetur tam noxium purgare ſilentium, fortaſſis deferet ad dominum

A pellem ovis, mortuæ ovis? Increpatus enim, quia ad ovem errantem ſiluerit, quòd ſilens confregerit, forte & occidit: excuſationem de morte ovis quaſi quandam pellem patrifamilias ſic aſſignabit. Monui ne aberraret, & non audivit vocem meam: docui ut non fornicaretur, obſtitit & contempſit doctrinam meam, utebar gelu & æſtu, nec ſomnum capiebant oculi mei. Si res ita ſe habet, de mortua ove paſtor bonam reddidiſti rationem. Si arguiſti, ſi increpaſti, animam tuam liberaſti. Si autem mentiris, ſcrutator cordium falli non poteſt: pellis excuſationis liberare te non poteſt. Si, inquam, mentiris: væ tibi qui ſiluiſti, qui quod erraverat, non revocaſti, quod perierat, non requiſiſti. Audi quid ſpiritus per Ezechielem loquitur: *Si me dicentem ad impium, impie morte morieris: ſi non fueris* B *loquutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua: ipſe impius in impietate ſua morietur; ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Silentium ſi ergo tam gravem damnationem meretur, quid mereatur exemplum? Si ſic punitur taciturnitas veſtra, qua indignatione punienda eſt publica iniquitas veſtra? Hanc fratres indignationem in confeſſione & pœnitentia prævenite. Verſetur veſtris in cordibus futuri forma iudicij. Hæreat ibi tremendi tempeſtas & terror diei. Venturus eſt paterfamilias, ut oves ab hædis ſeparet, ut ad littus trahat ſagenam ſuam, ut emundet à paleis aream ſuam. Væ paſtoribus ovium tunc inter hædos numerandis. Væ piſcatoribus animarum tunc inter malos piſces foras proiiciendis. Væ operariis Dominicæ meſſis tunc igne perpetuo cum palea ſine conſumptione conſumendis. C Rogate, fratres, rogate Dominum meſſis, ut in die ventilationis ex miſericordia recondat vos in horreo ſuo. Quod neminem credimus aſſequi ex merito ſuo. Dominus dignetur noſter IESVS-CHRISTVS hanc vobiſcum facere miſericordiam. Dignetur vos agnoſcere & amplecti familiam ſuam, cùm venerit iudicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

D

PETRI ALPHVNSI EX IVDÆO CHRISTIANI DIALOGI LECTV Digniſſimi

IN QVIBVS IMPIÆ IVDÆORVM opiniones evidentiſſimis cum naturalis, tum cæleſtis philoſophiæ argumentis confutantur, quædámque Prophetarum abſtruſiora loca explicantur.

EX APPARATV SACRO Antonij Poſſevini.

PEtrus Alphunſus, Moyſes antea vocatus, dum Iudaiſmum profiteretur, atque ab Alphonſo Hiſpaniæ Rege ad baptiſmi fontem ſuſceptus, eiuſdem nomen pro cognomine accepit.

PRÆFATIO.

Ioan. 1. *VNI & æterno primo, qui caret principio, & qui caret termino, omnipotenti, rerum omnium creatori, omnia ſcienti, omnia quæ vult facienti, qui* E *hominem ratione & ſapientia præditum, omni prapoſuit animali, quibus duabus virtutibus, & quæ iuſta ſunt intelligens appeteret, & quæ ſaluti contraria ſunt effugeret, honor & gloria, ſitque mirabile nomen eius benedictum in ſæcula ſæculorum. Amen.* Heb. 2. Pſal. 113 Pſal 8.

DIxit ſequentis operis compoſitor. Omnipotens ſuo nos ſpiritu inſpiravit, & ad viæ rectæ ſemitam direxit, tenuem prius oculorum albuginem, & poſt grave corrupti animi velamentum removens. Tunc nobis prophetiarum clauſtra patuerunt, & earum arcana revelata ſunt, & admovimus animum ad percipiendum verum earum intellectum, moratique ſumus ſuper ipſum explanandum. Epheſ. 4. *Vnde perpendimus, & quod in eis intelligendum, & quod inde eſt credendum, videlicet quod unus ſit Deus, in perſonarum Trinitate, quæ nec ullo ſe* F *præcedunt tempore, nec aliqua à ſe ſegregantur diviſione, quas Chriſtiani Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum nominant, & quod beata Maria de Spiritu ſancto concipiens, ſine virili commixtione Chriſtum peperit, corpus generans animatum, quod incomprehenſibilis deitatis eſſet habitaculum. Vnus itaque Chriſtus tribus perfectus ſubſtantiis, corpore ſcilicet, anima, & deitate, idem & Deus & homo eſt, & quod eum Iudæi crucifixerunt, ſua diſpoſitione & voluntate, ut ſicut erat creator, fieret & redemptor totius ſanctæ Eccleſiæ, fidelium ſcilicet præcedentium & ſequentium,* Eſaiæ 53 *mortuúſque corpore & ſepultus, & tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit etiam in cælum, & ibi ſimul eſt cum patre, venturus in die iudicij, iudicare vivos & mortuos,* Act. 1. *ſicut Prophetæ locuti ſunt, & futurum prædixerunt. Cùm itaque divinæ miſerationis* Mat. 28. *inſtinctu ad tam excelſum huius fidei gradum perveniſſem,* Marc. 16 G *exui pallium falſitatis, & nudatus ſum tunica iniquitatis, & baptizatus in ſede Oſcenſis civitatis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, purificatus manibus Stephani glorioſi & legitimi eiuſdem civitatis Epiſcopi. Hora etiam baptiſmatis, præter ea quæ præmiſſa ſunt, credidi beatos Apoſtolos, & ſanctam Eccleſiam Catholicam. Hoc autem factum eſt anno à nativitate Domini milleſimo centeſimo ſexto, ætatis meæ anno quadrageſimo quarto, menſe Iulio, die natalis Apoſtolorum Petri & Pauli. Vnde mihi ob venerationem & memoriam eiuſdem Apoſtoli, nomen quod eſt Petrus, impoſui. Fuit autem pater meus ſpiritualis* ALFVNSVS, *glorioſus Hiſpaniæ Imperator, qui me de ſacro fonte ſuſcepit, quare nomen eius præfato nomini meo apponens, Petrus Alfunſi mihi nomen impoſui. Cùmque* H *notum eſſet Iudæis qui me antea noverant, & probaverant peritum in libris Prophetarum, & dictis doctorum, partem etiam non magnam habere omnium liberalium artium, quod legem & fidem accepiſſem Chriſtianorum, & unus eſſem eorum: quidam eorum arbitrati ſunt me hoc non feciſſe, niſi quia adeo omnem abieceram verecundiam, quod & Deum & legem contempſeram. Alij verò propterea me feciſſe dicebant, quod non ut decuerat, Prophetarum & legis verba intellexiſſem. Alij autem vanæ gloriæ imputabant, & me hoc feciſſe calumniabantur ob honorem ſæculi, eo quod Chriſtianorum gentem cæteris omnibus ſupereſſe conſpicerem. Hunc igitur libellum compoſui, ut omnes & meam cognoſcant intentionem, & audiant rationem, in quo omnium aliarum gentium credulitatis deſtructionem propoſui, poſt hæc Chriſtianam legem omnibus præſtantiorem eſſe concluſi. Ad ultimum etiam omnes cuiuſlibet Chriſtianæ legis adverſarij obiectiones poſui, poſitáſque pro meo ſapere cum ratione & auctoritate deſtruxi. Librum autem totum diſtinxi per dialogum, ut lectoris animus promptior fiat ad intelligendum. In tutandis etiam Chriſtianorum rationibus, nomen quod modo Chriſtianus habeo, poſui: in rationibus verò adverſarij confutandis, nomen quod ante baptiſmum habueram, id eſt, Moyſen. Librum etiam in titulos duodecim diviſi, ut quod lector quiſque deſiderat, citius in illis inveniat.*

A

Primus titulus oſtendit, quod Iudæi verba Prophetarum carnaliter intelligunt, & ea falſo exponunt.

Secundus, de cognoſcenda præſentis Iudæorum captivitatis cauſa tractat, & quamdiu durare debeat.

Tertius, de ſtulta Iudæorum confutanda credulitate ſuper mortuorum ſuorum reſurrectione, quos credunt & reſurrecturos eſſe, & iterum terram incolere.

Quartus, ad oſtendendum Iudæos de tota lege Moyſi nihil niſi parum obſervare, & illud parum Deo non placere.

Quintus, de Sarracenorum lege deſtruenda, & ſententiarum ſuarum ſtultitia confutanda.

Sextus, de Trinitate.

Septimus, quomodo virgo Maria Spiritu ſancto concipiens, ſine viri commixtione pepererit.

Octavus, quomodo in corpore Chriſti incarnatum eſt verbum Dei, & ſuit Chriſtus homo ſimul & Deus.

B

Nonus, quod in eo tempore Chriſtus venit, quo eum venturum fore à Prophetis prædictum fuit, & quod quæcunque de eo prædicaverunt, in ipſo & eius operibus patuerunt.

Decimus, quod voluntate ſpontanea à Iudæis crucifixus eſt Chriſtus, & occiſus.

Vndecimus, de reſurrectione & aſcenſu Chriſti in cœlum, & adventu ſecundo.

Duodecimus, quod lex Chriſtianorum legi Moyſi non eſt contraria.

Obſecro autem eos qui hoc opuſculum lecturi ſunt, ut ſi vel minus continens vel ſuperfluum quid dictum invenerint, veniali parcant errori, quoniam nullus homo caret omni vitio.

C

INCIPIT DIALOGVS PETRI COGNOMENTO ALFVNSI ex Iudæo Chriſtiani, & Moyſi Iudæi.

PETRVS:

A Tenera igitur pueritiæ ætate quidam mihi perfectiſſimus adhæſerat amicus, nomine Moyſes, qui à primæva ætate meus conſocius fuerat, & condiſcipulus. Ad hunc cùm perveniſſet ſermo, quod ego paterna lege relicta Chriſtianam delegiſſem fidem, relicto ſuæ ſtationis loco, ad me feſtinus pervenit, in ipſo adventu quendam vultum ferens hominis indignantis, & increpans ſalutavit me more non amici, ſed quaſi alieni, & ſic exorſus eſt. Vah Petre Al. multum pertranſivit temporis, ex quo ad te venire, te videre, tecum loqui & commorari ſollicitus fui, ſed meus affectus

D

caruit effectu uſque modo, cùm te læto Dei gratia video vultu. Nunc tuam mihi quæſo patefacias intentionem, & per quam vel antiquam deſerueris, vel novam legem delegeris pandas rationem. Novi enim bene olim te valere in ſcriptis Prophetarum, & verbis noſtrorum doctorum à pueritia quoque ſuper omnes coæquævos tuos legis relatorem fuiſſe, & ſi quis adverſarius eſſet, te illi defenſionis clypeum oppoſuiſſe: Iudæis in ſynagogis ne à ſua unquam fide recederent prædicaſſe, conſcios docuiſſe, doctos in maius provexiſſe. Ecce autem neſcio quo pacto video commutatum, & à ſemita rectitudinis alienatum, quod ut meo videtur animo, errore exiſtimo factum. Cui ego. Plebeiorum & imperitorum mos eſt hominum, ut ſi quem quicquam con-

E

tra ſuam agere videat conſuetudinem, licet id rectum & iuſtiſſimum permaneat, illorum tamen æſtimatione atque iudicio, iniuſtitiæ & nomen & culpam ſubeat. Tu verò in philoſophiæ cunis enutritus, philoſophiæ uberibus lactatus, qua fronte me potes inculpare, donec ea quæ feceram, iuſta an iniuſta valeas probare? MOYSES: Quoniam duo contraria meo occurrunt animo, unum, quia æſtimo te prudentem virum non potuiſſe recedere ab ea quam tenebas lege, niſi hanc quam ſuſcepiſti veraciter cognoviſſes meliorem; alterum, quia legem quam teneo ego, & tu reliquiſti, pro meliori habeo, ideò & quod tu feciſti errorem æſtimo, & cui potius parti acquieſcam ignoro. Quamobrem peto à te, ut huius dubitationis ſcrupulum ab animo meo depellas, & uterque in alternæ rationis campo diſcurramus, donec ad huius rei indaginem perveniam, & an iuſtum ſit factum tuum, an iniuſtum cognoſcere valeam. Petrus. Natura habet

F

hoc humana, ut animo quoquo pacto conturbato, in vero falſoque diſcernendo diſcretionis careat oculo. Nunc itaque niſi omnem à pectore tuo perturbationem dimoveris, ut more ſapientum & quæ iuſta ſunt collaudemus, & quæ iniuſta ſine contentione reiiciamus, noſtro operi finem nullatenus impoſituri, in vacuum verba iactabimus. Moyſes. Pactionem iſtam libens ſuſcipio, & ut tu eandem in te ſuſcipias rogo. Petrus. Ego certè lætus conſentio. Moyſes. Hoc etiam ſi placet imploro. Quod ſi aliquam de ſcripturis auctoritatem attuleris, ſecundùm veritatem Hebraicam hoc facere velis. Quod ſi aliter facias, me non recepturum eſſe agnoſcas. Sed & ſi ego aliquam, iuxta quod apud nos eſt, tibi adducam, & ut eam volo recipias, & quod verum agnoveris, nullatenus contradicas. Petrus. Et hoc ego certè non abnego, tuo námque ipſius gladio occidere te multum cupio. Moyſes. Præterea ſi quid interciderit aliquando, quod à legum alienum videatur propoſito, non te pigeat quæſo, ſed de cæteris artibus cum opportunus exigerit

G

locus, interroganti reſpondere ſtudeto, concedáſque volo, ut mutua ratione mihi aliquando interrogare, aliquando liceat reſpondere, aliquando etiam adverſari, prout ſermo dederit mihi. Petrus. Concedo. Iam interrogare tibi liceat, de quacunque re vis ſapere, & quavis intentione. Moyſes. Concedis tu Moyſen filium Amram verum Prophetam Iſraëlitici populi, & verè à Deo miſſum fuiſſe: & quicquid ex Dei nomine prophetaverit, fideliter enuntiaſſe, & dixiſſe? Petrus. Concedo utique. Moyſes. Concedis quoque omnes poſt Moyſen prophetas pro eius lege confirmanda veniſſe: non in aliquo redarguenda? Petrus. Et hoc etiam concedo. Moyſes. Nec negas legem quàm in præſenti Iudæi tenent, & à Moyſe ſcriptam aſſeverant, eandem per omnia ſicut Moyſes eam ſcripſit permanere? Petrus. Quomodo quæſo negare potero, præcipuè cùm eadem lex eiſdem Moyſi verbis, à noſtris olim, quibus fidem adhibemus, doctoribus tranſlata, & apud nos ſcripta habeatur, præter in quibuſdam locis, ubi licet mutentur

H

verba, eadem eſt tamen ſententia? Moyſes. Quomodo igitur te video eam eſſe tranſgreſſum, & ab ipſius ſemitis devium? Petrus. Non eſt ita, ſed nunc completam eius prout debeo, fidem conſervo, & per rectiſſimas eius ſemitas recto greſſu procedo. Moyſes. Ex verbis tuis datur intelligi, ex legis & Prophetarum verbis te rectum ſenſum concipere, Iudæos autem eiuſdem legis cultores, ab eius recta intentione alienos exiſtere, unde & tuo iudicio malè videntur intelligere. Petrus. Bene verborum meorum ſenſum penetraſti. Moyſes. Fac igitur me cognoſcere, in quo tibi videtur Iudæos erraſſe in legis explanatione, te verò melius intelligere. Petrus. Quomodo video eos ſolam legis ſuperficiem attendere, & literam non ſpiritualiter, ſed carnaliter

Animus perturbatus diſcretionis oculo caret.

Ammitis pater & Iochabel mater Moyſi. Ioſeph. l. antiquit. cap. 9. Exod. 3.

Lex vetus non perficitur.

Iudæi legis intellectu alieni.

Iudæi literæ ſuperficiem attendi[t]

A exponere, unde maximo decepti ſunt errore. Moyſes. Quid his verbis ſignifices, non ſatis perpendo, unde ut apertius loquaris exoro. Petrus. Non reminiſceris doctorum veſtrorum, qui veſtram doctrinam, cui lex veſtra tota ſecundùm vos annititur, ſcripſerunt, quomodo aſſeverant Deum corpus & formam habere: & eius ineffabili maieſtati talia applicant, quæ nec vlla conſtant ratione? Quin & de eo tales protulêre ſententias, quæ non aliud niſi verba videntur iocantium in ſcholis puerorum, vel nentium in plateis mulierum. Item ſecundum veſtri intellectus capacitatem legem explanantes, vos captivitatem ſperatis evaſuros eo modo, quo fieri nequit. Item in captivitatis evaſione ſperatis vos adeò inuſitatum fieri miraculum, vt veſtros ſuſcitet mortuos, qui terras denuò vt prius incipiant inhabitare. Item vos in captivitate exiſtentes, de omnibus legis præceptis, etiam ſecundum veſtram explanationem, nihil niſi minimum quid contueor agere. Idipſum autem quod agitis Deo placere, & acceptabile creditis, de eo quod prætermittitis, cum nequaquam vos culpaturum confiditis, omniaque compleſſe vobis videmini, quod evidenter obtinet maximum locum erroris. Sunt enim alij per plures errores, in quos vos coniecerunt non ſanæ legis explanationes. Moyſes. Nimis profundè in noſtram inveheris infamiam, & vis opprimere gentem Iudaicam. Et verba quidem ſunt pauca & levia, ſed eſt in eis multa & gravis ſententia. Et ſi ſub uno totam velimus concludere rationem iudicio, multáque ſub uno comprehendere titulo, cùm ſingula elucidare debeamus, omnibus indiſcretè commixtis, obſcuritatem inferimus. Vnde ſi bonum tibi videtur, ſingulis rationis ſententiis ſingulos adſcribamus titulos, ut unoquoque alterna ſermonis ratione diſcuſſo, ad alium ordinatim accedamus, ut ſic operi noſtro congruum terminum imponamus. Petrus. Quod à te bene dictum eſt perficiatur, & quod dignè conſulis compleatur. Singulis itaque ſententiis titulis ſuis appoſitis, de quo prius volueris quære, quoniam paratus ſum reſpondere.

Iudæorū errores.

B C

TITVLVS PRIMVS.

Oſtendit, quod Iudæi verba Prophetarum carnaliter intelligunt, & ea falsò exponunt.

MOYSES.

PRIMVM ſic inſtituamus titulum, qui contineat rationes, quibus in nos & in noſtros inveheris doctores, quod Deo ſcilicet corpus & formam aſcribimus, & eius naturæ talia annotamus, quæ rationis veritas abhorret. Hanc igitur rem diligenter diſcutiamus, donec ad eius indaginem ratione & argumento perveniamus. Petrus. Dictum collaudo. Moyſes. In primis itaque mihi volo oſtendas, vbi doctores noſtri Deum corpus & formam habere dixerunt, & quomodo ſuper hac re locuti fuerunt. Petrus. Si noſſe cupis ubi ſcriptum ſit, in prima parte veſtræ doctrinæ, cuius vocabulum eſt benedictiones. Si igitur vis ſcire quomodo dixerunt Deum habere caput & brachia, & in Cæſarie pixidem geſtare ligatam corrigia, ipſiúſque corrigiæ nodum à poſtera capitis parte ſub cerebro firmatum, intra pixidem verò quatuor eſſe cartulas, Iudæorum laudes continentes, in ſummo autem ſiniſtri brachij geſtare aliam pixidem, ſimili modo corrigia ligatam, cartámque ibi eſſe continentem omnes laudes, quæ in prædictis quatuor ſcriptæ dicuntur. Concedis hæc omnia in eo quem dixi loco, hoc modo ſcripta haberi? Moyſes. Negare quod eſt evidens nequeo. Petrus. Quam ſuper hac re quæſo habent auctoritatem? Moyſes. De pixide quam geſtat in cæſarie, & de nodo corrigiæ, auctoritatem ſibi attrahunt, ab eo loco ubi Dominus ait ad Moyſen: *Videbis poſteriora mea, facies enim mea non videbitur.* Tunc enim Moyſes nodum corrigiæ vidit. Nodum autem ipſum, alicuius pixidis eſſe neceſſarium eſt. De ea autem quam geſtat in brachio auctoritatem, profertur ab Eſaia dicente: *Iuravit Dominus in dextera ſua, & in brachio fortitudinis ſuæ.* Per brachium enim fortitudinis, vult intelligi ſiniſtram, in qua illa pixidis virtus continetur. Petrus. Ad memoriam me reduxiſti. Reminiſcor enim me iam hunc perlegiſſe locum, ſed auctoritas hæc nullum tibi confert patrocinium. Cùm enim lex perhibeat Deum Moyſi dixiſſe: *poſteriora mea videbis*, & quoniam Deum mentiri non poſſe conſtat, ita poſtea factum licet ſcriptura tacente non dubitemus, nuſquam tamen lex meminit, quod Moyſes in eius poſterioribus aliquid viderit. Qualiter igitur eum corrigiæ nodum, quod ſine riſu vix dici poteſt vidiſſe dicitis? Item cùm per poſteriora non ſolùm cervix, ſed etiam quælibet corporis pars convenientius intelligi poſſit, hoc quod vos cervicem eum vidiſſe aſſeritis, non ratione, vel legis auctoritate, ſed ſola probatis voluntate. Moyſes. Noſtri doctores per poſteriora cervicem debere intelligi dicunt. Petrus. Secundum veſtræ ſtultæ explanationis ſeriem, quæ & ſcripturæ & rationis iuvamine caret, progredi libet. Nam vt Deum cervicem, quod ſapienti nefas & videtur, & eſt, habere concedam, potuit tamen fieri, vt Moyſes nihil in eo præter cervicem viderit. Aut ſi quid aliud eum vidiſſe fingamus, potuit videre pileum ſive corrigiæ nodum, illius ſcilicet coronæ, quam vos dicitis angelum nomine Mitatron, ſingulis diebus capiti Dei imponere. Moyſes. Doctores utique noſtri, illud quod vidit corrigiæ, nodum contendunt fuiſſe: ideóque Deum Moyſi cervicem aſtruunt oſtendiſſe, ut illum videret nodum corrigiæ. Petrus. Ita eſſe ut aſſeris ad tui deſtructionem concedamus. Nam vt Moyſen illum coronæ nodum vidiſſe mentiamur, cùm eius faciem nullatenus viderit, unde Deum pixidem in anteriori capitis parte geſtare probavit? Moyſes. Quomodo Moyſes nodatam corrigiam vidit, pixidem quæ illa ligaretur, in capite Dei fuiſſe doctores intellexerunt. Petrus. Non omninò ſanus eſt hic intellectus, vt Deum aliquid geſtare dicamus, potuit tamen illa corrigia ligari cymbalum, aut tintinnabulum aliquod, aut gemma quævis pretioſa, aut aliquid huiuſmodi. Veruntamen vt omnia tibi fatuitatis tollam reſponſa, hoc ut vis & dicis eſſe concedam. Sed hoc conceſſo, unde quæſo Moyſes intelligere cartas potuit intus contineri, ne dum ſciſſe eum dicas quid in eis ſcriptum haberetur? Sed & quod ſuper hæc omnia admiratione digniſſimum eſt, quod in illa carta ut creditis, nihil aliud ſcriptum eſt, niſi verſus quos Moyſes longè poſt moriens Iſraëliticum populum, docendo, ex ſemetipſo eum laudans edidit, & poſt multa annorum curricula, Salomon Deum adorans compoſuit de eorum laude: nulla eſt ratio, quare in Dei capite ſcriptum eſſe debeat credi. Moyſes. Quod oculis carneis Moyſes non vidit ex ſancti Spiritus revelatione cognovit. De cartarum autem ſcripturis nulla fateor eſt mihi ratio. Petrus. Gloria Deo. Iam paulisper ſtultitiæ cares reſponſo. Item ſi concedamus Moyſen horum quædam vidiſſe, quædam ſancto revelante Spiritu cognoviſſe; cùm nec ipſe Moyſes uſquam ſcriptum reliquerit, nec ullus poſt eum Propheta prodidit, unde veſtris doctoribus tam ſecretæ rei arcanum patuit? Moyſes. Per veterum ſucceſſores, ad noſtrorum tandem doctorum pervenit notitiam. Petrus. Cùm ad tam irrationabilis

D Iudæorū de Deo ſtulta opinio.

E Exod.33. Eſa.62. F G H

concluſionis

A conclusionis diffugium veſtrum deviet argumentum,
per antiquorum ſucceſſiones omne tibi licebit firma-
re mendacium. Eſt tamen valde indignè ferendum,
quia veſtris doctoribus apponitis, quod ipſi forſi-
tan nolunt, cùm ipſi hoc ſe non à veterum relatione
per Moyſen habuiſſe teſtentur, ſed ipſi in verſuum ex-
planatione talia commententur. Moyſes. Reſpondi
non ratione recti, ſed occaſione diffugij. Petrus. Ve-
ritatem itaque tenentes vanitatem viteinus, quoniam
in rationis exordio ſic uterque ſtatuimus. Moyſes.
Dignum iudico. Petrus. Dic quæſo noſti quanta
iſta narratio verificetur ratione, præter hoc etiam quod
iam dudum nulla conſtat auctoritate? Moyſes. Video
quidem in utroque auctoritatis deſtructionem. Nunc
autem à te exigo, ut id oſtendas per naturæ rationem.
Petrus. Vos Deum caput, brachia & totam corpo-
B ris formam habere contenditis. Quod ſi hoc eſt, igi-
tur Deum longitudinis & altitudinis dimenſionibus
conſtare neceſſe eſt fateamini. Si verò his tribus di-
menſionibus clauditur, ſex nempe corporis partibus
terminatur, quod eſt inconveniens, ut ſuo oſtende-
tur in loco. De corrigia autem, quam eum in capi-
te habere dicitis, duo tibi propono. Tua enim cor-
rigia, aut eſt de ipſo, aut aliunde: Si de ipſo eſt,
iam Deus à ſe diviſus eſt: Si verò aliunde eſt, aut crea-
tor, aut creatura eſt: Si creator eſt, ergo duo ſunt
creatores: ſi creatura eſt, iam quædam creatura ma-
ior eſt, quadam parte creatoris, quod inconveniens
eſt. Item quæro: hoc quod in capite vel brachio ge-
ſtat, utrum neceſſitate aliqua, an ſine neceſſitate il-
lud geſtet. Si neceſſitate geſtat, iam creator indiget
creatura, quod aliud eſt inconveniens. Nunc itaque
apertè potes cognoſcere, quod tibi oſtendi ea qua po-
ſtulabas ratione, ſcilicet quod de corrigia creditis,
quàm ſit vile. Moyſes. Teneo. Petrus Iterum veſtri
doctores in doctrinarum libro aſſerunt, quod Deus in
occidente eſt tantum, auctoritate Eſdræ illud confir-
mantes, dicentis: *Exercitus cœli ſupplicat tibi.* Ex-
ponentes hoc, quod cùm omnes ſtellæ in occidentem
decidunt, tunc exercitus cœli ſupplicat Deo, & quo-
C niam hæc ſtellarum ſupplicatio fit in occidente, ideo
Deum in occidente aſſerunt eſſe. Hæc quam dico
eſt eorum ſententia. Qui quamquam à Dei ſunt co-
gnomine alieni, ſi mundi ſaltem figuram agnoſce-
rent, non de Deo tam indigna ſentirent. Moyſes.
Volo mihi oſtendi ſi placet, quomodo ex hoc verbo
poſſit perpendi, quod ipſi figuram mundi non agno-
verint. Petrus. Quoniam nos orientem non dici-
mus, niſi locum illum, ubi prius ſtella apparet, nec
occidentem: niſi ubi noſtro ſubtrahitur aſpectui.
Moyſes. Nunc obſecro ut orientis & occidentis mi-
hi certum locum oſtendas, & huius rei notitiam ſub-
tiliter diſcutias. Petrus. Quemadmodum rem iſtam tibi
ſubtiliter monſtrari rogaſti, te quoque illud ſubtili
decet oculo intueri. Quod hoc modo conſidera. In
quocunque vis loco conſiſte, & ab eodem lineam re-
ctam ad orientis dirige Partem. Quæ cum pervene-
rit ad locum ultra quem viſum tendere nequis, locum
D ipſum tibi orientem eſſe cognoſce. Eodem modo ſi
ab eo in quo conſiſtis loco lineam rectam in occi-
dentem direxeris, cum ad talem pervenerit locum,
qui viſui tuo terminum ponat, tibi ipſum occidentis
conſtitue locum. Moyſes. Nunc horam recti ortus,
& horam, recti occaſus mihi monſtrari deſide-
ro. Petrus. Naſcente ſtella prædictam lineam uſ-
que ad ipſum ſtellæ locum protende, & in centro
ipſius ſtellæ lineam fige, ita ut media ſuper terram
appareat, & media adhuc lateat, ipſamque horam
ipſius ſtellæ ortum dices. Cum ergo ſol tali modo
oriri cœperit ſuper terram, illa hora apud aſtrolo-
gos eſt verus ortus diei. Eodem modo ſi occidente
ſtella præfatam lineam uſque ad eam occidentis par-
tem dirigens ſummitatem lineæ in ſtellæ fixeris cen-
tro, ita ut media ſuper terram, & media ſub ter-
ra conſiſtat, illam horam eſſe occaſum dices. Cum-

Iudæi Deũ tantum in occidẽte eſſe contendunt. Num. 9

Ortus Solis.

E que ſol tali modo occiderit, illa hora apud aſtro-
logos verus eſt occaſus diei, & initium noctis. Moy-
ſes. Ex ratione tua talis procedit concluſio, quod
cum pars orientalis orbis eadem ſit omnibus, lo-
cus tamen orientis non idem eſt omnibus. Itidem
quoque cum occidentalis non idem eſt omnibus, nec
eadem hora ortus, quæ eſt nobis eſt cæteris gen-
tibus, nec eadem hora occaſus eſt nobis & cæte-
ris gentibus, ſed ſecundum varietatem locorum ter-
ræ in longitudine, variatur locus orientis & occi-
dentis, & hora ortus & occaſus. Petrus. Lætor
te rei capere veritatem. Moyſes. Adhuc quæſo aper-
tius loquere, & per aliquam ſimilitudinem rem tam
ſubtilem oſtende. Petrus. Conſtituamus ergo ſolem
in primo arietis gradu & in primo puncto gradus,
& dicamus quia cœpit modo oriri civitati Aren, quæ
ſita eſt in primo ſeptem climatum terræ, habens no-
F naginta gradus ad orientem, & totidem ad occiden-
tem, habens etiam X C. gradus ad polum aquilo-
nalem, totidémque ad auſtralem. Cum huic inquam
civitati Sol cœperit oriri, quænam hora erit illi ci-
vitati quæ L X. gradibus diſtat ab occidente civitatis
Aren? Moyſes. Secundum quod in aſtrologorum li-
bris reperi. ſcriptum, duæ adhuc horæ de præce-
denti remanent nocte. Petrus. Cùm igitur civitati
Aren ſol occubuerit, quæ hora prædictæ erit civi-
tati? Moyſes. Duæ ſimiliter remanent horæ de
die. Petrus. Cum autem ſol illi oriri cœperit urbi,
quota iam hora eſt Aren civitati? Moyſes. Duabus
tranſactis, tertia inchoat hora. Petrus. Cumque illi
urbi ſol occubuerit, quota hora erit Aren civitati?
Moyſes Duæ iam de nocte completæ ſunt horæ. Pe-
trus Si igitur filum rectum ab Aren pertrahas civi-
tate, & perducas ſummitatem unam ad orientem, &
aliam ad occidentem, & ſimili modo in alia facies ci-
vitate, proferens ab ea rectam lineam; cuius una ſum-
mitas ad orientem, & alia pertingat ad occidentem,
num quæſo utriuſque lineæ termini ab utravis parte in
ſimul poterunt convenire? Moyſes. Minime, ſed
G quanto ab invicem, ipſæ diſtant civitates, tanto li-
nearum in utraque parte diſtabunt ſummitates X X X.
ſcilicet gradus. Petrus. Nunc apertiſſime tibi patet,
quoniam loca orientis & occidentis, & horæ ortus &
occaſus non eædem ſunt omnibus, ſed variantur pro
variis terræ longitudinibus. Moyſes. Bene tandem in-
telligo. Petrus. Item cum ſol Aren oritur civitati, ſic
eadem hora apud alteram quam diximus civitatem ab
eiuſdem civitatis oriente in eiuſdem occidentem lineam
protendas, quæ cœli puncta utriuſque eius ſummita-
tis cacumen continget? Moyſes. Illa quidem ſummi-
tas quæ vergit ad orientem, primum punctum primi
gradus piſcium obtinebit, illa vero quæ directa eſt ad
occidentem, primum punctum primi gradus virginis
percutiet. Petrus Rurſus ſi ſole Aren civitati occum-
bente, apud alteram civitatem lineam eo quo diximus
modo ad cœlum uſque utrinque tendamus, utraque
ſummitas eius quas cœli partes continget? Moyſes.
Quæ ad orientem tenditur, primo puncto primi gra-
dus virginis, quæ vero ad occidentem primo puncto
primi gradus piſcium occurrit. Petrus. Iterum autem
H ſi ſole urbi illi oriente lineas apud Aren civitatem ad
eiuſdem orientem, & occidentem tendentes uſque ad
ipſum cœlum ducamus, utraque ſummitas quam cœli
partem continget? Moyſes. Quæ orientem continget,
primam particulam primi gradus tauri percutiet, quæ
vero occidentem primo puncto primi gradus ſcorpio-
nis occurret. Petrus. Si autem ſole urbi illi occumben-
te prædictam lineam Aren civitatis prædicto modo ad
cœli cardines ducamus, quas eiuſdem cœli partes
ſummitas quæque continget? Moyſes. Orientis ſum-
mitas initium primi gradus ſcorpionis, occidentis ve-
ro initium primi gradus tauri continget. Petrus. Nunc
cognoſcere potes, quia gradus ſigni qui eſt in oriente
ſole Aren civitati apparente: non eſt idem cum eo qui
eadem hora alij civitati apparet. Similiter gradus qui

A

eſt in occidente ſole in Aren occubente: non eſt idem cum eo qui eadem hora alij apparet civitati. Sicque omnibus contingit civitatibus, prout una diſtat ab alia in longitudine. Moyſes. Cuncta patenter intelligo. Petrus. Nec illa cœli particula quæ hodie in ortu ſolis quovis terrarum loco in oriente apparet, eſt eadem quæ cras eadem hora eodem terræ loco in eodem apparebit. Moyſes. Et hoc lucide patet. Petrus. Hæc graduum in cœlo variatio contingit quotidie ſicut ipſe ſol per eoſdem gradus variatur aſſidue. Moyſes. Quod ratio oſtendit negare non valeo. Petrus. Quandoquidem ita eſſe ut diximus neceſſaria conſtat ratione, & in totius terræ ſpacio non ſunt loca orientis & occidentis æqualia, nec horæ ortus & occaſus eædem, unde neceſſario ſequitur, ſtellas quæ quibuſdam occidunt, aliis eadem hora oriri, nec in tota cœli ſphera certus eſt orientis & occidentis locus, ſed quotidie variatur per varios gradus, multo minus credi debet orientis & occidentis mutationem cœleſtibus accidere creaturis, quibus nulla unquam intervenit obſcuritas, ſed ſempiterna indeficientis luminis irradiat claritas, ſicut David propheta dicit, *quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius ita & lumen eius*, & Daniel: *ipſe*, inquit, *revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta, & lux cum eo ſemper erit*, Cum etiam nulla in cœlo aſcenſus, vel deſcenſus poſſit eſſe localis mutatio, apertiſſime igitur cuivis patet, quod in cœlo nec oriens, ſit nec occidens. Quo probato, fatuitas evidens eſt dicentium, quod Dei locus occidens eſt ubi ſtellæ ſupplicant Deo. Moyſes. Licet manifeſtis refragari nequeam rationibus, volo tamen mihi ſi placet oſtendi quomodo probari poſſint, vel cognoſci longitudines diſtantium ab invicem civitatum, ut melius cognoſcamus diverſitates horarum eodem tempore ſuper eaſdem apparentium. Petrus. Conſtituamus ergo ſolem in primo arietis puncto, & incipiat fieri eclipſis ſolis apud Aren civitatem, primo puncto ſeptimæ diei horæ erit utique eadem hora primus cancri gradus in ipſius Aren oriente. Quod ſi tunc noſſe deſideras quota hora fieri incipiat eadem eclipſis, apud aliam quam prædiximus civitatem, ſi diligenter inſpicias, primo quintæ horæ puncto invenies eam ibidem fieri incipere, eodemque momento apparebit primum geminorum punctum in illius civitatis oriente, unde indubitanter patet X X X. longitudinis gradus inter utranque eſſe civitatem. Et hoc quidem modo ab aſtrologis invenitur quanta inter duas civitates habeatur longitudo. Moyſes. Magnæ cæcitatis velamen de pectore meo educens, veritatis lucernam clariſſime infudiſti, quare digna à Deo compenſetur retributio tibi. Sed quoniam ſuperius dixiſſe te memini Aren civitatem in medio cœli hemiſpherio ſitam, ita ut æqualiter ab omnibus partibus diſtet, & in primo V I I. climatum eſſe poſitam, volo ut huius ſitus deſcriptionem luculiſſime oſtendens, ita me facias intelligere, ut videar mihi in eadem urbe conſiſtere. Cum enim dicas Aren in medio terræ poſitam, ſignificare videris ipſius terræ ſuperficiem eſſe planam; ex ratione vero orientis & occidentis præmiſſa ſignificaveras terram rotunditatem habere ſphericam. Omne autem rotundum principio caret ac fine, ſed ubicunque principium quæris vel terminum, ibidem proculdubio invenies & medium. Petrus. Conſidera igitur Aren in tali loco ſpheræ terreſtris eſſe; ut & ab aquilonali & ab auſtrali æqualiter polo diſtet utroque, & per medium eius quotidie tranſeant duo prima puncta arietis & libræ. Habebit igitur ad utrumque polum, X C. gradus, eritque ita Aren in prima parte primi climatis, quantum ad longitudinem. Moyſes. Ex verbis tuis colligitur, quod tota pars terræ habitabilis in una tantum parte conſiſtat. Volo itaque noſſe quænam ſit illa. Petrus. A medio terræ ad partem ſeptentrionis. Moyſes. Geometrica figura hoc mihi monſtrari viſibiliter cupio quoniam de hac re diverſas gentes ex librorum

B

Pſ. 138

Daniel. 2

Neeria 9.

C

D

Terra rotunditatem ſphericā habet.

Quæ pars terræ habitabilis ſit

E

ſcriptis diverſa ſenſiſſe non dubio. Quinque etiam zonarum partitione dividunt terram, quarum mediam ſolis calore peruſtam, & ideo inhabitalem dicunt, duas quoque extremas à ſole remotiſſimas præ frigoris immenſitate ſimiliter inhabitabiles probant, duas autem medias illius calore & illarum frigore temperatas, ſolas habitabiles perhibent eſſe. Petrus. Opinio iſta viſus obſtat effectui. Viſu enim probamus, Aren in medio terræ ſitam, & initium arietis & libræ ſuper eam recta progredi linea, aëremque ibi temperatiſſimum eſſe, adeo ut veris, æſtatis, autumni, & hyemis, ſemper ibi fere tempus ſit æquale, ibi aromaticæ ſpecies pulchri coloris & melliflui naſcuntur ſaporis. Corpora quoque hominum non macilenta ibi ſunt nimis aut pinguia, ſed mediocris ſucci diſcretione decora. Temporis quoque temperies hominum corpora ſibi conſona reddit, & pecora, quia ineffabili pollent ſapientia, & naturali iuſtitia. Quomodo igitur quiſquam dicere præſumat locum ſuper quem ſol recta præterit linea inhabitabilem eſſe? Potius totum terræ habitabile ſpacium exiſtit continuum a prædicto loco uſque ad ſeptentrionalem globum, quod antiqui in ſeptem diviſerunt partes, quas ſeptem climata vocaverunt, ſecundum numerum ſeptem planetarum. Primum ex illis eſt in media linea, ubi Aren civitas eſt condita, ſeptimum autem ſeptentrionalis orbis tenet extremum, reliqua vero medium continent ſpacium. Nullus eſt inhabitabilis locus, niſi ubi vel multarum arenarum ſiccitas cum aqua modica, vel montium aſperitas aratri non patitur onera. Hæc omnia autem oculis ſubiecta figura demonſtrat.

Locus hominis ſoſpitatē cõſervat.

F



G

EXTREMITAS SEPTENTRIONALIS inhabitabilis frigore.

Moyſes. Gratias Deo quod rei veritatem viſibiliter oſtendens, meo ſatisfeciſti deſiderio. Rogo itaque mihi oſtendas, quare vel illa pars terræ quæ eſt ultra Aren ad meridiem non incolatur pro ut iſta quæ eſt citra ad ſeptentrionem, ut iſta Aren ſit in medio habitabilis regionis, vel quare pars illa quæ eſt ultra, non eſt habitabilis, & illa quæ citra eſt verſus aquilonem inhabitabilis. Petrus. Quoniam centrum circuli ſolis eſt extra centrum circuli terræ à ſeptentrionis parte, unde cum ſol ad V I. meredianæ plagæ ſigna, quæ ſunt à libra ad arietem deſcenderit, quia tunc terræ propior eſt, vicinitate caloris terram exurens, omnium rerum infecundam & omnino ſterilem reddit, ideoque inhabitabilis exiſtit. A primo igitur climate uſque ad ſeptentrionem habitabile remanſit ſpacium climatibus V I I. diſtinctum. Quicquid autem à ſeptimo climate, cum ſol inde ad V I. meridianæ partis ſigna declinat, totius caloris expers remanet abundatque imbrium, nubium & frigoris ſuperfluitate, unde & omnis animalis caret habitatione. Quomodo autem centrum circuli ſolis extra centrum circuli terræ ſit, à

H

Terræ aliqua pars quare inhabitabilis dicatur.

parte

A

parte ſeptentrionis, oculis ſubiecta aperte demonſtrat deſcriptio.



B

Moyſes. Rem hactenus ignoratam brevi, ſed luculenta mihi, gratias ago, demonſtraſti ratione ſatiſque illis reſponſum eſſe video, qui aliter aliquatenus de terræ ſentiunt diviſione. Petrus. Expleto Dei nutu præſenti ſermone, ad propoſitum libet redire. Moyſes. Dignum cenſeo. Petrus. Veſtri doctores in doctrinæ libro tertio, Deum in loco eſſe aſſerunt, V I. partibus terminato affirmantes teſtimonio hoc Danielis, qui ait. *Cum egrederer ecce princeps Græcorum ingreſſus eſt.* Concipiunt enim ex hoc quia in loco tali eſt Deus, ubi introitus ſit & exitus. Quod ſi ita eſt, patet ergo quia in loco conſiſtat V I. partibus terminato. Si vero terminato circunſcribitur loco, tunc aliquis locus vacuus eſt à Deo. Quod ſi eſt quomodo ſcit quid fit in alio loco, ubi ipſe non eſt, aut quomodo operatur in eo? Moyſes. Poteſt quippe ſapientiam talem & voluntatem habere, ut quod alibi eſt & per ſapientiam norit, & per voluntatem operetur. Petrus. Volo igitur mihi reſpondeas, utrum illa ſapientia atque voluntas ſint in eo & cum ipſo ſemper, an extra illum, & ſic quoque ſine ipſo. Si enim dicas, quod in eo ſint, & non extra illum, idem de eis proveniet quod de ipſo, quia non in omni erit loco. Quomodo ergo ſcire poteſt quid alibi fit aut operari? Si vero dicas extra illum eſſe, & omnem locum implere, tunc ab illo ſunt diverſæ. Sciunt enim aliquid quod neſcit ipſe, & operantur per ſe quod non operatur ipſe. Igitur ipſæ creatrices, & non indiget mundus Deo. Moyſes. Poſſunt quidem in eo eſſe, & in omnem locum ſciendo & operando emicare, ut ſol cum in uno conſiſtat loco radios tamen uſquequaque calefaciendo diffundit, & illuminando. Petrus. Si ita eſt ſequitur ergo quod illa ſapientia atque voluntas non æqualiter ubique conſiſtant. Quicquid enim ita diffunditur, non eandem vim in ultimo quam in ſuo habet principio, quod minime convenit Deo. Quoniam quidem autem terminum Deo imponere audetis utinam vel ſimplum crederetis & non corporea ei accidentia aſcriberetis. Moyſes. Quomodo nos hoc credere dicis? Petrus. Dicitis ſiquidem eum ſingulis diebus ſemel in die iraſci, afferentes in medium teſtimonium David, dicentis: *Fortis iraſcitur quotidie.* Prima etiam hora diei eum iraſci aſſeritis, cauſam huius iræ eſſe dicentes, quod in illa hora reges iniquitatis exurgentes diademata ſibi imponunt, & ſolem adorant. Videſne quam abſurdus ſit ſermo iſte & quoniam fatui ſint qui hæc protulerunt, cum iræ diſcretionem prorſus ignorent, quam ſi noſſent, non hoc de Deo ſentirent. Moyſes. Quid igitur iram cenſes eſſe? Petrus. Ira eſt quando audito aliquo quod diſpliceat verbo colera rubea, id eſt, fel fervet, & ſuper hepatem diffunditur, & ſanguini commiſcetur. Inde ſiquidem homo caleſcit, & in facie palleſcit. Hoc autem nulli convenit rei, niſi quæ ex quatuor componitur elementis. Deus autem talibus non ſubiacet lineamentis. Moyſes. Veritati contradicere nequeo. Petrus. Non minus hoc etiam illud abhorrēdum eſt, quod dicunt eum de tali re iraſci, de qua ſe non poſſit ulciſci. Quod ſi poſſet, ira profecto eius quieſceret. Aiunt præterea, quod ipſius horæ qua iraſcitur punctum nemo noverit unquam niſi Balaam filius Beor. In hoc autem verbo vobis ipſis contrarij eſtis, cum ex una parte Moyſes eum vocet ariolum, vos etiam vocetis iniquum, ex altera vero parte eum prudentiorem Moyſe eſſe ſignificetis, quia punctum horæ noverit, quod Moyſen latuit. Licétque hoc magna dictum ſit admiratione, vileſcit tamen maioris fatuitatis comparatione, qua dicitis gallum irrationale animal ipſius horæ punctum quotidie ſcire. Concedis ne hæc omnia vos ita dixiſſe? Moyſes. Et ſi velim negare nequeo. Petrus. Nec hoc ſufficit eis de Deo dicere, ſed cum etiam quotidie ſemel in die plorare, & ab eius oculis duas prodeuntes lachrymas in magnum mare dicunt concidere, & has fulgorem eſſe affirmant illum qui tempore nocturno de ſtellis videtur cadere. Hæc autem ratio, Deum ex quatuor elementis oſtendit compoſitum eſſe. Neque enim fiunt lachrymæ niſi ex humiditatis abundantia deſcendentis de capite. Si vero ita eſt, ergo elementa ſunt Dei materia. Omnis autem materia prior eſt & ſimplicior forma. Ergo & hæc priora & ſimpliciora Deo ſunt, quod nefas eſt credere. Itaque ſi Deus talis eſt ut dicitis eſſe, cum nec cibo fruatur nec potu, & quotidie duas ex ſe emittat lachrymas, neceſſe eſt eū decreſcere, niſi forte de aquis quæ ſuper cœlo ſunt iugiter bibat. Ex verbis quoque eorum colligitur, quia ignorent quid ille ſit fulgor. Moyſes. Quid tu de illo ſentias fulgore deſidero noſſe. Petrus. Fumoſus quidam vapor de terra conſurgit nimium ſiccus, unde & locum nubium tranſit, perveniens ad locum ubi non multus eſt calor, quoniam remotus eſt à motu firmamenti. Quo cum pervenerit, & iam multus in loco uno coierit, ipſius loci calore licet exiguo paulatim crematur, & crematus evaneſcit, & id eſt quod per aërem diſcurſitare videmus. Moyſes. Quoniam per te non intermiſſe doctior fio, non immerito ſine intermiſſione gratias ago. Petrus. Fletus quoque ipſius quem Deo indigne aſcribunt, Iudæorum captivitatem cauſam eſſe dicunt, quin etiam propter dolorem eum ter in die ut leonem rugire aſſerunt, & propter id cœlum pulſare pedibus more calcantium in torculari, more etiam columbæ quendam ſuſurri ſonitum dare, & quaque vice caput movere: & dolentis dicere voce, heu mihi, heu mihi, ut quid domum meam in deſertum redegi, & templum meum cremavi, & filios meos in gentes tranſtuli? Heu patri qui tranſtulit filios ſuos, & heu filiis qui tranſlati ſunt de menſa patris ſui. Dicunt etiam quod quidam doctorum veſtrorum hanc audierit vocem, in quodam loco ruinoſo. Præterea quod tanquam parturientis invicem collidat pedes, & more dolentis manibus plaudat, & quia quotidie orat, ut miſericordia eius ſit ſuper iram eius, & ut eat in populo ſuo in miſericordia. Dic ô Moyſes, cum Deus oret, quem quæſo adorat? Se ipſum an alium? Si alium, is quem adorat potentior eſt eo. Si ſeipſum adorat aut potens eſt eius propter quod orat, aut impotens. Si impotens eſt, fruſtra ſe adorat, ſi vero potens, aut vult id pro quo orat, aut non vult. Si non vult, pro nihil orat. Si autem vult, non eſt neceſſe orare, vides igitur ô Moyſes quam omnino ſit gens hæc aliena à cognitione divina? Si vero verum eſt Deum pro vobis plorare, ut leonem rugire, cœlum pedibus pulſare, more columbæ gemere, caput movere, & præ nimio dolore heu mihi clamare, ipſum præterea præ dolore pedes collidere, manibus plaudere, & quotidie ut veſtri miſereatur orare, quid ergo veſtram ne liberemini impedit captivitatem? An à vobis, an ab ipſo procedit hæc mora? Sic enim ab ipſo eum ad complendam voluntatem ſuam minus eſſe potentem oſtenditis cum aliquid volentem complere nec valentem, puerili more eum plorare aſtruitis. Si igitur nunc impotens eſt: dicite, utrum in

futuro

Marginal notes:

Dan. 10. Iudæi Deum in loco eſſe aſſerunt.

C

D Iudæi Deum quotidie ſemel iraſci ſomniant Pſal. 7.

Iræ pulcherrima deſcriptio.

Ira paſſio in Deū non cadit.

E Iudæorū magna fatuitas.

Num. 22.

Iudæi Deum plorare dicunt.

F Lachrymæ unde provemant.

Scintillæ ac ſtellæ adcotes quid ſint

G Iudæorū ſtulta de Deo opt. max. opinio.

H Impie de Deo Iudæi loquuntur.

futuro poteſtatem habiturus ſit an non? Si unquam habiturus eſt: igitur & veſter & illius dolor fine carebit, veſtraque oratio eſt vacua, & ſpes nulla. Si vero poſſe habiturus eſt, aut illud nondum habuit, ſed in præfixo & certo habiturus eſt tempore, quod cum habebit vos de captivitate liberabit, aut iam habuit, ſed quorundam interventu accidentium amiſit, quibus iterum quandoque remotis, & illud recuperaturus eſt, & de captivitate vos educet. Si vero habiturus eſt tempore certo, reſtat vobis dicere quid ſit quod modo eum prohibet habere, ſcilicet utrum hoc paucitati imputetis annorum eius, an debilitati membrorum, an obſtaculo cuiuſlibet rei, à qua nequeat defendi. Hoc autem credere de DEO nefas eſt. Legimus enim in ſcripturis ſacris quibus vos nobiſcum fidem adhibetis, DEUM antiquis temporibus maiora miracula feciſſe quam ſi vos de captivitate liberaret, veluti cum decem plagis Ægyptum percuſſit, & indè vos in manu valida eduxit, & rubrum mare diviſit, in quod Pharaonem cum exercitu ſuo demerſit, manna quoque & coturnicibus de cœlo in deſerto, pavit, aquas etiam Iordanis in loco uno montis inſtar conſtituit, Solem & Lunam Ioſue precibus fixit, de exercitu Sennacherib C. L X X X V. millia nocte una occidi fecit. In diebus Ezechiæ ſolem gradibus X V. reverti præcepit. Danielem de lacu leonum liberavit. Ananiam, Miſaëlem, & Azariam de igne, & vos de Babilonis captivitate liberavit, & multa alia quæ enumerare longum eſt miracula fecit. Non ergo dicere poteſtis, quod antiquis diebus potens non fuerit. Si autem eum potentem quidem fuiſſe ut æquum eſt concedatis, ſed aliorum interventu accidentium, eum impotentem factum dicatis, poſt quorum abſceſſum eum poſſe ſuum recuperaturum credatis, alterum horum neceſſe eſt fateamini; illa accidentia aut ex eo & in eo fuiſſe: ut infirmitas accidens homini donec convaleſcat ab effectu cohibet voluntatis, aut ei ab alio eſſe illata, ut captivitas cuilibet à rege illata, ſuæ voluntatis eum poteſtate privat, donec libertate ſuccedente recedat. Quod ſi ex eo & in eo fuiſſe dicatis, DEUM ergo corpus habere dicitis, quod contrariorum ſuſceptibile ſit, quod de DEO ſentire non convenit. Si vero ei ab alio illata dicitis, illum qui intulit DEO potentiorem eſſe oſtenditis, quod non minus eſt inconveniens, Si autem vos ipſos veſtræ eſſe captivitatis cauſam dicatis, quaſi melius modo in captivitate quam olim in libertate vos habeatis, cuivis patet eſſe mendacium, quia nunquam captivitas libertati eſt comparabilis. Si vero non hac intentione veſtram libertatem remoramini, ſed eo volente vos liberare: vos per pertinaciam eius voluntati obſiſtitis, ſcilicet ut quia ille vos in captivitatem coniecit, vos è contrario plus quam ipſe velit in ipſa captivitate perduretis, deberet utique veſtræ ſatisfacere voluntati, & non ſe ipſum aſſidue tanto mœrore deprimere, aut vos ei parcere deceret nec tantum facere contriſtari. Sed hoc ſtare nullatenus poteſt, cum eum quotidie ut vos de captivitate eripiat oretis. Oro itaque te Moyſes, ut tantæ circuitionis ambages à pectore meo excludas. Moyſes. Nihil horum quæ tu enumeraſti noſtram impedit captivitatem, ſed Deum ſemper & omnipotentem fuiſſe & eſſe fatemur, nec nos captivitatem evadere velle negamus, ſed Deum captivitati noſtræ certum terminum præfixiſſe, & donec illud quod conſtituit, iuravit & firmavit tempus adveniat, nos nullo modò liberari poſſe dicimus. Petrus. In hoc verbo inſcitiam Deo aſcribitis, cum eum tale ſtatuiſſe dicatis atque iuraſſe, quod poſtea eum iuraſſe & firmaſſe pœniteat, cuius rei ſignum eſt, quod tot modis iugiter pro vobis affligitur, quod ſi præſciſſet, non antea ſtatuiſſet. Inſipiens ergo ſecundum vos fuit. Quod cum apud vos conſtet, indulgere utique ei debetis, nec precibus eum inquietare aſſiduis, quanto enim frequentius oratis, tanto magis eius dolorem innovatis, & quo magis ab oratione ceſſando eum non inquietaveritis, tanto magis eum conſolari permittetis. Sed dic precor ô Moyſes, dic inquam, debet quiſquam huiuſmodi credere doctoribus, & fidem eorum accommodare tractatibus? Moyſes. Cum ipſi dicta ſua prophetarum confirment auctoritate, quare tam graviter in eos inveheris, & in prophetas nihil dicis? An neſcis prophetas dixiſſe, Deum caput, oculos, nares, manus, brachia, & univerſa corporis lineamenta habere? Ipſi etiam dixerunt ſingulis diebus iraſci, & ut leonem rugire, & multa alia quæ illorum probantur auctoritate. Petrus. Obſcura ſunt prophetarum dicta, nec omnibus ſatis aperta: Ob hoc etiam cum in prophetis talia invenimus quæ ſecundum literam accipientes à rationis tramite exorbitemus, ea allegorice interpretamur: ut ad rectitudinis ſemitam reducamus. Neceſſitas enim cogit nos agere, eo quod aliter non poteſt literæ ratio ſtare. Veſtri autem doctores non cognoverunt ut oportuit Deum, ideo dicta prophetarum ſuperficie tenus exponentes in eum erraverunt. Ergo ego propter hoc & propter multa huius ſimilia dixi me ſuperius dicta prophetarum prout ſanus exigit ſenſus intelligere. Moyſes. Nunc mihi volo locum oſtendi, quem neceſſe ſit nos allegorice intelligere, eo quod ad literam expoſitus non poſſit ſtare, ut quod dicis verum pateat eſſe. Petrus. Quod quæris oſtendam. Moyſes enim ad Pharaonem, *locuſta* (inquit) *operiet oculum omnis terræ.* Nunquid enim terra oculum habet? Item idem de filiis Choræ: *Aperiens*, inquit, *terra os ſuum, devoravit illos.* Nunquid autem terra os habet? Item in libro Iudicum ait Gaal ad Zebul: *Ecce populus de umbilico terræ deſcendit.* Sed nunquid terra umbilicum habet? Iterum Eſaias dicit. *De ala terræ laudes audivimus.* Nunquid terra alam habet? David quoque ait. *Exultabunt campi & omnia quæ in eis ſunt.* Item idem, *flumina plaudent manibus, montes exultabunt.* Nunquid autem campi gaudere, flumina manus habere, vel montes poſſunt exultare? Salomon quoque ait. *Aves cœli portabunt verbum tuum, & qui habet pennas annuntiabit ſententiam.* Nunquid vel avis verbum dicere, vel habens pennas aliquid poteſt nunciare? Abacuc quoque propheta ait: *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt reſpondebit*: Num vel lapis clamare, vel lignum poteſt reſpondere? Moyſes. Verum quidem quod dicis fateor eſſe, in pleriſque locis ſenſum allegoricum neceſſarium eſſe: tamen quod de corporeis Dei lineamentis dixerunt prophetæ, ſi ſecundum literam exponatur, neſcio quare abſurdum dixeris eſſe. Petrus. Corporea accidentia quæ Deo aſcribitis, non niſi corporeæ ſubſtantiæ & rei imaginariæ congruunt. Deum autem huiuſmodi eſſe, indecens eſt credere. Non igitur convenit, quæ de DEO tanquam corporeo dicta ſunt, ad literam ſolam exponere. Si enim quis hoc ſentiat, & ſcripturæ pariter, & rationi contrarius extat. Moyſes. Volo oſtendas, quare quis ita accipiens ſit ſcripturæ contrarius. Petrus. Quoniam DEUM imaginem aut ſimilitudinem ullam habere dicamus, multis prophetarum auctoritatibus contraimus. Moyſes enim dicit filiis Iſraël. *Cuſtodite ſollicite animas veſtras. Non vidiſtis ſimilitudinem aliquam in die qua locutus eſt vobis Dominus in Oreb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem aut imaginem viri vel fœminæ, ſimilitudinem omnium iumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel avium ſub cœlo volantium, aut reptilium quæ moventur in terra, ſive piſcium qui ſubter morantur in aquis.* Cumque eis prohibuiſſet ne DEUM compoſitis corporibus aſſimilarent, veritus etiam ne forte eum ſimplicibus corporibus conformarent, adiunxit. *Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas ſolem ac lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus DEUS*

tuum

Iudæi ſcripturas ſecum nobiſcum legunt.

Exo. 7. 8. Exo. 14. Pſ. 77. Exod. 16. Num. 11. Ioſue 3. Ioſue 10. 4 Reg. 19. Eccl. 48. 4. Reg. 20. Dan. 4. Dan. 5. 1. Eſdræ 7.

Prophetarū dicta Iudæis velata ſunt.

Prophetarum libri quomodo legendi.

Scriptura nō ſemper literalē patitur ſenſum.

Exo. 10. Num. 16. Deut. 11. Iudic. 9. Eſa. 24. Pſal. 95. Pſ. 97. Eccl. 10. Abac. 2.

Lineamenta corporea Deus nō habet, ut Iudæi autumāt.

Deut. 4.

Imagines Iudæis quare Prohibitæ.

A B C D E F G H

A

tuus cunctis gentibus quæ ſub cœlo ſunt. Nec reputes Moyſen hæc populo præcipientem metuiſſe, quod prædictorum corporum figuras vel imagines adorarent, cum creaturas eſſe non dubitarent, ſed hoc potius timuit, ne D E V M imaginem alicuius horum habere crederent, & ideo pro eo huiuſmodi factas ſimilitudines adorarent. Moyſes. Subtilis admodum eſt iſta ſententia, nec ſenſu cuiuſlibet peruia, vnde adhuc aliqua patentior eſt mihi neceſſaria. Petrus. Eſaias propheta ait. *Cui aſſimilaſtis me, & æquaſtis dicit Sanctus?* Et rurſus. *Cui ſimilem feciſtis D E V M, aut quam imaginem ponetis ei?* Et iterum. *Cui aſſimilaſtis & adæquaſtis & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?* David quoque verba, D E V M non eſſe localem comprobant, vt per hoc conſequenter eundem corporeum non eſſe innuant. Ait enim. *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero ad infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Salomon quoque idem ſentiens dicit: *Ergo ne putandum eſt quod vere D E V S habitet ſuper terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto minus domus hæc quam ædificaui?* Et alibi: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Et Hieremias: *Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus? Nunquid non cœlum & terram ego impleo dicit Dominus?* Nunc liquido advertere potes, quoniam ſi D E V M corpus & omnia corporis membra habere dicentes, ſcripturas quarum hoc auctoritate volumus probare, ſuperficie tenus exponamus, omnibus ſupradictis teſtimoniis contra imus. Moyſes. Quia ſenſus meus quantum ſcripturis ſit contrarius video, quantum & à ratione deuiet, ſecundum promiſſum audire deſidero. Petrus. In magnæ rationis palacio accubituri ipſius palatij ſolum quibuſdam ſententiarum floribus ſternamus, vt poſt delectabilius in eo ratiocinaturi ſedeamus. Illæque ſententiæ erunt nobis quidam gradus ad comprobandum quod D E V S ſit, & ad cognoſcendum quid ſit. Prius enim debemus probare Deum eſſe, & poſt oſtendere nihil illi ſimile eſſe. Quædam enim pars hominum & D E V M eſſe negant, & mundum ab æterno ac ſine creatore fuiſſe confirmant. Quæ nos neceſſitas cogit, vt prius D E V M eſſe qui mundum creauit monſtremus. Moyſes. Quare hoc in prædictis de ſcripturis loquens minime feciſti, vt prius D E V M eſſe oſtenderes? Petrus. Qui ſcripturis fidem accommodant, D E V M eſſe non negant, ideoque non neceſſe fuit, probare hoc ſcripturæ credentibus, ſed tantummodo nulli ſcripto credentibus. Moyſes. Cum D E V M eſſe per ſcripturas nolis probare, ipſeque nullo ſenſu corporeo ſit comprehenſibilis, multum audire me iuvat, qua ratione philoſophica comprobari valeat. Petrus. Si mundum cum omnibus quæ in eo ſunt creatum eſſe monſtrauero, tunc D E V M qui interpretatur creator neceſſario eſſe concludam. Moyſes. Et quomodo hoc probare poteris? Petrus. Sapere tribus modis dicitur. Aliud enim eſt quod aliquod corporeo ſenſu percipitur, aliud quod neceſſaria ratione tantum cognoſcitur, aliud quod per aliarum rerum ſimilitudinem invenitur. Illud quod aliquo ſenſu percipitur, nullo alio argumento comprobari poteſt, vt aliquis à nativitate cœcus nullo alio modo niſi ſolo auditu colorum varietates diſtinguere poteſt, auditusque non ex toto ſatisfacit animo eius, & ſic de cæteris ſenſibus corporeis. Quod vero neceſſaria cognoſcitur ratione: tale eſt velut cum dicimus, aliquod corpus eodem momento moveri, & ſtare non poſſe: aut eſt & non eſt de nulla re veraciter prædicare poſſe. Illud autem quod per ſimilitudinem percipitur, tale eſt vt ſicubi vocem audieris, ibi aliquid vocale eſſe intelligis, quamvis minime videas, vel cum vbilibet fumum conſpexeris, illic ignem & ſi non videas eſſe cognoſcis. Itidem ſi vas aliquod factum conſpicimus, factorem eius aliquem fuiſſe pro certo ſcimus, & ſi

Eſa. 40.

Pſal. 138.

B

2. Paral. 2.

2. Para 16.

Hier. 23

C

Qui ſcripturis fidem accommodãt, Deũ eſſe credunt.

D

Sapere dicitur tribus modis.

Deum eſſe an probari poſſit.

In creatis videtur creator.

Rom. 1.

E

non videmus. Itaque mundum prius creatum eſſe debemus probare, vt ita conſtet, aliquem eius creatorem fuiſſe. Cumque mundi creatorem probauerimus, conſequenter quod ipſe creator nullam habeat ſimilitudinem ratione oſtendemus. Moyſes. Dignum eſt me ſermonibus tuis benedicere, à quibus tantum me credo fructum ſuſcipere. Promiſſum igitur comple: iamque palatium quibus dixiſti floribus ſterne. Petrus In hoc vero philoſophi omnes conſentiunt, quod principium rerum eſt perfecta ſapientia, lumen præclarum, ſubſtantia ſubſtantiarum, argumentum rerum vniverſarum, poſt hoc eſt mundus animæ vniverſalis, poſt illum vero materia. Hæc autem duo vniverſalis ſcilicet anima atque materia ſimplicia ſunt, & omnium creaturarum prima, totiuſque rei compoſitæ origo & cauſa, de quibus gradatim factum eſt firmamentum, cum omnibus quas poſſidet formis & imaginibus. Moyſes. Ex verbis tuis datur intelligi, firmamentum cum omnibus quæ in eo ſunt eſſe compoſitum. In pleriſque autem locis repperi ſcriptum, quicquid infra circulum lunæ eſt eſſe compoſitum, quicquid autem ſupra ſimplum. Petrus. Firmamentum quidem cum omnibus quæ continet in rei veritate eſt compoſitum, ſed reſpectu eorum quæ circulo ſubiacent lunæ dicitur ſimplum. Sic enim eſt in omnibus rebus, vt aliquid reſpectu eius de quo factum eſt dicatur compoſitum, reſpectu vero eius quod de eo fit, ſimplum. Eodem modo quicquid ſupra lunam eſt ad ea quæ ſub luna ſunt ſimplum eſt, quod de eo facta ſunt. Ad materiam vero compoſitum quoniam de ea eſt factum. Moyſes. Apertius intelligere volo, quomodo firmamentum cum vna ſit ſubſtantia dicatur compoſitum. Petrus Omne corpus eſt compoſitum, omne autem compoſitum, aut eſt ſubſtantiale, ut particiale: Subſtantiale, veluti cum vna ſubſtantia alij iungitur: particiale, cum vnius ſubſtantiæ partes coniunguntur. Subſtantia vero iungitur, vt caput ex oſſibus, carne, & venis inſimul iunctis componitur, velut ianua ex ligno & ferro compoſita. Sic omne quod diverſarum ſubſtantiarum coniunctione perficitur ſubſtantiale compoſitum dicitur. Particialis autem compoſiti ſubtilior eſt compoſitio. Quod patet per hoc quia omne corpus quod longitudinem, latitudinem, & altitudinem habens diverſo non iungitur corpori, ſolius ſuæ ſubſtantiæ componitur partibus, vt ſi argenti partes multæ iunguntur, donec aliquid ponderoſum ac ſolidum reddant. Hoc autem compoſitum, ſuperiori ſimplicius eſt: Illud vero ex toto dicitur ſimplum, quod huius vtriuſque compoſitionis eſt expers. Et quoniam firmamentum eſt corpus, tribus conſtans dimenſionibus, vere quidem eſt compoſitum. Moyſes. Rationem noſſe deſidero, quomodo omne corpus longitudine, latitudine, & altitudine conſtans compoſitum ſit. Petrus Omne corpus cuius natura in aliquam partem eſt mobilis, non movetur in eandem partem niſi per naturam ſuam. Notum eſt autem quod pars illa ad aliquam movetur per naturam, illa eſt eius naturalis locus. Cumque ita ſit, impoſſibile eſt vt vllam dimenſionem habeat ad aliam partem, quæ ſit contraria naturali eius loco. Quod ſi inventum fuerit ad aliam partem aliquam habere dimenſionem, aliquid horum duorum eſt cauſa quare id faciat ſcilicet vel quia extrinſecus eſt compoſitum, vt paries ex ſuperpoſitione lapidum iunctus, vel intrinſecus, vt arboris partes ab intimo prodeuntes, ſeſe hac illacque diffundunt, & aliquam dimenſionem recipiunt. His datur intelligi, quod quicquid aliquam habet dimenſionem, ad aliam partem, quæ naturali ſui motus parti contraria eſt, compoſitum eſſe. Ergo & firmamentum quamvis vna ſubſtantia ſit, compoſitum eſt. Moyſes Ratio iam firmamentum cum omnibus, quæ poſſidet perdocuit eſſe compoſitum. Quomodo autem in eo anima univerſalis & materia inveniri poſſit, quomodo ipſa ſint ſimpla neſcio. Petrus. Quomodo firmamentum

Principia rerũ quæ ſint.

F

G

Subſtantiale cõpoſitum quid ſit.

H

probatum

A

probatum eſt eſſe compoſitum, neceſſario concluditur aliquam eſſe materiam de qua conpoſitum ſit, vt lectus, cuius eſt materia lignum, vel cultellus, cuius eſt materia ferrum. Hanc autem materiam firmamento ſimpliorem eſſe neceſſe eſt, quemadmodum lignum lecto, & ferrum cultello ſimplius eſt. Et quoniam omnis materia ipſo quod de ea factum eſt ſimplior eſt, nec habet in ſe formam vel imaginem ſui compoſiti, patet firmamenti materiam nullam corpoream in ſe formam habere: & ideo omnino ſimplam eſſe. Quod ſi dicamus in ea aliquid compoſitum eſſe, aliam eſſe materiàm de qua compoſita ſit eſſe neceſſe eſt, quæ & ſimplior ſit. Sed & illam dicentes compoſitam, aliam fatebimur ſimpliorem habere materiam, & ſic in infinitum. Quod vt vitemus, neceſſe eſt vt materiam illam ſimplam eſſe fateamur. Ecce probatum ſatis eſt, in firmamento materiam, & ipſam ſimplam eſſe.

B

Animam autem in eodem taliter inueniemus, quia ſcilicet formæ illæ quibus ipſa materia eſt informata, non propter ſolum corporis complementum factæ ſunt. Formæ enim duobus modis dicuntur.

Formæ in ſupli ci ſunt d ff. ren tia.

Aliæ enim ſolum corporis oſtendunt terminum, vt triangulatio vel rotunditas, vel quælibet alia figura, in lapide ad nihil aliud valent, niſi quod ipſius corporis, figuram efficiunt. Aliæ vero & corpus informant. & ad quandam vtilitatem natura cogente habiles factæ videntur, vt auris forma ad audiendum, oculi ad videndum, & ſingulæ aliorum membrorum formæ aptæ ſunt ad ſuum officium. Item forma cultelli ad incidendum, ſerræ ad ſerrandum, raſtri quoque habilis eſt ad fodiendum. Et quoniam materia varias in ſe quas nunquam habuerat noviter formas ſuſcepit, conſtat quia eas non ex ſe ſed alterius rei adiunctione quæ & potior & ſimplior ſit habuit, quæ in ſe diverſas & formas & imagines fecit, maxime cum nulla neceſſitas eſſet, vt tales in ea fierent formæ vel imagines. Sed hoc magis ex deſiderio factum eſt animæ: quæ voluit commiſceri tali rei cui nunquam fuerat commixta ſimul & conglutinata, ex noua commixtione nouis eſt materia formis informata.

C

Quoniam igitur firmamentũ cũ omnibus quæ poſſidet compoſitum ſecundum philoſophos non dubitatur, neceſſe eſt vt principium habere credatur. Omne enim compoſitum, aliquod habet principium. Hoc igitur modo patet mundum eſſe creatum. Omne autem compoſitum, neceſſe eſt compoſitorem habere. Neque enim aliquid ſe ipſum poteſt componere, eodemque modo omne creatum creatorem habere neceſſe eſt. Nihil enim ſeipſum poteſt creare: Creatorem igitur mundi qui Deus dicitur eſſe neceſſe eſt.

Omne compoſitũ aliquod habet principium. Mundus eſt creatus. Mundi creator eſt Deus.

Moyſes. Adverſarius igitur inſiſtere poterit, dicens: compoſitorem iſtum vim vniverſalis animæ eſſe, quæ ſcilicet vis natura vocatur. Quæ inquam anima materiæ iuncta, firmamentum & omnia quæ ſunt in eo compoſuit & nullus alius rerum compoſitor aut creator eſt. Petrus. Quod dicis, ſtare non poteſt. Quoniam enim videmus formas quibus materia informata eſt, varias & ad varios vſus habiles eſſe, naturam ipſam cuius admixtione & potentia, factæ ſunt formæ, conſtat non omnino laxum ſed reſtrictum quodammodo poſſe habere.

D

Sed hanc reſtrictam naturam reſtrictorem aliquem, qui tamen à nullo reſtringatur habere neceſſe eſt. Moyſes. Reſtrictorem iſtũ animam ipſam eſſe reſpendeo, quæ vim ſuam prout libuit ſibi reſtrinxit. Petrus. Opera talia eſſe animæ non poſſunt, ſed talis factoris, qui per ſe perfectus ſit ſapientia. Anima autem perfectam non habet ſapientiam. Moyſes. Qua ratione potes monſtrare, quod anima perfectam non habet ſapientiam? Petrus. Quia ex quo anima commixta eſt materiæ, & materia eſt animæ incorporata, nunquam poſtea dolorum viciſſitudine & voluptatum caruit anima.

Sapientiã perfectã anima non habet. D lcia nõ meretur, qui non guſtauit amara.

Nulla quippe voluptas oritur, niſi dolor præceſſerit: vt nemo vnquam delectatur bibendo, niſi prius doluerit ſitiendo, nemo delectatur comeſtione, niſi præceſſerit dolor in fame, aut etiam in requie, niſi ante doluerit ex labore. Sed & ſic in cunctis affectibus. Ratio autem corporea ſe contagione denudans, & ſe ipſam puram conſiderans, perpendit illud quod nihil ſentit melius & dignius eſſe eo quod tot diverſarum paſſionum accidentibus non ſubiacet. Conſtat igitur animam non perfectã habere ſapientiam.

E

Ratio de putatur ad optima.

Alia item de eadem re poteſt dari ratio, quod ſcilicet anima cum rationem exuit, ſtatim luxuriam, furta, homicidia, & cætera diligit vitia, quæ perfectæ rationis execratur ſapientia, vnde iterum euidens eſt, imperfectam eſſe animæ ſapientiam. Probatum igitur ſatis eſt illis qui ſcripturis non credunt, alium eſſe factorem, cuius per ſe perfecta ſit ſapientia, ſicut patet per rationem nobis ab eo attributam, opera animæ ſine ipſa ratione eſſe vitioſa & quodammodo turpia.

Animæ opera ſine ratione vitioſa ſũt.

Conſequitur ergo illum per quem rationem accepimus, non animam ſed alium eſſe, quoniam fieri nequit, vt is qui rem aliquam abhorret, vel execratur, eam facere velit.

F

Sequitur quoque ex hoc, animam imperfectæ, datorem vero rationis perfectæ eſſe ſapientiæ. Cumque ratio operetur in anima, neceſſario dator rationis factor eſt animæ. Quod cum ſit, & anima vt ſuperius probatum eſt, in materia omnia compoſita fotmauerit, concludi indubitanter poteſt, quod qui rationem dedit, & omnia fecit, & omnium cauſa exiſtit. Et hæc quidem de anima ſententia, vtique eſt philoſophica. Dicunt enim philoſophi, quod rationalis anima procedit de vniverſali.

Iudæorũ & philoſophorũ de anima hominis opinio.

Iudæi autem vt noſti, omnes animas in mundi principio ſimul aſſerunt eſſe creatas, & in loco vno repoſitas, & quouſque incorporentur omnes, non eſſe diem venturum iudicij, & ex quo incorporabuntur, ſtatim provenire finem mundi. Chriſtiani vero aſtruunt nouas quotidie animas procreari, formatiſque nouis in ventre corporibus infundi. Quicquid autem de anima credere eligas, procul dubio vt dictum eſt, qui rationem dedit, omnia fecit, & omnium cauſa exiſtit. Oportet autem hunc creatorem qui perfectam habet ſapientiam æternum exiſtere, & nec creatum nec nouum eſſe, quoniam ſi hic aut creatus credatur aut nouus, alium vtique creatorem neceſſe eſt habeat aut nouatorem.

G

ſam. 1. Creator p[in]cipio & fine caret.

Nihil enim ſe vnquam creare aut nouare poterit, & ſic creatorum aut nouatorum numerus fine carebit. Factoribus autem fine carentibus, factura quoque nunquam ad certum terminum perueniet. Credendum ergo eſt primum factorem, nec creatum eſſe nec nouatum, ſed neceſſario æternum. Præterea non compoſitum ſed ſimplicem credere convenit eum. Omnis enim compoſitio motus eſt: & actus ſimplicis rei. Item quod prius eſt, principium habere non poteſt. Compoſitio autem omnis aliquod habet principium. Creator ergo primus non eſt compoſitus, ſed neque eſt corporeus. Omne enim corporeum, vt ſupra latius diſſeruimus, eſt compoſitum. Item neque mobilis eſt. Omne enim quod mouetur, partibus conſtat. Sed quicquid partibus conſtat, compoſitum eſt. Quod autem primum eſt omnium non eſt compoſitum. Igitur nec mobile eſt. Rurſus omnis motio in corpore ſit, ſiue ſit recta motio, veluti cum quis vnum deſerens locum occupat alium, ſeu ſit motio in gyrum, cum aliquid ſcilicet in eodem exiſtens loco vt firmamentum verſatur in orbem, ſiue ſit motio partium alicuius rei ad invicem facta, vel ab extremis ad medium, vel à medio ad extrema, veluti fit in partibus aëris, ſeu ſit motio rei in eodem quidem loco exiſtentis, ſed per quædam quaſi incrementa hac illacque ſpaciantis, quemadmodum in ramis arborum paulatim ad omnes partes creſcentibus fit.

H

Deus nõ mouetur.

Hæ autem omnes motiones, non niſi in corpore fieri poſſunt. Sed quod primum omnium eſt, corporeum non eſſe probatum eſt. Igitur nec variatur, nec corrumpitur. Iterum, nec creſcit per ſe: nec augetur aliunde: Omne enim quod vel incrementum recipit, vel augmentum, proculdubio eſt & compoſitum. Sed quod primum eſt omnium, ſupra oſtendimus non eſſe compoſitum. Igitur nec creſcit nec augmentatur. Item non decreſcit. Quod enim decreſcit corrumpitur. Sed

quod

A

quod omnium primum eſt non corrumpi probatum eſt : Igitur nec decreſcit. Rurſus nullius creaturæ in aliquo ſimilitudinem habet. Similitudo enim qualitas eſt. Sed quod primum omnium eſt, nulli ſubiacet qualitati. Ergo nec ſimilitudini. Item ponamus, quod alicuius creaturæ ſimilitudinem habeat. Sed evidens eſt quod ſimilitudo aliquorum duorum alium parificat alij, velut ſi dicantur in albedine ſimiles, albedo alterius par eſſe debet albedini alterius, ſimiliter de nigredine, & de omni re, quæ inter aliquos ſimilitudinem facit. Quare ſi hoc eſſet, quod primum eſt omnium, primum ſimul eſſet atque noviſſimum & quod noviſſimum, noviſſimum ſimul atque primum : Quod utrumque quantum inconveniens ſit, neminem latet. Iterum cum materia quæ creata eſt nullam in ſe habeat formam vel imaginem, multo minus Deus ipſius naturæ creator, qui ſimplioris & ſubtilioris eſt naturæ ullàm putandus eſt habere ſimilitudinem. Promiſſum ergo complentes, Deum nullam habere ſimilitudinem, lucide ut opinor per rationem probavimus. Moyſes. Gratias Deo & tibi, quoniam omnium creatorem nulli creaturæ ſimilem eſſe, nullum principium aut finem habere, ſine ullo dubitationis cognovi obſtaculo. Patuit etiam ex verbis tuis Deum creatorem omnium rerum radicem & fundamentum principaliter eſſe, ſecundario vero, animam & materiam & quod Deus fecerit animam, & quod anima à Deo facta, operetur in materia. Scrupulum autem unum qui adhuc mentem remordet, tua ſagacitate expoſtulo enodari. Legi ſiquidem in libris philoſophorum pleriſque, quinque ante mundi conſtitutionem fuiſſe, Deum ſcilicet qui omnium rerum originem tenet, poſt eum vero animam & materiam, tempus & locum. Cum ergo de tribus præcedentibus diſſerueris, valde miror quare de ultimis duobus nullam feceris mentionem. Petrus. Quia nihil ad præſentem pertinent tractatum, de eis loqui iudicavi ſuperfluum. Moyſes. Et ſi à tractatu videtur alienum, tamen quid tu de his ſentias audire deſidero, quia ſapientes Catholici ad quorum fidem tu converſus es, longe aliter de his ſenſerunt, quam antiquorum Philoſophorum libri loquantur. Nam Catholici hæc principium habuiſſe : philoſophi autem veteres æterna teſtantur eſſe. Petrus. Illis proculdubio fidem adhibeo, qui ea non cum mundo, ſed ab antiquitate fuiſſe dixerunt. Moyſes. Qualiter hoc poſſit conſtare, per rationem deſidero noſſe. Petrus. Locus duobus modis dicitur. Aliquando enim cauſa alterius rei, aliquando per ſe. Alterius cauſa dicitur, dum alicui loco res aliqua inſeritur, & ipſe dicitur eſſe locus illius rei, dum res illa in eo conſiſtit, & locus dicitur partialis. Quod ſi res illa à loco ipſo diſceſſerit, locus unum quod prius habebat ſcilicet relationem amittit, quia iam illius locus eſſe non dicitur. Locus autem per ſe qui univerſalis dicitur, vacuitas quævis vocatur, de quo non debemus exiſtimare quod cauſa eius rei quæ eſt in eo exiſtat, quoniam locus ſemper rem præcedere debet, quæ in eo futura eſt. De quo videlicet loco, talis eſt Platonis ſyllogiſmus. Omne ait quod totum conſiſtit per aliud totum, ſi corrumpatur pars quælibet eius, quod eſt cauſa conſiſtendi, corrūpitur utique & pars eius, quod illius cauſa conſiſtit. Si vero eius quod per aliud conſiſtit pars corrumpatur, non tamen neceſſe eſt eius quod cauſa eſt conſiſtendi partem ullam corrumpi. Cum ergo locus ſit cauſa exiſtendi ei rei quæ in eo eſt, neceſſario concluditur non ideo partem aliquam loci corrumpi, quia quævis rei in eo conſiſtentis pars corrumpatur. Quo conceſſo, conſequitur & hoc quod locus non alterius cauſa conſiſtit. Ad huius rationis evidentiam talem inducamus ſimilitudinem. Si montem aliquem de qualibet mundi parte ablatum dicamus, nō ideo locus ille in quo conſiſtebat, eſt imminutus. Nomen itaque priſtinū perdidit, quia iam illius montis locus vocari non poterit, ſed univerſalis loci ibidem & nomen & natura reman-

Deus nullius creaturæ ſimilitudinem haber.

B

C

Locus duobus modis dicitur.

D

E

ſit. Rurſus cuiuſlibet hominis ſervum mortuum dixeris. Nunquid quia ſervus eſt mortuus ideo Dominus ſuus eſſe iam deſiit ; Non, ſed Domini tantum nomen quod eius reſpectu habebat amiſit. Patet ergo quod dimota re quæ in loco quolibet eſt, partialis utique loci nomen mutatur, ſed loci ſubſtantia minime tollitur. De tempore etiam ait, quia eſt ſubſtantia per ſe exiſtens, & non accidens, quod alterius cauſa ſubſiſtat, verbi gratia, ſi ponamus vas cum aqua ad cognoſcendum tempus ſingularum horarum, non æſtimandum eſt vas illud cauſa exiſtendi, ſed tantum diſcernendi ſignum temporis eſſe : Neque enim aliter tempus eveniret & ſi vas illud non eſſet. Ad hunc quoque modum debemus intelligere, firmamentum nequaquam cauſam, ſed menſuram & ſignum tantummodo temporis eſſe, ſed tempus ſcilicet ſimplum, ſine ſigno & menſura, & ulla diſcretione eſſet, ſicut & tempus horarum diei indiſcretum maneret, ſi vas cum aqua ſignatum non eſſet. Nunc ita breviter omnia concludamus. Probatum eſt Deum omnium rerum eſſe factorem, quem ſua nobis indicant opera, quia de perfecta prodeunt ſapientia : animam autem & factam eſſe, & factricem, quia facit aliquid in materia nec tamen corpoream, tempus etiam & locum per ſe exiſtentia non corporea, ſed tamen ſubſtantialia eſſe, materiam vero factam quidem, ſed factricem non eſſe. Moyſes. Apertæ rationi claritas de pectore meo totius dubitationis expulit tenebras. Cognovi ſiquidem mundum cum omnibus quæ in eo ſunt factum eſſe, non æternum. Sed hoc tibi reſtat ad tui operis perfectionem, contra eos videlicet qui mundum ab æterno dicunt fuiſſe, aliquam quæ deſtruat dare rationem : Dicunt enim ita. Quid viſum eſt creatori ſummo, in tam ſubita & novella rerum creatione, cum eas iamdudum non creaſſet? Nefas enim eſt inquiunt credere de Deo, quod aliquid vel recordatus fuerit, vel ſubito viderit, quod olim aut oblitus eſſet aut non vidiſſet. Contra hanc eorum quæſtionem, nullam ante hac inveni ſolutionem. Petrus. Noſſe debes, omnium actionum tres eſſe radices. Actio enim alia eſt quæ debet eſſe, alia quæ non, alia ſimpliciter bona. Illa quæ debet eſſe talis eſt, quam ſi facias, grates habebis, ſi vero non facias, culpaberis. Quæ vero non debet eſſe, ſi facias gratus eris, ſi vero non facias, non tamen culpaberis. Hæc ultima & menſura caret & tempore : velut ſi quis hodie eleemoſynam faciat, non eſt inquirendus quare non fecerit heri. Similiter ſi unum dederit nummum, non eſt inveſtigandus, quare non dederit duos. Et quoniam totius mundi creatura eſt bona, teſte etiam ſcriptura quæ ait : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* Non eſt inquirendum cur hæc non fecerit antea. Moyſes. Iuſte tibi à Deo opto magnum præmium dari, eo quod quæſtionem non credentium mundi conſtitutionem contra credentes, tam ſubtiliter perſolviſti. Nunc quod ſupradixiſti volo patefacias, quomodo omnia ex coniunctione animæ cum materia gradatim ſunt facta. Petrus. Dicunt philoſophi, quia cum coniuncta & conglutinata materiei eſt anima, Primum omnium formatum eſt, & cōpoſitum firmamentum maius, in quo nulla ſunt ſydera, & quod circulos omnes facit moveri. Poſt illud autem formatus eſt ſignifer circulus in quo X I I. emicant ſigna. Tertio loco factus eſt circulus ſyderum, quæ ſemper ſitum ſuum ſervantia, in ſuis locis perdurant fixa. Quarto loco, Saturni locatus eſt circulus. Quinto autem Iovis eſt orbis locatus. Sextum porro locum, Martis ſibi vendicat enſis. Septimo autem Solis circulus lucet. Octavum, Veneris poſſidet globus. Nonum, Mercurius ſortitus eſt, dat lunæ partes decimus locus inferiores. His vero circulis completis omnibus, & conctis quæ in eis ſunt, tunc cœpit motus iſte rotundus, qui dicitur ſimplex & perfectus, & genuit ille motus in materia calorem, qui effuſus eſt per eam ipſaque eum receperit, & inde facta ſunt quatuor elementa ignis, aër, aqua,

F

Mundū ab æterno fuiſſe quidam philoſophi blaterant.

Actionū tres radices.

G

Gen. 1.

quomodo omnia gradatim facta ſīt

H

A

Quomodo elementorum origo.

& terra. Conſtat autem quia omnis motus qui de aliquo movente procedit, & omnis virtus cuiuſlibet virtuoſi, quanto proximiora ſunt his de quibus prodeunt, tanto maiorem vim & fortitudinem obtinent, quantoque remotiora ab eis fuerint, tanto molliora atque debiliora redduntur. Quod quoniam ita eſt, patet quia calor ille qui de motu firmamenti proceſſit, in locis vicinioribus multo plus incaluit, & concremans fuit, factuſque ignis eſt videlicet ſiccæ naturæ & calidæ.

Ignis.

Quia vero paulíſper calor ille longius à firmamento receſſit, vim ſuam iam modicum amittens aliquantulum tepuit, & debilior fuit, ſed & ſe hac illacque commovit, unde facta eſt natura aëris calida & humida.

Aer.

Omnis enim calor quamdiu fortiſſimus eſt, deſiccat & comburit. Ex quo vero tepeſcit, molleſcere rem ac liquefieri facit. Quomodo autem adhuc longius, à firmamento receſſit, radice quaſi procul exiſtente vigorem amiſit, & ideo natura frigida perſtitit, & facta eſt liquida & ponderoſa, Et quoniam longius adhuc quam erat à firmamento receſſit, ipſa frigiditatis natura propter nimiam remotionem reddita eſt fortior, ſpiſſior, congelatior, & durior, factáque ſicca & frigida, & ipſa eſt terra.

Aqua. & Terra.

Completa itaque hoc modo elementorum natura movit ea natura, & vis firmamenti, ad faciendam voluntatem & iuſſionem Dei. Cúmque vis firmamenti ſic ea ad invicem cuncta moviſſet, commixta pariter & coniuncta inter ſe ſunt, & ex ipſa eorum commixtione genita ſunt alia minora corpora, inanimata, animata, & animalia. Inanimata quidem, ut lapides & metalla, aliaque quæ intra terram continentur nec creſcunt, ut vivum argentum, ſulphur, & cætera: animata vero, ut arbores & herbæ: animalia autem & irrationalia ut bruta, & rationale, id eſt, homo, qui factus eſt poſt omnia.

Homo poſt omnia creatus eſt.

Omnis igitur creatura exordium cœpit ab univerſali anima, & terminatur in homine gradatim ab uno in aliud migrans. Sunt igitur anima atque materia ſimplæ: & omnium ſubiectorum ineffabili ſummi creatoris diſponente providentia factrices. Quicquid autem ab his inferius

C

eſt, ſuperni rectoris voluntati obtemperans, facti pariter & facientis tenet officium. Singulum enim eorum & fit à ſuo ſuperiori, & facit ſuum inferius ita. Unde & de eiſdem David propheta ita præcinit dicens: *Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.* Ea etiam omnia licet diverſa, ita tamen divina reſtringit potentia, ut in nullo penitus ſibi repugnantia videantur aut diſſona.

Pſal. 102

Pſal. 148

Quod idem David alio loco ſic teſtificatur dicens: *Laudent nomen Domini, quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Statuit ea inſeculum, & inſeculum ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit.* Sed unumquodque inferiorum ſuperioris reſpectu ſimplum, inferioris vero dicitur compoſitum. Corpus autem humanum quod omnibus inferius eſt eo quod ſub eo nihil eſt, ad quod ſimplum dicatur, ex toto compoſitum non immerito dicitur, factuſque eſt homo de ſimplici omnino creatura, idem anima, & corpore omnino compoſito. Perfudit itaque

D

eum & illuſtravit Deus ſuæ celſitudinis ſapientia, per quam cognoſceret & diſcerneret omnia. Facta eſt igitur ſpecies hominis inter omnes ſpecies animalium melior, & elegantior, & in omnibus præſtantior. Unde haud iniuſte minor mundus vocatur.

Homo quare dicatur minor mũdus.

Moyſes. Rem difficilem & multis obſcuram atque ignotam, luculento & ſatis aperto ſermone demonſtraſti, iamque de tuis verbis iſtis. quid Moyſes potuerit ſignificare in principio libri Geneſeos ſecundum philoſophiam aperte intelligo. Ait enim: *In principio creavit Deus cœlum & terram,* idem animam univerſalem atque materiam.

Gen. 1.

Gradatimque omnes enumeravit creaturas, donec pervenit ad hominem, qui per dierum ſucceſſionem ſexto tandem die eſt creatus.

Homo ſexto die creatus.

Sed in hoc alia quibuſdam Deum mundi creatorem eſſe minime credentibus, quæſtio oritur, quæ talis eſt. Si omnia (inquiunt) mundana non per ſe ſunt creata, ſed alius eſt creator qui cuncta creaverit, cum ipſe ut dicitis omnipotens ſit, cur hæc om-

E

nia non in uno, ſed in tot dierum ſpacio pauliſper operando complevit. Ad hæc quid reſponderi debeat, conijcere neſcio. Petrus. Non patitur ratio, ut quoniam una creatura tardius eſt creata quam alia, ideo ſummus earum creator minus potens credatur. Neque enim in hoc eius fuit impotentia, ſed quia ipſarum creaturarum altera mollior, altera durior fuit in ſuſcipienda ſua creatione & forma, veluti ſi accipias maſſam unam in qua ferrum, æs, & plumbum, ſtannum, pix, & cæra, ſimul ſint poſita, & hanc maſſam ex omnibus iſtis commixtam, uno eodemque momento in ignem miſeris totam, nunquid omnia uno eodemque temporis ictu liqueſient? Non utique, ſed prius cæra, poſtea pix, dehinc ſtannum, deinceps plumbum, poſt æs, ad ultimum ferrum liqueſiet. Imputas igitur hoc ignis virtuti, quod alia aliis citius liqueſiant, an eorum variæ aſcribis debilitati? Moyſes Virtutem ignis eandem eſſe erga omnia nemo dubitat, ſed eorum quæ molliora ſunt citius, quæ vero duriora tardius liqueſiunt.

F

Sex dierũ operatio nõ arguit Dei impotentiam.

Petrus. Eodem modo in creaturis mundi non alia de cauſa tot dierum tranſivit mora, niſi quia quædam earum tardiores fuere in ſuſcipienda forma. Moyſes. Dubitationis errore ſublato iam veritatis lumen aſpicio. Petrus. Aperta ſatis & firma cuilibet eſt hæc oratio, quam & argumentorum & rationis undique fulcit probatio. Sed veſtri doctores dum in quibuſdam pertinaciter nobis obſiſtere conantur, ipſi etiam ſibi contrarij inveniuntur. Moyſes. Mihi velim ſi placet oſtendi, quis nam error iſte ſit. Petrus. Dicunt enim, quod Deus cum firmamentum conſtituit, perficere penitus nolens cuiuſdam magni foraminis ſpacium in ſeptentrionali parte imperfectum reliquit. Quod ob hoc videlicet eum feciſſe aſſeverant, ut ſi quis aliquando exurgens & ei æqualem ſe faciens Deum eſſe ſe diceret, ipſe Deus illius ſpacij perfectionem ei opponeret dicens. Si Deus es ut ego, locum illum claude ſi potes, quem apertum reliqui ego. Hoc autem quam patens mendacium ſit, nullius oculi aciem latet. Septentrionalis etenim poli axem altiſſimum ſemper ſuper nos, nec unquam occultari conſpicimus, ipſumque totum integrum perfectumque videmus. Perpen-

G

dis igitur, quam manifeſtus ſit error iſte? Moyſes. Perpendo quidem, & hunc ſermonem omni rationis vigore deſtitutum cognoſco. Petrus. Nonne adhuc mendacium quod de Chore clavibus confinxerunt, multo inhoneſtius & abſurdius eſt? Moyſes. Quo pacto tibi mentiri videntur? Petrus. Dixerunt ut ipſemet noſti, quoniam Chore dum heremum cum Moyſe & filiis Iſraël præteriret: trecentos habebat camelos onuſtos, nihil aliud ferentes niſi ſolas claves theſauri eiuſdem, quæ claves de vaccarum corrigiis factæ erant omnes, ut levius ferri poſſent.

Rabini Iudæorũ admodũ ſtulta docent.

Computemus ergo ſi placet ô Moyſes, & utrum hoc ſtare poſſit videamus. Demus ad minus libræ VI. claves, & quod quiſque camelus ad minus ſexcentas tulerit libras, eruntque claves quas unus camelus ferebat, tria millia ſexcentæ. Fient itaque claves CCC. camelorum, mille & LXXX. millia. Sed cum quæque clavis ad minus unius ſit ar-

H

chæ: quot ſunt claves, totidem procuidubio erunt & archæ. Dentur itaque cuique camelo ad minus duæ archæ, & erunt cameli archas ferentes quingenta & quadraginta millia. Sed & ſecundum conſuetudinem divitum quibus maior cura de cuſtodiendis divitiis eſt: oportuit ad minus duos camelos unum habere cuſtodem, qui theſauros cum ſumma ſervans diligentia, vix etiam dormitaret, invenienturque camelorum cuſtodes ducenta, & quadraginta millia. Libro autem atteſtante didicimus, quomodo exercitus Chore per domos & cognationes & familias ſuas, non erant niſi octo millia ſexcenti. Huic ſimile non minus ridiculoſum eſt illud, quod dicunt filiis ſcilicet Iacob patrem ſuum ad ſepulchrum portantibus, filios Eſau ſuum ſimiliter patrem ad ſepulchrum deferentes cum magno comitatu eis occurriſſe: Cumque utrimque magnus eſſet exercitus,

Ridiculoſum Iudæorũ figmentũ.

& ſingulæ partes ſepulchrum ſibi vendicare vellent, filium Dan montem aſcendiſſe dicunt, & tantæ magnitudinis præcidiſſe lapidem, quanta multitudo eſſe poterat totius exercitus Eſau, ipſamque molem capiti impoſitam attuliſſe, ut ſuper hoſtium cuneum, eum proiiciens, omnes uno proſterneret ictu. Cumque adveniens iam ambos cuneos concordes inveniſſet, molem quam attulerat in mare proiecit, cuius magnitudine aqua maris terminos ſuos excedens, duas civitates ſui effuſione ſubvertit, & ipſæ ſunt quas longo tempore poſt Pharao res Ægypti filios Iſrael ædificare præcepit. Nonne quæſo hæc adinventio tibi iuſte ſummo riſu digna videtur? Cum enim Iacob filij, duodecim adhuc tantummodo eſſent, viri Eſau de tribu ſua iam CCCC. exiſtebant. Nunc igitur numero filiorum Iacob aucto, quanto maior exiſtimari poteſt filiorum Eſau numerus fuiſſe? Tantam igitur oportuit eorum eſſe multitudinem, ut & filiis Iacob, & toti Ægyptiorum genti quæ cum Ioſeph venerat obſiſtere potuiſſet. Nunc igitur iudica quid horum admiratione ſit dignius, ſcilicet vel ubi tantum invenerit montem, vel quo monte tam miræ magnitudinis molem, vel quomodo in capite tanti ponderis geſtare potuiſſet lapidem, ut tam magnam proſternere poſſet cohortem. Non minus ſtupendum eſt illud monſtrum, quod Og rex Baſan videns ingentem exercitum Iſraël, ſexcenta ſcilicet millia, & quatuor
Num. 20 millia, & D. viros à XX. annis & ſupra, exceptis mulieribus & parvulis qui ſupputari non poterant, molem inauditæ magnitudinis capiti ſuo impoſuit, & cum ea expeditionem totam proſternere voluit, ſed upupa avis minima moli ipſi ſubſedit, & tam diu roſtro ſuo eam contudit donec foramine magno iuxta quantitatem capitis eiuſdem regis peracto, moles caput tranſiliens, in eiuſdem humeris ſubſedit. Capite autem ſano & toto corpore incolumi, fortaſſis adhuc à collo ſublevaſſet, niſi adauctorum ſubito dentium quantitas impediſſet. Mox enim ut lapis in collum deſcendit, dentes ſibi repente ita ſunt adaucti, quod cum voluit iam ſublevare minime potuit. Quod Moyſes intuens, cuius corpus decem cubitos habuiſſe aſſeritis, & totidem eius virgulæ aſcribitis, ſe ſuper terram in modum ſalientis decem cubitos erexit, ut eum in aliquo corporis loco cum virga percuteret. Si ergo computes decem cubitos quibus a terra elevatus eſt, & decem eius corporis cubitos, & decem alios quos virga in altum porrecta habebat, à terra ad ſumitatem virgæ triginta invenies cubitos. Sed cum in tantum erectus eſſet MOYSES, virgæ tamen ſummitas qua eum percutere intendebat, nequaquam ulterius attingere potuit, quam ad eum nodum quo ſura iungitur pedi, quæ vulgo cavilla vocatur. In quo quidem cum eum percuſſiſſet, continuo cadens exſpiravit. In hoc cognoſcere quilibet poteſt, quod à planta pedis quam in terra fixam tenebat uſque ad nodum in quo percuſſus eſt, triginta cubitos habebat. Ab eo igitur loco uſque ad ſummum, non minus quam octingenti cubiti erant, ſolumque caput decem cubitis facile conſtare poterat. Vnde ſequitur, quod avis illa molem ipſam decem cubitis perforavit. In quo facto quot ſunt miranda, quidue potius mirer cum conſidero, ſtupeo. Vbi enim vel tantum lapidem invenire, vel qualiter tantum pondus potuit portare? Aut quomodo tam parvula avis tantum, tam durum, tamque ſpiſſum ſaxi corpus tam cito valuit penetrare: quove pacto dentes ei tam cito creſcere? Aut qua ratione tam immenſæ & inauditæ magnitudinis credendus eſt fuiſſe, præſertim cum lex dicat, lectum eius ferreum non niſi
Deut. 3. novem cubitos habuiſſe: quove pacto tantus homo tam facili vulnere cecidiſſe? Libet adhuc aliud innoteſcendo ridiculum, maiorem eorum fatuitatem oſtendere.

Iudæorũ fatuitas pulchre deſcribitur.

Aiunt enim quod Moyſes pro lege ſuſcipienda in cœlum aſcendit, & ibi cum angelis taliter altercatus ſit. Dicebant enim (inquiunt) angeli. Legem hanc te minime ferre ſinemus, quam nobis plus quam filiis Iſraël neceſſariam ſcimus. Ad hæc Moyſes inſolita viſione perterritus, nihil reſpondere præſumpſit, ſed Domino ſe confortante ut ſecure reſponderet, & præcipiente, ait angelis. Cum lex hæc regendorum corporum præcepta contineat, non ſatis conſidero, quid vobis qui ſpiritualis tantum creatura eſtis ſit neceſſaria. Angeli quid ad hæc dicerent non habentes, victi conticuerunt. De Moyſi igitur victoria Deum riſiſſe, & valde lætatum eſſe dicitis, & ita Moyſen poſt triumphum cum lege alacrem deſcendiſſe: Quot quæſo fatuitatis diverſitates in hac continentur laſcivia? Quomodo enim Moyſes corporis mole depreſſus, altitudinem cœli conſcendere potuit, aut quomodo Deo dare legem volente, angeli prohibere? Quid iterum ſtolidius eſt quam dicere, Deum angelis victis exultare, & puerili more ridere? Item ſi angeli ut dicitis tam avidi illius legis retinendæ erant, cur eam non prius à Deo quæſierant? vel quid contentionibus proderat eis deſævire? Poterant enim legem ipſam etiam ſimul cum Iudæis obſervare, nec erat ratio cur eam Moyſi deberent inhibere. Non minus his omnibus cuilibet præſtat ridiculum, aliud quod ipſi memorant factum: Dicunt enim angelum mortis cuidam viro apparuiſſe nomine Ioſue, filio Levi doctori, eique dixiſſe. Ad hoc veniſſe me ſciàs, ut animam tuam ſuſcipiam, & moriaris. Nequaquam inquit ille quod commones faciam, niſi prius mihi paradiſum oſtenderis. Suſceptum igitur angelus in alis ſuis, duxit ad locum unde videret paradyſum. Callidus autem ille de alis eius delapſus, in paradiſum cadere ſe permiſit.

Aliud Iudæorum ridiculũ.

Angelus deceptum ſe eſſe dolens, irato nimis vultu, egredere ait ut moriaris. Nequaquam ait ille egrediar. Cumque ſecundo ac tertio angelus idipſum cum magno clamore repeteret: & ille eius verba negligeret, commotus nimium angelus, ad Deum pergens huius rei querimoniam fecit. Deus autem eum redire rogavit, ut hominem illum ex Dei nomine de paradiſo egredi præciperet. Veniens itaque angelus ad paradiſum, ait: Deus ut egrediaris præcipit. Iuravit ille, & ait. Per Deum non egrediar: Rediit angelus ad Deum & dixit: Iureiurando ſe nunquam inde egreſſurum firmavit. Dans itaque iudicium Deus reſpondit. Omnia volumina vitæ & actuum eius revolue, & diligenter relege. Si quando eum iuraſſe, & periuraſſe inveneris, modo quoque nihil ſibi iuraſſe valebit. Si autem nunquam periurum eſſe probaveris, non in hac vice timebis. Volumina itaque omnia angelus ſtudioſe diſcutiens, nunquam periuraſſe invenit. Dimiſit ergo eum victus, qui ut dicitis uſque in præſentem diem incolumis permanet atque vivus. Conſidera quæſo quam riſu digniſſima in hoc poſſunt notari ſermunculo. Quid enim plus miremur? an fatuitatem angeli qui callidam hominis artem non prius agnovit, an hominem audito per angelum Dei præcepto contra ipſum præceptum auſum fuiſſe iurare, an dicamus Dei impotentiam fuiſſe, quod non niſi per nuncium eum de paradiſo potuiſſet expellere: an aſcribamus Dei ignorantiæ: quod non aliter ſcire potuit utrum periurus fuiſſet, niſi eius vitæ libros revolui iuberet? Nonne hæc omnia fatuiſſima ſunt? Quod ſi omnia quæ doctores veſtri ſimilia his conſcripſerunt poneremus, multos ſicut & ipſi libros nugarum fabulis impleremus. Pauca autem induximus, ut eorum vel ſapientia, vel fatuitas, cunctis pateſceret. Hoc itaque eſt quod tibi ſuperius dixi, verba doctorum veſtrorum non aliud videri, quam verba iocantium in ſcholis puerorum, vel nentium in plateis mulierum. Sed dic precor ô Moyſes, talium hominum vel legem ſuſcipiendam, vel auctoritatem iudicas comprobandam? Eruat te divina miſeratio, de eorum execrabilibus præceptis atque conſiliis, quemadmodum & me, licet non meis eripuit meritis, & te mecum pariter ſalutiferis ſubdat imperiis, quatenus utrumque pariter ditet ſuis ineffabilibus præmiis.

FINIS.

A

TITVLVS II.

De cognoſcendæ præſentis Iudæorum captivitatis cauſa tractat, & quam diu durare debeat.

MOYSES.

QVONIAM quæcunque noſtri doctores divinæ maieſtati indigne applicant, tu omnia inexpugnabilium luce rationum, nec ſcripturæ auctoritate, nec cuiuſlibet rationis vigore conſiſtere poſſe monſtraſti, nunc ad ſecundam propoſitorum partem in qua de noſtra es captivitate locutus, veniamus ſi placet.

B

Dixiſti enim (niſi menti excidit) nos tali modo ſperare captivitatem evaſuros eſſe, quo ſcilicet modo nequaquam poſſumus evadere. Nunc itaque propter hoc quæro, utrum nos illo quo credimus, ſed alio, an etiam nullo, quod abſit, modo evadere concedas. Petrus. Eo quidem modo quo ipſi æſtimatis non credo, ſed alio modo vos evaſuros eſſe non abnego. Moyſes. Quare eo quo dicimus liberari nequaquam poſſimus modo, & quisnam ſit liberationis modus, audire deſidero. Petrus. Cum Chriſtum filium Dei eſſe, aut in mundum pro humani generis redemptione negaveritis veniſſe, & eius præcepta nolueritis ſervare, liberari nequibitis à captivitate. Si vero eum & Dei filium eſſe, & iam veniſſe credideritis, & mandata eius cuſtodieritis, ſtatim de captivitate exibitis. Moyſes. Quam auctoritatem poteris afferre, ſuper huiuſmodi ſermone? Petrus. Prius quæ veſtræ captivitatis fuerit cauſa videre debemus, ut ſic etiam evadendi modum melius agnoſcamus, more ſapientis utentes medici, qui prius infirmitatem inſpicit, ut qua opus ſit medicina ſcire poſſit. Moyſes. Bene dictum collaudo.

Iohan. 8. Fides in Chriſtũ libertatẽ donat.

C

Petrus. Prius cauſam Babylonicæ captivitatis, quæ non niſi per ſeptuaginta annos duravit, dicas volo, quia ipſam cum audierimus, adiuverit nos ad cognoſcendam cauſam huius tantæ captivitatis. Moyſes. Plurima peccata, quæ longum eſt enumerare, prioris captivitatis cauſa fuere. Petrus. Ita quidem concedo eſſe, ſed tamen ex illis aliqua volo à te ego audire. Moyſes. Pauca ex illis in medium deducam quæ prophetica auctoritate probantur, ſcilicet uſuram, vel munus pro iniquitate accipere, iuramentum falſum iurare, in vendendo & emendo pecuniam falſam dare, falſa teſtimonia dicere, alterutrum detrahere, parentes, & loca ſanctificationis & dies ſabbatorum inhonorare: matris, ſororis, filiæ, ſocrus, vel cuiuſlibet illicitæ fœminæ turpitudinem revelare, homicidia perpetrare, idola adorare, ſtellis ſacrificare, Deum negare, deique prophetas, tanquam Vriam, Zachariam, Eſaiamque necare, & alia multa, quæ ut ſuperius dixi, longum eſt enumerare quæ in tantum creverunt, ut Deus ad Hieremiam diceret prophetam. *Circuite vias Hieruſalem & aſpicite & conſiderate, quærite in plateis eius an inveniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem, propitius ero ei.* Item Ezechiel ait: *Quæſivi de his virum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me, propterea ne diſſiparem eam, & non inveni.*

Filij Iſrael LXX annis Babylonæ capti.

Hier. 5.

D

Ezec. 22.

Petrus. Gaudeo & gratias ago, quia iam te aliquam veritatis ſcintillam videre cognoſco. Dic ergo ſi noſti quænam cauſa huius tam longæ, tamque diræ fuerit captivitatis, quæ iam mille quadraginta duravit annis. Moyſes. Hæc eadem peccata & his ſimilia. Petrus. Hanc rationem nulla poteris auctoritate firmare quia à CCC. annis ante ſubverſam Hieruſalem nullus in Iſraël propheta extitit, qui hoc prædixerit vel ſcripſerit, maxime cum doctores veſtri dicant hoc tantum fuiſſe cauſam ſubverſionis Hieroſolymorum, quod alter alteri ſine te inimicaretur & invideret. Inſuper etiam ad tuæ rationis deſtructionem adiiciunt, quod ædificato templo Deus in manus eorum peccati principem tradiderit cui ligatis manibus & pedibus unum evulſerunt oculum, & ab ea die non habet poteſtatem decipere poſſe in homicidio & idololatria, & conſanguinearum turpitudine revelanda.

E

Captivitatis Iudæorum tam diuturnæ cauſa quæ fuerit.

Non ergo omnia ea quæ fuerant prioris, ſecundæ quoque cauſa fuerunt captivitatis. Dicunt etiam quod templo exiſtente, multi erant homines bonæ vitæ, qui prophetæ debuerant eſſe, ſi tempus fuiſſet prophetiæ. Multi etiam præter uſum faciebant nova miracula, veluti dicunt Ioannem filium Zachai tantæ ſanctitatis fuiſſe, quod cum in cathedra ſua ad legendum libros ſuos ſederet, Deus ad oſtendendam meritorum eius virtutem, omnes aves ſuper eum volitantes, concremari & in terram ruere fecit. De alio quoque Hunni videlicet tale aliud miraculum aſtruunt. Temporibus quidem eius terram dicunt ſiccitatem pertuliſſe.

F

Qui circulo de lapidibus fabricato ingreſſus eſt ipſe in eum, & ait ad Deum: Iuro per nomen tuum Deus, quod non hinc egrediar, niſi pluvia in terram deſcendat. Cœpit ergo minutim pluere, ſed ipſo maiorem pluviam poſtulante, tantus imber deſcendit, ut pene terras omnes vaſtaverit. Sed eodem mediocriter petente, pluvia temperata deſcendit, & terra bonis omnibus redundavit. Aiunt etiam de Annania filio Doſa, quod vox quotidie de monte Oreb ſanctitati eius tale afferebat teſtimonium dicens: Propter bonitatem Annaniæ filij Doſa totum mundum guberno, cui tamen parum quid ſatis de ipſo ſufficit mundo. De quo & aliud tale miraculum aſtruunt. Cum enim ipſe & uxor eius ambo pro Deo vitam pauperrimam ducerent, omni die Veneris clibanum calefieri iubebat, ut proximi & vicini eius eum cibis affluere, & bene crederent vivere: Quadam igitur die cum ſolito more clibanum ſuccendi præcepiſſet, & quædam vicinarum quare hoc fieret animadvertiſſet, ad clibanum ſubito venit, ut eorum facta revelans, tam viro quam mulieri verecundiam inferret. Vt igitur ad clibanum venit & introſpexit, plenum panibus vidit, quod velociter currens præfatæ mulieri nunciavit.

G

Quæ eam hoc non veritatis, ſed improperij cauſa dicere æſtimans, credere noluit donec ipſamet probavit. Inic igitur, aſpexit, ſicut vicina dixerat eſſe invenit & ad virum lætabunda regreſſa, quomodo iniquæ mulieris voluntatem Deus commutaverit in honorem, ei ex ordine retulit. Ille indignum iudicans ut quod Deus ad miraculum fecerat in proprium ſuum ſumeret uſum, nihil ex eo ſe guſtaturum eſſe reſpondit, ſed totum dari pauperibus fecit. Aiunt præterea eiſdem temporibus Nichodemum Guirionis filium, valde laudabilis vitæ fuiſſe virum. Cuius diebus ſiccitas tanta terram preſſit, ut euntes ad templum orationis cauſa, nihil quod biberent in via habere potuiſſent. Erat autem in itinere illic euntibus ciſterna quædam cuiuſdam principis gentilium. Ad hunc principem accedens Nichodemus ait. Ciſternam tuam mihi ad totius populi opus ſi placet concede: & uſque in diem illum ciſternam cum aqua, vel æque valens precium reddam. Quid multa? Quod poſtulavit impetravit, & populi ſitim compeſcuit.

H

Sed cum ſtatuto die creditor ille precium quæſiturus adeſſet, & præ nimia ſiccitate nihil aquæ ciſterna haberet, Nichodemus oratione ad Deum fuſa, pluviam de cœlo impetravit ſuper totam terram, & ciſternam ſicut acceperat plenam Domino ſuo reſtituit. Sed quia in hora qua eadem pluvia deſcendit, iam dies inclinata erat ad veſperum, ait princeps ad Nichodemum: Aquam quidem oratione tua recipio, ſed tamen quoniam conſtitutæ diei tota tranſiit hora, precium ex debito mihi ſolvere debes. Ille igitur facta iterum oratione, ſolis curſum detinuit, & toto mundo eius lumine illuſtrato, debiti quæſtionem evaſit. De Achiba etiam ſcriptum habetis, quod quodcunque poſtulaſſet à Deo impetrabat. De cuius ſanctitatis magnitudine hoc legitur. Quod cum Moyſes in montem pro ſuſcipienda

A lege ſubiſſet, & omnia poſt eum futura tempora, & omnes ſeculorum generationes ſpiritu ſancto dictante prænoviſſet, & inter homines Achiba humanam excedere vitam, & magnis meritis pollentem vidiſſet, ait ad Deum. Cum tam probabilis vitæ futurus ſit homo, quare Domine per me & non magis per eum legem tuam populis placet miniſtrare? Ad hæc Deus, quoniam inquit lex in præſenti eſt mundo neceſſaria, Achiba autem poſt longa futurus eſt tempora. In his datur intelligi quod Moyſes illum de quo talia dicebat, longe ſe meliorem prævidebat. Hi & alij ſimiles his erant, vobis maiores & iudices, qui minoribus bona agere imperabant, & quorum monitis cæteri libenter obtemperabant. Quorum ſi vel unus ſimilis in prioris captivitatis tempore fuiſſet, nequaquam ut ſupra Deum dixiſſe per Hieremiam oſtendimus, captivitas facta fuiſſet. Et quod magis mirandum eſt his diebus quibus

Hier. 5.

B meliores horum pollebant, iidem deſtructo templo captivati ſunt Iudæi. Dic ergo ô Moyſes quænam huius captivitatis fuerit cauſa, quia quam dixeras ſupra, nulla ratione ſtat firma. Moyſes. Quid aliud dicam non habeo, niſi quod longo tempore ſubſiſtente templo peccata multa paulatim ſuccreverunt cum illo, quod noſtri doctores dixerunt, ſed multiplicato delicto. Petrus. Quod dicis templum ſubſtitiſſe tempore longo, decem profecto tantum annorum curricula ſubſtitit, ſupra quod alterum ſcilicet Salomonis ante ſubſiſterat. Quod autem dicis quia peccata ſunt cumulata peccatis, ratio non recipit. In prima enim captivitate ideo peccata ſunt addita peccatis, quia reges iniqui exemplum mali præſtabant aliis, ſcilicet Deum poſtponebant, idola adorabant, & populum idem facere cogebant, velut fecit Ochozias, Achas, Manaſſes, Amon, Sedechias. Principes autem ſecundi temporis omnino contrarij erant, quia bonam agentes vitam etiam populum exemplo ſui bene vivere cogebant. Qua ergo ratione oſtendi poteſt tot peccata ſuccreviſſe, ut propterea ſit captivitas facta?

4. Reg. 1. 4. Reg. 16 4. Reg. 21 & 24.

C Quod autem dicis propter malevolentiam quam ad invicem habebant captivitatem illam factam fuiſſe: rectæ rationis non innititur anchoræ: Hoc enim peccatum pars una fuit eorum quæ in prima fecerant captivitate, nec propter illud tamen captivari deberent, niſi cum eo & alia maiora eo ſuccreviſſent. Maiorum enim & minorum criminum quantitatem nos neſcimus diſcernere, niſi ſecundum modum ultionis à Deo indictæ. Huius autem vindicta, non eſt niſi quadraginta flagella. Alia ſunt crimina, quorum eſt maior vindicta, ſcilicet cum quis præcipitur vel capite plecti, vel laquei ſuſpenſione necari, vel lapidibus obrui, vel etiam igne cremari. Quomodo ergo verum eſſe poteſt malevolentiæ crimen maioribus æquari debere? Rurſum ratio refugit credere, crimen hoc temporibus illis in tantum regnaſſe, cum Aggæi prophetæ verba teſtentur, conſtructo templo Deum dixiſſe. *Magna erit gloria domus iſtius noviſſima plus quam prima dicit Dominus exercituum, & in loco iſto dabo pacem.* Moyſes. Quoniam omnes mearum rationum ſunt aditus obſtruſi, tu mihi quæſo huius quæſtionis tuæ ſolutionis clave ianuam ſolue. Petrus. Cum captivitatis originem & cauſam ignores, quare eadem

Diſcrimē peccatorū.

Aggæi, 2

D tam dura fuerit, tam crudelis, & intolerabilis, reſpondere non potes. In prima etenim captivitate cum aliorum more captivorum in Babylonem ducti fuiſſent, nullam præter ſervitutem pœnam ſuſtinuerunt. Colebant enim agros, plantabant vineas, ædificabant domos, cum uxoribus & filiis ſecure vivebant. In ſecunda autem tot & tanta eis opprobria, & tam inaudita intulerunt, quibus ſimilia vel æqualia, non ſunt viſa unquam nec audita. Occiſi quidem ſunt ſunt & cremati, & captivorum more venditi, adeóque crevit illa venditio, donec pro uno argenteo triginta darentur captivi, nec tamen inveniebatur qui emeret, ſicut promiſit Moyſes dicens: *Venderis inimicis tuis in ſervos, & ancillas, & non erit qui emat.* Naves etiam ipſis impletæ, ſine ullo remige vel gubernaculo vagari per pelagus ſunt dimiſſæ, ad ipſorum dedecus & vilitatem. Prætere

Iudæi triginta pro uno argenteo vēdebātur. Deut. 28.

E rea poſtquam in hac captivitate deiecti eſtis, intolerabilia vobis dabantur mandata, ne legem videlicet legeretis, nec veſtros eam filios doceretis. Quod ſi quis legens eam aut docēs filios inventus fuiſſet, aut cremabatur, aut pectinibus ferreis acutiſſimis pectebatur. Præterea nec ſabbatum nec paſcha celebrare permiſſi eſtis. Si vero quis hoc faciens inventus fuiſſet, acerrime puniebatur. Prohibiti ſuper hoc eſtis veſtros priſtino more filios circuncidere, multumque tranſiit temporis, quo nemo niſi in occulto ſuum auſus eſt filium circuncidere. Circuncidens autem inventus quivis pœnis afficiebatur graviſſimis. Edictum præterea duriſſimum vobis promulgatum eſt, ut ſi quis veſtrum puellam virginem uxorem duceret, prius eam ad provinciæ principem duceret, ut cum ea dormitaret, & ſic demum ad Iudæum rediens nuberet. Qua de re adeo contriti eſtis, ut nemo

Iudæorū plaga in ultima captivitate.

F virginem deſponſare vellet. Sic per omnium ſucceſſiones temporum diverſa vobis indicebantur mandata malorum, ut ipſis veſtrorum teſtimoniis probatur librorum. Moyſes. Omnia proculdubio malorum genera concedo: ſed iam dudum inhianter tantæ tribulationis cauſam audire deſidero. Petrus. Quia malorum cauſam ignoras, idcirco quare tam longa ſit neſcis. Ecce enim iam in ea mille quadraginta annos expletis, & adhuc quanto durare debeat tempore, nullo ſcripto certum habetis, forenſis autem iuſtitia exigit, ut punitis aut mortuis his qui facinus aliquod commiſere, ſequaces à captivitate liberi debeant eſſe, quemadmodum habetur ſcriptum in lege, quod exploratores qui ad conſiderandam repromiſſionis terram miſſi erant, cum Dei voluntati rebelles voluiſſent exiſtere: ne peccatum eorum multum exiſteret, quadraginta annis morati ſunt in ſolitudine, & in eorum dierum ſpacio, omnes illi prævaricatores obiere. Quibus tali morte punitis, filij qui à patrum erant inſontes crimine, terram patribus promiſſam introiere. In tranſmigratione quoque Babylonis ſeptuaginta annis ſunt demorati, donec de-

Iudæorum ultima captivitas quādiu durabit.

Num. 13. & 14.

Deut. 24.

G functis omnibus quorum peccatis captivitas fuerat facta, filij qui nihil commeruerunt de iugo ſunt liberati. In hac vero captivitate quæ à Tito facta eſt innumerabiles iam tranſierunt generationes, nec adhuc finem habet. Hoc autem factum eſt contrarium ei ſermoni quem ait Dominus ad Moyſen. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Ezechiel quoque ait: *Vivo ego dicit Dominus Deus, ſi erit ultra parabola hac in proverbium in terra Iuda. Ecce omnes animæ meæ, ut anima patris, ita & anima filij mea eſt. Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Moyſes. Et ſi his exemplis contraria eſt longævitas noſtræ captivitatis, ſed tamen aliis legis concordat ſcripturis. In Exodo enim dicit Dominus: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filiis in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me.* Hieremiæ quoque verba ſunt hæc. *Patres noſtri peccaverunt & non ſunt, & nos iniquitates eorū portavimus.* Petrus Aliter res ſe habet quam dicis. Si enim ita eſſent verba prophetæ, ſibimet contraria eſſent. Sic autem utrumque diſſolvitur. Quod

Ezech. 18

Exod. 20

Thren. 5.

Ezec. 17.

H enim dicitur, quia *filij non portabunt iniquitatem patrum,* ita intelligitur ſi filij non fecerint iniquitatem patrum. Quod autem dicitur, quia *filij portant iniquitatem patrum,* hoc modo dicuntur portare, ſi ſcelera fecerint patrum. Moyſes. Quod loqueris ſapientibus rationabilem & iuſtam parit intelligentiam. Hoc autem ex tuis verbis intelligi datur, quod omnes ſequacium generationes idcirco in patrum captivitate permanent, quod patrum ſuorum in quantum poſſunt opera exequuntur. Quod ſi patrum opera dimitterent, & de captivitate exirent. Petrus. Ita utique ſentio. Moyſes. Iam ſi placet tanti reatus magnitudinem aperi. Petrus. Quia Chriſtum Dei filium occidiſtis, dicentes eum magum, & de ſcorto natum, & quod totam gentem in errorem induxit. Maiores veſtri hæc & his ſimilia proteſtati ſunt, donec totam plebem ſuæ pravæ voluntatis efficientes conſortem, virum iuſtum iniuſte in iniuſtum valde iudicium

Peccata patrum Iudæi imitātur.

Iudæorum odium in Chriſtum.

A

adduxerunt, crucifixerunt, & occiderunt. Tanti igitur reatus magnitudo, tam longinquæ captivitatis cauſa extitit. Dumque vos in paterna manſeritis tam voluntate quam fide, in eadem proculdubio exiſtetis damnationis tribulatione. Moyſes. Verum ille homo filius Dei fuerit, latius poſtea diſputare oportebit, quia tantæ quæſtionis auctor, validiſſimi argumenti vehiculo indiget. Nunc interim hoc modo oſtendi volo, quo nam modo aut auctoritate coneris aſſerere, quod is de quo loqueris homo noſtræ tribulationis cauſa extiterit.

Iudæo ſi tantæ tribulationis & afflictionis cauſa quæ ſit.

Petrus. Quam quæſo à me ſuper hoc exigis auctoritatem, cum iam ſuperius mihi conceſſeris tam inauditæ afflictionis inauditum omnino peccatum cauſam fuiſſe? Cúmque illud tu nullo prorſus modo oſtendere valeas, à me iudicij æquitas iubet ut audias, nec unde comprobem quærere debes, ſed deſtruere quoquo pacto ſi potes, aut concedere quod denegare non vales.

B

Verum licet non me iudicij cenſura conſtringat, non unam, ſed multas ſuper hac te auctoritates inducam. Moyſes. Id eſt quod toto deſidero animo. Petrus. Noſſe debes, quia quadraginta annis poſt Chriſti mortem expletis, Hieroſolymorum à Tito civitas fuit deſtructa. Item quadraginta annis anteqnam deſtrueretur, portenta & ſigna in eadem ſunt viſa, liquido indicantia, quod hæc templi & urbis deſtructio eſſet futura, quemadmodum veſtræ doctrinæ libri teſtantur.

Prodigia devaſtationis Hieruſalem.

Aiunt enim quod quadraginta annis antequam ſubverteretur, rubra lana quæ hœdi cornibus annectebatur, nequaquam more ſolito albeſcebat, candela quoque candelabri quæ ad occidentem reſpiciebat, ante conſuetum tempus extinguebatur. Valuæ præterea templi nullo tangente cum magno ſtrepitu ſponte ſua reſerebantur. Quas cum quidam doctorum veſtrorum nomine Iohannes filius Zachai ſic aperiri ſæpe vidiſſet, valde commotus tandem clamavit, quieſcite: & adiecit, templum, templum, profecto cognovi quod noviſſima tua concrematio poſſidebit, ſicut & propheta ait.

Zach. 11.

C

Aperi libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. Cum igitur iſta prodigia X L. annis ante deſtructionem fuerint viſa, & quadrageſimo à Chriſti morte anno civitas fuerit deſtructa à Tito, liquido concluditur, quod hæc ſigna à tempore mortis Chriſti ſint facta. Sed & hóc cum aliis doctoribus veſtris Ioannes intellexit, quod mors Chriſti captivitatis vobis cauſa extitit. Non autem eam, ſed malevolentiam hominum & invidiam cauſam ſcilicet cauſæ, captivitatis cauſam eſſe dixerunt, ſed veram cauſam tacuerunt. Invidia quippe Iudæorum & malitia cauſa mortis Chriſti fuit, mors autem Chriſti, cauſa captivitatis. Moyſes. Si illum hominem talem ut dicis fuiſſe conſtaret, & eius mortem noſtræ tribulationis cauſam fuiſſe, nullus ex nobis dignus eſſet vivere. Tale enim peccatum maius eſt quam Deum negare. Qui enim Deum negat, fidem tantum quam acceperat à ſe alienat, qui vero Dei filium necat, præter hoc quod deitatem quæ eſt inviſibilis denegat, etiam illud ſuperaddit peccatum, quod rem viſibilem quam corporeis conſpicit oculis, eam etiam ab animi fide ſequaſtrat, cum id quod videtur maiorem debeat menti credulitatem afferre, quam quod non videtur.

D

Præterea autem cum noſtri patres ſputis illitum, colaphis cæſum, multis & variis iniuriis affectum, mortique innocenter addictum, cruci affixerunt. Vnde non immerito hoc ſcelus maius fuit eo quod commiſerunt in heremo, cum vitulum ſcilicet aureum adorarent pro Deo. Tunc vero legimus Deum voluiſſe Iſraël omnino delere, niſi Moyſes pro eis interveniens multo fletu & ieiunio, & oratione, Domini iram avertiſſet, quadraginta diebus & quadraginta noctibus aſſidui ieiunij maceratione ſe pro eodem peccato affligens, ſicut lex perhibet dicens.

Exod. 32.

Deut. 9.

Procidi ante Dominum ſicut prius, quadraginta diebus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata veſtra quæ geſſiſtis contra Dominum, timui enim iram & indignationem illius, qua adverſum vos concitatus, delere vos voluit. Niſi igitur Moyſi oratio interveniſſet, de toto populo nullus ſupereſſet. Cum autem hoc aliud facinus quod criminum quantitatem excedit, Dei ſcilicet filium occidere præſumpſiſſent, nec ullus eſſet qui pro eis interveniret, nullus itaque debuit vivere.

E

Vides autem quia ita non eſt, ſed Deus nos & vivere permittit, & quotidie quantum amat oſtendit, cum nobis in conſpectu inimicorum noſtrorum gratiam præſtat, & opibus locupletat, & honoribus exaltat, ſicut nobis per os Moyſi prophetæ pollicitus eſt dicens:

Levit. 26.

Cum eſſent in terra hoſtili non penitus abieci eos, neque ſic deſpexi ut conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim ſum Dominus Deus eorum. Petrus. Non rectam de hac re intelligentiam concipis. Neque enim Deus ideo reliquias de veſtro vivere patitur populo, quod de eorum aliquid cogitet commodo, ſed ideo tantum ut univerſis gentibus ſerviatis, & in omnium oculis improperium & fabula & maledictio ſitis, ſicut vobis promiſit lator legis dicens.

F

Deut. 28.

Eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus, & ut ſitis toti populo in parabolam, & proverbium quærentibus omnibus ad invicem. Quid putas cauſæ eſt propter quod Deus gentem hanc ubique terrarum diſperſam perpetuæ ſervituti ſubiecit, & tot malorum multatione damnavit? Reſpondebitque alter.

Iudæi Chriſtianorum ſervi.

Ob tale peccatum, quod Dei filium invidiæ tantum cauſa occiderunt, ideo in hæc mala devenerunt. Quod ſi in ipſo tempore quo peccatum à vobis eſt commiſſum, totam Iudaicam progeniem funditus deleviſſet multis temporum circulis tranſactis, culpa oblivione deleta, à nullo mortalium ſciretur, ſicque & infamiæ opprobrium, & malorum evitaretis periculum, ſicut & de multis contigit gentibus & regibus, quorum geſta, temporum ſunt vetuſtate deleta.

Iudaicā gentem quare Deus nō delevit.

Eſt & alia cauſa; propter quam Deus Iudaicam noluit perdere gentem. Videbat enim quoſdam de ſemine veſtro quandoque in ſe credituros, atque ſalvandos, & ideo propter eos noluit omnino veſtram diſperdere ſtirpem, ſicut dicit Eſaias.

Eſa. 65.

Quomodo ſi inveniatur granum in botro, & dicatur, ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt, ſic faciam propter ſervos meos, ut non diſperdam totum.

G

Teſtimonium autem divinæ circa vos pietatis quod Moyſi promiſſum de legis libro protuliſtis, non ad præſentem, ſed ad præteritam reſpicit Babylonis captivitatem, quoniam de ea quandoque vos erat educturus. Moyſes Qua comprobas auctoritate promiſſum illud ad ſolam Babyloniæ captivitatem pertinere? Petrus. Quoniam in loco ubi promiſſum hoc fecit Deus ad Moyſen, ſi pauliſper attendas ſuperiora, eundem Moyſem præmiſiſſe invenies.

Levi. 26.

Tunc placebunt terræ ſabbata ſua, cunctis diebus ſolitudinis ſuæ, quando eritis in terra hoſtili, ſabbatizabit, & requieſcet in ſabbatis. Hoc autem eis in Babylonem ductis completum eſſe Ezras in libro temporum comprobat, dicens inter cætera.

2. Par. 36.

Ductus eſt Iſraël in Babylonem, & ſervivit regi & filiis eius, donec celebraret terra ſabbata ſua. Cunctis enim diebus deſolationis egit ſabbatum. In his verbis liquido apparet, quia de prima captivitate loquatur. Moyſes. Auctoritas iſta meæ non ſufficit dubitationi, quia non monſtrat nos propter hominem illum in hanc decidiſſe captivitatem.

H

Petrus. Quod evidentius teſtimonium quæras, vos propter Chriſti mortem hanc ſubiſſe captivitatem, quam id quod ſcriptum apud vos legitis, quia ſcilicet in ipſo adhuc captivitatis exordio, quidam terræ veſtræ princeps decem de melioribus totius Iſraëlitici populi Ananiam ſcilicet Terradionis filium Simeonem Gamalielis filium, Iſmahel Heliſei filium, & Achiba cæteróſque captos in carcerem miſit ſciſcitans, ut quid iuſtum vendidiſſent.

Exod. 2.

Lex enim inquit diſcernit, ut quicunque Iudæum vendiderit, mortis mulctetur ſententia Et vos igitur ſecundum iudicium legis mori debetis. Dicto decreto, vario dat corpora leto. Non enim omnes una coërcuit pœna, ſed ſingulis ſingula ſunt genera mortis propoſita. Alium videlicet ignis cremavit, alter ferrei pectinis unguibus laceratus expiravit, alium vero mors quævis diverſa conſumpſit, quemadmodum mortes illas veſtræ doctrinæ liber expoſuit. Doctores autem

veſtri

A vestri huius iuſti pro quo illi ita puniti ſunt nomen mutantes, in hoc facto de Chriſto prorſus conticuerunt. *Gen 37.* Dixerunt enim, quia princeps ille iuſtum nominas, Ioſeph filium Iacob, quem in Ægyptum vendiderant fratres, intelligebat, eiuſque ſanguinem ab eis exigens, propter eum talibus illos affecit ſuppliciis. Abſurdum autem rationi videtur, ut id ab eis exigeret, quod ad minus ante mille quingentorum erat factum annorum curricula, maxime cum temporibus quibus Ioſeph venundatus fuit, nulla lex eſſet, qua princeps ille eos mortis reos convincere poſſet. Moyſes. Rationes tuæ non mihi ſufficiunt, quoniam non aliqua eas auctoritate confirmas, ſed proprio fingis arbitrio, nec ineſt eis vlla neceſſitas qua me ad credendum tibi cogere debeas. Volo autem ut ſi vales aliquam de prophetis auctoritatem in medium deferas, qua captivitatem iſtam propter hominem illum, & eũ Chriſtum eſſe neceſſario monſtres, nec nobis in hac tribulatione poſſe certum terminum eſſe. Petrus. Eſaias propheta ait: *Eſa 24.* *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam iuſti.* B Hæc verba, iuſti huius laudes ubique terrarum fuiſſe oſtendunt. Nullius autem hominis iuſti laudes tantas fuiſſe unquam audivimus, ut vſque ad fines terræ pervenirent. Cui iuſto quia tribulationes quas ſine cauſa paſſurus erat prævidebat, his compatitur verbis diceñs: *Væ mihi prævaricantes prævaricati ſunt, prævarica-* *Eſa. 24.* *tione transgreſſorum prævaricati ſunt.* Prævidens enim propheta, quas prophetis Dei adventum prænuntiantibus tribulationes illaturi eſſent, ait: *Prævaricantes prævaricati ſunt*, intuitus autem, quia nec membris contenti, ipſum etiam caput invidia pleni quibuſcunque poſſent modis eſſent oppreſſuri, & ſecundum corporis paſſibilitatem occiſuri, prævaricationis nomen ingeminavit, ita ſubiiciens, *prævaricatione transgreſſorum prævaricati ſunt.* Sed quia pro hoc peccato pœna pleᶜtendi eſſent, dictante ſpiritu præſciens, illico ſubiungens ait: *Formido & fovea, & laqueus ſuper te qui habitator es terræ.* Inter cætera quoque de eadem gente ait. *Gravabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adiiciet ut reſurgat,* vbi videlicet certum vobis terminum evadendi captivitatem funditus depreſſit. C His conſona Dominus per eundem prophetam in alio loco poſuit dicens. *Eſa. 30.* *Nunc ingreſſus ſcribe ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo in teſtimonium vſque in æternum. Populus enim ad iracundiam provocans eſt, & filiỹ mendaces, filiỹ nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël.* Buxus lignum durum eſt, & imputribile. Ideo autem in buxo ſcribi, & in libro diligenter præcepit exarari, ut in æternum duraret, & uſque in noviſſimum diem in teſtimonium incredulitatis ſuæ, & opprobrium permaneret. Per hoc etiam quod ait, *erit in noviſſimo die*, & cætera innuit, quia uſque in noviſſimum diem perſeveraret error Iudæorum. Quid autem & quare ſcribi debeat, utrunque in uno verſu inſinuat cum dicit: *Populus enim ad iracundiam provocans eſt, & filiỹ mendaces, filiỹ nolentes audire legem Dei.* De qua lege Dei dixit? Si enim de lege D Dei quam per Moyſen dederat dicere vellet Propheta, nolentes audire legem Dei, cum iam illam frequenter audiſſent, utique non diceret hoc, ſed nolentes implere. De lege ergo quam daturus erat Chriſtus intelligebat, de qua quod eam audire nollent, Propheta iam præſciebat. Quod autem intulit, *qui dicunt videntibus nolite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam,* *Ioannes Baptiſta Chriſti præcurſor. Ioan 1.* hoc quidem addidit propter Ioannem filium Zachariæ Chriſti præcurſorem, & cæteros qui Chriſtum nõ ſolum venturum prædixerunt, ſed etiam digito oſtenderunt, quibus Iudæos non eſſe prænoſcebat credituros, ſed huiuſmodi verba dicturos. Quod autem in ſequentibus dicunt prætereundum non eſt. Dicunt *Chriſtus Sanctus Iſraël.* enim: *Ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël.* Quis nam eſt iſte ſanctus Iſraël? Nunquid Deus viſibilis eſt, vt de eo dicerent, *ceſſet a facie noſtra*, aut de re inviſibili dici potest, quod ab humana facie ceſſet, cum ab ea videri non poſſit? Si ergo quæras Deum qui poſſit videri, non invenies niſi Chriſtum. Ipſe enim & unus cum patre eſt *Ioan. 10. Ioan. 1. Tit 3.* Deus, & tamen per humanitatem apparuit mundo viſibilis. Cum autem tot eorum prævaricationes præmiſiſſet, vindictam ipſius peccati ſubintulit dicens. *Eſa. 30.* *Pro eo quod reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumniam & tumultum, & innixi eſtis ſuper eo, propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito dum non ſperatur veniet contritio eius, & comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione prævalida & non invenietur de fragmentis eius teſtam, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Verbum Dei Chriſtus eſt. *Ioan. 1.* Qui ergo reprobat Chriſtum, utique reprobat & verbum è converſo. Puniti itaque, quia Dei reprobaverunt verbum, puniti concluduntur quod reprobaverunt Chriſtum, & confiſi ſunt in verbis doctorum ſuorum. Contritio autem pro iſto eis eventura peccato, quam ſit du- F ra conſidera. *Iudæorũ cõtritionem duriſſimam Eſaias deſcribit.* Eveniet enim inquit eis interruptio ſubita, ideoque magis nociva, & de muro excelſo, quia quodlibet tanto magis conteritur in imo, quanto de celſiori ceciderit loco. Comparatur etiam lagenæ figuli comminutæ, contritio iſta, tantáque vt dicitur erit, quod de eius confractione nec teſta remanebit. Omnis quippe vaſis fractura, ſolidari, & in aliquod opus utile poteſt redigi, teſtulæ autem vas ſi confringatur contritione valida partes eius ad nihil vtiles eſſe poſſunt, & quo magis teſta quaſſata durat, tanto ſemper augetur fractura. Cum itaque tali teſtæ eorum contritio comparetur, quæ nec ad ignem de incendio tollendum, nec ad aquam de fovea hauriendam valeat, aperte datur intelligi, quia veſtra captivitas in tantam venit deiectionem, quod nunquam in priſtinam redibit libertatem.

Quod autem propter quoſdam qui quandóque in Chriſtum credituri ſunt, ideóque ſalvandi, Deus veſtrum ſervare voluit ſemen, ideo Propheta ſub deſcriptione gratiam benedicti ſubintulit dicens: *Eſai 65.* *Quomodo ſi inveniatur granum in botro, & dicatur ne diſſipes illud* G *quoniam benedictio eſt:* eodem modo ſe minime vos diſperſurum promiſit cum dicit: *Sic faciam propter ſervos meos, ut non diſperdam totum.* Quare autem hoc promiſerit illico aperit dicẽs: *Educam*, inquit, *de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes meos, & hæreditatem meam, electi mei & ſervi mei habitabunt ibi*, *Apoſtoli montes dicuntur.* montes videlicet Apoſtolos appellans, qui vt montes excelſi toti mundo ſunt conſpecti, licet in ſequentibus montem ſanctum ſingulari numero prolatum intelligat Chriſtum: electos autem & ſervos, ſanctos quoſlibet alios vocans, propter quorum futuram ſalvationem vos eſtis reſervati. De his autem qui non ſunt credituri, quam ſubiiciat ſententiam audi. *Eſai. 65.* *Vos*, ait, *qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum, qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam, numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocavi & non reſpondiſtis, locutus ſum & non audiſtis.* Increpata vero eorum iniquitate hoc modo condemnat eos & aliter ſcilicet laudando ſuos fideles, & increpando infideles, H his verbis. *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus. Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis, ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis, ecce ſervi mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce ſervi mei laudabunt, præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis, & dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis.* Et quia omnibus his malis tranſactis aliqua adhuc ſpes evadendi captivitatem, non poſſet eſſe reſidua, adiicit aliud quod eis totum fiduciæ tollat ſolatium. Dicit enim: *Interficiet te Dominus Deus tuus.* Qui interficitur nequaquam vlterius quod fuerat reparatur. Qui igitur in infidelitate permanebunt, reparari non poterunt. Hoc de infidelibus dicto, de credituris ſubiicit ita. *Et vocabit ſervos* *Act. 11.* *ſuos nomine alio.* Cum enim ſervi fuerint Chriſti, à Chriſto dicentur Chriſtiani. Quod autem ſequitur,

A. Iudæus ſim ego ſi faciã. Iurantẽ tũ Chriſtianoſ. Amos 5. Amos 8. Amos 2. Prov. 30. B

& dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis, tale eſt ac ſi diceret. Iurabunt electi mei in nomen veſtrum, ſicut hodie vſque à Chriſtianis iurando dicitur, cum aliquid quod nolunt facere rogantur. Iudæus ſim ego, ſi faciam. Idem ipſum Amos Propheta aperte comprobat dicens. *Audite verbum iſtud quod ego levo ſuper vos, planctum domus Iſraël. Cecidit, non adiiciet vt reſurgat virgo Iſraël. Proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam.* Item ipſe alibi. *Venit finis ſuper populum meum Iſrael, non adiiciam ultra ut pertranſeam eum.* Quod utrumque, vobis ſpem evadendi captivitatem funditus tollit. Ipſe etiam hoc malum vobis propter Chriſtum eveniſſe confirmat dicens. *Hæc dicit Dominus Deus: Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit iuſtum, & pauperem, pro calciamentis.* Hoc in loco *quatuor* pro *quarto* poſuit, idémque fuit dixiſſe *ſuper quatuor*, quàm ſi dixiſſet *ſuper quarto*. Huic ſimile Salomon perhibet. Ait enim, ſecundum quod Hebræorum libri teſtantur. *Tria ſunt difficilia mihi, & quatuor, quæ penitus ignoro.* Si tria hic per ſe, & quatuor per ſe intelligere velis, ſeptem fient. Ipſe autem non niſi quatuor numerat, quæ ſe ignoraſſe inſinuat. Ergo oportet ut *quatuor* pro *quarto* accipiamus. Sic & in hoc propheta eſt accipiendus. Hoc autem quartum ſcelus eſt, vt illico ſubdit, *quia vendiderunt argento iuſtum.* Quem ſcilicet iuſtum, Chriſtum intelligi convenit. Moyſes. Idonea & digna laude huc uſque dixeras omnia, niſi hanc introduxiſſes auctoritatem, quæ nulla conſiſtit ratione, præcipuè cum multa contra hoc obiici poſſint adverſa. Plures enim ante te veteres hunc eundem verſiculum contra Iudæos in teſtimonium protulere frequenter, ſed nulla tutari potuerunt ratione. Sed te prudentem virum maxime miror tam vilem introduxiſſe rationem, quæ nullius firmitatis fundamento inſidat, præſertim cum omnia quæ contra hoc dici valeant, ipſe optime ſcias.

Iuſtus Chriſtus dicitur, qui vẽditus eſt argento.

Petrus. Conſiderans omnes qui ante me hanc in Iudæos recte quidem induxiſſe auctoritatem, ſed Iudaicas obiectiones non ſufficienter nec aperte deſtruxiſſe dicuntur, ex induſtria in præſenti loco eandem induxi, ut omnes quæ fieri poſſunt oblectiones ut melius poteris facias, & earum deſtructionem mutata vice ſuſcipias. Moyſes. Hoc primum verbis recte obiici poteſt, quia dicens Propheta; *ſuper tribus ſceleribus*, ſtatim ſubiunxit, oſtendens quod Iſraël tria illa peccata commiſerit, Chriſtum autem quem vos intelligere vultis, non Iſraël ſed Iuda occidit. Petrus. Nullum tua obiectio ingerit impedimentum mihi, cùm omnia frequentiſſime teſtentur volumina pro Iuda Iſraël poni. Moyſes. Vt aſſeris ita eſſe non ambigo. Sed cum peccatum Iuda ſupra retulerit, & conſequenter Iſraëlis peccatum ſubiunxerit, ſatis innoteſcit, quod peccatum Iſraël à peccato Iuda aliud ſit. Petrus. Nec hoc meæ obſtat rationi. Peccatum enim quod tantummodo Iuda fecerat, peccatum Iuda appellat, quod autem Iuda ſimul fecit & Iſraël, peccatum vocatur Iſraël. Moyſes. Cum Iſraëlis populus totus per omnes terras diviſus, Hieruſalem terram nequaquam incoleret illis temporibus, quonam modo mortis Chriſti haberi potuit reus? Petrus. Nunquidnam negas cum Iuda magnam filiorum Beniamin & Levi partem tunc Hieroſolymis fuiſſe? Moyſes. Quod certum omnibus eſt, negare quis audeat? Petrus. Iure igitur pars totius debet ſuſcipere nomen. Eſt & alia non inferior cauſa quia videlicet Iſraël populus licet tunc morti non corpore præſens adfuiſſet, audito tamen quod eorum fecerant ſocij, conſortes culpæ, laudatores & conſentanei, & participes omnino facti ſunt voluntatis. Voluntas itaque eis pro facto eſt reputanda. Moyſes. Et ſicut dicis ita eſſe concedam, tamen quod liber ait, quod pro iuſto vendito hoc eis acciderit, ad Iſraël poſſe pertinere non video. Ipſi enim Chriſtum quem dicis, non vendidiſſe, ſed tantum à Iuda Scarioth leguntur emiſſe. Petrus. Obiectio tua nulla rationis innititur anchora, quia qui vt Chriſtus venderetur, conſenſum auxiliúmque adhibuerunt, non minus quam ſi ipſi vendidiſſent, ſcelus incurrerunt. Neque enim & Salomon idola fabricavit, ſed quia uxoribus & concubinis fabricantibus aſſenſum præbuit, eum fabricaſſe litera dicit. Moyſes. Licet in ſupradictis verum fatear te dixiſſe: nulla tamen neceſſitas me cogit concedere, hunc iuſtum Chriſtum intelligi oportere, cum Ioſeph ſano intellectu debeat accipi, quem fratres ſui triginta argenteis vendidere. Petrus. Si Ioſeph voluiſſet intelligi Propheta, per iuſtum, non quartum ſed potius primum dixiſſet peccatum. Illud enim prius commiſere delictum, propter quod poſtea Pharaonis ſunt paſſi duriſſimum iugum. Sed cum pœnitentia peracta, iam ſint liberati a pœna, quare de indulto rurſus criminentur peccato? Moyſes. Et ſi defendere nequeo de Ioſeph hoc dictum fuiſſe, attamen de alio quolibet iuſto dictum eſſe poſſum aſſerere. Petrus. Indignum nec rationabile eſſe videtur, ut cum tantum crimen ſit quod indulgentia nulla ſequatur propter quod divina ſententia in totum Iſraëlis deſæviat, populum, illius celetur ac ignoretur perſona, in quem illud fuit admiſſum, inſuper cum reatus iſte in Hebræo ſermone, tali deſcribatur vocabulo, quale imponitur illi qui negaverit Deum. Venditio autem Iudæi, non æquatur negationi Dei. Sed ipſi talem ac tantum vendiderunt hominem Chriſtum videlicet Filium Dei, quod in culpa ſunt pares Deum negantes. Moyſes. Quatuor volo oſtendas peccata, quæ omnia pateant ad Deum negare eſſe æqualia. Petrus. Quod liber tacuit ego neſcio aperire, ſed forſitan primum fuit peccatum, cum in heremo vitulum conflatilem pro Deo adorarunt, in quo facto ſatis verum Deum negaverunt, & quia hoc peccatum ab omnibus eſt perpetratum, ideo commune fuit omnium. Secundum eſt in quo & Deum ſimiliter negaverunt, & omnes communiter peccaverunt, quando videlicet Ieroboam vitulos ſimiles fabricavit, & ab omnibus adorari conſtituit. Tertium autem cum Dei Prophetas vniverſi eadem voluntate occiderunt, & eorum dicta contempſerunt. Quartum vero quod maius omnibus eſt, & gravius quod nec veniale dicitur eſſe, quando Chriſtum Dei filium & hominem ab omni peccati contagione alienum, inique vendiderunt, & iniuſta condemnaverunt nece. Ecce in hac autoritate quam adverſum te induxi, cuncta quæ obiicere potueris nullo ſtare vigore probavi, & Chriſto rationabiliter convenire concluſi. Hac igitur & omnibus ſupradictis autoritatibus in inconvulſa firmitate fundatis, probatum indubitanter arbitror eſſe, tam longævam hanc captivitatem ob Chriſti mortem, & malevolentiam eveniſſe: Concluſo autem quod propter Chriſtum ſit captivitas facta, conſequitur, quod & vos de ea non exibitis, donec patrum veſtrorum in vobis peccatum emendabitis, idem quod non crediderunt credetis. Mundata vero mente cuiuſquam à culpa, confeſtim eum conſequetur pietas divina. Quod etiam quidam doctorum veſtrorum ſubtilius & occultis voluit exprimi verbis, ſi veſtræ illud penetraſſet duritia mentis. Interrogatus enim quando filius David eſſet venturus, hodie ait, ſi verbis credideritis eius. His enim verbis intelligi dedit, quod quicunque quavis hora mandatis Chriſti obediens, & credulus fuerit, illico Dei filius ad eum accedit. Manifeſte etiam & liquido tibi credo patere, quæcunque ego veſtrorum librorum probavi teſtimonio. Mecum igitur frater eiuſdem Chriſti miſericordiam implora, vt totius falſitatis errore ſublato tuæ mentis oculis veræ fidei & totius bonitatis ſplendorem pariter & amorem infundat, & rectam fidem in futuro digna mercede compenſet, vt per eam de captivitate exeas. Amen.

C. Amos 2. Iſraël ſæpe pro Iuda ponitur. D. Voluntas pro facto reputatur. Matt. 26. Luc. 22. Marc. 14.

E. Rom. 1. 3. Reg. 11. Gen. 37. Exod. 12. F. Peccata quatuor quibus Iudæi Deũ negaverũt. Gen. 32. 3. Reg. 12. 2. Par. 36. Eſai. 53. 2. Par. 2. G. Matt. 5. Eſai. 1. H. Ioan. 1.

F I N I S.

TITVLVS

A

TITVLVS III.

De ſtulta Iudæorum confutanda credulitate ſuper mortuorum ſuorum reſurrectione, quos credunt & reſurrecturos eſſe, & iterum terram incolere.

MOYSES.

QVOD ad præſentem pertinuit titulum, quæ ſcilicet noſtræ tam longæ captivitatis fuerit cauſa, quove modo eam valeamus effugere, *B* cuncta quæ de ea oportuit dici, inexpugnabilibus & evidentiſſimis probaſti rationibus, nec quid de ea vlterius aut dubitandum, aut quærendum ſit video, vnde vt ad alia tranſeamus, prout ſuperius ſunt in ordine digeſta exopto. Quod igitur in libri nos exordio errare dixiſti, eo quod poſt captivitatis evaſionem, inuſitatum nobis miraculum, ſcilicet mortuos qui denuo terras inhabitarent reſuſcitari à Deo crederemus, quare in hac fide errare tibi videamur, precor aperias. Petrus. Hoc miraculum voſmet aſſeritis eſſe præter vſum. Quicquid autem præter conſuetudinem evenit, ſine auctoritate aut ratione, antequam eveniat non debet credi. Errorem igitur indico credere, quod nulla potes auctoritate probare. *C* Moyſes. Hoc ſanè multis auctoritatibus probare valemus. Moyſi enim hoc probatur teſtimonio, dicentis ad populum Iſraël: *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam & ego vivere faciam, percutiam & ego ſanabo.* *Deut. 32* *Terram Iudæi denuo inhabitare poſt reſurrectionem ſperant.* Cùm ergo Deus ſe occiſurum promittat, & vivificaturum, quare tibi fides noſtra ſuper hac re videtur abiicienda? Petrus. Auctoritas iſta à rationis exorbitat ſemita. Hoc enim verbum ad oſtendendam ſuam omnipotentiam dixit, non quod ipſe veſtros mortuos ſuſcitaturus ſit. Moyſes. A die qua Deus hoc ſe facturum promiſit, vſque in præſentem diem, concedis eum aliquando hæc feciſſe miracula? Petrus. Omnia utique fecit. *Num. 12* *Iob. 12.* *4. Reg. 20* *4 Reg. 5.* Ipſe enim Mariam ſororem Moyſi prophetæ, Iob, Ezechiam, Naaman, & alios quam plures cum voluit percuſſit, cùm voluit ſanavit. *Exod. 12* Item ipſe in vna nocte omnia primogenita Ægypti interfecit; & ſub vnius noctis ſpatio in caſtris Sennacherib. C L X X X V. millia occidit. *4. Reg 19* *3. Reg. 17* *4. Reg. 4.* Sed idem è contrario in manu Heliæ filium viduæ, in manu autem Heliſæi, Sunamitis filium ſuſcitavit. Moyſes. Quandoquidem eum iam feciſſe hæc credis miracula, quid te credere prohibet eum adhuc quandoque facturum eadem ipſa? *D* Petrus. Omnipotentem mortuos ſuſcitare poſſe non nego, quin omnes homines in die iudicij ab eo reſuſcitandos & confiteor & credo, *1. Cor. 15* *Ioan 5. 11* *Matt. 24* ſed quod adiicitis, quia ſcilicet denuo terras inhabitaturi ſint, non credo. Moyſes. Nec hoc tibi contra fidem eſſe debet videri, cum ab Helia vel Heliſæo reſuſcitatus, *3 Reg. 17* *4 Reg. 4.* poſtea longam vitam duxerit, uxorem habuerit, filios genuerit, & priſtina humanæ vitæ cuncta officia impleverit. Petrus. Verum eſt & bene potuit eſſe, vel per miraculum vel per precem ſancti viri, quia corpus nondum erat diſſolutum, quamvis etiam nequaquam crederemus, niſi teſtimonium ſuper hoc propheticum haberemus. Verum ea quæ contra vſum contingere ſolent, fides hominum ſuſcipere facile non ſolet, niſi talium confirmentur auctoritate prophetarum, quibus omnium favor applaudat auditorum, & vt ea ipſa apertiſſime loquantur prophetæ. Hoc autem nullus aperte pronunciavit propheta. Sed cum veſtri hoc dixerint doctores, nemo tamen ex his qui ante Chriſtum fuerunt iſtud prædixit. Sequaces autem errorem hunc invenere vt Iudæorum gens in ſua perſiſteret infidelitate. *E* Moyſes. Et ſi doctores noſtros ſeducendi cauſa finxiſſe hæc aſtruis, quid de prophetis idem facientibus reſpondebis? Ait enim Eſaias: *Vivent mortui tui: interfecti mei reſurgent. Expergiſcimini & laudate qui habitatis in pulvere.* *Eſa 26.* Petrus. Verba hæc nequaquam oſtendunt mortuos veſtros ad inhabitandum terram reſuſcitari, quoniam ſi diligenter quod dicitur attendamus nec mortuorum reſurrectionem ibi patenter præſignatam inveniemus. Alioquin ſibimet propheta contrarius eſſe videbitur, cum in ſuperioribus dixerit, *morientes non vivent, gygantes non reſurgent.* *Eſa. 26.* Quod igitur & à naturæ vſu diſſentit, & ipſi prophetæ contrarietatem ingerit, nequaquam ſecundum libitum vniuſcuiuſque ad ſenſum naturæ contrarium debet exponi, cum aliter ſano ſenſu poſſit intelligi, niſi neceſſaria ratio ita coëgerit accipi. Moyſes. Audire delectat quonam alio modo verſus huius ſententia iuſte queat intelligi. *F* Petrus. Duobus modis verbum hoc intelligi poteſt, videlicet vt vel de extremi iudicij ſuſcitatione dictum credatur, vel reſuſcitationis nomine captivitatis evaſionem ſignificaverit. Hic autem ſenſus magis ad literam pertinere videtur, cum paulo ſuperius propheta ſuæ gentis captivitatem & afflictionem defleverit, ſtatimque divinæ promiſſionis & pietatis ſolatium intulit dicens: *Vivent mortui* & reliqua. Nec hanc evaſionem quolibet incerto tempore, ſed poſt modicum tempus eventuram inſinuat dicens: *Vade populus meus intra cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio.* *Eſa. 26.* Hæc ad captivitatem congruenter referuntur. Moyſes. Nunquidnam aliquid tale in verbis Danielis obiicere poteris? Ait enim: *G* *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere vigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium vt videant ſemper.* *Dan. 12.* Petrus. Tanto longius auctoritas hæc à tua diſcrepat intentione, quanto evidentius de vltimo iudicio intelligitur dicta fuiſſe. In illa enim reſurrectione, ibunt vel in vitam æternam vel in æternum opprobrium. *Ioan. 5.* *Mati. 25* *Galat. 6.* Moyſes. Invenieſne aliquid quod contra Ezechielem Prophetam dicere poſſis? Qui cum plures mortuos divina ſuſcitaſſet virtute, de futuris quoque his vaticinatus eſt verbis. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos in terram Iſrael.* *Ezec. 37.* Et poſt pauca. *Et requieſcere vos faciam ſuper humum veſtram.* Ecce & mortuos ſuſcitandos, & terras ſuas inhabitaturos apertiſſime propheta atque indubitanter oſtendit. Petrus. Hoc prius debemus diſcutere, vt ſcilicet quali eos ſuſcitaverit modo valeamus agnoſcere, videlicet utrum poſt ſuſcitationem omnia humani corporis officia expleverint, nec ne. Nam & hoc pleriſque in dubium venit. Moyſes. Vt noſtri teſtantur doctores, non per ſomnium ſed vigilans eos exurgere fecit. Et vt hoc magis verum eſſe innoteſcat, ipſos omnes mortuos quos ipſe ſuſcitavit de Effraim tribu perhibent fuiſſe, quos in egreſſione populi de Ægypto dicitur obiſſe in Philiſtinorum regione. *H* Hæc autem ſuſcitatio ſignum fuit futuræ, vt quemadmodum illi omnes ſunt per eum ſuſcitati, ſic & reliqui vniverſi quandoque credantur ſuſcitandi. Petrus. Quomodo illis veram & perfectam contulit reſurrectionem, cum animam nequaquam illis reddiderit rationalem? Moyſes. Qualiter eos non rationalem recepiſſe animam contendis, cum idem Propheta ex Dei præcepto ad ſpiritum vaticinetur talibus verbis? *Hæc dicit Dominus. A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos & reviviſcãt. Et prophetavi ſicut præceperat Dominus, & ingreſſus eſt in ea ſpiritus & vixerunt, ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.* *Ezec. 37* Petrus. Spiritus hic qui à quatuor venire ventis iubetur, nequaquam rationalis eſt anima, ſed quæ ex quatuor elementorum fit coniunctione. Moyſes. Ex verbis tuis intelligitur, aliud eſſe ſpiritum corporalem, aliud animam rationalem. Quod ſi ita eſt, tunc & eorum opera ſunt diverſa. Petrus. Ita eſſe nemo ſanè ſapiens dubitat. Moyſes. Vtriuſque

differentiam

Digitized by Google

A

Spiritus & animæ differentia.

differentiam audire deſidero. Petrus. Spiritus corporalis corpus quidem leviſſimum eſt & ſubtiliſſimum, quod in hominis corpore ex quatuor elementorum fit coniunctione, & ex eo loco in omnes ſpargitur venas, ipſique corpori tribuit vitam, & halitum, & arteriis aſſiduum pulſum, & naturalem hominis motum, hoc cum corpore quod vivificat ſimul corrumpitur. Eſt autem rationalis anima ſubſtantia per ſe ſubſiſtens incorpor a voluntario motu moveri faciens corpus, ipſa tamen immobilis permanens, corpore quoque cui inhæret corrupto, incorruptibilis exiſtens, generi etiam adiuncta ſpeciem hominis ipſa perficiens. Moyſes. Memini multos ante nos dixiſſe animam rationalem ex quatuor elementorum coniunctione creari. Quæ coniunctio cum ſubtiliter fit nihil denſitatis habens in ſe, dixerunt animam ſubtilem eſſe, ſi vero obſcuritatis aliquid habeat, & ſpiſſitudinis, dixerunt animam ſegnem eſſe & obtuſam tali illud argumento probantes. Ex adiunctione (inquiunt) quarundam rerum talia gigni ſæpe videmus, colores ſcilicet, virtutes & opera quæ de nulla illarum ſi diſiunctæ ſingillatim accipiantur proveniunt. Similiter quoque igne & aëre, aqua, terra pariter iunctis, rationalis producitur anima, quæ tamen ſi quæratur in ſingulis, non invenitur manifeſta. Petrus. Si ex corpore quatuor elementorum coniunctione perfecto rationalis naſcitur anima, debet ergo deficiente corporis robore animæ virtus deficere. Si autem virtus animæ, cum corporis deficit robore: ſequitur ergo vt inchoante corporei vigoris diſſolutione, pariter diſſolvatur & virtus animæ. Quod ſi concedatur corrupto corpore animam etiam corrumpi concluditur. Moyſes. Rectus ordo conſequentiæ ſic evenire demonſtrat. Petrus. Sed argumenti concluſio oculorum fidem impugnat. Sæpe enim contingit, quanto magis corpus debilitatur & morti appropiat, vt tanto magis convaleſcat anima, veluti aliquotiens multis infirmis ſolet accidere, vt quanto morti proximior eſt, tanto perſpicaciori mentis acumine plus ſolito recordetur, & cuncta provideat, & in ipſo quo melius anima vigeat, momento homo intereat. Cùm autem tanta vt dixi perſpicacia vigeat anima, tunc omnia languentis corporis plus decreſcunt officia. Invenimus præterea ſenes pleroſque cum ad talem pervenerint ſenectutem, vt nulla ſit in eis fortitudo corporea, tunc pollere conſilio animam & omni ſapientia. Hinc itaque evidens colligitur ratio, quod nequaquam de elementorum copula rationalis prodeat anima, ſed ſicut ſuperius diximus, ſit per ſe ſubſiſtens ſubſtantia. Quicquid enim vnum numero exiſtens & in ſui natura immutabile permanens, contrariorum eſt ſuſceptibile, ſubſtantia eſt vtique per ſe ſubſiſtens. Quoniam igitur anima vna eſt numero, veluti Platonis, Socratis, ſive cuiuslibet vnius hominis anima, nec in ſui natura vllatenus permutatur, ſed boni malique eſt ſuſceptibilis, reſtat neceſſario vt ſit per ſe ſubſiſtens ſubſtantia. Hoc autem modo probatur quod non ſit corporea. Omnis corporis qualitas humanis ſubiacet ſenſibus. Cuiuſcunque autem rei qualitates nulli corporeo ſubiacent ſenſui, nec corporea eſt ipſa dicenda. Qualitates autem animæ bonum ſunt & malum, quæ nullo corporeo percipiuntur ſenſu. Anima igitur non eſt corporea. Item idem alio ſic probatur argumento. Omne corpus aliquo corporeo percipitur ſenſu. Anima autem nulli ſubiacet corporis ſenſui. Non eſt ergo corporea. Hæc etiam anima corrupto corpore non corrumpitur. Corporis namque corruptio tribus modis fit, vel cum quid marceſcit & areſcit, vt in arboribus videmus, & herbis, vel cum detrimentum ſui patitur, vt ſal vel fœnum cum de loco ad locum movetur, vel cum diſſolvitur, vt domus cum deſtruitur, vel aliquod vas cum frangitur. Nulla autem harum fit niſi vel in corpore, vel in re quæ corpori accidit. Sed anima nec corpus eſt, nec fundatur in corpore. Nullo itaque horum modo corrumpitur. Præterea

B

Anima perſpicacior mentis acumine recordatur homine morti proximo.

C

Senes prudentes.

Animæ definitio.

D

Corporis corruptio fit tribus modis.

E

hæc ipſa rationalis anima hominis ſpeciem complet, quoniam ipſa rationalem efficit hominem. Moyſes. Quid ſpiritus corporalis à rationali differat anima, patenter agnovi. Sed quoniam Philoſophi dicunt in homine tres eſſe animas, poſtulo vt quæ nam hæ ſint aperias. Petrus. Tres illæ quas dicunt animæ, ſunt anima vegetabilis, anima beſtialis, anima rationalis. Moyſes. Harum ſingularum opera & officia vt dicas expoſtulo. Petrus. Ab imis ad ſuperiora gradatim aſcendere libet. Vegetabilis animæ duo ſunt officia. Facit enim rerum incrementum, & corporibus ipſis præſtat nutrimentum. Hoc autem vtrunque non facit niſi per quatuor naturæ virtutes, appetitivam ſcilicet, retentivam, digeſtivam, & expulſivam. Et hæc anima in omnibus invenitur virgultis de terra naſcentibus, & vniverſis animalium ſpeciebus. Officia autem beſtialis animæ, vere ſunt corporis ſenſus, motus etiam de loco ad locum. Hæc autem in animalibus tantum reperitur, & hæc anima cum ſpiritu corporali quaſi quibuſdam nexibus coniuntur. Rationalis autem animæ hæc ſunt officia, meditari, meditata recordari, diſcernere, fixum aliquid ac certum firmare, memoriam habere, & velle rerum cauſas diſcutere, & diſcuſſis ad rei veritatem pervenire. Hæc in nulla animalis ſpecie, niſi in ſolo permanet homine. Moyſes. Quali modo iſtæ tres animæ in vno convenerint homine: duæ vero in irrationabilibus animalibus. Tertia autem ſola in omnibus de terra naſcentibus, & ignoro, & vehementer admiror. Petrus. In quorundam philoſophorum libris legi, quod cum rerum placuit creatori, animantium omnium atque virentium procreare corpora, quatuor in vnum commiſcuit elementa, & eorum qualitates aliam ſua temperavit contraria, & ex illa commixtione procreata ſunt corpora ſupradicta. Ex qualitatum vero temperantia quatuor provenerunt naturæ, quas prædiximus virtutes, appetitiva ſcilicet, retentiva, digeſtiva, & expulſiva. Corporibus autem huiuſmodi procreatis omnibus quidem vegetabilis adhæſit anima & ſua in eis exercuit officia, creſcendo ſcilicet nutriendo & generando. Subtilioribus autem beſtialis iuncta eſt anima, vt ſua in eis exhibere poſſet officia, præſtando ſcilicet ſenſum & motum de loco ad locum. Quod autem ex eis omnium ſubtiliſſimum, leviſſimum fuit & temperatiſſimum, & ad ſuſcipiendam rationem aptiſſimum illi ſe rationalis anima ſociavit & illa ſua quæ prædiximus officia ibi exhibuit. Hoc itaque modo iuxta voluntatem Dei ac diſpoſitionem, tres illæ animæ omnes convenerunt in homine, in animalibus irrationabilibus ſolummodo duæ. Tertia autem ſola in arboribus & herbis quæ naſcuntur de tellure. Moyſes. Bene tui gratia quod ignorabam oſtendiſti, ſed vnum reſtat quod mihi poſtulo aperiri. Cum enim corpora omnia de quatuor ſint elementis compoſita, vehementer admiror quare alia aliis exiſtant leviora. Petrus. Hoc contingit ſive ex diverſitate quantitatum elementorum, in corporum creatione inæqualiter adiunctorum, & ex diverſitate temperantiæ qualitatum eorum. Quod ſi largius noſſe deſideras, in libris invenies philoſophorum, quia ad præſens de huiuſmodi re explananda, nec tempus habemus, nec locum, ad veſtrum potius eſt nos redire propoſitum. Moyſes. Huc vſque ſatis philoſophice tractaſti, quæ diſtantia ſit inter ſpiritum corporalem, & animam rationalem. Sed quoniam minus doctorum ſimplices mentes ſubtilium rationum profunda non penetrant, eandem differentiam legis aut Prophetarum quæſo ſi vales teſtimonio proba, vt quorum profundarum rationum gravitas non illuſtravit mentem, eis ſaltem auctoritas faciat fidem. Petrus. In exordio libri Geneſeos Moyſes ait Propheta. *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem,* per ſpiraculum ſcilicet vitæ ſpiritum corporalem, per animam vero viventem, rationalem intelligens animam.

Anima vegetabilis, beſtialis, rationalis.

F

Rationalis animæ officia.

G

H

Geneſ. 2.

Moyſes.

A

Moyſes. Per ſpiraculum vitæ rationalem animam nos intelligere poſſumus. Petrus. Quod dicis ſtare non poteſt. In eodem enim lib. in ſequentibus ſcriptum eſt:

Geneſ.7.

Conſumpta eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum atque reptilium quæ reptant ſuper terram, univerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt, in terra mortua ſunt. Ecce enumeratis volucribus, animantibus beſtiarum atque reptilibus, ſive hominibus, ſubito intulit, cuncta in quibus eſt ſpiraculum vitæ mortua ſunt. Si igitur per ſpiraculum vitæ animam intelligi voluiſſet rationalem, iam cuncta rationalem animam habent. Sed cum nulla creatura præter hominem rationalem habeat animam, conſtat quia per ſpiraculum vitæ nequaquam rationalem ſignificaverit animam, Salomon quoque ſapientiſſimus idem ſentiens ait: *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?*

Eccleſ.3

Ecce ſpiritum hominis quoniam poſt corpus incorruptibilis permanet, ſurſum aſcendere, ſpiritum vero iumentorum qui cum

B

corpore ſimul corrumpitur & interit, deorſum deſcendere perhibet. Moyſes. Aliud rationalem animam, aliud ſpiritum corporalem eſſe ex omnibus partibus manifeſte cognovi, ipſúmque ſpiritum corporalem de quatuor elementorum coniunctione fieri. Spiritum ergo quem Ezechiel Propheta à quatuor mundi partibus ex Dei iuſſu venire præcepit, ſpiritum corporalem intelligi debere cognoſco, & de mortuis quos

Ezec.37

ſuſcitavit quod rationalem animam receperunt, licet ſic à multis credatur, nullam confiteor auctoritatem reperio. Ipſam tamen quoquo modo facta fuerit reſurrectionem, ſignum futuræ reſurrectionis, & dico & credo fuiſſe, quod Deus ſcilicet noſtros quandóque qui denuo terras inhabitent reſuſcitaturus ſit mortuos, quemadmodum idem Propheta ſuperius oſtendit dicens. *Et ſcietis quia ego Dominus cum aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris populus meus, & dedero ſpiritum meum in vobis, & vixeritis, & requieſcere vos faciam ſuper humum veſtram.*

Ezec.37

C

Propheta dicta Iudæ corporaliter intelligũt.

Petrus. Hoc ſane potuit dici de mortuorum reſuſcitatione in die iudicij. Moyſes. Si de illo intelligi volebat iudicio, non debuerat in ſententiæ fine dicere, *requieſcere vos faciam ſuper humum veſtram.* Tunc enim nemini ſuper terram ſuam requieſcere, licitum erit. Petrus. Requies iſta hoc modo accipi poteſt, vt animam ſignificet requieſcere in corpore, quod non immerito terræ nomine de qua ſumptum eſt exprimitur, teſte inſuper ſcriptura, quæ frequenter illud nomine terræ appellat. Ait enim Moyſes: *Formavit Deus hominem de limo terræ.* Ecce homo cum quatuor elementorum ſit coniunctione perfectus, de terra tantum quæ eſt vnum elementum dicitur factus, ſed non inconvenienter, quia terræ nomine ſignificat corpus. Intelligere poſſumus ergo quod dicit, faciet eos requieſcere ſuper humum ſuam, quod anima redibit ad corpus, & indicabitur vtrumque. Hic autem ſenſus in illius prophetiæ explanatione ſano intellectu concipi poteſt, ita ut nec ſcriptura aliqua vel ratio vlla eis videatur contraria.

Geneſ.2.

1 Cor.15
1.Cor.3
1 Theſſ.4

D

Prophetarũ obſcura dicta quo modo exponẽda.

Quicquid autem in tenebroſis dictis prophetarum, multis accipi poteſt modis, ita vt quis eam exponens, nec à ſcripturæ teſtimonio, nec à rationis exorbitet ſemita, nihil eſt inconveniens ſi quis eam diverſo, ſed iuſto expoſuerit ſenſu. Si cuius autem talis ſit expoſitio, quæ vel à ſcriptura vel à ratione aut ſit aut videatur extranea, ea iuſto iudicio carere viribus eſt æſtimanda. Quoniam ergo tua explanatio tam ſcripturæ quàm rationi invenitur contraria, æquitatis iudicio eſt repellenda. Moyſes. Quonam modo ſententia mea ſit ſcripturæ contraria, audire delectat. Petrus. David Propheta de mortuis taliter, inquit. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum; tabernacula eorum in progenie.* Item de eadem re. *Introibit vſque in progenie patrum ſuorum, & uſque in æternum non videbit lumen.* Item alibi. *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor*

Pſal.48
Pſal.48.
Pſal.87

amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt. Iob etiam idem ſentiens dicit: *Memento quia ventus eſt vita mea, & non revertetur oculus meus ut videat bona, nec aſpiciet me viſus hominis. Oculi tui in me, & non ſubſiſtam. Sicut conſumitur nubes & pertranſit, ſic qui deſcendit ad inferos non aſcendet, nec revertetur ultra in domum ſuam, nec cognoſcet eum amplius locus eius.* Idem alibi: *Vadam & non revertar ad terram tenebroſam.* Item idem: *Homo cum dormierit non reſurget.* Salomon etiam his conſona ſentit dicens: *Viventes ſciunt ſe eſſe morituros, mortui vero nihil norunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum. Amor quoque & odium & invidia ſimul peribunt, nec habent partem in hoc ſæculo & in opere quod ſub ſole geritur.* Ecce Salomon ſapientiſſimus, cæterorum auctoritatibus concors exiſtit, quod mortui ſcilicet ad hoc ut terras inhabitent, reſuſcitandi non ſint, & tamen quod quandoque reſurgent perhibet dicens, quod non habent partem in his quæ ſub ſole geruntur, id eſt, in terrenis, per hoc videlicet innuens, quod in his partem ſint habituri, quæ ſupra ſolem fiunt, id eſt, in cœleſtibus.

E
Iob.7.
Iob.10.
Iob.14.
Eccl.9.
F

Moyſes. Introductarum rationum aut auctoritatum medietas ſapienti cuilibet ſatis ſufficeret. Veruntamen quoniam expoſitionem noſtram tam ſcripturæ quàm rationi contrariam eſſe dixiſti, reſtat oſtendas in quo à ratione diſſentiat. Petrus. Nonne creditis quia cum veſtri reſurrexerint mortui adveniente vncto, Adam quoque & Seth, Mathuſalam, Abraham, Iſaac, & Iacob, Moyſes & Aaron, cæterique Patriarchæ & Prophetæ, & omnes iuſti qui ante adventum eius obierunt, pariter cum eis ſint reſurrecturi, & omnia humani corporis officia agentes & patientes, priſtinóſque ritus recolentes, antiquo more terras denuo ſint inhabitaturi, & Aaron ac filij eius ſacrificium ut olim oblaturi, & à Moyſe ſacerdotalibus veſtimentis induendi ſint? Moyſes. Ita noſtros doctores cuncta dixiſſe negare non valeo. Petrus. Quiſnam rogo tunc maximus erit pontifex? Moyſes. Quis Aaron maior eſſe poterit? Petrus. Quid igitur de Eleazaro multiſque aliis tunc fiet, qui olim omnes ſummi fuere pontifices? Erunt ne ſimul vno tempore maximi, an illius ordinis dignitate privabuntur? Si dixeris vivente Aaron eos ſummo ſacerdotio fungi non poſſe, quid ergo eis proderit reſurrectio? Plus enim ad dedecus & incommodum, quàm ad decus & vtilitatem erit eis reſurgere, meliúſque eis fuiſſet in morte permanere, quàm ærumnoſam ducere vitam, licet & Moyſi lex in hoc facto deſtruatur, qua præceptum habetur, ne quis maiori ſublimatus ordine vlterius ad minorem reducatur. Si autem omnes in ſummi ſacerdotij ordine æquales futuros eſſe conceſſeris, honorem ſuum Aaron adimis, quia nullus inter complures æquales, excellentem habere poteſt honorem. Præterea multis pontificibus multa neceſſaria ſunt templa. Ex hoc ergo aliud inconveniens itémque legis deſtructio ſequitur, præcipientis, nec plus quam vnum ſacerdotem, nec plus quam vnum exiſtere templum.

G

Sacerdos ſummus vnus erat in lege & têplũ unum.

Moyſes. Argumentum quod tuæ obſtet rationi non habeo. Video enim aut novam nos legem habituros concedere: aut Moyſi legem nequaquam totam conſiſtere poſſe. Petrus. Gaudeo quia veritatis lumen ex parte iam animo tuo illabitur. Dic ergo. Nunquid plures reges habituri eſtis an vnum? Moyſes. Vnum vtique habere debemus, ſicut Propheta Ezech. perhibet dicens: *Vnum paſtorem omnes habebunt.* Si enim fuerint plures, cum concordes eſſe non poterunt, regni pacem deſtituent. Petrus. Sapienter reſpondere inchoaſti. Sed quiſnam ille rex erit potes edicere? Moyſes. Vnctus, in cuius adventu captivitatem ſumus evaſuri, mortuique noſtri ſunt ſuſcitandi, noſtrique merito moderamen habere debet imperij. Petrus. Bene quod dicis eſſe poſſet, ſi vnctus ille homo & Deus eſſet. Si vero vt creditis homo tantum futurus ſit, quid tunc Abraham, Iſaac & Iacob ſunt facturi, Moyſes etiam cæterique prophetæ? Nunquid eius ſubiicientur ditioni? Non mirum videri debet, ſi eius ſubiecti fuerint

H
Ezec.37.
Vnctus.

poteſtati.

A

potestati. Sic enim & Samuel ſubiectus eſt Sauli, & Helias Achab regi, & Heliſæus Ioram & alij multi prophetæ regibus ſuis. Petrus. Rerum præſentium ſimilitudo non convenit. Nam etſi prophetæ qui minime reges fuerunt regibus ſubditi fuerint, non ideo convenit aut eſt neceſſe, vt rex propheta cuiquam terreno regi ſubiiciatur, velut Abraham & David, & Ioſue, quorum quiſque fuit rex atque propheta, Moyſes etiam qui & rex, & propheta & legiſlator totius extitit populi, cui legis liber tale teſtimonium perhibet dicens: *Non ſurrexit propheta vltra in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis atque portentis quæ miſit ſuper eum.* Nonne cum iſti tanti taleſque viri reſuſcitati illius vncti fuerint iuri ſubiecti, nonne quæſo melius fuiſſet eis ne reſuſcitarentur? Præterea duo inde inconvenientia proveniunt. Si enim minor eo eſt Moyſes, ſcriptura ergo mentitur, ſi autem maior, tanto plus vilificatur. Moyſes. Ipſum ergo Moyſen regem eſſe proponamus. Petrus. Quid ergo vnctus ille facturus eſt? Quid etiam Abraham, Iſaac & Iacob ſunt facturi, quos Moyſes ipſe dum viveret in tanto pretio habebat, quod cum aliquid à Deo implorabat, pro eorum amore ſe adepturum eſſe orabat? In magno ſi attendas diſcrimine eſtis. Sed volo vt dicas, ſi noſti, nunquidnam illi qui tunc ſuſcitandi ſunt mortui, naturam & poteſtatem habebunt filios generandi? Moyſes. Vt quid reſponſurus ſis audiam, illos generaturos negabo. Petrus. Volo prius reſpondeas, ſi generationis officium in eis natura negabit, aut legis iuſſum prohibebit. Moyſes. Legis præcepto eos conſtringendos reſpondeo. Petrus. Cum igitur Moyſi lex filios procreari præcipiat, novam vos legem habituros demonſtras, quod eſt contra fidem veſtram. Moyſes. Natura eis non lege generationem inhibitam eſſe mutata vice probabo. Petrus. Stare quod dicis non poteſt. Auditus enim abhorret, & mens credere refugit, aliquod animal modo eſſe cui ſit naturale generare non poſſe, niſi aliquo interveniente, vim generandi amittat. Quod ſi naturam ipſam eſſe dixeris novam, non debes dicere eos reſuſcitandos, ſed novam creaturam futuram ſimilem primæ in forma tantum, non in natura tota, comedent quippe, & bibent, ſed non generabunt. Moyſes. Quicquid hactenus mutata altercatione locuti ſumus, non tam ex veritatis defenſione, quam ex ſyllogiſmorum ambagibus diximus. Fides enim noſtra eſt, quia quemadmodum cætera humanitatis officia, ſic & generandi naturam habebunt, adeo vt mulierem quotidie concepturam, quotidie parituram credamus. Petrus. Quod dicis vix humanæ aures poſſunt audire. Vt enim quæ dicis vera fatear eſſe, ſcilicet vt innunctum & credituri ſunt omnes & reſuſcitandi. At cum quotidie filios procrearent, profecto nec terra eos caperet etiam ſi dupliciter maior eſſet, aut pontus etiam terra fieret & adeo loci coartarentur anguſtia, quod non haberent quæ colere poſſent arva, imo inde ſemper eſſet inter eos pro terræ anguſtia certamen & rixa. Cum item ſuſcitentur omnes, redibit quiſque vir ad vxorem ſuam quam habuit, aut aliam novam habebit? Moyſes. Quiſque ſane rehabebit ſuam. Hæc namque erit lætitiæ conſummatio. Petrus. Illa igitur mulier quæ poſt tres aut plures habitos maritos eſt mortua, in reſurrectione quem ex his eſt habitura? Nam ſi primum habituram reſponderis, lex Moyſi deſtruetur dicentis, quod poſt ſecundum non debeat ad primum redire maritum, ſi vero alium quàm primum habituram reſponderis, in eo etiam eſt deſtructio legis, eadem namque iubente, primo viro vivente, nec eam repudiante, cuiquam non poterit nubere. Sed ecce cum tot ſuſcitati, totque poſt eos fuerint nati, quilibet horum erunt quandoque morituri? Moyſes. Immortales exinde permanebunt. Petrus. Ratio ſtare non poſſe quod dicis demonſtrat. Cum enim homo comederit, biberit, generãdi vſum habuerit, neceſſe eſt quod ex quatuor elementis compoſitus ſit. Quicquid autem taliter compoſitum eſt, id etiam corrumpi neceſſe eſt.

Reges & prophetæ quis fuerit. Deut. 34

B

Exod. 32.

Matt. 22. Luc. 20. Marc. 12. Geneſ. 1.

C

Iudæi poſt reſurrectionem uxores ſuas concepturas & parituras credunt.

D

Matt. 22. Luc. 20. Marc. 12.

Leu. 20.

E

Ergo & eos mortis corruptioni cum taliter compoſiti ſint, ſubiacere neceſſitas concludit. Rurſus ſi immortales fuerint, iam nequaquam ſpeciali, quæ nunc eſt hominis, ſubiicientur diffinitioni. Diffinitio enim hominis eſt, animal rationale, mortale. Sed de immortalibus hominibus diffinitio iſta prædicari non poteſt. Quare nec ſpecialis homo. Vnde per hoc medium colligitur recte, vt quos homines vocas, homines non ſint, quod eſt inconveniens. Iterum ſicut ſuperius diximus, multitudini eorum ſpatium totius terræ non ſufficere poſſet, ſi ipſam maximam multitudinem immortalem aſſeramus, cum ſupra ſine intermiſſione eos generaturos eſſe dixerimus, & ſi ad lapidum modum ſibimet ſuperponerentur, nullatenus in duplicato terræ ſpatio concluderentur. Moyſes. Cum immortales eos eſſe defendere nequeam, ſaltem mortales concedam. Petrus. Cum morituros eos eſſe concedas, volo dicas, illa reſurrectio vtrum erit eis ad pœnam an ad coronam. Moyſes. Ad gloriam & honorem illa erit reſurrectio, vt vncti gloriam & regnum conſpiciant, & perfectam corporis & cordis habeant lætitiam. Petrus. De ſtatu interim bonorum donec reſurgant, audire volo quid ſentias, ſcilicet vtrum in pœnis an in quiete vſque ad reſurrectionis tempus permaneant. Moyſes. Quietis eos beatitudine cum Deo perfrui certiſſimum eſt. Petrus. Quandoquidem vt aſſeris ita eſt, reſurrectio illa ad pœnam potius quàm ad coronam futura eſt. Cum enim nunc æternæ vitæ munere glorientur, cur iterum in corporum ergaſtulis retrudentur, vbi fame, ſiti, vigiliis, & variis atq; innumeris denuo cruciatibus agitentur? Quin inſuper ſecundum tuam ſententiam ſecundæ mortis timorem & pœnam ſuſtinebunt. His omnibus ſatis cuilibet patet, reſurrectionem illam magis illis ad dedecus quàm honorem & gloriam fieri. Moyſes. Et ſi nunc in quiete & deliciis permanent, de quibus ad corporum ſint redituri anguſtias, ſed tamen tanta eis erit exultatio vncti præſentiam cernere, & eius regno exultare, Hieroſolymis ut olim habitare, in templo veterum ritu ſacrificare, ut & corporum pœna ſit eis nulla, & quam modo habent, requies habeatur poſtea pro minima. Petrus. Quod dicis à veritatis exorbitat ſemita. Nullus enim præſentis mundi honor & gloria æternæ vitæ deliciis & quieti comparatione convenit aliqua, quia nec vno momento quiſquam huius mundi poterit ſine labore & pœna vti delitiis. Illius autem beatæ vitæ gloria, nulla intercedente moleſtia permanet perpes & continua, præcipue cum veſtri teſtentur doctores, omnem huius mundi honorem & gloriam idem eſſe ad illius vitæ delicias, quod eſt vnum ad LX. Patet inſuper cuilibet, niſi quis totius rationis ſit expers, incomparabiliter maius eſſe gaudium cernere Deum, quam talem, qualem vos dicitis. Moyſes. Quæcunque hactenus locuti ſumus, ratiocinandi & argumentandi cauſa diximus. Hæc enim eſt noſtræ fidei certitudo, quia reſuſcitandi ſint, comedendi, & bibendi, ſive generandi & naturam & vſum ſint habituri, & poſt mille annorum tráſacta curricula, in perpetuæ beatitudinis & immortalitatis regnum ſine aliqua morte transferendi. Petr. Si immortales concedis, ad priſtinum inconveniens redis. Intra mille etenim annos, in tantum multitudo propagabitur eorum, vt nullo modo intra terræ concludi valeant ambitum. Multo minus igitur ad incolendos agros vllũ ſupererit ſpatium. Inſuper etiam illud quod ſupra diximus eſt in quæſtione, quia patriarchæ prophetæ, & omnes iuſti, qui iam fulgebant in gloria, novis denuo pœnis ſubduntur reducti ad corpora. Item aliud: Omne enim quod comedit, bibit, & gignit, delectatur etiam ac triſtatur, proculdubio ex quatuor elementis compoſitum non dubitatur. Quomodo autem quod ex eis componitur, & paſſionibus prædictis afficitur, cum eiſdem affectibus ſine mutatione in regnum illud transferetur? Sed vt omnia concedamus, quidnam de his qui adveniente vncto & poſt naſcituri ſunt es dicturus? Morituros ne eſſe aſſeris nec ne? Moyſes. Morientur ſane in Chriſti regni fine. Petrus. Quid igitur

F

Reſurrectio quã Iudæi futuram credunt qualis erit.

Vncti cernere præſentiã eiuſque regno exultare, Iudæi beatitudinẽ aſſerunt.

G

Fides Iudæorum de reſurrectione futura.

H

Iudæorũ error de reſurrectione futura eliditur.

facient

A facient parentes eorum in morte ipſorum ? Melius namque illis foret non reſurgere, quam tantum dolorem ex eorum morte ſuſtinere. Moyſes. Dicamus ergo eos non eſſe morituros. Petrus. Tunc mentitur ſcriptura quæ dicit, David ſcilicet in Pſalmo : *Quis* Pſal.38. *eſt homo qui vivet & non videbit mortem ?* Vndique igitur ſi perpendas ſunt tibi ſemitæ rationis & diffugij clauſæ, quod nullatenus eo quo dicis modo fieri poſſit mortuorum reſurrectio, propter quod idem ſuperius deſtruxeramus legis teſtimonio. Quomodo ergo frater anima tua huiuſmodi fabulis auſcultans poteſt indulgere ? Mecum itaque Domini miſericordiam precare, vt ſicut me, ſic te quoque ab huius infidelitatis abſolvat errore. Amen.

F I N I S.

B

TITVLVS IV.

Ad oſtendendum Iudæos de tota lege Moyſi, niſi parum obſervare, & illud parum Deo non placere.

M O Y S E S.

Exordium illuminatori non immerito gratias ago, qui tantæ cæcitatis tenebras, etſi ſero à noſtro depulit animo. Tibi quoque non iniuſte maximas grates rependo, qui & apertiſſimarum & inexpugnabilium luce rationum, huius à me infidelitatis errorem tuliſti. Nunc ſi placet cœptum ex ordine proſequens, ſequentem propoſitorum noſtrorum aperi partem. Dixiſti enim nos de præceptis legis minimum quid agere, & id ipſum Deo non placere. Quod quare vel qua intentione dixeris, inhianter audire deſidero. Petrus. Quod dixi vos de legis mandatis minimum quid obſervare, nec auctoritatis nec rationis, cum liquido pateat, indiget probatione, vt in ipſis ſacrificiis probari poteſt, quæ nequaquam celebratis. Nam nec agni victimam prout olim matutino & veſpertino immolatis tempore, nec neomeniarum, ſabbatorum, ceremoniarúmque holocauſta celebratis, nec panis, vini & olei quæ ſimiliter poſtpoſuiſtis libamina, aut quotidianum etiam apparatum menſæ, in qua ſeptimo ſemper die panes propoſitionis miniſtrare veſtri patres conſueverant. Luminaria quoque matutino tempore præparata, veſpertino accendebant, eiſdemque temporibus thymiama turibulis impoſitum in templo cremari faciebant, ordinationes etiam atque vnctiones ſacerdotum, variáſque veſtimentorum mutationes, nec multimodas in ſumendis cibis varietates, miniſteriorum quoque per ſingulas hebdomadas viciſſitudines, ſecundum legis præcepta ſervabant, Levitas etiam ſecundum legem electos ordinabant, & muſicis inſtrumentis prout Moyſes inſtituerat pſallere faciebant. Primogenitum autem hominis atque immundorum animalium pretio redimebant, primitivoſque arborum fructus, in eſum Domini offerebant altario, qui in eſum ſacerdotibus credebant. Trium annorum fructus in arboribus permanens, nihil conferebant vtilitatis. Quarto anno omnis fructus earum ſanctificabatur laudabili Domino. Primitias quoque fructuum ſacerdotibus offerebant, & ex duabus decimis vnam dabant Levitis, alteram Hieruſalem in loco ſancto comedendam deportabant. Levitæ etiam decimam decimæ quam accipiebant eiſdem ſacerdotibus perſolvebant. Septimus autem annus ſabbatum erat terræ, quinquageſimus vero iubileus. Lex etiam omnis lepræ & lepræ percuſſuræ veſtigium, & domorum cicatricis, & erumpentium papularum lucentes maculæ, & in varias ſpecies colorum mutatorum, vt poſſet ſciri quo tempore mundum quid vel immundum eſſet

C Legem Iudæi iam non obſervãt. Num 28 Pſal. 80 Exod. 25 Exod. 30 Lev. 8. Deut. 14 Levit. 3. Pſal 80. Num. 10 Exo 13. 34. Lev. 23 D Num. 18 Exod. 36 Leu 25 Leu 13.

E ſacerdotum erat iudicio ſubdita. Lex quoque eius qui Leu 15. fluxum ſeminis patiebatur, & mulieris quæ menſtruis temporibus ſeparabatur, ſacrificiáque purificationis eorum, ſacerdotum conſtituebantur arbitrio. Si quis hominis mortui tentorium introiret, aut cada- Deut. 14 ver occiſi tetigiſſet, ſive os illius aut ſepulchrum tam ipſe quàm univerſa vaſa tentorij immunda erant, donec combuſtæ vitulæ cineribus aſperſa mundarentur. Præterea alia quàm plurima in lege præcepta ſunt, Levit. 4. quæ à vobis iam dudum omnino prætermiſſa ſunt. Moyſes. De legis præceptis quæ minime obſervamus nequaquam redarguendi ſumus, cum & patria noſtra exules ſimus, temploque & legitimis careamus. Petrus. Excuſationis cauſam invalidam protuliſti. Nam ſi Deo veſtra ſacrificia accepta eſſent, non vos ita de terra eieciſſet, vt hæc quæ iuſſerat minime poſſetis implere. Moyſes. Abſit vt nos ideo de ſolo paterno expuliſſet, ne eius præceptis obſecundari valeremus, quoniam non eſſet opus ſapientis & iuſti aliquid iubere, quod idem poſtmodum fieri prohiberet. Et iterum cur ea non fecerimus, rationem habeat à nobis F exigere, ſed quia deliquimus in conſpectu eius, iratus adverſus nos, eiecit de terra, vbi eius non poſſumus implere præcepta. Noſtra itaque impoſſibilitas non erit inculpanda, donec tempus adveniat, quo ad terram habitationis noſtræ revertamur, & tunc ea quæ iuſſit nobis Dominus opere complebimus, eique ſacrificium noſtrum acceptabile erit, quemadmodum Propheta teſtatur Malachias dicens : *Et placebit Deo* Malac. 3 *ſacrificium Iuda & Hieruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.* Petrus. Huius prophetiæ teſtimonium, nihil ad noſtrum attinet propoſitum. Nam ſi præcedentem & ſequentem diſcuſſeris hiſtoriam, de ſacrificiis templi quod Eſdræ temporibus ædificatum eſt, 3. Eſdr. 8 dictum eſſe invenies. De exilio autem veſtro quod dixi idem confirmo, ſcilicet quod ideo vos de terra eiecit, ne ſacrificia faceretis, neomenias, vel quaſlibet feſtivitates coleretis priſtino more, nec templi limina tereretis. Cum enim Deus per Moyſen ſacrificia fieri præcepit, ideo utique fecit, vt in eum recte credentes, G & tota eum mente diligentes, legis ſuæ præcepta cum quanta decebat ſollicitudine & munditia cuſtodirent, non quod furta, homicidia, rapinas, & cætera exercendo vitia, necnon idolis ſacrificando, Dei legem indigne tractarent, & multis polluti contagiis, Deo vero ſacrificaturi, ſanctum eius templum indigni ingrederentur, quemadmodum Propheta Hieremias teſtatur dicens : *Ecce vos confiditis vobis in verbis mendacij, quæ* Hier. 7. *non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt deos alienos quos ignoraſtis, & veniſtis & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua invocatum eſt nomen meum, & dixiſtis. Liberati ſumus, eo quod fecimus omnes abominationes iſtas.* Abominatus eſt itaque Deus opera veſtra, & victimas, cum canticis, expulitque vos de templo ſuo, & terra ſicut Eſaias Propheta apertiſſime talibus verbis inſinuat. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum dicit Dominus ? Plenus ſum, Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veniretis ante conſpectum meum, quis quæſivit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis* H *meis ? Nec offeratis ultra ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, ſabbatum, & feſtivitates alias non feram. Iniqui ſunt cœtus veſtri. Kalendas veſtras & ſolẽnitates veſtras odivit anima mea, facta ſunt mihi moleſta. Laboravi ſuſtinens.* Quod & Hieremias cõ- Hier. 6. firmat dicens; *Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuave olentem de terra longinqua ? Holocauſtomata veſtra non ſunt accepta & victimæ veſtræ non placuerunt mihi.* Item alibi : *Cum ieiunaverint non exaudiam preces* Hier. 14. *eorum, & ſi obtulerint holocauſtomata, & victimas, non ſuſcipiam ea.* De hoc etiam Amos Propheta ait : *Odi* Amos 5. *& proieci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Quod ſi attuleritis mihi holocauſtomata, & munera veſtra non ſuſcipiam, & vota pinguiũ veſtrorũ*

Sacrificia Iudæorũ Deus execratur. Eſaia 1.

A

non reſpiciam. Auferam tumultum carminum tuorum, & cantica lyra tua non audiam. De hoc iterum Malachias ait :

Malac.1
Pſal.39.

Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Et Pſalmiſta : *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi.* Per Oſee quoque Prophetam ſic ait.

Oſee 2.

Ceſſare faciam omne gaudium eius, ſolemnitatem eius, neomeniam eius, ſabbatum eius, & omnia feſta temporum eius, & multa alia, quæ enumerare longum eſt. Hæc ſunt præcipua & maiora legis veſtræ præcepta, quæ ſicut prophetica auctoritas & præſentium temporum indicat ætas, Deus nequaquam vult de manu ſuſcipere veſtra. Moyſes. Omnia quæ induxiſti prophetarum verba, de Babyloniæ captivitate & dicimus & credimus fuiſſe prædicta, & in eadem completa. Nam poſt ipſam & divinitas nos reſpexit, & ſacrificia noſtra ſuſcepit. Petrus. Explanationi tuæ meus optime intellectus concordat. Cum enim Deus vos de captivitate eductos ad templum patriámque reduxit, patet quia prophetarum minas complevit, & culpis indultis victimas veſtras acceptabiles habuit.

B

Sed cum poſtea in priſtina ſcelera rediſſetis, priſtinis denuo pœnis multati eſtis, & quanto ſecunda captivitas maior graviórque fuit, quàm prima, tanto maiorem in hac quam in illa Dei ſuper vos liquet indignationem fuiſſe. Moyſes. In hoc verbo tibi ipſi contrarius oſtenderis, cum ſuperius dixeris homines illius temporis religioſos & iuſtos fuiſſe, & legis præcepta fideliter cuſtodiſſe, nunc autem eorum opera Deo diſplicuiſſe confirmas. Petrus. Secundum quod legiſlator Moyſes à Deo legem acceperat, & eis propoſuerat, eos digne ſervaſſe non denego. Sed poſtquam Chriſtus advenit, qui prophetarum arcana revelavit, & legis ſublato velamine, ſpiritualem qui latebat ſenſum aperuit, ex tunc non ſecundum literam occidentem, ſed ſecundum ſpiritum vivificantem legalia debuerunt inſtituta ſervare, quoniam qui legem dederat, melius eam quam prophetæ qui auditores fuerant intelligebat.

Luc.24.
2.Cor 3.

C

Quod quia facere neglexerunt, ideo eorum antiquas obſervationes Deus ſuſcipere renuit, quemadmodum & veteres ritus quos ante ſuſceptam per manum Moyſi legem excolebant, poſt eandem ſuſceptam prohibuit exercere, duas videlicet ſorores ſimul ducere vxores, vel amitam uxorem accipere, omnibus animalibus veſci.

Lev 18.
Deut.14.

Hæc & ſimilia ante legem agentes, rei non habebantur, ſed poſtea nemo ſine peccato facere potuit. Moyſes. Legem noſtram prout Moyſes dedit, & omnis patrum noſtrorum generatio antiquitus coluit, & ſic etiam à nobis per omnia ſervandam & credo & cenſeo. Petrus. Si veteres legis obſervationes Domino acceptabiles fuiſſent, dum eas opere compleretis nequaquam vos de templo & patria eieciſſet. Sed ut tuis acquieſcam ſermonibus, tuo te redarguendum eſſe oſtendam iudicio, cum ſicut dixi nihil niſi pauca de legis obſervetis præceptis, & nec ipſa prout lex præcipit ex toto cuſtodiatis, quandoquidem nec in ſabbatis, nec in ſolennitatibus, aut ieiuniis veſtris, aut victimas aut alia quæ neceſſaria ſunt & præcepta habeatis.

D

Orationes etiam quas loco ſacrificiorum Domino funditis, non vt exaudiantur ad eius aures aſcendunt. Nec hoc malevolentiæ meæ potes aut audes aſcribere, cum ipſimet veſtri doctores teſtentur Deum ab illo tempore preces veſtras non ſuſcepiſſe, quo templum deſtructum eſt. Quod etiam Hieremiæ prophetæ firmant auctoritate dicentis. *Cum clamavero & rogavero, excluſit orationem meam.* Et iterum : *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.* Et Eſaias : *Et cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.*

Orationes Iudæorum Deus nõ exaudit.
Treno.3.
Treno 3.
Eſa.1.

Præterea omnes vos ſecundum Moyſi legem immundi eſtis. Nullus enim in vobis eſt, qui mortuorum attactu pollutus non ſit. Quæ ſcilicet macula, niſi conſperſione cineris vaccæ rufæ non deletur, quam cum ad præſens habere non poſſitis, ab immunditia liberari nequitis.

Num.19
Lev.15.

E

Mulieres etiam veſtræ omnes fluxu pollutæ creduntur, cum priſtini deſint ſacerdotes, quorum erat relictum iudicio inter menſtruam & ſanguinis fluxus pollutam diſcernere, & filij de pollutione. Omnes quoque cibi veſtri legis iudicio polluti probantur. Cum igitur ô Moyſes tota gens veſtra probetur polluta, mulieres omnes pollutæ, & ideo omnes filij de pollutione ſint nati, cibique veſtri vniverſi immundi, & eorum orationes nequaquam ad aures perveniant Dei, nec opera placeant ei. Quomodo quæſo ullam poſſunt ſecuritatem habere, quod vel malorum finem ſint habituri, vel apud Deum ſint vllius pretij? Ipſi quia me de eorum liberavit errore debitas ago gratias, & ut te etiam liberet devotus exoro. Amen.

Tota gẽs Iudæorũ & omnia eorum polluta ſunt.

F I N I S.

F

TITVLVS V.

De Sarracenorum lege deſtruenda, & ſententiarum ſuarum ſtultitia confutanda.

MOYSES.

HACTENVS Iudaicæ gentis fides quam inanis & inconſtans in omnibus eſſet, eorúmque obſequium quam irrationabile Deo atque ingratum exiſteret, vel cur ab eiuſdem fide receſſeris, & evidentiſſimis edidiſti probaſtique rationibus, & mihi in quanto permanſerim hactenus monſtraſti errore.

G

Sed cum paternam reliqueris fidem, miror cur Chriſtianorum & non potius Sarracenorum cum quibus ſemper converſatus atque nutritus es delegeris fidem. Libet enim mihi, quemadmodum in Hebraica ita & hac ſecta quæcunque potero inferre obſtacula, vt ſicut de noſtra, ſic & de hac rationem prætendas, qua deſtrui valeat. Semper enim vt dixi cum eis converſatus & enutritus es, libros legiſti, linguam intelligis, vt enim in me eorum perſonam ſuſcipiam, hanc utique præ cæteris debuiſſes eligere, quam conſtat reliquis honeſtiorem & habiliorem exiſtere. Lex eſt ſi quidem larga, de præſentis vitæ deliciis multa ſervans mandata, in quo oſtenditur divina circa eos fuiſſe dilectio maxima, pariterque ſuis cultoribus gaudia repromittit ineffabilia. Cuius videlicet legis radicem ſi quæras, invenies ſuper inconvulſæ fundamentum rationis fundatam. Cuius rei videlicet quod Deus eos dilexit, & multis præceptis eos onerari noluit, ſed pepercit, ſignum eſt quod quinquies tantum in die orare eos præcepit, quin etiam ſemper antequam orent, ut perfectam munditiam habeant, culum, veretrum, manus, brachia, faciem, os, nares, aures, oculos, capillos, decentiſſime, & ad ultimum pedes lavant.

H

Sarraceni quinquies in die orãt. Sarracenorum ceremoniæ.

Hoc facto, publica voce præconantur, unum confitentes Deum, qui nullum vel ſimilem habeat vel æqualem, eiuſque Mahometh eſſe prophetam. In anno quoque integrum menſem ieiunant. Ieiunantes autem nocturno comedunt tempore, diurno abſtinent, ita ut ab ea diei hora qua nigrum ab albo diſtinguere per viſum poterunt filum, uſque ad ſolis occaſum, nemo comedere, bibere, aut uxoris commixtione ſe præſumat fœdare. Poſt ſolis autem occaſum, donec ad ſequentis diei crepuſculum, ſemper eis cibo & potu, propriiſque uxoribus prout cuique libet, liceat uti. Si tamen aut infirmitate fuerit prægravatus aut in via erit, quãdiu aut languoris aut itineris duraverit tempus, conceditur

Ieiuniũ Sarracenorum.

A ei quibuſcunque voluerit & veſci ſimul & vti, ſic tamẽ, vt quod vel ægritudinis vel viæ neceſſitate minus impleuit, poſtea emendet quando licuerit. Semel autem per ſingulos annos propter ſolam recognitionem præcipiuntur omnes ire ad Dei domum, quæ eſt in Mecha, videndam, & ibi adorare eamque inconſutilibus tegumentis induti circuire, & lapides provt lex præcipit, per media ſcilicet femora iacere retro pro lapidando diabolo. Hanc autem domum dicunt Adam cum de paradiſo exulaſſet, domino extruxiſſe, & omnibus filiis eius donec ad Abraham advenit locum orationis fuiſſe. Abraham autem fidelis Dei ſervus, eam roborauit, & inſtaurauit & in ea domino vota vouit, & ſacrificia obtulit, filioque ſuo nomine Iſmaheli poſt mortem reliquit, eique & omnibus filiis eius per multa annorum curricula, donec Mahometh natus eſt, orandi domus permanſit. Quo nato, eandem

Orationis tempore in Mecha quis Sarracenorum veſtitus.

B Deus ſibi, cunctiſque ſuis generationibus, hæreditariam vt ipſi perhibent, promiſit. Adverſarios præterea Dei & eorum prophetæ prædari, captivare, interficere, & omnibus modis perſequi atque delere iubentur, niſi reſipiſcere & ad eorum fidem converti voluerint, aut ſervitutis indictum cenſum perſoluerint. Abſoluta etiam eis eſt omnis caro, præter porci carnem & ſanguinem nec non morticinum ad veſcendum. Reſpuunt etiam, quicquid in alicuius rei niſi Dei fuerit nomine conſecratum. Licet præter hoc eis eodem tempore quatuor legitimas habere vxores, & qualibet repudiata aliam ſemper accipere, ita tamen, vt nunquam quaternarium tranſeant numerum. In repudio quoque hoc obſervatur, vt vſque tertio ei quamlibet repudiare & eandem rurſus recipere liceat. Emptitias vero atque captivas quotcunque voluerit habere licitum erit, ſed & eaſdem vendendi denuoque emendi liberam poteſtatem habebit, ſic tamen, vt poſtquam ſemel grauidam fecerit, nequaquam ſe alterius ſervitutis iugo aſtringere poſſit. Conceditur

Sarraceni quot vxores habere poſſint. Sarracenorum ritus peſſimi ac naturæ repugnãtes.

C inſuper eis de propria cognatione habere vxores, vt ſanguinis proles accreſcat, & fortius inter eos amicitiæ vinculum vigeat. De poſſeſſionibus repetendis iudicia talia ſunt apud eos, qualia eſſe apud Hebræos ipſe optime noſti, vt petitor teſtibus comprobet, & negator iuramento ſemet expurget. Teſtes autem nullos niſi valde idoneos probataſque perſonas ſuſcipiunt, & quibus ſine iuramento credere poſſint. In quibuſdam etiam aliis Moſaicæ legis morem cuſtodiunt, vt qui hominis ſanguinem fuderit, eadem pœna plectatur, & quiſquis in adulterio deprehenſus fuerit, cum adultera pariter lapidetur. Qui autem cum qualibet alia fornicatus fuerit, L X X X. flagellis ſubiacebit. Furti talis indicta eſt pœna, vt prima & ſecunda vice octoginta flagella ſuſtineat, tertia manum, quarta pedem amittat, & qui cuilibet homini membrum abſtulerit, digno precio redimet. Hæc vniverſa præcepta idcirco ſunt à Deo propoſita, ne ſi nimis larga qualibet faciendi eſſet licentia, totius gentis fieret cito ruina. A vino ſemper abſtinere iubentur,

Gen. 9. Leui. 20.

D quoniam fomes eſt & ſeminarium omnis peccati. Hæc ſunt præcipua legis mandata, quoniam longũ eſſet morari in ſingulis. Promiſit itaque Deus ſibi & Mahometh ſuo fideli prophetæ credẽtibus, legiſque eius mandata complentibus, paradiſum, id eſt, hortũ deliciarum, præterfluentibus aquis irriguum, in quo ſedes habebunt perpetuas. Proteget eos arborũ vmbra, nec frigore affligentur, neque calore. Omnium fructuum, omnium ciborum veſcentur generibus. Quicquid appetitus cuique ſuggeret, coram ſe confeſtim inveniet. Sericis induentur veſtibus omnicoloribus. Accubabunt in deliciis, & angeli pincernatum miniſterio inter eos cum vaſis aureis & argenteis deambulabunt, in aureis lac, in argenteis vinum offerentes, & dicentes. Comedite & bibite in omni lætitia; & quod vobis Deus promiſit ecce completum eſt. Iungentur virginibus, quas nec humanus, nec dæmoniacus violauit contactus, hiacinthi coraliique ſplendore

E forma præſtantioribus. Hæc bona dabuntur credentibus, non credentibus vero Deo & prophetæ eius Mahometho, erit infernalis pœna ſine fine. Quantiſcunque autem peccatis quiſque obligatus fuerit & in die mortis ſuæ Deo & Mahometho crediderit, in die iudicij Mahometho interveniente ſaluus erit. Hæc & alia quamplurima, quæ enumerare longum eſt, cum tu nihilominus à puero noueris ſcripta, & ab omni Sarracenorum gente maxima celebratione habita, cur potius Chriſtianam quam Muſulmiticam ſectatus es religionem, & præſentis vitæ melius & futuræ pariter felicitate fruiturus? Petrus. Quamvis orationis tuæ contextus, plurimum decoris & dulcedinis habens, apud eos qui delicias corporis ſummum bonum putant, non minorem, quàm ſi ipſe Mahometh adeſſet, captare beneuolentiam valeat, de me tamen id ſperare te mirum eſt, vt ad hoc per-

F ſuadendum inſtiteris, in quo me nullatenus falli poſſe credideris. Certus enim es mihi non incompertum eſſe quis Mahometh fuerit, quomodo callida ſimulatione prophetam ſe confinxerit, & ad hoc machinandum quis eius conſiliarius extiterit. Vnum reor tibi incertum manet, ipſam Mahomethi quam dicunt doctrinam quàm inanem iudicem. Dum igitur vitam moreſque eius mea narratione digeſta audieris, tunc me ſcire de eo quod verum eſt aut neſcire, facile internoſcere poteris. Moyſes. Illud inhianter expecto audire abs te. Petrus. Mahometh igitur vtroque parente orbatus, ſub auunculi ſui Panephi patrocinio, pueritiæ annos agebat, idolorum tunc temporis cultui cum vniverſa gente Arabum inſeruiens, quemadmodum ipſe in Alcorano ſuo teſtatur, dicens Deum ſibi dixiſſe. Orphanus fuiſti, & te ſuſcepi, in errore & te direxi, pauper, & locupletaui. Poſt aliquantum vero annorum ſpacium, Mercenarius apud nobiliſſimam quandam viduam nomine Chadigiam, breui ita dominæ ſuæ animum obtinuit, vt iure con-

Mahometh ſe prophetam falſo confinxit.

Mahomethi ortus, & peſſima vita.

G iugij rebus omnibus & rerum pariter dominatrice potiretur. Cuius opibus de pauperrimo ditiſſimus effectus, in tantam prorupit mentis ſuperbiam, quod regnum Arabum ſibi ſperandum polliceretur, niſi ſuos timeret contribules, quia eum pro rege non tenerent, cum ſibi & æquales fuiſſent & maiores. Viam tamen excogitans qua rex effici potuiſſet, voluit ſe prophetam confingere, ea videlicet fretus facetia eloquentiæ, quam apud diverſas nationes dum negotiationi deſudaret, ingenij ſuſceperat leuitate, & hoc etiam quod tunc temporis maior pars milites erant atque agricolæ, & ipſi fere omnes idololatræ, præter quoſdam qui Moyſi legem ſecundum Samaritanos tenebant hæretrice, & alios Chriſtianos qui Neſtoriani erant & Iacobitæ. Iacobitæ autem ſunt hæretici, à quodam Iacobo dicti, circumciſionem prædicantes, Chriſtumque non Deum, ſed hominem tantum iuſtum de ſpiritu ſancto conceptum, ac de virgine natum, non crucifixum tamen neque mortuum credentes. Fuit

Mahometh ſuperbus ad regnum aſpirat.

Iacobitæ hæretici qui ſint.

H etiam eo tempore in regione Antiochiæ Archidiaconus quidam amicus Mahometh, & hic Iacobita, vnde ad Concilium vocatus eſt, & damnatus. Cuius damnationis pudore contriſtatus, de regione aufugit, & ad Mahometh devenit. Huius igitur nixus eſt conſilio Mahometh, quod cogitabat & per ſe tamen adimplere non poterat, ad effectum perduxit. Fuerunt quoque duo Iudæi ex illius Arabiæ quos diximus hæreticis, Abdias, & Cahbalahabar dicti, & hi quidem Mahometho ſe adibhuerunt, & ad complendam ſtultitiam eius auxilium præbuerunt. Et hi tres legem Mahomethi quiſque ſecundum hæreſim ſuam contemperaverunt, & talia eũ ex parte Dei dicere monſtraverũt, quæ & hæretici Iudæi & hæretici Chriſtiani qui erant in Arabia vera eſſe crediderũt, qui vero ſponte credere noluerũt, vi tamẽ & gladij timore crediderũt. Et eius quidem nec aliã prophetiã nec miracula vlla ſcimus, ſicut de Moyſe, Ioſue, Samuele, Helia, & Heliſeo audiuimus, quos

A

Quare aliqui prophetæ nulla miracula fecerunt.

multa feciſſe miracula legimus. Moyſes. Pleroſque prophetarum credimus, quorum nulla miracula legimus, vt Hieremiam, Abdiam, Amos, Oſee, & alios. Petrus. In illis ideo quærenda miracula non ſunt, quomodo neque novitatem aliquam legis induxerunt, neque Moſaicæ doctrinæ vllatenus contradixerunt, & quæ prædixerunt ex parte completa cognoſcimus. Moyſes Noë & Abraham Patriarchæ nova divinitus dediſſe mandata dubium non eſt, ſicut ſacrificiorum, comedendarum carnium, circumciſionis, & aliorum rituum. Cur ergo eis abſque miraculorum luce fides exhibita à poſteris eſt? Petrus. Ideo eis veraciter creditur, quoniam is eis propheta atteſtatur, de cuius teſtimonio à nemine dubitatur, Moyſes videlicet. Mahomethus igitur qualiter inter prophetas recipiendus ſit, qui nulli prophetarum aliqua probabilitate comparabilis eſt? Moyſes. Quare nulla probabilitate demonſtratum prophetam dixeris, quem ſatis miraculis denotatum frequenter audieris? Nonne prophetam

B

Miracula ficta Mahomethi.

eum brutum animal bos videlicet Doregele nuncupauit? Nonne per vtramque manicam ingreſſa luna de ſinu redintegrata progrediens, prophetam eum mirificum deſignavit? Nunquid ad hoc innoteſcendum illius manu demulſa omni populo affluentem mamilla ovis hauſtum lactis præbuit? Mirum etiam fuit, quod cum ficum arborem vt ad ſe veniret vocauit, venit quidem arbor ad eum, & ipſe de fructu eius comedit, & brachium ovis quod invenenatum ſibi erat in ſcutella appoſitum cũ eo locutum eſt & dixit, ne comedas, quia ſum invenenatum. Petrus. Friuola ſunt quæ proſequeris, neque omnium veſtrorum iudicio fide digna probantur, maxime cum ipſe Mahometh in Alcorano ſuo nihil tale retulit, ſed potius quicquid in Alcorano de eo ſcriptum non fuerat, omnino verum credi prohibuerit. De omnibus, inquit, multi multa mentiti ſunt, quod ne mihi contingat, illud ſolum de me verum teneatur, quod Alcorani fultum auctoritate probatur. Qui cur miraculum non faceret oſtendere volens, loquentem ad ſe dominum introducit dicens. Dixit Dominus ad me. Ideo te facere miracula non permitto, quia ne tibi ſicut aliis prophetis in miraculis

C

contradicatur timeo. Suo ergo teſtimonio nullum feciſſe virtutis ſignum monſtratur, quibus aliis indiciis verus propheta probatur. Indicia namque veri prophetæ ſunt, probitas vitæ, miraculorum exhibitio, dictorum omnium firma veritas. Bonitas vitæ in

Veri prophetæ indicia quæ ſunt.

Mahometho violentia erat, qua ſe prohetam Dei prædicari vt faciebat, furto & rapacitate gaudens, & igne libidinis in tantum feruens, vt & alienum thorum fœdare adulterio tanquam Domino præcipiente non erubeſceret, ſicut de Zanab filia Ias vxore Zet legitur. Dominus, inquit, tibi Zet vxorem dimittere tuam præcipit. Quam dimiſſam ipſe ſibi continuo copulavit. Cuius euidentius prophetiam quàm nulla ſit Iaſſæ vxoris eius turpitudo patefecit, quando in adulterio deprehenſam, eam multorum teſtimonio non deprehenſam, eo quod nollet eam dimittere, falſo Gabrielis

D

nuncio confirmavit. De cuius vitij potentia, libidinis ſcilicet, laudaſſe Deum legitur, eo quod in eo quadragies ſupra humanum modum abundaret, congratulans ſibi, eo quod ſuavis odor & ſpecioſitas mulierum dante Deo plurimum eum oblectaret. De miraculis iam dictum eſt. De bellis autem quæ Domino præcipiente & victoriam promittente ſe iniſſe fatebatur, dentes eius contriti in bello, facieſque colliſa, multa etiam cædes & fuga ſuorum, veritatem teſtantur, quæ, ſi angelus Domini vt dicis eum cuſtodiret, minime ſibi acciderent, ſicut de Helia & Heliſeo legimus, quos ab inimicis ſuis ſemper eripuit Deus, quem etiam ſi talis eſſet vt dicit: ſemper victoria ſequeretur, vt Moyſen. Ioſue, & David, quos divino iuſſu prælia committentes, ſemper victoria comitabatur. Si vero etiam propheta verus, vt ais, eſſet, prælia commiſſurus verum ſibi male eveniret ſciret. Quomodo ergo mea lege dimiſſa illius me legem dicis potius quam Chriſtianam inſequi debere? Moyſes. Hæc pro certo ratio, quam qui perſpicuè inſpexerit vera videtur. Petrus. Quod ſuperius me libros legiſſe, linguam ſcire, nutritum fore ſemper inter Sarracenos dixiſti, non ideirco convenit, vt illorum aſſequar legem. Moyſes. Quoniam credebam eam bonam eſſe, ideo te eam debere recipere dixi. Petrus Dixiſti etiam legis illorum radicem in inconvulſæ rationis fundamento conſtructam, vnde in alternæ diſputationis campum, verba verbis, mandata mandatis, diſcurramus, ſi eam bene fundatam invenire poterimus. Moyſes. Placet. Petrus. Quod quinquies Mahumetum in die orandum præcipere dicis, idcò vtique fecit, quia conſilio doctorum ſuorum mediatricem Iudæorum & Chriſtianorum legem effici voluit ſuam, non probitate ſui, neque adiutorio Dei. Iudæi enim ſecundum legem ter in die orant, Chriſtiani vero ſepties, ſed iſte nec ter nec ſepties, ſed quinquies orando terminum inter vtramque poſuit. Quod antequam orent illos manus & brachia & cætera corporis membra abluere laudas, non ad orationem pertinet. Ad orationem quidem pertinent, mundari intrinſecus non extrinſecus. Munditia autem de ablutione membrorum pertinebat cultoribus ſtellæ Veneris, qui volentes eam orare, ad modum fœminæ ſe aptabant. Quia vero puncto ſtellæ Veneris rex effectus eſt, ideo hæc præcepit. Tempore orationis publica voce eos præconari fateris, quod non convenit orationi, niſi quia aliud novum nequit imponere ſignum. Ieiunare per menſem integrum eos, vt ais, quod reſtringant vitia carnis præcepit, quod eſt initium pœnitentiæ. Sed dic quæſo mihi: Quid prodeſt diem ieiunare, & nocte ter vel quater comedere, & bonis carnibus optimiſque cibis frui, & mulieribus vti? Hæc non debilitant ſed potius corroborant carnem. Quod ſemel in anno dicis eos ad domum Dei, quæ eſt in Mecha ire propter recognitionem, & ibi orare, quam dicunt fuiſſe Adæ & Abrahæ, non ex auctoritate habent, ſed quaſi commentum aliquod fingunt. Antequam enim legem prædicaſſet, domus hæc idolis plena erat. Sed ſi tu ô Moyſes ſcires qualis eſſet domus illa, & quod ſecretum ibi ineſſet, & cur illuc Mahomethus iret, & quæ in lege inveniuntur iuſſit facere, valde mirareris inde. Moyſes. Iſtud rogo mihi quod dicis inſinues. Licet enim hanc legem tibi prædicem, quare iter illud & cætera quæ lex præcipit ibi facere iuſſit, neſcio. Petrus. Breuiter quidem volebam tibi notificare, ſed modo rogatus monſtrabo aperte. Duo filij Loth Amon & Moab. hanc domum honorabant, & duo idola ab eiſdem ibi colebantur, alterum ex albo, alterum ex nigro lapide paratum. Nomen quidem illius quod ex nigro erat lapide Mercurius, nomen vero alterius Chamos. Alterum quod ex nigro lapide eſt, in honore Saturni, alterum quod ex albo in honore Martis ædificatum eſt. Bis in anno cultores eorum ad ipſa aſcendebant adoranda, ad Martem quidem quando ſol in primum gradum arietis intrat, quia aries honor eſt Martis. In cuius diſceſſione, provt mos erat, lapides iaciebantur. Ad Saturnum vero, quando ſol in primum gradum libræ intrat, quia libra honor eſt Saturni. Quod thurificabant nudi tonſiſque capitibus, vſque in hodiernum diem in India, vt dixi, celebratur. Abrabes vero cum Amon & Moab idola adorabant. Mahomethus autem poſt longum tempus veniens, priſtinam conſuetudinem nequivit auferre, ſed quaſi quodammodo more mutato inconſutilibus tegumentis coopertos domum circuire permiſit. Sed ne videretur idolis præcipere ſacrificare, ſimulachrum Saturni conſtruxit in pariete, in angulo domus, ne facies appareret, dorſum vero tantum exterius eſt poſitum. Alterum Martis ſcilicet idolum quia ſculptum vndique erat, ſubtus terram & lapidem ſupra poſitum miſit, hominibus vero qui ad adorandum ibi conveniunt, lapides iſtos oſculari præcepit,

3 Reg. 19. 4 Reg. 6. Ezech. 17. Ioſue. & in libris Regum.

E

Orant Iudæi ter in die, Chriſtiani vero ſepties.

F

Cultorũ ſtellæ Veneris ceremoniæ.

Mecha idolis plena.

G

H

&

A & humiliatis tonſiſque capitibus inter crura lapides retro iactare, qui humiliantes ſe dorſa denudant, quod eſt ſignum legis priſtinæ. Dic ergo Moyſes qua intentione iſta præcepit, niſi ea qua dico? Moyſes. Dixi tibi intentionem me neſcire, quia nuſquam reperi ſcriptum, vnum tamen de lapidibus iaciendis ſcio, quia ad effugandum dæmones iſta ſe dicunt facere. In libris illorum ſcriptum vidi, quia Bomar quidam ex decem ſociis Mahomethi more ſolito lapides deoſculans ſic exorſus eſt. Vobis, inquit, lapidibus dico: Quod nec adiuvare nec nocere poteſtis ſcio, ſed quia Mahomethus fecit, illius morem exequor. Petrus. Quod dixiſti lapidibus iaciendis dæmones effugare, non conſequens ratio videtur eſſe, quia quod non aliquo percipitur ſenſu corporeo, effugare leviter nequaquam poteſt. Nomine vero divino effugantur dæmones. Moyſes. Quoniam quoſdam audivi dicentes, dæmonia vidiſſe & ea audiſſe, ac collocutos fuiſſe, miror B te dicere ſenſu non corporali percipere. Petrus. Licet angelus corporeo ſenſu non percipi poſſit, illis tamen qui ſecundum mandata Dei incedunt, viſibiles fiunt. Similiter diabolus amicis ſuis viſibilis apparet. Moyſes. Iſtud quidem vellem ſcire, quo magiſterio, quave arte illos videre, vel colloqui poſſem. Petrus. Quare quod ad te minime pertinet ſcire deſideras? Moyſes. Non ut opera exercerem, ſed ſcientiam tantum vellem. Petrus. Quomodo quod errorem tuum augeat vis addiſcere? Moyſes. Bene me Deo gratias correxiſti, in verbis tuis ſenſum didici. Petrus. Iam ſatis dictum eſt, ad inceptum redeamus. Quia Dei adverſarios Mahomethus prædari, captivare & interficere iuſſit, donec vel credere, vel cenſum perſolvere voluiſſent, non eſt hoc ex Dei operibus, neque prophetarum cuilibet iuſſit cogere aliquem credere, ſed ipſe hoc cupiditate præcepit pecuniæ, & vt inimicos ſuos deſtrueret. Hoc autem vt noſti non debet fieri, imo ſi quis aliquem convertere velit, non per violentiam ſed diligenter & dulciter hoc facere debet, ſicut ipſe Mahometh in ſuo teſtatur Alcorano, ſub perſona Domini ita idipſum dicentis: Si vellet Dominus Deus tuus, C totius ſæculi gentes crederent. Cur ergo vt credant cogis? quia nullus niſi voluntate Dei credit. Et in alio loco, vobis, inquit, gentibus veritas Dei iam venit. Qui crediderit, pro ſemetipſo fecerit, qui vero erraverit, pro ſemetipſo fecerit, & ego non ſum ſuper vos baiulus. Sequere vero Deus, inquit, quod revelatur tibi, & expecta donec Deus iudicet, qui ſuper omnes iudex eſt. Item in eodem, Dominus, inquit, Deus tuus ſub una lege cunctos ſi vellet ſine diſcordia poneret. Fingit item in alio loco tanquam ſibi Deus loquatur. Nō, inquit, violentia in lege debet eſſe, iam veritas & iuſtitia apparet, qui voluerit ſponte ſua credat. Item in Alcorano, vos increduli non quod oratis oro, nec quem oro oratis, & quem adoratis non adoro, mihi lex, & vobis lex diſcors. Et in alio loco ait: Non altercetis cum D alterius legis gentibus, niſi mollibus verbis. Quare ergo prædari, captivare, & gentes vi cogere ad credendum iuſſit, & hæc omnia ſemitas Dei eſſe fatetur? Dic mihi Moyſes, legem quæ ſecum diſſidet, quare ergo credere iubes? Moyſes. Liber Alcorani talis eſt, quod & poſterior primum deſtruit ordinem. Petrus. Alcoranus non manu Mahometh ſcriptus eſt, ſi enim hoc faceret ordinatus eſſet. Poſt mortem vero ipſius, ſocij eius qui ſecum morati fuerant, quiſque, vt ita dicam, lectionem ſuam renuntians, Alcoranum compoſuerunt, vnde neſcimus quis prior quis poſterior fuit ordo. Ideo autem Mahometh prædari, captivare, & gentes interficere iuſſit, quod Arabes qui Deum ignorantes in deſerto manebant, in prædationibus delectarentur, & ut maximè illi crederent. Moyſes. Æſtimo verum eſſe quod dicis. Petrus. Quod dicis illis abſolutam eſſe omnem carnem, præter porci carnem & ſanguinem, & morticinum ad veſcendum, nobis quoque abſoluta eſt omnis caro. In hoc tantum ſcilicet in porci carne diſcordamus. Hoc autem fecit Mahomethus,

E vt in eo à lege ſua nos Chriſtiani differremus. Quod de vxoribus dixiſti licere quatuor accipere & qualibet repudiata aliam accipere, hoc nulla quidem præcipitur ratione, neque enim niſi cauſa filios procreandi, præceptum eſt uxorem accipere. Quod autem emptitias & captivas quotlibet poſſunt habere, hoc quidem quantum ad nos adulterium eſt, quia multotiens pater emit aliquam ſtupratam à filio, & contra filius vel frater à patre corruptam. Moyſes. In verbis tuis verum creditur. Vt vero talis diſſenſio inter hæc præcepta erat, quare Mahomethus qui tam ſapiens videtur fieri iuſſit? Petrus. Mahomethus valde fœminas diligebat, & pernimium luxurioſus erat, & ſicuti ipſemet profeſſus eſt, vis luxuriæ quadraginta hominum in eo manebat. Et maxime quia Arabes valde luxurioſi erant, voluntati eorum vt crederent ſatisfecit. Quod de propria cognatione habere vxores dixeris, mos erat F omnibus tunc temporis, vt inter eos amicitiæ vinculum vigeret. De iudiciis vnde ſupra dixiſti, in quibuſdam ſane Moyſi conſentiunt legi, in quibuſdam vero diſſentiunt, quod Mahometh fecit, vt aliquantulum diverſa eſſet lex ſua, à lege Moyſi. A vino ideo ſemper abſtinere iubentur, ne forte ſocij inebriati patefacerent ruinam populi. Quæ de paradiſo prædicaſti prætermittenda ſunt, quia ratione non poſſunt comprobari. Separata quippe anima à corpore & quatuor elementis à ſe invicem ſeparatis, non vtetur homo his rebus ſæcularibus, eo modo quo prius, quod ſupra damnavimus in titulo tertio, vbi locuti ſumus de reſurrectione mortuorum. Sapiens minime huiuſmodi paradiſum credit, nec talibus decipitur verbis. Homines autem temporis Mahomethi, ſine lege, ſine ſcriptura, totius boni inſcij, præter militiam & aratrum, appetentes luxuriam, deditique gulæ, facile ſecundum voluntatem eorundem prædicari poterant. Si enim aliter faceret, non ad legem ſuam eos impelleret. Moyſes. Abſque Dei adiutorio talis namque magna gens, non in eum crederet. Petrus. Si cum Dei adiutorio cuncta peregiſſet, non multotiens devictus fuiſſet, nec vt ſupra diximus, dentes illius in bello crepuiſſent; qui vt cæteri reges vincebatur, & vincebat ali- G quando. Sed poſt mortem ipſius omnes ab eius lege diſcedere voluerūt. Ipſe enim dixerat tertio die corpus ſuum deferendum eſſe ad cœlum. Vt vero illum mendacem cognoverunt, & cadaver fœtere viderūt, inhumato corpore maxima pars diſceſſit. Alius autem Abitharij filius, quidam ex decem Mahomethi conſociis, poſt mortem ipſius regnum adeptus eſt. Qui blande prædicavit, & callide admonuit ad credendum gentes, & dixit illos non bene intelligere Mahomethi ſermonem. Mahomethus, inquit, non dixit, quod ante ſepulturam vel videntibus hominibus ſublevaretur ad cœlum. Dixit quippe quod poſt ſepulturam corporis, angeli eum neſcientibus cunctis delaturi eſſent ad cœlum, vnde quia ſtatim non eum ſepelierunt, idcirco fœtere incepit, vt ſtatim ſepeliretur. Hac ergo cauſa gentem in errore priſtino parum- H per detinuit. Duo fratres ſcriptores Mahomethi, nomine Hazan, & Hozam; ieiuniis & vigiliis fortiter corpora macerantes, pene ad mortem devenerunt. Pater vero eorum ſæpe filios admonebat, ne per tam longam macerationem ſua fatigarent corpora. Ipſe autem vidēs illos ſtultos eſſe, & ad mortis oſtium præ nimio labore iam deveniſſe, de Mahometho vti erat rem patefecit. Cognita autem nequitia illius à patre, cœperunt comedere, & vinum bibere, & ſicut in ſua lege fortiter antea perſtabant, ita denique legem quamvis non ex toto dimittere cœperunt. Sed quædam pars gentis iſtos in conſuetudine inſecuti ſunt. Omnibus ergo modis ô Moyſes poſſumus agnoſcere, eum neque verum prophetam eſſe, neque dicta illius vera fore. Licet multa quæ de eo dicere poſſumus prætermittamus, vnum tamen quod nos & vos credimus intromittamus, Chriſtum ſcilicet quem æqualiter credimus mortuum & crucifixum, ipſe denegat. Ait enim ipſe:

Mahomethi avaritia.

Ad fidem nemo cogēdus.

Lev. 18

Mahometh luxurioſiſſimus fuit.

Deceptio Mahomethi & mēdacia.

A

Chriſtus in cruce vere mortuus.

Chriſtum non occiderunt neque crucifixerunt, ſed viſum eſt illis. Non ſolum autem in hoc mendacem eum invenies, ſed omnes libros & prophetarum dicta relege, & in cunctis quæ de ipſis dixit, mentitum reperies. Quomodo ergo illum mendacem me credere hortaris, cum in omnibus fallacem inveneris? Dei omnipotentis deprecor pietatem, vt me ab illius errore liberet & quam cœpi legem implere perficiat. Amen.

FINIS.

TITVLVS VII.

De Trinitate.

B

MOYSES.

SATIS hucuſque contra ſectam noſtram & ſectam Sarracenorum diſputatum eſt. Vtramque enim, tum ex ratione, tum ex auctoritate confutaſti. Nunc autem qualis ſit tua fides expone, & modum tuæ credulitatis ſub capitulis diſtingue. Petrus. In mei principio libri, meæ iam modum credulitatis ſub titulis tibi prædixi. Nunc autem quære ſub quolibet titulo in eodem diſputando, & liceat tibi ſi potueris quæ à me dicta fuerint deſtruere. Moyſes. Hoc deſidero, ſi potero. Nunc itaque incipiam quærere de prima tuæ credulitatis parte, ſcilicet quomodo Deus eſt vnus, & tres perſonæ, ita vt nulla hàrum anterior naturaliter alia tempore ſit, nec alia ſubſtantialiter ſeparetur ab alia, quas videlicet Chriſtiani patrem & filium & ſpiritum ſanctum dicunt. Deinde de aliis tuæ partibus credulitatis diſputabimus, donec omnes compleamus. Explana

C

ergo quid ſint hæ tres perſonæ, & hoc primum rationabiliter. Petrus. Volo tres perſonas, ſubſtantiam, ſapientiam, & voluntatem dicere. Ideo autem perſonam primam ſubſtantiam appello, quia in ipſa & de ipſa ſunt ſapientia & voluntas, & ipſa de nullo, quamvis tres perſonæ omnes ſint vna ſubſtantia. Moyſes. Poſſunt ne ratione inveniri hæc tria? Petrus. Poſſunt. Nam in prima parte mei libri de ſubſtantia quidem ſatis firmitérque, quia ſit, tractavimus, nec ultra de ea quærere indigemus. Sed vtrum ſapientia & voluntas ipſi inſint ſubſtantiæ, reſtat explanandum. Moyſes. Hoc interrogo ego. Petrus. Cum igitur conſtet vere ſubſtantiam eſſe, & ipſam creatricem omnium rerum, & initium initiatarum, & factricem factarum, neceſſe eſt ut habeat ſapientiam & voluntatem, vt ſcilicet ſciat quid facere velit, antequam faciat, & vt etiam facere velit, quia antequam opus in demonſtratione prodeat, prius in animo imaginando formatur, & hæc imaginatio eſt ſapientia. Cum autem ſic ſapit, aut facit, aut non facit.

In divinis vna eſt ſubſtantia.

Subſtantia. Sapiẽtia. Volũtas.

D

Non autem facit, ſi non velit. Si vero facit, & vult, & hæc eſt voluntas. Ergo apparet in noſtro ſermone, opus præiri ſapientia & voluntate. Mundi ergo creator, creare aliquid nequivit, antequam in eo ſapere eſſet & velle. Moyſes. Verum eſt. Petrus. Ergo Deus eſt ſubſtantia, ſapientia, & voluntas. Moyſes. Verum eſt. Sed adhuc probare habes, quia hæc ſapientia & voluntas, æternaliter in Deo ſunt, & ab eo ſint inſeparabiles, nec per tempus ipſis anterior eſt vt credis. Petrus. Verificabo. Cum enim conſtet, quia Deus ſapientiam habeat & voluntatem, ſcire debemus, ſi hæc ſapientia & voluntas in eo exiſtentes, & non ſeparentur ab eo, aut extra eum, an aliquando cum eo, ſint aliquando non. Moyſes. Verum eſt quia in eo ſunt, & non ſeparantur ab eo, quia niſi ſic eſſet, tunc Deus eſſet non ſapiens, poſtquam eſſet ſapiens, & eſſet ſine voluntate, poſtquam habuiſſet voluntatem, quia fieri non

E

poteſt, vt poſtquam in eo ſint ſeparentur ab eo, niſi per accidens, & accidens non invenitur in eo. Petrus. Benedicat te Deus, quia bene intellexiſti veritatem & conceſſiſti, & bonam fidem te habere monſtraſti. Sed adhuc debes inquirere, vtrum hæc ſapientia & voluntas ſint æternæ, vel initium habuerint. Moyſes. Ponatur modo quia initium habuerint. Petrus. Tunc verba tua ſibi ſunt repugnantia. Dixiſti enim, quia Deus non poteſt eſſe non ſapiens, poſtquam eſſet ſapiens, nec ſine voluntate, poſtquam habuiſſet voluntatem. Deinde quia poſuiſti eaſdem habuiſſe principium, tunc aliquando in eo ſunt, aliquando non. Moyſes. Hoc aſſertioni meæ, minime eſt contrarium. Dixi enim ſuperius, Deum non poſſe ſapientia & voluntate carere, poſtquam habuerit. Quia vero eaſdem principium habere conceſſi, nequaquam contradixi eum poſſe habere, quod non habuerit. Petrus. Sane ſi exordium habuerunt, aut Deus eas creavit, aut ipſæ ſe. Moyſes. Proculdubio Deus eas creavit, quia nulla res ſeipſam creat.

F

Petrus. Ergo ſi Deus eas creavit, cum initium habuerint, indiguit ipſe creator alia ſapientia, & voluntate, quibus eas crearet & vt dictum eſt, neceſſe eſt operatori ſapientiam habere & voluntatem, antequam quid operetur, & ſic in infinitum. Neceſſe ergo eſt vt ſapientia & voluntas æternaliter in Deo ſint, & ab eo inſeparabiles, nec anterior illis ſit tempore. Et hoc eſt quod cupimus explanare. Moyſes. Verum eſt. Rectum enim eſt & utile veritati nos annuere. Sed reſtat dicendum, quæ harum ſcilicet ſapientiæ & voluntatis, dicatur filius, & quæ ſpiritus ſanctus. Moyſes. Cum ergo nulla earum anterior alia ſit tempore, neque ſubſtantia anterior ipſis, poteſtne aliquod horum trium anterius eſſe aliquo locutionis ordine? Petrus. Poteſt equidem, & eſt ordine nominum, non natura. In ſubſtantia enim ſunt ſapientia & voluntas, & ideo eſt prima. Sapientia vero ideo prior eſt voluntate, quia priuſquam creator aliquid velit, oportet eum ſapere, quid velit. Hac itaque nominum ordinata ratione,

Sapiẽtia in divinis filius dicitur, voluntas vero ſpiritus ſãctus.

G

ſubſtantia, ſapientia & voluntate anterior eſt, & ſapientia anterior voluntate. Simili etiam modo in his nominibus, pater ſcilicet, filius & ſpiritus ſanctus. Ideo autem de huiuſmodi re tecum egimus ita craſſe, vt tu qui ſubtiliora non percipis, iſto ſaltem modo quicquã inde poſſes percipere. Quod ſi cum aliquo inde loqueremur Chriſtiano, multo inde ſubtilius cum eo diſputare poſſemus. Moyſes. Cum igitur ratione oſtenderis, Deum ſapientiam & voluntatem habere, poteſtne in alicuius autentici libri reperiri ſerie, creatorem ipſum in mundi creatione, ſapientia & voluntate vſum fuiſſe? Petrus. Etiam. De ſapientia enim Salomon in Proverbiis ait: ***Dominus fundavit ſapientia terram, ſtabilivit cælos prudentia.*** De voluntate vero David in Pſalmo: ***Omnia quæcunque voluit fecit.*** Moyſes. Et quid eſt quod tu ſecundam Trinitatis veſtræ perſonam nomine iſto, quod eſt ſapientia nuncuparis, cum verbum appelletur ab aliis? Petrus. In hoc ſane contrarietas eſt nulla. Verbum namque Dei perfecta eius eſt ſapientia: quod & Pſalmiſta oſtendit cum dicit: ***Verbo Domini cæli firmati ſunt.*** Patet igitur quia ſapientia Dei & verbum eius, idem eſt. Moyſes. Hactenus de explanatione Trinitatis ſatis philoſophice tractaſti, ſed vellem vna ſaltem ſcripturarum auctoritate approbari in Deo plures eſſe perſonas. Petrus. Non vna probabo ſed pluribus, nec obtectis, ſed apertis intelligentibus. Moyſes. Pande ergo. Petrus. Quæ eſt res apertior, & ad hoc cõprobandum valentior, quam nominum Dei explanatio, vt ELOHIM & ADONAI? ELOHIM enim pluralitatem demonſtrat, cuius ſingulare eſt ELOHA. Cum autem dico ELOHAI tale eſt ac ſi dicerem Dei mei, pluralitatem Deorum, & vnam tantum dicentis perſonã, cum vero ELOHEMI dico, quaſi dicerem dij noſtri, pluralitatem vtrorumq; ſignando, & Deorum & ipſorũ dicentiũ. Quod & ſi ELOHI dicatur, tale eſt ac ſi diceretur, Deus meus. Sed hoc in nulla Hebraica invenitur ſcriptura, quod aliquis homo Deum unquam ELOHI appellaret,

Prou.3. Omnia in ſapiẽtia feciſti. *Pſal.103*

Pſal.32.

H

A

Mar.15. *Mat.27.*

appellaret, quamvis ſecundum ipſius Hebraicæ linguæ regulas dici poſſit. Moyſes. Nam in veſtro invenitur Evangelio Chriſtum in cruce Elohi appellaſſe. Petrus. Hoc quidem mihi nullum eſſe novi contrarium. Chriſtus enim Deum pàtrem invocabat, una ſcilicet tantum de tribus perſonis, unam tantum alia. Simili modo in nomine quod eſt Adon, id eſt, Dominus. Nam cum dicimus Adon, ſingularitatem demonſtrat, cum Adonai, quaſi dicam Domini mei, pluralitatem ſignando Dominorum, & dicentes unitatem: cum autem dico, Adonemi, quaſi dicam Domini noſtri, & plures Dominos, & plures ſignando dicentes: cum vero dico Adoni, quaſi dicam Dominus meus, & Dominum unum, & dicentem notando unum. Hoc vero nomine homo tantum ab homine, ſed Deus nuſquam ſic appellari invenitur. Cum itaque in ſcripturis ſacris reperiatur Deus appellari Eloha, & Adon, quod ſingulariter Deus vel Dominus interpretatur, ergo eſt unus. Et alias cum iterum reperiatur appellari Elohim, & Adonai, quod pluralitatem ſignificat, plures demonſtrantur dij. Quod videtur contrarium. Aut enim unus erit Deus, aut plures. In Deo autem non eſt hoc contrarium. Quod enim ſe ſingulari nomine appellavit, ad unam profecto reſpicit ſubſtantiam, quod vero plurali, ad plures perſonas. Eſt enim unus Deus, in pluribus perſonis. Moyſes. Quod hæc nomina Dei Elohim ſcilicet & Adonai pluralitatem ſignificant, ſecundum regulas artis literatoriæ contingit. Quod vero Deus ſe ita appellavit, nullis coactus regulis, ſed iuxta placitum ſuum fecit, & placitum quidem ſuum nullis debet regulis ſubiacere. Petrus. Verum quippe eſt, nomina illa nullis debere regulis ſupponi, ſed hoc ſi propria ſint, non appellativa. Sunt autem hæc appellativa, & ideo regulis recte debent ſupponi, ſicut ſuperius explanavimus. Itaque ubi ſingulariter proferuntur, ſingularitatem, ubi vero pluraliter, pluralitatem ſignificant, quemadmodum invenimus in

Gen.19 C

Geneſi, Loth angelos appellaſſe Adonai, hoc eſt Domini mei, quia angeli duo profecto erant. Et alias in eodem libro Laban increpans Iacob, ait:

Gen.31. *Pſal.81.*

Cur furatus es Elohai, hoc eſt, *Deos meos?* Et in Pſalmis invenitur ſcriptum: *Ego dixi* Elohimatem, id eſt, *dij eſtis.* Et ad Iſraëliticum populum Dominus per Moyſen loquens, ait:

Exo.10

Non habebis Elohim Mermi, hoc eſt, *deos alienos.* Similibus quoque teſtimoniis libri prophetarum ſatis abundabunt. Moyſes. Licet oſtenſum ſit Elohim, & Adonai, pluralitatem ſignificare, cum tamen de Deo dicuntur, ſignificant ſingularitatem, quod per actum cui adiunguntur notatur, cum ſingulari voce dicatur. Dicit enim de Deo, *fecit, dixit*, vel

Gen.1.

aliud aliquid tale, & non dicitur, fecerunt, ſive dixerunt. Petrus. Hæc eſt mea auctoritas, quod nomen Dei pluraliter dicitur, & actus ſingulariter, ac per hoc patet, quia Deus unus eſt in pluribus perſonis. Et tamen ut omnes tuas obiectiones præcidam, poſſum quidem demonſtrare, & nomen Dei & ipſum etiam actum pluraliter proferri. Quod licet ita ſit, cum iam ſuperius multis oſtenſum ſit rationibus unum

D

tantummodo Deum eſſe, ad plures Deos illud referre non poſſumus. Ad unum ergo Deum, & plures perſonas illud referri neceſſe eſt. Moyſes. Si hoc quidem oſtenderis, iam optime quod propoſuiſti probatum erit. Petrus. Quod ſi Deo opitulante hoc tibi oſtendero, credes unum, & plures perſonas? Moyſes. Nullum ſane tecum ſuper hac re feriam pactum, ſed tantum attente vellem audire. Petrus. Novi certe cordis tui duritiam, ſed tamen iam illud tibi oſtendam, per hoc enim forſitan boni alicuius memor eris. In lib. itaque Samuelis ſcriptum eſt, quia cum Philiſtiim

1.Reg.4.

arcam Domini contra ſe venire viderent, dixerunt, Elehem Elohim, id eſt, *hi ſunt dij qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto.* Hic enim & nomen Dei & actus pluraliter profertur. Moyſes. Ego

E

ſane per hoc quod propoſueras te probaſſe non concedo. Hæc enim dicebat gens, non unum, ſed plures deos credens, & opinabatur, quia plures eſſent dij Iſrael, quemadmodum & ſui erant. Petrus. Quandoquidem hoc non concedis, iam tibi conſimilem in prophetarum libris oſtendam ſermonem. Eſt enim ſcriptum in Geneſi:

Gen.35.

Locutus eſt Dominus ad Iacob: Surge & aſcende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas fratrem tuum. Hic quippe & nomen Dei & actus, ſingulariter profertur. Deinde ſcriptum eſt in eodem libro, præceptum Domini Iacob impleſſe. Sequitur enim: *Ædificavitque ibi altare, & appellavit nomen loci domus Dei.* Ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret fratrem ſuum. Hic autem & Deus, & apparuit, in Hebraico pluraliter profertur. Habetur quippe ibi Elohim & Niglu, quod pluraliter apparuerunt ſignificat.

F

Si enim ſingulariter apparuit dicere vellet, Nigla poſuiſſet. Item etiam in libro Samuelis David laudans

2.Reg.7.

Deum, ait: *Quæ eſt autem, ut populus tuus Iſraël, gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam ſibi in populum?* Hic etiam ſimiliter & Deus, & ivit, in Hebraico plurale eſt. Hic enim ſimiliter habetur Elohim, & Halcu, quod eſt iverunt, cuius ſingulare eſt Halach. Redimeret autem, & ſibi, ſingulare. Item in Hieremia legitur:

Hier.10.

Dominus autem Deus eſt verus, Deus vivens, & rex ſempiternus. Hic iterum & Deus, & vivens, in Hebraico pluraliter dicitur. Cum igitur in ſcripturis Dei nomen & actus, quandoque ſingulariter, quandoque etiam pluraliter proferatur, utrumque patet, quia & Deus unus eſt, & plures perſonæ. Moyſes. Cum ex nominibus Dei oſtenſum ſit, unum eſſe Deum in pluribus perſonis, reſtat quærendum, cur tres tantum ſint perſonæ ſicut credis, & non duæ, vel quatuor vel plures. Petrus. Illud ſane iam ſuperius oſtendimus, tres ſcilicet eſſe perſonas, cum de hoc per rationem ageremus, quod ſi tu diſſentias cum iam ex nominibus Dei plures eſſe perſonas conceſſeris, dic ergo quot perſonas numero credere volueris, & ego ſi poſſum rationes tuas

G

debilitabo. Moyſes. Ego certe neque duas neque tres, nec ullum credo numerum perſonarum, hoc vero quæſivi, ut tuis rationibus contrairem. Petrus. Trinitas quidem ſubtile quid eſt & ineffabile, & ad explanandum difficile, de qua prophetæ non niſi occulte locuti ſunt & ſub velamine, quoadusque venit Chriſtus, qui de tribus una perſonis, fidelium illam mentibus pro eorum revelavit capacitate. Si tamen attendas ſubtilius, & illud Dei nomen, quod in ſecretis ſecretorum explanatum invenitur, inſpicias, יהוה, nomen inquam trium literarum, quamvis quatuor figuris, una namque de illis geminata bis ſcribitur, ſi inquam illud inſpicias, videbis quia idem nomen & unum ſit & tria, Sed quod unum eſt, ad unitatem ſubſtantiæ, quod vero tria, ad Trinitatem reſpicit perſonarum. Conſtat autem nomen illud his quatuor figuris, י & ה & ו & ה quarum ſi primam tantum coniunxeris & ſecundam י ſcilicet & ה, erit ſane nomen unum. Item ſi ſecundam & tertiam ה ſcilicet & ו iam habebis alterum. Similiter ſi tertiam tantum copulaveris atque quartam ſcilicet ו & ה invenies & tertium. Rurſus ſi omnes ſimul in ordine connexueris, non erit niſi nomen unum, ſicut in iſta patet geometrali figura.

***

Trinitatis myſterium ineffabile.


Trinitatẽ perſonarũ Chriſtus docuit.

Nomen יהוה Trinitatẽ perſonarum & ſubſtantiæ unitatẽ pulchre adumbrat.

H

A

Nomen tetrag. ſ. maton.



Perpende itaque ô Moyſes quàm ſecretum ſit & ſubtile nomen iſtud & ineffabile. & quod non niſi perſpicaci mentis intuitu, & profunda valeat agnoſci indagatione, teſtante Moyſe, qui ait in Deuteronomio. *Scito hodie & cogita tu in corde tuo, quod Dominus ipſe eſt Deus, in cælo ſurſum, & in terra deorſum, & non ſit alius.* Vbi enim in latino ponitur *Dominus*, in Hebræo quidem prædictum nomen invenies, ubi vero *Deus* in Latino, in Hebræo ſcribitur ELOHIM, quod pluralitatem ſignificat. Vt autem pateſceret eundem eſſe Deum qui & ſingulari proprio, & plurali appellativo nuncupatur vocabulo, ſed & ne plures deos fore putarent, adiunxit, *& non ſit alius.* Quod vero dixit Moyſes, *ſcito & cogita tu in corde tuo*, revera inſinuat, quia nominis huius arcana ſubtilitas, neque viſu, neque auditu, neque de corporeis ſenſibus aliquo, niſi tantum mentis intellectu perſpicuo, & miro poſſit perpendi ingenio. Poteſt etiam in multis aliis Trinitas denotari, ſicut in fimbriis, quas Dominus filios Iſrael in veſtimentis ſuis per Moyſen habere præcepit dicens: *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, ut faciant ſibi fimbrias in angulis palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Fimbriæ quippe illæ quatuor erant filorum, ſed duplicatorum, in ſuperiori quidem ſui parte tres nodos habentes, in inferiori vero duos. Sed per fila quatuor, quatuor anni tempora deſignantur, per filorum vero duplicitatem dies & noctes, videlicet ut quatuor anni tẽporibus, iidẽ toto anno, nocte quoque & die, Dei mandatorum memores eſſent. Nam per tres nodos ſuperiores, Trinitas perſonarum, per duos autem inferiores, duo inſinuantur teſtamenta, lex ſcilicet Moyſi, & Evangelium. Notatur quoque Trinitas in tribus benedictionibus, quibus Aaron & filii eius benedicebant filiis Iſraël ex præcepto Domini dicentis ad Moyſen: *Loquere Aaron & filiis eius. Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui, convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* His quippe benedictionibus ſacerdos alicui benedicens, protenſas ante vultum ſuum palmas utraſque tenebat. Cum vero dicebat Dominus quem Hebraice illo quod ſupra diximus trino & uno nomine exprimebat, tres digitos priores, pollicem videlicet, indicem, atque medium, manus utriuſque, rectos altius erigebat, & dicto ita Domino, digitos ut prius remittebat. Sed dic mihi ô Moyſes. Quid trium digitorum elatione melius quam Trinitatis excellentia poterit allegorizari? Quod ſi quid aliud ſuper his notare tu noris, & valeas, mihi quæſo ediſſeras. Moyſes. Sane neque illud quod dixiſtis, neque quicquam aliud ſuper hæc unquam notavimus. Sed nec Doctores noſtri quippiam notandum eſſe dixerunt. Petrus. Quid etiam niſi Trinitas perſonarum in eo quod dicit Eſaias propheta notari poteſt, trina videlicet angelorum voce laudantium Deum & dicentium: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth?* Cur enim ter tantum ſanctus dicunt magis quam ſemel, vel bis, vel decies, vel centies, vel alio numero aliquo? Cur ſi breviter laudare vellent ſemel ſanctus non dicerent? Si vero multum, cur non centenam vel millenam, vel innumeram laudem exhiberent: Moyſes. Nos quidem in angelorum laude cauſam nullam vocis illius trinæ, niſi placitum ſcimus ipſorum. Petrus. Si ad ſingula quæ propoſuero

Deu. 4.

B

Exo. 20. Nomi[n]is Tetragram[m]atõ arcana ſubtilitas.

Num. 15.

Fimbriæ in palliis quales fuerint Trinitas in eis ſig[n]ata et [illegible] deſignatur.

C

Num. 6.

Benedicendi populũ modus pulcherrime deſcribitur.

Triũ digitorum in Iudæorum benedictione erectione Trinitatis myſterium adũbratur.

Eſa. 6.

D

neſcimus reſponderis, quid aliud quam te victum & contraire neſcientem fateris? Teſtatur ſane & David perſonarum Trinitatem cum dicit, *quærite Dominum * & virtutem eius, & quærite faciem eius ſemper.* Quid eſt enim quod dixit, *quærite Dominum & virtutem eius, & quærite faciem eius*, niſi quærite patrem & filium & & ſpiritum? Quid namque per virtutem domini niſi filius eius, quid vero per faciem, niſi ſpiritus ſanctus intelligitur? Quod ſi tu aliud intelligas ediſſere. Hæc itaque ſanctarum teſtimonia ſcripturarum de Trinitate perſonarum, ſatis intelligentibus ſufficere poterunt. Si enim cuncta quæ poſſem ſuper hæc inducerem teſtimonia, liber ea magnus non caperet. De his igitur hactenus. Si quid autem aliud habes interrogare, ne moreris.

E

Pſal. 104. * & confirmamini, &c.

Ioan. 1.

F I N I S.

F

TITVLVS VII.

Quomodo Virgo maria, de ſpiritu ſancto concipiens ſine viri commixtione peperit.

MOYSES.

IAm de Maria volo ediſſeras, qualiter eam ſine viri copula peperiſſe credas, & ego ſi potero cotraibo. Petrus. Credimus ſane ſpiritu ſancto in eam ſuperveniente, virtute altiſſimi ipſam obumbrante, de ipſius membris, ut Deo placuit, vires in unum conveniſſe, & ita eam ſine viri copula concepiſſe. Moyſes. Mira quidem res & ad intelligendum difficilis, quemadmodum de matre filius ſine patre carnali gigni potuerit. Videmus enim in iſta hominum conſueta generatione, quia niſi duabus naturis convenientibus, viri quidem ac fœminæ, homo generari non poſſit. Petrus. Cur iſta generatio mira tibi videtur, & ineffabilis, cum iam conſimilem audieris, quam credimus & nos & vos, Evam videlicet ſine matre de patre, hoc eſt de carne Adam procreari? Moyſes. Potuit ſane generatio illa ſicut & iſta per miraculum fieri, ſed de iſta quidem quod fuerit auctoritatem habemus, Moyſi videlicet, cui nullus contradicit legitimus, de illa vero nullam puto auctoritatem invenies, ſi tamen de libris prophetarum aliquam audieris profer. Petrus. Non unam quidem ſuper huiuſmodi re dicam auctoritatem, ſed multas, cum de futura Chriſti nativitate, multis in locis prælocuti ſint prophetæ. Moyſes. Si quod dicis effeceris, tuam proculbio fidem tutaberis. Petrus. In primis igitur recordare quid per Eſaiam ad Achaz dictum eſt, regem Iuda ſupervenientibus enim ſuper eum hoſtibus ſuis, rege videlicet Armeniæ, & rege Iſraël, ſic ad eum locutus eſt Eſaias: *Ne timeas*, inquit, ô Achaz, quia non deſtruetur Hieruſalem, & ne dubites. *Pete tibi ſignum à domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra.* & dixit Achaz: *non petam & non tentabo dominum.* Cum autem cognoviſſet Eſaias, quia non bona fide dixiſſet Achaz, imo quia Deum non timeret, aut amaret, reſpondens: *Audite*, inquit, *ergo domus David: Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis. & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen eius Emmanuel.* Et hæc quidã prophetia propter Chriſtum dicta eſt, & ad beatam per Angelum Mariam repetita. Mo. Et quomodo hoc ſtare poterit, quod hæc quę ad Achaz nuntiavit Eſaias, propter Chriſtum ut aſſeris dicta ſint & Mariam, cum ab Achaz uſque ad Mariã multa ut ipſe noſti annorum centena tranſierint: Petrus. Si propter Chriſtũ & Mariã dicta eſſe non credis,

Luc. 1. Matt. 1.

G

Gen. 2.

Gen. 2.

Eſa. 7.

H

Fœcunditatem virginis Mariæ Eſaias prædixit.

Luc. 1. Matt. 1.

A propter quem ergo prolata fuiſſe arbitraris. Moyſes. Profectò propter vxorem Achaz, & filium eius Ezechiam qui de ea natus eſt. Petrus. Falſum eſt quod dicis, & hoc per imperitiam aſtruitis, vel quia Deo nec reverentiam nec honorem exhibetis, quin de eo mentiri & male ſentire præſumatis. Eo namque tempore quo hæc ad Achaz dicta ſunt, iam erat rex ipſe, ſed & filius eius Ezechias novem iam annos tranſierat. Die etenim prima regni Achaz erat ipſe x x. annorum, & regnavit annis x v i. Ezechias autem filius ſuus, qui ei proximus in regno ſucceſſit x x v. annos habebat, quando regnare cœpit. Novem itaque annos habebat Ezechias, quando pater ſuus rex effectus eſt. Hæc igitur de qua agimus prophetia, neque propter vxorem Achaz, neque propter filium ſuum Ezechiam dicta eſt. Moyſes. Volo igitur mihi oſtendas & explanes qualiter propter Mariam, & eius filium dicta ſit iſta prophetia.

B Petrus. Multa certè in ipſis prophetiæ verbis inveniam, quibus perfacillime convincam ipſam non propter Achaz vel filium eius, imo propter Mariam & filium eius Chriſtum fuiſſe prolatam. Licet enim ad Achaz loqueretur propheta, non ſolum tamen ad eum, vel de ſuo tempore dicta eſt prophetia. Propter hoc enim dictum eſt, *Audite domus David*, non audi tu Achaz. *Eſa. 7.* Item quod propheta: *dabit Dominus*, inquit, *ipſe vobis ſignum*, quia addidit *ipſe*, ac ſi diceret non alius, ex hoc poteſt intelligi, ipſum Dominum ſignum eſſe futurum. Quod etiam pluraliter ait, *vobis*, & non tibi, [illegible]nuitur non propter Achaz, vel ad ipſum ſolum hoc fuiſſe dictum. Sed & quod ſequitur: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen eius Emmanuel*, patenter inſinuat non de vxore Achaz, vel filio eius dixiſſe prophetam. Nam neque mulierem maritatam virginem vocaſſet, nec miraculum aliquod eſſet ſive ſignum, mulierem virum habentem concepturam, vel filium forte parituram. Quin & in hoc quod ibidem legitur: *vocabit*, duo ſunt notanda, ſcilicet quod & Deus ſic appellari filium volebat, & quod ſine carnali

C patre virgo foret puerum genitura. Propter hoc enim ait, *vocabit*, ac ſi diceret, ipſa tamen vocabit, & non pater. Novimus etiam quod neque aliquid Achaz filius neque quiſquam alius homo temporis illius, hoc nomine quod eſt Emmanuel ſit vocatus. Moyſes. Miror ſane ſuper te, viro linguæ noſtræ tam perito, quod ita verba confundis, & ſcripturas pervertis. Neque enim ut ipſe noſti poſuit propheta nomen in Hebraico, quod virginem reddat in Latino. Quod ſi facere vellet, utique Bethula poſuiſſet. Poſuit autem Halma, quod puellam tantum ſignificat. Pet. Iniuſtè profectò ô Moyſes contradicis, nec linguæ uſum Hebraicæ, vel naturam agnoſcere videris. *Bethula.* Mulier namque ſive iuvenis, ſive annoſa, quamdiu autem iuvenis eſt, virgo, ſi autem corrupta, poteſt nuncupari Nahra. Halma vero vocatur

D *Nahra. Halma. Mel & butyrum quid ſignificet.* nulla, niſi ſit & iuuenis & intacta. Quod autem addidit propheta de puero dicens: *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum*, dic quæſo ô Moyſes quid per mel illud intelligi voluit & butyrum? voluit ibi aliquam innuere allegoriam, vel mel ſimpliciter protulit & butyrum? Moſ. Nos quippe illud nequaquam, niſi ſimpliciter intelligimus, ſcilicet quia ſapiens erit, bonique & mali diſcretionem habebit, ideo, inquit, *mel comedet, & butyrum*, quod dulce eſt atque bonum. Pet. Non ideo ſane ſapiens eſt reputandus, quod mel comedet & butyrum. Licet enim ſint & dulcia, cum ſalubria non ſint, nec ſunt bona, & qui illud quod nec ſalubre nec bonum eſt comedit, quomodo ſapiens erit? Quod ſi alio modo ut poſſibile eſt, verbum illud intelligas, ſcilicet, quod mel & comedet & butyrum, propter hoc ut ſciat reprobare malum & eligere bonum, id eſt, ut per mellis comeſtionem & butyri, boni habeat cognitionem & mali, id eſt, ſapiens ſit, ſi ita inquam intelligis, ſapiens mihi non videris, ubi enim in rerum innuitur naturis, quod ſapientiam conferat butyri comeſtio ſive mellis? Sanè nuſquam. Reſtat igitur ut illud allegoricè intelligamus.

E Moyſes. Et quam ibi potes intelligere allegoriam? Petrus. Poteſt quippe per hæc duo verba lex utraque intelligi, Evangelium & lex Moyſi. Multis ſiquidem in locis invenimus in prophetis, verba Domini melli comparari & lacti. *Pſal. 18. & 118. Verba Domini melli & lacti cōparantur. Exod. 3.* Moyſes. Quid eſt igitur quod ſequitur, *antequam ſciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris à facie duorum regnum ſuorum?* Quid inquam per huiuſmodi verba voluit intelligi propheta? Innuunt enim verba iſta puerum de quo eſt prophetia tempore illo fuiſſe natum. *Eſa. 7.* Petrus. Vis quæſo ô Moyſes prophetarum verba ordine locutionis humanæ conſueto accipere? *Prophetarū verba qualia fuerint.* Nequaquam poteſt hoc eſſe. Sunt enim ut ſomnium verba eorum, & ſicut verba hominum febri acuta laborantium, vel alio morbo delirantium, nullo ordine ſunt connexa, ſic & prophetarum verba nulla ſunt continuatione prolata, nec quid prius dicant reſpiciunt, ſive poſterius, niſi ſicut eis ſanctus revelat ſpiritus.

F Quare ſic ſunt verba hæc connectenda. *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonū*, quia ante ſubauditur quàm comedat, ſciet reprobare malum & eligere bonum. Hæc enim eſt Hebraica veritas, & hic demum finitur illa, quæ propter incredulitatem Achaz, ad domum David dicta eſt prophetia. Nam quod ſtatim ſequitur, *terra derelinquetur*, & cætera, propter aliud dicitur, ſicut & alibi invenimus: Legitur enim in Exodo: *Exod. 3.* *Dixit Moyſes ad Dominum: Quis ego ſum ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum, & hoc habebis ſignum quod miſerim te. Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum. Cum eduxeris populum meum*, &c. ſignum eſſe videtur illius quod ait, *quod miſerim te*, ſed non eſt. Educto enim populo de Ægypto, & Moyſe ſuper montem illum immolante, iam cognoſcebant omnes Moyſen, & prophetam, & à Domino miſſum eſſe. Aliud igitur more prophetæ cœpit ibi Moyſes dicere, quam quod prius dixiſſet. Quod ſi contradicas, & quod ſignum illud fuerit quæras, ſcias eſſe ſignum illud quod ait: *Ego ero tecum.*

G *Eſa. 8.* Moyſes. Si ita eſt, quid eſt quod in ſequentibus legitur, *antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum?* Nonne enim de eodem puero dicta ſunt hæc omnia, illo ſcilicet qui & ante deſtructionem natus fuit? Petrus. Non omnia ſane de Chriſto intelligimus dicta eſſe. Potuerunt iſta itaque dici non de eo, ſed de puero illo qui eo tempore natus fuit, de quo Dominus ad prophetam, *Voca*, inquit, *nomen eius accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari*, vel de alio aliquo. *Eſa. 8.* Moyſes. Illum certè puerum qui Emmanuel eſt vocat, oſtendam ego tibi, quia illo ſit tempore natus. Cum enim loqueretur propheta de adventu regis Aſſur ſuper terram Iuda, ait de eo: *Et erit extenſio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ ô Emmanuel.*

H *Eſa. 8.* Hic namque oſtendit, tempore adventus eius iam eſſe Emmanuel. Petrus. Non ſanè per hoc convinces, Emmanuel tunc temporis natum fore. Neque enim fuit hoc eius nomen ſecundum corpus, ſed ſecundum Deitatem, ſecundum quam & in eo tempore, & ante & poſt conſtat Emmanuel eſſe. Moyſes. Iam ex his tuis verbis intelligo tale quid, quod antea non dixiſti, videris enim innuere, puerum de quo loqueris, Deum & hominem fore. Petrus. Ita proculdubio credo ego, quod & in meæ fidei explanatione notavi, & tibi oſtendam ſi quando illud quæſieris. Moyſes. De hoc non quæro ad præſens ego, imo prius volo reſpondeas, ſi quam adhuc auctoritatem habeas de propheta, quod puer ille, filius Mariæ, de matre ſit natus ſine carnali patre. Petrus. Habeo utique. Ait enim: *Eſa. 45.* *Rorate cœli deſuper & nubes pluant iuſtum aperiatur terra & germinet Salvatorem, & iuſtitia oriatur ſimul, & ego Dominus creavi eum.* Per hoc namque quod ait: *Rorate cœli deſuper & nubes pluant iuſtum*, notavit ſpiritum ſanctum de cœlo fore deſcenſurum, per hoc autem quod ſequitur: *aperiatur terra & germinet Salvatorem*, corpus *Maria de ſpiritu S. concepit.*

A Pſ.43. virginis accipimus, quæ ſuperveniente ſpiritu ſancto, & conceptura & Salvatorem fuerat paritura. Sed & per hoc quod eſt: *ego Dominus creavi eum*, innuitur, quod abſque Patris Carnalis auxilio, Dominus eum progenuit. Vnde & contra illos qui hoc non credunt intulit in ſequenti: (Eſa.45.) *Va qui contradicis fiſtori ſuo teſta de Samiis terra, & nunquid dicet lutum figulo ſuo quid facis, & opus tuum abſque manibus eſt, & va qui dicis patri, quid generas, & matri quid parturis?* Sic enim invehitur in illos, qui de hoc dubitant, & quærunt quomodo Deus eum genuerit, & beatam cauſantur Mariam. quod abſque viri commixtione peperit. Iterum contra incredulos loquens propheta, ait: (Eſa.66.) *Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam dixit Dominus? Si ego qui generationem aliis tribuo ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Sic namque oſtenditur, quod Deus eum ſine carnali patre genuerit. Hæc ſanè intelligentibus credo ſufficere, quod de matre ſine B carnali patre natus fuerit puer ille.

F I N I S.

TITVLVS VIII.

Quomodo in corpore Chriſti incarnatum eſt verbum Dei, & fuit Chriſtus homo, ſimul & Deus.

MOYSES.

C SATIS hucuſque per auctoritatem egiſti, de pueri generatione, & ſatis patitur ratio ſic fieri potuiſſe, ſed omnibus eſt mirabilius qualiter humano corpori quod eſt cōpoſitum, deitas quæ ſimpla eſt adiungi potuerit & uniri. Precor ergo ut promiſiſti ediſſere, qua id fieri potuit ratione. Petrus. Nulla certè fieri debuit neceſſaria ratione, quod ſolo Dei nutu factum fuit atque bonitate. Niſi enim ipſe voluiſſet, humanæ ſe naturæ non uniret. Veruntamen nulla ratione perhibetur fieri debuiſſe. Sicut enim anima quæ ſimpla eſt, adiungitur corpori compoſito, & fiunt duo illa unus homo, & hoc abſque rationis contradicto, ita nulla quoque obſtante ratione, potuit Deus homini ſe unire. Moyſes. Aliud quoque abs te ſi placet volo audire. Cum enim Patrem & Filium & Spiritum ſanctum dixeris & credas eſſe unum, dicas velim quonam modo filium ſolum credas incarnatum, & non Patrem vel Spiritum ſanctum. Petrus. Tibi puto certe mirum D eſt & impoſſibile, quod nos mirum non credimus eſſe. Licet enim oſtendi nequeat hoc in Deitate, quia ſubtile quidem & ſpirituale, in rebus tamen corporeis ſimile poſſumus invenire, per quod & illud potes agnoſcere, ſicut in igne qui eſt ſubſtantia, ſemper ineſt claritas cum calore. Neque enim ignis ſubſtantiam abſque claritate & calore, nec ſine ignis ſubſtantia claritatem ſimul invenies cum calore. Venit autem ad nos aliquando calor ſine claritate, aliquando etiam claritas ſine calore. Moyſes. Verum eſt certè quod aliquando venit ad nos claritas ſine calore. Nam hoc poſſumus ex candela percipere, cuius videmus claritatem, & non ſentimus calorem. Sed non video de calore qualiter ad nos veniat ſine claritate. Petrus. Hoc faciliime poſſum oſtendere. Si enim de metallis aliquod acceperis, & illud ſic calefeceris, ut inde aliud corpus calefacere poſſis, ſi eidem te adhibueris, calorem quidem ſenties, & claritatem non videbis Moyſes. Iam ex verbis tuis videris credere, quod ſicut quandoque claritas abſque calore, & calor provenit abſque claritate, & tamen non ſeparantur ab igne, ita & filius abſque patre & ſpiritu ſancto carnem ſuſcepit, nec propter hoc tamen ab eis receſſit. Petrus. Vtique ſic credo ego, & tu bene intellexiſti, ſi crederes. E Dixit enim veritas ipſa: *Ego ſum in patre, & Pater in me eſt*, & iterum: *Ego & Pater unum ſumus.* Moyſes. Concedo ſatis quod potuit homini Deitas ſe unire, veruntamen cum ſic fieri neceſſe non fuerit, cur credere debemus factum eſſe? Petrus. Nos ſanè qui prophetas mentitos eſſe non credimus, cum ipſi Chriſtum Deum & hominem futurum fore prædixerint, veraciter eos & hoc dixiſſe credere debemus. Moyſes. Vellem modo mihi oſtenderes, quo loco hoc prophetæ perhibeant de illo. Nam ego certe ſuper omnia illud abs te audire deſidero. Pet. Legimus ſane in Geneſi Dominum dixiſſe. *Faciamus hominem ad imaginē & ſimilitudinē noſtram*, & alibi, *creavit Deus hominē ad imaginem & ſimilitudinē ſuam.* Dic nunc mihi quæſo, quæ eſt Dei imago iſta vel ſimilitudo? In quo enim conſimiles ſunt imago Dei & imago hominis? Moyſes. Bonum eſt certè veritatem agnoſcere, & ego veraciter dico in nullo illas conſimiles eſſe. Nam & ſuperius tum ratione, tum au- F ctoritate oſtenſum eſt & nos conceſſimus Deum rei ſimilitudinem habere nullius. Petrus. Mentitur ergo ſcriptura quæ dicit, quod *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam Deus hominem creavit*? Moyſes. Nequaquam. Petrus. Cui igitur duorum illorum credendum eſt prophetarum? An illi qui dixit Deum rei nullius habere ſimilitudinem, an illi qui ait? *Creavit Deus hominem*, &c. Vter eorum veraciter eſt locutus? Moyſes. Neutrum ſanè eorum dicendum eſt eſſe mentitum. Petrus. Et duo contraria quomodo poſſunt in eodem eſſe, Deum ſcilicet & habere imaginem, & non habere? Moyſes. Hoc certe volo ego mihi ediſſeras quonam modo ea ipſe intelligas. Petrus. Et hoc profectò verum G eſt Deum ſcilicet ut prædiximus rei ſimilitudinem habere nullius, & Moyſen veraciter dixiſſe novimus, quod *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creaverit hominem Deus.* Veridicus enim fuit ipſe in omnibus. Sed per imaginem Dei de qua Moyſes eſt locutus, imaginem illam, id eſt, formam humanam neceſſe eſt intelligamus, quam aſſumpſit Dei filius incarnatus. Moyſes. Et quomodo hoc ſtare poterit, cum eo tempore quo factus eſt Adam, nondum imaginem illam, quam Deum creditis aſſumpſiſſe ipſe aſſumpſerit? Petrus. Et ſi imago illa nondum erat in opere, in eius tamen providentia iam fuerat atque voluntate. Cum autem voluntas eius non mutetur, quantum ad ipſum nil obſtat, quin imago ſua ſemper fuiſſe credatur. Et hoc quippe alibi invenimus in prophetis, quod de futura re quaſi præterita ſint locuti, ſicut Eſaias ſub perſona Domini, ait: *Dies ultionis in corde meo, annus retributionis mea venit.* Dies profectò vel annus non venerat, quæ tamen quia in corde ſuo iam erat, iam veniſſe dicebat. H Moyſes. Habes adhuc aliquam aliam auctoritatem, per quam apertius poſſis oſtendere, puerum illum eſſe Deum debuiſſe & hominem? Petrus. Habeo utique multas. Ait enim de eo Eſaias: *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis.* Hæc enim nomina omnia, nonniſi Deitati conveniunt. Moyſ. Tu male ſcripturam intelligis. Neque enim ita legendum eſt, quod dicatur puer ille admirabilis vel conſiliarius, &c. imo ita: Ille qui eſt admirabilis, qui eſt conſiliarius, qui eſt Deus fortis, qui eſt pater futuri ſeculi, ille inquam vocabit eum principem pacis. Sin autem, de quo igitur dictum eſt vocabit? Pet. Hoc mihi ſanè nullum affert incommodum, quia Deus ſic appellavit ſeipſum. Et hoc lingua bene patitur Hebraica, ſicut in libro Numeri invenitur: Iſta eſt lex conſecrationis. *Cum dies quos ex voto decreverat complebuntur, adducet eum ad oſtium tabernaculi fœderis.* De eodem namque dictum eſt, & *adducet*, & eum. Sed & quod in eodem loco ait propheta: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis, ſuper ſolium David, & ſuper regnum eius, & ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia à modo, & uſque in ſempiternum*, hoc inquam totum oſtendit puerū illum Deum & hominem

debuiſſe

Marginal notes: Bonitate ſua Deus homo factus eſt. Tr.3. — Filius ſe cum la perſona in ʻdivinis carnē aſſumpſit, non Pater, nec Spiritus S. — Ioan.14. Io.10.17. — Gen.1. — Imago Dei in homine quæ ſit. — Gen.1. — Gen.1. — Similitudo Dei. — Adam ſecundum quā imaginē dicitur creatus. — Mal.3. Num.3. Eſa 64. — Prophetæ de re futura tanquam præterita ſæpe locuti ſunt. Eſa.9. Meſſias Deus & homo. — Num.6. — Eſa.9.

A

Pſal.116.

debuiſſe eſſe futurum. Quicquid enim hominis eſt, finem eſt habiturum, Deus autem & quod eius eſt, manet in æternum. Præter hæc etiam omnia iniuſte mihi contradicis de nominibus ſupradictis, veſtri namque doctores, & Chriſtum ſeptem nomina habiturum eſſe dixerunt, & hæc eadem poſuerunt. Hoc autem in diſputationis exordio pactum non firmaras, ut iniuſte aliquid contradicas. Moyſes. Recordor & verum eſt, ita noſtros dixiſſe doctores. Petrus. Adhuc & aliam dabo ſi vis auctoritatem, puerum illum, Deum eſſe futurum & hominem. Ait enim de eo idem propheta: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritu timoris Domini. Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundum auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes & arguet in æquitate pro manſuetis terræ & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Quod enim ait, *non ſecundum viſionem oculorum iudicabis*, & cætera quæ ſequuntur, proculdubio nulli conveniunt, niſi ſoli Deo. Homo enim niſi quod viderit vel audierit, iuſte aliquid iudicare non poterit. Moyſes. Pars ſane huius, quam tibi in auxilium adduxiſti auctoritatis, ad hoc obſtat oſtẽdendum quod tu probare contendis. Legitur namque ibi: *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis. ſpiritus ſcientiæ & pietatis & replebit eum ſpiritu timoris Domini.* Si enim Deus eſſet futurus, daturus utique eſſet hæc & non accepturus. Petrus. Nihil eſt quod opponis. Dixi namque tibi in primis in meæ explanatione credulitatis, tres ipſum eſſe ſubſtantias Chriſtum, corpus ſcilicet, animam, & Deum. Et ſecundum Deitatem ſeptem illa ſibi ſunt attributa vocabula, ſecundum animam vero ſeptem munera potuit ſuſcipere ſupradicta. Hæc quippe anima præter quod erat Deitati adiuncta, per ſe quoque omnium fuit animarum digniſſima. Moyſes. Cum itaque ſecundum Deitatem, ſeptem vocabula, & ſecundum animam ſeptem illa ſuſceperit munera, velim mihi certe aperias, quid ſecundum corpus ei attribuas. Petrus. Licet ridiculoſe hoc proferas, tamen ſi vis dicam quid ſecundum carnem ei attribuam. Dicit quippe idem Eſaias: *Dabo in ſolitudine cedrum, & ſethim, & myrtum, & lignum olivæ, & ponam in deſerto abietem, pinum, & buxum ſimul.* Per has ſane arbores ſeptem, corpus Chriſti deſignatur. De aliquo namque hoc deſerto cur diceret, cum ſemper in deſerto huiuſmodi arbores commorentur? Per deſertum ergo intelligitur mundus, qui tempore Chriſti adventus omni bono vacuus erat & deſertus. Moyſes. Cum igitur corpus eius per arbores deſignavit, cur arbores quæſo fructiferas & precioſiores in eius deſignatione non poſuit? Petrus. Magno ſatis intuitu & ratione hoc fecit. Sicut namque ſemper virent arbores illæ, nec aliquando ſua viduantur fronde, ſic & corpus Chriſti ſemper vivum, ſemper totum manet & integrum. Habeo autem & aliud auctoritatis argumentum, ad comprobandum uniri potuiſſe hominem & Deum. Dicit namque Eſaias: *Et dicent in die illa: Ecce Dominus noſter iſte. Expectavimus eum, & ſalvabit nos.* Hunc certe verſum aliter non curamus explanare, quàm doctores veſtri illum dudum expoſuere. Per eum namque venturum docuerunt fore tempus, quo & Deum mundus eſſet viſurus, & digito ſibi ad invicem populus oſtenſurus. Hoc vero fieri poſſet nullatenus, niſi corpus fieret quis & Deus. Hoc etiam quod ait propheta, *Vox ſpeculatorum tuorum; Levaverunt vocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt cum converterit Dominus Sion.* Hunc inquam verſum doctores veſtri eodem modo quo diximus, expoſuerunt, propter illud: *Oculo ad oculum videbunt.* Sed & aliud poſuit propheta, per quod non minus comprobari poſſunt ſupradicta. Ait enim: *Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt.* Poteſt quippe rei vox ſpiritualis audiri, ſicut filij Iſrael vocem Domini audierunt in monte Synai. Loquentem vero non videbis, niſi fuerit res carnalis. Item aliud quod ait Zacharias: *In die illa proteget Dominus habitatores Hieruſalem, & erit qui offenderit in die illa quaſi David, & domus David quaſi Dei, & angelus Dei in conſpectu eorum.* Per hoc namque quod ait, *& domus David quaſi Dei*, voluit utique intelligi quod de domo David eſſet naſciturus, qui ab omnibus haberetur Deus. Quod etiam ait, *quaſi Dei*, & non poſuit ſimpliciter Deus, inſinuat quod is qui de domo David erat oriturus, in aliquo minor eſſet, quàm Deus. Quod & David in Pſalmo teſtatur cum dicit: *Minuiſti eum paulo minus* * *à Deo.* Item Michæas: *Et tu*, inquit, *Bethlehem Effrata parvulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Hoc quippe eſt, *ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſrael*, ſecundum corpus dictum eſt, ſecundum quod princeps ille adventurus erat in tempore. Quod autem ſequitur, *& egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*, perpetuitatem inſinuat Deitatis. Hoc enim Deitati attribuit quod homini puto non convenit. Item David in Pſalmo cum dicit, *ſedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga directionis virga regni tui & dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præconſortibus tuis*, cum hoc inquam dicit, eum ad quem loquitur Deum eſſe & hominem oſtendit. Aiens enim: *Sedes tua Deus in ſeculum, ſeculi, virga directionis virga regni tui*: nunquid non eum manifeſte appellat Deum? Deinde cum dicit, *dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, ad hominẽ eum loqui percipimus. Neque enim vel Deum, vel conſortes habet Deus. Item David alibi in Pſalmo: *Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis*, & quæcunque alia ſunt in Pſalmo: Dic nunc quis eſt iſte regis filius? Salomon an Chriſtus, qui de ipſo David erat venturus, & filius eius nuncupandus? Moyſes. Nolo ſane te ſuper hoc fatigare. De Chriſto enim dictum eſt, ut doctores noſtri docuere. Petrus. Cum igitur de Chriſto Pſalmum eſſe conceſſeris, videamus utrum iſta quæ in eodem leguntur, *& permanebit cum ſole & ante lunam in generatione & generatione, & ſit nomen eius benedictum in ſecula, ante ſolem permanet nomen eius*, & illud, *& adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſervient ei*, videamus inquam ſi de puro homine dicta ſunt hæc omnia, ſed nequaquam imo de Deo. Sequitur ergo, ut Chriſtum & hominem dicamus eſſe & Deum. Quod etiam quia David ſpiritu ſancto revelante cognovit, & miracula quæ facturus erat prævidit, ideo huiuſmodi finem Pſalmo fecit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus, & benedictum nomen maieſtatis eius in æternum & replebitur maieſtate eius omnis terra.* Item in libro Dabreiamin, id eſt, verba dierum legitur, quia cogitante David domum Domino ædificare, ait ad eum Nathan propheta ſub perſona Domini in hæc verba *Cum compleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, ſuſcitabo ſanctum tuum poſt te, quod erit de filiis tuis, & ſtatuam regnum eius. Ipſe ædificabit mihi domum, & firmabo ſolium eius in æternum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium, & miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli ab eo qui ante te fuit, & ſtatuam eum in domo mea, & regno meo uſque in ſempiternum, & thronus eius firmiſſimus in perpetuum.* Dic inquam ô Moyſes iſta de quo dicta eſt prophetia? Moyſes. De Salomone. Petrus. Nequaquam poteſt hoc eſſe. Quod enim ait, *cum compleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos*, quod eſt, cum mortuus fueris, *ſuſcitabo ſemen tuum poſt te*, patet quod dictum non eſt de Salomone. Rex namque iam erat Salomon, vivente adhuc patre ſuo. Quod ſi de Salomone vellet dicere, utique, non dixiſſet, *quod erit de filiis tuis*, ſed quod erit de te. Quod etiam ſequitur, *& ſtatuam eum in domo mea, & in regno meo uſque in æternum, & thronus eius firmiſſimus in perpetuum*, patenter agnoſcitur, non de

Salomone

Margin notes (left): Chriſtũ Septem nomina habiturũ Iudæi dixerunt. — Eſa.11. — B — Deus cor ioſcitur. — Chriſtus eſt corpus, anima, Deus. — Anima Chriſti digniſſima. — C — Eſa.41. — Mundus per deſertum intelligitur. — Eſa.25. — D — Deus mundo quomodo viſibilis apparuit. — Eſa.54. — Eſa.40.

Margin notes (right): E — Exo. — Zach.12. — Num.14. — Pſal 8. * ab angelis. — Mic.5. — F — Pſal.44. — Pſal.71. Chriſtus de David venire debuit. — G — Pſal 71. Prophetiæ quædam de Chriſti humanitate, quædam de eius divinitate dixerunt. — Paralipomenõ. — 1.Par.22. — H — Promiſſio David de Chriſto, non de Salomone. — Thronus Chriſti firmiſſimus in perpetuũ.

A

Ecc'eſiã ſanctam Chriſti æternus ille Salomõ ſupra petrã ædificavit. 1. Par. 22.

Salomone eſſe dictum. Salomon namque nec in domo Dei ſive regno eſt ſtatutus, nec fuit in perpetuum firmiſſimus thronus eius Et cum hoc conveniat Deo ſoli, tunc ille de quo hic agitur, homo futurus atque Deus fuerat. Moyſes. Cum hæc omnia Petre, dicta eſſe intelligas propter Chriſtum, quid eſt quod ait: *Ipſe ædificabit mihi domum?* Quænam fuerat illa domus, quam ædificaturus erat Chriſtus? Petrus. Sanctam ſanè Eccleſiam intelligimus per domum illam, quam ædificavit Chriſtus ſupra firmam petram. Moyſes. Quid igitur reſpondit Nathan ad David, de domo quam ædificare ſe Domino velle dixit? Petrus. Sanè hoc quod Salomonem filium ſuum loquens refert ipſe David: *Factum eſt*, inquit *ſermo Domini ad me dicens. Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me. Ecce natus eſt tibi filius, vir quietiſſimus, faciam enim eum requiſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, quia Salomon vocabitur, & pacem & ocium dabo in Iſrael cunctis diebus eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem, firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſraël in æternum.* Et hoc quidem de Salomone concedo ego dictum eſſe, propter illud: *Ecce natus eſt tibi filius*, & poſtea, *Salomon vocabitur.* Quod etiam teſtatur David loquens ad filios Iſraël de eodem in hæc verba. De filiis meis, filios enim multos dedit mihi Dominus, *elegit Salomonem filium meum.* Et hic quidem ſermo David ad Salomonem omnino diverſus eſt ab illo, quem dixit Nathan ad David de Chriſto. Hic namque legitur, *natus eſt tibi filius*, & *Salomon vocabitur.* Ibi autem, quia *ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filiis tuis*, & nullum ei nomen attribuit. Ibi etiam ait, *& ſtatuam eum in domo mea, & regno meo uſque in ſempiternum, & thronus eius firmiſſimus in perpetuum.* Hic vero ſolummodo, *firmabo ſolium eius ſuper Iſrael in æternum.* Per quod oſtenditur, quia quamdiu regnum Iſraël permaneret, de Salomonis progenie rex non deficeret, regnum vero Chriſti ſemper fine careret. Sed & Chriſti regnum ſine conditione, Salomonis autem promiſſum eſt ſub conditione. De eo quippe in libro Regum legitur, ubi David ad filium ſuum Salomonem ſic loquitur. *Confirmet*, inquit, *Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt ad me dicens: Si cuſtodierint filij tui legem meam, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael.* Teſtatur quoque ipſe David illam quam prædiximus prophetiam, ſcilicet *cum compleveris dies tuos*, &c. teſtatur dico illam propter Chriſtum fuiſſe prolatam. Audiens namque illam, & ſicut explanavimus intelligens, ſed & inde Deo gratias agens ait: *Quis ego ſum Domine Deus, & quæ eſt domus mea, quia adduxiſti me huc uſque? Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo Deus, niſi loquereris de domo ſervi tui etiam in longinquum, & vidiſti me in lege hominis exaltati Domini Dei.* Hoc quippe quod ait, *quis ego ſum Domine Deus, & quæ eſt domus mea, quia adduxiſti me huc uſque*, de ſe dixit & filio ſuo Salomone, quod autem deinde intulit, *ſed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo, niſi loquereris de domo ſervi tui etiam in longinquum*, hoc revera dixit propter Chriſtum, quem de domo ſua videbat eſſe venturum. Sed & per hoc quod ait: *Et vidiſti me in lege hominis exaltati Domini Dei*, cum id quoque de Chriſto dixerit, profecto innuit, quod & exaltatus & homo eſſe debeat & Deus.

B

1. Par. 29.

Promiſſio de Chriſto & Salomone diverſa oſtenditur. Eſa 9. Luc. 1.

3. Reg 2.

C

2. Reg 7.

D

F I N I S.

E

TITVLVS IX.

Quod in eo tempore Chriſtus venit, quo eum venturum fore à prophetis prædictum fuit, & quæcunque de eo prædicaverunt, in ipſo & eius operibus patuerunt.

MOYSES.

CVM igitur multis auctoritatibus oſtenderis illum quem dicitis Chriſtum fore hominem, potuiſſe & Deum, qua quæſo auctoritate poteris oſtendere, eum ut creditis iam veniſſe? Fortaſſe enim non diu venit, ſed venturo veniet in tempore. Petrus. Plura ſunt profecto ô Moyſes, quæ eum veniſſe patenter oſtendunt. Nam & tempus in quo eum prædixerunt venturum eſſe prophetæ, quod & tranſactum eſt, & in eo ipſum novimus adveniſſe, & præter id alia multa, quæ in ipſo & verbis eius agnovimus, atque operibus, ut prædictum eſt à prophetis Moyſes. In primis quæſo oſtendas de tempore, ubi videlicet & qualiter inde locuti ſint prophetæ, & quomodo illud terminavere. Petrus. Legimus ſane quia Iacob filiis ſuis loquens, & ſingulis ad ſe vocatis, benedicens, ait: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ad eum congregabuntur gentes.* Hanc autem prophetiam aliter non exponam, quàm expoſuerint veſtri doctores antiqui. Dixerunt namque & ipſi. *Non auferetur ſceptrum*, id eſt, virga de regno Iuda, *& dux de femore*, id eſt, de filiis filiorum eius in ſecula, *donec veniat qui mittendus eſt*, id eſt Chriſtus, cuius eſt regnum, *& ad ipſum congregabuntur gentes.* Et nos quidem novimus, quia poſtquam venit Chriſtus, neque rex neque dux de Iuda fuit ulterius. Credere itaque debemus, quod hic tempus Chriſti adventus determinatum fuit, & quod is qui tempore illo venit, ſine dubitationis ſcrupulo Chriſtus extitit. Item in libro Danielis de tempore Chriſti adventus ſic eſt Angelus cum Daniele locutus. *Septuaginta hebdomades conſtitutæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctuarij tui, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſeculorum, & impleatur viſio, & prophetia & ungatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo & animadverte. Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Hieruſalem uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem. Et hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, & in templo erit abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Prophetia ſane iſta ô Moyſes clauſa eſt, & ad intelligendum difficilis, & ſunt, ibi termini multi deſignati, ſed tamen omnes ad oſtendendum Chriſti adventum ſunt poſiti. In primis igitur ſciẽdum eſt, quia hebdomades iſtæ annorum ſunt hebdomades. Cum igitur ait: *L X X. hebdomades conſtitutæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctuarij tui, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſeculorum & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorum*, cum illud inquam ait, annotari voluit, quia ſepties L X X, id eſt, C C C C. X C. anni erant conſtituti ab eiuſdem anno prophe-

F

Prophetarũ verba Chriſtum veniſſe oſtẽdunt.

Tempus Chriſti adventus à prophetis prædictũ impletũ eſt.

Gen. 49.

Regnum ſceptrum à Iuda quando ablatum.

G

Dan. 9.

Prophetia Danielis de tempore adventus Chriſti.

H

Danielis ſeptuagintæ hebdomades, quot anni fuerint.

tiæ

A

Eſa.53. Apoc.1.

tiæ vſque ad deſtructionem Hieruſalem & templi, quæ à Tito Romanorum imperatore fuit facta, cuius tempore deſtructionis iam Chriſtus venerat, qui & iuſtitia ſæculorum & ſanctorum ſanctus erat, per quem etiam peccatum omne & iniquitas eſt deleta, & prophetia omnis impleta. Cætera autem quæ ſequuntur omnia ad horum CCCC. XC. annorum diviſionem & determinationem ſunt poſita. Per hoc ergo quod eſt ab exitu ſermonis vt iterum ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades VII. innuitur quod ab huius die prophetiæ vſque ad Cyrum ducem Perſarum qui ab ipſo Deo per Eſaiam Chriſtus eſt appellatus, fuerunt VII. annorum hebdomades, id eſt, LIX. anni, cuius Cyri præcepto cœpit Hieruſalem reædificari. In cuius reædificatione & poſtquam conſummatum eſt opus, vſque ad adventum Titi ſuper Hieruſalem 434. anni fuerunt, & hoc eſt quod dicit. *Hebdomades 62.* id eſt, 434. anni erunt, *& rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades 7. occidetur Chriſtus*, quod eſt poſt hebdomades 70. & poſtquam occidetur Chriſtus, *civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus* ſcilicet Romanus, *cum duce venturo*, id eſt, cum Tito, *& finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Quod autem ſequitur, *confirmabit pactum multis hebdomada vna*, illa profecto hebdomada vna ſeptem ſunt anni obſidionis. Septem enim annis obſeſſa eſt civitas ab exercitu Romanorum, & infra illos ſeptem annos, adeo coacti fuerunt intus & afflicti, quod non haberent vnde ſacrificium facere poſſent, & hoc eſt quod ait: *In dimidio hebdomadis*, id eſt, infra hebdomadem, *deficiet hoſtia & ſacrificium, & in templo erit abominatio deſolationis.* Quod etiam additur, *vſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio*, inſinuat, quod captivitas & deſolatio illa fine foret caritura. Septem ergo hebdomades vſque ad Cyrum, & ſexaginta duæ hebdomades à Cyro vſque ad Titium, & hebdomada obſidionis vna, profecto ſeptuaginta ſunt hebdomades. Moyſes. Poſtquam de tempore adventus Chriſti ex prophetarum teſtimoniis aſſeruiſti, de quo ſatis eſſe potuit vt dixiſti, volo vt alia illa exequaris, quæ in ipſo & operibus eius patuerunt atque verbis, quæ & de ipſo vt aſſertis prædicta ſunt à prophetis. Petrus. Legimus in Deuteronomio, quia Moyſes morte ſibi iam imminente ſic ad populum Iſraël eſt locutus. *Prophetam*, inquit, *de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata eſt atque dixiſti: Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia ſunt locuti. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam.* Quis eſt autem ô Moyſes, quis eſt ille quem dicit Dominus ſimilem Moyſi ſuſcitandum, & ipſum eſſe præcipit audiendum? Moyſes. Vtique de Ioſue filio Nun dici potuit, qui poſt Moyſen & in ipſius loco ſurrexit. Petrus. Profecto de Ioſue nullatenus poteſt eſſe. De eo quippe patenter ſcriptura loquitur, ſicut in lib. Numeri legitur: *Reſpondit Moyſes* ad Dominum. *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominum, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire & intrare ante eos, & educere illos vel introducere, ne ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Ioſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus Dei, & pone manum tuam ſuper eum. Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, & audiat eum omnis ſynagoga filiorum Iſraël.* Cum vero tam aperte de Ioſue hic agatur, cur illa alia quæ adeo clauſa eſt prophetia, illa ſcilicet prophetia, *ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus*, & cætera. cur inquam, illa de ipſo dicta intelligatur? Sed & per hoc quod legitur: *dabis ei partem gloriæ tuæ*, ac ſi diceret non omnem gloriam tuam, per quod oſtenditur quia ſimilis Moyſi non fuerit, & in fine Deutero. *non ſurrexit propheta vltra in Iſraël ſicut Moyſes*, per hæc, inquam, innuitur, quia de Ioſue dictum non ſit: *Suſcitabit tibi Dominus Deus tuus*, &c. cum ſequitur in eodem, *ſimilem tui.* Sed & aliter differunt, prophetia illa quæ eſt: *Suſcitabit tibi Dominus*, &c. & ea quæ de Ioſue ſunt dicta. In illa namque habetur; *qui verba eius audire noluerit, ego vltor exiſtam*, de Ioſue vero legitur, *qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus quos præceperis ei, morte moriatur.* Patet igitur omnibus modis, quia prophetia illa de Ioſue non eſt prolata. Moyſes. De quo ergo? Petrus. De Chriſto, qui Moyſi ſimilis fuit, quia ſicut Moyſes & ipſe legem dedit. Moyſes. Nunc itaque ſingulas prophetiæ partes oſtende, quomodo vniverſas ad ipſum poſſis applicare. Petrus Prophetia quidem iſta petitioni filiorum Iſraël reſpondet. Petierant enim ſicut ſcriptum eſt in monte Oreb, ne vltra vocem Domini viſibiliter audirent, aut tantum ignem ne morerentur aſpicerent. Contra quod dicit Dominus ad Moyſen: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui*, quaſi diceret: Ille quem ſuſcitabo, de ipſorum erit progenie Iudæorum, ſed & tui ſimilis erit, hoc eſt, ſicut tu legem dediſti, ita & ipſe dabit, quod etiam per hoc notatur, quod *prophetam* ſingulariter & per excellentiam poſuit. Niſi enim & ipſe legem daturus eſſet, prophetas ſane non *prophetam ſuſcitabo* dixiſſet. Prophetas quippe plures ſuſcitavit Deus, qui annunciaverunt verba eius, ſed nullus eorum legem dedit ad ſimilitudinem Moyſi, niſi Chriſtus. *Et ponam verba mea in ore eius*, quod eſt, quia vocis meæ impetum nequeunt tolerare, per ipſum loquar eis ſub carnis velamine. *Loquetur ad eos omnia quæ præcepero illi.* Ac ſi aperte diceret. Præter id quod volam & præcipiam, nihil omnino dicet. *Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam*, id eſt, qui præceptis eius parere renuerit, non occidetur, nec alio modo carnaliter punietur, ſed ego ipſe iuxta placitum meum miſericorditer vindicabo in ipſum. Cum igitur Chriſtus & de Iudæorum natus progenie, & tanquam Moyſes legiſlator extiterit, & verbum Dei ſub eius carnis velamine latuerit, nihilque aliud quam præcepit Deus pater, ipſe docuerit, ipſo atteſtante in Evangelio & dicente, *ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me patris*, cum ipſe nullum occidi vel corporaliter puniri voluerit, ſed miſericordiam per omnia prædicaverit, profecto nihil obſtat, quin tota de ipſo prophetia dicta fuerit. Moyſes. Adhuc reſtat vnum, de quo mihi volo reſpondeas. Cum enim Chriſtus vt credis Deus ſimul & homo fuerit, quomodo eum prophetam appellavit? Petrus. Æſtimare videris quod propheta ſolummodo hominis nomen ſit, ſed nequaquam, imò propheta appellatur, quiſquis ea quæ porro ſunt ventura effatur. In Eſeia quoque ſic legitur: *Ecce ſervus meus, ſuſcepi eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, nec exaltabitur, aut audietur foris vox eius. Calamum quaſſatum non conteret, & licinum fumigans non extinguet, in veritate iudicium educet, non deficiet aut effugiet, donec ponat in terra iudicium, & legem eius inſulæ expectabunt.* Sed & hanc ô Moyſes prophetiam ad quem melius quàm ad Chriſtum applicare poſſumus? Ipſe namque & Dei ſervus, & electus fuit eius, in quo complacuit ſibi Deus. Et hoc quidem de eo dictum eſt ſecundum corpus. Quod autem ſequitur, *dedi ſpiritum meum ſuper eum*, ſecundum animam eſt prolatum. *Iudicium*, id eſt, legem *gentibus proferet.* Chriſtus quippe legem quæ clauſa erat & operta, & inter Iudæos tãtum, protulit, id eſt, enucleavit, patefecit, & medullam

Margin notes (left): *Eſa.45.* — B — Iudaicæ gentis deſolatio à Daniele prædicta. — C — *Deut.18.* — D — *Num.27.*

Margin notes (right): E — *Deut.18.* — *Num.27.* — *Num.27.* Moyſi Ioſue nõ fuit ſimilis, nec aliquis prophetarum. — *Deut.34.* — Chriſtus Moyſi ſimilis. — F — *Exod.20.* — *Deut.18.* — Chriſtus dicitur ſingularis & excellentiſſimus propheta. — G — Legẽ veterem Moyſes, novã vero Chriſtus dedit. — *Heb. 1.* Verba quæ loquor à me ipſo non loquor, &c. — *Ioan.14.* — *Ioan.14.* — H — Prophetæ nomẽ non ſolũ homini convenit. — *Matt.17. Eſai.61.*

A Ioan. 13. Matth. 12.

elicuit, ad hoc vt gentes illam poſſent accipere. Sequitur, *non clamabit, nec exaltabitur, aut audietur foris vox eius.* Et nos ſcimus quia Chriſtus non clamoſus, non arrogans, non inanis gloriæ appetitor fuit, imo ſuper omnia humilitatem dilexit. *Calamum quaſſatum non conteret, & lichnum fumigans non extinguet.* Videmus ſane quod calamus quaſſatus leviter poteſt perfringi: lichnum autem fumigans, id eſt linum combuſtum, ſed tamen adhuc retinens fumi, id eſt, ignis, perfacillime poteſt extingui. Sed quid per calamum quaſſatum, vel lichnum pene extinctum, melius quàm peccatoris fragilitas, qui conquaſſatus & pene in peccato eſt extinctus, poteſt intelligi? Calamum autem quaſſatum Chriſtus non contrivit, & lichnum fumigans non extinxit, quia peccatores pene mortuos in peccatis, occidi non præcepit, ſed miſericorditer toleravit, & ad pœnitentiam revocavit, quod & in conſequentibus deſignavit propheta cum addidit: *In veritate educet iudicium.* Veritas quippe & iuſticia, idem eſt. In lege vero Moyſi iudicium erat & præceptum, peccatorem occidi. Chriſtus autem ad veritatem & iuſtitiam iudicium adduxit, quando peccatores non occidi, ſed quod iuſtius eſt, donec pœniterent ſuſtineri præcepit, cum dixit: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt convertatur & vivat. Non deficiet aut effugiet, donec ponat in terra iudicium.* Mortem ſane Chriſti voluit propheta notari per defectum, per effugium vero aſcenſum eius in cœlum. Ac ſi diceret: Non morietur aut de terra recedet, id eſt, in cœlum aſcendet, donec mittat legem in terra. Et Chriſtus quidem antequam ſecundum carnem obiret, aut ad patrem in cœlum aſcenderet, iudicium in terra poſuit, quando legem, id eſt, Evangelium nobis dedit. Ideo autem nequaquam non morietur, ſed *non deficiet* dixit, quia mors Chriſti non revera mors, ſed quaſi tranſitus quidam & defectus fuit. Qui enim moritur homo amplius iam non vivit. Chriſtus autem die tertia reſurrexit, & iam in æternum vivit, *& legem eius inſulæ expectabunt.* Per inſulas gentes accipimus. Legem autem Chriſti gentes expectarunt, quia non ab ipſo, ſed à diſcipulis eius, id eſt, ab Apoſtolis eam acceperunt. Neque enim ipſe imo Apoſtoli gentibus prædicarunt. Item in Eſaia: *Ego Dominus vocavi te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſervavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. Ego Dominus: Hoc eſt nomen meum: Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Et hoc quoque de Chriſto protulit Eſaias. Vocavit namque eum Dominus de vtero virginis in iuſtitia, hoc eſt, ſine peccato & carnis concupiſcentia, de ſanctæ & iuſtæ virginis natus eſt Chriſtus carne munda. Manum eius apprehendit, quod ſignum eſt protectionis & patrocinij, & ſervavit eum, ſicut de manu Herodis adhuc vagientem eripuit, in Ægyptum duxit ac reduxit, de manibus Iudæorum eum lapidare & interficere volentium ſæpius liberavit, & in aliis adverſitatibus ſuis multis, eius cuſtos & protector extitit. Dedit eum Dominus in fœdus populi Iſraëlitici, ſcilicet, id eſt, ad hoc dedit eum, vt populo Iſraël legis veritatem oſtenderet. Et in lucem gentium dedit eum Dominus, quia gentes relicto errore, & expulſis tenebris incredulitatis ſuæ, luce legis Chriſti ſunt reſperſæ. Et adhuc miſit eum, vt aperiret oculos cæcorum, & educeret de concluſione vinctum, & de domo carceris ſedentes in tenebris. Et Chriſtus oculos cæcorum aperuit, cum infidelium corda patefecit, & depulſa vmbra legis lumen oſtendit. De concluſione vinctum eduxit, quia in ſe credentes de captivitate omni vſque hodie liberat & emittit. Eduxit etiam de domo carceris, ſedentes in tenebris, quia eos qui in tenebroſo carcere tenebantur inferni, deſcendens ad inferos ipſe extraxit. Gloriam & laudem ſuam alteri quàm Chriſto Dominus non dedit, quia Deitatem ſuam nulli alij homini vnquam coünivit, aut laudem tantam attribuit. Item Eſaias: *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas & revertatur ad Dominum & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum; quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, viæ veſtræ dicit Dominus, quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Et quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non revertitur, ſed inebriat terram, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui.* Et dic ô Moyſes, verbum iſtud totum qualiter exponis? Quando invenitur Dominus, & quando non invenitur? quando eſt prope, & quando longe? Moyſes. Deum quidem inveniri, & prope eſſe, idem eſt. Prope autem eſt, & invenitur ab illis qui ei fideliter famulantur. Petrus. Propius ſane vult eſſe Dominus, & magis offert ſe peccatoribus & eis qui longe eſſe videntur, quam iuſtis & fidelibus ac prope vt dicis exiſtentibus. Quod & alibi propheta teſtatur, vbi dicit. *Pacem, pacem ei qui longe eſt, & qui prope eſt, dixit Dominus.* Quid namque per longe Deo exiſtentem niſi peccatorem, & per eum qui prope eſt niſi iuſtum intelligimus? Et propheta prius qui longe eſt, & poſtea qui prope eſt dixit, & ſic peccatori quam iuſto Deum propius eſſe, monſtravit. Moyſes. Poſſumus etiam dicere prope Deum eſſe decem diebus illis, qui ſunt à prima die menſis ſeptimi, vſque ad diem expiationis, ſic namque dictum eſt à doctoribus noſtris. Petrus. Et hoc quoque malum eſt. Si enim X. illis tantummodo diebus prope eſt Deus & invenitur, tunc ſi alio tempore peccator converti volens Deum quæſierit, & eum quia longe exiſtentem non invenerit, iam Dei & non peccatoris culpa erit, quod converti ad Deum non poterit. Moyſes. Dicunt etiam aliud doctores noſtri Deum ſcilicet prope fuiſſe & potuiſſe inveniri, quamdiu ſtetit templum Domini, deſtructo autem templo ſe elongavit, & iam vltra ſe inveniri non voluit. Petrus Et in hoc quoque ſtulti fuerunt ipſi. Nam & contra hoc dicit Moyſes ad filios Iſraël, quod ſiquando Deum ad iracundiam provocarent, vt eos inter gentes captivos diſpergeret, ſi tamen noviſſimo etiam revertentes eum quærerent, procuIdubio invenirent. Moyſes. Quandoquidem & hoc & illud contradicis, tu ergo quando & qualiter inveniri Deum vel prope eſſe aſſeris? Petrus. Inventus eſt ſane Dominus & prope, cum de ſancta virgine carnem aſſumpſit, & inter nos præſentialiter habitavit, & tunc quidem propheta quæri eum & invocari præcepit, cum dixit, *quærite Dominum*, &c. Nam & hoc ſpiritu ſancto revelante futurum eſſe prævidit, vnde & in ſequentibus addidit. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum*, videlicet ne de eo inique cogitarent, aut Deum eſſe eum propter aſſumptam carnem dubitarent, imo fideliter crederent, nam & fides in ſola cogitatione eſt. Et cogitatio hominis diverſa quidem eſt à cogitatione Dei. Vnde & ſequitur: *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque via mea via veſtra dicit Dominus*, ac ſi diceret. Ne cogitetis quia quod videtis & auditis, filium ſcilicet ſine patre carnali contra vſum eſſe ſciatis, aliter namque ego, & vos aliter cogitatis. Vos enim non niſi corporaliter, ego vero ſpiritualiter. Aliter etiam incedo ego, & vos aliter inceditis. Vos namque viam niſi quæ in vſu eſt non noviſtis, ego vero quoque illam novi quæ eſt contra vſum, & quæcunque volo efficere poſſum. Et hoc eſt, *ſicut exaltantur cœli à terra*, &c. Quod autem ſequitur, *quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panē comedenti,*

Marginal notes (left column): Peccatoris fragilitas pulchre deſcribitur. — Matt. 3. Matth. 12. — B Eſa. 42. — Ezech. 18. Matt. 13. — Ioan. 13. Mors Chriſti, C tranſitus quidam fuit. — Apoſtoli gētes legē Chriſti docuerunt. Mar. 16. Matt. 28. — Eſai. 42. — Eſa. 48. — 1. Pet. 1. — Luc. 1. Eſa. 7. — D Matth. 2. Ioan. 8. Luc. 4. — Ioan. 18. — Ioan. 1. Cæcorū oculos aperuit Chriſtus. Luc. 1.

Marginal notes (right column): E Eſa. 55. — Invenitur Dominus quando F & quomodo. — Eſa. 57. — Pœnitentibus Dominus prope eſt. — G De miſericordia Dei Iudæi deſperant. Exod. 34. Deut. 32. — Eſa. 55. Quærendus H Dominus quando. — Fides in cogitatione eſt. Ioan. 17.

A

& ſic erit verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, hoc utique addidit, ut per viſibilium ſimilitudinem rerum oſtenderet, quod in Deitatis ſubtilitate tam plane videri non poſſet, & dixit. Sicut pluvia cum de cœlo deſcendit non revertitur rurſus in cœlum, priuſquam terram molliat, fœcundare & germinare faciat, ſic &

Officia filij Dei in mundo expedienda.

verbum meum quod egredietur de ore meo, id eſt, filius meus quem in mundum ut carnem accipiat ſum miſſurus, ad me vacuus non redibit, quin priuſquam redeat, quæcunque volam efficiat, hoc eſt, ſicut diſpoſui, carnem aſſumat, flagelletur, moriatur, de inferno ſuos eripiat, ac reſurgat, & legem quæ clauſa eſt minus intelligentibus aperiat. Quod ſi de verbo ſuo, id eſt, de ſermone ſuo Deus ſe dixiſſe intelligi voluit, quod ait, *verbum meum quod egredietur de ore meo*, non

B

Verbum quod de ore patris egreditur filius Dei eſt.

utique addidiſſet, *non revertetur ad me*, &c. Neque enim verbum, id eſt, ſermo poſtquam ſemel de ore egreditur, ad os ultra revertitur. Per hoc igitur aperte oſtendit, quod de filij perſona verbum meum dixit. Moyſes. Iam ex verbis tuis innuitur, quod nix & imber poſtquam de cœlo emittitur, in cœlum rurſus revertitur. Petrus. Verum eſt. Moyſes. Vellem modo mihi oſtendi, qua id poſſit ratione comprobari. Petrus. Scrutari ſane prius debes unde nubes proveniant atque imbres, & ſic facilius quod modo quæris invenies. Moyſes. Illud precor mihi manifeſtes. Petrus. Videndum itaque tibi eſt ô Moyſes, quia ſole ſuper mare & ſuper terram recta linea exiſtente, de mari quidem vapor humidus, de terra vero conſurgit ſiccus, ſed & ſurſum conſcendit per

Nubes unde oriantur.

calorem ſolis, ſicut & fumus aquæ per fervorem ignis, qui vapores duo cum ſurſum veniunt, altero alteri mixto, ex ſe nubes denſas conficiunt. Nubes autem cum circiter miliaria X V I. in altum erepſerint, aërem ibi frigidum reperiunt, unde iam altius tranſire nequeunt, & ſic rurſus in terram decidunt, & ex illis imbres pro-

C

Imber unde proveniat.

veniunt. Fecit autem Deus montium concavitates, ut ibi quaſi theſauros quidam receptarentur imbres. Fecit & in ipſis montium extremitatibus imis foramina quædam parua, per quæ paulatim derivatur aqua, quæ ſicut in theſauro tenebatur abſcondita, & hi ſunt fon-

Fontium origo.

tes, ex quibus univerſa proveniunt flumina. Quibus fluminibus univerſi nutriuntur piſces, prata, & vineæ

Aquæ utilitas.

irrigantur, & ſegetes, hominum, & animalium adaquantur greges, villulæ præterfluuntur, & magnæ urbes. Huius autem argumentum rei eſt, quod deficiente pluvia,

3. Reg. 17.

fontes ſiccantur & flumina, ſicut in libro Regum tertio invenimus, dicente Helia: *Poſt dies autem aliquantos ſiccatus eſt torrens, non enim pluerat ſuper terram.* Flumina vero poſtquam ſuper terram diutius cucurrerint ad pelagus tandem deveniunt ac marinis fluctibus ſe componunt, & ſic vapor maris ſurſum ut ſupra diximus reaſcendit, & ex ſe iterum nubes conficit, & huius aſcenſus vel deſcenſus finis non eſt nec unquam fuit, ex quo mundum Deus compoſuit, ſed nec erit, quamdiu rerum creatori placuerit, teſte Salomone, qui

Eccl. 1.

dicit in Eccleſiaſte: *Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Moyſes. Auctoritates quidem

D

ex libris prophetarum multas adduxiſti, & eas ſecundum voluntatem tuam explanaſti, ſed vellem unam ſaltem mihi patentem oſtendi, per quam quod intendis manifeſte poſſit approbari. Petrus. Non eſt profecto

Ad credendum Iudæi tardi.

nova cordis tui & tui ſimilium duritia. Neque enim etiam credebatis, cum manifeſte & ſine allegoria prophetæ loquebantur vobis, quare mirum non eſt, ſi tibi ſurda videntur meæ verba explanationis. Veruntamen ut omnes occaſiones & obiectiones tuas præcidam, iam

Eſai. 52.

de ipſo Eſaia auctoritatem unam patentiſſimam tibi dicam. Dicit enim ipſe Eſaias: *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur & elevabitur, & ſublimis erit valde. Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum. Iſte aſperget gentes multas. Super eum continebunt reges os ſuum, quia quod non eſt narratum eis viderunt, & quod non audierunt contemplati ſunt. Quis credidit auditui noſtro, &*

E

Eſai 53. Rom. 10.

brachium Domini cui revelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum & non erat aſpectus eius, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & cognitum infirmitate, & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, unde & nec

1. Pet. 2.

reputavimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtro ipſe portavit. Et nos putavimus eum quaſi plagatum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit, & Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum. Coactus eſt & afflictus, non aperuit os ſuum. Sicut agnus ad occiſionem

F

Hier. 11. Act. 8.

ducetur, & quaſi ovis coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia & de iudicio ſublatus eſt. Generationem eius quis enarrabit? Quia diviſus eſt de terra viventium. Propter ſcelus populi mei plagatus fuit, & dedit cum impiis ſepulturam ſuam, & cum divitibus mortem ſuam, licet iniquitatem non fecerit, neque dolus fuit in ore eius, & Dominus voluit conterere eum, & infirmari Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen, & elongabitur tempus, & voluntas Domini

..Pet 2.

in manu eius dirigetur. Ex labore animæ ſuæ videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua iuſtificabit iuſtum multis, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo eum participare faciam in plurimis, & cum fortibus dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis computatus eſt, & ipſe peccatum multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogabit. Multum ſane in iſta ô Moyſes ſuper omnes alias laboravi prophetia, ut iuxta quod apud vos eſt, illam inducerem, in quo etiam beati Hieronymi licet veram deſerui tranſlationem. Hoc

Hieronymus.

autem feci, ut occaſiones tuas omnes auferrem. Quam quia Chriſto applicamus, & tu forſitan non concedis, velim dicas de quo illam dictam eſſe intelligis. Moyſes. Doctorum profecto quidam noſtrorum

G

Hier. 11.

eam de Hieremia dictam eſſe aſſerunt, quia flagellatus, verberatus, & incarceratus fuit, & multa alia

4. Re. 23.

quæ enumerare longum eſt mala pertulit. Secundum alios vero de Ioſia rege intelligimus, qui cum vir ſanctus eſſet & iuſtus, pro peccatis non ſuis, ſed populi eſt interfectus. Petrus. De neutro certe iſtorum poteſt eſſe. Neutri namque prophetiam totam poteris applicare. Nam ſi de Hieremia intelligis, Hieremias quidem flagella, carcerem, & multam afflictionem ſuſtinuit, ſed nec occiſus fuit, nec flagellatus conticuit, nec peccata noſtra tulit, nec cætera ipſi applicabis, de Ioſia vero nihil quod in prophetia habeatur potuiſſe dici invenies, præter id quod & ſanctus, & pro populi ſcelere fuit interfectus. Moyſes. De quo ergo prophetiam dictam intelligis, cui partes eius omnes applicare poſſis? Petrus. De Chriſto. Quod enim dixit, *ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur & elevabitur, & ſublimis erit valde*, nos quidem novi-

H

Opera Chriſti mira & ſtupẽda. Ioan. 9.

mus quia Chriſtus & Dei ſervus & magni fuit intellectus, & ſuper omnes ſervos Dei ſublimis & exaltatus. Cuius & opera mira fuerunt ac ſtupenda, & nunquam gloriæ fuit ſibi cura. Et hoc eſt, *ſicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic ingloriosus erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.* Sequitur: *Iſte aſperget gentes multas.* Et Dominus quidem Chriſtus Iſraëliticæ genti quaſi pluviam magnam pluit,

Ioan. 1.

cum inter eos tanquam *in propria venit*, & eis opera & magnalia ſua oſtendit. Alias autem gentes multas aſperſit, quia eas non ſignorum præſentia, ſed eorum auditu & fama quaſi rore quodam de longe irrigavit, & omnes ſtupidos ac præ admiratione taciturnos reddidit. Vnde eſt: *Super ipſum*

Luc. 2.

continebunt reges os ſuum, quia quod non eſt narratum eis viderunt, & quod non audierunt contemplati ſunt, ſicut Iudæis narratum fuit de eo, & audierunt. Quod & ipſe propheta admirans, ait:

A

Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? Ac ſi diceret. Adeo ſunt miranda quæ prædico eſſe ventura, quod vix erit qui iudicet eſſe credenda, ſcilicet quod brachium Domini debeat revelari, id eſt, filius eius debeat incarnari, & ſic per aſſumptam carnem mundo viſibiliter oſtendi. *Et aſcendet*, inquit, *ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Videmus quidem quod de terra ſitienti, id eſt, de terra arida, neque virga, neque radix ſine humore poſſit procreari. Humor enim quaſi mas eſt ipſius ſoli. Chriſtus autem quaſi radix aut virgultum de ſicca terra coram Domino aſcendit, cum de carne virginis ſine maris copula Deus pater eum progenuit. Quod autem addidit, *non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum,* ad oſtendendam humilitatem ſuam addidit, & pompæ mundanæ contemptum. *Eum*, inquit, *virum dolorum.* Vir ſine dolorum fuit ipſe, quia nec in infantia, vel pueritia, nec in iuventute, malevolorum inſidiis caruit, ac labore, vnde & maioris famæ fuit, & maioris noticiæ, quod eſt *cognitum infirmitate.* Hic namque per infirmitatem iſtam nil aliud propheta intelligi voluit, quam miſerias & labores, quos ſecundum carnem in mundo Chriſtus ſuſtinuit. Sequitur: *Quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputavimus eum.* Quaſi abſconditus Chriſti vultus fuit, quia, & ſub eius carne deitatis ſplendor delituit, & impetentibus ſe reſiſtere cum poſſet noluit, quare deſpectus, & non reputatus, id eſt, non appreciatus fuit. Et *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit,* cum dolores atque ſupplicia quæ noſtris debebantur ſceleribus, ipſe ſuſtinuit. *Et nos putavimus eum quaſi plagatum & percuſſum à Deo & humiliatum*, quod eſt, putavimus quod plaga, id eſt, flagellum illud & percuſſio, & depreſſio illa ſibi contingeret ob ſeipſum, ſed nequaquam. Et hoc eſt quod ait: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Et *diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*, id eſt, diſciplinam & correctionem quam vt pacem haberemus paſſuri eramus, pro nobis ipſe ſuſtinuit, vt miſericors & benignus. Vnde ſequitur, quia *livore eius ſanati ſumus*, livore ſcilicet flagellorum & vulnerum, quæ pro nobis eſt perpeſſus. Item ſequitur: *Omnes nos quaſi oves erravimus, & vnuſquiſque in viam ſuam declinavit.* Oves quippe ſimplicia & ſtolidiſſima ſunt animalia, & vaga. Et *nos ſtulti quaſi oves erravimus*, quia ipſum quis vel qualis eſſet non novimus, *vnuſquiſque autem in viam ſuam declinavit*, hoc eſt, doctrinæ illius vix vllus credidit, ſed ſuam veterem quiſque retinuit. *Et Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum*, id eſt, originale peccatum, quo irretimur omnes, per eum, id eſt, per baptiſmum quem ipſe dedit Dominus condonat & abluit. *Coactus eſt & afflictus, & non aperuit os ſuum, & ſicut agnus ad occiſionem ducetur, & quaſi ovis coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Hoc totum explanatione non indiget, imo omnibus eſt manifeſtum. Chriſtus namque ante Pilatum adductus, falſóque accuſatus, verberatus, etiam & colaphis cæſus, conticuit, & ipſi Pilato pluribus eum interroganti, verbum vix aliquod reſpondit. Sed quod ſequitur: *De anguſtia & iudicio ſublatus eſt*, per endiadim dicitur. *De anguſtia* enim, inquit, *& iudicio*, pro de anguſto iudicio. Et nos quidem anguſtum iudicium, iudicium vocamus iniuſtum. Chriſtus vero de anguſto iudicio ſublatus eſt, id eſt, per anguſtum & iniuſtum iudicium, cum nihil deliquiſſet captus eſt. *Generationem eius quis enarrabit?* Hoc vtique de divina generatione quæ inenarrabilis eſt & ineffabilis, protulit, & per hoc eum futurum fore Deum oſtendit. Vnde & ſequitur: *Diviſus eſt de terra viventium. Propter ſcelus populi mei plagatus eſt*, idem eſt quod ſuperius dixit, *ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et dedit cum impiis ſepulturam ſuam, & cum divitibus mortem ſuam.* Cum impiis & divitibus idem eſt. Divites quippe huius mundi, pene omnes impii ſunt. Apud Iudæos autem erat conſuetudo, impios & pro aliquo ſcelere ſuo interfectos, extra communionem hominum ſepeliri cæterorum. Et Chriſtus & cum impiis, id eſt, cum latronibus eſt crucifixus, & mortuus, & extra communem ſepulturam ſepultus, *licet iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius*, ſed ita voluit Dominus, ſicut ſcriptum eſt in ſequentibus: *Et Dominus voluit eum conterere & infirmari*, id eſt, pati. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen*, &c. Scimus, profecto quod antiquitus ſcriptura ſacrificium quod pro peccato fiebat, peccati nomine appellabat. Vnde & hic Propheta dicit: *Si poſueris* Domine *animam tuam*, id eſt, animam Chriſti, *pro peccato*, id eſt, pro peccati ſacrificio, hoc eſt, ſi pro peccato noſtro ſacrificabitur, *ſemen videbit*, id eſt, ſemen magnum, & hæredes multos habebit. Et Chriſtus per ſacrificium corporis ſui, & mortem ſuam, ſemen magnum vidit, & hæredes permultos, & elongatum eſt tempus, & voluntas Domini in eo completa fuit, *Ex labore animæ ſuæ videbit, & ſaturabitur.* Ac ſi diceret: Adeo laborabit anima ſua, quod cum videbit laborem illum quia tantus fuit, ſaturabitur, id eſt, nimius ſibi videbitur, ſicut hodie etiam dicitur, tantum pertuli mali & anguſtiæ, quod ſatur effectus ſum inde. Et Chriſtus anguſtias & labores nimios ſuſtinuit. *In ſcientia ſua iuſtificabit iuſtum multis*, hoc eſt, per ſcientiam ſuam eum qui eſt iuſtus oſtendet multis iuſtum eſſe Dominus. Chriſtus autem & iuſtus fuit, & eum iuſtum eſſe Dominus multis oſtendit. Sed & quod ſequitur, *& iniquitates eorum ipſe portabit*, idem eſt, quod ſuperius dixit, *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Ideo*, inquit Dominus, *participare eum faciam in plurimis, & cum fortibus dividet ſpolia.* Et Chriſtus in plurimis participavit, quia de plurimis gentibus crediderunt in eum multi. Et cum fortibus ſpolia diviſit, quia cum principibus inferni qui mundum iſtum ſpoliaverant, quaſi prædam partitus, partem ſuam aſportavit, quando eos qui ipſum venturum eſſe crediderant, inde eripuit. Sequitur: *Pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam.* Cauſam ſane repetit, quare in plurimis participavit, videlicet quia ex nimia pietate ſua pro mundi redemptione mori ſuſtinuit. Item ſequitur. *Et cum ſceleratis computatus eſt.* Et Chriſtus, ſicut prædiximus, cum ſceleratis eſt computatus, quia cum latronibus eſt ſuſpenſus. *Et ipſe peccatum multorum*, non omnium *tulit*, quia non omnes, ſed multos ſalvificavit. Item ſequitur: *Et pro tranſgreſſoribus rogabit.* Chriſtus autem pro tranſgreſſoribus rogavit, quando pro crucifigentibus ſe oravit dicens: *Pater dimitte eis, non enim ſciunt quid faciunt.* Quia igitur ô Moyſes & tempus & alia omnia quæ de Chriſto prophetæ prædicarunt, in eo quem ipſum fuiſſe credimus, ſed & in verbis eius operibúſque patuerunt, patet revera eum iam veniſſe, nec debes iam inde vlterius dubitare. Moyſes. Satis intelligo quod dixiſti. Sed ſi ita eſt, cur cætera omnia quæ de Chriſto in prophetis ſunt conſcripta, in iſto quem dicitis veniſſe homine, non ſunt completa? Petrus. Quæ? Moyſes. Dicit quippe de Chriſto idem Eſaias: *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Et hæc quidem nondum completa ſunt, quæ poſt Chriſti adventum proculdubio complebuntur. Vſque hodie enim gentes ad invicem præliantur. Petrus. Tu quod dicis quomodo dictum ſit non reſpicis. Neque enim illud quod eſt, *conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, & non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium*, non inquam illud dixit propheta, quid facturæ ſunt gentes enarrando, ſed quid præcepturus ſit Chriſtus oſtendendo, quemadmodum & alibi Zacharias dicit de ipſo:

Iſa. 53.

B

Chriſtus in labore ... à iuventute fuit.

Miſerias & labores Chriſti ...

C

1 Petr. 2.

Oves animalia ſunt ſimplicia & vaga.

Baptiſmo à peccatis abluimur.

Ioan. 3. Tit. 3. Epheſ. 5.

D

Accuſatus verberatus Chriſtus cōticuit. Evangeliſtæ quatuor Chriſti paſſionē conſcribunt.

Ioan. 19. Luc. 23.

E

Divites huius mundi. Matt. 19. Luc. 18. 1 Timo. 6.

1. Pet. 2.

Peccati aliquando ſacrificiū pro peccato appellatur. Oſee 4. 2. Cor. 5.

F

Doloribus Chriſtus ſatur fuit.

G

Zac. 9.

Luc. 23.

H

Eſai. 2.

A
Zach.9.
Ioan.14.

ipſo: *Et loquetur*, inquit, *pacem gentibus*: Sicut enim hic de eo quod pacem ſit præcepturus, dictum eſſe intelligimus, ita & ibi: Quam cum & ipſe præceperit, ſi completum non eſt, culpa eius nulla fuit. Moyſes. Dicit enim Hieremias: *In diebus illis*, id eſt, Chriſti, *ſaluabitur Iuda & Iſraël habitabit confidenter.*

Hier.23.

Sed & hoc quoque nondum eſt completum, quod poſt hominis illius quem Chriſtum dicitis, compleri debuit, ſi Chriſtus eſſet, adventum. Iuda namque & Iſraël, adhuc in miſeria & captivitate eſt. Petrus. Promiſſio ſane iſta ò Moyſes eis duntaxat eſt facta, qui de Iſrael credituri erant atque Iuda, vnde & in incredulis non eſt completa, quemadmodum populo Iſrael de Ægypto educto, quidam quia peccaverunt & à præceptis Domini receſſerunt, terram promiſſionis non intraverunt, quam promiſit Dominus Moyſi dicens: *Deſcendi vt liberarem eum de manibus Ægyptiorum, & educerem de terra illa in terram bonam & ſpecioſam*, imo omnes in deſerto mortui ſunt.

Pſal.94.
Exod.3.
Num.14

B

Moyſes. Item aliud, quod nondum completum, quod in adventu Chriſti prophetauit Iſaias eſſe futurum. Ait enim, *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, Vitulus, & leo, & ovis, ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos, vitulus, & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.*

Eſai.11.
Eſai.65.

Petrus. Stultiſſime omnium ò Moyſes intelligis tu iſtam ſimpliciter, vt poſita eſt, prophetiam? Moyſes. Etiam. Petrus. In eo nempe cordis tui patet inſcitia. Si enim vt dicis lupus pacem non habeat niſi cum agno, nec pardus niſi cum hœdo, nec leo niſi cum ove & vitulo. Quid proderit talis confœderatio? Inquietabit namque & lupus hœdum, & leo agnum, & pardus ovem, ac vitulum. Moyſes. Quomodo ergo illam intelligis? Petrus. Nos ſane per beſtias illas quæ rapina & carne viuunt, impios homines intelligimus, & raptores, per reliquas vero pecudes, manſuetos ac ſimplices, & de illis dixit Propheta quod Chriſtus eos ſimul habitare ac pacem habere præciperet.

Homines aliqui beſtiarum natura deſignantur.

Quod autem hoc de hominibus intelligi voluerit, in ſequentibus inſinuat propheta, cum ſubiungit, *quia repleta eſt terra ſcientia Domini.* Neque enim hoc propter pecudes dixit, quæ cum nec animam habeant rationalem, nec Domini ſcientiam habere poſſunt, id eſt, Domini cognitionem.

C

Sed ad huius veſtræ ſuper prophetam iſtam intelligentiæ deſtructionem, dixerunt doctores veſtri nullam inter tempus modernum & tempus Chriſti futuram eſſe diſtantiam, niſi quod eius tempore captivitatem omnem exibitis atque miſeriam. Moyſes Ecce item & aliud Eſaiæ quod nondum ſcimus completum eſſe. Dicit ſiquidē & ipſe. *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierū, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui.*

Eſa.30.

Petrus. Non eſt gens in toto mundo ſtolidior vobis, qui putatis quod corpus vel lumen lunæ Deus augeat ſiue ſolis. Sol enim ſi quantus nunc eſt maior tantum eſſet dupliciter, totum profecto mundum combureret, ne cum ſi ſeptempliciter. Quod ſi & lumen eius ſeptempliciter maius eſſet, oculos vtique noſtros nimio ſplendore obtunderet. Lunæ etiam lumen ſi ſplendore ſolis par fieret, nemo iam vltra quieſceret, ſemper etenim dies eſſet.

Solis ſplendor ſeptempliciter maior erit quomodo intelligatur.

D

Per lunaris igitur lucis ſive ſolaris augmentum, voluit propheta intelligi fidem & gloriam in Chriſtum crediturorum. Ac ſi diceret. Fides illorum & gloria multipliciter maior erit & perlucidior quā modernorum. Et quod non de luna vel ſole iſto viſibili, ſed de Chriſtianorum credulitatis gloria & ſplendore Propheta loquatur, in ſequentibus teſtatur cum ſubiungit: *Non erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit tibi, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam, & non occidet vltra ſol tuus, & luna tua non minuetur, quia Dominus erit in lucem ſempiternam*

Eſa.60.

Nam ſi de ſole vel luna proprie diceret, hoc quidem quod dicit, *non erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te*, illi quod ſupra dixerat contrarium eſſe, *erit* ſcilicet *lux ſicut lux ſolis, & erit ſeptempliciter.*

E

Patet igitur quia de ſplendore & gloria fidei ſanctæ Eccleſiæ propheta hic loquitur, quod & ex conſequentibus deſignatur, cum ſubditur, *ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.*

Eccleſiæ fides ſolis ſplendore ſignificatur.

Ac ſi diceret: Nequaquam vlterius luce credulitatis veſtræ huius, quæ ſimilis eſt ſolis iſtius tranſitorij, vel lunæ indigebitis fulgoribus, gloria quippe lucis ſuæ vos æternaliter illuminabit Dominus. Sed & quod ſequitur, *non occidet vltra ſol tuus, & luna tua non minuetur.* Si hoc, inquam, ita ſimpliciter, intelligeretur, ſcilicet vt ſolis ſplendor vel lunæ foret continuus, non eſſet iam dies vel nox, menſis vel annus, quæ omnia ex ſolis ac lunæ proveniunt viciſſitudinibus. Ergo non immerito de luce & gloria fidei noſtræ quæ neque minuetur nec occidet, ſpiritualiter dictum intelligimus. Moyſes. Quid eſt etiam quod adhuc dicit Eſaias, *tunc videbis & affiues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando converſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, inundatio camelorum operiet te, Dromedarij Madian, & Effa, & omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes?*

Eſa 60.

F

Hæc enim etiam nondum ſunt conſummata. Petrus. Conſummata ſane fuerunt tempore templi ſecundi, quod fabricauit Ezra ex præcepto Cyri, teſte Aggæo Propheta, qui ait, *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Ad huc modicum eſt, & ego commouebo cœlum & terram, mare & aridam. Et mouebo omnes gentes, & venient deſiderata cunctarum gentium, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Aggæi 2.

Et quippe quæ ibi dixerat Eſaias fore ventura. Aggæus quidem in templo quod iam tempore ſuo reædificari cœperat, innuit eſſe complenda. Moyſes. Poteſt equidem eſſe vt dicis. Petrus. Sed dic ô Moyſes, quid eſt quod ait Aggæus, *magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ?* In quo enim domus nouiſſimæ maior fuit quàm primæ gloria, cum in nouiſſima non fuerint illa precioſa inſignia, quæ fuerunt in prima? Nam neque arca Domini fuit in ſecunda, nec rationali vſi ſunt in ea, nec venit ibi ignis de cœlo qui combureret holocauſta, nec fuit tunc temporis vnctus aut propheta, & alia item quam plurima.

G

Moyſes. De hoc vtique neſcimus, niſi quod à doctoribus noſtris audiuimus, ſed & ipſi nihil aliud dixerunt, niſi quod domus ſecunda X. annis permanſit diutius quàm prima. Petrus. Hæc profecto nulla eſt gloria. Moyſes Ergo Aggæus proculdubio eſt mentitus. Petrus. Abſit. Sed in hoc fuit magna domus nouiſſimæ gloria quam primæ, quod venit Chriſtus adhuc ea ſtante, cuius adventus maior fuit gloria, quàm illa ſupradicta omnia habuere.

Gloria domus nouiſſimæ qu[æ] ſit.

Sed & hoc ſi placet ſubtilius multo poſſumus intelligere, ſcilicet quod de eadem domo dictum ſit, *nouiſſima* atque *prima*, de eius videlicet principio & fine. Nam cum circa finem eius Chriſtus advenerit, per quem & in ipſa domo deitas habitauit, gloria vtique eius nouiſſimo pluſquam primo magna fuit.

Coloſ.2

H

Cuius Chriſti adventu omnia quæ & Eſaias dicit & Aggæus teſtatur, ſunt completa. Ipſo quippe adveniente, maris multitudo & terræ, ad eum eſt converſa, cœlum, tellus, & maria, ſunt commota. Commota inquam ſunt, id eſt, cœli & terræ & habitatores exultarunt, & vndecunque Hieruſalem oblationes varias ad laudem ipſius Chriſti attulerunt. Moyſes. Quare iam amplius tibi obiicerem aliquid, cum tu auctoritates meas omnes ad tuam explanes voluntatem? Petrus. Habet veritas robuſtas, quibus innitatur, columnas.

F I N I S.

A

TITVLVS X.

Quod voluntate ſpontanea à Iudæis Crucifixus eſt Chriſtus, & occiſus.

MOYSES.

AD rem, Petre, volo nos redire & de aliis tuæ credulitatis partibus mihi quæſo reſponde. Cum itaque Chriſtum & hominem credas fuiſſe & Deum, cur ſe crucifigi paſſus eſt, nec ſe de manibus eripuit Iudæorum? Quomodo enim omnipotentiæ imminutum eſt imperium? Petrus. Bene quidem ſe tueri & ſervare ſi vellet potuit, ſed hoc ſponte ſua ob ſuorum ſalutem pertulit, licet carni quæ de mundo erat non placuit. Verbum enim Dei carnem ob aliud nequaquam caperet, niſi vt eos qui in ſe crediderant, & credituros, de diaboli captivitate liberaret. Moyſes. Ex hoc ſane tuo ſermone quæſtiones oriuntur multæ, prima quid ſit diabolus, ſecunda quare homo devenerit in poteſtatem illius, tertia, cur de manu eius homines liberaverit Deus, quandoquidem ipſos in eam decidere ſit paſſus, quarta, cur cum eos redimi voluit ſua hoc poteſtate non fecit, imo incarnari ac pati maluit. Petrus. Quoniam plura ſimul dixiſti, & de pluribus ſimul plene non poteſt reſponderi, quæras ſi placet de ſingulis volo, & quod inde ſentio reſpondebo. Moyſes. In primis igitur de diabolo quid ſit, audire deſidero. Petrus. Diabolus ô Moyſes ſubtilis quidem & ſpiritualis eſt res, & fuit olim vnus de bonorum ordinibus angelorum. Cuius ordinis duo de principibus Huza & Hazazel in Hebraica, Haroth vero & Maroth in lingua appellantur Arabica. Et hic diabolus peccato & iniquitate ſua aggravatus, & quaſi aliquantulum ponderoſior effectus, & ſic de ſummo cœlorum delapſus, paulo deſcendit inferius, & eſt hic infra firmamentum habitatio eius. Moyſes. Scriptum profecto apud nos eſt eſſe diabolos, & de principibus eorum Huza & Hazazel eſſe appellatos, ſed hoc vellem ego libenter audire, qua philoſophica ratione eos eſſe, vel quid ſint, poſſis oſtendere. Petrus. In primis igitur debes ſcire, artis illius quæ nicromantica appellatur, novem particulas eſſe, quarum quatuor primæ de quatuor tractant elementis, qualiter in eis operari poſſimus phyſicè, quinque vero reliquæ quemadmodum non niſi per invocationem malignorum operari quis poſſit ſpirituum. Illi autem maligni ſpiritus, diaboli ab hominibus appellantur. Moyſes. Verum hi forſan diaboli, nunquam boni vt dicis angeli, ſed ſemper ſpiritus fuerunt impij. Petrus. Non eſt vtique hoc verum. Neque enim Deus quicquam fecit niſi bonum, cum in veriſſima legatur ſcriptura, ***vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*** Sed quia malum elegerunt, ideo maligni effecti ſunt. Moyſes. Cum & argumento experimentali, & doctorum approbationibus diabolum eſſe noverimus, iam inde vlterius quin ſint, dubitare non debemus, nec vltra ſuper huiuſmodi quæſtione longo ſermone indigemus. De hoc igitur dimittamus, & cur in eius arbitrium homo devenerit inquiramus. Petrus. Quoniam ergo Deus Adam ad imaginem ſuam conditum & ſimilitudinem, ideóque inter creaturas excellentem, compoſitum creavit & ſimplicem: compoſitum quidem, vt mundum iſtum habitaret, ac ſuper eum poteſtatem imperiúmque haberet, diſſolutioniſque etiam ſuſceptibilis eſſe poſſet: ſimplicem vero, vt quando creatori placeret, ad cœleſtem Angelorum patriam, ſine carnis morte tranſiret, quoniam inquam eum talem Deus creavit, cum hoc vidiſſet diabolus, qui in hoc aëre inferiori prope terram habitabat, invidit, & eius damnationem provt potuit perquiſivit, quin & vt Dei præceptum tranſiret, & de fructu vetito comederet, cordi eius inſpiravit, propter hoc vt de dignitate ſua concideret, quemadmodum & ipſe concidit. Moyſes. Priuſquam aliud dicas, mihi volo Petre reſpondeas, quid ſit quod Adam factum ſimplicem dixeris atque compoſitum, videtur namque eſſe contrarium, & tu etiam cum de reſurrectione diſputabamus mortuorum, corpus aliquod negaſti poſſe fore ſimplex atque compoſitum. Sed & aliud eſt contrarium, quod & mortis eum ſuſceptibilem dixiſti eſſe creatum, & talem, vt ſine morte, ad patriam tranſire poſſet angelorum. Per alterum namque mortalis, per alterum vero eſſe oſtenditur immortalis. Petrus. Scias quia animalia omnia de quatuor elementis ſunt compoſita. Quæ etiam ſe variarunt pro ipſorum varietate elementorum, in eorum compoſitione ſecundum qualitates & quantitates ſuas impariter adiunctorum, inde etenim diverſarum provenit diſſimilitudo ſpecierum. Quoniam vero ipſorum quibus componuntur elementorum, calor frigori, humiditas ſiccitati, inanitas ſoliditati, ponderoſitas levitati, & ſubtilitas obtuſitati repugnat, omnéſque reliquæ quæ in eis ſunt qualitates ſibi ad invicem contrariæ ſunt, ideo ex ipſis quoque compoſita ſemper mutantur, creſcunt videlicet atque minuuntur, caleſcunt & infrigidantur, cæteriſque accidentibus viciſſim afficiuntur. His autem qualitatibus ita altera ad alterius expulſionem tendentibus, ſi alia paulo ſupercreſcat, alia paulum deficiat, provenit ægritudo. Si vero vna vltra modum abundante, alia ita deficiat, vt ei contra ſtare nec parum valeat, connexa diſſoluuntur, adiuncta ſeparantur, compoſita deſtruuntur, & diſſolutio illa mors appellatur. Cum vero Adam Deus creavit, placuit ſibi creare eum talem, qui & mori & non mori valeret. Fecit ergo eum de elementis ſubtilioribus, & omnino æqualiter de omnibus, & hoc, vt & ipſorum qualitates vim aliquam ſe ad invicem ſuperandi aliquatenus non haberent. Taliter autem factus eſt, vt non mori ipſe potuiſſet, & ego eum ideo ſimplicem appellavi, & immortalem. Hoc modo quippe fuerat immortalis, quemadmodum & cætera ſimplicia immortalia ſunt omnia. Cuius rei manifeſtum quædam animalia tribuunt argumentum, quæ quia æqualius cæteris elementis condita ſunt proculdubio diutius viuunt. Quia vero de quatuor factus eſt Adam elementis, & quicquid ex eis fit ſuſceptibile eſt diſſolutionis, ideo dixi eum mortalem atque compoſitum. Moyſes. Placet quod dicis. Sed cum vt aſſeris & mori & non mori potuerit, quare mortalitas immortalitatem ſuperavit, ita quod vſque hodie omnis homo mortalis ſit? Petrus. Hoc eſt quod explanare diſpoſui, & hæc eſt cauſa cur in poteſtatem diaboli Adam devenerit. Cum ergo creatoris obedientiam tranſire cordi eius immiſit, ſuper eo cogitavit, poſtquam vero cogitavit, elegit, poſtquam elegit, optavit, poſtquam optavit, & fecit, cum autem fecit, peccavit, poſtquam vero peccavit, qualitatem quam habebat & ſic immortalitatem amiſit, & omnino vt compoſitorum natura eſt mortalitatem ſuſcepit, ita quod vlterius ab eo ſeparari non potuit, vnde & huiuſmodi diffinitionem recepit, quod rationalis & mortalis dictus fuit, quin & omnis qui de eius ſemine proceſſit, naturam eandem, & ipſe habuit. Eſt quippe iuſtum, vt ſi quid de alio prodeat, naturæ eius ſimilitudinem recipiat. Anima vero Adam cum ſubtilioris eſſet naturæ quam corpus, atque fortioris, quia peccato illi aſſenſum præbuit, & cum poſſet non reſtitit, omnis anima quæ corpori ex corruptione illa progenito ſe miſcuit, ob culpam illam cum de corpore exiret, cœli ſummitatem quod ſuæ erat naturæ tranſcendere iam nequivit, imo in inferiori aëre hic prope terram remanſit. Quem in locum quia ipſa quaſi advena devenit, civis autem erat diaboli, propter hoc diabolus ſuper eam poteſtatem habuit & deſiderium ſuum quod ipſe deſideraverat, completum fuit. Quia vero etiam Adæ

peccatum

Margin notes (left): B — *Ioan.* 1. — Diabolus quid ſit. — C — Dæmonis habitatio vbi ſit. — D — *Gen.* 1. — *Geneſ.* 1. — Adam quomodo creatus.

Margin notes (right): E — Homo quomodo in dæmonis arbitrium devenit. *Epheſ.* 2. — Adam creatus eſt vt poſſet nō mori. — F — G — Mortalis eſt omnis homo. — H — Homo primus quomodo mortalis factus. — Animæ cœlum clauſi.

A

Morte duplici peccatũ punitum eſt.

peccatum duplex fuit, ſpirituale ſcilicet & corporale, ſpirituale quidem, quia diabolo potius quam Deo credere, quod ad ſpiritum pertinet, & obedire elegit, corporale autem, quia ſe in vetiti fructus dulcedine, quod ſui eſt corporis delectauit, ideo ſane mortem carnis, & mortem animæ, pœnam ſcilicet duplicem ipſe ſuſtinuit Moyſes. Satis compoſite vt mihi videtur ordinateque egiſti, qualiter Adam propter peccatum ſuum, & ita omnis homo in arbitrium venerit diaboli. Sed & hoc mihi ſi noſti vellem aperiri, quare & quomodo ſecundum phyſicam propter præcepti tranſgreſſionem, eam quam in ſui compoſitione Adam habuerat, amiſerit æqualitatem. Petrus. Scias ergo quod Adam cum æqualiter de elementis omnibus factus eſſet, æqualem etiam affectuum temperiem habere debuiſſet, vt iræ & mœſtitiæ, comedendi atque bibendi, ac cæterarum, quarum nulla in homine ſuperabundat aut decreſcit, niſi ex elementorum ſuperabundantia, vel diminutione qualitatum.

B

Cum vero ei diabolus Domini ſui præceptum tranſgredi conſuluit, ipſe autem inde cogitauit, ita quod & facere elegit, nec anima vt poſſet prohibuit,

Affectuũ temper. & Adam peccato amiſit.

iam ex tunc peccare & æqualitatem ſuam exire incepit, quia temperiem illam amiſit, & quo non indigebat, imo ſibi vetitum fuerat, comedere exoptauit, & ſic gradatim vſque ad opus devenit, & comedit, & tunc omnino æqualitatem ſuam perdidit. Quod ſi in primis ita ſuper eo cogitaret, vt bonumne an malum eſſet, quod audiebat tantum inſpiceret, non etiam eligeret, proculdubio nec peccaret nec æqualitatem amitteret, verbi gratia, quemadmodum cum quis nec nimium lætus eſt, nec nimium triſtis, ſed in vtroque æqualis, ſi rumorem tunc talem audiat, quo & iraſci & non, ſi velit, valeat, ipſe vero ſuper illo ſic cogitauerit, vt etiam ægre ferat hoc quod audierit, colera quidem rubea de qua procedit ira, ex huiuſcemodi cogitatione in eo commovetur, & ſic ille caleſcit atque iraſcitur, & quo magis caleſcit, magis & colera movetur, donec omnino iraſcatur, & ſic mediocritas & temperies illa mœſtitiæ atque lætitiæ quam prius habebat deſtruitur.

Ira vnde proveniat.

Si vero de rumore illo ita quod eum non pigeat meditetur, nec colera movetur, nec ipſe homo caleſcit aut iraſcitur, nec ab eo temperies illa ſeparatur.

C

Geneſ. 3.

Moyſes. Hoc ſane credimus nos, quod & conſilio ſerpentis Adam peccauerit, & ex eius peccato omnis homo morti addictus ſit. Doctores namque noſtri multos fuiſſe viros atteſtantur, qui niſi ſerpentis conſilio & Adæ peccato nullatenus morerentur, de ſanctorum autem animabus quod ad infernum poſt mortem deſcenderint non credimus. Quare ſi inde aliquam auctoritatem habeas, mihi precor illam oſtendas. Petrus. Breuiter quidem tibi illud aperiam, ſed tamen nonnullas inde auctoritates manifeſtas inducam.

Limbus patrum ex ſcripturis oſtenditur.

Geneſ. 37.

In Geneſi namque de Iacob legitur, quod & filiabus ſuis ad conſolandum eum ſuper filio ſuo Ioſeph congregatis, noluit conſolari dicens: *Quia deſcendam ad filium meum lugens ad inferos.* Moyſes. Hoc ſane Iacob ſecundum corpus dixit. Per inferos enim terram, in qua ſepeliuntur omnes, intelligi voluit. Ac ſi diceret: Quouſque moriar? & in terra cum filio

D

meo ſepeliar, quin & in interitu ipſo ſemper lugebo. Petrus. Non eſt verum quod dicis. Sciebat enim quod filius ſuus in terra non erat ſepultus, imo putabat quod ab aliqua beſtia eſſet devoratus. Hoc ergo dixit ſecundum animam: *Quia ad filium meum lugens ad inferos deſcendam.* Ac ſi diceret: Quia mortuus eſt filius meus, moriar, & ad inferos vbi anima eius eſt, & omnes animæ mortuorum, lugens deveniam.

Pſal. 88.

Cœlum nulli patuit ante Chriſti mortem.

Quin & hoc teſtatur David in Pſalmo cum dicit: *Quis eſt homo qui viuet & non videbit mortem, & eruet animam ſuam de manu inferi?* Per hoc namque quo ait: *Quis eſt homo qui viuet & non videbit mortem*, innuit nullum eſſe qui non moriatur hominem, per hoc autem quod eſt, *& eruet animam ſuam de manu inferi*, inſinuat nullam tempore ſuo animam de inferni manu potuiſſe ſeruari.

E

Ezechias quoque vt in Eſaia legimus licet bonus homo & ſanctus fuerit, ſicut in oratione ſua teſtatur ipſe cum dicit: *Obſecro Domine memento quaſo quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim*, licet, inquam ſanctus fuerit, ad infernum tamen ſe deſcenſurum eſſe oſtendit, cum in ſequentibus dicit, *ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.*

4 Re. 20.

Eſai. 38.

Moyſes. Si ita eſt vt aſſeris, tunc & patriarcharum animæ & prophetarum, cæterorumque ſanctorum omnium ante mortem illius, quem Chriſtum dicitis, defunctorum, vna cum animabus impiorum in loco vno demoratæ ſunt. Petrus. Verum profecto eſt, quod in obſcuritate omnes ac tenebris, ſed non erant omnes in locis pœnalibus, ſive ſuppliciis, nam iuxta merita ſua retribuebatur ſingulis. veruntamen omnes in inferno & ſub iure erant diaboli. Nullus enim mortuus ab Adam vſque ad mortem Chriſti clauſtra deuitauit inferni, & hoc percipimus ex verbis Moyſi, qui cum filios Iſral admoneret facere præcepta Domini, & eis prædiceret quæ inde præmia eſſent habituri, nihil vnquam de beatitudine pollicitus eſt paradyſi.

Moyſes legẽ ſeruantibus nihil de beatitudine Paradyſi promiſit.

F

Notum enim iam ex tunc fuerat omnibus neminem illuc eſſe intraturum ante mortem Chriſti. Moyſes. Non ob hoc opinor quod dixiſti de Paradyſo loqui Moyſes diſtulit, ſed agnouit quia magis vel his viſibilibus bonis quæ ſummopere exoptabant, ad obediendum Dei præceptis admonere, vel præſentibus malis laboribuſque quos timebant, ab iniquitatibus ſuis poſſet abſterrere, quàm ſi de futuris ſuppliciis prædiceret, aut cœleſti quam neſciebant beatitudine. Petrus. Praua eſt iſta tua opinio. Nam ſi & de duplici præmio, & de duplici cum eis ageret ſupplicio, tanto magis & ad malum fugiendum, & ad bonum admoneret amplectendum. Preterea autem ſi vis oſtendam tibi ſecundum tuam ipſius credulitatem, ſanctorum animas in inferno fuiſſe, & ſub diaboli iure, ante Chriſti mortem. Moyſes. Ego ſane nihil deſidero niſi veritatem. Petrus. In primis itaque quæro à te quo in loco fuerint ſanctorum animæ, cum eas in inferno credas nõ fuiſſe. Moyſes. In cœlo vtique fuere. Petrus. De hoc etiam quæſo reſponde, ſi vnquam vel legeris vel audieris, quouſque altius poteſtas eorum, qui in necromantica arte operantur, poſſit aſcendere. Moyſes. Vſque ad firmamentum tantummodo.

G

Petrus. Et poteſt illud aliquatenus tranſire? Moyſes. Mirum eſt quod quæris, cum non ſolum à ſapientibus, ſed & à vetulis in proverbio dictum eſſe audieris, tantum habes in hoc, quantum habet diabolus in cœlis. Petrus. Nunc igitur volo dicas quemadmodum credas factum quod in libro legitur primo Regum, Samuelem ſcilicet per mulierem quæ phitonem habebat ſuſcitatum, verum ne enim fuit ſive fantaſticum?

1. Re. 28.

Samuel an verè regi Sauli apparuerit.

Moyſes. Multis modis profecto verum oſtenditur, vno quidem quod inde patenter loquitur, qualiter ſcilicet de terra aſcenderit, qualis forma eius, ætas, veſtimentumque fuerit, & quomodo ex parte Dei omnia quæ Saul quæſivit, veraciter ipſe reſponderit, & quicquid dixit, falſum inde quicquam non fuit, alio vero, quod Saul in poteſtate mulieris eſſe ſciret, quod Samuelem ſuſcitare poſſet, vtique eum ſuſcitari non rogaret, tertio autem, quod doctores noſtri Deum Sauli peccatum ſuum in morte ſua aſſerunt condonaſſe, ex ipſius Samuelis ad Saulem ſermone.

H

Ex hoc enim quod dicit: *Cras autem tu & filij tui mecum eritis*, comprobant Saulem cum Samuele in locum deveniſſe quietis. Petrus. Verum ne an falſum fuerit, diutius diſputare non placet. Sed ſi ita eſt, vt aſſeris, qualis per artem necromanticam potuit ſuſcitari, ſi in cœlo eſſet? Quod ſi in cœlo non erat, proculdubio ſub diaboli iure, & in inferno quieſcebat. Moyſes. Bene mihi inſidiatus es, & bene me viciſti, ſatiſque huc vſque oſtenſum eſt, qualiter devenerit homo in manum diaboli. Sequitur ergo vt explanes, cur inde eum Deus eduxerit, cum decidere perpeſſus ſit. Petrus. Damnato igitur genere humano ex ſerpentis cõſilio, & primi parẽtis Adæ peccato, damna-

A

Pietate Deus motus homines à morte liberavit æternâ.

to inquam ac duplici vt diximus morte multato, quoniam fuerunt multi ſancti viri, qui nullo commiſſo ſuo in laqueum deciderant diaboli, niſi illo veteri peccato ac quaſi iam naturali, intuitus hoc generis conditor humani, pietate motus ac miſericordia, eos inde voluit liberari. Moyſes. Et cum, vt aſſeris, ſuper eos fuerit pietate commotus, quare eos ibidem tamdiu detineri eſt paſſus, videlicet ad illius quem Chriſtum appellatis tempus. Petrus. Non hoc ſane iuſtitia aliqua, ſed ſola fecit pietate ſua, ac ſimplici bonitate, & ſimplex quidem bonitas, vt in noſtræ collocutionis exordio diximus, nec menſuram nec terminum debet habere. Moyſes. Et quare, vt ſupra dixi, cum eos redimi voluit ſua hoc poteſtate non fecit, imo verbum ſuum incarnari ac pati maluit? Petrus. Quod hoc modo eos eripuit, ſapientia profecto perfectiſſima fuit, ſicut in aliis ſuis invenitur operibus priſcis. Cum enim quondam, ut ipſe noſti, populum ſuum Iſraël de Ægyptiaca captivitate pararet educere, Ægyptiorumque primogenita maligno ſpiritu vellet occidere, ſuus incolumes ſervare, agnum vel hœdum ipſos per domos ſingulas præcepit immolare, oſtia domorum inficere, vt veniens malignus ſpiritus domum illo tranſiret infectam ſanguine. Sed cum vellet eos ita cuſtodire, nonne poterat abſque hoc opere? Moyſes. Poterat vtique. Petrus. Quid ergo indiguit huiuſmodi liberatione? Moyſes. Sapientia ſane eius eſt, cauſam aliquam rebus ſingulis attribuere, per quam eas ad effectum velit producere, ſicut per agni vel hœdi ſacrificium ab illa morte voluit eos redimere, cauſas autem rerum illas, non poſſumus omnes percipere. Petrus. Arcana namque Dei adeo profunda ſunt, & inſcrutabilia, quod ea nullus poteſt penetrare. Quare ergo quærendo miraris, cur verbum ſuum incarnari Dominus ac mori pro redemptione miſerit hominis? Moyſes. Et cur eos non redemit ab illo Adæ peccato animalis cuiuſlibet immolatione, ſicut in lege præceptum eſt, pro peccato ſacrificari de aliqua pecude? Petrus. Stultiſſime omnium, vbi tot pecudes poſſet invenire? Quot enim fuerunt homines ab ipſius mundi origine, & futuri erant vſque in ipſius conſummatione, tot vtique pecudes immolari fuiſſet neceſſe. Præter hoc etiam peccatum illud quod & corpus occuparat & animam, rationabiliter deleri non poterat, niſi per ſacrificium quod & corpus haberet & animam. Moyſes. Cum igitur illud per ſacrificium tale redimi voluit, quare illud ſacrificium de propheta aliquo vel quolibet alio viro ſancto fieri non potuit, quin potius verbum ſuum carnem ſuſcipere ac mortem ſubire promiſit? Petrus. Quia hominem illum qui pro tanto ac tali peccato redimendo occumberet, ab omni eſſe delicto immunem neceſſe fuiſſet. Si enim non peccata propria, morte ſua redimere indigeret, hoc vero in aliquo qui tantum eſſet homo reperiri non poſſet. Natura enim corporis à peccato ſibi cavere non ſuſtinet, teſtante Deo in Geneſi, & dicente, quia inſidet mens hominis diligenter ad nequitias à iuventute. Dicit quoque & Salomon in Eccleſiaſte: ***Non eſt homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*** Ratio igitur & Dei ſapientia fuit, vt verbum ſuum corpus humanum acciperet, quod totius contagionis & peccati expers ſervaret, quatenus ipſum ita mundum & ab omni vicio purum, illud generale delictum redimere poſſet, & ipſum ab eo qui rerum eſt principium aſſumptum, primum omnium peccatum deleret, quin & vt ſine carnali patre progenitum, commiſſum eius qui ſine patre factus eſt auferret. Præterea vt Deus eos qui cum morte filij ſui à diaboli laqueo liberati eſſent, propria deinceps iniquitate in ipſum recidiſſent, in die iudicij rationabiliter damnaret. Moyſes. Cum illum quem Chriſtum dicitis pro redemptione humana voluntate ſpontanea occubuiſſe aſſeratis, cur eius interfectores condemnatis, & cum tantum voluntatem eius compleſſent, peccati reos aſtruitis? Petrus. Si ea vtique intentione feciſſent, ſcilicet, vt voluntatem eius complerent, & ipſius morte, de

Infernum: ... patres ...

Redemit ac liberavit Deus hominem non potentia ſed paſſionis morte.

B

Exod. 12

C

Levi. 4
Num. 5

1 Petr. 1
Eſai. 53
Redemptor humani generis à peccato totaliter alienus & mundus eſſe debuit.

D

Gen. 8. 6
Eccl. 7.

Iudei Chriſtū

E

occidendo quaſi peccarint

diabolj poteſtate exituros fore ſe crederent, nullum procul dubio peccatum incurrerent. Quia vero eum negauerunt, & ex invidia occiderunt, ideo & tanti huius ſceleris rei ſunt, & nec in præſenti ſeculo, nec in futuro, miſeriam ac tribulationem exibunt, quamdiu in hac ſua nequitia permanebunt. Quod autem & rei & merito ſint condemnati, per ſimile oſtendam tibi, & tu etiam ipſe rectum eſſe iudicabis. Moyſes. Ego ſane cum audiero, ſi rectum eſt, rectum iudicabo. Petrus. Habebat igitur homo quidam navim vnam, & erat voluntas eius comburere illam, vt & clavos ſeorſum haberet, & ſibi de lignis carbonem faceret. Hoc autem eo cogitante, quidam inimicus eius noctu ad navem venit, & neſcius voluntatis huius, odio eam combuſſit. Mane autem facto, homo prædictus vt volebat clavos quidem navis ſuæ in parte vna, in alia vero carbonem invenit. Item aliud: Erat domus quædam lapidea viro cuidam, quam cum deſtruere vellet, vt de lapidibus aliud quoddam ædificium faceret, forte quidam hoſtis eius ita die quadam deiecit, quod nec ſuper lapidem lapis remanſit, & hoc non pro illius quam neſciebat voluntate complenda, ſed per odium fecit. Vir autem prædictus, cum ad domum ſuam die altera veniſſet, quod facere cogitabat, & volebat, effectum repperit. Cum vero nec ille qui navim combuſſit, nec ille qui domum deiecit, pro voluntate hoſtis ſui complenda, ſed ex odio invidiáque fecerit, quid de eis iudicabis? Moyſes. Ego ſane & eos reos eſſe iudico, & puniendos. Petrus. Eadem ergo ratione rei ſunt, atque iudicandi, qui Chriſtum non pro eius voluntate complenda, ſed odij occiderunt invidiæque veneno. Moyſes. Proculdubio rei eſſent, ſi hoc modo quo dicis feciſſent. Nequaquam vero ſic fecerunt, imo iuſto eum iudicio occiderunt. Petrus. Et quam ei culpam imputarunt, quia eum morti addixerunt. Moyſes. Quia & magus fuit, & per artem magicam filios Iſraël in errorem miſit, & præter hoc filium Dei ſe vocavit. Petrus. Non eſt mirum ſi hæc & alia de eo dixerunt mendacia, licet ad redimendum eos ipſe advenerit. Hoc namque de eis Oſee prophetavit: ***Væ eis quoniam receſſerunt à me. Vaſtabuntur, quia prævaricati ſunt in me. Et ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia.*** Præterea tamen vbi tantum artis magicæ addiſcere potuit, vt per eam in vinum aquam converterit: de quinque panibus, hominum millia quinque refecerit, leproſos, hydropicoſque ſanaverit, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis verbum, cæcis quoque viſum reddiderit, & quod maius omnibus eſt mortuos ſuſcitaverit, aliáque quæ omnia enumerare longum eſt, miracula fecerit? Moyſes. Dicunt ſane doctores noſtri, quod in Ægypto eam addidicit. Petrus. Ex verbis igitur tuis in Ægypto tunc temporis fuiſſe comprobantur, qui opera eadem & ipſi operarentur. Moyſes. Poteſt eſſe. Petrus. Quare ergo opera eorum divulgata & audita non ſunt, quemadmodum & eius fuerunt? Quare etiam ſapientes Ægypti, doctrinam eius ac legem ſuſciperent, ſi eum magum eſſe agnoſcerent? Moyſes. De hoc tibi certe neſcio ego reſpondere. Neque enim de eis audivi, quod in eum unquam crediderint, nec quomodo, aut quando fecerint. Petrus. De his modo dimittamus, & opera eius ſingula inquiramus, vt an vel per artem magicam, vel per aliam phyſicam aliquam, an potius per virtutem Dei facta fuerint inquiramus. Moyſes. Bene dicis. Et ego etiam de minoribus inquirendis multum non curo. Si enim de maioribus oſtendetis, quod per virtutem Dei facta ſunt, de minoribus non dubitabo. Petrus. Sapienter loqueris. Et ego vt dicis ita & concedo, quare de quolibet primum inquirito. Moyſes. Primum omnium mihi, de leproſis qualiter mundati ſunt, & de cæcis qualiter illuminati, reſponderi volo. Petrus. Scias quia lepra vllatenus aliter quam vel per medicinam, vel per Dei virtutem curari non poteſt. Quod ſi per medicinam, vel per potiones interius, per vnctiones purgatur exterius. Cùm autem medicinam aliquam operari ab eo homo non vi-

Iudæos graviſſime peccaſſe, Chriſtū occidendo exemplis pulchre oſtenditur.

F

G

Oſee 7.

Ioan. 2.
Ioan. 6.
Luc. 18.
Luc. 14.
Matt. 9.
Marc. 7.
Ioan. 11.
Luc. 7.

H

Matth. 8.
Luc. 17.
Luc. 18.

Lepram verbo

A

Chriſtus curauit. Firmi nus ma gus.

derit, ſed eos verbo tantum, & in momento curaverit, patet profectò quod per virtutem Dei factum ſit. Moyſes. Nonne de Firmino mago legimus, quod leproſum vnum mundaverit? Petrus. Falſum ſane eſt quod eum curaverit: ipſe vero per magicam artem ſuam oculos hominum decepit, & quod in re non erat, videri effecit. Cuius rei argumentū eſt, quod æger poſt aliquod tēpus eandem ægritudinem recepit, & licet exterius cutem ſuam vt alij mundam aſpiceret, nunquam tamen vt ipſe dixit infirmitatem interius non ſenſit. Præterea autem nuſquam in tota necromantica legitur, quod per eam veraciter leproſus vnquam curetur. De cæcis autem, de eis qui cæci naſcuntur, contradicit phyſica, quod eos illuminare valeat medicina. Aſſitha vero magus teſtatur, quod per artem necromanticam, eis veraciter lumen non reddatur.

Aſſi ha magus.

Moyſes. Eſſe poteſt. Sed de mortuis quid dices, cum idem Aſſitha perhibeat, quod eos ſuſcitare & cum eis loqui homo poſſit, & in libro ſuo quo fieri valeat modum oſtendit, & ex alia parte in libro Regum legatur, vt diximus, qualiter per mulierem pythoniſſam Samuel ſuſcitatus ſit?

B

1. Re. 28.

Petrus. Verum profectò eſt, quia ſicut dicis Aſſitha teſtatur. Sed inter Dei opus & illud quod per artem magicam fit, in reſuſcitatione mortuorum, diſtantia ingens habetur. Mortui enim per magum aliquem ſuſcitati, vltra quam longa eſt vmbra ſua ambulare non poſſunt, ſed cum ad eius finem venerint, in terram mortui recidunt, qui autem per Dei ſuſcitantur virtutem, bibunt ac comedunt, quolibet & quantumlibet incedunt, & quamdiu Dei placitum eſt, vt cæteri homines viuunt, ſicut illi quos & Heliſeus & Helias ſuſcitant & Chriſtus.

Mortui mag. vt re ſuſcitare non poſſunt.

3. Re 17. 4. Reg 4. Luc. 7.

Moyſes. Cum huc vſque ſatis oſtenſum ſit, quod nihil per artem magicam imo per Dei virtutem vt prophetæ alij, homo ille cuncta patrauerit, dicas volo cur ſe non prophetam, ſed Dei filium vocare præſumpſerit. Petrus. Ideo ſane fecit, quia veraciter filius Dei fuit. Quod cum ſuperius auctoritatibus multis oſtenderimus, cum de ipſo quod Deus & homo fuerit ageremus, iam id vlterius probare non indigemus. Quod ſi etiam velis in anguſtam in de diſputationem veniamus, & ego tibi per rationem oſtendam, quod cum ſe Dei filium vocauit, veritatem locutus fuit.

Filius Dei Chriſtus Ioan. 1.

C

Ioan. 11.

Moyſes. Placet. Petrus. Qui itaque per virtutem operatur Dei, poteſt ne quicquam abſque ipſius Dei voluntate operari? Moyſes Neceſſe eſt, mihi videtur, quod qui per virtutem Dei facit aliquid, nullatenus niſi voluntate eiuſdem Dei illud operetur. Petrus. Et qui per virtutem Dei, & eius operatur voluntatem, nunquid non ſequitur, quod Dei amicus, & fidelis eius ſit ſeruus? Moyſes Vtique ſequitur. Nam hoc legendo invenimus, quod ſancti prophetiæ, qui miracula quondam fecerunt, Deo dilecti, eique fideles fuerunt, ſicut Moyſes, Helias, & Heliſeus, multique alij, qui in vita ſua miracula plura patrarunt.

Exod. 2. 3. 3. Re. 17. & 18. Eccl. 48. 4. Re. 2. 4. 5. 6.

Petrus. Et qui amicus dei & fidelis eius eſt, de Deo vel ex parte Dei falſo quicquam eum non dicere neceſſe eſt. Moyſes. Verum eſt. Petrus. Cum igitur Chriſtus vt ſupra probatum eſt & per Dei virtutem voluntatemque miracula fecerit, & ex hoc ſequatur, quod amicus eius ſeruuſque fidelis extiterit, proculdubio concluditur, quod de Deo vel ex parte eius falſo nihil vnquam locutus ſit. Quod cum ita ſit, veraciter ergo filium Dei ſe vocauit.

D

Ioan. 8.

Moyſes. Ratio eſt quod dixiſti. Sed hoc cum ſtupore admiror ego vehementi, quod cum tempore illo complures fuerint viri, intellectu magno ac ſapientia præditi, nequaquam eum talem fuiſſe perceperint. Quod ſi agnouerunt, quare fidem eius doctrinamque reſpuerunt, & eum crucifigendo, ſuarum damnationem animarum ſcienter incurrerunt? Petrus. Sanè ſicut prædiximus ex inuidia hoc fecerunt, quia videlicet per eum dignitatem ſuam ac famam amittere timuerunt. Et huic ſimile invenimus tempore Hieroboam regis Iſrael factum eſſe. Mortuo quippe Salomone, in duo diviſum eſt regnum eius, ſcriptura atteſtante, obtinuitque partem vnam filius eius Roboam, partem vero alteram ſeruus eius Hieroboam.

Inui ſia Iudæi Chriſti oc ſerunt. Ioan. 11. 3. Re. 12.

E

Accepto autem Hieroboam cum optimatibus ſuis conſilio, duos aureos fecit vitulos quos populus adoraret, ne ſi Hieruſalem ad orandum & ſacrificandum vt mos erat ſæpius aſcenderet, forſan aliquando ibidem remaneret, partique Roboam adhæreret, & ita dignitatem ſuam Hieroboam amitteret, ſicut eadem ſcriptura docet dicens: *Dixitque Hieroboam in corde ſuo. Nunc reuertetur regnum ad domum David, ſi aſcenderit populus iſte vt faciat ſacrificia in domo Dominū in Hieruſalem, & convertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam regem Iuda, interficientque me & reuertentur ad eum. Et cogitato conſilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra aſcendere Hieruſalem. Ecce dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti.*

3. Re. 12.

Cum autem & ipſe Hieroboam, & proceres ſui, ſapientia multa eſſent præditi, tum per Salomonem qui præceſſerat, qui omnium & præcedentium & ſequentium ſe, teſte ſcriptura, ſapientiſſimus fuerat, tum per pacem ipſius tempore Salomonis magna extiterat, quæ ad diſcendum ſapientiam, oportunitatem magna præſtat, patet profectò, quia ſicut diximus per invidiam & timorem regni ſui amittendi hoc fecerint. Mirari igitur non debes, ſi legis doctores & ſcribæ invidiæ veneno Chriſtum occiderint, cum per eum gloriam & dignitatem ſuam amiſſuros ſe eſſe timuerunt.

3 Reg 4.

F

Pax & quies ſapientiam præſtat.

Moyſes. Veriſimile eſt quod dicis. Veruntamen adhuc etiam miror vehementer, licet de eodem alibi quæſierim, miror inquam cum à Deo ſecundum quod dicis potens extiterit, cur ſe ſtatim non vindicauerit. Petrus. Hoc nempe ſua magna bonitate fecit & miſericordia. Et hoc percepimus nos ex verbis eius, dum in cruce penderet, dicentis: *Pater dimitte eis, non enim ſciunt quid faciunt.* Per quod oſtenditur ipſe eos admodū dilexiſſe, licet contra eū operarentur inique, vt Propheta teſtatur Zacharias: *Et dicetur*, inquit, *ei: Quid ſunt plagæ iſtæ, in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum quos diligebam.*

Luc. 23.

Zach. 13.

Sed ô Moyſes, ſi Deo placet, adhuc tempus veniet, quo & nepotes patrum ſuorum nequitiam recognoſcent, & eorum peccata condolendo plangent, & dolebunt, & ad Dominum convertentur, & redibunt, ſicut dicit Zacharias Propheta: *Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me quē confixerunt, & plangent eum planctu quaſi vnigenitum, & dolebunt ſuper eum vt doleri ſolet in morte primogeniti.* Et det tibi quæſo omnipotēs Deus, vt tu de illis qui convertentur, ſis vnus. Amen.

G

Zach. 12.

F I N I S.

TITVLVS XI.

De Reſurrectione, & Aſcenſu Chriſti in cælum.

H

MOYSES.

HVcvsqve ſatis oſtenſum eſt, de homine illo quod voluntate ſpontanea pro genere humano mortem ſuſceperit redimendo, nunc autem de eo tecum loqui volo, quod ſicut in tuæ fidei expoſitione dixiſti: Die reſurrexit tertio. Et bene quidem eſſe potuit, cùm deitatis plenitudo vt dicis, in ipſo habitaverit, cæteroſque mortuos vitæ reddiderit, vt ſeipſū reſuſcitaverit. Sed hoc modo quæro à te, ſi poſtquam reſurrexit Deus, & homo vt prius fuerit, nec ne. Pe. Credo proculdubio quia ſic fuit. Cū enim eius anima à corpore diſſoluta ad inferos vt inde bonos eriperet deſcēdit, nūquā ab ea divinitas ipſa receſſit, vnde & cū ad corpus remeavit,

Esaia 41. Diuinitas à corpore Chriſti aut anima eius in morte non receſſit.

ſemper

A

ſemper cum ea permanſit, quare & tunc & nunc & vſque in æternum & homo & Deus erit. Moyſes. Satis reor quia ſic credas, ſed reſtat adhuc vnum, de quo mihi volo reſpondeas. Cum enim non ob aliam cauſam quam vt filios Adam de diaboli iugo eriperet carnem ſuſceperit, poſtquam vt dicis illud complevit vt voluit, quare iterum corporis ſe gravitate impedivit? Petrus. Corpus quidem Chriſti ſubtile fuit, & ab omni peccato mundiſſimum. Neque enim vel primi parentis Adæ, vel ex ſe ipſo aliquod contraxit peccatum, & cum tale fuerit, numquid mori debuit, cum & Adam non niſi propter peccatum obierit, & præterea cum in eo Deitas habitaverit? Moyſes. Non. Petrus. Cùm ergo nullam ob culpam quam admiſiſſet, imo pro ſalvandis ſuis ſolummodo mortem ſuſcepit, nunquid non merito reſuſcitari debuit? Moyſes. Ordo ſane rationis ſic exigit. Sed cur adeo ſuſcitari feſtinavit, & non quouſque boni qui mortui ſunt, alij ſuſcitentur in fine mundi, expectavit? Petrus. Alij namque mortui peccata in mundo iſto plura commiſerunt, quin & pro Adæ delicto mortem, pœnam ſcilicet peccati ſuſceperunt, ideóque quouſque Deo placuerit ſuſcitari non poterunt, ille autem nec Adæ, nec aliud ut diximus, peccatum habuit, imo ſponte ſua, & pro noſtra redemptione, die quidem vna occubuit, alia vero ad infernum, vt inde bonos educeret, ipſe deſcendit.

Eſai. 53. *1. Petr. 2.*

Morti debitor Chriſtus non erat. *1. Cor. 15* *Mat. 24* Retorre ctionem ſuā quare Chriſtus accelleravit.

B

Cum ergo omnia propter quæ venerat iam compleſſet, nec foret vlterius vt ita dicam quod facturus eſſet, merito die tertia reſurrexit. Præterea etiam Enoch & Helias, quia ſancti viri ac digni fuerunt, ſicut credimus & nos & vos, adhuc vivunt, & licet in fine mundi morituri, ſtatim tamen propter ſanctitatem ſuam reſurrecturi ſunt. Quod cum ita ſit, corpus Chriſti quod ſanctiſſimum omnium & à peccato mundiſſimum fuit, ſtatim vt voluit ſuſcitari non debuit? Ideo etiam eum ſuſcitari neceſſe fuit, vt ſicut per mortem ſuam deſcendens ad inferos de iure diaboli mortuos liberavit, ita & per reſurrectionem ſuam de eiuſdem diaboli manu, venturos liberaret, quia cum eum reſurrexiſſe audiunt, credunt, & de iugo ipſius ita exeunt. Moyſes. Ratio eſt quod dicis. Sed poſſes tu aliqua Prophetarum auctoritate, quod ſuſcitari deberet oſtendere? Petrus. Poſſum vtique. Dicit namque David in Pſalmo: *Dies ſuper dies regis adiicies, annos eius vſque in diem generationis & generationis.* De quo etiam rege iſta niſi de Chriſto dici potuit prophetia? Per dies quippe regis, definitum tempus quo ante paſſionem Chriſtus in mundo vixit, notari Propheta voluit, per dies autem quos ſuper dies regis adiiciendos eſſe dixit, quos & ſine determinatione poſuit, tempus poſt eius reſurrectionem intellexit, quod & fine cariturum eſſe ſignavit, cum addidit, annos eius uſque in diem generationis & generationis.

Gen. 5. *4 Reg. 2.* Helias & Enoch adhuc vivunt, ſed in fine mūdi morientur. *Vicit Leo de tribu Iuda.*

C *Pſal. 60.*

In Eſaia quoque legitur: *Nunc conſurgam dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc ſublevabor:* Et hic tria Dominus intelligi voluit. Quod etiam ait: *Nunc conſurgam*, de reſurrectione ſui corporis, de morte dixit, quod autem ſequitur: *Nunc exaltabor:* de aſcenſu ſuo in cœlum intulit, tertium vero, quod eſt: *Nunc ſublevabor*, de exaltatione & gloria in ſe credentium addidit.

Eſai. 33

D

Moyſes. Quandoquidem de aſcenſione mentionem feciſti, & ego iamdudum de hoc quærere diſpoſui, nunc de eo ſi placet qualiter factum credas mihi poſtulo reſponderi. Prohibet namque ratio, ponderoſam rem ſuper levem vel aſcendere vel ſuſtineri. Petrus. Fides profecto mea eſt, quod in cœlum aſcenderit, credo etiam quia ſuæ virtus omnipotentiæ tanta ſit, quod quocunque modo factum fuerit, poſſibile fuit eſſe vt placuit. Quod ſi inde cum fideli aliquo agerem, aliud ſane non reſponderem. Quia vero tu incredulus es, & nil niſi groſſum quid, & quod quaſi palpari poſſit intelligis, ideo aliquantulum groſſius tibi reſpondebo, & quia per hoc boni aliquid crediturum te eſſe deſidero. Moyſes. Vt ſic facias expoſtulo. Petrus. Noſti itaque quod anſer, & gallina, paſſer, & alauda, de quatuor elementis omnes facti ſunt, & alas habent? Moyſes. Vtique novi. Petrus. Dic ergo: Paſſer & alauda, cur adeò ſurſum volando aſcendunt, anſer autem & gallina ſimiliter facere non poſſunt? Moyſes. Quia & illi ſunt parvi corporis, & ideo leviores, & iſti maiores, & propter hoc ponderoſiores.

E

Petrus. Si ex quantitate levitas provenit, quare vultur vel aquila cum omnibus his maior ſit, ſublimius omnibus volando conſcendit? Moyſes. Quia de elementis ſubtilius compoſitum eſt corpus. Petrus. Et licet leve ſit & ſubtile, quid eſt quod corpus illud ſurſum facit condeſcendere? Moyſes. Proculdubio ſpiritus, ſine quo non ſolum non volare: ſed nec moveri poſſet ullatenus. Petrus. Cum igitur Chriſti corpus poſt reſurrectionem leviſſimum & ſubtiliſſimum fuerit, quippe cum in morte omnem ponderoſitatem & ſpiſſitudinem amiſerit, cuius rei argumentum eſt, quod vlterius nec cibo nec potu indiguit, cum inquam tale fuerit, & ſpiritum, id eſt, animam ſecum habuerit, & præterea Deitatem, quæ omnibus carnis ſpiritibus Moyſe atteſtante dominatur & præcellit, nunquid non in cœlum cum placuit aſcendere potuit? Item de Helia, cuius corpus nullam per mortem ſubtilitatem ſuſcepit, & tamen coram diſcipulo ſuo Heliſeo in altum aſcendit, quomodo credis rationabiliter & ſecundum phyſicam factum fuit? Moyſes. Helias ſane multum ieiunavit, & parum comedit, vnde & corpus ſuum levitatem & ſubtilitatem tantam accepit, quod vſque in aërem conſcendere potuit, vbi etiam & angeli eum acceperunt, & quo Deo placuit deportaverunt.

Aſcendere non ſemper prohibet corporis moles.

Gen. 1. Corpus Chriſti ſubtile, cœlos quomodo aſcēdit. *4 Reg. 2.*

F

Petrus. Cum ergo corpus Chriſti & per mortem ſubtile factum ſit, & per hoc quod poſt reſurrectionem neceſſitate aliqua nec manducavit nec bibit, quin & Deitatis plenitudinem, quæ ſuper angelos eſt in ſe habuerit, cur ſicut diximus conſcendere in cœlum nequivit? Sed & ratio eſt quod aſcenderit. Si enim locum, in quo Moyſes ſtabat cum ſibi in rubo apparuit Dominus propter vicinitatem ſuam horæ vnius ſanctum Dominus appellat, & propter eius ſanctitatem Moyſi imperat, vt ſua calciamenta ſolvat, dicens: *Solve calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt*, corpus Chriſti in quo divinitatis plenitudo non momentaneo, ſed perenniter habitavit, nunquid in ſordibus mundi huius poſt reſurrectionem remanere debuit? Immo iuſta vt diximus ratione, eum deſeruit, ſurſúmque in cœlum conſcendit.

Exod. 3.

G

Locus quare ſanctus dicitur in quo Moyſes ſtabat cū Deo loquens. *Gen. 13.*

Moyſes. Aperta quidem ratione hoc probaſti, & bona ſimilia induxiſti. Sed poterit aliqua de aſcenſu eius in Prophetis auctoritas inveniri? Petrus. Poterit vtique. In Geneſi namque legimus, Dominum ſuper hoc locutum fuiſſe ad Abraham, licet occulte. Scriptum enim eſt: *Et produxit illum foras, & dixit illi: Aſpice in cœlum & numera ſtellas ſi poteris dinumerare illas. Et dixit: Sic erit ſemen tuum. Et credidit Abraham Deo, & æſtimatum eſt illi ad iuſtitiam.* Sed dic ô Moyſes quid eſt quod ait, *produxit illum foras?* Quare enim hoc fecit? Nunquid intus vt foris Abraham non ſciebat, quod ſtellas numerare non poterat? Vel nunquid Deus ſi vellet intus ei vt foris quod dixit dicere non valeret? Item cum ait, *ſic erit ſemen tuum*, quare non dixit, faciam ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, ſi poteſt quis dinumerare ſtellas cœli, & ſemen tuum dinumerabitur, quemadmodum & alibi dicit: *Faciam ſemen tuum tanquam arenam maris, ſi poteſt quis dinumerare arenam maris, & ſemen tuum dinumerabitur?* Moyſes. In hoc certe aliud neſcio, niſi quia ſic dicere placuit Deo. Petrus. Sermonem quippe volo totum intelligas, & quod verbum aliquod temere ſcriptura non poſuit, ſcias. Quod itaque ſcriptum eſt, *produxit illum foras*, duabus de cauſis à Domino factum eſt. Vna quidem, vt ei cœli locum oſtenderet, quod per hoc deſignatur, quod eſt *aſpice cœlum*. Altera vero ut ſtellarum multitudinem, & hoc eſt quod dicit, *numera*

H

Abraham quare Deus præcepit exire & ſtellas numerare. *Gen. 13.* Abrahā quare Dominus foras vt ſtellas numeraret produxit. *Gen. 1.*

ſtellas,

A

ſtellas, ſi poteris dinumerare illas. Quod autem ſequitur, *ſic erit ſemen tuum*, in Hebraico quidẽ ponitur tale verbum, quod in Latino & huc reddit & ſic, eo ſcilicet, quod & locum & ſimilitudinem ſignificat. Si enim tale ponere vellet, quod locum tantummodo ſignificaret, henna vtique diceret: ſi vero tale, quod ſolum ſic redderet, cacha poſuiſſet. Per hoc igitur quod ibi *co* poſuit, notari voluit & locum, in quo futurum erat Abrahæ ſemen, Chriſtus videlicet poſt ſuã aſcenſionem, & ipſius ſeminis multitudinem. Moyſes. Illud ſcio ego, quod *co* hebraice, latine ſic reddat, ſed nuſquam puto locum ſignificat. Petrus. Facit vtique: In Exodo namque legitur de Moyſe: quod *vidit virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus ſuis. Cumque circumſpexiſſet huc atque illuc, nullumque adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo.* Vbi enim huc atque illuc ponitur in hebraico quidem inuenies co, & co.

Exod.2.

B

Gen.15.

Sed ad huius ſententiæ confirmationem ſequitur in eodem, *Credidit Abraham Deo, & æſtimatum eſt illi ad iuſtitiam.* Quare enim in hac promiſſione credidit Abraham Deo, plus quàm in aliis promiſſionibus, quæ ſibi factæ ſunt à Deo? Moyſes. In omnibus profecto credidit? qui incredulus nunquam fuit. Petrus. Et quare in ſingulis promiſſionibus nõ dicit ſcriptura: quia credidit Deo, ſicut hic; vel cum ſemper credulus fuerit, cur ſicut in aliis ſuper hoc tacuit, ſimiliter non tacuit & hic? Moyſes. Neſcio, ſed ſic dicit. Petrus. Nunquid non ſupra diximus, quod verbum aliquod temere ſcriptura non poſuit: Moſes. Dic ergo tu, quare hoc dixerit. Petrus. Profecto quia contra vſum erat & incredibilis illa promiſſio, de aſcenſu ſeminis ſui in cœlum, ideo additur ad oſtendendam eius ſanctitatem: *Credidit Abrahã Deo.* Quia vero cum non foret mirum ſi dubitaret, non tamen dubitauit, ſed credidit, ideo ſequitur, *& æſtimatum eſt illi ad iuſtitiam.*

Scriptura non verbum fruſtra poſuit.

Pſal.88.

Sed & David in Pſalmo de Chriſti aſcenſu loquitur, cum refert, quod de ſemine ſuo à Domino promittitur. *Semen*, inquit, *eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* ſemper. Hæc autem promiſſio fuitne facta propter aliquem de ſemine David præter Chriſtum, an de Chriſto ſolum? Moyſes. Cum mihi nullum ſurgat proficuum ex contradicendo, reuera propter Chriſtum factam fuiſſe non abnego.

C

Promiſſionem Davidi factam, de ſemine ſuo alio quã de Chriſto, comitatur conditio

3.Reg.2.

Pſal.88.

D

Inde enim argumentum eſt, quod promiſſionem illam, quæ David à Domino facta eſt, de ſemine ſuo alio quàm de Chriſto comitatur ſemper conditio, ſicut in libro regum inuenimus tertio, quod David cum iam appropinquarent dies mortis ſuæ, caſtigans Salomonem filium, inquit ad eum: *Confortare, & eſto vir*, & cætera, ſtatimque cauſam cur eum caſtigaret, adiunxit, dicens: *Si cuſtodierint filij tui viam meam, & ambulauerint coram me in veritate in toto corde ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſraël.* Promiſſio autem illa, quæ ſibi de Chriſto eſt facta, & ſi filij tui peccarent vtique punirentur, ſed tamen promittitur eſſe complenda, ſicut in eodem legitur Pſalmo: *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, ſi iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Petrus. Bene dixiſti, & bene ſcripturas intelligere te demonſtraſti, & contrarium nullum poſuiſti. Sed Chriſtus quomodo in æternum manebit, niſi Deus erit, & thronus eius ſicut ſol vel luna in conſpectu Domini erit, & ipſe teſtis in cœlo fidelis ſemper, niſi in cœlo ſit? Chriſtum itaque Pſalmiſta in cœlum fore aſcenſurum deſignauit. Hoc autem facere quiſquam vt credimus non poſſet, niſi & Deus & homo eſſet. Moyſes. Sermonis profecto mihi videtur ſic exigit ordo. Petrus. Item David alibi in Pſalmo de eodem: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo. Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.*

Pſal.88.

Pſal.55.

E

Hic quippe David & Chriſti reſurrectionem inſinuat & aſcenſionem, & quædam alia. Quod enim ait: *Exurge gloria mea*, Chriſti reſurrectionem deſignat. Ac ſi diceret: Exurget de morte Chriſtus, qui eſt gloria mea. Illud autem quod eſt: *Exurge Pſalterium & cythara*, propter gaudium intulit, & lætitiam quæ ex Chriſti reſurrectione fuerant proventura, quæ benè per pſalterium deſignantur, & cytharam, cum tempore proſperitatis & lætitiæ, huiuſmodi exerceantur inſtrumenta. Ac ſi diceret; Chriſto reſurgente, omne cum eo gaudium exurget atque lætitia. Per tertium vero quod eſt: *Exurgam diluculo*, vbi ſupplendum eſt *in diluculo*, notatur, quia ipſe David de tenebris inferni eripiendus erat reſurgente Chriſto. Sic namque hic per diluculum intelligimus lucem, ſicut multis in locis per nomen quod eſt veſper, tenebras intelligere ſolemus & noctem. Ac ſi aperte diceret: Chriſto reſurgente, exurgam & ego de tenebris cum eo in gloria & magna luce.

Pſalterii & cythara quid deſignet

F

Quartum autem quod dixit: *Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua*, de exaltatione & aſcenſu Chriſti in cœlum addidit, de quo aſcenſu per totum ſibi mundum prouenire debebat gloria. Quaſi diceret: Exaltaberis ſuper cœlos & aſcendes, & inde tibi per totam terram accumulabitur gloria. Quod vero dixit, *Deus*, neceſſario de Chriſto intelligimus, qui & homo fuit & Deus. Purus enim Deus cum nec de loco ad locum moueatur, proculdubio nec deſcendit, nec aſcendit aut exaltatur. Moyſes. Sufficit, fateor, quod de aſcenſu dixiſti. Sed in tuæ fidei expoſitione adhuc vnum tetigiſti, videlicet quod viuos iudicare & mortuos venturus ſit in die iudicij. Cuius rei nec argumentum nec rationem expoſtulo. Si enim vt creditis & Deus eſt & homo, ſatis eum iudicem etiam mundi eſſe concedo. Sed habes tu aliquam de ſcriptura auctoritatem ſuper eo? Petrus. Vtique habeo. Sic namque legimus in Danielis libro: *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit.* Et poſtea in eodem: *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Deinde etiam in eadem viſione: *Aſpiciebam ergo*, inquit, *in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ſeruient ei. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.*

Iud cab'i Chriſtum in die iudicij viuos & mortuos Iudex mundi Chriſtus.

Dan.7.

Ibidem.

Mat.24.

G

Antiquus quippe dierum qui ſedit, Deus Pater eſt. Per hoc vero quod dixit: *Iudicium ſedit & libri aperti ſunt*, iudicium deſignatur, quod in fine mundi eſt futurum, in quo quaſi in libris ſcripta diſcutientur merita ſingulorum. Qui autem cum nubibus cœli veniebat, Chriſtus eſt, qui recte non filius hominis abſolute, ſed *quaſi filius hominis* dicitur, quia non de patre carnali & matre, immo de virgine & Deo Patre natus eſt. Per hoc vero quod parato iudicio, & apertis libris, *antiquus dierum ei poteſtatem, & honorem & regnum dedit*, & omnium populorum, tribuum ac linguarum ſeruitutem ipſi promittit, patet profecto, quia iudicium omnium in mundi conſummatione ſibi conceſſum ſit.

Hominis filius quare Chriſtus dicitur.

Luc.1.

Ioan.5.

Iudicium omne pater filio dedit.

H

Per hoc etiam quod eſt, *poteſtas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur*, quod tantum ad regnum diuinum pertinet, & per illud quod præcedit, *quaſi filius hominis veniebat*, proculdubio innuitur; quod ille cui iudicium ac regnum tale dabatur. Chriſtus eſt, qui & Deus vt diximus & & homo futurus erat. Concedat autem tibi amice Dominus, vt tu in iudicio illo eorum, qui in parte dextera collocandi ſunt, ſis vnus. Amen.

Mat.25

FINIS.

A

TITVLVS XII.

Quod lex Chriſtianorum Legi Moyſi non eſt contraria.

MOYSES.

HACTENVS de ſingulis tuæ credulitatis partibus ſufficienter diſputatum eſt, ſed in diſputationis exordio vnum adhuc dixiſti, videlicet quod hora baptiſmatis tui Apoſtolos credidiſti de qua credulitate quid ſit mihi poſtulo reſponderi, vtrum ſcilicet eos bonos & ſanctos credas tantummodo viros extitiſſe, vel quod prædicarunt verum fuiſſe, & quod ipſi crediderunt te etiam credere.

B
Apoſtoli Chriſti veraces fuerunt & ſanct.

Petrus. Vtrumque profecto credo ego, & eos ſanctos fuiſſe, & verum per omnia prædicaſſe, & quod prædicarunt, operor pro meo poſſe. Moyſes. Iam in laqueum decidiſti, de quo non poteris expediri. Cum enim in principio de lege quæſiſſem Moyſi, ſi eã vt ab ipſo data eſt obſeruares, quam tranſgreſſus eſſe videbaris mihi, tu quidem eam te complere, veraciter obſervare, & per rectiſſimas eius ſemitas recto greſſu incedere reſpondiſti. Ille etiam quem Chriſtum dicitis, eam per omnia conſervavit, ſicut teſtatur ipſe cum dicit: *Quia legem non ſoluere, ſed adimplere veni.*

Matt. 5. Gal. 4.

Apoſtoli autem quos te aſſeris credidiſſe, eam diſſoluerunt, & præceptis eius alia contraria præceperunt. Quare cum eorum illud dicis, vnum quid & eius contrarium credere videris. Petrus. Apoſtoli ſane veri diſcipuli Chriſti fuerunt, & quicquid prædicarunt, per Chriſtum vtique fecerunt, & legem Moyſi non ſoluerunt, ſed adimplerunt. Moyſes. Et quomodo ſcire poterimus quod per Chriſtum illam prædicarunt, cum notum ſit quod nullam niſi poſt mortem eius prædicationem fecerunt? Petrus. Quomodo autem inde poſſemus dubitare, cum ſciamus eos nihil aliud quàm Chriſtum & præcepta eius prædicaſſe?

C
Apoſtoli nudipedes famem, ſitim, frigus & calorem, demum mortem pro Chriſto pertulerunt.

Quod enim & eum & eius præcepta prædicarunt, argumentum eſt, quod ipſi vt eius fidem dilatarent, diverſas & longinquas terras nudipedes petierunt, ſitim, famem, nuditatem, frigus ſimul & calorem, anguſtiam & laborem, flagra & occiſionem, ob eius confeſſionem, fere omnes pertulerunt. Nam quomodo hæc pro eo potuiſſent ſuſtinere, & præceptis eius contrarij vel inobedientes exiſtere? Moyſes. Si vt dicis nec à Chriſto diſſenſerunt Apoſtoli, nec Chriſtus in aliquo à lege Moyſi, cur ergo Moyſi contrarij fuerunt Apoſtoli? Petrus. Et in quo invenientur contrarij? Moyſi. In cunctis. Petrus Nimium dixiſti. Ipſi enim ieiunium, eleemoſynam ac miſericordiam prædicarunt, Deum ſuper omnia & proximum vt ſe diligi præceperunt: homicidia, fornicationes, furta, teſtimonia falſa, inuidiam, & alia vitia, quæ ratio abhorret, & Moyſes prohibet, ipſi etiam prohibuerunt.

Rom. 13. 1. Io. 2. 4. Apoſtolorum prædicatio quæ fuerit.

D
Eph. 5. Rom. 6. Gal. 5.

Quomodo ergo dicis quia Moyſi in cunctis contrarij fuerunt? Moyſes. Si in ſupradictis Moyſi conſenſerunt, quare in quibuſdam aliis ab eodem diſcordarunt? Petrus. In quibus. Moyſes Primum eſt quod circumciſionem, quam & Abrahæ & Moyſi Deus præcepit, & Chriſtus etiam quem dicitis circuncifus fuit, Apoſtoli poſtpoſuerunt, quin & fieri prohibuerunt. Petrus. Prius de hac circumciſione quare & ad quam vtilitatem præcepta ſit intueri debemus, & tunc iuſtum an iniuſtum ſit quod Apoſtoli fecerunt, melius agnoſcemus. Moyſes. Placet. Petrus. Dic tu ergo, Circunciſio illa quam vtilitatem credis poterat afferre, vel quare fieri præcepta eſt octaua die? Moyſes. De octaua profecto die cauſam nullam niſi placitum Dei ſcio. Vtilitatem autem afferebat, quia ſaluationis erat occaſio.

Gen. 17. Leuit. 12. Circunciſionis vtilitas.

Petrus. Ex verbis igitur tuis perpenditur, quod quilibet quavis die circuncifus ſit ſaluabitur, & ita incaſſum & abſque proficuo die octaua fieri iubetur. Sed & aliud quærere placet. Circunciſio illa verũ alia re ad ſaluationem indiget, vel ipſa ſola ſaluationẽ conferre valet? Moyſes. Alia vtique indiget, quia ad ſaluationem perfectam, præter circunciſionem, legem Moyſi compleri oportet, & modum quo fiat potes audire ſi placet. Si enim quis & circuncifus fuerit, & legem totam fideliter cuſtodierit, proculdubio ſaluus erit. Si vero circuncifus erit, & legem in quibuſdam non obſeruare præſumpſerit, ſupplicia quidem pro tranſgreſſione ſuſtinebit, ſed inde tamen ad ſaluationem tranſibit. Quod ſi totam legem ſeruaverit, circuncifus autem non fuerit, per nulla quæ patiatur ſupplicia ſaluari vllatenus poterit.

E

Petrus. Vnde vobis huiuſmodi credulitas venit, cum nec Abrahæ nec Moyſi Deus illud vnquam promiſerit, nec Propheta vllus hoc vnquam dixerit? Moyſes. Nos illud quippe intelligimus ex verbis quæ ad Abraham dicit Dominus: *Maſculus*, inquit, *qui non circuncidetur carne præputij ſui, diſperiet anima illa de genere ſuo.* Per hoc enim innuitur, quod qui circuncifus fuerit non peribit, immo ſaluabitur.

F
Gen. 17.

Petrus. Secundum huius auctoritatis tuæ explanationem, ille qui decima ſeptimi menſis die non ieiunaverit, licet circuncifus ſit, nullam tamen habebit ſaluationem. Sic enim ſcriptum eſt in Leuitico: *Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hoc peribit de populis ſuis.* Quod ſi propter hoc peribit, circunciſio proculdubio non valebit.

Leu. 16. 13.

Moyſes. Hoc certe videtur ratio. Petrus. Quid ergo dicis de Adam, Seth, Enoch, Mathuſala, Noe, & filio eius Sem, & aliis multis, quos nequaquam circunciſos, & tamen fuiſſe credimus ſaluatos? Moyſes. Siquidem antequam circunciſio præciperetur fuerunt, & ideo ſine ea ſaluari potuerunt.

Lex naturæ.

Petrus. Et quid dices de Iob. & ſociis eius, qui poſt circunciſionis præceptum extiterunt, & licet incircunciſi tamen ſalui fuerunt? Moyſes. Quippe de gente illa non fuerunt, cui datum erat circumciſionis præceptum.

Iob non fuit circuncifus.

Petrus. Quid itaque prædictos omnes fecit ſaluos? Moyſes. Neſcio revera ſed puto quia bona fides ſua, & quibus vtebantur ſacrificia. Petrus. Quid igitur dicis de Iſmahel, cui præcepta eſt circunciſio, lex non, & cuius progenies vſque hodie circunciditur? Nunquid enim per circunciſionem illã ſaluantur: Sed dices quia ſic. Tunc ſola circunciſio confert ſalutẽ, abſque legis Moyſi complemẽto. Si vero dices non, tibi ipſi contrarius eris, cum ſuperius dixeris, circunciſionem cauſam eſſe ſaluationis. Moyſes. Ratio eſt quod dicis.

G

Petrus. Quid item indicabis de mulieribus Iudaicis, quæ nequeunt circuncidi, & tamen creduntur ſaluari? Moyſes. Ideo quidem ſaluantur, quod de hominibus circunciſis naſcuntur.

Mulieres non circuncidunt.

Petrus. Quid ergo de Sara, & Rebecca, Rachel, & Lia, & vxore Moyſi Sephora, quæ Madianitidis fuit, & Ruth, quæ & omnes vt credimus ſaluæ ſunt, & tamen de Iudæis natæ non fuerunt? Si enim ſaluæ futuræ non eſſent, vtique viri ſui qui & ſancti & Prophetæ erant eas pro vxoribus non haberent, aut in eis filios generarent. Moyſes. De hoc ſane tibi dare neſcio ego reſponſum, quod mihi nunquam fuit oſtenſum. Tu autem mihi ſi noſti circunciſionis pande proficuum.

H
Circuncisio quare data.

Pe. Circumciſio profecto propter hoc data fuit, vt gens Domini ab aliis gentibus diſcerni poſſet & agnoſci. Ad cuius etiam gentis maiorem diſcretionem, præceptum eſt & aliud, videlicet ne quis de alia tribu duceret vxorem.

Num. 36.

Et hoc quidem totum præceptum eſt, quia de ſemine Abrahæ, & lege Moyſi, & tribu Iuda Chriſtus venturus erat, vt videlicet cum veniret, poſſet agnoſci, quia ipſe eſſet, & ne de alia natione quis ſurgeret, qui Chriſtum eſſe ſe diceret, & ſic in errorem mundum dimitteret.

Chriſtus ex qua tribu naſci debuit.

Et quod ad gentis diſcretionem mandata fuerit circunciſio, non vt dixiſti ad ſaluationem, duo ſane habemus argumenta. Vnum quidem quod præceptũ eſſet, fieri octaua die, & nõ antea propter hoc quod nec ante octavam diẽ puer à matre ſeparatur, nec formido vlla habetur, quod aliis commiſceatur,

Circunciſio non ad ſaluationem, ſed ad diſcretionem data eſt. Leuit. 12.

die

A

die autem octava qua de illa pollutione mundari mulier ac lavari præcipitur, priuſquam hoc faciat puer circunciditur, ne remota matre cambiatur, ſeu alius commiſceatur. Aliud vero quod quadraginta annis, quibus in deſerto filij Iſraël morati ſunt, omnes qui ibidem nati ſunt circunciſi non fuerunt, ex quo autem ad terram habitabilem venerunt, ne aliis gentibus miſcerentur, ſtatim per Ioſue à Domino circumcidi iuſſi ſunt, ſicut inveniunt qui ipſius Ioſue librum legunt. Quod autem circuncisionem, ſalvationis cauſam eſſe dixiſti, vtique circuncisio tantum cauſa non fuit eius rei, immo etiam fides bona, ſacrificia, atque opera recta, & poſt datam circumciſionem, & antea, ſicut patet in Adam, Seth, Enoch, Mathuſale, Noë, & Sem, Iob & ſociis eius, atque Iudaicis mulieribus, qui omnes ſine circunciſioue, fide recta ſalvati ſunt, ac bonis operibus. Quin etiam nullum prædictorum ſalnationis generum ſalutem confe-

Ioſue 5.

Mulieres & patres in lege vetere fide ac ſacrificiis ſervati ſunt.

B

rebat, niſi eis tantum qui diſcretionem habentes, Chriſti credebant adventum, & ſe ſalvari poſſe non credebant, niſi per eum. Cum vero Chriſtus ſalvator ſcilicet quem expectabant advenit, vt Moyſi legem compleret, circuncidi ſe voluit, & vt etiam per hoc pateſceret, quod de ſemine Abrahæ, & lege Moyſi, & tribu Iuda, ſicut prædiximus venire deberet. Completis ergo omnibus propter quæ circuncisio data fuit, iam nemo vlterius circunciſione, quia nec generis aliqua diſcretione indiget. Quiſquis enim ad legem Chriſti ſe conferens, cuiuſcunque generis ac linguæ ſit, fidelis tantum eſſe velit, cæteris Chriſtianis par exiſtit. Præterea poſtquam baptiſmus venit, cum ipſe generalis ſalvatio virorum ac mulierum ſit, iam vltra circuncisio ad ſalvationem neceſſaria non fuit. Quoniam igitur modis omnibus oſtenſum eſt, circuncisionem poſt Chriſti adventum neceſſariam non eſſe, ideo patenter agnoſcere potes, cur eam Apoſtoli nequaquam fieri præcepere. Moyſes. Et ſi eam non præceperunt, quare etiam fieri prohibuerunt? Petrus. Ideo

Chriſtus quare circuncidi voluit.

Coloſſ. 3.

C

vtique fecere, ne reputarent homines vt baptiſmum ita & circunciſionem ſalvationem conferre, vel circunciſionem, ſalvationem, vna cum ipſo baptiſmate, & ita in errorem deciderent, ſicut Neſtoriani & Iacobitæ, qui nullum hominem ſaluari poſſe putant, niſi per vtrunque, & ſicut vos ipſi quiſquis hodie de externa progenie ad legem veſtram voluerit converti, ſi vir ſit primum circuncidi, & poſtea præcipitis baptizari, ſi vero fœmina, tantum baptizari. Moyſes. Ex iſtis tuis innuitur ſermonibus, quod nos non niſi poſt Chriſti adventum baptiſmum fecerimus, quaſi ab ipſo illum Chriſto addidiciſſemus. Petrus. Si ab ipſo non, à quo ergo addidiciſtis? Moyſes. A Moyſe. Petrus. Falſum eſt. Et inde duo habemus argumenta, vnum, quod cum Dominus Moyſi de extraneis præceptum daret, dicens, *ſi quis p regrinorum in veſtram voluerit tranſire Coloniam, & facere phaſe domini, circuncidetur prius omne maſculinum eius, & tunc rite celebrabit, eritque ſicut indigena terræ*, vtique ſi baptiſmus tunc neceſſarius eſſet, ipſum ſicut & circunciſionem præciperet, & cum nec hic vbi præcipue ſi verum eſſet quod dicis deberet, nec vſquam alibi inde mentionem fecerit Moyſes, vos illum ab eo addidiciſſe nullatenus approbare potes. Aliud vero argumentum eſt, quod doctores veſtri, illi quidem, qui ante Chriſtum fuerunt, nunquam de baptiſmo illo quicquam locuti ſunt, per quod illum à Moyſe vos non accepiſſe oſtendunt. Qui vero poſt Chriſti adventum fuerunt, baptiſmum ab ipſo didicerunt, & ita eum circunciſioni commiſcentes, in errorem populum dimiſerunt. Moyſes. De circunciſione quod placet reſpondiſti. Sed quid dices modo de die Sabbati, quem & multis in locis Dominus per Moyſen præcepit obſervari, & per ſeipſum loquens ad filios Iſrael de monte Synai, & cuius obſervationis præceptum in tabulis lapideis fuit ſcriptum ita, *Memento*, inquit Deus, *vt diem Sabbati ſanctifices?* Et cauſam ſubdit in ſequentibus, di-

Neſtoriani & Iacobitæ.

Baptizãt Iudæi & circuncidunt legẽ Moyſi accipientes.

Exo. 12.

D

Exo. 29. 31. Leu. 19. 26.

Exod 20. Deut. 5.

cens: *Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diem Sabbati, & ſanctificavit eum*, & præterea lapidare præcepit, qui non obſervaverit illum. Apoſtoli autem eum reſpuerunt, & diem alium obſervari præceperunt. Petrus. Sane quod diem illum Dominus obſervari præcepit, in exordij mundi memoriam ſicut dixiſti, & rei cuiuſdam alterius quæ ventura erat, ſignum fecit. Moyſes. Et quæ erat res illa ventura? Petrus. Adventus Chriſti, qui omnia opera ſua quæ in mundo vivens patravit, ſexto die, id eſt die veneris complevit, quando pro nobis mortem ſuſcepit. Die autem ſeptimo, id eſt die Sabbati requievit, quin & omnes qui ante mortem ſuam in ſe credentes obierant, ſecum ab inferni doloribus requieſcere fecit. Completo autem illo cuius obſervatio Sabbati ſignum fuit, iam illud vltra obſervari neceſſe non fuit. Moyſes. Secundum verba tua ſi obſervatio

E

Gen. 1.

Num. 15.

Sabbatũ quare inſtitutum.

Sabbatũ Iudæis in Chriſti paſſione eſt completum.

F

Sabbati, eius quam dicis rei ſignum fuit, completa illa, multo magis obſervari debuit, tum ob memoriam mundi exordij, tum ob ſanctorum requiem à doloribus inferni. Petrus. Non eſt, vtique res vt tu reris. Parentes enim veſtri, qui ante adventum fuerunt Chriſti, diem obſervarunt Sabbati, & ob memoriam vt dictum eſt mundi exordij, & quia eadem die per Chriſtum ſe requieſcere debere credebant, à doloribus inferni. Poſt reſurrectionem vero Chriſti, quæ cauſa fuit Chriſtianæ credulitatis, & credulitas cauſa ſalvationis, quamuis ex morte Chriſti proveneric ſalvatio omnis, ſed abſque credulitate nihil contulit vtilitatis, poſt reſurrectionem inquam Chriſti iam omnibus in eum credentibus Sabbatum obſervare neceſſarium non fuit, imo diem dominicam, diem ſcilicet reſurrectionis, quæ ſuæ ſalvationis cauſa extitit. Moyſes. Et quare non obſervaverunt vtrumque Sabbatum videlicet ob memoriam mundi originis, diem vero alteram ob memoriam ſuæ ſalvationis? Petrus. Quod ob memoriam originis mundi Sabbatum diximus obſervari, profecto obſervatum eſt propter rerum creationem, quæ tunc completa fuit, ſicut ſcriptum eſt, *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit ab omni opere quod patrarat.* Quia vero eadem dies damnationis animarum prima extitit. & hoc quidem per Adam, qui in præcedentis diei veſpere hora videlicet duodecima peccavit, quare de gloria in damnationem decidit, poſtquam per Chriſti reſurrectionem ſalvatio animarum venit, iam amplius damnationis dies celebrari non debuit, immo illa, quæ ſalvationis exordium fuit. Et hoc per exemplum tibi ſi placet oſtendere poſſum. Rex enim quidam civitatem quandam fecit, in qua ædificia precioſa fundavit, virgulta & vineas circunquaque plantavit, & per mediam illam hac illacque aquarum rivos deduxit, quin & omnium deliciarum fertilem redundantemque patravit, adverſus quam rex gentis cuiuſdam cœpit belligerari, vnde quotieſcunque aliquis de ea exibat paratus erat hoſtis ille, & inſidians eum capiebat, & in tenebroſum carcerem detrudebat. Rex autem ille, qui civitatem condiderat, eius incolis venturum eſſe tempus promittebat, quo eos de hoſte illo liberare decreverat Nullum autem alium ab eis cenſum vel remunerationem exigebat, niſi vt diem illum celeberrimum colerent, quo civitas perfecta fuerat, & ob hoc etiam quod eadem die, de hoſte prædicto eos liberaturus erat, qui eam diu celebrarunt ſicut rex eis præceperat. Tranſacto autem nonnullo temporis ſpatio, ſuper eos miſericordiam atque pietatem habuit, & eos de illa captivatione præſentialiter liberare diſpoſuit, filium igitur ſuum miſit. Qui devicto hoſte, de eius manu captivos emiſit. Liberatis itaque de iugo inimici rex prædictus taliter vrbem ordinavit, quod nequaquam amplius illius captivationem inimici formidare oportuit. Sed dic ô Moyſes, vtra dies potius debuit celebrari, vel illa qua civitas peracta eſt, ſed plebs in manum decidit

Ioan. 21. Rom. 4.

Reſurrectionis Chriſti vtilitas.

Dominica dies Chriſtianorum ſabbatũ.

G

Gen. 2.

Adam qua die vel hora in paradyſo peccavit.

H

A

inimici, vel illa qua taliter ordinata eſt, quod amplius ab illo hoſte non timuit captivari? Moyſes. Dies proculdubio illa, qua ordinata eſt einſmodi. Petrus. Eadem ſane ratione diem Dominicam debemus nos celebrare, propter reſurrectionem Chriſti, quæ ſicut diximus & credulitatis fuit cauſa, ſaluationis præcipuæ, quia quicunque ante mortem Chriſti in ipſum credentes obiere, utique ipſo moriente ſaluati ſunt, ſed inferni tenebras prius ſubiere. Qui vero poſt reſurrectionem crediderunt, & per mortem eius ſalvantur, & tamen tartara neſcierunt. Hæc igitur cauſa eſt, quare eam Apoſtoli ſummopere obſervari præceperunt, & Sabbatum non, licet Dominus noſter Chriſtus ipſum obſervaverit, ſed hoc nequaquam niſi ut legem Moyſi compleret, & quia nondum venerat dies reſurrectionis quam ſervaret. Moyſes. Et quid de phaſe dices feſtivitate, quam præcepit Dominus obſervare, & in ea agnnm immolare, ipſumque cum pane azimo & amaris herbis comedere, quod totum Apoſtoli dimiſere, & aliud feſtum præceperunt, & alio ordine, cum Chriſtus [quem dicitis] quoad vixit nunquam illud, quoad Apoſtoli præceperunt, voluerit celebrare? Petrus. In primis ſane ô Moyſes diligenter debemus inſpicere ritus, & cauſas rituum, quibus in Ægypto fieri præceptum eſt phaſe, & quare poſtea vice altera præceptum eſt in ſolitudine. Quod cum fecerimus, profecto videbimus utrum poſt mortem Chriſti feſtivitatem phaſe celebrare, vel non debeamus. Moyſes. Placet. Petrus. Hi nempe ritus, & religiones, illius ſunt. Decima die menſis, eſt præceptus agnus vel hœdus tolli, & uſque in quartam decimam diem ſervari. Quem etiam maſculum eſſe præceptum eſt ac iuvenem, & abſque infirmitate omni, & illum ab omni multitudine filiorum Iſraël quarta decima die inter duo veſpera immolari, ac de eius ſanguine ſuper utrumque poſtem & ſuper liminaria domorum poni, & hoc in domibus tantum illis, in quibus debebat manducari, quin & carnes eius non crudas vel aqua coctas, ſed igni tantum aſſas comedi, integer etiam & totus cum capite & pedibus & inteſtinis iuſſus eſt igni coqui, noctuque & feſtinanter comedi, & os illius non confringi, & ſic cum azimo pane & amaris herbis manducari. Moyſes. Profecto ita eſt ut dixiſti. Petrus. Dic ergo quibus de cauſis præcepti ſunt ritus iſti. Moyſes. Neſcio, ſed ſic voluit Dominus fieri. De ſanguine autem ſcio, quod ſuper utrumque domorum poſtem, & ſuper liminaria ideo poni præceptus eſt, ut veniens malignus angelus, domum illo infectam ſanguine pertranſiret. Petrus. Nonne tibi ſæpius ſupra dixi, quod verbum aliquod temere nunquam exierit ab ore Domini. Moyſes. Dic tu ergo. Quare obſervari iuſſi ſunt ritus illi? Petrus. Agnus nempe ille Ægypti, atque ritus ſui figura & ſimilitudo fuerunt agni Dei, qui immolandus erat, id eſt, Chriſti. Sicut enim per agnum illum de manu angeli qui corpora occidebat ſervati ſunt fideles Domini, ita & per Chriſtum credentes in ſe, de diabolo, qui animas damnabat erant redimendi, & fuit agnus ille quaſi annuncians illum, qui venturus erat poſt ſe. Moyſes. De agno quidem quod placet reſpondiſti, ſed prædictos ritus agni quomodo poteris applicare ad CHRISTVM, quem vocas agnum Dei? Petrus. Nam ſicut agnus ille die menſis decima tolli præceptus eſt, & uſque in quartam decimam conſervari, ſic & die menſis decima, die ſcilicet lunæ, de obſervando CHRISTO conſilium acceperunt doctores veſtri. Die ſiquidem dominica præcedenti Hieruſalem, ut ibi phaſe celebraret, Chriſtus venit, quem cum lætitia & pompa magna & honore plebs tota ſuſcepit, unde doctorum invidia ac malevolentia maior crevit, & de ipſo obſervando atque occidendo die craſtina alter cum altero conſilium cœpit. Illud autem conſilium uſque in quartam decimam diem tectum & cœlatum fuit. Et ſicut agnus ille maſculus eſſe, ac iuvenis eſſe præceptus eſt, ac ſine infirmitate omni, ita CHRISTVS & maſculus, & iuvenis, & omni infirmitate, id eſt, peccato carens fuit. Quod autem hoſtia illa de ove vel capra accipi præcepta eſt, & non de vacca, licet de animalibus illis vacca ſit de quibus fieri ſacrificium in lege præceptum fuit, propter hoc factum eſt, quod ovis vel capra cum capitur non repugnat ſicut vacca facit. Et ſignum etiam fuit, quod Chriſtus cum captus eſt non reſtitit, nec ſe ut poſſet defendit. Quod vero ab omni multitudine filiorum Iſraël iuſſus eſt immolari, cum ſingulariter de uno præceptum ſit, licet non omnes unum, ſed unuſquiſque per domos & familias ſuum immolarit, deſignavit quod omnis Iudæorum multitudo Chriſtum occidit. Licet enim non omnis affuit, omnis tamen aſſenſum præbuit. Quia vero die quarta decima, & inter duo veſpera, videndum eſt quæ ſint duo diei veſpera. Et unum quidem eſt, cum ſol à medio cœli puncto deſcendere incipit, alterum vero, cum ante noctem ex toto occidit. Et Chriſtus & die quartadecima & inter duo diei eiuſdem veſpera, id eſt, hora nona ut vos ipſi creditis expiravit. Poſſunt autem & per duo veſpera, duæ veſtræ captivitates intelligi, Babylonis videlicet atque Titi. Et Chriſtus inter duo veſpera obiit: quia & poſt Babylonicam, & ante captivitatem Titi. Nam & quod ſanguis agni ſuper utrumque poſtem & ſuper liminaria domorum in ſignum ſcilicet crucis poni præceptus eſt, ſanguinem deſignavit Chriſti, qui ſuper crucem effuſus eſt. Et ſicut ſanguis illius agni, ut diximus, de morte corporis cuſtodivit fideles Domini, ita & fideles ſuos de interitu animæ, ſanguis redemit Ieſu Chriſti. Sicut etiam ſanguis ille domum nullam, niſi ;illas in quibus comedebatur conſervavit, unde & in illis tantum præceptus eſt poni, ita & ſanguis Chriſti qui ſuper crucem effuſus eſt nullum ſalvat, niſi in quo agnus Dei comeditur illum videlicet qui eiuſdem corpus comedit Chriſti. Prætorea quemadmodum agnus nocte iuſſus eſt manducari, ſic & Chriſtus nocturno tempore captus fuit, ne à populo liberari poſſet aut defendi. Quemadmodum etiam nec crudus nec aqua coctus, ſed aſſus igni, ita & Chriſtus nec ſine iudicio, nec tamen iuſto iudicio, ſed iniuſto condemnatus fuit, ſicut non omnino cruda, nec bene cocta eſt caro aſſa igni. Sed & ob eandem cauſam feſtinanter & cum pane azimo præceptus eſt manducari. Sicut enim panis azimus nequaquam donec fermentetur paſta expectatur fieri, immo feſtinanter fit, ita & in Chriſto nullam rectitudinem expectarunt iudicij, imo feſtinanter condemnatus fuit. Per amaras vero herbas cum quibus præceptus eſt agnus ille comedi, deſignatur, quod ex illa damnatione iniuſta, calamitas & amaritudo venit. Quod autem & totus cum capite & pedibus & inteſtinis mandatus eſt coqui, & poſt comeſtionem os illius non confringi inſinuat, quod nec in occiſione membrum Chriſti aliquod cæſum eſt, immo ſuſpenſus cum omnibus membris fuit, nec poſt occiſionem os aliquod eius computrivit, aut quamlibet aliam diſſolutionem ſuſtinuit, immo totus & integer reſurrexit. Vides igitur quia ſicut prædictum eſt agnus ille Ægypti, atque ritus ſui, figura & ſimilitudo agni Dei fuerunt, id eſt, Chriſti. Quod ſi ritum aliquem prætermiſimus non explanatum, ſi attente inveſtiges, ſimiliter poteris applicare ad Chriſtum. Moyſes. Quoniam Petre phaſe Ægypti, ut placuit, explanaſti, volo dicas ſi placet, quare vice altera phaſe in deſerto præceptum eſt fieri. Petrus. Nulla ſane de cauſa aut utilitate factum eſt, niſi ob memoriam phaſe Ægyptiaci, & ad nunciandum illud, quo immolandus erat Chriſtus agnus Dei. Sed & illud phaſe ſemper quoad vixit Chriſtus celebravit, tum ut legem compleret Moyſi, tum quia nondum completi eſſent ritus illi. Poſtquam vero per mortem ſuam totum completum eſt, iam illud phaſe fieri neceſſe ulterius non eſt, immo paſcha illud, quod ab Apoſtolis noſtris ordinatum nobis eſt. Rectum eſt enim, ut

diem

Sabbatū quare Chriſtus obſervavit.

Exod. 12

Phaſe ſolennitatis ceremoniæ.

B

Leu. 23
Num. 18.

Exod. 12

Agni paſchalis immolationis ritus.

C

Paſchalis agni ritus quare præcepti.

Agnus paſchalis Chriſtū figurabat.

D

Exod. 12
Ioa. 11.

Matt. 21
Ioan. 12.
Mar. 11.
Luc. 19.

1. Pet. 2.

E

Ovis vel capra nō vacca ad phaſe requirebatur.

Agni ad veſperā immolatio mortē Chriſti in cruce ſignificat.

F

Sanguis agni ſuper utrūque poſtem, linitus quid adumbrat.

Apo. 1.

Nocte quare Chriſtus captus eſt.

G

Panis azimus.

Feſtinanter comedere.

H

Leu. 23.
Num. 28

Matt. 5.

A

diem ſalvationis animarum quæ cœli dignior eſt commutemus pro die ſalvationis corporum. Nam & veniente maiore lætitia, minor recedit, & oriente ſole, ſtellarum claritas aufugit. Sed & memoriam prioris debemus dimittere pro memoria ſequentis, ſicut & per Hieremiam Prophetam Dominus promiſit:

Ierem.16. & 23.

Ecce dies venient, inquit, *dicit Dominus, & non dicetur amplius vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti, ſed vivit Dominus, qui eduxit & adduxit filios Iſrael de terra aquilonis.* Moyſes. Promiſſio ſane iſta Chriſto adveniente complebitur. Petrus. Verum eſt quod adveniente Chriſto compleri debuit. Sed cum iam veniſſe Chriſtum probatum ſit, tunc & completa eſt Prophetia quando venit. Quæ ſic intelligenda eſt, quia amplius recordari non debemus, quod filios Iſrael de Ægypto eduxit Dominus, immo de terra aquilonis, id eſt, de inferno, cum per aquilonem intelligatur diabolus, cuius terra & habitatio eſt infernus, ſicut dicit Iohel Propheta.

Diaboli habitatio vbi ſit.
Iohel 2.

B

Et qui ab aquilone eſt procul faciam à vobis, & expellam eum in terram inviam & deſertam, faciem eius contra mare orientale, & extremum eius ad mare noviſſimum, & aſcendet fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbe egit. Et ego quidem non curo explanare, qualiter per aquilonem diabolum poſſimus intelligere, nam hoc veſtri doctores ſatis expoſuere. Præterea autem quomodo vos phaſe celebrare dicitis, cum nec ſacrificium faciatis nec altare, nec ſacerdotem, qui illud faciat habeatis? Putatis enim quod propter herbas tantum & azimos, quos manducatis phaſe complere poſſitis? Quin etiam ipſum diem Paſchæ, quandoque commutatis, & vſque in ſequentem differtis, quia illud nec die Lunæ, nec Mercurij, nec die Veneris vnquam celebratis. Quod mihi volo ediſſeras quare facias.

Iudæi phaſe rite celebrare nequeunt.

Moyſes. Neſcio aliud, niſi quod noſtri doctores ſic ordinaverunt illud, & Gamaliel præ omnibus. Petrus. Et noſti quare Gamalihel fecit iſtud? Moyſes. Non. Petrus. Gamalihel quippe vir ſanctus & fidelis fuit Chriſtianus.

C

Actuū 5. Gamalihel legis doctor.

Et quia novit quod die quidem Lunæ, conſilium inierunt Iudæi, quo Chriſtus poſſet condemnari, die autem Mercurij datum fuit argumentum pro traditione Chriſti, die autem Veneris affixus eſt cruci, quia inquam hoc novit, & diebus illis gaudium aliquod exerceri non voluit, ideo in illis celebrari phaſe prohibuit, & in ſequentem diem differre præcepit. Hoc autem ſecretum omnibus revelare non voluit. Moyſes. Poſtquam phaſe feſtivitatem damnaſti, quæ cæteras omnes præcedit ac præcellit, & de qua præcipitur, quod qui eam non fecerit peribit, de aliis minoribus fruſtra iam diſputaremus, cum eas poſſes multo condemnare levius.

Exod 12.

De ieiunio autem decimi diei menſis ſeptimi mihi poſtulo reſponderi, quod ad noſtrorum expiationem peccatorum in tantum Dominus præcepit obſervari, quod eum qui non obſervaret de generatione ſua diſperire dixit, & veſtri illud poſtpoſuerunt Apoſtoli.

Leu.23. 16.

D

Petrus. Prius volo vt de illo ieiunio mihi dicas, verum ipſum ſolum alicui ad peccatorum deſtructionem ſufficiat, vel cum illo etiam pœnitentia quis indigeat. Moyſes. Sane abſque pœnitentia non poteſt expiatio eſſe vlla. Petrus. Item quæro à te. Vim illius expiationis in quo eam conſtare, vel in die ieiunij, vel in pœnitentia aſſeris? Moyſes. In vtroque.

Expiationis teſtiū.

Petrus. Item reſponde: Si quis prætermiſſo ieiunio pœnituerit & ita obierit, alius vero ieiunando ſed non pœnitendo mortuus ſimiliter fuerit, vter eorum potius ſalvari debebit? Moyſes. Ille proculdubio, qui pœnitentiam fecerit. Petrus. Ergo poſſumus affirmare, vim expiationis illius in pœnitentia non in ieiunio conſtare, teſtante Eſaia, & dicente: *Nunquid hoc eſt magis ieiunium quod elegi. Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes.*

Eſa 58 Ieiunium ad quid valet.

Moyſes. Quid igitur valet ieiunium? Petrus. Totius eſt ſane boni initium, quod & ad corpus humanum præcipitur debilitandum, & à vitiis compeſcendum. Moyſes. Secundum verba tua quicunque quolibet die ieiunaverit ſimul & pœnituerit, peccatorum remiſſionem habebit. Petrus. Verum eſt.

E

Leu.23.

Moyſes. Quare igitur Deus diem illius ieiunij nominatim præcepit? Petrus. Vt in die determinato omnes convenirent, & ieiunantes pœnitentiam agerent. Moyſes, Et quare Apoſtoli veſtri hoc totum dimiſerunt? Petrus. Quia Chriſtus venit, & totam legem complevit, & quadraginta dies ieiunavit, ideo Apoſtoli diſcipuli ſcilicet ſui quadraginta dies in loco vnius præceperunt, quia magis valet ieiunium quadraginta dierum, quam vnius, & pœnitentia quadraginta dierum magis proficit quam vnius.

Matt 4. Luc. 4. Mar. 1. Quadrageſimale ieiuniū ab Apoſtolis inſtitutum.

Moyſes. De ieiunio ſicut placuit reſpondiſti. Sed quid dices de ſacrificiis, quæ de boue, capra, & ove, Dominus præcepit fieri, quod Apoſtoli veſtri prætermiſerunt, ac de pane tantum & vino ſacrificium fieri præceperunt? Petrus. Omnia ſacrificia quæ in lege Moyſi fieri præcepta & ordinata ſunt, nihil niſi figura & ſignificatio ſacrificij præcipui, quod venturum erat fuerunt, & vt gentes ſacrificiis ſe aſſuefacerent, & per illa agnoſceretur, quod ſicut ipſa conſuetudinaria iſta abluunt peccata, ita & per maximum ſacrificium maximum poſſet deleri peccatum.

1.Cor 10.

F

Vt autem Chriſtus ſanctus ſcilicet ſanctorum, & præcipuum ſacrificium venit, ac pro noſtra redemptione immolatus fuit, iam illa antiqua fieri ſacrificia neceſſarium non fuit. Poſtquam itaque ipſe Chriſtus, venit, iam illo vtimur ſacrificio, pane ſcilicet & vino, quod nobis ordinarunt Apoſtoli, immo Chriſtus ipſe dedit.

Sacrificium novæ legis Chriſtus.
Dan 9.

Et hoc ſacrificium ſimile eſt ſacrificio illi, quod in lege Moyſes præcipiens, ſacrificium toda, id eſt, laudis appellavit, & quod de pane tantum & vino in huius noſtri figuram præcepit. Quod & David venturum eſſe prænoſcens, & præ illo cætera omnia contemnens, inquit in pſalmo: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo. Immola DEO ſacrificium laudis.*

Matt.26 Mar.14. Luc 22. 1.Cor 11. Exod.15 Leu 2.7. 24. Num.28 Pſal.49

Per hoc enim inſinuavit, cætera ſacrificia omnia eſſe poſtponenda, & illud ſacrificium quod laudis vocabatur fore faciendum. Et hoc quidem ſacrificium noſtrum, laudis eſt. Illud enim faciendo, Deum laudamus de beneficio quod nobis fecit, per filium ſuum Ieſum nos ſalvando.

G

Sacrificiū laudis.

Moyſes. Et quid de carnibus illis dices, quas & in lege Moyſes manducari prohibuit, & Chriſtus etiam veſter non manducavit, Apoſtoli autem non ſolum eas manducari non prohibuerunt, immo etiam ipſi comederunt?

Leu.11.

Petrus. Cum omnia quæ Deus fecit bona ſint, teſtante ſcriptura, & dicente: *Quia vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Et Noë ac filiis eius dicat Deus, *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*, cum & Abraham & Iſaac & reliqui Patriarchæ, omnia quæ volebant comederint vſque ad Moyſen, & Moyſes etiam antequam ſuſcepiſſet legem, cur ergo in lege prohibitæ ſunt carnes manducari?

Gen. 1. Gen. 9. Carnes quare aliquæ immundæ.

H

Moyſes. Quoniam in mundi exordio quaſi ſylveſtres erant adhuc homines & beſtiales, nullatenus tam cito poſſent admoneri ad obediendum præceptis Dei. Quod Dei comperiens ſapientia, nequaquam ſimul omnia eis voluit dare præcepta, immo paulatim vnum dedit Adæ, videlicet ne de fructu quem prohibuerat præſumeret comedere, aliud vero Noë, ſcilicet carnem cum ſanguine non manducare, & homicidium non perpetrare, ſacrificia autem & circuncisionem præcepit Abrahæ.

Gen. 3. Gen. 9. Gen.17.

Cum autem Moyſes venit, & Deus filios Iſraël ſecum adiungere, & ab aliis gentibus diſcernere voluit, præcepta eis ſua præcepit, vt placuit, & carnes immundas ne inquinarentur in illis eis prohibuit, quin & eis inter mundas & immundas, ſignum diſcretionis dedit.

Leu.11.

Petrus. Et hæc immunditia quam de carnibus dixiſti, eſt ipſa corpus, vel res quæ accidat corpori? Moyſes. Neutrum, immo eſt res quædam ſpiritualis, qua in corpus deſcendit, nec ei tamen incrementum, vel detrimentum attribuit, ſed tale quid prohibet, quod ei nunquam antea prohibitum fuit, & hoc modis quatuor corpori ſe adiungit,

Cibus quomodo dicatur immundus.

A

vno quidem, quando corpori adhæret, ab ipſius creatione, nec ab eo in æternum ſecedit, veluti cum de patre & matre hæreditariè provenit, vt in porco videmus & aliis carnibus prohibitis. Secundo cum ei cum quo prius non fuerat adiungitur, ſed poſtea non ſeparatur, vt in mortuis ac leproſis videtur.

Num.19.

Tertio cum aliqua de cauſa ſuperveniente corpori adhibetur, & poſtea alia operis cauſa ſeiungitur, ſicut illi qui mortuum tangunt immundi ſunt, donec cineris conſperſione mundi fiant. Quarto autem, cum aliqua de cauſa corpori ſe adiungit, ac ſine opere vllo recedit, vt illi qui morticinium aliquod contrectarint tota die ſordidi, ſole vero occidente abſque purgatione aliqua mundi ſ nt.

Lev.11.

Quia autem carnes illæ immundæ fuerunt, ideo & à Moyſe prohibitæ ſunt, videlicet ne immundos facerent, qui eas comederent. Sed & ideo vt doctores veſtri aſſerunt, prohibitæ fuerunt ne duriciam cordibus inferrent, aut hebetudinem, ne intelligerent. Petrus. Hæc nempe duo vitia immundicia ſcilicet atque duricia, olim corporibus & carnibus accidebant,

B

quando ipſa adhuc generali peccato irretiti erant, & ſpiritus ſancti plenitudinem non habebant. Vt autem Chriſtus venit, & per baptiſmum credentium corpora mundificavit, & ſpiritus ſancti plenitudinem infundit, iam carne aliqua nec ſordidari corpus hominis, nec hebetari potuit. Et hoc teſtantur doctores veſtri, qui dixerunt poſt adventum Chriſti de incomeſtibili in comeſtibilem debebat converti. Hæc autem ratio de omnibus immundiciis poteſt dari. Sed & carnium abſolutionem proteſtatur Moyſes eſſe futuram poſt adventum Chriſti, loquens ad populum Iſraël verba huiuſmodi.

Deut.12.

Quando dilataverit Dominus Deus terminos tuos ſicut locutus eſt tibi & volueris veſci carnibus quas deſiderat anima tua, locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, vt ſit nomen eius ibi, procul fuerit, occides de armentis & ovibus, quæ habueris ſicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis vt tibi placet. Sicut caprea comeditur & ceruus, ita veſceris eis, & mundus & immundus in commune veſcentur.

C

Ante adventum quippe Chriſti termini Iſraël fuerunt anguſti, quia nec totam etiam terram habuerunt, quam eis per Moyſen Dominus promiſit. Dilatavit autem Dominus terminos Iſrael poſt adventum Chriſti, quando legem per totum mundum prædicaverunt Apoſtoli.

Cibus omnis Chriſti morte mundatus.

Sed & locus quem Dominus elegerat vt eſſet nomen eius ibi, iam procul eſt, quia deſtructum eſt antiquum illud templum Domini. Carne igitur omni, munda ſit, vel immunda, iam quilibet prove ſibi placet ſine vlla tranſgreſſione poteſt veſci. Quod autem ô Moyſes huc vſque dixi, vtique feci vt tuæ ſatisfacerem voluntati. Si vero aliter me vellem defendere, profecto novam legem dicerem nos habere, & legi Moyſi contrariam nullatenus eſſe. De præceptis enim Domini contrarium non eſt alterum alteri,

D

ſed quando tempus præcepti vnius eſt completum, aliud vt ſibi placet dat præceptum, quemadmodum de præcepto videmus, quod de carnibus comedendis Dominus Noë dedit,

Gen 9.

quia poſtquam Moyſes venit, & illud præcepti tempus completum fuit, Moyſi ipſi iam aliud præceptum de carnibus videlicet prohibendis donavit.

Lev.11.

Cuius iterum tempus poſtquam Chriſto adveniente completum fuit, iam ecce iterum illud antiquum quod Noe datum fuerat præceptum, de carnium videlicet abſolutione rediit.

Deut.18.

Et Dominus quidem Prophetam eſſe ſuſcitandum tanquam Moyſen, id eſt, Chriſtum qui novam legem videlicet daret ſicut Moyſes, quemadmodum ſupra diximus per Moyſen ipſum promiſit.

Eſai.11. Legem novam à Chriſto dandam Eſaias prædixit.

Rurſus de nova quam venturam eſſe prævidebat lege, hunc in modum Eſaias præcinuit. *Erit*, inquit, *in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.*

E

Quis eſt enim ô Moyſes mons iſte domini? Si enim de monte Sion dicere volueris, in quo domus Domini templum videlicet fuit, ratio vtique contradicit, quia nec in vertice montium ſitus eſt, cum etiam circa eum ſint alij colles ipſo celſiores, nec quod ſuper colles aliquando elevetur eſſe poteſt. Quid eſt etiam quod dicit, *ibunt populi multi & dicent, venite aſcendamus*, &c. *& docebit nos vias ſuas & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit, lex*, & reliqua. Quæ enim ſunt viæ illæ Domini, & ſemitæ eius vel lex, quæ de Sion erat egreſſura, & verbum quod de Hieruſalem? Nam neque de lege Moyſi, quæ omnibus nota eſt, diceret, hoc docebit nos vias ſuas, nec lex illa vetus de Sion, immo de monte Oreb exivit, nec de Hieruſalem, ſed de Syna verbum Domini quod Moyſes annuntiavit.

Exo.20. Deut.5.

Sic igitur intelligenda eſt prophetia. Sancta quidem Eccleſia proculdubio domus eſt Domini, montibus vero reges & collibus Prophetæ ſolent comparari.

F

Mons autem, id eſt, Rex ſanctæ Eccleſiæ, Chriſtus videlicet, ſuper quem fabricata eſt Eccleſia ipſa, & in vertice montium præparatus & ſuper colles eſt elevatus, quia & ſuper omnes reges & ſuper omnes Prophetas ſublimatus eſt & honoratus. Et merito de ſancta Eccleſia & Chriſto dicit Propheta: *Fluent ad eum*, id eſt, ad Chriſtum, *omnes gentes*, quia de omnibus gentibus crediderunt in eum complures dicentes:

Eſa.11.

Venite aſcendamus ad montem Domini, id eſt, ad Chriſtum, quem Dominus omnium regem conſtituit, *& ad domum Dei Iacob*, id eſt, ad ſanctam Eccleſiam, *& docebit nos vias ſuas*, id eſt, doctrinam legis ſuæ, *& ambulabimus in ſemitis eius*, id eſt, in obſervationibus legis eius, quæ nova eſt, ſicut novas vias ſemitas appellamus. Quod autem ſequitur, *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*, inſinuat, quod lex Chriſti de Sion, & verbum eius de Hieruſalem egreſſurum fuit.

Lex de Sion exibit & verbum de Hieruſalem pulchre exponitur.

G

Nam in Sion ſuper Apoſtolos Spiritus ſanctus venit, cuius adventus, legis fundamentum extitit, atque ab ipſo data, ac per ipſum prædicata fuit, & in Hieruſalem priuſquam alibi, & Apoſtoli, & Chriſtus ipſe prædicavit, & inde per totum mundum prædicatio exivit. Patet itaque quia de nova hæc lege Eſaias prophetavit. Item de nova lege ſic loquitur Hieremias: *Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Iuda fœdus novum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti.* Vbi enim in Latino habetur fœdus nouum; in Hebraico invenies, berith, hadaſa, quod interpretatur lex nova Moyſe atteſtante, qui multis in locis præcepta legis ſuæ berith, appellat. Ipſe enim Hieremias quod de nova lege *fœdus novum* dixerit, innuit cum ait: *Non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti.*

H

Hic namque apertè loquitur de pacto, id eſt, de lege illa quam dedit Dominus Moyſi in deſerto poſt egreſſum Ægypti. Moyſes. Satis diuque de lege noſtra & veſtra & alterna alternatione diſputavimus, & obiectiones meas omnes prove placuit perſoluiſti, & nihil contra te explicare potui. Sed vnum quod adhuc quaſi in theſauro tibi reſervavi, quod cum oppoſuero te abſque defenſione confido poſſe ſuperari, quia non invenies quod contra valeat reſponderi. Petrus. Et quæ eſt res hæc tantæ valentiæ & vigoris, de qua tibi tantum præſumis, & mihi vſque adeo minitaris? Moyſes. Tale quid profecto eſt, quod vos contra Deum, & omnes Prophetas facitis, videlicet quod in nemore arborem quandam conciditis, & poſtea artificem lignarium, qui illam ſecet, ſculpat, & in hominis ſpeciem formet, poliat, & depingat, exquiritis, & imaginem illam in veſtris Eccleſiis in celſiori videlicet loco conſtruitis, & adoratis. Vnde etiam Eſaias ad increpationem & opprobrium veſtrum dicit his verbis:

Eſa 44.

Artifex lignarius extendet normam formavit

A *illud in runcina, fecit imaginem viri quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo.* Et poſtea in eadem: *Non recogitant in mente ſua neque cognoſcunt, neque ſentiunt vt dicant: Medietatem eius combuſſi igni, & coxi ſuper carbones eius panes, coxi carnes & comedi & de reliquo eius idolum faciam? Ante truncum ligni procidam? Pars eius cinis eſt. Cor inſipiens adorat illud & non liberabit animam ſuam, neque dicet. Forte mendacium eſt in dextera mea.* Petrus. Non eſt ſane res vt putatis. Neque enim idola fabricamus, nec adoramus, imo crucem facimus & ei imaginem hominis ſuperponimus, & per crucem quidem altare, per imaginem ſacrificium quod ſuper altare eſt deſignamus. Sicut tamen ſuper altare animalia ſacrificabant, ita & ſuper crucem immolatus fuit Dei agnus: & ſicut de lapidum reliquiis quibus altare conſtruebant, cura nulla erat quid fieret, ita & de reliquiis crucis vel ſupra impoſitæ imaginis quid fiat non curamus. Sicut etiam Salomon & alij ante altare procidentes, nequaquam illud, immo Deum ſolum adorabant. Ita & nos ante crucem genua flectentes, nequaquam crucem illam aut imaginem ſuperpoſitam, immo Deum Patrem & Filium ſuum Ieſum Chriſtum adoramus. Moyſes. Ratio utique eſſet quod dicis, ſi crucem illam ſuper quam immolatus eſt Dei agnus haberetis. Sed nunc adoratis crucem aliam, ſuper quam nunquam fuit agnus ille immolatus. Petrus. Profecto crucem illam vbique habere non poſſumus, quare nec mirum nec malum eſt, ſi cruces alias ad eius ſimilitudinem faciamus, vt qui illam Chriſti crucem non viderunt, alias ſaltem quæ ad illius ſimilitudinem factæ ſunt videant, & ſacrificium quod in illa factum eſt recordentur atque intelligant quemadmodum etiam filij. Sed & filij Ruben altare conſtruxerant trans Iordanem ad ſimilitudinem altaris illius Hiericho, vt filij ſui & vxores, qui aſcendere non potuerunt illud aſpicerent, in teſtimonium tantum alterius & cognitionem, ſicut in libro Ioſue ſcriptum poteris invenire. Moyſes. Multum certe tibi dedit Deus ſapientiæ, & te plurima illuſtravit ratione, quod in te ſcripturæ intelligentia tanta ſit, vt te ſuperare nequeam, immo quod contradicam non habeam. Petrus. Hoc proculdubio donum ſancti Spiritus, baptiſmi gratia contulit, quæ corda noſtra ita illuminat, ne falſi aliquid credere præſumamus. Quod ſi tu quod credimus, ipſe etiam crederes, & baptizari te faceres, eandem Spiritus ſancti illuminationem haberes, vt & quæ vera ſunt agnoſceres, & quæ falſa reſpueres. Nunc autem, quoniam ſuper te pietatem habeo, Dei miſericordiam imploro, vt Spiritus ſui plenitudine te illuſtret, & finem meliorem quam principium tibi præſtet. Amen.

Imagines ſanctorum honorandæ.

Crucis imago quomodo colenda.

B

Ioſue 22. Altare erexerũt Rubenitæ.

C

D

Finis Dialogus Petri cum Moyſe.

E

ODONIS
EX ABBATE PRIMO TORNACENSI,
Epiſcopi Cameracenſis Eccleſiæ.
OPVSCVLA SACRA.

Sacri Canonis Miſſæ expoſitio.
De Peccato Originali libri tres.
De Adventu Chriſti filij Dei dialogus.
De Blaſphemia in Spiritum Sanctum liber unus.
Homilia de Villico iniquitatis.

NVNC PRIMVM STVDIO Andreæ Scotti S. I. maxima ex parte in lucem edita.

F

NOTA PATRIS LABBE *Societatis* IESV.

ODo Cameracenſis Epiſcopus, ex Aurelianenſi Scholaſtico & Abbate S. Martini in vrbe Tornacenſi, ſedit ab anno circiter 1105. ad 1113. quo exul obiit 13. Kalendas Iulij ſive 19. Iunij, ac ſub tumulo marmoreo ſepultus eſt in monaſterio Aquicinctino prope Duacum Ordinis S. Benedicti. De eo Henricus Gandavenſis cap. 4. Ioannes Trithemius, Poſſevinus qui ex uno duos fecit, Ioannes Molanus, Aubertus Miræus, David Lindanus in Tenera munda, Valerius Andreas, aliique Belgæ, qui etiam meminerunt Epiſtolæ de eius obitu ſcriptæ ab Amando de Caſtello, qui ex priore Aquicinctino factus eſt poſtea Abbas Marchianenſis. Sunt qui Odoardum etiam dictum & civem Aurelianenſem fuiſſe exiſtiment.

G

Domini Odonis Cameracenſis Epiſcopi, præfatio in tractatum ſuper Canonem Miſſæ.

ODo Cameracenſis Eccleſiæ miniſter indignus, Odoni dilecto filio ſuo, ſub venerabili Abbate Haſliginenſi Fulgentio, dominicis caſtris militanti, ſalutem. Præſumptionis argui timeo, quod auſus ſum rem difficilem contingere, & extendere conatus in alta profunditate: ſcilicet exponere Canonem altaris, & probare tanta myſteria, ſicut ſcriptum eſt: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Sed quomodocumque me iudicent alij, tu ſcis frater, quanta precum inſtantia me viciſti, vt tantum onus ſuſtollerem: magis credens adiuvari devotione & precibus tuis, quam mea virtute. Impium enim erat tanto deſiderio non acquieſcere, etiamſi vires excedat: & iudicavi magis ſub faſce ruendum, quàm tibi omnino contradicendum. Itaque confiſus in Dei auxilio, vt tuis precibus tibi cœpi præſens apud te, & abſens perfeci ſine te. Oro autem, vt textus cuiuſque capituli, præſcribatur expoſitioni totius: ne cito præſumantur additiones vel detractiones, vel mutationes in ſacro Canone: quod nefas ducimus fieri, ſine Romano Pontifice.

H *Eccl. 3.*

A

TEXTVS CANONIS, PRIMA DISTINCTIO.

Te igitur clementiſſime Pater, per Ieſum Chriſtum filium tuum, &c.

EXPOSITIO DOMINI ODONIS.

QVIA dignum & iuſtum eſt nobis tibi agere gratias: *Te igitur clementiſſime Pater* rogamus, vt à nobis ſacrificium accipias. Et quia noſtras voces ſupplici confeſſione admittis, *Te igitur clementiſſime Pater per Ieſum Chriſtum filium tuum ſupplices rogamus*, & reale ſacrificium acceptari: vt laudes vocum ſubſtantiale ſequatur ſacrificium. [*Rogamus & petimus.*] Rogatio oſtendit humilitatem, petitio confidentiam, qui aliquid implorat, humilitatem debet oſtendere, & de impetratione confidere. Itaque ſupplices rogamus, confidenter petimus. Vnde ſcriptum eſt: *Petat à Domino nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris.* Et iterum: *Quicquid credentes petieritis, accipietis.* [*Vti accepta habeas & benedicas.*] Accepta, id eſt grata & placita. Accepta habeas, culpis noſtris data venia: non offenſus, imo noſtra devotione placatus. [*Et benedicas.*] multiplicando gratiam, augendo dignitatem, imo convertendo in excellentiſſimam immortalitatis & incorruptionis creaturam. [*Hæc dona.*] Hæc dona quæ tibi donamus, vt tibi maneant per tuam benedictionem firmata: hæc dona, quæ tibi donamus, vt apud te conſiſtant per tuam benedictionem incorrupta: Hæc dona, quæ tibi donamus, vt fiant tibi Deus aſſumpta. Siquidem verbum caro factum eſt. [*Hæc munera.*] Solemus illos munerare, à quibus aliquid molimur obtinere. Hæc munera, quibus te in pane terreno muneramus vt obtineamus cum cœleſtem: Hæc munera, quibus in corporali cibo te muneramus, vt alimentum inde ſpirituale conſequamur. Hæc munera, quibus te muneramus in ſubſtantia panis & vini, ut percipiamus inde corpus & ſanguinem Chriſti. [*Hæc ſancta ſacrificia illibata.*] Sancta quia Deo oblata: Illibata, quia adhuc integra & intacta. Neque enim contingi debent, donec ſumpſerint vim ſpiritualem, & converſa fuerint in Chriſti corpus & ſanguinem. Nam prius ſumpta, corpus tantum paſcerent. Vnde quidam ſuperioribus adiungunt quod ſequitur, ſic diſtinguendo, Illibata imprimis: id eſt intacta primum quouſque divina benedictione munita, ad ſalutem ſumantur animæ & corporis. Ex hoc verbo admonemur, vt appoſitus panis integer ſit & nulla fractione vel læſura violatus. (*Imprimis, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica.*) Imprimis, quod ſuperioribus iungitur ſecundum prædictum ſenſum, iungitur etiam inferioribus, ſignificando quod offeramus hoſtiam, primum pro tota Eccleſia, deinde pro aliis qui ſequuntur. [*Quam pacificare*] ab hoſtibus viſibilibus & inviſibilibus: vt nec hominum perſecutionibus conculcetur, nec inſtinctu dæmonum criminibus polluatur. (*Cuſtodire*) in ipſa pace (*Adunare.*) Ne ſchiſmatibus vllis & hæreſibus dividatur, ſed in vnitate Sacramentorum Catholicæ fidei, in omnibus tota adunetur Eccleſia. (*Et regere digneris toto orbe terrarum*) vt in ſuis conſiliis, diſpoſitionibus, iudiciis, decretis, inſtitutis, actionibus nullo decipiatur errore, & in omnibus tuo ducatur moderamine. (*Vna cum famulo tuo Papa noſtro, & Antiſtite noſtro, & Rege noſtro, & omnibus orthodoxis, atque Catholica & Apoſtolica fidei cultoribus.*) De toto deſcenditur ad partes: vt cum imprimis pro tota Eccleſia, oratio fieret, poſtea de ſingulis ſolliciti ſimus. Alio námque tota Eccleſia eget regimine, alio ſingulæ Eccleſiæ, & alio ſinguli homines. Alia cura rebus eſt exhibenda publicis, alia privatis. In tribus autem perſonis pro quibus orandum propoſuit, hoc obſervandum videtur, vt pro Papa vero, & Antiſtite, & Rege, orent reliqui preſbyteri. (*Orthodoxis,*) id eſt, vita & doctrina glorioſis, quorum fama dilatatur in populo, merito vitæ & doctrinæ. (*Fidei cultoribus*) non fidem tantum habentibus. Aliud eſt enim fidem habere, & aliud fidem colere, fidem colit, qui ſtudet & intendit ſecundum fidem vivere: cum multi fidem habeant, qui hoc non faciant.

Marc. 11. Iacobi 1. — *Qui fidei cultores.*

B C D E F

TEXTVS CANONIS, DISTINCTIO SECVNDA.

Memento Domine famulorum famularúmque tuarum, N. N. & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, &c.

EXPOSITIO DOMINI ODONIS.

PRIMA periodus huc uſque protenſa pro tota Eccleſia, omnibuſque fidei cultoribus orat. Secunda, quæ hic incipit, pro præſentibus ſe accingit, qui ſancti ſacrificij ſunt aſtipulatores & cooperatores. (*Memento Domine famulorum famularúmque tuarum & omnium circumſtantium*) id eſt, Memento quidem eorum quos ſupra propoſui, id eſt, omnium Catholicæ fidei cultorum, tam maſculorum quàm fœminarum, & omnium circumaſtantium, ſcilicet qui corporaliter aſſunt, ſanctorum cooperatores myſteriorum. Neque enim tanta ſufficio Sacramenta conficere; niſi collectæ multitudinis adiutus oratione, quam prius etiam ſum hortatus ad orationes, dicendo: Orate fratres. Et ſicut prima periodus, à toto deſcendit ad partes, ita ſecunda hæc ab vniverſali procedit ad particulare. Omnes vero circumaſtantes, particulariter ſequuntur. Et ne præſentibus interſint aliqui fidei prævaricatores, & vitioſæ vitæ, ſubiungitur. (*Quorum tibi fides cognita eſt*) id eſt, qui probatæ fidei ſunt, & depoſitionis apud te: Cognoſcere etenim Dei, approbare eſt. Aliter, (*Memento Domine famulorum famularúmque tuarum.*) Et quia conſequens in quibuſdam codicibus invenitur, N. litera, aliquorum fieri memoriam nominatim, ſignificatur. Vnde quidam uſu tenent hoc in loco memorandi, quos chariores habent, conſequenter ſubiungentes: Et omnium circumaſtantium, vt facta memoria charorum abſentium, fiat & aſtantium. (*Et omnium circumaſtantium.*) Cum primitus miſſæ ſine collecta non fierent, poſtea mos inolevit Eccleſiæ, ſolitarias & maxime in cœnobiis fieri miſſas.

G — *Sacerdos aſtantiū precibus iuvatur.*

H — *Nota attente.*

Et cum non habeant quam pluraliter collectam ſalutent, nec plurales mutare poſſunt ſalutationes, convertunt ſe ad Eccleſiam, dicentes ſe Eccleſiam in Eccleſia ſalutare, & in corpore totum corpus alloqui, & virtute totius communionis in Eccleſia confici ſancta myſteria per gratiam Dei, nec eſſe quemquam alicubi infidelium, qui vivificorum non fiat particeps & cooperatorius ſacroſanctorum, dum in corpore Eccleſiæ adhæret capiti, velut vtile membrum. Secundum quem ſenſum, in hoc loco circumaſtantes accipiuntur omnes vbique fideles, qui in vnitate totius corporis, & ſibi adhærent invicem, & ſummo capiti: vt quicquid boni fiat in toto corpore, ab eo nullo modo ſit alienus, quiſquis ab ipſo corpore non eſt diviſus, ſed omne bonum cuilibet membro in ſalubrem ſuccum miniſtretur, vt totum corpus vegetetur à Spiritu

A

Dei. Et hoc modo repetitur oratio, quæ prius facta eſt pro omnibus Catholicæ fidei cultoribus à ſolitariis dicentibus frequēter iterandas orationes, ut ſaltem importunitate vincatur Deus. [*Quorum tibi fides cognita eſt*] id eſt, Ideo Domine memento omnium circumſtantium, omnium ſcilicet fidelium, quia eorum tibi fides cognita eſt & nota devotio. Sic ſolitarij hunc locum intelligunt. [*Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.*] Non ſolum ſacerdotes & clerus, [qui ſecundum diverſos gradus divinis occupantur divitiis] offerunt, ſed etiam audientes, qui votis & orationibus aſſiſtunt cooperantes, & oſculo pacis tanquam communicant, confirmantes quod actum eſt. [*ut ſacrificium laudis*, vere laudis eſt divinæ hoc ſacrificium, ſicut in hoc officio teſtati ſumus: dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Deo Patri gratias agere, & cum laudibus Angelicis precati ſumus noſtras voces admitti. [*pro ſe ſuiſque omnibus*] pro nobis offerimus, quando ſacrificio poſcimus Deum habere, & tutorem contra pericula corporis & animæ, & propitium ad obtinendos ſucceſſus bonos in utra parte. Pro noſtris omnibus quando oramus pro amicis noſtris & rebus. Supplicamus enim pro pace amicorum, quando ſunt in bello: pro tranquillo reditu, ſi ſint in itinere: pro ſanitate, ſi in infirmitate decumbunt: pro converſione, ſi perversè vivunt: & contra amicorum incommoditates, ut adiuvante Deo evadant. Pro rebus noſtris frequentes in libris Miſſalibus invenimus poſtulationes. Oramus enim tempore ſacrificij contra incendia, pro locis noſtris: contra nimiam aëris ſiccitatem, vel tempeſtatem, pro fructibus noſtris: contra peſtem pro animalibus noſtris: contra alia damna, pro rebus aliis. Habemus enim ſecundum Apoſtolum in Chriſto conſolationem præſentis vitæ & futuræ. [*Pro redemptione animarum ſuarum.*] Hoc enim ſolum eſt ſacrificium quo redimi potuimus, cuius bonum ſufficit contra noſtrum malum, quod magis eſt bonum, quam peccatum noſtrum ſit malum, & ideo maiori precio redimit nos à noſtro malo. [*Pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ.*] Hoc ſacroſanctum ſacrificium, non ſolum liberat nos à malis, ſed etiam accumulat nos bonis, non ſolum nos eripit à pœnis, ſed etiam auget gaudia ſalutis & incolumitatis. Salutis [inquam] æternæ animarum, incolumitatis, id eſt, incorruptionis perpetuæ corporum, & hoc eſt pro quo offerimus tam precioſum munus. [*Tibique reddunt vota ſua.*] Offerendo ſacrificium laudis, reddunt tibi vota ſua. Aliter forſitan vota ſua non redderent, niſi tale ſacrificium offerrent. Adiuvantur ſacrificij virtute, ut vota queant reddere: Difficile eſt comprimere vitia: virtutes in habitum trahere. Sed ut hæc vota queant reddere ſancti, à Deo neceſſe habent roborari, [*Aeterno Deo, vivo & vero.* Ad differentiam falſorum Deorum & inſenſibilium, quibus gentes fruſtra ſolvebant. communicantes, Tibi offerunt ſacrificium laudis, tibique reddunt vota ſua. [*communicantes.*] Extra communionem namque non eſt locus offerendi Deo veri ſacrificij vel vota ſolvendi, [*Et memoriam venerantes.*] Aliter Deo gratum non offerimus ſacrificium, aliter Deo utiliter vota non ſolvimus, niſi memoriam ſanctorum veneremur. Qui enim membra Chriſti non honorat, nec Chriſtum, qui caput eſt honorare poteſt. Et qui non honorat filium, non honorat illum qui miſit illum. Honoremus ergo caput in membris, Deum in ſanctis ſuis: ut eorum meritis precibuſque, in omnibus protectionis divinæ muniamur auxilio. [*In primis glorioſæ*, &c. uſque *Muniamur auxilio per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.*] In veneratione ſanctorum hæc ratio cuſtodienda eſt, ut primum & ſuper omnes beata Dei genetrix honoretur, ſecundo Apoſtoli, tertiò ſancti martyres, inde alij ſancti omnes. [*Hanc igitur oblationem.*] Quia hoc ſacrificium tibi offerimus in corpore Eccleſiæ communicando, & memoriam ſanctorum venerando. Igitur hanc oblationem, precamur, ut [*placatus accipias:*] ut ſcilicet ſi peccatis noſtris præpedimur, communione ſaltem ſanctæ Eccleſiæ & ſanctorum tuorum veneratione placeris ad accipiendum quod tibi offerimus ſacrificium. [*Servitutis*] id eſt, cleri, tibi [qui ſecundum acceptos gradus in hac oblatione ſacrificij ſervimus] [*Sed & cunctæ familiæ tuæ,*] id eſt totius aſſiſtentis collectæ. Solitarij ſic intelligunt ſervitutis noſtræ, id eſt, me cum meo miniſtro. Sed & cunctæ familiæ tuæ, id eſt, cunctæ Eccleſiæ. [*Quæſumus Domine*, &c. uſque ibi *grege numerari per Chriſtum Dominum noſtrum*] *Dieſque noſtros in tua pace diſponas.* Signanter tua poſuit. Eſt enim pax mundi, eſt & pax Dei. Pax mundi inutilis, pax Dei ſalubris. Pacem conſtituit mundus, ut libere liceat uti voluptatibus. Pacem dat ſanctis Deus, ut mandatis intenti divinis ſecretè ſtudeant virtutibus.

Offert cum ſacerdote & populi devotio.

1. Tit 4.

Nota d ſanctorū venerationibus.

Pax duplex.

TEXTVS CANONIS, DISTINCTIO TERTIA.

QVam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui, Domini noſtri Ieſu Chriſti.

EXPOSITIO DOMINI ODONIS.

IN ſuperioribus periodis prima ſcilicet & ſecunda, oravimus pro Eccleſia, pro fidei cultoribus, pro aſtante collecta. Hæc tertia periodus quam ingredimur maxime occupatur circa ſacrificium, ut fiat perfectum, & in aliam mutetur ſubſtantiam immortalem, & incorruptam. (*Quam oblationem* & cætera, uſque: *Acceptabilemque facere digneris.*) In omnibus benedictam gloria, ut glorioſa fiat: benedictam immortalitate, ut fiat immortalis: benedictam incorruptione, ut incorruptæ fiat: benedictam divinitate, ut Deus fiat. Tranſit ad partes à toto, ut univerſalis benedictionis partes imprecetur hoſtiæ, cui univerſam benedictionem fuerat imprecatus, ut cum prius poſuerit in omnibus benedictam particulariter ſubiungat, aſcriptam, & ratam, & rationabilem, & acceptabilem, quæ ſunt partes omnimodæ benedictionis. (*Aſcriptam:*) Scimus quia in Trinitate quæ Deus eſt, *Filius ſit ſplendor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Qui ergo figura & imago eſt patris, patrem imaginatur & effigurat, quaſi ſculptura quædam eius, vel ſcriptura in qua pater ſplendet: Id eſt, bene apparet: ut rectè filius dicatur ſplendor eius. Eſt ergo pater inſculptus atque inſcriptus filio, cuius figura filius eſt & imago, ut filius ſit eius ſcriptum, quem ſibi habet inſcriptum. Aliter filius dicitur ſcriptum, quia habet in ſe formam omnium rerum.

Heb. 1.

Sic enim omnia creata ſunt, ut divini verbi formæ digeſſerunt: nec aliter in eſſentiam prodierunt, quam in verbo ſummo formæ dictaverunt. Non ſunt ibi aliud formæ, aliud ipſum verbum, ubi nihil eſt aliud & aliud, ſed omnia ſunt idipſum: ut quamvis formarum diverſitas intelligibiliter ibi ſubluceat, non ſunt tamen omnia niſi unum & idipſum verbum: & quamvis ibi eſt vera & perfecta unitas, ibi tamen, ſecundum creatas res quædam apparet diverſitas: ſicut cum *ſemel locutus eſt Deus* in Pſalmo, Propheta duo intelligit in uno verbo.

Vnde ſcriptum eſt. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Factum eſt de nihilo, erat tamen in verbo: Factum eſt realiter, erat æternaliter. Erat in ſumma arte, factum eſt in re. Vivebat in ratione artificis formaliter, factum eſt in realitate ſubſiſtendi ſubſtantialiter. De nihilo prodiit, ut ſubſtantialiter eſſet. quod factum eſt. In verbo vivebat, ut formaliter eſſet an-

Pſ. 61. Ioan. 1.

A

tequam ſubſtantialiter eſſet. Factum eſt multiplex, Verbum eſt ſimplex In verbo ſimplex erat, quod multipliciter factum eſt. Mirabiliter videtur in vno pluralitas, in ſimplici multiplicitas : videtur & non comprehenditur. Poteſt videri, nequit explicari, quomodo unum verbum inſcriptum ſit omnibus formis omnium rerum, ſicut alibi ſcriptum eſt : *Calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Pater eſt ſcriba, qui verbo ſuo velociter inſcribit omnia. Velociter ſcribit, quia alterum non moratur pro altero. Velociter ſcribit, quia ſine mora ſcribit, omnia. Eſt ergo Filius Dei, verbum ſcriptum. Sed & corpus aſſumptum, recte dicitur ſcriptum. Sicut enim vox tranſitoria ſcribitur, ut quæ per ſe fugit, ſcripto permaneat : ſic corruptibile aliquid ſcribitur, cum in incorruptum tranſit : ut quod corruptione tranſitorium erat, ſcripto incorruptionis permaneat. Sic ergo corpus Chriſti quoddam ſcriptum eſt, quod de paſſibili carne impaſſibile factum eſt in reſurrectione, & de pane terreno quotidie fit cœleſtis, ſuper altare. Sic ergo in Chriſto, & verbum dicitur ſcriptum, & corpus etiam nihilominus dicitur ſcriptum. Quid autem eſt aſcriptum, niſi ſcripto appoſitum ſcriptum? eſt ergo corpus Chriſti non ſolum ſcriptum, ſed etiam aſcriptum, id eſt ſcripto appoſitum ſcriptum, id eſt verbo corpus adiunctum: Quando igitur oramus hoſtiam fieri aſcriptam; quid aliud optamus niſi ut quæ adhuc eſt panis corruptibilis, fiat ſubſtantia incorrupta? id eſt, de voce fiat ſcriptum, ſcripto, id eſt verbo, adiunctum. Fac ergo Domine noſtram oblationem aſcriptam, id eſt, ſcriptum ſcripto adiunctum, ut pretioſum Chriſti corpus fiat, verbo Dei adunata, & in unitate perſonæ coniuncta. (*Ratam* Ratum dicimus, quod certum & fixum habemus. Fiat ergo rata, id eſt, non remaneat inſtabilis & mutabunda corruptione, ſed permanens & fixa fiat incorruptione, & ideo certa. (*Rationabilem.*) Sanguis taurorum aut vitulorum non ſufficit expurgare nos à peccatis. Minor eſt enim ad hominem. Pro homine ergo rationali, rationalis hoſtia ſufficit ſola. Fiat ergo noſtra hoſtia rationalis: ſiquidem homo aſſumptus à verbo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtit. Fiat hoſtia noſtra rationalis, ut hominem verum pro hominibus offeramus, & in hoſtia rationali Deus propitietur hominibus. Fiat rationabilis, ut offeramus rationabiliter. Nam qui offert emendari non ſtudens, offert irrationabiliter. Qui offert habens cor impœnitens, irrationabiliter offert : ſicut Cain recte quidem offerens, ſed non recte dividens. Recte quidem obtulit Deo, ſed non recte diviſit, qui emendari non ſtuduit. Vnde ſcriptum eſt: *Ad Cain & ad munera eius non reſpexit.* Nam quem Deus non novit, nec oblationem eius recipit peſſima namque hoſtia, irrationabilis eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Qui non audit legem, oratio eius erit execrabilis.* Fiat ergo rationabilis hoſtia, ut rationabiliter eam cum timore & pœnitentia offeramus. Vel fiat rationabilis hoſtia, id eſt, pro rationabili & recta vel honeſta cauſa.

Pſal. 44.

B

Quid ſit hoſtiam fieri aſcriptam.

Heb. 10.

C

Gen. 4.

Prov. 28.

Si quis enim offerat, ut quæ furto ablata ſunt reinvenire, ſeu hoſtem occidere, vel rapinam perpetrare, ſeu nummos aut gratiam acquirere valeat, rationabilis non dicitur offerendi cauſa, ideo nec acceptabilis eſt talis hoſtia. Hoſtia ergo noſtra & merito offerentium, & offerendi cauſa fiat rationabilis, ut conſequenter fiat etiam acceptabilis. (*Acceptabilem*) Non poteſt non eſſe acceptabilis, quæ ſuperiores tres ſpecies reſpicit omnimodæ benedictionis. Non poteſt Deum odiſſe Deus. Sed quia *charitas eſt Deus*, diligit Deum Deus, & acceptabilis eſt Deo hoſtia quæ Deus eſt. Quid ergo oramus fieri acceptabilem, quæ non poteſt diſplicere? Nam quæ acceptabilis eſt per ſe, diplicet pro offerente. Pro offerente reſpuitur, quæ quantum ſua refert acceptatur.

D

1. Ioan. 4.

Acceptatur pro ſanctis, non acceptatur eadem ipſa pro impiis. Pios adiuvat, impios damnat. Piis prodeſt ad ſalutem, nocet impiis ad damnationem (*Vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti*) Poſuerat ergo in omnibus benedictam, ſubiunxit quatuor ſpecies : Aſcriptam, ratam, rationabilem acceptabilem. Sed hæc omnia clauſa erant, minus intelligebantur, minus patebant : aperuit oſtium, pateſecit totum, ſcilicet ut nobis fiat corpus & ſanguis Chriſti. Hic totum completur, hic totum perficitur, ut fiat corpus & ſanguis Chriſti tantum. Solum Chriſti corpus & ſanguis eſt hoſtia in omnibus benedicta, aſcripta, rata, rationabilis, acceptabiliſque. [*Vt nobis corpus & ſanguis fiat.*] Signanter poſuit [*nobis*] id eſt, catholicæ fidei cultoribus. [*Nobis*] excluſit paganos, excluſit Iudæos, excluſit hæreticos. *Nobis* communicantibus, memoriam ſanctorum venerantibus.

E

Non eſt enim locus veri ſacrificij, extra Catholicam Eccleſiam. [*Qui pridie quam pateretur*, uſque *manus ſuas*] [*Accepit panem*] adhuc panem, nondum carnem. [*Et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem omnipotentem tibi gratias agens benedixit.*] Benedixit, ſuum corpus fecit. Qui prius erat panis, benedictione factus eſt caro. Modo caro, iam non panis. [*Ac fregit.*] O miraculum, frangebatur inter digitos, ſedens incolumis inter diſcipulos. Erat integer, & dividebatur in partes : in manibus tenebat ſeipſum, & de manibus diſcipulis ſe porrigebat edendum. Hoc ſignabat *David*, qui ſecundum aliam tranſlationem *coram Achis rege in ſuis manibus ferebatur.* Sic nos quotidie Chriſtum in altari conſumimus, & permanet : Manducamus, & vivit : atterimus dentibus, & integer eſt. Conſumimus autem, manducamus, & atterimus, non tantum ſpecie, ſed & re : non ſolum forma, ſed & ſubſtantia. Et miro modo conſumitur permanens atteritur incorruptus, diſtribuitur indiviſus, ſicut poſt reſurrectionem, palpandum præbuit ſpirituale corpus. Cum ſimili contrarietate non ſit palpabile quod ſpirituale eſt, nec ſit ſpirituale quod ſit palpabile. In ſpecie enim & ſapore panis & vini manducamus & bibimus ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis, ſub eiſdem qualitatibus mutata ſubſtantia : ut ſub figura & ſapore ſubſtantiæ prioris, facta ſit vera ſubſtantia Chriſti corporis & ſanguinis. [*Dedit diſcipulis*, &c. uſque *corpus meum*] Patet quod panis accepta benedictione factus ſit corpus Chriſti. Non enim poſt benedictionem dixiſſet. Hoc eſt corpus meum, niſi in benedictione fieret corpus ſuum. [*Simili modo poſteaquam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem.*] Si Chriſtus accepiſſet calicem cœnæ, dicitur hunc accepiſſe. Vnus ergo calix eſt hic & ille. Niſi enim unus ſit, dici non poteſt in illo hunc accepiſſe.

F

1. Re. 21.

Non enim panis tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti, niſi virtute illorum verborũ, hoc eſt corpus meum, nec ante eſt corpus per nullã benedictionem, quâ proferãtur illa verba, quæ ſanè ſuas efficaciter operatoria tranſſubſtantiationis. Vide S. Thom. 3. p. q. 78. a. 4.

G

Eſt ergo unus etiam quando in altari manibus accipitur ut benedicatur, & nedum ſanguis eſt, ſed eſt adhuc vinum, propter unitatem fidei, & illius cui, & in cuius honore fideliter offertur. Ea enim fide quotidie accipitur benedicendus, ut modo fiat quod tunc futurus erat. Et quia hæc fides una eſt in tota Eccleſia, & ille unus cui tunc & modo offertur : ideo & calix cum accipitur, etiam ad divina verba eſt unus : ſicut & omnium Eccleſiarum altare dicitur unum, quia in eo ſecundum unam fidem, unum Dominici corporis offertur quotidie ſacrificium. [*Præclarum*] Præclarum dicit calicem adhuc vini, uſque dum ſtatim fiet præclarus, quando ſanguis erit, ſicut ſcriptum eſt. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Vel ad comparationem eius quem obtulit Melchiſedech, & cæterorum veteris teſtamenti, vel propter præclaram illius maieſtatem, cui offertur. Vnde & in ſequentibus dicitur.

Vnus idemque calix eſt, quem Chriſtus

H

côſecravit, & quem Eccleſia.

Pſ. 22.

Offerimus præclaræ maieſtati tuæ. [*Calicem*] Metaphorice id quod continet pro eo quod continetur, id eſt vas pro liquore vini & aquæ. [*In ſanctas*, &c. uſque *Benedixit*] id eſt ſanguinem ſuum fecit. *Dedit diſcipulis*, &c. uſque *ſanguinis mei*, Intranſitive dictum eſt: & eſt ſecundum figuram caſus pro caſu. Calix ſanguinis mei, ac ſi diceret calix ſcilicet ſanguis meus. Similiter hic patet quod benedictione fuerit factus ſan-

A guis. Ad benedictionem enim præmiſſam ſubdidit. Hic eſt calix ſanguinis mei. [*Noui & æterni teſtamenti.*] Nouum enim Euangelij teſtamentum in æternum confirmauit ſanguine mortis ſuæ. Sic Abraham oblatis ouibus & bobus, cum Abimelech & Phicol Principe militiæ percuſſit fœdus: id eſt oues & boues percuſſit in fœdus, vt ſanguine animalium & morte fœdus confirmaretur. Et Iacob fugiens in Galaad, facto iuramento cum auunculo ſuo Laban, immolauit victimas, vt ſanguine victimarum fœdus iuramenti confirmaretur. Et Moyſes vt confirmaret teſtamentum quod accepit in Syna, victimæ ſanguinem aſperſit hyſopo, in totum populum, & tabernaculum. [*Myſterium fidei*] pertinet ad fidem catholicam, credere poſt benedictionem eſſe verum ſanginem, vt infidelis ſit qui hoc non crediderit. Item dicitur myſterium quod ſenſibilibus tegitur occultum, ſicut veritas ſanguinis in ſapore vini latet & ſpecie. Calix ergo altaris eſt myſterium fidei: quia ſub figura & ſapore vini occultus creditur verus ſanguis. Eſt myſterium fidei, quia

Gen. 22. Gen. 31.

Heb. 9. Exod. 24.

B quod creditur, ſenſibilibus quibuſdam obtegitur. Nam verus ſanguis creditur, quod vinum viſu ſentitur & guſtu. Eſt fidei myſterium, quia quod fides credit, intus eſt occultum. Intus eſt verus ſanguis vera fide, exterius eſt falſum vinum vera ſpecie. Sentitur vinum & non eſt: Non apparet ſanguis, & eſt. Senſus decipitur qualitate, certa tenetur fides rei veritate. Ideoque ſanguis dicitur fidei myſterium, quia ſanguinem fides credit intus occultum. Apertum eſt quod ſentitur, occultum eſt quod creditur. Et ſi quid occultum eſt, fidei eſt: ſicuti quod patet, eſt ſenſus. Eſt ergo ſanguis myſterium fidei, ſiquidem occultus pertinet ad fidem. (*Qui pro vobis & multis effundetur in remiſſionem peccatorum*) Pro vobis, ſcilicet præſentibus: pro multis, paganos & Iudæos diſcernit, & falſos, Chriſtianos. [*Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.*] Nam ſine hac memoria non conficimus dominici corporis & ſanguinis ſacramenta. Tolle verba Chriſti, non fiunt ſacramenta Chriſti. Vis fieri Chriſti corpus & ſanguinem, appone Chriſti ſermonē. Facit ſermo veritatis quod dicit, *quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mādauit & creata ſunt.* Sine dubio fit in creatura, quod

Myſterium [illegible] eſt calix ſanguinis Chriſti.

Pſal. 148.

1. Cor. 11.

C Chriſti ſermo dicit de creatura. Etenim omnipotēs ſermo tuus, ô genitor, Fit ergo ſermone Chriſti, corpus & ſanguis Chriſti. Quæ quoties verbo potenti ſumimus, mortē Domini donec veniat memoramus. Et ne ſub his myſteriis hæc memoria refugiat à nobis, ſubiūgit. (*Vnde & memores Domine nos ſerui tui*) id eſt, qui ſecundum cleri gradus acceptos, officio huius ſacrificij deſeruimus, vel [ſecundum ſolitarios,] hic in præſenti miniſtramus. [*Sed & plebs tua ſancta*] quæ pro veneratione huius ſacrificij, hic eſt in præſenti deuote collecta: vel [ſecundum ſolitarios] in vnitate Eccleſiæ fideliter vbique viuentium. *Eiuſdem Chriſti filij*, & cætera, vſque, *donis ac datis.*] Donum eſt ad dandum, etiam ſi non detur, paratum. Donum eſt, quod dari poteſt. Datum vero, quod in alterius poſſeſſionem eſt iam tranſlatum, quod de poſſibilitate iam prodiit ad actum, quod iam poſſidetur. Corpus ergo & ſanguis

D Chriſti, ſunt dona à Deo nobis parata. Dona ſunt, quæ vtiliter dari poſſunt. Dona ſunt vera ſed in cœlo collocata in Chriſto. Data verò, quando fiunt nobis de creatura panis & vini: Data quando ſumimus in altari, quando reficimur inde ſenſualiter. Dona in cœlo, data in terra: Dona apud Deum in Chriſto, data ſuper altare in ſacramento. Dona in cœlo nuda & aperta, data in altari, tecta ſenſibilibus & occultata: tamen hic & ibi, ea vera. [*Hoſtiam puram.*] Antea veteris legis hoſtiæ de irrationalibus animalibus carnales erant, ſqualoribus ſpurcitiæ carnalibus, nidoribuſque plenæ, & dentium contritione in feces & ſtercora redactæ. Hæc autem hoſtia pura eſt, quia quamuis caro vera ſit, & ſanguis, tamen ſpiritualis eſt & incorrupta. Diuiditur, & conſumi non poteſt. Conſumitur & incorrupta manet. Teritur, & eſt illæſa. Frangitur, & integra eſt. Hæc hoſtia caro eſt, non carnalis, ſed

Quod ait Oo, hoſtiam Euchariſtiæ non eſſe carnalem aut corporalem, ſed ſpiritua-

E incontaminata lux: & ideo pura. Corpus eſt, & non corporalis, ſed ſpirituale lumen, & ideo pura. Pura mundans, pura purificans: pura, quia diuina, purior luce corporea. [*Hoſtiam ſanctam.*] Hoſtiæ veteres erant quidem ſanctæ, ſed non per ſe ſanctæ: ſed quia typum gerebant huius hoſtiæ ſacratæ. Illæ imperfectæ erant, & ideo minus ſanctæ: Iſta perfecta, & ideo plene ſancta. Illæ dimittebant peccatum vnius, iſta tollit peccata totius mundi. In illis tantum erat remiſſio, in hac autem eſt pretium plenum, & perfecta redemptio. Illæ impetrabant veniam debiti ſine ſolutione: hæc reddit debitum, plena recompenſatione. Ideo hæc plene & perfectè ſancta, illæ ſanctæ, ſed minus, & imperfectè. [*Hoſtiam immaculatam.*] Id eſt, ſine omni macula culpæ, vtpote concepta & nata ſine peccato, & deinde ſine culpa vixit in mundo, ideo immaculata. Nata quidem eſt de humana carne, ſed ſine conditione propagationis humanæ: ideo immaculata.

lem, non negat verè & realiter adeſſe in illa verā Chriſti carnem, ſed intelligit non eſſe corporalem, hoc eſt non ſolo corporali & externo ritu immolari, vt ſolitas

F Eſt ſine viro de ſancta Virgine concepta: ideo immaculata. Eſt concepta ſine humano opere, ſola virtute diuina: ideo immaculata. Non enim poteſt initium habere culpabile, opus quod ſolus Deus fecit, & non alius: ideo immaculata. Hominis enim initium, qui ſine humana adminiſtratione, ſolo Deo authore creatus eſt [quamvis de maſſa peccatrice] non poſſumus culpare, niſi Deo peccatum velimus aſcribere, ideo immaculata: Tamen de pura ab omni peccato virgine, creditur conceptus & natus: ideo immaculata. Ex quo enim angelica ſalutatione audiuit: *Gratia plena*, creditur purificata fide etiam reliquum vitæ, cuſtode Spiritu ſancto, vixiſſe ſine omni culpa. Ab immaculata ergo ſumpta eſt hæc hoſtia, ideo & ipſa immaculata. Et hoc loco admonemur, quod panis appoſitus altari, debet eſſe candidiſſimus, & in quo nulla poſſit inſpici macula: vt hoc appareat in figura quod prædicatur de ſubſtantia, vt pura & immaculata videatur exterius figura, cuius ſubſtantia dicitur interius pura & immaculata. (*Panem vitæ æternæ.*) Cum panem audis, ne putes eſſe qui fuerat ante benedictionem, ne decipiatis mutata ſubſtantia. Prius erat panis, modo non eſt

carnales hoſtias, ſed inueſſe illi vim ſpiritualem & diuinā, nec ſacrificari corpus Chriſti externa ſpecie carnis, &c. Matthæus Lura 1. Cante lege, nā Deipara ante ſuā natiuitatem adepta eſt adhuc in

G panis, ſed ſola caro. Sed panem dixit, quaſi diceret cibum, ſicut ſcriptum eſt. *Ego ſum panis viuus.* Et, *panem Angelorum manducauit homo.* Quomodo eſt panis vitæ æternæ, qui ſumitur à multis ad damnationem? Huius panis virtus, *fides eſt*, *quæ per dilectionem operatur*: Eſt enim & panis myſterium fidei, ſicut de calice dictum eſt. Sumptus ergo ſine fide, non proficit. Nam ſi hic panis eſt myſterium fidei, id eſt occultum, quod ſola cernitur fide: quid prodeſt ſine fide ſumi, quod ſine fide non cernitur? Oculum perdidiſti, quid cæco proſunt in arca diuitiæ? Quid prodeſt diuitias humanæ redemptionis in te recondere, quas non vides oculo fidei perdito? Vnde ſcriptum eſt. *Qui manducat & bibit corpus & ſanguinem Domini indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Nam ille manducat indigne, qui manducat ſine fide quæ per dilectionem operatur. Eſt ergo hic panis vitæ æternæ, non iis quidem qui tantum ore ſumunt, ſed iis qui etiam mente, non qui premunt dente, ſed qui tangunt fide. Vnde ſcriptum

vtero exiſtens eam ſanctificationē, vt nunquā actualiter peccaret, tametſi incarnatione verbi conſecuta fuerit vberiorē gratiæ redundantiā. Vide S. Thom. 3. p. q. 27.

H eſt. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Ac ſi diceret: vis me manibus tangere, vis me corporaliter tangere: non ſic, fidem tuam volo. Fide me tange, crede ad patrem me aſcendiſſe: Id eſt me eſſe æqualem patri. *Et calicem ſalutis perpetuæ.* Quod diximus de pane, idem poteſt dici de calice. Et quod dictum eſt vitæ æternæ, & ſalutis perpetuæ. (*Supra quæ*, &c. vſque: *immaculatam hoſtiam.*) Finis reſpicit ad principium. Supra quæ, ſcilicet ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam reſpicere digneris & accepta habere: ac ſi diceret: Supra quæ reſpicias & accepta habeas, ideo quia ſanctum ſacrificium ſunt & immaculata hoſtia, vt qui de merito noſtro diffidimus, maieſtate tanti ſacrificij adiuuemur. Cur autem oramus patrem propitium & ſerenum eſſe ſuper

art. 4. 5. ad 2. Ioan. 6. Pſal. 77. Galat. 5. 1. Cor. 11. Ioan. 20.

hoſtiam,

A hoſtiam, & eam acceptam habere, qua nihil habet acceptius, & quam ſemper propitius & ſerenus reſpicit: Inde enim ſcriptum eſt. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Sed ad offerentes eſt hoc referendum, vt qui pro peccatis terrentur & de ſe diffidunt, hoſtiam acceptabilem ſibi prætendant, vt eius ſcuto ſe protegentes, ſub ea propicium ſibi patrem ſerenumque depoſcant, & ei ſe acceptos deſiderent ſub ea quam nunquam non acceptabilem dubitant: vt qui patri per ſeipſos non audent offerre, ne malis irritent, dilectum filium proponant, vt ſubeant, & ſub eius tutela ante conſpectum patris introeant. Oramus ergo vt acceptabilis hæc hoſtia ſit, placeatque pro nobis, vt cum offerimus quod placet, placetur nobis Deus. Vnde & exempla ſanctorum adhibentur Abel iuſti, Patriarchæ Abrahæ, ſummi ſacerdotis Melchiſedech: vt ſicut eorum ſacrificia Deus acceptauit, eis propiciando, ita ſuſcipiat hoſtiam hanc, noſtri miſerando. Melchiſedech ſacerdos ſummus dicitur, qui inter ſacerdotes illius temporis habebatur. (*Supplices te rogamus*, & vſque: *Diuina maieſtati tuæ*.) Et hic mirum eſt, quo modo oramus corpus & ſanguinem Domini in conſpectu Dei perferri, cum ſcriptum ſit: quia *Chriſtus ſemper aſſiſtit vultui patris, interpellans Deum pro nobis*, & legimus quia Chriſtus aſcendens ad cœlum, *ſuper omnia exaltatus eſt, ſedens ad dextram patris.* Quomodo ergo perferri oramus Chriſtum, vbi ſemper eſt? Sed ſuperius vultum patris propitium ac ſerenum fieri ſuper hoſtiam filij rogabamus, non quod filio ſuo pater poſſit eſſe ſeuerus, ſed ſub occaſione filij, patris propiciatione nos ingeramus, vt pro amore filij miſereatur noſtri, & quaſi filium paruipendat, ſi pro eo nos non recipiat. Ita & hic, rogamus patri perferri filium, qui ſemper eſt apud eum pro nobis, vt votum & deuotio noſtra, per filium veniat ad patrem, & virtute tanti ſacrificij vota noſtra proferantur ante conſpectum Dei, quaſi filius ad Patrem non aſcendat, ſi deuotio noſtra illuc non perueniat. Tali ratione rogamus, vt ſicut Chriſtus ante diſcipulos à terra tranſlatus eſt in cœlum, & factus inuiſibilis in conſpectu ipſius, poſtea miſſurus ſancti Spiritus donum: ita hoſtia hæc ab altari terreno, ſuper quod immolatur, in altare ſublime ante conſpectum Dei transferatur, vt inde omni benedictione cœleſti & gratia repleamur, vt quæ viſibiliter tranctatur in terra, inuiſibiliter operetur in cœlo. Hic oblata, ibi accepta: non mutatione loci, vel temporis acceſſu, vt cœptus ab hoc loco tranſlationis motus ad aliũ poſtea perficiatur locum. Sed ſub eodem loco, qui panis erat, fit verbi caro. Non transfertur loco, vt de pane fiat caro: transfertur tamen ab altari ad cœlum, quia transfertur de pane ad Deum. Sed quia Deus eſt vbique, non fit loci mutatione, vt coniungatur Deo de pane facta caro. Transfertur intus ad Deum inuiſibiliter: nec mouetur exterius ab altari viſibiliter: oblata in altari deuotione hominis, accepta in cœlo propitiatione Dei. Tunc enim à Deo quaſi acceptatur, quando Deus nobis propitiatur, & cœleſtis benedictio nobis ab eo mittitur. Sed Chriſtus iuuamine non eguit Angelorum, quando ſua virtute aſcendit in cœlum: quid ergo rogamus hanc hoſtiam perferri per manus Angeli ante conſpectum Dei, cum Angelorum officia neceſſaria non ſint huic perlationi? Sed hoc eſt quod dictum eſt, quia perlatione corporis & ſanguinis Chriſti, rogamus vota noſtra perferri. Sunt tamen nobis Angeli deputati, qui offerunt quotidie Deo vota noſtra: Vnde ſcriptum eſt, *quia Angeli eorum ſemper vident faciẽ Patris* Oramus itaque ſub occaſione Chriſti perferri vota noſtra per manus Angeli, vt bona vota proferant boni Angeli, ſub prætextu tanti ſacrificij. (*Supplices te rogamus omnipotens DEVS.*) Supplicamus tibi, curuamur ante te, obnixius deprecamur, oſtende omnipotentiam, extende manum validam, vt quæ propicio ac ſereno vultu reſpicis, etiam ad inuiſibilia & ſublimia tua perferantur, & conſpectui maieſtatis

B

Heb. 7.

Marc. vlt.

C

D

Qua ratione petimus per manus Angelorum perferri ſacrificia noſtrum.

Mat. 18.

Mat. 17.

E admittas. Hic neceſſitas incuruationis, hic opus ſupplicationis, hic incumbit conſummatio totius noſtri laboris: vt hæc hoſtia perferatur in ſublime altare tuum, in conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ. Quid eſt hoc? Quid eſt perferri hoſtiam in ſublime altare, niſi ouem humeris paſtoris imponi? Et quid ouis humeris impoſita, niſi homo aſſumptus à verbo? Et quid eſt ſublimius verbo Dei? Quotidie aſſumit ſibi fideles verbum Dei, participatione huius ſacrificij. Verbum ergo Dei ſublime altare eſt, ad quod oramus hoſtiam perferri in conſpectu Dei, & per eam nos introduci: Conſpectus Dei eſt verbum patris, in quo conſpicit omne quod fecit. Nam omne quod agit pater, in verbo eius eſt. Nam *quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Et: *In principio creauit Deus cælum & terram*, id eſt, in verbo. Et: *Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Et: *Omnia in ſapientia feciſti.* Quid rectius dicitur conſpectus Dei, quam ſapientia ſua, in qua conſpicit omne quod agit? Hoſtiam ergo perferri in ſublime altare, in conſpectu Dei, quid eſt, niſi oblationem noſtram coniungi verbo, vniri verbo, fieri Deum, & per eam nos in Deum aſſumi, & vota noſtra acceptari? (*Vt quotquot ex hac*, &c. vſque & *gratia repleamur. Per eundem Dominum noſtrum. Amen.*) Habet Eccleſia altare viſibile in terra, eſt & altare inuiſibile in cœlo apud Deum. Hoſtia quam in hoc altari Deo offerimus, Deo coniungitur, & fit Deus. In hoc ſacrificio coniunguntur terrena cœleſtibus, creatura Deo. Cum de hoc altari ſumimus huius creaturam, accipimus de ſublimi Deum. Cum hic corpus & ſanguinem Chriſti ſumimus, de cœlo Deum accipimus, in quo omni benedictione cœleſti & gratia replemur. Sumimus hic viſibiliter corpus & ſanguinem Chriſti, ſumimus inuiſibiliter de cœlo, quo perlata ſunt benedictionem & gratiam Dei. Sumimus [inquam] gratiam & benedictionem, ſiquidem dignè ſumimus Chriſti corpus & ſanguinem. Nam qui indignè ſumit, ore quidem ſumit, & dente terit corporaliter, ſed nihil proficit ſpiritualiter. Immo qui corpus & ſanguinem Chriſti ſumit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Ideoque rogamus, vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus inde quo perlata ſunt, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur.

Ioan. 1.
Gen. 1.
Pſal. 32.
Pſ. 103.

F

Duplex altare habet Eccleſia.

1. Cor. 11.

G

TEXTVS CANONIS, DISTINCTIO QVARTA.

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis Domine & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerij, lucis & pacis vt indulgeas deprecamur, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

H

EXPOSITIO DOMINI ODONIS.

HAc tertia periodo, quæ in confectione corporis & ſanguinis Chriſti ſudauit, hucuſque finita, ſumit hinc exordium quarta. Quæ confecto corpore & ſanguine Chriſti, redit ad rogandum pro mortuis, fidentior exaudiri patrocinio ſacrificij. (*Memento etiam Domine*) Hic ſolet fieri memoria amicorum & familiarium defunctorum. (*Ipſis Domine & omnibus in Chriſto quieſcentibus*) Ipſis, id eſt, quorum memoriam fecimus, & poſtea reliquis omnibus indulge. (*Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*) Scilicet qui officium huius ſacrificij celebramus præſentes, vel ſecundum ſolitarios, qui in corpore Eccleſiæ per totũ orbem terrarum fideliter tibi ſeruimus. Totum vero textum qui ſequitur, neſcio verbis aliis facere planiorem, vſque, (*Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas.*)

A Per quem, dictum eſt relative ad hoc quod dixerat, per Chriſtum Dominum noſtrum. Sed mirum eſt, quod dixit pluraliter. Hæc omnia bona, cum corpus & ſanguis Chriſti non ſit niſi vnum. Sed in vno Chriſti corpore, ſunt multæ formæ: & cum vna ſit ſubſtantia, multæ ſunt figuræ. Quot enim apponuntur panes, tot manent figuræ, ſubſtantiarum pluralitate conuerſa in vno corpore: vt viſibiliter appareat pluralitas, vbi eſt inviſibiliter ſubſtantiæ vnitas, & vnum ſit individuum in ſubſtantia, vbi multiplex eſt figura. Apponuntur panes figura plures, & ſubſtantia fiunt unum corpus Chriſti: manet pluralitas figurarum, ceſſat pluralitas ſubſtantiarum. Eſt vnum individuum, apparent plura. Proinde modo ſicut eſt, modo ſicut apparet, de corpore Domini loquimur. Sæpe dicimus, in diſtributione Dominici corporis hoſtias multas expendimus, vel pluribus hoſtiis multos vno corpore Chriſti refecimus: in vno verſiculo B monſtrantes, & eorum quæ apparent pluralitatem, & ipſius ſubſtantiæ inviſibilis vnitatem, cum hoſtias plures & vnum dicimus corpus. Sic & in hoc loco dicimus. Hæc omnia bona, omnes ſcilicet hoſtias quas in orbe toto immolat Eccleſia. Quæ quidem, ſi ſenſibiles intueris qualitates, infinitæ ſunt numero, ſi ſubſtantiam, ſanguis eſt vnus, & vna caro: quæ ſemper à Deo creantur, quia qui ſemel verbi ſui corpus creavit de virgine, quotidie de pane creat eius carnem, & de vino ſanguinem. (*Sanctificas*) Quotidie ſanctificat, oratione ſacerdotis, & cooperatione Spiritus ſancti. (*Vivificas*) Quotidie vivificat, corpori prius inanimato dans vitam. Vnde & prius dicebatur rationabilis, hæc hoſtia. (*Benedicis*) Quotidie benedicit, quemodo ſuperius eam precabamur in omnibus fieri benedictam, & quatuor ſpecies ſubiunximus benedictionis. (*Et præſtas nobis*) Quotidie præſtat nobis corpus filij ſui, quia quod eſt apud patrem in ſublimi, quotidie præſtat nobis in altari. Et quod apud eum donum eſt in cœlo, apud homines datum eſt in terra. (*Per ipſum & cum ipſo*) Per quem pater de pane carnem creat, ſanctificat, vivificat, be-C nedicit, & præſtat: per eundem ipſum filium, *eſt Deo patri, cum Spiritu ſancto, omnis honor & gloria.* Eſt honor & gloria Patri per filium, ſicut ſcriptum eſt. *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi.* Et: *Pater clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te.* Habet enim honorem & gloriam Pater cum filio, cum quo communem habet potentiam & divinitatem. Nam cum quo habet omnia, cum ipſo habet, etiam honorem & gloriam pater, in quo eſt. Nam ſcriptum eſt. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Quia pater eſt in me, ideo quicquid habet pater, habet in filio: Non enim habere poteſt, niſi in ipſo in quo eſt. (*Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti*) Cohortatur orare, ſubdens cauſam: quia ſumus inde ſalutari præcepto moniti. Lege Evangelium, & invenies præceptum. Cur hanc ſolam orationem præcedit adhortatio, cum plures in hoc Canone faciamus, & ad nullam hortati ſumus? Quia illæ ſunt inferiores, & humana ratione compoſitæ: Hæc perfecta, & à ſolo Deo formata. Vnde & ſequitur (*Et divina inſtitutione formati*) Sicut narrat Evangelium, D Dominum rogabant Apoſtoli, doce nos orare: Et Dominus informavit eos, huius orationis inſtitutione. (*Audemus dicere*) Audacia videtur & præſumptio, homines infirmos divina inſtitutione. Audemus obedientia, non audacia. Audentes audacia, rei ſunt, audentes obedientia, laudandi. Auſus obedientiæ bonus: audacia ſuperbiæ, mala. Et ſicut orandi cauſa ſubiuncta eſt, quia præceptum eſt, ita audendi cauſa præceſſit, quia inde ſumus divina inſtitutione formati. *Oremus* ergo, quia inde ſumus *præceptis ſalutaribus moniti: & audemus dicere*, quia ſumus inde divina inſtitutione formati. Nam ideo oramus, quia inde præceptum accepimus: & ideo audemus, quia nos pavidos ad hoc Deus animavit. Dedit præceptum orandi ad ſalutem, dedit fiduciam audendi propter timorem. E (*Pater noſter qui es in cœlis.*) Dominicam orationem non expono, quia multos patres expoſuiſſe reperio. Nec oportet hic ponere, quod in multis locis promptum eſt invenire. *Libera nos quæſumus Domine.* Facta confirmatione dominicæ orationis dicendo. Amen. totus textus, qui ſequitur pro venia peccatorum orat, & pro pace: ſuo principio ſumpto de fine dominicæ orationis, qui orat contra peccata, dicendo. *Sed libera nos à malo.* Deinde ſequens textus incipit pro peccatis, dicendo, *libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis.* Deinde ſequitur pro pace, *da propitius pacem in diebus noſtris:* Iterum pro peccatis. *Vt à peccato ſimus ſemper liberi.* Deinde pro pace. *Et ab omni perturbatione ſecuri.* Iterum pro pace ſequitur. *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Deinde pro peccatis iteratur. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.* Iterum pro pace, *Dona nobis pacem.* F Et ſic finis & conſummatio ſacrificij fit de pace, & maneamus in pace. Vnde in conſummatione ſacrificij oſculum ſumimus: quo & in ſacrificio aſſenſum & participationem oſtendimus, & quod debemus in pace manere ſignamus.

Quomodo pluraliter dictũ ſit, hæc omnia bona.

Ioan. 17

CONCLVSIO.

SAnctiſſimi Canonis textu ſtudioſiſſime inquiſito, obſecro te, quicunque tranſcribis, vt diſtinctiones diligenter obſervans, ſingulorum capitulorum principia grandiuſculis literis prænotes, & periodos in quibus totum quaternarius concludit opuſculum capitalibus literis illumines, appoſitis titulis, quibus & periodorum diverſitas prima fronte præclare aſſulgeat, & ſingulorum capitulorum principia primo viſu ſe offerant, & immutata cola, & commata, confuſis diſtinctionibus ſententias non conturbent.

G

EIVSDEM REVEREND.

DOM. ODONIS,

COENOBII D. MARTINI APVD TORNACENSES

Quondam Abbatis à reparatione primi, ac poſtmodum Eccleſiæ Cameracenſis Epiſcopi.

De Peccato Originali libri tres.

LIBER PRIMVS.

PROLOGVS.

DE quæſtione famoſa peccati originalis, quæ apud Orthodoxos ſæpius ventilatur, locuturus, invoco te ſancte Spiritus, vt adſis mihi, mentem linguámque cuſtodiens in omnibus, ne quid fiat in hoc negotio ſine beneplacito tuo. Sed precor fratres, ne me præſumptionis arguant, quod rem ſæpiſſime concuſſam, & ſemper indiſcuſſam, moliar diſcutere, & antiquum chaos nova luce perfundere. H Coëgerunt enim me quidem fratres vt hoc facerem. Excuſanti de occupatione exteriorum, ingerebant, vt maledictionem abſconditi talenti caverem. Hebes ingenium proponenti, reſpondebant illud de Pſalmo, dilata os tuum & implebo illud. Difficultatem quæſtionis formidanti, promiſſionem opponebant Dei dicentis, poſui adiutorium in potentem. Et ego mecum etiam recolebam,

A aliquoties occurriſſe mihi ſcribenti, plura quæ neſciebam. Evictus itaque fratrum precibus indefeſſis, & charitate quæ quando fervet, modum ſæpius excedit; confiſus de Dei miſericordia, & fraternarum precum auxilio, in foveam tenebroſam deſcendi, latebras difficilis quæſtionis ingreſſus, ſperans de tenebris lumen ſplendeſcere. Sciendum igitur quæſtionem hanc originalis peccati, de eo deſcendere, quod Apoſtolus ait, ***in quo omnes peccaverunt***, id eſt in Adam. Et quæritur, quomodo peccavimus in Adam, originem peccati trahentes ab Adam. Et antequam quæſtionis huius nodos proponamus, videtur dicendum, quid ſit quod dicitur peccatum.

Quibus modis dicitur malum.

B Eſt autem peccatum, malum quod Deus non facit; nam malum dupliciter dicitur; ſcilicet quod Deus facit, & quod Deus non facit: Vnde ſcriptum eſt, ***faciens pacem & creans malum***; Et, ***ſi eſt malum in civitate quod Deus non fecit.*** Pœna enim pro peccatis malum eſt patientibus, quod Deus facit. Retribuit enim Deus mala peccatis. Malum autem quod iniuſtitia dicitur, omnino Deus non facit, ſed punit; vt eius omnino non ſit author, cuius eſt punitor.

Quod peccatum non eſt in corpore.

Hoc malum in corporalibus non invenitur, nec propriè dicimus, vt corpore peccemus. In homicidio enim quid dicitur malum? Si gladium accu-
C ſas; Deus ferrum fecit. Si manum arguis, & ipſam Deus fecit. Si manus motum, vel gladij, quis neſcit eſſentiam habere motum? Si eſſentia eſt, à Deo facta eſt. Omnis enim eſſentia præter Deum, à Deo facta eſt. Non eſt igitur malum, motus quem fecit Deus. Sic ergo nec animus ipſe hominis eſt malum, quod Deus non fecit. Si autem nec animus, nec ferrum, nec manus, nec motus vllum eſt malum; quid ergo in homicidio dicitur malum? Omnino non invenitur in corporalibus. Similiter in adulterio, neutra perſona, neuter ſexus, nec motus, nec fluxus, nec ipſe pruritus, malum eſt, quod non facit Deus. Ipſa denique corporalia quæ fecit Deus non ſunt malum quod non fecit Deus. Sed nec in ipſis eſt malum, vt inde mala rectè dicantur. Denique ſi quis arguat corporalia mali, quod adulterium agant; Sic rectè poſſunt ſe excuſare: diſpoſitione creatoris ſubiicimur animo, quamdiu vegetamur in illo: illum nobis conſtituit Dominus, cui ſerviamus & obediamus in omnibus. Ad nutum igitur illius movemur ad omnia
D ordinatione divinâ. Quid ergo peccamus obediendo rationi ſicut præcepit Deus? Agimus adulterium? Præcipit domina ratio, cuius reſiſtere nequivimus imperio: operarij mali non ſumus, quia non agimus malum noſtrum, ſed alterius. Lauda ſervum obedientem, dominum culpa præcipientem. Quid peccat equus portans hoſtem? Quid lancea vulnerans hominem.

Quod peccatum eſt in ſolo ſpiritu rationali.

Errat verè qui peccatum quærit in corpore, nec invenitur alibi quam in ſpiritu rationali, & eius voluntate; nec tamen ratio, vel voluntas, vel ipſe ſpiritus malum eſt, quod non fecit Deus; ſed iniuſtitia voluntatis, ipſa eſt malum quod quærimus. Ipſam enim omnino non fecit Deus; & ipſa eſt, quod imputandum Deo non eſt. Nec requiri debet aliquis author omnium malorum; ſicut Deus noſcitur author omnium bonorum.

Quod malum eſt aliquid ſecundum Manichæos. E

Hoc Manichæorum hæreſis affirmabat, malum putans eſſentiam, eo quod ipſum tanquam genus in ſpecies multipliciter dividi videant, dicentes: Cum iniuſtitiæ malo Superbiam, & fornicationem, aliáſque ſpecies multas; vt generi plane ſubditas, earúmque ſubdiviſiones ordinabiliter vſque ad ſingularia deſcendere videamus, & è converſo in ſpeciem vnam ſingularia plura, ſpeciéſque plures in unum genus realiter adunari, itémque ſuperiora de inferioribus in quid optime prædicari? Quis ſubſtantiam neget, quod ad quid reſpondetur? Quis refellet eſſentiam, quod vniverſale non negabit? F

Argumẽta Manichæorũ quibus probare conantur malum eſſe aliquid.

Aliter.

Præterea, nomen omne ſignificativum eſt ad placitum. Hanc ergo vocem, id eſt, malum, quam ſimplicis figuræ Grammaticus dicit, & per omnes caſus inflectit, quæ numeros etiam, ſingularem & pluralem recipit, quis nomen negabit? Ad placitum ergo ſignificat aliquid. Audit hanc vocem Græcus, audit & Latinus, Audienti Græco ſtrepitus tantum eſt nihil per eam intelligit. Si nec Latinus, vt dicit, mentitur plane, interroget conſcientiam, & inveniet motum mentis per vocem illam. Quia vere fert aliquid menti vox hæc audita latini. Quum enim audit, malum facis; aut negat, aut concedit; quod non facit, qui non intelligit. Cum ergo vox illa ſit nomen, ſignificat aliquid, ſi aliquid, & eſſentiam, G nam quod eſſentiam non habet non eſt aliquid. Eſt igitur eſſentia, quod malum dicitur, & non eſt nihil, malum.

Quod malum nihil eſt.

Nos autem è contra malum dicimus nihil eſſe, & nullam eſſentiam habere, nam nihil eſt, quod non fecit Deus, malum autem Deus non fecit, qui fecit omne quod eſt malum, igitur nihil eſt, & nullam eſſentiam habet, nam ſi eſt: Deus fecit, qui fecit omne quod eſt. Sed Deum feciſſe malum dicere, nefas eſt. Malum igitur nihil eſt; quia malum privatio boni eſt, & ſcit omnis qui bene ſcit; quia privatio non eſt aliquid. Denique quatuor ſunt oppoſitionum modi, Contrariorum ſcilicet, & ad aliquid; affirmationis & negationis, privationis & habitus, Harum duæ: Contrariorum, & ad aliquid, opponunt aliquid alicui, vt album & nigrum, quæ vt contraria opponuntur, vtrumque eſt, & utrumque ſuam habet eſſentiam. Similiter Dominus & Servus, quæ ſunt ad aliquid, vtrumque eſt, & veram habet eſſentiam. H Oppoſitionum vero duæ reliquæ opponunt alicui quod non eſt, vt cum homini opponitur tanquam negatio non homo; homo quidem eſt, non homo vero, nulla eſt eſſentia. Similiter & pio cum opponitur impius tanquam privatio, pietas eſt, impietas vero nulla eſt eſſentia, ſed tantum privatio pietatis. Sicut enim non homo tantum negat hominis eſſe, ſic & pietatis, impietas. Quod autem tantum negat eſſe non potuit eſſe, non igitur habet eſſentiam privatio, vel negatio. Et malum ergo non eſt, ſi privatio boni tantum eſt. Eſt autem boni privatio tantum. Et ut patentius hoc oſtendamus, quia bonum & malum multipliciter dicuntur; ne pariat errorem multiplicitas; pro bono iuſtitiam ſumamus, & iniuſtitiam pro malo, Siquidem propoſitum noſtrum eſt loqui de peccato; quod iniuſtitiam & malum appellavimus.

Argumẽta authoris partẽ alteram aſſerẽtis.

Quod privatio nihil eſt.

EST igitur iniuſtitia privatio iuſtitiæ, ſi quidem privatoria particula tantum privat iuſtitiam, nec aliam reponit eſſentiam, nam ſicut, non, negativum adverbium negat appoſitum eſſe, nec ponit aliud eſſe; ſic,in,privatoria particula privat appoſitam eſſentiam, nec aliam ponit eſſentiam. Sicut enim non iuſtus negat appoſitum iuſtum, nec aliud eſſe ponit, ſic iniuſtus, iuſtitiam deponit, nec aliud ponit. Hoc tantum differt à negatione privatio, quia negatio eſt ubicunque negatum non eſt; privatio vero non eſt ubicunque privatum non eſt, ſed tantum ubi debet eſſe privatum, nec eſt unquam privatio ſine privati debito, nec proprie poſſumus privationem dicere, ubi privatum non debet eſſe, Vnde & irrationale proprie de eo non dicitur, cui rationis uſus non debetur. Aliquando tamen ponuntur privationes pro negationibus; & quando nomina rerum deficiunt, ſæpe ponuntur etiam pro ipſis rebus, nos autem hic privationem ut proprie dicitur tractamus. cum ergo iuſtitiæ privatio ſit iniuſtitia, nulla eſt eſſentia, & ideo nihil eſt. Ergo peccatum & malum nihil eſt, ſiquidem peccatum & malum nihil niſi iniuſtitia eſt.

Quod mala non habeant ſpecies generales.

ITaque malum nec genus eſt nec illæ ſpecies in quas dividitur. Adulterium ſcilicet vel homicidium & cætera, ſiquidem eſſentiam non habent, nam quod eſſentiam non habet, non eſt genus, vel ſpecies, vel univerſale, vel particulare.

Quod de bonis procedat malorum ratiocinatio.

EST autem bonorum quod in malis diviſio,vel aſcenſus, vel deſcenſus ordinabilis eſt, nam quicquid de privationibus dicimus, hoc totum à privatis ducimus, nec quicquam facit privatio, niſi privati præcedat ratio, nam nec privationem facere poſſumus, niſi rem quæ privetur habeamus. Præcedunt igitur ſpecies & genera rerum, ut ſecundum ea iudicemus diverſitates privationum: niſi enim iuſtitiæ,pietatis, & patientiæ noverimus eſſentias, nec earum intelligere poſſumus privationes, iniuſtitiam, impatientiam, impietatem,ut generum & ſpecierum ſit in eſſentiis veritas,in privationibus vero imitatio, ſicut & in negationibus, In quibus patet quod non ſint eſſentiæ,nec genera,vel ſpecies, è converſo tamen ex ipſis negatis ſimilitudinem generum ſumunt & ſpecierum mutationem vel veritatem. Nam ſicut homo ſub animali ſpecies, ita non animal ſub non homine tanquam ſpecies. Et hoc eſt quod Boëtius dicit contrapoſitionem in Antepredicamentis. Hæc autem generum & ſpecierum non veritas, ſed mutatio, ſicut eſt in negationibus, ſic & in privationibus. Sed in negationibus patet imitatio ſola, in privationibus vero non tantum patet; quia ſimiliores rebus ſunt, adeo ut multi putent eas res eſſe, & eſſentiam propriam habere, quia de his tantum dicuntur, in quibus privatum debet eſſe, nec eſt: & habeant propria nomina, quandoque ſine privatoria particula, ſicut eſſentiæ, cum negationes propria nomina nuſquam habeant ſine particula negativa, nec negati debitum admittant, ſed de omnibus dicantur in quibus negatum non inveniatur, ſicut non homo eſt omne quod homo non eſt; iniuſtus vero non eſt, niſi qui iuſtus debet eſſe, nec eſt.

Quod nomina privationis, & habitus idem ſignificent.

HAbent autem privationes nomina ſæpius ſine privatoria particula, ſicut habitus; ut malum, ſicut bonum, tenebræ ſicut lux, cæcitas ut viſus, ut caſtitas fornicatio. Et quamvis eſſentiæ privatio non opponit eſſentiam, quia privationi non eſt eſſentia; tamen privationis nomen ſignificat eſſentiam, ſed habitus, non ſuam. Idem ergo ſignificat nomen privationis, & nomen habitus. Sed nomen habitus ſuum, nomen vero privationis ſignificat alienum nomen, habitus eſſentiam ſuam ſignificat ponendo; nomen privationis ſignificat idem removendo: nomen habitus quod intelligas offert, nomen privationis quod intelligis auffert. Eſt ergo privationis nomen ſignificativum alicuius, ſed non ſuæ rei, ſed alterius, quam ſignificat privari.

Epilogus ſuperiorum.

EX præmiſſis ergo colligi poteſt, quia in ſolo ſpiritu rationali malum eſt; nec eſt res in ſubiecto, ſed privatio rei à ſubiecto. Et cum in voluntate malum dicis eſſe; non ibi dicis aliquid eſſe, ſed tantum dicis ibi bonum non eſſe, ubi debet eſſe. Et hoc eſt plane malum, ibi non eſſe bonum, ubi debet eſſe, quia iniuſtitia eſt, iuſtitiam non eſſe ubi debet eſſe,& eum iniuſtum eſſe, qui non eſt iuſtus cum debet eſſe. Quid enim rectius dici poteſt quam illum iniuſtum eſſe, qui datam iuſtitiam noluit tenere cum potuit, & datum tanti boni ſponte deſeruit?

Quod rationalis natura non poteſt carere debito iuſtitiæ.

ACcepiſti iuſtitiam, bonum depoſitum, & valde ſervandum, & tamen reddendum, quia qui commiſit, exigit depoſitum. Vis bene reddere? Bene ſerva. Quanto magis ſervabis; tanto magis reddes. Et quanto magis reddes tanto magis ſervabis, mirabile bonum iuſtitia, quam ſervando reddis, & reddendo non perdis. Sed magis reddendo, magis ſervas. Bonum inquam totis viribus ſervandum ut reddas, quia ſi perdis non habes quod reddas. Depoſitum tamen debes ei qui commiſit. Commiſit, ergo debes. Sed fortaſſis ſponte perdidiſti, quia ſponte deſeruiſti. Exigit tamen depoſitum qui præſtitit. Tu vero non habes;quia ſponte deſeruiſti, quod reddere debes. Invenitur ergo qui præſtitit iuſtus exactor; tu vero qui non reddis iniuſtus debitor. Iniuſtus inquam, non quod habeas ullam eſſentiam in hac privatione, ſed quia non habes debitam eſſentiam iuſtitiæ. Ideo debitam, quod accepiſti, non ſervatam, ſed ſponte deſertam, Patet ergo Manichæorum error, qui putantes malum realem eſſentiam eſſe, cum eam bono Deo non poſſent aſcribere, coacti ſunt fingere quendam omnium malorum authorem; ut duo contrarij contrariarum rerum, bonus ſcilicet bonarum, & malarum malus authores eſſent, & ſic prima duo principia rerum omnium aſtruerent.

Quod non punitur pro nihilo, qui punitur pro malo:

DIcet ergo forſitan aliquis, Quid ergo? Si malum nihil eſt, pro nihilo punimur, cum punimur pro malo. Stultumque videtur argui pro iniuſtitia, ſiquidem iniuſtitia nulla eſt eſſentia. Sed ſi quæ de privationibus dicta ſunt,bene conſiderentur, nullus pro hac oppoſitione movebitur, nam ſine habitu, nec dici, nec intelligi poteſt privatio, nec aliud eſt privatio quam privati remotio, ut iniuſtitia, iuſtitiæ. Cum ergo pro iniuſtitia punimur, pro iuſtitia punimur deſerta,

ſed eſt aliquid iuſtitia; punimur ergo pro aliquo. Vt cum iniuſtitia nihil dicitur, in ea tamen aliquid intelligitur, pro quo punimur quia deſeritur, punimur ergo pro iuſtitia quam deſerimus, itaque & privatio nihil eſt, & cum pro ea punimur, pro eo punimur quod aliquid eſt. Et iuſtiſſime punit ſponte deſertam, qui dedit eam ſemper ſervandam, punit quidem pro iuſtitia, non ideo quod habetur, ſed quod non habetur, non ideo quod adeſt, ſed quod abeſt; Sed abeſſe iuſtitiam, eſt iniuſtitia, Igitur iuſtitiam non eſſe ubi debet eſſe, eſt iniuſtitia. Sed iuſtitiam non eſſe, nec ubi debet eſſe, nec ubi non debet eſſe, ſignificat eſſe. Ergo nec iniuſtitia ſignificat eſſe quia tantum negat iuſtitiam eſſe, quamvis non niſi ubi debet eſſe. At iniuſtitia quid ponat eſſe dicito; & Phillida ſolus habeto.

Quod de non exiſtentibus dicuntur eſſentiæ.

SEd forte quis dicit. Iniuſtitiam certe, privationem & oppoſitum. & ad aliquid dicimus eſſe, privationem vero, & oppoſitum, vel ad aliquid, nullus ſanæ mentis negabit eſſe, cum ad aliquid generaliſſimum, privatio vero ſpecies eius dicantur & oppoſitum. Quomodo ergo dicitur iniuſtitia non eſſe, de qua tot dicuntur eſſentiæ? Omne enim exiſtit, de quo dicitur aliquid. Alioquin de eo quod non eſt, aliquid dici poteſt. Certe non poteſt per conſuetudinem, poteſt per neceſſitatem. Neque enim neceſſe nobis eſt loqui de his quæ non ſunt, Quibus quia ſuæ voces non ſunt, loquimur de ipſis per voces eorum quæ ſunt. Et quia de ipſis loqui non poſſumus per ſua, de ipſis cogimur loqui per aliena, Ecce cum multa fingimus cogitatione, figuræ quidem formantur in mente, ſed res non inveniuntur pro quibus formantur, figuras quidem cogitatio de exiſtentibus ſumit; ſed ea non exiſtunt pro quibus aſſumit, nec poteſt mens cogitare quod non eſt, niſi formas ſumat de eo quod eſt, ut per formas eorum quæ ſunt, cogitet de his quæ non ſunt. Cum ergo dicimus quod cogitamus, ſicut mens nequit cogitare quod non eſt, niſi formetur ad ſimilitudinem eius quod eſt; ſic lingua nequit loqui de his quæ non ſunt, niſi per eorum verba quæ ſunt. Nam ſermo ſequitur cogitationem, ut non aliter digerat lingua ſermones, quam cogitatio dictat imagines. Pictor etiam nequit ea pingere quæ non ſunt niſi per figuras eorum quæ ſunt. Et eas formas pingit exterius pro his quæ non ſunt, quas cogitatio dictat interius ex his quæ ſunt. Et frequens eſt hic usus, loqui, & pingere quod non eſt, dicente quodam Sapiente. Pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. Quandoque volumus inſomniorum phantaſmata narrare & dicere ſomni fallacias. Et quomodo narrari poteſt vanitas eorum, niſi per verba rerum? non eſt ergo mirum cum loquimur de privationibus, pro eis aſſumere verba de rebus, & per voces rerum rationem dare privationum.

Quod quiſque ſui mali author eſt.

ANtequam redeamus ad propoſitum, adhuc occurrit, quod conturbare poteſt lectorem, niſi ſolutum fuerit, nam quia dictum eſt contra Manichæos, nullum authorem eſſe malorum omnium; forte dubitabit aliquis, & dicet, Vnde mala ſi nullus eſt author omnium malorum? Sed veritas oſtendit, unumquemque authorem eſſe ſui mali, nam licet exemplo, vel hortatu, vel oppreſſione peccaveris, peccatum tamen quod feciſti, non niſi tuum eſt qui feciſti: neceſſitas enim nulla te cogere potuit: niſi voluiſti, Tolle voluntatem, nullam videbis valere neceſſitatem. Opprimeris, trucidaris? nihilum eſt niſi velis. Peccas itaque nulla neceſſitate ſed ſola voluntate, Et ideo ſola voluntas aut punitur aut muneratur. Punitur ſi pateris quod non vis, muneratur ſi quod bene volebas, adipiſceris. Es igitur author ipſe tui mali; qui tuæ voluntatis arbitrio peccaſti, nec aſcribas alij, quod tu ipſe feciſti, nec alium quæras authorem, qui te tui ipſe feciſti executorem. Sed horum fine facto, paululum quieſcamus, ut refectione quietis ab alio exordio robuſtius ad ſequentia conſurgamus.

Explicit liber primus.

LIBER SECVNDVS.

Duplex ratio peccati originalis.

PRoposItvm noſtrum erat de originali peccato dicere, quia quæritur, quomodo peccatum habeamus ab origine noſtra; quæ eſt Adam & Eva. Hæc autem quæſtio de eo venit, quod in Apoſtolo legitur, in quo omnes peccaverunt.

Quæritur ergo quomodo peccavimus in Adam? verum equidem eſt, quod in Adam fuimus omnes, & ab eo ſumus, ſed ſecundum carnem. Secundum animam vero, Patrum orthodoxorum aliud dicit authoritas, non enim vult animam ſic ab anima ſeminari, quemadmodum caro ſeminatur à carne, nec ab anima ſeparari partem, ut inde fiat alterius hominis ſpiritus, ſicut pars à carne ſeparatur, ut fiat alterius hominis corpus. Sunt tamen multi, qui volunt animam ex traduce fieri, ſicut corpus; & cum corporis ſemine vim etiam animæ procedere. Quorum rationes quia non ſunt omnino ſpernendæ, videtur ut ſicut utriuſque propoſuimus, utraſque etiam exequamur, Et primum orthodoxorum ſemitam proſequamur.

Cur Deus dicitur quieviſſe ab operando, ſi nunc animas creat ex nihilo.

HOrum autem de humana anima talis eſt doctrina, quod de anima parentis nihil ſeparatur cum ſemine prolis, nec unquam ab anima parentis quicquam ad animam prolis ducitur nec aliquid ducit anima ſequens à priori; ſed quemadmodum, homini primo Deus inſpiravit novam, ſic ſemper corporibus recentes inſpirat recentibus. Recentes inquam & novas, vel de aliquibus ſecretis & occultis exſtantibus noviter factas; vel ſicut in principio tota creatura de nihilo noviter creatas. Quibus lectio Geneſeos opponitur, in qua Deus ab univerſo opere quod patrarat quieviſſe dicitur, quaſi non conveniat quieti pro creatis, quotidiana fatigatio procreandis; nec vere dicitur quieſcere pro rebus quas patrarat, ſi adhuc pro aliis rebus de nihilo faciendis quotidie laborat.

Sed ad hoc reſpondetur, lectionem illam corporalium tantummodo rerum conditionem narrare; quarum nullam dicitur Deus poſt primam conditionem de nihilo feciſſe, nam quæcunque corporalia quotidie creantur, de ſeminariis primæ conditionis oriuntur; nec aliquid uſquam fit corporale, quod de prima non deſcendat origine.

Quievit ergo Deus à prima corporalium conditione, qui poſtea non invenitur ullum corporale de nihilo feciſſe, nam de incorporalibus invenitur ſcriptum, Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. Dicunt ergo Orthodoxi, humanam animam ab anima nullo modo deſcendere, ſed in recentibus novas à Deo corporibus fieri quotidie. Vnde ſcriptum eſt. Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Animadvertatur quam diſtincte dicitur, de terra pulverem

eſſe,

A eſſe, Deum vero ſpiritum dediſſe. Et iterum. Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reverebamur eos; num multo magis obtemperabimus patri ſpirituum, & vivemus?

Ecce & hic diſtinctè oſtenditur nos & homines habere patres carnis noſtræ, & Deum noſtrorum patrem ſpirituum, ut caro ſola veniat ab homine, ſpiritus vero novus à Deo detur in nova carne. Secundum hos eſt valde difficilis quæſtio, nam ſi ſolum corpus ab Adam habeo, animam vero non ab Adam ſed à ſolo Deo; cum peccatum in anima tantum ſit, & non in corpore, quomodo dicor in Adam peccaſſe? Peccavit Adam, & peccatum in anima ſola fuit, & non in corpore; animam autem meam in qua peccatum eſt ab ipſo non habeo, quomodo dicor peccaſſe in ipſo? Quando peccavit & corpus meum tunc in ipſo erat, rectè dicerer in ipſo peccaſſe, ſi peccatum B eſſet in corpore, nunc autem cum in anima ſola peccatum ſit, quomodo dicor peccaſſe, quando peccavit, ſi in ipſo penitus anima mea non fuit.

De generibus, & ſpeciebus & individuis.

Contra hanc quæſtionem taliter Orthodoxi reſpondent, & dicunt, quod aliter ſe habent ad ſpecies individua, quam ſpecies ad genera, nam ſpecies plus habent ſubſtantialiter, quam genera, nec ſufficit ad ſpeciei ſubſtantiam genus; quia ſubſtantialiter habet ſpecies differentiam præter genus, & plus eſt ſpecies ſubſtantialiter quam genus, Plus enim homo, quam animal; quia rationalis eſt homo, & non eſt rationale animal, Individua vero nihil habent ſubſtantialiter plus quam ſpecies, nec aliud ſunt ſubſtantialiter aliud Petrus quam homo. Quod autem ſub una ſpecie plura ſunt individua, non facit hoc aliquod ſubſtantiale, ſed accidentia, Ideo ſolum individuum poteſt eſſe ſub ſpecie; cum ſola ſpecies nequeat eſſe ſub genere, ut peremptis omnibus hominibus individuis præter Petrum, homo ſpecies ſolum habet in- C dividuum Petrum. Qui individuus eſt propter collectionem accidentium, ſicut homo ſpecies, quia poteſt eſſe multorum communis individuorum, nam Phœnix avis, quamvis individuum non habeat niſi unum, ſpecies eſt, quia communis poteſt eſſe multorum, aliud enim eſt Phœnix, aliud hæc Phœnix. Phœnix eſt ſpecialis natura, quæ poteſt eſſe communis; hæc Phœnix vero natura, quæ tantum eſt individua, nec aliud eſſe poteſt quam ſingularis, Phœnix genere, differentiiſque terminatur, hæc Phœnix accidentium proprietate diſcernitur, Individuum non niſi de uno dici poteſt. Species etiamſi de uno ſolo dicitur, univerſalis eſt, Individuum vero nonniſi ſingulare eſt.

Ex genere & differentiis ſpeciem ratio capit, ex proprietatibus accidentium individuum ſenſus agnoſcit. Ad univerſalia valet ratio rationis interior, ad ſingularia vero cognitio ſenſualis exterior. Individua ſentimus corporaliter, univerſalia percipimus rationaliter. Et quando de ſolo ſpecies dicitur individuo, tantumdem accidens dicere & de individuo valet & de D ſpecie; quamvis principaliter & primo loco ſint in individuis accidentia.

Quod in unoquoque diſcernendum eſt individuum à ſpecie.

Igitur quando primum factus eſt homo, humana anima facta prius in uno individuo, & deinde diviſa in alio, ipſius humanæ animæ natura, in duabus perſonis erat omnis & tota, omnis inquam quia nuſquam era extra illas, tota, quia cuique perſonæ nihil deerat humanæ animæ. Audi tria, & diſcerne. Erat humana anima, erat anima Adæ, erat & anima Evæ, Tria ſunt diverſa Anima Adæ individuum; ſive dicere velis ſingulare, ſive perſonam, quæ de nullo dicitur. E Similiter anima Evæ individuum eſt ſine perſona, ſive ſingulare, quod de nullo dicitur, Humana anima naturæ ſpecialis eſt; non individua, ſed communis quæ dicitur de duabus perſonis & dividitur in ipſis. Diſcerne tria hæc, nec ſolo ſenſu utaris in diſcernendo, ſed & ratione, nec enim ſenſu, ſed ſola ratione diſcernitur individuum à ſpecie. Sed ut hæc facilius capiantur; dicenda ſunt pauca de individuo, vel ſingulari, vel perſona.

De Individuo.

Eſt autem individuum contractum proprietate accidentium; ut de nullo dicatur, nam de individuis ſuperiora dicuntur, individua vero de nullo. Et ſi ſpecies pluribus non ineſt, ſed ſolum habet individuum, ipſa quidem dicitur de individuo, individuum vero F de nullo, ut de hac ave Phœnix, & de hoc mundo, mundus, & de hac ſtella ſol. Et hoc modo dicitur individuum ſecundum univerſale, non ſecundum totum, nam & in toto eſt individuum, quod cum ſit pars totius, & in ipſo dividatur totum, ipſum tamen pro parvitate ſui non poteſt dividi, ut unitas in numero, punctum in linea vel tempore, littera in oratione, atomus in corpore. Ita & quod in univerſalibus infimum, & in totis eſt minimum, dicitur individuum. Hoc quidem quia in minora non dividitur; illud vero quia de inferioribus non prædicatur individuum totus conſtituit, & non conſtituitur, individuum univerſalis dividit & non dividitur. Individuum totius primum eſt in conſtitutione totius, individuum univerſalis ultimum eſt in diviſione univerſalis. Individuum univerſalis, ipſum univerſale, totum & perfectum habet in ſe, Individuum totius de toto nihil habet in ſe præter ſe.

De Singulari.

Singulare vero dicitur, quod aliqua proprietate diſcernitur ab omnibus aliis. Hæc autem uniuſcuiuſque rei diſcretio ab aliis omnibus, non tantum in indi- G viduis eſt, ſed & in univerſalibus. Habent enim & univerſalia ſuas proprietates, quibus & ſi non ſenſu, ratione tamen diſcernuntur ab aliis. Ratio namque naturam univerſalium vi ſuæ ſagacitatis & capit, & ab invicem & ab individuis diſcernit, ut quamvis ſint communia ſuæ tamen eſſentiæ ſingularitatem quandam habeant, ſicut individua. Eſt igitur omnis eſſentia ſingularis, tam individua quam univerſalis, utpote habens eſſentiæ ſuæ ſingularitatem, qua ſigillatim inſpicitur ab aliis. Et ſic individuum omne, ſingulare; non autem omne ſingulare individuum; quia non eſt individuum, niſi quod de nullo dicitur, ſingulare autem omne.

De Perſona.

Perſona vero eſt individuum rationalis naturæ; ut omnium individuorum ea ſola dicantur perſonæ quæ non carent ratione, non eſt igitur in univerſalibus perſona, nec in individuis illis quæ non ſunt rationabilia. Eſt igitur individuum omnis perſona; ſed non omne individuum perſona. Et ſic ad indivi- H duum perſona, ut eſt individuum ad ſingulare. Dividit in tria Grammaticus hanc perſonam; in primam ſcilicet ſecundam, & tertiam. Et prima quidem quæ loquitur, & ſecunda cui fit ſermo, non niſi rationabile individuum eſt. Et ideo rectè perſona eſt. Tertia vero de qua fit ſermo, quando rationabilis eſt, & ipſa rectè perſona eſt. Sed in hac tertia perſona ſecundum Grammaticum fit quæſtio, qui tertiam perſonam dicit, dicit omne de quo fit ſermo. Quomodo enim perſona eſt, quod individuum rationale non eſt? Sed quomodo pictura propter ſimilitudinem dicitur, & non eſt homo, & quarum uſus eſt in ſcenis per ſimilitudinem dicuntur perſonæ, ſed non ſunt propriæ ſic individuum quod ratione caret dicitur quidem,

A ſed non eſt tertia perſona, Habet autem loquutionis proprietatem ratio, ut id tantum habeat loquutionem quod habet rationem. Dividitur igitur perſonalitas rationis ſecundum diverſitatem loquutionis, ut prima perſona ſit quæ facit loquutionem, ſecunda cui fit loquutio, tertia de qua fit loqutio ipſa. Perſonis igitur hoc modo diviſis ſecundum tres modos loquutionis, tertiæ perſonæ tertius per quandam ſimilitudinem convenit univerſis, nam ſicut loquutio fit de rationali individuo, ita de omnibus aliis poteſt fieri ſermo, Rectum quidem eſt familiare rationalibus, ſibi & de ſe invicem facere loquutionem, & in ſuo genere ſuum continere proprium, quod ad aliud transferre videtur quaſi alienum. Sed quia neceſſarium eſt rationalibus quandoque ſuum genus excedere, & de alienis loquutionem facere; aliena ipſa perſonas, & ſi non ſunt, tertias dicimus, eo quod in eis tertiæ perſonæ B polleat ſimilitudo, in eo quod de ipſis quis alienis fiat loquutio. Sunt igitur alia tertiæ perſonæ per ſimilitudinem, rationabilia vero per proprietatem, quia loquutionis officium ad rationale proprie pertinet individuum, nunc redeamus ad propoſitum.

Quod multa ſunt bona animæ.

IN principio quando humanam animam Deus creavit, pluribus bonis illam cumulavit. Dedit rationem, qua creatorem diſcerneret à creatura, dedit voluntatem & voluntatis arbitrium, ut ex arbitrio, non ex neceſſitate vellet quod vellet, non enim ad beatitudinem erat cogenda, ad quam non eſt perveniendum niſi voluntaria iuſtitia. Ornavit eam iuſtitia, qua mereretur fieri beata. Et voluntatis arbitrio ſuppoſuit eam, ut voluntate iuſta eſſet non neceſſitate. Dedit & debitum iuſtitiæ, ut debeat iuſtitiam qui accepit iuſtitiam, & teneatur debito iuſtitiæ rea, ſi voluntate deſerit, quam ſemper habere debuit. Et quia de homine cæleſtis erat perficienda civitas, data eſt C animæ humanæ vis propagationis corporeæ, ut de ſuo corpore generare queat corpus alterius animæ, cooperatione maris & fœminæ. Ecce humana anima tot honeſtata bonis in principio ſuæ conditionis, duabus perſonis clauſa, nec exterius uſquam protenſa.

Quod in culpa perſonæ eſt culpa naturæ.

ECce peccavit utraque perſona ſuggeſtione ſerpentis, peccavit inquam utraque needum ſubſtantiam ſuam habentibus alibi quam in ſe, quæ nondum erat alibi, quam ibi. Si vero perſona peccavit, ſine ſua ſubſtantia non peccavit. Eſt ergo perſonæ ſubſtantia peccato vitiata, & inficit peccatum ſubſtantiam, quæ nuſquam eſt extra peccatricem perſonam. Subſtantia vero una & eadem eſt utriuſque perſonæ communis ipſis & ſpecialis. In peccatricibus ergo perſonis eſt infecta peccato natura ſpecialis, quæ non eſt alibi, quam in ipſis. In anima Adam ergo & in anima Evæ quæ perſonaliter peccaverunt infecta eſt peccato tota natura humanæ animæ; quæ communis ſubſtantia eſt, eſt ſpecialis utriuſque. Extra has D enim nondum eſt eam eſſe. Si enim fuiſſet in aliis diviſa, pro ipſis ſolis non inficeretur tota. Quia ſi peccaſſent iſtæ, forſitan non peccaſſent aliæ; in quibus eſſet ſalva humanæ animæ natura, nunc autem ubi poterat anima humana munda eſſe, quæ peccatrix erat ubique?

Quomodo humana natura per ſe non peccat, ſed per perſonam.

SEd forte dicet aliquis. Si natura communis, humana ſcilicet anima peccavit in perſonis, quis poteſt negare ſpeciem peccaſſe? Sed abſurdum eſt hoc dicere de ipſa ſpecie, & ipſis univerſalibus aſcribere, E quod ſolis convenit perſonis. Præterea univerſalia ſemper ſunt, quod ſunt, & utcunque varientur individua, conſiſtunt immutabiliter univerſalia, Et quamvis de ipſis vere dicatur mutabilitas individuorum, non eſt tamen in ipſis. Sed nec nos dicimus ipſam ſpeciem per ſe, ſed in ſolis perſonis peccaſſe. Et quamvis de univerſalibus dicantur individuorum accidentia, non tamen ſunt in univerſalibus ipſis, hoc quod ſunt, ſed loco ab individuis ſecundo, nam ſicut diverſæ ſunt ab individuis ſpecies; ſimiliter & eorum proprietates, ut hominis ea proprietas quod ſpecies eſt, quod univerſale, quod commune, quod eſſentia incommutabilis in ſe, quod de pluribus dicitur, & cætera quibus univerſalia diſcernuntur ab individuis; non convenit ipſis individuis, Similiter quod Petrus individuum eſt, perſona, quod de nullo dicitur, quod mutabilis eſt, & cætera quibus individua diſiungunF tur ab univerſalibus, ipſis tamen conveniunt univerſalibus.

De proprietatibus ſpecierum & individuorum.

ET quia ſe intulit occaſio, & utile eſt noſtro propoſito; notandum eſt, quod univerſalium proprietates, quæ ipſis univerſalibus ſunt communes, omnino non conveniunt individuis; ſicut & illæ individuorum quas habent individua communes, nequeunt univerſalibus coaptari, ut hæ quas ſupra poſuimus. Hæ vero proprietates univerſalium, quibus unumquodque ſeparatur ab omnibus, in ipſis quidem univerſalibus principaliter & primo loco ſunt, ſecundo vero loco inferioribus aptantur uſque ad individua. Similiter & hæ individuorum quibus unumquodque ſeparatur ab omnibus, principaliter ſunt in ipſis, ſed ſecundario ſuperioribus conveniunt, ut corporis proprietas, quod corporea ſubſtantia eſt, omnibus inferioribus convenit, ſed primo loco corpori, Similiter proprietates quibus ſeiungitur ab aliis individuis Petrus, quod frater Andreæ, quod Apoſtolorum prinG ceps in ipſo quidem principaliter ſunt, ab ipſo vero ſecundo loco accipiunt univerſalia, Itaque duplex eſt proprietas univerſalium, duplex eſt & individuorum, una proprietas univerſalium, qua differunt ab univerſalibus, alia qua ab individuis. Similiter & individuorum proprietas, alia qua ab individuis ſeparantur, alia qua ab univerſalibus, nam cum una & eadem ſubſtātia ſit in individuis & ſpeciebus, oportet eas proprietates habere, quibus diverſitas pateat inter ſe, ut hominis & Petri cum ſit una & eadem ſubſtantia, differentias habent quibus differunt ab invicem; quod hic quidem individuum eſt & perſona, ille vero communis eſt & ſpecialis natura. Vnum ſunt ſubſtantia, proprietatibus ſunt diverſa, Per hoc quod habent diverſa ſunt, per hoc quod ſunt unum ſunt. Vnitas ſubſtantiæ facit unum quæ ſunt diverſa, diverſitas proprietatum quæ ſunt unum facit diverſa, Et ita non habet ſpecies in individuo id quod differt ab individuo. Sed ita per ſe habet, & ſeorſum ab individuo id quod differt ab individuo, quaſi penitus non eſſet in individuo, id autem quo ſpecies ab univerſalibus difH fert, non habet niſi in individuo, & ſic habet in individuo, quaſi non ſit aliud quam ipſum individuum, cum tamen ſpecies ſit & non individuum. Similiter & individuum ſuæ non attribuit ſpeciei id quo differt à ſpecie. Sed ita per ſe tenet, & ſeorſum à ſpecie id quo differt à ſpecie, quaſi nihil habeat à ſpecie, cum unam penitus & eandem ſubſtantiam habeat cum ſpecie. Id autem quo differt ab individuis individuum non habet niſi cum ſpecie. Et ſic habet cum ſpecie, quaſi non ſit aliud ipſum quam ipſa ſpecies.

A

Quod in anima pro culpa perſona ſit culpa naturæ.

VT igitur ſecundum ſcripturæ loquatur authoritatem, quæ primæ conditionis duas perſonas accipit pro una & uno nomine vocet eas id eſt Adam, ſi anima peccavit Adæ, peccavit humana anima. Peccavit ergo natura perſonæ; quæ ſpecialis eſt, & communis eſſe poteſt, ſed per ſe non peccavit, & ſeorſum ab individuo, non enim eſt peccatum de proprietatibus illis quibus differat ab individuo, ſed peccavit in ipſo individuo, & per ipſum quod aliam non habet ſubſtantiam quam humanam animam, quia peccatum eſt earum proprietatum, quibus ab individuis differt ipſum individuum. Non habet ergo perſona peccatum ſine

B ſua ſpecie, cum qua unum & idem habet eſſe ſubſtantiale. Et eſt in primo homine perſonale peccatum naturæ, non naturale. Quia peccatum principaliter eſt in perſona quæ peccavit ipſa; ſecundo loco in ſpecie quæ peccavit quidem, ſed non ipſa, non potuit peccare perſona ſine ſubſtantia, nec niſi in ſubſtantia peccatum potuit habere perſonam. Habet autem perſona peccatum; habet ergo & ſubſtantia tota. Tota quia non erat alibi quam ibi, Tota quia nondum in alias perſonas diviſa, Tota ſiquidem proprie dicimus tota, & non potius omnis.

Quid diſtat totum & omne.

NAm totum pro partibus dicitur; omnis vero pro individuis, & univerſalibus convenit omne, compoſitis vero totum; nam omne colligit individua; totum partes congregat. Species autem non partes congregat, ſed individua colligit. Et compoſitum in ſolis individuis invenitur, ut dicantur tota: Vniverſalia vero omnia ſimplicis & incompoſitæ ſunt naturæ; quam-

C vis quandoque complurimi dicantur aliqua ſimilitudine ut ſpecies ex differentiis & genere ad ſimilitudinem materiei & formæ.

Quod humana natura tranſire nequit ad alias perſonas ſine culpa.

ET quia humana anima tota eſt in Adam obnoxia peccati; ſine peccato non poteſt ad alias perſonas transferri, nec fieri iam poteſt anima humana ſine vitio peccati, & ſecum ubique trahit vitium, quod à principio habet in ſe concretum. Omnis igitur anima quæ poſt Adam creatur, à principio naturali trahit quod in ſe culpetur. Alioquin non erit humana anima ſi fuerit ſine culpa, nec erit naturæ peccatricis, ſi non fuerit ipſa peccatrix. Aut ſi ſe dixerit non peccatricem; neceſſe eſt profiteatur ſe non eſſe humanam animam. Et nulla ſine peccato creatur in hac vita, quæcunque convincitur eſſe humana anima.

D

Quomodo Chriſtus venit ſine culpa.

QVid ergo dicimus de Chriſti anima quæ humana eſt, & ſine culpa? dictum eſt prius quia propagatio data eſt humanæ animæ, ut propagare poſſit humanum corpus de humano corpore cooperatione maris & fœminæ. Et oportebat authoritate divinæ iuſtitiæ, & neceſſitate naturæ, ut qualis anima, & de quali corpore erat facta, anima talis & in tali corpore eſſet ſequutura; ut qualis eſſet origo, & principium radicis, talis ſequeretur iuſta neceſſitate proceſſus humani generis, nec eſſet principio diſſimile, quod fieret per propagationem maris & fœminæ. Chriſtus vero quia nec maritali copula nec amplexu coniugii venit, ſed ſola virtute divina in virgine, & de virgine factus eſt ſancta, peccato iure caruit, nec debet requiri peccatum, ubi ſolum eſt opus divinum

E Et recte ſine peccato poteſt eſſe, qui factus eſt ſine humana actione, ut qui per homines non eſt factus, peccatum non habeat cum hominibus. Anima Adam propagationi datæ iunxit culpam: & propagationis bono quod Deus dedit appoſuit peccatum quod ipſe fecit. Quæ vero coniuncta ſunt in origine ſeparari nequeunt in poſteritate. Ideo trahunt naturale peccatum homines qui naſcuntur propagatione hominum, naſceris humana propagatione; ſequitur culpa neceſſitate. Poteſt igitur eſſe ſine peccato, quem non producit humana propagatio. Tolle propagationem humanam; ubi invenies culpam? Et ideo Chriſtus non habuit culpam, quia generationem non habuit humanam, nec eſt humana natura obnoxia peccato, niſi ubi ſit humana generatio, nam ubi in propagatione ſola eſt operatio divina, niſi Deum culpes nulla eſt culpa. Sic igitur naſceretur ſine peccato Chriſtus, etiamſi non

F eſſet Deus.

Cur in Chriſto fuit pœna ſine culpa.

FOrte quæritur, cur Chriſtus tanta toleravit qui non peccavit? Infirmitatem noſtram, quæ utilis eſt, & qua virtus exerceri poteſt, ſponte & hominum compaſſione retinuit non neceſſitate, nam cum uſque ad mortem virtutes exercuit in infirmitate, dedit exemplum patientiæ; ne nos in infirmitate deficiamus, ſed in patientia toleremus adverſa, quia virtus in infirmitate perficitur. Nam quid illi oberat difficultas preſſurarum, cum exprimebantur inſignia latentium virtutum? Quis dicit inutile premi torcularibus uvas, qui pura videt ſudare vina? Quis non fortiter terat ſynaxim, ſi vult occultam ſentire virtutem? Sic in Chriſto fuit infirmitas noſtra exterius; cuius contritione pateret, quanta fuerit firmitas intus, & ita ſine peccato ſuo dignatus eſt pati pœnam pro peccato noſtro, non ſolum quod facimus, ſed & cum quo naſcimur.

G

Quid diſtat naturale peccatum & perſonale.

DIcitur enim duobus modis peccatum perſonale & naturale. Et naturale eſt cum quo naſcimur, & quod ab Adam trahimus, in quo omnes peccavimus, In ipſo enim erat anima mea, ſpecie non perſona, non individua, ſed communi natura. Nam omnis humanæ animæ natura communis erat in Adam obnoxia peccato. Et ideo omnis humana anima culpabilis eſt ſecundum ſuam naturam, etſi non ſecundum ſuam perſonam. Ita peccatum quo peccavimus in Adam, mihi quidem naturale eſt, in Adam vero perſonale. In Adam gravius, levius in me, nam peccavi in eo non qui ſum, ſed quod ſum. Peccavi in eo non ego, ſed hoc quod ſum ego. Peccavi homo; ſed non Odo, Peccavi ſubſtantia, non perſona, & quia ſubſtantia non eſt niſi in perſona, peccatum ſubſtantiæ eſt etiam perſonæ, ſed non perſonale. Peccatum vero perſonale eſt, quod facio ego qui ſum, non hoc quod ſum, quo pecco Odo non homo, quo pecco perſona, non natura, ſed quia perſona non eſt ſine natura,

H peccatum perſonæ eſt etiam naturæ, ſed non naturale.

Quid eſt venire de traduce.

SEd opponi poteſt, oſtenſum eſt animam cuiuſlibet ex traduce venire, cum hoc orthodoxus negaverit. Nam quælibet anima creatur in corpore, aliud eſſe ſubſtantialiter non habet quam ſpeciale. Sed eſſe ſpeciale & anima prima habuit; habet ergo quælibet anima ſubſtantialem eſſentiam ab anima prima, Venit ergo ex traduce quælibet anima, quæ ſubſtantialem eſſentiam trahit à prima. Sed huic obiectioni reſpondetur; quia non recte traducem accipiunt, qui eam de ſpecie dicunt. Et quod eſt individui,

A non bene aſcribunt ſpeciei. Quamvis enim nequeat eſſe ſine ſpecie, individuum tamen non habet eam à ſpecie. Habet individuum ab individuo traducem? ſed non ſecundum eandem ſpeciem, Venit enim ab individuo ſpeciei alicuius, per individuum ſpeciei alterius in individuum eiuſdem ſpeciei, cuius erat prius, ut ſint extrema individua eiuſdem ſpeciei, medium vero alterius. Eiuſdem ſunt à quo venit, & in quod, alterius vero per quod. Medium eſt per quod; extrema ſunt à quo & in quod, primum à quo, extremum in quod, ut in animali primum parens à quo, medium, ſemen per quod, ultimum proles in quod traducem venire dicimus. Venit ergo à primo per medium in ultimum. Primum & ultimum eiuſdem ſpeciei ſub animali ut hominis. Nam ſi parens eſt animal & homo, & proles animal & homo. Medium vero ſemẽ per quod, nec animal nec homo, ſed alterius ſpeciei. Sic & in plantis primum B eſt à quo ſemen, medium per quod, id eſt ipſum ſemen ultimum in quod fit tradux plantæ. Igitur à prima planta venit ultima planta per medium ſemen plantæ, quod non eſt plãta. Non eſt ergo putandũ ab individuo primo ſequens habere traducem præter eandem utriuſque ſpeciem niſi fiat per medium ſemen. Tranſeat ſæpius ſpecies ab aliis individuis ad novum, nullam ibi traducem dicimus, niſi fiat per ſemen medium. Et quoniam rationales animæ nullo fluunt ſemine; ab anima prima ſpecies ſemper tranſit ad novam ſine ulla traduce. Et ſi præcedentis animæ ſubſtantiam accipit nova, tamen nullam habet traducem, ubi nullum intervenit ſemen.

Quomodo Deus non agit culpam; qui creat peccatricem animam.

SVperius digeſta probant, humanam animam in unoquoque creari peccatricem; nec poteſt eas creare niſi Deus, qui creat omnia. Timendum eſt igitur C ne peccati ſit Deus author; qui eſt peccatricis animæ creator. Sed è contra dicimus, Deum & animam creare peccatricem, & non eſſe mali authorem. Vide enim in humano genere, quis fecit prius animam, & quis prius culpam, & invenies animam opus Dei, & culpam opus hominis. Opus Dei bonum, opus hominis malum. Cum ergo dicis, Deus creat animam peccatricem, duo dicis, animam & peccatum; & utrumque refer ad authorem ſuum, animam ſcilicet ad Deum, & ad hominem peccatum, Igitur in anima peccatrice, quam Deus creat, da Deo ſuum opus, & lauda, & homini da ſuum & vitupera, Creat animam peccatricem. Quod audis animam Dei eſt, quod peccatricem hominis. Hoc modo Deus & creat animam peccatricem, & non eſt author peccati. Amplius, Sed ut evidentius loquamur, ponamus pro peccato iniuſtitiam. Deus creat animam iniuſtam. Benedictus Deus; quia & in hoc iuſtus eſt. Quid enim iuſtius quam animam humanam creare iniuſtam? Certe talem debuit in me creare, qualis fuit in primo homine, quia talem naſcendo quiſque debet habere, qualem debet propagatio maris & fœminæ. Creat igitur iniuſtam D iuſtiſſime; quia talem creat qualis debet eſſe. Si iuſtam crearet, iniuſtus eſſet, & contra ſe, nam qui inſtituerat poſteritatem humanitus propagatam ſuum ſequi principium, ſi naſcitur iſta poſteritas, ſuum negat inſtitutum, diſiungens à capite corpus, ut ſuo principio non ſit finis contiguus; & biforme monſtrum ſit humanum genus, habens caput diſcors à corpore, & principium à fine. Vide ergo ne dum abhorres iniuſtas animas creare Deum, adulando ſtulte, facias iniuſtum; & cum honorare putas, exhonores iuſtiſſimum. Amplius: Deus dedit iuſtitiam animæ, & ideo debet habere, ſed anima quam habere debet iuſtitiam ſponte deſeruit, cuius ergo culpa caret, quam habere debet? Sua quæ ſponte deſeruit, non Dei qui non coegit. Tamen habere debet quam non habet. E Quod ergo Deus animam facit ſine iuſtitia quam debet habere, non eſt Dei culpa, ſed animæ. Sed ſi eam modo facit ſine iuſtitia, quam ſponte deſeruit, nonne laudandus eſt valde, qui tot ei bona reliquit? Adhuc remanet ei debitum iuſtitiæ & propagatio, arbitriumque rationis, & ipſa ratio, qua cæteris præeminet animalibus. Anima ſtulta quieſce arguere creatorem; & quia te non fecit iuſtam, iniuſtum dicere. Sufficiat tibi quod habes, quia nec, ipſum meruiſti. Lauda benignitatem dantis immerita, nec accuſa rectitudinem non dantis iniuſta. Quod ſi non placet illi dare creandæ totum quod vis, age gratias de conceſſis, ſupplica pro aliis, facere vis eum iniuſtum ut tu ſis iuſtus. Sed immutabilis non poteſt mutari, nec cogi poteſt omnipotens. Creat iniuſtam, ſed hoc nihil eſt aliud, quam ſine iuſtitia creare, & iuſtitiam non dare creandæ, ſi non vult amplius dare, tolle F quod habes, gratias agendo, nec pro aliis ſis illi moleſtus, niſi ſupplicando. Sed forte dicis. Debeo habere, Si debes, redde, non habeo, Habuiſti: Perdidi, quis abſtulit? nullus, Quomodo ergo perdidiſti? Sponte dimiſi. Ergo non poteris recuperare niſi magna recompenſatione, Adhuc quædam pro Orthodoxis ſunt dicenda, ſed quia laſſi ſumus, alij ſunt exordio ſervanda.

Explicit liber ſecundus.

LIBER TERTIVS.

Quod totus homo dicitur peccare per animam, non per corpus.

SVPERIVS digeſta continent, iniuſtitiam eſſentiam non habere, nec eſſe in corpore, ſed in G anima tantum, ubi iuſtitia debet eſſe, animas vero non fieri de traduce, ſed à ſolo Deo, vel de extantibus aliquibus, vel de nihilo, & in peccato Adam humanam animam peccaſſe, omnem & totam, nec poſt eum præter Chriſti animam ullam ſine peccato fieri, hoc exigente divina, naturalique iuſtitia. Quia ergo hominis peccatum in corpore non invenitur, ſed in anima, idcirco loquuti ſumus huc uſque de anima, Homo vero pro quo totum hunc ſermonem inſumpſimus ex anima conſtat & corpore, nec integer eſt ex altero, ſive utroque, quamvis ſecundum alterutrum dicatur homo quandoque, ut quidam ſapiens, à generaliſſimo deſcendens ad ultimam ſpeciem corpori ſupponit hominem, dicens hominem eſſe corpus animatum, ſenſibile, rationale, hic ponens rationem pro loquutione; quia ſicut ratione mens intus, ita ſermone corpus utitur exterius, Et quia ſæpe dum de toto, quod ineſt parti, & quod dicitur de parte, negari ſæpe non poteſt toti, ut idem ipſe aliquis & niger dicatur corpus, & animam iuſtus; ſic omnis homo cum ex anima conſtet & corpore, per animam tamen peccator dicitur eſſe. Totum eſt ex multis partibus? Quod unus eſt, dicitur de toto, non tamen de omnibus, dicitur H peccator qui conſtet ex corpore; nec tamen ad corpus pertinet peccare.

Quod in ſubſtantiis plurimis eſt una perſona.

SIc perſona dicitur Petrus; cum perſona non pertineat ad corpus, eſt tamen corpus iunctum animæ, ut habeat cum anima quod non habet per ſe. Dicitur ergo individuus homo perſona non corpore, ſed anima, anima namque corpus aſſumit in ſua perſona, ut in una perſona, duplex ſit ſubſtantia. Hoc maxime diſtat à creatore creatura, quod plures perſonas

A creator habet in vna ſubſtantia, quod penitus inveniri nequit in creatura, Creatura vero invenitur vnam habere perſonam in pluribus ſubſtantiis, quod eſſe non poteſt in maieſtate creatoris, Eſt igitur individuus homo, multiplicis ſubſtantiæ, & vnius perſonæ, perſona vna, multiplex ſubſtantia. Humana perſona conſtat ex pluribus; & non dicitur de pluribus, eſt diviſibilis, vt totum per membra, eſt indiviſibilis, vt ſingulare per ſubiecta, quia partes habet eſt totum, quia ſubiectum non habet eſt individuum.

Quod in homine pro culpa perſonæ, ſit culpa naturæ.

ET ſicut aliquid de vniverſali dicitur pro individuo, ſic aliquid dicitur pro parte de toto, vt propter animam ſolam dicatur peccator homo individuus, B qui animam ſimul habet & corpus. Dicitur peccator per ſolam animam qui ſimul habet corpus & animam. Ad corpus peccatum non pertinet & tamen peccator eſt qui corpus habet, non igitur anima ſola peccaſſe dicitur in Adam, ſed & ipſe per animam, ſcilicet totus ex pluribus partibus per vnam. Dicitur ergo & Adam peccaſſe, quia peccavit anima, quam habuit ipſe. Et ſi peccavit Adam, peccavit homo; quia ſi peccavit ipſe homo, peccavit humana natura quæ eſt homo. Sed humana natura tota tunc erat in ipſo; nec vſquam erat alibi ſpecialis homo. Cum ergo peccavit perſona, ſcilicet ipſe homo, peccavit tota natura, ſcilicet communis homo. Et in peccato perſonæ, culpabilis factus eſt homo communis naturæ. Et qualem Adam fecit humanam naturam in ſe, talem poſteris eam tradidit poſt ſe. Et qualis facta eſt humana natura per inſipientiam peccatoris, talis neceſſe eſt transfundatur in poſteros per iuſtitiam creatoris; vt ſit in toto quod ſuperius dictum eſt de parte, & quod dicebatur de anima, C inveniatur in toto homine.

Quod nemo poſſit evadere iuſtitiam.

QVod non ſolum intelligendum eſt de culpa, ſed & de pœna, vt quia Deus homini primo pœnam reddidit pro culpa, in poſteros transfundatur pœna cum culpa, & cum pœna naſcantur, qui cum culpa creantur, merito námque quod non vult patitur per iuſtitiam, qui fecit quod voluit contra iuſtitiam. Et merito nolens patitur pœnam, qui volens deſeruit iuſtitiam. Iuſte punitur nolens, qui male fecit volens, vt non evadat iuſtitiam, qui deſerit iuſtitiam, nam ſi deſerit eam, male faciendo, incidit in eam iuſte puniendo. Si relinquit eam inobediens; recidit in eam dure patiens. Si iuſtitiæ ſubditus eſſe non vult obediendo, ſubditus eſt ei velit nolit patiendo. Et quam devitat voluntate iuſtitiam, incurrit neceſſitate. Et vrget eum iuſta neceſſitas, quem D tenet iniuſta voluntas.

Quod in ſola voluntate, meritum eſt rationalis naturæ.

IN voluntate vero peccamus, vel benefacimus, quia in voluntate eſt totum meritum noſtrum, ſiquidem quicquid meremur, voluntate meremur, nec vbi voluntas abeſt, vllum eſt meritum, vbi autem eſt meritum, ibi eſt iuſta pœna vel præmium. Benedictus Deus qui poſuit in voluntate noſtra, vtrumlibet eſt nobis futurum. Quid ergo? Sicut volumus, ſic habebimus. Si volumus iuſtitiam, iuxta voluntatem ſequitur meritum palmæ. Si volumus iniuſtitiam, contra voluntatem ſequitur meritum pœnæ. Vtrumlibet ergo conſequamur eſt in noſtra poteſtate, quia eſt in noſtra voluntate. Nihil enim tam eſt in noſtra poteſtate, quam voluntas noſtra, nam E quæ noſtræ poteſtatis ſunt; tanto magis in noſtra poteſtate ſunt; quanto magis in voluntate. Et quia voluntas noſtra propinquior ſibi adeſt & magis eſt in ſe quam cætera, ideo maxime eſt in poteſtate noſtra, non enim mea poteſtas habet, quod ex mea voluntate non pendet, nam magis vrget neceſſitate, quam delectet poteſtate, quod non eſt in voluntate. In omnibus ergo rectus Dominus, & non eſt iniquitas in eo. Vtrumlibet enim velimus, ipſe eſt bonus, nam ſi in amore iuſtitia, merito voluntatis retribuet præmium pius. Si aliud eſt in amore contra iuſtitiam, merito voluntatis pœnas retribuit iuſtus.

Quod rationalis natura in eo punitur, quod diligit.

ET quia contra voluntatem homo punitur, in eo punitur quod diligit, vt de eius incommodo doleat quod amat: punitur ergo in ſe, & in ſuis, quia F ſe diligit & ſua. Punitur in ſe, ſcilicet anima & corpore. In anima enim & corpore ſtatim accepit valetudines homo, vnde puniretur pro peccato, quas prius non habuerat, quia nondum meruerat. In anima, namque confunditur ignorantia, timore tabeſcit, ægritudine triſtatur, difficultate ſua & corporis torquetur, infinitis ſollicitudinibus diſtenditur. In corpore vero gravitatis tarditate, morborum doloribus, operum fatigationibus, laborum defectu, inediæ vel ingurgitationis inæqualitate, rigore frigoris contrahente, æſtivum ſudore diſſolvente, & aliis inæqualitatibus innumeris, & ad vltimum morte cruciatur indeſinenter homo miſer, punitur in ſuis mortibus propinquorum, variis incommodis amicorum, & multiplicibus damnis ſuarum rerum.

Quod culpa nequit eſſe ſine pœna.

HÆc ſunt mala quæ fecit Deus, vt patiatur homo pro malo, quod non fecit Deus, & fecit G homo. Et his malis quæ fecit Deus, iuſte punitur humanum genus pro malis quæ non fecit Deus, & fecit humanum genus. Et contrahit humanum genus malum quod fecit Deus, vt ſemper habeat miſer homo pœnam ſuam coniunctam peccato, & agat temporalem vitam cum pœna, qui temporalem vitam agit cum culpa; vt quem culpa tenet, hunc ſemper pœna fatiget. Hæc eſt humani generis conditio miſerabilis, hæc inevitabilis neceſſitas, vt ſemper habeamus culpam, ſemper habeamus & pœnam. In hac vita nec ſolvere collum poſſumus à iugo culpæ, nec evitare penitus neceſſitatem pœnæ, hæc culpa, & hæc pœna culpæ fuit in primo homine, à Deo quidem pœna, ab homine vero culpa, Culpa hominis opus contra Deum, pœna opus Dei contra hominem. Et ſicut ab Adam culpa tranſiit in homines omnes, ita & pœna culpæ, non enim ſine pœna potuit in hominibus eſſe culpa, neceſſe eſt ergo in H nobis eſſe vindictam Dei pro culpa noſtra, ſicut in primum hominem Dei vindicta venit pro culpa ſua; vt qui contrahunt culpam, contrahant & pœnam. Humanam enim naturam accipere debemus, hoc quod erat in primo homine poſterius, non quod erat in ipſo prius. Exigit enim à vobis humana natura, quod fuit in primo parente poſterius, non quod fuerat in ipſo prius; quia quod prius fuerat in ipſo, perdidit, quod vero poſterius manſit. Quod bene fuerat prius perdidit; quod male fuit poſterius manſit. Non poteſt humanitus propagari niſi quod erat. Ideo non ſumus niſi quod erat. Ideóque miſeri ſumus, quia miſera erat.

A

Quod anima cuiuſque hominis fieri nequit, niſi humanæ naturæ.

QVæri poteſt, quomodo humanæ animæ creantur à Deo quotidie. Nam ſi ſubſtantia novæ perſonæ eſt eadem cum ſua ſpecie, quomodo dicitur nova, cuius eſt antiqua ſubſtantia. Qualiter creatur modo, cuius ſubſtantia fuit à principio? Manet enim ſpecialis natura, cuius naturæ creatur anima nova. Quomodo ergo nova fit hodie cuius natura manebat in ſpecie, modo fit; & erat. Quid eſt hoc, Huic quæſtioni reſpondetur ita. Patet iuxta fidem Catholicam; quia creatur anima nova in humano corpore. Fit autem anima quæ creatur aut humanæ naturæ, aut alterius quam humanæ, aut nullius. Sed nullius naturæ fieri perſonam, & inter naturas creari, quod nullam habeat naturam eſt impoſſibile. B Si vero creatur in humano corpore alterius naturæ anima quam humanæ, etiam hoc abſurdum eſt dicere. Reſtat ergo ut cum creatur nova, fiat humanæ naturæ. Et ita colligitur, quia fit nova eius naturæ quæ non eſt nova, facit ergo Deus animam novam, quæ naturam non habet novam. Eſt ergo eadem natura nova & non nova. In perſona nova eſt, in ſpecie nova non eſt. Nova eſt proprietate perſonali, non nova proprietate communi. Creatur a Deo de extantibus, vel de nihilo anima nova perſonaliter eius naturæ quæ fuit ab Adam vniverſaliter. Cum dicis humanæ animæ perſona creatur, humanam animam non dicis creari, ſed perſonam. Perſona autem humanæ animæ eſt anima individua. Creatur igitur non humana anima ſed individua anima. Individua anima creatur, quia prius non erat, humana anima non creatur, quia prius erat, & in aliis perſonis erat. Tamen individua anima eſt humana anima, & idipſum ſubſtantialiter eſt individua anima quod humana, & una eadémque ſubſtantia eſt hæc & humana, id eſt creata modo, & manens ab initio, individua videlicet & ſpecialis, ſingularis & communis, ideo vna & eadem ſubſtantia eſt utriuſque, quia cum individua anima creatur, fit humanæ naturæ, & modo facta de nihilo, aſſumit in ſe factam C ab initio. Aſſumit inquam individua communem, vt habeat eandem cum ea ſubſtantiam. Et cum proprietatibus ſuis differant per ſubſtantiam penitus ſunt idem. Itaque humanæ animæ creantur nova individua; quæ idipſum ſubſtantialiter ſiunt quod eſt humana anima. Creatur humanæ animæ novum individuum, quod cum ipſa neceſſario ſit eiuſdem naturæ, quia impoſſibile eſt humanæ animæ individuum in humano corpore creari alterius naturæ quam humanæ. Amplius. Poteſt etiam dici, novas animas creari, non quod ſunt, ſed quod habent, id eſt, proprietate non ſubſtantia, vt non nova ſubſtantia, ſed nova fiat proprietas, vt procreatione proprietatis novæ, creatio dicatur antiquæ ſubſtantiæ. Et antiqua ſubſtantia ideo nova dicatur, quia nova proprietate formatur. Et quamvis perſona non ſit ſine ſubſtantia, perſonam tamen non facit ſubſtantia ſed ſubſtantiæ D proprietas: ideoque propter proprietatem novam nova dicitur anima. Dat Deus exiſtenti animæ proprietatem novam, & facit novam perſonam, ſpecies ſubſiſtit, datur à Deo proprietas, & fit nova perſona. Advenit proprietas communi naturæ; & per proprietatem fit individuum, quod erat commune. Itaque ſola proprietas fit, non natura, ſola proprietas, non ſubſtantia, & tamen ſubſtantia creari dicitur per proprietatem, vt nova ſit anima, cuius eſt nova proprietas. Hanc rationem priori non præferimus; quia vix audimus dicere in creatione animarum Deum non creare ſubſtantiam, ſed proprietatem ſolam; ne derogare videamur omnipotentiæ ſummæ, ſi ſola accidentia dicantur in perſonis & non ſubſtantias creare, Damus tamen lectori licentiam, quod magis vult tenere. His rationibus oſtenditur ſecundum orthodoxos omnes homines originaliter culpam trahere, & in Adam omnes peccaſſe, quamvis animæ non ſiant de traduce. E

De toto materiali.

NVnc ad eos eſt veniendum, qui dicunt animas quoque de Adam veniſſe, & ſic omnes in Adam peccaſſe, ſed hic prædicendum eſt de parte & toto, ſicut ſuperius de vniverſali & individuo nam ſicut de vniverſali & individuo dicere ſuperius valuit ad oſtendendum; ſimiliter hic de partibus & toto loqui proderit ad intelligendum. Et dicitur totum pluribus modis. Vno modo integrum, quod naturaliter conſtat ex compoſitione partium, vtens compoſitione tanquam forma, partibus vero tanquam materialia. Partibus enim adveniens compoſitio perficit totum. Nam ſine compoſitione nihil partes efficiunt. F Vt in homine partes ſunt anima & corpus, in humano autem corpore partes ſunt omnia membra eius, quæ perficiunt, illæ quidem hominem, hæ vero corpus humanum, ſi compoſitionem habuerint competentem. Et ſicut compoſitione conſtruitur ita diſſolutione partium deſtruitur totum. Contingit autem frequenter alterius generis eſſe totum, & alterius partem, vt hominis humanum corpus, & corpori, & humana anima animæ, homo vero totum neutri ſupponatur, ſed ei quod conſtat ex vtroque. Et in hoc toto, nec ipſum de partibus dicitur, nec partes de ipſo. Et tale totum ſpeciei ſemper eſt individuum. In univerſalibus enim non invenitur tale totum. Vniverſalia enim hoc quod ſunt per ſe, incompoſitæ ſunt & ſimplicis naturæ; & ſi tota dicitur, in individuis ſuis dicuntur per ſe, etiam quantitatis & genera & ſpecies, quæ nihil aliud ſonare videntur, quam ex partibus talia tota, in individuis quidem partes habent, & tota ſunt, ipſa vero per ſe nec partes habent nec ſunt tota; ſed naturæ ſimplicis & abſoluta, vt numerorum genera G & ſpecies, quorum totam ratiocinationem partium conſideratio continet, ipſa quidem per ſe nec tota ſunt nec partes habent; in individuis vero tota ſunt ubique partium compoſitione. Vniverſalibus tamen dat philoſophica conſideratio conſtitutionem non quidem proprie, ſed ad ſimilitudinem materiei & formæ, nam ſpeciem conſtare dicunt ex genere & ſubſtantia, velut ex materia & forma. Sed in hac vniverſalium conſtitutione non perit ſimplicitas naturæ, velut partes non faciunt totius quantitatem ſed qualitas adveniens ſimpliciter informat materiem. Non eſt enim figura, multorum in unum compoſitio, ſed materiæ ſubiectæ ſimplex informatio, nec qualitas facit vllam quantitatem ſubiectæ materiei informationem, ſicut numerus materialium partium, compoſitione. Nam materialium partium numerus ponit quantitas. Figura vero ſubiectæ materiei ponit qualitatem, ſiquidem figura eſt qualitas. Qualitas autem non pertinet ad totum materialium partium, ſed quantitas propter earum munerum, itaque quia materialium partium munerum non admittunt, non pertinet ad ea H quantitatis totum, vt in ſua conſtitutione dicantur compoſita; ſed naturæ ſimplicis ſunt & incompoſitæ, ſemper hoc ipſum manentia quod ſunt & immutabilia per ſe.

De toto formali.

ALio modo dicitur totum formale, quod ex forma conſtat & materia, aliter enim conſtat Petri corpus ex humana figura & materia corporeæ maſſæ, aliter ex pluribus membris ſuis & compoſitione, ineſt figura maſſæ, & conſtat totum formale. Quantitate non conſtat hoc totum; quia non quæritur hic multitudo materialium partium, ſed ſola maſſa & figurans forma nec debet quantum dici, ſed magis quale; quia eſt formale, nam forma eſt & qualitas.

A Et ſciendum quia non invenitur hoc totum, niſi in individuis ſpecierum. Species enim non habent hanc conſtitutionem ſed ſimilem.

De toto virtuali.

EST etiam totum quod poteſt dici virtuale, quod ex viribus conſtat, & maxime invenitur in individuis animæ, habet enim anima quæque vires, & efficacias quaſdam quibus conſtat & efficit multa pro ſuo poſſe; ita ut ſua corpora vigeant in multis ſecundum vires animæ. Vnde humana anima vim habet rationalem, qua utitur interius ad inviſibilem cognitionem & rerum omnium diſcretionem, & operatur exterius in ſuo corpore multos actus, & loquutionem maxime. Habet & unum nomine ſenſibile; B qua corpus afficit ſenſibus quinque, vt ſentire queat ſenſibilia quæque, & dividit corporis partibus ſpecies ſenſuum ſecundum qualitates diverſas ſenſibilium, viſus oculorum, figuras & colores, auditus aurium ſonos capit & voces, odorem nares odoratu, palatum ſapores iudicat guſtu, tactus diſcernit per totum indifferenter corpus, aſperum & lene, durum & molle, rarum & ſpiſſum, frigus & calorem & figuras. Hi ſenſus licet ab anima ſint in corpore; tamen nec anima, nec vis animæ, ſed affectiones ab anima corporibus illatæ, habet etiam vim vegetabilem, qua ſuum corpus vegetat; & ipſius corporis ſtatus momenta etiam neſciendo diſpenſat. Quid de plantarum animabus dicamus? Vires earum certe medicina penitus non ignorat, quæ efficacias earum in ſuis plantis ſecundum diverſas ſpecies explorat, habent vires interius animæ, & exterius afficiuntur C plantæ. Animæ viget efficacia, & hoc reperitur in planta experimur in planta, quæ vires latent in anima. Mirum quod vires animæ anima mortua manent in corpore, & remanent in planta veſtigia virium quæ fuerunt in anima, donec & ipſa in corpore paulatim emoriantur vetuſtate. Hoc autem habet ab aliis totis iſtud proprium, quod cum plures habet vires, in unaquaque eſt totum; & in ſingulis viribus eſt anima, cum tamen totum ex una vi conſtet ſola. In una ſola vi eſt totum, & una ſola vis non efficit totum, eſt quidem totum in ſingulis ſolis, ſed non conſtat ex ſingulis ſolis, de ſola parte dicitur totum, ſed ex ſola parte non conſtat totum. Et quamvis anima huius plantæ de ſingulis viribus ſuis dicatur, non tamen earum ſpecies putetur, quia individuum eſt, & de nullo ſubiecto dicitur. Vires enim huius animæ partes illius ſunt, non vt individua ſubiectæ, nec anima plantæ huius tota eſt in ſingulis viribus ſuis, cum ſpecies tota ſit in ſingulis individuis ſuis, nunc ſedea- D mus ad propoſitum.


Quomodo de traduce veniunt animæ.

DIcunt ſeminatores animarum, quorum (rationem poſt Orthodoxos inſumpſimus dicere) quod omnis anima venit de traduce, id eſt, anima per ſemen de anima, ſicut eius corpus per ſemen propagatur de corpore, vel arbor de arbore, & ſic eſſe vim ſeminariam in anima, quemadmodum in corpore. In animalibus enim niſi vim vegetabilem trahat ſemen parentis, non proficit ad creationem ſequentis prolis, nam ſemen fuſum in fœmina, quomodo pullulat, niſi vim animæ vegetabilem trahat? Quomodo concreſcit in viſcera prægnantis ſeminatum, niſi utcunque fuerit animatum? Infundantur urina de parente, vel ſputum, vel aliud quicquam, non proficit in partum, vel in prolem ullam, nec unquam natum eſt animal tali infuſione, quia talis infuſio caret animatione. Nullam vim animæ talis infuſio trahit, ideo non proſpicit in partum, nec inde pullulat aliquid. Infundatur fœminæ ſemen, infundatur & aliud. Quid eſt quod hoc ſemper eſt inutile, illud ve- E ro proficit in prolem ſæpe; hoc nihil valet unquam, illud prolem promittit futuram, niſi quod hoc nihil animationis habet, illud vero vim vegetabilem retinet? Trahit ergo ſecum ſemen corporis, ſemen animæ ſcilicet vim vegetationis, quæ corporeum ſemen vegetet in humanam formam, ipſa cum eo ſuccreſcens in rationalem animam, ut ſicut particula, quæ non eſt humanum corpus, ab humano corpore fluit in ſementem, ſic particula, quæ non eſt humana anima, ab humana anima decurrat ut ſemen. Et ſicut pruritus corporis non ſolet ſine delectatione animæ fieri, ſic pruritus à corpore non excutit ſeminarium liquorem, niſi ſimul animæ delectatio producat ab anima ſeminariam vim, id eſt, vegetabilitatem ut ſit humanæ animæ ſemen, vis vegetabilis, ſicut ſeminarius liquor, ſemen eſt corporis. Et ſicut ſimul pro- F cedunt cauſæ, ſcilicet, delectatio & pruritus; ſic ſimul ſequuntur effectus, id eſt, vis vegetabilis, & liquor ſeminarius, ſimul etiam cum creſcendo proficiunt hoc uſque ad humanam formam, illud uſque ad rationalem animam, inde ſimul manent in una perſona uſque ad mortem. Cauſæ coniunctæ ſimul iungunt ſuos effectus, in unum individuum eius, quod conſtat ex anima & corpore. Individuum autem illud per ſuas cauſas ſub ſpecie ſua compoſitum, proficit ad alterius ſpeciei individuum. Quod ut videatur apertius, aliunde incipiamus, ut ex altiori principio, lucidior fiat finis cognitio.

Deſcenſus ſubſtantiæ ad individua, per id quod conſtat ex corpore & anima.

G EST genus ſubalternum ſubſtantiæ, quod corpori non ſupponitur, nec animæ, ſed ei quod conſtat ex utroque.

H



Hoc autem aliud habet ſubalternum ſub ſe, id eſt, conſtans ex anima vegetabili & corpore, habens animal è regione, quod autem conſtat ex anima

Digitized by Google

vegetabili & corpore, & ipſum habet ſuppoſitum, aliud ſubalternum, id eſt, animalis ſemen, quod non eſt animal, ſed tantum animalis ſemen habens e diverſo plantam, vt eius quod ex corpore conſtat & vegetabili anima, aliud ſit ſemen animalis, aliud planta, ſub ſemine animalis, ſpecialiſſima ſpecies eſt ſemen hominis, & inde individuum ſemen uniuſcuiuſque hominis. Semen autem hominis ſub ſemine animalis, non eſt homo, nec animal, ſed in individuum paulatim proficit hominis.

Decurrit ergo ſemen animalis, quod non eſt animal, & paulatim promovetur in aliud individuum animalis. Et ita propagatur ab animali animal, per ſemen animalis quod non eſt animal; vt ſemen animalis perdens ſpecialem naturam ſeminis, quam habebat promotione quadam accipiat alterius ſpeciei ſubſtantiam, quam poſtea poſſideat.

Quod circa eandem materiam mutentur ſpecies & individua.

IN quo eſt notandum, quod circa eandem materiem fiat mutatio ſpecierum & individuorum, & in eadem maſſa, nunc hæc ſpecies fiat, nunc illa, vt in maſſa ſeminis modo ſit ſeminalis natura, poſt humana, & cum maſſa ſit eadem materialiter, pro tempore mutat ſubſtantiam prædicabiliter, vt eadem manente materiei maſſa, ſicut circa eam aliquando mutatur figura, ſimiliter mutatur & ſpecialis natura, & etiam individuum, quia individuum ſequitur ſpeciem, & non materiem, non enim reſpicit ad ſubiectam materiem inferius, ſed ad formatam ſpeciem ſuperius. Et ſic frequenter apparet in corporibus, vt in corporali maſſa, ſicut mutatur figura circa materiem, ſic mutatur & ſpecies ſecundum prædicationem, maſſum figura componit & fit totum formale corporaliter, ſubſtantiam differentia format, & fit ſpecies ſubſtantialis incorporaliter, mutata forma, alteratur materies in individuis rebus viſibiliter mutata differentia ſubſtantiæ communis in materie viſibili; mutatur ſpecialis natura in eadem viſibili materie inviſibiliter, ita ut corporalis mutatio figuræ in maſſa, cauſa dici poſſit incorporalis mutationis differentiæ in ſubſtantia, quia ſicut corpora mutant figuras, ut alia fiant formalia tota de materiis; ita genera corporum differentias mutant in corporum materiis, ut aliæ ſpecies fiant, ibi de ipſis differentiis, & materiem figura format, vt de materialibus partibus conſtet ipſa materies, genus differentia format, vt in ipſis materiis dicatur de individuis ſpecies. Hinc habes materiei partes, inde ſubſtantiam, & ipſam materiem in meditullio poſitam. Quia habet materia partes, habet & ſubſtantiam.

Subſtantia de materia prædicatur, materia de partibus componitur; Materies hinc ſuſcipit ſubſtantiæ prædicationem, hinc habet partium compoſitionem. Hinc eſt ſubſtantiæ ſpecialis, individuum. Hinc vero partibus ſuis eſt totum, quia refertur ad ſpeciem vt individuum, reſpicit ad partes ut totum & relatum utrinque poſterius eſt utroque, nam & poſterius eſt ſpecie ut individuum; & poſterius ſuis partibus, ut totum.

Quod totum integrum medius finis eſt extremorum principiorum.

OMne ergo totum integrum partibus & prædicamentis ſe præbet medium. Partes continet ab inferiori; prædicamenta ſuſcipit à ſuperiori. A ſuperioribus accipit ſubſtantiam ſuam, ab inferioribus habet integritatem ſuam. A prædicamentis habet ſummum principium quod ſit, à partibus, habet ultimum principium unde ſit. A prædicamentis poſt ſummum principium ſui accepit differentias ſpecierum, deſcendendo gradatim in ſe, à partibus citra principium ultimum ſui, accipit compoſitiones partium aſcendendo gradatim in ſe. Idem ipſum à prædicamentis ſuſcipit in ſe prædicationem, & à partibus accipit in ſe compoſitionem, idem ipſum & totum eſt, & individuum: individuum eſt, quia aliquid eſt, totum eſt, quia de aliquo eſt.

Individuum eſt, quia de eo dicuntur ſuperiora; totum eſt, quia ipſum componunt inferiora. Individuum eſt, quod de ſubiecto non dicitur, totum eſt, quod ex pluribus componitur, non pertinet ad individuum compoſitio, nec ad totum prædicatio, quia nec totum dicitur ut ſuſcipiat prædicationem; nec individuum ut accipiat compoſitionem. Omne igitur alicuius figuræ capax integrum totum, habet duo principia, huic infimum; illi ſummum. Summo eſt infimum; quia eſt eius individuum, infimo eſt ſummum; quia eius eſt totum. Summo eſt infimum, quia non dicitur de ſubiecto, infimo eſt ſummum, quia conſtituitur ad ultimum de illo. Infimum eſt, quia ſic deſcendit à prædicamentis vt de nullo dicatur; ſummum eſt, quia ſic aſcendit à partibus, ut ulterius non progrediatur, utriuſque principij medium ſe finem exhibet; ut utriuſque officium in ſe conterminet. Nam finis prædicationis fit à ſummo principio, & finis compoſitionis ab imo. Et fines extremorũ in ipſo ſimul conveniunt, vt inveniat finem hic & ille recurſus ibidem. Vt aliquis centenarius habet extrema, hinc unitatem, & inde quantitatem, individuum à quantitate ſecundum prædicationem infimum, totum ab unitate, ſecundum ſuam compoſitionem ſummum.

De ſummis & infimis principiis.

ET extrema quidem, à ſuperiori ſunt individuis principia prædicandi, ab inferiori vero totis ſunt principia componendi. Principio prædicamentorum finis eſt individuum, principio partium finis eſt totum.

Principia prima, ſuarum rerum univerſitatem concludunt utrinque ſua extremitate, & quia nullam rem extra relinquunt, propagationes rerum adverſus ſe invicem; introrſum revolvunt in idem: ut idem ſecundum diverſas habitudines, utriuſque proceſſus ſit medius. Nec infima ſupponuntur ſummis prædicatione, immo ſeſe reſpiciunt è regione; & tanquam oppoſita, neque de infimis prædicantur, nec ab eis componuntur ſumma, nam punctum lineæ, quamvis nondum ſit linea, non eſt tamen penitus non linea, ſed eſt pene linea.

Eſt igitur linea quodammodo; quamvis non ſit linea omnimodo. Similiter & litera non eſt vox plene, ſed pene, non eſt vox omnimodo, ſed aliquomodo, non eſt vox perfecta, ſed imperfecta.

Eſt ergo & quantitas quodammodo, ſimiliter & atomus corporis, pene corpus, & punctum temporis, pene tempus, & unitas, pene numerus, ſint ergo atomus quidem aliquomodo ſubſtantia; cætera vero quodammodo quantitas, hos grammaticus inſpicit, qui tanquam plurale ſingularem numerum dicit. Dicit & uſus communis præſens tempus, particulam temporis; ad quam velut communem terminum, præteritum copulatur & futurum. Et ſic ultima principia referri poſſunt ad prima, tanquam generibus ipſis ſuppoſita, & eorum prædicationem in ſe ſuſcipientia.

De figura.

POteſt ergo ex præcedentibus colligi, figuram corporalium omnium cauſam fieri, nam ſine figura nec materies ipſa poteſt eſſe, nec ulla ſpecies in corporibus de individuis prædicari, nec materiale totum eſſe, vel componi, corporalis enim materies mente

quidem

A quidem cogitari poteſt, ſed eſſe ſine figura non poteſt. Tolle figuram, quæ modo formabat, perit ſpecies quæ prædicabatur. Nam humani corporis figura ſi perit; ipſa ſpecies in eo corpore deficit, & ſecundum aliam figuram quam recipit, aliam ſecundum corpus ipſum aſſumit. Nam quia cineris vel vermis accipit figuram, mutat & ſpeciem circa maſſam eandem. Et de qua maſſa prius dicebatur homo ſecundum priorem figuram, de eadem dicitur vermis & cinis ſecundum aliam. Similiter & totum materiale ſine maſſæ ſuæ figura non poteſt eſſe. Nam quomodo partes eius diſcernuntur? Omnium igitur corporum cauſa eſt figura. Quippe nec tota, nec individua eſſe, nec ſpecies habere, nec omnino ſubſiſtere poſſunt ſine figura.

De formis.

B Similiter incorporalia cuncta ſine ſuis formis eſſe non poſſunt; vt omnes ſpecies, & individua, differentias & proprietates accipiunt formas, quibus exiſtunt. Prima vero rerum genera eſſentiam accipiunt pro forma, nam quemadmodum formæ ſuis rebus dant eſſe; ita genera ſumma niſi per eſſentiam non poſſunt eſſe. Et cæteræ formæ omnes ſuæ ſunt ſuarum rerum, eſſentia vero communis & vniverſalis eſt omnium rerum. Aliæ formæ ſuas res faciunt aliquid eſſe; eſſentia vero, facit omnes res ſimpliciter eſſe. Et cum res omnes habeant proprias formas quibus formantur ad aliquid eſſe; prima genera rerum habent eſſentiam qua formantur ad eſſe. Cæteræ formæ ſuas res faciunt quid ſunt. Et cum aliud ſit aliquid eſſe, aliud eſſe; aliæ formæ pertinent ad aliquid eſſe, & non ad eſſe. Et quamvis ad aliquid eſſe ſequatur eſſe; non eſt tamen cæterarum formarum vt faciant eſſe; faciunt tamen, ſed conſequentia, non natura: eſt autem eſſentia primum in primis generibus, vt prima genera principaliter ſint, ut per eſſentiam primo loco formentur ad eſſe, inde habent inferiora per formas aliquid eſſe, vt corpus habet C ſubſtantiam eſſe, per corpoream formam. Sunt igitur formæ cauſæ rerum omnium, nam cæteræ formæ omnes cauſa ſunt ſuis rebus, ut aliquid ſint; eſſentia vero, cauſa eſt omnibus ut ſint. Et materiæ natura ſubſtantiali priores ſunt formis; formæ vero ſi reſpicias ad eſſe, materiis priores ſunt, quod eas eſſe faciunt, multas digreſſiones facimus, & longas in hoc opere. Ad multas nos cogit propoſitorum difficultas, quæ quæſtiones multimodas generat. Quæ ſolvendæ ſunt claritate, ne quæ propoſita ſunt maneant in obſcuritate. Ad longas vero, nos impellit ſubtilitas quæſtionum, quæ vix ad intelligentiam perducuntur, etiam multiplicitate verborum. Et cum quaſi hydræ vivæ caput unum abſcidimus, quandoque renaſcuntur multa, quæ niſi cum magno molimine non auferimus.

D

Quod vis vegetabilis eſt ſemen animæ, quamvis non ſit anima.

Superius oſtenſum eſt ſemen animalis, eorum eſſe, quæ conſtant ex anima & corpore; & in ſemine ſicut corpus, ſic & vim vegetabilem in animal futurum proficere. Secundum quod non poteſt negari, vt corpus de corpore, ſic & per animam vegetabilem, de animalis anima, animalis animam fieri. Sed forte dicet aliquis, quia vis in ſemine vegetabilis, nulla eſt anima, veniens ab anima parentis, & proficiens in animam prolis. Sed contra hoc ſuperius dicta vigilant, qui animam ſicut de toto, ſic dici de ſingulis partibus affirmant. Sed ſi forte non acquieſcit importunus huic argumento; Eſto. Certe non poteſt qui mentem habeat dicere, vim vegetabilem non eſſe animæ. Et ſi non eſt ut dicit anima; vis E tamen eſt animæ. Niſi enim ſit corpus animæ, ſementem non poteſt proferre. Tolle animam; non facit ſemen; facit ſemen; habet igitur animam. Habet ergo ſemen ab anima vim vegetabilem. Aut habet ab anima, aut à corpore; Si a corpore; tolle animam & funde ſemen; & dabimus palmam tibi victoriæ, ſi videamus ſequentem prolem. Si autem non poteſt fieri, confitere veritatem; & animæ concede vim vegetabilem. Et licet ipſa vis non ſit anima, per eam tamen ab anima propagatur anima, & fit ſemen animæ propagantis animam. Sive ergo vis illa dicitur anima, ſive non; patet quia prodit ab anima parentis, & promovetur in animam prolis. Amplius. Sæpe videmus ſimilitudinem parentis in prole, & in ſtatu corporis, & in moribus animæ. Quid eſt hoc, niſi quod ſemen & à corpore parvulum liquorem, & ab anima trahit vim vegetabilem. Nam niſi ſemen F traderet utrique proli, quod trahit ab utroque parente, non repræſentaret in utroque prolis tantam ſimilitudinem parentis.

Quod in Adam fuimus omnes anima & corpore.

Si ergo invenitur in ſemine, & quod ab anima venit, & quod à corpore; patet quia prolis anima venit ex traduce, & omnes animæ noſtræ fuerunt in anima Adæ. Et quando peccavit Adam, nihil ab eo exierat humanæ naturæ, ſed adhuc totum erat in eo quicquid erat homo. Quando ergo peccavit, nos omnes peccavimus, quia in eo omnes eramus. Eramus corpore eramus & anima. Igitur in eo ſumus omnes infecti peccato, & quia in eo pro culpa, iuſte ſucceſſit etiam vindicta; in nobis etiam naſcitur pœna cum culpa. Et iuſte naſcimur miſeri, qui prodimus à miſero, ut qualis eſt origo, talis & propago ſuccedat. Et ita naſcimur cum peccato, quod nobis eſt originale, quia homini primo fuit perſonale, naſcimur cum G peccato, quod non fecimus ipſi, ſed fecit ipſe, & transfudit in nos miſeriam quam meruit ipſe. Et hoc eſt originale peccatum, quo tabeſcit humanum genus, & quo liberavit nos Chriſtus.

Cur Deus dicitur animarum Pater.

Authoritate ſcripturæ confirmant Orthodoxi, animam ab anima non propagari. Dicit enim Salvator. Revertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Et Apoſtolus Patres quidem carnis habuimus eruditores, & reverebamur eos; num multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus? Contra hoc dicunt. Propagatores animarum; quia Deus homini corpus de terra fecit, animam vero de nihilo dedit. Quamvis ergo Parentes generent & animam, & corpus in prole, animæ tamen dicitur Deus pater proprie, quod eam accepit homo, non aliunde, ſed à ſolo Deo; ut cum aliunde corpus acceperit, merito Deus dicatur H eius Pater, quæ non aliunde venit. Quia ergo ſecundum ſcripturam recte dicitur Deus pater animæ reſtat ut homo dicatur pater carnis, cum tamen generet utrumque.

Quod animæ non veniunt ex traduce.

Probat animæ propagator, animam ab anima venire, ex eo quod vis vegetabilis trahitur in ſemine dicens, animæ partem eſſe vim ipſam, & à toto ſeparari ad prolem faciendam. Orthodoxus autem dicit hunc carnaliter ſapere, nec bene naturam animæ cognoſcere. Anima enim humana natura ſimplex eſt & incompoſita. Nec componitur ex pluribus, quamvis conſtet ex pluribus. Vna eſt, & plures habet efficacias, quia Sol unus, & plures habet radios.

Simplex

A Simplex eſt, & enutrit ex ſe plura ad corpus, plura quidem exterius, ſed vnde veniunt, ſimplex eſt intus, partes ſunt animæ, ſed non habet compoſitionem, quia nec ipſum totum recipit quantitatem. Hic errat animæ propagator, quia cum partes audit, cogitat quantitatem, & quod eſt corporis, quærit in eo quod non eſt corpus, & quemadmodum in corpore, ſic in anima partem putat abſcondi poſſe, & individuam unitatem, quæ localis non eſt in diverſa loca dirumpi, & per diverſas partes eam diverſis locis teneri, & habere partes, ſicut corpus diverſa loca tenentes, ſapit carnaliter, quia ſpiritalia iudicat corporaliter, quia corporis quantitatem quærit in ſubſtantiam ſpiritualem. Audit partes, & occurrit menti quantitas, & compoſitio, quæ ſolet corporis, exiens ad corpus à ſe & cogitans ſecundum corpus de ſe, & B ſic oblita ſui erat in ſe, quærens ſe extra ſe, putans ſe quantitate diſtendi, & per ſpatia locorum dilatari, cum non habeat numerum, ſed incompoſita ſit, ut unitas in numero multo ſimplicior lineæ puncto, vel corporis atomio, qui cum ſit de corpore non eſt iam corpus, ſed ob ſui ſimplicitatem incorporeus, cum ergo partes audis, animæ omnem quantitatem vel compoſitionem aufer à mente, & emundans eam à phantaſiis corporum, ſenſus & imaginationem poſtpone, erigens te ad rationem, ut ratione cogites rationem. Partes enim rationalis animæ, non corpora ſunt ſed potentiæ, non materiei ſed efficientiæ, non eam ut membra componunt, ſed ab ea velut radij prodeunt. Totum eſt ipſa, nec longitudine producitur, totum eſt, nec tumet profunditate. Conſtat ex pluribus, nec perdit ſimplicitatem, quia non admittit compo- C ſitionem. Conſtat ex pluribus, & unitatis ſuæ ſervat individuitatem, quia pluralitas ipſa non facit quantitatem. Verum equidem eſt, quia venit ab animalis propagatione in ſemine, ſed illa vis affectio corporis eſt, non efficientia animæ. Efficientia eſt in anima, & corpus afficitur de eius præſentia, dico tria, diſcerne & conſidera. Anima, Animæ vis, & vis corporis. Anima, eſt ſubſtantia, vis autem animæ; & anima dicitur, & ſubſtantia, ſed vis corporis, nec eſt ſubſtantia, nec vis animæ, nec anima, ſed corporis affectio, id eſt, qualitas illata corpori ab animæ præſentia. Poteſt tamen hæc qualitas dici vis animæ aliquo modo; non quia pars eſt animæ, ſed quia per vim animæ infertur ſubiecto. Nec ſolum, ſuis efficientiis afficit anima corpus; ſed etiam ſuis qualitatibus, ſicut ſæpe videmus, timore vel reuerentia animæ pallere vultum, vel ſuffundi rubore, & multæ fiunt paſſiones corporum ex efficientiis vel qualitati- D bus animarum, ſic anima potentiis & qualitatibus ſuis regit & commutat corpus. Ipſa tota manens in ſe, & corpus ab anima multis afficitur qualitatibus quæ non ſunt animæ. Sic anima potentias ſuas exſerit, per corpus totum, cum ipſa non ſit totum. Immo per omnia corporis ſpatia ſe totam infundit, & nullum habet ſpatium. Partes habet corpus ipſa corpus implet, & non partibus ſuis, ſed tota & plena, perfecta ſingulas implet partes corporis. Implet inquam plura ſine pluralitate, numeroſa ſine numero; multa ſine multitudine. Sic ſumma ſapientia habet omnes formas omnium rerum. Lucent in arte ſumma formæ plures; quia ſunt in opere res plures. Quia ſecundum diverſas formas artis ſummæ, factæ ſunt diverſæ res in opere. Ars enim ſumma videbat apud ſe intus quomodo crearentur omnia exterius, & ſic in eſſentiam omnia prodierunt, vt æternæ formæ monſtraverunt. Ecce dicimus artis ſummæ plures formas, cum non ſint omnes in una. Quicquid eſt ibi, non eſt niſi unum, & idipſum, ô Lux una, radij plures. Sunt unum radij in luce una, apparent plures in multiplici creatura. Formæ plures ſunt unius artis, & ipſa ars eſt uniformis. Simplex in ſe, multiplex apparet in creatura, ſed & res creatæ formas ſuas accipiunt à ſumma arte, quia ab æternis formis E inferuntur rebus ſuæ. Ab æternis prodeunt temporales, à ſummis inferiores, non ita prodeunt formæ rerum ab ipſis, ut ſint ipſæ, ſed ut alterius naturæ, quia ille creator ſunt iſtæ creaturæ. Non ſic prodeunt à ſummo, vt ſumma eſſentia particulatim defluat in creaturam, & partes ſuæ ſubſtantiæ tribuat creaturæ, ut hoc ſint formæ noſtræ, quod ipſa ſumma; ſed ſumma creat, ut ſuis efficientiis fiant iſtæ, implet illa, creaturam totam, & non eſt totum, implet omnia ſpatia, non habens ullum ſpatium; omnia ſimul tempora, ſine tempore, tota & plena & perfecta, ſingulas totius creaturæ partes ſine ſuis partibus, ſimiliter anima ſuum corpus; quia ad ſimilitudinem ſuam fecit animam Deus. Regit ergo anima ſuum corpus, & ab animæ præſentia, habet multa corpus, quæ non ſunt ſubſtantia animæ, nec par- F tes ſubſtantiæ, ſed affectiones corporis, & qualitates. Et habet multa corpus ab anima, quæ retinet aliquamdiu poſt animam. Nam recens abſciſſum membrum à ſuo corpore, aliquamdiu palpitat poſt animam, retinens motum quem habebat ab anima. Et herba ipſa, poſtquam diu ſiccata, & in pulverem minutiſſimum redacta, iam omnino perdidit animam, tamen ab anima quam perdidit, retinet fragrantiam ſuavem naribus, & vires contra valetudines. Similiter ſemẽ per voluptatem effuſum à vivo corpore, vim propagationis ſecum trahit ab anima, vim illam habebat in corpore ab anima. Non erat certe animæ, ſed corporis, ab anima, corporis ſcilicet qualitas & affectio; ſed effectus animæ. Effunditur & à ſuo corpore ſeparatur, trahit extra ſecum vim vegetativam quam habebat. Vim trahit ſecum extra corpus, ſed animam reti- G net ſecum corpus, nihil ſeparatur ab anima cum ſemine, ſed anima tota remanet in corpore, trahit ſecum ſemen affectionem ſuam, ſed retinet corpus totam ſuam animam, de ſimplici natura nihil poteſt emanare, non ergo poteſt de ſe anima animam procreare, nec poſſumus invenire traducem; qua fieri dicebas animam.

Cur apponuntur philoſophica in hoc opere?

PHiloſophicas conſiderationes quod poſuimus, ne precor, arguant fratres, quaſi Catholicam fidem munire voluerim per philoſophicam rationem: Non feci ut munirem, ſed ut docerem. Quis poteſt munire H veritatem? non poteſt veritas fortior fieri, quia non poteſt muniri. Sed veritas ponderoſa eſt & gravis, nec levibus ſenſibus eſt levis; nec eam cito rudis capit, quam vix eruditus invenit. Ideo ſunt undequaque rationes quærendæ, ut aperiatur occulta, non ut muniatur fortiſſima, vt detegatur, clauſa myſteriis, non ut roberetur immutabilis. Ideoque philoſophica quædam adhibuimus, quia novimus de Clero Catholicos liberalibus eruditos artibus, videre clauſa citius, per ea quæ noverunt.

Cur propagatores animarum inſeruntur hic.

PRopagatores animarum ideo libenter appoſui; ut undique viſis omnibus, facilius occurrat quod eligatur, & inter appoſita multa, libere veritatis authoritas emineat; & ipſorum appoſitorum conſideratio lenis appareat.

Explicit Tractatus Reverendiſſimi Domini Odonis, Cœnobij Sancti Martini apud Tornacenſes quondam Abbatis à reparatione primi; ac poſtmodum Eccleſiæ Cameracenſis Epiſcopi, de peccato originali.

DISPVTATIO REVEREND.

DOM. ODONIS,

COENOBII S. MARTINI APVD TORNACENSES

Quondam Abbatis à reparatione primi, ac poſtmodum Eccleſiæ Cameracenſis Epiſcopi, contra Iudæum nomine Leonem de adventu CHRISTI filij DEI.

PROLOGVS.

Odo Cameracenſis Epiſcopus, Acardo Phidemenſi Monacho.

DVM in Phidemenſi capitulo imminente natali dominico, rationem incarnationis divinæ dedif-ſem, placuit, ut dicebas, auditus; ſed memoria retineri nequibat intellectus, nam quæ diligenti collatione permanent, abundantiore infuſione decidunt. Ideoque rogabas, ut memoriam, quam inundatio ſententiarum ſuffocabat vere prætenuis ſeries formaret digeſta ſtilo manente. Tandemque tuis precibus victus propoſui facere quod rogabas, ſed cum Pictavos irem ad Concilium, quia die quam Silvanectis ipſum negotium congruenter adiuvante Deo, contra Iudæum quendam fueram exequutus, viſum eſt mihi congruum hanc quæſtionem exequi more dialogi, ut Iudæus quæſivit, & ego reſpondi, & quia Iudæus Leo, & ego dicor Odo, per primas litteras nominum diſtinctio fiat perſonarum. Nunc autem invoco Spiritum ſanctum: ut quod dedit mihi ad convincendum Iudæum, reddat ad inſtruendum fidelem Monachum. Itaque cum poſt meridianum ſomnum veniſſet Iudæus circa horam nonam, ad hoſpitium noſtrum, confidentibus nobis ita dicere cœpit.

Quod remiſſio peccatorum non ſufficiat ad gloriam.

LEO.

DIc ô Epiſcope, adventus Chriſti veſtri quid utilitatis contulit mundo? Odo. Dic ô Iudæe, quid utilitatis credis afferre veſtrum, quem creditis adhuc venturum Meſſiam.

Leo. Quod in Prophetis legimus, ſcilicet omnia regna in illo nobis ſubdenda; nos ſub illo perpetuam pacem habituros, & de omnibus regnis nos cum gloria in Hieruſalem congregandos, & Hieruſalem dominatum omnium regnorum habituram, & cætera quæ Prophetæ feliciter enumerant. Quæ omnia in Chriſtum veſtrum non videmus impleta, miramur quid ab illo expectatis?

Odo. Nos per Chriſtum regnum cœlorum expectamus, & felicitatem quam vos terrenam, nos per Chriſtum ſperamus cœleſtem. Leo. Errare videmini, nos enim & per Meſſiam ex tunc temporalem fœlicitatem & per legis obſervantiam, cœleſte poſt hanc vitam regnum ſperamus. Temporalia nobis bona promittunt Prophetæ cœleſte regnum expectamus ex lege, docet enim lex pro uno quoque peccato, quale fiat ſacrificium, & ſic dimitti peccatum. Regi etiam David adulterij & homicidij peccatum confeſſo, dixit Propheta Nathan, dimiſſum eſt peccatum tuum. Si ergo in lege ſine Chriſto veſtro, remiſſio eſt peccatorum, conſequitur & beatitudo æterna. Beati enim, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Quid ergo facit Chriſtus veſter?

Odo. Non ſatis attendis rectitudinem iuſtitiæ, Cui enim dimittitur peccatum, non ſtatim promovetur ad gloriam. Peccati remiſſio pœnas aufert, gloriam non confert, cui pœna ſubtrahitur, non ſtatim gloria datur. Non ſtatim gratia decoratur, cui ira dimittitur, nam & David, quando filio dimiſit reatum fratricidij; nondum paſſus eſt eum ſibi præſentari, nec dedit gratiam, cui dimiſerat iram. Singulariter homo quidem peccavit, ſed pœnitenti, & rurſus obedienti etiam bene ſervienti, pœna in lege dimittitur, ſed nondum gloriam meretur, ad quam niſi per recompenſationem peccati iuſte non pervenitur. Iniuſtum eſt enim ordinare peccatorem, cum his qui non peccaverunt, ſine ſatisfactione peccati. In lege ergo dabatur homini remiſſio peccatorum. Sed quia in lege nequit homo pro peccato ſatisfacere, non poteſt per legem; ad gloriam pervenire, ideoque neceſſarius eſt mundo CHRISTVS; quia in ipſo pro peccato ſatisfacimus, ut ad gloriam perveniamus.

Quod exercitium bonorum operum non ſufficit ad delendum peccatum.

LEO.

HOmo quidem quomodo in Chriſto veſtro pro peccato ſatisfaciat neſcio; in lege autem quomodo peccatum emendetur video. Obſecrationibus enim & ſacrificiis, oblationibus & eleemoſynis, & aliis bonorum operum exercitiis pro peccato ſatisfacimus in lege Deo. Odo. Servus erga Dominum antiquo debito obligatus, ſi poſtea peccaverit in dominum, num quid antiqui debiti redditione poſterius peccatum purgabitur? An prioris debiti ſolutio iuſte reputabitur poſterioris culpæ ſatisfactio? non ne ſeparatim exiget dominus iuſtus, & prius debitum, & poſterius admiſſum? Leo. Ita. Odo. Homo ergo non poterat emendare peccatum exercitio bonorum operum. Omne etenim bonum quod poterat ante peccatum, Deo debebat, à quo & acceperat. Reddat ergo homo omne bonum quod accepit; iuſte tamen exigitur ab eo malum quod fecit, non ergo poteſt homo ſub lege ſanctitate ulla redimere, quod peccavit.

Quod patientia incommodorum non ſufficit ad delendum peccatum.

LEO.

SI homo non poterat redimere peccatum, per id quod ante debebat; eſto. Certe labores & mortem prius pati non debebat, quis enim dicat eum debere pati quoniam non meruerat? Legimus autem, quia Deus homini pœnas indixit pro peccato. Quocunque die comederis, morte morieris. Ecce mortem: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, tribulos & ſpinas terra tibi germinabit. Ecce labores & tribulationes. Si has pœnas Deus homini dedit pro peccato; aut ſufficiant, ad expiationem peccati, aut non ſufficiant. Si ſufficiunt ſequitur, ut expiato peccato, perveniamus ad gloriam cœleſtem ſine Chriſto veſtro, ſi non ſufficiunt, dicendus eſt Deus inconvenienter pœnas iniunxiſſe quæ ad expiationem peccati non ſufficiunt. Quod quia nefas eſt de Deo dicere, probatur quod ſapiens Deus, ſecundum peccati modum, modum expoſuit pœnarum. Iuſtus enim Deus, iuſtam debuit facere vindictam, quæ nec peccato minor eſſet, nec modum excederet. Non debuit minus punire peccatorem iuſtus, nec magis quam merebatur pius. Labores ergo huius vitæ & tribulationes,

d by Google

A & noviſſime mortem, homo ſi patienter tolleraт, peccatum emendat bono patientiæ, quod prius non debebat pati, qui non peccaverat. Et ita recompenſatione boni deletur peccatum, quia quantum malum fuerat culpa, tantum bonum recompenſatur patientia. Vbi ergo ſolutum eſt peccatum, quid impedit ad regnum? Odo. Non hæc diceres ſi quanti ſit ponderis, peccatum ſcires. Et ideo peccatum quæramus, quam minimum poſſumus, ut ex eo videamus in cæteris, quanti ſit ponderis. Ecce tu ipſe propone quod placet. Leo. Nihil occurrit minus, quam brevis cogitatio vana. Odo. Si ergo tibi Deus prohibeat, ne intentione tuæ cogitationis, à ſe quoquam deflectas & alius tibi vere dicat, quia niſi cito alio te vertas, ſtatim peribis, & redibis in nihilum, putas ne alio cogitationem tuam breviter vertendam contra Deum, pro te ipſo, ne pereas? & tantillum peccatum fieri pro redemptione tui? Meliuſve iudicas te pro peccato vivere, B quam pro iuſtitia perire? Leo. Quare non melius? Odo, Quia omnipotens Deus meliorem poteſt te poſt ſervatam iuſtitiam reſtituere, quam tu per peccatum queas vivere. Et qui per peccatum viventem te iuſte faceret miſerum, peremptum pro iuſtitia iuſte reſtitueret beatum. Præponderat igitur te peccatum quod propoſuiſti; quod faciendum non fuit, etiam pro redemptione tui. Leo. Placet quod dicis, non enim animadvertebam tanti ponderis eſſe parvulam culpam. Odo. Sed dic, ſi deberes pro Angelo, quod non debes pro teipſo. Leo. Secundum rationem quam de me dixiſti, neque pro uno, neque pro omnibus, neque pro tota creatura faciendum eſt, vel minimum aliquod contra Deum, potens eſt enim omnipotens Deus, in melius reſtituere, quod pro iuſtitia potuit perire; & quibus ſine merito miſericorditer dedit, ut eſſent, his iuſte cum merito daret, ut melius eſſent. Odo. Bene intellexiſti, non enim abolere poteſt omnis creatura id quod contra Deum eſt in aliqua creatura, ne videatur Deus egere creatura ad abolendum, quod contra ſe eſt in creatura. Servus conſervum liberare C non poteſt, ut cum ancilla Dei, ſit omnis creatura, liberare poteſt à peccato creaturam, quæ ſe ſubdidit peccato. Quæ enim ſe ſubdidit peccato, receſſit à Deo, creatura ergo, quæ creaturam liberat à peccato, reddit eam Deo, & beatam facit. Sed beatum eſſe, melius eſt quam eſſe. Attribuuntur ergo creaturæ quod maius eſt, & creatori quod minus; ſiquidem Creator facit quod eſt eſſe, creatura vero facit, quod eſt beatum eſſe. Quod quia eſt impoſſibile, non poteſt creatura creaturam à peccato liberare. Omnem enim creaturam præponderat minimum peccatum, quia minimum peccatum eſt contra Deum; Deus autem omni creatura maior eſt. Non ergo ſufficit omnis creatura ad recompenſationem minimi peccati. Leo. In magno periculo ſumus, quod quotidie peccamus, ſi peccatum, ut dicis, habet tantum pondus.

Cur Deus indixit homini pœnam, quæ non ſufficit ad delendum peccatum.

D

SEd cur Deus peccatori pœnam indixit, ſi illa pœna pro peccato non ſufficit? Odo. Pro remiſſione peccatorum, quam facere non poterat bonum, quod ante peccatum habebat. Omnia enim huiuſmodi, id eſt, omnium moleſtiarum patientia, & mentis, & corporis caſtigationes multimodæ; & omnia, quibus ad bonum fit exercitatio, ſine plena peccati recompenſatione valere tantum poſſunt ad veniam, non autem ad gloriam.

E

Quod pro perficienda cæleſti civitate, factus ſit homo.

LEO.

QVomodo ergo ſatisfacere poteſt homo, vel quid recompenſare pro peccato, ſi tota creatura, minor eſt nec ad delendum peccatum ſufficere poteſt? Odo. Nullo modo per ſe. Leo. Ad hoc ergo contentio rationis noſtræ venit, ut ſi homo vitat pœnas per peccatorum veniam, nec tamen pervenit ad gloriam, habeat ſtatum medium, quo in æternum quieſcat, ut Angeli qui non peccaverunt, in gloria permaneant, homo vero qui peccati remiſſionem accepit, ſui modi quietem obtineat; qui vero ſine remiſſione eſt, pœnas perpetuas incurrat. Et ad hoc proceſſimus quod mundo, Chriſtus veſter in nullo eſt neceſſarius, F nam ſtatus ille quietis ſine Chriſto per legem habetur, in qua remiſſio peccatorum legitur. Et qui propoſuiſti Chriſti tui virtutem oſtendere; probaſti hominem ad gloriam nullo modo pervenire. Odo. Hoc molior, ut probem tibi non ſolum poſſe, ſed & neceſſarium eſſe, hominem ad gloriam Angelorum pervenire. Quod, cum Chriſto adiuvante fecero, precor, ut relicto errore, Chriſtianus fias. Leo. Hoc dimitte, & quod promittis proſequere. Odo. Conſtabit gloriam hominis eſſe poſſibilem; ſi probari poſſit eſſe neceſſariam, nam quod neceſſarium eſt eſſe, poſſibile eſt eſſe. Leo. Ita eſt. Odo. Credo, non negabis verum eſſe, quod de Deo legitur, in multis locis ſcripturæ veſtræ. Omnia quæcunque voluit fecit. Leo. Veriſſimum eſt. Odo. Voluit autem Deus facere civitatem cœleſtem; cuius cives Angelos creavit. Omnes autem Pſ. 134 Angelos bonus Deus, non creavit niſi bonos, à qua civitate iuſte ſunt deiecti, qui nequam ſunt facti. Civitate ergo ex parte vacuata imperfectum remanſit G opus quod cœperat Deus. Propoſitum vero Dei non poteſt caſſari, & civitas quam cœperat Deus, neceſſe eſt, ut perficiatur, ne Deus dicatur ſtulte cœpiſſe, quod poſtea noluit, vel non potuit perficere. Sed nefas eſt aſcribere Deo mutabilitatem voluntatis, vel impotentiam, ergo quod cœpit, perficiet Deus. Fecit ergo hominem, & dedit propagationem, ut inceptum perficeret. Neceſſe eſt igitur ut de homine propoſitum Dei fiat. Omnia enim quæcunque voluit, Pſ. 134. fecit.

Quod numerus civitatis cæleſtis perficiendæ maior ſit numero Angelorum primæ conditionis?

LEO.

QVia ſermo primæ conditionis ſe intulit, quæro, an numerus quo facti ſunt Angeli ſufficiebat civitatis perfectioni, ante quam Angeli fierent mali. Odo. Non videtur. Si enim numerus Angelorum qui facti ſunt ſufficeret pro ſolis his qui ceciderunt homo H valeret, & de eorum caſu gauderet, quorum gloriam teneret. Et cum gloriam cœleſtem nemo niſi iuſtus intret; quomodo iuſtus erit, qui de alterius peccato gaudebit? Ideo dicimus apud Deum eſſe numerum perficiendæ civitatis maiorem numero Angelorum primæ conditionis; hominem vero ita factum, ut ſi omnes Angeli in iuſtitia manſiſſent de homine fuerat civitatis reſiduum. Si vero defluerent, de homine perficeretur totum.

Quod ſolus Deus ſatisfacere pro peccato poteſt.

LEO.

SI Dei propoſitum non poteſt caſſari, neceſſe eſt hominem in gloriam Angelorum transferri, Deus

A autem omnipotens eſt ; ergo omne quod propoſuit poteſt , neceſſe eſt ergo hominem in gloriam transferri; ſed ſuperius diſputata probant eſſe impoſſibile. Quomodo ergo neceſſe eſt, quod impoſſibile eſt eſſe ? Quæ eſt tanta rationum varietas. Cum propoſitum Dei reſpicio , neceſſe eſt in gloriam tranſeat homo , cum hominis conſidero impotentiam , & Dei iuſtitiam, omnino eſt impoſſibile hominem ad gloriam venire. Quid magis contrarium , quam impoſſibili neceſſarium : Odo. Veniat Chriſtus noſter , veniat , & hanc contrarietatem diſſoluat. Leo. Quomodo ? Odo. Audi , ſi bene ſupernis comprehenſa incolis , ſola pro peccato ſatisfactio gloriam impedit hominis. Nam ſi poſſet pro peccato ſatisfacere , poſſet utique ad gloriam pervenire , ſed homo non poteſt , quid ergo ? Eſt ne omnino impoſſibile quod homo non poteſt ? Nonne Deus poteſt , quod homo non poteſt ? Alioquin
B Deus non eſt omnipotens ; Deus igitur pro peccato ſatisfacere poteſt. Leo. Quomodo Deus ſatisfaciet, ad quem non pertinet ? Quomodo qui non peccavit; pro peccato ſatisfaciet ? Peccator ſatisfacere debet, Deus non debet. Odo. Quia neceſſe eſt hominem ad gloriam venire, quod ſine ſatisfactione non poteſt; ſatisfacere vero Deus poteſt . ſed non debet ; homo vero debet, ſed non poteſt ; ideo neceſſe eſt, ut utræque naturæ conveniant , & fiat Deus homo , & unus Ieſus Chriſtus Deus & homo , non alius Deus , & alius homo ; ſed totus quicquid eſt, homo eſt , non confuſione naturarum , quaſi altera evacuetur in alteram, ſed utriuſque naturæ proprietate integra permanente in una vera perſona. Eſt ergo Ieſus - Chriſtus non duo, ſed unus omnino & indiviſus in perſona. Qui ex eo quod omnipotens Deus eſt ; pro peccato ſatisfacere poteſt , ex eo quod homo eſt debet , poteſt ut Deus; debet ut homo.

C *Quod Chriſto pertineat pro peccato ſatisfacere, qui non peccavit.*

L E O.

QVomodo debet, quamvis ſit homo , cum ſicut dicitis , non eſt peccator homo ? Odo. Compaſſione & miſericordia ; quia non poteramus emendare peccatum , emendavit ipſe pro nobis , utpote frater, pro fratribus, & eiuſdem naturæ nobiſcum, nulli enim eſt alienum , ſuæ naturæ condeſcendere, & pro his qui ſuæ naturæ , ſunt ſatisfacere. Inde pro identitate ſcilicet naturæ noſtra peccata portavit, pro peccatis noſtris plagas & mortem ſponte ſuſtinens quæ non debebat , non enim talia meruerat : carne & ſanguine ſuo nos paſcit , ut nos concorporet ſecum, ut & nos ſimus ipſe, & ipſe ſit unus nobiſcum. Ideo noſtras miſerias, ſuas facit , peccata noſtra ſibi aſcribit , ſermones noſtros in ſuam perſonam transfert in Pſalmis & Prophetis ; ut ibi. Deus , Deus meus quare me dereliquiſti, longe à ſalute mea, verba delictorum meorum , cum in
D perſona ſua nec à Deo derelictus erat , nec illa delicta habebat, ſed quia nos reputat in ſe , hoc quod nos habemus, dicit de ſe.

Quod potuit dare Chriſtus pro peccato maius, quam ſit omne peccatum.

L E O.

QVomodo ſatisfacit pro homine ? Quomodo peccatum hominis recompenſavit , pro quo totus mundus non ſufficit ? Odo. Dedit precium, vitam ſuam, ſuſtinuit mortem , indebitam pœnam. Leo. Quomodo vita & mors hominis unius recompenſat peccatum, cui non ſufficit totus mundus ? Non potes negare, quia non poteſt aliquid comparari Deo , ſed incomparabiliter omnia ſuperat Deus. Peccatum ergo humanum comparari Deo non poteſt , quia Deus multomagis eſt bonus , quam peccatum ſit malum. Cum ergo E
Deus dedit vitam ſuam , precium dedit , quod ſuperat omne peccatum. Hoc precium ſi ſolummodo æquipararet peccatum , ſufficeret ad delendum. Nunc vero cum multo præponderet , magis ſatisfacit. Porro ſi vita Dei omnibus eſt melior , & mors eſt omnibus peior : quia neceſſe eſt, ut cuius generatio melior , eius ſit corruptio peior. Sed vita Chriſti bona eſt ſuper omnia , mors ergo eius mala eſt ultra omne peccatum. Quando igitur Chriſtus paſſus eſt mortem , portavit pœnam ſuper omne peccatum , & maiorem quam meruerat omne peccatum. Soluit ergo totum peccatum mundi , qui & maiorem paſſus eſt pœnam , id eſt, mortem , & maius precium dedit , ſcilicet vitam ſuam quam ſit peccatum totius mundi. Iſte eſt agnus qui tollit peccatum mundi. Hæc eſt hoſtia , quæ ſemel oblata , iuſtorum omnium peccata delet , & ab initio præterita & præſentia , & uſque ad finem futura. Hæc F
hoſtia ſe miſericorditer nobis tradit, ut quæ ſe ſemper offert Patri pro nobis in cœlo ; eam iugiter Patri ſacrificemus in terra : non mortem iterum inferendo, ſed mortem eius devotiſſime memorando , in remiſſionem peccatorum , tam vivorum quam mortuorum. Reſtat ergo ut iuſtificationibus multimodis accepta remiſſione peccatorum , recta via pergamus ad cœlum , peracta iam ſatisfactione peccati per Chriſtum , ut his ſolis valeat ſatisfactio , quibus eſt conceſſa remiſſio cooperantibus ſuis vel proximorum meritis. Qui enim remiſſionem accipere non poteſt , ei ſatisfactio Chriſti nihil prodeſt. Ideo beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Nam cui peccatum dimittitur , non eſt cur à regno differatur, impleta ſatisfactione per Chriſtum. Ergo Chriſtus noſter mundo nimis neceſſarius eſt , ſine quo non poteſt homo venire ad gloriam , pro qua factus eſt. Nec ſufficit in lege peccati remiſſio : niſi ſatisfactio Chriſti ſequatur in Evangelio. Ideo Pſ. 31.
quamvis peccata dimiſſa ſint antiquis patribus & prophetis , tamen in gloria non fuerunt , donec impleretur ſatisfactio peccati , per paſſionem Chriſti. Leo G
Vbi fuerunt ? Odo. In loco , iuſtis quidem nunc temporis congruo , non tamen glorioſo. Leo. Rationabiliter loquenti , non habeo , quod rationabiliter obiiciam. Non credo tamen , ne ſubtilitate verborum , & verſutia deceptus : à firmiſſima ſtabilitate ſanctæ legis evaneſcam.

Vtrum gratia ſit, ubi eſt neceſſitas.

L E O.

SEd quæ gratia Deo eſt habenda pro veſtra ſalute, ſi ad hoc eſt inductus neceſſitate ? Certe humana ſalute indiget, in qua virtus ſui propoſiti pendet. Nam ſi non ſalvat hominem , ſui propoſiti impotentiam oſtendit & falſitatem. Ne ergo fiat in eo tam magnum inconveniens , neceſſe eſt ut procuret humanam ſalutem. Odo. Neceſſarium quidem eſt reddere , quod non fuit neceſſarium promittere. Nam qui ſponte promittit , obligat ſe neceſſitate reddendi : ut quamvis neceſſitatis ſit ſequens redditio , voluntatis tamen eſt H
& gratiæ præcedens promiſſio. Hæc autem neceſſitas quæ procedit à gratia , ſeparanda non eſt ab ipſa gratia , ut iure dicatur gratia factum , quod primum fuerat magna gratia promiſſum.

Cur ſatisfactionem peccati non debet Deus , qui omne bonum dedit.

L E O.

AD hoc me turbat , quod ſuperius dixiſti , Deum non debere ſatisfacere pro peccato , niſi fieret homo. Magnum enim bonum eſt peccati ſatisfactio. Sed omne bonum ab eo eſt , qui ſumme bonus eſt. Quomodo ergo dictum eſt , Deum non debere

A facere quod ſuum eſt? Quis magis debet bonum, quam ille., à quo eſt omne bonum? Debet ergo Deus ſatisfactionis bonum; qui debet omne bonum. Odo. Deus debet, & non debet, quia duobus modis debitum dicitur: debitum gratiæ & debitum meriti. Forſitan enim adiuvare debeo, hunc quidem meritis ſuis, illum vero gratia mea. Similiter forte pati debeo, aut ſi peccaui, merito aut ſola gratia pro alio. Proinde ſatisfacere pro peccato Deus non debuit merito; quia nec ipſe meruit per ſuam culpam, nec homo meruit per ſuam iuſtitiam, ſatisfacere tamen debuit per ſolam gratiam. Itaque ſatisfacere non debuit Deus debito meriti, & ſatisfacere debuit debito gratiæ. Superius ergo cum dictum eſt, quia ſolus Deus ſatisfacere poterat, ſed non debebat, homo vero non poterat, ſed non debebat: vtrobique eſt intelligendum meriti debitum, B quia & Deus non debebat ex merito, & ex merito debebat homo. Et verum eſt hoc modo, quia pro peccato hominis ſatisfacere non debet Deus niſi ſit homo. Quia vero factus eſt Deus homo quamvis ineffabili gratiæ ſit aſcribendum, tamen in ſatisfactione ſatis redolet debiti meritum, vt quia erat factus homo, & frater hominum, merito naturam ſuam in hominibus non contemneret, ſed frater fratribus ſubueniret merito, & pro fratribus merito ſatisfaceret.

Quomodo de virgine Deus factus eſt homo; ſine iniuria immunditiæ fæminea.

LEO.

IN quodam vos valde ridemus, & inſanos iudicamus. Dicitis enim Deum in maternis viſceribus obſcæno carcere fætidi ventris clauſum C nouem menſibus pati, & tandem pudendo exitu, (qui intuitum ſine confuſione non admittit) decimo menſe progredi, inferentes Deo tantum dedecus, quantum de nobis, quamvis vere, ſine magna tamen verecundia non dicimus. Odo. Deus omnia implet, & eſt vbique totus. Cum igitur nos impleat, & in nobis ſit totus qui ſumus peccatores, immunditia tamen peccatorum noſtrorum non contingitur, ſed incontaminatus manet & mundus. Omnia videt, & nihil illi nocet. Videt tenebras à tenebris purus; quia lux in tenebris lucet, & nox ſicut dies illuminabitur. Videt peccata mundiſſimus, & iniuſtitias noſtras iuſtiſſimus: quia iuſte ordinat omne malum quod videt. Nam peccatorum illuminatione, non ſuffocatur lumen iuſtitiæ, ſicut lumen huius mundi corporeum, corpus illuſtrat ſordidum, nec ſordidatur. Quid ergo offenderis ſi Deus concipitur in virgine, qui ſuam munditiam ſeruat vbique? Amplius duo ſunt, quibus omnia indicamus, ſenſus & ratio, ſed aliter ratio indicat, aliter ſenſus. Senſus vſu & libidine iudicat, & cupiditate, D & horum contrariis. Vſitata præferimus invſitatis, vtilia damnoſis, id quod ſuave libet, ei quod inſuave offendit. Ratio vero ſubtilius rei naturam inquirit. Ratio namque animata præfert inanimatis, ſenſibilia, inſenſibilibus, cæleſtia terrenis. Citius enim eligit ruſticus perire ſerpentem de foramine petræ, quam petram de ſuo pariete, conſulens cupiditati, & viſus ſuavitati, quia horribile eſt videre ſerpentem, & non eſt horribile lapidem. Ratio vero ſerpentem præfert, quamlibet precioſo lapidi. Senſus præfert optimam domum frugiferæ arbori, vt malit arborem ſuccidi, quam domum comburi. Ratio vero inanimatæ domui arborem animatam præfert mallet ruſticus multas feras perire in ſilua, quam vnum de marſupio denarium, cum tamen ratio non indicet vllum denarium animali comparandum. Malletque ruſticus plures ſtellas perire de cælo, quam vnam arbuſculam de agro, cum tamen cœleſtia terrenis iuſte præponat ratio. Sic ſenſus pudenda noſtra & viſcera vilipendit & ſtercora, & immunda indicat. Ratio autem nihil iudicat immundum E præter peccatum, quia omnia creauit Deus bona. (Gen. 1.) Hoc ipſum teſtatur Evangelium Domini Ieſu. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. (Mat. 15.) Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum demittitur; & non coinquinat hominem. Quæ autem de corde exeunt, furta, homicidia, adulteria, hæc ſunt quæ coinquinant hominem. His concordat Apoſtolus noſter primum veſter Iudæus, & in lege doctus, modo ſe erigens contra vos, qui quoſdam cibos ſecundum legem iudicatis immundos. Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Porro cum lex multa iudicet ſecundum ſenſum immunda, ecce Evangelium Domini Ieſu, & eius Apoſtolorum doctrina, iudicio rationis omnem creaturam bonam dicit & mundam. Ratio præfertur ſenſui, & de ſenſibus iudicat. F Senſus autem aſpirare nequit ad rationem: ſed ſubtile rationis iudicium, ſtultum ſæpe putat & inſanum. Nos autem poſtpoſito carnis ſenſu, de humano corpore duce ratione conſideramus, quod vnitate perſonæ menti iunctum, & cum ea æternam vnitatem habiturum, honoris ſemper particeps vel dedecoris, omni corpori præponimus, mundius lima, ſole pretioſius, venturum ad iudicium, & cum ſua mente gloriam vel pœnas ſubiturum: æternam in ſe Dei vel oſtendens miſericordiam, vel patiens iuſtitiam, animale modo, ſed ſpirituale futurum in iudicio. Quid vſquam inter corpora, ſublimatur tanta prærogatiua? Si cœlum comparo, non convenit. Si ſolis ſtellarumque fulgorem oculis pretioſum conſidero, minus occurrit. Quid vero ſenſus? In tanto non timet ſtolidus vituperare quod diſplicet. Horret viſus pudendorum figuram, nares ſubſannant odorem, ſpurcitiam refugit tactus. Ecce iudicium ſenſus tale eſt de re, cui nec cœlum comparari poteſt. Si noſtrum corpus tantum eſt, qui peccatores ſumus; quid G de corpore virginis dicemus, de qua natus eſt Dominus. (Luca 1.) Certe de illa dixit Angelus ſanctus Gabriel. Gratia plena. Si plena, nihil eius omnino erat vacuum gratia. Nihil ergo eius peccato vacabat, cuius totum gratia implebat. Igitur glorioſus ſexus, glorioſus venter, glorioſa viſcera, glorioſum totum: quod totum gratia plenum. Vere mulier illa ſenſum (Luca 11.) excedebat, cordata erat, quæ dixit, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Vbi eſt quod dixiſti, immunditia fæminea, obſcænus carcer, venter fœtidus? Confitere miſer ſtultitiam tuam. Nunquid tunc erat ſenſualis cum animalibus, ſine ratione cum hominibus? Hæc virgo facta eſt in conceptu ſuo, thalamus omnipotentis Dei, ſacrarium ſpiritus ſancti. In qua ſingulariter, & alio modo habitauit Deus, quam etiam in ſummis cæleſtium virtutum ſpiritibus. Cuius beatorum viſcerum ſecreta tanto ſanctiora erant, immo diviniora, quanto familiarius ibi pullulabant divina myſteria. Beata virgo, de cuius viſceribus ſumebantur ſeminalia, quæ fierent Deus. Quid in tota creatura ſanctius, quid mundius, quid purius quam virgo, de qua ſumebatur quod fieret H Deus? O venter, ô viſcera, in quibus & de quibus creator creabatur, Deus incarnabatur. Certe cætera hominum corpora prætulimus omnibus corporibus. Huius autem beatiſſimæ virginis corpus etiam Angelicis præfero ſpiritibus de quo voluit Deus, vnde fieret, ſumere de quo cœpit, quod inſeparabiliter ſibimet vniret, vnde terras redimeret, cœlum reſtitueret, vnde ſpoliarentur inferni, terra medicaretur, perficerentur cæleſtia, ad quod nullum elegit cæleſtium ſpirituum. Leo. Audio, quod amplius non audiui, hactenus neſciui vos tantis rationibus fultos. Odo. Cur ergo non credis? Leo. Quia veritatem rei noſtræ non audeo committere verbis veſtris. Odo. Has frater Acarde Iudæo reddidi rationes de adventu Chriſti, cogentibus me quædam ſubtilius diſputare quibuſdam Catholicis, qui intererant pro Iudæi parte?

A

TRACTATVS REVEREND.

DOM. ODONIS,

COENOBII S. MARTINI APVD TORNACENSES

Quondam Abbatis à reparatione primi, ac poſtmodum Eccleſiæ Cameracenſis Epiſcopi, de blaſphemia in Spiritum ſanctum.

B

PROLOGVS.

DE blaſphemia ſancti Spiritus ſe conſcripſiſſe libellum dicit in Enchiridio Beatus Auguſt. Sed hic liber in meas manus non incidit, nec aliquem ſcio me vidiſſe qui legerit. Vnde conquerebatur mecum vir venerabilis Amandus Aquicinotenſis monachus, quod tanta quæſtionis ſolutio non inveniretur anxius. Erat enim mihi tunc Acquicinotum dulce refugium exilij mei; quia poteſtate regia pellebar à ſede Cameracenſi, quod virgam & annulum, quæ conſecratus ab Eccleſia acceperam: dono Imperatoris iterum accipere non acquieſcebam. Cumque frater prædictus mecum ſæpe loquens de ſpiritualibus, prædictæ quæſtionis ſolutionem à me devotus exigeret: mittebam eum ad expoſitiones orthodoxorum Patrum. Sed dicebat eos non tractare ſecundum modos dubitationis ſuæ nec per eorum expoſitionem auferri ſibi poſſe dubitationem. Itaque melius mihi viſum eſt onus ſuſcipere, (licet ſit ruendum) quam penitus negando, ſuperbiam putet, vel contemptum, & malo ut videat me non poſſe ſudando

C

faciſcentem, quam ſe repulſæ pudeat, me poſtponente laborem. Animavit etiam multum libellus de originali peccato, quem noviter conſcripſeram, in quo æſtuanti mihi occurrerunt multa quæ neſciebam.

QVOTO CANONE, QVOTIS Capitulis Invenitur in Evangelio blaſphemia ſpiritus.

ET primum proponenda ſunt ipſius Evangelij verba, quæ faciunt quæſtionem, deinde difficultas quæſtionis prius eſt oſtendenda, quàm accingamur ad ſolutionem. Continentur autem in ſecundo canone, capitulo Matthæi, cap. 23. Et Marci 34. Lucæ vero 47. Matthæus ſic ait. Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra ſpiritum ſanctum,

D

non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Marcus ſic. Amen dico vobis, quia omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ quibus blaſphemaverint: Qui autem blaſphemaverit in ſpiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum; ſed reus erit æterni delicti. Quia dicebant ſpiritum immundum habet. Lucas autem ſic. Omnis qui dicit verbum in filium hominis remittetur illi. Ei autem qui in ſpiritum ſanctum blaſphemaverit non remittetur.

E

Quod quædam peccata dimitti poſſint; quædam non?

ECce tria hæc capitula ſecundi canonis, dicunt omne peccatum poſſe dimitti, præter unum. Vnum ſolum nullo modo conſequi poſſe indulgentiam, omne alind aliquo modo impetrare veniæ miſericordiam. Vnum ſolum omnino inſolubile, omne aliud abſolui poſſe. Super unum ſolum puteus urget os ſuum, ut æterna claudatur oblivione; ſuper omne aliud patet os putei ut quoquo modo poſſit exire. Sed primum videamus, quomodo remiſſibilia peccata dimittat Deus.

F

Quod impœnitenti non poteſt peccatum dimitti?

AVt pœnitenti dimittit Deus, aut impœnitenti. Porro impœnitenti nequit dimittere peccatum Deus. Nec enim poteſt iniuſtus eſſe Deus. Peccat homo in hominem; peccat & in Deum. Impœnitens eſt in hominem: impœnitens eſt & in Deum. Impœnitenti debet homo dimittere, non debet Deus, quia peccator dimittere debet peccatori, Deus autem non debet impœnitenti. Peccator dimittit etiam impœnitenti, quia timet deſuper ne ſibi non dimittatur etiam pœnitenti; non dimittit impœnitenti Deus, quia non timet ne ſibi non dimittatur. Peccatori impœnitenti debet homo dimittere, quia & ipſe eſt peccator, Deus non debet quia non eſt peccator. Amplius. Omnis impœnitentia eſt ſuperbia, & omnis ſuperbia principaliter eſt Deo contraria, ſi ergo Deus impœnitenti dimittit ſuperbiam ſibi dimittit. Et id ſibi adiungit, quod à ſe bonum omne disiungit, idque ſibi

G

conſociat, cui bonum omne repugnat. Sed impoſſibile eſt ut ſummo bono, ſummum malum confœderetur, ullo modo; & ulli malo aſtipuletur ſummum bonum, nedum ei quod principaliter habet contrarium. Nam quæ participatio luci ad tenebras? Quid templo Dei, & idolis?

Quod quædam bona Deus habeat, quæ ipſe facere non poteſt.

SI ergo impœnitenti dimittere poteſt, homo, & dimittere non poteſt Deus, bonum ergo facere poteſt homo, quod facere non poteſt Deus. Sed unde habet homo bonum, niſi ab eo qui eſt ſummum bonum? Habet homo magnum bonum, impœnitenti dimittere, magnum bonum, & quod conveniat perfectis tantum. Sed unde hoc habet? ſi Deus facere non poteſt ipſum? Certe non habet homo à ſe tantum bonum, ſed à Deo, à quo eſt omne bonum. Habet enim Deus & hoc bonum, & ſi non facit ipſum. In ſe habet, & à ſe dat homini quod habet. Habet Deus, ut iubeat, accipit homo, ut faciat. Non habet in ſe

H

Deus pro ſe, habet in ſe pro homine, non habet in ſe ſibi, habet in ſe nobis, habet in ſe, & facimus nos, habet in ſe & pertinet ad nos. Sunt ergo bona, quæ quamvis nequeat facere Deus, habet ipſa tamen Deus: habet ipſa, quia aliter non faceremus, niſi ab ipſo haberemus. Sunt ergo bona congrua creatoris maieſtati, ſunt bona congrua creaturæ ſervituti. Et hæc tamen & illa ab eo ſunt, à quo, & in quo ſunt omnia bona.

Quod etiam impœnitenti poſſit dimitti peccatum, ſi pœniteat.

ET ſi nullum peccatum, ut oſtenſum eſt impœnitenti; dimittitur omne peccatum pœnitenti. Et forſitan ipſa impœnitentia, quia irremiſſibilis eſt, ſpiritus

A ſpiritus eſt blaſphemia. Sed quid, ſi ipſius impœnitentiæ, peccatorem pœniteat, & quam diu pertinaciter tenuit tandem dimittat, nunquid veniam meretur, & hæc pœnitentis impœnitentia dimittitur? Diu impœnitens fuit, & modo pœnitet, & longam cordis duritiam nunc emollivit, videmus lachrymas, audimus gemitus, & compunctionem cordis Deus videt intus; ſi huic clauditur miſericordiæ ianua, cui aperitur? Abſit ut hunc Deus repellat, ut hunc miſericordiſſimus amoveat, cum ſcriptum ſit. Quacunque hora ingemuerit peccator, recipiam eum. Abſit ut ulla culpa pœnitentis apud ſummum medicum ſit inſanabilis, ſi ergo impœnitentia quæ videtur irremiſſibilis, per pœnitentiam ipſa remittitur, quæ eſt culpa, quæ omnino non remittitur, quæ blaſphemia ſpiritus vocetur?

B

Inquiſitio quod peccatum ſit blaſphemia.

ECce, hinc Evangelium blaſphemiam ſpiritus omnino irremiſſibile clamat, hinc Eccleſia firmiſſima veritatis columna, contra omne peccatum pœnitentiam prædicat. Hinc Evangelium triplici capitulo quoddam peccatum omnino non poſſe diſſolui confirmat, hinc Eccleſia per pœnitentiam de omni peccato certam promittit veniam. Evangelio nefas eſt contradicere: & Eccleſiam quis audeat falſificare? Quoddam Evangelium negat, omne Eccleſia affirmat. Contradictoriæ ſunt nec poſſunt ſimul eſſe veræ, ſi intellectus idem ſervetur ubique. Diverſo igitur modo intelligendæ ſunt, ut ſimul veræ ſint, inveniatur igitur modus, cuius identitate verum ſibi dividuant & falſum; & cuius diverſitate ſint ſimul veræ. Et univerſalis affirmatio Eccleſiæ, quæ peccatum omne poſſe dicit remitti, vera eſt, ſi intelligatur pœnitentiæ modus. Quid ſi intelligatur ſimiliter in ſingulari negatione Evangelij, quæ dicit ſpiritus blaſphe- C miam non poſſe remitti per pœnitentiam falſa eſt. Quæ ut vera ſit, non eſt intelligendus pœnitentiæ modus, nam ſine pœnitentia non poteſt remitti ſpiritus blaſphemia. Ut vero ſimul ſit verum cum Eccleſia Evangelium, intelligamus altrinſecus diverſum pœnitentiæ modum, ut cum affirmatione Eccleſia ponit intellectum pœnitentiæ, auferat Evangelium à ſua negatione, & ſimul erit verum, & quod blaſphemia ſpiritus ſine pœnitentia non remittitur, & quod omne peccatum per pœnitentiam deleatur; & eas unus modus, & dividere ſibi verum & falſum faciet idem; & ſimul eſſe veras faciet diverſus. Talique modo non differt Evangelium ab Eccleſia, cum dicit blaſphemiam ſpiritus non poſſe remitti, ſubintelligendo ſine pœnitentia; cum hoc idem de omni peccato dicat Eccleſia. Sed mirum eſt cur Evangelium ab omni peccato excipit blaſphemiam, cum, ſicut omne peccatum, remitti poſſit per pœnitentiam, ſed credo, quia ideo eſt mirum, quia nondum mihi eſt apertum oſtium. Aperi Chriſte pulſanti, revela myſteria D ſanctiſſimi verbi. Dicis omne peccatum poſſe remitti, præter ſpiritus blaſphemiam, nec ullum poteſt dimitti, niſi per pœnitentiam, nunquid & blaſphemiam non ſequitur pœnitentia? Forſan hoc dicet aliquis, quia tam grande peccatum eſt ſpiritus blaſphemia, ut eius nulla poſſit ſequi pœnitentia. Et licet aliquis blaſphemus videatur pectus tundere, audiatur & ſuſpirare, dicetur forſitan, quia non ſit hoc ex corde, ſed ſic ad infinitum mittimur, ut incerta iudicemus & ſcientiam inſcrutabilis abyſſi cordis humani præſumptuoſe iactemus, & occultam profunditatem, quam ſcire ſolius eſt Dei nos penetrare clamemus. Cum blaſphemi videamus tunſiones pectoris, & lachrymas, & audiamus profundos gemitus & longa ſuſpiria, quis audeat doloſum dicere, nec ex corde pœnitere? Non credo ſummam ſapientiam hoc ſcribi voluiſſe in Evangelio, quod capere non poſſit homo, nec id hominem docere quod homo non poſſit ſcire. E Et ideo nondum comprehendiſſe me arbitror ſpiritus blaſphemiam, quæ non dimittitur, ne fingere cogar, cordis impœnitentiam, quæ neſcitur.

Quod peccatum ad mortem, ſit blaſphemia ſpiritus.

SEd requiratur Ioannis Evangeliſtæ prima Epiſtola, quæ canonicarum Epiſtolarum eſt una, in qua dicitur aliquid Evangelio ſimile. Videtur enim per Epiſtolam concordaſſe tribus Evangeliſtis in hoc verbo, de quo nihil poſuerat in Evangelio ſuo, quaſi in Epiſtola ſuppleat, quod minus in Evangelio dixerat, ut hæc ſententia quam quærimus, ex hoc ſciatur firmior, quo confirmata eſt ab Evangeliſtis quatuor. Audivimus tres Evangeliſtas quid dixerint, unde ſit F quæſtio: audiamus Ioannem quartum, quid dixerit unde fiat ſolutio. Tres implicant nos ſuorum verborum obſcuritate, quartus nos explicat ſui ſermonis evidenti manifeſtatione. Dicit enim: Eſt peccatum ad mortem, pro quo dico, ut non oret quis. Cur pro eo prohibetur orandum? niſi quia nullo modo eſt remittendum? Pro eo certe orandum non eſt quod omnino dimitti non poteſt. Et hoc Evangeliſta vocat peccatum uſque ad mortem, ut qui in peccato claudit extremum diem, culpam habeat irremiſſibilem, pro qua nullum Deus admittit orantem. Hæc eſt blaſphemia ſpiritus, quæ non remittitur, cum quis uſque ad finem peccato tenetur; ut illum excipiat æterna pœna, quem cum voluntate peccandi deſerit hæc vita. Talis peccator in hoc ſæculo non abſoluitur, quia in voluntate permanſit peccandi, neque in futuro, quia cum voluntate peccandi tranſiit. Et iuſte punitur ſemper, qui vellet peccare ſemper, ſi viveret in hoc ſæculo ſemper, ut voluntatem peccandi ſempiternam, pœna comitetur ſempiterna, ut non deficiat in G eo pœnæ iuſtæ neceſſitas, in quo non deficit peccandi voluntas.

Quomodo peccatum ad mortem unum ſolum peccatum ſit, ſicut ſpiritus blaſphemia.

HIc oritur quæſtio valde difficilis, quod Evangeliſtæ tres unum ſolum peccatum in Evangelio dicunt irremiſſibile, ſcilicet blaſphemiam ſpiritus, ſeparantes eam ab omnibus aliis, Evangeliſta vero Ioannes in Epiſtola nullum ſeparatim dicit irremiſſibile, ſed peccatum uſque mortem qualecunque. Quomodo conveniunt Epiſtola Ioannis & Evangelium, ſi quod Evangelium de omni negat, præter unum nominatum, hoc Ioannes de quolibet affirmat, non de uno ſeparatim? Dicit Evangelium, ſola blaſphemia ſpiritus eſt irremiſſibilis, dicit Ioannes quodlibet peccatum uſque ad mortem nullam meretur orationem.

H Evangelium ſingulariter nominat blaſphemiam ſpiritus & determinate, Epiſtola nil ſingulariter nominat, ſed peccatum uſque ad mortem dicit indeterminate. Peccatum ad mortem indeterminate dictum intelligimus quodlibet unum indefinite, blaſphemia ſpiritus intelligitur peccatum non quodlibet, ſed unum definite.


Et Epiſtola Ioannis hoc modo diſſentire videtur ab Evangelio, cum Epiſtola dicat, quodlibet peccatum ad mortem, pro quo non ſit orandum; & Evangelium dicat ſolam blaſphemiam ſpiritus irremiſſibile peccatum. Sed hanc quæſtionem ſicut implicat inconſiderata rerum confuſio, ſic explicat eam rerum diligenter conſiderata diſcretio. Adiacet enim cuilibet peccato pœnitentia, vel pertinacia, pœnitentia bonum, peccatum ipſum malum: pertinacia peccati ad tempus, peius: pertinacia ad mortem

A peſſimum, & ultimum malum. Itaque malorum aliud prius, aliud poſterius, aliud poſtremum, prius vt fornicatio, furtum, rapina, odium, inuidia & alia infinita. Poſterius vt impœnitentia ad tempus. Poſtremum ut impœnitentia ad ultimum.

Et priora præcedunt quaſi capitalia, de quibus habeatur pœnitentia vel impœnitentia. Niſi enim primum peccatum fiat, non eſt cuius pœniteat aliquem, vel cuius impœnitens maneat. Ab omni malo ad primum bonum prius diriguntur, id eſt, pœnitentiam, quam ſequitur remiſſio. A primo malo caditur in poſterius, inde ad poſtremum, quod eſt ad finem impœnitentia, quam ſequitur irremiſſio. In quæ duo, id eſt poſterius & poſtremum peccator cum venerit, contemnit.

Hic conſiderantur quatuor contraria, duo bona, duobus malis oppoſita. Quorum ratio vt evidentius appareat, ſic ea quadrata formula diſponat; ut linea B ſuperior è regione duo contineat, & linea inferior è regione, duo ſimiliter habeat. Et ſic apparet in utriſque lineis eorum prima fronte contrarietas. Et ſic in vtriſque lateribus inveniuntur, vt ad ſe invicem ſequantur, hinc duo bona per miſericordiam, inferius virtutis, ſuperius palmæ; inde duo mala per iuſtitiam: inferius culpæ, ſuperius pœnæ, angulariter vero ſic utrinque repugnant, ut ſimul eſſe nequeant, duo immutabilitate iuſtitiæ, duo certitudine miſericordiæ, ut ſubiecta monſtrat deſcriptio.

C



Hoc ergo modo conſiderata diſcretione rerum, cum in Evangelio dicitur, omne dimitti peccatum, intelliguntur ipſa peccata, quæ ſunt prius, & impœnitentia ad tempus, quæ eſt poſterius. Spiritus vero blaſphemia, quæ remitti non poteſt, eſt impœnitentia ad finem, pro qua orari non debet. Et cum in Evangelio multa ſint & innumerabilia peccata, quæ poſſunt dimitti, una eſt ſpiritus blaſphemia, quæ non poteſt dimitti, cui eſt idem in Epiſtola Ioannis D peccatum ad mortem, id eſt impœnitentia ad finem, pro quo ſolo non debet orari. Et ita eſt unum ſolum peccatum irremiſſibile, & in tribus Evangeliſtis, & in Ioanne, appellatum in Evangelio ſpiritus blaſphemia, in Epiſtola vero peccatum ad mortem, id eſt, impœnitentia ad finem.

Cur irremiſſibilis blaſphemia magis pertinet ad Spiritum, quam ad Patrem, vel filium?

SEd cum in Ioanne ſignanter & proprie peccatum ad mortem vocetur, quæritur in Evangelio cur blaſphemia non Patris, vel filij, ſed ſpiritus tantum dicatur. Ad quod reſpondetur, quia cum maieſtas ſummæ Trinitatis tota ſit charitas, & in ſumma Trinitate ſingula quæque perſona certiſſime, ſit charitas, tamen Spiritus ſanctus ſpecialiter & proprie eſt charitas; quia Patris & verbi eſt vera communio, & dulcis utriuſque ad invicem & ad omnia dilectio. E Et cum ipſa charitas nequeat admittere ſuum contrarium, non poteſt odiſſe quicquam, quod ſit creatum; ſed diligit omnia, quæ totum quicquid eſt, vera dilectio eſt, niſi enim eſſentiam omnem diligeret, unum quoque ſicut eſt eſſe non poteſt. Quædam autem eſſentiæ culpam admiſerunt, ſed & ipſas vera charitas diligit quæ peccaverunt parata ad indulgentiam, ſi agant pœnitentiam. Nam quæ vere diligit, libenter offenſam dimittit.

Eſt enim veræ charitatis officium, optata remiſſio peccatorum. Et ſicut in ſumma Trinitate charitas propriè refertur ad ſpiritum, ita propriè aſcribitur ſpiritui remiſſio peccatorum, utpote charitatis officium; quamvis in tota Trinitate commune ſit peccata dimittere.

Si ergo Spiritus ſanctus proprie peccata dimittit, id certe contra Spiritum ſanctum ſe magis erigit, quod remiſſionem peccatorum magis excludit: F & iniuria maiori ſanctum moleſtat Spiritum, quod maiori nequitia veniam repellit peccatorum. Et ideo recte vocatur blaſphemia ſpiritus, illud peccatum, quod charitatis dulce refutat officium, nec accipere curat munus veniæ, quod charitas omnibus optat impertire. Et hoc eſt peccatum ad mortem, id eſt, impœnitentia ad finem, extremum malum, irremiſſibile ſolum, cum remitti poſſit aliud omne peccatum. Et hoc eſt contra ſanctum Spiritum dicere ſcilicet divina opera vituperando, & in pravam partem ducendo invidioſe & ſuperbe uſque in finem impœnitentem perſiſtere, ſicut & malitioſi Iudæi tunc faciebant; qui divinas eius virtutes immundo ſpiritui aſcribebant. Inde divinitus cernens eorum uſque ad finem impœnitentiam, & eos in æternum damnandos dicebat, & poſteros ut tantum malum caveant inſtruebat. Invenimus ex his Evangelij capitulis aliter loqui Patres Orthodoxos, quæ qui vult ſcire requirat apud illos. G


Explicit Reverendiſſimi Domini Odonis de blaſphemia in Spiritum Sanctum Tractatus.

ODO EPISCOPVS *Cameracenſis, in Canones Evangeliorum.*

SAnctorvm Evangeliorum lectio, canon quidam, id eſt, inſtitutio vel regula eſt religionis perfectæ. Vnde Canonici vocantur, qui ſecundum inſtitutionem ſanctorum Evangeliorum vivunt, ſin- H gulas igitur ſanctorum Evangeliorum ſententias, canones vocamus, ſed quoniam Evangeliorum regulæ vel canones in quatuor libris quatuor Evangeliſtarum conſummantur, evenit, vt in quibuſdam ſententiis omnes in ſimul conveniant; ut quod in uno Evangeliſtarum dictum ſit, eodem modo vel ſimiliter in reliquis tribus inveniatur; in quibuſdam vero ſententiis tres tantum, ut in quarto non inveniatur, quod tres Evangeliſtæ ſimiliter dixerunt: in aliis vero duo tantum, reliquis duobus id ipſum tacentibus: in aliis vero ſinguli Evangeliſtæ proprias ſententias enuncient, cæteris tacentibus, quod unus dixerit: ut hæc plane poſſit fieri diviſio generis, quaſi in quaſdam ſpecies. Canonum alij in quibus quatuor Evangeliſtæ conveniunt; alij, in quibus tres; alij, in quibus duo; alij, in quibus ſinguli proprios canones,

A id eſt, regulas pronunciant. Canonum vero, in quibus quatuor, nulla eſt ſubdiviſio. Eorum canonum, in quibus tres, quoniam quatuor ſunt Evangeliſtæ, quatuor ſunt differentiæ; quia quatuor modis commutari poteſt eorum trina complexio. Et eſt una, cum conveniunt, Matthæus, Marcus, Lucas, Alia Matthæus, Marcus, Ioannes, Tertia, Matthæus, Lucas, Ioannes, Quarta, Marcus, Lucas, Ioannes pluribus modis non poteſt commutari trina complexio quatuor rerum. Sed harum quatuor complexionum quarta, quæ eſt Marcus, Lucas, Ioannes hic vacat, quia in toto Evangeliorum textu, puto non poſſe inveniri tres iſtos Evangeliſtas aliquid communiter dixiſſe in genere eorum, in quibus tres. Eorum canonum in quibus duo, quoniam quatuor ſunt Evangeliſtæ, ſex, nec plures fieri poſſunt complexiones. Poſſunt enim in quatuor bini coniungi; aut Matthæus, Marcus, B aut Marcus Lucas, aut Lucas Ioannes, aut Matthæus Ioannes, aut Matthæus Lucas, aut Marcus Ioannes. Quarum ultima, quæ eſt Marcus Ioannes, iterum hic vacat; quia nuſquam puto eos convenire in genere eorum in quibus duo. Canones in quibus unus, ſecundum quatuor Evangeliſtas quadruplices ſunt. Inveniuntur enim in unoquoque Evangeliorum, multa ita proprie dicta, vt eorum Canonum ſimilitudo in aliis nulla ſit. Et hi canones quamvis ſecundum quatuor Evangeliſtas, quadruplices ſint; recte tamen in unam formam revocantur; ut quia in E genere ſunt eorum in quo unus, & ipſi unius ſpeciei eſſe dicantur. Sunt ergo canones ſecundum prædictam diviſionem, decem. Canon in quo quatuor, primus, Canonum in quo tres ille, in quo conveniunt, Matthæus, Marcus, Lucas, ſecundus. Ille, in quo conveniunt, Matthæus, Lucas, Ioannes, tertius, Matthæus, Marcus, Ioannes, quartus, eorum in quibus duo, Matthæus, Lucas, quintus. Sextus Matthæus, Marcus. Septimus, Matthæus Ioannes. Octavus, Marcus Lucas. Nonus, Lucas Ioannes. Decimus eſt Canon in quo unus, qui quamvis per quatuor Evangelia currat uniformis accipitur, & decimus ſit primi Canonis retinens quodammodo ſimilitudinem, quamvis longe minus perfectus, quod unius ſolus Evangeliſtæ nitatur authoritate. Hoc autem miror eveniſſe, quod ſecundum duas complexiones ſimilitudinem Evangeliſtæ non recipiunt; ut in denario numero ſint, quod ſine magiſte- F rio magno eſſe non credo: niſi quod occurrit mihi ex hoc ipſo patere ſoliditatem S. Evangelij ſub litera veteris Teſtamenti, quaſi ſub velamine latenter fuiſſe, & inde ad lucem intelligendi per gratiam, Domini Ieſu proceſſiſſe; quod ſicut vetus Teſtamentum in decalogo conſiſtit decem præceptorum, ſic ſecundum Evangelium quaſi inde procedens, in numero compleatur decem Canonum. Et ut hæc quæ dicta ſunt, magis appareant; etiam oculis oſtendat ſubiecta deſcriptio.

C G



Quid numeri canonum, quid numeri ſignificent capitulorum.

D ET quoniam in ſupradictis decem canonibus, omnia continentur capitula, vel quatuor, vel trium, vel duorum, vel ſingulorum Evangeliorum, oportet ut capitulis concordium ſententiolarum coniungantur numeri Canonum; ut ex numeris capitulorum, inveniantur ſententiæ, per numeros vero Canonum, qui rubeo colore ſolent adiungi, ſciatur, utrum ſit communis ſententia cum aliis nec ne. Et ſi eſt communis, inter quot, & inter quos eſt communio.

Et ut ratio ad medium deducatur; monſtremus exemplis quod dicimus, Sumamus unam ſententiam. Matthæi eam ſcilicet quæ octavo capitulo prænotatur, cui ſi comparaveris eam Marci quæ ſecundo, & eam Lucæ, quæ ſeptimo, & eam Ioannis quæ decimo capitulo prænotatur, ſimilis eſt in omnibus. Et ideo ſupradictis quatuor capitulis quatuor Evangeliſtarum addendus eſt primus numerus, ut ſententia prædictis capitulis notata, ſciatur ad pri- H mum canonem pertinere, utpote communis quatuor Evangeliſtis. Item ſi eam Matthæi ſumamus, quæ ſeptimo capitulo inſignitur; & ei, eas, quæ ſunt Lucæ ſexto, & Ioannis in ſecundo capitulo comparemus, ſimiles invenimus.

Et ut ſciamus, qui & quot Evangeliſtæ conveniant in ſententia prædictorum capitulorum, ternarium numerum rubeo colore annotamus. Ex numero ſcimus & tres Evangeliſtas convenire, & qui fuit nominatim. Canonis enim in quo tres, ea ſpecies, qua Matthæus, Lucas, Ioannes conveniunt, tertius canon in ſuperiore deſcriptione dicebatur. Sic ergo per capitula ſententiæ, Evangelij textu requiruntur, inveniuntur, notantur. Per numerum Canonum, quot Evangeliſtæ, & qui ſint nominatim cognoſcimus. Item de canone, in quo duo, tertio capitulo Matthæi, comparetur ſecundum capitulum Lucæ, & eſt ſimilis ſententia in capitulis inventa. Sed innumeris capitulorum per ſe poſitis; qui Evangeliſtæ, & utrum plures, quam duo conveniant ignoramus. Sed ſi numerus canonis quinarius rubeo colore apponitur, canon in quo duo, quintus, ſecundum quem

A manifeſte Matthæus & Lucas conveniunt, ſcitur. Ita numeris canonum, non ſolum quot Evangeliſtæ conveniant, ſed etiam nomina eorum ſcimus, quamvis nomina Evangeliſtarum vbique viderim aſcripta numeris canonum. Sed hoc puto fieri tarditate noſtræ memoriæ magis, quam alia ratione. Cum enim multipliciter fiat nominum complexio, quarum vnaquæque in ſuo ſignificetur numero, cum vides numerum, vel audis quam complexionem tibi ſignificet, non cito recolis. Et ideo cum canonis numero etiam nomina ſignificata tibi propono. In eo vero canone in quo vnus, nomina Evangeliſtarum in numero canonis non intelligimus. Nam quia huius ſpeciei informitas ex multiplicitate quatuor Evangeliſtarum adunatur, nullus determinare in hac intelligitur. Aſcribitur ergo ad capitulum ſententiæ, & numerus canonis & nomen Evangeliſtæ. Per numerum capituli ſententia tenetur, per numerum canonis, quod non ſit communis ſententia inter plu-

B res, ſed propria vnius Evangeliſtarum, intelligitur. Eſt autem etiam nomen neceſſarium, per quod cuius proprie ſit ſententia, declaretur. Ergo etiam in ſuperioribus aſcribitur nomen, non ſolum propter prædictam memoriæ tarditatem, ſed etiam propter horum ſimilitudinem.

Cur ad plures numeros capitulorum, iteratur vnus?

CONtingit etiam aliquando communem ſententiam apud vnum Evangeliſtam in vno tantum loco inveniri; & apud alium in pluribus: ita vt apud vnum, habeat tantum, vnum capitulum, & apud alium plura: vt ea ſententiola, quæ apud Matthæum terminatur capitulo vndecimo, & apud Marcum quarto, & apud Lucam decimo, apud Ioannnem in quatuor inveniatur loci, & quatuor terminetur capitulis, vnde in ea con-

C geric capitulorum, in qua totius Evangeliorum textus omnia capitula ſub ſuis canonibus ordinantur. evenit in prædicta ſententia, vt ad quatuor capitula Ioannis quater repetatur: decimum capitulum Lucæ & quartum Marci, & vndecimum Matthæi. Et quot capitula habebit in vno ſententia, toties repetitur in alio.

Explicit.

ODONIS HOMILIA, de Villico iniquitatis.

LVC. XVI.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, &c.

D

Ioan.1.14 Ioan.1. v.16. Coloſſ.2.1 Rom.10. 10.

QVIS eſt *homo dives*, niſi Chriſtus; dives in cœlo, dives in terra, dives vbique; *dives*, plenus gratiæ & veritatis Et nos omnes de plenitudine eius accepimus. *Dives* apud quem abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, *dives* in omnibus & in omnes qui invocant illum. *Villicus* autem, eſt vnuſquiſque Chriſtianus, qui in baptiſmate villicationem ſui accepit, & proximi. Chriſtianus. enim vnuſquiſque non tantum ſui cauſa vivit, ſed & proximi. Et non tantum redditurus eſt rationem pro anima ſua, ſed & pro eius, cum quo vivit in hac vita; exercens ſe corpore & animo; & adiuvans proximum documentis, & exemplo; nec tantum quærens quæ ſua ſunt, ſed & quæ aliorum. Hæc eſt Chriſtianorum cura nobilis, & ſancta villicatio; hinc eſt iudicium

Matt.18. 10.

Dei tremendum, & futura exactio. [*Et hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius.*] Quotidie diffamamur, apud Dominum, quia angeli noſtri ſemper vident faciem patris & nunciant ei omnia noſtra. Quid ergo facimus? Vbi abſcondimur? Illi nos diffamant, nos intuentur, & Deum, intuentur omnia noſtra, & Deum, quia noſtra intuendo nunciant Deo. Non eſt obſtaculum, non ſunt tenebræ, quibus impediantur videre omnia noſtra: quia divinum lumen, quo illuminantur, penetrat omnia, quia lux in tenebris lucet, & nox ſicut dies illuminabitur. *Et hic diffamatus eſt quaſi diſſipaſſet bona ipſius.*] Quis omnia ſibi tradita bona bene diſpenſat in omnibus? Quis non aliquando dormitat? *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Et: *In multis offendimus omnes.* Et ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te.*] Quotidie nos vocat Dominus. Venite filij audite me: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis. Et, ô viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Quotidie loquitur nobis per Prophetas: loquitur per Apoſtolos: loquitur per ſeipſum in Evangelio: loquitur per doctores: loquitur in conſcientia. [*Quid hoc audio de te?*] increpat male cogitantes, increpat male loquentes, increpat male agentes, increpat male viventes. [*Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.*] Quia de omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij: *Redde rationem villicationis tuæ.* Quid agas apud te, quid apud proximum: quid cogites in corde, quale proferas verbū. Quid auditu delectet, & cui infigas oculum. *Redde rationem villicationis tuæ.* Bona mea diſſipas, bonis meis male vteris, bona mea das extraneis. Voco & non reſpōdes, porrigo manum, & non reſpicis. [*Redde rationem villicationis tuæ. Iam enim non poteris villicare,* Ad finem perveniſti, tempus eſt iudicij: *rationem redde, iam non poteris villicare.* Cito hinc abiturus, cito moriturus es. Iam non poteris villicare. Poſt hanc vitam non eſt villicatio. Hic villicando ſervimus: ibi requieſcēdo mercedem capimus. Hic acquirimus quod ibi poſſidemus: hic labor ibi præmium. [*Ait autem villicus intra ſe. Quid faciam quia Dominus meus aufert à me villicationem.*] Felix qui de fine cogitat, felix qui ſe quotidie moriturum; quia, *melior eſt finis orationis quam principium.* Quid faciam? Quomodo de male diſpenſata villicatione evadā? *Fodere non valeo:*] poſtquam deficit vitæ huius villicatio. Non relinquitur actio poſt hanc vitam, pro qua mereamur æternam vitam. Ibi iam non valeo fodere, quia ibi non eſt pauperes recreare, infirmos viſitare, vigiliis ſanctis & orationibus inſiſtere. Quid eſt enim aliud *fodere*, niſi ſanctarum exercitiis actionum terram mentis & corporis excolere? *Terram fodimus*, cum à nobis exſtirpamus vitia, vt virtutes inſeramus: quoſt fieri non poteſt, poſt hanc vitam. *Mendicare erubeſco.*] Ne mihi dicatur, quod fatuis virginibus eſt dictum: ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Eſt *mendicatio* bona, eſt mendicatio mala. Mendicatio bona hic. Hic bene mendicamus, à Doctoribus ſapientiam & doctrinam: à ſanctis mendicamus in litaniis, vt orent pro nobis. In alia vita mendicatio erubeſcenda. Quis enim non erubeſcat dicere, date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Ideo mendicare erubeſco. Vere mendicatio erubeſcenda, vbi nihil recuperatur, & egeſtas omnium bonorum perpetua comitatur Ideo *mendicare erubeſco.* Ibi non prodeſt alieni boni mendicatio, vbi deficit omne bonum ſuum: nec poteſt ab alio quiſquam expectare, quod ipſe non meruit, cum vnicuique vix ſua ſufficiant, & vix iuſtus ſalvabitur. Ideo mendicare erubeſco. *Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione recipiant me in domos ſuas.*] Salubre conſilium reperit ad finem, qui male diſpenſavit villicationem, ſcilicet vt daret pauca recepturus plura. & reciperetur in domibus aliorum, cui propriæ deficiebant. *Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo. At ille dixit: Centum cados olei.*] Communem dominum habemus, qui vnum dominum colimus, cui omnes debemus quicquid boni poſſumus. Sed quia omnes

Margin notes, right column: E — Ioan.1.5. — Horatius in arte poët. — Iacob.3.2. 1.Io.1.8. Pſ.33.12. Matt.11.28. — F — G — Eccl.7.9. — Matth.25.9. — Matth.25.8. — H

A villici ſumus, de iure villicationis noſtræ debitorum domini pars ad nos refertur, ut non ſolum inveniamur debitores Dei, ſed & invicem noſtri. Non ſolum enim iubemur diligere Deum, ſed & proximum. Debitores ergo ſumus Dei, debitores ſumus & proximi. Deo tamen totum debemus etiam id quod ad proximum referimus, ut quidquid debemus, Deo debeamus. Habemus autem ſpiritualia bona, habemus & corporalia. Spiritualia, ut, fidem, iuſtitiam, charitatem, &c. quæ Deo debemus, & proximo. Corporalia, ut aurum, argentum, triticum, vinum, &c. unde Deo ſervimus & proximum adiuvamus. Quid melius per oleum poſſumus intelligere, quam ſpiritualia, quod rarius eſt & lenius triticeâ ſoliditate, & lumen fovet, id eſt, cuius virtus illuminat mentem ad intuendam veritatem; & præſtat omnibus liquidis, ut ſpiritualia corporalibus. Quid per triticum niſi corporalia? Si quidem per ſpeciem ſæpe **B** genus ſubintelligitur. Villicus ergo primùm debitori loquitur olei, quia priora ſunt ſpiritualia corporalibus: qui debet centum cados olei, quia debet Deo quidquid ſpiritualis habet boni. Sic enim ſunt olei cadi plures, ſicut ſpiritualis boni multæ ſpecies. Vas enim olei centenarium ſpecies deſignat omnes ſpiritualium bonorum. Nam & centenarius plenitudinem ſæpe ſignificat, & finitus ſæpe ponitur pro infinito. Debet ergo domino centum cados olei, qui debet Deo perfectionem ſpiritualis boni. Sed multum pertinet ad proximum, de hoc quod debetur Deo. Multum enim offendimus niſi fidem, iuſtitiam & charitatem proximo reddamus. Cum igitur de centum cadis Villicus iubet quinquaginta ſcribi, quod debetur Deo, confirmatur ſcripto quia non dimittitur; Quod debetur ſibi non iubetur ſcribi quia dimittitur. Dimittit quod ſuum eſt, relinquit quod Dei eſt. De hoc quod ſibi debetur, venia facit ſecurum; De eo quod Deo debetur ſcripto facit ſollicitum. Vnde ſequitur *Dixitque illi, accipe cautionem tuam & ſede cito & ſcribe* **C** *quinquaginta*; ac ſi diceret; quod debes mihi, dimitto tibi; quod debes Deo cautelam aſſume; & qui ſuperbus ſtabas, ſede cito & humiliare, & quod parvipendebas vel oblivione, pro nihilo ducebas, ſcribe in tabulis cordis & memoriâ tene, ut frequenter pœniteas & expies, donec & ipſum dimittatur tibi. *Sede cito*; id eſt ne differas de die in diem. *Scribe quinquaginta:* Numerus iſte pœnitentiæ & remiſſionis eſt, ut & annus quinquageſimus remiſſionis & pſalmus quinquageſimus pœnitentialis. Quinquaginta ſcribuntur & quinquaginta dimittuntur; Similis numerus ſimilem ſignificat offenſionem in Deum & hominem: Vnde Dominus dicit in Evangelio, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota mente tua. Hoc eſt primum & magnum mandatum. Secundum ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Nam quorum ſimilis eſt dilectio, ſimilis eſt offenſio. Sequitur: *Deinde alij dixit, tu vero quantum debes? qui ait: centum coros tritici.* Cadus liquidorum **D** menſura eſt & corus ſeminum. Valde timendum eſt nobis qui plenitudinem corporalium bonorum debemus, proximis debemus, & tamen non ſolvimus, debemus totum, & vix ſolvimus partem. Quid ergo faciemus? Si non poſſumus ſolvere totum, quod debemus aliis, dimittamus ſaltem quod debetur nobis, unde ſequitur, *ait illi; accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta.* Qui enim de centum ſcribit octoginta, quintam partem dimittit, quia de corporalibus hoc debetur proximo quod quinque corporis ſenſus exigunt: hoc ſcripto commendatur, quod divinæ gratiæ per octonarium relinquitur. Rapuiſti meum, abſtuliſti præſtitum, negaſti commendatum. Si dimitto tibi quod mea refert, *ſcribe octoginta*, id eſt commenda memoriæ, quod adhuc eges veniâ divinæ gratiæ; ſi quidem Evangelij gratia ſignificatur, per octonarium, ſicut auſteritas legis, per ſeptenarium. Sed meretur octonarij gratiam, qui præcepta cuſtodit, quæ ſig-

E nificantur per decem, ut per octonarium iunctum denario, gratiam illigamus acquiſitam præcepto; ut qui ſcribit *octoginta* per decalogi cuſtodiam, perveniat ad octonarij gratiam. *Et laudavit Dominus Villicum iniquitatis quia prudenter feciſſet.* Mira res; malus eſt Villicus & laudatur; male diſpenſavit & parcitur; Non emendavit quod fecit, & indulgetur. Verum *prudenter egit*, quia dimiſit pauca, ut reciperet plura; dimiſit temporalia, ut æterna percipiat: Audierat enim, *Dimittite & dimittetur vobis, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Verum prudenter egit, qui Deum facere molitur debitorem ſuum, ut exigat ab eo debitam remiſſionem quia remiſit. Prudenter egit, quia cui obnoxius erat ipſum ſibi facit obnoxium: Et quem habebat durum exactorem, nunc habet pium debitorem, ut fiducialiter dicat, dimitte quia dimiſi, redde quam debes veniam, quia ego dedi veniam. *Quia filij huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua.* Filij lucis la**F**borant, & vix merentur pretium; currunt & vix ad bravium perveniunt; parturiunt & vix evadunt. Filij ſæculi poſt laudes & illecebras & illicitos amores ſolummodo dimittunt, & Deum debitorem tenent: parcunt & parcitur eis; condonant & donatur. Ideo prudentiores ſunt filij ſæculi filiis lucis in generatione ſua, id eſt quando regenerantur Deo, & renovantur ſpirituali vita. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Mammona, id eſt divitiæ, quæ iniquitatis dicuntur, quia ſine iniquitate non captantur, & quia iniquum eſt eas revocare in proprios uſus, quas creavit communes dominus. Vnde ſcriptum eſt, *pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ*, id eſt pro divitiis captandis vidi homines factos tabernacula nigredinis, id eſt, vitiorum & dæmonum: Vt qui poterant eſſe tabernacula ſectando paupertatem, facti ſunt tentoria vitiorum pro iniquitate congreganda. Quis non videat multos periurium incurrere, homicidia facere, dolos machinari contra proximos, rerumpublicarum & dominorum proditores eſſe, propter divitias: Hi fiunt *pro iniquitate tentoria Æthiopiæ.* **G**

Sed cum Villicus fecerit amicos ſuperius, & de ſpiritualibus & de corporalibus, cur Dominus concludit finem parabolæ ſuæ de ſolis corporalibus? Citius dimittimus iniuriam factam, quam præſtitas pecunias, facilius damus fidem quam poſſeſſionem; proniores ſumus dimittere odia quam expendere noſtra. Ideo Dominus parabolicè nobis ad miſericordiam inſtructis, in ea parte miſericordiæ concludit ſermonem, quam novit apud homines difficiliorem; & ad eam nos enixiùs hortatur in fine, ad quam videt nos difficiliùs inclinari, quia melior eſt finis orationis quam principium. Faciamus ergo de divitiis iniquitatis amicos, pauperibus eas diſtribuendo; & debitoribus, & his qui eas abſtulerunt dimittendo. Sed quia iniquitatis divitiæ aliæ poſſidentur paternâ ſucceſſione, aliæ iuſto conquiruntur labore; aliæ uſurpantur ex ſcelere vel impietate, Dei certe amici non fiunt, qui **H** de ſcelere vel impietate veniunt; Nec putet quiſquam ex his adiutores quærere ſalutis, quas mercimonio corraſit iniquitatis. Scriptum eſt enim *hoſtia impiorum abominabiles*, quia offeruntur ex ſcelere; Et immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata; Et, qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris. Cum ergo præcipitur fieri amicos de mammona iniquitatis, diſcernendum eſt, ut eas intelligamus, quæ de ſucceſſione, vel iuſto labore proveniunt. Quæ tamen & ipſæ iniquitatis dicuntur, quaſi inæqualitatis; quia cum eas in proprietatem tenemus, æqualitatem cum aliis hominibus non ſervamus. Sunt ergo illæ de quibus amicos facere præcipimur divitiæ, iniquitatis & iuſtitiæ. Iniquitatis quidem quantum ad Deum, qui omnia communibus creat uſibus; Iuſtitiæ vero quantum ad ſæculum, quia ſæculari iuſtitiâ poſſidentur

ab hominibus. Divitiæ ergo quaiuſtè poſſidentur in terra, & iniuſtæ ſunt quantum a divinam iuſtitiam, & iuſtæ ſunt, quantum ad terream. Divina iuſtitia cuiuſlibet proprietatis poſſeſſiorm arguit, terrena iuſtitia proprietatis alicuius poſſeſſionem defendit. Per terrenam iuſtitiam homins propria colligunt, per divinam iuſtitiam ſua communia faciunt. Divitiæ vero quæ ſunt ex ſcelere, omnino ſunt iniuſtæ. Nec ulla iuſtitia comprobat, quas etiam terrena condemnat. Et iſtæ nullo modo Deo ſunt offerendæ, quia de ſcelere ſunt acquiſitæ. Et tamen reddendæ ſunt cito, immo proiiciendæ, ne maefactor inveniatur in male cœpto perſeverare. *Vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Expoait hic quod dixerat *recipiant me in domos ſuas.* Manſiones enim æternæ domus ſunt eorum quibus impenditur miſericordia; domus inquam eorum non poſſeſſione, ſed causâ; non poſſeſſione quod eas poſſideant, quas forſitan non poſſidebunt, ſed causâ, quia ſcilicet cauſa ſint ſuis benefactoribus poſſidendi. In his ergo domos vos recipiunt, quando in æternas manſiones nos eſſe faciunt. Suas enim reputamus, quas nonniſi per eos accipimus: quas nobis quaſi retribuunt propter beneficia quæ receperunt, & propter miſericordias quas acceperunt temporalium, æternorum retributores exiſtunt, per eum qui pro ipſis reddit, quod ipſi debuerunt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ALGERI ELOG. EX BELLARM. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

ALgerus Scholaſticus Leodienſis, ac poſtea Monachus Cluniacenſis floruit circa annum Dom. 1130. Scripſit *varia opuſcula de gratia, & libero arbitrio, & de Miſericordia, & iuſtitia.* Sed *præcipuum eius opus eſt de corpore & ſanguine Domini contra Berengarium*, quod tribus libris comprehenſum valde laudatur à venerabili Petro Cluniacenſi, qui initio libri de ſacrificio dicit, Lanfrancum ſcripſiſſe de Sacramento Euchariſtiæ, benè, planè, perfectè: Guitmundum, melius, plenius, perfectius, Algerum, optimè, pleniſſimè, perfectiſſimè. Sed tamen obſervandum eſt, hunc Algerum lib. 2. cap. 1. non rectè ſcripſiſſe ſpecies Sacramentales non poſſe corrumpi, vel rodi à muribus, &c. quod etiam notavimus in Guitmundo, à quo id videtur Algerus accepiſſe: ſic etiam cap. 8. perperam citavit Algerus Sanctum Auguſtinum, cum ait. Vnde, ut ait Auguſtinus, nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne ritè communicatur. Hæc enim non ſunt Auguſtini, ſed Paſchaſij in libro de corpore Domini, cap. 14. Denique cap. 10. videtur Algerus velle, eſſe de iure divino, vt ſacrificium Miſſæ celebretur in azymo: quod non eſt verum, alioquin Eccleſia non toleraret eos, qui celebrant in fermentato. Hæc notare volui, non ut imminuam gloriam Algeri, qui magno zelo veritatem ſua ætate defendit: ſed ne lector offendiculum incurrat in legendo opere iſto, alioqui valdè bono, cum ſit commune mortalibus aliquando labi.

De Algero, atque iſto eius Opere, aliiſque ſcriptorum monumentis ab eo relictis plura accipe ex Trithemio in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & lib. 2. de viris Illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti, cap. 90. Item ex Arnoldo Vuione in hiſtoria Benedictina, atque ex Apparatu ſacro Poſſevini.

ALGERI, IN LIBRVM DE SACRAMENTO Corporis & Sanguinis Dominici.

PROLOGVS.

QVIA *Sancti de corpore & ſanguine Domini variè ſcribentes aliquando de univerſo Chriſto, capite ſcilicet & membris: aliquando non de univerſo, ſed vel de capite, vel de membris loquuntur: aliquando cum Sacramento, aliquando ſine Sacramento: ſimplicibus (ut de re ineffabili non intellecta) errores, plus autē quam oportet ſapere volentibus gignuntur hæreſes: adeo, ut ſimplices niſi perfectius inſtructi, errando pereant: pluſquam oportet ſapientes niſi correcti fuerint, docendo & defendendo quod neſciunt, ſe & alios perdant. Alij enim quod de membris dicitur, capiti adſcribunt: alij, quod de capite, membris imponunt: & de utroque vel alterutro tam confuſe ſentiunt, ut, vel caput nimis humilient, vel membra nimis glorificent, & ſic nec quod verum nec quod dignum eſt utrinque diiudicent. Nec ſolum de veritate corporis Chriſti ſed & de Sacramento ipſius varij errores, variaque proveniunt hæreſes. Alij enim panem & vinum non mutatum, ſed ſolum Sacramentum, ſicut aquam baptiſmatis, vel oleum Chriſmatis, corpus Chriſti non vere, ſed figuratè vocari dicunt: ſicut cum dicitur. Accipe veſtem candidam, quam perferas ante tribunal Chriſti, nec tamen ipſam, ſed ab ipſa ſignificatam. Alij autem dicunt, panem non ſolum Sacramentum: ſed in pane Chriſtum quaſi impanatum, ſicut Deum in carne perſonaliter incarnatum. Alij autem panem & vinum in carnem & ſanguinem mutari, ſed non Chriſti, ſed cuiuſlibet filii hominis ſancti & Deo accepti, ut compleatur quod Chriſtus dixit:* Niſi mãducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. *Alij autem gratiæ Dei derogantes, dicunt, Sacerdotum malis meritis ita invocationem divini nominis annullari: ut eorum indigna conſecratione non debeat panis in Chriſti carnem converti. Alij vero mutari quidem in carnem Chriſti, ſed malis meritis ſumentium non permanere carnem Chriſti, ſed iterum reverti in purum Sacramentum panis & vini. Alij, quod eſt deterius, dicunt per comeſtionem in fœda digeſtionis converti corruptionem.*

Diverſæ circa Sacramēti Euchariſtiæ hæreſes.

Ioan. 6.

Quia ergo tot hæreſes, & ſi quæ ſunt alia, de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti pullulant: de veritate & virtute ipſius aſpirante divina gratia, quanto fidelius potero abſolvam: non humana quidem ratione, quod ad hoc non ſuppetit, ſed ipſius Chriſti ſanctorúmque teſtimoniis, quibus Eccleſia roborata conſiſtit: à quibus quo firmius veram obtinet fidem, eo certius æternam aſſequitur ſalutem. Non enim, *ut ait Apoſtolus*, in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed per ſtultitiam prædicationis placuit ſalvos facere credentes: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. *Videtur enim ſtultum, ſed ſtultis, Chriſtum in ſpecie panis. & vini, bruta ſcilicet rei præſentem nobis corporaliter fieri: tantilla formula panis, tantam maieſtatem contineri. Sed quis in Deo reprehendere debeat: quod in ipſo pium, nobis autem eſt neceſſarium? Congruere quidem non videtur eius dignitati, ut corruptibilis ſubſtantia panis incorruptibile eius corpus fiat: Sed congruit noſtræ ſaluti, ut tali Sacramento pane Angelorum nos reficiat. Sapientiſſime quidem, ut occulto myſterio fides exerceatur ad meritum: fortiſſimè autem, ut mens tali cibo*

1 Cor. 1.

A *roborata, hoſte devicto, fortius nititur ad regnum. Sapien-*
tiſſimè, inquam, & fortiſſimè: vt tanti ſui operis de re mini-
ma & maxima nec comprehendi poſſit potentia, nec arti-
* Mirabilia. *ficium. Super omnia enim eſt * mirabile exiſtentem ſub-*
ſtantiam panis, in eo xiſtentem ſubſtantiam carnis ſua con-
vertere: quod eſt non videri, quod videtur non eſſe: ipſám-
que carnem cum ſit localis, præſentem in cœlo & in terra
vere & ſubſtancialiter eſſe: & cum verè caro comeſta, &
ſanguis eius bibitus fuerit à populo, ipſum tamen Chriſtum
viuum & integrum ſuo permanere in regno. Sed hæc rationi
cæca, fides ſunt manifeſta. Quod ergo ex ſe Chriſtus tam
mirabiliter, támque ſalubriter dignatur pro nobis operari,
non parvipendendum, ſed iugiter à nobis venerandum eſt
Matt. 3. *& colendum: quia cum* potens ſit de lapidibus ſuſcitare
filios Abrahæ, *qui elementa bruta panis & vini in ſuam*
conuertit ſubſtantiam: multo magis fideles ſuos ſub tanta
ſpei imagine & virtute, in corporis ſui transfigurabit glo-
riam, non pro merito, ſed pro gratia dans gratiam. Vnde
B *Auguſtinus: Myſterium veſtrum de menſa Domini ac-*
cipitis: eſtote quod videtis, accipite quod eſtis.

De tam mirifico itaque, támque neceſſario myſterio di-
cturus, prius fideles admonendos arbitror, ut quamvis ſit
incomprehenſibile, non tamen videatur incredibile: quia &
Pſal. 113 *ſi capaces non ſumus ad intelligendum, Deus utique non*
eſt impotens ad peragendum: qui, *ut ait Pſalmiſta*, omnia
quæcunque voluit fecit *in cœlo & in terra. Penſare*
enim debet humana parvitas modum ſuum: ut quia non
accepit ut magnalia Dei valeat comprehendere, non mirus
credat eſſe. Cum enim homo creatura ſit, ſed excellens ſicut
præeſt quibuſdam creaturis ſuper quas factus eſt: ſic etiam
quibuſdam nondum æquatus ſubeſt: longè diſſimilis ei à quo
factus eſt. Sicut enim lapidi datum non eſt ut ſentiat, nec
Credendum eſſe quod mens capere nequeat. *pecudi ut intelligat: ſic nondum homini datum eſt ut cum*
Angelis Deum ſicut eſt videat. Cum ergo nec ſentiatur à
lapide: nec intelligatur à pecude cui præeſt: nunquid homo
ſe minus eſſe intelligit, quia hoc ſuis inferioribus non inno-
teſcit. Sic igitur Deus, qui incomprehenſibilem maieſtatem
ſuam beſtialibus ſenſibus, vel intellectibus humanis, ſicut
res terrenas, quaſlibet communiter non exhibet perceptibi-
lem: nunquid à nobis longè ſuis inferioribus minus eſſe pu-
C *tandus eſt, qui longè longius quam noſtra inferiora noſtram*
comprehendere non poſſumus ſuam veritatem? Quanto enim
ſenſu vel intellectu longè ſunt à nobis, quæ ſub nobis facta
ſunt: tanto & incomparabiliter amplius longè ſumus ab eo
qui nos fecit. Ex quo enim homo cum in honore eſſet
non intellexit, & comparatus iumentis inſipientibus,
Pſal. 48. ſimilis factus eſt eis: *in corpore quidem beſtiales ſenſus re-*
cepit, quibus tantum corporalia, nec illa etiam, verè perfe-
ctéque ſentiret: in mente verò ita hebetem intellectum ha-
buit, ut parum corporalia, minus ſpiritualia diſcerneret:
Non igitur decet, ut beſtiali ſenſu vel modico intellectu no-
ſtro, quo nec terrena iſta ſcire ſufficimus, immenſitatem di-
vinæ maieſtatis comprehendere velimus: cum ipſi Angeli,
qui adhuc nobis ſuperiores ſunt, in eum deſiderent proſpi-
cere, *nec tamen immenſitatem eius maieſtatis valeant pe-*
netrare: quamvis eius ſicut eſt, faciem contemplentur, &
eius manifeſta gloria ſatientur. Quæ enim creatura, cum
circumſcripta ſit, immenſum poſſit comprehendere? Si enim
aliquatenus comprehendi poteſt, immenſus non eſt. Vt ergo
D *ait Apoſtolus*, non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed
ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut diviſit Deus
menſuram fidei. *Non enim omnia dat omnibus, ſed uni-*
cuique proprium donum eſt à Deo. Quod ut in membris Ec-
cleſiæ congrua corporis noſtri probemus ſimilitudine, variis
membris varii ſenſus diſtribuuntur, per quos color oculis,
ſonus auribus diſſimiliter ſentiuntur: & ſic in cæteris. Vt
igitur figuratè loquar ſi viſus auditui varietatem colo-
rum; & viſui prædicaret auditus varietatem ſonorum: non-
ne alterum alteri cedere oporteret in his quæ minimè ſen-
tiret? Non enim deberet eſſe incredibile, quia ei eſſet in-
comprehenſibile. Nunquid enim minus ſunt quæ viden-
tur, quam quæ audiuntur: & è converſo? Ecce oculus
plauſtri motum videt, auris ſtridorem eius tarditate ſua
non ſimul percipit. Cum ergo motus & ſtridor ſine ſe non
ſint, nunquid minus ſimul ſunt quia viſus & auditus ſi-
mul ea non percipit? Nunquid totus mundus ſimul non E
eſt, quia nulli ſicut beato Benedicto ſimul viſibilis eſt?
Cum ergo ſenſus non debeat præiudicare ſenſui pari ſuo
quo minus eſſe credat, quod non ſibi, ſed aliis eſt ſenſibile:
quomodo præiudicare debeat intellectui maiori ſuo, quod Gregor. dialogorũ lib. 2. c. 35.
minus eſſe credat, quod ſibi non eſt intelligibile? Sicut enim
ſonus oculo eſt inviſibilis, color auri eſt inaudibilis: ſic om-
nibus corporeis animæ intellectus eſt inſenſibilis. Nunquid
ergo minus eſt quod intellectu ſuo anima corporalia & ſpi-
ritualia diſcernit, in virgultis vel herbis naturam caloris
vel frigoris, humoris vel ſiccitatis deprehendit, cogitationes
à ſe diſſidentes inſenſibili ſua diſcretione compeſcit, ad cor-
poreos etiam ſenſus regendos inſenſibiliter ſe afficit, & in
his omnibus ſola à ſe intelligitur & intelligit? Quorſum
hæc? Vt ſicut illa quæ incomprehenſibilia ſunt ſenſibus,
non minus eſſe creduntur: ſic quæ ſunt incomprehenſibilia 1. Cor. 13
intellectibus humanis, non minus eſſe credantur. Vt igitur
ait Apoſtolus, Deum nunc per ſpeculum & in ænig-
mate contemplantes, *multum de ipſo cognoſcimus, ſi ip-* F
ſum nobis incomprehenſibilem, in his quæ ex nihilo fecit
mirabilem, in ſeipſo credamus mirabiliorem. Hortando
quidem & inducendo ad fidem, modum Prologi excedere
viſus ſum, ſed ideo, quia fidem magis vidi neceſſariam ad
percipiendam veritatem Sacramenti, unde acturus ſum.
Nunc igitur primam portiunculam huius operis Deo an-
nuente expediam de veritate Dominici corporis, ſecun-
dam, de ipſius Sacramenti variis quæſtiunculis.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

QVIA à veræ fidei cognitione originalis delicti
cæcitate tenti, ad varios errores decideramus: ut Quod Deus Chriſti hominẽ ſuper omnia exaltavit.
inſtigante diabolo idololatriæ & peccatorum paſſioni-
bus deſervientes, ad mortem obſtinata mente tende-
remus; magna ſua gratia *Verbum* Dei *caro factum eſt, &*
habitavit in nobis: vt qui de ſuo erat incomprehenſibi-
lis, de noſtro nobis fieret cognoſcibilis, & de noſtro Ioan. 1.
quaſi è vicino fieret appetibilis dum germanæ carnis G
noſtræ gloriam in ipſo, *gloriam quaſi unigeniti à Patre,*
videremus: & ex ipſius iam quaſi coorig nalis gloriæ
viſibilibus ſignis, in inviſibilium amorem rapti, ad
vitæ æternæ patriam reduceremur. Dominicæ igitur
incarnationis opus, ſicut ipſi Deo præ cæteris omni-
bus operibus ſuis propriè proprium: ſic præ omnibus
operibus ſuis præcipuè fecit præcipuum: vt hominem
in unitate perſonæ ſuæ aſſumptum, & quaſi ex adiun-
cta divinitate deificatum ita glorificaret, ut non ſolum
hominibus, ſed & omnibus Angelicis ſpiritibus ado-
randum præferens, in dextera Dei patris collocaret.
Vnde Auguſtinus in libro contra Maximinum, ait
Apoſtolus: *Propter quod eum ſuperexaltavit, & dedit illi* Aug. l. 3. cap. 2.
nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu om- Phil. 2.
ne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.
Nec quærit is cui donaverit, vtrum homini an Deo.
Quomodo enim donaverit, evidenter apparet. *Hu-* H
miliavit, inquit, *ſemetipſum uſque ad mortem, mortem* Ibidem.
autem crucis. Propter quod & Deus ſuperexaltavit il-
lum, & donavit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen.
Nunquid antequam hoc fieret non erat altus filius
Dei, verbum Deus apud Deum: ſed poſteaquam pro-
pter hoc exaltatus eſt, quia factus eſt obediens uſque
ad mortem crucis, tunc cœpit eſſe altus filius Dei,
unicus Dei Deus: tunc cœpit habere nomen quod eſt
ſuper omne nomen? Quis hoc inſipientiſſimus dixe-
rit? Hoc ergo illi donatum eſt ut homini, ſecundum
quem factus eſt obediens uſque ad mortem crucis,
quod iam habebat idem ipſe filius Dei, Deus de Deo
natus æqualis. Item in eodem: Homini ergo donavit
iſta, non Deo. Neque enim cum in forma Dei eſſet, non Lib. 2. c. 5.
excelſus erat, aut non ei genua flectebant, cœleſtia,
terreſtria & inferna. Sed cum dicitur; Propter quod illũ

A exaltauit: ſatis apparet propter quid illum exaltauerit. In qua ergo forma crucifixus eſt, ipſa exaltata eſt, ipſi donatum eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt cum ipſa forma ſerui nominetur, vnigenitus filius Dei intelligatur. Item Auguſt. in tractatu Pſalmi octaui: *Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* (Pſal. 8.) Quandoquidem & opera manuum Dei ſunt Angeli, etiam ſuper Angelos conſtitutum accipimus vnigenitum filium: quem minutum paulò minus ab Angelis per humilitatem carnis generationis & paſſionis audimus & credimus. *Omnia*, inquit, *ſubiecisti ſub pedibus eius.* (Hucuſq. Auguſt.) (1.Cor.15.) Nihil excipit cum dicit omnia. Et ne aliter liceat intelligi, ſic Apoſtolus credi iubet, cum dicit: *Excepto eo qui ei ſubiecit omnia.* Nec mirum ſi filius hominis filio Dei vna perſona vnitus, ſicut participium diuini nominis, ſic etiam diuinæ gloriæ aſſequatur: vt exaltatus ſuper omnem creaturam, flexione genuum ab omnibus adoretur, & vnigenitus Dei per ipſum cui vnitus eſt nominetur. Cur enim hoc minus Deus faceret homini ſibi perſonaliter vnito: quam per eum facit anima corpori ſibi vnito. Confert enim participium nominis & naturæ quam habet: vt ab

B anima animatum viuat & ſentiat, quod ex ſe non habebat. Sed & ignis ferrum tranſuerberans, ignitum reddit: candoremque ſuum & calorem conferens, ipſum ſcintillare, flammeſcere & vrere contra ſuam naturam facit. Cum ergo ignis igniat, anima animet: quid Deus niſi hominem ſibi vnitum deificet, & ſuper omnem creaturam exaltatum, puritatis, omnipotentiæ, & Deitatis etiam prærogatiua ſecum glorificet.

CAPVT II.

(Quod quod in Chriſto exaltatũ eſt ſuper omnia, & in eo nobis effectũ donata ſunt, ſimilem etiam gloriam nos ſperare debeamus.)

SEd & vt certius in ſimili natura noſtra per gratiam Chriſti, ſperemus gloriam, nos eius fratres fecit, & illum, & cum illo omnia nobis donauit: vt dum Dominicum hominem in vnitate perſonæ Dei, credimus deificatum, non dubium ſit, quod mediante ipſius gratia, teſte Ioan. nobis eſt datum. Ait enim: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: qui ex Deo nati ſunt.* Vnde Auguſt. in ſecundo ſermone ſuper Ioannem: vt homines naſcerentur ex Deo primus ipſis natus eſt Deus. Noli ergo mirari ô homo quia efficeris per gratiam filius, quia naſceris ex Deo ſecundum verbum eius. Prius ipſum verbum voluit naſci ex homine, vt tu ſecurus naſcereris ex Deo. Reuera

C enim vt ſecuriores eſſemus in ipſo de conformitate & vnitate tantæ * gratiæ in humili noſtra natura, naturam carnis noſtræ ſibi vniuit Deus in eadem perſona: vt dum eam tam mirabiliter glorificatam videremus, de germanæ carnis noſtræ glorificatione non deſperaremus. (Rom. 8. Ioan. 1. * Gloriæ.) Quia igitur in hanc gratiam nos adoptare voluit vt qui nec ſerui fueramus, Dei faceret, & Chriſto cohæredes ordinaret: ipſum quem primogenitum in multis fratribus vnigenitum eſſe voluit, in quo erat plenitudo diuinitatis corporaliter, priuilegio omnis gratiæ non ad menſuram, ſed ſuper omnem creaturam inſigniuit: vt ipſe de Spiritu ſancto conceptus & Dei filius non renatus, ſed natus, nos in iniquitatibus conceptos, & ſeruos diaboli natos, per gratiam filios Dei renaſci faceret: & eos ſecunda natiuitate recolligens & immutans, ad ſuam gloriam

D proueheret, quibus prima ſua natiuitate omnimodis præcelleret. Vt ergo deificum Corpus Chriſti cuius eſſet potentiæ clareſceret, ſicut ſol vitrum ſine ſua vel illius læſione penetrat: ſic ipſum non phantaſticum, ſed verum virginis matris virginalia integra, integrum pertranſiens, nec ab eis diſſipatur, nec ea diſſipat. Res quidem ſtupenda & ineffabilis, ſed nobis non incredibilis, quia omnipotenti non impoſſibilis. Vnde Aug. cap. 101. ſuper Ioannem: (Tract. 91) Omnia quidem cæterorum miracula ſuperat quod eſt natus ex virgine, matriſque integritatem ſolus potuit nec conceptus violare nec natus. Vt autem ſic naſceretur

E Deus, illum decuit, nobis profuit: vt mundus natus nos mundaret, potenter natus infirmos roboraret. Suam enim munditiam, vt conformitate illa ſibi vniti placeremus, noſtram eſſe voluit: ne verò contra hoſtem ſæuiſſimum noſtra infirmitate deficeremus, ſuam potentiam noſtram fecit: vt dum ſua fortitudo promptior eſt nobis quam noſtra, per ſuam gratiam ſibi deuotiores: & dum fortior, per ſuam omnipotentiam contra hoſtem ſimus ſuperiores. Vt enim potentes non tamen omnipotentes creari potuimus per naturam: ſed modo dum omnipotens eſt fortitudo [noſtra], quaſi omnipotentes efficimur per gratiam. [Vnde] & Dominus in Euangelio: *Omnia poſſibili[a] [cr]edenti.* (Matt. 9.) Si ergo quia nobis omnia poſſibilia ſunt, [o]mnipotentes efficimur: quid Deo adiutore nobis nocet noſtra infirmitas, quæ & humilitatis auget meritum, & virtutis neſcit detrimentum? Quid enim fortitudinis ruſticus amitteret: ſi in cauſa ſua contra aliquem potentem Rex ei patrocinaretur vbi ipſe non poſſet? Vnde & Apoſtol. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* (Rom. 8.) Item in Pſalm. *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* (Pſal. 59.) Item Dominus in Euan-

F gelio: *Confidite, quia ego vici mundum.* (Ioan. 16.) Quod cur diceret, niſi illa ſua victoria, noſtra eſſet? Vnde Auguſtin. in ſermone de natali Martyrum: *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam & cum illo omnia nobis donauit?* (Rom. 8.) Quando ipſum nobis donauit, cum illo nobis omnia donauit. Terret te fremitus mundi, cui donatus eſt artifex mundi? Chriſtum nobis donatum eſſe gaudeamus, nullos in hoc ſæculo inimicos timeamus. Quicquid ergo potentiæ ſuæ naſcendo, ſeu infirmos curando, mortuos ſuſcitando, ipſe à mortuis reſurgendo, cælos aſcendendo, monſtrauit, nobis fecit: vt ad roborandam infirmitatem noſtram & ſalutem conferendam potens crederetur & eſſet, & illuc non deſperaret caro peruenire, quo carnem cognouerat aſcendiſſe. Vnde Auguſtinus in ſermone vndecimo de verbis Euangelij: Serpentis aſtuta pernicies; vt laude Chriſti te auertat à Chriſto, doloſe prædicat, quem vituperare non audet: exaggerat maieſtatem eius, vt ſingularem faciat: ne tu ſperes tale aliquid, quale in illo reſurgente monſtratum eſt. Excita ergo fidem & dicenti, Chriſtus ſolus potuit, nos non poſſumus, reſponde, & dic, Ideo Chriſtus potuit, quia Deus. Reſpondebit ille: Vtique quia Deus. Dic & tu: Et quia Deus, quia omnipotens, cur deſperabo quod poterit & in me, quod demonſtrauit in ſe

G propter me? Reuera enim quia, vt ait Eſaias, *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, (Cap. 9.) & cum illo vt dictum eſt, omnia, quicquid in homine geſſit propter nos fecit, quum ipſe habens omnia, nobis datus eſſet, in ipſo tam abundanti dono, nihil ad ſalutem pertinens nobis deeſſet: ſed etiam in hac vita, vt ait Apoſtolus, Deus omnia in omnibus eſſet. Vt igitur hoc patenter nobis conſtaret, ne vllatenus de ſua gratia diffideremus, doctrinis, exemplis, Sacramentis, promiſſionibus, beneficiis, dilectionem ſuam nobis commendans, & noſtram excitans, fragilitatemque roborans, pietatis affectu ſe nobis patrem vocari & eſſe voluit, quæcunque in nomine ſuo peteremus ſe daturum promiſit: & quia originaliter & miſerabiliter ſerui eramus hoſtis noſtri, hoſtes autem

H Dei patris noſtri, eadem natura qua perieramus maiori noſtro honore, maiori hoſtis confuſione nos reparans, ad ſoluendum pro nobis Adæ debitum, ipſe nihil ex ſe debens: noſter vicarius extitit: & vt nos liberos & ſecuros ab hoſte redderet, pro voluptate cibi vetiti Adæ oblata, facultatem ſanguinis ſui voluntati eius permiſſam recompenſans, hoc precio nos ita redemit, vt quia Dominus à nequam ſeruo ſuo iniuſtè vita ſpoliatus eſt ipſum iure ſuis omnibus (nobis ſcilicet) ſpolians, & quia nos captiuauerat, captiuans, ſimpla morte ſua duplã noſtram, triduanã æternã auferret: eiuſdemque mortis pœna ſibi indebita, Adæ peccatum,

A quod inultum eſſe non poterat, luens, patris iram pro nobis ſatisfaciendo placaret, pœnamque ſine fine nobis debitam relaxaret: & [quia ipſi patri ſolus ab origine mundi plenam obedientiam vſque ad mortem ſeruando de hoſte ſuo triumphauit, hoc ſingulari ſuo merito, in ipſo homine, quo mortem pertulit, ſuper omnia, vt dictum eſt, exaltatus, nos patris gratiæ reconciliatos, de ſeruis diaboli faceret filios Dei: baptiſmi Sacramento regenerans & ſpiritu adoptionis filiorum cor fidelium mundans illuminans & roborans, ac variis chariſmatibus ornans.

CAPVT III.

B *Quod maiorem tamæ gratiæ certitudinem ipſum caput noſtrum Deus, nos mẽbra ipſius ita conſtituit, vt nos corpus eius cum ipſo capite dicamur, Chriſtus Sacramẽto & veritate corporis ſui nos ſibi vniens, & incorporans.* *Hilar.*

AD vltimum etiam ne aliquid in ipſo nobis alienum videatur aut arduum, ita verè & perfectè communicauit nobis ſeipſum, vt viſibiliter etiam corporis & ſanguinis ſui mirifico Sacramento, Eccleſiam ſibi vniens & concorporans tanta gratia inſigniret, ipſe caput eius, & ipſa eſſet corpus ſuum, non nomine tenus tantum, ſed in veritate ſui corporis, verè ſibi concorporatum: vt in illo nullius gratiæ nobis eſſet divortium, cum quo nos ſolidaret tam vnicæ vnitatis Sacramentum: certumque eſſet hoc pacto nos cum ipſo per ipſum, in vita æterna, ſimilem dignitatis obtinere gloriam, ſi cum ipſo per ipſum, in hac vita ſimilem innocentiæ ſeruare voluerimus gratiam: maximè cum ipſe moriturus, ſub ipſius ſacroſancti ſanguinis ſui novo teſtamento, cui, vt ait Apoſtolus, ſuperordinari aut mutari nefas eſt, vitæ æternæ pactum nobis aſſignaverit, & ipſe à mortuis reſurgendo, in ſe capite noſtro, quomodo corpus ſuum glorificare deberet oſtenderit. Non enim eſſet miſericordiæ Dei, & iuſtitiæ condignum, ſi eos repelleret à regni ſui conſortio, quibus tam familiariter vniri dignatur in mundi exilio, eiſque honoris viciſſitudinem non rependeret in manifeſta viſione ſuæ maieſtatis, à quibus dignè ſuſceptus & adoratus eſt in occultis & peregrinis ſacramentorum ſuorum figuris. Quomodo etiam ibi fieret diverſum quod hic factum eſt vnum? Vnde Hilarius in libro octavo de Trinitate: Si verè verbum caro factum eſt, & verè nos verbum carnem
C factum cibo dominico ſumimus: quomodo non naturaliter in nobis manere exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes vnum ſumus: quia in Chriſto pater, & Chriſtus in nobis vnum in his nos eſſe faciunt. Si ergo nos verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis: naturalis per ſacramentum proprietas, perfectæ ſacramentum eſt vnitatis. Ideoque ſancti caput Eccleſiæ Chriſtum, Eccleſiam membra vel Corpus Chriſti dixerunt, ipſamque cum ipſo capite ſuo Chriſtum. Vnde Auguſt. in libr. de *Rom. 12.* Trinitate: *Sicut corpus vnum eſt*, inquit, *& membra habet multa*, ita & Chriſtus. Non dixit: ita & Chriſti ſed, ita & Chriſtus: oſtendens Chriſtum rectè appellari etiam vniuerſum, hoc eſt, caput cum corpore ſuo, quod eſt Eccleſia. Et multis ſcripturarum locis invenimus Chri-
D ſtum etiam hoc modo appellari, vt cum omnibus membris intelligatur, quibus dictũ eſt: *Vos eſtis corpus Chriſti* *1 Cor. 12.* *& membra.* Vnde idem Auguſtinus admirans in ſermone 26. ſuper Ioannem ait: In corpore eſto Chriſti. Non poteſt viuere corpus Chriſti niſi de ſpiritu Chri-
1. Cor. 10. ſti. Inde eſt quod exponens nobis hunc panem Apoſtolus: *Vnus panis*, inquit, *vnum corpus multi ſumus.* O ſacramentum pietatis, ô ſignum vnitatis, ô vinculum charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, viuat in Deo. De Deo incorporetur, vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum quod reſecari mereatur: hæreat corpori, viuat

E Deo de Deo. Item Aug. in tr. Pſ. 130. loquens Apoſtolus de membris Chriſti, non ait, ſic & membra Chriſti, ſed totum hoc quod dixit Chriſtum appellauit. Multa *1. Cor. 12.* membra vnum Corpus Chriſtus. Ergo ſimul omnes cum capite noſtro Chriſtus, ſine capite noſtro nihil valentes. Item idem in ſermone 111. ſuper Ioannem: Quomodo dilectio qua dilexit pater filium eſt in nobis, niſi quia membra eius ſumus & in ipſo diligimur, cum ipſe diligitur totus, id eſt, caput & corpus? Ideo ſubiunxit: *Et ego in ipſis*: tanquam diceret: Quoniam ego ſum, & in ipſis. Aliter enim eſt in nobis tanquam in templo ſuo: aliter autem nos in eo, quia & nos ipſe ſumus, cum ſecundum id quod vt caput noſtrum eſſet homo factus eſt, corpus eius ſumus. Item idem in tractatu Pſalm. 142. Omnia au- *Rom. 12.*
F tem membra corporis cum ſint multa, vnum eſt corpus: ita & Chriſtus: Non, ait, ita Chriſtus & corpus: *Actor. 9.* ſed corpus vnum membra multa, ita & Chriſtus: Totum ergo Chriſtus. Et quia totum Chriſtus, ideo caput de cœlo, *Saule, Saule*, inquit, *quid me perſequeris?* Item in eodem: Tenete hoc, & fixum omnino mandate memoriæ, vt agnoſcatis Chriſtum caput & corpus, & inde videatis quanta gratia ad Deum pertineatis, vt ipſe voluerit nobiſcum eſſe vnus, qui eſt cum patre, vnum. Quomodo cum patre vnum? *Ioan. 10.* *Ego & Pater vnum ſumus.* Quomodo nobiſcum vnus? *Non dicit, & ſeminibus quaſi in multis, ſed tanquam in vno & ſemini tuo qui eſt Chriſtus.* Sed ait aliquis: Si Chriſtus ſemen Abrahæ, nunquid & nos. *Galat. 3.* Mementote quia ſemen Abrahæ Chriſtus: ac per hoc ſi & nos ſemen Abrahæ, ergo & nos Chriſtus: Et poſt pauca: *Erunt duo in carne vna.* Apoſtolus dicit, *Epheſ. 5.* Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in *Geneſ. 2.* Chriſto & in Eccleſia. Chriſtus & Eccleſia, duo in carne vna. Hæc autem vnitas capitis noſtri & corporis Eccleſiæ, quomodo in ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti communicando per geminam dilectionem Dei & proximi ſolidetur & confirmetur, ait ipſe: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſan-* *Ioan. 6.* *guinem, in me manet, & ego in eo.* Vnde ſanctus Auguſtinus in ſermone 27. ſuper Ioannem: Signum quia manducauit & bibit, hoc eſt, ſi manet, & ma-
G netur. Si habitat & inhabitatur, Si hæret, & non deſeritur. Hoc ergo nos docuit & admonuit myſticis verbis, vt ſimus in eius corpore ſub ipſo capite in membris eius, edentes carnem, eius, non relinquens vnitatem eius. Quæ vnitas vera Dei dilectione ſeruatur, vt corpus ſuum corpori ſuo, id eſt, nobis vniatur. Vnde Auguſtinus in ſermone de ſacramentis fidelium feria 2. Paſchæ. Quia paſſus eſt pro nobis, commendauit nobis in iſto ſacramento corpus & ſanguinem ſuum, quod etiam fecit nos ipſos. Nam & nos corpus ipſius facti ſumus: & miſericordia ipſius quod accipimus, nos ſumus. Quia igitur corpus Chriſti ſumus, qui corpus Chriſti accipimus: non ſolum capiti per dilectionem: ſed etiam cum membris noſtris invicem vniri debemus. Vnde idem in ſerm. 26. ſuper Ioannem, Petra Chriſtus in ſigno, verus Chriſtus in carne & verbo. *Hic eſt ergo panis* *Ioan. 6.* *de cælo deſcendens: vt ſi quis manducauerit ex ipſo, non moriatur.* Sed quod pertinet ad virtutem ſacramenti, non quod pertinet ad viſibile ſacramentum, qui manducat intus, non foris: qui manducat corde, non
H qui premit dente. Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia. Huius rei ſacramentum, id eſt, vnitatis Corporis Chriſti de Dominica menſa ſumitur, aliquibus ad vitam, aliquibus ad exitium. • Res verò ipſa cuius ſacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium quicunque eius particeps fuerit. Virtus enim & res ſacramenti eſt vt invicem ſe diligendo, de vnitate corporis Eccleſiæ ſint quicunque de eo participantur, quod nulli eſt ad exitium, ſed omni credenti ad ſalutem: quicunque tantæ ſocietatis, conformante & vnitate Chriſto,

A

* volue-rit.

verè particeps eſſe * potuit. Vnde idem Auguſtinus in ſermone de ſacramentis fidelium: Ad aquam veniſtis, conſperſi eſtis, panis Dominicus facti eſtis. Quomodo vnum videtis eſſe quod factum eſt: ſic vnum eſtote vos diligendo vos. Hæretici quærunt diviſionem: cum panis iſte non indicet niſi vnitatem. Sic & vinum in multis racemis fuit, & modo in vnum eſt. Quia igitur corpus Chriſti ſumus, & Chriſtus ſumus, ita vt etiam in altari eodem ſacramento ſignemur, cum panis Dominicus corpus Chriſti ſit in ſeipſo, & corpus Chriſti in Eccleſia mirabili vnitatis gratia nos ad ſe pertinere voluit, cum myſterium noſtrum ſicut & ſuum in ſacramento altaris, ne moriamur, ſumere nos conceſſit: ita vt etiam myſterium ſuum in veritate corporis ſui ſumptum nulli proſit, niſi myſterium noſtrum, ſocietatem ſcilicet Eccleſiaſticam eodem aſſumpſerit: quia ſicut caput non eſt vitale ſine corpore, ſic Chriſtus nulli vitam confert ſine vnitate corporis Eccleſiæ.

B

Sed nec myſterium noſtrum vllatenus in ſacramēto corporis Chriſti ſit ſine ſuo, vt ſicut per dilectionem vnum ſumus inuicem, ſic & plus etiam cum eo: quatenus ſicut ipſe in nobis, ſic & nos maneamus in ipſo: quia cum à corpore ſuo, ſit indiviſus, nec in ſacramento ſuo veraciter ſumi dicitur Chriſtus, niſi ſumatur vniverſus, ſuo & noſtro myſterio nobis incorporatus.

1. Cor. 11.

Vnde Auguſtinus in ſermone de ſacramento, Apoſtolum audi dicentem: *Vos eſtis corpus Chriſti & membra.* Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra: myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum eſt, myſterium veſtrum accipitis: ad id quod eſtis, Amen, reſpondetis. Eſto membrum corporis Chriſti, vt verum ſit Amen tuum. Quare ergo in pane? Recolite quia panis non fit de vno grano, ſed de multis. Quando exorcizabamini, quaſi molebamini. Quando baptizati eſtis, quaſi conſperſi eſtis. Quando ſpiritus ſanctificationem accepiſtis, quaſi cocti eſtis. Eſtote quod videtis, & accipite quod eſtis. Sic & de vino fratres recolite. Grana

C

multa pendent in botro, ſed liquor granorum in vnitatē confunditur. Ita Dominus Ieſus Chriſtus nos ſignificauit, ad nos pertinere voluit, myſterium pacis & vnitatis noſtræ, in ſua menſa cōſecrauit. Qui accipit myſteriū vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſterium pro ſe, ſed teſtimonium accipit contra ſe. Quia igitur per vnitatem ſpiritualem, ita concorporales & conſacramentales ſumus Chriſto, vt ſimilitudine prædicta dicamur panis Dominicus, dicamur etiam corporis Chriſti cibus, & ſanguinis eius potus: quia ſcilicet ſicut cibus & potus temporalem vitam, ſic vnitas Eccleſiæ confert æternam: ideo ſancti eandem vnitatem vocant virtutem & rem ſacramenti; rem, quia ab eo ſignificatur, virtutem, quia effectum divinæ gratiæ cum Chriſto maxime operatur: quamvis Chriſtus vt caput noſtrum virtus principalis & res ſacramenti ſit ſubſtantialiter & verè, ſocietas verò & vnitas Eccleſiaſtica, figurate. Non igitur errorem generet quod ſancti aliquando de corpore Chriſti, aliquando per ſe loquuntur de corpore Eccleſiæ in eodem ſacramento: quia etſi in vnitate & effectu ſalutis

D

vtriuſque corporis eſt ſimilitudo in eminentia dignitatis, in veritate ſubſtantiæ, ſoli capiti noſtro Chriſto ſervanda eſt ſuæ ſingularitatis ſumma diſcretio.

Philipp.

Quamvis enim hoc ſacramento reformet corpus humilitatis noſtræ etiam in hac vita *configuratum corpori claritatis ſuæ:* non tamen nos vſque adeo ſuperextendere debemus, vt quantumcunque nos ſua humanitate vel ſimilitudine exaltet, vſque ad eius dignitatem pertingere præſumamus: ſed ſic ſuſcipiamus miſericordiam ſuam in medio templi ſui, vt vſque in fines terræ ſit laus ſecundum nomen eius. Ipſe enim eſt caput corporis Eccleſiæ, non vnitate perſonæ, ſed gratiæ.

CAPVT IV.

E

Quid ſit ſacramentum, & quot modis accipiatur.

QVia igitur hoc ſuo ſacramento Chriſtus Eccleſiam ſuam vnit ſibi & concorporat: de veritate eius & virtute, quaſi de re ineffabili, quantum Deus dederit, diſſeramus: ſi tamen prius quid ſacramentum ſit diſcutientes, quomodo figura à veritate rei quam ſignificat, diſcernenda ſit, oſtenderimus. Auguſt. in 10. libro de Civitate Dei: Sacramentum viſibile, inviſibilis rei ſacramentum eſt: id eſt, ſacrum ſignum. Item Auguſt. in 2. de doctrina Chriſtiana: Signum eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cognitionem venire. Item alibi: Sacramentum eſt inviſibilis forma. Sciendum autem quod ſacramentum & myſterium in hoc differunt: quia ſacramentum ſignum eſt viſibile aliquid ſignificans, myſterium verò aliquid occultūm ab eo ſignificatum.

F

Alterum tamen pro altero ponitur, vt ſuperius dictum eſt: myſterium veſtrum accipitis: vt ſit myſterium occultans & occultum, & ſacramentum, ſignans & ſignatum.

Hom. 5.

Vnde Maximus in quadam homilia Epiphaniæ, Myſtica eius nativitas ſempiterno gaudio & terram lætificauit & cœlum. Hunc ergo regem * cœleſtium, hominumque rectorem ſub carnis myſterio venientem, impius tremit Herodes.

* Cœli-um.

Nec ſolummodo ſacramentum pro alterutro, id eſt, vel pro ſigno vel pro ſignato invenitur: ſed etiam pro vtroque.

Ioan 1. Rom. 13.

Sicut cum dicitur: *Verbum caro factum eſt,* caro pro carne & anima. Itemque, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:* anima pro carne & anima accipitur. Nec mirum, ſi ſacramentum pro ſacramento & re ſacramenti ſæpius ponitur: quia & corpus Chriſti pro ſacramento & corpore Chriſti invenitur. Auguſtinus de ſacramentis altaris: Corpus Chriſti, & veritas & figura eſt. Veritas, dum corpus Chriſti & ſanguis, virtute ſpiritus in verbo ipſius, ex panis vinique ſubſtantia efficitur. Figura

G

verò eſt, id quod exterius ſentitur. Sciendum etiam quod ſacramentum in ſacris codicibus non ſemper pro ſacro ſigno, ſed ſacramentum aliquando iuſiurandum, aliquando res ſacrata accipitur. Vnde Ambroſius in libro ad Gratianum apparuiſſe dicit hominibus vnigenitum patris per ſacramentum aſſumpti hominis, quaſi diceret: per hominem quem ſibi ſacravit, quia homo non ſignum, ſed potius occultatio divinitatis fuit.

CAPVT V.

Quod viſibile ſacramentum panis & vini, nuncupative dicatur corpus Chriſti.

QVia igitur ſancti ſacramentum pro ſacramento & re ſacramenti, & corpus Chriſti pro veritate & figura indifferenter vſurpant: ne errorem generent, quid in pane Dominico ſacramentum, & quid corpus Chriſti verè & propriè ſit, diſcernamus. Formam panis & vini & cæteras elementorum remanentes & viſibiles qualitates, ſacramentum tantummodo verè dici & eſſe: ſubſtantiam autem illam inviſibilem, quæ ipſo ſacramento operta eſt, & in quam panis & vini

H

ſubſtantia tranſlata eſt, verè & propriè dici & eſſe corpus Chriſti teſtatur Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi, ita ea diſcernens: Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, ſacrificiū Eccleſiæ duobus confici, duobuſque conſtare: viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine: Sacramento & re ſacramenti, id eſt, Chriſti corpore: ſicut perſona Chriſti conſtat & conficitur ex Deo & homine, cum ipſe Chriſtus verus Deus ſit & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur.

Sacrificiū Eccleſiæ duobus conficitur, duobuſque conſtat.

Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ duobus, ſacramento & re ſacramenti, id eſt, Chriſti corpore. Quæ ergo duo eſſe approbat, viſibile ſcilicet ſacramentum & inviſibilem rem ſacramenti non vnum & idem, ſed aliud & aliud eſſe demonſtrat. Vnde item Auguſtinus in ſermone de verbis

A

Domini: Quod videtis in altari, panis & calix eſt, quod etiam vobis oculi veſtri renunciant: quod autem fides poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus, calix eſt ſanguis. Et paulo poſt. Iſta fratres ideo dicuntur ſacramenta: quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Quia igitur aliud eſt corporale quod videtur, aliud ſpirituale quod intelligitur: aliud ergo eſt ſacramentum quam res ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti. Item Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi. Caro eius eſt quam forma panis opertam in ſacramento accipimus. Non dicit ergo formam panis eſſe carnem Chriſti vel formam: ſed operimentum carnis Chriſti. Vnde etiam in fine cuiuſdam Miſſæ oratur & dicitur: Perficiant in nobis Domine quæſumus ſacramenta tua quod continent: vt quod nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus.

Sabbato quatuor temporũ Septembris.

Poſtulat quippe ſacerdos vt corpus Chriſti quod ſub ſpecie panis & vini nunc geritur: manifeſta viſione, ſicuti revera eſt, quandoque capiatur. De qua viſione Dominus in Evangelio ſecundùm Ioannem: *Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Et de hoc eodem ſacramento legitur in paſſione beati Dionyſij: qui dum ſacrum myſterium celebraret in carcere, apparuit ei Dominus, dansque illi ſancta dixit: Accipe hoc chare meus, quod mox complebo tibi vna cum patre meo. Ac ſi diceret: Quod tibi do modo in viatico, non mutabo in præmio, vt dem aliud: ſed id ipſum complebo, meipſum manifeſtans.

B

Ioan. 14

Dionyſius.

Cum igitur ſacerdos dicat ſacramenta non corpus Chriſti eſſe, ſed in ſe continere, nec etiam ipſius corporis veram formam, ſed tantummodo ſimilitudinariam ſpeciem & figurativam illius quod in rerum veritate, id eſt, in vera ſuæ claritatis ſpecie capere deſiderat: quod etiam Dominus beato Dionyſio non perfectum eſſe in hac vita, ſed in alia complendum aſſeuerat, quomodo ſacramenta quæ viſibilia & mutabilia ſunt, erunt verum corpus eius, vel vera ſpecies corporis illius, in quo poſt reſurrectionem inviſibilis & immutabilis eſt Chriſtus? Vnde Auguſtinus contra Fauſtum: Quid enim aliud ſunt quæque ſacramenta corporalia, niſi quaſi quædam verba viſibilia, ſacroſancta quidem, & tamen mutabilia & temporalia? Abſit ergo vt tranſitoria ſpecies panis & vini, ſit vera ſubſtantia vel vera ſpecies immutabilis corporis Chriſti. Sed ſi aliquando dicitur corpus Chriſti, nuncupativè & non verè oportet intelligi.

Lib. 19. cap. 16.

C

Epiſt. 23.

Vnde Auguſtinus ad Bonifacium: Si ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſacramenta ſunt non haberent, omnino ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quendam modum, ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ſic ſacramentum fidei fides eſt. Ac per hoc parvulus qui non habet fidei affectum, reſpondetur credere, & fidem habere, propter fidei ſacramentum. In quo notandum eſt, ſacramentum corporis Chriſti, ſecundum quemdam modum, id eſt, ſimilitudinariè & nuncupativè, non propriè corpus Chriſti vocari, quantum ad elementorum ſpeciem & formam: quod tamen verè & propriè corpus Chriſti vocatur & creditur, quantum ad ſubſtantiam quam continet, & in quam panis & vini ſubſtantia converſa eſt.

D

Euſeb.

Vnde Euſebius Emiſſenus: Verè vnica & perfecta hoſtia fide æſtimanda non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu. Cum enim exterius non videatur niſi ſpecies panis, interius creditur veritas Dominici corporis: Et vt ait Auguſtinus ſanguis Chriſti eſt, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus.

Lib. ſententiarũ Proſperi.

CAPVT VI.

Quod Chriſtus

QVamvis autem ſacramentum ſuperius à re ſacramenti, tanquam figura à veritate, ſatis diſtinctum ſit: errantes tamen quidam de quibuſdam ſanctorum verbis, dicunt ita perſonaliter in pane impanatum Chriſtum, ſicut in carne humana perſonaliter incarnatum Deum. Quæ hæreſis quia nova & abſurda eſt: rationibus & authoritatibus, provt Deus aſpiraverit, radicitus eſt extirpanda. Ex quadam enim ſimilitudine beati Auguſtini in libro ſententiarum Proſperi, ſuam ſumunt & defendunt hæreſim, qua dicit: Sacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobuſque conſtare: ſicut perſona Chriſti conſtat & conficitur ex Deo & homine. Dicunt enim male ſubaudiendo, ita perſonaliter ſacrificium Eccleſiæ, id eſt, Chriſtum in altari ſacrificatum, duobus conſtare in eadem perſona, ſicut perſona Chriſti conſtat ex Deo & homine.

E

in pane ſacram. E- tali non ita perſonaliter ſit impanatus, vt in carne incarnatus. Hæc cõtra Lutheranos.

Si autem opponitur illis, quod illa elementorum ſpecies non ſit cum Chriſto vna perſona, ſed tantum ſacramentum eius, myſterium & figura: nec ſic deſiſtunt, dicentes quia ita dicit beatus Ambroſius ad Gratianum, ſicut dicitur ſacramentum aſſumpti hominis, ſic dicitur ſacramentum Dominici corporis. Et beatus Maximus, Deum ſub carnis myſterio venientem: Itemque in multis ſcripturis dicitur Deus opertus humana forma vel figura, ſicut Chriſtus in altari, panis forma vel figura.

F

Qui error nulla quidem ſanctorum authoritate aſtruitur, ſed ex indifferenti & impropria vſurpatione nominum vel ſimilitudinum concipi videtur: quare de ſacramento & re ſacramenti ita loquuntur, vt pravè intelligentibus: quaſi vnum quid accipiantur. Sed cùm dicitur: Corpus Chriſti eſt veritas & figura, nunquid pro vna perſona accipiendum eſt, ſicut cum dicitur, homo eſt corpus & anima? Similis quidem eſt grammatica, ſed non ſimilis intelligentia. Non enim dicitur quòd hæc duo ſint in corpore Chriſti perſonaliter vnum facta: ſed ita æquivocè dicitur corpus Chriſti veritas & figura, quaſi de vero homine & picto diceretur, homo dicitur homo verus & pictura: quamquam familiarior ſit figura panis cum veritate corporis Chriſti, quam pictura cum homine: cùm non ſolum repræſentet vt ſacramentum, ſed ipſum contineat, & ſubſtantialiter converſus ſit in ipſum. Item non omnifaria ſimilitudo accipienda eſt, qua dicit Auguſtinus ſacrificium Eccleſiæ ita conſtare duobus, ſicut perſona Chriſti duobus conſtat: cùm non vtrobique perſonalis vnitatis contulerit ſimilitudinem, ſed qualiter tantum vtraque duobus conſtent fecerit collationem.

Error impanatorum nullis authoritatibus fulcitur.

G

Sed item opponunt, quia ita dicitur Chriſtus aſſumere ſpeciem vel formam panis in altari, ſicut verbum Dei ſpeciem vel formam carnis in vtero virginali: & ſicut verbum fit caro, ſic panis fit eadem caro. Sed nunquid vel ſic vincent, qui confuſione ſimilitudinum pervertere quærunt Dei veritatem? Revera enim verbum fit caro, & panis fit eadem caro: ſed longè diverſo modo. Verbum fit caro, & naſcitur caro de carne, aſſumendo carnem, non mutatum in carnem: ſic factum quod non fuerat, vt non deſiſteret eſſe quod erat. Panis autem fit eadem caro, non naſcitur caro, nec aſſumit carnem, ſed mutatur in carnem: ſic factus quod non erat, vt deſiſtat eſſe quod fuerat: pulchra ſpe noſtra pulchroque myſterio: vt in corpus Chriſti traiici non deſperet rationalis natura, in quod traiicitur & bruta: ſi deſiſtat eſſe quod ex ſe male fuerat, & ſit in Chriſto quod bene non erat.

H

Quòd autem panis non naſcitur, teſtatur Auguſtinus contra Fauſtum: Panis & calix non qualibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Proinde quod ita non fit, quamvis ſit panis & calix, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis: niſi quod benedicimus, gratiaſque agimus Domino in omni eius munere, non ſolum ſpirituali, verum etiam corporali. Cum ergo panis myſticus non naſcatur, nec aliqua naturæ origine vel conditione in hoc divinæ gratiæ ſacramento creatur, ſed ita corpus Chriſti fiat, vt panis eſſe peſinat:

quomodo

A quomodo res quæ iam non eſt vel ipſa alicui, vel aliquid ei imperſonari poteſt? Sed quomodo Chriſtus in pane, qui iam non eſt: impanari, dicitur, quum Chriſtus in panem nec convertatur, nec aliquatenus panis fiat: ſed econverſo, panis in corpus Chriſti fiat, ita vt panis non remaneat? Non enim ita ſumere dicendus eſt in altari ſpeciem vel formam panis: ſicut in vtero virginali ſpeciem vel formam carnis: quum in vtero ſumpſerit ſpeciem vel formam cum ſubſtantia: in altari verò ſpeciem vel formam panis mutata & non permanente ſubſtantia. Quum enim dicitur ſpecies vel forma panis & vini: hæc illarum rerum ſunt vocabula, quæ ante fuerunt, ſcilicet panis & vini. Panis enim & vinum in ſacramento iam non ſunt, ſed ante fuerunt. Quam igitur in ſacramento Chriſti poſſunt creare novam perſonam, in quo nec antiquam ſuam retinent ſubſtantiam? Vnde notandum eſt, quum divina pagina corpus Domini panem vocat, non ſubſtantialiter, ſed myſticè & figuratè dici: vel quia ex eo conficitur, eiuſque nonnullas retinet qualitates, vel quoniam animam paſcit, eique vitæ æternæ miniſtrat ſubſtantiam vel quoniam panis eſt Angelorum. Solent enim ſcripturæ quaſlibet res vocare nominibus illarum rerum ex quibus fiunt: vt cùm dicitur homini, quid ſuperbit terra & cinis, cum homo non ſit cinis, ſed ex cinere factus: ſeu quæ putantur eſſe & non ſunt, vt cum legitur Abraham vidiſſe tres viros, cùm eſſent Angeli: ſeu ſimiles aliquo modo exiſtunt, vt cùm Deus dicitur leo propter fortitudinem: Sic igitur corpus Domini panis vocatur, vel quia, vt dictum eſt, ex pane conficitur, vel quia intuentium oculis, cum ſit caro, panis videtur: vel ea ſimilitudine qua ſicut panis materialis carnem, ſic ipſe ſpiritualis alit mentem. Sed opponunt, quia ſicut verbum aſſumpſit veram ſpeciem carnis cum ſubſtantia, ſic Chriſtus in altari veram ſpeciem panis cum ſubſtantia. Cùm enim dicat Auguſtinus in ſermone de verbis Domini: Quod videtis in altari, calix & panis eſt, quod etiam vobis oculi veſtri renunciant: teſtimonio oculorum veritatem panis aſtruere. Quòd autem ſubſequenter ait: panis eſt corpus, calix eſt ſanguis, vnitatem perſonalem mentiuntur, quamvis ipſis ſenſibus corporeis per omnia credendum non ſit: vt cum oculi in aqua remum fractum putant, vel longinquitate victi, quod magnum eſt parvum renunciant, vel obſcuritate aliud quàm ſit, vt Maria in tenebris Ieſum hortulanum, & diſcipuli nocte ſuper mare ambulantem phantaſma æſtimant. Sed quæ perfectio poſſit eſſe humani viſus, cum ad ea penetranda, quæ ſuperficietenus videt, lynceis oculis non æquetur? Quis ergo dubitet de veritate corporis & ſanguinis Domini, quæ ſpiritualiter creditur: quicquid ſenſus corporei de ipſo vel forma, vel ſapore extrinſecus mentiantur? Non minus verè erat Chriſtus cum Maria putaret hortulanum: quàm cum recognovit eum.

Subſtantia panis non remanet in Euchariſtia.

B

Corpus Chriſti cur panis vocatur.

Gen 18.

C

D

CAPVT VII.

Quòd remanentibus qualitatibus ſuis ſubſtantia panis & vini in verum corpus Chriſti mutetur.

SEd iterum, teſte Beato Ambroſio, vbi ait ſermonem Chriſti operatorium eſſe, vt panis & vinum ſint quæ erant, & in melius commutentur: videtur aſtruere vt ſint ſubſtantialiter quæ erant, & in aliud mutentur. Quod tamen tolerabiliter dictum eſt, niſi à pravo interprete intolerabiliter exponatur. Si enim intelligatur vt panis & vinum ſint quæ erant non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum formam & cæteras ſuas qualitates ibidem remanentes, & ſecundum ſubſtantiam, in aliud mutentur: quamvis aliquantulum impropriè, tamen tolerabiliter & verè dictum erit. Et revera ne ſuis & cæterorum ſanctorum authoritatibus contradicat, ita neceſſariò eſt exponendum. Quicquid enim mutatur aliud, in aliquo deſinit eſſe quod fuerat: ſive ſubſtantialiter, ſive accidentaliter. E Sed in pane & vino cum in corpus Chriſti mutantur, accidentia eſſe non deſinunt, ſed omnia remanent: ergo panis & vini ſubſtantia eſſe deſinit. Quia igitur ſanè expoſitum eſt vt ſint quæ erant ſecundum viſibilem ſpeciem remanentem, & mutentur ſecundum interiorem eſſentiam ineffabiliter: vt & inviſibili ſacramento vera probetur elementorum ſpecies eſſe quæ fuerat, interius ſubſtantia eorum mutari in melius quod prius non fuerat: vt videamus beatum Ambroſium ſibi vel aliis ſanctis non eſſe contrarium, verba ſua in ordine ſuo ponamus. Ait enim in libro de ſacramentis: Tu fortè dicis, Meus eſt panis vſitatus. Sed panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Ergo Chriſti ſermo hoc conficit corpus. Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant: quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in melius commutentur? Ergo, vt tibi reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, iam corpus eſt Chriſti, ipſe dixit & factum eſt, ipſe mandavit & creatum eſt. Ergo didiciſti quòd ex pane fiat corpus Chriſti, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis. In quo notandum eſt Beatum Ambroſium comparatione à maiori ita vſum: vt quando quidem Deus de nihilo fecit ſubſtantiam & formam, multo magis altera manente, in melius mutare poſſit alteram. Vnde idem in eodem: Antequam conſecratur, panis eſt: vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Et ante verba Chriſti calix eſt vino & aqua plenus: vbi autem verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis Chriſti efficitur, qui plebem redemit. Ergo vide quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniverſa convertere. Deinde ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis quòd corpus ſuum accipiamus & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Item Euſebius Emiſſenus. Nec dubitet quiſquam primarias creaturas, nutu potentiæ, præſentia maieſtatis in Dominici corporis tranſire poſſe naturam: cum ipſum hominem videat artificio miſericordiæ cœleſtis, Chriſti corpus effectum. Sicut autem quicunque ad fidem veniens ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his verò commemoratis, mox exuitur omni fæce peccati: ita benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ, ſacris altaribus imponuntur, & antequam invocatione ſummi nominis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis eſt Chriſti. Quid autem mirum eſt, ſi ea quæ potuit verbo creare, verbo poſſit creata convertere? Imò iam minoris videtur eſſe miraculi: ſi id quod ex nihilo condidiſſe agnoſcitur, iam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei poſſit eſſe difficile, cui facile fuit viſibilia & inviſibilia voluntatis imperio ſuſcitare: cui facile fuit hominem de limi materia figuratum, imaginem etiam ſuæ divinitatis induere, corpus humanum conforme corpori ſuæ claritatis reddere. Item Auguſtinus in Homiliis: Ante verba quando offertur, panis dicitur: vbi verba Chriſti deprompta ſunt, iam non eſt panis, ſed corpus Chriſti appellatur. Quia ſancti dicunt, quòd poſt conſecrationem iam non eſt panis, ſed corpus Chriſti, nihil omnino de pane in ſacramento remanſiſſe aliqui autumant: ſed ſicut virga mutata in ſerpentem, iam non virga, ſed ſerpens vocatur, quamvis in ſerpente non virgæ ſubſtantia, ex qua factus eſt, ſed tantum forma periiſſe creditur: ita in ſacramento, panis non eſt panis, quamvis in eo non forma panis, ſed ſubſtantia mutari credatur. Cur enim Deus, qui vtramque ex nihilo creavit? non poſſit æquè mutare ſubſtantiam, vel etiam ad nihilum redigere,

Ambroſ. lib 4. cap 4.

F

Cap 5.

Euſebius hom. 5. de Paſcha.

G

H

Hom. 28. de verbis Domini.

Forma panis non mutatur, ſed ſubſtantia.

A *Ambroſ.* redigere, ſicut & formam? Vnde & B. Ambroſius: Vide quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniverſa convertere, quia vel in diverſam formam, vt virgam in ſerpentem: vel in diverſam gloriam, vt hominem de mortalitate in immortalitatem: vel in diverſam ſubſtantiam, vt panem in corpus Chriſti: vel in aliud quàm ſint, ſive melius ſive peius multis modis aliis, ſibi tantum cognitis. Vnde B. Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi: Nos autem in ſpecie panis & vini quam videmus, res inviſibiles, id eſt, Chriſti carnem honoramus, & ſanguinem: nec ſimiliter pendimus has duas ſpecies, quemadmodum ante conſecrationem pendebamus: cum fideliter fateamur ante conſecrationem eſſe panem & vinum, quod natura formauit, poſt conſecrationem vero carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit. Quod quamvis ideo dicat, ne quis putet pro remanente elementorum viſibili ſpecie ipſorum etiam ſubſtantiam, quæ iam corpus Chriſti facta eſt, remanſiſſe: euidenter tamen aſtruit ante & poſt conſecrationem eaſdem eſſe ſpecies, quas propter ſubſtantiæ mutationem ante & poſt non ſimiliter ſe dicit pendere. Quia tamen ex ipſis elementorum viſibilibus ſpeciebus erratur à multis, quum ſatis conſtet quòd de eorum ſubſtantia corpus Chriſti fiat, quia, vt ait Auguſtinus, corpus Chriſti & ſanguis, ex panis & vini ſubſtantia efficitur: de ipſis ſpeciebus videamus. Si enim panis omnino ita mutetur in corpus Chriſti, vt nihil ex ipſo ſuperſit vel appareat, aut ſi quod apparet non verum, ſed phantaſticum fiat: rationi videtur contrarium. Si enim pane mutato nihil viſibile reſeruaretur, minueretur fidei meritum, vel pro euidenti miraculo, quia in conſecratione ſacramenti panis omnino euaneſceret, vel quia obliuione ſopita fidei devotio torperet, cùm in tanto myſterio ſignum aliquod, vnde memoria admoneretur non ſupereſſet. Non enim ſupereſſet aliquod viſibile circa quod myſtica paſſionis ſigna & crucifixionis Chriſti in Miſſa poſſent celebrari: nec vnde in perceptione corporis & ſanguinis eius incorporationis ſuæ & noſtræ myſteria compleri, vel infirmis viaticum dari: nec cætera quæ viſibiliter & ſalubriter per ipſum in ſancta Eccleſia fiunt, valerent adminiſtrari. Non enim fruſtra dixit Dominus: *Hoc facite in meam commemorationem*, Sacramentum exhibens ſicut verum fidei, ſic verè viſibile excitandæ commemorationi: vt quod fidei certum eſt, mentem paſcat, quod viſui certum eſt, devotionem accendat. Quia enim illum ſecundum carnem cœlos oportuit penetrare: vt illuc confidentius tenderemus, reliquit nobis carnalibus huius ſacramenti viſibilem figuram & characterem carnis & ſanguinis ſui: vt ſuæ paſſionis memoria incitati, conſtantius hoc faceremus. Item ſi elementa omnino mutarentur in Chriſti carnem: nihil amplius eſſet Chriſti caro quàm modo eſt. Sed etſi propria ſpecies humanæ carnis corporaliter appareret: nihilominus ſpiritualis crederetur quàm creditur & eſt. Et quid prodeſt videre eum in propria ſpecie humanæ carnis: qui tamen credendus eſſet verè habere ſpiritualem ſpeciem reſurrectionis? Vt autem in ſequenti aſtruetur, minueretur fidei meritum, pro tam manifeſto veritatis experimento: vel impediretur perceptionis eius commoditas, pro humani corporis comedendi horrore iniecto. Cum autem in ſacramento forma panis, ſoliditas, color, ſapor ſentiatur: vel verum hoc eſſe, vel fantaſticum dicitur. Sed abſit vt perfecta veritas phantaſiæ fallacia aſtruatur: maxime cum ipſi Angeli, & ipſe Spiritus Sanctus in columba vel linguis igneis, quoties apparuiſſe leguntur, non phantaſtica, ſed vera corpora in aëre aſſumere aſtruantur: & in cæteris omnibus ſacramentis novi teſtamenti & veteris, nihil phantaſiæ, ſed omnia vera inveniantur. Abſurdum enim revera eſt, quod non verè eſt, veritatem approbet: & quod de ſe fallit æſtimationem, de alio veram exhibeat fidem. Phantaſtica enim illuſio, magicis congruit & Diabolicis fraudibus: veritatis autem aſſertio, divinis ſanctionibus: Ne ergo phantaſtica ſpecies, ſacramento Chriſti aliena prorſus & indigna, ſuperinduci credatur, quæ magis novit fallere quàm veritatem aſtruere: quomodo id non ſolum rationi, ſed & authoritati ſit contrarium, videamus. Vt ait Auguſtinus. Caro eius eſt, quam forma panis opertam in ſacramento accipimus: Sanguis eius eſt, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus. Sed quia vt ſupra dictum eſt, in fine Miſſæ oratur, vt corpus Chriſti quod ſub ſpecie panis & vini nunc geritur, rerum veritate capiatur: ne putetur ipſa ſpecies panis & vini, quam corpori Chriſti non dicit veram vel propriam, ſimiliter in ſeipſa non eſſe vera, ſed phantaſtica: ſicut ſolent videri phantaſticæ ſpecies rerum in ſomniis, vel magorum præſtigiis: quid eſt quod Sanctus Auguſtinus approbare contendit modis omnibus, ſacrificium ſanctæ Eccleſiæ duobus confici, duobuſque conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Chriſti carne & ſanguine? Si falſum & friuolum erat: fruſtra hoc tantus vir omnibus modis approbare contendebat, fruſtra ad confectionem ſacramentalem, veram ex veris rebus oſtendendam perſonalem confectionem Chriſti, ex vero Deo & vero homine in ſimilitudinem adducebat: Fruſtra etiam vniuerſalem propoſitionem (qua vtramque confectionem, ſacramenti ſcilicet, & perſonæ Chriſti, ex veris rebus conſtare aſtrueret) ſubdebat dicens: Quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Quod abſit. Sacrificium enim Eccleſiæ revera veritatem, & naturam in ſe continet earum rerum ex quibus conficitur, quia verè & naturaliter continet corpus Chriſti & ſanguinem, & nihilominus verè & naturaliter elementorum eandem quæ fuerat ſpeciem. Alioquin quomodo verum erit, quòd de elementis ſacramentalibus Ambroſius dicit, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur: niſi de eis in ſacramento & aliquid reſervetur, vt ſit quod fuerat, & aliquid mutetur, vt melius fiat? Item quomodo verum erit, quod præſente Nicolao Papa, & 113. Epiſcopis ſancta ſynodus Romæ Berengario hæretico de huius rei Catholica fide ſcriptum tradidit, & ille iureiurando firmauit: panem ſcilicet & vinum poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed & corpus Chriſti eſſe & ſanguinem? Si panis poſt conſecrationem vtrumque eſt, ſacramentum ſcilicet & corpus Chriſti: oportet quod ſacramentum ſit ſpecie: & corpus Chriſti factum ſit ſubſtantiæ mutatione. Vnde Auguſtinus: Quod videtis in altari, panis eſt & calix, quod etiam oculi veſtri denunciant: oculorum teſtimonio non phantaſiam, ſed ſpeciei veritatem approbans. Et ſubdidit: Quòd autem fides poſtulat, panis eſt corpus, calix ſanguis, mutatione ſcilicet ſubſtantiæ. Alioquin ſi ex phantaſia & veritate ſacramentum Chriſti confici creditur, iam confectio non erit: quum ex aliqua re & nulla confectio conſtare non poſſit. Conficitur ergo ſacramentum ex vero corpore Chriſti & ſanguine, & ex veris ſpeciebus panis & vini.

Margin notes: B — Cur viſibiles elementorum ſpecies in ſacramento remaneant. — C — *Luc. 22.* — D — E — F — G — *De conſe. diſt. 2. c. Ego Berenga.* Quomodo panis ſacramentum & corpus Chriſti.

CAPVT VIII.

H — Quomodo ſacramentum corporis Chriſti à cæteris ſacramentis differat vel conveniat.

SEd quia de confectione ſacramenti dictum eſt: quomodo ſacramentum corporis Chriſti ab aliis differat ſacramentis, vel quomodo conveniat, videamus. Cætera enim ſacramenta novi teſtamenti & veteris figuræ tantum fuerunt: nec aliquæ ſpecies eorum, vt id fierent quod ſignificabant, ab hoc quod fuerant, vt manna, petra, aliquatenus mutatæ ſunt. Aqua verò baptiſmatis, & oleum chriſmatis in ſacramento ab hoc quod eſt non mutatur: nec ſpiritum ſanctum, quem ſignificat aqua abluentem, emundantem, oleum verò roborantem, illuminantem, quamvis credentibus ſuo myſterio exhibeat, non tamen

continere

A continere eſſentialiter, ſed figurativè tantum creditur. Solùm ſacramentum panis & vini ita mutatur, vt ſubſtantialiter non ſit quod ante fuerat: ſed ſubſtantia eius corpus Chriſti fiat, forma verò remanens ipſum ſignificet & contineat. Hanc autem panis & vini ſubſtantiam ideò Chriſtus in ſuo ſacramento remanere non voluit: ne ſi duæ ſubſtantivæ veritates, panis ſcilicet communis noſter, & ipſe viuus & verus panis in eodem ſacramento eſſent, errorem gignerent veritatis, dum ibi eſſet & ipſe verus panis, quia vita æterna: & panis communis ſuo modo verus: quia temporalis vitæ ſubſtantia. Facilius enim & certius creditur corpus Chriſti in illo ſacramento fieri & eſſe, vbi corporaliter non fuerat, non ſolùm pro ſacramento ſed & pro miraculo: dum ibi panis deſinit eſſe quod fuerat. Et forſitan ne hæreſes impanationis & fœdæ digeſtionis huic ſingulari ſuo ſacramento aſcribi poſſent, ipſum ab omni corruptibilis naturæ vel materiæ contagio purum eſſe voluit. B Secundum tamen quod B. Auguſtinus hoc ſacramentum in ſignificando Chriſtum aliis comparat: quamvis tanto privilegio, vt dictum eſt, omnibus tam novis quàm veteribus præcelleret. Ait enim in libro 3. de Trinitate: Si Apoſtolus Paulus, quamvis *adhuc ex parte & in ænigmate videret*, potuit tamen ſignificando Chriſtum prædicare, aliter per linguam ſuam, aliter per Epiſtolam, aliter per ſacramentum corporis & ſanguinis eius: nec ſignificantes ſonos lingua editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, corpus Chriſti & ſanguinem dicimus: ſed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem: quid mirum, ſi etiam in creatura cœli & terræ, maris & aëris, facit Deus quæ vult ſenſibilia & viſibilia, ad ſeipſum in eis, ſicut oportere novit, ſignificandum & demonſtrandum? Cum igitur per ſacramentum corporis & ſanguinis Domini Chriſtus ſignificari dicatur, & ipſum cæteris ſignificantibus adnumeretur, & eius exemplo cæteræ ſignificativæ ſpecies à Deo poſſe fieri aſtruantur: conſtat C ipſum ſacramentum ſicut cætera eſſe ſignificatiuum. Item Auguſtinus in ſermone vigeſimo ſexto, ſuper Ioannem: Et nos hodie accipimus viſibilem cibum. Sed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti. Et Paulo poſt: *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit.* Hunc panem ſignificavit manna, hunc panem ſignificat altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in ſignis diverſa ſunt, in re quæ ſignificantur paria. Apoſtolum audi: *Nolo enim vos*, inquit, *ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt.* Spiritualem vtique eandem: nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: ſpiritualem verò quam nos, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili: quod tamen idem ſignificaret virtute ſpirituali. Quomodo enim eundem potum? *Bibebant*, inquit, *de ſpirituali ſequente petra, petra autem erat Chriſtus* Inde panis, inde potus. Petra D Chriſtus in ſigno, verus Chriſtus in verbo & in carne. Manna & ſpeciem viſibilem panis & vini corporalem eſcam dicit, diverſa illis & nobis: ſed quod credentibus illis & nobis per hanc diverſam eſcam ſignificatur idem eſt, ſcilicet Chriſtus: & ideo dicit in ſignis diverſa eſſe manna & panem, in re, id eſt, in Chriſto qui ſignificatur per illa paria: cum tamen ſacramentum panis familiarius ſignificet Chriſtum quàm manna, quia manna futurum, panis præſentem, manna tantum extrinſecus, panis ita vt ſubſtantialiter ſit converſus in corpus Chriſti, ſic & formaliter ſignificet corpus Chriſti. Eadem enim fide Chriſti ſalvati ſunt qui ante Chriſtum, qua ſalvantur & illi qui modo ſunt: quia crediderunt venturum eſſe quem nos credimus veniſſe. Vnde Auguſtinus in libro de pœnitentia: Vt quid paras dentes & ventrem? Credere in eum, hoc eſt manducare panem & bibere vinum. Qui credit in eum, manducat eum. Item Auguſtinus in Pſalm. 104. Panis cœli eſt aſſumptum corpus Agni,

Cur ſubſtantia panis vi[n]ique nō remaneat.

Cap 4.
1. Cor. 13.

Ioan. 9.

1. Cor. 10

Tract. 25 in Ioan.

Pſ. 104.

E quo nos reficimur in Eccleſia, ſicut illi refecti ſunt manna. Nec ſolum comparatur ſacramentum corporis Chriſti cæteris ſacramentis conſignificando: ſed & in corpore Chriſti æternaliter non permanendo. Quamvis enim panis ſubſtantia mirificè, vt dictum eſt, in corpus Chriſti converſa eſſe credatur: forma tamen in ſacramento remanens, non in corpore Chriſti manere perpetualiter, ſed poſt hanc vitam omnino deſinere creditur, ſicut & cætera ſacramenta. Quum enim ſcriptum ſit: *Panem Angelorum manducavit homo*, quia eodem Chriſto reficitur homo in via credendo, quo ſatiantur Angeli in patria, cum ſicut eſt videndo, cum eodem fruuntur vt vivant ſine ſacramento, quo & nos ne moriamur cum ſacramento: quando erimus ſicut Angeli Dei, nunquid eum quem Angeli ſine ſacramento vident revelata facie ſicut eſt, videre poterimus, niſi ablata vmbra ſacramenti. Quomodo enim facies ſua vel noſtra erit revelata: niſi omnis ve- F li vmbra reiecta, & nos appareamus filij Dei, quod ſumus, & ipſe nobis appareat quod eſt, ſicut eſt Deus? Fruſtra oraremus, vt quod nunc ſpecie geritur, rerum veritate capiamus: ſi ibi etiam huius ſacramenti haberemus vmbram, vbi facie ad faciem ſicut eſt videre ſperamus Chriſti gloriam. Quæ enim remuneratio eſſet nobis in alia vita: ſi vmbra ſacramenti contegente, veritas gloriæ Chriſti nunquam nobis fieret manifeſta? Vnde Ambroſius in libro de officiis: Illa igitur ſunt nobis expetenda, in quibus perfectio, in quibus veritas eſt. Hic vmbra, hic imago, illic veritas. Vmbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœleſtibus. Ante agnus offerebatur & vitulus: nunc Chriſtus offertur, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, vt peccata dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem quaſi advocatus pro nobis intervenit. In quo notandum eſt, quia in veteri teſtamento dedit Deus tantum figuræ vmbram, in novo veritatem cum figura, in futuro dabit G veritatem non cum figura, ſed manifeſtam: vt tali profectu temporum nos perfectæ veritati viciniores oſtenderet, quibus poſt vmbratam veritatem, nihil niſi eandem manifeſtam dari reſtaret. Vetus enim teſtamentum, veritatem promiſit, non dedit: novum dedit, ſed non oſtendit. Quid reſtat, niſi vt eadem veritas in alia vita manifeſtetur? Vnde & venerabilis Beda presbyter ait in expoſitione huius Evangelici capituli: *Non eſt arbor bona, quæ facit fructus malos.* In hac vita lumine ſanctarum ſcripturarum & ſacramentorum cœleſtium refectione opus habemus: in futuro autem talibus non egebimus ſubſidiis, vbi iuxta Pſalmiſtæ vocem, quicunque apparuerint cum iuſtitia, ſatiabuntur manifeſta gloria Chriſti. Quomodo enim egebimus refectione vbi ſempiterna erit ſatietas: vel quomodo egebimus ſacramento, quod vtique oculus corporaliter videt: cum *Deus diligentibus ſe* (teſte Apoſtolo) *quod oculus non vidit, & auris non audivit & in cor hominis non aſcendit, præparave-* H *rit?* Item cum ipſe Dominus nobis præceperit, *quotieſcunque hoc facimus, facere ad ſuam commemorationem:* cum enim videbimus ſicut eſt, quomodo neceſſaria erit huiuſmodi commemoratio: cum in præſente eius viſione, nulla poſſit intercidere oblivio. Vnde Divus Hieronymus in primam Epiſtolam ad Corinthios: Hanc vltimam memoriam nobis reliquit, quemadmodum ſi quis peregre proficiſcens, aliquod pignus ei quem diligit relinquat: vt quotieſcunque illud viderit, poſſit & eius beneficia & amicitias memorari: quem ſi ille perfectè dilexerit, ſine ingenti illud deſiderio vel fletu videre non poteſt. Ideo hoc Salvator tradidit ſacramentum: vt per hoc ſemper commoneamur, quia pro nobis mortuus eſt. Nam & ideo cùm accipimus, à ſacerdotibus commonemur, quia corpus & ſanguis eſt Chriſti: vt non ſimus ingrati tantis eius beneficiis. Quia igitur commemoratio mortis non erit neceſſaria ad concitandum deſiderium vel fletum vbi non peregrè profecta, ſed præſens ſemper erit vita æterna &

Lib. 1. Cap. 48.

Nota.

Luc. 6.

1 Cor. 2.
Matt. 26

In cap. 2.

A

gandium : ideo Apoſtolus huic ſacramento , ne æternum videatur , finem denuncians ait : *Quotieſcunque manducabitis hunc panem & calicem bibetis : mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quod Auguſtinus exponens in lib. contra Fauſtum ait : Significat finem ſeculi , quando erit ſanctorum requies , non adhuc in ſacramento ſpei , quo in hoc tempore conſociatur Eccleſia , quando bibitur quod de Chriſti latere manavit. ſed iam in ipſa perfectione ſalutis æternæ , cum tradet regnum Deo & patri : vt in illa perſpicua contemplatione incommutabilis veritatis , nullis myſteriis corporalibus egeamus. Quia ergo hoc ſacramento non eſt in æternum mors Chriſti annuncianda , ſed tantum donec veniat , quia poſtea nullis myſteriis egebimus : conſtat illud tranſitorium eſſe ſignum & temporale , quo tantum egemus nunc , dum *videmus per ſpeculum & in ænigmate.*

1 Cor 13.

Vnde item Auguſtinus in ſermone ſuper orationem Dominicam : Cum tranſierit vita iſta, nunquid petemus panem quotidianum ? Tunc enim non vocabitur quotidie, ſed hodie. Nunc vocatur quotidie , quando tranſit dies , & venit alius dies. Nunquid vocabitur quotidie , quando erit æternus vnus dies ? Sanè duobus modis intelligenda eſt iſta petitio de pane quotidiano , ſive pro neceſſitate carnalis victus, ſive pro neceſſitate ſpiritualis alimoniæ. Norunt ſpiritualem alimoniam fideles, quam & vos ſi puri eſtis accepturi eſtis de altari Dei. Panis erit & ipſe quotidianus huic vitæ neceſſarius , Nunquid enim Euchariſtiam accepturi ſumus, quum ad ipſum Chriſtum venerimus , & cum illo in æternum regnare cœperimus ? Ergo Euchariſtia quotidianus panis eſt : Sed ſic accipiamus eum , vt non ſolum ventre , ſed & mente reficiamur. Et paulò poſt : Quando illuc venerimus ipſum verbum manducaturi ſumus & bibituri, quomodo Angeli modo. Vident enim ipſam veritatem , & ipſo fonte ſatiantur , vnde nos irroramur.

B

Euchariſtia panis quotidianus.

Quum igitur Euchariſtia ſit panis quotidianus , huic vitæ neceſſarius , quem non ſumus accepturi , cùm ad ipſum Chriſtum venerimus, quando manducaturi ſumus ipſum verbum quomodo Angeli modo : conſtat eam non eſſe æternam ſpecie tenus, quam tamen ipſa ſui veritate æternam credimus.

C

Quia igitur panis myſticus fit nobis , non naſcitur, nec ipſo ſuo myſterio æternus habetur , ſed temporalis & quotidianus , quod nec origine , nec æternitate Chriſto congruit : quomodo vnius perſonæ cum ipſo credendum erit , cum de noſtra perſona etiam Dominus dixerit : *Quia capillus de capite veſtro non peribit ?*

Luc. 21.

Quapropter de forma huius ſacramenti ita iudicemus , ſicut beatum Auguſtinum in libro primo contra Maximinum formam imperſonatam & formam myſticam diſtinxiſſe cognovimus. Ait enim : Adhuc in forma humana eſt filius , quam levavit in cœlum & ſempiterna erit in regno, hæc eadem forma immortalis. Nam de ſpiritu ſancto qui nullam ſuſcepit formam ad vnitatem perſonæ ſuæ , quamvis ſe per ſubiectam creaturam viſibiliter & ipſe , ſiue per columbæ ſpeciem , ſive per linguas igneas ſit demonſtrare dignatus : nunquam dictus eſt minor patre. Ad horam quippe apparuerunt illa quæ Spiritum Sanctum ſignificando monſtrarent viſibiliter inviſibilem , columba propter amorem ſanctum , ignis autem propter charitatis lumen atque fervorem : & peracto ſignificationis officio corporales illæ ſpecies tranſierunt , atque eſſe vlterius deſtiterunt, ſicut columna ignis nubiloſa per diem , luminoſa per noctem.

D

Exod. 13.

Chriſtus autem non humanam ad horam ſumpſit effigiem , in qua hominibus appareret , ac deinde ſpecies illa periret : ſed in unitate perſonæ ſuæ, manente inviſibili Dei forma accepit viſibilem hominis formam , non ſolum natus in ea de homine matre, verum etiam crevit in ea , manducavit , bibit, dormivit , occiſus eſt in ea , reſurrexit , aſcendit in cœlum , ſedet ad dexteram Patris in ea , & in regno ſuo ei qui illi ſubiecit omnia , erit ſubiectus in ea.

Species Sacramenti non ſunt perpetuæ.

Sic igitur in Sacramento corporis Chriſti , panis formam Chriſto non dicamus imperſonatam. Sed quamvis ipſa panis ſubſtantia mirificè in corpus Chriſti converſa ſit , panis tamen forma in Sacramento remanens , manſura perpetualiter in Chriſti corpore non putetur : ſed ſicut cætera Sacramenta poſt hanc vitam omnino deſiſtere credatur, ne de impanatione aliqua hæreſis oriatur.

E

Contra eos qui credunt ſubſtātiā panis manere.

Nam ſi impanatur Chriſtus, vel in panem convertitur, quod eſt nefarium , cùm ſit immutabilis , vel fit panis ſicut verbum caro factum eſt , quod frivolum eſt : cùm non aſtruat authoritas Evangelica vel Prophetalis , cùm è contrario etiam panis fiat caro Chriſti , ita vt non remaneat panis. Non enim eſſet magnum quòd Apoſtolus ad commendandam hominibus Dei dilectionem & humanæ naturæ dignitatem ait , *quia filius Dei Angelos non apprehendit , ſed ſemen Abrahæ apprehendit :* ſi ille qui naturæ Angelorum contempſit perſonaliter vniri , brutæ panis ſubſtantiæ imperſonatus, panis vellet fieri.

ad Hebr. 10.

Sua enim imperſonatio iam non hominibus ſingularis , quia etiam panibus facta communis , ſicut humanæ naturæ minueret dignitatem , ſic etiam Dei erga homines minus commendaret dilectionem.

F

Non ergo moveat quemquam quòd ipſe de ſe ait , *Ego ſum panis vivus* , figuratè ; quia ipſe creditur panis fieri verè : quomodo eandem redemptionem , quam ſemel fecit in cruce , operari poterit , etiam in altari quotidie ? Nam qui ſemel incarnatus , *paulo minus ab Angelis eſt minoratus* , quia factus paſſibilis : hic toties impanatus , quoties in altari conſecratus, ipſis hominibus multo minor fieret , quia factus irrationalis.

Ioan. 6.

Pſal. 8.

Sicut enim imperſonationis iure , vt verus homo eſſet in homine , accepit animam cum ratione ſua , & carnem cum ſenſibus ſuis , vt in ea pati poſſet , ſic panem acciperet cum irrationalitate ſua : & ita quia minor fieret ſuis redemptis , non videretur æquum & ſufficiens eſſe precium redemptionis. *Si enim neque in cœlo, neque in terra , neque ſubtus terram inventus eſt dignus qui aperiret librum,* noſtræ redemptionis ; quia neque Angelus , neque vivus homo , neque mortuus : quanto minus aliquis infra hominem factus.

Apoc. 5.

G

Abſurdum eſt igitur de Dei ſapientia tam ſtultè ſentire , aliquaſque ſcripturas ad huiuſmodi ſenſum inflectere. Cur enim Deus fieret aliud quàm quod ſemel factus eſt , homo ſcilicet ad noſtram ſalutem : cùm nihil aliud operetur in ſacramento , quàm quod ſemel operatus eſt nobis in ſeipſo , in cruce ſcilicet & altari , noſtram redemptionem : ad quam ſemper dignè ſuſcipiendam, ſemper ſigno ſuæ præſentiæ noſtram voluit excitare devotionem , per tanti ſui beneficij præſentis & præteriti commemorationem. Sicut ergo Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ vel linguis igneis ſine vnitate perſonæ apparuiſſe creditur : ſic Chriſtus in Sacramento panis & vini corporaliter confici , ſed non perſonaliter vniri aſtruatur.

CAPVT IX.

H

Quod nouus panis & vinum in Corpus Chriſti mutata, novam carnem vel ſanguinem non generant.

SEd iterum huius mutationis trahunt aliqui nimis ſimpliciter à communi natura ſimilitudinem : vt ſicut panis & vinum in viventem carnem & ſanguinem transfertur noſtrum , vel etiam in viventem & vivificatricem carnem ipſius Chriſti , quàmdiu nobiſcum converſatus eſt per naturam comeſtionis : ſic etiam in viventem & vivificatricem carnem & ſanguinem Chriſti transferatur per gratiam Sacerdotalis benedictionis. Sed longè aliter panis & vinum fit caro & ſanguis Chriſti in Sacramento per gratiam : quàm in cuiuſlibet vel etiam ipſius Chriſti ſtomacho per naturam. In ſtomacho enim Chriſti panis & vinum non mutata vel deficiente ſubſtantia ſed forma , novam carnem & novum ſanguinem , corruptioni aliquatenus obnoxium , ſicut in cæteris hominibus generavit : in Sacramento autem mutata ſubſtantia non forma , panis & vinum non fit nova caro & novus ſanguis , ſed exiſtens ſubſtantia panis & vini mutatur in coexiſtentem ſubſtantiam corporis Chriſti : ita ut novitate ſua nihil

A

in ipſo innovet, mutatione ſua nihil immutet. Si enim eſt mutabilis, vel in augmentum mutatur vel in detrimentum. Sed ſi eget augmento, non in virum perfectum reſurrexit: Si detrimento obnoxius eſt, corruptionem nondum evaſit. Sed è contra Auguſt. in Epiſtola ad Conſtantium de corpore Domini poſt reſurrectionem: conſtat itáque nec vllo modo dubitandum eſt, corpus Chriſti quod licet corruptionis putredinem in ſepulchro non viderit: vnde ſcriptum eſt, *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: clavis tamen & lancea perrumpi potuit, nunc omnino in incorruptione conſiſtere.

Epiſ. 146.

Pſal. 15.

Si quæris itaque quomodo res corruptibilis in incorruptibilem, exiſtens in coexiſtentem, nova in antiquam ſine illius innovatione vel mutatione mutetur: reſpondet tibi Auguſt. in libro ſententiarum Proſperi. Si quæris modum quo id poſſit fieri, breviter ad præſens reſpondeo: Myſterium fidei credi ſalubriter poteſt, inveſtigari vtiliter non poteſt. Item idem contra Felicianum: Omittamus in Deo corporalis intelligentiæ legem: ne operibus ſuis ſimilem dicamus eſſe factorem. Et poſt pauca: Hoc fides credat, intelligentia non requirat, nè aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat ſingulare. Item Ambroſius in libr. de myſteriis initiandis omnis naturæ terrenæ originem vel conditionem ab hoc ſingulari divinæ gratiæ Sacramento excludens ait: Fortè dicas, Aliud video. Quomodo tu mihi aſſeris, quòd corpus Chriſti accipiam? Et hoc ſupereſt nobis vt probemus. Quantis vtimur exemplis, vt probemus, non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit: maiorémque eſſe vim benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes: proiecit eam & facta eſt ſerpens. Et poſt pauca: Tetigit Moyſes petram, & aqua de petra profluxit. Nunquid non præter naturam operata eſt gratia: vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Advertimus igitur maioris eſſe gratiam, quàm naturam. Quòd ſi tantum valuit humana benedictio, vt naturam converteret: quid dicemus de ipſa conſecratione divina, ubi verba Domini ſalvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud quod accipis, Chriſti conficitur ſermone. Sermo igitur Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Nonne maius eſt novas rebus dare, quam mutare naturas? Quid argumentis vtimur? ſuis vtamus exemplis, incarnationiſque exemplo aſtruamus myſterij veritatem. Nunquid naturæ vſus præceſſit, cùm Chriſtus Dominus ex Maria naſceretur? Liquet ergo quòd præter naturæ ordinem virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus, ex virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex virgine? Vera vtique caro Chriſti: quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt. Verè igitur carnis illius Sacramentum eſt. Ipſe Dominus Ieſus clamat: *Hoc eſt corpus meum.* Ante benedictionem verborum cœleſtium, alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. In quo notandum eſt, quia beatus Ambroſius ad comprobandum huius ſingularis myſterij tertium miraculum, duo mirabilia opera Dei præmiſit: unum creationis, qua fecit exiſtere quæ non erant: alterum mutationis, qua ea quæ erant fieri fecit quod non erant. Quorum quia ab altero quievit, ne deinceps ex nihilo ſubſtantias creet ac formas: alterum naturæ communicavit, quo ea quæ ſunt, in id quod non ſunt, mutantur ſecundum formam: vt virga in ſerpentem, mirabiliter, & omne ſemen in fructum ſui generis naturaliter. Tertium privilegio divini ſermonis aſcribens, ſubiecit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine eſt. In præſenti enim quod dixit, conficimus novitatem panis: in corpore quod ex Virgine

B

Cap. 8.

Cap. 9.

Exod. 7. & 17.

C

D

Tria mirabilia opera Dei.

E

eſt, immutabilitatem antiquæ veritatis aſtruxit: vt dum panis manente forma ſua mutatur in id quod non erat, corpus ſcilicet Chriſti quod ex Virgine erat, præter ordinem naturæ: nec de nihilo credatur corpus Chriſti creari in Sacramento, ſecundum primariæ naturæ originem: nec panis formam mutari ſecundum naturæ communicatam conſuetudinem: ſed novo & inaudito modo ita mutari ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, vt panis non ſit, ſed appareat eſſe quod fuerat, & corpus Chriſti non deſiſtat eſſe quod erat. Dignum namque erat, vt quia hoc ſibi in ſeipſo erat propriè proprium: cæteris ſuis operibus incommunicabile faceret tanti ſui myſterij miraculum. Quæritur autem cùm Dominus ante paſſionem diſcipulis Sacramentum corporis ſui dederit, quando erat naturæ paſſionibus obnoxium, ſi ita incorruptibile & immortale dederit illud in Sacramento, ſicut datur nobis modo: maximè cum dixerit, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: hic eſt ſanguis qui pro vobis effundetur.* Sed non eſt mirum, ſi ille qui ante paſſionem transfiguravit ſe in tale corpus, quale poſt reſurrectionem habiturus erat, & poſt reſurrectionem oſtendit corpus ſuum vulneratum & palpabile, quale ante paſſionem habuerat: ita immortale dederit corpus ſuum in Sacramento quod erat moriturum, ſicut poſt reſurrectionem idem corpus ſuum, quod erat autem invulnerabile, oſtendit vulneratum. Sicut hoc, ſic & illud divinæ potentiæ aſcribatur. Divina enim operatio (vt ait Beatus Gregorius) ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Qui ergo duplici forma, humana ſcilicet & Sacramentali præſentem ſe exhibuit quaſi alterum, cùm omnino idem eſſet, & comedendum ſe diſtribuit cùm vivus & integer permaneret: nonne in illo Sacramento ſe incorruptibilem & immortalem præbuiſſe credendus eſt: in quo nec morſibus attritus corrumpi, nec comeſtione tot hominum devoratus potuit occidi? Sicut ergo moriturus in ſeipſo, factus eſt immortalis in Sacramento ſupra naturam: ſic etiam tunc cùm caro eius & ſanguis cibis & potibus innovari poſſet, ac mutari per naturam in ſeipſo, non tamen novo vino & novo pane innovari aut mutari potuiſſe credenda eſt eadem caro vel idem ſanguis in Sacramento, Quòd autem ſeipſum diſtribuerit diſcipulis, teſtatur Auguſtinus in tit. Pſalmi 33. cùm fugeret David Saul perſecutorem inquiens ita: Et ferebatur in manibus ſuis. Hoc verò quomodo fieri poſſit in homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus ſuis? Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum literam non invenimus: in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans corpus ſuum ait: Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Cùm ergo conſtet, quia ſeipſum moriturus immortalem, viſibilis inviſibilem in Sacramento dederit: conſtat quia illud corpus ſuum, quale nos modo ſumimus, tale fuit, unum idemque omnino in ſubſtantia & tunc & nunc: ſed tunc tamen differens mortalitate & immortalitate, in hominis & Sacramenti forma, nunc hominis tantum & Sacramenti forma. Quam identitatem ſubſtantiæ, diverſitatemque formæ Auguſtinus diſcernens: de identitate ſubſtantiæ, vt omnem novitatem vel diverſitatem excludat, ait in Sermo. ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod effuſum eſt de Chriſti latere. Erit enim ei mors, non vita, qui mendacem exiſtimaverit vitam. Qui ergo de ſubſtantia tam veraciter aſtruxit, illud idem hic eſſe quod ibi fuit: de diverſitate formæ in Epiſtola ad Irenæum ita ait: Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Ipſum quidem & non ipſum. Ipſum inviſibiliter, non ipſum viſibiliter. Quaſi diceret: Ipſum quidem ſecundum inviſibilem ſubſtantiam, & non ipſum ſecundum viſibilem formam.

Quale corpus Chriſtus in cœna dederit.

F

[illegible] iſtud intellige, nō Chriſtus in cœna corpus ſuū verū quod illic mortale erat in Sacramēto, diſcipulis exhibuit, ſed ex

G

modo exiſtendi ſacramētali & quatenus ſub ſacramēto erat, impaſſibile & immortale erat; nā neque ſi quis vulneraſſet aut contriviſſet ſpecies ſacramētales, vllum inde

H

corpori Chriſti detrimētum intuliſſet, vt neque modo eſt Chriſtus immortale corpus gerit.

CAPVT

A

CAPVT X.

Quòd non de quolibet homine, ſed de ipſo Chriſto intelligẽdum eſt. Niſi mãducaveritis carnẽ filij hominis nõ habebitis

SEd ex hac B. Auguſtini ſententia qua dicit: non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & ex ipſius Domini verbis nata eſt hæreſis tempore Cæleſtini Papæ, & Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, quibus adnitentibus celebrata eſt Synodus Epheſina, & deſtructa eſt hæreſis, quæ dicebat panem & vinum altaris, non in propriam carnem & ſanguinem Chriſti quæ iam in cœlo erat, poſſe in mundo mutari, ſed in carnem & ſanguinem cuiuſlibet filij hominis iuſti & ſancti, qui templum Dei, & merito ſuo corpus Chriſti eſſet, de quo Chriſtus ipſe dixerat: Niſi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Igitur 150. Epiſcopi in Epheſo congregati, contra hanc hæreſin, ita ſcripſerunt. Neſtorio Epiſcopo hæreticorum, ſanctificamur participes ſancti corporis & precioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut divinam poſſidentis habitationem: ſed verè vivificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus exiſtens, qui eidem propriæ carni vnitus eſt vivificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Et ideo quamvis dicat: niſi manducaveritis carnem filij hominis, non tamen eam vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam ſuam vivificatrix eſſe poterit caro hominis? Sed profitemur verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis & factus eſt & vocatus. Quum ergo hac Synodo ſatis aſtructum ſit, non alicuius de vulgo hominis carnem & ſanguinem in myſterio ſumi, ſed carnem vivificatricem, & ipſius verbi propriam factam: ne tamen verbis beati Auguſtini, quibus dixit ex perſona Domini, non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, quaſi illud removendo à ſe, & iterum myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum eſt, eſtote quod videtis & accipite quod eſtis, nec ex hac quaſi vnitatis familiaritate ſubrepat, vt ad hanc dignitatem aſpirare præſumat aliquis, vt ſuum vel alicuius corpus de vulgo ſumi æſtimet in Sacramento: quod verè ſolius Chriſti corpus ibi ſit aſtruamus. Auguſtinus in lib. de Trinitate 4. Quis tam ſanctus & iuſtus Sacerdos, quàm vnicus filius Dei? Et quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum Sacerdotis noſtri? vt quoniam quatuor conſiderantur in omni ſacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur: idem unus ipſe verúſque mediator per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in ſe faceret pro quibus offerebat, unus ipſe eſſet qui offerebat & quod offerebat. Item Leo Papa in Epiſtola Anatholio Epiſcopo miſſa, Aliter in Eccleſia Dei, quæ corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia: niſi in noſtræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati Agni ſanguis emundet: qui licet in patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamen carne quam ſumpſit ex virgine, Sacramentum propitiationis exequitur. Item Leo: dicente Domino, ***Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:*** ſic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis: Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur: & fruſtra, Amen, ab illis reſpondetur: à quibus contra id quod accipitur diſputatur. Item Euſebius Emiſſenus: inviſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo, ſecreta poteſtate convertit, ita dicens: Accipite & bibite, Hoc eſt enim corpus meum: Et repetita ſanctificatione: Accipite & bibite, Hic eſt ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum præcipientis, repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum: pari potentia in ſpiritualibus Sacramentis vbi præcipit virtus, rei ſervit effectus. Quis ergo de vulgo talis, vt vnicus Dei filius, qui in eadem carne quam ſumpſit ex virgine Sacramentum propitiationis nobis in dextera Dei ſedens exequitur, & inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam ſui corporis convertit: A qua præſumptione Euſebius prorſus nos compeſcens ait: Cùm ad reverendum altare cibis ſatiandus * accedis: ſacrum Dei tui corpus & ſanguinem fide reſpice, mente continge, honora, mirare, cordis manu ſuſcipe, & maximè hauſtu interiori aſſume. Et poſt pauca. Ad agnoſcendum & percipiendum ſacrificium veri corporis, ipſa te roboret potentia conſecrantis. Qui tunc latuit præfiguratus in manna, eſt tibi manifeſtatus in gratia. Ipſum autem in mannæ illius ſpecie præſignatum etiam Propheta oſtendit dicens: ***Panem Angelorum manducavit homo.*** Et quis eſt panis Angelorum, niſi Chriſtus qui eos cibo ſuæ charitatis, & lumine ſuæ claritatis exaltat?

B vitam in vobis. *Ioan. 6.* *al. Synodus Epheſina de Eucharistia.*

C

Cap. 14.

D

Epiſt 24.

Sermone ſexto de ieiunio ſeptimi menſis.

Homil. 5. de Paſcha.

E

* aſcendis.

Pſal. 77.

F

CAPVT XI.

Quod in Sacramento viſibili ſit ſpirituale & inviſibile corpus Chriſti

SEd ecce ex verbis Euſebij, quibus aſtruit inviſibilem Sacerdotem, viſibiles creaturas, in ſubſtantiam ſui corporis convertere: nóſque monet ipſum Dei corpus & ſanguinem, fide, mente, cordis manu, interiori hauſtu, ſpiritualiter ſumere: videtur quærendum, ſi ſacerdos eſt inviſibilis, quomodo ſua ſubſtantia ſunt, cùm ſint viſibilia corpus & ſanguis? Sed ſciendum quia poſt reſurrectionem corpus Chriſti ſicut incorruptibile, ita & inviſibile fuit; quia vt ait Apoſtol. *non animale, ſed ſpirituale ſurrexit:* & quale prodiit de ſepulchro, tale eſt in panis & vini Sacramento. Quòd enim legitur poſt reſurrectionem diſcipulis oſtendiſſe manus & latus, B. Gregorius ita diſtinguit in Homilia Paſchali: Corrumpi neceſſe eſt quod palpatur, & palpari non poteſt quod non corrumpitur. Sed miro & inæſtimabili modo, redemptor noſter & incorruptibile poſt reſurrectionem, & palpabile corpus exhibuit: vt monſtrando incorruptibile invitaret ad præmium, præbendo palpabile formaret ad fidem Et incorruptibilem ergo ſe, & palpabilem demonſtravit: vt oſtenderet corpus ſuum poſt reſurrectionem & eiuſdem naturæ, & alterius gloriæ. Quòd autem corpus Chriſti ſpirituale ſit, & incorruptibile, & inviſibile, nec tamen minus ſubſtantiale in Sacramento: teſtantur cæteri ſancti cum Euſebio: Vnde Ambroſius in libro de Sacramentis: His Sacramentis paſcit Chriſtus Eccleſiam ſuam, quibus animæ firmatur ſubſtantia. Quid edamus & bibamus, per Prophetam Spiritus Sanctus expreſſit dicens: ***Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.*** In illo Sacramento Chriſtus eſt, quoniam corpus eſt Chriſti. Non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritualis eſt. Corpus enim * Dei, corpus ſpirituale eſt: corpus Chriſti, corpus eſt divini Spiritus. Item Auguſt. Hoc eſt quod dicimus ſacrificium Eccleſiæ duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine. Item idem: nos autem in ſpecie panis & vini quam videmus, res inviſibiles, id eſt, carnem Chriſti & ſanguinem honoramus. Sed in iſta carne & ſanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat: ſed vivificatricem ſubſtantiam atque ſalvatricem & ipſius verbi propriam factam in pane & vino, per quæ ſi dignè ſumantur, nobis eſt peccatorum remiſſio collata. Item Auguſt. ad Irenæum, Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis; ipſum quidem & non ipſum. Ipſum inviſibiliter, & non ipſum viſibiliter. Vnde & ſubditur: Si neceſſe eſt viſibiliter illud celebrari, neceſſe eſt inviſibiliter intelligi. Quia ergo corpus Domini ſpirituale, non eſt corporalis eſca, ſed ſpiritualis,

1. Cor. 15.

G

Ioan. 20.

Hom. 26. in Evãg.

De myſteriis initiandis.

H

Cap. 9.

Pſal. 33.

* Domini.

Caſſiodorus in Pſ. 109. verſu. Tu es ſacer. ſecũ. ordinem Melchiſedech.

A *Cap.16.*

& neceſſe eſt inviſibiliter illud intelligi, ideo Auguſtinus in libro 3. de doctrina Chriſtiana ait: Locutio ſi flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficentiam vetare, figurata eſt: *Niſi manducaveritis*, inquit, *carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura ergo eſt præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & vtiliter recondendum in memoria, quod caro eius pro nobis crucifixa & vulnerata ſit. Quod & ipſe Dominus præcepit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Item Hieronymus in Homilia ſuper Leviticum: Non ſolum in veteri teſtamento litera occidens deprehenditur: Eſt & in novo teſtamento litera, quæ occidit eum qui non ſpiritualiter advertit. Si enim literam ſequaris, hoc ipſum quod ſcriptum eſt, *niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum*, occidit hæc litera. Si enim ſpiritualiter eam intelligas non occidit, ſed ſpiritus vivificans eſt in ea. Quod Auguſtinus in expoſitione Pſalmi 54. apertius exponens prima, inquit, hæreſis in diſcipulis Chriſti velut à duritia ſermonis eius facta eſt. Quum enim diceret: *niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit vitam æternam*: Illi non intelligentes, dixerunt ad invicem: *Durus eſt hic ſermo*: & ſeparaverunt ſe ab illo. Illis deſcendentibus, inſtruxit illos qui remanſerant: *Spiritus eſt*, inquit, *qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ locutus ſum ad vos, Spiritus & vita ſunt.* Intellexiſtis ſpiritualiter: Spiritus & vita ſunt. Intellexiſtis carnaliter: & ſic ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt. Spiritualiter intelligite quæ locutus ſum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me cruc figent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos. Caro autem non prodeſt quicquam, ſed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur. Sciens autem ait: *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius.* Quid eſt hoc? Illi putabant illum erogaturum corpus ſuum, ille dixit ſe aſcenſurum in cœlum, vtique integrum. Cùm videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius: certè vel tunc videbitis quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus ſuum: certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius non conſumitur morſibus: Non enim revera credendum eſt corpus Chriſti, cum ſpirituale ſit & inviſibile, more ciborum communium dentibus & morſibus noſtris poſſe diſcerpi & conſumi: ſed quamvis in Sacramento ſuo verè ſit, & verè ſumatur quantum ad ſubſtantiam, verius tamen & perfectius fide ac devotione ſumitur, quantum ad ſalutis gratiam. Vnde Auguſtinus in libro ſecundo de pœnitentia: Vt quid paras dentes & ventrem? Credere in eum, hoc eſt manducare panem vinum. Qui credit in eum, manducat eum. Item idem in libro de verbis Domini: Tunc autem vita vnicuique erit corpus & ſanguis Chriſti: ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur. Quod evidentius Gregorius in Homilia Paſchali exponens ait: Quid ſit ſanguis Agni, non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper vtrumque poſtem ponitur: quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur, In vtroque enim poſte Agni ſanguis eſt poſitus: quando Sacramentum paſſionis illius, cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur.

Luc. 22. Litera occidens. — B *Auguſt.* — *Ioan. 6.* — *Auguſt. tract. 17. in Ioan & in Pſal. 98.* — C *Tract. 27 in Ioan.* — *Tract. 25. in Ioan.* — D *Homil. in Evág. 22.*

In quo notandum eſt, quod Auguſtinus & Gregorius idem dicunt, in Sacramento viſibiliter ore corporis ſumi, quod in ipſa veritate ſpiritualiter ore cordis hauritur: non quòd ſubſtantialiter aliquid verius credatur corde, quàm ſumatur ore. Sed pura veritate ſumi veritas dicitur, quando quod ſpirituale eſt ſpiritualiter, inviſibile inviſibiliter, ſalutare ſalubriter, quod eſt ſicut eſt ſumitur interius amando. Quod idem tamen exterius non in ipſa veritate ſumi dicitur in Sacramento: quia in eo nec quod eſt ſicut eſt ſumitur, quantum ad extraneam & viſibilem formam: nec quod eſt ſicut eſt malè ſumentibus operatur quantum ad gratiam. Licet enim alter guſtus ſicut alter non proſit ſi negligitur: in hoc tamen ſpiritualis eſt verior, quia ſemper ſalutem operatur bonis, corporalis autem aliquando etiam mortem malis. Quia igitur ſpirituale corpus Chriſti & ſanguis non carnalis, ſed ſpiritualis cibus & potus eſt, quo ſpiritualiter Chriſtus, ſuam, ſibi vt corpus capiti vnit & incorporat Eccleſiam: ideo Auguſtin. figuratam locutionem, qua caro Chriſti manducari iubebatur, allegoricè intelligendam dixit. Item Hieronymus literam occidentem, niſi ſpiritualiter intelligeretur, vocavit: vt corpus Chriſti non membratim diſcerptum, & coctum vel crudum manducari debere videretur, ſed potius ſpiritualiter, vt dictum eſt, incorporari & vniri fidelibus crederetur. Quamvis autem corpus & ſanguis Chriſti ſpiritualis cibus & potus ſit, & ſpiritualiter ſumi iubeatur: non tamen ita per omnia accipiendum eſt ſpiritualiter, vt tantum animæ & non corpori noſtro ſalutem æternam operetur: Ait enim Ambroſius in prima Epiſtola ad Corinthios: Calicem myſticum ad tuitionem animæ & corporis percipimus: Caro Salvatoris pro ſalute corporis, ſanguis vero pro anima noſtra effuſus eſt: vt totum hominem ſalvum faceret. Item Auguſt. in ſermone 20. ſuper Ioan. Cùm dixiſſet, *Qui manducat carnem meam & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: continuo ſubiecit. *Et ego ſuſcitabo eum in noviſſimo die*, vt habeat interim ſecundum ſpiritum vitam æternam, in requie quæ ſanctorum ſpiritus ſuſcepit. Quòd autem ad corpus attinet, nec ei vita æterna fraudetur, ſed in reſurrectione mortuorum in noviſſimo die. Vnde etiam ſecundum corpus dicimur membra capitis Chriſti eſſe. Auguſtinus in ſerm. de verbis Apoſtoli: Si Dominus noſter Ieſus Chriſtus animam tantummodo ſuſcepiſſet humanam, membra eius non eſſent niſi animæ noſtræ. Quia verò & corpus ſuſcepit, per quod etiam caput nobis eſt, qui ex anima & corpore conſtamus, profectò membra illius ſunt & corpora noſtra. Quia igitur nos ex corpore & anima conſtamus, Chriſtus autem ex corpore & anima & deitate: videamus ſi in tam vnico vnitatis Sacramento, quo Eccleſiæ, vt corpori ſuo corpus ſuum incorporat, ſicut corporis & animæ Dominicæ, ſic etiam ipſius divinitatis ſuæ mereamur habere conſortium. Ait Ambroſ. de Sacramentis. Quia idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus conſors eſt & divinitatis & corporis: & tu quia accipis carnem eius, divinæ eius ſubſtantiæ in illo participaris alimento.

E — F — G — *Lib. 6. c. 1.* — H

CAPVT XII.

Quod corpus Chriſti, cum in Sacramẽto ſit ſpiritualiter & inviſibiliter, nõ tamẽ minus ſubſtantialiter & verè.

QVia ergo ſpirituale & inviſibile corpus Chriſti aſtruximus, & per ipſum tamen non ſolum ſpiritaliter, ſed & corporaliter humanitatis & divinitatis eius participamur: eundem habentes ad tuitionem noſtram in viatico, quem ad glorificationem habituri ſumus in præmio, vt ſubſtantialiter & verè in Sacramento ſuo eſſe credatur, quo ipſe nobis & nos ſibi vnimur: de veritate corporis eius, quamvis ſuperius manifeſtè dictum ſit, certius tamen adhuc diſſeremus. Cum igitur Auguſtinus dicat, erit ei mors, non vita, qui mendacem exiſtimaverit vitam: quis non credat ei, quem pater Deus mundo commendans, & vt ſummum pontificem præferens ait: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite?* Inobedientes erimus Deo patri, ſi vt ipſe præcepit, non audierimus filium, auribus audiendi, id eſt, auribus fidei. Ipſe autem filius teſtatus eſt mundo, quia *niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſan-*

Mat. 3. 17 Luc. 9. — *Ioan 6.*

guinem,

A *guinem, non habebitis vitam in vobis.* Et quia omnis caro in ſua eſt poteſtate, ne poſſet alia quam ſua propria caro intelligi, ſubiecit: *Qui manducat me, vivet propter me.* Sed quia manducare hominem, erat contra humanam conſuetudinem & legem, diſcipuli eius ſcandalizati dixerunt: *durus eſt hic ſermo*, & receſſerunt ab eo. Vnde Auguſt. in Pſalm. 33. Videbantur ignaris infantilia verba Domini hæc: *Niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam æternam:* Sed hæc verba tegebant virtutem ipſius Quaſi inſanus putabatur Dominus, quando hæc dicebat: ſed norunt fideles quia Sacramenta prædicabat. Item idem in libro de Verbis Domini: Audivimus veracem magiſtrum, divinum redemptorem, humanum ſalvatorem, commendantem nobis precium noſtrum ſanguinem ſuum. Locutus eſt nobis de corpore & ſanguine ſuo: Corpus eſcam dixit, & ſanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoſcunt fideles.

In tra&a. tione. Inter ex. aulos ſerm. 2. ue verb Apoſtoli.

B Cum ergo commendans talem eſcam, & talem potum, dixiſſet: *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*, & hoc diceret de vita: quis alius loquebatur quàm ipſa vita? Erit autem illi homini mors, non vita, qui mendacem putaverit vitam. Scandalizati erant diſcipuli eius. Ne ergo, vt iſti diſcipuli putabant, per fruſta diſcerptus, & crudus vel coctus manducari crederetur ipſe ſummus ſacerdos ſeipſum pro nobis patri offerens, Sacramentum quo verè & ſalubriter manducari poſſet ac bibi, confecit: tradenſque diſcipulis, ne in myſterio myſticè, & non propriè vel verè loqui putaretur ait. Non futurum prædico, non abiens aliquid denuncio: ſed hoc quod præſentialiter do, eſt corpus meum, non figuratum, ſed verum, ipſum quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus idem ipſe, qui pro vobis effundetur: addens etiam propriè proprium ſuæ carnis & ſanguinis effectum ſcilicet in remiſſionem peccatorum.

C Cùm enim ſolius Dei ſit remittere peccata, cui ſoli peccatorum debetur remiſſio: cuius ſanguis niſi ipſius Dei, poſſet remiſſionem peccatorum operari? Vt enim hoc privilegium removeatur ab omni filio hominis, ſi etiam ſine unitate Dei, Filius eſſet Virginis quomodo remiſſionem peccatorum mundo faceret, cum Adam ſine patre, ſine matre de Virgine terra formatus, non modo hoc non præſtiterit, ſed etiam omnibus peccatum propagaverit, quia nec Deus fuit, nec Dei verbo regi voluit? Cùm igitur certiſſimo ſui ſanguinis privilegio, veritatem carnis & ſanguinis ſui aſtruxerit in myſterio, ille cuius obedientia nobis iniuncta eſt patris edicto: reſtat tantum, vt ſcandalizatorum ſtultitiam vitantes, ipſum vt pater de cœlo iuſſit, audiamus: & quia veritas & vita eſt, veracem eſſe ſicut verè eſt, credamus. Quod vt certius & verius fiat:

D ſcandalizatis diſcipulis à Chriſto recedentibus, princeps Apoſtolorum Petrus réquiſitus cum aliis num & ipſe vellet abire, quid reſponderit videamus. Ait enim pro ſe & pro aliis, *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Quam eius reſponſionem ne meo ſenſu interpretari videar, exponit Auguſtinus in ſermone 27. ſuper Ioannem ita: Videte quemadmodum Petrus dante Deo intellexerit. Vnde, niſi quia credidit? *Verba vitæ æternæ habes.* Vitam enim æternam habes in miniſtratione corporis & ſanguinis tui. Et nos credidimus & cognovimus quia *tu es Chriſtus filius Dei*, id eſt, quia ipſa vita æterna tu es, & non das in carne & ſanguine tuo, niſi quod es. Ecce idem quod Chriſtus de veritate corporis ſui, teſtatur & Petrus: & quia pro aliis etiam loquebatur, cum eo & alij Apoſtoli. Videamus itaque ſi teſtimonio Chriſti cum Petro & aliis Apoſtolis atteſtantur etiam cæteri ſancti. Ait Ambroſius in libr. de Sacramentis. Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quòd corpus ſuum accipiamus & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Item Hilarius in lib. 8. de Trinitate. Ipſe ait: *Qui edit carnem meam & bibit*

Auguſt.

Ioan. 6. Petrus.

Ambr. c. 5. lib. 4.

Hilarius.

E *meum ſanguinem in me manet & ego in eo.* De veritate carnis & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra, verè caro eſt, & verè ſanguis eſt: & hæc accepta atque hauſta, id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus in Deo eſt. Et poſt pauca: Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus per carnem Chriſtum manentem habemus: victuris nobis per eum, ea conditione qua vivit ille per patrem.

Item Euſebius Emiſſenus: Cœleſtis confirmat authoritas, *Quia, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem qui author eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Item Hieronym. in Epiſtol. ad Edibiam: Nos autem audiamus panem quem fregit Dominus, deditque diſcipulis, eſſe corpus Domini ſalvatoris, ipſo dicente ad eos: *Hoc eſt corpus meum*; & calicem illum eſſe de quo locutus eſt iterum: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Si ergo panis qui de cœlo deſcendit, corpus eſt Domini, & vinum quod diſcipulis dedit, ſanguis eſt illius novi teſtamenti, qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum: non Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus. Ipſe conviva, ipſe convivium: ipſe comedens, & qui comeditur. Illius bibimus ſanguinem, ſine ipſo potari non poſſumus: & quotidie in ſacrificiis eius de germine vitis veræ, & vineæ Sorech, quæ interpretatur electa, novum vinum bibimus in regno patris, id eſt, in regno Eccleſiæ: non in vetuſtate literæ, ſed in novitate ſpiritus.

Euſebius.

F

Quaſt. 2.

Teſtimonio Chriſti teſtes alios adhibere præſumpſi: ſed quia ipſe quidem ſemper verè, aliquando tamen loquitur propriè, aliquando figuratè, auditoréſque ſuos ita diſcrevit, *vt his datum ſit noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis*, ſciens cuius ſpiritus eſſent. Quod ipſis ſanctis non pigrum fuit ſcribere, neceſſarium duxi repetere: vt ipſe intellectus veritatis, non meæ videatur præſumptionis, ſed Catholicæ authoritatis, eorum qui ita crediderunt, & ita ſalvari meruerunt: quia fides Chriſtiana quo fit certior, eo eſt vtilior. Vt ergo certior ſit, aliorum ſanctorum ſubdatur authoritas. Ait Auguſtinus in expoſitione Pſalmi nonageſimi octavi. Invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim Chriſtus de terra terram, quia caro de terra eſt: & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne ſic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit. Inventum eſt quemadmodum tale ſcabellum pedum Domini adoremus: & non ſolum non peccemus adorando, ſed & peccemus non adorando.

G *Matt. 13.*

Euchariſtia adoranda.

H Hanc filij Dei verè adorandam carnem Beatus Baſilius admirans, ait in Dialogo ſuo de dignitate Sacerdotij. O miraculum, ô Dei in nos benevolentiam! Qui ſurſum ſedet ad dexteram patris, ſacrificij tamen tempore hominum manibus continetur, traditúrque lambere cupientibus eum, & cum benedictione complecti, fitque hoc totum ſub oculis humanis. Item ipſe, Cùm ſacerdos Spiritum Sanctum advocaverit, & reverendam illam hoſtiam immolaverit, communemque omnium Dominum ſubinde contigerit: vbi illum dic mihi, noſtra æſtimatione ponemus? Quantam ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Expende enim quales oporteat eius eſſe manus tantarum rerum miniſtras, qualem linguam verba illa fundentem, aut quo genere non mundiorem & ſanctiorem animam, talis ſpiritus receptricem. Tunc etiam Angeli circunſtant Sacerdotem, & tribunal atque altaris locus cœleſtibus virtutibus adimpletur, in honorem illius qui immolatur, &c. Item

Ioan. Chryſoſt. de Sacerdot lib. 3. cap. 4. lib. 6. c. 4.

Gregorius

A *Gregor. cap. 58.* Gregorius in quarto Dialogorum libro. Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi, vnum ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri? Sed neceſſe eſt vt cùm hæc agimus noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus. Et qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus: debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis Deo hoſtia erit: cùm nos ipſos Deo hoſtiam fecerimus. Vnde Auguſtinus in libro 10. de Civitate Dei; In forma ſervi Deus maluit ſacrificium eſſe quàm ſumere: ne per hanc ſaltem occaſionem quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Pro hoc & ſacerdos eſt ipſe offerens, ipſe & oblatio: cuius rei Sacramentum, quotidianum voluit eſſe ſacrificium Eccleſiæ, quæ cum capitis ipſius corpus ſit, ſeipſam per ipſum diſcit offerre. In quo notandum eſt, in Sacramento verè Dei carnem eſſe: quæ B tantæ dignitatis eſt, vt eam Angelicæ virtutes honorent miniſtrando, & homines adorando, & ſeipſos hoſtias offerendo. Hac certitudine ſancti manducari Chriſtum aſſirmant. Auguſtinus in ſerm. 26. ſuper Ioannem; Temporaliter hi profectò moriuntur, qui Chriſtum manducant: ſed vivunt in æternum, quia Chriſtus eſt vita æterna. Item idem in Homilia ſecunda Pſalmi 33. Acceſſerunt Iudæi vt Chriſtum crucifigerent: nos ad eum accedamus, vt corpus eius ac ſanguinem accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati *Ambr. de myſterijs initiãd. c. 8. De Sacramentis lib. 6. ca. 1.* ſunt: nos manducando crucifixum & bibendo illuminamur. Et poſt aliqua: Verè magnus Dominus & magna miſericordia eius verè, qui nobis dedit corpus ſuum manducare, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem ſuum bibere. Item Ambroſius de Sacramentis: Iſta eſca quam accipis, iſte panis vivus qui de cœlo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat: & quicunque hunc manducaverit non morietur in æternum, & corpus eſt Chriſti. Item idem: Sicut verus eſt Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non ſicut cæteri homines per gratiam, ſed quaſi C filius per naturam, id eſt, ex ſubſtantia patris: ita vera eius caro eſt, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & verus eius ſanguis eſt quem potamus. Item Auguſt. in Homil. Pſalm. 65. Modo homicidis donatus eſt fuſus ſanguis innocentis: & ipſum ſanguinem quem per inſaniam fuderunt, per gratiam biberunt. Item idem in Pſalm. 45. ad Iudæos. In illius nomine quem occidiſtis baptizamini, & dimittuntur vobis peccata veſtra: Medicum vel poſtea cognoviſtis, iam ſecuri bibite ſanguinem quem fudiſtis. Item idem in ſermone 38. ſuper Ioannem: Crediderunt inde multi, donatus eſt eis ſanguis Chriſti: vt magis eum biberent quo liberarentur, quam rei de illo effuſo tenerentur. Item idem in ſermone de quarta feria: ſi ſanguinem Chriſti tota cum reverentia percipis: cognoſces per illum tua tibi dimitti peccata. Item idem in ſermone 31. ſuper Ioannem: Illi viderunt Chriſtum ſuo ſcelere morientem, & crediderunt in Chriſtum, ſuis ſceleribus ignoſcentem. Quouſque biberent ſanguinem *Serm. 18.* quem fuderant, de ſua ſalute deſperaverant. Item Leo D Papa in ſermone de Paſſione Domini: Fefellit illum malignitas ſua, intulit ſupplicium filio Dei quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit ſanguinem iuſtum, qui reconciliando mundo & pretium eſſet, & poculum.

CAPVT XIII.

Quod veritas corporis Chriſti viſibilibus etiã ſignis ſit ſæpius oſtenſa.

QVid ergo de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento dici poteſt certius: niſi forte eam ipſam oculis videre velimus? In quo tamen nec ipſe Dominus nobis deeſſe voluit: ſed modicæ fidei noſtræ per omnia conſuluit. Quamvis enim ipſius Chriſti, & tot ſanctorum teſtimoniis, & univerſalis E etiam Eccleſiæ Catholicæ fide, quæ ab initio converſionis ſuæ ita credidit, & ita ſalvata eſt, ſufficienter aſtructum ſit, quod vera caro Chriſti verúſque ſanguis in menſa Dominica immoletur: ne quis tamen perverſor aliter intelligeret vel exponeret, facta ſunt a Deo congrua hic noſtræ fidei miracula, quando vel ubi vel quibus revelare dignatus eſt huius myſterij ſecreta: quæ nimirum facta eſſe non ignorabit, quiſquis ſtudioſius Sanctorum Patrum geſta legerit, quæ teſtantur Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ablata panis & vini ſpecie, carnem & ſanguinem naturali ſua ſpecie, ſicut eſſe ſolet exhibuiſſe. Vt enim ait Auguſtinus contra Felicianum: Si incomprehenſibilis eſt ratio, & veritas prompta eſt: *Aug. Cap. 1.* facilius in negotiis fidei teſtimoniis creditur, quam ratio inveſtigatur. Hæ igitur ſcripturæ quamvis cum Propheticis & Apoſtolicis æquam authoritatis excellentiam non obtineant: eandem tamen fidem cum fidelibus & ſanctis anteceſſoribus noſtris nos tenere F ſufficienter probant, huiuſque probationis in hoc ſibi perfectam authoritatem vendicant: quia niſi ita eſſet vt docent, in ſacris canonibus vel Romanorum pontificum decretis, ſicut hæretica vel apocrypha ſcripta damnatæ eſſent: nec eas in Eccleſia Catholici viri vel legerent vel recitarent.

Cùm ergo præteriti & præſentes fideles vbique terrarum hoc credant & hoc aſtruant: ſi hæc univerſalis Eccleſiæ fides vera ad ſalutem non extitit, aut nunquam Catholica Eccleſia fuit aut periit. Sed aut non fuiſſe, aut periiſſe Eccleſiam nemo Catholicus conſenſerit. Nam cùm Eccleſia & Prophetiis & Evangeliis inſtituta ſit, ubi eſt quod veritas Abrahæ promiſit, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes?* *Geneſ. 22.* Itemque ubi eſt quod eadem Veritas Apoſtolis ait: *Docete omnes gentes. Qui crediderit ſalvus erit?* Cum *Matt. ult.* enim omnes gentes ita ſe credere glorientur: ſi ſalutis benedictione carent, utrobique veritas Dei, & in Prophetia & in Evangelio periclitatur. Item cùm carnem & ſanguinem ſuum naturali ſua ſpecie fidelibus ſuis revelare dignatus ſit: ſi cauſa deſiderij ſatiandi fecit & ita non eſt, ſervorum ſuorum devotionem non complevit, ſed fefellit: ſi cauſa dubietatis G ſanandæ fecit & ita non eſt, infirmorum errorem non abſtulit, ſed auxit: quod de pietate & veritate divina vel leviter ſuſpicari, non modo ſacrilegum, ſed & nefarium eſt. Anathema ergo maranatha ſit, qui authoritati divinæ in hoc Sacramento contradicere præſumpſerit: & corpus Chriſti, *panem verum qui de cœlo deſcendit & dat vitam mundo*, verè vt eſt eſſe non crediderit: quem Ambroſius & Auguſtinus epiouſion, id eſt, ſuperſubſtantialem appellant, quia caro Chriſti omnibus creatis ſubſtantiis iure præcellit.

CAPVT XIV.

H *Quod corpus Chriſti eſt, cum ſit locale in cœlo & in terra.*

QVia igitur ſpirituale corpus Chriſti & ſanguinem in Sacramento panis & vini verè & ſubſtantialiter eſſe, ipſius Chriſti, & tot ſanctorum teſtimoniis evidenter aſtructum eſt: quod de veritate conſtat, de eius etiam poteſtate videamus. Quamvis enim omne corpus, omniſque creatura localis ſit: de hoc tamen ſuperſubſtantiali corpore credendum eſt, quod eodem tempore & verè eſt in Sacramento ſuo in terris & verè in cœlo ſedet ad dexteram patris. Fruſtra enim immolationis ſuæ tempore diceremus, Qui ſedes ad dexteram patris miſerere nobis: ſi quem adoramus in Sacramento mentiremur eſſe in cœlo. Quia ergo aſtructũ eſt de Sacramẽto ubi minus eſſe videbatur: aſtruamus & de cœlo, ubi aſcendens corpus ſuũ corã teſtibus ſuis Apoſtolis levavit, & ſymbolo etiã fidei noſtræ atteſtante, ibi ſedet ad dexterã Dei patris, unde venturus eſt iudicare vivos & mortuos. Cùm igitur uſque ad diẽ iudicij ibi ſedere credatur: quin ibi ſit etiã hora immolationis

A

* al. primo.

immolationis ſuæ, nihil dubitationis relinquitur. Vnde, ut dictum eſt, Auguſtinus libro * ſecundo contra Maximinum. Adhuc in forma humana eſt filius quam levavit in cœlum : & ſempiterna erit in regno hæc eadem forma immortalis. Et poſt pauca : Chriſtus accepit viſibilem hominis formam, non ſolum natus in ea : ſed & aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram patris in ea. Item idem in Pſal. 75. Si patrem & filium ſecundum divinitatem cogitas, ubique præſens eſt. Si autem filium ſic intelligis, quomodo viſus eſt in carne inter homines, & crucifixus eſt & reſurrexit : novimus quia aſcendit in cœlum, & in circuitu eius ſunt Angeli. Item idem in Pſalm. 54. Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus : ſed tamen hic etiam nobiſcum, veritas Dominus. Corpus enim in quo reſurrexit, vno loco eſſe oportet : veritas autem eius ubique diffuſa eſt. Item idem in Sermone 27. ſuper Ioannem. Chriſtus ſecundum vnitatem perſonæ in cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cœlo, quomodo filius Dei in terra.

B

Filius Dei in terra in ſuſcepta carne : filius hominis in cœlo in vnitate perſonæ. In quo notandum eſt, quia forma illa humana, in qua Chriſtus cœnans cum diſcipulis, tradidit illis ſeipſum in ſacramento quaſi aliud, & tamen eundem : loco eſt in cœlis ad dexteram patris integra, ſicut integra fuit in cœna, quando in Sacramento comedebatur à diſcipulis : & tamen & in humana, & in Sacramentali forma, idem verus vtrobique Chriſtus, & in cœlo & in terris. Vnde Leo Papa in Epiſtola Anatholio Epiſcopo miſſa : Qui licet in patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamen carne quam ſumpſit ex virgine, Sacramentum propitiationis exequitur. Item Baſilius in Dialogo ſuo: Qui ſurſum ſedet ad patris dexteram, ſacrificij tamen tempore hominum manibus continetur. Vnde etiam Sacerdos vice Chriſti corpus Dominicum in terreno altari conficiens, nec tamen aliquid ſuis meritis, ſed totum divinæ potentiæ & gratiæ attribuens, orat in canone Deum patrem dicens : Iube hæc oblata tibi per manus & virtutem filij tui Angeli tui qui eſt Angelus magni conſilij, non in hoc humile & viſibile altare ubi modo eſt, ſed in ſublime altare tuum, id eſt, filium tuum, quem uſque ad dexteram tuam in conſpectu maieſtatis tuæ ſublimaſti, deferri : vt fiat nobis corpus & ſanguis dilecti filij tui: oſtendens ipſum filium, iuſſione patris in cœlis eſſe offerentem, & hoſtiam, & id ſuper quod offertur : quia omnino fidei & gratiæ eius innitimur, quod terrena corpora in Chriſtum converti, ipſúmque in cœleſtibus ad dexteram patris ſedentem, pro nobis interpellare, & in Sacramento altaris conſecrari & eſſe credimus. Cum ergo dictum ſit quia corpus Chriſti tale accipimus in Sacramento, quale poſt reſurrectionem eſt in ſeipſo, cuius gloriæ & virtutis corpora noſtra poſt reſurrectionem futura ſint, videamus : vt viſis membris, facilius prærogativam tantæ dignitatis in capite cognoſcamus. Ait Auguſtinus in libro Enchiridion : Reſurgent ſanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla corruptione, ſine oneris difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta fœlicitas erit : propter quod & ſpiritualia dicta ſunt, cum proculdubio ſint futura, non ſpiritus. Item Auguſtinus in libro 12. de Civitate Dei : Surget corpus ſpirituale, quia ſpiritui ſumma & mirabili obtemperandi facilitate ſubdetur : vſque ad implendam immortalitatis indiſſolubilis ſecuriſſimam voluntatem, omni moleſtiæ ſenſu, omni corruptibilitate, omni tarditate detracta. Et poſt pauca : Corpora, carnis ſunt habitura ſubſtantiam: ſed nullam tarditatem corruptionémque carnalem ſpiritu vivificante paſſura. Quòd ſi tantæ facilitatis futura ſunt corpora ſanctorum, ut ad implendam voluntatem ſpiritus nulla ſua tarditate impediantur : quid de corpore Chriſti capitis noſtri credendum eſt, cui non modo facilitas qua non tradetur ad faciendum quæ voluerit, ſed etiam ut ipſe ait, Omnis poteſtas mihi data eſt in cœlo & in terra, ut cum Deo in vnitate perſonæ omnia poſſit? Si corpora noſtra ſpiritualia futura ſunt, quia ſpiritui * corporaliter iuncta : quid corpus Dei niſi divinum, quia Deo vnitum? Carnem igitur divinam ſubſtantialiter quidem eandem cum Deo non dicimus: ſed profectò cùm Apoſtolus dicat, *quia omnia ſubiecta ſunt ei, præter eum qui ſibi ſubiecit omnia :* & ipſe filius Dei teſtetur, *quia omnis poteſtas ei data eſt*, ſic in unitate perſonæ, Deo coniunctam credimus, vt quod habet Deus per naturam, hoc ipſa per gratiam. Cùm ergo nos habituri ſimus, & Angeli modo habeant, vt quantacunque intervalla locorum, nullo ferè temporis intervallo, nimia ſua celeritate pertranſeant : non tamen hoc habent, vt unde recedunt, ibi remaneant. Quo privilegio ſola caro Chriſti, quæ ſuper omnem creaturam à Deo exaltata eſt, ſuper omnem & præter omnem naturam inſignita eſt : ut per omnipotentiam, quæ ei data eſt in cœlo & in terra, ubicunque, quomodocunque ſibi placuerit, non de loco ad locum tranſeundo, ſed ibi, vbi eſt, remanendo, & alibi ubicunque voluerit exiſtendo, tota & integra & ſubſtantialiter ſit & in cœlo & in terra. Quam enim omnipotentiam ab eo, qui totus ubique eſt reciperet: ſi ipſa ubicunque vellet ſubſtantialiter tota eſſe non poſſet: Vel in quo differret ab Angelis, quibus eſt ſuperexaltata : ſi non aliter niſi de loco ad locum recedendo, poſſet eſſe in cœlo & in terra? Artificio humano molentis mola circuitus ſui nimiam celeritatem, ſtabilitatem eſſe mentitur. Natura humana in ictu oculi tot terrarum, maris, & aëris ſpatia ab occidente ad orientem in videndo ſolem tranſvolans atomum momenti æquare videtur: Et cùm celeritas Angelorum ſit velocior, in quo his creaturis caro Chriſti ſuperexaltabitur : ſi quod eſt in cœlo & in terra, non poteſtati, ſed celeritati adſcribitur.

Ioan. Chryſ. lib. 3. de Sacerd. c. 4.

C

D

Matt. ult.

E

* al. perſonaliter.

1. Cor. 15.

Matt. 28.

Caro Chriſti ſuper omnem creaturã exaltata.

F

CAPVT XV.

G

Quod corpus Chriſti diviſũ & a fidelibus ſũptũ, permanet incorruptum & integrũ.

VT ergo & in cœlo & in terra omnipotentiam ſe habere oſtenderet Chriſtus, Deificum corpus ſuum cœlo illaturus & mundo daturus, quod quantum ad humanam formam nobis abſtulit, non minus tamen ſubſtantialiter & verè in Sacramento corporis & ſanguinis ſui nobis obtulit, vt hic & ibi præſens corporaliter : vtpote qui vnius perſonæ cum illo eſt qui nuſquam deeſt, & ibi reconciliationem cum patre, & hic in altari redemptionem, remiſſionémque peccatorum nobis operetur ſicut ſemel fecit in cruce: dum ipſum corpus ſuum in ora fidelium datum, & ſingulis dividitur, & unum totum univerſis individuum & integrum habetur, ſumptum non conſumptum : vt ſicut individuum cum dividitur, ſic incorruptum cum ſumptum fuerit credatur. Quomodo enim incorruptionem nobis largiretur, ſi in ſeipſo corruptionem reſurgens pateretur? Aut quomodo Sacramento ſuo nos ſibi incorporans, vt corpus capiti, vel nos nobis vt membra membris vnum faceret : ſi in ſeipſo non vnitus, ſed diviſus & comminutus dentibus ſumentium eſſet? Quomodo tamen corpus Chriſti & cœlo & mundo præſens, & dividatur indiviſum, & ſumatur inconſumptum, ratio ſtupet, fides ipſa miratur: ſed ex adiunctæ divinitatis potentia, quæ vbique tota præſens eſt in corpore ſuo ſpirituali, immo per omnipotentiam ſibi collatam, divino iam facto, id fieri poſſe, non diffidens veneratur. Si enim facta, vel miracula, vel dicta, quibus filius Dei maieſtatem ſuam mundo aperuit, perfectè rimari velimus, inveniemus hominem, quem ſibi vnivit, in vna perſona, in nulla diſiunctum gratia, vt etiam pro parte carnis omnia (vt dictum eſt) ſint ei ſubiecta, præter eum qui ſubiecit ſibi omnia. Sed huic miranti & mirandæ fidei, vtrum ſancti conſentiant videamus. Auguſtinus in ſermone de verbis Domini : Invitat Dominus ſervos, & præparavit cibum ſeipſum. Quis audeat manducare Dominum ſuum? Et tamen ait : Qui manducat me, vivet

H

Chriſto homini ſubiecta ſunt omnia.

propter

A

propter me. Dum enim Chriſtus manducatur, vita manducatur; nec occiditur, vt manducetur, ſed mortuos vivificat quando manducatur, quia ſurrexit occiſus: nec quando manducatur, partes de illo facimus. Et quidem in Sacramento ſic fit. Notum fideles quemadmodum carnem Chriſti manducent. Vnuſquiſque partem ſuam accipit, per partes manducatur & integer manet: totus in cœlo, totus in corde tuo. Item Euſebius Emiſſenus: De hoc pane vetus narrat hiſtoria: Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus, eo quòd Euchariſtiæ ſacra perceptio non in quantitate, ſed in virtute conſiſtat. Quod corpus Sacerdote diſpenſante, tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto: quod cum Eccleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in vniverſis, ita integrum eſſe probatur in ſingulis. De hoc pane quum aſſumitur, nihil minus habent ſinguli quàm vniverſi. Totum unus, totum duo, totum plures ſine diminutione percipiunt: quia benedictio huius Sacramenti ſcit diſtribui, neſcit diſtributione conſumi.

B

Aug.

Item Auguſtinus in ſermone de verbis Domini: Putatis, quia de hoc corpore quod videtis, partes facturus ſim, & membra mea conciſurus, & vobis daturus? Quid ergo ſi videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? Certè qui integer aſcendere potuit, conſumi non potuit. Ergo de corpore & ſanguine ſuo dedit nobis ſalubrem refectionem: & tam magnam breviter ſoluit de integritate ſua quæſtionem. Manducent ergo & bibant: vitam manducent, & vitam bibant. Illud manducare, refici eſt. Sed ſic reficeris, vt non deficiat vnde reficeris. Manduca vitam, bibe vitam: & integra eſt vita.

Ambr. Cap. 9.

Item Ambroſius de myſteriis initiandis. Conſidera nunc vtrum præſtantior ſit panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ vtique eſt corpus vitæ. Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium ſi in diem alterum ſervaretur: hoc alienum ab omni corruptione. Quod quicunque religioſè guſtaverit, corruptionem ſentire non poterit.

C

Præfatio miſſæ.

Item Ambroſius Dominica quinta poſt Epiphaniam: ſinguli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt: nec per ſingulas minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.

Sed quomodo impoſſibile videatur, vt caro verbi Dei, quæ multo ſpiritualior & potentior eſt verbo noſtro, ſit tota & integra in ore omnium ſumentium: cùm verbum noſtrum unum idémque, totum & integrum ſit in auribus omnium audientium? Quòd evidentius ipſe Chriſtus in ſeipſo manifeſtans, in cœna corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis ſuis diſtribuit: & cum ipſe à ſingulis ſumptus comederetur & biberetur in Sacramento, ipſe tamen vivus & integer manſit in ſeipſo.

3. Reg. 17 Ioã. Chr. Hom. 17

Sed quid mirum ſi Chriſtus comeditur & integer manet: cum Sareptana vidua non minus oleum comederit, quia teſtante ſacra hiſtoria, *lecytus olei non eſt imminutus*: cum eadem ſcriptura dicat, *abiit & fecit iuxta verbum Heliæ, & comedit ipſa & domus eius*?

D

Vnde Ambroſius in Epiſtola ad Hebræos: In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus, ſed ad recordationem mortis eius: & una eſt hoſtia, non multæ. Quomodo una & non multæ? Quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius: idipſum, ſemper idipſum. Proinde hoc idem ſacrificium vnum ſolum. Alioquin quoniam multis in locis offertur, multi ſunt Chriſti? Nequaquam. Sed unus ubique eſt Chriſtus: & hic plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim quod ubique offertur unum corpus eſt, & non multa corpora: ita & unum ſacrificium. Pontifex autem ille eſt, qui hoſtiam obtulit nos mundantem. Ipſam offerimus etiam nunc: quæ tunc oblata, conſumi non poteſt. Quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum eſt. Hoc enim

E

facite, ait, in meam commemorationem. Quod igitur vt ſancti teſtantur, diverſis locis, diverſiſque temporibus ſacrificatur: non multa tamen corpora, ſed ubique unum Chriſti corpus eſt, quod à diverſis ſumitur, & unum idémque corpus integrum eſt: omnipotentiæ, quæ Chriſto etiam pro carnis parte collata eſt, attribuendum eſt: qua vt ſupra dictum eſt, & in cœlo & in terra præſens etiam corporaliter poteſt eſſe, vbicunque, quomodocunque ſibi placuerit: vt ideo ubicunque voluerit ſit caro Chriſti, contra naturam carnis integra & præſens, quia facta in cœlo & in terra omnipotens. Quod autem Auguſtinus ait: Et quidem in Sacramento ſic fit, unuſquiſque accipit partem ſuam, & per partes manducatur: ne hoc quidem impedit eius integritatem aliquatenus. Fieri enim hoc dicit in Sacramento, quod videtur, non in re Sacramenti, quæ non videtur corpore ſcilicet Chriſti, quod inviſibile eſt.

F

Cùm enim, vt idem Auguſtinus ait, corporalia Sacramenta ſint quaſi quædam verba, quia, ſigna rerum ſunt hæc vt illa, ſicut variis nominibus appellatus Cephas, Simon, Petrus, idem eſt Petrus: Sic Chriſtus non eſt, alius, quamvis variis Sacramentis repræſentatus: quia cùm ſpecies panis & vini duo ſint Sacramenta, non tamen in eis duo diverſi Chriſti, ſed in vtroque vnus eſt Chriſtus, qui nec diſtributione ipſius Sacramenti in ſeipſo dividitur, nec pro quantitate portionis maius vel minus accipitur: quia in ſpiritali ſua virtute ſemper totus eſſe creditur, ita vt nec qui plus Sacramenti acceperit, abundet, nec qui minus, deficiat: Quia ſemper idem eſt totus, in magno totus, in parvo totus, in integro totus, in fracto totus, quia quomodocunque varientur ſigna, ſemper idem eſt in ſeipſo.

Euſeb.

Vnde merito Euſebius ait: Vere & perfecta hoſtia, fide æſtimanda non ſpecie: nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu. Vnica enim eſt, quia non varietate locorum vel temporum ſunt multæ: ſed una ſemper hoſtia perfecta, quia nec augeri poteſt nec minui.

G

Et quia ſpecies elementorum, panis ſcilicet & vini, Chriſti figura eſt non veritas: ideo non æſtimanda ſpecie, vel exteriori cenſenda viſu, ſed interiori fidei affectu: quia & ſi videtur Sacramentalis ſpecies elementorum variari in ſigno, corpus tamen Chriſti immutabile creditur in ſeipſo. Sicut ergo manna ſpecie tenus erat vnimodum, ſed ita intrinſecus variis ſaporibus condiebatur pro voluntate vtentium, vt multorum corporum ſapor in vna eſſet ſpecie: ſic è contrario omnimoda eſt corporis Chriſti veritas, interius in varia Sacramentorum quantitate: vt ſicut legitur de manna; nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus: Ita in Sacramento corporis Chriſti, nec in minori defectus, nec in maiori fit abundantia: quia non in ſpecie vel quantitate Sacramenti, ſed in virtute Chriſti eſt gratia.

H

CAPVT XVI.

Quod immolatio Chriſti in altari non dicitur quod iterũ occidatur: ſed quod vera eius immolatio repræſentetur, id eſt in altari nunc, quod ſẽ in cruce operetur.

Ioã. Chr.

VIdendum autem eſt, cùm Ambroſius paulo ante dixerit, quia in Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens, cur quaſi quotidiana noſtra oblatio poſt illam ſemel oblatam veram, non eſſet vera: vel poſt illam potentem & ſufficientem ad ſalutem, eſſet ſuperflua quæſierit: Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Sed ſciendum, quia ſi noſtra quotidiana oblatio alia eſſet quam illa in Chriſto ſemel oblata: non vera eſſet, ſed ſuperflua. Cum enim oblatio illa in Chriſto ſemel oblata, & verè ſit vera, quia verè vita æterna & ſufficiens, vt eam nobis conferat, ipſa ſola noſtra oblatio: quam aliam vitam poſſet promittere vel conferre, ſi eſſet alia? Aliam enim oblationem, aliam oporteret conferre ſalutem: vel ad eandem ad quam conferendam ſola Chriſti ſufficit oblatio, eſſet ſuperflua & vana. Quia ergo impoſſibile eſt aliam

A conferri ſalutem, oportet eandem eſſe illam ſemel oblatam, & noſtram quotidianam oblationem : vt eadem ſibi ipſi non ſit ſuperflua, ſed eadem ſemper ſufficiens & ſemper neceſſaria. Primum itaque vtrum eadem noſtra & illa ſit videamus : deinde vtrum ſemper eandem ſemper idem ſalutis ſequatur effectus. Sed Ambroſius quaſi reſpondens ſuæ quæſtioni ait : *Ioan. Chryſ.* Offerimus, ſed ad recordationem mortis eius : Et vna eſt hoſtia non multæ, quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius : idipſum, ſemper idipſum.

Notandum ergo quia quotidianum noſtrum ſacrificium idem ipſum dicit cum eo, quo Chriſtus ſemel oblatus eſt in cruce, quantum ad eandem veram hic & ibi corporis Chriſti ſubſtantiam : quod verò noſtrum quotidianum illius ſemel oblati dicit eſſe exemplum, id eſt, figuram vel formam : non dicit vt hic vel ibi eſſentialiter alium Chriſtum conſtituat : ſed vt eundem in cruce ſemel, in altari quotidie alio modo immolari & offerri oſtendat : B ibi in veritate paſſionis, qua pro nobis occiſus eſt, hic in figura & imitatione paſſionis ipſius, qua Chriſtus non iterum verè patitur, ſed ipſius verè memoria paſſionis quotidie nobis iteratur. Quod & ipſe Ambroſius notans ſubiecit : *Ioan. Chryſ.* Quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſed ipſum ſemper offerimus, magis autem ſacrificij recordationem operamur. Non ergo eſt in ipſius Chriſti veritate diverſitas, ſed in ipſius immolationis actione : quæ dum veram Chriſti paſſionem & mortem quadam ſua ſimilitudine figurando repræſentat, nos ad imitationem ipſius paſſionis invitet & accendat, contra hoſtem nos roboret & muniat, & à vitiis purgans & virtutibus condecorans, vitæ æternæ nos idoneos ac dignos exhibeat. C Licet enim oblatio in cruce ſemel ſuffecerit ad omnium ſalutem & redemptionem : tamen quotidie eſt etiam neceſſaria ad muniendam & mundandam humanam fragilitatem, quæ quotidie tentatur & labitur, vel criminalibus, vel ſaltem venialibus peccatis, ſine quibus hæc vita duci non poteſt. Non enim hac ſingulari victima tantummodo peccatorum abſolutionem à Deo conſequimur, ſed & contra tentationes munimur : quia cum *Nota.* ex perceptione corporis Chriſti viderit adverſarius hoſpitium noſtrum occupatum cœleſtis fulgore præſentiæ, intelligens locum tentamentis ſuis intercludi per Chriſtum, fugiet ac recedet: Sciendum igitur, quia licet oblatio Chriſti ſemel in cruce ſit vera, quotidiana autem in altari ſit figurata : prorſus tamen eadem hic & ibi noſtræ ſalutis eſt gratia, hic & ibi vera, ſufficiens, & ſemper neceſſaria, quia hic & ibi idem verus Chriſtus potens eſt ad omnia. Quod quàm evidenter ſancti atteſtentur ſubiectis eorum authoritatibus videamus : tam de Chriſti hic & ibi eſſentiali veritate, quàm de noſtræ ſalutis hic & ibi vera & æqua vtilitate. Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi : Semel oblatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen quotidie immolatur in ſacramento. D Quod ita intelligendum eſt, quia in manifeſtatione ſui corporis, in diſtinctione ſuorum membrorum omnium, verus Deus & verus homo ſemel tantum in cruce pependit, offerens patri ſeipſum, hoſtiam vivam, paſſibilem, mortalem, vivorum atque mortuorum redemptionis efficacem : eorum videlicet, quos altitudo divini conſilij redimendos indicavit, præſcivit, prædeſtinavit, modis atque temporibus quibus id fieri congruebat. Dicit ergo Chriſtum in manifeſto corpor. ſuo, & in diſtinctis membris humanitatis ſuæ ſemel paſſum in cruce : qui non manifeſtè, ſed inviſibiliter eſt in Sacramento quotidie, non paſſus, ſed quaſi pati repræſẽtatus. Vera enim paſſione Chriſtum iterum immolari nullatenus congruebat, tum quia impoſſibile erat immortalem occidi, tum quia crudele erat in ſacrificio Eccleſiæ hominem more beſtiarum E ſacrificando laniari, dentibúſque vorari. Quia itaque in Deum ſimul eſſe non poteramus crudeles & devoti, incruentum eſſe congruebat, quod pium erat fidelibus Chriſti : vt non vera Chriſti paſſione & morte ab eis immolatio compleretur, in qua Chriſtus propitiationem ſuam exequi omnibus dignaretur. In quo enim meliores eſſemus his qui eum crucifixerunt ; niſi pietate & devotione differremus ab eis, qui eum perdere præſumpſerunt ? Vnde Ambroſius in *Ioan. Chryſ.* Epiſtolam ad Hebræos : Sed in iſta carne & ſanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat, ſed vivificatricem ſubſtantiam atque ſalvatricem & ipſius verbi propriam factam in pane & vino credat : per quæ ſi dignè ſumantur, nobis eſt, peccatorum remiſſio collata. Vnde Auguſtinus in lib. de *Ioan.6.* Sacramentis altaris : Veritas ait, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis verè eſt potus.* Alioquin quomodo verum erit, *panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita :* niſi vera ſit caro ? Sed quoniam Chriſtum vorari dentibus fas non eſt voluit hunc panem & vinum F in myſterio verè carnem ſuam & ſanguinem conſecratione Spiritus ſancti potentialiter creari, & quotidie pro mundi vita myſticè immolari : vt ſicut de virgine per ſpiritum vera caro ſine coitu creatur, ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini, myſticè idem corpus Chriſti conſecretur. *Rite accipe potentialiter creari, id eſt, incipere eſſe ſub Sacramento. Vide notam ad Paſchaſij c.4. Cap.58.* Iteratur autem quotidie hæc oblatio, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit: quia quotidie peccamus, ſaltem peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas vivere non poteſt. Et ideo quia quotidie labimur : quotidie Chriſtus pro nobis myſticè immolatur. Hanc autem immolationem non vero ſed imaginario actu paſſionis & mortis fieri, & tamen veram ſalutem operari, teſtatur Gregorius in quarto libro dialogorum : Hæc ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſalvat, quæ nobis mortem vnigeniti per myſterium reparat. G Qui licet *ſurgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur :* *Rom.6.* tamen in ſeipſo immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ immolationis immolatur. Eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutem partitur : eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus quale ſit pro nobis Sacrificium : quod pro abſolutione noſtra paſſionem vnigeniti filij ſemper imitatur. Quamvis ergo non dixerit, paſſionem vnigeniti operatur verè, ſed imitatur imaginariè : tamen teſtatur illam victimam, nos verè ab æterno interitu ſalvare. Vnde venerabilis Beda in homiliis ſuis. Non ſolum lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum fudit in cruce : verum etiam quotidie lavat nos in ſanguine ſuo à peccatis noſtris, cum eiuſdem beatæ paſſionis memoria ad altare replicatur, cum panis & vini creatura in Sacramentum carnis & ſanguinis eius ineffabili ſpiritus transfertur ſanctificatione : ſicque corpus & ſanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipſorum funditur & occiditur, ſed fidelium ore ſuam ſumitur in ſalutem. Item Euſebius Emiſſenus : *Euſeb.* Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis noſtris, & ſyderibus illaturus, neceſſarium erat, vt nobis in H hac die Sacramentum corporis & ſanguinis ſui conſecraret, vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium ; vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua etiam eſſet redemptionis oblatio : & perennis illa victima viveret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Item Auguſtinus in ſermo. de 4. feria. *Aug. Cap.4.* Si ſanguinem Chriſti tota cum reverentia percipis, cognoſces per illum tua tibi dimitti peccata. Item in *Cap.6.* eodem. Tu anima Chriſtiana, vide ne deſeras menſam ſponſi tui, vt pulchra permaneas. Carnes eius quotidie manducabis, vt vitam æternam habeas : & ſanguinem eius potabis.

Quotidianam igitur Chriſti immolationem peccatorum remiſſioni, vitæ æternæ adeptioni neceſſariam,

& ſufficientem nobis aſtruximus. Ipſi autem Chriſto non ſupplicio paſſionis vel occiſionis eſſe moleſtam: ſed quadam ipſius paſſionis imagine nobis vtilem ad memoriam concitandam, & devotionem augendam, & imitationem provocandam oſtendimus. Cur enim Beatus Ambroſius ad recordationem mortis eius hoſtiam Chriſti quotidie offerri diceret, & noſtrum ſacrificium, exemplum illius ſacrificij: ſi tantis beneficiis nos vellet eſſe ingratos & non magis devotione & imitatione noſtra, tantæ gratiæ eſſe obnoxios? Sed tamen quia conſacramentales & concorporales ſumus Chriſto, licet non vera, ſed imaginaria paſſione in ſeipſo immoletur, vera tamen & non imaginaria paſſione in membris ſuis immolatur: quando nos, qui in memoriam paſſionis ſuæ Sacramentum tantæ ſuæ pietatis agimus ſacrificando ipſum, flendo & cor noſtrum vera compunctione atterendo mortem tam pij & dilecti Domini & patris annunciamus. Sicut enim cùm Petrus diceret: Domine quo vadis? Chriſtus reſpondit, venio Romam iterum crucifigi, vel ſicut Paulus ait: Suppleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea: ita & omnibus membris ſuis compatitur, vt & ſibi compatientibus conregnare facilius credatur: quia revera dignabitur eos eſſe participes ſuæ gloriæ quorum non dedignatur eſſe particeps ærumnæ. Cùm enim vinum pro Chriſto, aqua ſacrificetur pro populo, & vtrumque vnus ſanguis fiat, quid niſi capitis & membrorum inde compaſſione & morte vnitatem ſignificat? Vnde Auguſtinus in lib. 10. de Civitate Dei: Huius rei Sacramentum, quotidianum voluit Eccleſiæ eſſe ſacrificium: quæ cum capitis ipſius corpus ſit, ſeipſam per ipſum diſcit offerre. Non enim poteſt corpus crucifixi eſſe, qui crucifixus non eſt. Vnde Apoſtolus: Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Vnde Gregorius in dialogorum libro 4. Qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis Deo hoſtia erit: cùm noſipſos hoſtiam fecerimus. Item Ambroſius in libro de Sacramentis: Quia crucis ipſius ſignatus es forma, ab ipſius paſſione accepiſti ſignaculum atque ſimilitudinem: ut ad ipſius formam reſurgas, ipſius vivas figura, qui peccato crucifixus eſt & Deo vivit.

Ioan. Chryſ. — *Gregor.*

Quia igitur beneficiis & exemplis tam eximium, tamque utile nobis eſt corporis Chriſti Sacramentum, videamus ne nobis tantam gratiam aliquis error ſupplantet: Sed potius ipſa fidei veritas, ſicut certos ad ea quæ exhibet, ſic fortes conſtituat ad ea quæ monet. Infirmi enim qui circunferuntur omni vento doctrinæ, ſtatim vt audiunt quæ ignorant, de fidei veritate dubitant: quos quantum poſſumus, Deo annuente, ſanare ſtudeamus. Quia enim Sacramentum eſt figura veritatis Chriſti, & in figura Sacramenti fit figura imaginariæ actionis ſacrificij, in tot figuris veritatem latere titubant: maximè cùm dicatur Chriſtus ſemel immolari in ſeipſo, & quotidie in Sacramento: quaſi verus intelligi debeat, cum dicitur in ſeipſo, & non verus: ſed imaginarius in Sacramento. Sed ſciendum quia Chriſtus immolari dicitur in ſeipſo, id eſt, in humana forma, & in Sacramento, id eſt, in panis & vini forma: non quin tam verè hic immoletur in ſeipſo quantum ad ſubſtantiam, ſicut ibi, ſed ut notet hic & ibi diverſam eiuſdem ſubſtantiæ formam.

Idem Chriſtus in cruce & altari.

CAPVT XVII.

Quod dupliciter vel tripliciter dicitur corpus Chriſti. Hier. Aug.

HAc de cauſa etiam ſancti de corpore & ſanguine Domini variè loquuntur, ſed non contrariè: adeo ut beatus Hieronymus illud dupliciter, Auguſtinus autem tripliciter aſtruat accipi debere. In quo ne ſibi vel aliis ſanctis diſſentire videantur: quomodo corpus Chriſti duplex credendum ſit videamus. Ait Hieronymus in Epiſtolam ad Epheſios. Dupliciter ſanguis Chriſti & caro intelligitur, vel ſpiritualis illa atque divina, de qua ipſe ait: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: &, Niſi manducaveritis carnem meam & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam æternam: vel caro illa quæ crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea. Quod non dixiſſe quantum ad duplicem ſubſtantiam credendus eſt, ſed quantum ad duplicem eiuſdem ſubſtantiæ formam, qua nunc in panis & vini intelligitur forma. Quod Auguſtinus apertius oſtendit, qui cum tertium modum corporis Chriſti dixiſſet Eccleſiam, de eodem duplici corpore, vnde Hieronymus ita diſſeruit: corpus Chriſti eſt & illud myſticum quod ex ſubſtantia panis & vini per ſpiritum ſanctum conſecratur. Et addidit: Cæterum illud corpus quod natum eſt ex Maria virgine, in quod illud transfertur, &c. Quod iſtud per conſecrationem altaris in illud transferri & converti dicit, nota eandem ſubſtantiam. Quod autem diſcernit dicens, hoc vel illud facit, vt dictum eſt, ſecundum diverſam formam. Quam ſubſtantiæ identitatem perfectè ſubinnuens, ait de tertio corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. Ad quem ſi rectè communicamus, mentem dirigimus: vt nos corpus eius ex ipſo & ab ipſo carnem ipſius illo manente integro ſumamus. Cum enim carnem ipſius ex ipſo nos monet ab ipſo ſumere: quid niſi dantem & donum idem ſignificat eſſe? Et addidit: Quæ nimirum caro ipſa eſt, & fructus ipſius carnis, vt idem ſemper maneat, & vniverſos qui ſunt in corpore paſcat. Hoc corpus dicit Euſebius, ſideribus illatum, coli iugiter à nobis per myſterium. De hoc Sacerdos in fine cuiuſdam miſſæ orat, ut quod nos ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus: idem quidem notantes in ſubſtantia, diverſum in forma. Quam ſuam duplicitatem in cœna ipſe Chriſtus oſtendit, cum ipſe in humana forma præſens ſeipſum in Sacramento diſcipulis exhibuit. Hanc duplicitatem non ſubſtantiæ, ſed formæ, ſancti notaverunt, quoties de corpore Chriſti ipſum, non ipſum dixerunt: vt ipſum ſecundum ſubſtantiam, non ipſum ſit ſecundum formam.

In Cap. 1

Cum igitur corpus Chriſti in humana forma, corpus Chriſti in Sacramento, corpus Chriſti in Eccleſia tripliciter dicatur: his qui in ſacris Scripturis hoc diſcernere nequeunt, magna confuſio naſcitur: ut quod de vno corpore Chriſti dicitur, de alio dictum eſſe creditur. Eſt & alia item confuſio, quia cum corpus Chriſti tripliciter dicatur, corpori Chriſti in altari panis & vini attribuunt Sacramentum, ipſúmque corpus Chriſti in altari, Sacramentum faciunt corporis Chriſti in humana forma. Dum ergo forma panis & vini, Sacramentum corporis Chriſti in altari, & ipſum corpus Chriſti in altari Sacramentum dicitur humani corporis Chriſti, quod ipſum eſt, non idem ipſum eſt contendunt, ſed hoc quaſi diverſum ab illo conſtituunt. Dicet enim aliquis. Illud in altari, quod tu aſſeris eſſe verum corpus Chriſti, in ſacris literis appellatur ſpecies, ſimilitudo, figura, ſignum, myſterium, Sacramentum. Hæc autem vocabula ad aliquid ſunt, nulla verò quæ ad aliquid ſunt, poſſunt eſſe id quod ſunt ea ad quæ referuntur: Non eſt igitur Sacramentum corpus Chriſti. Et ſic de cæteris vocabulis in nullo præiudicatur fidei qua credimus, & veritati quam tenemus. Vt enim ſuperius dictum eſt, quantum ad viſibile Sacramentum, ſpecies & ſimilitudo illarum rerum ſunt nomina: quæ ante fuerunt panis ſcilicet & vini, non corporis Chriſti: Corpus verò & ſanguis Chriſti vocantur nuncupatiue, eo locutionis modo, quo res ſignificans, ſolet rei ſignificatæ vocabulo nuncupari. Vnde Auguſtinus in libro locutionum Geneſ. cap. 59. Locutio notanda eſt, ubi aliqua ſignificantia earum rerum quas ſignificant nomine appellantur: inde eſt quod ait Apoſtolus. *Petra autem erat Chriſtus*, non ait petra ſignificabat Chriſtum.

Cor. 10.

A

CAPVT XVIII.

Quod inviſibile corpus Chriſti in Sacramento, Sacramentum ſit viſibilis corporis Chriſti in humana forma, verè verè eiuſdem. Actio o dū exēplum. Luc. ult.

ET hoc quidem Sacramentum vel figura diverſa eſt à re ſua, ut res viſibilis ab inviſibili, ut ſupra dictum eſt. Sed tamen non iuſte quiſquam movebitur, ſi etiam eadem vera caro, idémque ſanguis Chriſti ſui ipſorum Sacramenta exiſtant, ſecundum aliud atque aliud accepta, imaginaria panis fractione & ſanguinis de calice effuſione, ita repræſentando veram fractionem corporis ſui & effuſionem ſanguinis in paſſione: verbi gratia, ſicut ego ſenex balbutiendo & reptando & ália puerilia mea imaginando repræſentarem me puerum, non alium tamen, ſed me ipſum, eſſémque ego ipſe figura & figuratus: actio tamen qua me ipſum repræſentarem in me ſene, eſſet imaginaria illius, quæ in me puero fuiſſet vera. Sed & Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam diverſa actione diverſáque temporum ratione, ſu ipſius typum geſſit & figuram. Vt enim ait Auguſtinus, apparens duobus diſcipulis, dum finxit ſe longius ire, ſignificavit ſe poſt paucos dies aſcenſurum in cœlum: quod iter longius eſt remotum à communi hominum vita. Chriſtus itaque longius ſeſe ire fingens: Sacramentum eſt Chriſti aſcendentis in cœlum. Idem eiuſdem: nec tamen uſquequaque eiuſdem. Idem namque verus Chriſtus & fingens & aſcendens: veruntamen aliud eſt figmentum terreni itineris, aliud eſt veritas in cœlum aſcendentis. Nec aliquis ita deſipit, ut propterea neget fingentem ſe longius ire, eſſe verum Chriſtum, quia figmento longioris itineris, ſignificat ſe verum Chriſtum in cœlum aſcenſurum. Ne ergo in re tanta, fide rudes titubent, divina gratia aſpirante quid de hac re ſentiendum ſit, ſanctorum authoritates oſtendent: vt corporis Chriſti in Sacramento Sacramentum ſignificans & ſignificatum, in panis & vini forma itémq; in hominis forma ſubſtantialiter & verè, unum eundémq; Chriſtum credant eſſe. Et de Sacramento quidem panis & vini, quod ſignificet & ſit nuncupativè corpus Chriſti, ſuperius dictum eſt. Quod verò verum corpus Chriſti inviſibile poſt reſurrectionem ſit Sacramentum viſibilis corporis Chriſti, in paſſione ſcilicet ſui ipſius: teſtatur Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi: Caro eius eſt, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus: caro videlicet carnis, & ſanguis Sacramentum ſanguinis. Carne & ſanguine vtroque inviſibili, intelligibili, ſpirituali, ſignificatur, corpus viſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti, & palpabile: plenum gratia omnium virtutum, & divina maieſtate. Item in eodem: Sicut ergo cœleſtis panis, qui verè Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cum revera ſit Sacramentum corporis Chriſti, illius videlicet, quod viſibile, palpabile, mortale, in cruce poſitum eſt: vocatúrque ipſa carnis immolatio, quæ Sacerdotis manibus fit Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non in rei veritate, ſed ſignificante myſterio: ſic Sacramentum fidei, quod baptiſma intelligitur, fides eſt. Vnde idem beatus Auguſtinus in Epiſtola ad Bonifacium: Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? Et tamen in Sacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur: nec vtique mentitur qui interrogatus, eum reſponderit immolari. Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent: omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine, plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut enim ſecundum quendam modum Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, Sacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ita Sacramentum fidei fides eſt.

B

C

Aug.

D

In quo notandum eſt, immolationem quam non rei veritate dixit fieri, ſola ſimilitudine Sacramenti veram immolationem Chriſti repræſentantis, mortem, paſſionem, crucifixionem, ipſo myſterio ſignificante debere intelligi ſicque baptiſma, quod eſt Sacramentum fidei, non in rei veritate, ſed ſola ſimilitudine fidem dici. Quod verò veram carnem Chriſti ſuo modo corpus Chriſti dixit vocari, cum revera ſui ipſius Sacramentum ſit, non ita intelligendum eſt, quaſi non verè dicatur corpus Chriſti, ſed ſuo modo, id eſt, ſibi ſingulariter proprio: quia cum omne corpus ſit viſibile atque palpabile, ſolum corpus Chriſti poſt reſurrectionem mutata natura non ſubſtantia, non eſt corporale, ſed ſpirituale, & inviſibile, vt dictum eſt ſuperius. Quod verò dixit ad Bonifacium. Sicut Sacramentum corporis Chriſti ſecundum quendam modum corpus Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei fides eſt: intelligendum eſt de forma panis & vini, quæ non verè, ſed figuratè & nuncupativè dicitur corpus Chriſti. Quia igitur Auguſtinus ad comprobandum, quod Sacramentum fidei fides diceretur, duas ſimilitudines dedit, vnā actualis Sacramenti, immolationis ſcilicet imaginariæ, alteram verò realis, formæ ſcilicet panis & vini: ut immolatio imaginaria figuratè vocatur mors, & crucifixio Chriſti, &, ſicut forma panis & vini figuratè vocatur corpus Chriſti: ſic Sacramentum fidei, ſcilicet baptiſma, figuratè vocetur fides. Notandum quod in altera harum ſimilitudinum cœleſtem panem, qui verè Chriſti caro eſt, non communi, ſed ſuo, & quaſi proprio modo corpus Chriſti vocari dixit: quia ſcilicet corpus illud non corporale, ſed ſpirituale & divinum præ omnibus corporibus ſingulariter * vidit. In altera autem Sacramentum corporis Chriſti, id eſt, formam panis abſolutè ſecundum quendam modum corpus Chriſti dixit: quia communi figura non exiſtentium quod dicuntur, illud dici corpus Chriſti notavit. Quod autem inviſibile corpus Chriſti Sacramentum viſibilis corporis Chriſti dixit: intelligibiliter tantum per exteriorem aliquam actionem, & non ſenſualiter accipiendum eſt.

E

F

* vivit.

Quomodo enim more cæterorum Sacramentorum viſibilium, id quod videri non poteſt, rei viſibilis eſſe poterit ſignum: niſi per exterioris alicuius actionis circa ſe imaginē?

G

CAPVT XIX.

Quod Sacramēta duobus modis ſignificant: vel ſua ex ſe ſimilitudine, vel alicuius actionis erga ſe. Ioan. 6.

QVia itaque de tertio corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſuperius ſatis dictum eſt, quia ſcilicet conſacramentalis eſt capiti ſuo Chriſto, & vt caput & membra vnum corpus cum ipſo eſt per gratiam, aliud tamen per ſubſtantiam: quot modis Sacramenta ſuis rebus ſimilentur, & eas ſignificent in triplici corpore Chriſti videamus. Duobus enim modis id facere videntur: ſcilicet vel ſua ex ſe ſimilitudine, vel alicuius exterioris actionis circa ſe. Sua ex ſe ſimilitudine ſacramentum ſignificat, ſicut cum Dominus dicit: *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi:* quia ſicut cibus & potus temporalem vitam, ſic ipſe dat æternam. Vnde ait: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et merito. Si enim tanta vis eſt in cibo qui non vivit, nec manet, vt labentem vitam huius temporis foveat & retineat quamdiu Deo placuerit: quanto magis Chriſtus cibus vivens immortaliter, vitam æternam conferre credendus eſt, quibus ſibi placuerit? Magis enim credendus eſt vitam conferre, qui vitam in ſe habet, & vita eſt: quam qui non habet. Cum enim ſit via, & veritas, & vita: corpus eius nobis viaticum eſt, ne moriamur & deficiamus in via, ſed perducamur ad vitam: Veritas eſt, ne eius promiſſionibus fallamur. Vita eſt, vt ea in perventione feliciter fruamur. In hac ergo mortali vita immortali cibo vitæ nos paſcit, ne in æternum moriamur. Nec ſolum ſua ex ſe ſimilitudine cibi & potus nomine & ſpecie, ſignificari ſe voluit vitam æternā: ſed etiam ex panis & vini ſimilitudine ſignificari voluit aliud corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam. Vnde Aug. in ſer. de Sacramentis fideliū Feria ſecunda Paſchæ. Quia paſſus eſt pro nobis cōmendavit nobis in iſto Sacramento corpus & ſanguinem ſuum,

H

A quod etiam fecit noſipſos. Nam & nos corpus ipſius facti ſumus, & miſericordia ipſius quod accepimus, (* al. non.) * ipſi ſumus. Et poſt pauca: Ad aquam veniſtis, conſperſis eſtis panis Dominicus facti eſtis. Quomodo unum videtis eſſe quod factum eſt: ſic unum eſtote vos diligendo vos. Item in ſerm. 26. ſuper Ioannem: Hunc itaque cibum & potum, ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia. Et poſt pauca: Huius rei Sacramentum, id eſt unitatis corporis & ſanguinis Chriſti, de menſa Dominica ſumitur: quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium: res verò ipſa cuius Sacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit. Cum enim cibo & potu id appetant homines, ut non eſuriant neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur, immortales facit, id eſt, ipſa ſocietas ſanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta. Propterea quippe B Dominus corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit. Eccleſiaſticam ſocietatem, cibum & potum ac panem Dominicum dixit: tum quia verè ſatiet in æterna beatitudine tum quia multos in unum redigit, vera charitate: quam ſocietatem qui verè acceperit, non poteſt privari æterna ſalute. Quia ergo ſacramentum corporis Chriſti ipſum Chriſtum, vel eius Eccleſiam ſua ex ſe ſimilitudine ſignat, videamus ſi ſimilitudine alicuius exterioris actionis circa ſe idem faciat. Auguſtin. in lib. ſententiarum Proſperi: Dum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur: quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiuſque ſanguinis de latere effuſio deſignatur? Ideo etiam ipſe corpus ſuum fregit & tradidit: ut ſignaret, quod ſponte ſua in paſſione ſe frangeret & traderet pro nobis, qui ſolus poteſtatem habebat ponendi animam ſuam: quod etiam in altari vice ſua imitantur ſacerdotes, ut idem repræſentent, id eſt, corpus Chriſti Sacramentum Chriſti & Eccleſiæ per exteriorem actionem. Ait (Serg. Papa.) C Sergius Papa: Triforme eſt corpus Domini, Pars oblata in calicem miſſa corpus Chriſti quod iam reſurrexit monſtrat: pars comeſta ambulans adhuc ſuper terram, pars in altari uſque ad finem Miſſæ remanens, corpus iacens in ſepulchro: quia uſque ad finem ſæculi corpora ſanctorum in ſepulchris erunt.

(Iulius Papa.) Item Iulius Papa in decretis, Epiſcopis per Ægyptum miſſis: Calix Dominicus iuxta canonum præceptum vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cum in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur: & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut mixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum quis tantummodo offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi verò aquam ſolam, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Sciendum tamen, quia licet prius myſtice vinum & aqua miſceatur, poſt conſecrationem tamen non niſi ſanguis bibitur: quia prius per D aquam baptiſmatis renati, poſtmodum non ſolum concorporales, ſed & conſanguinei Chriſto ſpiritualiter efficimur. Ad ſignandum autem Chriſtum, vinum: & ad ſignandum populum aqua miſcetur: quia etſi vinum de aqua dignius tamen per vitem, & Chriſtus de carne noſtra per Mariam generatur, & potentius ad reficiendum & inebriandum quam aqua invenitur, (Pſal. 22) *quia calix Domini inebrians, quam præclarus eſt?* dum ſui amoris fervore mens debriata, omnium terrenorum obliviſcitur. Vnde etiam inuſitato & ſtupendo miraculo poſtquam ſpiritum emiſit, (Ioan. 19.) *de latere Chriſti ſanguis & aqua* contra naturam manavit: ut regenerationis & redemptionis unum noſtræ ſalutis opus eſſe myſtice ſignaret, dum hoc duplici ſacramento unum corpus (Ioan. 5.) Chriſti & Eccleſiæ per ſpiritum ſanctum conformaret. *Vnde & tria ſunt, quæ Chriſto teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis:* quia & mirum fuit mortales de cœlo ſecundum promiſſionem Chriſti, ſpiritum Sanctum accipere: & mortuum more viventis non laniem, ſed ſanguinem, immo ſupra morem vivorum & mortuorum, cum ſanguine aquam de vulnere lateris fundere: quod tamen ſicut miraculum, ſic conſtat fuiſſe & myſterium. Sed quid curram per ſingula? Quicquid fit in officio Miſſæ, Sacramentum eſt Chriſti & Eccleſiæ. Vnde & Auguſt. in libr. de Trin. Quia morte Domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo & bibendo carnem & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt ſignificamus. Quod enim corpus Chriſti in Sacramento manibus fidelium tenetur, frangitur, dentibus atteritur, & ipſis incorporatur: ſignificat eum in paſſione manibus impiorum tantum, & uſque ad mortem fractum, & propter noſtra ſcelera attritum: Eccleſiam verò corpus ſuum ſcilicet, huius ſuæ paſſionis imitatione ſibi incorporatam & con- F formatam. Quod ipſi Chriſto iam immortali & incorruptibili facto nullus putet eſſe indignum, ſi fidelium devotio hoc ſibi in Sacramento repræſentet, ad dominicæ paſſionis imitationem, quod ipſe Dominus paſſurus fieri præcepit ad ſuam commemorationem: ut tantæ rei memoria excitata, præſentiaque divinæ auxilio & exemplo roborata, velit & poſſit per ipſius gratiam quod nullatenus præſumit per ſuæ fragilitatis naturam. Quod enim in Chriſti corpore permiſſum eſt malis ad ſuam damnationem, nec ignominioſum viſum eſt Deo patri propter noſtram ſalutem: multo magis ipſi placitum & glorioſum eſt, ut fidelium ſuorum manibus devotè in Sacramento frangatur, dentibus atteratur, ſicut ipſe præcepit: in ſuam commemorationem: non ut in Veritate quidem paſſionis, crucifixionis, mortis, ut ſupra dictum eſt, ſed ſignificante myſterio, ut ipſe quidem fractus & attritus integer permaneat, & redemptionis ſuæ gratia omnibus diviſa proficiat. Quod ut certius innoteſcat fidelibus: Berengarij Andegavenſis hæretici confeſſio, quam de huius rei catholica fide ſcripſit, & Romæ præſente Nicolao Papa, coram 113. Epiſcopis iureiurando firmavit, ad medium deferatur. G

Ego Berengarius indignus Eccleſiæ ſancti Mauritij Andegavenſis Diaconus, cognoſcens veram catholicam, & Apoſtolicam fidem anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus ſum: quæ aſtruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: nec poſſe ſenſualiter niſi in Sacramento ſolo, manibus ſacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Conſentio autem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ menſæ eandem me fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus authoritate Evangelica & Apoſtolica tenendam tradidit, mihique firmavit: ſcilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum corpus, & verum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolum in ſacramento, ſed & in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus at- H teri, iurans per ſanctam omouſion Trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Evangelia, &c.

CAPVT. XX.

(Quia in ſacrificio eſt Sacramentum corporale, & corpus ſpirituale, duæ ſunt eiuſ...)

QVia igitur aſſertione Berengarij hæretici in ſancta Synodo panis & vinum poſt conſecrationem non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguis Domini eſt: quod etiam Auguſtinus modis omnibus approbare contendit, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobuſque conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Chriſti carne & ſan-

A

Comeſtiones una corporalis, altera ſpiritualis, & hæc [illegible] Chriſti [illegible]

guine, Sacramento ſcilicet & re Sacramenti: ſecundum hæc duo, ſunt etiam duæ comeſtiones corporis Chriſti in Eccleſia una corporalis, altera ſpiritualis, una fit ore altera fit corde. Quarum corporalis communis eſt bonis & malis, his ad ſalutem, illis ad iudicium, ſpiritualis autem tantum bonis. Et corporali quidem ore corporaliter manducamus & bibimus, quoties de altari dominico ipſum Dominicum corpus ſubſtantialiter per manum ſacerdotis in Sacramnto panis & vini accipimus corde verò ſpiritualiter comedimus & bibimus, quoties ut ait beatus Auguſtinus, hoc quod pro ſalute noſtra filius Dei in cruce pependit in memoria recondimus: & non ſolum ad huius rei commemorationem, ſed etiam ad imitationem cruicifigendo carnem noſtram cum vitiis & concupiſcentiis, noſipſos accedimus. De corporali comeſtione ipſe Dominus ait, *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, Bibite, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Item Apoſtolus: *Qui manducat & bibit indigne, indicium ſibi manducat & bibit.* De ſpirituali verò comeſtione ait Auguſt. in ſerm. 26. ſuper Ioannem: Panem cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Et poſt pauca utramque etiam comeſtionem diſcernens ſubiecit; Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex eo manducaverit, non moriatur. Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum: qui manducat intus, non foris, qui manducat corde, non qui premit dente. Item idem in libro de verbis Domini: Tunc autem vita erit unicuique corpus & ſanguis Domini, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur. Item Gregorius in Homilia Paſchali: Sanguis agni ſuper utrumque poſtem ponitur: quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poſte agni ſanguis eſt poſitus, quando Sacramentum paſſionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur.

B *Cor. 11*

C

CAPVT XXI.

Quod ſicut nec minus à malo, nec magis à bono Sacerdote cõſecratur veritas corporis Chriſti: ſic nec minus à malo, nec magis à quolibet bono ſumitur quantum ad ſubſtantiã.

QVamvis igitur ſpiritualis comeſtio corporis Chriſti prior & dignior ſit quam corporalis quia illa tantum bonis, hæc autem communis eſt & bonis & malis: cum utraque tamen ſit ad ſalutem neceſſaria, & quantum ad ſubſtantiam dominici corporis, vera: videtur quærendum cur B. Auguſt. dixerit quia tunc erit unicuique vita corpus Chriſti, ſi in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur: quaſi non ipſa veritate corporaliter ſumatur, & mali qui corpus Chriſti Sacramento tenus tantum ſumunt, non verum illud ſumant, quia non ſpiritualiter illud capiunt. Vnde etiam aliqui errantes Chriſtum à Sacramento ſuo ſeparari autumant, ita ut malos potum Sacramentum & non corpus Chriſti ſumere aſtruant: & ipſum Iudam proditorem, quibuſdam ſanctorum authoritatibus contendant in cœna Domini communioni corporis Chriſti non interfuiſſe, quaſi corpus Chriſti non poſſit niſi qui incorporatur Chriſto verè ſumere. Propoſitis itaque his, quibus ſuum concipere videntur errorem, nos Deo volente ſubſequenter liberius aſtruemus ipſam veritatem: quia ſcilicet bonos verè omnino credamus corpus Chriſti ſumere: malos autem verè quidem quantum ad ſubſtantiam,& non verè quantum ad effectus gratiam.

D

Auguſt.

Ait Auguſt. in ſerm. 27. ſuper Ioannem: Carnem Chriſti & ſanguinem non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali: ſed uſque ad participationem ſpiritus, ut in corpore Domini tanquam membra maneamus ut eius ſpiritu vegetemur. Item idem in libro ſententiarum Proſperi: Eſcam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit: qui in Chriſto manet, & cuius habitator eſt Chriſtus. Nam qui diſcordat à Chriſto, nec carnem Chriſti manducat, nec ſanguinem bibit: etiam ſi tantæ rei Sacramentum ad iudicium ſuæ præ-

E

ſumptionis quotidie indifferenter accipiat. Ecce malos carnem Chriſti tantum in Sacramento quaſi non verè, ſed tantum figuratè ſumere: itemque eos etiamſi Sacramentum accipiant, carnem Chriſti non manducare aſtruere videtur: quod tamen non dicit quantum ad ſubſtantialem corporis Chriſti veritatem, quam licet indigni ad iudicium ſuum, verè tamen ſumunt: ſed quantum ad gratiæ Sacramenti virtutem quam negligunt. Sed iterum B. Hilarium Pictavienſem in expoſitione ſuper Matth. quaſi teſtem huius rei faciunt, qui manifeſtè videtur aſſerere, à Domino Iudam à tanti Sacramenti communione excluſum, quia indignum. Ideoque eum non potuiſſe bibere ſanguinem Chriſti in myſterio, quia eum non erat bibiturus in regno. Dicit enim ita. Poſt quæ Iudas proditor indicatur, ſine quo Paſcha accepto calice & fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum Sacramentorum communione non fuerat: quia æternæ vitæ indignus erat. Nam diſceſſiſſe ſtatim hinc intelligitur, quod cum turbis reverſus oſtenditur. Neque ſane cum eo bibere poterat in myſterio, qui non erat biberurus in regno: cum univerſos tunc bibentes ex vitis iſtius fructu bibituros ſecum poſtea pollicieretur. Si itaque Aug. ita verè & non verè à Sacramento malos removiſſe, & Hilarium ita ipſum Iudam à communione excluſiſſe oſtenderimus, ut ſibiipſis vel aliis ſanctis non ſint contrarij: manifeſtum erit, Deo volente, quia mali corpus Chriſti ſumunt, verè quantum ad ſubſtantiam, & non verè quantum ad gratiam. Et prius quidem verba B. Hilarij concorditer cum aliis ſanctis exponantur. Sine Iuda enim Paſcha, id eſt, tranſitum ad vitam confici dicit: quia ſpiritualiter eius particeps non fuit. Vnde etiam ſubiecit: Dignus enim æternorum Sacramentorum communione non fuerat, quia æternæ vitæ indignus erat. Quod ex effectu operis approbat, quia ſtatim poſt buccellam ad perditionem exivit. Quod ſe non ſecundum corporalem & temporalem communionem dixiſſe: ſed ſecundum ſpiritualem & æternam, cuius tantum boni participes ſunt, oſtendit cum ſubiungit: Neque ſanè cum eo bibere poterat in myſterio, qui non erat bibiturus in regno. Quomodo enim corporaliter corporale cum eo bibere ſacramentum non poſſet: qui eatenus ab ordine Apoſtolico & ſuo conſortio remotus non fuerat, cùm teſte Apoſtolo & cæteris ſanctis malos quotidie videamus ſumere indifferenter corpus Domini non ad ſalutem, ſed ad iudicium? Niſi ergo Iudæ illa impoſſibilitas ſumendi corpus Domini ſpiritualiter aſcribatur, cum cæteri mali illud corporaliter ſumere poſſint & conſueverint, ipſum ſolum non potuiſſe quod cæteri poſſunt, procedere non videtur. Quia ergo tolerabiliter expoſitum eſt, Iudam à confectione corporis Chriſt ſpiritualiter ut indignum abfuiſſe: ſi teſtantibus aliis ſanctis corporaliter affuerit, & ipſum ſacramentum ab ipſo Domino ſumpſerit, videamus. Ait Leo Papa in ſermone cuius initium eſt: Scio quidem dilectiſſimi: Diſcumbentibus diſcipulis, ad edendam myſticam cœnam, cum in Cayphæ atrio tractaretur quomodo Chriſtus occidi poſſet: ille corporis & ſanguinis ſui ordinans ſacramentum, docebat qualis hoſtia Deo deberet offerri, ne ab hoc quidem myſterio traditore ſubmoto: ut oſtenderetur nulla iniuria exaſperatus qui voluntaria erat impietate * præſtitutus. Et poſt pauca: Cur infelix Iuda tanta benignitate non uteris? Non Apoſtolici ordinis honor, non ſacramentorum tibi communio denegatur. Item Aug. in ſerm. 26. ſuper Ioannem: Non ut putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas corpus Chriſti accepit. Intelligendum eſt enim, quod iam omnibus eis diſtribuerat Dominus ſacramentum Corporis & ſanguinis ſui, ubi & ipſe Iudas erat, ſicut S. Lucas evidentiſſime narrat? ac deinde ad hoc ventum eſt, ubi ſecundum narrationem Ioannis apertiſſimè Dominus per buccellam intinctam atque porrectam, ſuum exprimit traditorem. Quia igitur Leo traditorem à myſterio corporis Chriſti non

Hilarius Cap. 30.

F

G

Sermone de paſſione Domin. 7 Leo Pap.

H

** præſcitus.*

eſſe

A

eſſe ſubmotum, & ipſam ſacramentorum communionem non ei fuiſſe negatam: itemque Auguſtinus ipſum Iudam interfuiſſe, ubi Dominus ſacramentum corporis & ſanguinis ſui omnibus diſcipulis diſtribuerat, Luca enim Evangeliſta teſte affirmat: videndum eſt quomodo Iudas & cæteri mali corpus Chriſti ſumere & non ſumere intelligantur: ne tanti patres in quibus erat unus ſpiritus non diſſenſionis, ſed pacis, à ſe diſſentire videantur. Quam quæſtionem ipſe Auguſtinus in ſermone de blaſphemia ſpiritus ſancti tractans ait: Illud etiam quod ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*: quomodo intellecturi ſumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apoſtolus, quod iudicium ſibi manducent & bibant, cum ipſam carnem maducent, & ipſum ſanguinem bibant? nunquid & Iudas Magiſtri venditor, & traditor ipſius, quamvis ipſum manibus eius confectum ſacramentum carnis & ſanguinis eius cum cæteris diſcipulis, ſicut apertius Lucas Evangeliſta declarat, manducaret & biberet: manſit in Chriſto; & Chriſtus in eo? Sed profecto eſt quidam modus manducandi carnem Chriſti, & bibendi ſanguinem: quo modo qui manducaverit, & biberit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo. Item idem in ſermone de verbis Evangelij: Quid eſt Chriſtum manducare? Non hoc ſolum eſt in ſacramento corpus eius accipere. Multi enim indigni accipiunt, de quibus Apoſtolus ait: Qui manducat & bibit calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Sed quomodo manducandus eſt Chriſtus? Quomodo ipſe dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. Si in me manet & ego in eo, tunc manducat & bibit. Qui autem in me non manet, nec ego in eo: & ſi accipit ſacramentum, acquirit magnum tormentum. Quod non dicitur quidem quaſi Chriſtus à ſacramento ſuo propter malitiam alicuius ſumentis ſeparetur quantum ad veritatem ſuæ ſubſtantiæ, ſed quantum ad effectum ſuæ gratiæ: quia cum corpus ſuum det in ſacramento, ut perfecta unitate ita incorporetur corpori ſuo, ut in ſe maneat tanquam capite ſuo, & ipſe in eo tanquam membro ſuo? non poteſt uniri tam mundum caput fœdo & putrido membro. Ait enim Auguſtinus in ſermone ſuper Ioann. 26. Qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Participatio filij per unitatem corporis eius & ſanguinis, quod illa manducatio potatióque ſignificat, nos effici meliores. Vivimus ergo nos propter ipſum, manducantes eum: id eſt, ipſum accipientes vitam æternam, quam non habebamus ex nobis. Quamvis autem iſta ſignificatio unitatis non compleatur in malis, ut meliores efficiantur & vivant propter Deum: non tamen minus eſt ſubſtantialiter & verè corpus eius quod ſumunt. Vnde Auguſtinus in lib. 5. de baptiſmo: Sicut Iudas cui buccellam tradidit Dominus non malum accipiendo, ſed bonum malè accipiendo, locum in ſe diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumens Dominicum ſacramentum non efficit, ut quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & ſanguis Domini nihilominus erat etiam illis, de quibus dicebat Apoſtolus: *Qui manducat & bibit indignè: iudicium ſibi manducat & bibit.* Quia ergo ſuperius ſatis aſtructum eſt, quod corpus Chriſti manducare in veritate ſubſtantiæ poſſunt etiam mali, in veritate autem ſpiritualis gratiæ poſſunt tantummodo boni: cum etiam ſuperius dictum ſit, quod corporalia ſacramenta ſunt quaſi quædam verba: videamus, ſi in verbis accedat etiam aliqua ſimilitudo ad hanc rem manifeſtandam ſacramentis. Sicut enim verbum eſt ſonus, ſignificans & continens intellectum: ita ſacramentum eſt ſpecies panis, ſignificans & continens Chriſtum. Et ſicut verbum à quibuſdam auditur & intelligitur, & ſic omnimodis percipitur, à quibuſdam verò auditur, ſed non intelligitur: & tunc percipitur quidem exterius aure quantum ad ſonum, non etiam interius corde quantum ad intellectum, nec minus tamen continet intellectum ſi non intelligitur, quam habet ſonum ſi non auditur: ſic incredulus vel indignus, ore quidem ſumit ſacramentum exterius in panis ſpecie, nec tamen interius ſumit corde corpus Chriſti in unitatis & conformitatis veritate: non tamen ſacramentum minus eſt corpus Chriſti in veritate ſubſtantiæ: cum qua percipitur etiam à malis, quam cum & veritate ſubſtantiæ, & veritate ſpiritualis gratiæ, omnimodo percipitur à bonis. Vnde etiam Auguſtinus in Pſalm. 54. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Intellexiſtis ſpiritualiter, ſpiritus & vita ſunt: Intellexiſtis carnaliter, etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt: ſed tibi non ſunt. Spiritualiter intelligite, quæ locutus ſum. Sicut ergo verba ſpiritualiter intellecta & non intellecta, ſemper ſpiritus & vita ſunt: ſic corpus Chriſti ſpiritualiter & non ſpiritualiter ſumptum, non minus eſt in veritate ſubſtantiæ, quamvis tibi non, quiſquis indignè accipis, in veritate gratiæ. Quodammodo enim quaſi ſentis corpus Chriſti corporali guſtu, ſed non ſapis ſpirituali affectu. Et pro quanta parte ſaporem dulcedinis, & ſuavitatis eius non percipis, corpus Chriſti tibi non eſt, quod tamen pro quanta parte exterius ſumere præſumis, corpus Chriſti non minus eſt: ſicut & verbum non eſt verbum audienti & non intelligenti, ſed tantum ſonus, & tamen non minus eſt verbum. Cum ergo malos corpus Chriſti verè ſumere, ipſumque Iudam à ſummo ſacerdote Chriſto cum cæteris Apoſtolis accepiſſe ſancti teſtentur: aſtructum etiam videtur, non eſſe nobis noxium, ſi à nobis vel nobiſcum mali malè ſumant ſacramenta, cum Iudas ab ipſo Chriſto cum cæteris Apoſtolis acceperit: nec etiam à pravis minus verè confici ipſa ſacramenta, cum ipſe proditor tanti officij miniſterium à ſummo pontifice accipiens cum cæteris, hoc facite in meam commemorationem, audierit. Si enim ſicut ei à Domino iniunctum fuerat, corpus Domini confeciſſet: nunquid verè minus ab ipſo pravo, quam à quovis bono factum fuiſſet? Quia enim Iudas accuſatus & damnatus non fuerat, ideo Chriſtus conſcientiam eius perverſam, quamvis ſibi notam, damnare noluit: ut nos inſtrueret, quod aliquorum pravitas, nec converſatione, nec ſacramentorum conſecratione vel comparticipatione bonis aliquatenus nocere poſſit. Vnde Auguſtinus in * libro de corpore Domini: Intra Catholicam Eccleſiam in myſterio corporis Chriſti nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris, & in virtute ſpiritus ſancti. Si enim in merito eſſet ſacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Item Auguſtinus ad Parmenianum lib. 2. in omnibus quæſtionibus intelligendum admonemus: quia ſcilicet omnia ſacramenta cum ob ſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus. Item Auguſtinus contra Donatiſtas: Communio malorum non maculat aliquem participatione ſacramentorum: ſed conſenſione factorum. Item idem in homiliis ſuis: Vt ſufferas etiam eum quem noſti malum, attende Apoſtolum dicentem: *Vnuſquiſque onus ſuum portabit.* Non enim cum illo communicas avaritiam: ſed Chriſti menſam. Et quid obeſt ſi communices cum illo menſam Chriſti? Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: ſibi inquit non tibi. Quia igitur, ut ait Leo, Iudæ Dominus nec negavit Apoſtolici ordinis honorem in conficiendis ſacramentis, nec communionem in ipſis percipiendis, multum providit Eccleſiæ ſuæ oſtendens per * hunc ſolum innoxiam ei fore malorum prælationem vel converſationem, in quo niſi eſſet præciſa tanti cauſa ſchiſmatis, multi magis ſuperbè quam religioſe calcibus etiam à ſe repellerent eos qui apud ſe minoris eſſe viderentur æſtimationis. Vnde Auguſt. in ſerm. 49. ſuper Ioannem: Quid voluit Dominus admonere Eccleſiam ſuam, quando unum perditum inter duodecim habere voluit, niſi ut malos toleremus, ne corpus Chriſti dividamus?

Marginal notes, left column: A; *De verbis Domini, ſer. 11.*; B; C; *Cap. 8.*; D; *1. Cor. 11.*

Marginal notes, right column: E; F; G; * ſermone.; *Cap. 10.*; *Galat. 6.*; H; * hoc.

A Ecce inter ſanctos eſt Iudas, ecce fur eſt & ſacrilegus: talis cum diſcipulis ad cœnam Dominicam acceſſit, converſari cum eis potuit, inquinare eos non potuit.

CAPVT XXII.

Quomodo verè & ſalubriter ſumatur corpus Chriſti. Clem. Pap. Epiſt. 1.

MAlos quidem malè ſumere ſacramenta, ſed tamen verè oſtendimus: nunc qualiter boni non ſolum verè, ſed & ſalubriter ſumere valeant, videamus. Ait Clemens Papa in Epiſtola ſua: In perceptione corporis & ſanguinis Domini, magna diſcretio adhibenda eſt. Cavendum eſt enim, ne ſi nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino? Niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si verò indiſcretè accipiat, timendum eſt illud quod ait Apoſtolus: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Ideo iuxta eiuſdem Apoſtoli vocem. *Probet ſeipſum homo & ſic de pane illo edat, & de calice bibat:* ut videlicet ab operibus carnis purificans corpus animamque ſuam, præparet ſe ad percipiendum tantum ſacramentum. Item beatus Hilarius, Si tanta non ſunt peccata ut excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis Domini ſubtrahere. Vnde timendum eſt, ne diu abſtractus à corpore Chriſti, alienus remaneat à ſalute. Qui peccare quievit, communicare non deſinat. Item Ambroſius: Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur: qui ſemper pecco, debeo ſemper accipere, debeo ſemper habere medicinam. Item beatus Cyprianus Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus. Quod diſtinguens Auguſtinus ſcribit ad Ianuarium: Dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam Euchariſtiam, alius affirmet quotidie; faciat unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus & ille centurio: cum alter eorum, *gaudens in domo ſua ſuſceperit Dominum*, alter dixerit, *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum:* Ambo ſalvatorem honorificantes, quamvis non uno modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti. Item idem alibi: Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo nec vitupero: omnibus tamen diebus Dominicis communicandum ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quam purificari. Et ideo quamvis peccato quis mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miſeratione accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed de illo hoc dico, quem mortalia peccata non gravant. Quibus ſanctorum verbis, magna nobis indicitur bene operandi neceſſitas: ne corpus Domini indignè ſumendo, ſumamus iudicium: vel ſumere ceſſando, hoc modo etiam alienati à vita, mortis nihilominus incurramus periculum. Neceſſario enim Agnus ſumendus eſt, ut à vaſtante Angelo protegamur. Sed ſi tantam medicinam ſumere vel non ſumere periculum eſt, quo evademus? Sed ne his anguſtiis circumventa humana deſperet infirmitas, Auguſtinus unicuique ſumendi & non ſumendi propriæ diſcretionis relinquit arbitrio quamvis pro certo à tanta medicina, vel peccati pertinacia, vel ipſius ſacramenti negligentia ſubtrahit, magnum ſalutis ſit detrimentum. Non eſt enim ſine magno gratiæ privilegio: quod Deus etiam corporaliter humani corporis & cordis uti dignatur diverſorio: nec tantum ad hoſpitandum ut in templo ſuo, ſed ad incorporandum ſibi ut membrum capiti ſuo. Quid enim ad ſalutem nobis deerit: cum ille qui ſalus eſt omnium, nobis unitus fuerit? non eſt ergo deſperanda invicta Dei gratia, quantamcunque hoſtis fraudem, quantamcunque noſtram fragilitatem attenderimus: quia vel hoſtis fraude, vel noſtro vitio anguſtiorem Dei gratiam conſtituimus, ſi hoſtem potentiorem ad nocendum, quam Deum ad liberandum: nos autem habiliores ad labendum, quam ipſum ad ſtabiliendum crediderimus. Quid verò eſt quod ait Apoſtolus, *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*: niſi hæc potentior ſit ad ſalvandum, quam illud * ad perdendum? Non eſt ergo metuenda bene operandi neceſſitas, quibus in Deo tanta ipſius neceſſitatis eſt facultas: ut quicquid bene voluerimus, per eum qui omnia poteſt poſſimus. Vnde etiam beatus Hilarius inchoantibus & imperfectis condeſcendens ne quis Dei gratia diffidat, conſilium dedit, ut qui peccare quievit, communicare non deſinat: quamvis eos qui in affectu peccandi ſunt vel de criminalibus dignè non pœnituerūt, vel ab his miniſtris qui extra Eccleſiam ſunt conſcio ſumere interdicat authoritas. Quia igitur ſicut magna ſpe, ſic magna diſcretione ſumendum eſt corpus Domini, cum de perfectis ſatis ſuperius dictum ſit, quod corpus Domini ſint, & ſumant, quia Chriſtus in eis & ipſi in eo maneant: de imperfectis, qui corpus Chriſti fieri & ſumere volunt, qualiter hoc idoneè faciant videamus. Vt ergo de criminaliter peccantibus ſua decreta ſerventur, quia etiam in Ægypto datus eſt agnus Iſraëlitis, ſed inde ſtatim exituris: dandus eſt item agnus Dei peccatoribus, ut à vaſtante Angelo protegantur, ſed deinceps peccatis renunciaturis.

In quo quia ab ipſa figura agni traximus ſimilitudinem ab ipſa comparemus etiam ſumendi diſcretionem. In una domo agnus comedi, nec inde aliquid efferri præcipitur: quia cum extra Eccleſiam non ſit locus veri ſacrificij, quantiſcunque polleat moribus quis, non rite dat vel ſumit agnum, niſi catholicus, unitatem ſcilicet Eccleſiæ ſervans, tam fide, ne ſit hæreticus, quam obedientia, ne ſit ſchiſmaticus. Vnde Hieronymus in Eſaiam: etenim *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*: qui non foris, ſed intus & in domo una comeditur. Accinctus autem renibus, calciatis pedibus, baculos tenentes, agnum iubemur comedere, cum lactucis agreſtibus feſtinantes: ut caſtitate præcinctis, & ne à ſerpentibus in via huius ſeculi mordeamur, exemplis ſanctorum patrum munientes greſſus actuum noſtrorum virga diſciplinæ caſtigantes carnis intemperantiam: comedamus agnum cum lactucis agreſtibus, id eſt, amara compunctione plenis, ita cum deſiderij fervore feſtinantes ad patriam. Eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini, quo ex hoc mundo tranſivit ad patrem, cum quod deſidia tardus, & ſuper ollas carnium in ſeculi Ægypto remoratus, tranſire non prævalet, ut illuc perveniat ubi Chriſtus in dextera Dei ſedet. Sed ut dictum eſt, ideo ſe unit nobis in ſacramento, ut quod nobis eſt impoſſibile, poſſibile fiat in ipſo.

Cur Chriſtus corpus ſuum ipſa ſuæ paſſionis hora dederit.

Vnde etiam ne quod dabat, inane videretur & frivolum: nec ante, nec poſt, ſed ipſa paſſionis & tranſitus ſui hora ſacramentum corporis ſui dedit & ſanguinis: ut unde dabat exemplum, daret etiam myſterij exordium, quatenus memoriæ noſtræ arctius paſſionis ſuæ characterem imprimeret, ſpei noſtræ certius tranſitus ſui, & noſtri viaticum delegaret, cum illud ſicut primus primum, ſic in extremo temporalis vitæ ſuæ ſub novi teſtamenti aſſignatione daret extremum. Teſtamento enim ſanguinis ſui data redemptione & peccatorum remiſſione, pactum quod habebamus cum morte delevit, vitæ æternæ fœdus nobiſcum pepigit: & tanti teſtamenti ſacramentum ad confœderandam ſibi ſanctam Eccleſiam in commune omnibus reliquit: ut unde habemus guſtum in via, ſatietatem quæramus in patria, & ipſum per ipſum inveniamus, cum in manifeſta ſua apparuerit gloria. Cum enim corpus Chriſti ſumpſerimus, & corpus eius facti fuerimus: tranſibit ipſe in nobis ad patrem, tranſibimus & nos in illo: ut cum illo in tanti tranſitus labore

Margin notes: B 1. Cor. 11. — Hil. Pap. — Ambroſ. — Cyprianus Ser. in orationem Dominicam. — Auguſt. Epiſt. 118 Cap. 3. — Matt. 8. — Luc 19. — C — Libro de Eccleſiaſt. dogm. c. 53. — D — Non ad cibi ... — Rom. 5. — * al. ad perimendum. — F — Exod. 12. — 1. Cor. 5 Exod. 12. — G — H

A unum facti, unum ſemper ſimus in perventionis gaudio.

Non ſolum ſpiritualiter, ſed & corporaliter ſumendum corpus Domini.

Sciendum autem non tantum ſpiritualiter, ſed & corporaliter ſumendum eſſe corpus Domini: quia & agni ſanguis, qui à vaſtante Angelo protexit, utroque poſte reſperſus eſt: ut verum agnum non minus ore corporis, quam ore cordis ſumi debere ſignaret: quia qui utrumque, corpus ſcilicet & animam venit redimere, utrique ſe voluit in ſacramento ſuo communicare: ut dum anima crederet quod corpus guſtaret, utrique una ſpes ſalutis æqualiter in Chriſto proveniret.

Videndum autem cum ad edendum agnum lex dederit in calceamentis cautelam, ne à vitiis fallamur: in baculo diſciplinam, qua perpetrata corrigamus: in lactucis compunctionem, ut nón ſolum exterius, ſed & interius pœnitentiam agamus,: in feſtinatione, de-
B deſiderij ardorem, quo ad cœleſtia ſuſpiremus: cur accinctis renibus abſtinentiam libidinis expreſſius indixerit, cum de cæteris vitiis nihil nominatim, ſed communiter omnium vel cautelam vel diſciplinam figuraverit.

Luxurioſe viventes, maximam Chriſti ſacramento contumel à irrogant.

Vnde ſciendum, quia agnum Dei ſine macula; qui virginis eſt filius, luxurioſi & inceſti ſumunt periculoſius: quia cum in ſacramento Chriſti ei uniri debeamus, conformitate paſſionis & munditiæ, nihil ſic adverſatur paſſioni crucis, ut voluptas, nihil ſic munditiæ ut fœditas, nihil ſic eius unitioni, ut fornicariæ ſocietatis unitas. Libido enim appetitu ſuo allicit & incendit, actu ſuo fœdat & eneruat, uſu lubricat & illaqueat: adeò ut placendo diſplicens, diſplicendo placens, difficilem aut nullam ſui pœnitudinem admittat: & niſi valida manu miſericordiæ Dei ſubventum fuerit, miſerabili fine ſuo, amatores ſuos ſine fine perdat. Vt enim prætermittam eam quæ extra naturam abominabilis eſt & nefanda, & intra naturam in inceſtibus & adulteriis deteſtanda, vel in fornicatio-
C nibus & ſtupris letifera: illa etiam in coniugiis quæ eſt licita, etiamſi non aufert vitam, adeo tamen minuit coronam: ut cum virginitas centeſimum, viduitas ſexageſimum, coniugalis copula extremum, & triceſicum referat fructum. Si ergo ita humiliat, ubi quod non expedit, ſanat indulgentia: quantum nocet illa, cui divinæ imminet indignationis cenſura? Hæc enim peſtis, quo præ cæteris vitiis eſt naturæ familiarior, eo ad cavendum difficilior: quia cum repellitur, nolenti ſe ingerit importuna, cum admittitur, volenti incumbit blande oneroſa, & dum ſic ſenſim infundit amorem ſuum, prorſus extirpat amorem cœleſtium. Sed quid è contra faciendum eſt, ne pereamus? Quia ad vitam non pervenitur niſi per anguſtam viam difficilem, ſed cooperante Deo, non impoſſibilem ingrediamur ſemitam: ut quia humana non proficimus, An-
Matt. 7. gelicam in terris vitam ducamus, quatenus caſtitatis munditia, corde & corpore Chriſti munditiæ conformes, ne cœleſti alimonia indignè reficiamur: ſimus ſpe & converſatione cœleſtes, quia panis Angelorum non niſi Angelicæ vitæ eſt ſtipendium. Vnde etiam
D pravi dum communicare præſumunt cibo, qui incommunicabilis eſt pravitati (ut ait Apoſtolus) *imbecilles*
1. Cor. 11. *fiunt, & dormiunt multi, quia non diiudicant corpus Domini*: ut vel corporalis infirmitatis moleſtiæ corrigantur per Dei miſericordiam, vel dormitione mortis corporalis vitam amittant temporalem & æternam. Ad quod periculum vitandum conſulens Apoſtolus ait: Probet
Ibidem. ſe homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: quia revera ſollicitè debet perpendere cuius ſit actionis, vel ſaltem intentionis, qui tantæ vult fieri particeps communionis.

E

LIBER SECVNVS.

Attente & cum iudicio legendum hoc caput. Certum quidem eſt ex fide catholica corpus & ſanguinem Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ verè & propriè nullam poſſe pati læſionem, alterationem, vel ullam realem & inhærentem ſui tranſmutationem phyſicam, ex his quæ ſpeciebus ſacramentalibus quoquo modo accidere poſſunt; neque enim comburi, conſumi, corrumpi, frangi, vulnerari, arrodi, &c. Chriſti corpus aut ſanguis in Euchariſtia poteſt. At nihilominus compertum eſt ex vera Theologia ſacramentales Euchariſtiæ ſpecies verè & propriè frangi: conſumi, corrumpi, nutrire, alterari, poſſe quoque comburi, à
F *muribus arrodi, ab animantibus devorari, nec id tantum apparenter, ſed re ipſa fieri. Vide S. Thomam 3. p. q. 77. art. 3. 4. 5. 6. 7. eiuſque interpretes & cæteros Theologos ſcholæ, ac cum primis Bellarminum lib. 3. de Euchariſtia cap. 10. Vide notam quam appoſuimus ad lib. 2. Guitmundi.*

CAPVT I.

QVIA ſuperiori libello de veritate & poteſtate corporis Chriſti, aſpirante ſua gratia aliquantulum explicuimus: de ipſius ſacramenti quæſtiunculis, quantum Deus dederit videamus. Diximus ſuperius non minus ore corporis, quam ore cordis, corpus Domini eſſe ſumendum: ſed ex hac ipſa viſibili & corporali comeſtione, quæ ſacramento tenus fit, naſcitur hæreſis fœdiſſima Stercoraniſtarum. Dicunt enim tantum ſacramentum ſicut corporali comeſtioni, ſic & ſeceſſui eſſe obnoxium. Volunt autem hæc aſtruere cum multis argumentis, tum ipſius Chriſti teſtimonio, ita in Evangelio dicentis: *Omne quòd intrat in os, in* *Mat. 15.*
ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur: cum conſtet hoc G
eum dixiſſe non de ſpirituali cibo, ſed de communi & carnali. His igitur obſcænis hæreticis periculoſum eſſet ſuper hoc aliquid reſpondere, magiſque dignum aures noſtras obturare: niſi periculoſius eſſet eos in ſcandalum Eccleſiæ talia proponere, & tantum eorum falſitatem nos nullis fidei catholicæ rationibus reverberate.

Quibus primum illud beati Hilarij opponimus, quo *Lib. 8. de*
non humano aut ſæculi ſenſu in Dei rebus monet lo- *Trinit.*
quendum. Deinde illud ipſius ſapientiæ elogium: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Quonam enim modo panis efficiatur caro, vinum vertatur in ſanguinem Chriſti, utriuſque eſſentiæ mutata natura, *Eccl. 3.*
vel utrum vadant in ſeceſſum more ciborum commu- *c. 1.*
munium: iuſtus qui ex fide vivit ſcrutari & ratione concipere non quærit. Vnde Gregorius in homilia Paſchali: quod ex agno remanet, igni comburimus: quando hoc quod de myſterio incarnationis eius intel- H
ligere non poſſumus, poteſtati ſancti ſpiritus humiliter reſervamus. Scimus enim hoc ſacramentum omnimoda reverentia eſſe à communibus eſcis ſecernendum. Quia, ut ait Apoſtolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini, id eſt, à cæteris eſcis non diſcernens, &c. Licet enim ſimili modo, quantum ad comeſtionem per os in ventrem mittatur, abſit tamen ut tantum ſacramentum ſeceſſui credatur obnoxium, in quo ſi huiuſmodi naturæ ordo compleatur, myſterium fidei nimia ſua indignitate humiliatur. Si enim, ut ait Euſebius, hæc hoſtia fide æſtimanda eſt, non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, cùm huius hoſtiæ ſubſtantia, credatur Chriſtus, cur pro ſpecie panis, qua opertus eſt, adiudicatur ei ſeceſſus indignitas, cum exteriori ſpecie vel viſu non ſit cen-

A ſendus? Quod non ſolùm eſt contra fidem, ſed & contra naturæ rationem. In illis enim ſpeciebus panis & vini, vel nulla eſt niſi corporis Chriſti ſubſtantia, vel fides noſtra eſt irrita. Panis enim & vini ſubſtantia in corpus & ſanguinem Chriſti converſa, dum facta eſt quod non erat, deſtitit eſſe quod fuerat. Si ergo ſubſtantia panis ibi non eſt, quid * defœdari & corrumpi uſque ad ſeceſſum poteſt? Nam ſubſtantia Chriſti, quæ verè ibi eſt, & in quam ſubſtantia panis & vini converſa eſt, nullatenus corrumpi credenda eſt: quia incorruptibilis eſt. Vnde Ambroſius: Corpus Chriſti alienum eſt ab omni corruptione: quod quicunque religiosè guſtaverit, corruptionem ſentire non poterit. Et merito. Quam enim incorruptionis gloriam nobis largiretur, qui in ſeipſo tantam corruptionis ignominiam pateretur? Sed & qui, quamvis hoc mortis legibus debere videretur, corruptionem videre non potuit in ſepulchro, quomodo corrumpi credendus eſt in hominis ſtomacho? Cibi

Margin: * deſecari.

B corporei qui Angelis oblati ad comedendum leguntur, per divinam potentiam prorſus abſumpti, ſeceſſum naturæ ſuæ debitum evaſerunt: & cibus ſpiritualis, qui dat vitam æternam mundo, incurret ſeceſſum naturæ ſuæ indebitum, maieſtate indignum, potentiæ omni modo contrarium? Vnde Ambroſius in libro de Sacram. His ſacramentis paſcit Chriſtus Eccleſiam ſuam, quibus animæ firmat ſubſtantiam. Et poſt pauca: Quid edamus & bibamus per Prophetam ſpiritus ſanctus expreſſit dicens: Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. In illo ſacramento Chriſtus eſt, quoniam corpus eſt Chriſti. Non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritualis eſt. Si ergo ſpiritualis & non corporalis eſca, quomodo corporali ſeceſſui obnoxia? Cibus enim ſpiritualis nobis communis eſt cum Angelis, quia panem Angelorum manducavit homo: cibus carnalis communis eſt nobis cum beſtiis. Beſtialis defectum patitur digeſtionis: Angelicus gloriam ſervat incorruptionis.

Margin: *De myſteriis initian. cap. 9. Pſal. 33.*

C Sed notandum, quia eſcam quam Ambroſius non corporalem aſtruit, Auguſtinus corporalem dicit: In quo ne diſſentiant, ſciendum eſt quòd Auguſtinus corporalem dicit, quia ſacramento tenus corporaliter ſumitur: Ambroſius corporalem negat, quia cùm ſubſtantialiter ſpiritualis ſit, non corpus, ſed animam vegetat. Quia igitur Auguſtinus ſecundum ſacramenti ſpeciem eſcam hanc dicit corporalem: ne in ipſis ſpeciebus ſacramentalibus corporalis deputetur ſeceſſus, quomodo nec in ipſis eſſe poſſit videamus. In quibuslibet ſubſtantiis formarum, colorum, ſaporumque qualitates fundantur, quæ qualibet alteritate ſuperveniente, non manent in eis: & quod ſic mutantur, non fit corruptione ſeceſſus, ſed ſola ſui alteratione defectus. Verbi gratia: Cum albedo mutatur in nigredinem: nunquid in defectu ſuo alicuius ſeceſſus patitur digeſtionem? Sic in formis & qualitatibus corporis Chriſti & ſanguinis, ſi aliquis deprehenditur defectus, non uſque ad ſeceſſum eſt humiliandus: quia cum à corporibus, quibus naturaliter inſunt, ſine

Margin: quomodo corpus Chriſti eſca corporis & incorporalis.

D ſtercore deficiant, quomodo quæ deficientibus ſubſtantiis ſuis in ſacramento Chriſti mirabiliter reſervantur, defectu ſuo indignitatem ſeceſſus naturæ ſuæ contrariam incurrant? Sed & cùm de cæteris ſacramentalibus ſpeciebus, columba ſcilicet & igne, in quibus ſanctus ſpiritus apparuit, Auguſtinus contra Maximinum dicat, quia corporales illæ ſpecies peracto ſignificationis officio, tranſierunt & eſſe ulterius deſtiterunt: nihil indignius de his corporalibus ſpeciebus quæ Chriſti contegunt corpus, eſt ſentiendum. Officium enim huius viſibilis ſacramenti eſt corporali comeſtione & potu oſtendere, quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ incorporetur: quid deinceps de ipſo fiat ſi ſupradictæ rationes non videntur ſufficere, Deo, cuius eſt, fideliter & honeſte committatur. Melius eſt enim Deo humiliter committere quod ſcire non poſſumus: quàm perversè contra eum fingere, & ſentire quod tamen neſcimus.

Margin: Deo cõmittẽdũ quæ ſcire non poſſumus.

E Sed quærunt dialectici, cum ſubſtantia panis in corpus Chriſti converſa, iam non ſit panis, in quo fundamento remanent qualitates, ut idem qui fuerant panis color & ſapor habeant fundari & exiſtere: cum ſubſtantia ipſius ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti, nec colore panis ſit coloratum, nec ſapore ſapidum. Ad quod reſpondendum eſt, quòd ſicut Deus in omnibus eſt mirabilis, ſic & in iſtis. Facit enim in ſuo ſacramento accidentales qualitates exiſtere per ſe: quod in cæteris eſt impoſſibile. Sed qui virgini dedit fœcunditatem ſine ſemine: quid mirum ſi ſine ſubſtantiæ fundamento facit qualitates exiſtere? Cùm ergo in tanto ſacramento non ſit quæ corrumpi poſſit panis & vini ſubſtantia, ſed tantum panis & vini, quæ deficere quidem, ſed ita * defœdari non poteſt cum ſuis qualitatibus forma, quæ etiam opera creditur, corporis Chriſti, quæ eſt incorruptibilis ſubſtantia: non eſt ibi de ſtercore ſuſpicandum, ubi non eſt aliqua huius fœditatis natura, ſed tantummodo divinæ virtutis miraculum.

Margin: Solutio. Mirabilis Deus in ſacramentis ſuis. — * defecata.

F Non ſunt igitur obſervanda Græcorum hæreticorum, qui merito Stercoraniſtæ vocantur, deliramenta: qui dicunt participatione corporis & ſanguinis Chriſti, ſolui Eccleſiaſtica ieiunia uſque ad crapulam & ebrietatem ventriſque diſtenſionem: putantes cœleſtem eſcam velut terrenam indifferenter accipi, & in ſordidum ventris ſeceſſum emitti. Sed abſit à cordibus fidelium, ut in diebus ieiuniorum quotacumque hora Miſſæ celebrentur, ſolui credant ieiunium: quia cùm non ſit corporalis, ſed ſpiritualis eſca, corporalis per eam non ſolvitur abſtinentia. Sed nec obſervandum eſt quod in quibuſdam apocryphorum monumentis decernitur, ne ſcilicet communis cibus accipiatur, donec ſumpta ſacramenta per ſe digerantur, ne vel commixtione alterius cibi corrumpantur. Neque enim Dominus in cœna poſt eſum agni Paſchalis ſacramenta corporis ſui dediſſet diſcipulis: ſi ex ciborum communium admixtione corruptionem vidiſſet ſuis accidere ſacramentis, quamvis Eccleſia non hoc imitabile

Margin: Hæc contra Nicetam hæreſiarcham.

G in ipſo decernat certis de cauſis, ſed prorſus aliis. Dignum enim erat, ut ipſe mediator Dei & hominum, finis legis, initium gratiæ, poſt eſum agni Paſchalis, poſt completionem legis veteris, novo ſacramento, novum gratiæ teſtamentum inſtitueret ad veſperam: ut utrumque hoc in fine mundi ſe agere declararet. Dignum nihilominus ut Eccleſia, cui talis officij cauſa non ſuppetit, ut poſt umbram veritatem inſtituat, talem ordinem in Chriſto non imitetur, decernens ob reverentiam tanti ſacramenti, ut ieiuno corpore dum ſobrietas viget, carnis fervor * quieſcit, animus ad intelligendum ſerenior eſt cibo ſpirituali homo interior prius reficiatur: quatenus ipſe qui in nobis præeminet, cœleſtis cibi fortitudine roboratus facilius regat corpus ſibi ſubiectum, ne ad ſuperflua vel noxia relaxetur. Vnde Auguſtinus ad Ianuarium: Placuit ſpiritui ſancto, ut in honorem tanti ſacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Neque enim quia

Margin: *Auguſt. Epiſt. 118. cap. 6.* — * poſt.

H * prius cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum convenire debent: aut ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Sed etſi quis ſpiritualiter refectus, ob eandem ſacramenti reverentiam aliquandiu ieiunet, ut hoſpiti ſuo Chriſto ſobria hilaritate condelectetur, bonum eſt: quamvis ablata omni ſuſpicione ſtercoris, ſicut ante cibum, ſic & poſt, in periculo vitæ conſtitutis dari concedatur ſi neceſſe eſt.

Margin: NOTA.

Sed opponunt hæretici. Si multi panes & multa vina ſacrentur, diu hominem inde poſſe vivere: ut non de præterito, ſed de hoc præſenti & diuturno victu illum aſtruant interim ſeceſſum habere. Dicunt * etiam aliquos per multa tempora hoc expertos, eo deſiderio, ut etiam in hac vita cibo alerentur Angelico, quos ne defectu propriæ carnis, ut in infirmitatibus ſolet,

Margin: Obiectio. * enim.

ſeceſſum

A

ſeceſſum habuiſſe videantur, ita eos carne vegetatos his cibis & ſaginatos, ſicut & communibus aſtruunt: vt cùm negatur defectus carnis, probetur ſeceſſus ſacræ fuiſſe communionis.

Reſponſio.

Solo ſacramento poſſe quē ſuſtentari

Sed Deo annuente, nec ſic vincent hæretici, quia credendum quidem eſt, quod cœleſtis cibus, qui confert vitam æternam, poteſt quibus ſibi placuerit conferre temporalem: Sed, ne in digeſtionem ſolui credatur, qui defectu carnis ſuæ ſeceſſum facit infirmo, de ipſa carne nec tamen deficiente non pot[illegible] ſeceſſum dare ſano? Sareptanæ viduæ lecythus conſumebatur, nec minuebatur: & quid mirum ſi per tanti cibi virtutem caro alicuius comedentis & vegetetur, & creſcat, & digeratur, nec deficiat? Quinque panes hordeacei poſt ſaturitatem quinque millium hominum vſque ad implendos duodecim cophinos creverunt: Et cum illi Deo iubente in ſua conſumptione acceperint augmentum: quid mirum ſi eodem volente caro humana in ſua digeſtione non patiatur defectum? Aliquos quidem de ſanctis patribus legimus nullum aliud edulium ſumentes, ſola communione dominica diebus Dominicis refectos, multis annis vixiſſe: ſicut Heliam in fortitudine cibi illius quem angelus miniſtraverat, quadraginta diebus ieiunaſſe, ſed cuius potentia, niſi illius, qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra? Qui enim de nihilo fecit omnia, ſicut poteſt carnem alere ſine carnali victu, ſic etiam ei dare ſeceſſum ſine carnali defectu.

3 Reg. 17.

Ioan. 6.

B

3. Reg. 19.

Obiectio

Sed iterum opponunt hæretici ad tanti ſacramenti indignitatem, quod panis & vinum in ſacramento mucidum vel putridum fiat, panis à muribus corrodatur, & in ventre eorum inveniatur, ignibus etiam comburatur.

Solutio.

Sed quia (vt ait Auguſtinus) ideo ſacramenta dicuntur, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: ita quod fit in eis, aliter videtur, aliter intelligitur. Sicut enim in quolibet corpore ſine detrimento ſubſtantiæ albedo nigredine, vel qualibet qualitas ſuperveniente contraria qualitate diſpellitur: ſic in ſacramento Chriſti, quicquid mutationis ſpecie tenus, vel formæ, vel cæterarum qualitatum, ſeu ſoricum corroſione, ſeu vetuſtatis mucore, vel quibuſcunque modis fieri videtur, ad ſacramenti ſubſtantiam, Chriſtum ſcilicet, non attinet: quem certiſſimè ſcimus incorruptum permanere in cœlis, quicquid in eius ſacramento contingere videatur in terris. Sicut enim in proprio corpore, modo *hortulanus*, modo *peregrinus*, modo *phantaſma*, provt fides erat intuentium apparuit, extrinſecus autem alapas, ſputa, flagella ſuſtinuit: ſic etiam ad probationem fidelium, & ſcandalum infidelium vſque in finem ſæculi, talia fieri permittet in ſuo ſacramento vnde electi exerceantur, reprobi indurentur. Dum enim Chriſtus in ſacramento occultatus, tantaque ſua indignitate diſſimulatus, non minus tamen ibi creditur eſſe, nec minore reverentia à fidelibus colitur: fides hoc modo probata, dum contra hoc quod videt, de Deo ſentit, maiora meretur: infidelitas autem maiori ſuo ſcandalo indurata damnatur, quæ ibi contemnit Chriſti revereri ſubſtantiam, vbi in repellenda ſacramenti ſui indignitate nullam viderit eius potentiam. Sed ſi ibi Chriſtus vel ſuæ præſentiæ evidentia innoteſceret, vel ſuæ potentiæ miraculis clareſceret: quod fidei eſſet meritum, cui ſuæ cognitionis tam manifeſtum daret experimentum?

C

Caro Chriſti nunquā corrumpitur.

Ioan. 20.
Luc. 24.
Matt. 16

Duo genera videntium Euchariſtiæ ſpecies.

D

NOTA.

Fit etiam aliquando huiuſmodi indignitas, ad puniendam vel corrigendam miniſtrorum negligentiam: pro eo quòd corpus Domini indignè tractaverint, vel contra Eccleſiaſticas regulas minus attentè, vel diutius quàm deberent ſervaverint. Nónne enim manna, ſi in alterum ſervaretur diem putrefiebat, quia interdictum erat à Domino: & tamen ſi pridie Sabbati collectum, vſque in ſabbatum ſervaretur, incorruptum permanebat, quia ſic erat inſtitutum ab eo.

Quicquid ergò deformitatis in Chriſti ſacramento contigerit ſpecietenus, non debet à nobis fidem extorquere veritatis eius: quia qui in corpore ſuo cum verus Deus eſſet, multa indigna pertulit, nihilominus in ſacramento ſuo perfert, quamvis verè ibi ſit. Vt enim ait Gregorius in dialogo ſuo, in ſpecie leproſi Chriſtus Martyrio monacho apparuit: qui cum baiulatus de collo eius evanuiſſet, ſubſequenter ait: Quia non me erubuiſti ô martyr in terra, nec ego erubeſcere te debeo in cœlo. Quis igitur in ſacramento Chriſti quaſlibet indignitates debeat erubeſcere? cùm pro digna eius reverentia cœleſtem remunerationem debeat obtinere? Senex Simeon ſalvatoris quaſi brutam & inſenſatam infantiam, eiuſque exilem & debilem quam in vlnis gerebat formam, vilibuſque pannis obſitam perſonam non attendens: maieſtatem deitatis in tantillo corpore agnovit & credidit, Dominum vocavit ſe eius ſervum profeſſus eſt, vt ab eo in pace dimitteretur oravit, ſalutare Dei ſe videre perhibuit, lumen eſſe ad revelationem omnium gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël prophetavit. Vt ergo quaſlibet indignitates in ſacramento Chriſti fides vera non erubeſcat: ſciendum eſt, quia ſicut multa aguntur in ſacramento Chriſti quæ non videntur: ſic in eo multa videntur fieri quæ aliter diſpenſantur. Gregorius enim dicit in ipſa immolationis hora cœlos aperiri, Angelorum choros adeſſe, &c. quæ quamvis verè fiant, non tamen videntur. Item idem ait: Caro eius in ſalutem populi partitur, eiuſque ſanguis funditur: ſitque aliter quàm videatur, cùm ipſe integer perſeveret & vivus. Sed quid mirum de his? Ipſum corpus Chriſti videtur panis eſſe & non eſt panis. In eo igitur quod videtur eſſe & non eſt, fieri multa videntur quæ non fiunt: velut, quia Chriſtus Martyrio leproſus apparuit, nunquam Chriſtus ſpecioſior ſole, vera lepra reſperſus fuit? In vitis Patrum legitur: Aſpiciente quodam ſanctiſſimo patre Angelum Domini quibuſdam indignè communicantibus corpus Domini ſubtrahere, & pro illo carbones porrigere. His igitur aliud videbatur, & aliud fiebat. Item legitur Tharſitius martyr corpus Domini ferens, cùm à paganis comprehenſus requireretur quid ferret, & ſanctum canibus dare nollet martyrium obtinuiſſe. Cumque illo mortuo curioſè quærerent quid ferret: corpore Chriſti cœlitus ſublato linteamina tantum quibus ipſum continebatur, reperta ſunt. Sic & alia multa in hoc ſpirituali ſacramento inviſibiliter fieri credenda ſunt, Angelico miniſterio.

E

Gregor. Homil. 39 in Euangelia.

Luc. 2.

F

Lib dialogorū 4. cap. 58.

G

S. Tharſitius martyr.

Quicquid igitur in ſacramento Chriſti ſpecietenus (vt dictum eſt) fieri etiam monſtruosè videatur: ſeu pro aliquorum negligentia punienda vel corrigenda, ſeu pro fide probanda & inſtruenda, ſeu pro perfidorum ſcandalo & ruina, fidem Chriſti non evacuat: quia diſpenſante aliter Deo, nullatenus ad ſui corporis indignitatem attinere credendum eſt. Nec ſolum corpori Chriſti, ſed & ipſi ſacramento viſibili eadem cauſa mucorem negamus & putredinem, qua ſuperius digeſtionem: quia cùm illæ ſpecies ſine panis & vini ſubſtantia ſint, quomodo muceſcere & putreſcere magis quàm digeri poſſint non facilis patet cauſa. Ipſis verò ſpeciebus, cum non ſint æternæ, defectum negare non poſſumus: ſed ipſum defectum ita dicimus ſimplicem, vt nullam fœditatis admittamus corruptionem. Poſſunt tamen videri mucidæ & putridæ, quamvis ita non ſint: ſicut Chriſtus hortulanus, peregrinus, provt erant intuentium mentes: ſed hæc viſione cum eis quibus fit ita agitur, vt ſupradictæ cauſæ in eis compleantur.

H

Quòd autem ventrem diſtendere vel inebriare dicuntur, ne hoc quidem ſuum eſſe approbamus: ſed quando* iſta facere videntur, eiſdem ſupradictis cauſis id fieri credimus. Si autem in vomitu ebriorum vel infirmorum huiuſmodi forma deprehenditur, vel etiam in ventre beſtiarum, quid aliud protenditur, niſi quia cum ebrioſis vel impœnitentibus infirmis,

* ita.

A vt dignum eſt, manere contempſit: vel eos à quibus ſervari & ſumi debuit beſtiis deteriores oſtendit? Cùm enim præter peccatum creatori, qui vbique eſt, omnia munda ſint, quomodo videtur immundius eſſe in ventre muris, quàm in ventre adulteri impœnitentis?

Quòd autem etiam à religioſis incendio tradi, & ibi diſparere dicuntur ipſæ ſacramentales ſpecies, non ad indignitatem Chriſti fit, quaſi ignibus exurendus tradatur, quod impoſſibile eſt, cùm ſit omnium elementorum Deus: ſed quoties aliqua talis indignitas ipſi ſacramento negligenter acciderit, vt horrorem ſumendi incutiant ipſæ ſenſuales ſpecies, quas ibidem Deus altiſſimo ſuo conſilio poſt mutationem ſuæ ſubſtantiæ remanere voluit, ignibus traduntur: vt oſtendant quod ſuum eſt, deficiendo & diſparendo ſine omni fœditate in illo puriſſimo ignis elemento.

B *Nota.* Quapropter ſicut ſumma ſumi reverentia, ſic ſumma etiam ſervari debet diligentia: quia res tantæ dignitatis, tantæque ſalutis, negligentiæ vel oblivioni ſubiacere non debet: ſed quod magna Dei gratia agitur, decet & oportet vt magna Eccleſiæ ſolicitudine devotè & indeſinenter ſuper omnia honoretur.

CAPVT II.

Cur viſibile ſacrificiũ invisibili Deo fiat. Ioan. 4. Pſal. 50.

QVæritur autem cùm ſacrificium Eccleſiæ conſtet viſibili elementorum ſpecie, cur Deus illud viſibile eſſe voluerit: cùm ipſe inviſibilis ſit, & à veris adoratoribus patrem in ſpiritu & veritate adorandum eſſe dixerit, & Pſalmiſta, *Sacrificium Deo ſpiritum contribulatum* aſtruxerit? Sed ſciendum quia in C Sacramento viſibili præſentiam inviſibilis corporis ſui exhiberi nobis voluit: vt ſic noſtram magis excitaret memoriam ad recolendam tantæ ſuæ pietatis gratiam. Sicut enim cum omnia poſſet, non in nobis ipſis, ſed in exterioribus alimoniis temporalem vitam noſtram retineri voluit: ne nobis debere videremur quod ſumus, ſed ei potius à quo ſunt illa munera vnde vivimus ſic, etiam viſibili ſuo ſacramento quo vitæ æternæ pignus accipimus admoneri nos voluit, eius gratiæ eſſe referendum, quod ab ipſo vitam æternam accipimus, quam in nobis non habebamus, imò per nos perdideramus. Sicut ergo teſte Apoſtolo, *inviſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur:* (*Rom. 1.*) ſic inviſibilis præſentiæ ſuæ ſignum ſacramentum ſuum eſſe voluit, vt ſic intellectum noſtrum de ſua reddens gratia certiorem, affectum noſtrum faceret erga ſe ardentiorem. Ne autem exiſtimetur, cùm ipſe inviſibilis ſit, viſibilium ſacramentorum ſacrificia ei non congruere: ait Auguſtinus in lib. 10. D de Civitate Dei. Qui autem putant hæc viſibilia ſacrificia diis alienis congruere, illi verò tanquam inviſibili inviſibilia, & maiori maiora, meliorique meliora, qualia ſunt puræ mentis bonæque voluntatis officia: profectò neſciunt hæc ita eſſe ſigna illorum ſicut verba ſonantia ſigna ſunt rerum. Quo circa ſicut orantes & laudantes ad Deum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus: ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe noverimus, quam illi, cuius in cordibus noſtris inviſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus. Sciendum enim eſt, nos qui non ſolùm ſpiritus, ſed & corpora ſumus, corporalia etiam ſacrificia exhibere: vt ſicut ex vtriſque conſiſtimus, ne quid otioſum remaneat, ex vtriſque Deo corporaliter & ſpiritualiter ſerviamus.

CAPVT III.

Cur ſacrificium

QVæritur autem, quare ſacrificium Eccleſiæ non conſtet ſolo ſacramento, vel tantum corpore & ſanguine Chriſti ſine ſacramento, vel quare vtroque.

E *Eccleſiæ non conſtet ſolo ſacramento, vel corpore & ſanguine Chriſti ſine ſacramento, vel cur vtroque.*

Ad quod reſpondetur: Quia ſi ſolo ſacramento, id eſt, pane & vino conſecrato & non mutato conſtaret, non eſſet cauſa, quare novi teſtamenti ſacrificium veteri teſtamento ſuperordinatum eſſet: cùm ſicut illud tantummodo fuit vmbra & figura futurorum, ſic iſtud tantummodo eſſet figura & commemoratio præteritorum. Cùm enim Chriſtus dixerit: Hoc facite in meam commemorationem? quid niſi figuraret & repræſentaret præteritam Chriſti paſſionem? Conferamus ergo novam vmbram veteribus, ſimplicem ſimplicibus: vt quæ ex his præpolleant tam corporaliter quam ſpiritualiter videamus. Cùm enim præſens ſacramentum, ſi tantummodo ſacramentum eſt corporalis cibus ſit ſicut vetus fuit: nónne manna quod Deus de cœlo pluebat, & omne delectamentum ſaporis in ſe continebat, erat dignius & melius? F Itemque panes propoſitionum, ſimilagines, & vituli, & cætera quæ ille populus ſacrificabat, nónne meliora erant ad reficiendum, quàm modicum panis & vini vix ad deguſtandum? In novo enim ſacramento ablata fide gratiæ interioris, exterior ſpecies in panis mica vel vini gutta nullius eſt æſtimationis, quia & in eo ideo nullius æſtimationis, exteriora facta ſunt, vt ei quæ interius creditur gratiæ, omnis impenderetur ſumma devotionis. Caſſa enim videretur tot hominum aſſiſtentium, & huic ſacramento miniſtrantium vel adorantium veneranda ſedulitas: niſi ipſius ſacramenti longè maior crederetur quàm videretur veritas & vtilitas. Cum ergo exterius quaſi nulla ſint, quibus tanta impenduntur venerationis obſequia: aut inſenſati ſumus, aut ad intima mittimur magnæ ſalutis myſteria.

Sed & ſacramentali officio non præpollet nouum veteri. Cùm enim ſit memoria tantum & figura paſſionis Chriſti: tanto indignius eſt nouum renunciando G præterita, quod memoriæ cuiuſlibet hominis eſt, quanto vetus melius & divinius eſt, prænunciando eadem futura, quod ſolummodo Prophetiæ divinæ eſt. Si enim panem non verè carnem Chriſti, ſed vmbraticè tantum in memoriam crucifixæ eius carnis dicimus: nonne nouum ſacramentum vmbra tantum & figura, ſicut & vetus erit? Ideo autem deterius, quia illud vmbra futurorum fuit ſpiritualiter: iſtud præteritorum carnaliter. Sed & effectu non præpollet, quia nec peccata remittit, nec cœli ianuam aperit. *Cùm enim* ſolummodo *vetus in cibis & potibus & variis baptiſmatibus, & iuſtitiis carnis non potuerit iuxta conſcientiam perfectum facere ſervientem*, (*Hebr. 1.*) ut ait Apoſtolus, quia umbram quidem futurorum bonorum habebat, non ipſam imaginem rerum: quomodo nouum, cùm ſimiliter ſit umbra, remiſſione peccatorum, profectu virtutum, iuxta conſcientiæ munditiam, perfectum ſervientem reddere poterit? Quia H ergo vetus in hac vita perfectam meritorum conferre non potuit gratiam, ideo nondum reſerata paradiſi ianua non ſtatim poſt hanc vitam, perfectam mercedem contulit, ſed diſtulit coronam: ſanctis quidem animabus requiem tribuens à labore, ſed requiem cum gloria non retribuens pro labore. Cùm igitur nec ventris ſaturitate, nec ſacramentali Prophetia, nec effectu ſpiritualis gratiæ, temporalis & æternæ, novum veteri præpolleat: quomodo magis quàm illud proficere habeat? Niſi enim in hac vita conferat plenitudinem gratiæ, poſt hanc vitam non conferet plenitudinem quietis & gloriæ. Si ergo nouum ſacramentum neque corporaliter, neque ſpiritualiter melius eſſet antiquo: quare ei ſuperordinari deberet nulla eſſet ratio. Quid ergo dignius contuliſſet Chriſtus quàm Moyſes, filius Dei in domo propria, quàm ſervus in aliena? Si autem vmbram vmbra mutaret, nec compleret: quando vel à quo veritas veteribus Sacramentis figurata & promiſſa, complenda eſſet, ſi ille qui veritas eſt, non veritatem, ſed vmbram pro vmbra daret? Dedit ergo Eccleſiæ

ſuæ

A ſuæ veritas veritatem, Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem: vt quod vetus vmbra non poterat, ipſe redemptionem remiſſionemque peccatorum, quam ſemel fecerat in cruce, faceret ſimiliter in altari quotidie: & quotidiano peccatorum contagio, ſalubrius quotidiano ſubveniret remedio: idemque ipſe qui futurus erat electis vita & præmium, in præſenti eſſet medicina & viaticum. Niſi enim ipſe Sacerdos qui cœlos penetravit, fieret nobis via ad ſeipſum, cœli ianua nobis clauſa foret in æternum: quæ ideo poſt paſſionem Chriſti reſerata eſt credentibus, quia idem qui eſt Sacerdos ſacrificium factus unitur ſibi commorientibus: vt dum unum fiunt cum ipſo, ubi ipſe eſt * ipſi ſint in ipſo. (* ibi) Vnde etiam ad magnam ſpem iuſtis & peccatoribus, in paſſione Chriſti, eadem die latro, eadem die iuſtus, eadem die cum Chriſto in paradiſum eſt
B aſſumptus, præ omnibus iuſtis primus: vt non ſolùm conſtaret eadem die paradiſi ianuam hominibus reſeratam, ſed & conſtaret Dei gratiam non articulo temporis aſtringi, non peccatorum quantitate vinci: cui ad æterna vitæ præmia ſtatim conferenda ſuffecit vix unius horæ pœnitentia poſt tot flagitia. Quis ergo dubitet Chriſti paſſionem, verè omnium peccatorum eſſe remedium: quæ tam ſero, tam cito, quaſi omnium peccatorum primitias iuſtificavit & ſalvavit ſceleratiſſimum? Tantam gratiæ prærogativam in Sacramento Chriſti B. Ambroſius intuens, ait in ſerm. de Sacramentis ad Neophytos, nova Sacramenta veteribus præferens: (Cap. 8.) *Summo ſtudio volumus comprobare, quòd & antiquiora ſunt Sacramenta Eccleſiæ, quàm ſynagogæ, & præſtantiora quam manna.* Et paulò poſt: *Probatum eſt antiquiora eſſe Eccleſiæ Sacramenta, nunc cognoſce potiora. Revera mirabile fuit, quòd Deus manna pluerit patribus: ſed tamen qui il-*
C *lum panem manducaverunt, omnes in deſerto mortui ſunt. Iſta autem eſca quam accipis, iſte panis vivus qui deſcendit de cœlo: vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat, & corpus eſt Chriſti.* (Cap. 9.) *Conſidera nunc vtrum præſtantior ſit panis Angelorum an caro Chriſti, quæ vtique eſt corpus vitæ. Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, hoc alienum ab omni corruptione. Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto. Illos ad horam ſatiavit aqua, te ſanguis diluit in æternum. Iudæus bibit & ſitit: tu cùm biberis ſitire non poteris. Illud in vmbra, hoc in veritate. Si illud quod miraris vmbra eſt, quantum iſtud eſt, cuius & vmbram miraris? Cognoviſti præſtantiora. Potior eſt enim lux quàm vmbra, veritas quàm figura, corpus authoris quàm manna de cœlo.* Et paulò poſt: *Accipe quod dico, diviniora eſſe Sacramenta Chriſtianorum quàm Iudæorum, Iure ergo nova ſa-*
D *cramenta ſuperordinata ſunt veteribus*: quæ ita eis præeminent veritate, dignitate, poteſtate & gratia, vt omnia compleant, quæ illis fuerant impoſſibilia. (Nota.) Quàm verè enim Chriſtus ſeipſum daturus eſt ſanctis ad gloriam in futuro, tam verè ad omnem gratiam dat ſeipſum Eccleſiæ ſuæ modo: quamvis non ita manifeſtè, ſed ſub Sacramento. Si enim ſine Sacramenti velamine corpus ſuum & ſanguinem daret, quis ſumere non abhorreret?

Vt enim ſuperius ait Auguſtinus & Hieronymus, homines hominem comedere flagitium eſſet aut facinus: quia interdictum eſt divinis & humanis legibus. Vnde etiam diſcipuli audientes quòd carnem ſuam daret ad manducandum & ſanguinem ad bibendum, putantes quod crudum, aut coctum aqua, vel vero aſſum, viſibiliter daturus eſſet ſeipſum: receſſerunt ab eo dicentes; *Durus eſt hic ſermo.* Igitur, vt ait Ambroſius, ne plures hoc dicerent, velut quidam eſſet horror cruoris, ſed maneret gratia redemptionis: ideo in ſimilitudine quidem accipis Sacramentum, ſed veræ naturæ gratiam virtutemque conſequeris. (Ambroſ. lib. de Sacram. 6. c. 1.)

Et vt probemus Chriſtum ſalubrius ſumi cum Sacramento quàm ſine Sacramento, quid inde proveniat, modis omnibus attendamus. Aut enim eum
E vivum ſumeremus aut mortuum. Sed ſumi mortuum eſt impoſſibile, cùm ſit immortalis: *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, iam non moritur.* (Rom. 6.) De cætero, quam vitam ab eo ſperatemus quem mortuum ſumeremus? Non igitur per partes conciſum, vel elixatum, vel aſſatum, vt illi putabant, poſſumus eum ſumere. Si autem vivum: aut in eo ſtatu quo fuit ante paſſionem, aut in eo quo fuit poſt reſurrectionem. Sed in eo ſtatu quo fuit ante paſſionem: quis deglutire poſſet hominem triginta annorum vivum & integrum? Quod ſi etiam fieri poſſet per eandem potentiam, qua ipſum corpus integrum per integra matris virginalia traiecit, non ergo fides haberet meritum, cui tanta evidentiæ ſuæ ratio præberet experimentum. Si autem in eo ſtatu quo poſt reſurrectionem eſt: glorificatum (Matt. 7.)
F ergo corpus ſuum quale in cœlo eſt oſtendens intolerabilem claritatem ſuam oculis intuentium offerret, & non ſuſtineret humana fragilitas. Vnde Auguſt. in libro ad Oroſium. *Clarificata carne vtique Chriſtus reſurrexit: ſed noluit in ea clarificatione diſcipulis apparere, quia non poſſent oculis talem claritatem perſpicere. Si antequam moreretur & reſurgeret, quando transfiguratus eſt in monte, diſcipuli eum videre non potuerunt: quantò magis clarificata carne Domini eum videre non potuerunt?* Si autem ſua potentia claritati viſum noſtrum contemperaret, non ſuo loco aut tempore in contemplationem ſuæ gloriæ remunerationem ſuam nobis præordinans, meritum auferret: quia amplius laborare non liberet, ſicut & Petrus in transfiguratione dixit: Bonum eſt nobis hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula. (Ibidem) Quod (vt ait Leo) non erat improbum, ſed inordinatum. Vnde & ipſe Chriſtus filios Zebedæi petentes ſibi ſedem à dextris eius,
G vel à ſiniſtris: prius miſit ad laborem, quam ad requiem dicens; *Calicem meum bibetis*: (Matt. 20) quia vidit eis magis expedire, vt per meritorum ordinem dignius & fructuoſius ad præmia pervenirent. Quia igitur nec per ſe Sacramentum, nec per ſe expediebat in ſacrificio, ſuo dare corpus ſuum: Sacramentum unum omnibus legalibus Sacramentis dignius ſuperordinavit: quo & nobis prædictas incommoditates horroris vel ſplendoris corpus ſuum abſcondendo auferret, & veritate ſui corporis vmbras & figuras ſacrificiorum veterum complendo vt ſuperfluas repelleret, & eis ipſa ſui Sacramenti figura quia plus quàm figura eſt, præcelleret. Licet enim Auguſtinus dicat quia Sacramenta in ſignis diverſa ſunt, in re quæ ſignificatur paria: hoc tamen ſingulare Sacramentum, dum figura & corpus Chriſti eſt, ſicut Ioannes, quia quod prædixit oſtendit, *Propheta & plus quàm Propheta fuit*: (Matt. 11)
H ita etiam hoc Sacramentum figura eſt & plus quàm figura, ſignificando quidem par conſignificantibus, ſed ſignificans & ſignificatum exiſtendo, præcellens tantum ſignificantibus. Nec ſolùm pius Dominus vmbras & figuras veteres & ſuperfluas, ſuperveniente novitate & veritate ſui ſacrificij diſpulit: ſed & multiplicitatem Sacrificiorum veterum ſingularitate ſui Sacrificij abbrevians, occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit: vno vnico ſuo Sacrificio redemptionem remiſſionemque peccatorum faciens, profectúque fidei cæterarumque virtutum, ad vitam æternam perducens. Sciendum enim quòd ideò Deus tam multa ſacrificia dedit in lege, vt nullum eorum ſufficiens eſſe oſtenderet, quia cætera eſſent ſuperflua, ſi vnum ſufficere poſſet, vt vnum ſuum ſufficiens magis deſideraretur: & interim in eis, etſi modicum ſentirent ſuffragium, in eorum tamen multitudine maiori occuparentur exercitio, quo Deum diſcerent colere, & ab idolorum cultura recederent, & certiori tot figurarum inſtruerentur teſtimonio, quo futuram veritatem non dubitarent ſperare. Egregium igitur & ſuper omnia excellens Sacramentum nobis providit Deus in ſacrificio ſuo, quo corporis & ſanguinis ſui veritatem panis & vini qualitatibus

A

tectam abſcondit digna cauſa: ne ſcilicet infidelibus pateat, & eorum blaſphemiis vileſcat, neve nos iudicent inhumanos & crudeles, vtpotè humani corporis comeſtores & ſanguinis bibitores. Fidelibus autem quibus paravit ad ſalutem, in panis & vini ſpecie & ſapore ſumendi fecit aptitudinem: ne, vt ſuperius dictum eſt, ſi carnis & ſanguinis humani colorem biberet, ſaporemque ſentiret, humana pietas abhorreret: ſplendore autem eius ſi intolerabili præſtringeretur, ſtuporem mentis incurreret: ſi glorioſo demulceretur, bonorum operum torpore hebeſceret. Sicut enim carnalem nobis occupationem abſtulit, extirpata multitudine ſacrificiorum veterum, vt mentem ſpiritualibus expediret: ita inuſitatis quibuslibet ſacrificij ſui circumſtantiis impedire noluit, quo ſpiritualius & liberius nos ſibi in ſuo Sacramento vniret. Ne ergo inſolita viſione mens turbaretur, conſuetam ſuo Sacramento reliquit ſpeciem: vt ad interiora contemplanda puriorem fidei dirigeremus aciem.

B

Per acceptionem enim huius Sacramenti Chriſto perfectè vniri & incorporari debemus, & in hac vita in conformitate innocentiæ quantum poſſumus, & poſt hanc vitam ſimili beatitudine quantum digni fuerimus: nec decet ad exteriora diſtendi, nec ad multiplicia diſſipari, quos ab omnibus, vt vnum cum Chriſto ſint, oportet recolligi. Quod tamen Eccleſiæ ſuæ Deus voluit eſſe tam fructuoſum, non omnimodo voluit eſſe ocioſum: quia dum in myſterio, quod non eſt, apparet, quod eſt, occultatur, fidei lucta proponitur vt meritum augeatur: dum contra hoc quod videtur, credens quod non videtur, de credita intus veritate, de ſuperaddita exterius falſitate duplicem aſſequitur gratiam. Cætera enim Chriſti miracula cùm ſint infidelibus in ſignum, vt convertantur: hoc ſolum fidelibus datur ad meritum, vt illo erudiantur. In illis enim quæ Deus in extrinſeca materia facit, roboratur fides: in hoc autem ſolo

C

quod ex ſeipſo facit, fides exercitatur: vt victa & invicta felicius coronetur.

Victa inquam ne comprehendat, ſed invicta ne diffidat: dum exteriores quidem ſenſus obiecta panis & vini ſpecie, colore, odore, & ſapore, ipſum quod fuerat mentiendo, panem & vinum quod non eſt nituntur aſtruere: interior autem intellectus, ipſum quod eſt corpus ſcilicet Chriſti contemplans, nec comprehendere ſufficiens, non tamen deſiſtit credere. Hanc credendi difficultatem ſancti attendentes & caventes, de hac Sacramentali confectione aſtruenda diu multumque laboraverunt: quia non ſolum inviſibile, ſed etiam inuſitatum eſſe viderunt, & admirabile, vt inviſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam ſuæ carnis inviſibiliter convertat, & quod terrenum eſt, cœleſte faciat, vt qui pro nobis tanta in ſe operatur, nobis de nobis maiora promittat. Qui enim aquam pro nobis figuratè oblatam, ſicut & vinum pro ſe oblatum, in veritatem & vnitatem ſui ſanguinis mutat in ſuo & noſtro Sacramento: quantò magis nos ſecum faciet vnum in æternitatis ſuæ præmio?

D

Auguſt.

Sed & in tanti myſterij fide intellectus intrinſeci & exteriorum ſenſuum luctam ſubinnuens ait Auguſt. in ſermone de verbis Domini: Quod videtis in altari, panis & calix eſt, quod etiam oculi veſtri renunciant: quod autem fides poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus, calix eſt ſanguis. Sed poteſt animo cuiuſpiam cogitatio talis ſuboriri, Dominus Ieſus Chriſtus novimus vndè carnem acceperit, de virgine Maria ſcilicet, nutritus eſt, crevit, ſepultus eſt, reſurrexit cœlum aſcendit, illuc levavit corpus ſuum, vnde venturus eſt iudicare vivos & mortuos. Ibi eſt modo ſedens ad dexteram Patris: Quomodo ergo panis corpus eius, vel quod habet calix, quomodo eſt ſanguis eius. Iſta ideo fratres dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. In quo videtur innui, quaſi quæratur cùm Chriſtus in humana forma rationabiliter ſe geſ-

E

ſerit, vel natura humana, vel potentia divina, & in cœlo vſque ad diem iudicij corporaliter manſurus ſit: quis corpus Chriſti huc deduxerit, vel panem noſtrum illuc levaverit, vt tam ſubito in corpus Chriſti mutari poſſit? Quod quia ineffabile eſt, quomodo corpus Chriſti hic fiat, & ibi maneat, ad intelligentiam ſpiritualem & fidem talia cogitantes revocat: quia etſi ſciri non poteſt, credi poteſt quia quod videtur, non materiale corpus panis eſt, ſed ſpecies corporalis, quod autem intelligitur Chriſtus eſt, qui omnia quæcumque vult in cœlo & in terra poteſt. Sicque dum exteriorum ſenſuum teſtimonio non acquieſcit, nec interiore inquiſitione comprehendens, de veritate tamen non titubat: fit per Dei gratiam, vt in tali ſuo agone fides noſtra exerceatur, exercendo augeatur, augendo perficiatur, perfecta coronetur. Vnde Auguſtinus in ſermone ſuper Ioan. 60. Fides qua eorum, qui Deum viſuri ſunt, quamdiu peregrinantur, corda

F

mundantur, quod non videt, credit. Nam ſi vides, non eſt fides. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium Eat ergo Dominus, eat ne videatur, lateat vt credatur: creditus deſideretur, vt deſideratus habeatur.

Nota.

Quia ergo in hac peregrinatione noſtra, expedit latere Chriſtum vt credatur, &c. bene igitur Chriſtus ſub Sacramento dedit nobis ſeipſum, vt per hoc nobis & fidei meritum, & gratiæ ſuæ augeat beneficium: dum in terrena quadam, & prorſus ſtolida panis & vini forma, maieſtatem ſapientiæ verbi Dei ſubſtantialiter comprehenſam, incomprehenſibilem credere & venerari non erubeſcimus: quæ quantitate & qualitate ſua ita eius excellentiæ videtur indigna, vt nullatenus etiam æſtimari debeat, niſi quia ipſe eſt Deus, qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra: niſi quia etiam caro eius ipſa eſt cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: vt poteſtate tali ſit in vnitate perſonæ in cœlo & terra, quandocumque, quomodocumque ſibi placuerit.

G

Sacramẽtũ quare adoremus.

Hac fide ipſum Sacramentum quaſi divinum quiddam adoramus, quaſi vinum quiddam & rationabile alloquimur & rogamus: Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis: quia non quod videtur, ſed quod verè eſt Chriſtum ibi eſſe credimus.

CAPVT IV.

Cur fides tantopere exigatur in hoc Sacramẽto corporis Chriſti.

QVæritur autem quare fides tantopere exigatur in hoc Sacramento: quia videlicet falſa fide mundus periit, quando Adam plus diabolo quam Deo credere præſumpſit, dum in ligno ſcientiæ boni & mali vetito plus ſperavit divinitatem aſſequi, quæ ab hoſte promittebatur, quàm incurrere mortem quam Deus minabatur. Sicut ergo diabolus non vmbram in ligno inobedientiæ, ſed ipſum verum & viſibilem fructum exhibens; promiſit id quod non videbatur, ſcilicet, eritis ſicut Dij: ſic & Deus non vmbram, ſed ipſum

H

qui in ligno pependit obendientiæ, in ſuo viſibili Sacramento exhibens, promittit vitam æternam quæ non videtur, vt dum in ea re plus ei modo creditur quàm hoſti, vt dignum eſt, ſanetur hac vera fide illa perfida fides, qua olim plus diabolo quàm ſibi iniuſtè creditum eſt. Sicut igitur non in ligno vetito, ſic nec in Chriſti Sacramento debet viſus aut guſtus, ſed fidei vigere iudicium: quia ſicut pomum viſu decorum & ſuave ad comedendum, cibus vitalis videbatur, & mortem intulit: ſic è contrario Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti videtur cibus mortalitatis noſtræ, cùm verè vita æterna ſit. Quapropter vtrique rei media vera fides videtur neceſſaria: Adæ, vt crederet mortem eſſe in pomo, & ita vitaret: nobis, vt in Sacramento Chriſti vitam credamus, & ita eam aſſequamur. * Vtrique enim ex ſe contrarium viſui effectum parit, illud dum videtur cibus voluptatis & vitæ, mortem inferens: iſtud dum videtur cibus mortalitatis, vitam æternam exhibens. Sicut igitur

* Vtrique.

à

à Petro poſt trinam negationem trina confeſſio repetita eſt: ſic ab homine vt ſaluari poſſit, pro perfida fide qua periit, vera fides exigenda eſt: quia tantum Sacramentum nec ſine fide poteſt intelligi, nec nos etiam per illud ſine fide ſaluari.

CAPVT V.

Cur magis conſecretur in pane & vino aqua corpus & ſanguis Chriſti, quam in cæteris corporũ ſpeciebus.

QVæritur item cur in pane & vino conſecretur magis corpus Chriſti, quàm in cæteris corporum ſpeciebus: cum cibo mortalitatis non videatur aptè vita immortalis deſignari. Sed ſciendum quia Chriſtus in hoc Sacramento non ſe hoc modo ſignificari voluit, quo ſe habet cum patre per naturam, ſed quo ſe habet nobiſcum per gratiam: quia non ſcilicet quod ſit patris ſapientia, ſed quod ſit omnium hominum vita, vt ſic ſuam charitatem nobis magis commendaret, & noſtram erga ſe magis accenderet. Vita verò æterna, cùm in corporum ſpeciebus nulla perfecta ſimilitudine exprimi potuerit: nulla tamen aptiori quàm illa, quæ aliquo modo vita eſt, quia humanæ vitæ alendæ & retinendæ congruit. Quia enim temporalis cibus & potus noſter vita æterna eſſe non poterant nec debebant, nomine eorum & ſpecie Chriſtus ſe ſignificari voluit vitam æternam: vt non ſolùm conſueta cibi ſimilitudine congrueret in ſumendo, ſed & eadem cibi ſimilitudine nobis proficeret in ſperando: dum ſcilicet ſicut cibus & potus ſunt noſtra vita temporalis, quamdiu Deo placuerit: ſic & multo amplius ipſe panis cœleſtis ſit vita æterna, quibus ipſe voluerit. Et quid mirum ſi creator creaturæ conferre poſſit vitam æternam: cùm etiam creatura creaturæ retinere potuerit æternaliter eam? Sicut enim lignum vitæ in paradiſo poſitum eſt, quo æternaliter homo in corpore viueret: ſic Chriſtus in Eccleſia lignum vitæ ſeipſum poſuit, vt in ſe credentibus vita æterna eſſet: quòd non ſolùm fuit ipſius Chriſti myſterium, ſed & fidei noſtræ magnum firmamentum. Quia ſi hoc creaturæ non viuenti fuit naturale, vt corpori vitam æternaliter retineret: quantò magis vero ligno vitæ viuentis, creatori Chriſto eſt omnipotentiale, vt corpori & animæ glorioſius conferat æternaliter vitam? Vnde etiam quia cibo & potu ita viuimus, vt alterutro carere nequeamus, vtrumque in Sacramento ſuo eſſe voluit: ne ſi alterutrum deeſſet, quaſi imperfecto vitæ ſigno, ipſe non plena, ſed imperfecta vita ſignari videretur. Dignum etiam fuit, vt eiſdem ſpeciebus quibus alitur & creatur caro & ſanguis, in quolibet homine naturaliter, conſecretur etiam in Dominico homine ſpiritualiter: non ſolùm propter commodiorem aptitudinem Sacramentalis perceptionis, ſed & vt adiuuetur fides aliqua euidentia ſimilitudinis: quia ſi panis in carnem, & vinum in ſanguinem cuiuslibet transformatur naturaliter: quantò magis ſi Deus voluerit, in carnem & ſanguinem ſuum transfertur omnipotentialiter? Sed & aliis ſpeciebus non potuit aptius ſignificari in nobis vnitas ſuæ incorporationis: quàm eis quæ in communibus cibis & potibus familiarius & verius ſolent incorporari nobis. Item ipſius Eccleſiaſtici corporis vnitas ad inuicem aptius ſignatur: quia ſicut panis ex multis granis, & vinum ex multis acinis, ſic Eccleſia ex variis perſonis colligitur. Item quia panis & vinum propriè proprius cibus & potus eſt, non beſtiarum, ſed hominum; ideo Chriſtus vtriuſque eſt vſus myſterio, vt ſingularis & propria hominum crederetur refectio: cui etiam poſtmodum per Apoſtolos aquam admiſceri voluit, qui communis potus eſt beſtiarum & hominum, vt ad vnitatem tanti myſterij pertinere ſignaret, non ſolum iuſtorum, ſed & peccatorum ſi pœnitere vellent, conſortium: vt quod ſuum erat, ipſe per ſe in exordio Sacramenti prius exequeretur, & nos quod noſtri erat myſterij poſtmodum adderemus. * Idem autem cibus mortalitati videri voluit exterius in Sacramento, cùm intrinſecus verè vita æterna ſit, noſtro contemperauit myſterio: vt quia eodem ſuo Sacramento interius renouamur ad vitam, nec tamen exterius immutamur ad immortalitatis gloriam: ita in ſuo Sacramento nihil exterius immutaretur, ſicut & in nobis nihil exterius innouaretur: cùm tamen interius idem hoc in nobis inueniremus, quod de ipſo crederemus, quia vitam de vita reciperemus. Quia igitur nos necdum apparemus quod ſumus, ideo Chriſtus noluit apparere quod eſt, vt ſit deſiderabilior: qui tunc quidem apparebit quod eſt, quando nos apparebimus quod ſumus, vt ſit glorioſior. Vnde Beatus Ioannes in Epiſtola ſua: *Filij Dei ſumus: & nondum apparet quid erimus.* Et Paulus; *Cùm autem apparuerit Chriſtus vita noſtra, tunc & nos cum ipſo apparebimus in gloria.* Sicut ergo in Emaus peregrinus à fide, peregrinus apparuit in ſpecie: ſic nobis peregrinus in mundi exilio peregrina & extranea ſibi ſpecie apparet in Sacramento: vt quia quod de nobis exterius apparet, mortale eſt, mortalitatis cibus ipſe exterius videatur, cùm tamen per ipſum qui immortalitatis eſt alimonia, intus verè & inviſibiliter mors æterna ſanetur.

** Quod*

1 Ioan. 3.
Coloſ. 3.
Luc. 24.
Geneſ. 3.

CAPVT VI.

Cur ſũpto corpore Chriſti non ſtatim etiã in carne viuamus æternaliter cùm ipſum ſit [illegible] æterna. Geneſ. 2.

QVæritur etiam quandoquidem tantum Sacramentum vita eſt, cùm Chriſtus dicat: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: quare non ſtatim etiam in corpore per vim tanti Sacramenti viuimus æternaliter, cùm ipſe non in futuro dixerit, habebit vitam æternam, ſed habet præſentialiter. Sed ſciendum quia ſicut Adæ dictum eſt: *Quacunque die vetitum comederis, morte morieris*, & tamen eadem die non in corpore, ſed in anima mortuus eſt: ſic Chriſtus dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, non quòd in corpore ſtatim æternaliter viuat, ſed vt animam quæ prius in Adam mortua fuit quàm corpus, per vnitatem tanti Sacramenti reſuſcitatam aſtruat: vt ſcilicet recto ordine, ipſa quæ peccando à Deo (qui vita æterna eſt) diuiſa, prius fuit mortua, per communionem tanti Sacramenti, iterum coniuncta Deo & vnita, credatur & ſit ſicut prius rediuiua. Quia enim peccando Adam à Deo diuiſus eſt, ideo Deus poſtmodum in morte corporali, diuiduum eum fecit à ſeipſo: vt in corporis & animæ diuiſione cognoſceret, quia ipſa eius anima, Deo qui vera eſt vita, non adhæſiſſet. Quia igitur mors exterior, mortis intrinſecæ tam erat figura quàm pœna, ideoque hinc terrendo, hinc monendo erat quædam ipſius culpæ medicina. Si Deus prius abſtuliſſet pœnam medicinalem, quàm culpam mortiferam, incurabiles nos redderet: quia ablata pœna magis condelectaremur culpæ, & ita culpa vrgente & obſtante, nullus diuinæ relinqueretur locus gratiæ. Cùm igitur culpa mors ſit animæ, interim punienda erat per temporalis mortis moleſtiam, & ſic ſananda per gratiam: vt interim in regno mortis amaritudo paſſionum & laborum, peccata excoquens purgaret, & ita gratia cœleſtis virtutum germina, quo liberius eo vberius inſerens, nos vitæ æternæ reformaret. Propter peccatorum igitur excoctionem & purgationem non erat interim mors temporalis auferenda, ſed æterna: ne aut immundi & impuri requiem obtineremus illicitam, aut imbelles & immeriti, iuſtitiæ reciperemus mercedem nobis indebitam. Non enim eſſet diuinæ diſcretionis æquitati condignum, vt vel ſociata ſibi perverſorum immunditia ſuam fuſcaret puritatem: vel immeritorum ignauiam remunerans, nullo magis merito homini quàm lapidi tantæ ſuæ gloriæ largiretur dignitatem. Ne itaque peccati obſtinatione incurabiles fieremus, magna ſua gratia mortem non abſtulit temporalem, ne in æternum moreremur: vitam æternam diſtulit, vt maiori etiam merito, maiorique fructu reciperemus: quia pro certo

niſi ita eſſet, ad fidem Chriſti omnes convolarent, tantummodo propter præſentis vitæ æternitatem: & ita dum tantæ ſecuritatis torpore non exercerentur ad bonum, futuræ gloriæ Chriſti maius amitterent lucrum. Vnde etiam Deus Adæ miſericorditer prohibuit lignum vitæ, dicens: Videte ne forte ſumat de ligno vitæ. Quia ſi ille qui in anima perierat per lignum inobedientiæ, viveret etiam in carne æternaliter per conceſſum lignum vitæ, ex toto periſſet: dum carne æternaliter vivens, & in anima peccando æternaliter moriens, incurabilis eſſet vt dæmones, vel etiam poſt hanc vitam cum carne victurus æternaliter vt mali homines. Mali enim etiam in corpore vitam æternam habebunt: quam tamen magis mortem dixerim, quia Deo qui verè vita eſt, non placebunt: & ideo ſine divina gratia miſera eis erit æternitas, quia æterna miſeria.

(*Geneſ. 2.*)

CAPVT VII.

(Cur temporalibus meritis æterna retributio fiat.)

QVæritur iterum, quare æternitas fœlicitatis vel pœnæ retribuatur temporalibus meritis, reatus vel iuſtitiæ. Ad quod reſpondendum eſt, quia Deus non temporalem actionem, ſed perpetuam boni vel mali remunerat vel damnat voluntatem: quæ ſi in æternum viveret, in æternum in ſuo propoſito permaneret, ideóque iuſtè æternitatem retributionis æternitati voluntatis appendit. Vnde etiam cùm, vt ait Apoſtolus, *Paſſiones huius temporis non ſint condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, quia ſi ab initio mundi vſque ad finem non modo quis pro Deo laboraret, ſed & pateretur, non tamen eſſet condignum, vt hoc temporali commercio æternitatem mercaretur: ne tamẽ malis diutius liceret peccare ad maiorem ſui pœnam, ne etiam bonos in mundi exilio tæderet vivere, ſi nimia foret eis dilatio ad patriam: breviavit Deus humanæ vitæ dies propter electos, ne pravorum afflictione, vel nimio ſuo labore deficerent. Sed & ne minutio temporalis laboris aliquod æterni præmij videretur diſpendium, ipſius præcurſoris ſui vitam, *quo nemo maior* ipſo teſte *ſurrexit*, triginta duorum & ſemis annorum eſſe voluit, ſui etiam ipſius, qui ſuper omnes eſt, eodem numero conſummavit: vt quia Deus non curat ex quanto tempore, ſed ex quanto corde ſibi ſerviatur, perfectionem meriti non tempori aſcriberet, ſed virtuti. Ecce enim in tantillo tempore plenam obedientiam Deo patri ſervavit, quod nullus ab origine mundi facere potuit. Et quis diutius eo vixiſſet, ſi temporis diuturnitatem, & non virtutem meritorum perfectioni ſufficere vidiſſet? Sed & quomodo Ioanne nemo maior ſurrexiſſet, cùm Abraham Iſaac & Iacob & cæteros quàm plures in obſequiis divinis diutius laboraſſe conſtet? Sed evidens eſt pro certo, quaſi etſi plures eo laboraverunt diutius, nemo ferventius & purius qui tempore iuventutis ſuæ inventus eſt in tentatione fidelis & fortis, quo caro ſpiritui ſemper magis eſt rebellis, adeò vt occidendus etiam Herodem increpare non metueret in carcere, quia fratri ſuo vxorem ſuam præſumpſiſſet tollere.

(*Rom. 8.*) (*Matt. 11.*) (*Marc. 6.*)

CAPVT VIII.

(Cur panis in carnem & vinum in ſanguinem per ſe conſecrentur.)

QVæritur quoque quare panis in carnem, vinum in ſanguinem per ſe conſecrentur, & illud per ſe caro, & illud per ſe ſanguis dicatur: cùm in carne totus Chriſtus, & in ſanguine totus Chriſtus ſumi credatur, nec tamen diviſim duo Chriſti, ſed in vtroque vnus ſolus Chriſtus. Ad quod reſpondetur, quia iſte mos inolevit in Eccleſia ab ipſo Chriſto, qui corpus ſuum & ſanguinem diviſim conſecravit & dedit: non ad diviſionem ſubſtantiæ ſuæ vt illi duos Chriſtos acciperent, cùm in vtroque unum Chriſtum acceperint: ſed ad diſcretionem figuræ: vt panis dum dentibus teritur, carnem Chriſti in paſſione attritam, & dum vinum in ora fidelium funditur, ſanguinem de latere Chriſti fuſum ſignaret. Sed nec ideo corpus & ſanguis per ſe dicitur, quaſi corpus exanime, & ſanguis effuſus & diviſus à corpore credi debeat, cùm vtrumque unus ſit Chriſtus immortalis, indiviſus: ſed memoria paſſionis eius ita dicitur, quia in ipſo Sacramento mortem Domini annunciare debemus. Vnde etiam aqua in Sacramento admiſcetur, non ſolùm vt capiti ſuo Chriſto, populum Eccleſiaſticum vniri ſignificet, ſed etiam vt aquam quæ de latere Chriſti cum ſanguine fluxit, repræſentet. Dicuntur autem duo diverſa Sacramenta panis & vinum, quantum ad diverſas ſuas ſpecies: cùm tamen ſint unum, quantum ad unam eandemque ſuam ſignificationem. Vnde Auguſtinus ſacrificium Eccleſiæ dicit duobus confici, duobúſque conſtare: uno ſcilicet Sacramento, quia panis & vinum idem ſignificant: & una re Sacramenti, quia corpus & ſanguis unus eſt Chriſtus. Alioquin non duobus, ſed quatuor conſtaret Eccleſiæ ſacrificium, eſſentque ſicut duo Sacramenta panis & vinum, ſic duæ diſcretæ res Sacramenti, corpus & ſanguis, quod eſt impoſſibile, cùm Chriſti corpus non ſit exangue & mortuum. Ideo etiam corpus & ſanguis diviſim in Sacramento videntur: vt quia Chriſtus pro nobis mortuus eſt, nos qui corpore & anima perieramus, corpus per corpus, & animam per animam redimens, corpus & animam ſuam pro noſtra redemptione in morte diviſa fuiſſe ſignetur: dum corpus eius in ſepulchro iacuit, anima verò ad liberandas ſanctorum animas ad inferna deſcendit. Cùm igitur in tali myſterio corpus per corpus, anima autem Chriſti ſignificanda eſſe per aliquam viſibilem ſpeciem: nihil inventum eſt in creaturis, per quod vicinius & aptius repræſentaretur, quàm per ſanguinem, qui eſt ſedes animæ. In quo etiam vt ſignetur animas noſtras & corpora, animæ Chriſti & corpori vniri & formari debere, ſimul corpus & ſanguis ſumitur à fidelibus: vt ſumpto corpore & anima Chriſti toto Chriſto totus homo, in anima & corpore vivificetur: dum ipſa caro Chriſti, vt dictum eſt, non exanguis & mortua, ſed viva & vivificatrix creditur. Vnde, vt ait Auguſtinus, *nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne iure communicatur. Item † Gelaſius Maiorico & Ioanni Epiſcopis: Comperimus quòd quidam ſumpta tantum corporis ſacri portione à calice ſacri cruoris abſtineant: qui procul dubio aut integra Sacramenta accipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius eiuſdemque myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.

* *Annotarunt quidam hunc locum citatum ab Algero non eſſe apud S. Auguſtinum, ſed haberi in Paſchaſio libr. de corpore Domini cap. 19. vbi Paſchaſium non loqui de ſpeciebus ſacramenti, ſed de re contenta, docereque non poſſe ſumi carnem Chriſti exanguem, neque ſanguinem ſine ſuo corpore, & illum non iure ac merito communicare, qui ſentit vnum accipi ſine altero. Quo ſenſu dixit idem Paſchaſius cap. 17. Non rectè caro Chriſti ſine divinitate ſumitur, nec divinitas ſine carne præſtatur. Hæc ille. Id breviter efferunt Theologi ſub ſpecie panis contineri corpus Chriſti ex vi Sacramenti, ſanguinem per concomitantiam, & ſub ſpecie vini: ſanguinem ex vi ſacramenti, corpus per concomitantiam. Vide Bellarminum lib. 4. de Euchariſtia cap. 26. & apparatum ſacrum Poſſevini.*

† *S. Gelaſius vel de ſolis ſacerdotibus celebrantibus loquitur, quibus non licet dimidiare ſacrificium, vel alteram tantum ſpeciem in Miſſa ſumere, vel invehitur in quoſdam Manichæos, qui occultè eo tempore ſerpebant in vrbe, qui hæretica quadam ſuperſtitione, quod vel vinum malum exiſtimarent, vel quod Chriſtum ſan-*

A *guine caruiſſe putarent, à communione calicis abſtinebant, ut S. Leo ſermone 4. de Quadrageſima refert, quos ipſe S. Leo eo indicio deprehendebat, ſi ab hauſtu ſacri ſanguinis abhorrebant. Non reprehendit S. Gelaſius morem eorum qui iuſtis & piis cauſis ſub ſpecie tantum panis Euchariſtiam communicant, ſed eos qui ex Manichæa ſuperſtitione ſanguinem reſpuebant. Vide Baronium tom. 6. annalium, anno Chriſti 496. cap. 20. & ſeqq. Bellarminum lib. 4. de Euchariſtia cap. 26. ad 21.*

CAPVT IX.

B *Cur corpus Chriſti magis conſecretur in pane candido, quàm nigro, vel cuiuſcumq. coloris: cum ſanguis conſecretur in cuiuſcumq. coloris vino.*

QVæritur autem quare in candido pane conſecretur magis corpus Chriſti, quàm in nigro, vel cuiuſcumque coloris: cùm ſanguis conſecretur in vino albo, rubro, vel cuiuſcumque coloris. Pane quidem cuiuſcumque annonæ ſive coloris non prohibetur fieri corpus Chriſti, ſi neceſſitas fuerit: ſed decet revera eum candidiſſimum eſſe & mundiſſimum ſi facultas non defuerit, qui transferri debet in ſplendidiſſimum & corpus immaculati Agni. Sicut enim mucor & vetuſtas in tali Sacramento prohibentur, ne irrogent ſumentibus faſtidium: ſic in eo nihil debet eſſe, quod ſumendi minuat deſiderium.

CAPVT X.

Nota. Cur magis conſecretur corpus Chriſti in pane azymo, quàm fermentato.

ITem quæritur, quare in azymo pane conſecretur caro Chriſti magis, quàm in fermentato, vel fæcato: cum ſanguis conſecretur in vino ſeu defæcato & puro, ſeu cum fæce, vt muſto de racemis ſtatim expreſſo. Quare igitur fæx vel fermentum in pane refutatur: cum recipiatur in vino quo idem Sacramentum conficitur? vt ergo ſupra dictum eſt, panis & vinum unum Sacramentum eſt, quia in utroque unus Chriſtus eſt; Vtrum ergo ex azymo an ex fermentato pane corpus Chriſti confici debeat inter Latinos & Græcos magna concertatio eſt: in tantum ut illi iſtos Azymitas, iſti illos Fermentarios quaſi cuiuſlibet hæreſis notent vocabulo: cùm tamen, vt multis bonis Catholicis videtur, non ſit contra fidem Chriſtianam ſeu azymum ſeu fermentatum ſacrificetur: C tum quia utrumque panis eſt, & ſicut utrumque vitam tranſitoriam, ſic corpus Chriſti dat æternam: tum quia etiam quamvis Chriſtus de azymo pane corpus ſuum fecerit, (forſitan non quia res quæ fiebat hoc exigebat, ſed quia cœna in qua hoc factum eſt, panem alium non exhibebat) panem tamen fermentatum non prohibuit. Quamvis enim in veteri lege præceptum ſit azymum panem in Paſcha comedi, ut per eum figuraretur Chriſtus ſyncerus & mundus fore, & nos D etiam quia manducaturi eramus corpus eius, ſimiliter moneremur purgari ab omni fermento malitiæ & nequitiæ, figura tamen tali in pane illo non indigemus, de quo carnem Chriſti conficimus: quia qui de figura veteri ad veritatem tranſivimus, azymam & puram carnem Chriſti in quocumque pane conſecrato ſumimus. Aſtruunt etiam, quia ſicut ad invocationem divini nominis, quæ in nullo Sacramento adnullari creditur, ſed ſola per Dei gratiam omnia in omnibus operatur, non obſunt vel proſunt Sacerdotum merita, quo magis vel minus fiant Eccleſiaſtica Sacramenta: ſic nec color, nec ſpecies panis & vini obeſt vel prodeſt, quo minus vel magis corpus Chriſti fiat, dum tantummodo ſit panis & vinum, quorum ſubſtantia, vt Chriſtus præcipit, in ſubſtantiam corporis Chriſti & ſanguinis tranſeat.

Dicunt tamen Græci Latinos iniuſtè azyma immolare: cum azyma veteris teſtamenti ſit, & Chriſtus omni vetuſtate ablata, vtpotè præſente veritate ſaluti humanæ ſuperflua, non in azymo, ſed fermentato novum teſtamentum inſtituerit. Contendunt enim quia novum teſtamentum non perfectè inſtituiſſet: niſi omnino vetus tam in azymis, quàm in cæteris ſuis ritibus, deſtituiſſet. E Deteſtantur ergo Latinorum ſacrificia: quia in eis ipſos Iudaizare repetant, immolando azyma.

Dicunt è contra Latini Chriſtum in azymo pane novum teſtamentum inſtituiſſe, quia cum xiiij. luna ad veſperum vetus teſtamentum compleverit, & novum inſtituerit, fermentatum in cunctis finibus Iſraël inveniri non licuit: quapropter quia cœna ipſa in qua hoc factum eſt panem tantummodo azymum exhibebat, azymo pane novum teſtamentum inſtituit. Quòd ſi Chriſtus non Iudaizando fecit, quis nos eum imitando Iudaizare dixerit: Sed opponunt F Græci Chriſtum fermentatum panem mirabiliter ſibi exhibuiſſe, ſicut de quinque panibus legitur quinque millia hominum paviſſe.

E contra Latini: Quia hoc miraculum eum feciſſe non legitur, licet potuerit, quòd tamen fecerit nulla authoritate firmatur: præſertim qui eotenus ita legem ſervaverat, vt ex ea nec iota unum ſolvere voluerit. *Quia enim natus ex muliere, factus ſub lege, debitor legis extiterat:* ſi eotenus legem ſolviſſet, legem tranſgrediendo peccator fieret, cauſâque noſtræ ſalutis periret. Niſi enim omnino innocens & mundus pro nobis immundis & iniuſtis occumberet, non alienæ, ſed ſuæ culpæ debitum moriendo ſolveret: & ſic Adæ peccato non deleto, regnum mortis æternæ non ceſſaret. Cum enim de obſervantia azymorum lex dicat. *Quicunque fermentatum comederit, peribit anima illa de Iſrael*, iuſtam occiſionis ſuæ cauſam Iudæi inveniſſent, ſi eum ut legis tranſgreſſorem punirent. Qui enim adverſus eum tam ſtudioſè tot falſos teſtes ſubornaverunt, proditore ipſo qui cœnæ interfuit deferente, tam iuſtam cauſam non reticuiſſent.

Opponunt Græci: quia & ſi ante paſſionem legis debitor fuit, poſt reſurrectionem legis nihil debuit, G quia ut ait Apoſtolus, *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quod enim vivit, vivit Deo.* (*Rom. 6.*) Quoniam igitur poſt reſurrectionem non legi, ſed Deo vivit: ideo ipſe nil iam legi debens, baptiſmum novæ gratiæ, quod ante non fecerat, in remiſſionem peccatorum, non Iudæis tantum, ſed & omnibus gentibus prædicari & præſtari inſtituit. Vnde etiam aſtruunt, quia etiam ſi Chriſtus panem azymum conſecraverit, non tamen hoc imitandum ſit in ipſo: ſicut nec circumciſionem cum baptiſmate, nec celebrationem veteris Paſchæ cum novo uſurpamus: quamvis ipſe ut mediator novi teſtamenti ac veteris, illud complendo, iſtud inſtituendo, peragere ſit dignatus, quia ante paſſionem quidem, aliqua novi teſtamenti ac veteris pro ſua dignitate rite perfecit, ſed poſt reſurrectionem omni legalis vetuſtatis vmbratica ſuperfluitate remota, ſolius gratiæ veritatem omnibus inſtituit.

H *Cautè lege iſta, neq. enim extat divinum præceptum de conficiendo Euchariſtiam in ſolo azymo, alioqui peccarent ſemper Græci conficientes in fermentato, & hæc eſt communis ſententia Theologorum. vide S. Th. 3. p. q. 7 art. 4.*

Dicunt è contra Latini, quia revera hoc ſalubriter imitandum eſt in ipſo: quod Eccleſiæ ſuæ faciendum tradidit, exemplo, teſtimonio, præcepto. Cùm enim dixiſſet: *Panis quem ego dedero, caro mea eſt pro mundi vita*, azymum panem benedixit, fregit & dedit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cùm ergo teſtatus ſit azymum panem corpus ſuum factum, & ſine exceptione præceperit hoc in ſui memoriam faciendum eſſe: quis atteſtante Deo non credat azymum panem corpus Chriſti fieri? Quis ad hoc idem faciendum non obediat præcipienti, ſub exemplo idem faciendi? Si mortiferum ſciſſet Chriſtus fidelibus ſuis fore de azymo corpus ſuum conficere: ſicut cætera peccata ne hoc faceremus interdixiſſet, vel ſaltem facere non præcepiſſet. Nunc autem cùm dixerit hoc facite, & azymum non exceperit: quis audet excipere quod ipſe non excepit? aut quis audet prohibere, quod ipſe in Sacramento ſuo non prohibuit? Sed ipſe hoc faciens, nos hoc ipſum facere præcepit. Cùm dicit, hoc facite, convenienter ſubauditur,

A quod ego : quis æque competenter ſubaudire audeat, ſed non de hoc unde ego ? Item ſi mutandum eſt fermentato azimum, mutetur etiam quolibet alio liquore ſi enim vinum recipitur, cur azymum refutetur? cùm ſicut ex azymo, ſic ex vino Chriſtus vetus Paſcha finierit, & novum inchoaverit, & utrumque nobis in Sacramento ſuo æquè celebrandum tradiderit : Iudæi autem æquè utantur in ſui cæremoniis vino ſicut & azymo. Hoc utique Chriſtus faciens, non fecit tantummodo ut præceptum de azymis in Paſcha ſervaret : ſed etiam ut fermentarios, quos prævidebat, reprobans, azymitas approbaret : aut certè ſi etiam fermentarij approbarentur, ipſe azymita, azymitas præponeret. Si enim divina Sacramenta per eas elementorum ſpecies quæ digniores ſunt, celebrare debemus : quem panem digniorem * exiſtimabimus, quàm eum quem & vetus lex ad ſignificandam, & Evangelium elegit ad exhibendam Dominici corporis veritatem ? In lege azymus panis afflictionis dicitur; ut per hoc etiam nos, *qui memoriam paſſionis Chriſti in Sacramento recolimus,* animas noſtras affligere doceamur. *In gratia enim* (ut ait Apoſtolus) *non fermento veteri, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis epulari monemur*, ut per azymum ſynceri & puri eſſe debere ſignemur. Quid igitur ad conficiendum Chriſti Sacramentum dignius, quàm illud, quod & veritate & figura, ſalutem omnimodis operatur ? Nec tamen figuris utentes Iudaizare putandi ſumus : quia licet in hoc idem faciamus quod Iudæi, non tamen eadem cauſa facimus qua & ipſi, quia non facimus ut Iudaiſmum ſervemus. Et cùm ipſi ſuis figuris futura tantum portendant, non Chriſtum per azymi figuram qualemcumque futurum ſignificamus : ſed potius quod ſine fermento, id eſt, infectione peccati fuit ille cuius corpus immolatur, repræſentamus : & noſipſos ſecundum Apoſtolum, *ut epulemur non in fermento malitiæ & nequitiæ : ſed in azymis ſynceritatis & veritatis* admonemus. Cum ergo nos Chriſtum non talem futurum ut Iudæi, qui figurant futura & expectant, ſed fuiſſe purum, ut Chriſtiani ſignificemus, & nos tales fieri qualis ipſe eſt, moneamus, in azymo fruſtra nos reprehendunt Græci, niſi fortè velint, ut quia vetera tranſierunt, in quibus futurorum umbræ neceſſariæ erant, nullis figuris utantur Chriſtiani. Vbi eſt quod ait Apoſtolus, *Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem*, ſi baptiſmus non eſt nobis figura mortis Chriſti & ſepulturæ ? Sed fortè non eiſdem nos uti volunt figuris, quibus illi utuntur in ſuis cæremoniis. Sed ſi idem vetatur azymum, quia eo utuntur Iudæi in ritibus ſuis : ita etiam eorum vetetur fermentatum, quia eo etiam utuntur Iudæi in ſacrificiis ſuis. Vnde in Levitico : *Offeret panes fermentatos cum hoſtia gratiarum, quæ offertur pro pacificis.* Item in eodem : *In pentecoſte offeretis panes primitiarum de duabus decimis ſimilæ fermentatæ.*

B — ** æſtimabimus* — *1.Cor.5.* — *Ibidem.* — *C* — *Rom.6.* — *Levit.7.* — *Levit.23.*

Quia nulla ratio cogit ut azymum à Chriſti ſacrifitio repellatur : dignum eſt, ut quod Chriſtus inſtituit, omnis autem Eccleſia præter Græcam à primordio ſui ex traditione principum Eccleſiæ, Petri ſcilicet & Pauli, celebravit, indeſinenter conſervet, donec Chriſtus ad iudicium veniat, ſicut ipſe inſtituit. Si enim quia Apoſtolus ait, *vetera tranſierunt, ecce omnia facta ſunt nova*, credantur tranſiſſe omnia, & periiſſe veteris teſtamenti inſtituta : ubi eſt dilectio Dei & proximi, ubi ſunt præcepta decalogi, ubi eſt ordo Levitarum & Sacerdotij, dedicatio altaris & templi ? Hæc omnia ab illis ad nos non deficiendo, ſed proficiendo tranſierunt. Encænia, Paſcha, Pentecoſten, quadrageſimam, quia in veteri lege inſtituta ſunt, celebrari non deſiſtimus : Pontificeſ, Sacerdotes, Levitas, reliquoſque Eccleſiaſticos ordines ad exemplum veterum inſtituimus, & cætera quam plura in hunc modum.

2.Cor.5. — *D*

E

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

QVIA de peccatoribus miniſtris, ſed tamen Eccleſiaſticis, quod vera & rata Sacramenta celebrent aſtruximus : nunc de extra Eccleſiam peccatoribus hæreticis ſcilicet vel ſchiſmaticis, quamvis non rata, ſi ſaltem vera ſint quæ celebrant, videamus : maximè quia ſancti aliquibus in locis ea Sacramenta eſſe negant, & potius ea ſacrilegia vocant. Et quia de corpore & ſanguine Domini, quod præſentis eſt negotij, maior eſt dubitatio, de ipſo, ipſo auxiliante, ſed & de cæteris, præſens fiat diſputatio. Poſitis ergo authoritatibus quibus ſancti hæreticorum Sacramenta deteſtantur tanquam irrita, & quantum ad ipſos noxia, ſubiungamus authoritates & rationes, quibus aſtruantur, quantum ad Deum, vera & ſancta. Ait Auguſtinus : Extra catholicam Eccleſiam veri ſacrificij locus non eſt. Pelagius Papa Viatori & Pancratio inter cætera : A ſchiſmaticorum Sacrificiis, potius autem ſacrilegiis abſtinere debetis. Item idem ad eoſdem : Non eſt corpus Chriſti quod ſchiſmaticus conficit. Item Auguſtinus in Enchiridio : Si quæ ad Chriſtum pertinent cogitentur, nomine tenus invenitur Chriſtus apud quoſlibet hæreticos : re autem ipſa non eſt apud eos. Item Cyprianus : Conſtat eos oleum unde baptizati unguntur ſanctificare, & Euchariſtiam apud illos fieri non poſſe : ubi ſpes nulla eorum, & fides falſa, ubi omnia per mendacium geruntur. Item Ambroſius in libro de initiandis rudibus. Non ſanat baptiſmus perfidorum, non mundat, ſed polluit : quia in harum *diluvio aquarum ad Deum non approximatur.* Item Hieronymus in Aggæum Prophetam : Omne quod fecerint hæretici, vel quod mihi obtulerint, vel vota vel cætera, contaminata erunt in conſpectu meo. Quamvis enim ſancta videantur ſpecie ſui, quæ offeruntur : tamen quia tractata ſunt ab illo qui pollutus eſt in anima, polluuntur omnia. Item beatus Gregorius in dialogo : Superveniente Paſchalis feſtivitatis die ad Erminigildum perfidus pater Arianum Epiſcopum miſit : ut ex eius manu ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo * dilectus eius à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit. Item idem : non perpenditur quia benedictio illi in maledictionem convertitur, quia ad hoc ut fiat hæreticus promovetur ? Item, Sacerdotium illic ſubſiſtere non arbitror. Item Cyprianus : Ad hæc omnia accedit etiam illud malum, ut antiſtes diaboli audeat Euchariſtiam facere : cùm nec ſanctificari illic oblatio poſſit, ubi Spiritus ſanctus non eſt. Et paulò poſt. Falſa altaria & illicita ſacerdotia, & ſacrilega ſacrificia, & omnia adulterata fingentes : inter ethnicos & publicanos computentur omnes, quos conſtat à charitate atque unitate Eccleſiæ catholicæ receſſiſſe. Ergo omnia quæ faciunt hæretici : carnalia ſunt, inania & falſa. Non ſtatim ſuſcipienda & aſſumenda ſunt, quæ iactantur in Chriſti nomine, ſed quæ geruntur in Chriſti veritate. Quomodo enim perficere quæ agunt, & impetrare aliquid à Deo poſſunt : qui contra Deum quod eis non licet moliuntur ? Item Gregor. in Moralibus : Hæreticorum ſacrificia Deo accepta eſſe nequeunt : niſi pro eis univerſalis Eccleſiæ manibus offerantur. Item idem : In una namque domo Agnus comeditur : quia in una catholica Eccleſia vera hoſtia redemptoris immolatur.

Quòd ſancti quibuſdã ſuis authoritatibus videntur aſtruere, hæreticorum Sacramẽta eſſe irrita & noxia. — F — *Pelagius* — *Cyprianus.* — *Ambroſ* — *Hieron.* — G — *Gregor. lib 3. cap. 31.* — ** dedicatus.* — H — *Lib. 23. cap. 3.*

His omnibus authoritatibus videntur ſancti aſtruere, extra Eccleſiam ab hæreticis vel ſchiſmaticis corpus Chriſti confici non poſſe : cùm nec Chriſtus, nec

Ibidem. lib 35. cap 6.

Spiritus

A Spiritus ſanctus, per quem omnia ſanctificantur, ſit apud eos, nec locus ſacrificij, nec ſacerdotum ſubſiſtat apud eos: & ideo offerant ſacrificia ſacrilega, inania, & falſa. Ad hoc etiam accedit, quòd cætera Sacramenta forma ſunt tantum & figura ſanctorum effectuum, non ipſa veritas: poſſuntque hæreticorum vera quidem dici quantum ad formam; & inania & falſa, quantum ad effectus gratiam, quam apud eos non conferunt. Sed Sacramentum corporis Chriſti, cum nullatenus ſit ſine corpore Chriſti, ſi verum eſt apud hæreticos, nullatenus eſt inane & falſum apud eos: quia vbicumque eſt Sacramentum corporis Chriſti, ibi & Chriſtus, qui non eſt inanis & falſus, ſed ſemper verus. Si ergo ſacrificium eorum eſt ſacrilegum, cùm Chriſtus ſit ſacrificium: ergo Chriſtus eſt ſacrilegus. Si non eſt acceptum Deo: ergo filius in quo ſibi pater complacuit, patri non eſt acceptus. Si B non accipiendum & aſſumendum ab hominibus: ergo ille qui adorandus eſt ab Angelis, eſt ab hominibus reprobandus & reſpuendus.

Quod de Chriſto, qui Agnus immaculatus eſt: ſentire eſt nefarium vt alieno ſcelere aliquatenus eum credamus contaminandum, qui omnia peccata mundi ſolus pertulit & abſtulit. Ne ergo aliquatenus de eo credatur hoc inconveniens, conſentiunt Pelagio, quòd non ſit corpus Chriſti, quod ſchiſmaticus conficit, & Cypriano, quod apud hæreticos Euchariſtia fieri non poſſit, voluitque invocationem divini nominis, quam Gregorius ſacrilegam conſecrationem vocat, in hoc irritam duci, quia Cyprianus dicit non ſtatim ſuſcipi debere, quæ iactantur in Chriſti nomine, ſed quæ geruntur in Chriſti veritate: vt dum omnino nihil eſſe aſtruunt quod hæretici conficere videntur, ignominiam illam à Chriſto auferant, quam ſancti de ſacrificiis, vel cæteris hæreticorum Sacramentis atteſtantur.

CAPVT II.

C

Quòd ſolius Dei ſit, omnia Sacramẽta facere ſemper vera & ſancta quantum ad ipsũ.

SEd ſi ita eſt credendum, quàm latè pateat inconveniens videamus. Primum invocationem divini nominis in Sacramentis ſuis annullari, credere nefas eſt. Ait enim Auguſtinus ad Parmenianum: Sacrificia inquit, impiorum execratio eſt Domino. Etenim iniquè offerunt illa. Et poſt pauca: Sacrificia ergo impiorum eis ipſis oberunt qui offerunt impiè. Nam vnum idemque ſacrificium propter nomen Domini quod invocatur, & ſemper ſanctum eſt, & tale cuique fit, quale corde ad accipiendum acceſſerit. Item idem in Homilia ſuper Ioannem 80. Vnde iſta tanta virtus eſt aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. Item ad Donatiſtas: Si Deus adeſt Sacramentis & verbis ſuis, per quoſlibet adminiſtrentur: & Sacramenta Dei vbique recta ſunt, mali homines quibus nihil proſunt, vbique perverſi ſunt, id eſt, intus & foris. Item: Ergo non foris, ſed nec intus quiſquam qui ex parte diaboli eſt, poteſt in ſe vel in quoquam maculare Sacramentum quod Chriſti eſt. Quomodo enim poſſet maculare malus quod non poteſt conſecrare vel D meliorare bonus: quod ſolus efficit Chriſtus & nullus alius? Si enim alius efficeret, iam ad Chriſtum non attineret. Sed quod bonum ſine ſummo bono eſſe poſſet? Quamvis ergo omnia Sacramenta Chriſti eſſe dicantur & Eccleſiæ: non tamen ita vt in eis Eccleſia Chriſti, quaſi per ea conferatur, ſed vt particeps Chriſti gratiæ aſtruatur: vt ſolius Chriſti ſint, quantum ad poteſtatem qua fiunt: & Eccleſiæ, quantum ad vtilitatem qua conferuntur: vt in eis & ille ſuam exhibeat gratiam, & illa ſuam ſuppleat indigentiam. Sciens enim Chriſtus vel hominum peccata impedire, vel merita non ſufficere ad vitam, Sacramentorum ſuorum adhibuit gratiam: vt Eccleſia quod minus habet in meritis divinis credens ſuppleri Sacramentis, quanto in ſua imperfectione Deo eſſet humilior, tanto in ſupera- E bundantia beneficiorum eius fieret perfectior. Quod ergo ſuis Chriſti gratia reſeruavit privilegiis, nihil debere voluit miniſtrorum meritis vel officiis: ſed quod ſuum eſt, ita fecit ſibi liberè liberum, vt nec eorum dignitate ſit melius nec indignitate deterius: ne vel boni divino operi ſuperaddidiſſe videantur, tanquam Deo meliores, vel mali minuere, tanquam contra Deum fortiores, vel tanquam ſint ipſe Deus, ſuum omnino deputare quod omnino divinum eſt. Ne ergo Sacramenta Eccleſiæ bonorum vel malorum hominum, ſed ſolius Dei eſſe aſtruantur, apud omnes indifferenter quantum ad ſe, vera & ſancta eſſe creduntur: vt cùm apud omnes ab eodem eadem ſint ſemper, ſicut Deus incommutabilis ſeipſo nunquam peior vel melior eſt, ſic & ſua Sacramenta incommutabiliter apud omnes eadem, nunquam ſeipſis ſint peiora vel meliora.

CAPVT III.

F

Quòd Sacramẽta Chriſti pro meritis miniſtrorum fieri credenda non ſũt, ne pereat vnitas Sacramẽtorum & Eccleſiæ.

SI enim pro meritis miniſtrantium apud hos vel illos melius vel peius fieri putarentur, iam non Chriſti gratiæ, ſed eorum meritis aſcriberentur: & cùm quidlibet nunc peius, nunc melius, non idem, ſed diverſum ſit, iam non ſtaret vnitas baptiſmi vel corporis Chriſti, quia baptiſmus eius in his vel illis melior vel peior, eſſet diverſus: & ſimiliter corpus Chriſti diverſum. Si enim à malo mala, à bono bona, à meliori meliora fierent Sacramenta, nónne pro variis meritis hominum, varia eſſent baptiſmata, & Chriſti corpora? Et ſi multa corpora Chriſti: ergo non vnus, ſed multi Chriſti, nec vna Eccleſia, ſed multæ: quod eſt nefas. Et quia conſtat multos Chriſtos non eſſe, de veritate baptiſmi & Eccleſiæ videamus: vt de maiori magis pateat, quod de minori Sacramento probabitur. Ait Auguſtinus ſuper Ioannem Homilia 6. Per hanc poteſtatem quam Chriſtus ſolus ſibi retinuit, & in neminem miniſtrorum transfudit, quamvis per miniſtros baptizare dignatus ſit, per hanc ſtat vnitas Eccleſiæ, quæ ſignificatur in columba, de qua dictum eſt: *Vna eſt columba mea, vna eſt matri ſuæ.* (Cant. 6.) G Si enim transferretur poteſtas à Domino ad miniſtros: tot eſſent baptiſmata quod miniſtri, & non ſtaret vnitas baptiſmi. Quamvis ergo baptizent ſive iuſti ſive iniuſti: non tribuitur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* (Ioan. 1.) Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat: Iudas baptizet, hic eſt qui baptizat. Nam ſi pro diverſitate meritorum baptiſmus ſanctus eſt: quia diverſa ſunt merita, diverſa erunt & baptiſmata. Sed quomodo cum baptizat bonus & melior, non ideo iſte bonum accipit & ille melius, ſed vnum eſt & æquale quod accipiunt: ſic & cum baptizat malus, quod datum eſt, vnum eſt, nec impar propter impares miniſtros, ſed par & æquale, propter; Hic eſt qui baptizat. Sed ne putetur dictum de his malis, qui vel ignorantur aut tolerantur in ipſa Eccleſia? ait Auguſtinus ad Creſconium Grammaticum: (Auguſt. lib. 2. cap. 12. Lib. 3. cap. 7.) Si quæris quomodo baptizent quos damnavit Eccleſia: reſpondeo, ſic eos baptizare, quomodo baptizant quos damnavit Deus, antequam de illis quicquam iudicaret Eccleſia. Item, Si inter bonos miniſtros, cum H ſit alius alio melior, non eſt melior baptiſmus, qui per meliorem datur, nullo modo eſt malus qui etiam per malum datur, quia idem baptiſmus datur: & ideo per diſpares miniſtros Dei munus æquale, quia non illorum, ſed eius eſt. Item idem in libro 6. de baptiſmo. (Cap. 1.) Etiam corde tardiores intelligunt baptiſmum Chriſti nulla perverſitate dantis vel accipientis poſſe violari. Item idem in 6. Illud & in homine iuſto, & in homine iniuſto ſemper ſanctum eſt: quod neque alicuius æquitate augetur, neque alicuius iniquitate minuitur. Item idem in libro 3. de baptiſmo: (Cap. 11.) Catholica Eccleſia propterea non debet iterare baptiſmũ* qui apud hæreticos datus eſt: ne iudicare videatur ipſorũ eſſe quod Chriſti eſt:

* al. quia

aut

A aut eos non habere, quod intus cum acceperint, amittere vtique foras exeundo non poſſunt. Vnus igitur idem baptiſmus Chriſti eſt apud omnes, bonos ſcilicet & malos, damnatos & non damnatos, hæreticos & non hæreticos: ita vt per diſpares miniſtros munus Dei ſemper æquale ſit, quia non illorum ſed eius eſt: nec melius nec peius quantum ad ſanctitatem, nec maius nec minus quantum ad veritatem: non à dante vel accipiente violatum, non recedenti ab Eccleſia amiſſum, non redeunti iterandum, vt in quo nullius momenti omnia hominum iudicantur merita, ſola Dei valere credatur gratia. Si enim pro meritis ſuis ab Eccleſia recedendo poſſent amittere, permanendo obtinere: quod ipſi ſibi poſſent conferre vel auferre, ipſorum non Dei videretur eſſe. Item quod recedenti eſſet amiſſum, redeunti eſſet iterandum: fierentque duo baptiſmata, quibus bis renaſceretur ſpiritualiter, ſemel natus carnaliter. Item ſi quod fit apud hæreticos

B non eſt Sacramentum: quod cum illis refutatur, ipſorum non Chriſti eſſe iudicatur.

Item annullatur apud eos inuocatio diuini nominis iteranda vt valeat à catholicis: ſicque gratia Dei iam quaſi per ſe impotens, quod valet hominum meritis debet, iam vbi non vult libera non gratuita, ſed meritis hominum obnoxia, dum apud hæreticos nihil ſine meritis, apud catholicos autem operatur tantum pro meritis, & ita gratia iam non eſt gratia. Vnum igitur idemque apud omnes in ſua veritate credendum eſt eſſe baptiſma, vt catholica eadem maneat in ſua vnitate Eccleſia. Sicut enim vnus Pater noſter qui eſt in cœlis, ſic & ſponſa eius mater noſtra Eccleſia vna eſt quæ generat, ſic & vnum baptiſma quo generat: quia licet diuerſæ ſint aquæ diuerſis locis & temporibus, non tamen confitetur niſi ***vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum***: quia teſte Apoſtolo ***vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.*** Similiter & diuerſi (Ephes. 4) baptiſtæ, ſemper vnum baptiſma. Si enim quot baptiſtæ, tot patres regenerare crederentur, eſſet regeneratio generatione deterior. Generatio enim carnalis ab vno homine cœpit, ne contra ſe humana propago erigeretur, & à ſe divideretur per ſuperbiam: ſi

C non ab vno, ſed ab iſto, & ab illo melius & peius habuiſſet originem primam. Quàm multo deterius regeneratio ſpiritualis non ab vno Deo, ſed ab iſto, & illo melius vel peius fieret: ſi tot patres quot baptiſtas haberet. Secunda generatio nihil amplius conferens quàm prima, non cœleſtis, ſed terrena, ſicut & prima, diceretur, filiique Eccleſiæ terrenis patribus renati, quia filij Dei non eſſent, nec ***hæredes Dei, nec cohæredes Chriſti fierent***: quia in regeneratione ſua tanti patris nobilitate & hæreditate orbati eſſent. Eccleſia etiam diuiſa tot patribus, variorum ſchiſmatum confuſione periclitaretur: dum ***ego Apollo, ego autem Cepha, ego autem Pauli***, ab omnibus adulterinis filiis, (1. Cor. 1.) quaſi in diuiſionem Chriſti perſtreperetur. Et quæ eſſet charitas vbi non eſſet vnitas. Cùm igitur radix omnium bonorum ſit dilectio, Eccleſia ſine dilectionis vnitate omnium bonorum priuaretur & merito & præmio.

CAPVT IV.

D (Quòd Deus pretioſa Sacramēta in non pretioſis ſpeciebus poſuit: non vt eſſent vilia & abiecta, ſed gratuita.)

NE ergo Eccleſia tot patres habere videatur, quibus vnitatem ſuam diſſipet, & à nobilitate cœleſti degeneret, omnia Sacramenta ſolius Dei credantur eſſe: quæ quàm gratuita quam vtilia, quàmque magnifica fecerit, ſtudeamus perpendere, vt cùm videmus de quantulis rebus quanta Eccleſiæ ſuæ conferat, ſi ſolius Dei ſint ipſa, & per ipſa operari manifeſtiſſimum fiat. Omnes Sacramentales ſpecies natura vel quantitate ſua ita nullius æſtimationis ſunt in pretio, vt ad Sacramentalem dignitatem nullo ſuo aſtingere videantur privilegio: niſi quòd dum naturali ſimilitudine ſua effectus Sacramentalis prætendunt vmbram vel imaginem, ad ſimilem ſancti Spiritus

E gratiam percipiendam magis accendunt & certificant fidem. Verbi gratia: In quatuor ſpeciebus Eccleſiæ Sacramenta maximè conſiſtunt, aqua ſcilicet, oleo, pane & vino. Aqua licet omnibus ſit neceſſaria, nulla tamen ſua venalitate eſt pretioſa. Oleum verò & vinum, in Sacramento, ita paucitate ſua effugiunt precij quantitatem, vt nullam niſi in ſpirituali gratia ſibi vendicare videantur vtilitatem. Quod tamen non ideo fecit Deus, vt quia Sacramenta ſua ſpecietenus venalitati non ſunt idonea, magis vilia videantur & abiecta, ſed magis gratuita: vt dum in eis nihil videtur valere, niſi quod ſuum eſt, omnes de eis ſibi ſoli haberentur gratiæ: qui in ſuis beneficiis noſtram abſtulit expenſam ne grauaremur, ſuam contulit incomparabilem gratiam vt hilarius iuuaremur. Si enim in quibuſlibet precioſioribus ſpeciebus Sacramenta ſua Deus inſtituiſſet, quæ natura & quantitate ſua ita eſſent precioſa, vt mundus totus non ſufficeret ad ea comparanda: non quidem Sacramentorum eſſet digna

F comparatio, ſed difficilis & oneroſa pauperibus ad ea fieret acceſſio. Ideoque vt gratia Dei omnimodo eſſet gratuita: in Sacramentalibus ſpeciebus non quæſiuit dignitatem, ſed aptitudinem. Quia enim aqua extinguit, mundat, & candidat præ cæteris liquoribus, ideo etiam in baptiſmate, carnis incentiua extinguit, peccatorum tam originalium quàm actualium labem abluit, innocentiæ candorem reducit: & dum ſic cœleſtis patris imaginem reformat, filios adoptionis regenerat. Oleum verò, quia athletis eſt congruum, incendio & lumini obnoxium: vt contra ſpirituales nequitias humana fragilitas fortius muniatur, oleo chriſmatis & in baptiſmate & in confirmatione perungitur, vt ſic datus ſpiritus geminæ dilectionis, animam fide illuminet, dilectione inflammet, ſpe cœleſti muniat & roboret. Quia verò panis & vinum homini incorporatum, vita eſt temporalis: ideo Chriſtus hoc Sacramento nobis tanquam caput membris incorporatus ſit vita æterna fidelibus. His tribus Sacramentis baptiſmus rite perficitur: vt quia in Trinitatis (Nota.)

G nomine celebratur, Trinitatis etiam fidem ſuo miniſterio atteſtans, per aquam Deo Patri nos regeneret, per corporis & ſanguinis Chriſti communionem filio Dei ad vitam nos concorporet, per olei vnctionem Spiritus ſancti virtute confirmet: vt qui in initio regenerationis tanta Dei gratia indigni præuenimur, non deſperemus ad vitæ palmam perduci, ſi cum eadem adniti voluerimus.

CAPVT V.

(Quod tanta ſit Dei Sacramenta, vt omnium hominū ſuperent merita.)

CVius ergo eſt tantam conferre gratiam, niſi ſolius Dei, qui in ſacramentorum ſuorum excellentia ita omnium ſuperat merita, vt ad eorum dignitatē vel poteſtatem aſpirare omnino non iudicentur indigna? Quis enim de filiis diaboli poteſt regenerare filios Dei, niſi pater Deus? Quis peccatores iuſtificare poteſt, niſi qui pro peccatis noſtris mortuus eſt Chriſtus? Et cùm ſpiritale ſit quicquid in Baptiſmo geritur, quis hoc poteſt peragere, niſi Spiritus ſanctus. Fruſtra enim

H hoc in Trinitatis nomine fieret, ſi ad alium quemlibet à Trinitatis poteſtate tranſiret. Non ergo præſumat homo ſibi deputare, quod ſolius Dei eſt facere. Ait enim Apoſtolus: ***Diuiſiones gratiarum ſunt: vnus autem Dominus, qui operatur omnia in omnibus, diuidens ſingulis prout vult.*** Vnde etiam Chriſtus cùm di- (1. Cor. 12.) ceret; ***Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto:*** de miniſtris omnino tacuit, quia de tanta gratia nihil ad eos attinere vidit. Vnde beatus Auguſtinus ſuper (Tract. 5.) Ioannem: Sed dicit mihi hæreticus: Non habes baptiſmum, quia malus tibi dedit. Si malus eſt inquam Chriſtus & malus mihi dedit. De officiali non diſputo. Fuerint qualeſlibet homines, ego à Chriſto accepi, ego à Chriſto baptizatus ſum: ego noui, quia docuit me columba quam vidit Ioannes: Sint iuſti miniſtri ſi volunt: ſin autem, ſecurum me facit magiſter meus, de

quo

A

1. Cor. 3.

quo dixit ſpiritus eius: *Hic eſt qui baptizat.* Si fuerit iuſtus miniſter, computo eum cum Paulo, qui gloriam ſuam non quærit, dicens: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Neque qui plantat neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Qui fuerit ſuperbus miniſter, cum Zabulo computatur: ſed non contemnatur donum Chriſti. Spiritualis enim virtus Sacramenti ita eſt vt lux: & ab illuminandis puta excipitur, & ſi per immundos tranſeat, non inquinatur. Cum ergo teſte Apoſtolo, miniſtri non ſint aliquid, ſed Deus qui *operatur omnia in omnibus*: quid ipſi cum nihil ſint in Dei Sacramentis operantur cùm ſolus Deus operetur omnia? Vnde item Auguſtinus ſuper Ioannem: Baptiſmus, talis eſt qualis eſt ille in cuius poteſtate datur: non qualis eſt ille per cuius miniſterium datur.

Ibidem.

CAPVT VI.

B

Quòd laico vel pagano baptizare permittitur.

Gelaſ.

VT ergo miniſtris auferretur meritorum iactantia, concedunt ſancti ſi neceſſe ſit laico, nec abnegant pagano baptizandi gratiam: quibus ſine officio, ſine merito non tantum quid permitteretur, ſi hominum merita vel officia ad baptizandum neceſſaria viderentur. Vnde Gelaſius Papa cap. 7. Diaconi abſque Epiſcopo vel presbytero baptizare non audeant: niſi prædictis forte officiis longius conſtitutis, ſi neceſſitas extrema compellat: quod & laicis Chriſtianis facere plerumque conceditur. Item Iſidorus: Si quis per negligentiam ordinetur antequam baptizetur, debent ab eo baptizari & ipſe vlterius non ordinetur. Romanus enim pontifex non hominem iudicat qui baptizat, ſed ſpiritum Dei ſubminiſtrare, baptiſmi gratiam licet paganus ſit qui baptizat. Item Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum, cap. 104. A quodam vt audio, neſcitis vtrum Chriſtiano an pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid inde ſit agendum conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine Trinitatis, vel tantum in Chriſti nomine, ſicut in actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt: vnum quippe idemque eſt, vt ſanctus exponit Ambroſius: conſtat non eſſe denuo baptizandos. Ne tamen exiſtimetur talis baptiſmus eſſe imperfectus, ait è contra Auguſtin. de baptiſmo libro 4. Poteſt dici alius alio doctior, alius alio magis vel minus baptizatus dici non poteſt.

Iſidorus

Nicol. P.

C

CAPVT VII.

Quòd ſanguinis effuſione, vel ſola fide baptiſmus cõpleatur.

SEd ne ſibi etiam attribuant officiales, laicum vel paganum ſaltem, vicem ſuam expleuiſſe attendant, gratiamque Dei ita liberam, vt nullis hominum meritis vel officiis aſtricta, quando vult, quomodo vult, cuicumque vult, ſeipſam infundat. Cùm enim conſtet ſanctos vel ſuo ſanguine vel ſola fide baptizari: quid hic officiales ſuis attribuent meritis, vbi nullius funguntur miniſteriis? Cùm ergo Deus ſine illis baptizet, patet quia hic ſolus eſt qui baptizat. Vnde Auguſtinus de baptiſmo libro 4. Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt; Hodie mecum eris in paradiſo: beatus Cyprianus non leve documentum aſſumit; Quod etiam atque etiam conſiderans, invenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id quod ex baptiſmo deerat, poſſe ſupplere: ſed etiam fidem converſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum: neque quia credidit paſſus eſt, ſed dum patitur credit. Quantum itaque valeat etiam ſine viſibili baptiſmi Sacramento, quod ait Apoſtolus: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: in illo latrone declaratum eſt. Sed tunc impletur inviſibiliter: cùm myſterium baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Et ſicut in illo latrone quod baptiſmi Sacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat: ſic & in infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda eſt: quod non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia, nec *corde credere ad iuſtitiam, nec ore confiteri poſſunt ad ſalutem.* Baptiſmus quidem poteſt ineſſe, vbi cordis converſio defuerit: converſio autem cordis poteſt quidem ineſſe non percepto baptiſmo, ſed contempto non poteſt. Neque vllo modo dicenda eſt converſio cordis ad Deum, cùm Dei Sacramentum contemnitur. Item in libro ſententiarum Proſperi: Verus baptiſmus conſtat non tam ablutione corporis quàm fide cordis: quemadmodum doctrina Apoſtolica tradit dicens: *Fide mundans corda eorum.* Et alibi: *Saluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Ecce cùm Dominus dicat in Evangelio: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, & ſola fide ſine baptiſmo ſalvantur homines, vt latro: & ſolo baptiſmate ſine fide, vt pueri: ſed tunc tantum cùm non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis alterutrum excludit. Vnde Iſidorus de officiis, libro 2. cap. 25. Paruuli alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui vel credere neſciunt: ſicut ægri, muti, vel ſurdi, quorum vice alius profitetur, vt pro eis reſpondeat dum baptizantur. Item Auguſtinus de libero arbitrio libro 3. Illud perſcrutari homines ſolent, Sacramentum baptiſmi Chriſti, quid paruulis proſit: cum eo accepto plerumque moriuntur priuſquam ex eo quicquam cognoſcere potuerint. Qua in re ſatis piè recteque creditur prodeſſe paruulo eorum fidem, à quibus conſecrandus offertur. Et hoc Eccleſiæ commendat ſaluberrima authoritas, vt ex eo quiſque ſentiat quid ſibi proſit fides ſua: quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, poteſt aliena commodari. O ineffabilis Dei gratia, quæ vbi alterutrum deeſt neceſſitatis articulo, & fidem prævenis Sacramenti myſterio, & Sacramenti vicem comples fidei merito: vt nullis legibus tenearis aſtricta, ne quantum in te eſt ſalutis æternæ aliquatenus patiamur diſpendia. Ne tamen ſit mirum quod ſine miniſtris Deus per ſe quod ſuum eſt operetur: quid in vtroque legis & gratiæ initio fecerit videamus. Ait Dominus ad Moyſen: *Congrega mihi ſeptuaginta viros: & duces eos ad tabernaculum fœderis, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis.* Non dixit, auferes & trades, ſed auferam & tradam. Quod ne fortè ducatui Moyſi imputaretur, duo ex his qui deſcripti fuerant, ad tabernaculum non venerunt: & tamen Moyſe non ducente ſicut & cæteri ſpiritum acceperunt. Similiter & in nova gratia, cùm ſolebat tantum dari per impoſitionem manus: tamen *adhuc loquente Petro cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes.* Quis ergo divinam gratiam ſuis imputet meritis vel officiis: cùm in legiſlatore, in Apoſtolorum principe, Deus ad eam prout vult diſtribuendam, neutrum horum aſſumpſerit?

Auguſt. cap. 22. Lucæ 23.

D

Rom. 10

E

Cap. 24.

Cap. 25.

Act. 15.

1. Petr. 3.

F

Marc. vlt.

Cap. 23.

G

Num. 11.

Actor. 9.

CAPVT VIII.

H

Quod ſicut in baptiſmate, ſic in conficiendo Chriſti corpore, nihil à bone magis, nihil à malo minus fiat.

QVia igitur adſtructum eſt ad officialium merita baptiſmi gratiam non attinere, videamus etiam de Chriſti corpore & ſanguine conficiendo, quamvis vbi conſtat de minori, ſatis etiam de maiori videatur Sacramento. Corpus enim Chriſti & ſanguis non ſolum par baptiſmo eſt, ſed & fundamentum eius & completio: adeo vt ſicut Eua de latere Adæ dormientis, ſic & Eccleſia producta credatur de latere Chriſti in morte quieſcentis: quia ſicut illa inde generata, ſic iſta inde regenerata. Vnde mirificè ſua profluxerunt Sacramenta, aqua in regenerationem,

ſanguis

A Nota. 1.Io.an.5

ſanguis in redemptionem. Vnde Ioan. in Epiſt. ſua ait: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus, non ſolum in aqua, ſed in aqua & ſanguine.* Et bene repetiit: quia nihil profuiſſet aqua ſine ſanguine, qui non ſolum abluit, ſed & redimit, ſed & quia redimit, ideo abluit. Vnde in Apocalyſi. (Apoc.7.) *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Ne igitur etiam de hoc maiori Sacramento aliquid ſibi vſurpet miniſtrorum arrogantia: quid ſancti inde ſentiant attendamus. Ait Auguſtinus * libro de corpore Domini: Intra catholicam Eccleſiam in myſterio corporis & ſanguinis Domini, nihil à bono magis, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris, & in virtute Spiritus ſancti. Si enim in merito Sacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat: ita ipſe qui per Spiritum hanc creaturam ſuam efficit carnem & transfundit in ſanguinem. Credendum eſt enim quòd in verbis Chriſti Sacramenta conficiantur, cuius potentia creantur. Cùm ergo Auguſtinus ea quæ prius creata ſunt, dicat iterum in Sacramento creari: ſi hoc homines poſſent facere, conſtaret eos eſſe factores corporis Chriſti, & ita quaſi creatores eſſe creatoris ſui, quod eſt impoſſibile. Ait enim Euſebius Emiſſenus: Inuiſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit. Item B. Ambroſius. Vbi acceſſerit conſecratio de pane fit corpus Chriſti. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit corpus. Item Auguſtinus in homiliis. Ante verba quando offertur panis dicitur: vbi verba Chriſti deprompta ſunt, non iam panis, ſed corpus Chriſti appellatur. Si ergo inuiſibilis Sacerdos corpus ſuum verbo conficit: quomodo fit vel in verbo, vel in merito alicuius viſibilis Sacerdotis? Cùm verò nihil ad viſibilem attineat Sacerdotem quomodo id à bono melius, à malo peius conficiatur Sacerdote: à quo nullatenus? Quod ita fit, iam non ſecundum diuerſa merita, diuerſa Chriſti corpora, ſed ſemper vnus Chriſtus eſt, qui quibuſcumque miniſtris ſacrificantibus, ſolus eſt pro nobis offerens & oblatus. Vnde Auguſtinus in libro de Trinitate: Quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum Sacerdotis noſtri: vt idem vnus ipſe verusque mediator, vnus eſſet qui offerebat, & quod * offerebat? Item idem ad Parmenianum: Sacrificia, inquit, impiorum execratio Domino: etenim iniquè offerunt illa. Iam ſupra reſponſum eſt, quia non eſt iniquus Chriſtus, qui ſeipſum pro nobis obtulit, & noſter in cœlo mediator eſt: quo ſuam Eccleſiam gubernante, bonis mali non obſunt, qui vel ignorantur, vel pro pace tolerantur.

* Ser mone.

B

C

Lib 4. cap.14.

* offerebatur. Lib.2. cap.6.

CAPVT IX.

Quòd Sacramẽta hæreticorum de Eccleſia ſunt, & in Eccleſia ſunt.

Sed opponunt, quia extra Eccleſiam non eſt locus ſacrificij: nec eſt Chriſtus, nec Spiritus ſanctus apud hæreticos. E contra Auguſtinus ad Vincentium Donatiſtam: Ex Catholica Eccleſia ſunt omnia Sacramenta Dominica, quæ ſic habetis & datis, quomodo habebantur & dabantur etiam priuſquam inde exiretis: nec tamen ideo non habetis, quia non eſtis ibi vnde dabatis: Item ad Emeritum: Sacramenta quæ non mutaſtis, ſicut habetis approbantur à nobis: ne fortè cùm veſtram prauitatem corrigere volumus, illis myſteriis quæ in veſtra prauitate deprauata non ſunt, ſacrilegam faciamus iniuriam. Item Auguſtinus in libro de baptiſmo. (Lib 1. cap.1.) Qui ſeipſos à ſocietate cæterorum ſeparantes, charitate violata, vnitatis vinculum rumpunt, ſi nihil faciunt eorum quæ in vnitate acceperunt, in omnibus ſeparati ſunt: & ideo quem ſibi ſociant ſi ad Eccleſiam redierit, debet omnia quæ non accepit, accipere. Si verò nonnulla eadem faciunt: non ſe in eis ſeparauerunt, & ex ea parte Eccleſiæ connectuntur. In Sacramenti ſanctitate, qua contra nos non ſunt, pro nobis ſunt in ſchiſmatis vulnere, quo cum Chriſto non colligunt, ſed ſpargunt. Cùm igitur ex catholica Eccleſia ſint omnia Sacramenta Dominica, nullo excepto, etiam apud hæreticos qui etiam ex ea parte Eccleſiæ connectuntur, quia ea rite celebrant: quis dubitet Sacramentum ſacrificij diuini vbicunque fiat, intra Eccleſiam eſſe, cùm ſit de Eccleſia? Sed tamen ſciendum eſt, quia cum apud eos etiam ſacrificium Chriſti ſit de Eccleſia quantum ad ſui veritatem, locus tamen ipſius non eſt his qui ſunt extra Eccleſiam, quantum ad eorum vtilitatem: quia cùm *filius hominis* apud eos *non inveniat vbi caput ſuum reclinet*, nec ipſe Chriſtus, nec Spiritus ſanctus apud eos eſt per gratiam, qui tamen apud omnes eſt, & nuſquam deeſt per maieſtatis ſuæ præſentiam.

D

E

F

CAPVT X.

Quòd Sacramẽto tenus Sacerdotiũ apud hæreticos maneat omnino integrum. cap.5. Iud.6. 3.Reg 18

Sed iterum opponunt, quia Sacerdotium non ſubſiſtit apud eos. Et quid poteſt per eos conſecrari; qui neque pro merito, neque pro officio aliquid agunt? Vt enim, ait Ambroſius in libro de myſteriis initiandis; Cum ſcriptura teſtetur, quod ad Hierobaal preces ignis deſcendit de cœlo, & rurſus precante Elia ignis miſſus eſt, qui ſacrificium conſumpſit: non merita perſonarum conſideres, ſed officia Sacerdotum. Apud hæreticos autem nec merita ſunt, nec officia. Ait autem B. Auguſtinus in libro quæſtionum veteris teſtamenti: Per quod oſtenditur Spiritum ſanctum gratiarum, non perſonam ſequi digni aut indigni, ſed ordinem traditionis: vt quamvis aliquis boni meriti ſit, non tamen poſſit benedicere niſi fuerit ordinatus, vt officium miniſterij exhibeat. Cum igitur non merita ſint conſideranda, ſed ſaltem officia, quia nemo poteſt benedicere niſi ordinatus ſit, vt officium miniſterij exhibeat: quomodo benedicere poſſunt hæretici, vbi non ſubſiſtit miniſterij officium, quod recedendo ab Eccleſia in oculis Domini amiſerunt? Sed è contra ait Auguſtinus in Geneſi ad literam; Et ſi aliqua culpa quis ab officio remoueatur: Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad iudicium permanente. Item ad Parmenianum: Quòd quidam dicunt baptiſmum quem accepit non amittit qui recedit ab Eccleſia, ſed ius tamen dandi quod accepit amittit: multis modis apparet fruſtra & inaniter dici. Primò, quia nulla oſtenditur cauſa cur ille qui ipſum baptiſma amittere non poteſt, ius dandi poſſit amittere. Vtrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur: illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur: ideo non licet à catholico vtrumque iterari. Nam ſi quando ex ipſa parte venientes etiam præpoſiti pro bono pacis correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt: & ſi viſum eſt opus eſſe vt eadem officia gererent quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinati.

Nullus niſi ad hoc ordinatus conſecrare poteſt.

G

Sed ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra: quia in præciſione fuerat vitium, quod vnitate pacis correctum eſt, non in Sacramentis, quæ vbicumque ſunt, ipſa ſunt. Item idem ad Donatiſtas. (De baptiſmo lib.4. cap 4.) Sicut vrgeri videor, cum mihi dicitur, ergo hæreticus dimittit peccata, cum iuxta te baptizat, ſic & ego vrgeo cum dico, ergo auarus religionis ſimulator peccata dimittit. Si per vim Sacramenti Dei, ſicut & ille ita & ille: ſi per meritum ſuum, nec ille nec ille. Illud enim Sacramentum & in malis hominibus Chriſti eſſe cognoſcitur: in corpore autem vnicæ columbæ, incorruptæ, ſanctæ, pudicæ, non habentis maculam aut rugam, nec ille nec ille invenitur. Item idem: Cùm tantùm valet baptiſmus per hominem contemptibilem, quantum per Apoſtolum datus, ita nec illius nec illius, ſed Chriſti eſſe cognoſcitur. Sed quia ius dandi baptiſmum

H

A † laxum

tam † laxum eſt Sacramentum, vt etiam laicis ſi neceſſe eſt concedatur: videamus ſi ordinatio hæreticorum integra (ut dictum eſt) in dando baptiſmo, ſit etiam integra in Chriſti corpore conſecrando. Ait

Hier.

Hieronymus ad Luciferianum: Sicut hic eſt qui baptizat Chriſtus, ita hic eſt qui ſanctificat. Et paulò poſt: Oro te, inquit, vt aut ſacrificandi ei licentiam tribuas, cuius baptiſmum probas: aut reprobes eius baptiſma, quem non putas eſſe Sacerdotem. Neque enim fieri poteſt, ut qui in baptiſmate ſanctus eſt, ſit ad altare peccator. Quia igitur qui hæreſi vel ſchiſmate ab Eccleſia recedit, ſacrorum ordinum Sacramenta non amittit, quæ ubicunque ſunt ipſa ſunt, quæ ipſe quidem ſicut etiam Eccleſiaſticus peccator non per meritum ſuum, cum neuter in corpore unicæ columbæ inveniatur, ſed per vim ipſorum Sacramentorum, ſicut ille & ille adminiſtrat: Sacerdotium omnino integrum apud hæreticos, quamvis ad iudicium manet: cum, vt ait Hieronymus, æquè ſit eis concedenda licentia ſacrificandi ſicut & baptizandi. Item

Ibid. B *Aug.*

cum Auguſtinus aſtruat recedentem ab Eccleſia, ſicut baptiſmum, ſic nec ordinem dandi baptiſmi poſſe amittere, quia utrumque Sacramentum quadam conſecratione homini datum, non eſt à Catholico iterandum: quod & uſu comprobans Eccleſiaſtico, dicit quod ex ipſa parte venientes, non ſunt rurſus ordinati, vt eadem officia gererent quæ gerebant, ſed ſicut baptiſmus ita ordinatio eis manſit integra: quis dubitet hæreticis integram ſacrificij eſſe adminiſtrationem, cum & ſi amiſſa creditur iteranda ſit, quod eſt nefarium: & ipſum Sacerdotium non alio modo ſit integrum, niſi tam in baptizando quàm in ſacrificando non imminutum: Vnde Leo ad Mauros Epiſ-

Leo Pa.

copos: Maximum quoque ex laico licet reprehenſibiliter ordinatum, tamen ſi Donatiſta iam non eſt, ab Epiſcopali, quam quoquomodo adeptus eſt, non repellimus dignitate. Item ad eoſdem: Donatum autem Sciacenſem ex Novatiano ut comperimus cum ſua plebe converſum, ita Dominico gregi volumus præſidere, vt Novati dogmatis damnet errorem. Ecce his hæreticis Leone annuente, ordinatio redeuntibus non eſt iterata, ſed manſit integra: quæ cum

C

Epiſcopalis fuerit, quis eam neget integram in ſacrificando cum integra conceſſa ſit etiam in Sacerdotes conſecrando?

CAPVT XI.

Quòd etiã ſalutare ſit ſacrificiũ hæreticorum ſi mundè cõmunicetur à Catholicis.

QVod ipſe Auguſtinus manifeſtè approbans, apud hæreticos teſtatur ſacrificium non ſolum verum eſſe & ſanctum, ſed & ſalutare: ita in dialogo ſuo ſcribens ad Petilianum: Petilianus dixit: Si quiſquam carmina Sacerdotis memoriter teneat: nunquid inde Sacerdos eſt quòd ore ſacrilego carmen publicat Sacerdotis? Auguſtinus: Ita iſtud dicis quaſi quæramus quis ſit verus Sacerdos, & non quid ſit verum baptiſma. Vt enim quis ſit verus Sacerdos, oportet ut non ſolo Sacramento, ſed iuſtitia quoque induatur, ſicut ſcriptum eſt: *Sacerdotes tui induantur iuſtitia.* Qui autem ſolo Sacramento Sacerdos eſt: quam-

Lib. 2. c. 30. *Pſal. 131.* D

vis ipſe non ſit verax, quod dat tamen verum eſt, ſi nõ det ſuum ſed Dei. Sic Apoſtolus neſcio cuius alienigenæ teſtimonio, quia verum comperit, etiam ipſe atteſtatus eſt: cur nos apud quemlibet invenerimus quod Chriſti eſt, & verum eſt, etiam ſi apud quem invenitur perverſus & fallax eſt, non diſcernimus vitium quod homo habet & veritatem quam non ſuam, ſed Dei habet, & dicimus, Sacramentum hoc verum eſt, ſicut ille ait, teſtimonium hoc verum eſt? Item: Vos autem neceſſe eſt ut ſemper erretis, quamdiu propter hominum vitia Dei Sacramenta violatis: aut nos propter Dei Sacramenta, quæ in vobis violare nolumus, etiam veſtri ſchiſmatis ſacrilegium aſſumere putatis. Item Saul non habebat innocentiam, & ta-

Cap. 18.

men habebat ſanctitatem: non vitæ ſuæ, ſed Sacramenti Dei, quod & in malis hominibus ſanctum eſt. Item:

E *Cap. 5.*

Nos dicimus tale cuique fieri ſacrificium, qualis accedit ut offerat, & qualis accedit ut ſumat: & eos de ſacrificiis talium manducare, qui ad illa tales accedunt, quales & illi ſunt. Itaque ſi offerat Deo malus, & accipiat inde bonus: tale cuique eſt, qualis quiſque eſt, quia & illud ſcriptum: Omnia munda mundis. Per

Tit. 1.

hanc ſententiam veridicam & Catholicam, etiam vos Optati ſacrificio non eſtis polluti, ſi facta eius diſplicebant vobis. Nam utique panis illius, panis luctus erat, ſub cuius iniquitatibus Africa tota lugebat: ſed panem luctus omnibus vobis communem, omnium veſtrum malum ſchiſmatis facit. Item ad Parmenianum: in omnibus quæſtionibus intelligendum admonemus, quia ſcilicet omnia Sacramenta cum obſint

Lib. 2. c. 10.

indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus, ſicut & verbum Dei. Vnde dictum eſt: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Cum er-

Matt. 23.

go ſancti omnia Sacramenta quia Chriſti ſunt, tam apud hæreticos quàm Catholicos aſtruant vera eſſe & ſancta, & eadem etiam mundè utentibus ſalutaria, quia

F

omnia munda mundis teſtentur, etiam nihilominus eadem polluta, quia tractata ſunt ab illo qui pollutus eſt in anima: ſollicite attendendum eſt, qua diſcretione ſint à Catholicis ſumenda, ne hæreſis nefariam authoritatem in Eccleſia obtineat, ſi in Sacramentis ſuis hæreticos, & catholicos, nulla eligendi vel ſpernendi ratio diſcernat. Ait Apoſtolus: *Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correctionem devita, ſciens quod huiuſmodi delinquat, proprio iudicio condemnatus.* Quod cum

Tit. 3.

de omni hæretico ſemper ſpiritualiter, aliquando etiam corporaliter ſit obſervandum: in prælatis tamen, & eis qui pacem Eccleſiæ perturbare poſſunt, diſcretius eſt agendum. Cùm enim canonice ſtatutum ſit, ut ſi paſtor à fide exorbitaverit, ſit prius à ſubditis ſecretè corrigendus: quod ſi incorrigibilis (quod abſit) apparuerit, erit accuſandus: quomodo interim à ſubditis ſuis eſt vitandus, quamvis Apoſtolus cum huiuſmodi nec cibum ſumere iubeat, cùm ordo canonicus ne accuſatus prohibeatur à communione, niſi ad iudicium venire diſtulerit interdicat? Vnde ſciendum

G

eſt, quia ſi non corporaliter, ſaltem ſpiritualiter ne ei conſentiant, debent vitare, ſicut & Auguſtinus paulò ſuperius ait: Optati ſacrificio vos polluti non eſtis, ſi facta eius diſplicebant vobis. Ecce iſti ſciebant Optatum eſſe ſchiſmaticum: ſed * quia non conſentiebãt eius cõmunioni impolluti erant. De quo etiam,

* *al.* qui.

quia pacem Eccleſiæ perturbare poterat, ait Auguſtinus ad Emeritum: Non reprehendimus, ſi eo tempore ne multos ſecum excommunicatus traheret, & communionem veſtram ſchiſmatis furore præcideret, Optatum excommunicare noluiſtis.

Cur ergo Auguſtinus Optati communionem ad tempus toleratam non reprehendit: niſi quia peius ſcandalum, quod ille inferret Eccleſiæ, vitari utilius duxit? Vnde item Auguſtinus: Quibus mali placent in unitate ipſi communicant malis: quibus autem diſplicent, & eos emendare non poſſunt, ne ſimul cum zizaniis eradicent & triticum, non factis eorum, ſed altari communicant: ita ut non ſolum ab eis non maculentur, ſed divinis verbis laudari mereantur,

H

quia pro bono unitatis tolerant, quod pro bono unitatis oderunt. Quod cautiſſimè obſervandum eſt, maximè in hæreticorum & ſchiſmaticorum Sacramentis. Quamvis enim perfectorum ſit, ſine macula in converſatione tolerare malos: difficile tamen eſt exemplo illorum, ſi incircumſpectum ſit non corrumpi cæteros. Eleazarus enim in ſuilla carne comedenda ſimu-

Eleazar. *2. Mac. 6.*

lationem etiam occidendus reſpuit, quia etſi non ſibi peccato, aliis tamen ſuſpicionis exemplo nocere timuit. Vnde Ambroſius ſalubriter conſulens ait: Si

Ambr.

qua eſt Eccleſia, quæ Apoſtolicæ veritatis fundamenta non poſſideat: ne quam tibi labem poſſit ingerere, deſerenda eſt. In cavenda itaque pravorum malitia, ſuæ fraternæque ſalutis attendenda eſt neceſſitas:

A

vt & pravos tolerent boni, ne Eccleſiæ diſſipent unitatem, & pravos etiam corporaliter fugiant, ne vel conſenſu, vel opinione, ſuam vel fraternam negligant ſalutem.

CAPVT XII.

Quomodo ſolvatur illud, quod ſanctis de improbandis hæreticorum ſacrificiis dicunt.

ASTructum eſt hæreticorum Sacramenta, quia Chriſti ſunt, Catholicis ſi eis diſcretè utantur eſſe utilia: quæ tamen pro certo ſciendum eſt, ipſis hæreticis, vel eorum complicibus noxia eſſe & letifera. Quia vt ait Auguſtinus ad Petrum Subdiaconum, tantum valet Eccleſiaſticæ ſocietatis communitas ad ſalutem, vt etiam baptiſmo non ſalvetur, cui ibi non datur ubi oportet ut detur. Vndè in Africano concilio cap. 24. In Eccleſia omnia Sacramenta ſalubriter & vitaliter accipiuntur, quæ perſeverantibus in hæreſi, magnam damnationis pœnam conquirunt: ut quod eis in veritate ad vitam eſſet luminoſius, hoc in errore ſit tenebroſius atque damnoſius. Eadem ergo Sacramenta ubique vera & ſancta: in Eccleſia accipiuntur ſalubriter

B

extra Eccleſiam damnabiliter. Vnde etiam Beatus Auguſtinus ſacrificium Optati, quod mundum mundis aſtruxerat, panem luctus vocat, quia eos contaminabat, quibus extra Eccleſiam veri ſacrificij locus non erat. Quod etiam à ſanctis execrabile Domino dicitur, non reſpectu illius quod ſanctum eſt, ſed reſpectu illorum qui æquè damnantur, illud illicitè ſacrificando & ſumendo, ſicut aliquid Deo execrabile perpetrando. Vocant etiam ſancti illud ſacrilegum, pollutum, inane & falſum. Sacrilegum ideo: quia ſicut aurum verum quidem eſt in arca furis vt in theſauro Regis, ſed tamen ſacrilegium: quia à fure illicitè uſurpatum, ſic & illud ab hæreticis. Pollutum: non quòd in ſe ita ſit, ſed ſicut dies lætus dicitur, quia lætos facit: ita ipſum quia magis polluit, ſacrificantem reum magis conſtituendo quàm mundet iuſtificando.

C

Inane autem & falſum: quia effectum ſalutis, quem videtur promittere, non confert, quem conferret ſi ritè fieret. Vnde & Deus dicit: *Maledicam benedictionibus veſtris*, eas privando fructu ſalutis. Quod autem dicitur, non eſt corpus Chriſti quod ſchiſmaticus conficit, quia apud huiuſmodi Euchariſtia confici non poteſt: non ita intelligendum eſt, quaſi corpus Chriſti eſſentialiter verum, in Sacramento non conficiat: ſed quia cùm in altari Eccleſia concorporalis & conſacramentalis ſit Chriſto, univerſum corpus Chriſti caput ſcilicet cum membris non conficit: qui cùm extra Eccleſiam ſit, ſeipſum Chriſto & Eccleſiæ in utriuſque Sacramento non unit. Cùm enim altaris ſacrificium, ſignando ipſius Eccleſiæ & Chriſti unitatem, univerſi corporis Chriſti ſit Sacramentum: non conficitur ibi Chriſtus, ubi non conficitur univerſus. Et ideo non fit ibi Euchariſtia, ubi unitatis totius Dominici corporis non adminiſtratur gratia. Vnde Auguſtinus: Hæretici quærunt diviſionem, cùm panis iſte indicet unitatem. Et alibi: Qui accipit myſterium

Malac. 2.

Aug.

D

unitatis, & non tenet vinculum pacis: non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. Nec Chriſtus igitur, nec Spiritus ſanctus apud eos eſt per gratiam, qui tamen ubique eſt per eſſentiam. Vnde Hieronymus in Amos Prophetam: Odit Deus ſacrificia hæreticorum, & à ſe proiicit: & quoties in nomine eius congregati fuerint, deteſtatur fœtorem eorum, & claudit nares ſuas. Quod dicit humano more loquens: non quòd Deus ſancta ſua improbet, ſed quod eorum propitiationem non recipiat. Hæc igitur & ſi qua alia à ſanctis contra Sacramenta hæreticorum ſeu deteſtabiliter dicta reperiuntur, non ita exponenda ſunt, ut veritatem vel ſanctitatem Sacramentorum, cùm omnia omnino Chriſti ſint improbent: ſed in malitiam & damnationem illorum, qui illicitè uſurpant, redundent.

CAPVT XIII.

E

Verè Sacramenta ritè fiant, ſi ſolemnibus verbis aliqua contra fidē, vel incuria, vel hæreſi interſerantur.

QVæritur autem, cùm ſolemnia verba, & invocatio divini nominis tantæ virtutis ſint, vt omnia Eccleſiæ Sacramenta perficiant: ſi in ipſis ex induſtria vel negligentia proferentis aliquod erroris vitium ſonet, utrum etiam tunc Sacramenta ritè perficiant. Vnde ſciendum eſt, quia qui tacendo vel male proferendo quod debet in ſolemnibus verbis perfidè peccant: eorum Sacramenta ita damnat Eccleſia, vt ea vel pro nullis reputando iteret, vel pro imperfectis conſummet: ita tamen, vt quæ in eis vera ſunt, agnoſcat & approbet. Vnde Auguſtinus in libro de baptiſmo: Qui ſeipſos à ſocietate cæterorum ſeparantes, charitate violata, unitatis vinculum rumpunt, ſi nihil faciunt eorum quæ in unitate acceperunt, in omnibus ſeparati ſunt: & ideo quem ſibi ſociant, ſi ad Eccleſiam redierit debet omnia quæ non accepit accipere. Si verò nonnulla eadem faciunt, non ſe in eis ſeparaverunt, & ex

Lib. 1. c. 8

F

ea parte Eccleſiæ connectuntur: & ideo ſi quis eis ſociatus ad Eccleſiam venire voluerit, in eo ſanatur, ubi laniatus errabat, vbi vero ſanus connectebatur, non curatur, ſed agnoſcitur. Laicos igitur à Paulianiſtis, qui nomen Trinitatis refutant, non dicam baptizatos, ſed aqua lotos: Eccleſia omnino baptizat. Arianorum verò & cæterorum hæreticorum baptiſma, quia nomen Trinitatis invocant, non iterat: ſed cum pœnitentia & manus impoſitione conſummat. Sciendum enim quia fide omnia Sacramenta complentur: quoniam vt ait Apoſtolus, *corde creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem.* Item Auguſtinus: Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. Conſtat ergo quia cùm in Sacramentis conficiendis, & dicendum ſit, & credendum, vtrumque ſyncerè fieri oportet: maxime ne mens in fide titubet, etiam ſi lingua per incuriam in ſermone erret. Exteriora enim noſtra non adeo penſantur à Domino, quantum cordis intima: qui in omni negotio magis examinat non quid, ſed qua intentione vel fide fiat. Vnde

Rom. 10.

G

Auguſtinus in Epiſtolam Ioannis, cap. 7. *Si pater tradidit filium*, & filius ſeipſum, Iudas quid fecit? Facta eſt traditio à patre, facta eſt à filio, facta eſt à Iuda. Vna res facta eſt; Sed quæ res diſcernit eos? Quia hoc fecit Pater & Filius in charitate, Iudas autem in proditione. Videtis quia non quid faciat homo conſiderandum eſt, ſed quo animo & voluntate faciat. Item idem in homiliis ſuis; *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Hoc dixit Petrus, & audivit; *Tu es Simon Bariona.* Hoc dixerunt & dæmones, & audierunt, Obmuteſcite. Vna vox eſt: ſed Dominus interrogat radicem non florem. Item Hieronymus in Oſeæ; Illi offerunt panem ſacrilegum, &c. Quæ ſi verè fiant, holocauſta interpretor: cùm autem ſcientiam Dei reliquerint, fruſtra capite fidei truncato, cætera membra ſe habere iactant. Patet igitur quia ſi in ſolemnibus verbis vel reticendo vel admiſcendo hæreſin inducunt, Sacramentum eorum vel veritate vel utilitate mutilatur, teſte Ambroſio, in libro de initiandis rudibus. Quia ſecundum Apoſtolum, *quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt*, & ipſis qui faciunt, & quibus faciunt, non ſolùm non prodeſt, ſed & ad iudicium eſt.

Tract. 7.

Matt. 16

Mar. 14. e

Luc. 4. f.

H

Rom. 14.

Si autem vel incuria, vel negligentia, vel ignorantia aliqua erroris verba inſeruntur, non ideò Sacramentum minus fieri credendum eſt: quia ut ſupra dictum eſt, Deus interrogat veræ fidei radicem, non locutionis florem. Vnde Auguſtinus de baptiſmo libro 6. Si non ſanctificatur aqua cum aliqua erroris verba per imperitiam peccator effundit: multi non ſolùm mali, ſed etiam boni fratres in ipſa Eccleſia non ſanctificant aquam. Multorum enim preces emendātur quotidie, ſi doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem. Nunquid ſi manifeſtetur aliquos eſſe baptizatos, cùm illæ preces

Cap. 15.

A dictæ fuiſſent iubentur denuo baptizari? Quid ita? Quia plerumque precis vitium ſuperat precantis affectus, & quia * [* certa] cuncta verba illa evangelica ſine quibus non poteſt baptiſmus conſecrari, tantum valent, ut per illa ſic evacuentur quæcunque in prece vitioſa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur. Ita ſi quis preces afferat contra regulam fidei, arbitrans quod bonæ ſint, non tamen quod in eis perverſum eſt, non evacuat illa quæ ibi recta ſunt, ſed ab eis potius evacuatur.

Item Zacharias Papa Bonifacio Epiſcopo: Detulerunt nuncij tui, quod fuerit in eadem Provincia Sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat: & dum baptizaret neſciens Latinè eloqui, linguam infringens dixerit: Baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritua ſancta: Et per hoc tua reverenda fraternitas conſideravit rebaptizare. Sed ſanctiſſime B frater ſi ille qui baptizavit non errorem inducens aut hæreſin, ſeu pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam (ut ſupra fati ſumus) baptizans dixit: non poſſumus conſentire vt denuo rebaptizentur.

Ecce Auguſtinus baptizatos, precibus contra fidem dictis, quia precis vitium ſuperat precantis affectus, non denuo ſinit baptizari. Zacharias ipſis verbis vitiatis, ſine quibus baptiſma non poteſt ritè fieri, quia baptizans hæreſin non inducebat, prohibet rebaptizari: quibus tamen ſi hæreſis induceretur, profectò rebaptizandum fuiſſet, quia Trinitatis nomen non verè prolatum fuiſſet. Vnde etiam cùm ut ſupra dictum eſt, Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum baptizari in nomine Trinitatis vel tantum in nomine Chriſti, unum idémque teſte etiam Ambroſio aſtruat: è contra Pelagius Papa quia per hoc hæreſim induci vidit, id fieri vetat, dicens Gaudentio Epiſcopo: Multi ſunt C qui in nomine ſolummodo Chriſti, vna etiam merſione ſe aſſerunt baptizari. Evangelicum vero præceptum ipſo Domino Deo & Salvatore noſtro Ieſu Chriſto tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam merſione ſanctum baptiſma unicuique tribuere, dicente Domino noſtro Ieſu Chriſto diſcipulis ſuis: [Matt. vlt.] *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Si revera de præfatis hæreticis qui in locis tuæ ditioni vicinis commorari dicuntur, ſolummodo in nomine Chriſti baptizatos fuiſſe forſitan confitentur: ſine cuiuſquam dubietatis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Quod ideo dicit quia forſitan iſti hæretici ut Paulianiſtæ nomen Trinitatis refutabant. Et ideo in nomine Trinitatis eos rebaptizari præcepit, ne in nomine Domini quaſi unius perſonæ tantum ſe poſſe baptizari credant; quod tamen ubi ſine periculo hæreſis fieri potuit, Nicolaus Papa conceſſit. Sed è contra Auguſtinus in libro de unico baptiſmo ait. Satis oſtendimus ad baptiſmum qui verbis Evangelicis conſecratur; non perti- D nere cuiuſquam dantis vel accipientis errorem: ſive de patre, ſive de filio, ſive de Spiritu ſancto aliter ſentiant quàm doctrina cœleſtis inſinuat. Ecce hi hæretici quia aliter ſenſerunt, annullato priori baptiſmo rebaptizari iuſſi ſunt: quia quamvis in nomine Domini, tamen in nomine Trinitatis baptizati non ſunt. Vnde Gregorius Quirino Epiſcopo in Hybernia: Hæretici qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, ſicut ſunt Sonoſiaci & Cathafrigæ, cum ad ſanctam Eccleſiam veniunt, baptizantur: quia baptiſma non fuit, quod in errore poſiti in ſanctæ Trinitatis nomine non perceperunt. Nec poteſt ipſum baptiſma dici iteratum, quod in Trinitatis nomine non erat datum. Vnde etiam Innocentius Papa capitulo quinquageſimo cùm à Paulianiſtis venientes rebaptizari iuberet, cauſam ſubdidit: Quia Paulianiſtæ, inquit, in nomine Patris & Filij & Spiritus S. minimè baptizant. Sed opponitur, quia ſi baptiſma Dei nomine ſine Trinitatis no-

E mine conſecratum irritum iudicatur: ergo divini nominis invocatio annullatur, & quod multis ſanctis authoritatibus eſt prohibitum, pravorum malitia ſacramentum Chriſti violatur. Sed è contra ſciendum eſt, quia non eſt ſacramentum Chriſti, quod in errore poſiti contra inſtitutionem Chriſti faciunt: nec eſt vera divini nominis invocatio, quia contra Chriſti præceptum Chriſtianæ fidei periclitatur perfectio: nec ipſum nomen Domini vel Dei verum eſt, quod perfidia proferentis adulteratum, verbotenus quidem Deum ſonat, ſed ſecundum hæreſim aliud ſonat: dum ſcilicet in Deo vel Domino, fidem Trinitatis refugiens hæreticus, ipſum nomen ſingularitati unius perſonæ tantum aſtringit: vel ſecundum quòd varia hæreſi, Deum ſibi præpingere præſumit. Sicut ergo ſancti eos in nomine Salvatoris petere non prædicant, qui contra ſalutem petunt: ſic illi nomen Domini non F invocant, qui contra fidem mutato Eccleſiæ ritu hoc faciunt. Cum ergo verba Eccleſiaſtica mutantur, & error vel hæreſis introducitur, vbi nec fides eſt, nec fidei verba: quomodo credenda eſt ſubſiſtere veritas ſacramenti? Vnde Auguſtinus ad Emeritum, ſacramenta quæ non mutaſtis, ſicut habetis approbantur à nobis. Et paulò poſt: illa quæ ſchiſmatici & hæretici non aliter habent, nec aliter agunt quàm vera Eccleſia: cùm ad nos veniunt non emendamus, ſed approbamus. Item idem ad Vincentium: [Epiſt. 48.] Ex Catholica Eccleſia ſunt omnia ſacramenta Dominica, quæ ſic habetis & datis quomodo habebantur & dabantur priuſquam inde exiretis. In quo notandum eſt, quia ſi hæreticorum ſacramenta ab eo ritu mutantur quem Eccleſia inſtituit & obtinent, non ſunt à Catholicis approbanda: quia mutata iam non ſunt Eccleſiaſtica, ſed hæretica, ſicut Innocentius, Pelagius, Gregorius, baptiſma hæreticorum quocunque Dei nomine factum refutaverunt; quia mutatum ab Eccleſiaſtica inſtitutione, non in nomine Trinitatis celebratum viderunt. Si autem ſolennia verba non mutantur, ſed ritè proferuntur, & ipſa G executio ſacramenti ritè perficitur, tunc hæreticorum perfidia ſacramenti veritatem non impedit: quia quod hæretici aliter non habent nec agunt quàm vera Eccleſia, non emendatur à Catholicis, ſed approbatur. Vnde Auguſtinus de Eccleſiaſticis regulis. Si qui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in ſanctæ Trinitatis confeſſione baptizant, & veniunt ad Catholicam Eccleſiam, recipiantur ut baptizati: ne ſanctæ Trinitatis invocatio vel confeſſio annulletur: in ſacramentis ergo conficiendis & nocet error cordis, cum verba contra fidem proferuntur in prece, quia non ea ſuperat precantis affectus in fide: & non nocet cum ipſa verba proferuntur nullatenus mutata ab uſu Eccleſiæ. Si autem error cordis non eſt, non nocet mutatio prolationis verborum, vel executionis ſacramentorum: quia verba etiã ſi contra fidem ſint, precantis affectus ſuperat: & in una fide non nocet diverſa conſuetudo Eccleſiæ. Vnde H etiam cum Pelagius hæreticos in Chriſti nomine baptizatos una merſione, iubeat rebaptizari trina merſione: beatus tamen Gregorius unam merſionem ſicut trinam & approbat. Sed tamen in una fide hanc Eccleſiæ diverſam conſuetudinem commendat: innuens quod vbi fides una eſt, diverſa executio ſacramenti non impediat. Ait enim Leandro Epiſcopo: De trina merſione baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quàm ipſi ſenſiſtis: quia in una fide nil officit Eccleſiæ diverſa conſuetudo. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus: ut dum infans tertio ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque enim aliquid obſiſtit, baptizandum ſemel in aquis mergere: quia in tribus perſonis una ſubſtantia eſt. Reprehẽſibile nullatenus eſſe poteſt infantem in baptiſmate vel ter vel ſemel mergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari. Cum ergo Pelagius hæreticis

A trinam tantum merſionem indicet, Sanctus Gregorius in una fide trinam & unam æquè approbat, Nicolaus in nomine Chriſti baptiſmum ratum concedat, Pelagius hæreticis iterari iubeat: conſtat quia mutatio verborum vel executionum ſacramentalium quæ fidelibus rata conceditur, apud hæreticos irrita iudicatur. Qui enim baptizavit in nomine Patria & Filia & Spiritua ſancta, ſi ita ut ſonant verba crediſſet, proculdubio erraſſet, & ſic errando nomine veritatem ſacramentalem annullaſſet? Si enim in habitatione alicuius patriæ, ſicut Donatiſtæ Africanam tantummodo Eccleſiam credebant eſſe catholicam: & Iudæi Iudæam locum ſanctificationis, & in filiæ alicuius coniugio, & in ſancta aliqua crederet baptiſmi conſtare ſanctitatem & ſalutem: quis hoc hæreſim eſſe non iudicaret? Quis his tam prophanis verbis baptiſmum conſecrari crederet? Et tamen hæc verba contra fidem prolata, quia ſimplicitas proferentis & fides excuſavit, concedente Zacharia
B baptiſmi veritas rata permanſit. Vnde ſciendum eſt, quia cùm in omnibus ſacramentis omnia ſint fideliter & attentè dicenda, & agenda quæ ſolenniter inſtituta ſunt, ſi tamen (quod abſit) apud fideles per incuriam aliter eveniat in aliquo, non irrita iudicanda ſunt, quia ut dictum eſt, & precantis affectus ſuperat, & ſeries Evangelicorum verborum rite prolatorum, cætera etiam contra fidem admixta evacuat.

CAPVT XIV.

Quare in nomine Trinitatis baptiſma fieri inſtitutum ſit.

QVæritur autem quare Chriſtus præ cæteris Dei nominibus maximè in nomine Trinitatis baptiſma conſecrari voluerit, adeo ut baptiſma cæteris Dei nominibus præter fidem factum ſit irritum: in nomine autem Trinitatis etiam præter fidem Trinitatis conſecratum, ſit ratum? Sed è contra ſciendum
C eſt, quod in nomine ſuo conſecratum ſine fide vel aliquo merito, eſt ratum, ideo fit ut dictum eſt, ut omnia ſacramenta ſuæ gratiæ eſſe deputentur. Quod autem in nomine Trinitatis hoc maximè fieri voluit, ideò factum eſt, quia in eo Chriſtianæ fidei perfectio ſummáque conſiſtit: quia & generationis filij à patre, & proceſſionis Sancti Spiritus ab utroque continet arcanum, veroque Deo ita eſt propriè proprium, ut à ſæculo nulli falſo Deo fuerit communicatum. Quia cum, ut ait Apoſtolus, ſint quidem Dij multi, (1 Cor. 8.)
& Domini multi, præter ipſum tamen in nullo potuit ut Trinus & unus diceretur inveniri. Hoc enim nomen à ſæculo variis myſteriorum figuris occultatum, non ſolum pro ſua novitate eſt mirabile, ſed & pro divinæ maieſtatis arcano ineffabile: quia in eo & quod trinum eſt, unitatem non excedit, & quod unum eſt, trinitatem non adimit. Vt ergo nos à falſorum Deorum errore revocaret ac diſtingueret, non nomine falſis diis communicato, ſed ſolius veri Dei proprio nomine Trinitatis ad omnia peccata diluenda
D in baptiſmate daturus plenitudinem gratiæ, plenitudinem etiam huius fidei dignatus eſt revelare: quam quia ad innovandos homines novam, ad conſummandos perfectam dedit contra hæreticorum verſutias, ratam etiam & certam eſſe voluit. Novo ergo nomine Trinitatis in baptiſmate inſtituit dari novam fidem Chriſtianitatis: vt vnde haberet regenerationis initium, renovationis conſequeretur effectum: certiúſque & fortius contra omnes hæreſes fidem illam obtineret, ſine qua nulli patere ingreſſum vel Eccleſiæ vel cœleſtis patriæ cognoſceret. Novo etiam nomine Trinitatis Chriſtianam regenerationem initiari voluit & conſecrari: vt per illud quod nullo prius ſæculo revelatum fuerat, fides naſcentis Eccleſiæ tanto maiori fulgeret merito & præmio, quanto maioris cognitionis divinæ inſtrueretur arcano, quod ad revelandum hominibus, ſolius filij Dei reſervatum

erat privilegio. Vnde ipſe per Prophetam: *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa: quia qui loquebar ecce adſum.* Item in Evangelio, *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus.* Quamvis enim ſancti prioribus ſeculis crediſſent Trinitatem ſine cuius fide ſalvi eſſe non poterant, non tamen ita manifeſtè vt in plenitudine gratiæ, quia vt ait Dominus in Evangelio, *multi reges & Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt:* quia non eis fuerat revelatum. Præmonſtrans ergo Chriſtus fide & nomine Trinitatis baptiſmum nuntiandum eſſe conſecrandum, cùm baptizaretur, *vox patris audita eſt*, quæ filium ſibi placitum eum teſtaretur: *Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper eum viſus eſt*, ut Eccleſia in ſuo crederet Trinitatem non deeſſe, quam in ſui capitis Chriſti baptiſmate corporaliter etiam cognoviſſet adeſſe: patrem in ſono audiens, filium in carne, Spiritum ſanctum in columbæ ſpecie præſentem videns. Super huius fidei firmitatem Chriſtus Eccleſiam ſuam fundari inſtituens, Eccleſiæ ſuæ paſtori Petro dicenti, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, quia in hoc de Trinitate perfectè ſenſerat; reſpondit, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, id eſt, ſuper huius fidei firmitatem, *ædificabo Eccleſiam meam.* Vnde etiam Deus pater per prophetam, *Ponam in Sion lapidem angularem, pretioſum, in fundamento fundatum, qui crediderit in eum, non confundetur.* Item Paulus: *vt ſapiens architectus fundamentum poſui, Fundamentum autem aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, qui eſt Chriſtus Ieſus.* In Chriſto enim tota Trinitas intelligitur teſte Beda, in actus Apoſtolorum. Cum Eccleſiæ regula ſit fideles in nomine ſanctæ Trinitatis baptizari: quomodo Lucas per totum huius libelli textum, non aliter, quàm in nomine Ieſu Chriſti baptiſmum dari teſtatur? Quod ita Ambroſius ſolvit, quòd per communitatem nominis impletum myſterium ſit: quia ſive Chriſtum dicas & Deum patrem à quo unctus eſt filius, & ipſum qui unctus eſt filium, & Spiritum quo unctus eſt deſignaſti: ſcriptum eſt enim, *Ieſum à Nazareth, quomodo Deus unxit eum Spiritu ſuo:* ſive patrem dicas & filium eius, & Spiritum ſanctum, tres pariter indicaſti, ſi tamen & id corde comprehendas: ſive Spiritum dicas & Deum patrem à quo procedit Spiritus ſanctus, & filium quia filij quoque eſt Spiritus nuncupaſti. Cum ergo Chriſtus in fide & nomine Trinitatis Eccleſiam ſuam fundari diſponat, quis contra hanc inſtitutionem aliter agens, ratum & aliquid faciat verum quæ & Propheticè & Evangelicè authorizata eſt, & præter quam aliud fundamentum neminem poſſe ponere Apoſtolus clamat? In celebrandis igitur Chriſti ſacramentis non ſectarum novitates vel hæreſes inducere, ſed eius inſtitutionibus ſtudeamus fideliter deſervire: vt ſicut eius poteſtate verum, ita eius authoritate ratum eſt quod in eis agimus, ſic eius gratia ſalutiferum nobis ſentiamus: Qui cum patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

E Eſai. 54. Ioan. 17. Luc. 10. Matt. 3. F Matt. 16. Eſai. 28. 1. Cor. 3. G Act. 10. H

FINIS.

A

FRANCONIS ABBATIS AFFLIGENIENSIS DE GRATIA,

Seu beneficentia Dei Lib. 12. hactenus nondum excuſi.

B *EIVSDEM VITA, EX LIBRO de Scriptoribus Eccleſiaſticis Reverendi Patris Domini Ioannis Trithemij Abbatis Spanhemenſis.*

FRANCO ſecundus Abbas cœnobij Affligenienſis, ordinis Sancti Benedicti, vir in divinis ſcripturis eruditus, & ſæculari doctrina ſufficienter inſtructus, ingenio valens, & clarus eloquio: ſcripſit tam metro quàm proſa quædam commendanda opuſcula: quibus nomen ſuum cum gloria tranſmiſſe ad poſteros: Cum adhuc in cœnobio prædicto ſimplex eſſet monachus, iubente Fulgentio Abbate ſuo, incepit opus inſigne: quod poſtmodum Abbas factus perfecit, ſcientia & eloquentia ornatum.

C

De Gratia Dei, Lib. XII.
De ſtatu futura gloria metricè, Lib. I.
Epiſtolarum ad diverſos, Lib. I.
Sermones de B. Virgine, Lib. I.
Et quadam alia.

Electus eſt in Abbatem præfati Affligenienſis cœnobij, ſub Henrico Imperatore quinto. Anno Domini 1109. Indictione XIII.

EX CHRONICA SIGEBERTI & Cœnobij Affligenienſis.

DOmnus Franco ſecundo loco Abbas Affligenienſis cœnobij conſtitutus, vir in multis laudabilis. Multa per eum nobis dona convecta ſunt. D Magnifico opere nobis Baſilicam fundavit: libris & multis ornamentis eam decoravit, prædia ampliavit, & religionem confirmavit. Profectus eſt in Angliam tempore regis Henrici, qui filiam Godefridi ducis Lotharingiæ Atheleidam in coniugium duxerat: à quo honorificè ſuſceptus, & magnificè muneribus, ut decebat regiam excellentiam, honoratus. A principibus terræ, Epiſcopis & Abbatibus, ac viris religioſis, quos in capitulis in publicis conventibus melliflui oris ſermonibus lætificabat: in magna reverentia eſt habitus. Diem ultimum claudit vir ſcientiæ mirabilis, caſtitatis integerrimæ, gravitatis honeſtiſſimæ, ſub Innocentio ſecundo, & Lothario tertio.

E

EPISTOLA ABBATIS FVLGENTII ad Franconem Monachum.

FVLGENTIVS *Affligenienſis Eccleſia humilis miniſter & Abbas dictus, chariſſimo fratri, & filio ſuo Franconi, cum ſalute, & paterna dilectione ſancta & ſecunda reſurrectionis gaudia perenniter poſſidere. Rogaveram te amantiſſime frater & fili, & more tuo ſolito ſpoponderas te obediturum, ut de Gratia Dei tractatum quantulumcunque ſcriberes caritati mea, & aliorum mei ſimilium profuturum qui de Gratia Dei balbutire ſolemus: cum, quid ſit gratia Dei, ſat ignoremus. Iterum ergo rogo te, & per obedientiam iubeo, ut expanſis velis* F *ſenſus tui flatui Spiritus ſancti, in nomine Domini ſcribere incipias, indubitanter ſciens, quia vires, quas imperitia tibi denegat, ſacroſancta charitas & obedientia nunquam irremunerata ſubminiſtrabunt. Incipias verò ab initio creationis Dei, uſque ad ultimum diem, quando videbitur Deus Deorum in Sion, & erit omnia in omnibus, & uſque ad tempus illud, quando dicturus eſt electis ſuis,* Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab initio ſeculi, *cuius regni nos participes facere dignetur, qui nos vocavit in gratiam & gloriam ſuam Dominus Ieſus. Quando autem veneris ad ſacramentum dominica paſſionis ubi ait,* Accipite & comedite. Hoc eſt corpus meum, *precor ut immorari velis, attentius commendando illam miram erga nos eius dilectionem, & ineffabile illud privilegium, & gratiam charitatis, ut ſacroſancto ſuo corpore & ſanguine nos dignaretur reficere, cuius corrigiam calciamentis eximia ſanctitatis Baptiſta Ioannes ſe faſſus eſt indignum ſolvere. Spiritus ergo ſanctus,* G *qui completis diebus Pentecoſtes replevit corda diſcipulorum Chriſti, ſimili virtute & ardoris dulcedine repleat animam & cor tuum, ad eructandum verbum bonum acceptũ Deo, & cœleſti remuneratione dignũ, fratribuſq; & omnibus ſancta matris Eccleſia filiis gratũ. Vale in Chriſto.*

REGISTRVM FRANCONIS Monachi ad Abbatem Fulgentium.

FVLGENTIO *domino, & patri venerando, & ex ſummi patris nomine & officio iure honorando, Franco ille ſuus tanto patre indignus filius, filialem cum debita obedientia charitatem. Pater amabilis cum ingratus Gratia Dei non inveniri deſiderio laudabili deſideratis, cui in-*H *re omnis creatura tanquam creatori ſuo ſua quaque voce gratias agit, & ad inveniendam illam pretioſiſſimam margaritam, theſaurum divitiarum gratia Dei inſtar avidi negotiatoris ſancta aviditate ſcrutamini, onus importabile infirma cervici noſtra imponitis: viribus noſtris aqua nequaquam lance, quod ſalva Reverentia prudentia veſtra dixerim oneri comparatis. Petitis enim, imo illa veſtra modeſtia & humili auctoritate pracipitis, ut tractatum quantulumcunque de Gratia Dei componam infantibus & adhuc lactiſſima ſancta matris Eccleſia ubera ſugentibus profuturum: qui adhuc de Gratia Dei (ut dicitis) balbutiunt, qui gratiam ipſam plena nondum voce loquuntur: qui pra immaturitate ſenſus, & gratia utilitatem, & ipſum gratia auctorem ad integrum necdum agnoſcunt: Opus quidem ſanctum, opus verè divinum, opus omni utilitate plenum, opus omni laude proſequendum, donum verè ſupercœleſte, omnibus linguis humana paupertatis, imò ipſi angelica facundia inenarrabile. Quid enim aliud gratiam Dei, quam ipſum Deum dixerim? Si enim virtus Dei, ſapientia Dei, decor eius & gloria eius nihil aliud, quam ipſe Deus, creditur, nihilominus & gratia Dei Deus*

ipſe creditur, ſi rectè creditur: Et de Deo digne quis loqui ſufficiat? Perpendite ergo obſecro, Pater mi, quàm grave ſit pondus iuſſionis veſtræ: & ad ſublevandum ſanctæ interceſſionis veſtræ humerum ſupponite. Orationum itaque veſtrarum patrocinio fultus aggrediar quod iubetis, conſiderans, quòd ille benigniſſimus donorum ſuorum diſtributor Deus, donis ſublimioribus ſic divites magnificat, ut pauperes nequaquam abiiciat: & qui à divitibus aurum, argentum, lapides pretioſos, & cætera offerri ſibi mandat, quæ facilius manus divitum invenire poteſt, à pauperioribus oblatos & pilos caprarum grates habet: qui duo etiam minuta Evangelicæ viduæ prætulit donis omnibus ſuperbientis ſynagogæ. Ac ne quis fortè opuſculum hoc pauperis ingenij qualecunque futurum præſumptioni imputet, & propriæ eruditionis confidentiæ titulum obedientiæ in ipſo præfigo limine, epiſtolam veſtram quaſi quoddam edictum Imperatorium calumniatoribus opponens: ut excuſatum me habeant, qui imperatis obediam. Incolumem vos pervigil ille cuſtos cuſtodiat: & uſque ad ſenectutem & plenitudinem dierum Abrahæ, ipſa, quam diligitis, gratia provehat.

FRANCONIS ABBATIS AFFLIGENIENSIS, DE GRATIA DEI.

LIBER PRIMUS.

DE Gratia Dei ſcripturus, ipſum gratiæ auctorem invoco, quatenus quod iubente eo tractandum ſuſcepi, *qui* enim *vos audit*, ait, *me audit*, dignè hoc fine & catholico ſenſu ipſo opitulante compleam: ut ſicut in principio operis mox in titulo gratia præfulget, ſic & in fine pro completo opere gratiarum actio reſonet. Vniverſa itaque quaſi in quodam cordis ſinu colligens, & ſingula quæque diligentius intuens, quæcunque condita novimus, aut credimus; viſibilia autem novimus, inviſibilia credimus, nihil in omnibus invenio, quod non iure gratias referat conditori ſuo: quia & ſapientia eius conditum eſt, cum non eſſet, & vt in accepta conditionis ſuæ dignitate perſiſtat, ab ipſo habet. Nam & illa in creaturis Dei ſumma, beata beatorum ſpirituum agmina, in miniſterium conditoris ſui miro & ineffabili nobis ordine diſtincta, nihilominus, imò multò magis & ipſa Conditori ſuo procidunt, quod ſunt, quod ſapiunt, & quod poſſunt, totum gratiæ eius aſcribunt: atque atteſtante ſacro eloquio, inceſſabili ei voce gratias referunt & pro conditionis ſuæ excellentia, & pro beatitudinis perſeverantia. Vnde & Iſaias propheta prophetico ſpiritu ſublevatus, inviſibilem ſe vidiſſe teſtatur, ſuper ſolium excelſum ſedentem, ac duo Seraphin, quæ ſunt agmina divinæ maieſtati proxima, & ex flamma amoris eius ſecundum nomen ſuum validius ardentia, *ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum*, mutuò ſibi audiſſe inclamantia. Summa autem illa poteſtas & incomparabilis virtus, creatrix omnium, & gubernatrix cunctorum univerſa continens, & nullius indigens, ſola eſt, quæ ſic gratis omnia omnibus præſtat, vt à nemine mutuum quid recipiat. In eodem namque propheta reprobatis victimis Iudaicæ ſuperſtitionis, vbi ait, *quid mihi multitudinem victimarum veſtrarum*, quia nullius indigeat, evidenter inſinuat, ſubiiciens, *Plenus ſum*. Quicquid autem plenum eſt, iuxta id quod plenum eſt, nullius indiget. De qua plenitudine & ille in natis mulierum maior Ioannes hauſerat, qui dicebat. *De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* Cùm ergo plena ſit in ſeipſa, & non aliunde impleta divina eſſentia, reſtat ut univerſa quæ condidit, ex nulla ſui indigentia, ſed ex ſola bonitatis ſuæ gratia creaverit. Iure igitur ei ab omni conditione & ab omni ordine tam angelico quàm humano ſervitur: & quicquid in univerſa creatura dignitatis & utilitatis, honoris fulget & gloriæ, iure totum gratiæ creatoris aſcribitur. Et hæc eſt vera beatitudo omnium, quæ facta ſunt, ut ad laudem ipſius omnia referant, à quo habent & ipſum, quod ſunt. Quod quia apoſtata angelus ex decoris ſui magnitudine tumidus facere noluit, & ſuper altitudinem nubium aſcendere, id eſt, ipſam angelicæ dignitatis gloriam ſuperba præſumptione tranſcendere voluit, & divinæ illi maieſtati omni creaturæ inacceſſibili, ſimilis fieri; tantæ impietatis molimine contritus, de medio lapidum ignitorum eiectus, in terreni pulveris vilitatem, iuſta iuſti iudicis ſententia eſt deiectus. Nec hoc fine pertingendi ſcilicet uſque ad ſimilitudinem altiſſimi, ſuperbus ille, & ſuperbiæ inventor ſpiritus contentus eſſet: niſi hic finis infinitus eſſet. Super cuius infœlicem ruinam ſub typo principis Tyri iubetur Ezechiel propheta propheticum planctum aſſumere: ac plangens dicere: *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia & perfectus decore, in delitiis paradiſi Dei fuiſti. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, & iaſpis, chryſolitus, & onyx, & berillus, ſaphirus, & carbunculus, & ſmaragdus, aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es præparata ſunt. Tu cherub extentus & protegens: & poſui te in monte ſancto Dei in medio lapidum ignitorum. Ambulaſti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ: donec inventa eſt iniquitas in te.* O quam mira eſt creatoris principis Tyri potentia! O quàm larga largitoris bonorum omnium in creaturam ſuam donorum effuſio! qui ex nihilo creatum tantæ dignitatis principem, & plenitudine ſapientiæ illuſtravit, & perfecto decore adornavit, atque omni lapide pretioſo, id eſt, multiplici gloria virtutum operuit. Hic eſt Lucifer ille qui mane oriebatur, qui præ nimio claritatis ſuæ ſplendore intuentium in ſe ora convertebat: quem Sol verus, aſtrorum omnium illuminator Deus, incomparabilis ſplendoris magnitudine, ſolus præibat. O Lucifer, Lucifer, quàm clare fulſiſſes, ſi illuminatorem tuum agnoſcere voluiſſes: ſi collatam tibi claritatem ad eum retuliſſes, qui contulerat! Heu quàm pernicioſa es, & ipſis ſupernis virtutibus ſuperbia, bonorum omnium inimica, totius pulchritudinis & integritatis vermis & tinea! Congregamini reges terræ, & obſtupeſcite, attendite populi omnes, & admiramini, & tu terra & cinis exemplo territe, cave ô homo attactum ſuperbiæ, Ecce ſtella illa matutina, quæ ab ortu aſcendebat rutilans & fulgida, nebula ſuperbiæ ex proprij cordis conſurgente putredine ſubitò offunditur: & quæ ſuper aſtra Dei ſe aſcenſuram tumida iactaverat, in faculam repentè, proh dolor, converſa ſulphuream, tenebris abyſſi turbine maieſtatis acta immergitur. Vbi modo tumor ille inanis princeps miſerabilis? Siccine aſcenditur ſuper altitudinem nubium? Siccine conſcenditur, quòd ſuper aſtra Dei te exaltaturum iactaveras ſolium? Hoc ne eſt, altiſſimo ſimilem eſſe? An ignoras miſer, quòd & in excelſis humilitas regnet? Sed ſuperbia tua advertere non poteſt, vel quid ſit humilitas, vel ubi regnet. Audi itaque terra, audi, & contremiſce: quia & firmamentum infirmatum eſt, & cœlum conciſſum perdidit tot millia angelorum. Hæc eſt cauſa doloris & planctus prophetici: quem prophetico ſpiritu edoctus levat ſuper principem Tyri. *Aurum*, inquit, *opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt.* Timens autem ac tremens in hæc inviſibilia foramina digitum infero: ſed trementem manum gratia divina regente, obſcura quaſi tentans palpo. Signaculum aut margarita non ab intus, ſed extrinſecus perforatur. Huius ergo ſignaculi foramina in die conditionis non à ſeipſo, ſed manu conditoris ſunt præpa-

A rata: per quæ divinitus infuſa ſapientia, Tyrium principem erudiret, divina ſibi gratia collatum eſſe, quòd ad ſimilitudinem Dei refulgeret. Quia verò aurum pro ſenſu accipimus, aurum opus decoris principis huius erat, quando luce ſapientiæ illuſtratus, quid inter creatorem & creaturam intereſſet, diſcernebat: quando conſortibus naturæ, æqualitatem ſervabat, quando obſequium creatori tanquam creatura deferebat. Hac ſcientiæ multitudine & donorum amplitudine factus Cherub extentus, & ſubiecta dignitatis ſuæ eminentia protegens, in medio lapidum ignitorum, in monte Dei eſt poſitus, videlicet cum electis ſpiritibus igne divini amoris ardentibus, in altiſſimum divinæ contemplationis culmen, gratia non merito evectus. Audivimus unde, & quò, Tyrium principem gratia evexerit: audiamus nunc, quo ingrata ſuperbia detraxerit. *Am-* B *bulaſti*, inquit, *perfectus in viis tuis, à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* In te, ait, inventa: non aliunde inſpirata, non ab alio perſuaſa. *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti: & ieci te de monte Dei, & perdidi te ô cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. Elevatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo: In terra proieci te: ante faciem regum dedi te, ut cernerent te.* Principem proiectum & abiectum ante faciem regum dominus dabat: quando diſcipulis de prædicatione revertentibus, & de expulſione dæmonum, atque oſtenſione ſignorum humanum quid gloriantibus, dicebat: *Videbam ſathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. In multitudine iniquitatum tuarum, & in iniquitate negotiationis tuæ, polluiſti ſanctificationem tuam.* Iniqua prorſus & iniuſta negotiatio. ut creatura dono creatoris ſui ad tantam gloriam provecta ex nihilo, ſimilitudinem conditoris ſui tyrannica invaſione ſibi raperet. Sed quia per rapinam invadere voluit, & temerare divinam ſanctitatem: polluit & ipſam, quam per naturam habebat angeli- C cam ſanctificationem. *Producam*, ergo ait, *ignem de medio tui, qui comedat te.* Et iuſtè, ut unde tanta impietas prodierat, inde & ultrix flamma producatur, quæ puniat. *Et dabo te in cinerem ſuper terram, in conſpectu omnium videntium te*: non quod ſpiritus diſſolvatur in cinerem, ſed quòd angelica ſpoliatus gloria, redactus ſit quaſi in cineris vilitatem. *Omnes, qui viderint te in gentibus, obſtupeſcent ſuper te, nihili factus es, & non eris in perpetuum*: non quòd ſubſtantialiter eſſe deſierit, ſed quòd à Deo apoſtatando, beatè eſſe perdiderit. Nec inutiliter licet paulò prolixius miſerabilem huius apoſtatæ lapſum, & prophetæ ſuper eo lamentum ex ordine digeſſerim, ſed ut evidentius è diverſo inſinuem, quantum gratiæ Dei beati ſpiritus debitores exiſtant: cuius munere aliis è tanto culmine dignitatis, impulſu ſuperbiæ ruentibus, ipſi in æterna beatitudinis ſuæ ſoliditate perſtiterint. Si autem ſpiritus, quid caro? Si angelus, quid homo? Si cœlum, quid terra? Ideo & in terram proiicitur, & terrigenis in exemplum proponitur: ut ruina tanti principis terreantur, & acceptæ gratiæ non ingra- D ti, ipſi quoque cum beatis ſpiritibus beatitudine ſua æternaliter perfruantur. His de illa excellentiore creatura ſecundum tenuitatem ſenſus noſtri digeſtis, paululum reſpiremus: ut reparatis viribus prævio Spiritu ſancto ceptum de Gratia Dei iter conficiamus.

PRÆFATIO in librum ſecundum.

MAre hoc magnum & ſpacioſum imperio veſtro, Pater Venerande, navigaturus, fateor non ſine formidine exiguam pauperis ingenij cymbam, incertis credo E *fluctibus: ne forte gubernatoris oculo ſiniſtro aliquo ſidere decepto, aut in Syrtes impingam, aut voragine Charybdis abſorbear, aut in Scyllæos canes devorandus incidam. Et vereor ne dum margaritam in profundo latentem, incautè perquiro: aquis Ægyptiis ſuffocatus, vitali anhelitu interclſo, ipſe peream in profundo. Levate ergo obſecro infatigabiles manus cum Moyſe ad cælum, & imprecamini naviganti proſpera, ut orationibus veſtris revelata mihi divinitus margarita quam quæritis, ſalva navi & mercibus portum ſalutis latus obtineam. Expanſis igitur ad imperium veſtrum velis, ei, qui ſpirat à meridie, in altum ferar: & quocunque impetus Spiritus ſancti me impulerit, gaudens & gratias agens ſequar.*

LIBER SECVNDVS.

SAPIENTIA Dei à fine uſque ad finem attin- F gens, omnia implens, omnia complectens, cui nihil latere, nihil poteſt perire, numeroſam illam angelorum multitudinem in eam, quæ in oculis eius placuerat integritatis ſummam concluſerat: quæ & ſi ruina ſuperbientium imminuta erat, ſua tamen Deo ſumma deperire non poterat. Ne ergo videretur aliquid creationis ſuæ incurriſſe detrimentum, iniit ſecum reparationis mirabile conſilium: ut viliorem quandam materiam, arte ſapientiæ ſuæ in eandem transformaret gloriam. De cuius conditione & dignitate antequam diſſeram, oculos cordis per elementorum mundi latitudinem paululum evagari ſinam: ut magna hac domo perluſtrata, & mirifica ſtructura eius decore & ornatu, ac varia ſuppellectile diligentius inſpecta, ex magna gloria domus æſtimare poſſim, quantæ ſit gloriæ dominus domus. Quæ utraque gloria tam domus quam domini, & artem prædicat, & gratiam commendat conditoris ſui. Sapientia itaque Dei ad reſtaurationem cœleſtis ruinæ, terrenum, ut ita dixerim angelum, factura hominem, primum ei domum in qua condi- G tus habitaret, condidit, cuius fundamenta in terræ ſoliditate collocavit, cuius longitudinem ab oriente ad occidentem extendit, cuius latitudinem ab Auſtro ad Aquilonem dilatavit: cuius altitudinem ad cœlum uſque exaltavit, quod & univerſæ fabricæ in modum cameræ quaſi culmen quoddam protegens impoſuit. Et ut magnæ domui ſufficiens lumen adeſſet, ſolem, lunam, ac ſydera magna & præclara luminaria cœlo infixit: quæ à ſuperioribus univerſæ domui infulgerent, ac domino domus indeficiens obſequium grata viciſſitudine exhiberent. Veſtitur ager floribus, veſtiuntur arbores frondibus, ac fœcundantur fructibus: ut novo domino de ſecreto ſapientiæ Dei ad publicum proceſſuro, novos fructus offerant, atque iocundum ei de varietate pulchritudinis ſuæ ſpectaculum præbeant. Feſtiva ſe exhibent elementa omnia: cœlum hilaritate vultus omnia lætificat, aër melodia auium tripudiat: terra dominum ſuum exceptura ſplendido cultu & multicoloribus ſe ornat, mare ac flumina criſpantibus aquis & piſcibus ſuis more lætantium ſibi invicem na- H tando occurrentibus gratulantur & ipſa plauſu ſuo. Nec quaſi ludicra quædam iſta commemoraverim, ut vel aures audientium demulceam, aut plauſum mihi excitem: ſed ex conſideratione iſtorum homo ut colligat, quantum Deo debitor exiſtat: qui ſola eum bonitatis ſuæ gratia ad hanc gloriam creaverit, ut in miniſterium eius elementa tam preclara ordinaverit: & uſui eius deputaverit, & quòd in aquis natat, & quod in terra ambulat, quòd in aëre volitat, & quòd in cœlo rutilat. Væ autem homini, qui in noviſſimo die tantæ gratiæ ingratus repertus fuerit: aut malè vivendo, aut quòd bene vixit, ſi tamen bene vixiſſe rectè dici poteſt, propriis meritis aſcribendo. Præparatis igitur in uſum hominis neceſſariis copiis, *faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* O dignatio: ô gratia. Quis eam dignè cogitet? Quis verbis explicet? Quis ut dignum eſt amet? Non ait, faciamus hominem ad imaginem angeli, ad imaginem

A Archangeli, ad ſimilitudinem cherubim, aut ſeraphim. Sed quid? *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Quid eſt homo niſi lutum? Nam de limo factus eſt homo. Et quid eſt aliud dicere, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, quam compingamus lutum, & faciamus Deum? *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes*, ait ſcriptura: quæ teſtante veritate ſolvi non poteſt. Divinitas in luto, tanquam imago in ſpeculo refulget: & lutum in Deum ſolidatum eſt. O lutum quàm vile, quàm abiectum eras: ecce quam ſolidum, quam gratum, quàm glorioſum factum es, poſtquam in manus cœleſtis figuli aſſumptum es. Recole ergo quid fueris, perpende quid ſis, recole materiæ vilitatem, perpende plaſmantis dignitatem: & ut tantæ ſoliditati ſtabili ſemper pede innitaris, de manu figuli tui cave ne quando labaris. Huius figuli artem, & artis potentiam vas electionis commendabat: cum vaſa figulo ſuo ingrata apoſtolica auctoritate corripiens, dicebat. *An non* B *habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere vas, aliud quidem in honorem, aliud verò in contumeliam?* In huius domum figuli Hieremias propheta, Deo cognitus antequam formatus, ante ſanctificatus, quàm natus, iubetur prophetali intellectu aſcendere: & in typo figuli illius, in cuius domum iuſſus eſt deſcendere, illius artem, illius opus, illius potentiam admirari, & exemplo vaſis diſſipati & reformati lugentem populum læta promiſſione conſolari. Sed quia figulus ille diſſipata reformans, tempori illi ſerviebat, nos ad figulum noſtrum revertamur: qui in principio temporis non diſſipata reformabat, ſed quod non erat formabat: quando ex luto ſuo non aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, ſed vas unum perfecto decore in honorem tantum formabat & gloriam. Ad hanc conditionis gloriam & imaginis Dei ſpeciale donum, & cœleſte privilegium, collatum eſt homini munere conditoris & liberum arbitrium, ut qui eſt ratione & intellectu inter bonum & malum diſcernere poſſet, haberet & poteſtatem eligendi quod vellet: ut hoc ad laudem tribuentis, & gloriam bene utentis altius cre- C ſceret, quòd non ex neceſſitate divinæ iuſſionis, ſed ex affectu propriæ electionis mala fugeret, bona appeteret. Neque enim verò nomine bonum appellatur, quod timore pœnæ, non amore fit iuſtitiæ. *Timor* autem *non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem.* Falſo ergo nomine bonum vocatur: quod non in radice charitatis ſolidatur. Et hoc quanta eſt gratia. Quis enim dominus ſervo ſuo dicat, fac quod vis ſerve, ſi vis? Quis dominus ſervum ſuum liberum dimittat: ut ſi nolit non ſerviat? Quis figulus fingit lutum, & non in uſum ſuum? At figulus noſter figmento ſuo omnia conferens, & in nullo prorſus illius egens, creato homini liberum ſui arbitrium derelinquit, optionem ei tribuit eligendi quod voluerit. Quid verò magis congruum imagini Dei, quàm fœda horrere, honeſta amplecti? Quid magis conveniens rationi, quàm virtutes eligere, vitia deteſtari? Vtrumque autem ei, bonum ſcilicet & malum proponitur, huius uſus ſuadetur, illius prohibetur: ſtipendium & D finis utriuſque prædicitur, huius vita æterna, illius mors, nihilominus & ipſa æterna. Omni itaque decore veſtitum atque omni ex parte præmunitum in paradiſum voluptatis quem ab initio plantaverat, introducit: omnium ei lignorum paradiſi uſum indulget, ab uno prohibet. In quo enim ſervus dominum ſe habere ſciret: niſi mandatum acciperet? *Ex omni*, inquit, *ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Proh dolor! Ab illo hoſte inviſibili, ab illo inventore totius malitiæ & doli, qui plus dolis quàm viribus perficit, nec in paradiſo homo tutus eſſe potuit: quia tantæ gratiæ ingratus extitit. Spiritu itaque ſuperbiæ afflatus, & fallacia ſerpentis antiqui ſupplantatus, dum ſicut conditor eſſe voluit, nec quòd conditus erat permanere potuit. Dum enim ſeipſum

E regere, quod ſolius Dei eſt, per tyrannicam affectat potentiam, manſuetiſſimi ſeſſoris, ſub cuius regimine tutus erat ſuperbia effrenatus, contumaci cervice reiicit obedientiam: & dum quærit falſam, quam diabolus promiſerat divinitatem, peccato infrenatus, veram perdidit, quam gratia contulerat, & corporis & animæ immortalitatem. Tunc lignum illud ſaluberrimum tanquam à Deo creatum, & in paradiſo plantatum, quod obedienti erat lignum ſcientiæ boni, factum eſt inobedienti lignum ſcientiæ & mali: quia gloria immortalitatis ſpoliatus, & nuditatis ſuæ turpitudine confuſus, didicit, quantum malum eſſet, hominem Deo reluctari, creaturam non obedire creatori. O crudelis & crudelitatis mater ſuperbia: ô peſſimæ matris crudelis filia invidia. Nunquid tu beatior facta es, quia hic tecum miſer effectus eſt? Ne læteris, ne extollaris, quia nec perditus periit, nec malitiæ tuæ mucrone interemptus, funditus interiit. Nunc videbis figuli noſtri potentiam, nunc miraberis, imò dolebis artis il- F lius induſtriam: quòd qui in vetere homine pulverem terræ cœleſti rore infuſum, in angelicam gloriam formaverat, eandem in novo hominem formam ſuper omnem virtutem & principatum ac poteſtatem ad Dei patris dexteram, mira ac miranda artis ſuæ ſapientia evehat. Fracti itaque vaſis fragmenta recolligit, *Adam ubi es*, dicit: ut amoris ſit indicium, & conſolationis ſubſidium, quòd requirit perditum. De prævaricatione prævaricator arguitur, reo pœnitentia indicitur ſudor vultus ac penuria victus infligitur, in hanc vallem lachrymarum paradiſi exul detruditur, ſpinis & tribulis cruenta conſcientia compungitur. Sed ne abundantiore triſtitia abſorbeatur, & deſperatione penitus conteratur: mox in ipſa prima generationis humanæ ſobole opus redemptionis humanæ in myſterio celebratur. Nam Abel iuſtus & in typo ſummi ſacerdotis primus, ſacerdotij officio functus, de primogenitis & electis ovium oblatam hoſtiam Deo commendat per vitæ innocentiam. Cuius hoſtiam Cain frater fraternæ charitatis exors, ut acceptam vidit, invidit: & ſtimulante invidia, malitiæ ſuæ mucrone, primus G ipſe confeſſus, innoxium occidit: cui non aliud crimen fuit, niſi quia innocens fuit. Ecce iam in myſterio ſanguis veri Abel pro paternæ inobedientiæ delicto, ad Deum patrem clamat, transgreſſori veniam poſtulat: culpam, innocentia excuſat, peccatum mundi, ſanguinis ſui precio æſtimat. De cuius ſanguinis utilitate, ac precij dignitate, quia adhuc in umbra futuri caligamus, & ad ortum veri Solis nondum loquendo proceſſimus, uſque in plenitudinem temporis & adventum veritatis differamus.

PRÆFATIVNCVLA in librum tertium.

SErmo Dei inſtar aromatum, quò plus teritur, plus redolet: & quantò ſubtilius cribro ſpirituali diſcer- H *nitur, tantò ſuavior in eo guſtus invenitur. Quod in hoc opuſculo præſtante gratia ipſa, de qua loquor, aliqua ex parte in memetipſo experior: quia quantò eam pilo linguæ fortius tero, tantò ſuavitatem illius plus ſapio, plus diligo. Prægustato itaque quam ſuavis ſit fructus laboris, cœpto lætus inſtabo operi: illam de cœlo unctionem invocans, quæ feſſos laborantium artus perungendo recreat, & neceſſarias operantibus vires ſubminiſtrabit.*

A

LIBER TERTIVS.

IN ſuperiori operis huius parte cum propheta planxi lapſum de cœlo Luciferum, quem tenebris abyſſi immerſum, conſtat nulla miſeratione Dei requiſitum, aut aliquando requirendum. Deinde in hominis conditione admiratus ſum gratiæ conditoris magnitudinem, quòd luti vilitatem ad imaginem ſuam creaverit, & ſimilitudinem. Quem aſtutia ſerpentis circumventum, & de paradiſo proiectũ inolita bonitate miſeratus eſt, & qui tantæ claritatis angelum perire paſſus eſt, pro reparatione luti ſui piè ſollicitus eſt. Agnoſce ergo, ô homo, quantum debeas benigniſſimo domino: qui nec pereuntem perire patitur, nec B ab adverſo avertitur: ſed fugientem paterna charitate inſequitur, revocat, blanditur: & reverſo non ſolum crimen ignoſcit, ſed & regnum repromittit. O larga bonitas, ô ineffabilis benignitas, ô gratia omni gratiarum actione proſequenda: quæ nulli te ſubtrahis, nullius facinoris enormitate vinceris: quæ ubique præſto es, omnia foves, omnia confortas, omnia protegis, omnia conſervas. O contumax ſerve, ô ingrate, cur dominum non diligis: quem tam pium, tam benignum ubique experiris? Quæ eſt iſta duritia cordis tui, quæ tanto igne charitatis non poteſt conflari? Sed ad gratiæ iocunditatem redeamus: & in eius contemplatione iocundemur. Hæc iuſto Noë tempore tribulationis non defuit: quando univerſam terram peccatorum ſordibus infectam, omnis quippe caro corruperat viam ſuam, diluvio quaſi baptiſmo abluit. Hæc ei lignum in quo ſalvaretur, & ſalvaret, oſtendit: hæc ut arcam in ſuam ſuorumque ſalutem aptaret, præmonuit: quomodo fabricaret, quomodo compingeret, unde liniret, ipſa edocuit. Ac ne ullo tempore ocioſa C eſſet, in myſterio reſurrectionis in octo animabus humanum genus, imò ſemen humani generis reſervavit: de quibus paucis granis fertiliſſima illa meſſis generis Abrahæ pullulavit. Hæc iuſtum Loth de incendio Sodomorum eduxit, quando ardentibus facinoroſis ſub umbra manus ſuæ protexit eum, ſicut à flamma libidinis, ſic & à flamma ſulphuris. Iam verò Abraham de Hur Chaldæorum educto, & in terram repromiſſionis gratia vocantis inducto, paulatim evaneſcentibus ignorantiæ tenebris, lumen fidei cæco ſe mundo infundit: & teſtamento cum Abraham diſpoſito, lugentibus Sion benigniſſimus conſolator Deus, ipſum gratiæ auctorem & teſtamenti mediatorem repromittit. *In ſemine tuo*, inquit, *benedicentur omnes cognationes terræ.* Vnde hæc tam læta promiſſio? Vnde hæc nova benedictio? Quo merito tuo ô homo? Tibi dictum fuerat, hoc certè promerueras, *maledicta terra in opere tuo.* Nũquid de radice maledictionis, aſcendit flos benedictionis vere beatũ ſemẽ? Verè ſanctum germen: quod totam maſſam fermento peccati corruptam conſperſione ſanguinis ſui ſanctificat. Quod eſt ergo hoc ſemen? *Non* D *dicit & ſeminibus, quaſi in multis*, ait Apoſtolus, *ſed quaſi in uno & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Ecce ſemen Abrahæ, ecce de quo ad Abraham facta eſt repromiſſio: ecce gentium expectatio, gentium benedictio. Hoc eſt illud ſemen verum, hoc granum illud evangelicum, quod ſulcis fidei iniectum, fructum affert uberrimum. Iam radicem in altum mittit, iam in ipſa fide Abrahæ radicem infigit: quæ nullo unquam æſtu areſieri, nulla prorſus poſſit manu hæretica evelli. Iam in fide unius Abrahæ radix illa ſancta coaleſcit, quæ poſtea in ramorum multitudine per totam mundi latitudinem dilatabitur: quæ tempore meſſis fide gentium quaſi fructuum ubertate multiplicabitur. Ecce qui gratiam diligis, qui de gratiæ magnitudine inquiris, oculos mentis attolle: & in gratiæ auctorem reſpice. Conſidera, quòd & in ipſa umbra futurorum gratia operetur: & quòd ſine gratia ſalus humani generis nec adumbretur. Senex erat Abraham, uxorem ſortitus infœcundam, iam vetulam: quæ & ſi infœcunda non E eſſet, quia tempus pariendi iam exceſſerat, nonagenaria quippe erat, parere non poterat. Ætas, infœcunditas, pariendi excuſabat officium: ut ceſſante lege naturæ, fides haberet meritum. Eduxit autem foras Deus Abraham ſcriptura commemorat, & aſtrorum claritate, ac multitudine oſtenſa, *ſtellas*, inquit, conſidera, has *ſi potes numera*, ipſis ſemen tuum coæquabitur, quòd de uno filio repromiſſionis tanquam de grano benedictionis ad orientem & occidentem, ad aquilonem & meridiem dilatabitur. Et bene Abraham repromiſſionem accepturus, foras educitur: quia fides intra anguſtias humanæ impoſſibilitatis non includitur. *Credidit* autem *Abraham domino: & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Non diffidit Abraham, non dubitat, non ſuam, non uxoris ſenectutem conſiderat: omnipotentem attendit, qui promittit: & certiſſimè credit, quod qui dignatus eſt promittere, potens eſt & facere. De fide itaqua patris naſcitur filius repromiſſio- F nis: gaudium utriuſque parentis, ſpes multiplicandi ſeminis. De gaudio nomen ſortitur, quia nativitatis ſuæ gaudium univerſæ domui impertitur: imò in illius typum vocatur Iſaac, in cuius nativitate gaudium non uni domui, ſed univerſo mundo cœleſtis nuncius annunciat. Parvulum hæredem lactat mater gratulabunda: ſedulæ nutricis officium tremula gerit anicula. Senex pater exultat, convivium inſtituit, feſtivitatem celebrat: non tam quia filium ipſe ſuſcepit, quàm quia in filio repromiſſionis, totius mundi ſalutem, & humani generis redemptionem repromitti, ut propheta intelligit. In cuius redemptionis myſterio, tentatus & iuſſus, ut immolet filium ſuum, quem diligit, Iſaac, ut tot nominibus charitatis, paterni exardeſcat flamma amoris, lætus obtemperat. Gladio accingitur, filium aſſumit, ligna præparat: nec tunc de repromiſſione hæſitans, quando gladium in iugulum filij eva- G ginat. Vincit paternum affectum affectus in Deum: & quia Deum patrem agnoſcit, patrem ſe eſſe neſcit. Stat itaque exerto brachio, ad obediendum promptus, fidelis famulus: ſtat ſuper victimam ſuam ſacerdos devotus: certiſſimè confidens, quòd hoſtia ſua tanto eſſet Deo acceptior, quanto ſibi unici filij affectus dulcior. O beate Abraham, quibus te laudibus efferam? Quo te præconio magnificem? Meritò conſtitutus es pater multarum gentium: in cuius fide fundata eſt multitudo credentium. Quid innocens Iſaac? Quid acceptabilis Deo victima? Non reluctatur, non recalcitrat: non contradicit, non remurmurat. Exultat ſe electum Deo victimam: gaudet in ſe probatam patris obedientiam. Sed quia immortalis mori non poterat, & unigeniti Dei figuram unicus patri Iſaac præferebat fideli famulo angelus de cœlo inclamat, ne in puerum manum extendat. Sed propheta propheticis poſt tergum in futuras retro generationes reductis oculis, arietem inter vepres, hærentem cornibus videt & intelligit: & quia ſine ſanguinis effuſione non fit remiſ- H ſio, ipſum offert pro filio. Hæc de fide patris noſtri Abrahæ & Ieſu Chriſti domini repromiſſione, & in Chriſto gentium benedictione breviter perſtrinxi, in quibus præcipuè gratia emicat, quam commendandam ſuſcepi; de quibus nihil humana ſapientia, nihil humana ſibi vendicat induſtria. Idcirco etiam (ut arbitror) & ſteriles coniuges ſecreto Dei conſilio ſortiti ſunt ſancti patriarchæ, Abraham Saram, Iſaac Rebeccam, Iacob Rachelem, in quorum actu, coniugio: ac ſobole, adumbratum eſt ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ: ut deficiente naturæ adminiculo, intelligat homo ex ſola ſe gratia ſalvatum, & non ex merito. Iam verò filio repromiſſionis ad propagandam promiſſam ſobolem, uxor digna inquiritur, de domo ſapientis ſervus ſapiens, ætate & conſilio maturus eligitur: manu ſubter fœmur domini impoſita per DEVM cœli iurat, & de fœmore Abrahæ dominum cœli naſciturum myſterio prophetat. Ad terram itaque & cognationem domini ſervus dirigitur, prudenti

A consilio utitur: accumbit propter fontem aquæ, ut in limpidis aquis ſapientiæ, contempletur pulchritudinem formæ uxoris deſponſandæ. Et quia ſacramentum deſponſationis huius forſitan & ipſe intelligit, orationem fundit, de cœlo auxilium petit: ſortem mittit, electionem Deo committit. Sortem autem ſignum voco, quod ſibi ipſe poſuit, quod pro ſorte habuit: quod puella quæ ad hauriendam aquam procederet, & in hauriendo tam ſedula eſſet, ut & ſibi & camelis adaquandis ſufficeret, digna eſſet, quæ in coniugium patriarchæ tranſiret. Ecce Et in hoc myſterio gratia affuit: ipſa ſervum ſpiritu conſilij imbuit, ipſa genus ſortis inſtituit: uxorem ipſa elegit. Sed in ſortem thalami adſcita Rebecca, ſterilis permanet, uxoris officium non implet: ut & in repromiſſione neceſſariam eſſe gratiam Patriarcha intelligat, & fœcunditatē uxori precibus obtineat. Sed nec in certamine parvulorum in utero gratia defuit, qui nondum editi, certamen B duorum populorum præludunt, & de primatu contendunt: & gratiæ eſt, quòd alter alterum ſuperat, qui nec boni, nec mali quicquam egerat. Quorum qui poſterius naſcitur, priori præfertur: quorum alter domi habitat, & ſub culmine protegentis gratiæ tutatur, alter foris vagatur, dum de ſemine Abrahæ, de obſervatione acceptæ legis, de diverſo ritu cæremoniarum, de victimis hoſtiarum, ut Evangelicus ille phariſæus apud ſe tumidus gloriatur. De quorum altetius electione, alterius reprobatione, Apoſtolus apoſtolicæ eloquentiæ fluvio inundans, latius exequitur: cuius ſuper his ſententiam qui noſſe deſiderat, in ipſum quòd gloriam Dei enarrat, apoſtolicum cœlum intendat: & ipſum verba ſua intonantem audiat. Eſau foris venatui, quaſi propriæ iuſtitiæ inſudantem, paterna charitate Iſaac amat: Iacob autem nihil de ſe præſumentem Rebecca materna dulcedine intus fovet. Iſaac in typum Iudaici populi primogenitum benedicere diſponit: ſed gentium populum mater gratia dexteræ benedicentis ſupponit. Fraudem ſurripiendæ be- C nedictionis ipſa ſuadet, artem ſimulandi ipſa docet: & trepidante filio coci officium ipſa implet. Verè pia mater: quæ ut filio benedictionem lucrifaciat, miniſterium ancillulæ non recuſat. Verè ſapiens mulier, quæ ſic novit hœdos coquere, ſic condire: ut gratiam caprearum & cervorum coæquent, aut etiam ſuperent. Propoſita enim paſtor bonus parabola, de ove centeſima & dragma decima, utraque perdita & inventa, ***gaudium eſt***, inquit, ***angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.*** Novit Rebecca, tanquam à viro inſtructa, tanquam viro officioſa, quis cibus Iſaac plus placeat: quod genus condimenti ſuavius ei ſapiat. Non eſt alia in mulieribus ſimilis Rebeccæ: tam ſapiens, tam ſtrenua, tam officioſa, tam ſedula. Ipſa arte ſapientiæ ſuæ ſic hœdo pellem detrahit, ut nudum non dimittat: ſic ſanguinem fundit, ut vitam non auferat. Senex igitur ſuavitate condimenti Rebeccæ delectatus, & hauſtu vini lætior redditus, filium benedicturus, oſculum petit, oſculum porrigit: quia nulla eſt benedictio ſine charitatis oſculo. Bene- D dicens itaque imprecatur filio de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam: ut rore ſapientiæ deſuper infuſus ſpiritualiter examinet ſpiritualia, & de pinguedine terræ faciat fructus miſericordiæ. Sic ſic ſemper gratia mater ſatagit pro filio, quem diligit, ſic manſuetos, ſic humiles provehit: ſic filios adoptionis Deo patri, quaſi caliganti, & prioris ignorantiæ delicta non imputanti, quotidie benedicendos offerre non deſinit. Simile quid & in nobis geritur, quando qui prior in nobis naſcitur, rufus eſt & ſanguinarius, & vitiorum aſperitate totus hiſpidus: carnalia ſectans, ſpiritualia nihili æſtimans, plus lentis edulium, quàm primogenita diligens, primogenitorum dignitatem lentis vilitate, rem tam magnam, tam vili pretio diſtrahens. At verò qui poſterior naſcitur, ſimplex eſt & lenis: ſpiritualia ſectans, carnalia nihili æſtimans, inſtar totæ terræ ad momentum vix hærens, ad cœleſtia, toto ſe annisu attollens: qui ut benedictionem paternam hæreditet, primogenita fratris lentis edulio, rem tam magnam, tam vili precio comparat. E Sed ut minor maiorem ſuperet, & poſterior priorem ſupplantet, non eſt meriti, ſed gratiæ: cum ille ordine naſcendi princeps ſit, & in corpore noſtro regnum peccati primus obtinuerit. De quo regno gratia Dei nos eripuit, & in regnum filij ſui tranſtulit: in quo, quia omnium nobis laborum requies æterna promittitur, ab hoc interim opere feſſi requieſcamus.

PRÆFATIO
F in librum quartum.

Sicut color tunc magis nitet, & pulchrior apparet, quando ſubiecta tabula manu pictoris inducitur, colorque à colore grata varietate inducentis diſtinguitur: ita ſcriptura qualibet legentibus gratior eſſe ſolet, quæ libris aut tomis diſtinguitur, exemplisque figuris, ac teſtimoniis, convenienter inductis, quaſi mulplici colorum varietate intexitur. Vnde & ego per amœniſſimum antiquorum Patrum paradiſum tranſiens, quoſdam inde flores decerpo, & præſenti opuſculo inſero: ut ex nitore & decore cœleſtium florum quantulamcunque gratiam apud auditores ſuos ſermo ruſticanus inveniat. Ad hoc enim exempla ſanctorum Patrum induco, & eorum geſta mira & humana infirmitati impoſſibilia: ut in eorum geſtis eò magis perſpicua divina ſit gratia, quò in his humana virtus ſuccubuiſſe, & humanum cernitur conſilium defeciſſe. A peregrinatione ergo Iacob tomus iſte ſumat exordium: in cuius electione & benedictione narrationis ſuæ præcedens poſuit terminum.

G *LIBER QVARTVS.*

IAcob igitur fratrem timens ſævientem, & pro ſubrepta ſibi benedictione mortem intentantem, à matre perſuaſus, atque Evangelicum illud iam edoctus, *Si perſequuti vos fuerint in civitate iſta, fugite in aliam*, & illud Apoſtolicum, ***Date locum iræ***: benedictione patris comitatus, peregrè proficiſcitur. Parentum autem ſolatio deſtitutus, miſerationis Dei ſinu fovendus excipitur: ipſa diſponente iter dirigitur, ipſa præcurrente nocturna manſio conviatori providetur. Cùm itaque ad quendam locum deveniſſet, poſt ſolis occubitum poſito ad caput lapide obdormivit. Corpore quidem mundo dormiebat, ſpiritu verò Deo vigilabat: & illud ſponſæ, *ego dormio, & cor meum vigilat* tanquam amicus ſponſi ſpiritu decantabat. Beato itaque exuli tam beatè ſoporato cœli panduntur, arcana Dei produntur: & pacis inter ſumma & ima, inter Deum & hominem charitate mediante reformandæ myſteria oſtenduntur. Sublevatis H enim oculis terrena ſupervolat, cœleſtia penetrat: & ſcalam charitatis, duobus præceptis, quaſi duobus lateribus innitentem, & in his duobus legem ac prophetas indiſſolubili compage continentem, de terra videt ad cœlum uſque protenſam: & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes per eam. Videt & dominum deſuper tanquam principium charitatis. ſcalæ innixum: & dicentem ſibi. *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui & Deus Iſaac. Terram in qua dormis tibi dabo, & ſemini tuo: eritque germen tuum quaſi pulvis terræ. Dilataberis ad occidentem & orientem, ſeptemtrionem & meridiem, & benedicentur in te & in ſemine tuo cuncta tribus terræ: & ero cuſtos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam, niſi complevero univerſa, quæ dixi.* In

parentum

A parentum domo conſtitutus, & parentum cuſtodia ſe-
ptus, ſervulorumque obſequio delinitus, nihil divi-
num audit, nihil divinum aſpicit: ſed exul & profu-
gus, atque omni humano auxilio deſtitutus, Deum
cuſtodem, Deum protectorem invenit: & repromiſ-
ſionem, in ſemine ſuo benedicendas eſſe tribus ter-
ræ, Deo promittente accipit. At verò Iacob myſte-
rium viſionis intelligens, & tempus gratiæ oculis ſpi-
ritualibus iam intuens, lapidem, in quem tanquam in
auctorem gratiæ caput fidei reclinaverat, erigit in ti-
tulum: & deſuper oleum fundens, quaſi de cœlo ſpi-
ritum deducens, per lapidem prophetica manu inun-
ctum, locandum prophetat in fundamento Eccleſiæ
Chriſtum. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt pone-
re*, ait Apoſtolus, *præter id, quod poſitum eſt: quod eſt
Chriſtus Ieſus.* Et magnitudinem tantæ gratiæ admirans,
B *verè dominus eſt*, ait, *in loco iſto.* Sed quid magnum, quid
mirum, quòd in illo loco dominus eſt? Et in quo loco
dominus non eſt? Imò omnium locorum locus eſt, om-
nium temporum tempus eſt: ex quo omnia oriuntur,
intra quem omnia currunt, in quem omnia revolvun-
tur. Sed lapis Chriſtus de Spiritu ſancto conceptus, de
Virgine natus, atque oleo exultationis præ participi-
bus ſuis unctus, locus eſt, in quo verè dominus eſt. *Et
ego neſciebam*, inquit. Simile quid, imò idipſum alius
propheta & etiam plus quàm propheta, Spiritum ſan-
ctum de cœlo ſuper dominum deſcendentem, & ma-
nentem videns, loquitur, *& ego neſciebam eum. Pa-
venſque Iacob, quam terribilis eſt*, inquit, *locus iſte:
non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.* Verè
lapis in titulum erectus, & cœleſti unctione infuſus
domus eſt Dei: quia *in ipſo inhabitat omnis plenitudo
divinitatis corporaliter.* Eſt & porta cœli: quia per
clavim fidei eius cœleſtia reſerantur, & per ipſum
mediatorem ad Deum patrem ingredimur.

C NVnc ad Ioſeph narrationis ordine tranſeamus, &
eum contra faciem noſtram quaſi perlucidum gra-
tiæ ſpeculum intendamus: qui zelo malignantium fra-
trum in ſervum vænundatus, divina ſe conſervante
gratia ingenuæ mentis libertatem non amiſit: qui in
typo Chriſti impudicæ dominæ, tanquam adulteræ ſy-
nagogæ, manu tentatus, relicto pallio, tanquam cor-
pore in manus impiorum tradito, pudicitiæ palmam
victor obtinuit. Hic patris præſentiæ malitia fra-
trum ſubductus, & à terra nativitatis in terram alie-
nam abductus, divinæ providentiæ gratiam ubique
præſentem habuit: quæ nec adulterij crimine infama-
to, nec carcere incluſo defuit. Et in carcere enim ſe-
cura eſt innocentia, & in vinculis libera. Ioſeph igi-
tur carceris anguſtia clauſus, in atrio cordis cum Deo
deambulat, cum Deo loquitur, cum Deo philoſopha-
tur: & qui homines non aſpicit, ſomniorum myſteria
intelligit: & in pincernæ reſtitutione & piſtoris dam-
natione, vocationem gentium, & reprobationem
Iudæorum prophetico ſpiritu prænunciat. Vterque
autem, tam pincerna ſcilicet quàm piſtor, poſt trium
D dierum ſacramentum ventura ſibi Ioſeph prædicente
prænoſcit: quia uno eodemque tempore, uno eodem-
que ſacramento diverſa meritorum ſtipendia uterque
populus excipit. Cùm enim ad miniſterium æterni re-
gis per fidem ſanctæ Trinitatis gentium populus aſſu-
mitur, ut de vinea, quæ dicit, *Ego ſum vitis vera, &
pater meus agricola eſt*, vinum exprimat, cuius guſtu
ſuaviſſimo conviventis Dei cor iocundum reddat: Tunc
Iudæorum perfidia, quæ in Trinitate deficit, quia
filium non recipit, capite plectitur: ut qui in ſanctis
patribus caput fuerant, in generatione adultera &
degeneri, cauda fiant. Sed quia gratia divinæ miſe-
rationis tunc magis præſto eſt, cum humanæ conſo-
lationis ſpes iam nulla eſt, exul ille & ignotus, levi
pretio in ſervum emptus, qui ut criminis, & tanti cri-
minis in dominum reus, in ſupplicium carceri inclu-
ditur, repentè divino nutu de carceris iniuria ad prin-
cipatum totius Ægypti aſſumitur, in providentiam tan-
E ti regni univerſis præponitur: & qui in carcere fame
fortitan laboraverat, ſpiritu conſilij præditus, à fame
non ſolum Ægyptum, ſed & mundum univerſum li-
berat. At Ioſeph manſuetus, & in ipſa gloria ſua hu-
militatis ſuæ cuſtos fortiſſimus, & illud legis, *Non
eris memor iniuriæ civium tuorum*, licet nondum editum,
ſpiritu iam edoctus, fratres agnoſcit, non agnitus:
quia qui fraterna viſcera perdiderant, meritò frater-
nos vultus non agnoſcebant. Sed quia putrida vulne-
ra ferro & cauterio indigent, contra reos columbina
diſtrictione ſævit, geminis alis charitatis noxios per-
cutit: & diſciplina ſalutari eruditos, violatæ chari-
tatis noxios percutit: & diſciplina ſalutari eruditos,
violatæ charitatis commonefacit. *Meritò*, aiunt, *hæc
patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes
anguſtiam animæ eius, dum deprecaretur nos, & non au-
F divimus: idcirco venit ſuper nos tribul tio.* Nec tamen
ſæviens ſævit, imò ſæviens plus diligit, melius con-
ſulit: ut cathartico medicinali, felle decocto invidiæ,
induant & ipſi viſcera miſericordiæ: & irrorato melle
fraternæ dulcedinis, & ipſi quoque fraternos vultus
agnoſcant in ſpeculo charitatis. Ecce curioſe ſpecula-
tor gratiæ, in hoc perlucidum ſpeculum oculos defige,
& magnitudinem claritatis eius irreverberatis ſi potes
oculis contemplare: quæ & qualis, & quanta hæc
gratia fuerit, quæ venditum, ſervum, inopem, ex-
torrem, damnatum, carcere incluſum, in poten-
tis regni principem ſubita immutatione exaltaverit.

EAdem gratia & Moyſen parvulum, ab aquis Ægy-
ptiis, ab aquis hæreticis, ne ſuffocaretur, ſalva-
vit: ipſa eum in filium filiæ Pharaonis adoptavit, imò
per filium matrem ſibi in filiam adoptavit, atque pro-
phetica ei voce inclamavit: *Audi filia, & vide, & in-
clina aurem tuam, obliviſcere populum tuum, & domum
patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum.* Hæc par-
G vulum Moyſen, quem ſynagoga mater in virum perfe-
ctum educare non potuit, ad virile robur perduxit: in-
tantum, ut Ægyptium cum Hebræo contendentem, &
quaſi pugno perverſi dogmatis eum cædentem, gla-
dio confoderit, & ſabulo abſconderit: ac terreno pul-
vere terrenum operuerit. Super quo ab eo quem pro
inflicta fratri iniuria, ut iuſtus in miſericordia corri-
piebat, proditus, & à Pharaone ad mortem expetitus,
de manu quærentium animam eius fuga elabitur: ipſum
habens viæ ducem, & ſalutis protectorem, quem mox
editus, & à patre temporali derelictus, ſicut & à ma-
tre expoſitus, habuit ſuſceptorem. O pietas, ô cle-
mentia, ô gratia, quæ & cùm pater derelinquit, non
deſerit, & quem mater exponit, colligit: atque cùm
parentum areſcit charitas, ipſa magis exuberat. *Num-
quid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum*, ait Iſaias,
imò per Iſaiam ad Sion dominus, *ut non miſereatur fi-
lio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit: ego tamen non obli-
viſcar tui.* Nam licet fidelibus ſuis divina conſolatio
nunquam deſit, tunc tamen copioſior adeſt, copioſius
protegit: quando perſecutorum rabies amplius ſævit,
H amplius exardeſcit. Hinc eſt quòd Moyſes in deſerto
rubum ardere, & non comburi miratur: quia nube
clementiæ Dei in medio rubi conſiſtentis obumbra-
tur. Domino enim in medio Eccleſiæ conſiſtente,
quocunque igne perſecutionis inflammetur, non com-
buritur: ſed in ſimilitudinem auri camino tribulatio-
nis decocta, auro purior redditur. At Moyſes qui hu-
mano, ut homo, metu perterritus, à facie Pharaonis
fugerat, gratia divinæ allocutionis confortatus, con-
ſtantior redit: Ægyptios oppreſſores populi Dei de-
cem plagis in virga legis erudit; ſed non correctos flu-
ctibus maris puniendos obruit: per quod ad terram re-
promiſſionis novo itinere filios repromiſſionis tranſ-
mittit. Quid in his, & ex his omnibus tibi vindicas
humana imbellicitas? Quid te, ô pulvis inanis, per
inania iactas? Et rubi enim inflamma ignis obum-
bratio, & maris diviſio, Ægyptiorum ſubmerſio, at-
que filiorum Iſraël tranſmiſſio, gratiæ Dei eſt, non

meriti

meriti tui. Iam verò ubi his & aliis geſtis atque ſignis, quorum plurima ſtudio brevitatis prætereo, ſplendor gratiæ cæcis refulſit, legalis quoque tuba ſurdis inſonuit: ut videret quòd homo primæ conditionis ſtatum divinæ miſerationi reſtituendus, multis primum documentis diſceret, quòd nulla ſapientia ſua, nulla virtute ſua, nullis meritis ſuis, ſed ſola conditoris ſui gratia recuperandi aditum inveniſſet. *Audi Iſrael*, inquit legiſlator, legis tuba inſonans: *Tu tranſgredieris hodie Iordanem, ut poſſideas nationes maximas, & fortiores te, civitates ingentes, & ad cælum uſque muratas, populum magnum atque ſublimem, filios Enachim, quos ipſe vidiſti, & audiſti, quibus nullus poteſt ex adverſo reſiſtere. Scies ergo hodie, quod dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te ignis devorans atque conſumens, qui conterat eos, & deleat, atque diſperdat ante faciem tuam. Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, propter iuſtitiam meam introduxit me dominus, ut terram hanc poſſiderem: cum propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes. Neque enim propter iuſtitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, ut poſſideas terram eorum: ſed quia illa egerunt impiè, introeunte te, deleta ſunt: & ut compleret verbum ſuum dominus, quod ſub iuramento pollicitus eſt patribus tuis, Abraham, Iſaac, & Iacob. Scito igitur quòd non propter iuſtitias tuas dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem, cùm dura cervicis ſis populus.* Quid evidentius, quid manifeſtius? Ecce quia neque in gladio, neque in arcu tuo tot homo gentes ferociſſimas, & ex antiquo ad bella doctiſſimas, quibus nemo ex adverſo reſiſtit, obtinuiſti: & terram bonis omnibus affluentem poſſediſti. Et ne fortè dicas, & ſi viribus meis victoriam non obtinui, vel iuſtitia mea promerui, audi, duriſſimæ cervicis te eſſe populum: & quòd terram, quæ rivis lactis & mellis fluit, introiſti, non tam tibi quam iuſtitiæ patrum propter iuſiurandum Dei præſtitum. Ne ſis ergo ingratus tantis beneficiis; nihil amori illius præferas, qui hæc omnia gratis tibi præſtitit: cuius amor omni ſuavitate ſuavior, omni dulcedine eſt dulcior, cui comparata dulcedo temporalium, felle invenitur amarior. O quanto diſpendio intimæ ſuavitatis noſipſos afficimus, quando adulterinis oculis in ſimilitudinem prævaricatoris Adæ exteriora concupiſcimus: quando in contemptum creatoris plus creaturam quàm creatorem diligimus, quando propter vilia quædam & Chriſtianis oculis, ne aſpectu quidem digna, fraternos animos offendimus: & fraternam charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, contentioſa animoſitate diſſolvimus. Nihil enim Chriſtianis oculis præter Chriſtum pulchrum apparere, nihil debet Chriſtiano cordi præter Chriſtum dulce ſapere: qui ut affectus animarum noſtrarum ſapore divinæ ſuavitatis condiat, noxios carnalium affectuum humores igne charitatis ſuæ ipſe decoquat, qui vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

PRÆFATIVNCVLA in librum quintum.

ABySſus abyſſum invocat in voce catharactarum *Dei. Vt ergo perſpicua nobis fiat abyſſus Evangelica, primum per catharactas ſuas abyſſum inſpiciamus propheticam: & aure diligenter appoſita auſcultemus, quid Evangelio prophetia invocata reſpondeat.*

LIBER QVINTVS.

PRimvs itaque nobis David propheta, prophetica tuba intonet: & quid ex antiquo à patribus ſuis de gratia Dei cognoverit, annunciet. *Tu* enim, inquit, *domine manus tua gentes deleſti, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & emiſiſti eos. Non enim in gladio ſuo poſſederunt terram: neque brachium eorum ſalvavit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & lux vultus tui: quia placuiſti tibi.* Non enim in ſalvandis nobis noſtra Deo merita, ſed ſua ei bonitas placet: nec tam obſequio noſtro delinitus, quàm noſtra bonitate placatus, & dextera ſua nos protegit, & brachio deffendit: atque illuminatione vultus ſui, ſpiritu conſilij nos inſtruit. Sed ſicut de præterito, ita inquit & de futuro, *rex meus Deus præcipe pro ſalutibus Iacob. In te hoſtes noſtros ventilabimus: in nomine tuo conculcabimus adverſarios noſtros. Non enim in arcu meo confidam, neque gladius meus ſalvabit me.* Ecce eodem ſenſu, quia & eodem ſpiritu legiſlator atque propheta, quaſi duo cherubim intentis vultibus in propitiatorium ſibi concinunt: & poſſeſſionem repromiſſæ hæreditatis, non labori ſuo, non induſtriæ, non virtuti, non bellicæ ſtrenuitati, non denique armis aut meritis ſuis, ſed gratiæ Dei, cuius & verè donum eſt, aſcribunt. Sed ſicut de fortiſſimo illo ſcriptura commemorat, cuius iſte fortis manu typum gerebat, *cœpit Ieſus facere & docere:* gratiam, quam voce David prædicat, facto quoque commendat. Nam cùm eſſet in oculis ſuis humilis & modicus, in oculis domini magnus inventus, divino eſt ad regnum iudicio electus: atque in firmamentum regni non lenticula, ſed cornu olei manu prophetica unctus: Populi itaque providentia, & regni adminiſtratione ſuſcepta, infeſtantibus Allophilis, pace turbata, diſcrimini ſe ſponte obiicit: & ut bonus rex plus communi utilitati quàm propriæ ſaluti conſulit, atque immanem illum Goliam, monſtrum potius dicendum, quam hominem, corpore enormem, animis trucem, bellis aſſuetum, victoriis elatum, ſcuto fidei munitus: ſolus illo in tempore non expavit. Quis enim monſtrum, tam terribile non expaveſceret? Quis bellator a facie eius ſe non abſconderet? At David noſter fratrum ſuorum ſtatura quidem minimus, ſed fide maximus, aſpectu pulcherrimus, atque roſeo rubore in myſterio ſanguinis Chriſti ſuffuſus, expaveſcere non novit populi Dei inimicum, nominiſque ſancti blaſphemum: ſed intrepidus, & nec corporis nec armorum immanitate territus, ulciſci parat, & populi ſui iniuriam, & nominis Dei viventis blaſphemiam. Perſuaſus itaque à Saule, lorica ipſius induitur, galea tegitur, gladio accingitur: ſed his omnibus oneratus, potius quàm inſtructus, impeditus quàm munitus, ne videretur ſpem victoriæ in armis regis & non in Deo poſuiſſe, regia rurſus lorica exuitur: galea detegitur, gladio diſcingitur. Quid aliud in hoc tibi facto videtur propugnator populi Dei innuere, quàm geſtis canere: *non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſalvabit me?* Ad nota igitur ſe confert, & invicta præſidia, armatura munitur Apoſtolica, lorica fidei, galea ſpei, ac gladio verbi Dei: ſciens inimicum Dei ſuperari non poſſe, niſi per verbum Dei. Bellica autem arma nulla requirit, baculum paſtoralem ut paſtor accipit: quinque lapides limpidiſſimos, tanquam manu Dei limatos, atque digito Dei inſcriptos, de torrente colligit, in pera paſtorali abſcondit: hoſti ſuperbo ex adverſo occurrit, unum impudoratæ fronti infigit: & immanem illam belluam ad ſingulare certamẽ ſingulos provocantem uno tantum ictu conterit, atque blaſphemum caput proprio mucrone victor præcidit. Ecce quomodo David & imbellis homini de gratia Dei potius quàm de viribus ſuis vel armis præſumendum, tam facto quam voce prædicat: quomodo regia ſe lorica ſpoliat, ut gratia melius ſe veſtiat: nec ad immaniſſimum hoſtem conterendum arma alia inquirit, niſi virgam paſtoralem & lapidem: quibus adverſariæ poteſtatis principem à Chriſto perimendum, ut propheta intelligit. Perempto itaque Dei potius quam ſua virtute populi Dei inimico, & glorioſè in commune de adverſariis triumphato, ſubactis deinde hoſtibus in regnum ſtabilitus, ad ædificandam domum domino, impenſas regia munificentia præparat, dignam Deo domum facere ſecum deliberat: & quia ſapiens conſilio omnia gubernat, conſilium cum

A propheta communicat, domini voluntatem ſuper devotione voluntatis ſuæ ſciſcitans. Sed quia dignam Deo domum ædificare humana paupertas non ſufficit, devotionem quidem laudat, opus autem divina cenſura non approbat: ſed de vtero eius egreſſurum, & ſuper thronum ipſius æterno imperio regnaturum denunciat, adeò dilectum, intantum de filiis hominum ſingulariter prælectum, vt & Deus, illi in patrem, & ipſe æquo honore ſit Deo in filium. Ipſe inquit, quando completis diebus tuis quaſi cæremoniis legalibus iam expletis, cum patribus tuis dormieris, Eccleſiaſticæ domus in fide Evangelij fundamenta iaciet, ipſe in columnis ſpei parietes excelſos extruet: quos etiam ne aliquo ventorum aut imbrium impetu diſſolvantur, ſicut illam quondam in diluuio arcam bitumine ſpirituali interius & exterius liniet, ipſe ad de- B corem tantæ domus ritè conſummandum, culmen charitatis imponet, in qua vniverſa legis ac prophetarum inſignia dependent. Filius autem qui David, imò in David vniverſo mundo repromittitur, ſolus in filiis hominum dignus invenitur: tam ſapiens, tam diues, ac tanta rerum omnium abundantia affluens, vt dignam Deo domum ædificet. Solus namque ex antiquo, & ab æterno edoctus, novit de quibus lapidibus domus Dei debeat conſtrui, ad quam normam lapides ſinguli quadrari: qui in fundamento ſterni, qui debeant in columnas erigi: qua qualitate alter alteri ſociari, qua colorum varietate domus ornari: qua demum debeat laudum celebritate atque modulorum dulcedine dedicari. Huius ad ædificandam domum domini adventus præſtolatur, huius ſapientia tanto operi idonea prædicatur: huius repromiſſione, David magis quam regio ſolio gloriatur. In qua repromiſſione admiranda ſermonis Dei diſpenſatio, quòd homini quamvis magno, quamvis ſancto, tamen homini, tanta & tam magna promiſſurus, quæ meri- C tum hominis excederent, ad quæ nec ipſa angelicæ dignitatis excellentia attingeret, primò eum ad ſeipſum revocat, & vnde aſſumptus, quà & quò & per quem adductus ſit commemorat. Commemorat humilitatem paſtoralis officij, faſtigium imperij: inde gratia aſſumptum, huc potentia adductum: ſe comitem fuiſſe itineris, ſe protectorem narrat in periculis: quòd nomen eius regno, divitiis, bellis, victoriis extulerit, atque nomini fortium terræ coæquauerit. Primò itaque commonitione humilitatis contra venenum elationis, quaſi quodam antidoto ſpirituali humani animi fragilitate præmunita, poſtquam in teſtimonium magnæ gratiæ, quæ contulerat, bona enumerat, ad cumulum beneficiorum regno repromiſſi filij ipſius quoque in æternum ſtabiliendum promittit ſolium. *Ingreſſus eſt autem rex David*, ſcriptura ait, *& ſedit coram domino & dixit: Quis ego ſum domine Deus meus, & quæ domus mea, quòd adduxiſti me huc vſque? Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo Domine Deus meus: niſi loquereris etiam de domo ſervi tui in longinquum.* Et paulò poſt: *Propter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres ſervo tuo.* Ingreſſus eſt inquit. Et quo in- D greſſus eſt? Prophetico ſcilicet ore ex verbis domini ſuper tot ac tantis beneficiis admonitus, & repromiſſis inſuper multò maioribus, ſecretum cubiculi penetralia cordis ſui ingreditur, ſeipſum coram ſe ſtatuit, hinc merita ſua, hinc divina penſat beneficia: & quia merita beneficiis longè ſunt imparia, ſedet coram domino, humiliatur coram domino: atque illius gratiæ omnia aſcribit, à quo vniverſa gratis ſibi collata meminit. *Propter verbum tuum*, inquit, non propter meritum meum, *ſecundum cor tuum*, non ſecundum aliquod humanæ adinuentionis conſilium. Ecce quomodo rex potens, rex ſapiens, & ideo verè potens, quia ſapiens, gratiam factis commendat, gratiam voce prædicat: nullumque homini tutius eſſe præſidium, quàm gratiæ Dei ſubſidium.

E Iſaias autem humanæ fragilitati divinam gratiam intelligit, & aſſerit adeò per omnia neceſſariam, vt remota gratia, ſordidiſſimo panno menſtruatæ comparare non vereatur omnem hominis iuſtitiam. *Facti ſumus*, inquit, *vt immundus omnes nos: quaſi pannus menſtruata vniverſæ iuſtitiæ noſtræ.* At contra David reum ſe ingemiſcens, & reatum ſuum humiliter confitens, precemque devotiſſimam reis omnibus perutilem ſupplicandi peritus componens, de indulgentiſſimi domini bonitate ſpem veniæ iam præſumens, *Aſperges me* inquit, *domine Iſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Quid autem panno menſtruatæ immundius, aut quid nive mundius? Quis igitur abyſſum illam divitiarum gratiæ Dei omni humanæ curioſitati inveſtigabilem, omni philoſophicæ perſpicacitati impenetrabilem, quantacunque ſenſus altitu- F dine attingere poterit, quæ menſtruas ſordes, imò iniquitates noſtras menſtruis adhuc ſordibus ſordidiores humilis herbæ Iſopi tenui aſperſione, tam celeriter, tamque potenter, ſic ad perfectum abluit, vt multitudine candoris vincat & candorem nivis: Nec ita humilis Iſopi tenuem aſperſionem dixerim, vt impotentem intelligi velim: ſed tenuem, ſubtilem, divinam, adeoque potentem, vt ſine eius aſperſione, nulla ſit prorſus menſtruatæ ablutio, nulla vel tabernaculi ſancti, vel ipſius libri, aut populi, aut cuiuſlibet rei ſanctificatio. Quæ & quanta eſt iſta ô filij gratiæ gratia? Vnde obſecro cœpit? vbi deſinit? Imò nec cœpit, nec deſinit: ſed ab æterno fonte æternaliter fluit, oportunoque in tempore quadrifido electorum cordibus flumine influit: atque ad proferenda virtutum germina, areolam aromatum ſponſi, temporanea atque ſerotina inundatione vbertim irrigat. Hæc eſt illa gratia, hæc eſt inquam gratia, quæ Æthiopem, qui iuxta Hieremiam pellem ſuam mutare non poteſt, natiua nigredine dicto citius G exuere poteſt, quæ pardum hæretici dogmatis varietate reſperſum, ſolo nutu immutat in vnius fidei candorem gratiſſimum. Libet adhuc in admirationem tantæ gratiæ oculos defigere, & piiſſimi conditoris in humanam animam ferventiſſimum zelum & affectum benigniſſimum ex ipſis verbis ſuis colligere. Arguit in Hieremia dominus Hieruſalem fornicantem cum idolis, & in Hieruſalem humanam animam fornicantem cum vitiis: & more clementiſſimi mariti vxorem adulteram zelantis, & conſcientia admiſſi exterritæ blandientis, & ad thorum legitimum, indulta inceſti venia revocantis, ſic zelatur, ſic blanditur, ſic revocat, ac contra conſuetudinem virorum ſe facturum denunciat: vt inceſtæ, vt meretrici, vt adulteræ, tantum revertatur, & thori conſortium & nominis dignitatem, & priſtini affectus integram charitatem reſtituat. *Vulgo*, inquit, *dicitur Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit alterum virum, nunquid revertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me dicit dominus, & ego ſuſcipiam te. Leua oculos tuos in directum: & viae, vbi non pro-* H *ſtrata ſis. In viis ſedebas, expectans eos, quaſi latro in ſolitudine: & polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis. Quamobrem prohibitæ ſunt ſtellæ pluviarum: & ſerotinus imber non fuit. Frons mulieris meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere. Ergo ſaltem amodo voca me pater mi, dux virginitatis meæ tu es.* ô pietas, ô benignitas, ô mira, ô miranda charitas! Quid vnquam clementius, quid vnquam dulcius? Nos miſeri, nos ſepulchra dealbata, qui de nomine ſingularitatis, qui de habitu humilitatis, ſanctitatem ſpecietenus prætendimus, ab intus autem de cadaueribus mortuorum putredinē & fœtorem exhalamus, ſi peccatorem, ſi ſimilem nobis viderimus, dedignamur, deſpicimus: quia peccata noſtra poſt dorſum noſtrum reiecimus, & in feſtucam alterius trabe noſtra neglecta, oculos intendimus. Si lapſum cernimus, ſi ſauciatū à latronibus non miſeremur, nō compatimur:

A vulnera non alligamus, iacentem manu conſolatoria non allenamus: & quia viſcera miſericordiæ non habemus, miſeri miſerum præterimus. Non dignamur huiuſmodi oſculo, non dignamur alloquio: panem ipſum cibarium, quem cum ſoricibus communem habemus, quem & de menſa canibus proiicimus, cum conſorte naturæ noſtræ, cum conſorte vocabuli Chriſtiani participare phariſaico faſtu, vt nefas, abhorremus. Non reminiſcimur præcepti, quod accepimus, quod frequenter audiuimus, frequenter legimus: *Non abominaberis Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius.* Nemo noſtrum eſt, qui in Ægypto non exulauerit, qui Pharaoni non ſervierit: qui paleas illi materiam ignis non collegerit, qui ſub onere eius incuruus non ingemuerit. Quod ſi de domo ſeruitutis, & de fornace ferrea. Chriſto duce educti ſumus: non abominemur Æyptium, in cuius terra aduenæ fuimus. Si Hebræum ad terram repromiſſionis ſuſpirantem ſed adhuc ſub Ægyptio onere B gementem audimus, & vociferantem miſereamur, concurramus: & vt legem Chriſti ſic impleamus, fraterno oneri fraternæ charitatis humerum ſupponamus. Sed quòd abſque dolore eloqui non poſſum, timorem domini obliti, & præcepta eius ſurda aure, & neceſſitatem fratris aridis viſceribus præterimus. At verò vt ad ſuperiora revertamur, ille ſingulariter mundus, ille in filiis hominum ſolus mundus, in quem nihil inquinatum incurrit, cui angelica munditia collata nec ipſa ſordes effugit, non dedignatur nos, non aſpernatur nos, in fœdiſſimo illo & fœtidiſſimo cordis lupanari. Proh dolor! proh pudor! Quod dictu quoque horribile eſt, corruptori animarum diabolo proſtitutos: & vt fœda fœdis eloquar, à planta pedis vſque ad verticem, à minimo ſcilicet cogitatu, vſque ad perfectum operis, tota actione conſtupratos. Tales, tam ſordidos, tam viles, tam abiectos, humillimus & benigniſſimus dominus non abhorret, non deſpicit, non abiicit: tales ſibi in coniugium adſciſcit, talibus tanti reatus ſibi conſciis & conſcientia exterritis C blanditur: atque vt redire ad ſe debeant, ore placidiſſimo deprecatur. Mittit & legatos reconciliationis peritos, perfidiam non imputat, adulterium non improperat: & legationis ſeriem ipſe ordinans, *Loquimini*, inquit, *ad cor* eius, id eſt, blandimini ei, *& aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius,* Commemorat primæ deſponſationis fidem, dotis magnitudinem, vnam duorum in vno ſpiritu coniunctionem, communis thalami ornatum, & pulchritudinem, oſculi iocunditatem, amplexus dulcedinem. His & huiuſmodi demulcet trepidam, diffidenti reformat fiduciam: ac demum revertenti non ſeruos, non amicos obuiam mittit, primus ipſe occurrit, prior in amplexus, prior in oſcula ruit: atque tanti gaudij feſtiuitate digna exultatione celebrata, in cellam aromatum dilectam introducit. Cuius dulci præſentia, amplexu, & oſculis mirum in modum, imò vltrà omnem humanum modum oblectata, iam præ nimio æſtu amoris ſui impotens, ſeipſam vix ſuſtinet, imò nec ſuſtinet: ſed in collum D dilecti languida relabens, amoris magnitudinem, vocis ac iubili teſtatur magnitudine. *Filiæ Hieruſalem* exclamat, *filiæ Hieruſalem, fulcite me floribus ſtipate me malis: quia amore langueo.* Quem languorem omni ſanitate iocundiorem æſtimo: quem morte ipſa validiorem non dubito, quem regnis ac ſedibus præferendum cenſeo, in cuius comparatione aurum, & lutum æqualiter penſo. Quem quidem cum pro ſcintillula exigui amoris, corde amem, ore prædicem, fateor needum noui, quis ſit languor ſponſæ, de amore ſponſi. Hanc ergo cellam aromatum, in qua ſponſus & ſponſa mutua amoris ſui ſuavitate paſcuntur, tu quiſquis ille es auidus ciborum gratiæ, & inſatiabilis deſiderij ſuavitatis intimæ, hanc inquam vel improbitate Evangelica irrumpe, vel furtiuo ſilentio clanculum ingredere: & captato ſecreto ſponſi & ſponſæ, ibi quære, E ibi diſce, quæ ſit magnitudo gratiæ, non à me, qui hæc ipſe ignoro, pauperrimo homine. His tamen interim ſi libet paupertatis noſtræ ferculis veſcere, atque dulci medulla Evangelici frumenti cribro obedientiæ vtcunque excuſſa, atque charitatis oleo conſperſa, paſcere. Si quis autem paleam plus amat, quaquaverſum per Ægyptum ipſe ſibi colligat, & ſi ita voluerit, civitatem Pharaoni extruat: ego charitatem, rem tanti precij, vili palea nec venalem habeo, nec ipſe emo. Sanctum caput veſtrum pater venerande, vetuſtus dierum, in quo omnia matura ſunt, nulla ſeneſcunt, quod enim antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt, benedicat, & ſub pedibus veſtris, communem omnium noſtrum adverſarium velociter conterat. Amen.

F

PRÆFATIO
IN LIBRVM SEXTVM,
De Gratia Novi Teſtamenti.

SOlent nauigantes nauigandi periti pro qualitate ventorum ſinum veli aut extendere, aut contrahere: obliquare, aut in directum tendere, & quò magis pertranſire accelerant, eò largius velum vento relaxant: vt tantò celerius navis onuſta curſum expleat, quantò currentem impetus venti à tergo incumbentis plus adiuuat. Mihi igitur æquor tanti myſterij carina obedientiæ ſulcanti, velum pauperis ingenij video non contrahendum, ſed dilatato ſinu pij deſiderij, totum Spiritniſancto expandendum, ac totis medullis, Veni Spiritus à quatuor ventis, cum propheta exclamandum. Si enim propheta mandatur, vt potentiam ſpiritus invocet, ad viuificanda oſſa arida, in typum vnius tunc populi: quantò magis G *mihi pertenui ſpiritu, de vita omnium in Chriſto gentium ſcribenti neceſſitas incumbit, ſuppliciter inuocandi & exorandi dignè ſeptiformem gratiam Spiritusſancti, vt ab ipſo edoctus poſſim pro captu humanæ anguſtiæ eloqui magnitudinē gratiæ viuificatricis, atque modū viuificationis? Ipſum ergo voce, ipſum corde, ipſum votis, ipſum inuoco deſideriis, vt ſicut ſub vmbra eius glorioſus ille glorioſæ Virginis vterus intumuit, atque ipſo deducente de ſinu patris per eiuſdem vteri thalamum cæleſtis ad nos ſponſus proceſſit: ita ex ipſius viſitatione catholicum de incarnatione verbi Dei ſenſum concipiam, atque pro effatu balbutientis infantiæ condigno verbo ipſum quod in principio erat verbum in mundum efferam. Et valde oro, vt nequaquam vſque adeo benigniſſimus ille conſolator immundi tugurij ſordes abhorreat, vt ſervulum ſuum offenſus pertranſeat, atque in hoc ſudore vultus ſui pauperem ſuum inconſolatum prætereat. Sicut autem in ſacramento veteris teſtamenti tranſactam huius operis partem numero diſtinxi quinario: ita reſiduam in honorem ſeptiformis ſpiritus, dignum duxi numero inſignire ſepenario.*

H

LIBER SEXTVS.

CVm innumera ſapientiæ Dei conſilia adeſſent, quibus quod adverſum nos erat peccati Chirographum abolere poſſet, hoc potiſſimum elegit, vnde redemptus homo redemptoris ſui mirum erga ſe affectum diſceret, atque æmulandæ virtutis ab ipſa Dei virtute documentum caperet. Neque enim omnipotentiam Dei in illam quaſi neceſſitatis cauſam coartandam æſtimo, nec idcirco à Deo, & in Deum aſſumptum hominem, quia homo aliter redimi non poſſet. Fateor, aliter homo redimi non potuit, quia redemptor aliter noluit. Voluntas ergo bonitatis eius, conſilij ſui cauſa fuit, non neceſſitas aliqua impoſſibilitatis, omnipotentem manū eo vſque contraxit, vt ſi homo non fieret, redimere hominem nequaquam poſſet.

Digitized by Google

A Mira autem & ineffabilis atque omni ſenſui incompre-
henſibilis dignatio, vt Deus homo fieret, plenitudo
ſe exinaniret, panis eſuriret, virtus laſſaretur, vita
moreretur. Sed cur hoc? Vt à Deo aſſumptus homo
Deus fieret, vt exinanitus exinanitos impleret, eſu-
riens ieiunos paſceret, laſſus diſſolutos confortaret,
mortuus mortuos viuificaret. Magna planè gratia,
mira dignatio tanta tantæ maieſtatis exinanitio. Quan-
tum putas exinanitus erat immenſus breuiſſimo atque
mundiſſimo vnius virgunculæ vtero incluſus? Quantū
exinanitus erat omnipotens, in teneris infantiæ annis,
& membris, etiam ſui impotens? Quantum exinani-
tus erat ille ſingulariter diues, & ſolus ſibi ſufficiens:
vt qui cœlos luce induerit, pannis inuolutus ſit? Quan-
tum exinanitum erat illud angelorum ineffabile gau-
dium, cum in cunis vagiret, ac primi parentis ærum-
B næ cauſam defleret? Quantum demum exinanita erat
maieſtas illa virtutibus adoranda, poteſtatibus tre-
menda, à peccatoribus irriſa, ac facie ſputis illita?
Ne quis autem exiſtimet ita exinanitam in aſſumpto
homine divinæ maieſtatis potentiam, quaſi in infir-
mitate noſtra omnipotentia Dei defecerit: aut ex ali-
qua ſui parte imminuta ſit. Ita vero in eadem perſona
vtriuſque naturæ proprietatem diſtinguat: vt infirma
homini, divina Deo attribuenda intelligat. Ipſa igitur
filij Dei exinanitio, nihil aliud eſſe credenda eſt,
quam diſpenſatoria in filio hominis divinæ maieſtatis
occultatio. Cùm ergo ad requirendam ovem perdi-
tam, hanc potiſſimum, vt diximus viam paſtor bo-
nus præelegiſſet, in creando novo homine, novo vſus
eſt creationis genere. Et dignum erat, vt qui corru-
ptam in Adam maſſam ſanare veniebat, non de ſemine
corruptionis, ſed de potentia Spiritusſancti naſcere-
tur. Quæſita ergo ſponſa ſpecioſiſſima inter filias
hominum: de cuius vtero *tanquam ſponſus de thala-
mo* ad nos *procederet ſpecioſus præ filiis hominum.*
C Quæſitum eſt dignum ſapientia Dei ſignaculum: ſub
quo ſignaret myſterium à ſeculis abſconditum. Quæ-
ſitum eſt vitrum mundiſſimum atque ſolidiſſimum,
per quod igneos radios tranſmitteret ſol iuſtitiæ ad
effugandas tenebras gentium: ex quibus puritas vitri
& claritatis augmentum conciperet, & integritatis
detrimentum non ſuſtineret. Quænam hæc ſponſa
tam elegans: tam decora? Vbi nam terrarum tam ſpe-
cioſa quæ filium Dei de ſinu patris alliceret: & in
amplexus ſuos vinculis charitatis pia violentia ca-
ptiuum traheret? Diu quæſita, multis ſanctorum vo-
tis expectata, tandem inventa eſt ſpecialis illa ſpe-
cialiter digna, ſingulariter pulchra virgo Maria. Sed
à quo inventa? Nunquid ab homine? Nunquid ab
aliquo vel cœleſtis exercitus principe? Imò ab ipſo
angelorum atque hominum conditore: ab ipſa ſapien-
tia Dei, quæ æternaliter ab ore procedit altiſſimi:
quæ penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, quæ vſ-
que ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum ac
medullarum pertingit: quæ cogitationes & affectus
ſingulorum, ipſas quoque cogitationum & affectuum
origines ſola inveſtigare ſufficit. Ipſa Mariam ſibi in
ſponſam ab æterno ordinavit, ipſa in plenitudine
D temporis caſtiſſimum Mariæ vterum in tabernaculum
ſibi ſanctificauit: ipſa templum ſuum in Maria omni
gloria & decore ſuper omnium creaturarum viſibilium
atque inviſibilium pulchritudinem adornauit: quan-
tum voluit, & quantum naſciturum de ea decuit. *Sa-
pientia* enim, ait Sapiens, *ædificauit ſibi domum, ex-
cidit columnas ſeptem.* Ipſa ſibi ipſa plane ſine viri ad-
miniculo domum in Maria ædificauit, ipſa columnas
excelſas domui ſuæ excidit: quibus ſuffultus caſtiſſi-
mus ſacratiſſimæ virginis vterus, in æterna pudoris
ſui ſtabilitate permanet inconcuſſus. Inuenta itaque
virgine caſta, virgine ſancta, & tam caſta tamque
ſancta, vt filio Dei deſponſanda, in officina Spiritus
ſancti, induſtria ſummi artificis, tantæ virginis tan-
tæque prolis futuræ matris, præparantur ornamenta.
Quo ſtudio, qua diligentia, quanta ambitione, quan-
E tò cultu, non eſt paupertatis meæ eloqui: ſed quibus
decuit matrem Chriſti, vmbraculum Spiritus ſancti,
reginam cœli, reginarum imperatricem adornari. Eli-
gitur & nuncius vnus ex multis millibus tantò rege di-
gnus, tantò myſterio idoneus, tam amicæ legationis
peritiſſimus: ad deferendam virgineo pudori reveren-
tiam mitis ac placidus, Gabriel dictus: quia fortitu-
dinis Dei nuncius. Mittitur itaque vt celeriùs eat,
quia plenitudo temporis iam aderat, vt dilectæ ſpon-
ſæ condigna ſponſalia perferat, vt glorioſæ Virgini
ornamenta non minus glorioſa offerat: atque poſt
munerum exhibitionem, novam & inauditam mundo
ſalutationem conſequenter inferat. *Aue gratia plena,
dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* O quanta
gratia plena erat: quam & ipſa dignitas angelica
tam devotè, tam officioſè ſalutabat. *Aue*, inquit,
F *gratia plena, dominus tecum: benedicta tu in mulieri-
bus. Aue gratia plena*, Spiritusſancto implenda: ac
totius mundi exinanitionem, plenitudine ventris tui
impletura. O quanta gratia, quanta Mariæ benedi-
ctio: per quam ſanata eſt Evæ maledictio. *Dominus
tecum.* Miro ac ſtupendo modo idem cum ſponſa
ſponſus: idem ex matre filius. Cum ſponſa ſponſus,
novum creando hominem: ex matre filius, novum
ſeipſum exhibendo hominem. *Dominus tecum*, non
generali tantum benedictionis gratia, qua & cum cæ-
teris ſanctis eſt, ita & tecum: verum etiam & ſingula-
ris prærogatiua gratiæ ſicut cum matre filius, domi-
nus tecum. *Dominus tecum*, vt viſcera tua ſanctificet:
dominus tecum, vt in carne tua humanam ſibi naturam
aſſociet. *Dominus tecum*, vt areolam ventris tui nova be-
nedictione irriget, *dominus tecum*, vt ex paradiſo vteri
tui divini germinis fructum producat: qui ſolus ex
cunctis fructibus filiorum hominum, vermem corru-
ptionis neſciat. *Benedicta tu in mulieribus.* Benedicta
in mulieribus, benedicta præ cunctis mulieribus de-
G cus mulierum, benedictio virorum ac mulierum. Iure
inquam benedicta in mulieribus: quæ opprobrium an-
tiquæ deceptionis manu reconciliationis à cunctis ab-
ſterſit mulieribus. Quid enim? Si reatus per Evam:
& iuſtitia per Mariam. Si reatus pœna per Evam:
& reatus venia per Mariam. Si maledictio antiqua
per Evam: & Benedictio nova per Mariam. Ad ex-
tremum ſi mors per Evam: nihilominus & vita per
Mariam. Iure igitur Mariam omnis conditio, omnis
ætas, omnis gradus angelica ſalutatione honorat: iure
Mariæ omnis vox, omnis lingua, omniſque con-
ſcientia cum angelo proclamat. *Aue Maria gratia
plena, dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Qua
ſalutationis inſueta formula territa nobilis illa virgūcula
vultu demiſſo tacita æſtuat, tacita ſecum cogitat: atque
priuſquam ſalutanti ſe, officium reſponſionis repen-
dat, qualitatem ac modum ſalutationis in libra cordis
vt prudens examinat. Maria pudoris ſui cuſtos fide-
liſſima, ſicut turtur erat ſolitaria elongans & fugiens,
atque in ſolitudine cordis ſecum commanens, nidulo
caſtitatis inſidens, ac ſanctæ meditationis pullos ad
robur conſummatæ virtutis fructibus contemplatio-
nis enutriens. Maria ſecreti amica, quietis ſtudioſa,
H in cubiculo aſſidua, in publico rariſſima, tumultus
oderat, occurſus fugiebat, ne ſæpius viſa, & ſi non
conſcientiæ vel famæ maculam contraheret: quam
raro effugit, qui ſe turbis hominum vltro immergit.
Audiant virgines, audiant cœnobialis palæſtræ pro-
feſſores: qui profeſſionis immemores, & quietis im-
patientes, per provincias, per caſtella, per oppida
diſcurrunt: & ſimulata vtilitate Eccleſiæ ſuæ, ſed
revera prodita ſalute animæ ſuæ, tumultibus homi-
num, & cœno ſecularium actionum contra habitus ſui
reverentiam impudenter ſe immergunt. Sed quid
ſervis Chriſti cum cœno mundi? Quid civibus cœ-
li, cum inquilinis ſeculi? Quid margaritæ, cum
ſterquilinio? Quid ſolitarius in populo! Nec
iſta dixerim, vt ſuggillem miniſtros Chriſti, ac
miniſtros ſeruorum Chriſti: quæ impietas longè

A ſit à ſenſu pauperis Chriſti. Abſit à me, ut quos Deus laudat, ego vituperem, quos Deus commendat, ego reprobem: quos laude potius & honore dignos iudico, quibus reverentiam & ipſe libenter defero. Miniſtri enim Chriſti ſunt imitantes dominum ſuum: qui de ſinu patris in hanc vallem lachrymarum exivit, & in ſudore vultus ſui requiem nobis providit. Eius itaque imitatores exiſtunt: qui ut fratribus ſuis intus quietem provideant, in labore & ærumna, cum Apoſtolo foris deſudant: ut in tabernaculo Dei byſſus & iacynthus, purpura & coccus, quæ quidem iniuriam imbrium ferre non poſſunt, intacta permaneant, impetus tempeſtatum ipſi portant. Soliciti ſunt cum Martha & turbantur erga plurima: & ut fratribus ſuis vacare liceat, & guſtare quam ſuavis eſt dominus, de calice felle mixto, ipſi guſtant quàm amarus eſt mundus. His itaque in commonitionem mei ac ſimilium mei quaſi per exceſſum dictis, ad puriſſimum virginitatis ſpeculum Mariam, oculos reflectamus: & B quomodo ſalutantem ſe angelum exceperit, videamus. Salutationis novitatem ſtupet, ſalutata interim ſilet: ne in reſpondendo procacior appareret, quod virginem dedecet. At legatus prudens virgineo pudori conſulens, ac trepidanti blandiens, *Ne timeas*, inquit, *Maria, ne timeas: inveniſti gratiam apud dominum, ne timeas.* Apud Deum gratiam inveniſti: ideo te gratia plenam dixi. Apud Deum gratiam inveniſti: & ideo filium Dei parere meruiſti. *Ecce enim concipies in utero, & paries filium*, non quencunque, ſed magnum: non terreni patris, ſed altiſſimi filium. Ne mireris, ne incredula ſis verbis meis, quia ſalua conſiſtere vides virginei clauſtra pudoris. Vterus tuus implebitur: ſed ſignaculum uteri non diſſipabitur. Tu filium paries, ſed ille honorem matris non minuet. Virgo es, mater eris: beata, quia virgo: beatior, quia mater: ſed hoc privilegium in æternum ſola poſſidebis. Sicut enim in partu nec habuiſti, nec habitura es ſimilem, ita & in privilegio dotis alteram non habebis comparem. Nec ideo te diffidas futuram matrem: quia nec tuum virum, nec illius noſti patrem. Qui enim te in tempore ſibi C elegit matrem: ab æterno iam habet patrem. Patrem habet, matrem nondum habet: ideoque miſſus ſum ad te, fide te ei deſponſare. Accomoda ergo fidem, & ſuſcipe prolem: & beata mater eris, quia Deum & hominem generabis. Mira ſunt quæ dico, mira & inaudita: ſed non ſunt omnipotenti impoſſibilia. Hortus concluſus, fons ſignatus, uterus: ſed ideo bene concluſus, ideo firmiter ſignatus: quia ſoli Deo pervius. Ne timeas pudori tuo columba ſine felle domina mea, quia domini mei mater & ſponſa: quia clauſtra tua ſicut in conceptu, ita nec in partu ſunt reſoluenda. Sol per vitrum intrans & exiens, vitrum non ſolvit: creator ſolis, matrem ſuam illibatam conſervare non poterit? Si autem cauſam adventus mei & utilitatem partus tui inquiris: audi nomen filij tui, & intelliges fructum ventris tui. Ieſus enim vocabitur: ſalvator erit, ad ſalvandum venit. Gaude ergo domina mea: gaude ad tantam gratiam te eſſe electam matrem, ut totius mundi generes ſalvatorem. His & aliis huiuſmodi imò D longè aliis, & ſi non ab angelo dictis, à ſuperventuro tamen Spiritu-ſancto mundiſſimo cordi Mariæ inſpiratis fidem adhibet dictis: nihil hæſitat, nihil dubitat: implenda fideliter credit, quæ ventura omnipotens repromittit. Confert ut arbitror cum verbis angeli verba prophetæ, cum his quæ audit, ea quæ legerat: & auditis eò melius credit, quod à propheta angelus non diſſentit. *Ecce virgo concipiet*, propheta ait, *& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Ecce virgo concipiet & pariet filium* Iſaias præcinit: *ecce concipies in utero, & paries filium* Gabriel ſuccinit. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus* Iſaias prophetat: *& filius altiſſimi vocabitur* Gabriel Mariæ annunciat. Hæc ut arbitror utrunque penſat, confert, examinat: atque tantò uberius novis fidem accomodat, quantò cum antiquis concordius

consonant. Iam ſe igitur imprægnandam, iam ſe parituram incunctanter credit, modum tamen, quo id fieri debeat, inquirit: quia hoc nec in propheta legerat, nec ab angelo audierat. *Quomodo?* inquit, *fiet iſtud: quoniam virum non cognoſco? Quomodo fiet iſtud?* Vir non eſt mihi agnitus: unde mihi filius? Virgo ſum: mater quomodo ero? *Quomodo fiet iſtud?* Non eſt filiorum Adam iſta lex, ut ſine viro concipiat mulier: ſine patre naſcatur puer. Hac lege, hoc ordine, omnia ab initio ad nos uſque ſecula decurrerunt: ut de viro mulier imprægnetur, atque de patre puer generetur. Iſta quæ aſtruis, quis vidit, quis audivit? Inſueta ſunt uſu, incognita viſu: incomperta auditu. *Quomodo* ergo *fiet iſtud? Spiritus-ſanctus*, inquit, *ſuperveniet in te: & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Divina ſunt quæ nuntio: magnalia ſunt omnipotentis quæ prædico. Ita omnipotens voluit, ita omnipotens diſpoſuit: qui in cœlo & in terra omnia fecit, quæ voluit. Voluntas Dei naturæ ordine non regitur: ſed pro arbitrio voluntatis Dei, ordo naturæ dirigitur. Nec dicendum eſt extra curſum naturæ fieri: quod dominus naturæ ita decrevit fieri. *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te.* Spiritus-ſancti potentia in utero tuo creabitur: qui duabus naturis in eadem perſona in unum convenientibus, Spiritui-ſancto æqualis habebitur. Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi Ne timeas pudicitiæ ſpeculum, æſtum libidinis: virtute altiſſimi adumbraberis. Sicut umbra fervorem removet, refrigerium præſtat, ſic interpoſita virtus altiſſimi excludet æſtum peccati: ac rore divino infundet ſecreta ventris tui. Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum: vocabitur filius Dei. Meritò ſanctum naſcetur: quod de Spiritu-ſancto concipietur. Iuſtè vocabitur filius Dei: qui virtute creabitur altiſſimi. Hic eſt ordo, hic eſt modus conceptus & partus virginei: voluntas atque omnipotentia Dei. His convenienter inſtructa, his ſufficienter edocta, ecce inquit Maria, ecce ancilla domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ancilla ſum domini: ancillula ſua, licet ei, ut libet, uti. Conditionem attendo, ancillam me recognoſco: devotæ ſervitutis voluntatem domino meo offero: obſequium ad quod de me exigor, prompta devotione exequor. G Multum eſt mihi & valde multum, quòd ancilla merear vocari: ad illud tam excellens vocabulum paruitas mea non occurrit: ut mater domini debeam appellari. Fiat mihi ſecundum verbum tuum: ut in me caro fiat, quod in principio erat verbum. Fiat mihi ut digna inveniar: per quam mundus gratiam reconciliationis inveniat. Fiat mihi ut in terris ei præbeam corporis mei hoſpitium: qui me poſtmodum in cœlis in regni ſui aſſumat conſortium. Hæc de plenitudine gratiæ, quæ in uterum glorioſæ virginis divinitus influxit, & inde in univerſum mundum profluxit prolixius exequenda credidi, ad oſtendendam magnitudinem gratiæ Dei: quæ nullis præcedentibus meritis per Mariam collata eſt homini. Quicquid enim Mariæ ſpeciali licet prærogativa, gratia Dei contulit: hoc in ſalutem totius mundi miſeratio divina providit. Mariæ bonum commune eſt omnium: & H de plenitudine Mariæ, impleta eſt ſolitudo gentium. Quiſquis ergo auidis faucibus ſitis dulcedinem gratiæ: cum debita reverentia accede ad plenitudinem ventris Mariæ. Tanta inde vbertas pietatis, tanta fluit pietatis ſuavitas: vt nec vbertas defectum, nec ſuavitas noverit faſtidium. Bibe ergo, bibe de hoc fonte pietatis: bibe, vt auidas fauces impleat: ſed ne putes, quòd bibendo ſitim extinguas. Amor æternorum hoc habet proprium: vt amantium ſemper inflammet deſiderium: nunquam amantibus aliquod ſui ingerat faſtidium Nulla mens æſtimare, nulla ſufficit lingua enarrare, quantam per virginum decus Mariam, Deus homini contulerit gratiam. Maria ſtella maris, lumen errantium, ſpes deſperantium, conſolatio mœrentium: commune gaudium omnium Chriſti fidelium. De cuius laude nondum deſiderio ſatisfecimus:

nec

A nec aliquando in defectu corruptibilis huius vitæ ſatisfieri poſſe credimus. Prægustata autem ſuavitate laudis eius, deſiderium noſtrum magis ac magis accenditur: ſed quotidiana memoria eius ac frequenti iteratione dulciſſimi nominis ipſius, quaſi divino quodam rore pij deſiderij æſtus refrigeratur. Neque enim poſt illud ſingulare dilecti filij ſui nomen, quod eſt ſuper omne nomen, aliud nomen cœlum aut terra nominat: unde tantum gratiæ, tantum ſpei, tantum ſuavitatis, tantum conſolationis, piæ mentes concipiant. Quotieſcunque enim dulciſſimum nomen illud Maria, amatores illius audiunt: toties ex pio auditu & ſuavitate auditi nominis, neſcio quid inenarrabilis iocunditatis intus trahunt. Nomen namque Mariæ mirum quid ſuave ac divinum in ſe còntinet: ut cùm ſonuerit, amicis cordibus amicæ ſuavitatis odorem ſpiret.
B Et mirum illud eſt de nomine Mariæ & valde mirum: ut millies auditum, ſemper audiatur quaſi novum. Maria virgo ſancta, mater Deo digna, benigniſſima conſolatrix, piiſſima reconciliatrix: potentiſſima ſuorum advocatrix. Videbor cuilibet in laude Mariæ noſtræ, noſtræ, inquam noſtræ, videbor forſitan nimius: ſed nemini, niſi qui fuerit & matri ingratus, & in filium impius. Libet adhuc, & in æternum libebit glorioſæ Dominæ, glorioſæ Virginis, & glorioſiſſimæ matris immorari laudibus, ſed quia in longum ſermonem produximus, in laudem Mariæ ſermonem de maria terminemus: pro univerſis beneficiis per piam matrem nobis collatis, gratias agentes piiſſimo & unico filio eius: qui cum Deo patre & ſpiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

C
PRÆFATIO in Librum ſeptimum.

MOris eſt ſcriptura ſancta, ut ſe invicem teſtimoniis ſuis quaſi columnis quibuſdam fulciat: & res difficiles atque humana diffidentia incredibiles, alterius rei æquè difficilis exemplo aſtruat. Condeſcendit enim ſermo divinus auditoribus ſuis: & quos ſolido cibo nondum videt idoneos, teneritudine lactis interim nutrit. Vnde in Ezechiele dominus cùm laxandam captivitatem populi Iudæorum promitteret, & illi potentiam Dei ex ſua imbecillitate metientes, præ magnitudine calamitatis hoc etiam Deo impoſſibile crederent proponit ſimilitudinem: & ex comparatione magis difficilis ac magis inſueta ad credendum ſuadet incredulos. Proponit enim propheta oſſa multa nimis, carnibus nudata, nervis diſſoluta: & intantum arida, ut utrum vivificari poſſint etiam prophetæ fides diffidat: Quæ ad imperium domini vaticinante propheta dicto velocius carnibus veſtita, nervis ſunt compacta: & à quatuor ventis flante ſpiritu vivificata, & in antiquum vitæ ſtatum ſuper pedes ſuos ſunt reſtituta. D *Sicut autem propoſita ſunt hæc domui Iſraël in portentum: ita etiam glorioſæ ac perpetuæ Virgini Mariæ infœcunda anus Elizabeth propoſita eſt in exemplum: ut tam in Elizabeth, quàm in ſe omnipotentiam Dei diſceret, quæ quando vellet, & quomodo vellet, naturæ curſum retroconverteret.*

LIBER SEPTIMVS.

ET *ecce*, inquit Gabriel, *ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Si ordinem naturæ reſpicis, in Elizabeth non invenis. Ab anu & ſterili partum natura non exigit: quæ & ſi ſterilis non eſſet, nihil huiuſmodi naturæ vetula deberet. Si autem & vetula & ſterilis: qua lege naturæ concepit? Sed deficiente natura, prævaluit gratia: *quia apud*
E *Deum non eſt impoſſibile omne verbum.* Verum quia huius opuſculi mei cauſa eſt obedientia, materia, gratia: abſurdum eſt ſilentio præterire, qui præco eſt gratiæ. Præco enim gratiæ de gratia concipitur, per gratiam naſcitur: gratia matris adhuc in utero perfunditur, de gratia nomen ſortitur Ioannes, id eſt, Dei gratia dicitur. Libet itaque ad ſuperiora reſpicere, & hæc paulò latius ex ordine digerere. Iudex æternus prætorium mundi ingreſſurus, ſubitus & improviſus reis ſupervenire noluit: ſed dignum ſe præconem ante faciem ſuam præmittere ſtuduit, qui reis pœnitentiam indiceret: & venienti iudici clementiæ viam ſterneret. Proprium eſt enim benigni iudicis; ut ſicut obſtinatis diſtrictus & terribilis, ita pœnitentibus appareat clemens, & mitis. Et dignum profectò erat, ut præco tanti iudicis, magnis & ipſe commendaretur præconiis: ut in dignitate præconiis mundus diſceret,
F quantæ excellentiæ iudex eſſet. Mittitur itaque de cœlo nuntius, non quilibet, ſed Gabriel archangelus, in tempore ſacrificij ad Zachariam ſacerdotem domini: ut dum ille de ara cordis in cœlum dirigit incenſum orationis, per cœleſtem nuntium lætificetur de exauditione precis. Et bene tempus myſterio atque myſterium tempori congruit: ut dum ſacerdos intus cum odore incenſi Deo offert vota populi, & populus ipſe foris pro ſalute ſua Deo ſupplicat, tunc ſacerdos intus in ſecreto cordis de nativitate præcurſoris domini & ſalute populi, ſecreta conſilij Dei ab angelo edoctus intelligat. At Gabriel archangelus legationis huiuſmodi peritiſſimus, à dextris altaris incenſi aſtat, quaſi poſitione ſua clamans, quia dextera ſint, quæ nuntiat. Pulchrè à dextris altaris incenſi: quia exauditam eſſe indicat per ſacerdotem orationem populi. Pulchrè inquam à dextris altaris incenſi: quia fortitudinem annuntiat dexteræ Dei. Qua viſione ſacerdos devotus, divinis totus intentus, eò magis quia angelica perterritus, tacita ſecum cogitatione æſtuat:
G quis ſit, unde aſſit, quid ſibi velit, ſecum mirans. Non hominem credit: qui in tempore illo & in ſecreto illo, in hora ſcilicet incenſi, & intra ſecretum veli, ſubitò ſe ſanctis ingeſſerit. Eò magis miratur, eò magis trepidat: & divinum aliquid eſſe credens, reverentiamque divinis exhibens, reverenter expectat: donec ipſe qui venerat, adventus ſui cauſam aperiat. *Ne timeas*, inquit, benignus ille trepidantium conſolator, *ne timeas*: quia ad noſtrum ingreſſum timere eos non convenit, qui hoſtiam laudis in odorem ſuavitatis Deo offerunt. *Ne timeas*, quia triſtia non ſunt, quæ nuntio: grata ſunt, iocunda ſunt, & plena gaudio. *Exaudita eſt oratio tua*: tanquam pro ſalute populi, tanquam pro redemptione totius mundi, Deo gratanter oblata. *Exaudita eſt oratio tua:* eius meritò iam accepta, qui futurus eſt ſacerdos & hoſtia. *Exaudita eſt oratio tua: & Elizabeth uxor tua pariet tibi filium,* non filium tantum carnis, ſed & repromiſſionis: non naturæ, ſed gratiæ: quia lippientis Lyæ utero, partu ſex filiorum effœto, tempus iam inſtat, quo Rachel magis dilecta, gratia fœcundata, filios dexteræ parere
H iam incipiat. Et ut cuncta te edoceam, *Ioannes vocabitur*: quia magnæ gratiæ, magni apud Deum meriti habebitur. *Magnus enim erit coram Domino:* in opus magnum iam prælectus, in opus magnum poſtea aſſumendus à domino. *Magnus erit*: quia præco illius erit, cuius magnitudinis non eſt finis. *Magnus erit:* quia *Spiritu-ſancto replebitur adhuc ex utero matris. Spiritu-ſancto matris adhuc ex utero replebitur*: cuius potentia in utero creabitur. Nam cum in patre generandi, in matre pariendi officium iam ſit emortuum, cuius hoc, niſi Spiritus-ſancti eſt donum? *Spiritu-ſancto replebitur*, Spiritus-ſancti ſuavitate paſcetur: ideoque nec immundo veſcetur, nec vino, aut ſicera potabitur. Qui enim palato cordis, quàm *ſuavis eſt dominus* guſtat, exteriores ſapores non magnopere curat: qui verò ab interiori dulcedine ieiunat, porcorum ſiliquis inhiat. *Et multi in nativitate eius gaudebunt*, quia gaudium ſuum

A mundo annunciabit. *Multi in nativitate eius gaudebunt*: ſed poſt eum venturus eſt, de cuius nativitate cœleſtia ſimul & terrena exultabunt. His angelicæ aſſertionis oraculis ſacerdos incredulus, & cum ſacerdote ſuo perfidus ille populus, ſilentio plectitur: donec pugillari fidei nomen Ioannis aſcribat, & in fine mundi de corde eius perfidiæ ablato velamine, tempus gratiæ iam pene præteriiſſe, ac diem iudicij inſtare ex ſcripturis ſanctis intelligat: ac veræ fidei confeſſione, cum officio linguæ mereatur & donum prophetiæ. Interea Zacharia iuſta incredulitatis ſuæ pœna multato, non tardat divina promiſſio: concipit Elizabeth, concepiſſe ſe miratur, ac ſtupet: quid novitatis, quid miraculi, ſecum agatur nondum intelligens. Occultat ſe anus pudibunda, cœlare contendit Dei magnalia: ignorans quàm celebris mundo futurus eſſet, qui naſciturus erat. Adeſt feſtina devota virgo, adeſt Ma-
B ria de conceptu Elizabeth edocta ab angelo: & illud Sapientis, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*, ſecum fortè revoluens, cognatam cum feſtinatione viſitat, & matrem ſervi ipſa domini mater, officioſa cum devotione prima ſalutat: ubique palmam præferens, ſicut virginitatis, ita & humilitatis. Eia non diſcuſſa craſſa nube, intende ſi potes ipſum puriſſimum ſplendorem gratiæ, & commodata acie aquilæ diligens ſpeculator diligenter ſpeculare. Sed fortaſſis dices. Quid ad me iſta? Quid ad iniquum iuſtitia? Quid ad peccatorem ſanctorum merita? Quid ad humilitatem ſervi, inſignia domini? Quid demum ad hominem, magnalia Dei? Multum planè. Nempe ut ſervum gloria ſua indueret, habitum ſervi dominus induit: & quod in aſſumpto nomine Deus egit, homini contulit. Conſolare ergo, ô homo, conſolare, & hanc quoque gratiam ex domini tui benignitate tuam eſſe præſume: & ultimum quoque membrum cum capite ſuo glorificandum indubitanter crede. Audita ſalutatione matris domini, repleta eſt
C ſpiritu domini, ancilla domini: & quia magnam per ſpiritum gratiam agnovit, magna voce, quia magna fide, exclamavit. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Benedicta tu in mulieribus, quæ privilegium huius benedictionis ſola præcunctis meruiſti mulieribus. *Benedictus fructus ventris tui*: ex quo conficitur panis cœli. *Benedictus fructus ventris tui*: cuius ſuavitate, pellitur amariſſima fames ſæculi. *Benedictus fructus ventris tui*: ſine quo nec in cœlo vivunt angeli. *Et unde hoc mihi, ut veniat mater domini mei ad me*? Vnde hoc indignæ ancillulæ: ut digna habeatur viſitatione tantæ dominæ? Vnde hoc uxori militis, ut à matre viſitetur Imperatoris? *Ecce enim ut vox ſalutationis tuæ auribus meis inſonuit, infans in utero meo præ gaudio exultavit.* O gratia, ô miracula. Imperatrix ancillam viſitat: Imperator militem lætificat. Domina famulam officio ſalutationis honorat, dominus ſervum ſpiritu prophetali donat. Mater iudicis ſe ancillæ obſequendo ſubmittit, iudex præconem dato mandato ante faciem ſuam præmittit. Ancilla verò dominam debita cum veneratione excipit, & quantò benigniorem experitur, plus diligit. Non ſuperbit,
D non inflatur, ut illa Agar: nec cervicem erigit: ſed de officio gratias agens, adventu dominæ ſuæ ſe indignam aſſerit. Et quia matri domini ſui ſe humiliter ſternit: pro honore matri delato, à filio ſpiritum prophetiæ dono accipit. Nec parvulus in utero ceſſat ab officio: ſed & ipſe dominum ſuum adeſſe ſentiens, tripudiat gaudio. Maternos vultus nondum agnoſcit, & virgineo clauſum utero, dominum ſuum recognoſcit. Agnoſcit ſervus dominum, miles regem, præco iudicem: & quia videt iudicem iamiam incipientem ingredi, qua interim poteſt voce, exultatione videlicet gaudij, mundo inclamat adventum iudicis ſui. O novitas, ô miraculum, ô pulcherrimum & theatro mundi incognitum ſpectaculum. Parvuli noſtri in utero ludo ſuo ſibi invicem alludunt: ſed non ſicut Iſmaël Iſaac, alter alteri illudit. Alludit

E benigniſſimus dominus devoto famulo, gratiam infundendo: alludit humilis ſervulus pio domino, quas interim poteſt gratias referendo. Alludit dominus ſervo, adventum ſuum manifeſtando: alludit ſervus domino, adventum ipſius geſtu corporis prophetando. Ecce parvuli noſtri, ſicut illi in utero Rebeccæ contendunt: ſed non ut alter alterum ſupplantet, ſed ut alter alterum mundo commendet. Commendat Chriſtus Ioannem, tanquam fideliſſimum famulum: commendat Ioannes Chriſtum mundo, tanquam *agnum Dei, qui tollit peccata mundi.* Cõmmendat Chriſtus Ioannem dicens, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*: commendat Ioannes Chriſtum dicens, *qui poſt me venit ante me factus eſt: cuius non ſum dignus corrigiam calciamenti ſolvere.* Hæc amica mutuæ commendationis officia præludunt in utero parvulorum gaudia: dum & ſervi do-
F minus congaudet ſanctitati, & ille exultat ſe dignum inventum vocari ſervum ſanctorum ſancti. Hæc eſt illa mira & ſeculis omnibus inaudita gratia: quam neque ſenſu concipiam, neque lingua effari queam. Mira gratia: quia qui vita mundi nondum liberè fruuntur, libertatem ac vitam mundi pariter operantur, alter geſtu prophetando, alter gratia vivificando. Mira, inquam, gratia: quia qui ſibi nondum prodeſſe poſſunt, iam mundo conſulunt. His itaque de exultatione parvulorum conſideratis, quia ſuperius de Elizabeth quantum exultaverit, quomodo glorioſæ matri ac fructui ventris eius benedixerit, paucis egimus: nunc iam de matris domini gaudio, laude, & cantico, quæ filius eius revelare dignabitur conſideremus. Inveniuntur autem diverſa in ſcripturis ſanctis cantica, pro rerum geſtarum magnitudine, aut myſteriorum gravitate, à ſe invicem diſtantia: quorum omnium rationem non eſt paruitatis meæ aut intelligere aut exponere. Invenitur enim in Exodo canticum à filiis Iſrael Maria cum tympano præcinente pro ſubmerſo Pharaone Deo decantatum: quod
G & omnium, ut arbitror, canticorum invenitur primum. Prima enim nobis Deo pugnante pro nobis de Pharaone conceditur victoria: quando in baptiſmo cuius mare illud figura erat, totum regnum peccati cum diabolo rege ſuo deſtruitur: ut ne unus quidem Ægyptiorum reſiduus ſit, qui populum Dei à tergo inſecutus ſit. Et hoc notandum in Pharaonis ſubmerſione, amatoribus gratiæ, quòd populus Dei immaniſſimæ illi belluæ atque omni humanæ virtuti inexpugnabili, nec occurrit, nec congreditur: ſed ſola Dei gratia fortis ille armatus, omnia ſua in pace eo uſque poſſidens, populo tantum ſpectante ſubmergitur. Eſt & aliud in libro Iudicum pro interfecto Siſara Deboræ canticum, quem adverſariam aliquam poteſtatem intelligimus, quæ & ipſa populum Dei premit ac perſequitur: & de poteſtate Pharaonis dextera Dei liberatis, iterum atque iterum tentat peccati imponere tributum. Eſt & aliud in libro Regum Annæ noſtræ, id eſt, gratiæ canticum, quæ oratione ad Deum non pro morte inimicorum, ſed pro fructu ventris ſui fuſa & exaudita, hoſtiam laudis Deo offerens, canticum exultationis edidit: &
H unius filij dignitate ſuper numeroſam æmulæ ſuæ ſobolem gratia Dei ſe eſſe dilatatam, gloriabunda cecinit. Sed quia propoſitum mihi non eſt omnia veteris hiſtoriæ nunc cantica revoluere, veniam ad illud Salomonis in canticis famoſiſſimum, & propter quandam, imò magnam ſui excellentiam non ſolum canticum, ſed & canticum canticorum appellatum: ubi nullus de hoſte metus, de concluſo utero dolor nullus: ubi nulla ſterili permanente, omnes de lavacro aſcendunt cum gemellis fœtibus, ubi à filiabus Hieruſalem dulcibus modulis theoricum illud ſponſi & ſponſæ decantatur epithalamium. His & aliis omnibus divinis ac myſticis canticis, unum illud ac ſpeciale Mariæ canticum, quod de primitiis ventris ſui domino obtulit, qui benedictionem dedit,

præferendum

A præferendum cenſeo, nec fallor iudicio : quia ſicut fructus ventris Mariæ inter omnes fructus principatum obtinet : ita & canticum Mariæ inter omnia cantica primam æquo iure ſedem poſſidet. Illa enim horum figura erant, atque veritati, quæ in Evangelio loquitur, *Ego ſum veritas*, ſerviebant : & multò maiore gaudio perfruitur ſponſa noſtra dilectum amplexans atque deoſculans, & amatoria illa, quæ ſenſus atque affectus hominis effugiunt, amicis auribus decantans, quàm illa Salomonis deſiderio æſtuans, atque moræ impatiens, præ impatientia amoris, *Oſculetur me oſculo oris ſui* exclamans. His in commendationem cantici glorioſæ Virginis prælibatis, aurem cordis obſtrepenti mundo inſtar aſpidis obturemus : & quomodo tympaniſtria noſtra de ſupernis concrepet, diligentius auſcultemus. Celebrato itaque de adventu matris domini tanto gaudio, quantum illi noverunt B qui intereſſe meruerunt : beata mater, præſentia divinitatis filij tota perfuſa, magna videns, magna ſentiens, *Magnificat anima mea dominum*, magno cordis iubilo decantat. Magna ſunt, mira ſunt, divina ſunt quæ geruntur : & in valle lachrymarum angelorum gaudia, celebrantur. In anguſtia unius uteri latet, qui cœlum continet : & quia omnia nutu portat, unius puellæ venter baiulat. Ad hæc tanta dona, tam immenſa beneficia digna laude prædicanda, quæ lingua carnis ſufficiat ? Quis ſenſus ea comprehendat ? Imbecillitas carnis tantæ maieſtatis pondus non ſuſtinet, ſenſus deficit, lingua non ſufficit. Magnificet ergo anima mea dominum : non quò vel ipſa ſufficiat, ſed ut digniorem aliquam gratiarum actionem tanquam conditione carne dignior, in exceſſu ſui inveniat. Labia doloſa in corde & corde dolum perficiunt : quando aliud lingua ſonat, aliud cor deſiderat. C Qui autem in laude Dei vel de laude Dei aliud quidlibet quàm Deum quærit, anima eius dominum non magnificat : ſed quod in corde ſuo magni facit, quod magis quàm Deum diligit, illud potius magnificat. Sed beata mater, quia amori dilecti filij nihil creaturarum præferre poterat : pro incomparabili illo dono ſingulariter ſibi attributo, ſicut ex lege didicerat, ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni mente ſua dominum magnificat. *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Meritò ſpiritus eius in Deo fiducialiter exultat : cuius anima dominum magnificat. Alius in honoribus, alius in divitiis, alius in filiis, iſte iſto, ille illo modo exultat: Mariæ ſpiritus in Deo tantum exultat. Meritò ſic magnificat, meritò ſic exultat: quæ humilitatem ſuam à Deo reſpectam, & ex ancilla in maternæ dignitatis gloriam humili ſe aſſertione aſſumptam pronuntiat. *Reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ : ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quia humilem me vidit, glorioſam me fecit : quia in oculis meis humilis fui, oculis ipſius complacui. Humilitas D enim decor eſt animæ, elegantia formæ : decus virginis, cuſtos pudoris. Humilitas faciem ornat, vitam commendat, ſenſus illuſtrat, actus conſervat. Hanc in Maria dominus reſpexit, hanc probavit, hanc adamavit : hanc in Maria tanta mercede donavit, ut nulla generatio prætereat, quæ Mariæ non benedicat. Generatio præterit & generatio advenit : laus Mariæ nulla unquam generatione deficit. Laus Mariæ fons eſt indeficiens : qui quantò longius extenditur, tantò amplius impletur, & quantò amplius impletur, tantò latius dilatatur. Iure ergo Mariæ omnis generatio benedicit : per quam omnis generatio benedictionem promeruit. Beata eſt enim, non ſolùm generali cum cæteris electis beatitudine : ſed & ſpeciali præ cunctis mortalibus munere. Iure, inquam, Mariæ omnis generatio benedicit : quia magna & valde magna cum ea fecit qui potens eſt facere quæcunque voluerit. *Fecit*, inquit, *mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.* Et vide quomodo mater gratiæ, opus gratiæ totum aſcribat gratiæ. Non ait,

E *fecit mihi magna*, quia virgo ſum, quia ſancta, quia digna ſum : ſed quia *potens eſt*, quia ſanctus, quia miſericors eſt. Quia potens eſt, magna potenter peragit : quia ſanctus eſt, ſanctitatem diligit, ſanctitatem reſtituit : quia miſericors eſt, miſericorditer ignoſcit. Quia potens eſt, poteſt virgini & matris conferre honorem : & virginitatis conſervare pudorem. Quia potens & ſanctus eſt, poteſt pellem Æthiopis immutare : & nativa nigredine omnipotente manu deterſa, ſuper nivem dealbare. Quia potens eſt, fortem alligabit : quia ſanctus eſt, inquinatos ſanctificabit : quia miſericors eſt, latroni quoque paradiſi ianuam reſerabit. Neque enim in infirmitate mea, virtus eius infirmabitur : nec in ſimilitudine peccati, ſanctitas ipſius inquinabitur : nec in erogando miſericordiam, iuſtitiæ obliviſcetur cenſuram. *Miſericordia* namque *ipſius in progenies & progenies, timentibus* F *eum* : non deſperantibus, non contemnentibus, non ſubſannantibus, non peccata peccatis cumulantibus: & gehennæ flamma de die in diem magis ac magis ſibi inflammantibus. Ideo & Dominus ut miſericordiam ſubroget, peccatoribus pœnitentiam ſuadet : & quos blanditiis trahere non poteſt, terroribus pulſat: ut quos amor promiſſi regni non emollit, vel malleus timoris de metu gehennæ conterat. Mater ergo miſericordiæ ægro mundo ſalubriter conſulens, poſtquam olei lenitatem ad mitigandum dolorem vulneribus infudit, vini quoque mordacitatem ad conſumendam putredinem miſcuit, atque dulcedinem miſericordiæ, timoris amaritudine temperavit : ut nec timor in deſperationem premat, nec miſericordia in libertatem peccandi extollat. *Miſericordia*, inquit, *eius in progenies & progenies timentibus eum.* Sed filia David à patre ſuo edocta, miſericordiam & iudicium domino decantare, ubi in conſolationem humilium, miſericordiam domino cecinit, iudicij G quoque ad terrendum ſuperbos meminit. *Fecit potentiam in brachio ſuo : diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Hoc eſt brachium illud exceſſum, in quo Deus pater ſemper pugnat : in quo ſemper glorioſè triumphat. Hæc manus illa extenta, quæ in prophetis legitur, quæ ad comminandum virga parvulis adhuc ſuſpenditur : quæ in fine mundi ſuper Aſſur, id eſt, diabolum ac ſequaces eius nulla unquam manu, nullius miſeratione, nullius unquam auxilio ſublevanda, Iſaia teſte fundabitur. Heu quàm gravi, heu quàm immobili tunc ſuper impios mole fundabitur : quæ quia, modo pietate alleviante levis ſentitur, facilè contemnitur. Tunc ſuperbia, quæ modo cœlum vertice pulſat, de ſede altitudinis ſuæ in profundum inferni præcipitabitur : tunc grata illa Deo humilitas, quæ modo uti infirma humi repit, uſque ad conſeſſum dexteræ Dei exaltabitur. *Depoſuit* enim *de ſede potentes, & exaltavit humiles.* Quæ licet generaliter poſſint de ſuperbis omnibus interpretari, tamen & ſuper H Iudæis, de obſervatione legis ſuperbientibus, ac de nobilitate generis Abrahæ gloriantibus, poſſunt intelligi : qui cum ſuam, quæ ex lege eſt iuſtitiam ſtatuere volunt, iuſtitiæ Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu ſubiici nolunt. Reputatus eſt enim carmelus in ſaltum, & ſaltus in carmelum; reprobata perfidia Iudæorum & electa fide gentium : & deſerta ſynagogæ in ubertatem verſa, advenæ comedunt Eccleſiæ. Eſuriens ergo gentium populus bonis impletur: & dives quondam Iudæorum populus, inanis dimittitur. *Suſcepit* enim *Iſrael puerum ſuum* : & latiſſimus ille miſericordiæ Dei ſinus collegit multitudinem gentium. Ipſe eſt enim verè Iſraël, qui oculis fidei Deum contuetur: qui in fide non claudicat, qui firmo greſſu, rectoque poſt dominum itinere ingreditur. Iſraël enim non ſolum vir videns Deum, ſed & rectus Dei rectius interpretatur. Illum autem Iſraël ſecundum carnem, latitudo ſinus Dei non colligit, qui dignitatem primogenitorum ſuorum vili lenticula vendidit : qui occidentem ſequens literam, vivificantem ſpiritum non requirit.

A Sed ſicut ille Iſraël ſecundum carnem, meritò perfidiæ iuſtitia dictante expulſus: ita noſter Iſraël ſola manu gratiæ Dei in locum illius eſt introductus. *Recordatus* eſt enim *miſericordiæ ſuæ: ſicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſecula.* Locutus eſt enim Deus ad Abraham, quod Iſraël puerum ſuum ſuſciperet: cum ſemen illius ſtellis cœli coæquandum prædiceret. Locutus eſt idipſum ad Abraham: quando ei benedicendas eſſe in ſemine ſuo omnes gentes repromiſit. Locutus eſt item ad David: quando ei de fructu ventris ſui ſuper ſedem ſuam ſeſſurum eſſe prædixit: quem placito in tempore, ſpeciali adoptione ſibi in filium aſſumeret, quem ante omnia tempora coæqualem ſibi genuiſſet. Similiter & ad alios patres noſtros locutus eſt: quando in oblatione Iſaac, in venditione Ioſeph, & aliis innumeris huiuſmodi figuris, incarnationis ſuæ & redemptio- B nis humanæ myſteria figuravit. Hæc de nobili illo glorioſæ virginis cantico dixiſſe ſufficiat: non pro cantici dignitate, ſed pro ſenſus noſtri tenuitate. Hoc canticum tam dulce, tam ſuave, támque omni ſpirituali iocunditate refertum, ſancta mater Eccleſia deguſtavit, atque tam celebre inſtituit: ut nulla per omne hoc ſeculum iam dies decurrat, quo non illud veſpertina laude decantet: ad laudem glorioſæ matris, ac glorioſiſſimi filij eius domini noſtri Ieſu Chriſti: qui vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

PRÆFATIO
in Librum octavum.

C *Magna, & magnifica gratiæ Dei dona iuſſu veſtro, pater venerande obtuſo exarans ſtylo, per ſingula penè verba ad eandem ſemper reſpiro gratiam: ut inſolita bonitate, per linguam ineruditam revelare dignetur amatoribus ſuis ipſa ſeipſam. Neſcio autem quomodo eam amabilius commendem, quàm ut mira illa charitatis Chriſti præconia commemorem: quæ in hominis aſſumptione, pro hominum redemptione, vel ut Deus potenter egit, vel ut homo dignanter pertulit. Quorum omnium multitudinem quiſquis ad integrum noſſe deſiderat, ſanctorum Evangeliorum atque Apoſtolicæ bibliothecæ volumina revoluat: nobis propoſitum eſt in ornamentum coronulæ noſtræ pauca de multis deflorare. Ipſa autem pauca, quæ inſero, non quæ decet, ſed quæ novi varietate diſtinguo, lectorem humiliter obſecrans, ut ſudori meo ignoſcat: qui cum ipſe balbutiam, cogor ut alios de gratia Dei loqui doceam. Sed cœpta proſequamur.*

LIBER OCTAVVS.

D INSTANTE iam plenitudine temporis, & nocte illa, quæ omnes ab initio dies illuſtrat, promiſſus legalibus cæremoniis, promiſſus & prophetarum oraculis ſponſus Eccleſiæ de thalamo ſuo egreditur: Chriſtus de Maria naſcitur: In via, via naſcitur, decor animarum pannis involuitur: locus ſalvatori in diverſorio ſynagogæ non invenitur, pabulum vitæ in præſenti Eccleſiæ reconditur: ut quia miſericordiam ſuam multiplicaverat, homines & iumenta ad vitam enutriat. Congruus profectò myſterio locus, vt enim præſepe reclinaretur, qui panis erat vivus. Ad conſueta præſepia animalia feſſa recurrunt, debita labori ſtipendia requirunt, vt largitate domini refecta, rurſum ſe uſui procuratoris ſui officioſa viciſſitudine impendunt. Ecce parvulus noſter laborantes refecturus in præſepis ſui medio eſt poſitus: & quia magiſter de cœlo advenerat, in præſepi ſibi cathedram collocat, & qui nondum, vt parvulus voce poteſt, iam quaſi vagitu clamat. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos.* E Sed ne vel ipſum tempus infantiæ à gratia otioſum pertranſiret auctori gratiæ, iuxta oraculum propheticum & nominis ſui præſagium, adhuc quaſi ſui impotens, principi mundi bellum indicit: ac magis radiante ſtella ad agnitionem veri luminis perductis, fortis illius, qui eo uſque atrium ſuum in pace poſſederat, velociter ſpolia detrahit. Iſte eſt enim bellator ille egregius, qui Iſaia vaticinante de propheteſſa, id eſt, de intemerata, ſemperque virgine Maria naſciturus prædicitur: cui à propheta: *accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari,* præſagio futuri nomen imponitur. Multum enim bellator iſte accelerat, multum feſtinat: qui in cunis vagiens, arma robuſtorum, imò robuſtorum robuſtiſſima corripit, bellum non cuilibet gregario, ſed ipſi ſpiritualium nequitiarum principi indicit: ac ducibus exercitus eius ſolo lumine adventus ſui nuntio F territis, dum magos in caſtris ſuis militare imperat, electis tyrannum armis ſpoliat. Magna, & incomparabiliter magna iſta eſt gratia perdito homini ac nihil niſi ſupplicium meritò gratis præſtita: vt parvulo vagienti cœlum in ſtella ſerviat, laudes angeli concinant: & venenatiſſimum caput, quod primi hominis calcaneum dente vipereo perfoderat, pes ſibiipſi adhuc invalidus conterat. Magna plane ac condigna præconiorum laude proſequenda & illa fuiſſet gratia, ſi in forma Dei manens, ſerpentinum caput maieſtatis ſuæ pede contriviſſet, ac de ſpiris illius colligatum hominem abſolviſſet. Illam autem, illam inquam, quis vel dignè miretur gratiam: quod immenſa illa bonitas dignata eſt miſeriæ noſtræ non ſolum tam piè compati, ſed humanitate noſtra aſſumpta, miſeriam quoque noſtram & ipſa pati? Quis tam glorioſam digne ſtupeat victoriam: in qua rex noſter de antiquo illo & inveterato dierum malorum principe, non in maieſtate ſua, ſed in infirmitate noſtra tam G glorioſe triumphat, vt adhuc pannis involutus, non iam extremos, ſed primos exercitus ſui duces captivos trahat? Hæc tam inſignis regis noſtri victoria: hoſtis confuſio, noſtra eſt gloria. Ne enim de hominis deiectione tumidus ille conditori eius inſultet: in eodem, quem vicerat, victum ſe dolet. His interim de primitiis gratiæ in primitias gentium magos effuſe prælibatis, ad incunabula regis noſtri articulum reflectamus: & quomodo Iudaicum quoque vellus paſtor bonus gratiæ ſuæ rore infuderit, videamus. P. ſtoribus gregi ſuo paſtorali ſollicitudine invigilantibus, angelus angelica claritate coruſcus aſtat, ſalvatorem mundi natum annuntiat, & quia omni populo antiquæ ſententiæ abolita triſtitia, æternæ lætitiæ auctor futurus ſit, inſinuat: *Annuntio,* inquit, *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David.* Dignum planè tanti regis ortu præconium: ut mœrenti populo & Babyloniæ atque Romanæ ſervitutis iugo attrito, mox in ortu regis ſui pax prædicetur & gaudium. Tales ſunt fructus gratiæ, talia de radice H illa divina pullulant germina: exorta nobis à Deo patre in Chriſto gratia, & pacis ſimul oritur abundantia. Nato enim principe pacis, paries inimicitiarum ſolvitur, auctor ſeditionis vinctus trahitur: & captivitas ad regis ſui ſoluta imperium, poteſtate accepta, tumidam ſuperbi illius cervicem ſuper altitudinem nubium ſe extollentem, libero iam pede calcat, atque redemptori ſuo gratulabanda decantat: *Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Et miranda in hoc quoque Ieſu Chriſti Domini gratia: quòd non Herodi, non principibus ſacerdotum, ſed paſtoribus, hominibus ruſticanis, ſed ſimplicibus, ſed iuſtis, primum nuntianda cenſuit nova nativitatis ſuæ gaudia. Sicut enim de pauperibus naſci voluit, ita & pauperibus nativitatis ſuæ gaudia primum innoteſcere dignum duxit. Luca autem atteſtante didicimus, quia *cœpit Ieſus facere & docere.* Qui ergo primum facere, & ſic docere venerat: quam docturus erat, primo in ſeipſo

A humilitatis atque paupertatis formam exprimebat. De pauperibus itaque naſci voluit, alienum nativitati ſuæ hoſpitiolum prævidit: & quia in perfidia Iudæorum ubi caput reclinaret non invenit, ad deſertum gentium, a lege & teſtamento, à notitia & cultu Dei alienum tranſivit. Hæc itaque huiuſmodi divinæ pietatis opera, non tui meriti ô homo: ſed gratiæ Dei ſunt inſignia. Quæ tantò tibi carius amplectenda, atque devotius eſt ſemper veneranda: quo & gratis omnia præſtitit, & mutuum nihil exigit. Nam quòd obſequium à te quaſi neceſſarium diſtrictè videtur exigere: & hoc ipſum inenarrabilis eſt gratiæ. Quid enim ſummæ illi beatitudini, quæ augmentum non capit, & defectum non novit contuleris: ſi obſequium & honorem detuleris? Quid autem detraxeris: ſi non obtuleris? Tibi ergo præſtat, quòd ut ſervias, imperat: ut ex devotionis tuæ merito quaſi iuſtè cogatur immenſa illa pietas, æterno fideliter obſequentem remunerare præmio. Dignum eſt etiam ut athletas B glorioſiſſimos regi ſuo coætaneos, ſilentio non præteream: qui & inaudito pugnandi modo decertant, & novo vincendi genere triumphant. In quibus cum nec ætas noſſe bellandi ſtudium, nec victoriæ poterat voluntas affectaſſe bravium; ſola in his hoſtem expugnat gratia, ſola meretur palmam innocentia. Dico autem beatos illos ac verè innocentes, qui per Chriſti gratiam, martyrij prius adepti ſunt gloriam: quàm poſſent noſſe martyrij cauſam. Fœlices parvuli: qui nomen Chriſti meruerunt, ante ſanguine quam lingua confiteri. Fœlices parvuli: qui de ſtadio mundi meruerunt ante ad regnum victores ingredi, quam ſcirent cum hoſte congredi. Beati martyres: qui nivea innocentiæ ſtola candentes, atque roſeo cruore vernantes, merentur ſequi quocunque ierit, agnum Dei. Ipſe enim fuit eis cauſa pœnæ: ipſe eſt & corona gloriæ. Audiens enim natum Chriſtum Herodes cruentus carnifex, audiens enim & Iudæorum regem futurum, turbatur: atque impiæ mentis furiis agitatur, tremit, palleſcit: metu concutitur, animo C diſſolvitur. Nomen regis expaveſcit: quia regnandi modum non intelligit. Regnum quippe Iudæorum nec nobilitate obtinuerat, nec probitate meruerat: ſed nobile illud regnum regiæ ſtirpi Iudæ, patriarchæ Iacob vaticinio debitum tyrannide invaſerat, crudelitate retinebat. Nato ergo rege iuſtitiæ, iniuſtitia tremit, regnatura pietate crudelitas fremit. Sed cur impiè ſævis? Quid livore torqueris? Cur adventum ſalvatoris formidas? Quid ad nomen mitiſſimi atque humillimi regis trepidas? Non venit ut temporalia tollat, qui æterna militibus ſuis ſtipendia erogat. Terreno regno non indiget: qui cœlo præſidet. Depone ergo inanem formidinem, exagitatam compone mentem: & ut ſub eo fœlicius regnes, fideliter perage, quod ſimulas, regem velis, nolis tuum, ſubiecta cervice adorans. At doloſa vulpes, intra tenebroſas perfidæ mentis latebras, interim ſe cælat, lætitiam vultu ſimulat, corde dolos fabricat, & adoratum ire ſe ſpondens, inventum D necare parat. Sed fruſtra tentat ſapientiæ Dei humanæ mentis malitia illudere: ſicut & fruſtra nititur in petræ duritia lubricus coluber molli tractu veſtigia figere. Nam dominus, qui aliud nativitati, aliud paſſioni ſuæ congruum utrique myſterio tempus præſcripſerat, non dedignatur in Ægyptum alienis manibus tolli: qui paſſus eſt proprias manus cruci configi, non tam Herodem fugiens, quam myſterium peragens. Significabat enim iam tunc, nomen ſuum à principibus ſacerdotum, & conclamantis populi inſania, rege ſuo videlicet diabolo inſtigante, de Iudæa effugandum, & in fines gentium ore Apoſtolico deportandum. At cruenta bellua, torridis faucibus ſãguinis avida, dum illudere putat illuſa, quia nati regis guttur ex voto invadere non potuit, in innoxium parvulorum exercitum rabiẽ effudit: ut dum coætaneos regi ſuo parvulos ſtrangulat, proſtrato toto exercitu, is qui ſolus vel maxime appetitur, furentis beſtiæ morſum non evadat. E Sternuntur ergo gladiis carnificũ corpora parvulorum, ſed deportantur ad æthera manibus angelorum. Sævit in terra atrociſſimus carnifex: ſed coronat in cœlo ſereniſſimus iudex. Verè fœlices, verè beati: qui ante meruerunt vita æterna, quam præſenti perfrui: quibus vitæ præſentis ingreſſus, fuit ad æternam tranſitus. Libet in hac ſanctorum parvulorum tam magna gloria, gratiæ largitoris contemplari magnitudinem: in quibus cum imbecilla & immatura ætas, nec mortis timere ſupplicium, nec fidei noſſet ſperare præmium, pro ſe tamen paſſis non patitur martyrij gloriam, & mercedis minui plenitudinem: quia & in matura ætate, teſtante B. Hieronymo, cauſa, non pœna facit martyrem. Simili modo & in nobis natum Chriſtum, qui in Herode præſidebat, diabolus perſequitur: ſi forte poſſit eũ, dum adhuc parvulus eſt in nobis, dolo perimere, noſq; ſub antiquo dominationis ſuæ iugo, captivos retinere. Nato enim in nobis Chriſto, & ad virile uſque robur perducto, omnia in templo cordis noſtri Ægypti F idola corruunt: regnúmque peccati, & univerſa, in quibus diabolus regnat confuſionis opera, pariter intereunt. Hoc ſciens, hoc præcavens, ſævit, fremit, & tanquam leo rugiens circuit: & ut incautos ſupplantet, ſe in angelum lucis transfigurat, ac natum regem adoraturum ſe ſimulat, oram calicis melle liniens, & venenum in fundo cælans. Nobis enim quieſcentibus, & viam Domini ſecuro pede ingredientibus, velut angelum lucis callidus inſidiator a dextris ſe ingerit, atque alia pro aliis fraudis ſuæ commenta ſuggerit: nihil emolumenti in loco noſtro, & ex his, quæ conquirere agimus, plurimúmque detrimenti ex ſocietate & negligentia eorum, cum quibus vivimus contrahere. Calumniatur prælatos, immiſericordes, elatos, irreligioſos, ſæculares, curam ſuam obnixè agere, aliorum negligere, lapſis manum non porrigere, infirmis neque compaſſionis affectum, neque conſolationis opem impendere. Fratres autem alium notat ſuperbia, alium invidia: hunc loquacitatis, illum arguit vanitatis, poſtremo rarum quempiam eſſe, cui tuto ſe poſſit G credere. Ad illum ergo vel illum locum ſecedendum, vel certè cùm nuſquam repertrurus ſit ſui ſimiles, tam boni ſtudij, tam pij deſiderij, ad remotiora, & ad ſolitudinem emigrandum: ibi pio deſiderio ex importunitate malorum impedimentum nullum incurrere, ibi quietem, ibi ſilentium, ibi continuæ orationis ſtudium, frequens ieiunium, ibi converſationem ſanctam, vitam angelicam, ibi lachrymas, & ſuſpiria: poſtremò omnia ex voto ſuccedere. Hæc & alia huiuſmodi cordi noſtro ſerpens antiquus inſibilans, tentat de grege dominico incautum quemque ac ſimplicem abducere, vt profeſſionis ſanctæ tranſgreſſorem cùm ſuſtentantem non habuerit, facile poſſit ſpiris ſuis involutum deiicere: & cum ſublevantem non invenerit, liberè deiectum ſuffocare. Sic ſic totius doli inventor dum quaſi ſancta & utilia ſuadeat, Chriſtum adorare ſe ſimulat, vt inventum occidat: cóque necato, regnum peccati, quod in nobis eo uſque poſſedit, liberius de H cætero poſſideat. Sed licet parvulos Chriſti, de quibus ipſe loquitur: *Sinite parvulos venire ad me*, carne perimat, arcem fidei non expugnat: & quamvis accepta poteſtate electos cribret, mundiſſima ſimila ad menſam ſuperni regis tranſmiſſa, immundum ſibi furfur dolo ſuo ipſe deluſus retinet. Simile quid & de impio Pharaone legimus: quòd iuſſerit parvulos Hebræorum trucidari, fœminas verò, quæ virtutem bellatorum enervant reſervari. Ait enim ad populum ſuum. *Ecce populus filiorum Iſrael multus & fortior nobis eſt: venite ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur. Et ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur è terra.* Præcepit itaque obſtetricibus Hebræorum, ut maſculos interficerent, fœminas autem reſervarent. Sciebat quidem iam tunc, qui in Pharaone ſæviebat hoſtis antiquus, bellum ſibi ingruere, ſciebat & formidabat: ideoque ad concitandos contra populum

A Dei Ægyptiorum animos, bellum eis ab ipſo inferendum, ex domeſtico ſibi ore prophetabat. Præfigurabat autem tempus gratiæ Chriſti, & victoriæ populi Chriſtiani: quando ab eo, qui in Evangelio loquitur, *non veni pacem mittere ſed gladium*, ubique terrarum bellum contra eum ſuſcitatur, & ab ipſis parvulis, quos in flumine ſuffocandos cenſebat, quotidie tanquam inermis & invalidus Chriſto duce expugnatur. Additur namque inimicis Ægyptiorum populus Hebræorum, quando in vnitate fidei populo gentium Iudæus ſe ſociat, & communem hoſtem æqualibus animis, in commune debellant: ac Chriſto concedente victoriam vterque populus de mari rubro victor aſcendens, lætabundus decantat: *Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Vbi verò populo Dei ad terram repromiſſionis liber datur tranſitus, ibi adverſariis inſequentibus paratur interitus: & vnda, quæ viam dirigit humilium, vt ſu- B perbum aſcenſorem pariter involuat, hoſtilium ſubvertit rotas curruum. Solet autem divina miſeratio tunc magis protectionis ſuæ impendere ſubſidium, cum omne humanæ virtutis & induſtriæ defecerit auxilium: vt vbi ſub faſce tribulationis imbecillitas humana ſuccumbit, non virtutis ſuæ, non meriti, ſed gratiæ Dei noverit eſſe quòd evadit. In hoc enim vel maximè humanæ ſaluti benigniſſimus ille animarum medicus conſulit, quòd interdum hominem ſibi derelinquit. & qua infirmum ſuſtentabat, manum ſubtrahit: vt dum ſibi dimiſſus labitur, quodque ſine ipſo ſtare non poſſit, lapſu ſuo experitur, protectori ſuo firmius inhæreat, & ad illius laudem, cuius & dona ſunt cuncta referat. Manifeſtè enim in Deum impius eſt, qui meritis ſuis aſcribit, quod gratiæ Dei eſt. In his omnibus perpende ô homo, quantas debeas liberatori tuo gratias: qui te ſtante, ac ſpectante inimicos tuos inſenſibili inſenſibiles expugnat ele- C mento, atque hoſte tuo dextera ſua proſtrato, te victorem pronunciat, te victorem collaudat: & coronam capiti tuo, victoriæ ſignum, & præmium condonat. Et ut amplius mireris & diligas protectoris tui benignitatem, atque potentiam: attende hoſtis tui immanitatem atque ſuperbiam. Quis enim vel ſolo auditu immaniſſimi huius non terreatur, qui fortitudinem populorum, quaſi nidum inveniſſe & vniverſam terram, quaſi ova derelicta tumido faſtu magnifici cordis ſe congregaſſe gloriatur? Ait enim: *In fortitudine manus mea feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublime reſidentes, & invenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum. Et ſicut colliguntur ova, quæ derelicta ſunt, ſic univerſam terram ego congregavi: & non fuit, qui moveret pennam, & aperiret os & ganniret.* Quis tantam hoſtis ſui fortitudinem audiat, & aures eius non D tinniant? Quis alios de ſublimi corruentes videat, & ipſe in imo poſitus non contremiſcat? Quid autem throno Petri ſublimius: quid verò gradu Stephani firmius? Et tamen Iudam in Apoſtolico throno reſidentem, vnco avaritiæ detrahit: Nicolaum verò in gradu Stephani ſtantem, luxuriæ illecebris illectum, ſubvertit. Quis etiam crudeliſſimi huius terrorem non ſtupeat: qui cum vniverſam terram congregaverit, neminem inventum gloriatur, qui pennam moveat, qui os aperiat & ganniat? Nec mirum, Qui enim terrena ſectatur, & terrigena eſt, & pennas animæ, viſco cupiditatis obligatas habet, cum à diabolo ad numerum perditorum congregetur, pennam movere & avolare non poteſt: & à dæmone poſſeſſus, ſicut & ille in Evangelio mutus, nec os aperire, nec captivanti ſe libera poteſt voce contradicere. Qui verò cœleſtis eſt & aſſumptis pennis columbæ, ad cœleſtia contendit, de laqueis diaboli liberè evolat: & aperto ore deceptori antiquo libera voce inſultat. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Quid igitur hac pugna mirabilius: & victoria iſta quid glorioſius? Quãdo enim ex E corruptionis ſuæ defectu invalidus homo congreditur diabolo, quid aliud dixerim, quàm vermiculum pedem conferre cum angelo? Pulcherrimum planè, pulcherrimum, & angelis, & hominibus de duello tam diſſimili ſpectaculum. Stat hoſtis antiquus frendens & indignans, ac rabido ore ſpumas contorquens, evomit minas: & quia præſente Chriſto virium nihil poſſidet, tentat vel fraude circumvenire incautum: vel terrore effugare pavidum. Mille ergo ſpiris involuitur, mille dolis inſtar molæ circumagitur, tantaque ſubtilitate ac velocitate de dolo in dolum lubricus ſe colligit, vt celeritate plerunque oculos fallente, homo neſciat, coluber tortuoſus ubi incipiat, aut ubi deſinat. At contra vermiculus Chriſti ſub umbra alarum eius ſecurus, hoſtem ſuum rabido ſeipſum ore laniantem videt & ridet: & ore tacito ac corde devoto cum Moyſe clamans ad Dominum, oratione expugnat adverſarium. Adeſt Chriſtus ſpectator certaminis, & F protector ſui militis: quo de cœlo præſtante victoriam, apoſtata angelo vnco ſuperbiæ in infernum detracto, vermiculus Chriſti gratia ſubvehente cœleſtia conſcendit coronandus. Tua eſt hæc Chriſte triumphator æterne, tua eſt hæc victoria: tibi gratiarum actio, tibi laus & gloria, qui vivis & regnas per infinita ſecula, Amen.

PRÆFATIO
in Librum Nonum.

NOn moleſtum debet eſſe lectori, ſi paucis pro me reſpondeam eis qui me fortè in eo reprehendendum putent, quòd cum de gratia Dei ſcribere cœperim, effuſo greſſu per veteris ac noui teſtamenti latitudinem euagatus G *ſim. Dum enim latiſſimum vtriuſque teſtamenti campum curſim tranſeo, pauca quæ feſtinanti ſe offerunt, divinæ pietatis exempla contingo: vt ex his lector intelligat, quid de Gratia Dei, & in aliis ſentiat. Penſet autem qui hæc reprehendenda putat; ex aliis alia, & ex viſibilibus æſtimet inuiſibilia: quia color panno ligatus non eam ore laudantis gratiam obtinet, quam cum ſubiectis tabulis decenti varietate inductus, ipſe ſui nitorem oculis intuentium exhibet. Ita & ipſa, de qua loquimur Gratia, quæ ſermone ineffabilis, cogitatu eſt incomprehenſibilis, tantò legentibus plus placet, quantò ex ipſa ſcripturæ ſanctæ ſerie exemplis quaſi quadam pingentis manu inductis, clarius fulget, Poſſem quidem breuiter dicere, & quaſi colorem optimum vili panno ſtringere: quicquid in creaturis omnibus dignitatis eminet, & gratiæ, ex ipſo ſummæ bonitatis fonte procedere. Sed mel cœleſtis gratiæ, niſi per ipſa pietatis ſuæ opera, quaſi per quædam faui ſui foramina de labiis ſponſæ diſtillet, ne-* H *quaquam palato noſtri cordis tam dulcem ſui guſtum exhibet. Igitur quod cœpimus exequamur: & accinctis lumbis quod reſiduum eſt cœpti itineris, gratia duce conſiciamus.*

LIBER NONVS.

SVperiore tractatu cum de ſævitia Pharaonis ageremus, tranſitum quoque filiorum Iſraël memoravimus: quando liquens elementum ad populi Dei munimentum, natura ſtupente, ſed domino naturæ iubente, dextera lævaque in muri ſe ſubrexit firmamentum. Videamus nunc quomodo dux noſter accinctus fortitudine aquas Iordanis, illius maris rubri, myſterium conſummaturus ingreditur: & quomodo, qui in principio diuiſit aquas ab aquis firmamento interpoſito, aquas quoque Iordanicas ſicut quondam Ioſue, ita nunc ſpirituali ab invicem examinatione ſe dividat interpoſito, vt ſuperiores aquas in muri ſoliditatem ſtatuat, inferiores verò à ſe defluentes, vſque in

mare

A mare ſolitudinis & mare mortuum, & à vita prorſus alienum iuſto iudicio perfluere ſinat, quouſque penitus deficiant. Sed primum videamus quid cauſæ ſit, quòd aquas baptiſmi adire voluerit: vtrum indigentia ſui, an gratia noſtri Aquis ſordes lavantur: & inquinata aquis mundantur. Vt quid igitur aquis lavari voluit, qui ſordes nôn habuit? Quid ergo dicemus? Ocioſe adiit lavacrum, in quo inquinatum nihil erat, quod mundaretur per lavacrum? Nobis itaque baptizari voluit: nobiſque ſanctificandis, ſanctiſſimi corporis ſui intinctu aquas ſanctificavit. Veneno enim vipereæ perſuaſionis, in Adam infecta erat & inquinata omnis humana natura: nec erat aliud, quo mundari poſſet lavacrum, niſi baptiſmatis Chriſti ſacramentum. Et quod peccato mortuum erat, non niſi per vivificatricem aquam vivificari poterat. Primum enim quod ſpiraret ac viveret, atteſtante ſacro eloquio, ex aquis prodiit, & quod vivens aqua produxit, benedi- B ctionem Dei primum meruit. Moyſes enim ſacræ ſcriptor hiſtoriæ, cùm creationem cœli & terræ deſcriberet, & ſex dierum opera ſingulorum ſingillatim diligenter exprimeret, de die prima, tertia, & quarta, *& vidit*, inquit, *Deus quod eſſet bonum*, nec tamen aliquod collatæ benedictionis memorat ſacramentum. De ſecunda verò, quæ inter aquas dividit, non refert ſermo divinus, quòd hoc bonum eſſe Deus pronunciaverit, hoc ipſum forte ſilentio indicans, quod quicquid vnitatem dividit, cenſura divina non approbet. De die autem quinta ſic loquitur? *Dixit etiam Deus Producant aquæ reptile viventis animæ, & volatile ſuper terram, ſub firmamento cæli*, & paulo poſt: *Et vidit Deus quod eſſet bonum, benedixitque eis dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, aueſque multiplicentur ſuper terram.* Ecce quomodo ex aquis mortuo mundo vita naſcitur: & vivificato, benedictionis Dei ſanctificatio tribuitur: ac conſequen- C ter creſcendi & multiplicandi gratia ſuperimpenditur. Neque enim dextræ Dei ocioſa poteſt eſſe benedictio: ſed ex benedictionis Dei gratia, bonorum omnium ſemper exuberat copia. Ita & ante adventum ac baptiſmum ſalvatoris, totius mundi latitudinem mors occupaverat, & vniverſos filios Adam lætalis ſopor oppreſſerat: intantum, vt nec legiſlatore inclamante, nec prophetica tuba inſonante, excitari poſſet, qui mortuus iacebat. Sed cùm videret Heliſæus noſter, neque per præmiſſum puerum, neque per baculum ſuperpoſitum, iacentem puerum exurgere, miſerandam matrem miſeratus, dignatus eſt ad iacentem accedere: & ad menſuram parvuli ſe contrahens, atque os ori, oculos oculis, manuſque manibus componens, divino calore confotum, iacentem ſuſcitat, qui nullo humanæ infirmitatis auxilio ſuſcitari poterat. Ecce quantum ſe verus Heliſæus, dominus noſter Ieſus Chriſtus, ecce quantum ſe contrahit, quando & peccati formam aſ- D ſumit, & inter peccatores peccatorum baptiſma expetit, & aquas ipſe contingens, nos abluit. Sed inter hæc & illud percunctari libet, cur omnipotens Deus peccata mundi laxaturus, hoc viſibile elementum, quaſi ad quoddam ſupplementum, in opus inviſibilis gratiæ iudicaverit aſſumendum. Quis enim hoc vel incredulus crediderit: quòd ſine ipſo peccata noſtra laxare omnipotens non poſſit? Quis autem hoc vel inſanus dicere audeat; vel à Deo ocioſe aliquid præcipi, vel in miniſterium ſalutis noſtræ, aliquid quod non ipſi ſaluti cooperetur adhiberi? Aſſumptum eſt ergo vt arbitror ipſum viſibile elementum, ad redemptionis noſtræ ſacramentum tanquam neceſſarium: neceſſarium autem dico, non ipſius omnipotentiæ, ſed tarditati noſtræ. Qui enim ea, quæ oculis cernimus, manibus attrectamus, infidelitatis noſtræ errore abducti vix credimus: quomodo radiis inviſibilis ſolis irreverberata fidei acie lippitudo noſtra intenderet, niſi oculos cordis noſtri ad contuenda inviſibilia quaſi quodam collyrio viſibilium, cœleſtis medicus inungeret? Vnde ad prædicandum diſcipulos mittens aiebat: *Euntes prædicate dicentes, quia*

E *appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate leproſos mundate, dæmones eiicite.* Doctori namque, qui ad prædicandum mittitur: curandi languores animarum cura committitur. Sed fruſtra medicus curam adhibet: ſi ægrotus de ſanitate deſperet. Vt ergo peccator ad pœnitentiæ remedia indubitata fide confugiat, ex alienæ carnis viſibili curatione diſcat, quid de inviſibili ægritudine animæ, ab omnipotente medico ſperare debeat. Similiter & qui lethali ſomno peccati in mortem obdormierit, per hanc viſibilem adinvocationem nominis Chriſti corporum reſuſcitationem diſcat inviſibilem quoque credere ex fide Chriſti animæ reſurrectionem. Sed & qui ſe hæretici dogmatis immundo, & à ſeipſo diverſo colore reſperſum dolet, dominum genu flexo adoret: & ex corporum emundatione, de recuperanda fidei puritate non deſperet. Qui verò à dæmone poſſeſſus per facinora atque flagitia præceps agitur, ſi toto corde ac plena ad dominum F fide convertatur, non ambigat malignum, quamvis infeſtum, quamvis violentum, imperio domini de penetrali cordis ſui effugandum. Sicut ergo ſigna atque mirabilia viſibiliter fiunt, vt credantur ea, quæ videri non poſſunt: ita ad roborandam fidem credentium, in opus cœleſtis gratiæ aſſumptum eſt ipſum quoque viſibile elementum. Et valde congruit elementum myſterio: quia ſicut hoc ſordes corporum, ita illud remittẽdo peccata, ſordes abluit animarum. Noſtri igitur cauſa, vt diximus, fluenta Iordanis ſanctificaturus Salvator ingreditur: vt ſiccatis venis peccati, decurſum noſtrum ſiſteret, & in acceptæ gratiæ dulcedine perſeverantes, nulla nos denuo tentationum violentia in mare mortuum, id eſt, in profundam & amariſſimam vitiorum voraginem invitos devolveret. Qui enim poſt reſtitutam ſibi à Chriſto libertatem, antiquæ immundorum ſpirituum ſponte ſe mancipat ſervituti; in mare ſolitudinis, à gratia videlicet ſupernæ viſitationis omnimodo ſoli- G tarium, & mare mortuum, *anima* enim, *quæ peccaverit ipſa morietur*, non tam hoſtis ſui violentia impellitur, quam propriæ cupiditatis illecebris illectus devoluitur. Baptizato itaque domino cœlum patuit, Spiritus S. in columba affuit, pater in voce de cœlo ſonuit: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Hæc eſt illa baptiſmatis Chriſti gratia, hæc virtus, hæc ſanctificatio, per hanc S. Trinitatis fidem baptizatis tribuitur peccatorum omnium remiſſio. O quàm glorioſum de præſentia Patris, & filij, & Spiritus S. concilium: ô quam lætum ipſis ſupernis virtutibus ſpectaculum. Fœlix Baptiſta, qui hæc videre, fœlix, qui hæc audire meruit: fœlix & ille, qui audita fideliter credit: ſed fœlicior, qui ſemel baptiſmate Chriſti lotam, à ſordibus mundam de cætero ſervat conſcientiam. *Apertum eſt*, inquit B. Lucas, *apertum eſt cælum.* Et quando clauſum fuit ei cælum? quando ei clauſum fuit: ſine quo nec eſſe potuit? Quomodo ſe ei firmamentum reſeraret: H quo niſi præſidente infirmum nutaret? Nobis itaque reſeratum eſt clave baptiſmatis Chriſti: quibus antea clauſum erat vecte originalis delicti. Oportunè autem tunc cœlum apertum eſt: vt homo diſceret, quæ ei clavis cœleſtia reſeraſſet. *Et deſcendit Spiritus ſanctus ſicut columba in ipſum: & manſit ſuper eum.* Domeſtica ſemper avis columba Spiritui, ſimplex ſimplici, ſine fellis amaritudine, ipſi dulcedini: ramuſculi olivæ baiula, pacis amica, pacis nuncia. O quàm iocunda in pectore puriſſimo, puritatis amatori manſio. O dignatio Domini & gratia, ô honor ſervi & gloria. O ſi in pectore noſtro hæc avis manſuetiſſima requiem inveniat, quæ leniſſimo lapſu circumvolans humilem & quietum quærit, in quo requieſcat fœlix anima, quæ peregrino Chriſto præbet hoſpitium. Fœlix conſcientia quæ circumvolanti & æſtuanti ſpiritui, in umbra pij deſiderij præſtat refrigerium. Sed hæc ſanctorum ſunt. In noſtro autem pectore vtinam vel ad momentum requiem inveniat: qui ſtabilem & æternam manſionem non niſi in illo puriſſimo & affectuoſiſſimo pectuſculo Domini noſtri Ieſu Chriſti aliquando invenire potuit.

A Hic eſt enim, hic eſt vir ille unus, ſingularis & unus, diu expectatus, multum deſideratus: cuius amore languentes ſeptem illæ propheticæ mulieres, dilecto ſuo ex dilectionis nimiæ quaſi impatientia inclamant dicentes: ***Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum. Aufer opprobrium noſtrum.*** Prohdolor. Qui factus erat ad factoris ſui imaginem, qui conditus ad conditoris ſui honorem & gloriam: non factoris ſui imago & ſpeculum, ſed vivificatoris ſui perverſo nomine vocatur opprobrium. Prohdolor, ***Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum: & plorabo*** non ***interfectos unius populi***, ſed opprobrium totius generis humani? In omni genere humano nullus invenitur, cuius nomen ſuper has mulieres dignè invocetur: qui mulieribus his honori ſit & gloriæ, qui auferat, imò, qui non augeat næuum ignominiæ. Vnde hæ ſeptem mulieres, ſeptem videlicet
B gratiæ ſpirituales, flebili voce queruntur dicentes: ***Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.*** Ab initio genus humanum circuivimus, patriarchas, iuſtos, & prophetas inſpeximus: ***omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad te unum:*** in te ergo requieſcimus. ***Invocetur*** itaque ***nomen tuum ſuper nos: aufer opprobrium noſtrum.*** Tu es quem ſemper optavimus, tu, de quo in organis noſtris cantavimus: ***Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.*** Nos radicem confovimus: nos virgulam eduximus: nos parturientem adumbravimus, nos florem produximus: iure ergo in eo requieſcimus. Hæ ſeptem mulieres, ſeptiformis eſt ſpiritus: qui diverſis
C in donis dividens ea pro arbitrio ſingulis, in ſeipſo idē ſemper manet & indiviſus. Quod verò nullo indigeat, nullus eſt fidelium, qui ambigat. Hoc ſolum poſtulat, vt invocatio nominis Chriſti opprobrium ſuum de medio auferat: vt æterni tabernaculi vaſa aſperſione ſanguinis eius mundata, digna exiſtant, quibus gratiarum ſuarum benedictionem infundat. Deſcendente igitur in Iordanem Domino, deſcendit & ſpiritus de cœlo: & in eius pectore eo fiducialius requieſcit, quò nihil in eo quod quieſcentem turbet invenit. Sed quid eſt quòd nunc in eum deſcendiſſe cernitur: à quo ab ipſa conceptionis hora nunquam receſſiſſe creditur? Nunquid nunc primum templum ſuum viſitat, quod in vtero virginali dedicaverat? Quod ergo corporali ſpecie Spiritus ſanctus ſuper baptizatum dominum apparuit, fidem noſtram inſtruit: baptizatis videlicet in Chriſto cœleſtia reſerari, & per acceptam Spiritus ſancti gratiam, in filios Dei adoptari. Per ſpiritum
D enim datur peccatorum remiſſio, per ſpiritum filiorum adoptio: ita teſtificante ad Romanos Apoſtolo: ***Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus, Abba pater. Ipſe enim ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro: quod ſumus filij Dei.*** Deſcendente itaque Spiritu ſancto ac manente ſuper Dominum, ne imperfectum remaneret fidei noſtræ ſacramentum, patris quoque adeſſe præſentiam, vocis auditæ indicat teſtimonium. Audita eſt enim vox paterna, & verè paterna, vox pia pietatis nuncia, quæ veterem ſententiam damnaret, & novam gratiam ſubrogaret: ***Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.*** O novum, ô inauditum de homine Dei patris teſtimonium! Multiplicata quondam malicia hominum, quando omnis caro viam ſuam corruperat, & cuncta cogitatio cordis omni tempore ad malum intenta erat: ***delebo***, ait Dominus, ***dolore cordis tactus intrinſecus, delebo hominem, quem creavi à facie terræ: pœnitet enim me feciſſe eos.*** Digna quidem & iuſta in reum iuſti iudicis ſententia: ſed lugenda miſero homini tam pij conditoris ſuper

E conditione ſua pœnitentia. Nunc autem in Iordanis alueo, hominem illum intuens, ſuper quo divinam providentiam nunquam pœnitet, blanda ſuper eum voce inſonat: eumque tam ex amoris & ſanctimoniæ quàm ex dignitatis privilegio commendat. Commendat enim eum ex dignitate filij adorandum, ex ſingulari amoris ſui privilegio venerandum: atque ex ſpeciali ſanctitate, in qua Deo patri ſemper bene placuit imitandum. ***Hic eſt***, inquit, ***filius meus dilectus, in quo bene complacui.*** Ecce quid nobis ſacramentum baptiſmatis, ecce quid contulit dignitatis, gratiæ & vtilitatis. Dignitatis, vt nos in filios Deus pater adoptet: gratiæ, vt paterna adoptatos charitate foveat atque ſanctificet: vtilitatis, vt ſanctificatos ita de virtute in virtutem provehat: vt ex nobis ipſe ſibi ſemper bene complaceat. Recordemur itaque quid fuerimus, intueamur quid ſimus, & ex his facile colligemus, quid per gratiam Dei adepti ſimus. Sed vtinam vel neſcire liceat, vel non iterare libeat, quod fuimus & dignitatem adoptionis filiorum
F Dei, quam nos adeptos eſſe gloriamur, morum dignitate defendamus. Rebelles Deo fuimus, mandati eius prævaricatores facti ſumus: & ex ſententia damnationis noſtræ paradiſi exules conſtituti, hoſti antiquo ludibrio habiti ſumus. Et re vera quod maius poterat eſſe hoſtis antiqui ludibrium, & generis noſtri improperium, quàm vt fortitudinem noſtram, ſicut ſupra memoravimus quaſi nidum ſuperba manu detraheret, nec in nobis eſſet qui vel pennam moveret, & aperto ore ganniret? Nec poterat ſemel moto pede nutabundo greſſu imbecillitas humana, in lubrico illo peccati ſubſiſtere: ſed diabolo quotidie ad deteriora propellente, eò devoluta eſt, vt ***inſipiens in corde ſuo non eſt Deus diceret:*** & ignorantiæ ſuæ tenebris obcæcatus homo, ligno & lapidi genua flecteret. Proh pudor. Rationalem hominem inſenſibili ligno cervicem inclinare, & lapidem, qui ſe adorari neſciat, adorare. Proh pudor.
G Ab illo auxilium petere, qui ſibi auxiliari neſciebat: eumque ſuper ſtatu ſuo conſulere, qui niſi clavis confixus ſtare non poterat. Vbi erat tunc ô homo dignitas conditionis tuæ? Vbi ſplendor imaginis divina tibi manu impreſſæ? Quomodo immemor factus es poteſtatis tuæ? Quomodo irrationabilibus tam degeneri ſervitute ſubeſſe voluiſti, quibus & nobilitate conditionis & moderamine rationis dominari debueras? Quomodo, qui ad imaginem Dei factus eras, imaginem canis & ſerpentis adorabas? Tales de radice illa putrida paternæ corruptionis pullulavimus: tale lac de vbere matris gentilitatis ſuximus: ita à patre diabolo edocti ſumus. Sed ubi verum patrem audivimus inclamantem, ***Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum***, ubi Deum patrem agnovimus, in filios Dei adoptati ſumus. Non improperat revertentibus benigniſſimus pater ſpurcitiam idolorum, non ſiliquas porcorum, ſed paterna charitate commotus, in
H amplexus ruit, & in ſignum reconciliationis, oſculum pacis porrigit. Deputantur nobis tanquam filiis ſervorum miniſteria, exhibentur in ornamentum noſtrum omnia, ſtola, anulus, calciamenta, paternæ nobilitatis inſignia. Priſtinæ dignitatis locus reſtituitur, & pro exaltatione noſtra feſtum congaudentibus amicis convivium inſtruitur. Quis tantæ pietatis viſcera non obſtupeſcat? Quæ cordis humani duricia hoc igne conflagrata non liqueſcat? Quis enim dives ac præpotens, ſeruum ſuum natalibus degenerem, vita infamem, adoptare ſibi dignetur in filium? Et quid magnum, ſi homo hominem, mortalis mortalem, corruptibilis corruptibilem adoptet in filium? Cùm verò Deus hominem, omnipotens infirmum, æternus temporalem, tam degenerem, tamque indignum adoptat in filium, quis dignè miretur, quis dignè prædicet: quis condignam adoptanti ſe debitæ ſervitutis, ne dicam dilectionis viciſſitudinem recompenſet? Ego enim, vt loquar quod ſentio, gratiam iſtam per veſtigia ſua anhelo perſequens curſu, apprehendere nequeo: ſed quo magis,

magiſque propinquo, cò clarius, quia incomprehenſibilis ſit aſpicio. Sed & hoc conſiderandum in his pietatis nominibus, quòd ille ſummè bonus, ſummé que pius, blanditiis maluerit ſpontaneos invitare, quam minis ac terroribus invitos cogere: dum ſe patrem, ſe nutritorem, ſe matrem, & gallinam appellat: nos filios, nos parvulos, nos pullos ex affectu pietatis nominans. Loquitur quodam loco dominus ad Hieruſalem: tanquam ſi parvulo filio blandiatur pater benigniſſimus. *Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum: ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Et ſi fieri poteſt, ait, ut mulier calcato iure naturæ, & neglecta pietate, ad viſcera ſua non moveatur, nec filio uteri ſui miſereatur: nullo tamen pacto fieri poteſt, ut ego, qui naturæ ſum conditor, obliviſcar eorum, quos condidi. Invenies & alia quam plura in ſcripturis ſanctis his ſimilia: quibus addiſcere poteris mirum in creaturam ſuam piiſſimi creatoris affectum. Quocirca, ó homo, tot ac tantis beneficiis, & ex ipſo commonitus nomine pietatis, ſtatage collatam tibi moribus adornare dignitatem: ne ſi vacua in te fuerit & otioſa, ſit & infructuoſa. Conſidera diligenter quanto labore deſudent homines, quanto ſtudio, quanto demum non ipſius vitæ tantum, ſed & animæ periculo, ut temporalia adipiſcantur, & peritura congregent, ubi diu permanere non poſſunt, nec quæ poſſidentur, nec qui poſſideat. Pudeat itaque filium regni, minoris ſtudij in retinenda adoptionis ſuæ gloria inveniri: quam filium perditionis in coacervandis perituris, & cumulandis ſibi ſuppliciis ſemper manſuris. Pudeat eum ſereniſſimum illum patris ſui vultum vel leviter contriſtare: qui in tantam dignatus eſt eum gloriam adoptare. Pudeat, inquam, eum incomparabiles paternæ menſæ delicias deſerere: & os paterno oſculo ſanctificatum immundis porcorum ſiliquis polluere. Cogitet ſemper magnitudinem paternæ dilectionis: reformidet quoque, ſi ingratus repertus fuerit, intolerandam ſeveritatem paternæ indignationis. Appendat ante oculos exigui laboris inæſtimabile præmium: & è contrario momentaneæ voluptatis ineluctabile ſupplicium. Timeat tremendi iudicij futuram diſcuſſionem: in qua cum memorata fuerint prærogatæ nobis dona pietatis, diſtricta animadverſione exigendum eſt à nobis, & debitum condignæ ſervitutis. Commemorabuntur ante tribunal iudicis dignitas conditionis, gloria divinæ ſimilitudinis: charitas redemptionis, effuſio pretioſi ſanguinis: adoptio filiorum, promiſſa beatitudo regni cœlorum. Commemorabuntur & ad implenda præcepta collata ſubſidia: hoſtis imbecillitas, noſtra deſidia. O quanta tunc erit confuſio trepidante conſcientia: heu quàm amara, heu quàm ſera, heu quàm infructuoſa tunc erit de præterito torpore pœnitentia! O ſi modo liceret vultum illum confuſionis noſtræ inſpicere: ó ſi modo liberet diſtrictionem illam emendatiore vita mitigare. Tunc accuſante conſcientia, nullus erit excuſator, nunc correcta vita, nullus tunc invenietur accuſator. Vos igitur genus electum, progenies ſancta, ſtirps regia, vt filij Dei, ut filij chariſſimi, dignè Deo, dignè tanto patre converſamini: ut tunc læti eum ſicut patrem excipiatis, cui nunc filiali affectu deſervitis. Non eſt filiorum adveniente patre trepidare aut latebras quærere, ſed exultante ſpiritu certatim in occurſum ruere: ſingulos vt primus ipſe occurrat anhelare, cupidè amplecti, affectuoſiſſimè deoſculari: atque immenſum de dulciſſimi patris adventu gaudium, occurſu, geſtu, plauſu, oſculis, atque amplexu teſtari. Tales filios, tam pios, tam devotos, tam ſedulos, benigniſſimus, ac ſereniſſimus pater, paterna hilaritate excipit: & in unum innumeros amplexum, inflexis latius ulnis colligit: dulcéſque filios ad ſacratiſſimum pectus eſt aſtringens, blanda manu, blandóque affatu demulcet. Nunc filij mei, nunc chariſſimi mei, nunc benedicti patris mei, gloria regni mei mecum perfruimini: nunc adoptionis veſtræ quanta ſit dignitas agnoſcite: & quæ flendo ſeminaſtis, gaudentes metite. Iam laboris veſtri & luctus tempora curſore velocius abierunt: ſed refrigerij veſtri & gaudij tempora me manente, abire non poterunt. Quia igitur hilariter impleſtis, quæ præcepi: percipite liberaliter quæ promiſi. In illa die divini vultus ſplendore illuſtratus homo, agnoſcere poterit, Gratia Dei quæ & quanta circa ſe fuerit. Et quoniam nihil in ſe dignum tanta largitate inveniet, æternas largitori gratias referet, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

PRÆFATIO
in Librum decimum.

Arduum eſt atque laborioſum iter virtutum: nec facile à quoquam hominum ſcanditur, niſi gratia de qua loquimur, greſſus aſcendentis dirigatur. Unde & ego utroque penè pede claudus, in hunc altiſſimum non dicam montem, ſed montem montium conſcendere iuſſus, difficultate rei territus, valde trepido: quia & ſi glorioſum eſt ad ſumma contendere, ignominioſum ſatis eſt inefficaci greſſu deorſum ruere. Non eſt difficile per plana quemlibet incedere: ubi nec anxiè anhelat qui graditur, nec penitus conteri formidat, qui labitur. Cum vero ſicut, quod in limine libelli pendet, edictum obedientia continet, de ſacramentis corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti iubeor diſſerere, cogor ipſum fidei noſtræ verticem aſcendere: quo aſcenſu nihil expertus ſum laborioſius, nec caſu quicquam periculoſius. Et qui ad radicem montis, deſcenſum & attactum pij medici cum leproſo operior, cogor cum Ioanne & Iacobo excelſa ſubito conſcendere, & ſquamis cœcitatis meæ nondum detractis, transfigurati domini gloriam contemplari. Sed hoc ſolum habeo in difficultate operis huius ſolatium, quòd ad hoc temerario nequaquam auſu proſilui: ſed impellente obedientia, neceſſitate compulſus ſum tentare, ſi fortè queam inoffenſo pede fidei præeuntis gratiæ veſtigia ſequi. Melius enim arbitratus ſum quamvis infirmo greſſu pedetentim progredi, quam nec tentando, quæ iuſſa ſunt, inobediens inveniri. Ea igitur quæ reſtant, ipſo qui iuſſit opitulante aggrediamur.

LIBER DECIMUS.

DOMINUS noſter IESUS-CHRISTUS ſciens radicem ſuperbiæ ab humano genere, niſi per manum cœleſtis agricolæ extirpari non poſſe, ſarculo verbi ubique eam perſequitur, ne ſi hæc effoſſa non fuerit, de veneno radicis, omnis fructus corrumpatur, & quod ſana radice ſalubre eſſe poterat, corrupta, mortiferum fiat. Sciens itaque humanum animum gloriæ cupidum, & in tantum altiora ſe quærere, vt & ipſius gratiæ Dei dona interdum ſibi velit aſcribere: noxio tumori emplaſtrum humilitatis imponit: humiliandum docens, qui ſe exaltaverit, & è contrario exaltandum, qui ſe humiliaverit. In tantum autem divina beneficia ad laudem Dei cenſet eſſe referenda: ut doctrinam ſuam non ſuam eſſe aſſerat, & nihil a ſeipſo ſe poſſe, humili aſſertione perhibeat. Quod ſi Dei virtus, & Dei ſapientia doctrinæ atque operis ſui gloriam Deo patri aſſignat: quantò magis humana imbecillitas? Si vitis radicis ſuæ pinguedinem irrigatori Deo tribuit: quantò magis palmites? Quid enim palmes haberet: niſi ut ita dixerim, de amplexu radicis, ſecreto quodam naturæ utero gemmam conciperet, & vuam pareret? *Ego ſum*, inquit, *vitis, vos palmites. Sicut palmes non poteſt fructum facere, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Ad hoc enim cœleſtis agricola palmitem inſerit, ad hoc ſubigit, ad hoc fodit,

A ad hoc colit; ut radici inhæreat, & unum cum radice fiat: ut de radice vivat, de radice fructum afferat, & fructum, qui maneat: gloriam tamen totius fructus vitæ retineat. Tunc enim vere vivit: quando humiliter agnoſcit, de quo vivit. Vt ergo peſſimam illam ſuperbiæ radicem de agro cordis noſtri pius cultor extirpet: *mea*, inquit, *doctrina non eſt mea*,&c, *non poſſum ego a me ipſo facere quicquam.* Et cum Corozaim, Bethſaidæ, Capharnao civitatibus, in quibus frequenter docuerat, & virtutes multas fecerat, obſtinatæ mentis duritiam, & incredulitatis ſuæ perfidiam exprobraſſet, Tyro & Sydon, ac terræ Sodomorum in die iudicij remiſſius eſſe futurum pronuncians: de fide Apoſtolorum atque credentium ita patrem glorificat: *Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita pater: quoniam ſic placitum fuit ante te.* Et vide, quomodo ubique gratiam commendet: ubique gloriam patris prædicet. *Confiteor*, inquit, *tibi pater, Domine cœli & terræ.* Nihil ſibi de fide credentium aſſignat, nihil de B inventione diſcipulorum ſibi arrogat: qui elegerat, qui vocaverat, qui inſtituerat, qui iuſtificaverat. Ipſe vaſa iræ diſcernit à vaſis miſericordiæ: ipſe alios, atque alios, in illud, atque illud miniſterij ſui opus diſtribuit, duodecim ſpeciali gratia eligit, quos & ſeorſum familiarius inſtruit, foris parabolas turbis proponit, domi diſcipulis propoſita diſſerit. Nec tamen quicquam horum ſibi tribuens, ſed ad gloriam patris omnia referens, pro abiectione ſuperborum atque electione humilium, gratias agit dicens: *Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Diligens lector diligenter attende, quomodo Dei unigenitus æterno patri coæternus, cum quo illi una ſubſtantia, eadem eſt gloria, unum, idemque conſilium, opúſque indiviſum, quomodo ad ſolius patris gloriam omnia ſua referat: ut te purum hominem, infirmum, & impotentem doceat, quò tu omnia, ſi tamen Deo digna fuerint, referre debeas. Nec enim ait abſcondimus hæc, & revelavimus: C ſed *abſcondiſti & revelaſti.* Ac ſi diceret: Ego vocavi, tu inſpiraſti: ego librum tenui, tu aperuiſti: ego legem propoſui, tu expoſuiſti: ego inſonui auribus, tu cordibus. O gratia, ô pietas, ô prudentia. Sic ſic ægro ſuo pius medicus conſulit, ita humores noxios per membra diffuſos, ſalutari cathartico decoquit: ut & ipſum fontem venena manantem exſiccare contendat, & cauſas atque origines morbi, quod in ipſo eſt, de medio auferat; ne ſi rurſus antiqua venena fons ebullire incipiat, ipſe & laboris ſui induſtriam & impenſas perdat. Ex hac ergo Domini noſtri confeſſione, amator gratiæ diſcat, quomodo, & cui confiteri debeat: & quantum in ſingulis quibúſque boni invenerit, tantam & in ſingulis gratiam Dei eſſe noverit. Nam quanta in ſe ipſa ſit, nemo unquam quantolibet ſenſus acumine inveſtigare poterit, niſi qui fortè, quantus ſit immenſus, menſus fuerit. Item de quinque panibus, quinque millia: & de ſeptem, quatuor D millia refecturus, accipiens panes in manibus, gratias egit: benedixit, ac fregit, & turbis erogandos diſcipulis tradidit. Miraculum facturus, primum quidem gratias agit de tradita ſibi poteſtate: ac ſic demum accepta poteſtate utitur in miraculi exhibitione Tanta autem poſt gratiarum actionem ſubſecuta eſt ubertas benedictionis, ut de paucis panibus, tot millibus ſaturatis, fragmenta quæ ſupererant, in duodecim & ſeptem cophinos exuberarent. Et miranda in hac turbæ refectione diſpenſatio gratiæ: quomodo alij panibus hordeaceis, alij reficiantur triticeis. Sed valde plus miranda in refectione verbi, cuius typum præferebant panes illi, diviſio gratiarum: quomodo idem verbum pro palato & guſtu comedentium, aliis hordeum, aliis ſapiat triticum. Eſt enim hordeum palea groſſius, guſtu auſterius, cibus ſervorum, pabulum iumentorum: triticum verò medulla mollius, guſtu ſuavius, menſæ infertur dominorum. Qui ergo adhuc ſpiritu ſervitutis, & timore ſervili domino ſerviunt: guſtum hordei in verbo Dei inveniunt. Qui verò ſpiritu charitatis Domino deſerviunt, & timore caſto, qui permanet in ſæculum ſæculi, Deum diligunt, longe alium guſtum, melle & favo dulciorem de verbo Dei eliciunt. Mira igitur & ineffabili verbi ſuavitate refecti, duritiam hordei, & cibum ſervilem, tanquam liberi, tanquam filij ac delicati, ſtomacho nauſeante reiiciunt: & deguſtatam ſemel dulcedinem inſatiabili gutture ruminantes, & verbum bonum corde iocundo eructantes, læti concinunt: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel & favum ori meo.* Eſt & aliud de verbo Dei, quod adhuc amplius miror, quod idem verbum quaſi nullum interdum ſaporis ſui guſtum legenti aut pſallenti generat: interdum verò omnem mellis dulcedinem guſtatum ſuperat. Sæpe namque tanta melliſluæ ſuavitatis abundantia exuberat, ut animæ ſitienti, atque æſtu deſiderij ſui torridæ inſtar torrentis influat, totúmque poſt ſe hominem pia quadam violentia trahat: ut plerumque homo toto ad cœleſtia animo ſuſpenſus, atque in oblivionem ſui à verbo Dei abductus, nihil præter eum cuius amore paſcitur cogitet. Tunc pallio terrenæ ſollicitudinis reiecto, curru cum Helia ſublevatur igneo: & in eo verè completur, quod de Enoch ſcribitur, *& non inveniebatur, quia tranſtulit eum Deus.* Qui enim alis ſancti deſiderij libero ad cœleſtia volatu ſuſtollitur, in fæcibus terrenis, à Deo tranſlatus, non invenitur: ſed quò magis in puriſſimo æthere aſſueſcit, eò amplius cœnoſas ac fœtentes terræ paludes horreſcit. Cum verò neceſſitate carnis more aquilæ ad terrena deſcendere cogitur, tunc verè peregrinum ſe eſſe lamentatur: tunc gemitus rumpunt, tunc ſuſpiria pectus quatiunt, tunc lachrymarum imbres profluunt: & defectû corruptionis ſuæ affectus, non tam cantat, quam gemebundus eiulat. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata eſt anima mea.* Sed quòd hac dulcedine homo pro voto non fruitur, nec ſemper eam in verbo Dei invenit, frequenter ex vitio palati interioris, & pœna præteriti torporis accidit: nonnunquam verò ex diſpenſatione gratiæ Dei, mirabiliter omnia diſpenſantis provenit. Siquidem ſi pro voto ſemper adeſſet, tanto eam deſiderio homo non quæreret: aut forte, quod pernicioſius eſt, domeſtica ſibi præſumptione deceptus, laboris ſui fructum, & non Dei donum crederet. Novit autem Dominus quomodo dona ſua diſpenſet, quid cui & quando eroget: ſicque talentum verbi inter ſervos ſecundum virtutem cuiuſque dividit, ut lucro neminem vacare velit. His de panibus myſticis, pro loco & modo ingenioli noſtri diſſertis, ad panem verum qui de cœlo deſcendit tranſeamus: ipſum toto cordis affectu obſecrantes, ut de ſe ſcribenti inolita bonitate adeſſe dignetur: ut ipſo inſpirante ſe digna & legentibus ſcribam proficua. Inſtituto itaque ſacroſanctæ cœnæ convivio, vbi legalibus cæremoniis celebrato paſcha typico, finem impoſuit, verum & æternum paſcha veri agni oblatione ſubſtituit: in cuius immolatione charitas ipſa & gratia de qua agimus, oculis noſtris quaſi viſibiliter ſe contuendam exhibuit. *Maiorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Si autem animam ponere pro amicis, tam magna eſt charitas, ut maior eſſe non poſſet: quæ & qualis, aut quanta eſt charitas, animam ponere pro inimicis? Nam cum pro amicis anima ponitur, viciſſitudo amicitiæ redditur. Cùm vero pro inimicis anima ponitur: rectè charitas, rectè gratia vocatur. *Commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis*, ait Apoſtolus: *Quoniam cum adhuc peccatores*, & inimici eſſemus, *Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Hæc eſt commendatio illius immenſæ, & Deo dignæ charitatis. Hæc eſt oſtenſio gratiæ inſcrutabilis, cum pro peccatoribus gratuita bonitate Chriſtus moritur: cùm filius Dei oſtentui habetur, & iniuriis hominum Deus exponitur. Typici itaque agni carnibus abſumptis, & legalibus, ut

A dixi cæremoniis conſummatis, verus ipſe agnus, *qui tollit peccatum mundi*, accepit panem in manibus: & benedicens ac frangens, diſcipulis in hæc verba tradidit: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Paſtor bonus pro ovibus ſuis animam poſiturus, atque diſpenſationis ſuæ curſu expleto, ac redemptionis noſtræ myſterio completo, ad patrem rediturus, quia gregi ſuo indiſſolubili vinculo charitatis connexus erat: nec præſentia corporali diu ab eo abeſſe poterat. Qui ergo maternam carnem aſſumpſit in manibus, & aſſumptam redemptionis noſtræ convertit in opus, eadem verbi potentia aſſumit panem in manibus, & divinæ benedictionis ac verbi, quod ipſe eſt effectu vertit in corpus ſuum, ſalutis noſtræ ſacramentum. Frangit autem panem, tanquam poteſtatem habens ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Licet enim perſecutor comprehendat, liget, cædat, irrideat, B conſpuat, crucifigat: ipſe eſt, qui panem frangit, ipſe, qui myſterium paſſionis peragit. Niſi enim panem ipſe frangeret, niſi Iudæ tradendi, Iudæis crucifigendi poteſtatem permitteret: inaniter iſte inſidias tenderet, inaniter illi manus extenderent. Nempe dicente Pilato: *Neſcis quia poteſtatem habeo dimittere te, & poteſtatem habeo crucifigere te*, ut oſtenderet poteſtatem hanc conceſſam eſſe, non propriam, *Non haberes*, inquit, *in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Hoc ipſum & ad miniſtros, qui ad comprehendendum ſe venerant, rebus loquitur: cum verbo uno, & blando, dicendo, *Quem quæritis*, ſævientes in terram deiicit. Frumentum ergo Evangelicum, Iudæorum manibus molitur, igne paſſionis coquitur: & verbum vitæ panis vivus effectum, vitale fidelibus efficitur alimentum. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit diſcipulis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic ſanguis meus novi teſtamenti: qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* C *Accipiens calicem gratias egit.* Vbique gratias agit, ubique ad agendas Deo gratias nos inſtruit, maximè tamen in articulo paſſionis: ubi quanto magis ex infirmitate ſua caro nutat ac trepidat, tanto magis manu divinæ conſolationis indiget, quæ nutantem ſuſtentet. *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, ait conditor & cognitor carnis & ſpiritus. Quia igitur infirmitatem noſtram novit, qui nos condidit, fortique & armato, niſi fortiore nos protegente, fragiles & inermes non poſſe reſiſtere: contra implacabile hoſtis antiqui odium, panis quotidiani inexpugnabile nobis contulit præſidium. Novit Dominus adverſarium noſtrum felle invidiæ ab antiquo infectum, infatigabili adverſum nos malitia ſævire: nec poſſe inter diſcordantes abſque detrimento ſalutis noſtræ fœdus aliquod intervenire. Novit etiam pius inſpector cordium iter corruptionis noſtræ tenebroſum eſſe & lubricum: nec illæſum pertranſire poſſe quemquam hominum. Quia igitur quotidie periclitamur, quotidie labimur, quotidie ægrotamus, quotidia- D nam ſui in myſterio corporis & ſanguinis ſui dignatus eſt nobis exhibere præſentiam: qua liberemur, qua erigamur, qua convaleſcamus. Et quia panis cor hominis confirmat, vinum quoque lætificat: rectè in panis ac vini ſpecie celebrandum inſtituit myſterium paſſionis ſuæ: Ipſe eſt enim verus panis, qui corda fidelium confirmat, ne in ſolitudine hac vaſta deficiant: qui famem mortis præviam fugat, qui deſiderium noſtrum in bonis ſatiat, non ſatietate pœnali quæ cruciat, & faſtidium generat: ſed ſatietate, quæ vires ſemper recreat, & faſtidium nunquam creat. Cibus enim iſte, de quo ait: *Caro mea verè eſt cibus*, verè eſt mirabilis, & eſus cibi huius inſatiabilis: qui quò magis ſumitur, eò magis eſuritur: & quantò edentem plus ſatiat, tantò eſurientem ad edendum amplius incitat. Non eſt autem alius calix calici Domini ſimilis, qui ſic bibentem divina & inenarrabili iocunditate lætificat, ut omnem priſtini doloris memoriam abſorbeat. Non ſolum autem, ſed & bibentem ita ingenita ſibi ſuavitate inebriat, vt eum in exceſ-

E ſum mentis mittat, adeò ut patri & matri, Neſcio vos dicat, vt ſemetipſum ſibi abneget, & quodammodo ſe ipſum neſciat: ut quam frequenter ingreſſus eſt viam ſeculi, non videat: & vacillantes præ ebrietate greſſus, in lubrico amore immundi mundi figere iam non valeat, imo iam non libeat. Sic ſic, imò longè aliter, quia & ineffabiliter panis Chriſti, qui eſt verè caro eius, fidelium corda confirmat: ſic calix Domini, qui eſt verè ſanguis eius, bibentium corda lætificat. Et aptè quidem in his ſpeciebus myſterium redemptionis noſtræ recolitur, in quibus vnum aliquid ex multis efficitur. Ex multis enim granis panis efficitur, & ex multis acinis vinum exprimitur. In tantam namque unionem grana contrita, conſperſa, atque compacta conveniunt, & ita unum omnia fiunt, ut granum à grano diſcernere nequeas: & quid cuius fuerit, non viſus, non tactus, non guſtus indicio deprehendere valeas. Aſperitate enim paleæ cribri iudicio diſcuſſa, ita in eandem ſpeciem, in eundem ſaporem, atque in eandem omnia tranſeunt lenitatem, ut nihil in ſpecie appareat diſſimile, nihil in guſtu ſibi ſapiat contrarium, nihil in tactu à ſeipſo ſentiatur diverſum. F Si ergo ita uniuntur atque individua fiunt, quæ de terra oriuntur, quanto magis ea quæ de grano Evangelico & ſemine divinæ benedictionis naſcuntur. Ad hoc enim granum illud Evangelicum in terram cecidit, vt mortuum in altum radices mitteret, atque in totam mundi latitudinem extenderet, & quod ſolum ceciderat, fide gentium multiplicatum ſurgeret. Hoc itaque granum mola paſſionis tritum, & fide populorum velut aqua conſperſum, tam indiſſolubili nobis affectu charitatis unitum eſt, ut ex multis granis unus panis fieret, & ex membris ſingulis capiti ſuo eiuſdem charitatis compage cohærentibus, unum corpus. Propter hoc, vt ſcriptura ait, factus homo patrem & matrem reliquit, & uxori ſuæ adhæſit, vt eſſent duo in carne una, ſponſus & ſponſa, Chriſtus & Eccleſia. G Patrem quippe reliquit, quando minoratus paulò minus ab angelis ſemetipſum exinanivit, quando traditus non egrediebatur, patiens non comminabatur, intra infirmitatis noſtræ clauſtra ſe continens, & paternæ virtutis potentiam non exuens. Reliquit & matrem, matrem carne non ſpiritu ſynagogam: mater enim carnis, caro: mater verbi, fides: quæ quia non agnovit, quem genuit, & quem prædixit non credidit: maternæ pietatis & affectum perdidit & vocabulum. Adhæſit autem uxori ſuæ congregatæ de gentibus Eccleſiæ: quæ quia invitanti ſponſo dotem fidei exhibuit, & unius ſpiritus & unius carnis conſortium meruit. Similis & in vino conſideranda eſt unitatis communio, quod ex multis acinis in unum liquorem torculari premente confluit. Et pulchrè in his memoria Dominicæ paſſionis agitur, quorum utrumque quodammodo patitur, teritur, H premitur: quia ſicut grana teruntur, ut panis fiat: ſic & uvæ calcantur, ut vinum fluat. *Omnes* enim, *qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu*, ait Apoſtolus, *perſecutionem patiuntur.* Et beato Petro teſtante, ad hoc Chriſtus paſſus eſt, ut præcedens veſtigia paſſionis imprimeret, quæ nos ſequentes, & patienti compatientes, per aſperum iter paſſionis perveniamus ad iocunditatem reſurrectionis. Quem ergo ſuavis guſtus vini huius demulcet, preſſuram torcularis non recuſet. Ideo & aqua in myſterio noſtri vino miſcetur: & ſic ſacrificium acceptabile Deo offertur, quia tunc gratam Deo paſſionis Chriſti hoſtiam immolamus, quando & ipſi paſſionibus eius ſimul patiendo communicamus. Cùm enim Dominus noſter corpus ſuum & ſanguinem in myſterio panis & vini ſumendum diſcipulis traderet, mandatum dedit, ut hoc frequentius in ſui commemorationem agerent. Tunc enim dignè offerimus, tunc dignè ſumimus, cùm multitudinem & magnitudinem charitatis eius in offerendo & ſumendo recolimus, & ſimilia pro eo ipſo largiente pati nequaquam ſubterfugimus.

In huius vini quod de torculari crucis ſtillat typum, de terra repromiſſionis duo exploratorum in vecte deferunt botrum, in cuius mira magnitudine & miranda ſuavitate repromiſſæ ſibi hæreditatis uberrimos atque dulciſſimos fructus populus prægustaret. Duo namque viri in vecte botrum deferunt, quia duo, ut & alia utar ſimilitudine, parietes in unum angularem lapidem conveniunt, & de utroque populo, Iudæorum ſcilicet & gentium, exploratores & prædicatores electi myſterium crucis & potentiam in cruce pendentis circumferunt. In cuius infinita magnitudine, *magnus* enim *Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt numerus*, & inenarrabili ſuavitate, futuræ beatitudinis dulcedinem, in quantum corruptionis noſtræ amaritudo admittit, prægustamus. In cuius ſiquidem mellifluo, vt ita dixerim, quia longè minus eſt, quicquid dixero, in eius itaque mellifluo affectu deguſtamus terram repromiſſionis noſtræ, verè rivis mellis & lactis fluere, & omnes fructus terræ noſtræ eandem ſemper dulcedinem ſapere. Ideo & Propheta, qui hæc deguſtaverat, ſeipſum conſolans, lætabundus decantat: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et eleganti ſatis ſimilitudine utrunque myſterium lapidis & botri ſibi reſpondet: quia ſicut lapis angularis utrunque parietem è diverſo venientem medius continet, ſic & utrunque portitorem præeuntem ſcilicet & ſubſequentem, iungit botrus, qui medius pendet. Sed ſunt aliqui qui viſibilem ſacroſancti myſterij ſpeciem, dum attentius attendunt, in veritate ipſa fide caligant: hæſitantes quomodo manente priſtino panis & vini ſapore & ſpecie, in ſubſtantiam carnis & ſanguinis Chriſti, poſſit ſubſtantia panis & vini, alia in aliam tranſire. Sed huic infirmitati fidei facilè poteſt mederi conſideratio omnipotentiæ Dei, quòd non ſit omnipotenti impoſſibile aut difficile creaturarum ſuarum, aliam in aliam pro placito ſuo transformare, qui omnia ex nihilo potuit verbo creare. Vt enim quiddam de uſu noſtro loquar, non de Dei potentia, Deo enim omnia æqualiter ſunt poſſibilia, facilius eſt, in eam quam voluerit formam transformare quod eſt, quàm ex nihilo formare quod non eſt. Nunquid abbreviata eſt manus Domini, vt non poſſit ſalvare? Nunquid qui cœlum & terram verbo creavit hominis in ſervitutem: non valet minimam panis & vini portionem in verum corpus ſuum convertere hominis ad ſalutem? Ne ergo fluctuet de veritate corporis Chriſti fides Chriſtiani pectoris, ne & fruſtra portet nomen Chriſtianæ profeſſionis, & fruſtra celebret ſacramenta divinæ religionis. *Sine fide* enim *impoſſibile eſt placere Deo.* Nam licet Eccleſiam quis intret, Eccleſiaſticis ſacramentis participet, ad ſolemnem orationem amen reſpondeat: otioſè imò pernicioſè hæc agit, ſi fidem eorum quæ geruntur, non habeat. Stultitiæ autem proximum eſt, omnia fidei noſtræ ſacramenta, & divinæ virtutis opera, infirmis humanæ ſapientiæ ratiocinationibus velle diſcutere, & omnipotentiam Dei intra anguſtias impoſſibilitatis noſtræ includere. Omnia enim divinæ virtutis opera humano intellectu velle comprehendere, quid aliud dixerim, quàm Deum homini componere, ut ille non poſſit, quod iſte non intelligit? Et unde tantum eſſet fidei meritum: ſi per ſingula humanæ conſuetudinis haberet experimentum? Sed Chriſtiana ſobrietas magis vult audita piè credere, quàm impia in Deum verbis eius non credendo exiſtere. Habet autem fidei ſuæ præmium, ipſum cui credidit Deum. Magnum eſt ergo fidei Chriſtianæ meritum, cui tantum compenſatur præmium. His de ſacramento ſalutis noſtræ, non pro ſua maieſtate, ſed pro noſtra tenuitate diſcuſſis, qualiter hoc in memoriam Chriſti agere debeamus, prout ipſe donaverit paucis memoremus. Oportet itaque fideliter accedentem, & piè ſumentem, de ventre memoriæ cibum vitæ, tanquam mundum animal, ſurſum revocare, & opus pietatis piæ retractationis gutture ruminare. Memoret pius conviva Chriſti, qui ad menſam illam magnam conſedit, quibus charitatis vinculis de ſinu patris in uterum virginis Dei filius ſit abductus, quanto ſalutis noſtræ zelo Deus impaſſibilis & æternus ſit affectus, qui homo factus, paſſibilis & mortalis pro nobis eſt effectus. Memoret quomodo ſuppliciis noſtris innocens ſit addictus, quantis opprobriis, quantis iniuriis, quantis ſit pœnis afflictus. Memoret faciem illam, in quam deſiderant angeli proſpicere ſputis illitam, alapis cæſam, crucis ignominiam, fellis amaritudinem, & mortem felle amariorem. Recolat etiam pio compaſſionis affectu, acerrimam membrorum omnium innocentis agni in patibulo diſtenſionem, atque amariſſimam illam clavorum confixionem. Ad hæc omnia,& ſuper hæc omnia miretur ſpontaneam paſſionem, & immutabilem patientis manſuetudinem. Nec prætereat vulnus illud ſaluberrimum, ex quo vulnerum noſtrorum profluxit medicamentum. Aperto enim latere Domini iam mortui militis lancea, exivit ſanguis & aqua: ſanguis redemptionis, aqua baptiſmatis. De latere itaque mortui, vita prodiit: quia ad hoc in crucis lectulo ſoporatus eſt noſter Adam, ut Evam illam, quæ verè cunctorum viventium mater eſt, de latere ſuo produceret Eccleſiam. Hæc omnia quam piiſſimo poteſt cordis affectu memorans, ac tota ſpiritus contritione adorans, ad ſeipſum redeat, & de menſa illa magna tam dulcia charitatis fercula deguſtans, quid pro his Domino retribuat, ita ſecum conferat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et ſeipſum ad ſimilia exhortans, atque piis charitatis ſtimulis incitans, calicem votorum ſuorum Deo offerat, & de eius adiutorio ſpe indubitata præſumens, dicat: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Tunc namque myſterium paſſionis Chriſti in memoriam eius ſalubriter homo celebrat, quando ipſo opitulante ſimilia præparat, cum falſorum fratrum amariſſimo felle potatus ſuſtinet, cum iniuriis affectus, non dolet: irriſus, ridet, ſuppliciis attritus gaudet, & ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in corpore ſuo ſupplet. Hic de menſa Domini verè vitam comedit, hic de calice Domini verè vitam bibit, & ſecundum promiſſum eius, & ipſe in Chriſto, & Chriſtus vivit in ipſo: Huius charitatis amplitudinem, & huius gratiæ altitudinem, non eſt parvitatis noſtræ comprehendere: pium tamen eſt ad eam nos ſemper extendere. Studeamus itaque indeſinentes ei gratias agere, qui corpus ſuum vertit in cibum noſtrum, & ſanguinem ſuum in potum noſtrum, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

PRÆFATIO
in Librum undecimum.

IAm ubi ex confragoſis locis gratia Dei curſum noſtrum dirigente, ſalva ut credimus fidei navicula, ad tutiora evaſimus, faciliore lapſu ad ulteriora tendimus: nihilominus tamen ad eandem quam prævìam ſequimur gratiam, oculos intendimus. Is enim, qui in prora ad præcavenda pericula conſiſtit, ſi arridente æquore ſecurior redditus, oculos poſt tergum, anteriora negligens reflectit, navis ac rerum omnium, quas inter ſcopulos cautius agendo ſervaverat, in patenti ſæpè incurrit æquore diſpendium. Et ſæpè in portu incauto navis fune religata, ventorum turbine colliditur, & idipſum in portu religantis negligentia, quod & in mediis fluctibus violentia tempeſtatis perpetitur. Nunquam autem eſt in mari huius ſeculi tuta navigatio: quia etſi nonnunquam ventorum clementia aura ſit placidior, ſævus

tamen pirata diabolus perditionis noſtræ ſemper avidus, nullo unquam tempore ſit mitior. Sed rege noſtro in prora conſiſtente, crudelis tyrannus à facie maieſtatis eius reveritus, timet propius accedere; & per diverſa pavidus fugitans, non audet incurſare navigantes, niſi fortè dormiente fide noſtra, Chriſtus obdormierit, & negligentia noſtra clavo fidei perdito, ventus contrarius in impias ac ſanguinarias crudelis piratæ manus fluctuantem naviculam impulerit. Regis igitur noſtri præſidio fulti antennam crucis erigamus, ſinúmque cordis Spiritui ſancto expandamus: accepti operis curſum, in optatum littus Chriſto gubernante dirigamus.

LIBER VNDECIMVS.

PER totum huius operis textum illud vel maximè intendimus, ut gratiam Dei attentius commendemus: quod cùm à principio, & aſſertionibus & exemplis egerimus, in proximo tamen evidentius, ubi in ſacroſancta myſteria narrationis ordine incidentes de unitate Chriſti & Eccleſiæ, capitis atque membrorum, ſub exemplo granorum & acinorum diſſeruimus. Diximus enim, quod ſicut multa grana in unum compacta unum panem conficiunt, & multi acini in eundem liquorem confluunt: ſic multa membra capiti ſuo indiſſolubili compage cohærentia unum corpus efficiunt. Huius corporis caput Chriſtus eſt, membra verò capitis huius Eccleſia eius eſt. Hoc autem utriuſque naturæ, divinæ ſcilicet & humanæ, ſalutare commercium in ſacratiſſimo illo glorioſæ virginis utero eſt initum, ſed in prætorio crucis novo teſtamento ſanguinis Chriſti morte intercedente confirmatum. Fœlix commercium, in quo infirmitate virtutem, miſeria beatitudinem, mortalitate immortalitatem, homine Deum commutavimus. Omnium autem commutantium ille liberaliſſimus, qui vilia accepit, pretioſa reddidit: qui humana aſſumpſit, divina erogavit: qui hominem induit, Deo veſtivit: qui ſine peccato, peccati pœnam ſubiit, nóſque à peccato ſimul, & peccati pœna liberavit. Commercium ergo quod nobiſcum Dei filius iniit, ſanguinis ſui teſtamento confirmavit. Neque enim homo Deo coniungi potuiſſet, niſi paries qui inter Deum & hominem medius dividebat, de medio ceſſiſſet. Nec poterat durus & annoſus paries peccati, humana manu vel arte ſubrui: quia omni humana propagine ex traduce natura peccato obnoxia, nullus inveniri poterat inter homines, qui pro peccato hominis ſatisfaceret. Neceſſarius ergo erat homo, qui immunis eſſet à peccato: qui dum innocens peccati pœnam exolveret, peccatorum omnium in ſe cauſam ſuſciperet, & indebita pœna culpa deleta, facturam factori, hominem Deo, ipſe mediator Dei & hominum in ſeipſo coniungeret. Æſtimato igitur peccato totius mundi, pretio ſanguinis Chriſti ſuffoſſo fundamento delicti, paries inimicitiarum corruit, & à peccato homo liber, unum cum Deo gratia mediante factus eſt. Pro huius ſanctæ coniunctionis perſeverantia, caput pro membris, Chriſtus pro Apoſtolis ita patri ſupplicat. Reſpiciens enim in diſcipulos ſuos, *Pater*, inquit, *ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos.* Et paulò poſt: *Non pro his autem tantùm rogo, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ita & ipſi unum ſint in nobis, ut mundus credat, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint unum ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum.* Audi homo, audi vocem Dei tui, audi membrum, audi, & agnoſce affectum capitis tui. Pro homine ut homo poſtulat, ſed ut Deus poſtulata præſtat. *Vt ſint*, inquit, *unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum.* Vnicus in adoptivo, pater in vnico, ac per hoc, per unicum & pater in adoptivo. Hic eſt fructus orationis unici, conſummatio adoptivi. Non eſt autem alia aliqua forma conſummationis, quam in idipſum redintegratio univerſitatis, cùm in ipſum vniverſa ſe colligunt, à quo creata ſubſiſtunt, vt licet in membris ſingulis varietas ſit operationis, in compage tamen charitatis integra permaneat unitas corporis. Ita enim hæc unitas vera complectitur univerſa creatoris potentia, ita ſingulis alio atque alio modo illabitur, ut cùm omnia impleat, ipſa ſe non dividat, & cum ſingulis diſtribuat, ipſa plenitudinem ſuam non minuat: Ita etiam ab hac unitate omnia tanquam à capite ſe membra diffundunt, atque ita in ſuo ſingula quæque officio deſerviunt, ut nullatenus ab unitate capitis in ipſa etiam adminiſtrationis ſuæ diverſitate reſiliant: ſed ita membrum membro cohæreat, atque in tantum omnia unum fiant, ut in uno omnia patiantur, atque in unius gloria omnia glorificentur. In hac ſumma vnitate, omnium creatrice, omnium vivificatrice, quæ omnia continet, omnia implet, Trinitas ſancta ſubſiſtit: in hac ſe Dei filius filio hominis in eadem perſona univit. Hoc unitatis bonum ipſe ſummè bonus, non ſolùm terrenis omnibus, ſed & ipſius pietatis officio, nec cuilibet ſanctorum, ſed & ipſi ſancto ſanctorum exhibito præferebat, quando dicebat: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Suſceperat enim Martha Dominum, vt religioſa fœmina, vt devota diſcipula, ut benigna hoſpita, ideoque ſollicita erat circa ea quæ erant religionis, quæ devotionis, quæ hoſpitalitatis. Ipſa domina, ipſa ancilla, ordinabat, feſtinabat, præparabat, miniſtrabat. Sed quia multa erant, quæ hoſpitalitas tam pij Domini, tam chari magiſtri exigebat: fervebat, diſcurrebat, anhelabat, & quia ad ſingula quæque occurrere non poterat, pondere ſollicitudinis preſſa, anxiabatur, turbabatur. Interpellat ergo ancilla Dominum, diſcipula magiſtrum, & contra ſororem iudicem poſtulat, quem hoſpitem ſuſceperat. *Non eſt*, inquit, *Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, vt me adiuvet.* Sedebat enim ad pedes Domini Maria, alimentorum verbi piè avida, curaſque omnes tranſitorias ac ſuperfluas, tanquam importunas oculis muſcas, manu diſcretionis abigens, vnum illud, quod neceſſarium erat, ab ipſo unitatis fonte hauriebat. Circumvolitabat os Chriſti prudens apicula, & ex labiis eius, cuius ſpiritus ſuper mel dulcis erat, favum diſtillantem ſugebat: & quicquid officioſa audiendi ſedulitate rapere poterat, in alvearium cordis convehebat. Itaque verbi dulcedine admodum oblectata, ac veri frumenti adipe ſaginata, murmurantem ſororem aut non audiebat, aut diſſimulabat; non leve reputans damnum ſuavitatis intimæ, querulæ ſorori vel momentum aurem commodare. Diſſimulata igitur interpellantis adverſum ſe dominum ſororis querimonia, quia cum beato Iob ſuſpendium elegerat, ab ore Chriſti pendebat, & de labiis eius defluentibus affluebat deliciis mentis, contempto murmure ventris. Sed Dominus, qui à ſorore contra ſororem iudex interpellatus fuerat, in utramque partem ſententiam temperat: & ſic unius deſiderium præfert, ut alterius ſtudium non vituperet. Novit enim Dominus, quia etſi dulcior eſt fructus radice: trahit tamen dulcedinem fructus ex radice. Ita quamvis præmineat contemplatio actioni, plurimum tamen ſuffragatur pia actio contemplationi. Oportet enim ut primo in ſtudio ſanctæ operationis ſe exerceat, quiſquis ad culmen contemplationis aſcendere deſiderat. *Martha*, inquit, *Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima, porrò unum eſt neceſſarium.* Sollicita es, turbaris diſtenderis: fugacia ſunt, quæ apprehendere niteris. Per rimas curarum effunderis, & exhauſtam te quæreris? More torrentis arua

A rigantis lutum contrahis, & contriſtaris, quia turbaris? Agrum cordis opere pietatis rigas, rigando fœcundas: ſed oculum pulvere ſollicitudinis turbas. *Porro unum eſt neceſſarium.* Vnum non dividitur, non turbatur, in diverſa non rapitur: unum idem ſemper permanens, alieno nunquam pulvere ſordet. In hoc uno quamdiu homo pede immoto conſtitit, nec circuncisionis iniuriam ſubiit, nec baptiſmi gratiam requiſivit. At ubi ex veneno peccati frutices illi peſſimi pullularunt, ad reſecanda noxia cultellus petrinus eſt adhibitus: & poſtquam ex curis ſeculi turbine diaboli pulvis convolutus, facies noſtras imagine Dei ſplendidas fœdavit, unda ſalutaris quæ ablueret, de latere Chriſti manavit. Vnum ergo eſt neceſſarium. Hæc eſt pars optima, hanc elegit Maria, hæc non auferetur ab ea. In huius unitatis ſtabili atque immobili firmitate Chriſtianæ profeſſionis fundamenta ſubſiſtunt, fides ſcilicet atque baptiſma: B & ipſa ſp.ritualium filiorum ſpiritualis mater Eccleſia. Quia enim unus Deus & unus eſt Dominus: neceſſe eſt ut & una ſit, in omni gente & natione, veræ fidei confeſſio. Et cùm una ſit in Chriſto per Spiritum ſanctum filiorum Dei adoptio, neceſſe eſt, ut & uniformis ſit; omnium in eandem adoptionem regeneratio. Hanc unitatem in diverſis gentibus, diverſis ætatibus, diverſis quoque Chriſtianæ religionis profeſſionibus idem ſpiritus conciliat, ut ſicut multa membra formis & officiis diverſa, unum corpus per eundem ſpiritum efficiunt, ita & diverſæ gentes, ætates, ac profeſſiones, per eundem adoptionis ſpiritum in unitatem corporis Chriſti conveniant. Ideo & in ſacramento ſanguinis Chriſti àqua vino miſcetur, quia in ſacramento Chriſto coniungimur, adeò ut qui fideliter ſumit, ipſe quoque unum cum eo fiat, ipſo atteſtante, qui de carne ſua ita pronunciat: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum,* C *in me manet, & ego in eo.* Ita fit ut patienti compatiamur, morienti commoriamur, reſurgenti conreſurgamus, ſimulque cum glorificato glorificemur. Ad hanc igitur gloriæ participationem divina miſeratione pulvis aſſumptus, ex ipſa aſſumptionis ſuæ colligat gloria, quanta aſſumentis ſit gratia, quia ex nulla alia, ut arbitror conſideratione, ſic elucet ſplendor & magnitudo gratiæ, quàm ex humani meriti & divini beneficij collatione. Quando ergo paſſionis Chriſti & redemptionis noſtræ myſteria celebramus, non ſolùm geſtorum ſeriem pia memoria recolamus, ſed & noſipſos vitiis & concupiſcentiis crucifigamus, ut in novum hominem ſepulto vetere, cum Chriſto reſurgamus. *Chriſtus* enim *reſurgens à mortuis*, ait Apoſtolus, *iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem vivit, vivit Deo.* Et quaſi ſciſcitantibus cur iſta intulerit, *ita & vos*, inquit, *exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato: viventes autem Deo in Chriſto Ieſu.* Ita exiſti- D mate vos mortuos eſſe peccato, Chriſtus enim ſemel mortuus eſt peccato, id eſt, ad deſtructionem peccati: non ſui quod non habuit, ſed totius mundi, quod moriendo abſtulit. Debitum namque peccato ſupplicium, mors eſt. Cùm ergo debitum peccati innocens ſolvit, qui peccato nihil debuit, eos qui obnoxij erant & peccato, & peccati ſupplicio eripuit. Tantum namque erat unius mortis Chriſti pretium, quod totius mundi adæquaret, imò præponderaret debitum. Neceſſe itaque iam non eſt, ut ſecundò moriatur: qui ſemel mortuus, non ſolùm præcedentium delictorum, ſed & futurorum, ſanguinis ſui conſcriptione delevit chirographum. Ait ergo: *Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Ieſu.* Sicut Chriſtus ſemel mortuus eſt ad deſtructionem peccati, ita & vos peccato ſemel moriamini, ut ultra in vobis iam non vivat, nec regnum ſicut hactenus in vobis obtineat. Peccatum enim non vivit, quando in nobis conſenſum non invenit, quando ſuadenti non cedimus, quando irrumpere volenti liberè contradicimus. E Debet ergo amator CHRISTI, imitator Paſſionis CHRISTI ſemel peccato, ſemel mundo mori, vt peccato mortuo, vita Dei in nobis, vita ſuccedat æterna. Hoc eſt enim Deo vivere, æternaliter vivere, virtutibus ſtudere, retro non reſpicere, in ea quæ ante ſunt ſe extendere, nec à perſequendi unquam ſtudio deſiſtere, donec voti compos dilectum animæ ſuæ mereatur apprehendere. Hoc eſt itaque Chriſto commori, peccato ſemel mori: hoc autem Chriſto conſurgere, Deo ut diximus vivere. Hæc reſurrectionis primæ gloria, & hæc beata in corruptibili adhuc corpore vita donum eſt gratiæ: & prærogativa illius æternæ & immarceſſibilis gloriæ: Impoſſibile eſt enim quempiam in futuro corpore reſurgere ad gloriam: qui in præſenti à ſomno peccati animo evigilare noluerit ad vitam. Sed in omni diſciplina ſpirituali laborioſa ſunt primordia, iocunda noviſſima: quia ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum læ- F titia. Veſpera ſiquidem mortalitatis noſtræ quando bonorum operum ſemina iacimus, exilij noſtri ærumnam, & prolixiores ignorantiæ umbras deflemus: illuceſcente verò matutino ſpei noſtræ, ac ſole iuſtitiæ coruſcante, quando de exiguo labore uberes fructus gratiæ meſſuerimus, lætitia inenarrabili exultabimus. Ideò & Dominus noſter, qui hora nona declinante iam die ad veſperum tradendo ſpiritum mundo intulit luctum, reſurrectionis ſuæ gaudium diſtulit in matutinum, ut fletum veſpertinum conſolaretur, imò aboleret per gaudium matutinum. Ad hoc namque fletum noſtrum in ſe tranſtulit veſpere paſſionis ſuæ, vt matutino reſurrectionis ſuæ, diſcuſſa nebula triſtitiæ noſtræ, gaudium nobis infunderet glorificationis ſuæ. Benignus enim magiſter diſcipulorum animos paſſionis ſuæ amaritudine turbatos intuens, & de auferendo à ſe tam pio præceptore mœrentes, data comparatione prægnantis mulieris dolentes ita conſolatus eſt. *Mulier cùm parit triſtitiam habet, quia venit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundo.* Et quæ ſit prægnantis mulieris triſtitia, aut de nato puero, quæ lætitia, ſubiiciens, *& vos igitur*, inquit, *nunc quidem triſtitiam habebitis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Tradito ad mortem Domino, & amaræ prævaricationis noſtræ calice potato, mulier hæc ſancta, ſancta videlicet Eccleſia, quæ ſponſo ſuo eiuſdem ſpiritus inſeparabili erat charitate vincta, per os dilecti ſui guſtum in ſe traxit amaritudinis: & cum patiente patiens, & morienti commoriens, clavis doloris transfigitur: & quod ille paſſionis, hoc iſta doloris acerbitate patitur. Nullo enim pacto fieri poteſt, ut cum quo eſt illi una caro & idem ſpiritus, à dolore eius ſit illi affectus extraneus: *Et erunt duo in carne una, ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto &* H *in Eccleſia*, ait Apoſtolus, &, *qui adhæret Domino unus ſpiritus eſt.* A doloris ergo ſpiritu mulier hæc ſancta concipiens triſtitiam habet, & ut turtur ſolitaria, comparis ſolatio deſtituta, penetralia cordis, & communis thalami ſecretum queſtibus replet. Altum namque gerens ſub pectore vulnus amoris, paſcitur ut mœrens lachrymis & pane doloris. Luſtrat omnia, circunſpicit univerſa & deſiderij igne liqueſcente anima, ipſo quo affligitur interim deſiderio paſcitur. Æſtum deſiderij lachrymis temperat: & quia dilecti ſui faciem videt propter ſe ſputis illitam, faciem lachrymis ubertim rigans, gratiarum hoſtiam dilecto immolat. Sed reſurgente Domino, & ſtola immortalitatis glorificato, de conceptu doloris parit ſpiritum exultationis: ſaccum luctus ſcindit, pallio gaudij ſe induit, & propter gaudium glorificationis iam non meminit preſſuræ paſſionis. De ſplendore reſurgentis exultat, de gloria triumphantis tripudiat: nec iam dolet, imò gaudet ſe ad tempus amiſiſſe, quem tam glorioſum, totque ſpoliis inſignem meruerit reciperet. Gaudet in carne ſua triumphatum mortis principem, gaudet in

Domino

A Domino primam corporis ſui portionem cum triumphi pompa ad Deum patrem aſcendentem, ipſe inconcuſſa confidens, eò ſe in membris omnibus ſublevandam, quò in capite ſuo iam ſe gratulatur exaltatam. Gaudet iam in capite completum, quod in membris ſperat quandoque complendum. *Abſorpta eſt mors in victoria*, & victæ inſultans quæ ſe vicerat gloriabunda ingeminat. *Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Vbi eſt nunc ſtimulus ille peccati, quo pungebas, quo vulnerabas filios meos, iugo ſervitutis tuæ ex debito primæ prævaricationis aſtrictos? Vbi eſt nunc illa inſolens gloriatio tua univerſam terram ego congregavi, & non fuit qui moveret pennam, & aperiret os & ganniret? Ecce terra illa Domini ſui rigata ſanguine, cultori ſuo fructus affert iuſtitiæ, quæ ſub te cultore ſpinas afferebat idololatriæ. Reſpice nunc an in hominibus invenias, qui præ formidine tua pennam movere audeat. Reſpi- B ce nunc, ſi tamen prævales præ confuſione, impudoratos vultus attollere: quis ſit ille homo, qui de inferis tam liberè evolat, & cœleſtia tam potenter penetrat. Iſte eſt ille inter mortuos liber, qui caſſibus tuis pede innocentiæ ruptis, non ſolùm liber evaſit, ſed & fideles ſuos malitiæ tuæ dolis irretitos, te vidente ac ſtridente, nec tamen contradicente extraxit. Ecce pennam movet, ecce alis plaudit, nulloque corruptionis pondere prægravatus, libero alarum remigio æthera ſulcat: ac ſtupentibus ipſis ſupernis virtutibus novo & inaudito miraculo dexteræ Dei patris homo ſe ſociat. Ecce ora infantium & lactentium aperit, & in ore eorum laudem perficit: & ex ore eorum non tam gannit, quàm garrit, fraudem tuam eluſam, & virtutem tuam eliſam. Vbi eſt ergo ô mors inimica, ubi eſt victoria tua? Vbi eſt gloriatio tua? Excluſa eſt, attrita eſt, nihili facta eſt. Mulier igitur ſancta & mater gratia, quæ in dolore parturit, gaudium parit: non gaudium, quod ad horam lætificet, & tranſeat: ſed quod omnes animæ affectus occupet, & in C æternum maneat. Libet nunc intueri, libet & admirari opus gratiæ: & in extrema manu operis, induſtriam prædicare artificis. Extrema enim manus operis indicat, quanta artis peritia artifex polleat. Intuemini nunc ô filij gratiæ, & reſpicite in auctorem gratiæ: & humanam naturam, unde aſſumpſerit, & quò provexerit agnoſcite. Hæc eſt enim natura illa bene quidem ab artifice Deo creata, & ex limi mollitie igne divinæ inſpirationis ad æternitatem ſolidata, quæ ſi pedi ſuperbiæ vetitum præſumendo inniſa non fuiſſet, ab æternitatis ſuæ ſtabilitate, manu peccatoris mota non fuiſſet. Sed ubi à fervore divini amoris ad frigus & umbram viperæ perſuaſionis declinavit, divino igne deſtituta, gelu peccati eſt contracta, ac demum divinæ animadverſionis dictante ſententia in pulveris vilitatem morte conterente reſoluta. Cœpit itaque miſer homo pulvis factus inſtabilis, diabolicæ tempeſtatis turbine raptari, & ad prærupta vitiorum atque errorum violenter impelli atque allidi, adeò ut de vaſe illo fictili & lagena cœleſtis figuli, ne teſta quidem eſſet reſidua, quæ iuxta propheticum elo- D quium ad portandum de incendio igniculum, & hauriendam de fovea aquam eſſet idonea. Hæccine eſt miſer ac miſerande illa beatitudo tua, à ſeductore tibi promiſſa? Hæccine eſt illa divinitatis tuæ gloria? Inanis erat, cui aurem ſtulte commodaſti ſerpentis ſibilus: ideoque & tu inania captando miſerè illuſus, nec quod ſperabas obtinuiſti, nec quod poſſidebas retinere potuiſti. Deus enim quod rapina appetebas, eſſe non meruiſti: & quod eras immortalis ſcilicet, permanere non potuiſti. Nec hoc dixerim, ut miſeriæ noſtræ miſer ipſe inſultem, ſed ut miſeriæ noſtræ magnitudinem inſinuem, ut diligentius inſpecta deformitate materiæ, amplius miremur potentiam reformantis nos gratiæ. Neque enim magnæ eſt induſtriæ ex electo auri metallo precioſum vas cudere, ſed ex vili qualibet & abiecta materia vas formoſum educere, hoc artis egregiæ, hoc laudis eſt E eximiæ. Placuit itaque benigno figulo vas tuum contritione valida contritum, & in cinerem reſolutum, cœleſtis rurſum gratiæ imbre compluere, & in maſſam compingere, ac de fragmentis vaſis antiqui novum vas priore precioſius reſtituere. Sed ne rurſum poſſet diſſolui inundatione torrentis turbidi, atque alluvione peccati, fornacem crucis adhibuit, accenſoque paſſionis igne pervalido, crudum vas intulit: quod quia Spiritus ſancti opere compactum atque formatum erat, nequaquam in igne crepuit. Sed quid dico non crepuit? Non ſolum enim collatam divinitus fortitudinem in igne conſervavit, ſed & de igne purius evaſit: quia qui imperio patris crucis opprobrium ſuſtinuit, dono patris cœli terræque poteſtatem obtinuit. Reſurrectionis namque gloria clarificatus, eiuſdem glorificationis modum diſcipulis ſuis teſtibus futuris inſinuans ait: *Data eſt mihi omnis* F *poteſtas in cœlo & in terra. Data eſt mihi*, inquit, Et vide quomodo poteſtatem ſuam gratiæ aſcribit, quam datam ſibi eſſe aſſerit. Et cùm omnia in patre poſſideat, & cum patre omnia tribuat, nihil de divinitatis ſuæ potentia memorat, ſed ad largientis gloriam acceptæ poteſtatis refert gratiam. Extende itaque nunc ô amator & inquiſitor gratiæ, anguſti, inquam, cordis ſinum latius extende, & de hac tanta amplitudine quantum potes collige: quia tam amplum donum gratiæ nullo ſinu humanæ anguſtiæ totum poteris includere. *Data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Quis hoc unquam de pulvere futurum crederet? Humana namque natura, quæ divinæ ſententiæ impetu in pulverem morte reſolvitur, quod futura eſt, etiam antequam fiat recte pulvis dicitur. Quis igitur unquam hoc de pulvere crederet, quod poteſtatem cœli & terræ acciperet? Quis putas, quantus putas eſt iſte artifex, qui pulverem aridum & inſtabilem ſic compingit ſic ſolidat, tantum exaltat, ut non ſolùm terrenis, ſed & cœleſtibus eum præficiat? G Quid putas de electa materia artifex iſte faceret, qui de vili ac penè nulla tanta facit & talia? Sed artifex noſter materia nec vili, nec pretioſa indiget, cui pia voluntas ſua materia eſt ad omnia ſufficiens. Quantum igitur Deo homo debet, cuius dono in capite ſuo & cœlo præſidet? Hæc eſt magnitudo gratiæ Dei verè inæſtimabilis, verè incomprehenſibilis: per quam humana natura ſuper omnem principatum & poteſtatem angelicæ dignitatis eſt exaltata. Hoc miraculum terris inauditum, cœlis erat inſolitum, ut homo cœleſtia non curru igneo, non angelico adminiculo, ſed virtute ſua potenter aſcenderet, ac ſtupentibus thronis & dominationibus, dexteræ Dei patris æquo iure in æternum conregnaturus ſeipſum coniúgeret. Hoc miraculo tam magno, tam inſolito, ſtupefacta dignitas angelica, aliis præcurrentibus & inclamantibus: *Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt*, inquiunt, *quis eſt iſte rex gloriæ?* quis eſt, unde eſt? Regem gloriæ Deum novimus, homo eſt iſte, quem cernimus. Vnde ergo hæc novitas? Vnde homini cum Deo H regni & gloriæ æqualitas? An fortè & hoc opus eſt omnipotentis gratiæ? An fortè gratia ipſa, quæ nos in gloriam iſtam creavit, hominem quoque in Deum glorificavit? Hæc eſt illa, hæc illa plane gratia, quæ in ſecreto ſapientiæ Dei noſtri à ſeculis erat abſcondita. Hæc eſt, quæ ab æterno latuit, quæ in tempore oportuno prodiit: quæ quantæ ſit clementiæ, quantæve potentiæ, demonſtrat, quando hominem in Deum exaltat. Hæc eſt verè *immutatio dexteræ excelſi.* O quàm clementer converſa, ô quàm fœliciter immutata eſt triſtis illa hominis ſententia, *Terra es, & in terram ibis:* qui in Deum aſſumptus ad Deum tranſivit, & ad dexteram patris Deus & homo concedit. Quamvis enim utraque natura in ſua proprietate ſit inconfuſa, tamen eadem perſona à ſe invicem utraque permanet indiviſa. Hæc eſt igitur immu-

A tatio dexteræ excelſi. Ecce hominem cui terra ſua,
dictante æquitatis ſententia, ſpinas & tribulos ger-
minabat, iam cœlum & terra ſupplex adorat. Ecce na-
tura illa, quæ obſcura olim erat & contemptibilis, quia
peccatrix: iam ſuper omnia emicans, omnibus eſt ve-
nerabilis: quia omnium iuſtificatrix. Hanc ergo &
nos iure honoramus, iure adoramus: quia ſic aſſum-
ptæ, & in hoc glorificatæ, ipſi quoque debemus quic-
quid ſumus. Congaudendum eſt igitur nobis tanquam
ſervis, tanquam vicinis, tanquam amicis: ſervis conditio-
ne, vicinis contemplatione, amicis devotione. Congau-
dendum eſt nobis, & congratulandum pio paſtori, qui
pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit: qui ovem centeſi-
mam ad reſtaurandam noſtræ integritatis ſummam
de ore leonis ſemivivam eruit, qui in uno opere cau-
ſam nobis præſtitit triplicis lætitiæ. Prima quippe &
præcipua nobis orta eſt lætitia, de ipſius regis noſtri vi-
B ctoria: ſecunda, de conſortis noſtri redemptio-
ne: tertia, de integritatis noſtræ reſtauratione.
Triumphus iſte regis noſtri eò magis eſt glorioſus,
quò magis inſolitus: quia cùm ſemper in prælio vir-
tute utrinque certetur, contrario modo regis noſtri
victoria infirmitate completur. Neque enim digna-
tus eſt cum invalido hoſte maieſtatis ſuæ virtute de-
cernere, ſed crudeli tyranno hominem captivum ali-
quando ſuum oppoſuit, & per captivum captivato-
rem obtinuit. In hac ergo redemptoris noſtri & no-
ſtra in ipſo glorificatione, divinæ ſupereminet excel-
lentia gratiæ, qua nullo pacto maior eſſe poſſet, niſi
fortè (quod abſit) Deo maius quid inveniri poſſet.
Miremur itaque in uno eodemque Domino noſtro Ie-
ſu Chriſto & aſſumpti gloriam, & aſſumentis gra-
tiam: ſciamuſque per oblatam gratiam pertingendum
nobis ad promiſſam gloriam. Propoſita eſt merces la-
bori, immenſa exiguo, æterna momentaneo: adoptio
cum unigenito, ſempiterna cum patre regni poſſeſſio.
C Tantum ut hortantem nos Apoſtolum audiamus, &
gratiam Dei nequaquam in vacuum recipiamus. Tunc
enim in vacuum gratiam Dei recipimus, cùm gra-
tiæ Dei non cooperantes condignas Deo gratias non
referimus. Tunc in vacuum gratiam Dei recipimus,
cùm tempus acceptabile, dieſque ſalutis abſque ali-
quo ſalutis noſtræ emolumento percurrimus. Væ au-
tem homini, qui in vacuum gratiam Dei recipit,
qui opus miſericordiæ Dei in ſeipſo ad nihilum redi-
git, qui conſilium ſalutis ſuæ diſſipat, qui chirogra-
phum redemptionis humanæ perditè vivendo evacuat.
Filiis enim perditionis opus redemptionis erit, qua-
ſi non fuerit: imò quod eſt gravius incendium ge-
hennæ & damnationis eis erit cumulus. Melius nam-
que fuerat viam veritatis non agnoſcere, quàm poſt
agnitionem retrò redire. Sed ſanctorum pedes teſtan-
te Ezechiele, pedes ſunt recti, greſſus firmi, & de
peritura Sodoma angelica viſitatione educti, atque
uxoris Loth exemplo edocti, nec ad ardentem retrò
Sodomam aciem mentis convertunt, nec ad lubrica
D carnalium voluptatum boni operis greſſum reflectunt.
Illa enim, quia retrò fœminea curioſitate reſpexit, in
ſtatuam ſalis obduruit, quæ licet ſibi duritiam lapidis
ex pœna prævaricationis contraxerit, lambentibus
tamen ex guſtu ſalis ſapientiæ condimentum tribuit.
Peſtilente namque flagellato, ſtultus ſapientior erit.
Et hoc donum eſt gratiæ, ut ſapienti ſtultus ſerviat,
pœnaque reproborum electos ad vitam erudiat. San-
cti igitur Sodomiticæ habitationis, & ſulphurei fœ-
toris pertæſi ad montana contendunt, & in anteriora
quotidiano ſeipſos profectu extendunt, donec anhe-
lo curſu ipſum verticem montium occupent: & quem
curſus ſui habuerant adiutorem, habeant & remune-
ratorem. Sed quia gratia ipſa de qua agimus, ſpeciale
eſt donum ſancti Spiritus, & ab initio Dominicæ In-
carnationis ad gloriam uſque Reſurrectionis atque
Aſcenſionis per ſolius gratiæ veſtigia pervenimus,
reſtat ut & de effuſione ipſius ſancti Spiritus, quæ
ipſe inſpirare dignabitur, memoremus. Sed iam clau-
dendus eſt ſermo, nec infundi debet pleno iam vaſcu- E
lo ipſius gratiæ plenitudo, ſed proprio reſervata prin-
cipio, tomo conſignanda eſt ſeptimo. Congruit etiam
iam quàm maximè ſacramentorum numero, ut quia in
donis ſuis ſeptiformis eſt ſpiritus, laudes eius ſacratus
ei canat numerus. Licet enim ſequens Tomus in ſum-
ma totius ſit duodenarius, in diviſione tamen qua quin-
que Tomos ſacramento veteris teſtamenti, ſequentes
ſeptem novo teſtamento aſſignavimus: invenitur ſepti-
mus, in honorem ipſius ſeptiformis ſancti Spiritus,
cui eſt cum Deo patre & unigenito filio eius Domino
noſtro Ieſu Chriſto honor & gloria per infinita ſecu-
lorum ſecula, Amen.

PRÆFATIO. F
in Librum duodecimum.

*IMminente iam annua expectatione adventus ſancti
Spiritus, extremam manum præſenti opuſculo impoſitu-
rus, ipſius ſummi artificis angelorum atque hominum eru-
ditoris gratiam humillimis imploro precibus, ut trepidan-
tem manum ad normam ſapientiæ ſuæ dirigat: & opus
nomini ſuo devotum, dignè ſeipſo compleat. Qui enim
barbam Aaron unguento infundit, quod à capite defluit,
nec oram veſtimenti eius ab infuſionis ſuæ largitate immu-
nem derelinquit. Cùm ergo barbam noſtri Aaron rore un-
guenti ſtillantem videamus: effuſi liquoris ſtillicidium, nos
tenues fimbriæ veſtimenti eius expectamus. Sicut autem
barba hominis virilis indicium eſt roboris, ita & fimbriæ
de veſtimento dependentes, totius veſtimenti plenitudini
ornamento ſunt atque decori. Cuius myſterij latitudo nec
anguſto includenda eſt præfatiunculæ: nec brevitas præ-
fatiunculæ in latitudinem extendenda allegoriæ. Latitu-
dinem itaque myſterij campo ſuo reſervemus: feſſiſque mem- G
bris olei ſalutaris infuſione perunctis, & in priſtinum ro-
bur nervis & oſſibus unctione divina reparatis, exiguum,
quod reſtat, cœpti itineris, ipſa quam prædicamus gratia
duce carpamus.*

LIBER DVODECIMVS.

EXTREMAM huius operis partem ingredienti
propheticum illud de barba Aaron teſtimonium
in ipſo mox præfatiunculæ limine ſe obviam tulit,
cuius explanationem latius differendam in præſentis
Tomi latitudinem diſtuli. Aaron igitur ille primus
in lege Pontifex, legalibus cæremoniis in typo futuri
deſerviens, typum redemptoris noſtri præfert, cui
iuravit Deus pater, nec ſuper iuramento eum pœni-
tet: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Mel-
chiſedech.* Neque enim neceſſitatem habet quotidie
in alieno ſanguine exemplaria verorum ſancta ſan-
ctorum ingredi, qui æterna redemptionem inventa,
ſemel introiit in ſancta, Pontifex factus & hoſtia, H
qui ſolus in humano genere inventus, in ſuis inno-
cens ad exhaurienda aliena delicta hoſtia factus eſt
idonea atque ſufficiens. Nec neceſſe habet pontifex
noſter pro populi ſui ignorantia alienum ſanguinem
fundere, qui totius mundi delicta ſanguinis ſui pre-
cio æſtimans, longè adhuc ſupereminet atque prępon-
derat. Conſummata igitur in ara crucis hoſtia redem-
ptionis, in ipſa ſanctorum ſancta introiit, ac vul-
tui Dei patris propitiator pro nobis aſtitit, antiquam
ſervi contumaciam per ſpontaneam filij expians obe-
dientiam. Quid enim eſſet quod clementiſſimus pa-
ter non ignoſceret, cùm unigenitum filium ſuum præ-
miſſo libamine paſſionis ſuæ pro reis ſupplicantem
cerneret? Cuius delicti ſupplicanti filio non indul-
geret veniam, cum quo eandem ab æterno poſſidet
voluntatem, eandemque ſubſtantiam? Quomodo uni-
genito ſuo hæreditatem ſuam iniquè præreptam, ſed

inſtè

A iuſte redemptum liberè non reſtitueret : cui & conſeſſum dexteræ annumeret ? Glorificato igitur capite noſtro, atque oleo exultationis præ participibus ſuis perfuſo, barba noſtri Aaron, quæ dudum rore verbi irrigata effloruerat, ſalutaris olei ſtillicidio infundenda erat, ut barba circunfuſa ori tanquam domeſtica verbi defluentis olei gratiam prima exciperet : ac ſic demum in ſubiectam veſtem ſalutaris ille ſe liquor diffunderet. Nec ab hac innundatione olei ſacri ora veſtimenti immunis remanere poterat : quæ licet extrema totius veſtimenti plenitudini firmamento erat. Barbam autem noſtri Pontificis ſuper Apoſtolis intelligimus, veſtem in reliquis credentibus, extremam veſtimenti oram, ſuper humilitate noſtra interpretari utinam verè poſſemus. Lenitatem autem olei atque pinguedinem, gratiam interpretamur Spiritus-ſancti, qui à capite in barbam defluxit : quando eum B à patre diſcipulis Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, ſicut promiſerat, miſit. Ita enim S. Lucas Actuum Apoſtolorum conſcriptor de eo commemorat : *Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cælo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis : & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum Spiritus-ſanctus. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Factus eſt repentè de cœlo ſonus, quia Spiritus-ſanctus adveniens, cœleſtia ſunt, quæ docet. Iſte eſt ille ſpiritus vehemens, in quo naves Tharſis Dominus conterit, cuius omnipotentiæ vis nulla obſiſtit, qui dum carnalium corda concutit, turrim ſuperbiæ atque omnem ſtructuram peccati à fundamento ſubruit. neceſſarius autem erat ignis divinæ inſpirationis ad reſolvendum frigus humanæ infidelitatis, ut corda Apoſtolica humani timoris gelu torpentia divini amoris flammam conciperent : ac ſic demum alieni erroris ſtipulam linguis igneis exurerent. Quia ergo hæc patranda erant Spiritus-ſancti adventu & gratia, in linguis igneis viſus eſt inviſibilis, ut C monſtraretur ex rebus viſibilibus, quid intus ageret, qui advenerat inviſibilis ſpiritus. Natura namque ignis exurit, inflammat, & illuminat. Amor autem Dei qui ignis eſt devorans, exurit noxia, inflammat gelida, illuminat tenebroſa. Exurit veterem hominem cum ſordibus ſuis, inflammat torporem humanæ imbecillitatis, illuminat cæcos, ac reducit in viam veritatis erroneos. Ignis itaque iſte ſalutaris, ubi corda diſcipulorum invaſit, ad perhibendum teſtimonium Chriſti facibus amoris inflammavit, & ne præconij Chriſti exſors remaneret barbaries gentium, accepto ſpiritu præcones fidei linguis loquuntur omnium. O miranda in docendo Spiritus-ſancti potentia, qui articulo unius horæ vix integræ, & omnem veritatem diſcipulos docet, & ad teſtificandum, robur fidei atque animi conſtantiam confert. O ineſtimabile donum, & incomparabilis gratia. Apoſtolica cohors, quæ à facie furentis populi paſſione Domini territa fugerat, & ob metum Iudæorum in conclavi D deliteſcebat, virtute ex alto induta ſubitò emicat : & prophetali cuneo in teſtimonium aſſumpto, auctorem vitæ eſſe eum qui mortuus fuerat, libera confeſſione prædicat. Ecce ut & illud Salomonis inferam, lepuſculus plebs invalida, qui ad ſonitum ingredientium antea pavidus trepidabat, ubi cubile ſuum in petræ fortitudine collocavit, inſtar leonis de cubili ad prædam in impetu ſpiritus, fame ſancti deſiderij urgente ſe ſuſcitat. Iam nullius occurſum metuit, imò in occurſum hoſtium Chriſti audacter ruit, clamans & rugiens, conculcans & comminuens : ac tot millia beſtiarum ſaltus, ſolo rugitus ſui terrore ſternens. Quantus putas erat ille rugitus Petri Apoſtolorum principis, quàm magnus, quam terribilis, cùm de Spiritus-ſancti effuſione ad confluentium ac ſtupentium turbas habita concione, tria millia infidelium ſermone ſtravit, numeroque fidelium confeſſione nominis Chriſti adunavit. E Quinimo & ille rugitus, quando ſolidatis baſibus, plantiſque unius claudi ad invocationem nominis Chriſti ſolidatæ ſunt quinque millium baſes & plantatæ in fide Chriſti. Cuius dono ? Cuius auxilio ? Qua demum virtute aut ſapientia, patrata ſunt hæc omnia ? Nunquid humana ? Imò ipſius concionatoris gratia, atque intus præſidentis iudicis, ac de ore Apoſtolico gladium utrinque acutum vibrantis, perfacta ſunt potentia. *Non enim vos eſtis*, ait Dominus, *qui loquimini ſed Spiritus patris veſtri.* Quis tamen hoc de Petro crederet : ut quem vilis ancillula iaculo linguæ ſtraverat, verbo tot millia Chriſto ſubſterneret ? Quis crederet columnam ariete timoris in foveam negationis deiectam, in antiquum fortitudinis ſuæ ſtatum reſtituendam ? Sed trina confeſſione erecta, quæ trina fuerat negatione deiecta firmius ſtetit : atque in lapſu ſuo quomodo labentibus ſuccurreret didicit. In cuius ut ita dixerim momentaneo lapſu pius paſtor gregi ſuo piè conſulit, F ut humana præſumptio labente Petro trepidet, & imbecillitas prolapſa reſurgente Petro non deſperet. Sed ut ad principium redeam, & ad ipſam de qua agimus gratiam, rurſus reſpiciam, ab illo iam tempore in omnia membra corporis Chriſti copioſius ſtillavit cornu ſalutaris olei, & in totam mundi latitudinem latius diffuſa eſt gratia Spiritus-ſancti. Filiis enim regni degenerantibus, & in tenebras exteriores eiectis, à quatuor plagis cœli, ad nuptias cœleſtis regis pauperes ac debiles erant colligendi : qui Iudaicæ perfidiæ locum supplerent, & inter duodecim tribus olim repromiſſæ benedictionis ſortem acciperent. *In ſemine tuo*, inquit Deus ad Abraham, *benedicentur omnes gentes.* Benedictione itaque iſta à Deo patre in Chriſto IESV per Spiritum ſanctum in omnes gentes effuſa, cœpit gentilitas voce vocantis Domini audita, de invitatione ſua gratias agere, ſordes idololatriæ fonte baptiſmatis abluere : & antiquæ nuditatis confuſionem, nova innocentiæ ſtola atque nuptiali charitatis veſte contegere. Et inſonante tuba Evangelica : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*, & illa Apoſtoli, *præterit enim figura huius mun-* G *di*, cœpit prætereuntem quaſi iam præteritum contemnere : & florentem ut aridum æquè diligere. Pede namque fidei ſuper ſtabilitatem petræ inconcuſſæ innixo, atque oculo cordis in oculos dilecti ſui irreverberata acie defixo, nec quod præteriret noverat, nec quod deficeret amare iam poterat. Quomodo enim torrentem labentis ſeculi ſentire poterat : quæ æterno infixa erat ? Quomodo fœdum quid amare poterat : quæ ſuperno regi, claritatem ſolis pulchritudine vultus ſui obnubilanti, deſponſata erat ? Quomodo ad guſtum amoris huius ſeculi felle amariorem, labia ſua oſculo cœleſtis ſponſi ſanctificata, vel admovere poterat : quæ in menſa cordis dilecto ſuo inferente mel divinum edebat ? Cœpit itaque æternorum deſiderio temporalia faſtidire, atque de hac turbulenta tempeſtate ad portum æternæ quietis anxie quotidie ſuſpirare : ac peregrinationis ſuæ tædio affecta, Apoſtolicum illud querulo gemitu eiulare : *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius* ? Et in H dilecti ſui pectus, caput languida reclinans, ac deſiderij ſui æſtum futuræ conſolationis umbra refrigerans, *Gratia*, inquit, *Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Non meritum, non legis opera : ſed gratia ſolum. Per quem ? Non per hominem, non per legiſlatorem, non per ipſam denique legem : ſed *per Ieſum Chriſtum*, qui legem condidit & hominem. Inde evenit ut conſtantia piorum æternorum inflammata deſiderio, tyrannorum minas rideat, divitias & dignitates repromiſſas reſpuat : tormentaque carnificum ingreſſum ſibi regni pandentia, læti ſuſtineant, candenteſque ferri machinas æterna ſibi refrigeria conquirentes, ultro conſcendant. Vnde hæc virtus homini : unde hæc conſtantia animi ? Vnde hæc conſtantia hominis ut qui dudum folia verborum tyrannico furore

agitata

agitata paveſcebat, nunc vincula & verbera, nunc carceres & cruces, ſartagines & laminas ardentes, ardente interius flamma ſancti ſpiritus non pertimeſcat? Tua, ô Chriſte, tua, inquam, hæc omnia operatur gratia: quæ ſic gratis omnibus datur, ut nullius unquam merito, nullius deſiderio præveniatur, ſed omnes ipſa præveniat, omnibus ipſa ſubveniat, omnibus præſtet, ut peveniant. Teſtantur hoc ipſum verba ipſius Domini: ubi fideles ſervos digna mercede remunerans, amicorum eos gratia, & vocabulo honorificat. *Iam non dicam*, inquit, *vos ſervos: quia ſervus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis.* Proprium eſt amici diligenter obſervare animum amici ſui. Vnde & amicus, quaſi animi coſtos dicitur. Iure ergo fideles miniſtros amicitiæ ſuæ præconio honorat quibus quæ à patre audierat, ſecreta crediderat. Sed ne infirmus animus quod Dei erat ſibi aſcriberet, & ſuo ſe merito ad hanc amicitiæ Dei gloriam perveniſſe crederet, monet eos ad principium viæ poſt tergum oculos reducere, ac diligenter attendere: quo monſtrante viam invenerint, quoque præeunte eo uſque pervenerint. *Non vos*, inquit, *me elegiſtis, ſed ego vos elegi: & poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Igitur amicitiæ privilegium eligentis eſt donum: non electi meritum. Fructus quoque inſertæ virgulæ munus eſt inſerentis agricolæ. Gratiæ itaque eſt quod elegit, gratiæ quod poſuit, gratiæ quod fructum contulit, gratiæ quod ad maturitatem uſque perduxit. Quicquid ergo in homine virtutis, aut ſtudij ſpiritualis emicat: de hoc fonte pietatis manat. Cuius rei cum tot penè ſint teſtes, quot veræ fidei profeſſores, libet tamen duos de multis ad medium deducere: in quibus eò clarius fulget ſubſequens gratia, quò nulla eorum præceſſerunt merita.

PRimus itaque ingrediatur Paulus Apoſtolus, Chriſtianæ fidei aliquando expugnator, nunc autem propugnator fortiſſimus, gratiæque Dei aſſertor fideliſſimus: cuius ſi inſpicias opera, inveniuntur iram potius meruiſſe quam gratiam. Qui filo ductus occidentis literæ, ſpiritum vivificantem conatus eſt extinguere: legem quidem à Deo per Moyſen datam eſſe ſciens, ſed figuris & cœremoniis velatam eſſe nondum rectè intelligens. Nec advertebat, quàm abſurdum eſſet credere, peccata populi pecudis emundari ſanguine: niſi ſubveniente precio illius ſanguinis, qui quotidie fide bibitur à credentibus populis. Obſcuratus igitur umbra legis, æmulari cœpit filios lucis, teſteſque veritatis aſſerebat aſſertores eſſe falſitatis: ideoque iure perimendos, tanquam legis & veritatis inimicos. Cœpit itaque ut lupus rapax in oves Chriſti debacchari: præſentes ſuffocare, in abſentes ſævire, & à principibus ſacerdotum epiſtolas in Damaſcum petere. Nec poterat rabiem veſaniæ ſuæ inſatiabilis bellua devoratis ſatiare: quamdiu vel unum ſupereſſe ſciret, quem ſuffocare poſſet. Poſtquam vero turgido ſpiritu minas & cædes ſpirantis traditis epiſtolis inſania principum aſpiravit, exultat, properat: aſſumptiſque eiuſdem ſtudij ſociis, iter accelerat, ne quod furoris ſui detrimentum incurreret, ſi pigrius iret. Sed quo ruis immanis bellua? In quem ſævis cruenta beſtia? Neſcis, quia quo celerius curris, in laqueum citius corruis? An ignoras, ut te interim verbis tuis alloquar, quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducat? De cœlo tonat: cui de terra bellum irrogas. Patientia clementiæ abuteris: oportet ut ſeveritatem iuſtitiæ experiaris. Ille Nazarenus, ille crucifixus, cui inſultas tanquam mortuo, cervicem tuam adverſum ſe erectam lucis perfodiet iaculo. Factum eſt autem ut eo appropinquante Damaſco, & puſillo grege CHRISTI de cœlo invocante auxilium, adverſarium lucis circundaret lux cœleſtis: pœnas prius à perſecutore cœcitate inflicta exigens, ac poſtmodum diſcuſſis prioris ignorantiæ tenebris, errantem viæ reſtituens. Nec prius divinæ correptionis vocem audire meruit, quàm ſupplantato pede ſuperbiæ pronus in terram corruit. Audivit enim vocem de ſurſum increpantem terribiliter: cur innocentes, cur ſupplices deorſum perſequeretur tam crudeliter. *Saule*, inquit, *Saule, quid me perſequeris?* Quid egi? quid commerui? Quando te læſi? quando contriſtavi? An ideo pro te paſſus ſum: ut hæc à te paterer? An ideo manus meas clavis pro te transfigendas tradidi: ut tu viſcera mea gladio transfigeres? *Quid me perſequeris?* Iam dudum in te mea efferbuiſſet indignatio: niſi multa eſſet, quæ te hucuſque ſervavit miſeratio. Hac voce de cœlo inclamante ſalubriter monitus, & ſibi redditus: cœpit ſecum mirari ſtupidus, vox audita quænam eſſet, cuius eſſet, unde adeſſet. Quaſi dicens: Quidnam hoc eſt miraculi? Quid audio? Vox, quæ de cœlo ſonuit, perſecutionis me arguit. Quis eſt, qui me arguit? Ego Nazarenus Nazareni illius diſcipulos & hoc zelo legis Dei perſequor: & de cœlo arguor? Quid crucifixo cum cœlo? Quid tranſgreſſori legis Dei, cum Deo? Sciſcitabor tamen quis ſit, qui me arguit: quia terror auditæ vocis, & pœna inflictæ cæcitatis terribilem eſſe, qui loquitur denunciat. *Quis es Domine?* Splendor emiſſæ lucis Dominum te eſſe indicat, & correptionis meæ pœna tam ſubita potentiam tuam prædicat. *Quis es Domine?* Ego præter unum alium in cœlo neſcio Dominum: cui hoc zelo & ſtudio meo arbitrabar me deferre obſequium. *Quis es Domine?* Dignare teipſum manifeſtare, quis ſis: ut & ego ſcire poſſim modum ſervitutis. *Ego ſum*, inquit, *Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris.* Ego ſum ille Ieſus, ille Nazarenus, ille tibi deſpectus, à te irriſus, à progenitoribus tuis crucifixus. Sed *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare:* quia quo magis ſtimulo recalcitras, eò amplius calcem ſtimulo vulneras. Deſine ergo tandem deſine, atque furori tuo modum pone: ne ſi tranſgreſſus fueris patientiæ meæ limitem, non iam correptionem merearis, ſed perniciem. Cœcitas namque quæ de nebula increduli cordis offuſa eſt oculis tuis, pœna eſt & ſupplicium ignorantiæ prioris: ut qui me ab unitate patris perfidiæ tuæ mucrone impiè abſciſo, in fide totius Trinitatis caligabas, caliginem impij cordis triduana oculorum cæcitate luas. Sed ignorantiæ tuæ veniam tribuo, & perfidiæ tuæ tenebras, radiis veritatis illumino: ut ablato velamine, & revelata facie videas & agnoſcas, quem dudum in lege legebas, & ignorabas. Saulus autem tremens ac ſtupens, ſtupens quidem ignorantiæ ſuæ profundam cæcitatem, tremens verò tremendam colloquentis maieſtatem, & reverentiam Deo exhibet, & obſequium Domino ſpondet, quicquid benignus Dominus velit, quid præcipiat, ſupplex ſervus interrogat? *Domine quid vis me facere?* Quid vis Domine, ut faciam: ut qui perſequendo contraxi iram, obſequendo inveniam gratiam? Ne ad merita mea reſpicias, quæ damnationi ſunt obnoxia: ſed ad pietatis tuæ remedia, quæ ſaluti ſemper ſunt proxima. Stulte deceptus, quia carnaliter in lege eruditus, ſalutis ſummam in iuſtificationibus legis conſtitueram: ideoque in teipſum legiſlatorem, & ut nunc verè intelligo, gratiæ auctorem manum intuleram. Diſciplinam legis nunc ſero intelligo pædagogum fuiſſe Chriſtianæ libertatis: & humana infantia te præceptore provecta ad perfectionem, neceſſariam iam non eſſe legis eruditionem. Quid ergo vis Domine ut faciam? Paratus ſum, quæ ſervis tuis intuli, ipſe perpeti: paratus ſum pro te, quem ſubſannabam mortuum, mori. *Surge*, ait Dominus, *ſurge, & civitatem ingredere*: ibi ouem inuenies, ipſam magiſtram audies Mittitur lupus ad ovem, vt diſcat manſuetudinem: ut fontem, qui de dextro latere manat, pariter adeant: & lupo ſubmerſo, ovis emergat. Ecce iocundum gratiæ noſtræ ſpectaculum: trahit captivum ovis lupum. Lingit hiſpidum, componit hirſutum: lacte potat, qui piorum anteá ſanguinem bibebat. Tactu gaudet ovis, lupus oblitus feritatis.

Atque

A

Atque trucem vultum ponens, manſueſcit in agnum.
Nec dolet illa ſuam morbo ſuccumbere curam:
Detrahit ex oculis ſquamas, viſumque refundit.
Hinc adhibet lavacrum baptiſmi nomine ſacrum.
Quoque perit Saulus, prodit de gurgite Paulus.

Exaltat itaque neophytum ſuum Gratia mater in Apo-
ſtolum, & de fornace probationis puriſſimum producit
vas electionis: ut potum fidei Iudæis propinet & gen-
tibus: quam prius perſequebatur in credentibus. Ac-
ceptum autem calicem verbi primum porrigit incredu-
læ matri: quæ quia calice fellis, quem & Domino
ſuo in cruce porrexerat, erat inebriata, potum ſalu-
tarem reſpuit, & mittenti & offerenti ingrata.
B Converſus igitur ad gentes latè diffuſas, colligere cœ-
pit ex gentibus oves erroneas: ut ex utroque ouili,
collectis in unum ovibus, unum ovile & unus paſtor
fieret: & qui redemerat, ipſe paſceret. Sed ne impar
inveniretur contumeliæ obſequium, ab Hieruſalem ex-
currit uſque Illyricum: per vicos, per caſtella, per op-
pida, atque provincias nomen Chriſti diſſeminans,
ſummamque ſalutis humanæ in cultu Chriſtianæ re-
ligionis conſiſtere, legalibus atque Evangelicis alle-
gationibus affirmans. Verbo docet, exemplo ſuadet:
miroque & inaudito charitatis affectu, pro fratribus
anathema eſſe optat, omnes homines ſicut ſeipſum eſſe
deſiderat. Alios Chriſto gignit, alios à fide abortivos
iterum parturit: & ne quid paternæ nobilitatis in fi-
liis degeneret, materna ſolicitudine ſatagit. Parvu-
los in Christo lacte potat, adultos in fide ſolido
cibo roborat: inter illos nihil, niſi Chriſtum & hunc
Crucifixum ſe ſcire iudicat, inter iſtos de ſecretis
cœleſtibus & myſteriis à ſeculo abſconditis, diſputat.
Inter hæc, imò propter hæc pietatis ſtudia, vinculis
alligatur, virgis cæditur, lapidibus obruitur, carce-
re includitur: ſed quia verbum Dei nec alligari po-
C teſt, nec includi, epiſtolis ubique advolat, actus
vitæ informat: laſſos ſuppoſita manu conſolationis
ſuſtentat, pro tribulatione momentanea & fœlici
perſeverantia præmia repromittens æterna. Cum in-
firmantibus infirmatur, pro ſcandalizatis uritur: &
ut breviter concludam omnia, ut omnes lucrifaciat,
omnibus fit omnia. Sed ad hoc nequaquam vas ele-
ctionis gratiæ Dei, ſuper menſam opuſculi noſtri
propoſuimus, ut Apoſtolicæ vocationis, ſudoris, ac
paſſionis, ſeriem ex integro revoluamus: ſed ut in
eius electione atque Apoſtolicæ dignitatis culmine,
intueamur magnitudinem ipſius de qua agimus gra-
tiæ. Cuius magnitudinem in ſe & ipſe miratur: at-
que Apoſtolicæ dignitatis nomine ſe indignum eſſe
humili confeſſione teſtatur. Nam cum de reſurre-
ctione Domini ageret, teſteſque reſurrectionis eos,
quibus viſus eſt Dominus aſciſceret: *noviſſimè*, in-
quit, *omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi. Ego
enim ſum minimus Apoſtolorum: qui non ſum dignus
vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam
D Dei.* Sed ne ingratus gratiæ Dei videretur, colla-
ti ſibi beneficij reminiſcitur: totumque quod eſt,
non meritis ſuis aut laboribus, ſed bonorum om-
nium largitori tribuit: *Gratia*, inquiens, *Dei ſum
id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Sed
& ſi quis velit epiſtolarum eiuſdem textum percurre-
re, inveniet eum hoc in omni penè epiſtola agere, ut
eos redarguat, qui ex legalibus cæremoniis aut ex
operibus ſuis gratiam Dei ſibi arrogant: & gratiæ
Dei, cui iure ſubiecta ſunt omnia, ſubiiciat. Quia
verò ad finem feſtinat oratio, quæ epiſtolas eius le-
gentibus in promptu ſunt, lectoris faſtidio parcens,
nunc inſerere ſuperſedeo. Sunt & alij in catalogo ſan-
ctorum quam plures & innumerabiles: in quibus
cùm penè eſſet abolitum totius virtutis veſtigium,
reformante & inſtaurante eos gratia, ſubitò in Chri-
E sti Eccleſia velut clara fulſerunt luminaria. Nihil
enim impoſſibile occurrit omnipotenti gratiæ: quæ
ſæpe idcirco deſperatos ad vitam revocat, ut aliis
æquè deſperatis ſpem reviviſcendi tribuat. Duos au-
tem me promiſi teſtes exhibiturum, duo de multis mil-
libus, in quibus Gratia Dei ſpecialius emineat: quo-
rum cum alterum exhibuerim, altera iam ſeipſam ex-
hibeat.

PRocedat itaque illa in civitate quondam celebri,
notiſſima, notiſſima dico non fama bona, ſed infa-
mia: honeſtatis opprobrium, pudoris naufragium.
De qua, cùm conſtet, qualis fuerit, antequam do-
minicos pedes laverit, terſerit, unxerit, videamus
de convivio miſericordiæ, qualis redierit. Audito
enim quod in domo Simonis leproſi ſalus accubuerit,
& ad leproſos uſque emundandos oleum gratiæ deflu-
xerit, horrorem immundiſſimæ lepræ intus abhorrens,
& ſeipſam quo clarius intuens, eò gravius erubeſcens,
F inter convivantes pio ream obtulit: & quid quære-
ret, quid peteret, quid opus haberet, lingua ta-
cente lachrymis prodidit. Noverat enim ad quem
venerat, cui prociderat, quem exorabat, quodque
apud Deum plus dolor cordis, quàm clamor vocis
ageret: atque apud tam pium iudicem lachrymarum
citius quam linguæ preces obtinerent. Infundendo
igitur pedes Domini lachrymis, emundabat conſcien-
tiam maculis: & crebro infigendo oſculum, ſedulæ
devotionis obſequio, antiquum conciliabat odium. Et
quia nec id, quod inſenſibile erat, à ſervitute peccati,
immune remanſerat, idipſum quoque ad ſatisfactio-
nem peccati, humiliter exhibebat: & pedes, quos la-
chrymis infundebat, capillis tergebat: quibus antea fre-
quenter quaſi quibuſdam vinculis, captivos poſt ſe
iuvenum greges trahebat. Adhibet & pedibus ſancti,
unguentum nardi piſtici: in piſtico nardo integritatem
commendans fidei. Sic ſic pedibus Domini peccatrix
advoluta, peccatrix, inquam, ſed pœnitens, ſed
flens, & ſeipſam gladio doloris tranſverberans, pro
peccato ſuo, ſeipſam Deo hoſtiam immolabat: quia
ſacrificium contriti cordis & humiliati, à Deo ſper-
G ni non poſſe, propheta atteſtante, non ignorabat.
Fungitur itaque in ſeipſa ſacerdotis officio: ac pri-
mum fuſo ſanguine peccati, de quo ſe iuſtus optat li-
berari, in fruſta ſuam concidit hoſtiam, dum per ſin-
gulos actus quaſi membratim diviſam, in libra cordis
examinat vitam priſtinam. Diligenter autem intuens
ſingula, & immunda reperiens penè omnia, totum la-
xat fontem compunctionis in lachrymas: ut quicquid
ſordium in fundo conſcientiæ ex antiqua converſatio-
ne reſederat, impetus torrentis lachrymarum totum poſt
ſe trahat. Ideo à dolore non parcit, ideo à fletu non
temperat: ut inquinatam hoſtiam, unda lachrymarum
vice baptiſmi abluat, lotamque lachrymis, ut accepta-
bilis fiat, commendat oſculis. Adhibet & ad effu-
gandum fœtorem teterrimum, odorem unguenti ſua-
viſſimum, quæ per corda ſatellitum diaboli de antro
libidinis tetrum fœtorem ſparſerat, per ora conviva-
rum Chriſti de alabaſtro pœnitentiæ odorem ſuavita-
tis ſpargat. Spectare libet opulentum regis noſtri
H con[illegible]um, & diverſa, quæ inferuntur ſaporibus ſuis
diſcernere fercula. Simon ille, qui invitaverat, fercu-
la ſua domino tanquam viro iuſto dubia fide exhibue-
rat, de quorum condimento nihil memorat Evangeli-
ſta, quia ſinapi non erant condita Evangelico. Quia
enim granum ſynapis minutum in homine Simon vi-
debat, ideo vim ſynapis in divinitate latentem, &
animas fide condientem, phariſaica cæcus iactantia
non intelligebat. Idcirco præiudicio & miſeram pre-
mit, & miſericordiam: illam quæ & qualis eſſet indi-
cans, iſtum vero quaſi neſcientem; quæ & qualis eſ-
ſet, vituperans. *Hic ſi eſſet*, inquit, *propheta ſci-
ret utique, quæ & qualis eſt, quæ tangit eum quia pec-
catrix eſt.* Sed de ferculis Simonis, quia incondita ſunt,
iſta ſufficiant, ad condimentum Mariæ eſuries noſtra

magis

Digitized by Google

A magis inhiat. Maria ut æſtimo ſicut legis alumna, noverat quod hœdos arte Rebeccæ coctos atque conditos libenter Iſaac comedat, coctionemque hœdorum converſionem prætendere peccatorum. Forſitan & audierat diſputante in parabolis domino de pœnitentiæ remedio, quod gaudium ſit in cœlis ſuper converſione unius pœnitentis, quam ſuper nonaginta novem iuſtis pœnitentiæ remedio non egentibus. Aſſumpta ergo ſpei fiducia, convolat ad divinæ pietatis remedia, mortuum cadaver animæ condiens mixtura compunctionis & pœnitentiæ, ne corruptio incondita putredinem generaret, putredo fœtorem exhalaret. Totam autem ſe in mortariolo cordis pila humilitatis conterens, & more aromatum, quaſi in tenuiſſimum pulverem redigens, gratiſſimum epulanti domino exhibet convivium: dum ſingulis ferculis iocundiſſimum veræ dilectionis ſuperaducit condimen-B tum. Maria igitur tam dulcia, tam ſuavia alia poſt alia inferente fercula, eſuries expletur dominica, qui ad Phariſæi quidem domum invitatus venerat, ad menſam conſederat, ſed quia Iudaicas ſuperſtitiones faſtidiebat, in mediis adhuc epulis ieiunus ſpiritu permanebat. Gaudet itaque oblatis, propter quas venerat, epulis, iocundatur admodum exquiſitis pœnitentiæ ferculis, & quia æſtus amoris in corde Mariæ incanduerat, vino compunctionis & pœnitentiæ loſepi noſter inebriatur meridie. Mirum & inauditum ſpectaculum, Flente miſera, ridet miſericordia: quia niſi adeſſet miſera, quaſi ocioſa eſſet miſericordia. Pulſat ream phariſaica, ſed falſa iuſtitia: ſed trepidanti ream, ſemetipſam opponit clementia, & propoſita duorum debitorum parabola, plus debentem, quia & plus diligentem abſolvit iuſtitia. *Vides*, inquit, *hanc mulierem*? Cum tu pedes meos aqua non infuderis: iſta rigavit eos lachrymis. Iſta ex quo intravit, pedes meos deoſculari non deſiit, cum tu nec mo-C re invitantium, invitato oſculum dederis. Caput meum non unxiſti oleo: iſta vero pedes meos unguento tam precioſo, tam copioſè perunxit, ut domus tota eius odore repleta ſit. Hæc ſunt magnæ devotionis indicia: hæc indubitata veræ dilectionis teſtimonia. Multum amat, multum diligit, quæ tam officioſo ſtudio pietatis inſeruit. Quia ergo multum dilexit, multum meruit: multorum delictorum veniam obtinuit. O pietas, ô miſericordia, ô gratia, quis audivit talia, quis vidit ſimilia? Intraverat peccatrix, peccatorum pannis obſita: procedit ſubitò ſancta, ſtola ſanctitatis ſplendida. Non multa annorum, non multa dierum curricula interfluunt, non crapulam luxuriæ ieiunia caſta decoquunt, non alta ſuſpiria arcem peccati pectus quatiunt: ſed ſola interveniente gratia, captiva peccati fit libera, & tanti rea, tanti muneris donatur prærogativa. Audiat mundus, concurrat populus: contempletur, miretur, odoretur, odore unguenti repleta eſt tota domus. Nullius enormitate peccati peccator deſperet de venia: teſtis aſtat Maria, qualis, quàm pia, quam D potens ſit, quæ medetur Gratia. Qualecunque ſit vulnus, quàm altum, quàm putridum: non eſt medico noſtro inſanabile, tantum recipiat quod ſuperinducitur emplaſtrum pœnitentiæ. Ecce quot vulnera, ecce quam alta, quàm putrida ſubitò ſanata ſunt in Maria, medicante ipſa quam prædicamus redemptoris Gratia. Ecce ſana aſtat: ecce magnitudinem gratiæ, qua ſanata eſt, magna gratiarum actione magnificat. Ecce naufragia luxuriæ paſſos, ipſa in littore ſtans, ad portum pœnitentiæ vocat: porrectaque manu præ interceſſionis emergentes iuvat. Facta eſt enim ſancta iſta peccatrix peccatorum fideliſſima reconciliatrix, facta eſt miſerorum benigniſſima conſolatrix: quia acerbitatem dolorum in ſe experta, optimè novit quanta indigeant, qui patiuntur, miſericordia. Sed quid diutius collatis Mariæ beneficiis immoramur: qui eiuſdem gratiæ dona, quotidie in his, quæ fiunt ubique terrarum miramur? Nunquid enim ocioſè in auras evanuit, qui de unguento Mariæ

E odor ſpiravit? Vnde in domum Eccleſiæ, ubi redemptor noſter in humilitate noſtra accubuit, tanta quotidie pœnitentium turba confluit: niſi quia eos odor unguenti trahit? Hoc odore tracti, omnis conditio, omnis ætas, omnis ſexus in domum ſalutis certatim currunt, qui peccato ſaucij tactum ſalvatoris quærunt. Quæ eſt autem alia, quæ cœlum pulſet violentia: niſi exercitu ſuo ſtipata peccatorum pœnitentia? Quæ dum cupit ius alienum invadere, & indebitam ſibi ſanctorum ſortem armis obtinere, domeſticos ſuos ſecreti ſui optime conſcios, lachrymas & ſuſpiria ad cœli clavigeram præmittit gratiam: ut accepta probatæ monetæ, puræ ſcilicet confeſſionis, & ſanctæ deinceps converſationis pecunia, clauſam ſibi per culpam regni ipſa aperiat ianuam. Cui enim unquam regni ianua patuit, cui gratia non aperuit? Quis inter ſupernas unquam tribus funiculum hæreditatis obtinuit, cui F ſortem gratia non diſtribuit? Quis æterni regis ſolium coronandus adiit, quem gratia non perduxit? Quis ibi coronam victor promeruit, niſi cui gratia impoſuit? Ipſa eſt enim, quæ aperit, ipſa, quæ perducit: ipſa, quæ cauſam ſupplicum peragit, ipſa, quæ ſingulis præmia pro meritis reſtituit. Pœnitentia igitur clauſtra cœli pia volens pulſare violentia, mercede qua dixi gratiæ conducit exercitum: confidens ſibi pervia fore omnia, ſi huius mereatur ſuffragium. Ipſa itaque ſuffragante peccatoribus, *regnum cœlorum vim patitur: & violenti diripiunt illud.* Iſta eſt gratia, quæ in rebus creandis, vivificandis, vegetandis, principatum ab æterno obtinet: iſta quæ tuendi, provehendi, & ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti perducendi, poteſtatem in ſeipſa poſſidet. Ipſa eſt, quæ in utero matris lutum pláſmationis noſtræ compingit, ipſa, quæ ſingula ſedibus ſuis membra diſtinguit: quæ fluxa ſolidata vivificat: & clauſum in carcere ventris parvulum, matre ocioſa & ad hæc nutrimenta nondum idonea, ſpiramento & alimento quo ipſa novit vegetat. G Producit deinde parvulum hominem & adhuc quod homo ſit neſcientem, de tenebris ventris in hanc viſibilem lucem: ut in hanc vallem lachrymarum proiectus, exilium damnationis ſuæ defleat: & alium, de quo beatius renaſcatur uterum, fletu, gemitu, qua interim poteſt ſupplicatione, quærat. Miſerata autem pia mater gratia, flebilem parvuli ſui gemitum, & innoxiæ ætatis originale delictum, infœliciter natum, ut fœlicius renaſcatur, mirabili & ineffabili deificæ creationis potentia, Eccleſiæ matris refundit in uterum: in uno eodemque mortificans peccatorem, vivificans hominem: ut qui morti natus erat, renaſcatur vitæ: qui natus exilio, renaſcatur patriæ: qui natus ſeculo, renaſcatur fœlicius Deo. Sic editum & multò beatius quam prima nativitate genitum, gratulabunda genibus excipit, lactat, fovet, nutrit: adultumque magiſtris ſpiritualibus, imbuendum diſciplinis cœleſtibus tradit, nec tamen ipſa deſerit. Docet namque magiſtros quid doceant, tyronem ſuum, quomodo inſtruant, ætatis florem ſeculo arridentem rationis pede conterere, & H animos iuveniles, fervidos, & infrænes, & in foveam luxuriæ impetu carnis ruentes, freno timoris Domini retinere. Carnem proinde tanquam familiarem vitiis, non enervandam eſſe deliciis, nec incendium adoleſcentiæ æſtu inflammandum luxuriæ: ſed utrumque ita mediè temperandum, ut caro ſpiritui velut ancilla ſerviens, nec nimis afflicta, ſub faſce ruat, nec laſciva nimis, imperium ſpiritus contumaci cervice reſpuat. Præmonet & neophytum ſuum, ſummopere cavere à peſſimo verme illo ſuperbiæ: & ne quem perverſa radix in eo inveniat fomitem, ſemper recolat terram ſe eſſe & cinerem. Monet & diligenter obſervare nequiſſimum caput colubri illius, quo nullum eſt nequius: ut contrito venenato capite, nullus ſuperſit metus de reliquo corpore. His & huiuſmodi diſciplinis inſtructum militem, Chriſti gratia noſtra armatura induit apoſtolica: lorica munit præcordia, caput galea: levique loro clypeum collo ſuſpendit, ut facili motu circumferri

poſſit

A poſſit quocunque cura protegendi corporis poſcit. Et quia enſis fortium propter timores nocturnos ſemper eſt ſuper fœmur ſuum, gladio verbi lumbos accingit. ut fluxum luxuriæ cingulo caſtitatis ſtringat, & incurſus libidinis, gladio ſpiritus arceat. Nec ocioſè pendet enſis militis Chriſti de fœmore: ſed ut documento ſit intuentibus, nullum niſi præcinctum caſtitate, propellere poſſe incurſantes malignos ſpiritus. Tectum itaque undique armis ſpiritualibus, ſpiritu quoque conſilij adoptivum ſuum gratia mater imbuit: quia præclara quoque arma ſæpe pugnantem plus onerant, quàm iuvant, ubi pugnam conſilium non gubernat. Neceſſe eſt, inquit, fili mi, ut noveris, cum quo hoſte congreſſurus ſis: viſibilis ſit an inviſibilis, viribus nitatur an dolis: ut agnita qualitate & pugnæ & hoſtis, facilius ab utroque cavere poſſis. Hoſtis tuus eſt B ille antiquus, ille nequiſſimus: qui tabe invidiæ ab initio lividus, adoptionis tuæ gloriam tibi invidet, qua ſpoliante eum ſuperbia ſua ita nudatus eſt, ut nec nudatum ſe eſſe doleat. Hanc tuam & ſuam ſi humilis perſtitiſſet, gloriam tibi invidet, ad hanc te aſpirare dolet: viamque qua aſcenſurus es, obſidet, aſcendenti armatus occurrit: ut ad quod ipſe non anhelat, iter regni tibi intercludat. Sed ne terrearis illius armatura, nec metuas ſpicula, quæ fide Chriſti ita ſunt obtuſa: ut nullum iam nocendi effectum habeant, ſi ſcuto fidei manitum pectus inveniant. Ne ergo contremiſcas aſpera minantem, quia invalidum: nec audias læta promittentem, quia fallacem: ſed æquè minas inanes & vanas promiſſiones ſurda aure prætereas. Si ergo contra faciem intenderit iacula, ſcuto excipe venientia: & ne obliquum vulnus infligat, adducto clypeo latus quoque munire non negligas. Clavis enim crucis Chriſti transfixus, & viribus enervatus, ad fraudem ſe contulit: & quando aperto certamine nil proficit, transfigurat ſe in angelum lucis, miniſtrum ſalutis ſe menC tiens, & incautos ſpecie virtutis decipiens. Mille namque formas fallaciæ induit, & malitiæ ſuæ impetu inſtar molæ circumactus, ovile Chriſti rugiens circuit: ut quoquo modo, ſive manifeſtis vitiis, ſive occultis, & ſpecie boni tectis, de grege Chriſti abductos devoret. *Omni* ergo *cuſtodia fili mi cor tuum ſerva*, nec clauſtra cordis tui aliquando reſeres calidiſſimo tentatori: quia nullo pacto poteſt ſignaculum crucis Chriſti infringere, niſi fortè (quod abſit) fallaciæ eius blandiciis delinitus, ſponte velis intra mœnia tua hoſtem ſæviſſimum admittere. Hoc itaque modo excluſus, ad alia ſe vertit fraudis argumenta, tentans ſcala iactantiæ, arcem cordis tui conſcendere: te ſanctum, te Deo placitum victoremque ſui conteſtans: ſe verò velut infirmum, velut invalidum, & prudentia tua ſupplantatum, & virtute deiectum doloſè ſimulans: nihil tibi de reliquo mentiens eſſet timendum, qui hoſtem tam ſævum pede contriveris, ut vermen invalidum. Nec fit de virtute Dei, aut de gratia Chriſti aliqua mentio ab inſidiatore nequiſſimo, ſed virtutem tuam prædicat, victoriam tuam magnificè, ſed D doloſè, occulta ſuggeſtione exaltat: ut ſi blandienti aurem commodaveris, & victoriam Chriſti aut viribus, aut meritis tuis arrogaveris, baſe deſertus humilitatis, de alto elationis, ruas in profundum perditionis. Quod ſi mentem tuam alta humilitate fundatam invenerit, & hoc ſuperbiæ ariete ſubvertere non potuerit, admovet aliam nocturnæ revelationis machinam: dormienti ſplendidus aſſiſtens, ventura multa prædicens, & interdum vera interſerens: ut parem te credas Apoſtolis, qui ſomno reſolutus, ſpiritu propheti͡æ divinitus donatus ſis. Sed ne credas mendaci, & qui pater eſt mendacij: quia valde eſt indignum veritati falſitatis teſtimonium: & dum vera loqui creditur, gravius elidere nititur. Sic præmonitum, ita præmunitum tyronem ſuum gratia educit ad certaminis ſtadium: de cœlo imprecans congredienti auxilium. Protegente itaque militem ſuum ſuperna clementia, & virtute Chriſti conſummata de hoſte ſæviſſimo tam inſigni

E victoria, gaudet pia mater, exultat, tripudiat, & æterno regi victorem ſuum coronandum repræſentat, legitimumque certamen militis comprobans, præmia victori poſcit condigna labori. Vbi qualia & quanta miles Chriſti emeritus præmia recipiat, non eſt inter terrigenas, qui enarrare ſufficiat. Totum eſt igitur gratiæ Dei, quod ſumus, quòd vivimus, quod ſeculo naſcimur, quod Chriſto renaſcimur: quòd antiquo hoſte conditionis lege inferiores, redemptoris munere efficimur ſuperiores, quòd carnis infirmitate debiliores Spiritus-ſancti virtute reddimur fortiores: quod inæquali ſorte naturæ confligimus, & victoriæ palmam Chriſto in nobis triumphante obtinemus. Illa autem ſanctorum præmia, quæ in præſenti adhuc nobis celantur, & futuræ agnitioni reſervantur, ſicut viſu incognita, & uſu ſunt incomperta, ita effatu quoque ſunt inenarrabilia. Sed ne non amarentur, ſi penitus F ignorarentur, ſpeculum quoddam inter caliginem noſtram, & claritatem ſuam divina ſerenitas nobis interpoſuit: per quod utcunque fidei tranſmiſſa acie, repoſita nobis æternæ claritatis gaudia ſpeculemur, & ad hæc promerenda, toto mentis ardore inflammemur. De qua noſtra per ſpeculum fidei contemplatione, eleganti humanæ ætatis inducta ſimilitudine, eleganter vas electionis diſſeruit. Nam cum charitatem Corinthiis commendaret, ac multa de laude eius Apoſtolica eloquentia peroraſſet: ad extremum *charitas*, inquit, *nunquam excidit, Prophetia evacuabitur, linguæ ceſſabunt, ſcientia deſtruetur, charitas* verò *nunquam excidit.* Et quaſi cauſam inferens, cur talia ac tanta ſancti Spiritus chariſmata evacuentur atque deſtruantur: *ex parte enim*, ait, *cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Prophetia evacuatur, ſcientia deſtruitur, quia ex parte ſunt, quia imperfecta ſunt, quæ gerunt, quia immatura quæ ſapiunt. *Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus ſum vir, evacuavi, quæ erant parvuli.* G *Sic & cùm venerit quod perfectum eſt: evacuabitur quod ex parte eſt.* Sole rutilante, clara prius abſconduntur ſydera: non, quo claritatem ſuam perdant, ſed quod tantæ claritatis iubare obfuſa, non pareant. Ita & in æterna claritate *prophetia evacuabitur*, ſed ut impleatur: *ſcientia deſtruetur*, ſed ut perficiatur: quæ cum impleta & perfecta fuerint, æternæ plenitudini temporalis hæc exinanitio collata, erit quaſi non fuerit. Prophetia itaque nunc interim loquitur ut parvulus, ſcientia ſapit ut parvulus: quia nunc per ſpeculum videmus & in ænigmate, cum autem in virum perfectum occurrerimus, tunc facie ad faciem videbimus. Apendamus nunc ſi placet partem qua nunc interim ſancti cognoſcunt & prophetant in libra iudicij: & cum nulla noſtra æſtimatione partem ipſam poterimus æquare, videbimus totum illud atque perfectum, & ſenſu incomprehenſibile, & verbo ineffabile, nullaque prorſus comparatione, æſtimabile. Videamus, quæ pars ipſi qui hæc loquitur B. Apoſtolo obvenerit: quam nemo fidelius, quam qui accepit, oſtenderit. *Scio hominem*, inquit, *in Chriſto ante annos quatuordecim, ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio,* H *Deus ſcit, raptum huiuſmodi uſque ad tertiũ cœlum.* Quid eſt B. Apoſtole quod loqueris? Quid verè vas electionis profundis? Ex parte cognoſcis: & tertij cœli ſecreta rimaris? ſi totum acceperis, quo penetrabis? Si corpore quod corrumpitur, & aggravat animam ligatus, euſque penetras: ſolutus quo avolas? Sicut dixit qui ait, *Domine neſcimus, quo vadis*, ſanctus ille Thomas, dicam & ego, Apoſtole neſcimus, quo avolas. O pars optima, ô pars verè Apoſtolica. *Et ſcio huiuſmodi hominem, ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit, quoniam raptus eſt in paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Magna pars hominis, ut homo audiat quod homini loqui non liceat. Vides ergo quod ineffabile ſit, illud integrum, illud totum, illud perfectum: cum ineffabilis quoque ſit pars ipſa totius exigua. Quis igitur à me pauperrimo, & ad hæc myſteria verè elingui, impoſſibilia exigat,

Digitized by Google

A qui ſanum ſapiat? Quis à me exigat ut enarrem, quæ ſint illa æternæ beatitudinis & beatæ æternitatis gaudia, ubi erit Deus omnia in omnibus: cum enarrare non queam, quanta ſint illa ſanctorum chariſmata, ubi eſt Deus adhuc in ſingulis omnia? Eſt enim modo in hoc imperfectionis tempore Deus omnia in ſingulis: quando *prout vult ſingulis dividit, alij ſermonem ſapientiæ, alij ſermonem ſcientiæ, alij gratiam ſanitatum, alij operationem virtutum, alij prophetiam, alij diſcretionem ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretationem ſermonum.* Alteri firmitatem fidei, alij certitudinem ſpei, alij baſim humilitatis, alij ſupereminentiam charitatis, illa illis, alia aliis, quæ poſtrema ſalutis chariſmata ſine quibus nemo ſalvatur, licet in omnibus inveniantur, qui ſalvantur, in alio tamen minus, in alio amplius. *Datur autem omnibus*, ut ait Apoſtolus, *manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, ad imperfectionis conſummationem: ut qui modo eſt omnia in
B ſingulis, ſit quandoque Deus omnia in omnibus: Cùm ergo in illa æterna ſanctorum beatitudine unus acceperit, quod modo dividitur ſingulis: quantum putas erit illud præmium, quale gaudium? Non eſt humanæ anguſtiæ illa æternæ claritatis gaudia comprehendere, ubi quod contriſtet nihil interveniet: nihil deerit, quod lætificet.

LVctus ibi nullus reſonat, quia nec dolor ullus:
Nil ibi, quod pigeat, tædeat, aut pudeat,
Non ibi peccatum, quod poſsidet hic dominatum.
Quod ſervi vitio, non ea ſcit regio.
Cunctis inviſa n ors ipſa, nec eſt ibi viſa,
Nec metuenda tibi, vita perennis ibi.
Non opus eſt aratris illic, aut imbribus atris
Semina, qui foveant arida ne pereant.
Omnibus eſt unus panis, mirabile munus,
C *Quem ſemper comedas, nec comedens minuas.*
Mirum, ſed verum: facies illic nova rerum,
Qui verè cibus eſt, panis ibi Deus eſt:
Anxietas, peſtis, morbus, languor, procul eſtis:
Terrigenas premitis, cœlicolas fugitis.
Qualis ibi veſtis ſit, adeſt ſacra pagina teſtis.
Chriſto veſtitur, qui lavacro abluitur.
Hanc cuſtodieris, nudus non invenieris.
Nunc clarus ſola, tunc in utraque ſtola
Vrbs ex æterno ſtat in illo monte ſuperno:
Quæ quam clara gerat mœnia, quis referat?
Vallatur muro quadro, nunquam ruituro.
Stat ſuffulta fide, non alio lapide.
Turribus eſt fortis, duodenis pervia portis,
Perpetuo claret lumine, nocte caret.
Pax ibi tranquilla, nullus metus hoſtis in illa,
Gaudet turba pia perpete lætitia.
Concurrunt gentes, nullus vetat ingredientes,
Promiſſaque ſibi ſorte fruuntur ibi.
Accelerant quique, celeri pede, perfacilique,
D *Fertur turba ſenum, mixta choro iuvenum.*
Convocat hinc cives ad præmia, gratia dives,
Vt quotquot veniant, debita percipiant.
Erogat his dos a, datur unicuique corona.
Sanguine purpureus clarus ibi cuneus.
Durius afflictus, præclarius eſt & amictus,
In turba nivea, veſte micans roſea.
Sunt quoque clara ſatis tunc præmia virginitatis:
Carnis ab illecebris libera, fit celebris.
Ob meritum magnum niveum ſequitur comes agnum,
Ac removens ſpeculum, figit in hunc oculum.
Hoc viſu mentem ſic explens eſurientem,
Vt ſibi quod doleat defore, nil maneat.
Fœlices cuncti tam largo munere functi,
Vt tantum capiant, plus nihil ut cupiant.
Talibus in cœlis donatur quiſque fidelis:
Chriſti corde pio deditus obſequio.
Tanta ſuis natis confert pia gratia gratis,
Ipſius donum credimus omne bonum.
Sed percunctaris, ſi gratis, quid merearis: E
Ipſum velle tuum, noveris eſſe ſuum.

HIs ita de gaudiis æternæ beatitudinis, non pro ſua dignitate, ſed pro noſtra tenuitate digeſtis, ad fontem ſuum reflectam arentem rivulum, illius piæ memoriæ offerens munus pauperis ingenij, cuius hoc imperio tractandum ſuſcepi. Suſcepi autem hoc iubente venerabili patre noſtro, florentis tunc in Chriſti religione Affligenienſis cœnobij Abbate primo Fulgentio, qui Chriſtianæ paupertatis, monachicæ humilitatis, atque paternæ charitatis viva cordibus noſtris veſtigia vivens impreſſit, & ad gaudia paradiſi tranſiens, nobis imitanda reliquit. Qui prædicti cœnobij fundator, ac monachicæ inſtitutionis primus in illo informator, in barbara illa, non dico fidei confeſſione, ſed operis exhibitione, gentium ſolitudine, peregrino Chriſto, & frequenter illic tranſeunti diverſorium F ſtatuit, quo è diverſis partibus multis diverſæ conditionis, profeſſionis & ætatis confluentibus, & in diverſorio ſuo Chriſtum inquirentibus, plures ſervitio Chriſti mancipavit: ita ut incolatus ſui tempore plus quam ducentorum triginta tam monachorum quam ſanctimonialium ac fratrum obedientiæ lege viventium, diverſis in locis pater mereretur exiſtere Quibus dum more fidelis ſervi menſuram tritici dividit, nec minus de temporali ſubſidio ſollicitudinem gerit, quantos æſtus, quantos cordis cruciatus anima illa ſancta tulerit: præter eum, qui ſuſtinuit, nemo qui noverit. Nec tamen in camino paupertatis frequenter aduſtus & multo tribulationum igne decoctus crepuit: ſed quò durius arſit, purior evaſit. Fulget itaque nunc ut optamus & confidimus in illa æterna claritate noſter Fulgentius: ubi eum noſtrum inobedientiæ noſtræ flagitamus interceſſorem, quem hic obedientiæ habuimus præceptorem. Ipſi igitur obedientiæ ſuæ G fructum offero, ut corrigat, quod corrigendum iudicaverit, quod veritatis lumine illuſtratus me melius utique novit: & correctum auctori gratiæ munus utinam acceptabile offerat. Nihil enim in me, nihil prorſus invenio, quod examinandum offerre audeam diſtricti illius iudicis iudicio: niſi fortè interveniente gratia, quam prædico, purgari merear carbone illo deſolatorio, quem de altari unus de ſeraphin forcipe tulit, atque Iſaiæ prophetæ labia munda reddidit. Nec labiorum tantum purgatione egeo, ſed & cordis ac totius corporis: & quia inquinata ſunt me iudice mea omnia, divinæ purgationis carbonem expectant univerſa. Ad illius ergo omnipotentiam emundandus confugio, cuius pietatis præconia in hoc opuſculo non condignis laudibus, ſed pro viribus extuli, ut me indignum præconem ſuum, Æthiopica pelle & nativa nigredine exuat, & intra latiſſimum illum gratiæ ſinum componat, qui cœleſtia ſimul & terrena complectitur, nec tamen latitudinis ſuæ anguſtias patitur. Quamvis enim me miſerum, ſaucium & ſemivivum, & ſacerdos, & levita prætereat, ſpero tamen, quòd plaſma tuum, ô piiſſime Samaritane, non pertranſeat, donec vulne- H ra alliges, & mordax vinum leni oleo mitiges, debitamque negligenti ſeveritatem, neceſſaria moribundo clementia temperes, & ſuſceptum ægrum cuiuſuis miniſtrorum tuorum manibus, impenſis autem tuis ſanes. Hanc verò viciſſitudinem pro laude gratiæ, te ô auctor gratiæ Domine IESV Chriſte expeto, ut conſortio te laudantium, tibi iubilantium, atque gratias agentium, me ſocies: ut collirio gratiæ clarificata acie vultum tuũ ô dulciſſime, ô affectuoſe, atque omni ſuavior ſuavitate contempler, ut remoto nubilo ſpeculi, in teipſo videam quæ & qualis ac quanta ſit illa tua, quæ ſaluat omnia gratia. Hæc eſt namque, quæ coruſcat in angelis, thronos diſponit Apoſtolis, triumphat in martyribus, palmas diſtribuit virginibus, iuſtis congratulatur omnibus, dignaque pro omnibus gratiarum actione tibi ô Trinitas ſancta æternis concelebrat laudibus. Sit nunc in fine operis laus & gratiarum actio ei,

A qui eſt principium & finis : à quo cum initium ſumant omnia , ad finem quoque conſummationis ſingula in ordine ſuo ipſius perducuntur gratia. Si quid verò in hac pauperis ingenij menſa lector invenerit, quod vel parvulorum nutrimento commodum iudicaverit , gratiæ Dei eſſe noverit : quicquid verò inconditum & inſipidum , imperitiæ meæ eſſe ſciat , & veniam tribuat. Nihil enim poteſt palmes ſine vite, nec nos ſine auctore gratiæ : qui vivit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

EPISTOLA FRANCONIS MONACHI,

B

QVOD MONACHVS Abiecto habitu, non poſſit ſalvari.

LAntberto Gratia Dei in adoptionem filiorum Dei vocato , Frater Franco habitu , utinam actu monachus , non ea quæ prudentiæ carnis ſunt , quæ inimica eſt Deo , ſed quæ Dei ſunt ſapere. Lectis , frater mi , literis , ſive tuis , ſive illius , qui ut invius monachus fuit , quique de apoſtaſia relicti habitus ſacri per te mihi quæſtionem propoſuit , recordatus ſum illius verſiculi , *ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Recordatus ſum etiam veteris illius & inobedientis Adæ , qui hodieque in filiis inobedientiæ affectatis præſumptis vetitis , ſeipſum erubeſcens, à ſereniſſima luce vultus Dei , ad latebras tenebroſi cordis confugit , & ad excuſanda in peccatis , imò ut verius dicam, cumulanda peccatis peccata , quaſi ad operienda verenda , folia fici conſuit. De quorum collegio ille tuus neſcio quo nomine cenſendus, quia iam nec clericus nec monachus , utpote qui alterius habitum proiecit, alterius illicitè uſurpavit, C ſicut à patre ſuo didicit , in operimentum nuditatis ſuæ folia fici modo conſuit , quæſtionem foliorum inſtar levem omni pondere & ſoliditate veritatis inanem nobis ruſticanis proponit , quicquid libet , licere ſibi aſſerit , ut pridie monachus , hodie ſit clericus , cras vel perendie , niſi quod corio ſuo metuit, miles futurus. O ordo ſine ordine , ô defectus , non profectus ! O quantò melius , ô quantò ſalubrius piiſſimo illi & omnipotenti medico vulnera ſua detegeret, emplaſtrumque precioſo ſanguine agni incontaminati confectum , putridis vulneribus die noctuque lachrymando , gemendo , ſuſpirando ab eo inquireret! Debuerat recordari Evangelici illius prodigi,& exemplo eius ductus , porcorum ſiliquas tandem aliquando nauſeans , ad delicias paternæ menſæ ſuſpirare , ut peccatum ſuum oſtendens non contegens , & humiliter confitens , non defendens , indulgentia clementiſſimi patris , & primam ſtolam & annulum paternæ nobilitatis inſigne reciperet. His igitur paucis in commonitionem & conſolationem fugitivi noſtri prælibatis , D ad obiecta me vertam , & aranearum fila infirmis intellectibus lumen veritatis obnubilantia flante Spiritu - ſancto diſſolvam. Quæris à me quid de beatiſſimi viri Benedicti ſententia ſentiam, utrum quem ipſe damnat , ego abſolvam : & de eo , quem irriſorem Dei vocat , ego quid dicam. Abſit à me, abſit , inquam , prorſus à me , ut ſenſus meos tanta unquam impietate induerim , quatenus ſancto illi contraria prædicem , de quo ſanctus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ præſul Gregorius teſtatur in ſecundo Dialogorum libro de vita beati huius edito , quod ſpiritum Dei habuerit , quod prophetali gratia præditus fuerit , cuius doctrinam ſanctam vita ſancta commendat , ſigna & prodigia omni admiratione digna confirmant. Quid enim aliud docuit,quam quod ab eo didicit,cuius ſpiritũ habuit ? *Nemo* , ait Dominus , *mittens manum ad aratrum : & reſpiciens retrò , aptus eſt regno Dei.* E Monachus itaque renuncians parentibus, facultatibus, voluptatibus , & ad extremum quod & ſummum eſt,& propriæ voluntati renuncians , ac iugo obedientiæ Chriſti cervicem humiliter inclinans , manum ad aratrum mittit : quæ ſi aliquando diabolo ſuadente proiecto habitu , repetit,proculdubio retrò reſpicit. Capitulum verò illud Apoſtoli , *Nolite errare , Deus non irridetur* , ad quid induxeris , non ſatis intelligo , niſi fortè ad infirmandam beati viri illic in deſertorem ſanctæ ſummæ profeſſionis prolatam ſententiam , quaſi non rectè appellaverit apoſtatam,monachum irriſorem Dei , qui iuxta Apoſtolum non poteſt irrideri. Sed alia eſt plane , quæ ut ait Apoſtolus in Deum non cadit irriſio , alia , quam legiſlator noſter aſſerit , Deo irrogari à monacho. Illud autem quod ſubiungis habitum ſacrum ſolenni benedictione conſecratum, nihil ſalutis conferre quomodo patienter audiat , quis æquanimiter ferat ? F Nunquid frivola eſſe credenda eſt ſancta ſanctæ Eccleſiæ inſtitutio ? Nunquid inanis eſt in veſtibus & utenſilibus Eccleſiaſtici miniſterij Eccleſiaſtico more celebrata benedictio ? Nunquid ocioſa eſſe credenda eſt ſuper huiuſmodi ſanctæ & individuæ Trinitatis invocatio ? An ſupervacuum æſtimandum eſt , & ſalutis nihil continère nihil conferre, , ſacramentum chriſmatis & olei ? Num & baptiſmatis ſacri ? impia ſunt hæc , impia planè : & à catholicorum omnium ſenſu extranea. Veſtimenta enim in miniſterium , & miniſtrorum Dei uſum , invocatione nominis Chriſti conſecrata , in quo ſanctificantur omnia , quæ in cœlo , & quæ in terra ſalutem præſtant , ſanctitatem multiplicant , ſi tamen utentium eis vita & converſatio digna fuerit , quibus invocatio ſancti nominis incrementum conferat ſanctitatis. Porrò perditè & indignè habitu ſancto viventibus, habitus non diffiteor nihil confert ſalutis : ſed eſt eis teſtimonium & cumulus damnationis. Non poteſt ergo ut aſſeris monachus habitum profeſſionis ſuæ abſque detrimento ſalutis ſuæ abiicere , & habitum clerici aſſumere : cui iam omnis habitus illicitus factus G eſt , præter eum in quo profeſſus eſt. Nunc exempla ipſa quibus ad probanda improbanda fruſtra niteris videamus, quæ ab illo tuo novæ profeſſionis, novo præceptore , qui docet monachum perverſo ordine profiteri clericum, ad roborandam falſitatem ſunt adaptata: quæ quidem peſtilentem doctrinam expugnant potius, quàm defendunt , enervant magis , quàm roborant. Abraham , inquis , Heremita , neptem ſuam Mariam à falſo monacho deceptam militari habitu aſſumpto requiſivit , & lucratus eſt. Bene , Quia Abraham aſſumpſit ſecundum tempus ad requirendam neptem militarem habitum : ideo ne ille in perpetuum proiecit monachicum ? Abraham induit , ad quoddam ut ita dixerim temporis momentum alienum habitum , non proiecit proprium : zelo ductus neptis ſuæ , non odio aut tædio profeſſionis monachicæ. Excuſat in Abraham momentaneam immutationem veſtis , opus pietatis , & quam grata Deo fuerit pia pro nepte ſollicitudo pij ſenis , teſtis eſt illa laude digna converſio neptis. H Attamen & in ipſo temporis articulo opus egit monachi , non militis , conſummatoque opere pietatis , gloriabundus cum præda ſua ad eremum rediit, veſtem , quam ad occultandum ſe induerat, exuit, & ſicut ad illam uſque diem, ita & in reliquum & habitu & exercitio monachicæ profeſſionis Chriſto laudabiliter militavit. Quod verò. B. Ioannem Evangeliſtam fugitivum iuvenem non Apoſtolico inceſſu , ſed equo currente inſequutum narras , quò ſpectat ? Num propter equi curſum , perdidit Apoſtolicum gradum? Miror autem & iuſtè , quod opus redemptoris noſtri, & myſterium redemptionis noſtræ deteſtabili facto aſſimilare præſumpſiſti. Quis enim ſani capitis bonum malo coæquet ; Quis virtutem vitio comparet ? Quis ſanæ mentis Deum homini & in opere tam

A diſſimili aſſimilet ? Proh dolor. Ille ſummus virtutum
Dominus, cuius magnitudinis non eſt finis, cuius ſa-
pientiæ non eſt numerus, non dedignatur in forma
humilitatis noſtræ ſimilis nobis apparere, pauper &
infirmus: iſte tuus dedignatur monachicæ humilitatis
habitum Dominicæ cruci configuratum, inſuper & ab-
iecisse ſe eum gloriatur, & recte egiſſe philoſophatur.
eleganter, & propoſitione ſua idoneis teſtimoniis ro-
borata, conſequenter infert. Profeſſionis autem tranſ-
greſſio non nocet. Sed ſi profeſſio monachi ſancta
eſt, quod & ipſe negare non audet, tranſgreſſio au-
tem ſanctitatis, culpæ reatum non evadit, profeſſio-
nis ergo tranſgreſſio noxia eſt tranſgreſſori. Suppe-
tunt mihi chariſſime mi plurima ad ſuffocandum no-
vum hoc genus monſtri de utroque teſtamento teſti-
monia, ſuppetunt etiam ſanctorum patrum in hac
B profeſſione ſancta militantium exempla multa & in-
numerabilia, quorum condenſam ſylvam, ſi conge-
rere voluero, brevitatem epiſtolæ in latitudinem li-
bri extendo. Percurre autem memoria, ſi placet, omnes
ſanctæ huius profeſſionis profeſſores; & ſi ex omni-
bus electis vel unum adduxeris, qui habitum ſuum re-
liquerit, & laudabili fine vitam terminaverit, do ma-
nus. Procidamus iam nunc in fine operis ei qui eſt
principium & finis, ut pius paſtor ſolito illo affe-
ctu pietatis errabundam ovem requirat, inventam
ſuis humeris imponat, & congratulantibus amicis,
& exultantibus angelis, reliquo gregi redintegrato
numero perfectionis reſtituat. Incolumem & ab omni
labe immundi mundi immunem te cuſtodiat, qui cu-
ſtodit Iſrael, frater chariſſime.

C
E I V S D E M A D
Moniales ac ſorores in bigardis & foreſtum conſolatoria.

DILECTIS ſibi in Chriſti dilectione ſororibus
in paradiſum Bigardi à Chriſto inductis, &
à Bigardo in paradiſum deliciarum cœleſtium
ipſo duce, ut optamus, introducendis, ille ſuus
F. frater ſacramento, ſervus officio. Gratia vobis
& abundantia conſolationis ab illo indeficiente fonte
dulcedinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum uni-
verſam ſuperficiem terræ, videlicet animarum noſtra-
rum Evangelicis imbribus & rore Spiritus ſancti ir-
riget, & irrigando fœcundet, nihilominus plenus
in ſe redundat, & plenus ſemper permanet. Cha-
riſſimæ filiæ, ſorores Germanæ, ex illo virginali ute-
ro ſanctæ matris Eccleſiæ abſque omni fœtidæ car-
nis concupiſcentia, Spiritu-ſancto obumbrante in
ſororum mihi affectum genitæ, ipſe mihi teſtis eſt,
qui ſolus conſcientiæ teſtis & iudex intus præſidet,
D quàm pia, quam ſyncera affectione vos diligam, quo-
modo vos omnes in viſceribus Ieſu Chriſti cupiam,
quomodo omnes vos in die Domini, vocatione,
profeſſione, & deſponſatione veſtra dignas inveniri
optem & orem. Vos enim eſtis ſponſa illa glorio-
ſa, ſponſa illa famoſa, filio regis altiſſimi in teſti-
monium nimiæ charitatis ſuæ ſanguine ſuo deſpon-
ſata. Vobis filiæ, vobis Evangelicæ illæ nuptiæ
regio cultu, regio ſunt apparatu præparatæ, vobis
tauri mactati, vobis altilia ſunt occiſa, vobis ille vi-
tulus ſaginatus omni hoſtia pingui pinguior eſt im-
molatus, & ad nuptiarum veſtrarum gaudium di-
gnè percelebrandum, ſymphonia & chorus, & om-
ne genus muſicum angelico eſt miniſterio exhibi-
tum. Tanta igitur charitate deſponſatæ, tali dote
dotatæ, tanta dignatione electæ, & ad tantum cul-
men gloriæ provectæ, omni vigilantia obſervate ſo-
rores meæ, ne quid in vobis ille inevitabilis oculus

E deprehendat, quod reginam, & tanti regis ſponſam
dedeceat, ne quid in cordibus veſtris adulterini affe-
ctus ille inveniat, qui omnem illicitum cordis appe-
titum, adulterium reputat. Purus ille & ſimplex ocu-
lus, nihil poteſt coinquinatum reſpicere, nec vult
ſtratum cordis noſtri commune cum adultero poſſi-
dere. *Anguſtum* namque *ſtratum*, ſicut propheta ait,
*utrumque non capit, & pallium breve utrunque non po-
teſt operire. Quæ enim conventio Chriſti ad Belial?
Aut quæ communicatio luci ad tenebras?* Nulla planè.
O quam longè ab invicem diviſi ſunt ſponſus iſte, &
adulter, & affectus in utrumque quantum ſibi ſunt
diſpares, quia & huius amor omni ſuavitate eſt ſua-
vior, & illius immundi immundus amor, omni fœ-
ditate fœdior, atque omni amaritudine eſt amarior.
Omni ergo ſtudio, omnique cuſtodia amantiſſimæ
F mihi filiæ ſenſuum noſtrorum obſervemus aditus,
ne nobis dormientibus callidè irrepat ille hoſtis anti-
quus, ſerpens lubricus, qui cunctis beſtiis terræ cal-
lidior, & inviſibiliter voluitur, & penè inſenſibili-
ter labitur. Nempe ille communis bonorum omnium
adverſarius cum neminem diligat, & omnes oderit,
monachorum tamen & ſanctimonialium ſanctum no-
men, & ſanctam converſationem ſingulariter exe-
cratur, & perſequitur, tanquam qui ſecundò ne-
quiſſimo capiti renunciaverint, ſecundò ei libellum
repudij proiecerint, primò videlicet in ſancto baptiſ-
mate, ſecundò in ſancta ſanctæ converſationis pro-
feſſione. Nec ideo aut ſollicitudo noſtra minor, aut
intentio debet eſſe remiſſior, quia de ſeculo corpore
quidem exivimus, ſed utinam corde, & parietibus
incluſi, à communi ſimus hominum cohabitatione
diviſi. Paradiſus parietibus noſtris multò firmior, mul-
tò fuit tutior, ſed quia ab inſidiis huius lubrici non
ſatis cavit, nec in paradiſo Adam tutus fuit. Nul-
lus itaque locus contra indefeſſum & pervigilem ho-
G ſtem tutus invenitur homini ubi ipſe homo torpet, &
obdormit à cuſtodia ſui. Domeſtica enim, eſt pu-
gna, quam gerimus, intus eſt hoſtis cum quod di-
micamus, nec parietibus excluditur, ſed ſagittis fi-
dei divinitus ignitis, citò propellitur, nec tamen fun-
ditus extinguitur, ſed victus & Dominico pede contri-
tus, impudorata fronte iterum tentat, iterum congre-
ditur. Non ergo ad tam infeſtum hoſtem præcavendum
& expugnandum, credamus aut vires noſtras ſufficere,
aut induſtriam prævalere: ſed effuſis ad Deum cordi-
bus piis lachrymis, & inſtanti oratione, auxilium
ipſius imploremus, ut ipſe qui omnia novit, & omnia
poteſt, & inſidias eius detegat, & omne robur eius
ſub pedibus noſtris velociter conterat. Quod ſi cruen-
ta illa bellua virtute Dei enervata, aliqua nobis re-
quies interdum arriſerit, non noſtris hoc viribus, aut
noſtris aſcribamus meritis, quaſi aut noſtra virtute
vicerimus, aut noſtris meritis victoriam à Deo obti-
nuerimus. Humilis Dominus non vult ſervos ſuos de
donis ſuis intumeſcere, non vult eos ex collatis ſibi
beneficiis contra ſe tyrannidem aſſumere, ut quod gra-
tiæ eſt divinæ, dicant eſſe virtutis ſuæ. *Quid enim*
H *habes*, ait Apoſtolus, *quod non accepiſti? Si autem ac-
cepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et prophe-
ta: *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in
ea: aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur?*
Vt ergo divinitus nobis collata conſervemus, & con-
ferenda promereamur, humilitati ante omnia ſtudea-
mus, quia & humilitas de terra ad cœlum ſublevat, &
ſuperbia in profundum inferni de cœlo præcipitat. Sint
enim filiæ meæ invicem benignæ, invicem humiles,
ſint ad obediendum promptæ, ad ſerviendum devotæ,
ſint debilium manus, cæcorum oculus, infirmorum ba-
culus, ut ſponſo & Domino ſuo tanto fiant gratiores,
quantò ad exhibendum ſororibus ſuis obſequium
fuerint pro nomine ipſius ferventiores. Nec hæc
agentes, laboris ſui mercedem in præſenti aliquam
requirant, ut eò uberiorem fructum in futuro in-
veniant. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.*

Quicquid lucrifeceritis, Chriſto conſervandum committite, quidquid laboris impenderitis, ante faciem veſtram ad regnum cœlorum præmittere, ubi quicquid repoſitum fuerit, nec tinea demolitur, nec furto perit. Ad cuius regni beatam æternitatem, & æternam beatitudinem nos dignetur perducere, qui nos dignatus eſt in filios adoptare, per unigenitum filium ſuum Dominum noſtrum, qui cum eo & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Orate autem obſecro pro his qui mecum ſunt Dominis meis ac fratribus, quibus ex obedientiæ debito, tanquam ſervus deſervio, vt in nullo detrimentum ſuſtineant, ſed quicquid eis ex officio ſervitutis meæ deeſt, omnipotens Dominus ex abundantia pietatis ſuæ ſuppleat.

Orate & pro me peccatore chariſſimæ filiæ, vt pius Dominus dignetur eiectum ſuum iam revocare, & veſtimẽtis his ſordidis exutum, annulo quoque in ſignum mihi reconciliationis reſtituto, ſtola prima & calciamentis immortalitatis induere, & porcorum ſiliquas iam dudum faſtidientem, in domum æterni convivij exultantibus angelis introducere. Valete ſorores dilectiſſimæ, & lectis literis noſtris, intercedite & pro peccatis noſtris.

Obſecro etiam vt hanc charitatis admonitiunculam, chariſſimis mihi in Chriſto ſororibus Foreſtum dirigatis, vt quia plurimum de eis confido, communi Domino una vobiſcum pro me peccatore ſupplicent, quatenus pius iudex reum ſuum pedibus ſuis tot iam annis pro venia poſtulandi provolutum, & à vinculis peccatorum dignetur abſoluere, & de tabernaculo corporis huius educere, feſtumque gaudium de perdita ove & inventa angelicis ſpiritibus exhibere. Quas quia in eodem ſpiritu, & eodem affectu quo & vos diligo, eadem ipſis, quæ & vobis mutato tantum nomine ſcribo, cum quibus, vt in regno Dei gaudeam, orationes earum ſanctæ obtineant. Amen.

FINIS.

DROGONIS,

PRIMUM ABBATIS S. IOANNIS LAUDUNENSIS, Deinde Hoſtienſis Epiſcopi, de Sacramento Dominicæ Paſſionis.

EX TOMO III. GALLIÆ Chriſtianæ.

Drogo ex Priore S. Nicaſij Remenſis, primus Abbas S. Ioannis, à Bartholomeo Laudunenſi Præſule conſtituitur, anno 1128. 17. Cal. Iunij. Rexit Abbatiam vſque ad annum 1136. quo Romam ab Innocentio 2. Summo Pontifice evocatus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis creatus eſt. Geſta Drogonis percurrit Hermannus lib. 3. cap. 22. author appendicis editæ ad Sigebertum anno 1128. & 1138. Obiit *Inquit* Drogo bonæ memoriæ Oſtienſis Epiſcopus vir Religione ac ſapientia clarus, ſcripſit Sermonem de Paſſione domini. Soliloquia quoque edidiſſe notatur In Bibliotheca Belgica.

De Drogone plura ex idoneis ſcriptoribus afferunt poſt alios Poſſevinus in apparatu ſacro, & Alfonſus Ciacconius de vitis Pontificum in Innocent. II. aiunt claruiſſe tempore B. Bernardi.

SERMO.

Noli *timere filia Sion; Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper pullum filium ſubiugalis.* (Matth. 21.a; Zac.6.b) Veni Domine Ieſu, veni deſiderate cunctis gentibus, quia dormitavit anima mea præ tædio moræ tuæ; & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Orere Sol amabilis, vt exeat homo ad opus ſuum & ad operationem ſuam vſque ad veſperam, & operetur non cibum qui perit, ſed qui permanet in æternum. *Noli timere filia Sion:* Timere puſillorum eſt; ideo adhuc filia, quia times. Nondum Ieruſalem, ſed filia Sion; hoc eſt, ſpecula. Ergo diſce ſpeculari; noli timere, quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucidè ſpeculatur. Fides, pupilla eſt oculi tui. Quomodo pupilla oculi eſt ſubtiliſſima: & niſi impigrè ac ſolicitè cuſtodiatur à palpebris, leviſſimi & tenuiſſimi pulueris tactu confunditur; ſic acie fidei niſi pervigilem ſemper habeat cuſtodiam nihil citius conturbatur. Sed noli timere filia Sion; Ecce rex tuus venit tibi: oritur tibi Sol, qui te & cuſtodiat & illuminet & perducat te ubi puluis non eſt. *Venit tibi manſuetus:* qualis ipſe eſt, talem te eſſe vult; manſueſce iugum eius portare. Et ipſe ſedeat ſuper te aſinam ſuam, & pullum filium ſubiugalis. Et quæ eſt hæc aſina? Ipſa quæ caro vocatur & mulier, & virago quia de viro ſumpta eſt. Et quis eſt pullus eius? Maſculus vir. Et quomodo pullus eius eſt? Quia *non prius quod ſpirituale ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* (1.Cor.15) Sedet prius rex manſuetus ſuper aſinam, poſteà ſuper pullum: prius caro domatur vt iugo habilis ſit, deinde naſcitur pullus & nutritur & roboratur vt ſeſſorem ſuum portare poſſit. Et quare filius ſubiugalis? Quia ſub viro eſt mulier, & *mulieris caput vir,* (1. Cor. 11.a) & tamen filius eſt ſubiugalis, quia per mulierem vir, ſed in dolore ipſa pariet. Sedeat ſuper vtrumque Rex manſuetus faciens pacem, nec hæc ſibi invicem adverſentur. Venit tibi manſuetus, & tu non vadis ei? *Egredere de terra* carnis tuæ, & de cognatione matris tuæ: *& de domo;* (Gen.12.a) id eſt, memoria patris tui. *Pater tuus Amorrhæus eſt, & mater tua Chananæa.* (Ezec.16.a) Huius patris oblivifcere, & tunc concupiſcet Rex decorem tuum. Decor magnus eſt, ſi audis & vides, & inclinas aurem tuam. Audis per obedientiam, vides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatẽ. Hic decor, hic omnis gloria ab intus eſt *in fimbriis aureis:* (Pſal. 44.) hunc decorem tuum rex manſuetus concupiſcit. Egredere ergo de civitate; quia vidit (inquit) *iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* (Pſ.54.b) Egredere cum pueris Hebræis, qui tranſeunt ſimpliciter in occurſum Domini. Sterne in via *ramos oliuarum,* (Matth. 21.a) & opera miſericordiæ pedibus eius accommodes. Accipe frondes palmarum, vt triumphes de principibus tenebrarum. Nihil in te reſideat quod in occurſum Ieſu non prodeat, quia nec vngula in Ægypto, Pharaoni relinquenda eſt. Manus & cor, linguæ concinant *Oſanna in excelſis.* Videns vidiſti Domine Deus afflictionem populi tui qui eſt in Ægypto, & inclinaſti cœlos tuos & deſcendiſti liberare nos. Indulta eſt mihi Domine modica quies ab operibus tenebrarum duriſſimis, quibus mentem meam vehementer afflixit importunus exactor Pharaonis, & Sabbati tui præparatio iam lætificavit animam meam. Veruntamen nondum vſque ad ſpeluncam

A ſpeluncam perveni, vbi plenius intelligam puſtulas & nævos qui maculant faciem meam, quæ valde diſplicent in oculis tuis; quoniam & ſi lavero me *nitro*, & multiplicavero mihi *herbam Borith*, maculata ſum iniquitate mea. [*Hieron. c Exod. 1.*] Et nunc Domine, paſſionis tuæ dies vrgere nos deberent magis, quàm præpoſiti Pharaonis: quoniam in operibus tuis iuſtitia eſt & pax & gaudium in Spiritu Sancto: Nos autem dormitamus, te Domine pro nobis orante, [*Matth 26. d*] quia *oculi* noſtri tempore noſtro *granati* ſunt. Suſcita nos, vt vigilemus & oremus, ne incidamus in tentationem; quoniam tribulatio proxima eſt nobis. Quam cito clauditur oculus ne te videat, collabitur pes noſter in hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, [* *Navibus*] * ubi ſunt reptilia quorum non eſt numerus, quæ ſomniorum ſuorum phantaſiis intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris, vnde non facilis ad ſuperiora reditus eſt, niſi tu emittas manum tuam de alto & liberes nos de aquis multis. B Suſcita nos Domine, vt tecum *vel vna hora* vigilemus & oremus. Quis autem eſt qui tecum vna hora vigilet? [*Luc. 22. i*] *Auulſus* enim es à nobis *quantum iactus eſt lapidis*, & agonizas prolixius, ita vt gutta *ſanguinis* tui decurrat *in terram*. Longè auulſus es à nobis quia lapis eſt abſciſſus de monte ſine manibus, & iactus eſt lapis, & percuſſit Goliam in fronte, & Statuam in pedibus. [*1. Reg. 17. g Dan. 2. c*] Iste eſt iactus tuus longè à nobis, quia etiam adusque interiora velaminis Præcurſor introiſti pro nobis, ubi ſemper interpellas Patrem. Sed vtinam gutta ſanguinis qui de agone tuo ſudat, vſque ad terram decurrat; & aperiat terra os ſuum, & [*Gen 4. b Apoc. 8. a*] bibat illum & clamet ad te, & tecum ad Patrem; melius quam *ſanguis Abel*. Quis autem eſt Domine qui tecum una hora vigilet? Etiam *in cælo* non *eſt factum ſilentium*, niſi quaſi media hora; quantò minus in terra, [*Matth. 26. d*] *vna hora*, vigilabimus tecum? Quoties & redis ad nos, & invenis *dormientes*, & tamen benigne C ſuſcitas nos, & iterum abis *ſecundò & tertio eundem ſermonem dicens?* [*Luc. 12. c*] Statim autem vt receſſeris, iterum ſomnus occupat nos, nec vigilare poſſumus niſi quandiu nobiſcum es & ſuſcitas nos. Venis *in ſecunda & tertia vigilia*, ſed *beatus ille ſeruus quem* tunc [*Matth. 26. c*] *invenerit vigilantem*. Iam primæ & quartæ vigiliæ nulla mentio fit, quia nec primæva ætas ſenſum recipit vigilandi, nec vltima ſpem prolixius dormiendi. Et quid eſt Domine, quòd tertio rediens, copiam dormiendi præſtas? [*Hier. 23. Ioa. 11. d Matth. 26. d*] *Dormite iam*, inquis; *& requieſcite.* Nunquid alium concedis ſomnum, vbi requieſcitur; & alium prohibes in quo oculi gravantur? Ita eſt: qui enim vigilat in te, ſuaviter dormit, & ſilet, & ſomno ſuo requieſcit, qui autem dormit à te *ſicut ebrius nocte* neſciens graviter agitatur, *Triſtis eſt*, inquis, *anima mea vſque ad mortem*. Anima triſtis eſt quæ expectat mortis tribulationem, quis enim ſciat vtrum ad ſiniſtram an ad dextram eat? Quis enim ſciat quomodo D reſpondeat ad arguentem ſe, quando iudex *ſicut parturiens* loquitur? Ideò triſtis anima, ſimilis fiat Pellicano ſolitudinis, qui odit civitatem, conventicula eorum de ſanguinibus, & macie ſolitudinis pallet, & ſicut Nycticorax in parietinis Scripturæ quærat ſibi eſcam tota nocte, [*Iſai. 42. c*] & evolet in Paſſerem ſuper tectum vigilantem & caventem quando veniat fur. Vel Iudam non videtis, quomodo non dormit? Quam pervigiles habet oculos avaritia! Quomodo circuit orbem terræ! non ceſſat manus eius, non ceſſat pes, & coacervat ſibi iram in die iræ. Et tamen dormit Simon, dormit Iacobus & Ioannes: Quare; Quia non attendunt quid poſt paululum futurum ſit; periculi magnitudo ſomnum fugat! Nunquid dormivit Petrus in atrio. Nunquid dormierunt qui relicto eo fugerunt? Nunquid dormivit adoleſcens quando tenuerunt eum, & ille reiecta *ſyndone nudus* profugit? [*Mar 14 f Ioan. 18. d*] Et tamen *frigus erat*, quia *ſtabat Petrus & calefaciebat ſe:* Magnitudo periculi; & frigus & famem facit obliviſci. Evigila tandem, evigila miſerabilis anima, ſi non amore, ſaltem timore. [*Mors, omni cruce durior.*] Cogita ſaltem cruciatum quem iam paſſura es in morte; certè nulla crux eſt durior, E quam mors. Mors, inquam, ipſa eſt duriſſima crux quæ tibi paratur; ad quam quotidie tu feſtinas, & non attendis: vide quomodo te mors crucifigit, corpus rigeſcit, crura diſtenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix langueſcit, labia ſpumant, oculi ſtupeſcunt, facies exudat, vultus horreſcit, & velut teſta palleſcit. Iſta te manet crux, neſcio vtrum in lectulo molli, an in cruce rigida ſuavius moriatur, niſi quod crux citius dolorem abſcindit. Quæ videmus & ſentimus levia ſunt ad ea quæ intus anima iam prægustat: Nam ſenſus à corpore citò recedit, animam ſua mors ſemper comitatur. [*Ezec. 1. e*] *Quum ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea*. Si vita noſtra proficeret, rota ſanctæ Scripturæ nobiſcum ambularet, ſed quia per paludes & ſaxa pedibus euntes offendimus, vix rotæ nos ſequuntur. Paſſio Domini celebratur, & nos voluptati operam damus! [*Thren. 1. d*] Clamat nobis de cruce; F *O vos omnes qui tranſitis per viam attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*, & nemo eſt qui audiat, nemo eſt qui conſoletur, nemo eſt qui reſpondeat. *Sitio*, inquit, Domine, quid ſitis? [*Ioan. 19. e*] Ergo ne plus cruciat ſitis, quàm crux? de cruce ſiles, & de ſiti clamas? Sitio: Quid? Veſtram fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium; plus animarum veſtrarum quam corporis mei cruciatus me tenet. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Attendite dolorem meum, vt in dolore meo videatis dolorem veſtrum; dolor meus, imago veſtri doloris eſt. Quod attenditis in corpore meo, attendite & vos, ſi ſimilis dolor non eſt in corde veſtro, tranſitis à vobis ad me; tranſite à me in vos, & videte ſi ſimilis dolor in vobis ſit ſicut dolor meus. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete filiæ Ieruſalem.* [*Luc. 23. d*] Nam ille dolor quem tranſitis, & non attenditis; magis eſt flendus, quam dolor meus: propter ſcelus enim veſtrum percuſſus ſum. G Hæc nobis de cruce tua clamas, ô benigne Ieſu, & ſi non verbis, tamen ipſa te; quid tibi reſpondeam? quid loquar? aut quid retribuam? feciſti ergo mihi de corpore tuo ſpeculum animæ meæ. Neſciebam contumelias & terrores, & colaphizantem me inceſſanter Satanam, niſi viderem artem medicinæ tuæ ſimilia ſimilibus curantem, & appenderem *in ſtatera* hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam. [*Iob. 6. a Iſa. 50. c*] Dediſti *corpus* tuum *percutientibus, & genas* tuas *vellentibus*; *faciem* tuam *non* avertiſti *à conſpuentibus in* te, vt alapæ tuæ alapas meas removeant, & flagella flagellis expientur, & opprobria exprobrantium quæ ceciderunt ſuper te auferant à me opprobrium ſempiternum. Hæc ſunt linteamenta mundiſſima carnis tuæ, quibus vulnera mea alligaſti, ô Samaritane miſericors, [*Luc. 10 a Iſai. 53 a*] vt imponeres me ſuper iumentum tuum & perduceres in ſtabulum, quoniam *verè languores noſtros ipſe* tuliſti, *& dolores noſtros ipſe* portaſti, *cuius livore ſanati ſumus*. H In domo ergo Principis ſacerdotum, velata facie colaphizatur Chriſtus, quia in domo conſcientiæ cæcata mente colaphizatur Chriſtianus. Quod enim Chriſtus in publico, ego patior in occulto; quod ille foris à miniſtris Caiphæ, ego intus à negotiis Satanæ; [*Pſ. 128. a*] quia *ſuper dorſum meum fabricaverunt peccatores:* faciem mihi velaverunt, faciem meam in terra defixerunt, & dorſum incudem ſuam fecerunt, & ſuper dorſum meum fabricaverunt peccatores: ſed adhuc intra domum contineor, vbi puella moritur & ſuſcitatur, nam & ibidem Petrus negavit, dicens; O homo, *non ſum*; [*Matt. 9. e*] hominem attendo, non Deum; hominem timeo, non Deum cuius veritatem nego. Nonne tibi Petrus in his verbis velatam habuiſſe faciem videtur? Vnde tertiò colaphizatus eſt? quia tertiò negavit, Et Paulus tertiò rogavit *Dominum vt auferret à ſe* Angelum *Satanæ qui* eum colaphizabat. [*2. Cor. 12. e*] Vterque ergo Apoſtolus colaphizatus eſt, vterque naufragium paſſus; ille intus, ille foris, Voluiſſet quidem Satanas (ſi tamen licuiſſet) tamdiu Petrum colaphizando [*Luc. 22. d*]

A *Mat.26. b* cribare ſicut triticum, donec omnem ab eo fidei medullam excuſſiſſet, ſed *ego* (inquit) *Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, vnde reſpexit Chriſtus, & egreſſus foras fleuit amarè. Tamdiu faciem habuit velatam Petrus, donec reſpexit eum Chriſtus. Sed nunquid non etiam prius reſpiciebat? etiam, ſed Petrus reſpicientem ſe Chriſtum non reſpiciebat, quia velatam faciem habebat: Vnde bene alius Euangeliſta, *& recordatus eſt* (inquit) *Petrus:* recordatus Petri, reſpectus fuit Chriſti. Ergo cum peccatorum flendo, recordaris; à CHRISTO videris; immò ſublato velamine Chriſtum vides. *Et egreſſus foras:* *Ibid.* Propterea negabat, quia intus eſſe nolebat; & tamen quando negauit, foras egreſſus eſt. Vnde, foras? de domo Chriſti, de domo fidelium: At vbi de domo Caiphæ foras egreſſus eſt; in domum Chriſti intromiſſus eſt. B Quot ſunt hodie qui dicunt nos ſumus de domo Chriſti, nos ſumus de domo Eccleſiæ; & ſunt de domo Caiphæ: hoc eſt, hypocriſis? Quod Petrus negando, hoc iſti faciunt affirmando, ſed niſi confitendo exeant foras & amarè fleant; non intrant in Eccleſiam Chriſti. Amaritudo fletuum velamen diluit oculorum. In domo ergo Caiphæ colaphizatus eſt Chriſtus, quia in domo Caiphæ colaphizatur Petrus, & quod Petrus à Satana intus paſſus eſt, *Thren.1.* hoc Chriſtus à miniſtris Satanæ foris pertulit. *Mat.27 a* Attende & vide, *ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus* Vide quis grauiora pertulit opprobria, Chriſtus foris in corpore, an Petrus intus in corde! Sed iam ad Pilatum eatur. *Mane autem facto* vinctus adducitur ad Pilatum: quandiu culpa latet, nox eſt, at vbi cœperit innoteſcere, mane fit: Tunc iam ligatur à Principibus ſacerdotum, & traditur Pilato, hoc eſt, Principi tenebrarum: ſicut & Apoſtolus iubet *huiuſmodi* *1.Cor.5. b* *Luc.b.* tradere *Satanæ in interitum carnis*. Effertur adoleſcens de domo ad portam *ciuitatis*, vbi ſedet Pilatus pro tribunali, in porta enim ciuitatis iudicium ſolebat fieri: C Pilatus autem apprehenſum flagellauit. Sæpe dum culpa retegitur per impudentiam peccatorum effrænatur, *Pſal.31. d* augentur flagella, plagæ multiplicantur, *multa* enim *Exod.5. c* *flagella peccatorum*. His *flagellis* ſæculi Pharao cædebat filios Iſraël. Poſt hæc traditur militibus *ad illudendum*, *Mat.20. c* ipſa eſt malitia ſpiritualis nequitiæ. Vide ordinem miſeriæ, *Luc.23. e* A principibus ſacerdotum traditur Principi tenebrarum, qui flagellis ſuis ſibi mancipapatum, militibus ſuis expoſuit altiùs illudendum, & poſtea nouiſſimè crucifigendum: poſt crucem enim non reſtat ſupplicium, quia peccatum morte terminatur, ſed vitata iam morte, maiori Dæmonum ludibrio *Mat.27. c* peccator agitatur. Exuentes quippe eum veſte totius Chriſtiani decoris, quaſi pro regio ſplendore chlamydem coccineam (hoc eſt, veſtimentum mixtum ſanguine) circundant, cum propter crudelem ſanguinolentiam à pleriſque & honoratur & circundatur: *Ioh.19.a.* vnde & *plectentes coronam de ſpinis* ponunt ſuper caput eius, cùm de rapina pauperum ſpineas ei diuitias coaceruantes, caput eius ad regnum elationis efferunt. D *Vendicat ſibi pecunia, quod olim Sapientia.* Vendicat enim pecunia, quod Sapientia ſibi dicere ſolebat; *Per me reges regnant & conditores legum iuſta decernunt:* *Prou.8. b* Vbi pecunia, ibi rex, ibi clientium copia. Vnde & arundinem in dextra eius ponunt. *Mat.27. c* Poteſtas enim & regnum impiorum arundo eſt, vento agitata: Regnum autem Chriſti, virga ferrea. Et benè in dextera arundo ponitur: quia *dextera eorum, dextera iniquitatis*. *Pſal.143. c* Iam quod ſequitur luce clarius eſt, quia genu flexo talibus illuditur potius quam ſeruitur. *Aue rex Iudæorum, & expuentes in eum*, *Marc. 15.b.* *Pſal.10. a* laudibus ſuperuacuis (*laudatur* enim *peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*.) Acceperunt arundinem *& percutiebant caput eius*; *Marc.15 b.* *Militum rapinæ in Principum caput redũdabũt.* A talibus rectoribus, milites eorum poteſtatem accipiunt nocendi & deuorandi pauperes, quod totum tamen redundabit in caput eius cuius authoritate ſe tuentur. Hæc tertia mors eſt, quando ſedet fœtens *in cathedra peſtilentiæ:* *Pſal.1.* his mortibus infœlix anima, ante extremam crucem morte afficitur, & quod miſerabilius eſt, talibus opprobriis quaſi pro magnis honoribus delectatur, & talis quotidie ducitur ad crucem, baiulans ipſe ſibi ſuæ damnationis ſupplicium. E *Mat.27.* Sed quid eſt quòd poſt illuſionem, chlamyde exuitur, & ſuis veſtibus reinduitur; niſi quod ſæpe, ſuperbus Adam cùm per dolorem carnis confinia mortis ingreditur, depoſita elatione, ad putredinis ſuæ conſiderationem reuertitur? vbi videlicet vel miſeratione diuina pœnitentiæ fructus inuenit, vel poſt tremendum iudicium duplici contritione conteritur. *Act.12.d.* Sic Herodes cum veſte regia præfulgidus, pluſquam decuit à populo ei acclamaretur; mox percuſſus ab Angelo, exutus chlamyde veſtem ſuam reinduit, & conſumptus à vermibus, expirauit. *Marc.15.* *Eccl.10. a* Rectè ne illuſus eſt? *Aue Rex Iudæorum: Quid ſuperbis terra & cinis?* quid veſte nitida gloriaris? Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermis eſt; hæc tua veſtis eſt; illuſerunt tibi qui chlamyde coccinea circundederunt. *Marc.9.b.* *Act.12.b.* F Sic Antiochus & Domini natalis hoſtis Herodes, alienis veſtibus depoſitis, in ſuis vermibus expirarunt. Redi ad cor tuum tandem aliquando, redi vetus Adam, vide vbi & quomodo te requiſiuit & inuenit nouus Adam: oſtendam tibi in corpore eius ignominias animæ tuæ. Non ſatis fuit quod per colaphos & noua irriſionum genera, poſt te fugientem, clamitans & miſerans percurrit, & vſque ad nouiſſimum crucis ſupplicium, te animam efflantem conſecutus inuenit & apprehendit? Quis enim latro ille niſi Adam fuit? Qui ex quo primum in Paradiſo ſui ipſius homicidium perpetrauit; tamdiu à Chriſto fuit reus & abſcondit ſe, donec in crucis articulo nouiſſime conſumptus & comprehenſus fugere & latere amplius non potuit: Ibi tandem comprehenſus, ad te bone Ieſu conuerſus eſt, culpam ſuam confeſſus eſt, pœnam libenter amplexus eſt, tu enim admonebas ne pati abhorreret, quod te quoque ſecum pati videret. G Ille ergo tibi de toto hoc mundo ſolus & vnus adhæſit, & ideò ſolus de toto hoc mundo tecum in Paradiſum intrauit, vbi & tam firmiter non iam cuſtos Paradiſi ſed ciuis & domeſticus Dei collocatus eſt, vt amplius inde cadere iam non poſſit. O beatiſſimum latronem; immò non latronem ſed *Luc.23. f* Martyrem & Confeſſorem, neceſſitatem enim vertit in voluntatem, & pœnam commutauit in gloriam & crucem in triumphum. *Latro, in Cruce, Confeſſor, & Martyr.* In te beatiſſime Confeſſor, Martyr, de totius mundi ſterilitate, fidei reliquias tollit Chriſtus: tu fugientibus Diſcipulis & Petro negante, ſocius & comes paſſionis eius fieri gauiſus es; tu, Petrus in cruce fuiſti; & Petrus in domo Caiphæ, latro. *Chriſtus, latronem ſecum pariter in Paradiſum introduxit.* Tamdiu hic, Petrus, latro fuit; quamdiu intus latitans Chriſtum foris negauit: & ideo & Petrum præceſſiſti in Paradiſum, quia qui te cruce complexus eſt dux & rector tuus, eadem die qua ipſe ingreſſus eſt, fidelem & glorioſum militem ſecum te pariter introduxit.

Egenus & pauper ego ſum Domine, & *claudus ex vtero matris meæ* & ecce ſedeo *ad portam Templi* tui *quæ dicitur Specioſa*, non valens nec volens introire, H *Pſal.69.* *Act.3.* quin potius egeſtate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meæ, æreas & falſas imagines hominum, vbi coaceruem mihi talentum iniquitatis, faſciculos deprimentes. Et ecce *hora orationis nona* eſt; aſcendunt *Petrus & Ioannes* Apoſtoli tui vt orent ad Templum ſanctum tuum; ego hæreo terræ & luto, terrena & vana ſapiens, & aliis introeuntibus ego foris remaneo non quærens cum eis ea quæ Patris tui ſunt, ſed quæ primi patris mei, quæ me ſive foras quotidie ponunt, & male concupierunt, Ecce iam hora orationis nona eſt, inclinata eſt dies, prope eſt nox; cum ſurrexero manè diluculo, de his quæ nunc mendico nihil in manibus meis reperiam. Hora, inquam, orationis nona eſt; *Ioh.19.a* oraſti hac hora pendens in cruce. oraſti *inclinato capite clamans voce magna* & expiraſti; oraſti inclinato capite in

A ſpirito humilitatis, & clamans voce magna, altiſſimo & ſecretiſſimo aff ctu paterno & noſtræ charitatis; in illo (Domine) clamore valido expiraſti, & eundem quem de nobis tunc habebas compaſſionis animum tecum adhuc reſeruas, quia charitas tua refrigeſcere neſcit. Erat autem hora orationis nona: Et quare nona orationis erat hora? quia * circa horom nonam tenebræ factæ ſunt. Repellendus erat horror tenebrarum, qui vniuerſam operuerat terram; repellenda caligo populorum, quæ ex tunc cœperat abundare, ex quo tu cœpiſti ad auram poſt meridiem deambulare; ex quo tunc non ceſſaſti clamans, *vbi es Adam*? Sequens poſt tergum fugientis & abſcondentis ſe quantum in ipſo fuit qui & dimiſſus eſt de Paradiſo voluptatis, & pervenit vſque ad condignum ſuæ cruciatum iniquitatis. Sed *nos*, inquit, *digna factis recipimus, hic autem quid fecit*! O Adam quam ſerò in hæc verba prorupiſti: Modò te primum inveni. *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo*: ideò eſt hora orationis nona. Nona orauit: nam decima Paradiſum intravit. Propterea non introibat claudus in Templum, quia nondum vſque ad decimam generationem pervenerat, ſed Petrus ad eum *in nomine* (inquit) *Ieſu Chriſti ſurge & ambula*. Verè vos eſtis *montes* ad quos *levaui oculos meos, vnde veniet auxilium mihi*: ſed *auxilium meum à Domino*, quia dixiſti; *in nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula*. In verbo Chriſti laxas rete, & in verbo Chriſti claudum levas. In verbo Chriſti ſolidantur baſes eius & plantæ. Quæ ſunt baſes eius? Fides & timor: & quæ plantæ? Spes & charitas: ideo bene Petrus & Ioannes ſimul aſcendebant; quorum alter fidei alter charitatis inſigne ferebat. Aſcendebant ad templũ tuum Domine, tecum ſimul oraturi vt & ipſi tecum ſimul introeant in in Paradiſum Sanctuarij tui. Quia ſciſſum eſt in morte tua velamentum quod erat ſuper faciem Moyſi: Sed noluerunt introire ſoli, quia nec tu Domine ſolus Paradiſum introiſti. Tu latronem, iſti claudum intro ducunt. Sed neque iam latro in Paradiſo eſt, neque claudus in Templo: quomodo enim claudus eſt qui ſtat & ambulat, exilit, & Dominum laudat? Aut quomodo latro eſt, ſi cum Chriſto in Paradiſo? *Non enim iuxta te habitabit malignus*. Latro fuerat quando latebat ante confeſſionem, Iuſtus autem poſt orationem, quid enim orauit? *Memento mei dum veneris in regnum tuum*, O magna fides, ô magna charitas; orat pro futuris, non præſentibus; non vult de cruce deponi, ſed in regno Chriſti reponi: quid enim eſt aliud dicere; quam, *cupio diſſolui & cum Chriſto eſſe*. Neſcio quid Paulus magis iſto latrone cupierit. *Memento mei*! O cor contritum & humiliatum! Quid minus vel humilius potuit rogare, quàm vt ſui memor eſſet? Memento mei! cuius mei, inquam, tam indigni, tam peccatoris: iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt; confundor oculos meos ad te levare, tibi ſoli peccaui, tu ſolus potes à peccato meo me mundare, malum contra te feci, cùm me tibi volui cœlare; latro ſum animæ meæ, homicidium quidem feci; volui occultare, ſed malum coram te feci; memento mei, miſerere mei, meritò in hanc miſeriam deveni, qui tuam beatitudinem deſerui; diues eram, & ecce quam pauper factus ſum! De omni ligno Paradiſi poteram comedere & delectari, & ecce crucior & morior in hoc ligno, memento mei, tui oblitus eram; ſed tu cum iratus fueris, miſericordiæ memor eris. *Miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam*: video in te, magnam & tuam; hoc eſt, competentem tibi miſericordiam, quæ te mihi, ad mei conſimilem condeſcendere fecit miſeriam. Ego *digna factis* recipio; tu autem quid feciſti? Video te mihi in pœna ſimilem, quem in actu video tam diſſimilem! Non potuiſti me longius ſequi. Vnde veniſti? *à ſummo cælo* egreſſus es, & de vtero Virginis, ſpecioſus forma proceſſiſti, & mecum pendes in ligno! Quis huc te adduxit? ſola miſericordia. *Secundum hanc magnam miſericordiam tuam miſerere mei Deus*.

[Margin notes, left column: * Tenebræ factæ ſunt vſque ad horam nonam. — Luc.23. f. Geneſ. — Luc.23. — Act.3. b — Pſ.120. — Exod.34.d — Pſal.5.a — Luc.23. — Phil.1.d — Pſal.50. — Pſal.8. — Section letters: B, C, D]

Deus es, non homo tantum: Deus es; ego homo, ego plaſma tuum, ego quem feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam; Imaginis tuæ Deus miſerere. Sed in quo te agnoſcam misereri? in eo quod imaginem meam in te video ſimilem, & eandem mecum miſeriam pati; quid ergo reſtat niſi vt ſperem de tanta miſericordia? Quis, inquam, poſſit deſperare? Ergo memento mei dum veneris in regnum tuum. Vadis ad regnum tuum, impleſti negocium tuum! ad hoc veniſti vt me reducas tecum; tecum ire concupiſco, & hanc amariſſimam mortem pati non contremiſcó, non erubeſco. Quomodò enim contremiſcerem, vbi te mecum eſſe viderem? etiam ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, aut quomodo erubeſcerem quod te Dominum cœli portare viderem? Qui enim te erubuerit & tuos ſermones, hunc erubeſces cum veneris in maieſtate tua, & Patris & ſanctorum Angelorum. *Qui non baiulat crucem ſuam* & ſequitur me, non eſt meus diſcipulus, hic eſt ſermo tuus: qui hunc ſermonem erubuerit, hunc tu erubeſces: qui enim erubeſcit crucem tuam, erubeſcit gloriam tuam; mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Crux gloria tua eſt, crux imperium tuum eſt, ecce imperium tuum ſuper humerum tuum, portas portantem te. Qui portat crucem tuam, portat gloriam tuam; qui portat gloriam tuam portat te; portantem autem te, tu portas ſuper humerum tuum, quia *imperium* tuum *ſuper humerum tuum*: ergo qui te portant imperium tuum ſunt; in ipſis enim tu regnas. O maxime imperator! ſed quomodo, aut quò portas imperium tuum ſuper humerum tuum? humerus tuus altus eſt, humerus tuus fortis, humerus tuus pertingit vſque ad Patris conſeſſum ſuper omnem Principatum & Poteſtatem & Virtutem. Illuc perducis ovem centeſimam, illuc *deducis ovem Ioſeph*. Ad dexteram Patris deducitur ovis Ioſeph! valde iam ſecura ovis Ioſeph; Chriſtus te portat ſuper humerum ſuum: fortis eſt humerus eius, noli timere: altus eſt, noli ad ima reſpicere, quia *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Graue iugum ſuper filios Adam à die nativitatis eorum, vſque ad diem reverſionis in matrem omnium*! Quamdiu ſum filius veteris Adam, graue iugum porto: Si eſſem filius noui Adam, leve iugum portarem. Quod eſt iugum graue? Talentum plumbi: Et quod eſt onus leve? crux Chriſti. Illud ſicut ſcriptum eſt, ſubmergitur *in aquis vehementibus*; iſtud enatat ſuper aquas. Mira res! nihil formidoloſius homini quam crucem pati. Sed quare timent homines crucem? Quia latrones ſunt, ſi latrones non eſſent, crucem non timerent; ergo qui timet, latro eſt. Quomodo inquis, latro eſt? audi Chriſtum: *Vos autem*, inquit, *feciſtis eam* id eſt, domum meam; *ſpeluncam latronum*. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos; faciunt ergo homines ſeipſos ſpeluncam latronum: iugulant homines & trahunt in ſpeluncam ſuam. Quod enim maius homicidium, quàm vt ſeipſum interficiat homo? vel quod grauius homicidium; corpus occidere, an ſpiritum? O quoties homo ſpiritum ſuum interficit! quot homicidia in ſemetipſo perficit? quoties voluntariè & ex ſtudio peccatum perpetrat, quid aliud quam ſeipſum iugulat? *Omnis* enim *qui acceperit gladium, gladio peribit*. Gladius animæ peccatum eſt; peccatum, animæ mors eſt; qui hunc gladium manu propriæ deliberationis acceperit; hoc eſt acceptum habet & gratum; primus in ſeipſum manum mittit, primus ſemetipſum interficit: *gladius*, inquit, *eorum intret in corda illorum*. Nec ſatis eſt ſemel occidere & quieſcere; millies & millies crudeles in ſe manus convertunt; & veloces ſunt pedes eorum ad effundendum ſanguinem ſuum viri ſanguinum & doloſi. Quomodo doloſi? Quia congerũt cadauera mortuorum in ſpeluncam ſuam, & operiunt aggere terræ

[Margin notes, right column: Section letters E, F, G, H — Luc.14. — Iſai.9.b — Pſ.79.a — Luc.9.g — Eccl.40 a — Exod.15. b — Mat.21. b — Mat.26. c — Pſ.36.b]

ne

Digitized

A ne vel ipſi videant, vel ab aliis videantur. Nolunt ipſi videre, ne horrorem vel pudorem ingerant eis in faciem, morticina fœtentia: nolunt videri, ne fortè deprehenſi tanquam latrones homicidæ ad horrenda ſupplicia pertrahantur. Quid autem in omnibus ſupplicтis tam horrendum quam crux? Ideò timent crucem latrones, quia crux ſcelerum vindex eſt, crux impiorum pœna eſt, crux æqua lance iudicat & remunerat, hinc nocentes, illinc innocentes, ideò crux impiis formidoloſa, piis autem ſuper omnia ligna Paradiſi gratioſa eſt. Nunquid enim Chriſtus crucem timuit? nunquid Petrus? nunquid Andreas? immò & optavit, *exultavit* enim *vt gigas ad currendam* Pſal.8. Luc.22.b *viam:* Et, *deſiderio*, inquit, *deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Manducavit paſcha cum diſcipulis, manducavit & paſcha cum paſſus eſt, quando tranſivit ex hoc mundo ad Patrem: *Ego* Ioa.4.d inquit, *habeo cibum manducare quem vos neſcitis, meus cibus eſt ut faciam voluntatem Patris mei*, & voluntas B Patris eſt ut calicem bibam. Ergo in cruce manducavit & bibit, & ebriatus eſt, & dormivit: Riſit verenda eius maledictus Cham, filij avum referentes, altiſſimi ſoporis myſterium pallio contexerunt, *Immiſit* Gen.2.c quippe *Dominus ſoporem in Adam & tulit unam de coſtis eius, & ædificavit in mulierem & adduxit eam ad Adam:* Manifeſta res eſt, quia dormitavit Chriſtus, & ſoporatus eſt Chriſtus, & de latere eius quotidie ædificatur, & paſcitur, & nutritur Eccleſia, & adducitur à finibus terræ ut adſiſtat Regina à dextris in veſtitu deaurato circundata varietate. In cruce ergo Paſcha manducavit, quia aſcendit in palmam, *& colligit fructus eius. Cum exaltatus*, inquit, *fuero, omnia* Ioa.12.c *traham ad me:* quæ omnia? cœlum, terram, & inferos. Traxit ad ſe Patrem, quia clamor eius introivit in conſpectum eius, in aures eius; & contremuit terra, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, quia vocem Filij Dei audierunt. Sic mediator Dei & hominum medius inter cœlum & terram, Paſcha manducabat, & fructus arboris undique colligebat, C quos in corpus ſuum traiiciebat; quia confluebant omnia ad arborem vitæ, quæ erat in medio Paradiſi, reſtincta enim erat framea, quæ viam intercluſerat. Quis ergo amplius crucem timeat? in cruce enim pendet omnis fructus vitæ, quia ipſa eſt arbor vitæ quæ eſt in medio Paradiſi; ipſa eſt altitudo, latitudo, ſublimitas & profundum; ipſa bonos colligit & remunerat, ipſa malos diſperdit & condemnat; ipſa eſt mœſtorum conſolatio, eſurientium refectio, perfectorum gloriatio. Circuire poſſum Domine cœlum & terram, & mare & aridam, & nuſquam te inveniam niſi tantum in cruce; ibi dormis, ibi paſcis, ibi *cubas in meridie:* Cant.1.b Crux enim tua fides eſt cuius latitudo charitas, longitudo longaminitas, altitudo ſpes, profundum timor. In hac cruce te invenit quicunque te invenit, in hac cruce, anima ſuſpenditur à terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit, in hac cruce Domino ſuo adhærens dulciter decantat, *Suſceptor meus es tu, gloria mea &* Pſal.3.a *exaltans caput meum.*

D Nullus ergo te quærit, nullus te invenit, niſi crucifixus. O glorioſa crux radicare in me, ut aſcendam in te! Sed ubi *crucifixerunt eum?* in *Caluaria* loco. Ioa.19.c Beatus verò locus in quo figitur crux; bona calvities quæ tali fronde veſtitur: ad hanc calvitiem Heliſæus aſcendebat; *aſcende calue, aſcende calue.* 4.Reg.2.d Vide ſi non calvus eſt & noſter Heliſæus: *Filius hominis*, inquit, Luc.9.g *non habet ubi reclinet caput ſuum.* Ecce quàm calvus eſt qui non habet ubi caput reclinet; calvus eſt, quia regnum eius non eſt de hoc mundo; calvus eſt noſter Heliſæus quia diſcipuli eius *relicto eo omnes fugerunt*, Mat.26 f quid enim diſcipuli, niſi *capilli capitis*, qui *omnes nu-* Mat.10.c *merati ſunt?* Iſai.3.c Ergo in Calvariæ loco vexillum crucis erigitur: *pro eo*, inquit, *quòd ambulaverunt filiæ Sion* Pſ.67.c *extento collo & nutibus oculorum, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Decalvet Dominus *verticem capilli perambulantium in delictis* ſuis. Mich.1.d *Decaluabit*, inquit,

E *verticem filiarum Sion:* & faciet ibi Calvariæ locum, ut ibi figatur glorioſa Chriſti crux, ubi ſedem ſibi ſuperbia locaverat. *Dilata*, inquit, *calvitium tuum ſicut aquila.* Aquila decalvata, perſpicuo Sole fruitur; ſic animæ calvities quantò dilatatur, tanto ſe purius in eam vera lux infundit: qui autem ſibi comam nutriunt, cæcitatis & gravitatis ſibi damnationem acquirunt. Propterea lucis huius beatæ viſionem perdidit Abſalon, quia gravabat eum Cæſaries, & *non niſi ſemel in anno* 2.Reg.14 t *tondebatur*, & crines ſuos ponderabat ducentis ſiclis pondere publico, unde in eodem crine ſuſpenſus ad arborem interiit. Abſalon, patris pax; ipſe eſt & Iu- Iſa.38.d das, & quicunque *in pace*, Chriſto eſt *amaritudo ama-* Mat.26 e *riſſima. Aue Rabbi:* voce & oſculo, Patri pacem ferebat, Iſ.61.b *ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.* Iſ.40.a *Homo*, inquit, *pacis meæ in quo ſperavi, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem, Vnus eſt & multi ſunt:* Ecce Abſalon, ecce Iudas; ecce corpus Satanæ. Sed quomodo comam nutriebat? *fur erat, & loculos* Ioa.12.a habebat; iſta eum cæſaries gravabat, & ſemel in anno F tonſus, quando ſemel retulit triginta argenteos & proiecit eos in templo: quos ponderavit ducentis ſiclis, qui numerus immundorum eſt: & hoc, pondere publico, non pondere Sanctuarij; pœnitentia enim ductus peccatum ſuum valde ponderavit. *Peccavi tradens* Matt.27 a *ſanguinem iuſtum.* Singula verba plena ſunt ponderibus; ſed pondere publico, non pondere ſanctuarij, quia plus erubuit infamiam quam conſcientiam, plus ſuam nequitiam quàm Dei miſericordiam ponderavit. Audi pondus Sanctuarij: *peccavi, malum coram te feci,* Pſal.50. *dele iniquitatem meam:* hinc iniquitatem meam ego agnoſco, illinc miſericordiam tuam magnam attendo; miſerere mei Deus. Audi & pondus publicum: *Maior eſt*, ait Cain, *iniquitas mea quam ut veniam me-* Gen.4.c *rear*, *retulit* ergo *triginta argenteos, & proiecit in Tem-* Matt.27 a *plo.* Vide quam magni ponderabat eos, non proiecit eos in ſterquilinio, ſed in templo: nimirum talibus G ſemper Diis Templum ſuum devoverat: *avaritia* Gal.5.d *enim, ſimulachrorum ſervitus eſt*, & avaritia *excæcat* Deut.1. *oculos ſapientum.* Ecce infœlix; qualiter excæcatus eſt! maluit ſeipſum perdere, quàm denarios perire. Denarios templo, ſeipſum laqueo addixit: amabat hæredes ſuos qui eoſdem denarios exinde colligerent, qui etiam nunc reſervant in ſuo Corban: proiecit eos in templo, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Iamdiu erat quidem quod à Chriſto receſſerat & avaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat: ſed *quod* fecerat, *in occulto; pa-* Matt.1 c *lam*, omnibus innotuit.

Exterioris pœnæ qualitas, ſupplicij modum aperuit; quia *per quæ peccaverit* homo, *per hæc punietur.* Sap.11. *Suſpenſus crepuit medius:* Act.1.c plenus erat venter, & ruptus eſt: Vter crepuit medius ubi ſedes erat Satanæ, crepuit ergo vas contumeliæ, quia non erat de vaſis Figuli quæ probantur *in fornace:* Eccl.27 a propter quod in agro *figuli in* ſepultura *peregrinorum* ſortem non habuit: Matt.2 a ſed velut teſta crepitans per inane diſſolvitur, *&* Act.1. *diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* 2.Reg.1 c Pecuniæ viſcera ſunt avari; illa diffunduntur & perduntur, ſed viri miſericordiæ colliguntur. Pendet adhuc Iudas & Abſalon H per comam capitis ſui, & mulus cui ſederat pertranſiit: Nolite fieri ſicut equus & mulus, quia Mundus tranſit & concupiſcentia eius. Crinis Abſalon quo ſuſpenditur, *radix omnium malorum* avaritia eſt: 1.Tim.6 c ubi hæc radicaverit, omnium malorum cæſaries abundabit. Mulus verò ex equo & aſino mixtus, eſt duplex animus qui foris oſtentat quod intus non ſervat. Talis erat Iudas, talis Abſalon: foris pietas intus malitia; duplex iniquitas: Equus manifeſtè tumet, aſinus ſimpliciter ambulat; mulus nequam & ſubdolus, incautum præcipitat.

Aperi nobis Domine, aperi nobis oſtium lateris tui quod eſt in Arca tua, ut introducas nos cum mundis animalibus ſeptena & ſeptena. Tu es verus Noe quem ſolum invenit Deus Pater tuus iuſtum coram ſe. Gen.6. Hic eſt inquit, *Filius meus dilectus in quo complacuit:* Mat.4.

A Tu cognoſcis oves tuas, & ipſæ te agnoſcunt, quia
ſunt animalia munda ſeptena & ſeptena qui ſeptifor-
mi gratia & operibus lucis. Sabbatum ex Sabbato ade-
pti iam digni ſunt Octavæ conſcribi; qui numerus
tantum in Arca ſalvatus eſt.

Introduc & nos ad te per oſtium lateris tui, quod
Gen. 7. c eſt fides Eccleſiæ; & claude *oſtium a foris* donec per-
tranſeat iniquitas: & ceſſante diluuio, iterum nobis
aperias oſtium, non iam fidei ſed ſpei; *oſtium contra*
Ezec. 40 b *oſtium* quod in montis ædificio Ezechieli Prophetæ
Can. 5. 1 monſtratum eſt. Interim tamen & *feneſtram* habes
in Arca, per quam *dilectus mittit manum ſuam*, &
columbam ſuam excitat: *Surge*, inquiens, *amica mea,*
Pſ. 17. a *ſpecioſa mea, & veni:* & cùm evolat poſt te ut appre-
hendat te, tu effugis & aſcendis *ſuper Cherubin*, &
volas, *ſuper pennas ventorum,* ut non inveniat pes co-
lumbæ tuæ, ſolidum quid de te ubi requieſcat niſi
Gen. 8. b iterum ad Arcam tuam revertatur, & tu *manu appre-
henſam* iterum in ſua manſiuncula reponas: Tutius
eſt enim in portu fidei interim præſtolari & quieſce-
re, quàm te nimis & fruſtra inſequendo, in aquas di-
B luvij intranſmeabiles decidere & ſubmergi. Aquæ
enim quæ *a dextro* templi *latere* effluunt, mille paſſus
menſuratæ, uſque ad talos veniunt; & poſt alios mil-
le paſſus, uſque ad genua; iterum poſt alios mille,
uſque ad renes aſcendunt; poſt alios autem mille paſ-
ſus, in tantum creſcit & intumeſcit fluvius ut trans-
vadari non poſſit, ſed oporteat retrò potius redire ad
Ezec. 1. c ſolidum ripæ: ideo ſancta *animalia ibant & reverte-*
Gen. 8. c *bantur*; Columba quoque cùm non inveniret vbi pes
eius requieſceret, ad Arcam reverſa eſt. At verò cor-
uus ſemel emiſſus neſcit reverti, quia non ſimplic
oculo perſequens vanitatis diluvio interceptus eſt, &
meritò. Quid enim columbæ & corvo? Quid can-
dido & nigro? Quid Iudæ & Ioanni? Quid *Chriſto*
2. Co. 6. d *& Belial?* & tamen Chriſtus inter Judam & Ioan-
nem medius ſedet inter electum & reprobum latro-
nem medius, & Noë inter coruum & columbam; ſed
coruus ſemel emiſſus non eſt reverſus, quia Iudas
egreſſus in aëre ſubmerſus eſt. Sed quid ô Domine
Ioan. 19. quod *unus ex militibus lancea latus tuum aperit?* Quis
C eſt ille unus ex militibus, niſi fortè ille qui tunicam
tuam inconſutilem ſorte accepit: ipſa eſt nimirum
unitas fidelium, quæ tibi ſoli militat; cuius lancea
prædicationis cunctis credentibus latus tuum aperuit:
Heb. 4. 2 *vivus eſt* enim *ſermo Dei & efficax, & penetrabilior*
Ab. 3. 11. *omni gladio ancipiti.* Hæc eſt illa lancea quàm Aba-
1. Reg. 26 cuc Propheta fulgurantem haſtam nominat: hanc ha-
14. ſtam cum urceo aquæ tulit David à capite Saulis ini-
mici ſui dormientis, quia ſuperbis & invidis ac ne-
gligentibus ſermo ſapientiæ ſimul cum gratia ſubtra-
hitur; ſed dormientem, filius Sarviæ confodere voluit
ſemel, ut ſecundò opus non eſſet, niſi hunc David
benignè prohibuiſſet; quia peccatorem pigrum &
contemnentem niſi miſericors & longaminis patien-
tia Dei ſuſtineret, gladius Satanæ (hoc eſt, iniquitas
ſua) in æternum interficeret: Vult enim improbus
Pſ. 49. Satan, quatenus *qui dormit, non* adiiciat *ut reſurgat.*
Reg. 26. At verò miſericors David de longinquo vertice ſæ-
D pius inclamat; *nonne reſpondebis Abner?* Retribuis
enim peccatori mala pro bonis, mitiſſime David, &
admones & expectas diutius ut reſpondeat tibi *unum
pro mille*; illis autem vox tua improba videtur, quia
1. R. 3. 26 inquietum eorum ſomnum inquietas. *Quis es tu*, in-
Pſ. 75. 7. quit, *qui clamas & inquietas regem? ab increpatione
tua Domine dormitaverunt qui aſcenderunt equos*, nec
evigilare eos vult auriga ipſorum donec præcipitet
in profundum. Rex enim impiorum ſuperbia, *in*
Iob 40. *umbra dormit, in ſecreto calami*, in locis humentibus,
& protegunt umbræ umbram eius: Ipſe eſt Abnér
qui protegit Saul. *Cur*, inquit, *inquietas regem?* Com-
pungitur tamen aliquando & ſuperbum cor, ad vo-
cem David, ſed non uſque ad correptionem. Flecti-
tur humillimis ſermonibus ſuperbus Saul, dicente Da-
vid; *quem perſequeris Rex Iſrael: quem perſequeris? ca-*
nem mortuum & pulicem unum, ſicut perdix in montibus. E
Non ſine cauſa, vel cani mortuo vel pulici ſe compa-
rat David, *melior eſt* enim *canis vivus leone mortuo:* Eccl. 9.
melior eſt canis vivens Deo, mortuus mundo, quàm
leo ſuperbus & reprobus, mortuus Deo, vivens ſæ-
culo. Pulex parvulus & mordet & ſalit; ſic humilis
iuſtus, carnalium vitia mordet confidenter, & ſalit in
montibus ubi tutiſſimum habet refugium, vt non ti-
meat perdicem adulteram quæ perſecuta eſt Heliam
& Ioannem Baptiſtam interfecit. Da mihi Domine
portionem in terra viventium, in ſepultura *peregrino-* 3. Reg. 19
rum in agro Aceldema, qui pretio magno *ſanguinis* Mat. 4. 1.
tui emptus eſt; ibi enim ſepulti ſunt omnes Patres Mat. 27.
noſtri, qui ſuper terram hanc advenæ fuerunt & pe- 7.
regrini: ibi Abraham, pulcherrimam coniugem ſuam
Saram in ſpelunca duplici ſepelivit. Sed quid eſt
quod nec gratis agrum ipſum accipere voluit, nec in Gen. 23.
electis eorum ſepulchris mortuum ſepelire? Quia
nec ſine pretio ſanguinis Chriſti, gratis ſe per ſeip-
ſum ſalvandum credidit, nec bonum ſibi æſtimavit
eſſe, ſi in fœtentibus mundi ſepulchris habitaret.
In electis, ait, *ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum.* F
Habet mundus electa ſepulchra; illos utique quos
elationis faſtigium, vel ſuperſtitionis operoſitas per-
ſpicuos reddit. Tota Ægyptus ſepulchris plena eſt, *ne-*
que enim *erat domus in qua non iaceret mortuus.* Illa ſe-
pulchra in deſerto deſiderabant filij Iſraël: *Deerant* Ex. 12. 30
nobis, inquiunt, *in Ægypto ſepulchra*, ut cadavera Exod. 14
noſtra iaceant in deſerto nuda & inhumata. In tali-
bus ſepulchris noluit mortuum ſuum ſepelire ſanctiſ-
ſimus patriarcha; ſed ubi? *in ſpelunca duplici*; ubi
ſpes bonorum operum, & amor contemplativæ re-
quieſcit; ibi enim & Lia condita iacet: ergo Sara & Dina ſa-
Lia in ſpelunca duplici, ſimul abſconditæ ſunt. Illa cri Ge-
prius ſterilis, poſtmodum iam ſenex, filium gaudij neris ig-
unum tantummodo peperit; hæc poſt ſex filios parere nominia.
ceſſavit, niſi quod noviſſime filiam (ſacri generis ig-
nominiam) peperit. Mira res! hæc quæ ſex habuit
filios, *parere* ceſſare dicitur; illa quæ unum tantum-
modo, parere ceſſare non memoratur: ſed activa
finem habet, contemplativa ſemper parit; illa in do- G
lore, iſta in gaudio parturit, & tamen utraque in eo-
dem agro ſepulta eſt. Nam *Rachel iuxta Bethleem* Gen. 35.
ſubter ſilicem crucis ſuperpoſita eſt; nimirum ſedet
ad pedes Ieſu, ut de domo panis ſemper fœcunda pa-
riat. Ergo Sara & Rachel nunquam parere ceſſa-
bunt: Lia verò, poſt ſex filios, aut omnino parere
ceſſat, aut filiam parit; ipſa eſt carnalis voluptas, quæ
ſub ſpecie diſcretionis nonnunquam ſubrepit activæ;
ſed tamen ſi verè vidua fuerit, ſalvabitur; non per
filiæ, ſed *per generationem filiorum.* 1. Timot. 15.

In ſpelunca itaque duplici Patriarchæ nobiles unà
cum ſuis coniugibus ſepulti ſunt; habitarunt enim in
tabernaculis ſicut advenæ & peregrini ſuper terram;
ideò ſepulturam peregrinorum, tam ipſi quam tota
eorum ſucceſſio, hæreditate poſſident. Sed quid eſt
quod Iacob grandævus, maiore quàm cæteri ambi-
tione, ſuavitate, & gloria ibidem à filio ſuo Ioſeph ſe-
pultus eſt? Per Iacob grandævum, perfecta charitas Gen. 50.
exprimitur; in qua Pater à Filio, immò cum Filio
conſepelitur, dicente ipſo; *Quia ſi quis diligit me ſer-* Ex. 13. 19
monem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad H
eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Hæc eſt
illa glorioſa & ſuavis ſepultura Patris antiqui dierum,
qui diligentes ſe ſibi conſepelit, & abſcondit eos in
abſcondito faciei ſuæ à contradictione hominum. Il-
luc & *oſſa Ioſeph* (Salvatoris noſtri memoria) ex Ægy- Mat. 23.
pto, quotidie referuntur à filiis Iſraël: Non enim in Deut. 34 b
Ægypto oſſa Ioſeph Deus reliquit, qui fœtentia &
dealbata ſepulchra deteſtatur. Et Moyſen Deus ſe-
pelivit; ſed *ſepulchrum eius uſque in hodiernum diem*
ab homine non invenitur. Denique quis poterit illuc
aſcendere vbi ille aſcendit per medium nebulæ in
altiſſimum montem; & fuit ibi quadraginta diebus
& quadraginta noctibus, & vidit, & perſcrutatus eſt

exemplar

[A] exemplar Tabernaculi admirabilis quod fixerat Deus & non homo? Propterea *uſque hodie* dum *legitur Moyſes*, velatam habet faciem, quia ab homine [2.Cor.3.15.] mortali ſepulchrum eius non invenitur. In eodem agro & ſanguinis, & glorioſa Regum linea ſortem recepit, qui ſepulti ſunt in ſepulchro patrum ſuorum in Ieruſalem: Illic & Prophetarum viſio, & Machabæorum bellicoſa virtus glorioſè decorata eſt. Comparetur iam (ſi placet) huic ſepulturæ *peregrinorum*, [Iſa.13.19] illa quondam glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia, Chaldæorum turris Babel. Quid ſimile huic noſtræ ſepulturæ reperitur? Ibi, in plures, lingua diſcinditur; hic, quinque civitates Ægypti, non iam lingua Ægyptia, nec Chananitide loquuntur, ſed civitas Solis vocatur vna. De illa ſiquidem turre [4.Reg.9.42.] Babel proiecta eſt meretrix Iezabel, fornicationum mater, Idolorum cultrix, avaritiæ artifex; & cùm eam ſepelire vellent, quia erat filia Regis, non invenerunt niſi tantùm calvariam & manuum ſummitates, & ſanguine reſperſum parietem. [B] Hæc ſanè eſt impiorum ſepultura, hæc digna retributio; quod, ex eis non niſi manuum ſummitates (hoc eſt, operum vix extrema veſtigia) remanent, & calvaries, qui fuerat locus ſuperbiæ, ſpoliatus capillorum gloria, *quia vidi impium ſuperexaltatum, & exaltatum* [Pſ.36.] *ſicut Cedros Libani, & tranſivi, & ecce non erat.* Hæc eſt calvaries Iezabel, quæ veſtita erat decore [4.Reg.9.] meretricio, & perunxerat *oculos ſuos ſtibio.* Decalvatus eſt ſuperbiæ vertex, non eſt qui iam dignetur aſpicere, niſi qui voluerit nefas eius abhorrere, vt lavet manus ſuas in ſanguine peccatoris, & velut equus fortis & velox, meretricem proiectam, vngula ſua confodiat & conculcet, & prætereat: Hic & paries adhuc ſanguineus relictus eſt, ut terreat viros ſanguinum & doloſos, qui propter avaritiam ſuam lapidant humilem Naboth. Sed canes impudentiſſimi, amatores cadaverum, carnes ſibi fornicarias incorporant, vnde & ſanguinem eius conſequenter lambunt, quia ſicut libidinis, ita & ultionis participes erunt. Alij verò ſunt canes qui fiunt ex inimicis abyſſi, qui [C] famem iuſtitiæ patiuntur, qui circumeunt civitatem, non Babyloniæ, ſed Eccleſiæ: & quod mortuum à vitiis ibidem reperiunt, comedunt, & ſibi conſepeliunt. Vnde autem hi quos extra civitatem mortuos, volucres (hoc eſt, dæmones) per inane volantes comedunt, quales fuerunt Achitofel, & Abſalon, & Iezabel, & Iudas, qui accipientes in vano animam ſuam, in vano etiam efflaverunt eam. Sed redeamus ad agrum Aceldema, ut admiremur & æmulemur potiùs beatorum manſionum gloriam, quoniam memoria impiorum cum ſonitu, memoria verò iuſtorum vivet in ſæcula ſæculorum, quales fuerunt *Ioſeph*, qui [Luc.23.] *erat decurio vir iuſtus & bonus, & Nicodemus*, qui quondam noctis, ſed iam diei miniſter, ad perungendum corpus Dominicum, ferebat *mixturam myrrha & aloes quaſi libras centum.* Tales ſepulturæ ſuæ miniſtros amabat Ieſus, qui corpus eius audacter eripiant de poteſtate tenebrarum, & ſibi vendicent, *ut ſciat* [1.Theſſ.4] *unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore*, [D] ligantes illud caſtitatis legibus & diſciplinæ linteis, & à vermium putredine conſervantes per *mixturam myrrha & aloes.* [Ioa.19.g] Sunt enim hæ ſpecies amaræ quidem, ſed corruptelam removentes: laborioſa quidem eſt caſtigatio carnis, ſed aliter neque mens, neque ipſa caro ſervatur imputribilis. *Quaſi libras centum!* O menſuram bonam & confertam! librandum ſanè eſt inter corpus & animam, diſcretione ſubtiliſſima, ut unumquodque plenum ſinum ſe habere gaudeat, & ſit pax & æqualitas inter carnem & ſpiritum, quatenus & menſura teneatur, & non deſeratur perfectio. Hæ ſunt quaſi libræ centum quæ corpus Ieſu in ſepulchro fidelium, integrum ſemper & ſuave cuſtodiunt. *En lectulum Salomonis ſexaginta Fortes ambiunt,* [Cant.3.] *omnes tenentes gladium & ad bella doctiſſimi.* Lectulus tuus Ieſu Chriſte pluſquam Salomon; ſepultura tua

[E] eſt, in qua Sabbato requieſti ab omni opere quod patraſti. Eſt autem *monumentum* tuum *in horto novum,* [Ioan.19] & in petra exciſum, quia amica tua fidelis anima, hortus concluſus eſt, & renovatur quotidie in agnitione tua, & ſolidatur in petra amoris tui conſpeliens ſeipſam tibi in interiore homine, in ſecretò tabernaculi tui: ibi te ambiunt ſexaginta fortes ex Fortiſſimis Iſraël, in quibus opera ſex dierum, opera bona & valde perfecta ſunt, ut in ſenario & denario legis, imaginem & ſimilitudinem tuam conſervent. Iſti melius te cuſtodiunt quàm fallax impiorum cuſtodia, qui ſunt ad bella doctiſſimi, non ſolùm carnis illecebras, ſed etiam Poteſtates aëreas, nocturnoſque timores abigere. Illi autem qui nocte ſicut ebrij ſepulchrum obſident, illi trepidaverunt timore ubi non eſt timor, quoniam poteſtas tenebrarum lucem non eſt ſuſtinens, ad nuncium vitæ *facti ſunt veluti mortui.* [Mat.28.4.] Non ergo te cuſtodiunt filij noctis, ſed filij diei, illis enim horrorem incutit ſplendor tuus, vt fugiant à te; iſtis autem gaudium, ne approximent ad te. [F] *Nobis* (aiunt) *dormientibus venerunt diſcipuli eius, & furati ſunt eum.* O mendaces: verum dixiſtis, [Mat.28.13] ſed *mentita eſt iniquitas ſibi!* dormientes enim, Chriſtum cuſtodire non poſſunt; ſed *qui manè*, inquit, *vigilaverint ad me, invenient me.* [Pro.8.17]

Vobis quippe dormientibus, quid niſi ſomnia apparent? Ecce habetis copioſam in manibus pecuniam, illam, ſi poteſtis, cuſtodite ne fures effodiant vel furentur: nam diſcipuli Chriſti ſuum theſaurum diligenter cuſtodient: vnuſquiſque quod amat, hoc ſervare ſtudet. Certè Michol amabat David magis [1.Reg.19] quàm patrem ſuum Saul, ideò per feneſtram demiſit eum & ſervavit. Quid eſt hoc? Michol filia Saul, filia quondam ſuperbiæ; poſtquam nupſerat ſpecioſo David, incipit odiſſe patrem ſuum, cui dicitur in Pſalmo: *Audi filia & vide, & inclina aurem* [Pſ.44.] *tuam & obliviſcere domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum.* Vnde per feneſtram demittit David; illam intellige *feneſtram per* quam *dilectus* mittit *manum ſuam*: [1.Reg.19.12.] per hanc feneſtram demittitur ab amica ſua ad amicam ſuam, hoc eſt, ad ſeipſam, & [G] abſconditur in interiore homine, vbi & ſecurus vivat, & iniquos lateat. Abſcondit enim ſe & exiit de templo perfidiæ, quoniam dum citharizat coram Saul, ut ſpiritum Domini malum faciat ab eo recedere, ille impius, haſta eum cum pariete tentat configere. Sed declinante David, quid eſt quod parieti haſta infigitur, niſi quod recedente Chriſti gratia, mens [1.Reg.19] indurata, ſuæ malitiæ telo confoditur? Quid autem ita hodiéque peroſum habet rex tenebrarum Saul, quàm [1.Re.25.44.] David generum ſuum. Propter quod, abſente David, filiam ſuam tulit, & dat alteri marito ignobili, ſed manu fortis cùm redierit, & acceperit regnum, rurſus ſuam ſibi vendicat, quia deſponderat ſibi eam ducentis præputiis, à qua non ſolùm carnis, ſed & mentis immunditias abſciderat. Væ peccatoribus, Domine, ſepulchrum tuum obſidentibus, quoniam verè declinas ab eis, & non inveniunt te in lectulo tuo ſuavi & florido, ſed potiùs offendunt ſtatuam cordis ſui tenebris involutam, habentes ad caput ſuum [1.Re.19.13.] pellem caprinam peccatorum ſuorum memoriam fœtentem. [H] Beatus autem qui vigilat ad monumentum tuum, & cuſtodit te, & luctatur manè cum angelo reſurrectionis, nec dimittit eum donec audiat aliquid de nomine eius quod eſt mirabile: [Gen.35.10.] ut & nomen Iacob commutetur in Iſraël, & tranſmiſſo amne doloris, ſtatim oriatur ei Sol iuſtitiæ. *Quis revolvet* [Mat.27.60.] *nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Clauſum eſt Domine, oſtium mentis meæ, & premit intellectum meum lapis mortalitatis prægravatus pondere iniquitatis meæ; nec humanæ prorſus vires valent amovere, niſi omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus veniat, angelus conſilij, qui diruat maceriam inimicitiarum, & aperiat nobis ſenſum, ut intelligamus Scripturas, & videamus linteamina poſita ante nos,

humilitatis

A humilitatis & reſurrectionis tuæ veriſſima teſtimo-
nia : in quibus qui te ſcrutari te adiuvante potuerit,
prægustabit aliquid de gloria reſurrectionis quam præ-
paraſti diligentibus te ; cuius primitias in ſinu tuo
iam collegiſti, offerens eas ſemper in conſpectu Pa-
tris tui toſtas igni Spiritus ſancti. Et ille quidem an-
gelus tanti gaudij prænuncius, qui revoluit lapidem,
& impias mentes perterruit, pias autem blandè le-
niens timere prohibuit : ille inquam angelus non tan-
tùm verbo, ſed & vultu, habitu, vel tactu, beatæ
reſurrectioni teſtimonium perhibuit. *Revoluit* enim
Mat. 28. *lapidem, & ſuper eum ſedit* ? lapidem (inquam) qui
& nunc advolutus eſt ſuper nos, & faciem noſtram
deprimit : quod in prima reſurrectione quæ eſt ani-
mæ, fieri non dubium eſt, vt prementem ſe corru-
ptionis ſarcinam verſa vice ſpiritus ſubiiciat, & ve-
lut iudex ac Dominus inferioris ſui regimen accipiat.
Quid autem per candorem nivis, & veſtimentorum
ſpeciem, niſi corporis noſtri frigida & mundiſſima
B caſtitas ſignatur, quæ præſidenti in ſe Angelicæ
claritati ſimilis, & teſtimonium præbet & obſequium?
Porro aſpectus eius interior, ubi ſubſignatum eſt lu-
men vultus tui Domine, ſicut fulgur terribilis eſt
& lucidus : terribilis ut inimicos animæ ſcindat me-
dios & perterreat ; lucidus autem, ut tibi vero lumini,
Exod. 3 cum iuſtitia ſemper appareat. Talis erat facies Moyſi
ex conſortio ſermonis tui : hoc eſt, luminoſa & ter-
ribilis, quia cornuta erat ad ventilandum inimicos,
& velata propter ſplendorem, quem carnales oculi
ferre non poterant. Et nunc Domine ſcimus & gau-
demus, quia reſurrexiſti verè à mortuis, & longè
diviſus es à nobis adhuc mortalibus, quia aſcendiſti
ſuper equos tuos igneos, & currum igneum, qui *de-*
Ab. 3 8. *cem millibus multiplex* eſt : veruntamen cecidit nobis
Pſ. 67 18 à te, & apud nos uſque hodie remanſit pallium tuum
quæ ſunt linteamina corporis tui, quibus potentiæ
tuæ opem experiamur in tempore opportuno, ut ſpi-
ritus tuus duplex fiat in viſceribus noſtris, quatenus
in te, & Deum & proximum diligamus. Circum-
C dederunt nos dolores mortis, & tribulationes Infer-
ni conturbaverunt nos ; circumdederunt nos, mor-
talitatis noſtræ veſtimentum ſcaturiens vermibus, qui
me aſſiduè comedunt & non dormiunt, qui ſunt do-
lores prænuncij doloris illius maximi, qui venit ſu-
per nos velut armatus, & improviſos molitur obrue-
re. Et quis tam providus, vt terrorem illius poſſit
ſuſtinere ? Attamen velimus nolimus ; certè ſuſti-
nendus eſt, certè tranſmeandus. Sed noli oblivisci
pallium Heliæ, alioquin Torrens tibi ſine illo non
dividetur. Sunt & alij Torrentes iniquitatis (pelagus
peccatorum meorum) qui conturbant me ; atque uti-
nam ſic conturbarent, vt cum dolore clamarem : *Pa-*
4. Reg. 2. *ter mi, pater mi, currus Iſrael & auriga eius.* Contur-
bant enim me Torrentes iniquitatis, auferentes mi-
hi lumen oculorum meorum, ut non poſſim videre
piiſſimum Heliam, quando tollitur à me : ſi enim vi-
derem, profectò ſpiritus eius duplex fieret in me, &
D clamarem : *Pater mi, pater mi ! Miſit Deus ſpiritum*
Gal. 4. b *filij ſui in corda noſtra* (ait Apoſtolus) *clamantem, Ab-*
ba pater. Duplex ſpiritus, duplo clamat ; *pater mi,*
pater mi : pater mi, creator ; pater mi, reformator. Pa-
ter mi, pater mi ! ô vox affectuoſa ! *currus Iſrael &*
auriga eius : portas & regis, ſuſtines & gubernas :
quem ? Iſraël credentem in te, ſperantem in te, ſuſpi-
rantem ad te ! Ecce ſublatus es, amplius te tuus non
videbit Eliſæus : remanſit tamen ei pallium tuum in
memoriam tui, ut præſentia abſentiæ tuæ dolorem
eius ſemper & augendo leniat, & leniendo augeat.
Luc. 22. 19. *Hoc ſumite* (ait) *in meam commemorationem* : hoc eſt
ſacramentum corporis tui, quod ſumimus in tui com-
memorationem corporis tui donec venias. Pallium
tuum, eſt caro tua qua veſtitus ad nos proceſſiſti ; &
latuiſti quidem perfidos, ſed fidelibus tuis teipſum
Ab. 3. Iud. 16. oſtendiſti ſicut & uſque hodie. Sub hoc pallio *abſcon-*
dita eſt maxima *fortitudo tua*, ô fortiſſime Samſon,
quam etiam dilectæ & non diligenti te, ad ultimum E
non celaſti, ut inimicam verteres in amicam. In tan-
tùm amaſti mulierem non amantem te, ſed perſequen-
tem, ut propter amorem eius ſapientia tua ſtulteſce-
ret, & fortitudo tua infirmaretur. Sed *quod ſtultum*
eſt Dei ſapientius factum eſt hominibus, *& quod in-*
firmum Dei, fortius hominibus, quoniam voluntariè
teipſum Patri ſacrificans, & ex poteſtate tua moriens,
concuſſiſti Principes tenebrarum, & regnum eorum
attriviſti ; facta eſt crux tua, Iudæis quidem ſcanda-
lum, gentibus autem ſtultitia, his autem qui cre-
dunt, Dei virtus & Dei ſapientia. Quamdiu ſumus
in hoc corpore, peregrinamur à te Domine ; ambulas
quidem cum his qui diligunt te, & loquuntur & tri-
ſtantur ſuper te ; ſed tamen peregrina eſt facies tua,
& cùm cognoſcas eos, non tamen cognoſceris ab eis.
Verè tu es ille Ioſeph, qui ad fratres tuos quaſi ad alie- Gen 42. 7
nos durius loquebaris, non indignatione, ſed miſera-
tione, dum illos duos in via ambulantes, & dolebas, F
& arguebas ; *O ſtulti & tardi corde ad credendum !* Luc. 24.
Veniunt ergo ad te quaſi alieni, fratres tui, ſed tu be-
nignè appropinquas eis : veniunt ad te cum aſinis
ſtultitiæ & tarditatis ſuæ, & cum ſaccis vacuis præ
inopia ; ſed non ſolo frumento reples eos, quin &
pecuniam reddis ligatam in ore ſacculi. *Aperto* (in- Gen. 42.
quit) *uno ſacco, ut daret iumento pabulum, invenit*
pecuniam in ore ſacculi : reddita eſt (ait) *mihi pecu-*
nia, en habetur in ſacco, quidnam eſt quod fecit nobis
Deus ? Vacui & ſtulti veniunt ad te, ſed tu remittis
eos onuſtos & abundantes frumento ſapientiæ tuæ,
inſuper & eloquentiæ pecuniam reddis ligatam au-
thoritate Scripturæ : quia linguas infantium facis di-
ſertas, ut dent iumentis nondum intelligentibus te,
pabulum & menſuram tritici in tempore ſuo. Grade-
re nunc & nobiſcum Domine, ne deſolemur & tri-
ſtemur in via hac qua ambulamus, quoniam tu ipſe
quondam præcedebas filios Iſraël *in columna nubis per* Ex. 13. d
diem, & in columna ignis per noctem, & ad nutum
tuum deponebant tentoria, & rurſus erigebant. Quæ
eſt nubes quæ præcedit veros Iſraëlitas, niſi veriſ-
ſimum & ſanctiſſimum corpus tuum, quod in altari G
ſumimus, in quo velatur nobis altitudo Dei, immen-
ſitas maieſtatis tuæ, cuius & calorem & ſplendorem
mortalis infirmitas ſuſtinere non poſſet, niſi media-
trix nubes interpoſita, & ardorem temperaret deſu-
per, & tutam ſubtus te viam præmonſtraret ? Hanc
nubem totus exercitus tuus ſequitur Domine rex Sa-
baoth : qui autem non ſequitur eam, in tenebris eſt,
& in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, relucet
enim de hac ſemita quæ ducit ad vitam, ſemita humi-
litatis & patientiæ, ſemita manſuetudinis & miſeri-
cordiæ, & quicquid humano generi per Incarnationis
tuæ myſterium revelare dignatus es. Relucet nobis
ex hac luce, legis & prophetiæ gloria, quoniam Moy-
ſes & Helias tecum apparuerunt in monte, ſed *nubes*
lucida obumbravit eos : nec enim ipſi ſicut & nos, ſine Mat. 17. a
tua protectione ſalvari potuiſſent, veruntamen illis H
ſicut amicis & domeſticis (imò domeſticorum &
amicorum tuorum præcipuis) ſacramenti tui nubes
erat perlucida, quæ nobis iacentibus & proiectis à
facie oculorum tuorum valde ſubobſcura eſt, ſed im-
perfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo
omnes ſcribentur, quoniam ſub nube tua nutris &
perficis, & deducis velut ovem Ioſeph. Hæc eſt co-
lumna nubis, quæ per diem præcedebat filios Iſraël,
columna verò ignis per noctem, Spiritus ſanctus eſt
qui ſuper Apoſtolos in igneis linguis apparuit, qui cæ-
citatis noſtræ caliginem illuminat & ſurſum erigit,
vt ſapiamus ea quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper ter-
ram. Nubes ergo per diem, & columna ignis per no-
ctem, quia & caro tua divinitatis æſtum temperat, &
Spiritus ſancti lux tenebras noſtræ mentis illuſtrat.
Igitur dum loquereris in via duobus diſcipulis tecum
pariter euntibus, & nubes peregrina faciem tuam te-
geret : *Nonne* (inquiunt) *cor noſtrum ardens erat in nobis,* Luc. 24.

dum

A *dum nobis loqueretur in via & aperiret nobis Scripturam?* Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos. Sed vbi tandem cognouerunt? *in fractione panis*: & verè non cognoſceris Domine, niſi in fractione panis: panis, caro tua eſt; fregiſti manibus tuis corpus tuum, quia

Chriſtus manibus ſuis fregit corpus ſuũ.

poteſtatem habebas ponendi animam tuam, & iterum ſumendi eam: fregiſti corpus quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam quæ intus latebat, niſi enim patiaris, non cognoſceris: *ibi* (inquit) *abſcondita eſt fortitudo eius.* Quæ eſt autem fortitudo tua,

Abac 3. 4.

niſi manſuetudo, niſi humilitas, niſi ſapientia & obedientia? Has virtutes fortiſſimas & ſuauiſſimas, in fractione panis, hoc eſt, in paſſione tua nobis oſtendiſti. His virtutibus caro tua (quod nos ſumus) nutritur paulatim & perficit & perficitur. Et primum quidem inter duas molas ſpei & timoris, molitur ſicut frumentum, vt fiat noua conſperſio: deinde

B

cùm in formam panis tranſierit, coquitur in clibano paſſionum, poſtea cùm benedixeris ei omni benedictione ſpirituali, & dixeris, *Conſummatum eſt*, frangis

Ioan. 19. 36.

& ipſum corpus noſtrum, quod in manibus tuis eſt, & in manus tuas committimus: & ibi agnoſceris, non ſpecie peregrina, ſed in facie propria, vt iam non lancea nobis latus tuum aperiat, ſed digito palpare & videre poſſimus, quia tu es Domine Deus noſter, pater orphanorum & iudex viduarum. Nunquid non vides viduam hanc pauperculam, & deſolatam animam meam non habentem aliquos, neque fratres, neque amicos, neque vicinos, a quibus mutua accipiam vaſa vacua, non pauca, quæ mihi filij mei ſuggerant, & ego infundam de modico olei, quod mihi de te reſiduum eſt, vt tu benedictionis tuæ plenitudinem omnibus exhibeas? Intelligo enim Domine, vaſa vacua eſſe literales quoſdam & hiſtoricos ſenſus Scripturæ tuæ, quæ non pauca ſunt, vt totus mundus ea capere non poſſit. Quæ quidem vaſa ſanctiſſi-

4. Re. 2. 0

mi Templi tui, Babylonius rex (hoc eſt, ſuperbiæ principatus) captiua ſibi ducit, ſuiſque conuiuiis, non ad gloriam, ad ignominiam ſuam ſeruire cogit; vſurpans ſibi ſcientiam legis tuæ, & bibens in vaſis

C

Sanctuarij vinum proſtitutionis ſuæ, vnguentiſque meretricis donaria tua commaculans. Propter quod

Dan. 5. 0

& ex aduerſo parietis, crudelis, ſed iuſta contra eos ſententia conſcribitur, quia omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & tradetur Medis & Perſis qui argentum non quærant, nec aurum velint, ſed venenatis & ardentibus ſagittis paruulos & ſtultos eorum ſenſus interficiant. Tu autem Domine, pauperis & deſolatæ viduæ miſereberis, ne peſſimus, & importunus fœnerator) quod ad vſuram perditionis meæ, multa mihi iniquitatis ſuæ talenta credidit) duos filios meos interioris animæ ſenſus ad ſeruiendum ſibi tollat. Bonum & ſalutare tuum, vt petam mutuò vaſa non pauca, & benedictione ſuperabundantis olei redimam peccata mea de reliquo autem viuam cum filiis meis.

Sed quia nec vicinos habeo nec liberos à quibus commodem exercitium mentis meæ, ſtatim vt remiſero manus, inuadit me creditor ille improbus, & duos

D

filios meos (hoc eſt, intellectum & affectum) inertiæ, vaniſque illuſionibus ſuis deſeruire cogit. Tu ergo miſericors, vt viduarum defenſor, quoniam diues es nimis, & das omnibus affluenter: tu (inquam) ipſe mihi commoda, & vaſa quæ noſti ad hoc eſſe vtilia, & oleum, vt tua ſint omnia, & omnia ſeruiant tibi: quia nolo in Ægyptum oleum tuum deferre vt non peccem tibi, ſed tantummodò ne panem ocioſa comedam, quin potiùs tota die exerceat in iuſtificationibus tuis & viuam. Et ecce quod filius memoriæ

4. Reg. 1

meæ mihi obtulit, ſicut primum inter manus meas incidit, arripiam. Stabat Helias in vertice montis, & mittitur ad eum quinquagenerius primus, qui igni conſumptus eſt, & ſecundus ſimiliter, tertius tamen, humilitatis & deuotionis merito reſeruatus eſt. Ecce

E

vas, ſed vacuum, quia potius ſic acceptum crudelitatem reſonat, impleatur oleo, & grauis ex eo ſonus ceſſabit. Quis enim Helias ſtatus in vertice montis; niſi tu Domine Ieſu, qui ſurſum Patri adſiſtis, venit ad te quinquagenarius primus, quem tibi aridus præ nimia ſiccitate mundus tranſmittit, & clamat ad te: *Homo Dei deſcende de monte.* Mundus enim cognoſcit, quia ſaluari ſine te non poteſt. Homo Dei & Deus homo, moueat te quem quæris homo, vt homini condeſcendas. *Deſcende de monte*, nullus tibi poteſt appropinquare, niſi tu appropinquaueris ei, nullus ad te poteſt aſcendere, niſi tu deſcendas ad eum. Homo Dei deſcende de monte: tu es mons eleuatus ſuper verticem montium, deſcende & compatere nobis in conualle lachrymarum. *Si homo* (inquit) *Dei ſum, deſcendat ignis de cælo*, &c. *Ignem* enim

Luc. 12.

veni mittere in terram, & quem volo, vt accendat & deuoret te quinquaginta tuos. Obſecro Domine &

F

ſuper me deſcendat ignis ille, & deuoret in me veterem hominem cum actibus ſuis. Hic eſt quinquagenarius primus quem tuus ignis deuorat, vt ab omni opere ſeruili requieſcere faciat. Quinquagenarius autem ſecundus, ipſa eſt actiua vita quæ ſimiliter finem habet, ſabbatum ex ſabbato; hanc quoque in holocauſtum, ignis tuus abſumit, & in primo quidem quinquagenario crematur hircus, in ſecundo aries inceditur; tertius autem qui eſt reſurrectionis vel contemplationis, finem non habet, ſed cum Helia ſemper viuit. Vnde bene lectum eſt in Evangelio, de

Ioan. 21.

magnis piſcibus centum & quinquaginta tribus, qui omnes in vnum piſcem redacti ſunt, quem ſuper prunas poſitum ſeptem diſcipuli viderunt, & vnà cum Ieſu qui octavus erat, pranſi ſunt. Ipſe numerus, hoc eſt, centum & quinquaginta, qui ſunt tres quinquagenarij & ſeptem diſcipuli, requiem concorditer ſonat, & ſicut ſinguli quinquagenarij, ad vnitatem; ita ſeptem, ad octavam: hoc eſt, ad Chriſtum tendunt, & in vno omnes conſentiunt. Sicut autem vnum

Reprobi omnes cum diabolo vnũ corpus ſunt

corpus, vnus panis, vnus homo vel vnus piſcis Chriſtus & omnes electi: ita diabolus cum omnibus reprobis vnum corpus & vnus hoſtis. Eſt enim *aquila grandis*, magnarum alarum, &c. *Aquila*, propter nimiam

G

naturæ ſpiritualis perſpicaciam, *grandis*, propter ſuperbiæ altitudinem: *magnæ alæ adhærentes ſibi & extollentes eum*; malignorum ſpirituum poteſtates, *longo membrorum ductu*; peſſimi homines, quorum miniſterio fungitur ad pugnandum contra bonos. Et bene; *longo*: quia adhuc quotidie veniunt, & durant vſque in finem ſæculi, ducatum ſuperbiæ ſequentes: *plena plumis*, fallaciæ dolis, & auaritiæ, quia eaſdem artes variis modis ad decipiendum transfigurat. *Venit ad Libanum*, animam ſemel fidei & vitæ meritò candidatam. *Tulit medullam cedri*: Cedrus imputribilis, altitudo ſpei, cuius medulla eſt charitas, quam ſingulariter nititur expugnare diabolus. *Summitatem frondium eius auellit*, & ſermonem ſapientiæ qui excellentiſſimus eſt, euellit ab amore Dei. *Et tranſportauit in terram Sennaar*: hoc eſt fœtoris eorum, quod ſignificat inanem gloriam. *In die illa ſibilabat Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum terræ Ægypti, & api quæ*

Iſa. 7. 18.

H

eſt in terra Aſſur. Sibila Domine, & huic muſcæ immundæ, animæ meæ peccatrici, vt ſpiritus tuus bonus deducat me in viam rectam, vt vadam ad excelſam & montuoſam promiſſionis terram, quæ de ſuperioribus tuis irrigatur, & de cœlo expectat pluuiam, non ſicut terra Ægypti, quam fluuius de terra ebulliens totam cooperit. Non eſt enim mons oppoſitus; non eſt aliquod obſtaculum concupiſcentiis Ægypti; ſed ſicut de terrena mente ebulliunt ſuper detectam animæ ſuperficiem, ſine mora decurrunt. Habet enim ſeptem oſtia fluvius Ægyptius, quæ de vno capite (id eſt, ſuperbia) deriuantur. Horum extremum intelligitur luxuria carnis, de qua muſcæ immunditiæ ſemper amatrices naſcuntur: Nec iſtam deſpicit ſuperabundantia gratiæ, ſed ſibilat

A & evocat eam de extremo fluminum, & iungit api quæ erat in terra. Aſſur. *Vt veniat & requieſcant ſimul in Torrentibus vallium: & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuerſis foraminibus.* Apis virgo eſt, ſed quandiu eſt in terra Aſſur (hoc eſt, elationis) mel non poteſt operari; ſola enim repromiſſionis terra lacte & melle fluit: Sibilante ergo gratia, muſca & apis conveniunt, & ſimul requieſcunt in Torrentibus vallium. In illis Torrentibus, & apis de ſuperbiæ, & muſca de luxuriæ ſordibus emundantur. Torrentes vallium, diſciplinæ ſunt humilitatis. Quare Torrentes? Quia ſi quis mœror, ſi qua grauitas in corrigendis vitiis, cito prætereunt: vnde B Ioan.16 *mulier cùm parit triſtitiam habet, quum verò peperit, iam non meminit preſſuræ*: nam labor vertitur in amorem, & tædium in deſiderium, & amaritudo in dulcedinem; ſicque de Torrentibus vallium proficiunt ad cauernas petrarum. Petræ, firmiſſimi atque fortiſſimi in fide patres ſunt, in quorum paſſionibus velut ſuis exemplaribus, muſca & apis quaſi columbæ nidificantes requieſcunt, vnde non ceſſat manus eorum, non ceſſat pes; ſed in omnibus frutetis bonorum operum iugiter exercitatæ, ſic demum ad contemplationis foramina perveniunt. Hæc ſunt opera tua Domine Ieſu, quia ſunt bona valde. Sic Mariæ Magdalenæ ſibilaſti, de qua non vnum, ſed ſeptem Ægypti flumina eieciſti. Vide Mat:6 Luc.7. quomodo requieuit in Torrentibus vallium; intrauit inter epulas diſcumbentium, cucurrit ad pedes Ieſu; effundebat ſuper eos Torrentes lachrymarum: ad lavanda ſui Domini veſtigia, non alias quàm oculorum ſuorum vndas attulit, capillis ſuis pro linteis vſa eſt, tum verò vbi affectus vehementior incanduit & vberauit, carbo lachrymarum imbre reſperſus fortius exarſit. Videres, ab illa, ſacratis veſtigiis celeberrima & inſatiabilia oſcula infigi; videres effuſæ vnctionis ſuavitate totam domum compleri.

C Quid igitur illa niſi in Torrentibus vallium requieſcebat, de qua tot & tanti gratiæ Torrentes effluebant? vnde & dimiſſis ei peccatis multis, quia multum dilexerat, iam ſicut columba quæ lacte eſt lota, reſidebat ad pedes Ieſu iuxta fluenta pleniſſima; cùm quidem ſoror eius Martha ſatageret circa frequens miniſterium. Quid memorem de ſepulturæ officio quod prævenit: de pedibus aſcendens ad vnctionem capitis, cùm in ea fremeret illud auaritiæ ſepulchrum fœtens, odorem pietatis ferre non ſuſtinens? Non potuit amor tantus, Chriſto etiam moriente mori: fugientibus & latentibus viris (hoc eſt, Apoſtolis) mulier imperterrita *ſtabat ad monumentum, plorans*! Non habebat vinum, & tota ſuper mortuum ardebat! Corpus erat ſublatum, & à monumento recedere non valebat, quò plus de manibus & oculis auferebatur, eo ardentius animus inſequebatur. Si fieri potuiſſet, redimendo corpori ſepulchrum lachrymis impleſſet: *ſtabat* (inquit) *plorans*, id ſolum ei de te reſidebat; corpus erat ſublatum, ſed quis auferat ei ploratum? Indulge domina, indulge totis habenis, & effunde procurrens in infatigabiles lachrymas, donec ſublatum (imò reſurgentem) Dominum tuum conſequaris: iterum & iterum inclinare, vel locum vacuum vbi poſitus fuerat ſæpius intuere, amplius D & amplius ipſe te ad plorandum locus irritat, dum eius quem quæris abſentiam tibi præſentat. *Vidit*, inquit, *duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi fuerat poſitum corpus Ieſu*; *mulier* (inquiunt) *quid ploras? quem quæris?* Equidem bene noveratis, ô puſſimi Angeli, quid ploraret, & quem quæreret, quare illam commemorando iterum in fletus excitaſtis? ſed prope erat inſperatæ conſolationis gaudium, ideo tota vis doloris & plorationis excurrat. *Converſa retrorſum vidit Ieſum ſtantem, & neſciebat quia Ieſus eſt.* O pium, ô delectabile pietatis ſpectaculum! ipſe qui quæritur & deſi-

Maria Magdalena primum vnxit pedes Domini, deinde caput.

Ioan.10.

Io.20 12.

E deratur, & occultat ſe & manifeſtatur: occultat ſe vt ardentius requiratur, & requiſitus cum gaudio inveniatur, inventus cum ſollicitudine teneatur, & tentus non dimittatur, donec in amoris ſui cubiculo manſionem facturus introducatur. Hac arte ludit ſapientia in orbe terrarum, & deliciæ eius eſſe cum filiis hominum. *Mulier quid ploras? quem quæris?* habes quem quæris, & ignoras? habes verum & æternum gaudium, & ploras? habes intus, quem foris requiris? Verè ſtas *ad monumentum foris plorans*: mens tua monumentum meum eſt, illic non mortuus, ſed in æternum vivens requieſco, mens tua hortus meus eſt. Bene exiſtimaſti quia hortulanus F ſum, ſecundus Adam ego ſum, operor cum cuſtodio paradiſum meum. Fletus tuus, pietas tua, deſiderium tuum, opus meum eſt: habes me intra te; & neſcis: ideò quæris foris, & ecce ego foris apparebo vt te introreducam, & invenias intus quem foris quæris. Maria noui te ex nomine, diſce me cognoſcere ex fide. *Rabboni*, id eſt, *Magiſter*: quod eſt dicere, doce me quærere te, doce me tangere & vngere te. *Noli* (ait) me tangere ſicut hominem, nec ſicut prius tetigiſti & vnxiſti mortalem: *nondum aſcendi ad Patrem meum*: nondum credidiſti me Patri coæqualem, coæternum, & conſubſtantialem: hoc igitur crede, & tetigiſti me. Hominem vides, ideo non credis: quod enim videtur, non creditur. Deum non vides, crede & videbis, credendo me tanges, ſicut illa mulier quæ veſtimenti mei fimbriam tetigit, & confeſtim ſanata eſt: quare? quia fide ſua tetigit me. Hac manu tange me, his oculis quære me, his pedibus feſtina currens ad me, nec longè à te ſum, Deus enim appropinquans ego ſum, verbum in ore tuo & in corde tuo ſum, quid propinquius homini quàm cor ſuum? Illic intus invenior à Matt.9. 20. quibuſcunque invenior, nam quæ foris videntur, opera quidem mea ſunt, ſed tranſitoria ſunt, ſed caduca ſunt, ego autem horum artifex, in ſecretiſſimis & mũdiſſimis cordibus inhabito. *Data eſt* tibi Domine Ieſu G *omnis poteſtas in cælo & in terra*, rex magne, rex virtutum; quia factus es obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce *eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos*, & omnia ſubiecta ſunt ſub pedibus tuis. Regnauit David prius in Hebron ſeptem annis ſuper Iudam, poſtea verò vnctus eſt ſuper vniuerſum Iſraël, & regnauit in Iſraël triginta tribus annis. Cùm autem ſuper Iudam tantùm vngereris fortiſſime David, in Hebron, iam mortuus erat in eis Saul rex ſuperbiæ: alioquin viuente illo, & dominante eis peccato, non dicerent tibi, *os noſtrum & caro noſtra es.* Quis enim membrum Chriſti, & membrum ſimul poteſt eſſe meretricis? *aut quæ conventio Chriſti ad Belial?* *Ecce nos* (inquiunt) *os tuum & caro tua ſumus*; ſed & heri & nudius tertius cùm eſſet Saul rex ſuper nos, tu eras educens & reducens Iſraël, & verè ſic eſt: regnante adhuc principe tenebrarum ſuper nos, tu ſuſtines in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, & exis ante nos provocans ad bellum contra vitia, & liberas, & educis indignos de manu peccatorum. Idcirco primus Iudas (id eſt, confeſſio) vngit te ſuper ſe regem in Hebron: mortuo quippe Saule, beneficiorum tuorum reminiſcitur, & errorem ſuum confitendo tranſitum facit de peccatis ad te, rex iuſtitiæ! Regnas autem ſuper Iudam ſeptem annis in Hebron, quoniam reddis eis ſeptuplum in ſinu eorum, & ſeptuplum vitiis expiatos, quibus præerat ſuperbus Saul, tua virtute ſeptemplici reformas. Poſtea tranſitus regni tui fit in H Ieruſalem ſuper vniverſum Iſraël, quia per negotium confeſſionis, illuminatis iam ſenſibus pervenitur ad viſionem pacis, in qua factus eſt locus, & ipſe eſt mons quem conſtitueras diſcipulis, vt irent in Galilæam, vt viderent & adorarent te ibi poſt reſurrectionem tuam, quia iam vnxerat te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus

Pſal.8.

2.Reg.2.

2.Cor.6. 4.

tuis,

A tuis, vt eſſes primogenitus mortuorum & princeps
Regum terræ. Porrò in Ieruſalem regnas *triginta
tribus annis:* triginta tres habet decades, lex quæ
decem præceptis conſiſtit, in ternario triplex animæ
profectus accipitur, quæ viuendo, meditando, vel
Pſ.145. amando legem Dei cuſtodit. De primo dicitur: *lau-*
Pſ.118. *dabo Deum in vita mea*; de ſecundo, *lex tua meditatio
mea eſt*; de tertio, *quomodo dilexi legem tuam Domine.*
Tres verò qui ſuper triginta ſunt, quoſdam contem-
plativorum excellentiſſimos indicant, qui puritate
conſcientiæ, plenitudine ſapientiæ, perfectione cha-
ritatis, ſummæ Trinitati approximant. Hic eſt etiam
numerus fortiſſimorum, qui ſunt in exercitu tuo
potentiſſimi; quorum tamen eminentiſſimi vſque
Pſal.88. ad ſapientiam & fortitudinem tuam non perveniunt,
2.Re.23. quoniam *quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis
B *erit Domino in filiis Dei?* Tu es quaſi *tenerrimus ligni
vermiculus*; qui virginaliter editus, humilitate &
charitate tua omnem perforas duritiam, immo im-
petu Spiritus tui octingentos interficis principes ma-
litiæ. *Quis ita fortis, vt tu?* quis ita miſericors, qui
fleſti ſuper Ieruſalem, planctum feciſti ſuper interitu
inimicorum tuorum? Et nunc Domine doles tu
ſuper Saul & Ionatham filium eius, qui occumbunt
Act.9.4. quotidie ſuper montes Gelboë. Niſi enim doleres,
non clamares de cœlo: *Saule, Saule quid me perſe-
queris?* quos enim, Saul, niſi ſuperbos in Eccleſia
tua prælatos ſignificat, qui ab humero & ſurſum
eminere ſibi videntur ſuper vniverſum populum?
Quid verò per Ionathan, niſi dociles & elegantis
ingenij adoleſcentes, qui moribus & colloquiis maio-
rum depravati, amicitiam ſuam non poſſunt excolere
cum David, niſi furtim & quaſi cauentes ab inſidiis
detrahentium & illudentium ſibi? Meritò ergo plo-
ras (ô benigne David) ſuper Ionathan filium eius,
2.Re.1.21. plorandi enim non eſſent, ſi bene occubuiſſent. Sed
ſuper montes Gelboe qui decurrunt in profundum,
nec ros gratiæ, *nec pluuia* doctrinæ veniet amplius,
quia *ibi abiectus eſt clypeus fortium*, clypeus Saul.
C Clypeus fortium, ſpes eſt divinæ protectionis, quo
ignita diaboli iacula repelluntur, quibus grauiter
vulneratus eſt Saul à ſagittariis, in tantùm vt ſe-
ipſum deſperatione interficeret. Clypeus autem
Saul, propriæ virtutis confidentia eſt, quæ non valet
reſiſtere ſagittis incircumciſorum: væ autem his qui
amiſerunt ſuſtinentiam, hoc eſt, clypeum fortium.
Et, maledictus homo qui confidit in homine, quod
eſt, clypeus Saul, erit enim ſicut myricæ in deſerto,
Ier.9.23. quia nec ros, nec pluuia veniunt ſuper vos montes
Gelboë. *Quomodo ceciderunt fortes?* Etenim ſi for-
1.Cor.1.d. tes, quomodo ceciderunt? &, ſi ceciderunt, quo-
1.Cor.10.12. modo fortes? ſed *non glorietur ſapiens in ſapientia
ſua, neque fortis in fortitudine ſua*, ſed *qui gloria-
tur, in Domino glorietur, & qui ſtat, videat ne cadat.*
Nam etſi ſint aquilis velociores, vt contemplatiuos
velocitate intellectus ſuperuolent: etſi leonibus for-
tiores, vt in fortitudine operis veros prædicatores
ſuperent, tamen ſi de ſe præſumentes, clypeum ſalu-
tis abiiciunt: erunt corruentes coram inimicis ſuis;
qui autem confidit in Domino, ſicut mons Sion non
commouebitur in æternum. Sed maluit Saul in-
cumbere ſuper haſtam ſuam, quàm inniti ſuper Do-
minum, idcirco baculus Ægypti arundineus perfo-
D rauit manum eius. Sua cum haſta, & ſuus auriga,
2.Re.1.10 qui currum inſolentiæ eius agitabat, interfecit. *Scie-
bam* (inquit) *quòd viuere non poſſet.* Neſcit enim hu-
miliari arrogantis obſtinatio, vt viuere poſſit. Iube
rex iuſtiſſime David, iube puero tuo (id eſt, ſpiritui
puræ diſcretionis) vt interficiat in me Amalechitam
hunc armigerum Saulis, qui auſus eſt etiam nunc
quotidie manum mittere in Chriſtum Domini. Ne
pluas ſuper nos coturnices Domine, deſideria carnis
noſtræ, quæ non niſi duobus cubitis leuantur à terra,
quia non attingunt dona Spiritus ſancti. Ne pluas
Matt.15.17. ſuper nos, ſicut puluerem, carnes, quia caro puluis
eſt, & in puluerem deducit. *Omne quod intrat in os,* E
in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur: talis eſt Pſ.77.27
omnium voluptatum carnalium finis, *& ſicut arena
maris, volatilia pennata:* gaudet edacitas, pennulas
mouet, ſed mox in arenam maris convertitur: gaudet
luxuria, modicum volitat, ſed mox in arenam maris
tranſit: omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit;
modicum leuant infœlicem animam, ſed mox aggra-
uant in arenam. Tu autem Domine, Manna nimi-
rum es *ſicut ſemen coriandri*, quod fractum mola
candorem producit, & dulcedinem quaſi panis oleati:
hic eſt panis Angelorum, quem manducauit homo. Exo.16.31.
Dicunt adhuc increduli: *Manhu, quid eſt hoc?*
quia minutum & humilem vident, & quaſi deſpe-
ctum ſermonem tuum, & ideo redeunt & concupiſ-
cunt carnes magnas Ægyptias, quia neſciunt, ne- Sap.16.
que guſtauerunt abſconditum intus Mannæ ſapo- F
rem, *habentem omne ſuauitatis delectamentum*, re-
deunt ad carnes, exſiccant eas ad Solem in circuitu
caſtrorum. Mira res, vno eodemque Sole, & car- Exo.16.21.
nes indurantur, & Manna liqueſcit! ſiccantur car-
nes, vt amplius durabiles ſint; indurantur iniqui, vt
ſuas diutiùs expleant voluptates: tuum autem Manna
liquefiebat, cùm Sol incaleſceret, quia *anima mea
liquefacta eſt, vt Dilectus loquutus eſt.* Incaleſce Cant.5.
ſuper nos, Sol meridiane, vt liqueat Manna, &
fluant aromata illius *ſicut Torrens in Auſtro.* Colligite
filij Iſraël, colligite manna, & frangite mola, &
replebitur ſicut adipe & pinguedine anima noſtra.
Moleſtus eſt labor, ſed fructuoſus: *labores manuum
tuarum manducabis*, & iam *beatus es, & bene tibi erit*
in futuro, frangite (inquam) mola, corpus & ani-
mam, & invenietis medullatum corpus, ieiuniis,
laboribus, vigiliis; animam, divinæ Legis ſtudiis.
Non excidat tibi lex de ore cordis tui, volue, reuolue,
verſa & reverſa, & tunc intelliges quid ſapiat Pſal.118.
Manna. Sic faciebat ille qui dicebat: *quàm dulcia
faucibus meis eloquia tua, ſuper mel* & fauum *ori meo.*
Eſto apis virginea, collige de floſculis Man: Habes
hortum voluptatis plenum roſis & liliis, mira varie- G
tate depictum; quidquid illic inuenies, ſuave eſt &
odoriferum, conde abundanter alueolo tuo: & quid
amplius dicam? vnus idemque cibus & api mel, &
ceruo fons aquæ, & panis qui cor hominis confir-
mat; hic eſt panis oleatus: ſanat ægrotum, roborat
ſanatum, faciem exhilarat, omne delectamentum &
omnem ſaporem ſuavitatis habet. Vbi ſunt cotur-
nices? vbi ſunt carnes exſiccatæ? certè putruerunt
in dentibus edentium. Si in dentibus putruerunt,
quanto magis in ventribus? immo etiam computrue-
runt iumenta in ſtercore ſuo; panis autem Angelo-
rum quem manducauit homo, putreſcere neſcit;
non vadit in ſeceſſum, ſed tendit in excelſum; illuc
reducit hominem, vnde traxit imaginem. Diues es
Domine, & indeficiens eſt horreum tuum; ciba
hodie pauperem tuum de micis quæ cadunt de menſa
filiorum tuorum: clamat egenus tuus ad fores tuas,
quia non habet hodie quod manducet. Domine ſic Ibidem.
infirmus etiam ſum, quod os meum aperire non poſſum.
O quàm ſanus erat qui dicebat: *os meum aperui, &
attraxi ſpiritum!* ergo Domine aperi labia mea, &
ciba me laude tua, verus eſt cibus: de alio cibo non
viuit tota civitas tua Hieruſalem, quoniam tu adipe
frumenti ſatias, & Torrente voluptatis tuæ inebrias. H
Væ his qui ieiunant à laude tua, nimirum ſedent ſu-
per ſtercora ſua, vt bibant vrinam peccatorum ſuo-
rum, hoc eſt, temporalibus inhiant, vt carnis ille-
cebras expleant: talibus enim das terram æneam &
cœlum ferreum, vt non pluat eis annos tres & men-
ſes ſex, quia nec fidei, nec bonorum operum fructum
faciunt. Terram habent æneam, quia labia eorum
ſicut cymbalum tinniunt, & cœlum ferreum, quia
cor durum & inflexibile gerunt. De qualibus Pſ.49.16.
Pſalmiſta: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enar-
ras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os*

A *tuum*; Non vivunt iſti de laude tua Domine, ſed moriuntur fame, non panis & aquæ, ſed verbi tui. Non autem interficies fame animam iuſti, quia in tempore ſiccitatis præcepiſti coruo & viduæ Sare- 3 Reg. 17. ptanæ, vt paſceret ſervum tuum Heliam. Tu enim paſcis Domine paſcentes te: vnde etiam hydria farinæ & lecythus olei non deficit viduæ paſcenti te. Paſcit te corvus, paſcit & vidua, ſed vidua, pane ſubcinericio; coruus, carne veſpertina. Peccator, corvus eſt: Corvus erat Zachæus publicanus: vnde volauit Luc. 19. in arborem ſycomorum. *Hodie* (inquit) *oportet me apud te manere*, hodie corvus paſcet Heliam. Quomodo pauit? *Ecce dimidium bonorũ meorum do pauperibus*, ergo pauit Chriſtum, & pauperes cum Chriſto; imo in pauperibus, Chriſtum. Vnde? de carnibus: hoc eſt de temporalibus: temporalia enim & carnalia pro Chriſto relinquere, hoc eſt, Chriſtum carnibus paſcere. B Et hoc veſpere fit, in confinio tenebrarum & lucis, vt proficiat & dicatur, *veſpere & mane dies vnus.* Prius paſcit corvus, deinde vidua: corvus enim, vidua fit: corvus mutatur in columbam, & gemitus edit. Quare? quia vidua eſt, quia mortuus eſt Sponſus quia lauit eam à peccatis ſuis, hoc eſt, à nigredine corui. Sponſus eius mortuus eſt, vnde etiam in memoriam eius duo ligna colligit, vt faciat ſibi & filio ſuo (hoc eſt, ſpiritui) modicum viatici, & moriatur cum ſponſo ſuo. Sed prius paſcendus eſt Helias, & de ipſa farinula novæ conſperſionis, faciendus eſt ſubcinericius panis paruulus. Operum noſtrorum primitias requirit Chriſtus, & non vt alta ſapiamus, ſed humilibus conſentiamus, cauentes à Matt. 16. fermento Phariſæorum, *quod eſt hypocriſis.* Iſte ſimplex & humilis intellectus, ſubcinericius panis eſt paruulus, quem à nobis exigit Chriſtus: nec ſine farina vel modico olei debet eſſe bona mulier, quia 2. Cor. 9. *hilarem datorem diligit Deus.* Sed quiſquis habet farinæ vel olei paululum, ſibi videtur, quia eſurit & 3. Reg. 17. C ſitit iuſtitiam. *Non habeo* (inquit) *niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Pugillus, exigua eſt capacitas: farina, mundus & ſubtilis fidei candor: hydria, humilitatis circumſpecta cuſtodia, ne ventus ſuperbiæ tantam gloriam in pulverem deducat & diſpergat. Qui modicum in ſe habet, intelligit, quibus armis debet cuſtodire, ne & hoc ipſum amittat. Ergo Domine, corvus & vidua paſcunt te in Sarepta Sidoniorum, cui ficus maledicta aruit in terra Iudæorum. Publicani, meretrices, & peccatores præcedunt Phariſæos in regnum cœlorum. In domo Phariſæi foris diſcumbis, in domo peccatricis intus epularis. Paſce Domi- Pſ. 146. Pſ. 26. d ne *pullum coruorum*, filium peccatorum clamantem ad te, *quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me*, tu autem non relinquis ſperantem in te. Induraſti Domine, cor noſtrum, induraſti cor noſtrum, ne timeremus te, oppoſuiſti nubem, ne tranſiret oratio. Aufer à nobis Domine, ſicut & promiſiſti, *cor lapideum*, & da nobis carneum, vt ſpiritum Ez. 36. tuum ponas in medio noſtri. Spiritus tuus adveniens, initium ſapientiæ, timorem Domini quaſi baſim & D fundamentum ponit: timor autem Domini ſtabile cor facit, vt domus ſeptemplicis gratiæ ſuperædificata perſeveret immobilis, Tu noſti Domine quàm inquietum eſt cor meum, & inſtabile ſicut pulvis & velut arena maris, vt quicquid moliar ſuperædificare, potiùs in ruinam capitis videar coacervare. Quàm bene Thr. 1. 8. dictum eſt: *peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Peccatum peccauit, ſcelus coacervauit, propterea inſtabilis facta eſt, nunc foris, nunc intus, nunc in angulis platearum garrula & vaga, quietis impatiens nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. Ecce quàm bene depicta eſt meretricialis vecordia animæ meæ, & quid faciam? revertere ad priorem virum tuum, & noli divaricare pedes tuos omni tranſeunti; propterea inſtabilis & vilis facta es, nimis iterans vias tuas: peccatum peccauit Hieruſalem, vias ſuas nimium iterauit! Redi ergo ad vi- E rum tuum priorem, & dic ei; *confige timore tuo carnes* Pſal. 118. *meas*: & ille, tibi; *prohibe linguam tuam à malo*, corri- Pſal. 33. 14. ce gulam, iugula luxuriam, omnes corporis tui illi- Gal. 5. d citos motus amputa. *Quicunque ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt*: non ſatis eſt hoc; fecerunt hoc Philoſophi, fecerunt hoc inanis gloriæ cupidi, faciunt hyppocritæ; carnem ſuam crucifixerunt, ſed mercedem à Chriſto non acceperunt: quare? quia timorem Domini non habuerunt. *Confige timore tuo carnes meas*, multi carnes confixerunt, non tui timore, ſed vanitatis tumore: non ſatis eſt hoc, *confige timore tuo*, non ſolum carnis, ſed animæ luxuriam. Animæ luxuria, eſt inanis gloria: *perdidiſti omnes qui forni-* Pſ. 72. d *cantur abs te.* Quid refert perire carnis immunditia, an animæ luxuria? Ergo non ſolùm carnis, ſed & animæ crux tollenda eſt. Membrorum mortificatio, crux F carnis eſt; crux animæ, timor Domini: timor Dei configit animam, vt non reſpiciat ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Eſt & tertia crux Spiritus, quæ Gal. 2. 19. eſt charitas. *Chriſto* (ait Apoſtolus) *confixus ſum, quis me ſeparabit à charitate Chriſti*? illa crux (hoc Rom. 8. 15. eſt, charitas) cor meum carneum & molle & tenerum facit, vnde & per vitulum tenerrimum Chriſtum intelligamus, præ nimia charitate crucifixum. Ad illam ergo crucem qui pervenit, compoſitam nubem tranſit, & in conſpectu Dei orationem effundit. Exo. 24. 4. Vnde etiam Moyſem in monte Sinai, ſex diebus nubes operuit, ſeptimo autem die vocauit eum Dominus de medio caliginis. Erat autem (inquit) ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis, in conſpectu filiorum Iſraël; Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem. Quid enim per ſex dies, quibus nube tegitur Moyſes, intelligitur, niſi ſex illæ virtutes quibus aſcenditur ad ſapientiam? in ſolo autem vertice ſapientiæ, ignis charitatis ardentiſſimæ ſpeciem divinæ gloriæ declarat: quicquid infra ſeptimum ſapientiæ gradum G eſt, caligo reputatur & nubes. Prima igitur crux, per timorem & pietatem, & ſcientiam, carnem crucifigat? ſecunda crux, animæ fortitudinem, conſilium & intellectum poſſideat, vt fortitudine terreat diabolum, conſilio dirigat proximum, intellectu cuſtodiat ſemetipſum: nam tertia crux, hæc omnia tranſcendit, & collecta in vnitate charitas, in pace in idipſum dormiens requieſcit. *In principio* Do- Gen. 1. mine *cœlum & terram* (hoc eſt, Angelicam & humanam naturam creaſti) ſed facta hac breui mentione de Angelis, ad ſolum hominem ſermo tuus convertitur. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ ſuper faciem abyſſi.* Videmus Domine, & præſto eſt ſenſibus noſtris, magna & mirabilis hæc machina mundi, quæ ſua pulchritudine & magnitudine, ſapientiam, & virtutem, & bonitatem immenſam, & incomprehenſibilem & æternam prædicare non ceſſat. Verùm & hæc quamvis omnium & ſenſum & facundiam mortalium ſuperent, ad novum potiùs cœlum & terram novam, quæ tu modo creare te aſſeris, Io. 5. 17. aciem mentis intendere libet. Dicis enim in Evangelio, quia *Pater meus vſque modò operatur & ego operor*: quid niſi novum cœlum & novam terram? De abyſſis H enim terram formas, & de terra cœlos: peccator, abyſſus eſt; ſed cùm de tenebris facis lumen ſplendeſcere, vt abiiciant *opera tenebrarum*, & induantur Rom. 13. 12. *arma lucis*; novam terram, & novum cœlum creaſſe cognoſcetis. Ecce animaduerto Domine, quia terra mentis meæ adhuc inanis & vacua eſt, & *tenebræ ſuper faciem abyſſi*: inanis eſt, quia fluitat miſera inquietudine, per inania nugarum, & fantaſmatum ſuorum, vacua bonorum operum fructibus. Vel, ſicut habet alia Tranſlatio, *invisibilis & incompoſita.* Eſt enim velut quoddam Chaos, confuſione ſua teterrimum & involutum, ignorans tam finem ſuum quàm principium, & naturæ ſuæ modum, niſi quod à ſummo Creatore de nihilo mirabiliter factam

ſe

A ſe credit, & poſt hanc vitam, vel ad Inferos pro ſuis
meritis, vel ad cœlos pro miſericordia ſui auctoris
transferendam. Incompoſita ſanè eſt, quæ virtutum
decorem & divinæ imaginis, cui aſſimulata eſt ſpe-
ciem non ſeruat; ideo in abyſſum cæcitatis ſuæ retun-
ditur, & tenebris illuſionum ſuarum, facies illius
obſcuratur. Talis eſt anima mea (Deus meus) talis
eſt anima meæ; terra eſt inanis & vacua, inviſibilis
& incompoſita, & tenebræ ſuper faciem abyſſi. Ve-
Abac. 3. 10. runtamen ait; & *abyſſus dedit vocem ſuam, & abyſſus*
inferior & obſcura, *invocat abyſſum* ſuperiorem;
Pſ. 41. 8. te, qui exuperas omnem ſenſum. Invocat te Domine
abyſſus mentis meæ, vt etiam de me novam terram &
novum cœlum crees. Hoc invocabat David, & nos
cum David invocamus, *cor mundum crea in me Deus,*
Pſal. 50. *& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Iam ali-
quid ſe factum eſſe ſciebat, ſed nova creatura, novum
Pſal. 43. cœlum & terram fieri ſe poſcebat. *Auribus noſtris*
B *audivimus, & patres noſtri narrauerunt nobis opus,*
quod operatus in diebus eorum: hoc opus eſt in die-
bus, vnde dicit: *Pater meus vſque modo opera-*
tur, & ego operor: finxiſti enim ſigillatim corda
eorum, creans in eis lucem, & dividens lucem à te-
nebris, appellans lucem diem, & tenebras noctem:
hoc eſt quod operatus es in diebus eorum, & in die-
bus antiquis; homini dierum, ſenex Abraham, &
alij quàmplures pleni fuiſſe commemorantur, ſicut
Eph. 5. 8. & illi quibus dicebat Apoſtolus: *fuiſtis aliquando te-*
nebræ, nunc autem lux in Domino. O creator optime,
ſi vſque modo operaris *opus* hoc *quod operatus es in*
diebus antiquis; quare & in anima mea opus hoc non
operaris? Anima enim mea inanis & vacua eſt, &
Gen. 1. tenebræ ſuper faciem abyſſi, dic vt *fiat lux*; & fiet!
iam creaſti eam, vt aliquid ſit; crea eam, vt lux ſit.
Dic vt ſiat lux, & fiet lux. Hoc opus & in Lazaro & in
Paulo operatus es: illius facies ſudario ligata erat,
quia tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: huius ab
Act. 9. 18. oculis (cùm baptizaretur) *tanquam ſquamæ cecide-*
runt, vt reuelata facie gloriam Domini ſpecularetur;
quæ cor meum aſſiduè coram te faciunt dormitare,
per has, Apoſtoli & in agone tuo dormitabant; *erant*
Mar. 14. 40. *enim* (inquit) *oculi eorum grauati.* Sed iam hora eſt
Eph. 5. 14. Domine de ſomno ſurgere, tuba tua crebrius into-
C nante, *ſurge qui dormis, & exurge à mortuis, & illu-*
minabit te Chriſtus. Illumina Chriſte tenebras meas
dic animæ meæ, *fiat lux*, & fiet lux.

FINIS.

EIVSDEM
DROGONIS
DE CREATIONE
ET REDEMPTIONE PRIMI Hominis Liber.

D

NVNC PRIMVM ANN. 1612. ex Elnenſi Bibliothec. erutus.

BEATA illa & ſempiterna Trinitas, Pater &
Filius & Spiritus ſanctus, vnus Deus; ſcili-
cet ſumma potentia, ſumma ſapientia, ſumma
benignitas, creauit quandam Trinitatem ad ima-
ginem & ſimilitudinem ſuam, animam videlicet ra-
tionalem, quæ in eo præfert veſtigium quoddam
illius ſummæ Trinitatis, quod ex Memoria, Ratione, E
& Voluntate conſiſtit: Creauit autem hoc modo,
vt manens in illo, participatione eius eſſet beata,
averſa ab illo, quocunque ſe conferret, remaneret
miſera. Sed hæc Trinitas elegit potius per motum
propriæ voluntatis cadere, quam ex gratia conditoris
per arbitrium ſtare. Cecidit ergo per ſuggeſtionem,
delectationem, conſenſum ab illa ſumma, & pulchra
Trinitate, ſcilicet potentia, ſapientia, puritate,
in quandam contrariam, & fœdam Trinitatem, infir-
mitatem, cæcitatem, immunditiam. Memoria enim facta
eſt impotens & infirma; Ratio imprudens & tenebroſa;
Voluntas impura.

Portò memoria quæ ſimplicis Divinitatis poten-
tiam ſtans cogitabat, ab illa cadens, & velut ſuper
ſaxa corruens, in tres partes confracta diſſiliit, ſci-
licet in cogitationes affectuoſas, oneroſas, ocioſas.
Affectuoſas voco illas, in quibus illa afficitur, vt in
curis rerum neceſſariarum, edendi, bibendi, cæte- F
rarumque innumerabilium. Oneroſas, vt in exte-
rioribus adminiſtrationibus. Otioſas, quibus nec
afficitur, nec oneratur, & tamen ab æternorum con-
templatione per illas diſtenditur: vt ſi cogitem equum
currentem, aut auem volantem. Rationis quoque
triplex caſus eſt: eius ſiquidem eſt examinare bo-
num & malum, verum & falſum, commodum &
incommodum: in quibus diſcernendis tanta caligine
cæcatur, vt ſæpe in contrarium ducat iudicium, ra-
piens malum pro bono, falſum pro vero, noxium
pro commodo, & è converſo. Nunquam vero in his
falleretur, ſi numquam lumine quo creata eſt priva-
retur: ſed quia ipſa inde cecidit, procul dubio nihil
aliud quam tenebras ſuæ cæcitatis invenit; vnde fa-
ctum eſt, vt etiam inſtrumentum perderet, quo illa
adminiſtraret, ſcilicet illud trivium ſapientiæ, *Ethi-*
cam, *Logicam*, *Phyſicam*, quas nos poſſumus alijs
nominibus nuncupare, *moralem*, *inſpectiuam*, *natu-*
ralem ſcientiam. Si quidem per *Ethicam* eligitur bo-
num, id eſt virtutes; reprobatur malum, id eſt
vitia. Per *Logicam* cognoſcitur verum & falſum. Per
Phyſicam commodum & incommodum, id eſt quid
in vſum aſſumendum ſit, quid reſpuendum. Sequi-
tur Voluntas, cuius ruina ſimiliter tripartita eſt. Quæ
enim ſummæ benignitati, & puritati inhærere, & G
eam ſolam diligere debuit, per propriam iniquitatem
à ſupernis in hæc infirma lapſa; concupiſcentiam car-
nis, & concupiſcentiam oculorum, & ambitionem
ſæculi dilexit. Quid hoc infelicius caſu poteſt æſti-
mari? vbi pereunte Memoria, Ratione, Voluntate,
tota animæ ſubſtantia pariter perit: verumtamen
hunc tam grauem, tam ſordidum, tam tenebroſum
lapſum noſtræ naturæ reparauit illa beata Trinitas
memor miſericordiæ ſuæ immemor culpæ noſtræ. Ve-
nit ergo à Patre miſſus Dei filius, & dedit fidem.
Poſt filium miſſus eſt Spiritus ſanctus, & docuit, de-
ditque charitatem. Itaque per hæc duo, id eſt, fidem &
charitatem facta eſt ſpes redeundi ad patriam. Et hæc
eſt Trinitas, ſcilicet, *fides*, *ſpes*, *charitas*, per quam
velut per tridentem, reduxit de limo profundi ad
amiſſam beatitudinem illa incommutabilis & beata
Trinitas, mutabilem, lapſam, & miſeram Trinitatem,
Et *fides* quidem illuminauit rationem, *ſpes* erexit me-
moriam, *charitas* vero purgauit voluntatem. Cum
igitur venit, vt dictum eſt, filius Dei factus homo, H
qui erat Deus, tanquam bonus medicus dedit præce-
pta, quibus obſeruatis reformaretur ſalus amiſſa, vt
ergo præceptis fidem faceret, exhibuit ſigna, vt
eorumdem præceptorum perſuaderet vtilitatem, pro-
miſit beatitudinem. Eſt autem *Fides*, alia præ-
ceptorum, alia ſignorum, alia promiſſorum, id
eſt, qua credimus in Deum, qua credimus
Deum, qua credimus Deo. Per fidem præcepto-
rum credimus in Deum: Credere autem in
Deum, eſt in eum ſperare, & eum diligere.
Per fidem ſignorum credimus Deum qui talia

A poteſt, & omnia poteſt. Per fidem promiſſorum credimus, qui quidquid promittit, veraciter complet. Similiter quoque ſpes triplex eſt, & procedit de prædicta triplici fide; nam de fide præceptorum oritur ſpes veniæ, de fide ſignorum, ſpes gratiæ, de fide promiſſorum, ſpes gloriæ. *Charitas* itidem ternario numero colligitur, de corde puro, de conſcientia bona, de fide non ficta Puritatem debemus proximo, conſcientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem eſt, vt quidquid agitur, aut ad vtilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei, maximè tamen exhibenda eſt proximo; quia Deo omnino manifeſti ſumus; proximo autem non poſſumus, niſi quantum nos illi cor noſtrum aperimus. Conſcientiam bonam in nobis faciunt duo, pœnitentia, & continentia: quoniam
B ſcilicet per pœnitentiam commiſſa peccata punimus, & per continentiam deinceps punienda non committimus, & hanc debemus nobis. Poſt hæc ſequitur fides non ficta, quæ Deo vigilanter exhibenda eſt, vt nec propter proximum, cui nos impendimus, offendamus Deum, nec propter conſcientiam, quam per pœnitentiam, & continentiam in humilitate cuſtodire volumus, minus exequamur mandatorum Dei obedientiam, & hæc eſt fides non ficta. Non ficta autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei, & fictæ. Mortua fides eſt, quæ ſine operibus eſt. Fides ficta eſt, quæ ad tempus credit, & tempore tentationis recedit; vnde & fides ficta, id eſt, fragilis dicitur.

Eſt præterea & alius reſurgendi modus ſub eodem numero comprehenſus, primi hominis caſui compoſitus. Adam quippe in paradiſo poſitus, primo perdidit circumſpectionem Dei. Teſtatur enim beatus Auguſtinus, quod nequaquam hominem tentator de paradiſo eieciſſet, niſi aliqua elatio in anima homi-
C nis præceſſiſſet, cum veriſſime ſcriptum ſit, *Ante ruinam exaltatur cor*, Secundò perdidit iuſtitiam; quoniam vxoris voci plus quam Divinæ obediuit. Iuſtitia enim eſt virtus, quæ ſua cuique reddit. Tertiò amiſit iudicium, cum poſt peccatum correptus, obliquè per mulierem retorſit propriam culpam in actorem, dicens: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno: & comedi.* Eiſdem ergo virtutum gradibus, redeundum eſt homini in exilio poſito, quibus priuatus expelli meruit de paradiſo. Primum itaque faciendum eſt iudicium: deinde exercenda iuſtitia, tandem circumſpectio adhibenda. Et iudicium quidem nobis, vt nos ipſos iudicemus, & accuſemus iuſtitiam proximo: circumſpectionem
Mich. 6 v. 8. vero debemus Deo. Hanc redeundi viam oſtendit nobis Michæas Propheta, dicens: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, ambulare ſollicitum cum Deo tuo.* Hane ſalutis viam
Ad Tit. 2 v. 11. teſtatur Apoſtolus docuiſſe Chriſtum, dicens: *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſte & pie viuamus in hoc*
D *ſeculo:* Sobrie ſcilicet quantum ad nos, iuſte ad proximum, pie ad Deum. Qui etiam manifeſtius intulit circumſpectionem Dei, ſubiungens, *& aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.*
Eccl. 14. 22. Et in multis aliis ſacræ Scripturæ locis hic ordo vitæ, & inſtitutio, ſi diligenter quæratur, poteſt inveniri: vt illud. *Beatus vir qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.* Moratur quippe in ſapientia, & ſapiens eſt, qui ſemetipſum hic ſemper
1. Cor. 11. 31. diiudicat vt æternum Dei iudicium euadat. *Si enim*, ait Apoſtolus, *noſmetipſos diiudicaremur, non vtique iudicaremur; cum iudicamur autem à Domino, corripimur: vt non cum hoc mundo damnemur* Sapiens eſt enim non ſecundum ſapientiam huius ſæculi, ſed ſecundum illam ſapientiam, quæ trahitur de occultis, per quam vtique miro Dei opere agitur, vt

E electi quique tonſionibus, & preſſuris hic attriti in ædificio veri Salomonis ſine ſonitu mallei poſtea conſtruantur.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Iſai. 12. v. 3.
Pro paradiſo, quem perdidimus, reſtitutus eſt nobis Saluator Chriſtus. Sicut ergo de vno fonte paradiſi Fontes.
quatuor flumina ad irrigandum paradiſum deriuantur; ita de pectoris eius arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus oriuntur quatuor genera aquarum, vnde tota per vniverſum mundum irrigatur Eccleſia; Sunt autem quatuor fontes *Veritas*, *Sapientia*, *Virtus*, *& Charitas.* Ex his ergo fontibus hauriuntur aquæ ex ſingulis ſcilicet ſingulæ. Nam de fonte veritatis ſumuntur aquæ iudiciorum; de fonte ſapien-
F tiæ aquæ conſiliorum; de fonte virtutis aquæ præſidiorum; de fonte charitatis aquæ deſideriorum. In aquis iudiciorum cognoſcimus quid liceat, vel non liceat: in conſiliis diſcernimus, quid expediat, vel non expediat. Sed quia electis viris recte per hæc gradientibus non deſunt tentationes: Tentantur autem de duobus: aut enim terroribus concutiuntur, aut blandimentis ſeducuntur. Idcirco armandi ſunt contra terrores præſidiis divinæ virtutis; contra blandimenta deſideriis ſupremæ charitatis. Deſideriis enim meliorum ſuperantur (vt ait quidam ſanctus) deſideria deteriorum; vel ſic poſſumus procedere: Quid prodeſt noſſe quid liceat & expediat, quod vtique docent iudicia atque conſilia, ſi poſſe perfici minimè contingat? Idcirco poſt aquas iudiciorum & conſiliorum quærendæ ſunt aquæ præſidiorum. Rurſum & noſſe & poſſe quid valeat, ſi horum omnium non eſt finis charitas? Recte itaque poſt indicia, poſt conſilia, poſt præſidia hauriuntur de fonte charitatis deſideria; vt videlicet quidquid ſapimus, & loquimur, quidquid operamur, aut pati-
G mur, finis vitæ æternæ concludat. Sed vt hæc quæ dicta ſunt de fontibus & aquis clarius eluceant, Scripturarum exemplis eſſe comprobanda puto, aurique ſimilitudines, quas protulimus vermiculandas argento: ac primum quod dictum eſt, quatuor illos *fontes de pectore Ieſu* manare, nullum arbitror ambigere. Quomodo autem ex eiſdem fontibus hauriuntur prædictæ aquæ, id elaborandum eſt. Veniat ergo David & dicat, vt quid ex fonte veritatis procedant iudicia. Hoc certe videtur ſenſiſſe, cum diceret: *de vultu tuo iudicium meum prodeat.* Neque Pſ. 16. v. 1.
enim vir ſanctus iudicium ſuum diceret, quod de vultu Dei, id eſt, de veritate non prodiret. Nouerat enim electos veritatis iudiciis, tanquam virga ferrea regi, quia ſub eorum regimine ſe eſſe ſentiebat, exultans pſallebat. *Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemet ipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum.* Pſ. 18. 11.
A quibus, ne forte per incuriam deuient, audiant vocem Patris per eundem Prophetam comminantis. *Si in iudiciis*, inquit, *meis non ambulauerint, &* Pſ. 88. 33.
mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniqui-
H *tates eorum, & in verberibus peccata eorum*, Hæc myſteria Divini iudicij reſerabat cæleſtis regni clauicularius, cum diceret: *Tempus eſt vt iudicium incipiat* 1. Pet. 4. v. 17.
de domo Dei. Si autem primum à nobis quis finis illorum qui non credunt Dei Evangelio? & hoc de electis dictum eſt. Cæterum eſt aliud de reprobis iudicium, quod nihilominus ab ipſa veritate procedit: vnde & per Paulum dicitur: *Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt, ſecundum veritatem in eos, qui talia* Rom. 2. v. 2.
agunt. Et vtrumque quidem iudicium complectitur ipſa veritas, dicens: *In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci* Ioan. 9. v. 39.
fiant: vtrumque autem diſcernit, cum item dicit: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam* Matt. 25. v. 46.
æternam. Si vidimus quomodo de fonte veritatis hauriantur iudicia, videamus quomodo de fonte ſapientiæ propinentur conſilia. Quis dubitet Apoſtolum Paulum eſſe ſapientem, cum & Petrus eius coapo-

ſtolus

A ſtolus ſapientiam ei datam aſtruat, & eiuſdem 2.Pet.3.15. Apoſtoli tota verborum ſeries, nihil aliud quàm ſapientiam redoleat? Proferat igitur conſilia, & per ipſa nos doceat, quid peregrinantibus, & ad cæleſtem patriam feſtinantibus expediat. 1.Cor.7.25. *De virginibus* (inquit) *præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Deo, vt ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt hominis ſic eſſe.* Si de Virginibus præceptum haberet, nihil aliud quàm quod præciperetur, liceret. Nunc verò cum vtrumque liceat, vel nubere vel non nubere, quid compendioſius dici potuit, quam *bonum eſt homini ſic eſſe*, hoc eſt in virginitate manere; præſertim cum & neceſſitatis inſtantia frequenter opprimere ſoleat, & cito mori ipſa temporis brevitas vrgeat, totiuſque mundi figura prætereat? Item cum de vidua loqueretur: 1.Cor.7.40. *Beatior* (inquit) *erit ſi ſic*, id eſt, innupta *permanſerit, ſecundum meum conſilium*, B ac ne de proprio corde, quin potius de fonte ſapientiæ videretur hoc ipſum conſilium deprompſiſſe ſubiecit dicens. *Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeo.* Sed cur ego paucis immoror exemplis? cum in eius verbis omnis ſexus, omnis ætas, omnis conditio conſilium inveniat, ſi diligenter quærat, ſalutis? Quod ſi quis curioſius velit proſpicere vtrum verum ſit quod dictum eſt de ſapientia conſilia manare, legat libros qui inſcribuntur *Sapientia*, ubi totus orationis contextus *conſilia* videtur ſpirare. Si verò conſultius & vtilius ſtudeat inde vitam elicere, Matt.19.17. audiat ipſam ſalubriter invitantem Sapientiam. *Si vis* (inquit) *ad vitam venire, ſerva mandata.* Quæris cuius? *Deum*, inquit, *time, & mandata eius obſerua.* Eccl.12.13. Audiat inquam eandem ipſam materno affectu inclamantem, *Da mihi fili cor tuum.* O quantum vellem & ego cor meum in eius verbum ſuſpendere, C de cuius ore mirifico tam dulcia vitæ conſilia audio perſonare. O utinam & linguæ meæ calamum in eius fonte poſſem intingere, quo idoneus eſſem ea quæ teſtant de duobus fontibus, id eſt *virtutis*, & *charitatis*, utiliter exarare. Et quoniam quatuor iſti fontes ita ſibi invicem ſaporem ſuum transfundunt, vt qui de uno biberit, quadam ineffabili dilectionis dulcedine invitetur ad alium: liber iam de Sapientia ad Virtutem tranſire, & qualiter illinc hauriantur aquæ præſidiorum, quantum ab ipſa virtute adiuvor, oſtendere. Sicut autem ſuperius dixi, gemina eſſe veritatis indicia: quia ſcilicet decernunt quid liceat, vel non liceat: itidémque ſapientiæ conſilia duo docere, hoc eſt, quid expediat, vel non expediat, ita & hic agnoſcimus de fonte Virtutis hauriendas duplices aquas præſidiorum, quæ vel abluant electos à culpis, vel refrigerent in tormentis. De utriſque ſumamus exemplum: Refert Lucas Evangeliſta, D quod quædam mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur, Luc.8.v.44. erogata in medicis tota ſubſtantia ſua, cum minimè curari potuiſſet, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti Domini; & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis. Ieſum vero dixiſſe: Quis me tetigit? cumque diſcipuli reſponderent, Turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis, Quis me tetigit? Rurſum reſpondiſſe: Tetigit me aliquis: namque ego novi virtutem de me exiſſe. Ecce quas aquas præſidij hauſerit mulier illa de fonte virtutis Salvatoris; quibus abluta eſt à profluvio ſanguinis, quæ nulla medicorum arte poterat ſanari. Quod ſi quis obiiciat prolatum teſtimonium nihil ad rem præſentis operis pertinere, eo quod illa mulier nequaquam abluta eſſe videatur à culpis, ſed tantum ab ægritudine carnis; noverit moris eſſe Divinæ virtutis *prius cordi mederi quam corpori.* Vnde & alibi cum quidam ei paralyticus offerretur curandus, tanquam bonus & pius medicus, volens ſanare prius quod erat potius, id eſt, *mentem quam carnem*, ait eidem Matth.9.2. paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Itaque ſanata conſcientia, conſequenter etiam ſanatur corpus, cum dicitur: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* E Matth.9.22. Sic ergo & huius cor mulieris prius abluit intus donum fidei, per quam meruit exterius impetrare ſalutem corporis. Hoc enim innuit ipſe Dominus cum dicit: *filia, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.* Dan.3.v.44. Quod autem de hoc ipſo fonte Virtutis hauriantur aquæ præſidij in tormentis, oſtendunt & illi tres pueri in fornacis æſtuantis incendio poſiti, quibus ipſa flamma friguit: & præcipue ille inclytus *Martyr Vincentius*, qui cum graviter torqueretur, non ſolum toleraſſe, verum etiam tortorem ſuum conſtanter provocaſſe fertur his verbis: *Inſurge* (inquit) *& toto malignitatis ſpiritu debacchare; videbis me Dei virtute plus poſſe dum torqueor, quam poſſis ipſe qui torques.* Poſſent plura de hoc fonte virtutis copioſius dici, ſed eum ſuccincte prætereo: quia iam de fonte Charitatis bibere potius, quam ſcribere, inhianter deſidero. Ioa.7.37. Ad hunc enim fontem invitamur Redemptoris noſtri voce dicentis: F *Si quis ſitit, veniat, & bibat, & de ventre eius fluent aqua viva.* Et ſecutus Evangeliſta expoſuit, ad quem potum nos invitaret, dicens: *Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Quem? niſi ſpiritum charitatis, quem mundus non poteſt accipere, ſed ſoli accipiunt qui vere credunt in eum. Ex hoc ergo fonte hauriamus nobis aquas deſideriorum, ipſaſque partiamur in geminos riuulos; ut ſicut unius eiuſdemque charitatis ſunt duo præcepta; ita ſint & gemina deſideria, quibus impleantur ipſa præcepta. Aliud eſt enim deſiderium, quo Deus propter ſeipſum, aliud quo proximus diligitur in Deo, vel propter Deum. In illo nullus modus, ſed ex toto corde, tota anima, tota virtute diligatur Deus: in Pſ.41.2. hoc autem præſcribitur modus quidam, cum dicitur; diliges proximum tuum ſicut te ipſum. G Illo flagrabat Propheta, cum diceret. Pſ.83.2. *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* & item; *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Rom.1.v.11. Hoc exhibebat Paulus Romanis, quibus ſcribebat: *Deſidero enim videre vos, aliquid vt impertiar vobis gratiæ ſpiritualis.* Luc.22.15. Et Dominus in Evangelio diſcipulis ſuis: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Et notandum quod ad illud excitatur mens humana ſpiritualiter tribus affectionibus, ac provehitur. Vnde etiam Deum diligere toto corde, tota anima, tota virtute iubetur, & quidem prima dulcis, ſecunda prudens, tertia eſt fortis. Primam habebat Petrus, Marc.8.33. cum Domino mori diſſuaderet, ex corde enim dulciter diligebat, cuius paſſionem expaveſcebat; ſed cum audiret *Vade retro ſatana, non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ huius mundi:* his verbis correptus, & intelligens quid boni haberet mors Christi, H cœpit tota anima prudenter diligere, quem prius tantum dulciter diligebat ex toto corde: necdum vero diligebat tota virtute, quod ſi faceret, nec propter mortis diſcrimen eum negaret. At vero poſt Reſurrectionem, & Aſcenſionem dato deſuper Spiritu, tunc demum tota virtute dilexit: pro quo etiam horrendum crucis ſupplicium poſtmodum ſubire non expavit. Erga charitatem quoque proximi exercemur tripliciter, vt vel ædificetur ipſa charitas, ubi non eſt; vel augeatur ubi eſt; vel certè caveamus ne pereat, aut minuatur ubi eſt. Quiſquis autem hanc puro affectu erga proximum operabitur, illam procul dubiò, quæ Dei eſt, vberius promerebitur.

A

DE SEPTEM DONIS SANCTI SPIRITUS:

Seu de ſeptiformi gratia Spiritus ſancti ac de Beatitudinibus.

1 PRIMA gatia eſt *Timor Domini* : qui hanc
Pſ.118. habet omnem odit iniquitatem, iuxta illud Pſal-
v.63. miſtæ : *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum,*
omnem viam iniquitatis odio habui. Scriptum namque
Prou.8. eſt : *Timor Domini odit malum*, & item : *Time*
13. Prou 3.7 *Deum, & recedere à malo.* Et de Iob dicitur : *Vir ti-*
Iob. 1. *mens Deum ; & recedens à malo.* Sine hac gratia, gra-
B tiarum prima, quæ totius religionis exordium eſt,
v 1.8. nullum bonum pullulare, vel manere poteſt. Sicut
& 2.v.3. enim ſecuritas, vel deſidia, cauſa, & mater eſt om-
nium delictorum ; ſic timor Domini radix, & cu-
ſtos eſt omnium bonorum : vnde ſcriptum eſt. *Si non*
Eccl.27. *in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuerte-*
4. *tur domus tua.* Omnium namque virtutum ædificium
illico vergit in præcipitium, ſi huius gratiæ amiſe-
Prou.23. rit præſidium : vnde Salomon ait : *In timore Domini*
18. *eſto tota die, quia habebis ſpem in nouiſſimo, & præ-*
ſtolatio tua non auferetur. Hinc & Apoſtolus dicit :
Cum metu & timore veſtram ſalutem operamini. Et quid
plura ? Connexa ſunt ſimul Timor, & Religio, non
Phil.2. manere poteſt alterum ſine altero. Vnde Simeon eſt
2.12. dictus *vir iuſtus, & timoratus.* Hinc etiam in lege
Luc.2.25 ſcriptum eſt : *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli*
ſervies ; ipſi adhærebis. Vnde Salomon ait, *Deum ti-*
C *me, & mandata eius obſerua.* Hæc autem taliter
Deut.6. habere debemus ; qualiter ſe aſſerit habuiſſe Iob bea-
13. tiſſimus : *Semper quaſi tumentes fluctus ſuper me Do-*
Matt.4. *minum timui.* Per hunc Dei timorem vniverſa deſeri-
10. Eccl.12. mus, mundo abrenunciamus, noſque ipſos, ſicut Do-
13. minus ait, abnegamus : *Si quis vult poſt me venire,*
Iob 31.23 *abneget ſemetipſum.* Iſte ergo divinus Timor, qui
Mat.16. enim quem perfecte imbuit, paupertati ſubiicit, & à
24. Luc.9.23 malo dividit, ita eſt primus in ordine gratiarum, ſicut
paupertas in ſerie Beatitudinum. De qua Dominus eam
in cæterarum fundamento virtutum ponens, ait, *Beati*
Mat.5.3 *pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

Secundum chariſma eſt *ſpiritus Pietatis*, illi ſecun-
2 dæ quæ in Evangelio ponitur Beatitudini conſimilis :
Mat.5.4. De qua Dominus ſic ait. *Beati mites, quoniam ipſi*
poſſidebunt terram : De talibus Dominus in Iſaia di-
cit : *Spiritus Domini ſuper me, ad annunciandum man-*
Eſai. 6. *ſuetis miſit me.* Moyſes quoque mitiſſimus erat ſu-
v.1. per omnes homines qui morabantur in terra : de ta-
D libus Iob dicit : *Dominus ponit humiles in ſublime,*
Iob.5.11. *& mærentes erigit ſoſpitate.* Hinc Salomon ait : *Glo-*
Prou.15 *riam præcedet humilitas, & humilem ſpiritum ſuſcipiet*
33. *gloria.* Vnde illud de Domino dicitur, *humiles ſpiri-*
tu ſalvabit, è contra de ſuperbis dicitur : *Deus ſuper-*
Pſ.33.19 Iac.4. *bis reſiſtit. Ante ruinam exaltabitur ſpiritus : ſuper-*
v.6. *bum ſequitur humilitas.* Superbia de ſupernis ad ima
Prou.29. præcipitat : humilitas de imis ad ſuperna elevatur. An-
23. gelus enim in cœlo ſuperbiens ad tartara corruit : ho-
mo in terra ſe humilians ad cœlos aſcendit. Tanto
verò quiſque debet eſſe humilior, quanto eſt ſubli-
Eccl.3. mior, vnde ſcriptum eſt : *Quanto magnus es, humilia te*
20. Matt.20 *in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Hinc
27 ipſe Dominus ait : *Qui voluerit inter vos eſſe primus,*
Luc.17. *erit veſter ſeruus.* Item : *Cum feceritis omnia quæ præ-*
10. *cepta ſunt vobis, dicite ; Servi inutiles ſumus.* Iterum
Matt.11. ipſe ait : *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.*
29. Sine hac humilitatis virtute, & reliquæ virtutes ne-
queunt proficiſci : vnde beatus ait Gregorius. *Qui vir-*
tutes ſine humilitate congregat, eſt quaſi qui in vento
pulverem portat. Sicut enim pulvis venti validi diſ- E
pergitur flatu : ſic omne bonum inanis vento gloriæ
rapitur. Multo etiam melius eſt peccatorem eſſe hu-
milem, quam iuſtum, arrogantem : quod à Domino Luc.18.
evidenter oſtenditur, vbi Publicanus, & Phariſæus 10.
in exemplum adducitur. Sicut enim quidam ſapiens
ait, *melior eſt* in malis factis humilis confeſſio, quam
in bonis ſuperba gloriatio.

Tertium donum eſt *ſpiritus ſcientiæ*, de qua legitur 3
in Salomone : *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem.* Eccl.1.
Vera namque ſcientia eſt, ſcire nos mortales, & ca- 18.
ducos, & fragiles eſſe, & in hoc exilio, in hoc er-
gaſtulo, in hac peregrinatione, in hac valle lachry-
marum, in hoc loco miſeriarum dolere, atque luge-
re. Vnde dicitur in tertia beatitudine, huic tertio do- Matth.
no congruente : *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſo-* 5.5.
labuntur. Item : *Væ vobis qui nunc ridetis, quia luge-* Luc.6.
bitis. Hinc Salomon ait : * *Riſus dolori miſcebitur,* 25. * Prou.
*& extrema gaudia luctus occupat. Riſum * reputaui er-* 14.13.
*rorem, & gaudio dixi : Quid fruſtra deciperis ? * Cor* F
ſapientium vbi triſtitia, & cor ſtultorum vbi lætitia. Ve- * Eccl.
ra igitur ſcientia eſt ſcire omnia mundana caduca, ac 2.2.
momentanea & incerta eſſe, iuxta id quod legitur in * Eccl. 7.5.
Salomone. *Cuncta ſubiacent vanitati, de terra facta* Eccl.3.19
ſunt, & in terram pariter revertentur. Item : *vidi quæ*
fiunt cuncta ſub Sole, & ecce vniverſa vanitas, & affli- Eccl.1.14
ctio ſpiritus.

Quarta eſt *Gratus ſpiritus*, fortitudinis quartæ in 4
Evangelio Beatitudini ſimilis : de qua dicitur : *Beati* Matt.5.6
qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſatura-
buntur. Qui enim iuſtitiam eſurit, & ſitit, con-
tra quælibet adverſa factus & inſuperabilis, & im-
perterritus exiſtit. Vnde Salomon ait : *Iuſtus quaſi* Prou.28.
leo confidens abſque terrore erit. Item : *Non contriſtabit* 1.
iuſtum quidquid ei acciderit. Hoc ſpiritu fortitudinis Prou.12.
pleni fuere omnes prædicti illi, de quibus Apoſtolus 21.
loquitur ſic : *Sancti ludibria & verbera experti, inſu-* G
per & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, ten- Hebr.11.
tati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt 36.
in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, af-
flicti : quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus
errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cavernis
terræ. Hoc ſpiritu præditus confidenter aiebat Apoſto-
lus : *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti ? Tribulatio,* Rom. 8.
an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, 35.
an periculum, an gladius ? &c. Iſte ſpiritus omnem
Eccleſiam ſuſtinet, & regit, atque adverſus hoſtiles
inſidias inſtruit, ac munit. Vnde ſponſus in ſponſæ
Præconio ſic dicit : *Pulchra es, amica mea, ſuavis &* Cant.6.3
decora ſicut Hieruſalem : terribilis vt caſtrorum acies
ordinata.

Quintum donum eſt *Spiritu Conſilij*, qui aliis facit 5
compati, ac miſereri, illi competens, de qua dicitur Matth.
quintæ beatitudini : *Beati miſericordes, quoniam ipſi* 5.6. Prou.22.
miſericordiam conſequentur. Hinc & Salomon ait : 9.
Qui pronus eſt ad miſericordiam benedicetur. Hanc au- H
tem principaliter trifariam exercemus : vel quando
ſex eius, quæ in Evangelio leguntur opera implemus,
vel quando delinquentes corrigere, & ad bonum re-
ducere ſtudemus : vel quando iniurias nobis illatas
facillime indulgemus. Iſte ſecundus clementiæ mo- Philip.2.
dus, ſiue Conſilij ſpiritus Deum fecit ſemetipſum
exinanire, & formam ſervi accipere : ſcilicet vt ſic
poſſet ouem errantem corrigere, & ad proprium
ovile reducere : vnde Apoſtolus ait : *Semetipſum de-* Gal.1.4.
dit pro peccatis noſtris, vt nos eriperet de præſenti
ſæculo nequam, Hinc vero conſulendi modo ſic opor-
tet inſiſtere, vt iniungitur ab Apoſtolo monente :
Inſta opportune, importune, argue, increpa, obſecra.
Et eſt alius conſulendi modus, ſcilicet diſcretionis 2.Tim.4.
virtus, qua veras à palliatis, vel ſimulatis virtuti- 2.
bus diſcernimus : qua etiam ipſum ſatanam Hypo-
criſis auctorem cautè dignoſcimus. *Ipſe enim ſata-* 2.Cor.11.
nas, vt ait Apoſtolus, *transfigurat ſe in Angelum* 14.
lucis : & iuxta beati Cypriani dictum : miniſtros ſuos

ſubornat

A ſubornat, velut miniſtros iuſtitiæ, noctem aſſerentes pro die, interitum pro ſalute. Iſta quidem Virtus cæterarum virtutum magiſtra ac domina, omnes alias proinde temperat, ac ſuperne gubernat, & ne citra vel vltra licenter evagentur, imperialiter, ac diſcretè conſervat: Vnde Boëtius ait: Virtutes medium tenent: ſi vel infra vel vltra eum oportuerit fiat, à virtute diſceditur.

6. Matt. 5.

Sexta gratia eſt *ſpiritus intellectus*: ille ſextæ Beatitudini, de qua in Evangelio dicitur, congruus. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Niſi enim mentis intuitus diligenter purificatus fuerit, myſtica ac Divina liquide intelligere nequit. Nam ſicut ſcriptum eſt: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu*, vnde Salomon ait: *Abominatio Domini, cogitationes malæ.* Hinc alibi dicitur: *Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo.* Qui ergo vult ſincerum ac lucidum intellectum habere, pravarum cogitationum fantaſias ac nebulas ſtudeat effugare, omni diligentia & cautela cor ſuum ſervare. Vnde Salomon ait: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum; quia ex ipſo vita procedit.*

Sap. 1. 6. Prov. 15. 26. Sap. 1. 3. B Prov. 4. 23.

7 Septimum donum eſt *ſpiritus ſapientiæ*. ſcilicet quidam internus ſapor ac ſuaviſſimus guſtus: vnde in Eccleſia pſallitur: *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus, vacate, & videte: Accedite ad eum & illuminamini.* Hoc divinæ ſapientiæ interno guſtu ſuperna prælibamus, videlicet contemplantes quam amœnum, quam iucundum ſit cœlicolis intereſſe? ubi nil poterit quod diſpliceat, adeſſe, nil quod placeat abeſſe. Iſta ſeptima gratia illi ſeptimæ beatitudini congruit: de qua Dominus dicit: *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* Qui enim mentem pacificam & ſerenam habent de ſupernis dulcius ſapiunt, & ſubtilius vident. Nam quo quiſque eſt potentior, eo probatur eſſe & ſapientior. Vnde Salomon ait: *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* De talibus alibi dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Hæ ſeptem gratiæ ſunt ſeptem mulieres virum vnum apprehendentes: ſeptem ſpiritus ſuper florem requieſcentes: ſeptem in candelabro lucernæ lucentes: ſeptem in lapide oculi: ſeptem Spiritus ante thronum Dei.

Pſ. 33. 9. Pſ. 45. 11. Pſ. 33. 6. Matth. 5 C Prov. 19. 11. Pſ. 118. 165.

EIVSDEM

DROGONIS

DE DIVINIS OFFICIIS, Seu Horis Canonicis.

CVR MATVTINÆ LAVDES A fidelibus celebrantur.

D DOMINVS filios Iſraël dura de ſervitute Ægypti, & de ſub manu Pharaonis educturus, poſt multa miracula quibus induratum cor Pharaonis emollire non potuit, vnum & hoc vltimum potenter operatus eſt, primogenita Ægyptiorum Angelo percutiente interficiens; quo & Pharaonem cum ſuis vehementer exterruit, & populum ſuum mirabiliter liberavit. Præcepit enim per Moyſem populo Iſrael, vt omnes ſinguli per familias & domos ſuas agnum immaculatum tollerent, eiuſque carnibus, iuxta id quod eis mandatum eſt, comeſtis; de ſanguine ipſius ſuper poſtes domorum ſuarum ponerent; vt hoc ſigno Angelus percutiens, quæ ipſorum erant intacta præteriret. Media vero nocte vaſtator Angelus adveniens vbi ſigna ſanguinis in poſtibus conſpiciebat, pertranſiens, domoſque Ægyptiorum ingrediens, per ſingulas earum necabat primogenita, primogenitis filiorum Iſrael reſervatis omnibus. Hac virtute miraculi compulſus eſt Rex Ægyptius dimittere populum Domini. Quo in facto liberatio noſtra figurabatur, quam in nobis quotidie Dominus ſpiritualiter operatur; per quam veri filij Iſrael efficimur. *Iſrael enim videns Dominum* interpretatur. Filij autem qui à ſanctis Patribus Dominum videntibus in fide, & cæteris quibus Deus videtur, generati ſumus. Quia igitur miraculum illud medio noctis actum eſt, nos quoque ad nocturnas vigilias cum Propheta dicente: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*, conſurgere debemus, vt ab inviſibili Pharaone, id eſt, diabolo; & ab Ægypti ſeruitute, à tenebrarum ſcilicet, operibus, cooperante Divina gratia, liberemur; Nocturnis ergo vigiliis orandus eſt Dominus, vt gladio verbi ſui inviſibiliter penetrantis, opera vitæ noſtræ prioris tenebroſæ in nobis percutiat, & adnihilet, quæ per Ægyptiorum primogenita ſignificari novimus: in quibus etiam Pharaoni, id eſt, Regi tenebrarum captivati ſervivimus. Qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati. Dum enim propriis obediremus voluptatibus, ſicut ait Apoſtolus, *fuiſtis aliquando tenebræ*, malignis ſpiritibus excæcati obedivimus: nunc autem converſi, & facti lux in Domino, ante ipſum intuitu vigili pernoctantes; id etiam poſtulemus vt ipſum Fide cernamus, quæ per Iſraelis primogenita ſignabatur; quia prima eſt, & fundamentum omnium virtutum, in nobis ſanguine veri agni conſervet inviolabilem, ne vaſtator ille Angelus, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, aut per errorem pravæ opinionis eam in nobis feriat, aut per deſidiam à bene operando torpeſcere faciens eam occidat. *Fides enim ſine operibus mortua eſt.* Ab illo autem ſic tuti eſſe poterimus, ſi adhibito ſtudio per veſtigia Dominicæ humilitatis, patientiæ atque manſuetudinis incedentes, imitationem paſſionis ſanguine agni deſignatæ, vita & moribus vbique teneamus. Hæc enim ſigna ſi diabolus in nobis proſpexerit veraciter, nulla in nobis prævalens virtute, exterritus diſparebit.

Exod. 12. 29. 13. 15 — E — Pſ. 118. 62. — F — Eph. 5. 10. — 1. Pet. 5. 8 — G Iacob. 2. 16.

DE EODEM.

CElebraturi Laudes Matutinas, quæ ob honorem & reverentiam Dominicæ Reſurrectionis quæ primo mane facta eſt, aurora diei inſtitutæ ſunt celebrari; Ad memoriam revocemus etiam tranſitum filiorum Iſrael per mare rubrum. primam Reſurrectionem noſtram, quæ in baptiſmate nobis datur ſignificantem, cum eos Dominus à ſeruitute Ægypti, & de manu Pharaonis liberaret: vt inde per deſerta tranſeuntes terram promiſſionis tandem ingrederentur. Tranſitus autem ille in vigilia matutina, cuius extrema pars aurora diei eſt, factus eſſe perhibetur. Quæ omnia cum in figura illis contingerent, veritatem nobis adventuram præſignabant: Quia enim per mare rubrum Baptiſmus noſter ſanguine Chriſti conſecratus intelligitur, competenter per tranſitum populi Dei, ablutio noſtra in baptiſmate figuratur: vbi & veteris erroris tenebroſa exuentes contagia, & à maligno emancipati pervaſore, Domino commerſi commorimur, & à morte primâ educti, reviviſcentes ipſi conſurgimus, vt reſurrectionis eius, quæ primo mane facta eſt, participes exiſtamus. Nemo autem in ſecunda reſurrectione ad claritatem reſurgere poterit, niſi primam in hac vita habuerit. Eſt autem ſicut prima mors ſordere vitiis, & propriis involui cupiditatibus: ſecunda vero perpetuis ſubiacere doloribus:

H

Ita

A

Reſurrectio duplex.

Ita quoque prima reſurrectio à vitiis in hac vita reſurgere: ſecunda vero de corruptela ad incorruptionem: de exilio ad patriam: de tenebris ad lucem: de pœnis ad requiem introire. Patet ergo, quia ſicut ſecunda mors primam inevitabiliter ſequitur, ſic etiam ſecunda reſurrectio primam miſericordiam comitatur. Meditemur itaque cum David in matutinis in Domino: præveniamuſque eum diluculo, meditantes in eloquia eius, vt ipſe nos ſuâ miſericordiâ, ſic a prima morte reſurgere concedat, quatenus ſibi configuratos, ſuæ reſurrectionis cum ſecundò advenerit participes faciat: ſicque per huius vitæ deſerta immaculato calle tranſeamus, vt ad terram veræ promiſſionis, cæleſtem ſcilicet Hieruſalem, ipſo ducente pervenire valeamus.

De hora prima.

B

HOræ primæ laudatio hymno ipſius atteſtante, quo dicimus: *Iam lucis orto ſydere*, à ſanctis Patribus exoriente Sole conſtituta eſt celebrari: quæ ſi aliquando tardius, aut celerius negotiis exigentibus celebretur, nobis horæ debitæ congruo tempore perſoluentibus officium, huius ſimiliter, & cæterarum ſtatutus terminus penes eum, cui cuncta ſunt præſentia, relinquatur. Ad hanc igitur horam convenientes celebrandam, Creatori noſtro benedicamus, & referamus gratias, qui etiam exterioribus noſtris neceſſitudinibus providet & procurat, in tantum, vt præter cætera quæ multa ſunt ſuæ benignitatis beneficia, Solem iſtum viſibilem, tam ſpectabilem videlicet ſua pulchritudine creaturam, corporiſque vſibus noſtris & ſenſibus illuſtrandis tot modis neceſſariam, nobis accommodare dignatus eſt.

Sol.

Sol etenim iſte corporeus, (vt plura taceam, quæ per eum operatur divina providentia) mundum purgans à tenebris, acceſſu ſuo cœli plagam hanc quam incolimus, depulſo frigore, clementiorem reddit, terram quoque fœcundans; arbores fructificare facit.

C

Quæ cùm admiratione digna ſint; non debet tamen vel vtentes retinere huius utilitas, vel pulchritudo intuentes. In his enim corporalibus, quæ ad modicum proficiunt, & ſi plura ſint, in ſuo genere remanere non debemus: ſed ſicut ſcriptum eſt: *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*: per creaturam ipſum invitantem Creatorem Solem Iuſtitiæ, videlicet Dominum Chriſtum fide ac dilectione inquiramus; quem ad oſtium mentis noſtræ pulſantem invenire quotidie poterimus.

Rom. 1. 20.

Ipſe enim per corporalia beneficia nobis præſtita quæ motibus ſubiacent, & tranſeunt, ſummum bonum, quod ipſe eſt, incommutabile ſemperque manens admonet inquirendum; fideliterque quærentibus & amore pulſantibus veraciter promittit inveniendum. Scriptum eſt enim: *Quærite & invenietis pulſate & aperietur vobis.*

D

Matth. 7. 7.

Vt igitur à nobis valeat inveniri ſincero corde quæramus, dilectione pulſemus, piiſſimam eius exorantes clementiam, vt qui verus eſt Sol Iuſtitiæ, cæcitatis & ignorantiæ depellens tenebras dignetur in noſtris exoriri, & inhabitare mentibus: & quia mediator & advocatus noſter fieri dignatus eſt pro nobis, accedens ad Patrem, eum nobis clementiorem, & vitiorum depulſo frigore, faciat eſſe propitium, & terram noſtram (corda ipſa videlicet) ſanctarum cogitationum radicibus germinare, exteriuſque per opera Deo ſuaviter redolentia faciat infatigabiliter fructificare; quatenus veram iuſtitiam per omnia ſitientes, ad ſeipſum ipſe nos, per ſeipſum indeclinabiliter perducat, & ad illam fœlicem & plenam ſatietatem nos pertrahat: quoniam fidelibus ſuis promittit dicens. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Matt. 5.

E

De hora Tertia.

CHriſtus agnus innocens pro nobis peccatoribus ante Pilatum viliſſimum mancipium hora diei tertia ad iudicandum ſtare dignatus eſt, ne nos in extremi iudicij terrore, peccatis accuſantibus, rei iudicemur. Ipſe enim crudelem ſententiam ſuſtinuit à Iudæis, qui & ob id eum hora ipſa crucifixiſſe ab Evangeliſtis dicuntur, clamantibus, Crucifige, Crucifige eum: ne ſuper nos caderet illa vltima valdè terribilis ſententia, qua dicitur reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum*, Ipſe alapas, ſputa, flagella, coronam ſpineam, irriſioneſque patientiſſime pertulit, vt ſuo nos exemplo ad patientiam invitaret; quatenus in hac vita probati, ſpem per patientiam haberemus vitæ æternæ.

Matt. 25. 41.

F

Ad ſacramentum etiam huius horæ attinere probatur, quod Spiritus ſanctus hora tertia à cælo miſſus ad illuminandam Eccleſiam, diſcipulorum cordibus infuſus eſt. Nos itaque in iſta hora Salvatorem noſtrum, gratias agentes, adoremus, qui tam neceſſaria nobis, & tam mirifica voluit beneficia præparare. Eandem etiam gratuitam bonitatem, qua ſic voluit, exoremus, vt, eodem Spiritu nos vivificante interius, ipſe qui caput eſt ſuorum, per bona opera exterius ſua nos membra faciat: ſicque pro modulo noſtro, ſui nos imitatores, his quæ pertulit, communicare concedat; vt ab auditione mala ubi iuſto non timere promittitur, liberati, auditum bonum & ſuavem audire mereamur: quoniam dicturus eſt. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à Patre meo.*

Matth. 25. 40.

De hora Sexta.

G

TEſtatur Evangelicæ veritatis hiſtoria, quod ſalus noſtra *Chriſtus* hora ſexta Crucem aſcenderit, & à carnifice ſæviſſimo manus innoxias, pedeſque transforari permiſerit, ut vulneribus ſuis noſtris mederetur vulneribus: atque Crucis patibulo, cruciatus à nobis amoveret æternos. Æquum eſt igitur, & nobis ſalutare horâ, quâ Dei Filius membra, quæ ipſius ſumma divinitas pro nobis aſſumpſerat, pro nobis etiam doloribus paſſionum, atque Crucis ignominiæ ſuppoſuit, tantæ Majeſtati reparatrici noſtræ naturæ gratias referre. Et quia vt ipſe aſſerit ſine ipſo facere nihil poſſumus, in hora ſuæ ſanctæ crucifixionis, laudibus eius aſſiſtentes, ipſius pietatis nulli negare auxilium efflagitemus: Vt quia duo ſunt *Crucis* genera, cum aut caro cum vitiis crucifigitur, & concupiſcentiis: aut mens & voluntas à vanis cogitationibus, & illicitis, divinitus adiuta refrenatur, nos faciat homines crucifixos corpore & anima:

Crux duplex.

H

Quatenus ſic ipſius timore configamur, ne nos inſidiator callidus immanitate vitiorum ſuperet: ſed amoris eius igne, meridiano fervore ſuccenſi, ad benè operandum, iuxta mandatorum ipſius obedientiam informemur, & perficiamur; vt qui per lignum vetitum à vita decideramus, per lignum obedientiæ redire valeamus.

De hora Nona.

NOn ſine lachrymis, atque ſingultibus ſemper ſi noſtra ſufficeret fragilitas, ad horæ nonæ myſteria celebranda convenire deberemus. Hæc eſt enim hora illa qua *Chriſtus*, vita viventium, in quo quidquid factum eſt vita erat, pro nobis pendens in Cruce, conſummatis omnibus quæ de ipſo uſque ad horam mortis eius prædicta fuerant, inclinato capite, in manus Patris commendans, tradidit ſpiritum.

A Revocemus ita quotidie in hac hora ante mentis oculos illud ſalutiferum & venerabile crucis, & crucifixi ſpectaculum, & animam eius à corpore exeuntem cum gratiarum actione pronis mentibus adorantes, eius piam, & indeficientem deprecemur miſericordiam; vt quâ charitate propter peccata noſtra mori, & propter iuſtificationem reſurgere voluit: eâ ipsâ nos faciat in hac vita peccato mori, & vivere iuſtitiæ; ac in ſumma noſtra neceſſitate cum anima corpus reliquerit, nobis ſubveniens, & interpoſitione ſuæ mortis unicæ nos à morte animæ protegens, vitæ nos illi beatæ tandem reſtituat, quam de ovibus ſuis loquens promittit: *Et ego vitam æternam do eis.* Ioan.10 28.

De Hymnis veſpertinis.

B POſt peracta horæ nonæ myſteria, iam ſpe divinæ miſericordiæ confidentiores, alacrioribus animis ad Hymnos veſpertinos feſtiviùs convenimus celebrandos. Credimus enim, & confitemur propitiationem totius diſpenſationis, quam Dominus *Ieſus* pro nobis in corpore geſſerat uſque ad mortem, (Philip.2.) mortem autem Crucis, ad conſpectum Patris, die qua paſſus eſt, hora ipſa aſcendiſſe: per quam humano generi, univerſaliter pax apud eum reſtituta eſt. Omnes enim quantum ad largam Salvatoris (Nota.) noſtri miſericordiam ſalvati ſunt, nec aliquis, niſi ſponte ſua perire malit, à tanto beneficio ſecluditur. Eadem quoque hora pridie quam pateretur, duo nobis beneficia, minimè tacenda, & valde neceſſaria, præparavit, & actu ipſo imitanda reliquit. Vnum cum à cœna ſurgens pedes diſcipulis lavit, in quo figuravit noſtram converſationem C terrenam, quæ pedum nomine deſignatur, vt cum eo partem habeamus ab ipſo quotidie neceſſario abluendam, & detergendam ab offenſarum pulvere, quas indeſinenter contrahimus. Alterum autem eſt, cum ſui corporis, & ſanguinis ſacramentum, quod nobis hora ipſa conſecrationis in ſui commemorationem faciendum dimiſit: quatenus Eccleſia ſua in huius mundi peregrinatione, ne deficeret, vitale habens viaticum, eo confortata interim aleretur; *Donec illi occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*: cum ſcilicet (Ephe.4. 13.) capiti membris ſuis cohærentibus univerſis *Chriſti* corpus adimplebitur, *& erit Deus omnia in omnibus.* Quod ergo tantis, & tam univerſalibus veſpertina hora decorata eſt ſacramentis, eam promptioribus & dilatatis frequentantes affectibus, propitiatori omnium debitas perſoluentes gratias, oris & cordis inſtemus precibus, vt quicquid terrenæ fæcis hic converſando contrahimus, fonte pietatis D abluat, & ſuam in nobis perficiens bonitatem, ſic ſui nos ſacroſancti corporis viatico, in hac vita paſcat, & vegetet; vt migrantes hinc, in illorum conſcribi numero mereamur pro quibus reconciliandis Deo Patri tantam obtulit propitiationis hoſtiam, & quorum nomina in libro vitæ conſcripta ſunt ante tempora. (Ioan.12.)

De Completorio.

COmpletorium, quæ hora Diem terminat abeuntem, celebrat ſancta Eccleſia in honorem Dominicæ ſepulturæ, dum fideliter Ioſeph, & Nicodemus (qui ad eum venerat nocte primum) ipſo de Cruce depoſito, circa corpus eius illud aromatibus condientes, & linteis involuentes, ſanctis mulieribus à longè, ubi poneretur conſpicientibus officioſiſſimè compleverunt. Non enim prætereunda eſt illa mulierum devotio, quem quia vivum ardenter dilexerant, ipſumque in Cruce non ſine E nimio mœrore, & lachrymis obiiſſe conſpexerant: dum ſepeliretur locum notabant diligenter, ubi eum denuò repeterent, cum unguenta, quibus eum inungerent, redituræ præparaſſent. Quarum devotiones, & obſequia dum animo recolimus; quis eſt qui non fervore maximo cum eis optet reverenter aſtitiſſe, & accuratiſſimè miniſtraſſe; Quia quod iam non poteſt contingere, cum & corporalibus ſpiritualia præſtare noverimus; nihil obeſt illi Dominicæ ſepulturæ Dominici corporis, corporaliter, quod non potuimus non interfuiſſe: ſed quod illic actum eſt fide colentes, & amore conſepulti ei, ad ea quæ mundi ſunt, in ſecreto noſtri pectoris requiem ei præparare ſatagamus, in qua non defunctus iaceat, ſed iam vivens in ſæcula vitâ noſtrâ delectetur, & moribus requieſcat. His igitur beneficiis gratias referentes, exoremus, vt qui corda ſcrutatur & renes, ipſe domum noſtram interiorem à ſor- F dibus emundet vitiorum, quatenus eum ingredi, & inhabitare ſibi complaceat. Nos autem ne nihil ſtudij adhibuiſſe videamur, priuſquam obdormiſcamus in ſomnum, quod nos in die peccaſſe cognoſcimus, lamentis abluentes & pœnitentiâ, quæ Dei ſunt meditemur, & ſancta meditatione locum ipſi in nobis præparemus, cum David dicentes: *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino.* Si igitur nobis obdormiſcentibus tantus hoſpes penetralia cordis inhabitaverit: rurſum nobis evigilantibus, ad nocturnas vigilias illum quærentibus, haud longè aberit; quem fidelis anima in cubili pectoris paratum reperiet, ubi obdormiſcens illum collocaverat.

G

PETRI
DIACONI
MONACHI,
AC BIBLIOTHECARII
Sacri Caſinenſis Archiſterij, de viris Illuſtribus Caſinenſibus. Opuſculum.

EX CELEBERRIMA BIBLIOTHECA Barberina depromptum. Hactenus ineditum notiſque illuſtratum.

STVDIO ET OPERA IOANNIS Baptiſtæ Mari Romani, Sancti Angeli in foro Piſcium Canonici.

H

ILLVSTR. ET REVEREND.

D. IOANNI BAPTISTÆ BARSOTTO DE PVCCINIS, Præpoſito Iſnenſi, Prothonotario Apoſtolico, S. Cæſ. Maieſtatis Conſiliario, ac Eminentiſſimi Cardinalis ab Harrach cubili Præfecto.

ACCEDIT *ad te* (ILLVSTRISSIME DOMINE) *Libellus iſte gemina de cauſa, ſponte meâ, & iure ſuo: Etenim tantam humanitatem, ſapientiam, nobilitatemque in te omnes ſuſpicimus, ut non minus Orbis univerſus literatorum tibi per benevolentiam*

connecta

A *connectatur, quam olim Catena Homerica tellus cælo coniuncta fuit. neque id mirum mihi, qui ſingularem tuam indolem perſpexi, per quam inſtauratur apud nos Pythagoricus ille concentus, quem apud ſuperos auditum Veteres memorant. Virtutibus ſcilicet ac nobilitate abundas, quæ tam iucundè, tàm amabiliter, tàm canore penes homines accipiuntur, vt harmoniam pluſquam terreſtrem efficiant. Teſtatur genus, & proavos tuos non modo* LVCENSIS *patria, quæ agnoſcit in tuis ſanguinem ſuum, ſed illa nobilium animarum parens, & altrix Polonia, quæ Ioannem Baptiſtam Puccinum auum tuum Italicorum ſecretorum apud Auguſtum Sigiſmundum conſpexit & participem & interpretem; quem in Germaniam ad Ferdinandum II. Cæſarem alioſque complures Principes legavit Regiæ voluntatis adminiſtrum gratum omnibus, nec ſine ornamento, ac prærogativa ab ipſo Cæſare. Principibuſque dimiſſum. Tuas verò virtutes ſi per modeſtiam licet, non ſola Roma, non ſola Germania,*

B *ſed omnes penè Provincias ad quas fama tuæ dexteritatis pervenit, laudant & probant. Bohemia certè debet tantum tuæ fidei ac prudentiæ, vt Eminentiſſimus Pragæ Archiepiſcopus non alium delegerit, ac velit Romæ ſuarum rerum curatorem quàm te. Nunquam orationis finem facerem ſi vellem reliqua & innata, vel collata tibi à Principibus ornamenta deſcribere; & præterea tuæ modeſtiæ iniuriam facerem, & fortaſſe feci; ſed hæc fuere indicanda, vt conſtaret Libellum iſtum ſponte ſuâ ad te accedere: Magnes eſt virtus. Non modo corda, ſed etiam opuſcula hoc magnete trahuntur.*

Verùm non modo ſponte ſuâ, ſed etiam iure ſuo ad te properat, tibique debetur. Quiſnam ignorat quantum ames ſacram Diui Benedicti Familiam? quanta mediteris ad illius ſplendorem augendum? quanta pietate Sublacenſe Cœnobium frequentes, colas & venereris? Nec immeritò: Hic enim ſummus ille Chriſtianæ Sanctimoniæ Athleta & Magiſter per ingens miraculum venenata pocula eluſit, Stygias inſidias euaſit, tam inſignis deque

C *Eccleſia optimè meriti Ordinis fundamenta iecit, quodque ſtupendum eſt, tot in dies è cœlo largitur fluenta gratiarum, vt videatur eſſe locus huiuſmodi officina cæleſtis liberalitatis; vt omittam Summorum Pontificum Paſchalis II. Vrbani V. Leonis IX. Clementis III. & VI. Eugenij IV. Ioannis X. Benedicti VI. ac ipſius Sancti Gregorij Magni teſtimonia quibus Sublacenſe Benedicti Sacrarium commendatur, tanquam & Eccleſiæ theſaurus, & Benedictinæ Familiæ Seminarium.*

Porrò hic liber eſt ſcriptus à Petro Diacono Monacho, ac Bibliothecario Caſinenſi, nec aliud complectitur quàm notitiam lucubrationum moreſque Virorum Illuſtrium Caſinenſium, hoc eſt propria & immortalia ornamenta eiuſdem Ordinis, cui tu tantum tribuis, adeoque ad te iure ſuo accedit; tuo etiam patrocinio & ære ſublevandus, Vale.

D *Ioannes Baptiſta Marus F.*

a Hi Victoris III. Dialogi de quibus infra impreſſi ſunt In hac Bibliotheca ſæculo vndecimo.

LECTORI.

a DIALOGOS Victoris Papæ Tertij: olim Deſiderij Abbatis Caſinenſis, inter blattas & tineas conflictantes, annis præteritis è Vaticana Bibliotheca deprómptos, cum in lucem protraxerimus; quidam diobolaris ſciolus illis perlectis, virtutes Caſinenſium non nimis extollere conqueſtus eſt; criticâ fronte aſſerens, perpauca, aut nulla fuiſſe ea, ad quæ perſcribenda, & pervulganda ingenium Caſinenſes contulerint; neminemque ferè ſe in gravioribus conſcribendi laboribus exercuiſſe, honeſtiſſimæ gloriæ ſtimulis concitatum aliquid exaraſſe, Hactenus nimis profectò patienter hominem inſulſius obtrectantem audivimus; cuiuſque etiamſi omnia dicta referre vellemus, planè eſſet otio noſtro abuti, præſertim cùm ſcriptis prodigia ſe editurum elato ſupercilio promiſerit. E

O rem ridiculam, Cato, & iocoſam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno!

Licèt enim Ordo Monaſticus ſemper obtrectatores ſuos habuerit, vt rectè prodiderunt SS. Hieronymus pluribus in locis, & Chryſoſtomus in illo præclaro vitæ Monaſticæ Clypeo, & alij antiquiores: nunquam tamen audacius hoc noſtro ſeculo id factum eſt ab impudentibus Hæreticis, apud quos in tantam devenit deteſtationem idem Monaſticus Ordo; vt nonnulli ſolo intuitu à librorum quamvis optimorum lectione abſtineant, quòd Monachi nomine ſint tantùm prænotati; locumque etiam proverbio plerumque faciant, *Monacho indoctior.* Quæ riſum quoque movere poſſent Heraclito obſtinatè lugenti: immò nec defuit quidam miſogrammus, qui in deteſtationem, atque derogationem Monachorum ſcribere non erubuerit, verecundante chartâ, & ipſo attramẽto in minium verſo ad tantum impudentiæ promptuarium, nonnullos Sanctos Patres Monaſtico titulo deſignatos, vt opera eorum in dubium revocaret, nunquam fuiſſe in Monachorum numerum adſcitos; dementiſſimè exiſtimans tàm ſolidum, validumque eſſe hoc unicum, enerve, ac ficulneum argumentum, vt exolutus perinde fuerit onere cætera probandi. Et quamvis nimis falſa non ſint refellenda, ne videantur poſſe eſſe credibilia; vt rectè dixit Sanctus Athanaſius epiſtola ad Epictetum, approbante S. Epiphanio hæreſ. 77. Attamen nôs ne in ſuperbiam, vel ignorantiam ſilentium noſtrum (licet noſcamus, quam nobis ſit curta ſupellex) iſte nugivendulus accepturus ſit, haud ignorantes inſuper multos homines eſſe, iudicij parum firmi, qui nihil audiunt, leguntuè, quod non credunt, niſi refutatum ſciant; nulla interpoſita mora, memores Vlpiani ſententiæ de verb. ſignif. L. 12. §. 1. *Minus ſoluit, qui tardius ſoluit: nam & tempore minus ſoluitur*; præclarique etiam magni auctoris dicti. *Barbaris cunctatio ſeruilis: ſtatim exequi, regium.* Opuſculum iſtud pro re nata inter tenebras deliteſcens de Viris Illuſtribus Caſinenſibus à Clariſſimo Viro Petro Diacono Monacho, ac Bibliothecario eiuſdem Cœnobij conſcriptum, hactenus ineditum, à pluribuſque viris eruditis diù quoque expetitum, nobis è celeberrima Barberina Bibliotheca ſuppeditatum, ſingulari humanitate, ac beneficentia Viri Clar. Caroli Moroni, ad maledicta iſtius obtrectatoris evertenda, ipſumque convincendum, tibi verò benigne Lector, & bono publico promulgandum duximus; cui etiam ob argumenti ſimilitudinem adiungimus Supplementum manu exaratum Virorum pariter Illuſtrium Caſinenſium, per Placidum Romanum Monachum, ac Diaconum eiuſdem Archiſterij conflatum. Paruum quidem, atque exiguum fatemur; (neque enim res tàm numero & magnitudine, quàm pretio, & pondere, æſtimandæ ſunt) ſed accuratè, cogitateque ſcriptum à noſtro Petro, qui anno MCXV. quo in vivis agebat, multa prodidit, quæ hiſtoriam Eccleſiæ illuſtrant, vt legere eſt apud Leonem Oſtienſem in Chronico Caſinenſi, cuius tertium librum ipſe ſupplevit, & quartum ei adiecit: pergratum, ac utile futurum etiam iis, qui ſcientiarum ſtudiis ducuntur, auctorum, librorumque cognitione capiuntur; multa ſanè in hoc opuſculo, maximéque in noſtris indicantur notis, quæ publicam merentur lucem, dum ex abditis diverſorum educitur veterum Scriptorum notitia, quorum libri intercidiſſe credebantur; quâ ſpretâ librorum auctorum notione, in tenebris forſan perpetuò iacuiſſent; & vt tumulus corpus contegit, ſic nomen eorum in omnem fere ætatem obruiſſet, eorumque dein lucubrationes in privatis

F G H

ſepultæ Bibliothecis remanſiſſent, magno certè rei literariæ damno; cum hac tempeſtate magna doctrinæ pars exiſtimanda ſit, ſcire, qui libri Auctorum legendi, qui non legendi ſint: Neceſſarium enim eſt haud ignorare, qui ſcripſerint, & de quibus ſcripſerint, fontéſque noſſe, unde hauriri poſſint ea, quæ vel ad ſcientias alendas, virtutes procreandas, vel deteſtanda vitia, magno uſui ſint futura; cum abſque Bibliothecis ferme inermis ſit Religio, & inanis ſapientia. Hæc autem conſideratio, & per ſe iucunda, ac ingenuo homine digna eſt, cum ad delectum Auctorum, tum ad excitandos animos ſtudioſorum plurimum faciat: quemadmodum Miltiadis trophæa Themiſtoclem dormientem excitabant: ſic doctorum hominum volumina, quæ in hoc libello commemorantur, ad laborem, laudémque ſtudioſorum animos inflammare debebunt: Et ſicut omni ſolatio viri docti privari videntur, cum illis lectio interdicitur, ut olim nonnullis irrogatum hoc pœnæ genus legitur à Tiberio apud Suetonium. *Quibuſdam*, inquit, *cuſtodia traditis, non modo ſtudendi ſolatium ademptum; ſed etiam ſermonis, & colloquij uſus*: ſic omne ſolamen ex lectione recipiunt. Faſſus eſt id Angelicus Doctor, qui ſacrarum literarum monimenta tanti faciebat, ut de more diceret, *Se unius B. Chryſoſtomi homilias, urbi Pariſienſi divitiis omnibus refertiſſimæ, ſed vel ipſis Imperiis, ſerio anteponere.* Libri profectò veluti ſtudiorum inſtrumenta medullitus delectant, colloquuntur, conſulunt, & vivâ quâdam nobis, atque argutâ familiaritate iunguntur. *Sola denique ſcripta ſunt, quæ mortales quâdam famæ immortalitate perpetuant, & actibus veterum, quos traducunt ad poſteros, nullam permittunt obrepere vetuſtatem*, docet Petrus Bleſenſis ep.77. Vnde verè Martialis:

Chartis, nec furta nocent, nec ſecula præſunt,
Soláque non norunt hæc monumenta mori.

Poſſidius namque in calce vitæ Sancti Auguſtini, eius perpetuam fore memoriam ob libros conſcriptos, haud falſus vates confirmavit; adducto etiam hoc ſecularis Poëtæ de ſe loquentis epitaphio, quod tumulo ſuo adſcribi voluit.

Vivere poſt obitum vatem, vis noſſe, viator?
Quod legis, ecce loquor: vox tua nempè mea eſt.

Præterea operæ pretium eſt noſſe, non ſolum innumerabiles ferè Monachos ex hac nobiliſſima Academia Caſinenſi prodiiſſe cuiuſvis doctrinæ genere refertos; verum etiam aſſiduâ fuiſſe diligentiâ, pietate, ac intentione, Sanctorum Patrum, aliorúmque Virorum doctorum volumina exſcribendi; ut poſtea in rebus dubiis ad m.ſſ. Codices, & antiquos impreſſos, ex quibus veræ lectiones reſtituuntur; tanquam ad oracula quædam tutiſſimè viri docti, ac eruditi confugere valerent; quod lege caverunt prudentiſſimi Imperatores Theodoſius & Valentinianus lib. 1. C. Theodoſ. de reſponſis Prudentum: cùm non modò auctoribus pleriſque deficimur, ſed etiam hi, qui ad manus, non æque omnes emendati ſunt. Vnde planè ridiculi cenſeri debent, qui emendato nè, an inemendato libro utantur, ſua nihil putant intereſſe; cùm certè ſi depravatis utimur codicibus, nil aliud ſuperſit, niſi, ut Ixioni ſimiles umbram pro re, errorem pro ſcientia amplectamur. Præmiſsâ hâc igitur animadverſione, ſubnectenda venit hæc obſervatio, tantam nempè diligentiam in accuratè exſcribendo fidelium illam priſci ævi pietatem adiunxiſſe; ut nec promiſcuè omnibus Evangelium, Pſalterium, aut Miſſale exſcribere licitum fuerit; ſed perfectæ ætatis homines huic muneri eligebantur, ut errores magis caverent. Quod notatum legitur in capitulari Aquiſgranenſi cap. 71. *Si opus eſt Evangelium, vel Pſalterium, & Miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant cum omni diligentia.* Et quidem nullus labor, qui manibus exercetur, magis Monachis convenit, quàm officium ſcribendi; cùm illud ſit manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, ſalutem mortalibus tacitam dare. Vide quæ Gerſon latè diſputavit integro libro de laude ſcriptorum, hoc eſt exſcriptorum, ſive amanuenſium; ac Trithemium, qui pariter integrum de laudibus ipſorum conſcripſit librum: adi Theophilum Raynaudum Societatis Ieſu, alterum penè Dydimum Chalcenterum, de bonis, ac malis libris partit. 3. erot. 4. fol. 309. Tantâque etiam induſtriâ, ac ſtudio incredibili inſuper uſi eſſe traduntur; ut continuo velut uno opere eandem incudem diu, noctúque tundentes, ſcriptos codices aliqui artificioſè conglutinarent, mirâ animi attentione, corrigerent alij, rubro cæteri exornarent; Theodoſij Imperatoris exemplum imitantes, qui cum à publicis vacaret, libros ſacros tantâ elegantiâ ſcriberet, ut Calligraphi nomen inde acceperit; teſtis eſt Raderus in Aula ſacra cap. 6. Immò illotis manibus ſacros codices contingere, piaculum ulterius exiſtimaverint. Quod ſimile quidpiam etiam à Gentilibus factitatum reperimus, ita tamen, ut præter manus, etiam pedes, auréſque luſtrarent. Plutarchus orat. 2. de eſu carnium ita loquitur. *Quamquam nos fortaſſe peccamus, qui libros iſtos attingimus, non luſtratis manibus, pedibus, auribus.* Quàm vero gratus Divinæ bonitati eſſet labor iſte exſcribendi, perſpicuo, ac evidenti miraculo declaratus agnoſcitur; dum Trithemius memorat de laudibus ſcriptor. man. cap. 6. fuiſſe in quodam Cœnobio Benedictinorum quendam Monachum, qui in ſcribendis ad ornatum Bibliothecæ voluminibus, ſedulum, elaboratúmque ponebat ſtudium; ita ut quotieſcunque à divino potuiſſet vacare officio, ad ſecreta cellæ ſe conferens huic ſancto labori inſiſteret, unde & multa Sanctorum opuſcula cum ingenti devotione deſcripſerit. Huius mortui oſſa cum poſt multos annos exhumarentur, tres digiti dexteræ manus, quibus tot volumina ſcripſerat, tam integri, & incorrupti inventi ſunt, ac ſi eodem tempore ſepulchro fuiſſent impoſiti; reliquum autem corpus, ut moris eſt, conſumptum ad oſſa fuerit. Simile etiam factum de Richardo Anglo Præmonſtratenſi, legere eſt apud Cæſarium lib. 12. cap. 47. Hinc viri pietate ac eruditione inſignes, Divinam providentiam tanti habere laborẽ iſtum exſcribendi animadvertentes (ne multa Sanctorum Patrum, Eccleſiaſticorúmque Scriptorum monumenta perirent, quod facilè eveniſſet, niſi Monachorum opera ad poſteros fuiſſent tranſmiſſa) in florentiſſimam Academiam Caſinenſem, veluti literarum tunc temporis Seminarium, innumerabilem penè m. ſſ. ac impreſſorum copiam tranſtulerunt; ita ut hodie in tota Italia, nulla ſit paulò celebrior Bibliotheca, quæ non aliqua ex parte ipſorum nobilibus theſauris locupletetur. Vide quæ notavit noſter Petrus in auctario hiſtor. Caſinenſ. lib. 3. cap. 62. edit. Venetæ, de libris, quos ſolum Deſiderius Abbas, deinde Victor Papa Tertius, exſcribi curavit; & tunc non immeritò fidem nobis dabis; velléque propterea ſacrum Aſceterium Caſinenſe eruditionis merita laude ſpoliare, eſt rem manifeſtam negare, non ſecus atque olim Zeno motum è rerum natura ſuſtulit, nivi candorem detraxit Anaxagoras; & Soli conceſſam ab omnibus Aſtronomis magnitudinem, Epicurus. Faceſſant denique hæc ludicra riſu potius deſpicanda, quàm diſputatione ſeria confutanda; & producamus poſt fabulam tantam iſtius polymythi ſycophantæ, id, quod illuſtris ille Eccleſiaſticæ antiquitatis præco Cardinalis Baronius tom. 9. anno 716. ſuis Annalibus de Caſinenſibus intexuit: *Sed & illud*, inquit, *abſque trepidatione mendacij aſſeri iure poteſt: nullum unquam toto Chriſtiano Orbe extitiſſe aliquando Monaſterium, ex quo tot viri ſanctitate conſpicui, atque doctrina, tanta numeroſitate, ad regimen ſanctæ Apoſtolicæ Sedis adſciti fuerint; ut planè dici poſſit, fuiſſe idem aliquando Seminarium ſacrorum Antiſtitum, prout quæ ſuo loco dicturi ſumus, manifeſtè docebunt.* Vertat nunc igitur ſe in omnes formas Proteus iſte, & Caſinenſium Academiam, ut libet, oppugnet ſimul cum iis, qui in ipſa fæce ignorantiæ voluptati, omnibúſque pudoris

A pudoris repagulis perfractis, otioſam appellarunt, omniſque rei literariæ expertem etiam crediderunt. Hæc tibi, benigne Lector, ſignificare voluimus, umbraticos impugnatores, denteſque Theoninos Caſinenſe Archiſterium Cœnobitarum ſanctitate, ac doctrinâ celeberrimum non metuere, cum tantorum Doctorum refugium ſibi ipſi patere videat; totque ex ſe tanquam præclaros genuiſſe filios, qui ingenij ſui monumentis, omnique bonarum literarum genere Chriſti Eccleſiam locupletarunt. Veritas defenſore non eget, & mendacium plerumque cadere nullo impellente, ac ſe ipſum ſubvertere, dixiſſe Auguſtinum memor eſto. Demum ne miteris obnixè precamur, ſi non cunctos noſter Petrus ſcriptores Caſinenſes, & omnes eorum, quorum meminit, lucubrationes recenſuerit; præſertim cum pedem è navigio ponere animus ei non fuerit; quod facilè dignoſcimus e ſcriptis eius, uti è veſtigio Herculem: ſed pro certò habendum, multa diverſorũ Scriptorũ monuméta, ſuperſtite Petro, adhuc in diverſis privatis Bibliothecis latitaſſe, omniaq; propterea legere, aut expiſcari ex animi ſententia non valuiſſe; maxime hominem publicis, privatiſque negotiis diſtrictum; commodiori tempore omnes annotaturum. Etſi forte, mi Lector, hæc minus ad guſtum tuum; en patrocinium: ſcias quod ab indiligentiæ crimine tueri eum poſſimus, non ſolum exemplo, quòd neque Trithemius, aut Pantaleo, aut Cornelius Callidus, cùm de Germanis, neque Sammarthanus cùm de Gallis; neque Ferd. Matamorus, cùm de Hiſpanis; neque Folieta, cùm de Liguribus; neque Miræus, cùm de Flandris; neque Hebedielu, cùm de Chaldæis (beneficio Vir. Clar. Abrahami Ecchellenſis ex tenebris, atque obſcurâ caligine anno præterito eductus, eruditiſſimiſque notis illuſtratus) neque alij, cùm de Civibus ſuis, aut ſociis ſcriberent; omnes tunc ſimul complexi ſunt; quos maiori forſan adhibitâ diligentiâ, aut fortunâ magis propitiâ complecti potuiſſent: verum etiam ſententia Varronis, qui aiebat, neminem reprehenſum eſſe, qui ſtipulam reliquiſſet ad ſpicilegium quod confirmavit Columella de re ruſtica. *In magna ſylva*, inquiens, *boni venatoris eſt. feras indagare: quamplurimas capere, neque cuiquam culpæ fuit, non omnes cepiſſe*, præſertim, cum munere ſuo quiſquis bene fungitur, ſi avido Lectori famem utcunque ſedat, quamvis non penitus eximat. Et ut rem dicamus; ſi olim Civem unum ſervanti civica donabatur, quamnam coronam plectere debebunt muſici omnes [illegible] noſtro Petro, dum non unius, ſed plurium illuſtrium virorum nomina ab interitu vindicavit, theſauróſque elucidavit inviſos? uni ſapienti notum eſt, quanti res quæque taxanda ſit. Denique ſuperfluam rem etiam nos non agere, cum iam de Scriptoribus Caſinenſibus Trithemius, Arnoldus Vvion, aliique abundè quoque id præſtiterint, in eorum indice non tam ſollicitos fuiſſe, inſcius ne ſis, quin multos non agnoverint; & quos agnoviſſe, ſe referunt, ſingula accuratè eorum poſtea non recitaſſe opuſcula. Fruere igitur, ſtudioſe Lector, Caſinenſium laboribus, tibique perſuadeas: quòd ſi amor, ſtudiùmque literarum te incendit (licet fateamur ingenuè, multos literarum cepiſſe tædium, quia vident ea facta eſſe inimicorum retia, quæ honeſti erant animi inſtrumenta) ex polymathiæ Caſinenſis theſauris aliqua iſtorum Heroùm literariorum ſcripta tranſcribere, vel excuſa, cum m.ſſ. conferre; ſcito noſtris temporibus librorum pretium te non remoraturum; ſicuti de Platone legitur, qui tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denariùm, etiam in difficultate rei familiaris, eſt mercatus, ex quibus plura in ſuum deinde Timæum uſurpavit, ut auctor eſt Iuriſconſultus Gallus Antiq. Roman. lib. 4. par. 2. cap. 16. & de Ariſtotele, qui creditur libros paucùlos Speuſippi emiſſe tribus talentis Atticis, quorum ſumma fit apud Romanos H S. duo & ſeptuaginta millia, teſte A. Gellio lib. 3. cap. 17. Nec etiam animum tuum perturbatum, ignavumque reddere debebit exemplum Nicolai V. Summi Pontificis, qui ducatorum quinque millia ad ſe Evangelium Divi Matthæi Hebraïcum afferenti promiſerat, ut ſcribit Eckius homil. de Sancto Matthæo; cùm Caſinenſes non inducti pecuniâ, ſed ſtudio gloriæ divinæ, benevolentiâ, ac liberalitate paratos ſe offerunt tibi illa prodere; & tanquam te veterum ſcriniorum excuſſorem, manuſcriptorúmque exemplarium conquiſitorem agnoſcentes, ad illa evulganda cohortabuntur, impellent, gratique animi calcaribus inſuper perurgebunt. Reminiſci quoque te volumus, favore, non odio, dignam hanc noſtram eſſe propenſiſſimam benè de Republica literaria merendi voluntatem: dum totum noſtrum ſtudium hiſce theſauris reperiendis, tuo, & bono publico impendimus. Ave mi Lector, & fave.

PETRI DIACONI MONACHI, ET BIBLIOTH. CASINENSIS De Viris Illuſtribus eiuſdem Sacri Archiſterij Opuſculum.

PROLOGVS.

COactus aſſiduis tuis imperiis, Pandulphe Præſul venerande, arduam, difficillimamque rem apicibus exarare ſum orſus; Illuſtrium ſcilicet Virorum Caſinenſis Archiſterij librum. Opuſculum iſto in tempore novum, obliviónique penè iam traditum; quod utinam qui perſpexerint, cum quanta cordis id mœſtitia ſcripſerim, advertere valeant: Nam ſtupor, & hebetudo ingens noſtri opplevit pectoris arcem, cur à ſexcentis fermè iam annorum curriculis in Caſinenſi Gymnaſio non extiterit, qui hunc vilibus ſaltem, mandaret ſchedulis librum; & hoc non cauſa inſcitiæ, ſed laborem, ac detrahentium linguas fugiendo accidit. Nunc enim illud Deiloqui eſt conſummatum oraculum: in quo perſpicimus homines ſemetipſos amantes, & quæ ſua ſunt quærentes, non quæ Ieſu Chriſti, detractionique ardentiſſimè operam dantes. Et primo quidem à Tranquillo, Græcoque Apollonio cœptum, ſed ab Illuſtriſſimis Viris Hieronymo, Gennadio, atque Iſidoro apud Romanos ad finem eſt uſque perductum. Et quamvis ab aliis nihil eſt tam operosè actum, quod non Hieronymi eloquentia ſuperet; poſt iſtorum tamen è mundo receſſum, nullus inventus eſt, qui illud ad calcem perduceret. Guido præterea noſter inſtitutor, moribus vitáque præcipuus, ante hoc fermè ſeptennium, opuſculum ſcribere aggreſſus eſt iſtud; ſed laborioſum inibi videns iacere materias ea dimiſit facilitate, qua cœperat: quòd ſi ille, longè me in ſermone, ſenſúque præpollens, rem cœptam dimiſit; ego qui acumine mentis iners, ſermonéque impolitus, & variis rebus ſum implicatus, quid acturus ſum? Sed ad ea quæ imminent, ſtylus ſequens vertatur.

CAPVT I.

BEnedictus Monachorum inſtitutor Vir egregius, ac poſt Apoſtolos ſingularis, Provinciæ Nurſiæ extitit oriundus, ex patre Eupropio nomine, matre Abundantia, avo Iuſtiniano, nutrice Cyrilla. Poſtquam duodecim Monaſteria Chriſto adiuvante conſtruxit temporibus Iuſtiniani Imperatoris, prædictas cellas ſub Præpoſitis ordinãs, divino ad ſe facto reſpõſo,

duobus Angelis comitantibus, ad Evangelium prædicandum, paganoſque ad Chriſtum convertendos, Caſinum advenit; ubi templa idolorum deſtruens, Cœnobium conſtruens, circummanentes paganos ad Chriſtum convertit. Scripſit autem iam ſenex in eodem Caſinenſi Cœnobio Monachorum Regulam, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam, epiſtolas verò duas; primam ad Remigium Rhemenſem Archiepiſcopum; ſecundam ad Maurum ſuum diſcipulum, quem in Galliis ad prædicandum direxerat, elegantiſſimo ſermone compoſuit. Fuit autem temporibus Anaſtaſij, Zenonis, Iuſtini, & Iuſtiniani Imperatorum; ſepultus verò eſt in Caſino in Eccleſia Sancti Ioannis Baptiſtæ ante altare, ubi à toto Orbe venerabiliter honoratur.

ANNOTATIO.

NVrſiæ ex Patre Anicio Euprepio, & Abundantia matre, ex illuſtri Riguardatorum familia, unica Nurſini Comitis filia, facultatúmque eius, ac cognominis hærede, Sanctus Benedictus Natione Romanus, Monachorum in Occidente anteſignanus ac princeps, eodem cum ſorore Scholaſtica partu naſcitur anno Domini 480. quibus editis, mortua eſt mater; quaſi iam ſatis vixiſſet, cùm tantos taléſque relinqueret poſteros; nec alia videretur nupſiſſe cauſa, quàm ut talium Sanctorum fieret mater. Eius res geſtas non ſolum Sanctus Gregorius Papa Magnus, omnium virtutum Magiſter, fusè proſequutus eſt lib. 2. Dialogor. (quem Gregorij librum Ingolſtadienſes græcolatinum annis ſuperioribus publicarunt) verùm etiam ambitioſo quaſi præconio Alexander Secundus, Victor Secundus, Summi Pontifices; Ioannes Trithemius, Cardin. Baronius, ac Arnoldus Vvion, qui Lignum vitæ duobus tomis complexus eſt, in quo propago tanti Patris accuratiſſimè conſcripta eſt, copiosè tradiderunt. Videndus etiam Benedictus Hæftenius, Monaſterij Affligenienſis Præpoſitus lib. diſquiſit. Monaſt. prolegom. 1. in vita Sancti Benedicti, diffusè de eo agens.

Præter memorata à noſtro Petro conſcripſit etiam Patriarcha Benedictus, *De Ordine Monaſterij*, qualiter, inquit, à Fratribus religiosè ac ſtudiosè converſari, ac Domino militare oportet, librum unum, qui incipit. *In primis nocturnis horis.* Hic verò liber unà cum Regula excuſus fuit apud Iunctas Venetiis anno 1593. in 16. procurante Arnoldo Vvione, quamvis in hoc opuſculo quædam occurrant verba, quæ ſuſpicionem ingerunt, ut Sancto Benedicto non videatur hic liber tribuendus; pro qua re lege dictum Hæftenium fol. 1062. Literis etiam conſignavit ſermonem in diſceſſu Sancti Mauri, cuius initium. *Si triſtandum, dilectiſſimi*, qui integer habetur in Martyrologio Benedictinorum Arnoldi Vvionis ad diem 14. Ianuarij: Sermonem pariter in paſſione Sancti Placidi, & Sociorum his verbis. *Sicut Patris eſt gaudere.* Hic verò excuſus eſt in epiſtola Siculorum ad Sanctum Benedictum, quæ ad calcem Caſinenſis Chronici editionis Venetæ fuit adiecta. Supradicta opuſcula ſimul colligata reperies in noviſſima Bibliotheca Sanctorum Patrum, & poſtremo loco in Theologia Regular. Cl. Viri Patris Caramuëlis Ord. Ciſtercienſis, doctiſſimis etiam illuſtrata commentariis. Notandum verò, quòd licet epiſtola ad Sanctum Remigium, quæ in fine d. Chronic. Caſin. & alibi legitur, in dubium à Cardin. Baronio tom. 6. annal. anno 707. unà cum tota hiſtoria revocetur; lapſumque ex nominum ſimilitudine irrepſiſſe putet: attamen cum eam veram Petrus Thiræus lib. ſingul. de Dæmoniacis agnoſcat, nec poſt edita Baronij ſcripta quidquam inſinuet dubitationis, defendendo etiam eam Antonius de Yepes in Chr Ord. Balduinus Moreau in opuſculis Sancti Benedicti, & Georgius Colvenerius in ſcholiis ad Flodoardi hiſtoriam; lectoris propterea iudicio relinquimus, ut ipſe ſuapte diligentia diſcernat, quid verè Sancto Benedicto tribuendum, quidvè illi abiudicandum cenſeat. Non eſt autem hoc loco ſilentij tenebris involuendum, quod noviſſimè ad huic epiſtolæ fidem adſtruendam dictus Hæftenius comment. ad vitam Sancti Benedicti cap. 16. diſquiſit. monaſt. ſe inveniſſe refert, in antiquo videlicet m.ſ. Cod. Bibl. Monaſt. Sancti Martini Tornaci, alteram epiſtolam Monachorum Rhemenſium poſt quingentos annos à Sancti Benedicti obitu ad Caſinenſes perſcriptam, quam totam ibi integram reddit. Denique an verè cunctæ ſupradictæ lucubrationes genuini ſint fœtus Sancti Benedicti, diſcutitur ſolita diligentia, eruditione, ac doctrina à prætato Caramuele in Theolog. Reg. p. 1. ideo lectorem ad eum remittimus.

Vixit Sanctus Benedictus annos 63. cum habitaſſet Nurſiæ annos ſeptem, Romæ ſeptem, Sublaci trigintaquinque, Caſini quatuordecim; ſtans atque erectus in templo inter diſcipulorum manus (editis prius perfectæ adminiſtrationis copioſis actibus, relictis pietatis præclaris monumentis, ac congeſtis innumeris meritorum manipulis) efflat animam, quæ illuſtri via Cœlum deduci viſa eſt, anno Domini 543. die 21. Martij, hora tertia matutina; & ſepulchro appoſitum epitaphium, ut refert Sylveſter Maurolicus lib. 1. hiſt. ſac. omnium relig. de Sancto Benedicto agens.

Nurſia me genuit, ſpecus obtulit alta Caſſini
Me rapuit vertex, aula beata tenet.

Cæterùm, de die & anno obitus Sancti Benedicti extat controverſiâ, quam affert & diſſolvit rei Chronologicæ peritiſſimus Vir Dionyſius Petavius in Rationario temporum part. 2. lib. 4. cap. 14. illúcque amandamus lectorem plenioris diſcuſſionis huius puncti avidum.

CAPVT II.

FAuſtus eiuſdem Patris Diſcipulus, ſeptennis in Caſino oblatus, & à Sanctiſſimo Benedicto cum Mauro Caſinenſi Præpoſito in Gallias directus, poſt ſuam reverſionem, Beati Mauri vitam ex iuſſione Abbatis Theodori lucidiſſimè valde compoſuit. Claruit autem temporibus ſupradictorum Imperatorum, ſepultus autem eſt in Monaſterio Lateranenſi.

ANNOTATIO.

SAnctus Fauſtus natione Italus, Divi Benedicti primarius aſſecla, ac ſymmyſta, ſenſuum, affectionúmque mortificatione fuit tanta, ut ſupra imitationem fuiſſe videretur. Cùm ſeptem annorum eſſet, Divo Benedicto à parentibus ſuis fuit oblatus; à quo tandem poſt perfectam regularis propoſiti inſtitutionem cum Beato Mauro miſſus fuit in Gallias anno ſalutis 542. Arnoldi Vvionis annorum calculo; at iuxta computum Eccleſiæ, anno 535. ad conſtruendum Cœnobium, ubi in magna ſanctitate multis annis converſatus, tandem ad Lateranenſe Monaſterium eſt regreſſus. Teſtatur id etiam Martyrologium Gallicanum Cl. V. Andreæ Suaſſay in ſupplemento ad diem 15. Febr. his verbis. *Depoſitio S. Fauſti Monachi Caſinenſis, Diſcipuli Sancti Benedicti, qui aliquandiu in Cœnobio Glanofolij in Andegavenſi præſulatu ad Lygerim, ſub S. Mauri diſciplina converſatus, poſtea redux in Italiam apud Caſinum, ſuum curſum finivit, &c.*

Is erat per hæc tempora calamitoſiſſima Italiæ ſtatus, ut Langobardis crudeliter ubique graſſantibus, nulla urbs tam munita, nullus locus tam remotus inveniretur, quò illi ſuis incurſionibus non perrumperent. Neque Cœnobium Caſinenſe cladis acerbiſſimam calamitatem effugere potuit; quam etiam S. Benedictus prænunciaverat: Itaque fugientes Monachi ex eodem Cœnobio Romam profecti ſunt, & Pelagium ſecundum Pontificem adiverunt, ab eoq; benignè

accepti, iuxta Lateranenſe Patriarchium, Monaſterium in honorem SS. Ioannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ, ac Pancratij Mart. conſtruxerunt, ibique ſpatio centum triginta annorum habitaverunt; in quo degens Sanctus Fauſtus vitam Sancti Mauri Abbatis in Gallia condiſcipuli ſui, qui ſeptuagenario maior in Cœlum migraverat anno Domini 584. iuxta verò Chronolog. Cl. V. Gueſnay in vita Sancti Ioannis Caſſiani, anno 565. luculentiſſimè literis conſignavit, ſub Chriſti anno 606. quod colligitur ex præfatione, in qua ſic loquitur ipſe Fauſtus. *Hoc opuſculum Beatiſſimo Papa Bonifacio oſtendi; quod ipſe Sanctiſſimus Pontifex approbans laude dignum duxit, ſuáque ſancta auctoritate roboravit.* Fuit is Bonifacius Papa III. ut Leo Oſt. Chron. Caſin. lib. 1. cap. 3. teſtatur, qui anno 606. ſedere cœpit, & anno eodem deceſſit, ſuccedente Bonifacio IV. Papa. Vnde corrigendus Trithemius de ſcript. Eccleſ. in verbo Fauſtus, qui ad Bonifacium II. ſcripſiſſe refert. Edita eſt ea vita à Lippomanno, & Surio ad diem 15. Ian. & à Mombritio tom. 2. Vide Acta Sanctorum V. Cl. Bollandi ad hanc diem, in quibus vita, tranſlatio, ac miracula Sancti Mauri accuratè deſcripta leguntur. Adi etiam notas V. Cl. Ioannis Tamayo in Martyrolog. Hiſpan. ad diem 14. Ianuar. Obſervavit tamen Hugo Menardus in notis Mart. Bened. prædicta acta eſſe corrupta, tu tamen illum conſule. Extare etiam in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum Claromontenſium in Arvernia, vitam m. ſ. Sancti Mauri metro, & proſa ſcriptam per Odonem: Libellum miraculorum eiuſdem: ſermonem de tranſlatione eiuſdem in Monaſterium Foſſatenſe, docet Vir Clar. Philippus Labbeus Societatis Ieſu in nova Bibliot. m. ſ. ſ. librorum edita Pariſiis anno præt. pag 266. De geſtis Fauſti agit Sigebertus cap. 32. de ſcript. Eccl. ſ Martyrol. Benedict. ſub die 15. Febr. Galeſinus, Maurolycus, & Trithem. de Vir. Illuſtr Ord. S. Bened. lib. 2. cap. 2. & lib. 3. cap. 3. Leo Oſt. lib. 1. cap. 3. Hiſtor. Caſin. Vincent. in ſpecul. hiſtor. lib. 21. cap. 68. & 69. V. Cl. Gerardus Ioan. Voſſius de hiſtor. Lat. lib. 2. cap. 24. Ad lucis æternæ præmia evocatus fuit S. Fauſtus circa annum Domini 620.

CAPVT III.

Marcus Patris Benedicti diſcipulus, & Caſinenſis Monachus, Vir egregius, & in Scripturis apprimè eruditus. De Adventu Sanctiſſimi Benedicti ad Caſinum; de ſitu loci, conſtructionéque Cœnobij, elegantiſſimos verſus compoſuit.

ANNOTATIO.

Marcus à Sancto Benedicto familiariſſimè dilectus; vir ad poëticam artem extollendam à natura progenitus, moribus & converſatione præclarus, ac in literis etiam ſæcularibus peritiſſimus: Et ne Marci auctoritas à nonnullis parvi habeatur, tanquam obſcuri alicuius Scriptoris, hic producere de eo quorundam veterum Scriptorum teſtimonia non alienum duximus. Paulus Diaconus lib. 1. cap. 26. de geſtis Langob. ſic ait. *Hac omnia ex Marci poëta carmine ſumpſi, qui apud eundem Patrem* (Benedictum) *huc veniens aliquot verſus in eius laude compoſuit.* Eadem referuntur ab Aldrevaldo lib. 1. cap. 4. de mirac. S. Bened. Sanctus Petrus Damianus ſerm. 8. in vigilia Sancti Benedicti. *Hac planè de Marci, eiuſdem, videlicet D. Benedicti, diſcipuli venuſto carmine iam defloravimus.* Vide etiam Sigibertum de Script. Eccleſ. cap. 33. Præter recenſita à noſtro Petro, quæ inedita remanſerunt, ſcripſit etiam verſibus heröicis eiuſdem Sancti Benedicti magiſtri ſui nonnulla miracula à Divo Gregorio Papa primo omiſſa: quæ carmina cum diù delituiſſent, excuſa, modo reperiuntur in tertio poëmatum volumine Divi Proſperi Martinengi Romæ anno 1590. in 4. ſtudio, & opera Arnoldi Vvionis, & ipſe teſtatur lib. Lign. vitæ; quæque Mantuæ in Cœnobio Sancti Benedicti inventa etiam refert. Scripſit inſuper Gnomas impreſſas Haganoæ anno 1531. & alia quædam opuſcula converſa per Ioannem Picum, edita ſunt Pariſiis ann. 1563. in 8. Claruit eodem ferè tempore, quo Sanctus Fauſtus id eſt, uſque ad Imperium Heraclij Auguſti anno Domini 610.

CAPVT IV.

Sebaſtianus B. Benedicti Monachus, Hieronymi doctoris egregij vitam deſcribens, legendam Eccleſiis tradidit: in qua, quæ ei à puero inſtitutio, quale in iuventute ſtudium, quæ in ſenectute ei ſcientia fuerit, lucidiſſime ſatis demonſtrat.

ANNOTATIO.

Vita Sancti Hieronymi Eccleſiæ Doctoris maximi, pluribus referta mendaciis, quæ ſine auctore vagatur, teſte Cardin Baronio ad annum 420. num. 49. non videtur tribuenda noſtro Sebaſtiano, ut aliqui perperam arbitratu ſuo ſcriptis fecerunt; cum tantùm ab ipſo literis demandata fuerit vita æqualis ſui Sancti Hieronymi diſcipuli Sancti Benedicti, non autem Eccleſiæ Doctoris; illámque deinde Cœnobiis Benedictinis legendam tradidiſſe ſcribit Arnoldus lib. Ligni vitæ. Vide Gerardum Ioan. Voſſium, diffuſæ, reconditæque eruditionis virum, lib. de hiſt. Latinis in Sebaſtiano. Floruit circa annum Domini 560.

CAPVT V.

Simplicius Sanctiſſimi Benedicti diſcipulus, ac poſt eum in Caſino Abbas effectus: Regulam, quam ſuus magiſter ediderat, publicè legendam omnibus Monachis tradidit: Verſus quoque nonnullos de eadem re deſcripſit. Fuit verò temporibus Iuſtini Iunioris, ſepultus autem in Caſino iuxta corpus B. Benedicti.

ANNOTATIO.

Sanctus Simplicius Abbas ab obitu Divi Benedicti tertius, ut docet S. Greg. lib. 2. Dial. in princ. Vir cœleſtibus chariſmatibus præditus, omnique teſtimonio ſanctitatis illuſtris. Verſus, quos in laudem Regulæ Sancti Benedicti deſcripſit, unà cum diverſis aliis Sanctorum Monachorum Regulis, in lucem propediem dabit vir præcellentis doctrinæ, & ſummus Eccleſiaſticæ antiquitatis aſſertor ac vindex Lucas Holſteinius. Vide quæ annotarunt Hæftenius in tr. 6. diſquiſ. 1. de regulæ Sancti Benedicti promulgatione in Simplicio, Matthæus Lauretus de exiſtentia corporis Sancti Benedicti in Cœnobio Caſin. cap. 5. Hugo Menardus de origine & incremento Ordin. S Benedict. pag. 870. ac Antonius de Yepes in Chron. Bened. fol. 337. de ſera promulgatione dictæ Regulæ, ubi argumenta eruditiſſimi Antonij Gallonij in Apolog. de Monachatu S. Greg. adverſus Abbatem Conſtantinum Caietanum enervant, eiúſque diluunt obiectionem. Ad auſpicatiſſimum, locum indeterminatæ Beatitudinis tranſivit Simplicius circa annum Domini 576. miraculis coruſcans; ſepultus eſt Caſini unà cum Conſtantino Abbate ſuo prædeceſſore iuxta ſui magiſtri corpus. Horum corpora primùm à Deſiderio Abbate, poſtea Victore Papa III. unà cum ſacris cineribus Carolomani Regis, ac Monachi, inventa ſunt anno Domini 1701. ut ex noſtro Petro Diacono ſerm. m. ſ. de Octava Sancti Benedicti habetur. Vide V. Cl. Marcum Scipionem in Elog. Abb. Caſin. in Simplicio; cum etiam commemorant Trithem. de vir. illuſtr. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 10. Leo Oſt. lib. 1. cap. 2. hiſtor. Caſin. Anaſtaſ. Biblioth. Monachus in libello de tranſlat.

Digitized by Google

S. Bened. & iterum noſter Petrus lib. m. ſ. de ortu & vita Iuſtor. Caſin. cap. 10.

CAPVT VI.

LAurentius eiuſdem Cœnobij Monachus, ſcientia anteceſſorum ſuorum poſt Sanctiſſimum Benedictum nulli inferior, factus Epiſcopus, Beati Mauri vitam, ac Caſtrenſis Epiſcopi paſſionem verſibus adornavit: Hiſtoriam quoque Sancti Wenceſlai, & ſermonem de Beati Benedicti vigilia elegantem compoſuit.

ANNOTATIO.

OPuſcula Laurentij Monachi Caſinenſis, deinceps Epiſcopi, incertæ tamen ſedis, extare Caſini m.ſ. uti & alia quædam in ſexto pluteo ad dextram Bibliothecæ, teſtatur Arnoldus Vvion lib. Lig. vit. Hiſtoriæ Sancti Martyris Vvenceſlai Ducis Bohemorum, habitu Monachi Benedictini, ſed non profeſſione, auctore Laurentio, meminit Barón. in Martyr. ad diem 28. Septembris, illámque etiam m. ſ. in noſtro exili m.ſ.ſ. ſacrorũ penario aſſervamus tali lemmate: *Dominus, ac Redemptor noſter humanis viſibus, &c.* Quam ſi vota & ſpes noſtra Deus Opt. Max. fortunaverit, vnà cum alijs Sanctorum vitis hactenus ineditis bono publico proferendam dabimus. Scripſiſſe præterea præfationem in doctrinas Dorothei, conſtareque in Bibl. SS. Patrum tom. 2. edit. 2. auctor eſt Poſſevinus in Apparatu in verbo, Laurentius; ſed Voſſius de hiſt. Lat. fatetur, ſe non ſatis aſſequi mentem Poſſevini, vel mirifice eum rationem fugere; nam noſter Petrus Diaconus, quem de hoc Laurentio Monacho ſcripſiſſe refert, vixit circa annum Domini 1145. at ille Laurentius Monachus, qui auctor eſt præfationis Dorothei eſſe Hilarionem Monachum Caſinenſem: at Hilario ille floruit circa annum Domini 1516. annis quadringentis quinquaginta & amplius poſt Petrum Caſinenſem. De vita Sancti Caſtrenſis Epiſcopi & Martyr. conſule Cl. V. Michaëlem Monachum in Sanctuario Capuano. Floruit Laurentius circa annum Domini 950.

CAPVT VII.

CYprianus Preſbyter ſub Petronace Abbate in eodem Cœnobio Monachus factus, de B. Benedicti miraculis hymnum in eius feſtivitate cantandum deſcripſit. Claruit autem temporibus Leonis, Conſtantini, & Hirene Imperatorum.

ANNOTATIO.

HYmnus, quem compoſuit Cyprianus de Beato Benedicto, in Bibl. Caſin. tali ſervatur exordio. *Aureo ſolis radio perennis, &c.* teſte Arnoldo Vvione lib. Lig. vit. Scripſit & alia nonnulla. Vivebat anno Domini 760.

CAPVT VIII.

PAulus Aquileienſis Patriarchij Diaconus, Regiſque Deſiderij notarius, ſub Theodemario Abbate ad Caſinum perveniens, monaſticúmque ſchema ſuſcipiens, ſanctitate, gravitate ſuo tempore ſingularis, philoſophia quoque à pueritia eruditus. Compoſuit in laudem Beatiſſimi Benedicti verſus elegiaco metro digeſtos: Hymnos quoque Sancti Ioannis Baptiſtæ, Sanctique Benedicti: Verſus ad Carolum Imperatorem, ad Arichis Beneventanum Principem; Sanctique Fortunati Epiſcopi elegantes deſcripſit: Homilias quoque quinquaginta: Sancti Pontificis Gregorij vitam: in Regula Sancti Benedicti expoſitionem: ac de ingreſſu Langobardorum in Italiam, origine, regnóque eorum, hiſtoriam valdè luculentam edidit. In hiſtoria autem Eutropij quamplurima adiunxit. Vniverſas etiam lectiunculas, a principio mundi uſque ad ſuam ætatem, una cum annali computo rhithmicè compoſuit. Fuit autem temporibus Caroli Imperatoris. Sepultus eſt in eodem Cœnobio iuxta Eccleſiam S. Benedicti ante Capitulum.

ANNOTATIO.

PAulus cognomento Vvinfrid ex Langobardorum gente originem duxit, Vvarnefridi, ac Theodelindæ filius; Vir Apoſtolicus, ac Antiſtes doctiſſimus, appellatus à Gaſpare Barthio: meritò Polyhiſtor, qui penè innumera miræ ac exquiſitæ eruditionis monimenta ſuo eximio ingenio, acri iudicio, ac prudentia ſingulari prodidit: & ne quid à Lectore curioſo de Paulo deſiderari poſſit, verba damus Leonis Oſt. in Chron. Caſ. lib. 1. cap. 15. *Eo tempore*, inquit, *quo primùm in Italiam Langobardi ingreſſi ſunt, cum eis etiam Paulus venit, & a puero diſciplinis liberalibus eruditus maximum in Curia Deſiderij ultimi Regis Langobardorum ob ſuam induſtriam, familiaritatis locum obtinuit: Cancellarius dicti Regis, atque Aquileienſis Patriarchij Diaconus extitit:* (hinc Paulo Diaconi cognomen ab adepta dignitate inditum, perpetuò adhæſit, licet hoc non attendat Raphaël Volaterranus, nam pro diverſis habet noſtrum Paulum hiſtoriæ Langobardicæ Scriptorem, & Paulum Diaconum Aquileienſem.) *Hic poſt captam Papiam, cum Regi quoque Carolo pro ſua prudentia admodum carus, & familiaris effectus eſt, ac non multò poſt cum accuſatus apud eundem Regem fuiſſet à quibuſdam invidis, quod eum propter fidelitatem Deſiderij Domini ſui voluiſſet occidere, fecit eum idem Rex comprehendere, & coram ſe adduci: quem cum interrogaſſet, utrum vera eſſent, quæ ſuper morte ſua de eo dicerentur, conſtanter reſpondit, ſe pro certo fideliſſimum Domini ſui fuiſſe, & in eadem ſe fidelitate cum vita perſeverare: ad hæc Rex ſubitò ira ſuccenſus, præcepit eum manibus ſine mora privari; ſed mox in ſe reverſus, & reminiſcens ſagacitatis eius, atque prudentiæ, ſuſpirans ait: Et ſi eius manus abſcindimus, ubi tam elegantem Scriptorem reperiemus? & ait proceribus aſſiſtentibus ſibi: Dicite quid ſuper hoc vobis videtur: at illi; Iubete, inquiunt, ut eruantur eius oculi, ne aliquando aliquas alicui contra vos literas dirigat. Et ubi, vel quando, ait Rex, tam inſignem hiſtoriographum, aut poetam invenire valebimus? illi vero videntes circa illum Regis compaſſionem, ac benevolentiam; ſuaſerunt tandem, ut in Diomedis inſulam, quæ hodie à tribus montibus Tremiti dicitur, eum exiliaret. Factúmque eſt, ubi cum per aliquot annos exul manſiſſet, tandem ad Monaſterium Caſinenſe, celebri ſanctitatis fama notiſſimum clam perrexit, ibique Monachus factus, piè & religiosè vitam duxit, ac diù ſuperſtes in ſenectute bona in pace quievit, cum innocentiæ, humilitati, ſilentióque ultra humanum modum operam dediſſet.* Sic dictus Leo Oſt.

Plura alia veneratione digna, inſigniáque virtutum monumenta immortalitati conſecraſſe fertur, quæ ad notitiam noſtri Petri non pervenerant: videlicet vitam Sancti Benedicti metricè ſcriptam, quam invenies apud eundem Paulum lib. 1. cap. 26. de geſtis Langob. Arnoldus Vvion mentionem facit cuiuſdàm poëmatis de vita Sancti Benedicti à Paulo Diacono conſcripti, cuius ſinguli diſtichi iiſdem quibus incipiunt, deſinunt verbis, quod integrum affert Aymonius ſerm. de Sancto Benedicto, ubi etiam eiuſdem Pauli hymnum affert ſingula miracula Divi Benedicti continentem, Exaravit inſuper Paulus vitam S. Mauri Abb. miro quodam artificio deſcriptam: ſic exorditur.

Dux, via, vita tuis, decus, & laus, gloria virtus,
Ieſu, lux lucis, Dux, via, vita tuis.
Tu facis omnipotens, animalia muta profari
Quod tibi cunque places, tu facis omnipotens

Da precor ut referam, ſancti magnalia Mauri,
Quæ per te geſſit, da precor, ut referam, &c.

Vitamque etiam Sanctæ Scholaſticæ Virginis, mandante Carolo Magno Imperatore, quæ integræ in tertio poematum libro habentur Proſperi Martinengi, lectorem propterea curioſum ad eum remittimus. Sicuti etiam juſſu ejuſdem Caroli (qui anno 814. v. Kalend. Febr. Aquiſgrani diem clauſit extremum ætatis annorum 71.) ordinavit hiſtorias, & lectiones per totum annum ſingulis feſtivitatibus Sanctorum congruentes: quæ ejus diſpoſitio ab Eccleſ. tota obſervata eſt, & uſque ad hæc noſtra tempora inviolabiliter cuſtodita; ſervatur apud nos hæc etiam ordinationis nota m. ſ. Vide epiſtolam Caroli Imperatoris de hac ordinatione ſcribentis, quæ homiliario Alcuini præponitur. Præterea de eadem Sancta Scholaſtica nonnullos compoſuit verſus, qui habentur in Martyrol. Arnoldi Vvionis ad diem 10. Febr. Vitam etiam S. Arnulphi Metenſis Epiſcopi, qui fuit primò Præfectus domus Regis Francorum, poſtea Metenſium Epiſcopus, quæ apud Surium tomo 4. ad diem 16. Auguſt. & apud Bedam tom. 3. reperitur, licet falſò ipſi Bedæ adſcribatur. Librum de geſtis Epiſcoporum Metenſium editum per Marquardum Freherum in corpore hiſtor. Francorum, quem Paulus ſcripſiſſe lib. 6. de geſtis Langob. cap. 16. De geſtis Epiſcoporum Papienſium librum unum, quem ſe vidiſſe teſtatur Galeſinus. Ad Carolum Imperatorem epiſtolam unam, quæ m. ſ. in Biblioth. Caſin. ad dextram ſcamno 3. n. 179. ſervatur. Vitam Sancti Cypriani Epiſcopi, & Mart. quæ habetur in prolegomenis Iacobi Pamelij ad S. Cypriani opera. Verſus ad Arichem Principem Beneventanum generum Deſiderij Regis typis nuperrimè cuſi reperiuntur apud Virum Cl. Camillum Peregrinum rerum antiquarum indagatorem indefeſſum, hiſtoricumque inſignem in hiſt. Principum Langob. pag. mihi 235. Diversorum etiam aliquot facinora, laudeſque luculentis verſibus celebravit: Quo in genere carmen in S. Ioannem Baptiſtam tutelarem ſuum, patronúmque Regni Langobardorum maximè excellit cujus pietate, ac numeris Romana Eccleſia delectata recitandum propoſuit, eſtque inter ſacratos hymnos elegantia, & venuſtate facilè princeps: ſic exorditur.

Vt queant laxis reſonare fibris, &c.

Compoſuit & hymnum de paſſione Sancti Mercurij ac etiam alterum in tranſlatione corporis Beneventum: primum refert Petrus Pipernus Beneventanus lib. 5. cap. 20. de effectibus magicis. Extat pariter hymnus Alcaïcus Dactylicus è vet. m. ſ. Lang. Eccleſ. Benevent. ritu in feſto Aſſumptæ Virgin. Deip. decantari ſolitus, à noſtro Paulo, ut aſſeritur, ſcriptus, incipit.

Quis poſſit amplo famine præpotens, &c.

Inſuper aliqua fragmenta m. ſſ. ſub nomine Pauli Diaconi, mutila tamen, & hiulca nos cuſtodimus; videlicet, vitam Germani ſanctiſſimi Conſtantinopolitani Patriarchæ per Paulum Diaconum hiſtoricum ſcriptam. In tranſitu Petri Damiani, de dimittendo Epiſcopatu orationem, in qua fit mentio de Sancto Arnulpho Metenſi Epiſcopo. Vitam Sancti Petri Damaſceni Epiſcopi, & Mart. nec non alterius Petri pariter Martyr. per Paulum Diaconum ſcriptam. Alia etiam opuſcula nec dum prælo ſubiecta, Caſinatem Biblioth. exornant videlicet Cod. m. ſ. ſign. num. 146. præfixus eſt ſermo Pauli Diaconi in Evangel. *Nemo accendit lucernam, &c.* incipit. *His ſancti Evangelij verbis, &c.* Item Cod. 145. pag. 198. vita Sancti Gregorij Papæ I. tribus libris conſcripta per Paulum Diaconum, incipit. *Gregorius Vrbe Romulea patre Gordiano* finit. *Iduum Martiarum regnante, &c.* Item Cod. 305. ejuſdem Pauli Diaconi ſermo de B. Virgine incipit *Lucet orbis terrarum Sanctorum, &c.* Ejuſdem ſermo in illud Evangelij. *Simile eſt Regnum Cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere, &c.* incipit. *Præſens Sancti Evangelij lectio, &c.* Hæc verò homilia inter opuſcula Sanctorum aliquot Patrum per Thomam Galletum edita habetur Lugduni anno 1615. pag. 450. Sicuti etiam in celeberrima Bibliotheca Medicea plut. 17. extare inter octo volumina homiliarum diverſorum authorum nonnullas Pauli Diaconi homilias refert Henricus Ernſtius in Catal. Medic. Biblioth. In eodem Archivio Caſin. adſunt commentaria m. ſſ. in fol. Pauli Diaconi in Regulam Sancti Benedicti, ubi in fronte habetur pictura vetuſtiſſima Sancti Benedicti, & Ioannis Abbatis, cui Regulam tradit, licet commentarium prædictum Hugo Menardus Ruchardo Monacho Rabani, & Strabi auditori tribuendum eſſe notarit. Vide diſquiſ. Monaſt. Hæfteni lib. 1. tract. 5. diſquiſ. 4. Item epiſtola Pauli Diaconi ad Carolum Magnum, nomine Theodemari, & Caſin. Congreg. ſcripta, de qua Oſt. in Chron. Subjungitur etiam in eodem Codice m. ſ. Sylloge quædam chronologica ejuſdem, ut nonnulli putant, Pauli, quam ſimul cum quadam hiſtoriola ſub titulo ignoti Caſinenſis Vir Cl. Camillus Peregrin. hiſtor. Princip. Langobard. ultimo loco in lucem edidit. Epiſtolarum ad diverſos librum unum ſcripſiſſe etiam fertur.

Obſervandum denique eſt, auctorem miſcellæ falsò dici Paulum Diaconum, Baron. tom. 5. Annal. & Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. probant. Vide notas eruditiſſimi Auberti Miræi in Sigibertum de ſcriptor. Eccleſ. cap. 80. & præcipuè Voſſium de hiſtor. Latin. in Paulo, & de natali anno Chriſti diſſert. 7. pag. 5. Camillum Peregrin. hiſtor. Princip. Longobard. qui Paulum callide non produxiſſe hiſtoriam Langob. ad ſua tempora obſervavit, ſicut etiam nonnulla alia ſilentio obvelaſſe. Alphonſus Diacon. in vitis Pontificum in Leone. *Habet*, inquit, *auctor miſcellæ Paulus, vel potius Ioannes Diaconus.* Sed utcunque ſit de nomine Scriptoris, certè, quod in omnibus ferè m. ſ. ſ. Cod. nomen Pauli, non Ioannis legitur.

Claruit Paulus anno Domini 774. cùm innocentiæ, humilitati, ſilentióque ultra humanum modum operam dediſſet, atque in Caſinenſi Monaſterio uſque ad finem vitæ arduè ſatis, ac diſtrictiſſimè vixiſſet; ſepultus eſt Caſini ante Capitulum, glorioſis emicans meritorum maximorum inſigniis, teſtatur noſter Petrus lib. m. ſ. de ortu, & vita Iuſtor. Caſin. cap. 25. Extant Caroli Magni literæ metro exaratæ noſtro Paulo, in quibus de ſuſceptæ vitæ ratione per ipſum, ſacrique Cœnobij Caſin. ſanctitate mirificè gratulatur: quarum literarum partem hic inſerimus, ut clariſſimi Imperatoris in eruditos homines ſingularis humanitas; déque Sacri Archiſterij Caſin. ſanctitate præclara exiſtimatio agnoſcatur. Eſt hujuſmodi.

Hinc celer egrediens, celeri mea charta volatu
Per ſylvas, colles, valles quoque præpete curſu,
Alma Deo chari Benedicti tecta require,
Eſt nam certa quies feſſis venientibus illuc.
Hic olus hoſpitibus, piſcis, hic panis abundat,
Pax pia, mens humilis, pulchra & concordia Fratrum,
Laus, amor, & cultus Chriſti ſimul omnibus horis.
Dic Patri, & Sociis cunctis, ſalvete, valete.
Colla mei Pauli gaudendo amplecte benignè,
Dicito multoties, ſalve Pater optime, ſalve.

De Paulo mentionem habent Leo Oſt. Chron. Caſin. lib. 1. cap. 17. Sigibert. cap. 80. Trith. de Viris Illuſtribus Ord. S. Bened. lib. 2. cap. 30. Arnold. lib. 5. cap. 91. Lig. vitæ. Th. Dempſterus in notis antiq. Roman. Ipſe Paulus de ſe ipſo multis in locis, & alij innumeri. In pervetuſto Cod. m. ſ. legimus, Paulum fuiſſe Diaconum S. R. E. Cardinalem, uti etiam dicto lib. m. ſ. noſtri Petri de ortu, & vita Iuſtorum Caſinenſibus in c. 25. inſcriptione his verbis.

De Paulo Diacono, atque Cardinali, &c.

Quem

Quem fucum exſcriptores, ſive amanuenſes lectori facere voluiſſe exiſtimamus, dum in nullis tabulis eccleſiaſticis in numerum Cardinalium adſcitum colligimus. Vel potius ſcrupulum iſtum iniectum fuiſſe credendum à Martino Polono in præfatione ſuæ Chronicæ, dum in opere de geſtis Imperatorum & Pontificum nominat quendam Paulum Diaconum Romanum, & Cardinalem: iſte tamen diſſolvitur nodus, quòd noſter Paulus fuit Diaconus Aquileienſis, & poſtea Monachus Caſinenſis; at iſte, ex quo profecit Martinus, vocatur Romanus Diaconus, & Cardinalis. Vide Voſſium de hiſtor. Latin.

Extat Epitaphium Pauli Diaconi verſibus exornatum ab Hilderico Monacho & Abbate Caſinenſi diſcipulo prædicti Pauli: quod tibi, ſingulari humanitate V. Cl. Caroli Borelli Cler. Regul. Minor. nobis ſuppeditatum; ex antiquo m. ſ. Cod. ſign. 256. Biblioth. Caſinenſi depromptum, nunc primum in lucem damus.

EPITAPHIUM
Pauli diaconi.

Perſpicua clarum nimium tùm fama per avum.
Aſtra ſimul innctum pangant te cœtibus almis.
Veridicos Levita tuos quis ſumme triumphos
Luciſlua Paule potuit depromere dictis?
Vt tua, ſed lector properans huc noſcat, & hoſpes
Sacrato tumulos requieſcere membra ſub iſto,
Laudis amande tua ſummatim carmine digno
Almificos actus dignum eſt reſerare canendo.
Eximio dudum Bardorum ſtemmate gentis
Viribus atque armis, qua tunc opibuſque per Orbem
Inſignis fuerat, ſumpſiſti generis ortum:
Tam digna eſt, poſtquam nitidos ubi ſape Timavi
Amnis habet curſus, genitus tu prole fuiſti:
Divino inſtinctu regalis protinùs aula
Ob decus & lumen patriæ te ſumpſit alendum;
Cum tua poſt Tibridem populis & regibus altis,
Tunc placida cunctis vita, ſtudiumque maneret,
Omnia ſophia cœpiſti culmina ſacra,
Rege monente pio Ratchis, penetrare decenter
Plurima captaſſes digne cum dogmata, cuius
Reſplendens cunctos, ſuperis ut Phœbus ab aſtris
Arctoas rutilo decoraſti lumine gentes;
Hac ſint iam nimium, fluidi cum gloria ſecli
Condignis ditaret ovans te ſedule gazis,
Lucis ob aterna vitam ſine fine beatam
Audacter ſpreviſti huius devotus honores:
Regis & immenſi fretus pietate polorum
Vernanti hinc Domino properaſti pectore Chriſto
Subdita colla dare Benedicti ad ſepta beati;
Exemplis mox compta tuis ubi concio ſacra
Tum iubar ut fulgens cœpit radiare coruſcis,
In te nam pietas iugiter, dilectio dulcis,
Nectareus & pacis amor, patientia victrix,
Simplicitas ſolers nimium, concordia ſumma,
Omne ſimulque bonum ſemper venerande manebat:
Nunc ideo Cœli te gemmea regna retentant,
Sideream retinens pariter per ſecla coronam.
Hoc tibi poſco, ſacer, gratum ſit carmen honoris,
Hilderic en cecini quod lacrymando tuus,
Quem requiem captare tuis ſac quaſo perennem,
Sacratis precibus ſemper amande Pater,

CAPUT IX.

HIldericus eiuſdem Pauli Diaconi auditor. De origine Præceptoris ſui, vita, inſtitutione, doctrina, religione, habitu, lucidiſſimos verſus compoſuit.

ANNOTATIO.

FVit deinde Abbas Caſinen. Hildericus, & eodem menſe, quo electus, obiit, ſcilicet anno Domini 834. cum ſediſſet diebus decem & ſeptem: verſus, quos compoſuit de Paulo, ſupra retulimus.

CAPUT X.

THeophanius Diaconus, Vir eruditiſſimus, ac diſertiſſimus; De conſtructione Cœnobij Domini Salvatoris: de adventu Sancti Benedicti ad Caſinum, ac de miraculis per eum inibi factis: & in laudem Sanctæ Dei Genitricis, & de conſtructione Monaſterij Sanctæ Mariæ in Plumbariola verſus mirificos edidit. *Vixit ſub Ludovico Pio Imperatore anno Domini 855.*

CAPUT XI.

BAſſatius Caſinenſis Cœnobij Abbas, vir Scripturis Sanctis deditus, & notitia Eccleſiaſtici dogmatis ſufficienter inſtructus: compoſuit nitido ſatis & aperto ſermone quoſdam tractatus: fuit autem tempore Ludovici Imperatoris.

ANNOTATIO.

OPuſcula, quæ Baſſatius Abbas Benedictinus decimus octavus ſcriſiſſe exponitur, quænam contineant, non explicat Petrus? niſi intelligere velimus, quòd cùm ſuo tempore ordinem monaſticum aliqua iam ex parte corruptum in Liguria, Burgundia, & Germania vidiſſet, ſermonibus ac doctrinis correxiſſet. Naturæ conceſſit non ſine opinione ſanctitatis, Caſini, anno Domini 856. die 16. Kalend. Aprilis, & in Capitulo Fratrum iuxta ædem Divi Benedicti, quam magnifico ornatu decoraverat, ſepultus eſt.

CAPUT XII.

BErtarius, ſupradicti Baſſatij diſcipulus, ac poſt eum Abbas Caſinenſis effectus; vir genere, & literis nobilis, honeſtatis, religionis, ac martirij corona perſpicuus. Scripſit non contemnenda opuſcula, ſed præcipua ſunt illa, quæ Abbas iam conſtitutus edidit. De Sancto Luca Evangeliſta ſermonem: de Beata Scholaſtica homiliam deſcripſit: librum quoque difficilimum ſententiarum tàm veteris, quàm novi teſtamenti patravit, ipſumque *Anticimenon* appellavit. De vita autem, & obitu, ac miraculis Sanctiſſimi Benedicti, necnon ad Angelbergam Auguſtam, alioſque ſuos amicos verſus mirificos fecit. Sed cum peccatis Chriſticolarum exigentibus, iuſto Dei iudicio Italia ab Iſmaëlitis devaſtaretur, ſoluſque contra eorum ſævitiam ob defeſionem Chriſtianorum per decem & ſeptem annos & ...... acerrimè expugnaret, conſilio Saraceni habito clam navem aſcendunt, & ad monaſterium Domini Salvatoris, quod ſitum eſt ad pedem

A Caſini Montis, venientes, Eccleſiam intrant, ibique Bertharium Martyrem Chriſti reperiunt. Cumque ad eum veniſſent, dixerunt. Tu es Bertharius, qui uſque nunc Chriſtianos defendiſti, ac pro illorum liberatione ad Imperatorem bis ultra montes perrexiſti? iuſtum eſt ergo, ut pro eis mortem ſuſcipias, ac pro fide Dei tui. Hæc cùm dixiſſent, ab eiſdem Saracenis iuxta altare Sancti Martini pro fide Chriſti capite truncatus eſt. Paſſus eſt autem temporibus Ludovici Imperatoris; ſepultum verò eſt eius ſacratiſſimum corpus iuxta Eccleſiam Sancti Ioannis Baptiſtæ in Capitulo Caſinenſi.

ANNOTATIO.

SAnctus Bertharius, ab ipſis Francorum Regibus ortum ducens, vir tantæ ſanctitatis, & inculpatæ B vitæ laudibus conſpicuus, clam ſuis, domo, ac patria digreditur, illud Poëtæ veteris animo ſemper agitans.

Qui vult eſſe pius, regalibus exeat aulis.

Religioſa peregrinatione inde uſque è Galliis Caſinum ſuſcepta; quò ſimul ac pervenit, res ſuas ſeculum habere iuſſit, omniaque illius ornamenta, opes, dignitates (quæ propter ſummam Bertharij nobilitatem, modeſtiam, ingenium, ipſi non dubia ſpe proponebantur) tanquam ſtercus arbitratus, nudus ad Chriſti nudi crucem confugit, & Benedictinis addictus eſt Caſini: deinde verò Baſſacio Abbate demortuo, communi Patrum conſenſu Abbas eligitur anno Domini 856. Per hæc enim tempora Bertharius à Saracenis, qui Italiam invaſerant, plures eſt perpeſſus iniurias, nempè quod auxilia adverſus illos ex Gallia, & aliunde advocaſſet, frequenterque in eos egreſſus, ac impetum faciens, à finibus illis avertiſſet; unde in C ſe odium immane concitatum fuit. Quadam igitur die Lyri amne advecti Saraceni, Bertharium in maiori æde Cœnobij Sancti Germani celebrantem repentè adorti, cum aliquot Monachis obtruncant 11. Kalend. Novembris anno Domini 883. ſedente Ludovico Imperatore Arnulphi Imperatoris Quarti filio, annis 28 non exactis, Monaſterio Caſinenſi, impleto cumulo meritorum, præfuiſſet. Conſule Leonem Oſt. lib. 1. cap. 46. Chron. Caſin. Carolum Sigonium de Regno Italiæ lib. 6. & Camillum Peregr. hiſtor. Princip. Langob. in ſerie Abb. Caſin. in Berthario. Eius martyrij acta ab Ignatio Prangenſi Monaſt. Caſin. Priore conſcripta hactenus inedita apud nos ſervantur tali exordio. *Tempore, quo ſacrum imperium ad tuendas res Eccleſiæ Romanæ, &c.* Eiuſdem Sancti Bertharij vitæ per dictum Ignatium exaratæ, notiſque Conſtantini Caietani illuſtratæ meminit etiam Labbeus in nova Biblior. m. ſ. ſ. librorum pag. 365. Martyrol. Gallicanum ſub die 22. Octobris, Sancti Bertharij etiam mentionem facit. De vita, & tranſlatione Reliquiarum Sancti Bertharij ad Montem Caſinum, vide Martyrol. Vuionis ad diem 22. Octobris & 2. Decembris.

D Scripſit Sanctus Bertharius Philoſophus, ac Medicus inſignis, ante converſionem ſuam multa verſibus, & ſoluta oratione: nempè de Medicina, & Grammatica, videlicet de innumeris morbis hinc inde collecta volumina duo. De Grammatica libros aliquot.

Sed poſtea ſtudium mutans, animarumque Medicus conſtitutus, fecit Sermonum, & Homiliarum librum unum, qui adeſt, m. ſ. in Biblioth. Caſin. Cod. ſig. num. 107. De S. Matthia Apoſtolo ſermonem unum, cuius initium. *Inclytam, & glorioſam feſtivitatem*, vide tamen notas Michaëlis Monachi ad Kalendarium quintum ſub die vigeſima quarta Februarij ſanctuarij Capuani.

De Sancto Romano Abbate ſermonem unum, exordium eſt. *Adeſt nobis dies, &c.* cuius etiam mentionem facit Arnoldus Vuion ad Martyrol. Bened. ſub die 22. Maij: quæ ſupradicta opuſcula ac tractatus ad notitiam Leui non venerant.

Sermo de S. Luca Evangeliſta, quem noſter Petrus indicavit, habetur in Breviario Ord. S. Benedicti, ac etiam in Biblioth. Vallicellana, teſtatur Card. Baron. in Martyrolog. ad diem 18. Octobris. E

Verſus ad Angelbergam Auguſtum, uti etiam de vita, & obitu Sanctiſſimi Benedicti, excuſi ſunt Romæ anno Dom. 1590. & in tertio poëmatum volumine Proſperi Martinengij ſimul cum duobus aliis poëtis, qui nondum erant impreſſi reperiuntur; habenturque etiam in notis Martyrolog. Benedict. Arnoldi Vuionis ad diem 21. Martij.

Liber, cui nomen fecit Antikeimenon id eſt contrariorum ſive contrapoſitorum libri utriuſque teſtamenti, extat impreſſus Coloniæ anno Domini 1533. in 8. incerto auctore: ignotum enim tunc erat nomen noſtri S. Bertharij iis, qui in lucem dictum librum prodiderunt, exorditur *Cum in Geneſi ſeptem primi dies leguntur.* Meminere huius libri Leo Oſt. lib. 1. c. 32. F his verbis. *Hic* (videlicet Bertharius) *apprimè litteratus, nonnullos tractatus, atque ſermones, necnon & verſus in Sanctorum laude compoſuit. Cuius & Anticimenon de plurimis tàm veteris, quàm novi teſtamenti quæſtionibus hic habetur:* Et Fabianus Iuſtinianus in ſuo indice univerſali litera A. fol. 30. neſcio tamen nomine auctoris. Cuſtoditur etiam liber iſte manu exaratus literis Langob. ſub nomine noſtri S. Bertharij in Bibl. Aniciana. Eius opuſcula penes Abb. Conſtantinum Caietanum extitiſſe, ſcribit V. Clar. Leo Allatius omnigena eruditione egregiè, docteque inſtructus librorumque helluo lib. de Viris Illuſtribus, cui titulum fecit Apes urbanæ, in verbo Conſtantinus.

Agunt de S. Berthario Oſt. loco cit. Trith. de Viris illuſtribus, Sigonius de Regno Italiæ lib. 6. aliique.

CAPUT XIII.

G AUthpertus eiuſdem Cœnobij Abbas Vir diſertus, & valde eruditus, inter multa, & præclara ingenij ſui monumenta in laudem S. Matthiæ Apoſtoli, necnon de Purificatione Sanctæ Dei Genitricis, aliorumque Sanctorum homilias valde pulchras compoſuit. Fuit autem temporibus Lotharij Imperatoris.

ANNOTATIO.

AUthpertus Abbas decimus ſeptimus Ord. S. Benedicti creatus die 16 Octobris anno 834. præfuit annis tribus: ſubductus eſt è mortalium cœtu 10. Kalend. Martij anno 837. & Caſini ſepultus, regnante Lothario Imperatore. Vir fuit moribus compoſitus; religione præſtans, ingenio non infelix, literaturæ non ignobilis, teſte Leone Oſt. in Chron. lib. 1. cap. 25. edit Ven. Bibliothecam quam habebat optimis cuiuſque generis libris inſtructam, cùm ſarcinam mortalem exueret, Caſinenſibus legavit. Traduntur H enim dono data inter cœtera, ab Authperto infraſcripta raræ eruditionis monimenta, videlicet, Diverſæ homiliæ m. ſ. ſ. Sancti Epiphanij Epiſcopi extant in Cod. ſig. n. 305. pariter in Cod. 232. adeſt liber S. Gregorij Niſſeni Epiſcopi de conditione hominis, ex verſione Dionyſij Abbatis. *Incipit epiſt. Dioniſij ad Egipium Preſbyt. Domino ſanctiſſimo, & à me plurimum venerando.* Inhæret præterea eidem Cod. 232. liber de vita Chriſtiana Faſtidij Britannorum Epiſcopi, qui in Cod. Vatican. 551. vocatur Faſtidioſus, incipit, *ut ego peccator, & ultimus, inſipientior cæteris, &c.* ſunt fol. 14. in 4. de quo Gennadius de Script. Eccleſ. c. 56. Vide Voſſium de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 19. in Dioniſio, Sicuti in ſcamno 5. ad ſiniſtram Cod. ſig. n. 29. Auxilij preſb. Etymologicum habetur, liber egregius vetuſtiſſimus. Et in eodem ſcamno Cod. ſign. n. 30. ſequuntur eiuſdem Auxilij Preſb. varia Theologica erudita: nempè primò quæſt. 137. in Exameron. Secundo,

aliæ

A aliæ quæſtiones ferme omnes de Geneſi. Tertio, ca-
pitula differentiarum 36. Quarto, de diſtinctione
quatuor vitiorum. Quinto, de Trinitate, per quæſtio-
nes, & reſponſiones, ubi deinde ferme omnia nomi-
na explicat, quæ in rebus Eccleſiaſticis verſantur, ut
quod Neophitus, quid Cathecumenus, quid compe-
tens. Sexto de officiis divinis, per interrogationem
& reſponſionem, ut unde dicta ſit miſſa, &c. Vnde
ſtatio, & quid inter ſtationem & ieiunium interſit,
quid abſtinentia, &c. Quænam ſit Xerophagia, &
quæ reconciliatio, &c. Quæ ſupradicta m. ſ. ſ. opu-
ſcula, ſicuti pene infinita alia, quæ hodie Bibliothe-
cam Caſinenſ. exornant, magnifico munere fuere à no-
ſtro Anthperto donata aſſerunt nonnulli, ſunt enim
Bibliothecæ in Monaſteriis, velut Armamentaria mi-
litiæ ſpiritualis, & gazophylacia theſaurorum Reli-
B gioſorum.

Scripſit Authpertus præter expoſita à noſtro Petro
diverſas inſuper homilias, & ſermones ſcilicet de Aſ-
ſumptione B. Mariæ, tali exordio, *Adeſt nobis dile-
ctiſſimi.* De Nativitate eiuſdem, ſive ſermonem com-
munem in eius feſtivitatibus, qui incipit. *Celebritas
hodierna.* Sermonem in feſto omnium Sanctorum, in-
cipit. *Adeſt dilectiſſimi, &c.* Habentur hi ſermones
m. ſſ. in Biblioth. Caſin. Cod. ſign. num. 305. Sermo
verò in laudem S. Matthiæ Apoſtoli, ineditus adhuc
creditur.

Circunferuntur ſub nomine noſtri Authperti Ab-
batis, ſed perperam, infraſcripta m. ſ. ſ. opuſcula: vi-
delicet. Sermo de Cupiditate viris ſecularibus valde
utilis, habent ſcripturarum teſtimonia octoginta. In-
cipit. *Sanctorum Eccleſiam.* Sermo in Purificatione
B. Mariæ Virginis, qui extat impreſſus quoque in
Alcuini Homiliario. *Si ſubtiliter à fidelibus.* Sermo in
Dedicatione Eccleſiæ. *Vidi Civitatem Sanctam Hie-
C ruſalem.* Oratio contra ſepties ſeptena vitia. *Summa
& incomprehenſibilis natura,* Homilia in illud Evange-
lij S. Marci. *Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, &
Ioannem.* Quæ in breviario Eccleſiæ Atinenſis literis
Langob. in tres Lectiones diſtincta habetur ſub die
ſexta Auguſti. *Solet nonnunquam evenire.* Vita Sancto-
rum Patrum Paldonis, Tatonis, & Taſonis Monaſterij
Sancti Vincentij de Vulturno Abbatum. *Humani ge-
neris primus parens,* De qua vide catalog. Sanctor. Fer-
rarij ad diem 11. Octob. 11. Ianuarij, 11. Decembris
& Bollandum ſub die 11. Ianu. Quæ præfata opuſcula
malè noſtro Authperto attribuuntur cum ſuum agno-
ſcant auctorem Ambroſium Autbertum alias Anſber-
tum Monachum & Abbatem S. Vincentij de Vulturno
propè Capuam fluvio, qui claruit anno Domini 890.
Fuitque Magiſter in humanioribus Caroli Magni, de
quo Sigibertus de ſcript. Eccleſ. cap. 91. & Aubertus
Miræus in auct. de ſcript. cap. 257. cuiuſque etiam ex-
tant lucubrationes nonnullæ impreſſæ Coloniæ anno
Dom. 1536. in fol. Certè quod ſupramemorata opu-
ſcula, quæ nos manu exarata, etiam aſſervemus: præ-
ferunt nomen Ambroſij Authperti Abbatis Sancti
D Vincentij, non Caſinenſis.

Porro Authpertus iſte in Bibliotheca philoſophica,
& alibi à nonnullis appellatur Rupertus, quem, in-
quiunt, vixiſſe anno 1040. ſed duplex hic lapſus eſt,
nimirum in nomine, & in annorum numero: quippe
in Caſinenſium Abbatum Cathalogo nullus Rupertus
invenitur, & anno 1040. Richerius Abbas Monaſte-
rio Caſinenſi præerat.

CAPVT XIV.

ERchempertus Diaconus, parvulus & ipſe B. Be-
nedicto oblatus, de deſtructione, & renovatione
Caſinenſis Cœnobij, necnon de Iſmaëlitarum incur-
ſione hiſtoriam neceſſariam ſatis compoſuit. Fuit ve-
rò tempore Ludovici Imperatoris.

E

ANNOTATIO.

ERchempertus, ab aliis Herempertus: ſeu Herem-
bertus, è Langobardorum illuſtri ſtirpe, genus ſu-
mens è Beneventanis Ducibus, Pater eius Radelga-
rius, abavus Rodoalt, patruus Radolphus vocabatur.
Vir fuit ſanguinis ſplendore & doctrina non ignobilis,
hiſtoriæque ſcientiſſimus; ad humanæ tamen vitæ in-
commoda ſolùm natus. Scripſit Chronicon, ſive hi-
ſtoriam Langobardorum, cuius prototypon putatur
periiſſe; tempore tamen Deſiderij Abbatis Caſin. qui
poſtea fuit Victor Papa III. exſcriptum fuiſſe, ita
ipſo mandante, teſtatur noſter Petrus in auctario
Chron. Caſin. lib. 3. cap. 61. edit. Venet. Fuſioris
enim huius hiſtoriæ epitomen, ſeu potius auctarium
ad hiſtor. Pauli diaconi de geſtis Langob. ad ann. 888,
F ab ipſomet Erchemperto confectum, ut creditur, Vir
Clar. Antonius Carracciolus ex Ord. Cler. Reg. pri-
mum ex m. ſ. Codice Vaticano edidit, notiſque illu-
ſtravit, & typis Neapoli anno 1626. in 4. publicavit
una cum Chron. Lupi Protoſpatæ, Falconis Beneven-
tani, aliorumque. Verùm poſtremo loco eruditiſſi-
mus Camillus Peregrinus ſuæ Lang. hiſt. prædictum
Chron. ſeu Epitomen ſcholiis ornatum ſolita diligen-
tia, ac eruditione attexuit: unde qui plura volet, appa-
ratum, notaſque eiuſdem conſulere poterit. Vide etiam
Philippum Labbeum in nova Bibl. m. ſ. ſ. librorum
part. 1. pag. 10. & 366.

Scripſit inſuper Erchempertus Carmen de vita Lan-
dulphi Epiſcopi Capuani, de quo vide Sanctuarium
Capuan. Michaëlis Monachi, ac etiam prænotatum
Peregrinum in præfat. ad dict. hiſtor. pag. 15.

Ab eodem pariter Erchemperto literis conſignata
putantur Acta tranſlationis Sancti Matthæi Apoſtoli,
& ea fortaſſe cenſetur, quæ edidit Columna Archie-
G piſcopus Salernitanus; verùm prædicta acta, quæ
m. ſ. ſ. penes nos ſunt, præferunt nomen Paulini Le-
gionenſis ſive Londinenſis Epiſcopi in Britannia: ini-
tium eſt. *Matthæus Evangeliſta & Apoſtolus, cum
primum in Iudaam, &c.*

Obſervandum etiam eſt, non extare opuſcula, qui-
bus noſter Petrus titulum fecit, de deſtructione & re-
novatione Caſinenſis Cœnobij; necnon de Iſmaëlita-
rum incurſione: niſi velimus dicere, in prædicto Chro-
nico, ſive hiſtoria, utramque deſcriptam fuiſſe cla-
dem. Adi Vir. Clar. Voſſium de hiſt. Lat. lib. 3. Denique
Leo Oſtien. in Chron. Caſinenſi ſæpè meminit Er-
chemperti, è quo plurima deſumpſiſſe videtur, ut lib. 1.
cap. 9. & 19. 46. Et Card. Baron. ex Erchemperti hiſto-
ria multa pariter hauſiſſe, atque in ſuos annales inſe-
ruiſſe, facile videre eſt. Lege ipſum ad ann. 871. 872.
874. & 912.

Quoto autem ſignatè anno Erchempertus mortalis
corporis depoſuerit pondus, ignoratur: licet quidem
opinari ann. 889. dum exeuntem annum 888. viderat,
deſcripſeratque, nec ulterius hiſtoriam produxerat
ſuam, quam ſe producturum promiſerat; & ſic noſtrum
H Petrum non libaſſe hiſtoriam Erchemperti, ſuſpica-
tur præfatus Peregrinus, dum claruiſſe refert ſub Lu-
dovico Imperatore, cum illum vixiſſe ſub Carolo III.
compertum habeamus. Carolus enim imperavit ab
anno 881. ad annum 898.

CAPVT XV.

IOannes ſupradicti Caſinenſis Cœnobij Abbas, Vir
nobilis carne, & ſpiritu. De perſecutionibus eiuſdem
Cœnobij, & de miraculis inibi factis, Chronicam
ſuccinctam, ſed valdè neceſſariam loco deſcripſit. Se-
pultus verò eſt in Monaſterio Capuano.

ANNOTA

ANNOTATIO.

IOannes Abbas Capuæ, illuſtri loco natus, Principum Landulfi Primi, & Atenulfi Secundi conſanguineus, vir animo infractus, literis eruditus, & ut eruditione, ſic & ſanctitate inſignis, ex Archidiacono Capuano Monachus Caſinenſis: quo tempore, ſcilicet anno Dom. 915. Cœnobio Caſinenſi à Saracenis vaſtato, Monachi Capuæ habitabant, ob ſingularem morum maturitatem Abbas creatus eſt. Cœli limina petiit omni virtute prælucens, anno Domini 934. ac in Capuano Cœnobio tumulatus eſt, Sanctorumque dein Caſinenſium faſtis ſub pridie Kalendis Aprilis adſcriptus legitur. Meminit Ferrarius in novo catalogo Sanctorum. De eo ſcribunt Leo Oſt. Chron. lib. 1. cap. 56. 57. & 58. noſter Petrus lib. m. ſ. de ortu, & vita Iuſt. Caſin. cap. 36. & Voſſius de hiſtor. Lat. lib. 3. Vide Sanctuar. Capuanum. Michaëlis Monachi pag. 157. ubi diffusè de Ioanne agit.

Chronicon, quod deſcripſit de perſecutionibus Cœnobij Caſin. & de miraculis inibi factis, ineditum adhuc remanet, illudque exiſtimatur, quo in prologo ſui Chron. uſum ſe dixit Oſtienſis his verbis: *Adhibui præcipuè Chronica Ioannis Abbatis, qui primus in Capua novo Monaſterium noſtrum conſtruxit.* Camillus peregrinus hiſtor. Princip. Langobard. fol. 122. aliud Chronicon poſtremorum Comitum Capuæ hactenus ineditum in lucem evulgavit ſub nomine noſtri Ioannis Abbatis, licet autographum nomine ipſius Ioannis careret, quod haud rarò antiquis Scriptoribus, & maximè Monachis, in more fuit, ut in editione librorum modeſtiæ ergo, nomen cœlarent ſuum; notarunt Viri clariſſimi Sixtus Senenſis in ſua Biblioth. lib. 4. in verbo, Mammotreptus, ac Theophilus Raynaudus in Raymundo Iordano, qui hactenus Idiotæ nomen præferebat.

CAPVT XVI.

THeodoricus Caſinenſis gymnaſij Presbyter, Vir inter Scriptores Eccleſiaſticos non immeritò *prædicandus*: Hiſtoriam Sancti Confeſſoris Chriſti Firmani, & hymnum in laudem Beatiſſimi Mauri venuſto ſtylo deſcripſit.

ANNOTATIO.

QVisnam fuerit Sanctus Firmanus, qui ſcire deſiderat, conſulat Card. Baron. in annal. Eccleſ. ad ann. 993. qui citat etiam S. Petrum Damianum, ante cuius tempora vixit. Vnde Ferrarius in catalogo Sanctorum ſub die 11. Martij ſic legit. *Firmanus, Firmij in Piceno natus, admirabili floruit ſanctitate, qui inter ſanctos Confeſſores, non ſolemni ritu, ſed ſola altaris, ſacellive erectione relatus eſt.* Arnoldus Vuion lib. 2. cap. 78. Lig. vit. in Theodorico hæc refert. *N. Theodoricus Monachus, & Sacerdos Monaſterij Caſinenſis ſcripſit de vita Sancti Firmiani Epiſcopi lib. 1. De S. Mauro Abbate hymnum unum.* Voſſius de hiſtor. Lat. in Theodorico, nuncupat Firminum, & ait fuiſſe primum Ambianenſem in Galliis Epiſcopum, qui temporibus Diocletiani martyrio deceſſit 7. Kalend. Octobris: utrique tamen decepti, ut credimus, ob ſolam nominis ſimilitudinem, aut ob depravati forſitan codicis lectionem. Theodoricus enim noſter, Sancti Firmani Confeſſoris Ord. S. Benedicti vitam deſcripſit, non autem Firmiani Epiſcopi, aut Firmini pariter Epiſcopi. Fuit quidem Firmanus Monachus, & Abbas Monaſterij Sancti Sabini in Firmana Civitate, at non Epiſcopus; deceſſitque ante Leonem Papam IX. Olim in Cathedrali Firmana huic Sancto dedicatum viſebatur altare, & in Eccleſia Sancti Iacobi ad radices Montis Gerionis magno populorum concurſu eius feſtum celebrabatur, cui item viſendum ſanè altare conſecraverunt. Legitur præterea Vbertus Epiſcopus Firmanus non ſolùm Eccleſiam Sancti Michaelis Archangeli propè mare in fundo Reiano ſitam anno Dom. 1016. Abbati Firmano, & Monachis S. Benedicti conceſſiſſe: verùm etiam multa alia bona, prædiaque anno 1010. tradit Leo Oſt. in Chron. lib. 2. cap. 26. Vide eruditiſſimum Vghellum, virtutibus omnibus perinſignem, ac in cumulandis Eccleſiaſticis monumentis perpetuum cultorem, diligentiſſimumque indagatorem, tom. 2. Ital. ſacr. in catal. Epiſc. Firmanorum in Vberto. Claruit Theodoricus circa annum Dom. 1012.

CAPVT XVII.

STephanus S. R. E. Pontifex, vir eruditiſſimus, ac ſingularis, prius quidem S. R. E. Cancellarius ac dicti Caſinenſis Cœnobij Abbas effectus, poſt Richerij tranſitum carne ſimul & ſpiritu nobiliſſimus, dum cauſa conſecrationis ſuæ ad Vrbem Romam pergeret, defuncto Victore Eccleſiæ Præſule à Cardinalibus, & Epiſcopis Romanus Pontifex eligitur. Scripſit apud Conſtantinopolim adverſus Michaëlem eiuſdem Vrbis abuſivum Patriarcham unà cum Vberto librum de Corpore Domini, in quo omnia, quæ Græci adverſus Latinorum ſacrificium delatrabant, deſtruxit. Alium etiam librum de eadem re edidit adverſus quendam Monachum Conſtantinopolitanum. Claruit verò temporibus Conſtantini: & Henrici Imperatorum; ſepultuſque eſt in Civitate Florentiæ, ubi multa ſigna, uſque in hodiernum diem per eum Deus patrare non ceſſat.

ANNOTATIO.

STephanus Papa Decimus, antea Fridericus è nobiliſſima Familia Lotharingiæ; (aliqui nonum legunt, eo quia Pontificum catalogo Stephanum huius nominis ſecundum Zachariæ Pontificis ſucceſſorem non adſcribunt, cum dies tres ſolummodò in Pontificatu tranſegerit: quæ ratio non debet certè illum ab albo Summorum Pontificum expungere.) Fuit itaque Frater magni Gotthifredi Regis Hieroſolymitani: Vir quidem nobilitate ſanguinis ſatis notus, ſed animi ſplendore & doctrina multò magis clarus. A Leone Papa IX. eius conſanguineo, Cardinalis Diaconus Sanctæ Mariæ in Dominica anno Dom. 1050. ac etiam S. R. E. Cancellarius; & Bibliothecarius creatus legitur: Conſtantinopolim mittitur, Græcam Eccleſiam cum Latina conciliaturus; Michaëlem Cærularium Patriarcham eiuſdem urbis depoſuit, & anathematis vinculo innodavit; inde rediens, ſeculique tædio affectus, verum pro certo habens illud Philoſophi à Plutarcho ſingulari commentario celebratum, *Latens vive.* Caſinum petit; ubi poſitis honorum inſigniis ad exactam religioſæ humilitatis legem ſe totum compoſuit: Et poſt biennium communibus Monachorum ſuffragiis creatur Abbas in locum Richerij anno 1057. 4. Kalend. Iunij die Veneris poſt Pentecoſten; depoſito Petro, præproperè fuerat intruſus. Quare delati muneris confirmationem petiturus (nec enim fas erat Caſinatem Præfecturam Romani Pontificis iniuſſu adire) Florentiam ubi per eos dies Victor Papa II. degebat, ſe contulit, à quo non ſolùm Abbas (quod quærebatur) ſed iterum etiam Cardinalis tit. Sancti Chriſogoni, ex Archidiacono S. Mariæ in Dominica, factus Presbyter ſecunda promotione, iſque ſolus, præter opinionem & votum renunciatur anno 1057. In reditu igitur è Tucia, dum Romæ etiam ſubſiſteret, nunciato Victoris obitu, per Bonifacium Epiſcopum Albanenſem, mirifica ſacri Senatus conſpiratione in demortui Pontificis locum ſublegitur, adeò invitus ac reluctans, ut per vim ex hoſpitio ad Baſilicam S. Petri ad vincula educendus fuerit, Pontificatumque

A ipſi procurantibus aiebat mærens *De me non poteſtis agere, niſi quod permiſerit Deus, & abſque illius nutu, nec mihi dare, nec auferre iſtud poteſtis.* Poſtridie ingenti omnium ordinum acclamatione, ac lætitia in Vaticano conſecratus, Stephani decimi appellatione inſignitur anno Dom. 1057. die Sabbathi 2. Auguſti, quoniam feſtum Sancti Stephani Papæ & Mart. eo die celebrabatur. Ita Fridericus nondum quadriennio Monachus, hoc anno intra unum propemodum menſem, & Abbas Caſinenſis, & Card. S. R. E. ac tandem Summus Pontifex renunciatur. Rem illicò Chriſtianam, quam perinuitus ſuſceperat, prudentiſſimè temperavit; ſiquidem adiecto animo ad veteris diſciplinæ inſtaurationem, multa piè, prudenterque conſtituit, & præcipuè contra concubinatum, aliaque plurima Cleri vitia, unde omnes clericos Romæ degentes, qui poſt interdictum Papæ Leonis incontinentes extiterant, de conventu Clericorum & cho- B ro Eccleſiæ præcepit exire; & qui inobedientes eius ſanctiſſimæ ordinationi reſiſtebant, Deus ultionum in eos ſigna demonſtrabat, ut notavit noſter Petrus lib. iii. ſ. de ortu & vit. Iuſtor. Caſin. cap. 58. de quodam Preſbytero, qui iuxta Canonicam B. Cæciliæ Transtyberim habitans, fœminam abiicere non acquieſcebat, vana & frivola hæc iudicans ſtatuta. *Dum itaque incolumis*, inquit Petrus, *vegetus, ac ſanus exiſteret, veſpertinis horis ad quieſcendum ſe in lecto compoſuit, ſed repentina divina ultionis animadverſione percuſſus ſubitanea morte mortuus eſt.* Falſorum Monachorum item ac Sanctimonialium vitam idem Pontifex reprehendit, & correxit. Simoniacam hæreſim in æternum damnavit. Mediolanenſem Eccleſiam, quæ per ducentos ferè annos à ſubiectione Romanæ Eccleſiæ inſolenter ſe ſubtraxerat, eidem obtemperantem fecit. Denique dum ſe totum in depravatis moribus corrigendis accomodaſſet, infir- C mæ tamen ſemper valetudinis, Florentiæ ſingulari omnium dolore ac luctu vitam cum morte, vel retrò potius commutavit ann. 1058. die 28. Aprilis, ibique ſepultus in Cathedrali Eccleſia S. Reparatæ, abſque ulla inſcriptione, cum ſediſſet decem menſes, totoque etiam vitæ ſpatio Abbatia Caſinenſi ſibi reſervata; conſtituto tamen illic eiuſdem Cœnobij Monacho Deſiderio Viceſgerente, qui poſtea Victor Papa III. eſt appellatus, exemplo Leonis Papæ IX. qui ſibi Epiſcopatum Tullenſem quoad vixit retinuerat, dato ſuffraganeo. Sanctum Petrum Damianum Sabbatho quatuor temporum Martij in Collegium Cardinalium renitentem cooptavit ac in Epiſcopum Oſtienſem etiam conſecravit, ut proinde ipſe Damianus in epiſtola ad Nicolaum II. *Suum* vocaverit *perſecutorem Stephanum.* Vt etiam Hildebrandum S. R. E. Archidiaconum, *Sanctum Satanam*, ut potè bona intentione adverſarium, nimirum, quod votis de repetenda eremo conceptis pertinaciter obſtitiſſet, datis literis ad Alexandrum Papam II.

D Res geſtas Stephani ſcripſerunt Sigibertus in Chron. ad ann. 1058. Leo Oſtienſ. in Chron. lib. 2. cap. 77. 96. 98. 100. 101. qui ſuo tempore multa patrata fuiſſe ad eius ſepulchrum miracula ſcribit. Eius ſanctitas memoratur in Martyrologiis Arnoldi Vuionis, Hugonis Menardi, & Andreæ Snaſſey. Vide etiam Lambertum Schafnaburgenſem in hiſt. Germ. ad ann. 1058. Frizonem in Gallia purpurata, Sigonium de Regno Ital. lib. 9. alioſque.

Scripſit præter memorata à Petro; epiſtolam ad Gervaſium Barbet Archiepiſcopum 43. Rhemenſem, habetur tom 3. Biblioth. Patrum & tom. 7. Concil. apud Baron. ad ann. 1057. num. 33. ac Papyrium Maſſonum: ſed malè ad Vuilhelmum pro Gervaſio dicitur, cum nullus reperiatur hoc nomine toto illo ſeculo Rhemenſis Archiepiſcopus.

Diplomata varia Pontificia fertur ſcripſiſſe, dum Bibliothecarij, ac Cancellarij S. R. E. officio fungeretur. Eius decreta leguntur Coloniæ excuſa cum aliis, E teſte Poſſevino in Apparatu. Si plura de ſcriptis Stephani videre optas, adeas Ruppozeum Epiſcopum Pictavienſem in nomenclatura Card. Poſſevinum in dict. Apparat. & Claudium Robertum in Gervaſio Barbet.

CAPVT XVIII.

VIctor, & ipſe Apoſtolicæ Sedis Pontifex, Caſinenſis Abbas, compunctione timoris Dei plenus, caſtitate ſingularis, profeſſione & opere Monachus, in nuptiis ſponſam ſuam relinquens, eremum petiit, ibique ſanctæ religionis habitum ſumpſit: cuius fugam rabido furore inſequentes parentes, eum repertum veſte monaſtica exuunt, militaribuſque illum tegminibus induentes, ad eius genetricis domum Samnium uſque deducunt. Inde igitur, nacta qua- F dam hora aufugiens, Sanctæ Trinitatis Cœnobium petiit. Inde igitur Magellæ eremum, ac dein Montem Caſinum adveniens, monaſticam iſthic conſecrationem accepit. Factus deinde Abbas, totum Caſinum Cœnobium renovavit. De miraculis præterea, quæ à B. Benedicto, & à Monachis Caſinenſibus geſta ſunt, una cum Theophilo Diacono libros edidit quatuor. Cantum etiam B. Mauri compoſuit, in quibus qui vult artis Grammaticæ tramitem, & Monochordi ſonori Magade reperiet notas: factus dehinc Sedis Apoſtolicæ Pontifex ſcripſit ad Philippum Regem Francorum, ad Vgonem Cluniacenſem Abbatem quamplures epiſtolas. Claruit autem temporibus Imperatorum Michaelis, Conſtantini, Alexij, atque Henrici. Sepultus verò eſt in abſyda Capituli Caſinenſis.

ANNOTATIO.

G VIctor Papa Tertius, in ſeculo Dauferius, deinde Monachus, Deſiderius vocatus, Samnis Beneventani Principis unica proles originem trahens, ex familia Epiphania natus anno Dom. 1027. à primis annis amores ſuos, ac delicias in cœlo collocans, in eremum clam ſecedit (erat enim ſeculi rigidus aſpernator) deinde inter Caſinates opera Romani Pontificis admiſſus fuit, nihil aliud in votis habens, quàm latere, & neſciri: unde de illo verè dici poterat, quod hodie in effigie Thomæ Kempenſis legitur. *In omnibus requiem quæſivi, ſed non inveni, niſi in abditis receſſibus, & libellis.* Non multo poſt igitur, videlicet ann. 1056 ætatis ſuæ 30. Abbas Caſinenſis eligitur, (qui ante electionem S. Benedictum ſibi hilari vultu, manu porrecta innuentem, & iuxta ſe conſidere iubentem per viſum aſpexit: quæ viſio Caſinenſis Cœnobij eum Abbatem futurum indicabat) & à Romano Pontifice in procurandis magni momenti negotiis ad Michaëlem Imperatorem Legatus mittitur è qua legatione poſtea regreſſus, adminiſtrationem denuò Cœnobij Caſinenſis ſuſcepit, & à Nicolao Papa II. anno Dom. 1059. inter Cardinales, tit. H S. Cæciliæ cooptatur. Extincto apud Salernum Gregorio VII. Deſiderius omnium conſenſu, Chriſtianæ Reipub. præficitur, quo, ille, accepto nuncio, tanquam repentinæ calamitatis inopinato caſu perculſus, nunquam perſuaderi potuit, ut electioni aſſentiretur, diſertè conteſtans, ſe Pontificem eſſe nolle, & depoſita cruce, chlamyde coccinea, cæteriſque Pontificiis ornamentis, præter albam, quam renitenti non potuerunt imponere, Caſinum generoſa ſeculi fuga, ad ſuos remigrat; ſed quia deliberatum erat, neminem alium, ipſo ſuperſtite, ac vivo, ad illud dignitatis culmen evehere, importunis Cleri, Principumque precibus victus Pontificatum admittit ann. Domin. 1086. 9. Kalend. Iunij, qui minimè poſtea conſecrari paſſus eſt, uſque ad 13. Kalend. Aprilis die Dominico in Ramis palmarum, in Diaconia Sanctæ Luciæ ad Septiſolium ann. 1087.

Quo tempore, dum Victor rem divinam faciebat in Monaſterio Caſinenſi, ad gloriæ immortalis conſcendit ſublimitatem anno ætatis ſuæ,60.16. Kalend. Octobris (veneno in calicem infuſo, Henrici I V. Imp. & Pſeudopapæ inſidiis ſuſpicantur nonnulli. Vide Genebr. lib. 4. Chron.) Dignus vivere annorum ſeriem innumerabilem, cum præfuiſſet in Sede Apoſtolica ab ipſo ſuæ electionis exordio annum unum, à conſecratione menſes quatuor, dies ſeptem, & in Martyrologio Benedictino ſub die 16. Septemb. adſcriptus hoc elogio. *In Monaſterio Caſinenſi obitus Beati Victoris Papæ Tertij, ſanctitate vitæ & miraculorum gloria clariſſimi.* Michael Conſtantinopolitanus Imperator Victorem noſtrum fama notiſſimum venerabatur, eique nuntios, & plura munera miſit: poſtulans, ut pro ſe, filiis, & Imperij ſtatu Deum exoraret. Leo Oſt. in prologo lib. 3. Chron. Caſin. admirabilem, & ſingularem ſui Ordinis virum Deſiderium appellavit, & Sanctus Petrus Damiani Archangelum Monachorum. Eius ſepulchrum viſitur in Capella Sancti Berthari j Abbat. & Martyr. ad ſiniſtrum Altaris cornu, hoc ornatum epitaphio.

Qui fuerim, vel quid, qualis, quantuſque docēri
Si quis fortè velis, aurea ſcripta docent
Stirps mihi magnatum, Beneventus patria, nomen
Eſt Deſiderius, tuque Caſine decus.
Intactam ſponſam, matrem, patriamque, propinquos,
Spernens, huc propero, Monachus efficior.
Abbas dehinc factus, ſtudui pro tempore totum
(Vt nunc aſpicitur) hunc renovare locum.
Interea fueram Romana clarus in Vrbe
Preſbyter Eccleſiæ, Petre Beate, tuæ.
Hoc ſenis luſtris, minus anno, functus honore
Victor, Apoſtolicum ſcando dehin ſolium.
Quatuor, & ſemis, vix menſibus inde peractis,
Bis ſex luſtra gerens, mortuus hic tumulor,
Solis virgineo ſtabat lux ultima Signo,
Cum me Sol verus hinc tulit ipſe Deus.

Multa dum vixit ſcripſiſſe fertur, inter quæ adſunt tantum Dialogi ſub hoc programmane Evulgati. *Victoris Tertij Rom. Pontif. olim Deſiderij Abbatis Caſinenſis Dialogi.* Diverſa enim miracula in eis à S. Benedicto, aliiſve Monachis in Caſinenſi Cœnobio, & alibi patrata leguntur, quos annis ſuperioribus Romæ in 8. forma in lucem e Vatic. Biblioth. depromptos edidimus, notiſque illuſtravimus.

Cantus, quem de Sancto Mauro compoſuit (erat enim Muſices & Medicæ artis peritiſſimus) in Odeo Monaſterij Caſin. legitur: nota tamen, quod Magadium in dicto cantu indicatum, ea pars eſt lyræ, in qua plectrum illiditur, ubi ſcilicet percuſſio chordarum fit manu dextera, ut Budæus notavit. Vide librum de Harmonia pſallentis Eccleſiæ cap. 17. §. 3. num. 5. circa finem, D. Ioannis Bona Cong. S. Bernardi Ord. Ciſterc. Abbatis digniſſimi, viri omnigena literarum eruditione inſtructiſſimi, validiſque præſidiis diſciplinarum omnium tam metro, quàm proſa nobiliter inſtructi.

De rebus geſtis Victoris agunt Leo Oſt. in Chron. lib. 3. per totum Binius in 7. tom Concil. Sigonius lib. 2. de Regno Italiæ, Arnoldus Vuion. lib. 5. pag. 633. Lign. vitæ Albertus Crantzius, Baron. ad anno 1087. Camil. Pereg. hiſtor. Princ. Langob. in ſerie Abb. Caſin. in Deſiderio, aliique.

CAPVT XIX.

ALphanus Salernitanus Archiepiſcopus, & Caſinenſis Cœnobij Monachus, vir in ſcripturis ſanctis eruditus, & notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ad plenum inſtructus. Compoſuit nudo, & lucidiſſimo ſermone paſſionem Sanctæ Chriſtinæ, Hymnos præterea de eadem Virgine duos. De Sancto Benedicto verſus ad Pandulphum Marſorum Epiſcopum. Cantus S. Sabinæ. Verſus Sanctæ Chriſtinæ. Sancti Petri Apoſtoli. In laudem Monachorum Caſinenſium. De ſitu, conſtructione ac renovatione eiuſdem Cœnobij: metrum ſapphicum hendecaſyllabum de S. Mauro; Item eiuſdem hymnos; de Sancto Matthæo hymnos tres: de Sancto Fortunato duos: de Sancto Nicolao: ad Attonem Epiſcopum Theatinum; ad Giſulphum Principem Salernitanum; ad Sigiſmundum Monachum Caſinenſem; ad Guilielmum eiuſdem loci grammaticum; ad Guidonem Fratrem Principis Salernitati; ad Goffridum Averſanum Epiſcopum, ad Hildebrandum Archidiaconum Romanum; ad Romualdum cauſidicum Salernitanum; ad Roffridum Monachum Caſinenſem: metrum heroicum in honorem Sanctorum duodecim Fratrum; Confeſſionem metricam eius; Verſus de Eccleſia Sancti Ioannis Baptiſtæ in Caſino, Epitaphia quam plurima virorum inſignium, & alia, quæ in noſtram notitiam non venerunt. Fuit autem temporibus ſupradictorum Imperatorum; ſepultus vero eſt apud Salernum.

ANNOTATIO.

ALphanus Salernitanus, primò Monachus Caſinenſis, deinde poſtulatione Giſulfi Principis, Abbas Monaſterij S. Benedicti Salerni, & poſtremo eiuſdem Civitatis Archiepiſcopus renunciatur anno Domini 1057. interfuiſſe enim legitur Concilio Romano ſub Nicolao I I. ſcientiæ tanto lumine cum ſanctitate coniunctò præditus dicitur, ut illius ſeculi hominibus pro miraculo fuerit: Philoſophus, Theologus, ac Orator celeberrimæ opinionis, poëticæque artis diſertiſſimus; Neque verò alienum ab Epiſcopi dignitate exiſtimandum, quòd in Dei laudibus Poëticam maximè adhibuiſſet, cum & Paulus Gentium Doctor hymnis & canticis Deum celebrari iubeat; nec iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ exempla defuerunt. Quo in numero familiam ducunt Damaſus Pontifex, Nazianzenus, Damaſcenus, Paulinus, Fortunatus, Proſper, Sidonius, cœterique Præſules. Lucubrationes, quas notavit noſter Petrus, editæ habentur apud V. Cl. Vghellum in calce tom. 2. Italiæ ſacr. demptis verſibus, quos ſcripſit in laudem Romualdi Cauſidici, & Sigiſmundi Monachi Caſinenſ. quos m. ſſ. ſervamus.

Inſuper exaravit Alphanus præter recenſita, quædam inſignia profundi ſenſus opuſcula, videlicet. De unione verbi Dei & hominis librum unum. De unione Corporis & animæ librum unum. De quatuor humoribus corporis librum unum. Extabant prædicta doctrinæ conſummatiſſimæ monimenta in Caſin. Biblioth. m. ſſ. in pluteo 8. ad ſiniſtram; num vero hodie, nondum comperimus, quamvis illa cum diligentia ab antiquitatum Eccleſ. indagatoribus perquiſierimus. Paſſio Sanctorum Martyrum duodecim Fratrum Beneventanorum, licet non una die ſint paſſi, quam metro heroico in honorem dictorum Sanctorum ſcripſit ad fratrem Roffridum Caſinenſem Monachum, legitur apud Lippomanum tom. 4. & Sur. tom. 7. ſub die prima Septembris, cuius etiam mentionem facit Galeſinus in not. ad Mart. ſervaturque etiam m. ſ. in noſtro tenui literario penu.

NOTA.

Notandum tamen eſt, quod non ſolum ex iſto noſtro m. ſ. exemplari verſus editi emendantur; verum etiam ex aliis centum verſibus hactenus ineditis metrum heroicum, ſuppletur, ſequitur enim.

Sic ſacra temporibus Sanctorum corpora multis, &c.

Terminatur ſic.

Iam ſiſtat opus milleno carmine clauſum.

Hiſtoriam prædictam ad fidem dicti m. ſ. Cod. correctam, omnibuſque numeris abſolutam, Deo dante

evulgabimus

A evulgabimus. Commentatus quoque eſt de aliis ſanctis, quæ à Trithemio prætcrita Poſſevinus recenſet.

Aliorum hymnorum, & carminum libri unà cum epitaphiis, partim excuſi ſunt in tertio tom. poëmatum Proſperi Martinengi in 4. Romæ ann. 1589. & in annal. Card. Baron. tom. 12. partim verò in calce tom. 2. Italiæ ſacr. Inter opuſcula Guaiferij Salernitani Monachi Caſinenſ. Cod. ſign. num. 280. Biblioth. Caſin. cuncta Alphani poemata intexta nunc habentur.

Claruit Alphanus velut Sol cunctis fulgidus, virtutis exempla, felicitatiſque tramitem ſubditis præmonſtrans, ultimis Henrici Tertij, ac primis Henrici Quarti temporibus, anno ſcilicet Dom. 1057 uſque ad annum 1086. poſt vigeſimum nonum annum ſui Præ-
B ſulatus; menſe Maij: qui etiam fuit inter Sanctos relatus, inquit Arnoldus Vuion. Hinc corrigendum Falconis Chronicon editum à Viro Clar. Antonio Carracciolo, in cuius indice hæc leguntur. *Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus obiit ann. 1121. Succedente ſibi Romualdo Chronici Scriptore Falco 220. Fuit Auctor Poematum, quæ ſervat Bibliotheca Vaticana, ut teſtatur Baron. tom. 12. ad annum 1111. Diverſus eſt ab Alphano illo ſeniori, qui conſecratus eſt Archiepiſcopus anno* 1058. *de quo Leo Oſt. lib. 2. cap.* 99. 100. Noſter enim Alphanus, qui auctor eſt poëmatum fuit electus & conſecratus Archiepiſcopus Salernitanus à Stephano Papa X. anno 1057. non autem ſenior Alphanus clarè docet Leon. Oſtien. in Chron. lib. 2. cap. 97. ac etiam lib. 3. cap. 7. 8. & 35. adi Voſſium de hiſtor. Lat. in Alphano.

CAPVT XX.

AMatus Epiſcopus, & Caſinenſis Monachus, in Scripturis diſertiſſimus, & verſificator admirabi-
C lis. Scripſit ad Gregorium Papam verſus de geſtis Apoſtolorum Petri & Pauli, & hos in quatuor libros diviſit: fecit & de laude eiuſdem Pontificis, de duodecim lapidibus, & civitate cœleſti Hieruſalem. Hiſtoriam quoque Nortmannorum edidit, eandemque in libros octo diviſit. Fuit autem temporibus ſupradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

FVit Amatus Provincia Campania, Scriptor ſui temporis non contemnendus, ac deinceps Epiſcopus, incertæ tamen ſedis. Scripſit ad Gregorium VII. Papam de geſtis Apoſtolorum Petri & Pauli. Hiſtoriam Nortmannorum dicavit Deſiderio Abbati, qui fuit Victor Papa III. teſtis eſt noſter Petrus in auctario Chron. Caſin. lib. . . cap. 35. illamque hodie non extare, niſi m. ſ. in Caſinenſi Bibliot. affirmant aliqui, non exiguo ſanè hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ac prophanæ bono, cum in ea multa ſcitu digna accurate-
D que deſcripta legantur præcipuéque verò Nortmannorum ritus, ac res geſtæ fideliter exaratæ explicentur. Animadverterunt enim curioſi exteros ferè accuratius, quàm incolas, gentis cuiuſque mores, ritus, antiquitatem & obſervaſſe, & literis mandaſſe. Non longè abierimus. Græci, Dionyſius Halicarnaſſæus, Plutarchus Cheroneus, Dio Caſſius, & Herodianus copioſiùs, quàm Latini, Livius, & Patereulus, cæterique in ſuo quiſque genere res Romanas. Vivebat Amatus anno Domin. 1070. ſicuti per ea tempora inter Caſinates ſanctitate, & literis etiam florebant Albericus, Conſtantinus, Guaiferius, & Alphanus.

CAPVT XXI.

ALbericus Diaconus, vir illis temporibus ſingularis. Scripſit librum dictaminum, & ſalutationum. Hymnos in Sancti Nicolai, in Muſica Dia-

E logum. Librum de virginitate Sanctæ Mariæ: contra Henricum Imperatorem de electione Romani Pontificis. De Aſtronomia. Hymnos in S. Crucis, in Aſcenſionis, in Sancti Pauli, in S. Apollinaris: vitam S. Scholaſtiſtæ, Homiliam eius, & hymnos, in Aſſumptionis S. Mariæ hymnos tres, in Sancti Petri hymnos; vitam S. Dominici: paſſionem S. Modeſti, & S. Cæſarij: Librum de Dialectica. Temporibus verò eius facta eſt Synodus in Vrbe Roma adverſus Berengarium Diaconum Eccleſiæ Andegavenſis, qui inter multa, quæ aſtruere nitebatur, dicebat, ſacrificium Corporis & Sanguinis Domini figuram eſſe: cumque ei nullus reſiſtere valeret, idem Albericus evocatur ad Synodum: quò dum veniſſet, poſt varia conflictationum genera, cum pars parti non cederet, idem Albericus, accepta hebdomadæ unius licen-
F tia, librum adverſus eundem Diaconum de Corpore Domini edidit Sanctorum Patrum teſtimoniis roboratum, in quo omnes aſſertiones eius deſtruxit, æternæque oblivioni tradidit. Fecit & verſus in vitam S. Scholaſticæ, Rhythmum in Paſcha; de die Indicij, & de pœnis inferni. Rhythmum de gaudio Paradiſi. Epiſtolas quoque quamplurimas ad Petrum Oſtienſem Epiſcopum. De die mortis. De monachis. Compoſuit & alia, quæ in noſtram notitiam non venerunt. Fuit autem temporibus ſupradictorum Imperatorum. Sepultus verò eſt in Vrbe Roma iuxta Eccleſiam Sanctorum Quatuor Coronatorum.

ANNOTATIO.

ALbericus Monachus Caſinenſis & S. R. E. Diaconus Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum à Stephano Papa X. creatus, alij ab Alexandro II. Papa legunt; vir diſertiſſimus, multiſque virtutibus ſuo tempore clarus, quem iterum honorifico ſatis elogio idem noſter Petrus Diaconus in auctario ad Oſt. Chron. lib. 3. cap. 35. commemorat. Librum integræ vix hebdomadæ intercaptu elaboratum adverſus Be-
G rengarium Hæreſiarcham de Corpore Domini. Patrum teſtimoniis roboratum edidit, quo eius omnes aſſertiones omnino evertit, ipſumque devicit, ac profligavit ſecunda vice ſub Gregorio Septimo ann. 1079. in Synodo Romana; ut tanti proinde Sacramenti defenſor dici promeruerit; unde poſtea Berengarius rationibus potiſſimum Alberici ſuperatus, ac victus pœnitentia ductus, errorem ſuum confitens, ſuſcepta peregrinatione toto tempore vitæ ſuæ ſatisfecit peccato, & anno Domin. 1088. die Epiphaniæ obiit nonagenarius, & in templo S. Coſmæ apud Turones ſepultus. Scribit Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana, ubi de Epiſcopis Andegavenſibus agit. Vide notas Viri Clar. Auberti, Miræi in Sigibertum cap. 154. Berengarij abiurationem habes cap. Ego Berengarius, de conſecr. diſt. 2. Aliam in regeſt. Gregorij VII. lib. 3. & 6. in Synodo: cui repetitioni, quid cauſam dederit, exponitur in Scholiis Conciliorum, quæ Coloniæ quatuor tomis ſunt impreſſa.
H Vide Bellarminum lib. 3. de Euchar. cap. 8. col. 3. Blondum decad. 2. lib. 3. Lanfrancum, & Guitmundum contra Bereng. Notat Card. Baron. tom. 11. ann. 1059. Leonem Oſtien. nimis gloriantes, ac valde mendaciter loquutum de Alberico, dum plus quàm par eſt, de reportata glorioſa victoria in Synodo, contra Berengarium, eidem Alberico tribuat: cuius obiectionem refellit Matthæus Lauretus de exiſt corp. S. Benedict cap. 42. pag. 104. Plus etiam refert animadvertere, non eſſe Leonis ea, quæ notavit Baron. ſed eiuſdem noſtri Petri Diaconi, qui poſt Leonem incipiens à renovatione Eccleſiæ Sancti Martini, id eſt, lib. 3. cap. 34. eedit. Neapol. Chronicon Caſinenſe continuavit; in qua parte, videlicet cap. 35. laudes & elogia Alberici à Petro deſcribuntur, ſive denuò repetuntur.

Meminit Alberici noſter Petrus lib. m. ſ. de vita Iuſt. Caſin. c. 48. in Guaiferio his verbis. *Cumque iam*

A *remunerationes laborum, perennemque coronam æternus dare ei* (Guaſferio) *Arbiter decreviſſet, languore deprimitur: qui in lectulo iacens extremum vitæ ſpatium iam iam ad Dominum reverſurus trahebat: nonnulli à fratribus circa lectum ipſius excubantes obitum eius orationum precibus munire cœperunt. Cumque in huius miniſterio tres dies maximam partem pertranſiſſent, ſurgens in medium Albericus Diaconus per Ieſu Chriſti Domini nomen obteſtari eundem Guaſferium cœpit, ut poſt ſuum è mundo receſſum qualiter ſuſceptus, quove in loco deputatus eſſet, eidem apparens revelare curaret; quo dicto, prædictus frater ex hoc mundo receſſit. Poſt non multos autem dies idem Guaſferius eidem Alberico per viſionem apparens dixit ad eum: In veritate ſcias; me ad vitam tranſiſſe æternam.* Hæc Petrus.

Cunctæ lucubrationes Alberici habentur m. ſſ. in Biblioth. Cœnobij Sanctæ Crucis Fratrum Minorum
B Conventualium Sancti Franciſci Civitatis Florentiæ. Vita S. Scholaſticæ habetur quoque m. ſ. in Biblioth. Caſin. Cod. ſign. num. 146. pag. 251. poſt quam ſequitur eiuſdem Alberici quædam homilia, incipit, *Audiſtis, fratres chariſſimi.*

In vita Sancti Dominici innumerabilium patratoris miraculorum, Monachi Caſinenſis ac Abbatis iuxta Soram in Italia (licet habitu Ciſtercienſium pingatur, quem conſtat, diu ante Ciſtercienſem reformationem vixiſſe Caſinenſibus Benedictinorum inſtitutis) per noſtrum Albericum deſcripta, apud Vir. Cl. Bollandum tom 2. ſub die 22. Ianuarij, nonnulla deſiderantur, quæ ex noſtro m. ſ. exemplari ſuppleri poſſent. Meminit Baron. Sancti Dominici anno 1031. & Ferrarius in catalogo Sanctorum.

Cæterùm verò notandum, quod alius ab eo eſt Albericus, Monachus pariter Caſinenſis, qui ſcripſit de viſione ſua librum, natus anno 1101. circiter; legitur enim apud noſtrum Petrum in auctario Chroni-
C ci Leonis Oſtienſis lib. 4. c. 66. Caſinenſe Cœnobium petiiſſe annum tunc agens ætatis ſuæ decimum, ſub Gerardo Abbate, qui ſedit ab ann. 1111. uſque ad annum 1123. Stephanus verò Papa X. à quo in cœtum Cardinalium fuit cooptatus noſter Albericus, obiit anno 1058. Vnde diverſus manifeſtè dignoſcitur, & corrigendus Bollandus in prolegom. ſupradictæ vitæ Sancti Dominici, unum & eundem eſſe opinans. Inſuper obſervandum noſtrum Albericum Card. non ſcripſiſſe de viſione ſua librum, ut incogitatè notarunt Arnoldus Vuion, Poſſevinus, Torrigius, aliique quem utique indicaſſet noſter Petrus in elencho lucubrationum Alberici, ſi literis demandaſſet; cum viſionem habuerit illam Albericus puer natione Campanus ex oppido Septemfratrum, qui poſtea Cœnobium Caſinenſe petiit ſub Girardo Abbate, ut dicemus infra in Guidone & notavit ſupradicta noſter Petrus in auctario ad Chron. Caſin. Pariterque corrigendus venit Alphonſus Ciacon. cæterique etiam, qui de Cardinalium geſtis conſcripſerunt, notantes
D Albericum Cardinalem eſſe natione Campanum ex Oppido Septemfratrum, dum putant Albericum Diaconum Monachum Caſinenſem, dein Card. & Albericum puerum, unum & eundem eſſe, ex nominis ſimilitudine, ut credimus, decepti.

Extant epiſtolæ S. Petri Damiani ad noſtrum Albericum tom. 1. lib. 2. epiſt. 20. 21. in quibus quæſtiones quaſdam ab Alberico ſibi propoſitas diſcutit: laudat & Platina in Nicolao II. vocans eum virum doctiſſimum.

Florebat Albericus ann. Dom. 1084. & ætas ex eo ſatis cognoſcitur, quod pro Gregorio Papa VII. calamum ſtrinxerit adverſus Henricum IV.

CAPVT XXII.

ARnaldus Caſinenſis Presbyter ſcripſit eleganti ſermone quoſdam tractatus; Fuit autem eo tempore quo & Albericus *Claruit anno* 1080.

CAPVT XXIII. E

COnſtantinus Africanus, eiuſdem Cœnobij Monachus, Philoſophicis ſtudiis pleniſſimè eruditus Orientis, & occidentis magiſter, novuſque effulgens Hyppocrates. De Carthagine, è qua ipſe oriundus erat, egrediens, Babyloniam petiit, in qua Grammaticam, Dialecticam, Phyſicam, Geometriam, Arithmeticam, Mathematicam, Aſtronomiam, Necromantiam, Muſicam, Phyſicamque Chaldæorum, Arabum, Perſarum, Saracenorum pleniſſimè edoctus eſt: inde diſcedens, Indiam adiit, eorumque ſe ſtudiis erudiendum tradidit: & dum Indorum artes ad plenum edoctus fuiſſet, Ætiopiam petiit, ibique rurſus Æthiopicis diſciplinis eruditur. Cumque affatim eorum ſtudiis repletus fuiſſet, Ægyptum profectus eſt, F
ibique omnibus Ægyptiorum artibus ad plenum inſtruitur. Completis igitur in ediſcendis huiuſmodi ſtudiis triginta & novem annorum curriculis, Africam reverſus eſt, quem cum vidiſſent ita ad plenum omnibus gentium ſtudiis eruditum, cogitaverunt occidere eum: quod Conſtantinus agnoſcens clam navem ingreſſus Salernum advenit, ibique ſub ſpecie inopis aliquandiu latuit: deinde à Fratre Regis Babyloniorum, qui tunc ibidem advenerat, agnitus, ac in magna honorificentia apud Robertum Ducem habitus eſt. Exinde vero Conſtantinus egrediens, Caſinenſe Cœnobium petiit, atque à Deſiderio Abbate libentiſſimè ſuſceptus Monachus factus eſt. In eodem verò Cœnobio poſitus, tranſtulit de diverſis gentium linguis libros quamplurimos, in quibus præcipuè ſunt Pantegnum, quod diviſit in libros duodecim, in quo expoſuit: quid medicum ſcire oporteat. Practicam, in qua poſuit qualiter medicus cuſtodiat ſanitatem, & curet infirmitatem, quam diviſit in libros duodecim. Librum duodecim graduum. G
Diætam ciborum; librum febrium, quem de Arabica lingua tranſtulit: librum de urina. De interioribus membris: De coitu: Viaticum, quem in ſeptem diviſit partes, primò de morbis in capite naſcentibus: dehinc de morbis faciei: de inſtrumentis: de ſtomachi & inteſtinorum infirmitatibus: de infirmitatibus epatis, renum, veſicæ, ſplenis & fellis. De his quæ in generativis membris naſcuntur: de omnibus quæ in exteriori cute naſcuntur, exponens aphoriſmi librum: Tegni, Megategni, Micotegni, Antidotarium: diſputationes Platonis, & Hyppocratis in ſententiis. De ſimplici medicamine. De Gynæcia, id eſt de membris, ac corporibus fœminarum: De pulſibus, Prognoſtica, de experimentis, gloſſas herbarum, & ſpecierum; Chirurgiam: librum de medicamine oculorum. Hic vir quadraginta annis in ediſcendis diverſarum gentium ſtudiis explevit, noviſſimè verò ſenex, & plenus dierum in Caſino obiit. Fuit autem temporibus ſupradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO. H

COnſtantinus ad eorum morem, qui à Dipſade morſi ſunt, plenis faucibus avide, & ſine interſpiratione cunctas phyſicas diſciplinas haurire conſtituit, ut omnes dein faterentur novum Hyppocratem Orbi effulſiſſe; eamque ob cauſam Hebræam, Syram, Chaldaicam, Græcam, Latinam, Italicam, Perſicam, Arabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, & Indicam linguam diſcere curavit. Vir quidem ſuapte natura ad res difficiles, obſcuraſque in antiquorum libris perveſtigãdas valde propenſus, ut nemo illum qui ætate ſua vicerit, pauciſſimi æquarint, linguarumque omnium exacta notitia, quæ ad homines illuſtrandos una ferè ſufficere ſemper exiſtimata eſt, exiguam partem in huius Viri, verè polygloſſi laudibus occupaverit, ſed profectò pro tanti Viri laudibus, ieiune, arideque. Eius opera conquiſita magno ſtudio Baſileæ apud

Henr.

Henr. Petri ann. 1536. in folio, excuſa reperiuntur extare etiam m. ſſ. in Biblioth. Sancti germani de Pratis Cod. ſign. num. 439. ſcribit Labeus in nova Biblioth. m. ſ. ſ. libr. pag. 50. uti etiam nonnulla in diverſis Biblioth. Patavinis memorat V. Cl. Thomaſinus Epiſcopus Æmonenſis in Biblioth. Patavina. Claruit Conſtantinus temporibus Imperatorum Michaëlis, Conſtantini, Alexij, atque Henrici anno 1072. circiter. Vide noſtrum Petrum Diaconum in auctario Chron. Caſin. lib. 3. cap. 35. Trithem. de Script. Eccleſ. & de Vir. Illuſtr. Ord. S. Bened. lib. 2. cap. 70. & Arnoldum Vuionem lib. 5. cap. 98. Lig. vitæ.

CAPVT XXIV.

ATto Conſtantini Africani auditor, & Agnetis Imperatricis Capellanus, ea, quæ ſupradictus Conſtantinus de diverſis linguis tranſtulerat, cothurnato ſermone in Romanam linguam deſcripſit.

ANNOTATIO.

ATto, ſive Hatto vel Hetto: Varie enim id nomen ſcribitur. Floruit. anno 1070.

CAPVT XXV.

PAndulphus Oſtienſis Epiſcopus; parvulus & ipſe in Caſino B. Benedicto oblatus, ſcripſit ſermones de totius anni feſtivitatibus: Rhythmum quoque in laudem Sanctæ Mariæ compoſuit, & alia nonnulla quæ noſtris in manibus nec dum venerunt. Fuit verò temporibus Alexij, Ioannis, Henrici, Lotharijque Imperatorum.

ANNOTATIO.

PAndulphus Monachus Caſinenſis primum à Paſchale Papa II. Preſbyt. Cardinalis, deinde ab Innocentio Papa Secundo Epiſcopus Oſtienſis creatus anno 1131. obiit an. 1134. ut ſcribit Arnoldus Vuion lib. 2. cap. 9. pag. mihi 190. Lign. vitæ, ſubdens hunc eſſe, cui noſter Petrus Diaconus opuſculum iſtud de Vir. Illuſtr. Caſin. dedicarit; ſed memoria ille quidem excidit, cum ille fuerit Epiſcopus Theanenſis, ut ex catalogo librorum ab eodemmet Petro prætexto in auctario hiſtor. Caſin. libr. 4. cap. 66. legitur; ex ſupramemorata temporis ſupputatione, aliiſque difficultatibus labi forſan noſtrum Petrum circa titulum Epiſcopatus, obſervavit V. Clar. Vghellus in Ital. ſacr. in catal. Epiſcop. Oſtienſ. adi, ſi lubet, ipſum.

CAPVT XXVI.

PAndulphus Capuanus Preſb. in Caſino ſub Deſiderio Abb. Monachus factus, divinà; ſæcularique literatura eruditus ſcripſit ad Petrum Salernitanum Abbatem librum de calculatione. Verſus de termino Paſchæ Hebræorum; de circulo ſolari ad concurrentes inveniendos; de Cyclo lunari, de feria Paſchæ Hebræorum invenienda; ad annos Domini inveniendos: qualiter ſint inveniendæ indictiones. De Luna cuiuſque diei invenienda abſque Emboliſmorum contrarietate: Quomodo fallunt qui ſe ſcire putant, quot horis, vel punctis luna in unaquaque nocte luceat. Quibus modis curſus ſolis dividatur: quomodo efficiatur biſextus ad ferias Kalendarum inveniendas: Qualiter vel unde regulæ ad ferias menſium inveniendas præcedant. Quomodo regula terminorum Hebræorum ex curſu ſolis inveniatur: ad feriam uniuſcuiuſque diei inveniendam. De quatuor temporibus, in quibus datariis ſolſtitia veraciter eſſe debeant: ubi æquinoctia veraciter credantur eſſe. Quomodo Adventus Domini ſit inveniendus. Vt litera hebdomadarum per totum annum memoriter inveniatur. Quomodo Chriſtus ſit paſſus in tertio Kalendas Aprilis. Quomodo anni ab origine mundi omnes fallunt. Qualiter Luna quintadecima non poteſt ad illam diem, qua facta fuit, pertinere. De aſſumptione Sanctæ Mariæ. De Agnete Imperatrice. Fuit autem temporibus Michaëlis, & Alexij Imperatorum.

ANNOTATIO.

EX præfatis luculentis eruditionis, ac doctrinæ monimentis nonnulla aſſervari in Biblioth. Caſinenſi Cod. ſign. num. 3. ſub hoc Lemmate, *Canones mathematici*, Camillus Peregrinus virtute, doctrinaque ornatiſſimus, nobis humaniſſimis literis communicavit. Floruit Pandulphus anno Dom. 1060.

CAPVT XXVII.

LAndenulphus Capuanus ſub Deſiderio Abbate Monachus factus eſt. Scripſit ſermone ſimplici librum, qui appellatur...... in quo introduxit Dominum, & virginem Mariam, ac Sanctiſſimum Benedictum iuſtis ac peccatoribus loquentes. Fuit eo tempore quo & Alphanus. *Claruit anno Domini* 1050.

CAPVT XXVIII.

ODeriſius Primus Caſinenſis Abbas, humilitate ſummus, caſtitate pudicus, ſpirituali lumine præditus, verſificatorque mirabilis. Scripſit nonnulla, quæ quia præ manibus habentur, omitto referre. Fuit autem temporibus ſupradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

ODeriſius Oderiſij Comitis Marſorum filius Campanus ex Diac. Card. S. Agathæ Nicolai II. Papæ Preſbyt. Cardinali tit. Sancti Cyriaci in Thermis & Abbas Caſin. ab Vrbano II. Ordinatus eſt ann. 1787. 16. Kalend. Octobris, ſanctitatis & doctrinæ meritis nobilitatus abiit ad præmium 4. nonas Decembris 1105. & Caſini ſepultus in Eccleſia Sancti Benedicti. Meminit Martyrolog. Benedict. ad diem 2. Decembris, & Ferrar. in catalog. Sanctorum: eius in antiquo lapide mentio fit in Eccleſia Sancti Ioannis in Venere in agro Lancianenſi Oderiſij maxima per literas uſus eſt amicitia Alexius Comnenus Conſtantinopolitanus Imperator. Henricum IV. Cæſarem quamvis Eccleſiæ hoſtem ſui tamen Monaſterij amicum & fautorem habuit. De geſtis eius, vide Oſt. lib. 3. cap. 15. hiſt. Caſin. & Camill. Peregrin. in ſerie Abb. Caſinenſ. in Oderiſio. Extat epiſtola Oderiſij ad Monachos Floriacenſes, quam refert Laurentus de exiſt. corp. Sancti Bened. in Monaſt. Caſin. c. 16. pag. 122.

CAPVT XXIX.

BEnedictus qui & Guaiferius, Salernitanus, ſanctitate & religione conſpicuus ſuavis eloquio, ingenio magnus, ſermone facundus. Scripſit ad Troianum Epiſcopum vitam Sancti Secundini, & cantum eius. Verſus in laudem Pſalterij. De miraculo illius, qui ſe ipſum occidit, & per Beatum Iacobum vitæ redditus eſt. De converſione quorundam Salernitanorum. De laude Sancti Martini. In laudem Sancti Secundini. Hymnos de eodem. Homiliam de Adventu. Sermones de Nativitate Domini. De Epiphania. De Cœna Domini. De Septuageſima. De

Digitized by Google

Ramis Palmarum. Paſſionem Sancti Luc j Papæ. Claruit autem temporibus Alexij & Henrici Imperatorum, ac Deſiderij Abbatis.

ANNOTATIO.

OPuſcula m. ſſ. Gauiferij ſeu Gauferij, charactere Langobardico in priſcis membranis exarata habentur in Bibliotheca Caſinenſi ſub num. 28c. hoc titulo præſignata. Gauferij Monachi Caſinenſis homiliæ. In Adventu Domini incipit. *Verba Sancti Evangelij.* In Nativitate Domini. *Ex Patre maieſtatis.* In Epiphania. *Sempiterni pudoris.* In Septuageſima. *Per parabolam conductoris.* In Ramis palmarum, *Singularem, & famoſiſſimam.* In Cœna Domini. *Ad glorioſiſſimam Redemptoris.* Paſſio Sancti Lucij Papæ. *Fortiſſima & præclara virtutum ſtudia.* Hiſtoria Sancti Secundini Epiſcopi Troiani. *De bono dilectionis.* Quam in catalog. Sanctorum Ferrarij ſub die 11. Febr. compendio deſcriptam etiam reperies. Sequuntur in eodem Cod. m. ſ. carmina Gauferij, videlicet. In laudem Plalterij, incipit.

Verba fero vitæ, quæ verbum vita notavit.

De miraculo eius, qui ſe ipſum occidit.

Mortis in immanem te merſit culpa, ruinam.

De Converſione quorundam Salernitanorum.

Res nova magna ſatis prohibetur facta Salerni.

In laudem Sancti Martini Epiſcopi.

Gemma Sacerdotum vetus aſſiſte tuorum.

In laudem Sancti Secundini Troiani Epiſcopi.

Adſis tota tuis feſtis feſtiva diebus.

Hymnum de eodem Sancto Secundino.

Chriſte Rex Regum, pretium piorum.

Cuncta præfata opuſcula & carmina nos etiam manu exarata aſſervamus, bono publico proferenda.

De obitu Gauferij, vide quæ notavimus ſupra in Alberico, Conſule etiam noſtrum Petrum in auct. Chron. Caſin. lib. 3. cap. 61. edit. Ven. Claruit anno Domini 1060.

CAPVT XXX.

LEo Oſtienſis Epiſcopus & Bibliothecarius, à pueritia in Caſino oblatus, ſanctitate, & monaſticis diſciplinis ad plenum imbutus, & in divinis Scripturis apprime eruditus. Fecit ſermones de Paſcha. De Nativitate. Hiſtoriam Peregrinorum: Hiſtoriam Caſinenſis Archiſterij diviſam in libros quatuor. Vitam Sancti Mennatis, & alia quamplurima, quæ in noſtram non venere notitiam. Fuit autem temporibus ſupradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

LEo Marſicanus Campanus, à puero in Monte Caſino Monachum induit, ubi tum ob vitæ ſanctimoniam, tum ob eximiam ſapientiæ literaturam celebris evaſit: cumque eiuſdem Monaſterij Bibliothecarius ac Decanus eſſet, cooptatus eſt dein in Epiſcopum, & Card. Oſtienſem à Paſchali Papa II. anno Domini 1101. Hic ingentis animi fuit; videnſque imperatorem Henricum IV. ex odio retinere Paſchalem, populum contra illum in ſeditionem vertit. Concilio Vaitellenſi interfuit, maiuſque Altare S. Laurentij in Lucina conſecravit, reconditis multorum Sanctorum reliquiis, & præcipuè de craticula S. Laurentij cum eiuſdem Martyris duabus ſanguinis ampullis anno Domini 1112. die 25. Octobris, ut ex antiquiſſima inſcriptione eiuſdem Eccleſiæ colligitur, quam poſtea in ſuos annales retulit Card. Baron. Invenitur que etiam noſtrum Leonem ſubſcripſiſſe acta Concilij Laterani, ſub Paſchali II. 5. Kalendas Aprilis. Vide quæ notavit Lauretus de noſtro Leone in Chron. Caſin. paginâ 79. Scripſit iubente Oderiſio Caſin. Abbate Chronicon ſui Monaſterij Caſinenſis, libris tribus, à temporibus S. Benedicti uſque ad Deſiderium Abbatem, qui poſtea Victor Papa Tertius fuit, qui dati ſunt prælo Venetiis anno 151 . & Pariſiis: poſtremo Neapoli anno 1616. opera & notis Matthæi Laureti Hiſpani Monachi Caſinenſ. quas quidé editiones collatas cum antiquiſſimo exemplari m. ſ. in Caſin. Biblioth. ſervato, quod Chronicon Caſinenſe appellatur, fuiſſe ab integritatis ſuæ deturbatas gradu, mendiſque obſitas, facilè cognoſcere per ſe ſedulus lector valebit. Accidere enim ſæpe videmus, & magno Reipublicæ literariæ incommodo experimur, ut inter imprimendum quædam vel omittantur, vel addantur, vel in peius mutentur, librariorum vel incuria, vel audacia, vel malitia, & animi perverſitate: extat penes Vir. Cler. Lucam Holſteinium Chronicon Leonis, in quo variantes lectiones ad fidem plurium m. ſſ. Exemplarium ſua manu ad oram editi libri adnotatas vidimus. Tu tamen conſule (ſi res te ſollicitat) ea, quæ notarunt Matthæus Lauretus de exiſt. corp. S. Bened. in Monaſt. Caſin. cap. 41. pag. 148. Camillus Peregr. in hiſtor. Princip. Langobard. in ſerie Abb. Caſin. in Petronace: & tunc ſanè proferes, in eruditorum ſympoſio lunam ulteriorem etiam non eſſe deſperandam.

Animadvertendum eſt, Baronium tom. 10. annal. ſub anno Chriſti 891. obſervaſſe, haud rectè in dict. Chron. collocatum Formoſum Pontificem Max. poſt Hadrianum ante Stephanum, quem non præceſſiſſe, ſed ei ſucceſſiſſe exploratiſſimum eſt: deinde quod patraverit ſacrilegium Sergius Papa ſchiſmaticus, id Leo tribuat laudatiſſimo Pontifici Stephano, &c. Quem tamen errorem ex depravato Codice facilè irrepſiſſe arbitramur; vide dict. Lauretum in not. ad lib. 1. cap. 45. Chron. Caſin. & de exiſt. corp. Sancti Bened. d. cap. 41. à calumniis nonnullorum noſtrum Leonem vindicantem. Baronius certè anno 1059. vocat Leonem, ſcriptorem ſui temporis integerrimum: & anno 1077. ſinceræ fidei ſcriptorem.

Vita S. Mennatis, ſeu Mennæ Confeſſoris, quam Leonem Imperio Oderiſij Abbatis ſcripſiſſe teſtatur Petrus, manu exarata, & typis nondum cuſa penes nos ſervatur unà cum tranſlatione reliquiarum ipſius ad urbem Caiatiam, addita inſuper exacta miraculorum eius narratione, quam tibi bono publico cum aliis Sanctorum actis, Deo dante euvlgandam dabimus, incipit. *Vitam & converſationem egregij Confeſſoris Chriſti Mennatis, &c.* De eius ſanctitate agit S. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 26. Martyrolog. Rom. ſub die 11. Novembris. Sigibert. in Chron. anno 579.

Scripſiſſe inſuper Leonem vitam S. Ianuarij Monachi Caſin. teſtatur Arnoldus Vuion Lig. vit. lib. 2. cap. 9. fol. 188. quam etiam deſcriptam à noſtro Petro Diacono lib. m. ſ. de ortu & vita iuſt. Caſin. cap. 31. in vita S. Guinizonis, cuius fuit diſcipulus, invenies: vide etiam elogia Abb. Caſin. M. Ant. Scipionis pag. 322. cæteræ vero lucubrationes ineditæ adhuc remanent.

Deceſſit Leo vir eximius, præclateque de ſtudiis meritus ſacrique Senatus ornamentum 11. Kalend. Aprilis poſt ann. 1115. ut planè perſpici poteſt ex illo tempore quo in vivis agebat; invenitur enim ſubſcriptus Bullæ Paſchalis II. Eccleſiæ Marſorum conceſſæ anno Dom. 1115. *Ego Fr. Leo Epiſcopus Oſtienſis.*

CAPVT XXXI.

LEo S. R. E. Cardinalis Diaconus, & Caſinenſi Cœnobij Monachus, inſignis ſtudio, ac eloquentia, Scripſit ex nomine Vrbani Papæ quamplures Epiſtolas, fecit & Regiſtrum eius.

ANNOTATIO.

CReatur anno Domin. 1105. à Paſchali Papa II. ſcribit Vuion lib. 2. Lig. vitæ cap 9. Ciacon. verò

ab Vrbano Secundo: quamplures exaravit epiſtolas, quæ m. ſſ. in Vaticana aſſervantur Bibliotheca, ex quibus viginti reperiuntur ſub nomine Vrbani II. ſcriptæ à noſtro Leone. Earum meminit Card. Baron. tom. 11. anno Dom. 1088. ſub nomine tamen Leonis Oſtienſis: extantque modo prædictæ epiſtolæ tom. 7. Concil. Binij: fecit & eius Regeſtum, ſed caremus eo. Notandum tandem eſt hic obiter, Card. Baronium ſupra cit. loco, Poſſevinum in ſuo Apparatu, alioſque mente lapſos fuiſſe, putantes Leonem Marſicanum Cardinalem & Epiſcopum Oſtienſem, eundem eſſe cum Leone noſtro Cardinale Diacono; dum Regeſtrum Vrbani, eiuſque epiſtolas, quas ſcriptis prodidit, attribuant Leoni Oſtienſi, ſicque ex duobus unum faciunt, decepti, ut arbitramur, ex eiuſdem nominis nuncupatione, ferèque eodem tempore promotione duorum monachorum Caſinenſium in cœtum S. R. E. Cardinalium, indeque fuerit natus error.

CAPVT XXXII.

GRegorius Tarracinenſis Epiſcopus parvulus & ipſe in Caſino oblatus, memoria tenax, ingenio vivax, tantæ fuit gravitatis, ſuavitatis, ac eloquentiæ, ut à nonnullis Columna Eccleſiæ diceretur. Scripſit paſſionem Sanctorum Caſti & Caſſij: Paſſionem S. Virginis Reſtitutæ: vitam Sancti Confeſſoris Chriſti Gerardi: Homiliam de Aſſumptione Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ: Cantus Sanctorum Caſti & Caſſij; hymnos eorum: Verſus de tranſitu peregrinorum ad ſepulchrum Domini, & captione Hieroſolymitanæ urbis rogatu Berardi Valvenſis pulcherrimos fecit. Hiſtoriam Ionæ: Verſus de Dedicationibus Eccleſiarum, feſtivitateque Paſchali: De Sancto Andrea. Homilias de totius anni feſtivitatibus. Fuit autem temporibus Alexij, Henrici, ac Ioannis Imperatorum: ſepultus vero eſt apud Pipernenſem Eccleſiam.

ANNOTATIO.

ECcleſiæ Tarracinenſi Præpoſitus elegitur à Paſchali Papa II. in quam poſtea noſter Gregorius exima admodum doctrina refertus, omnique ſcientia exornatus, virtutum ſemina inſeruit, vitiorum elementa eraſit optimis præceptis moribuſque ſubditos præcipuè imbuens, & quo denique radij ſolis, *Meliorem nullum illuxere alterum*, ut ex eius operibus, quæ m. m. ſſ. paſſim in multorum manibus verſantur, dignoſcitur. Interfuit Concilio Vaſtellenſi anno 1106. Idem Bullam quandam ſubſcripſit Piſanæ Eccleſiæ indultam anno 1115. Ipſum iterum commemorat noſter Petrus in auctario Chron. Caſin. lib. 4. cap. 42.

Acta Sanctorum Caſti & Caſſij, qui Epiſcopi habentur, & coluntur à Soranis, Scripta fuiſſe à noſtro Gregorio, dum monaſticum habitum gerebat, teſtatur Card. Baron. in Martyrolog. Roman. ad diem primam Iulij. Acta verò S. Reſtitutæ Virginis, & Martyr. Romanæ, cuius feſtum pariter Soræ celebratur ſub die 27. Maij, pariter à Gregorio conſcripta, ſummatim in catalogo Sanctorum Ferrarij leguntur.

In Bibliotheca Caſinenſi extat Codex m. ſ. ſignatus num. 30[illegible]. in quo deſcribitur hiſtoria de via Hieroſolymis qualiter recuperata ſit, qualiterque etiam Anthiochia, & eadem Hieruſalem ab invaſione Gentilium per fideles Chriſti liberatæ fuerint; incipit. *Tempore quo Alexius Imperij Conſtantinopolitani regebat habenas, quo & Beatæ recordationis Vrbanus Papa II. Romanæ Sedis Pontificium adminiſtrabat, fuit quidam eremi accola in Galliarum regione Petrus nomine*, &c. Perducit hiſtoriam uſque ad Regnum Balduini. Putant nonnulli prædictam hiſtoriam eſſe Gregorij, qui rogatu Berardi Valvenſis, etiam verſus de tranſitu peregrinorum ad ſepulchrum Domini, & captione Hieroſolym. Vrbis ediderat.

Notandum, noſtrum Gregorium longè diverſum eſſe ab altero Gregorio pariter Caſinenſi, & Epiſcopo Sinueſſano, de quo in ſequenti: unde nonnulli ex eiuſdem pariter nominis nuncupatione decepti ex duobus unum faciunt: dum opuſcula, quæ literis conſignavit noſter Gregorius, ſequenti Gregorio attribuunt; ſed lapſus utique talis primo condonandus eſt Poſſevino in Apparat. in verb. Gregorius, deinde vero iis, qui de Scriptoribus poſt Poſſevinum conſcripſerunt.

CAPVT XXXIII.

GRegorius Sinueſſanus Epiſcopus, & Caſinenſis Monachus, magnus ingenio, præclarus eloquentia. De captione Caſinenſi Cœnobij verſus deſcripſit mirificos, in quibus introduxit B. Benedictum ad Monachos Caſinenſes loquentem. Compoſuit & multa alia, quæ in noſtras manus minimè venerunt. Fuit vero ſupradictis Imperatoribus: ſepultus eſt in Epiſcopatu ſuo.

ANNOTATIO.

HIc fuit Epiſcopus Sinueſſanus, ſic legendum putamus, non Limeſſanus, ut perperam in aliquibus Cod. m. ſſ. ſcriptum notavimus. Floruit anno Domin. 1120. circiter; vir in ſacris literis doctus, ac poeticæ artis diſertiſſimus: eius opuſcula m. ſ. in Caſin. Biblioth. aſſervantur.

CAPVT XXXIV.

BRuno Signienſis Epiſcopus, & Caſinenſis Abbas, inſigniſſimus, & ſplendidiſſimus Eccleſiæ defenſor, & Doctor. Inter multa & præclara ingenij ſui monumenta ſcripſit rogatu Signienſium Canonicorum expoſitionem ſuper Pſalterium, ſuper Geneſim, ſuper Exodum, ſuper Leviticum, ſuper Numerum, ſuper Deuteronomium, ſuper Cantica Canticorum, ſuper Iudicum. Fecit & ſermones hos; de laudibus Eccleſiæ in Dedicatione templi, de Paradiſo, de Arca Noe, de Tabernaculo Fœderis, de Templo Salomonis; & de muliere; per quam Eccleſia ſignificatur. De Civitate ſancta Hieruſalem, de Baſilicis quæ ab Epiſcopis dedicantur. Item de Evangeliis: de ornamentis Eccleſiæ, de Fide, de Spe, de Charitate, de quatuor virtutibus, de humilitate, de miſericordia, de pace, de patientia, de caſtitate, de obedientia, de abſtinentia: Vbi Eccleſia ornatur, de novo mundo, de Cœlis novis, de nubibus novis, de montibus novis, de arboribus novis, de poteſtatibus novis, de mari & piſcatoribus novis, de avibus novis, de fluminibus novis, de animalibus novis: De feſtivitatibus feſtivitatum, id eſt, de Sancta Trinitate ſermones tres; de Nativitate Domini, de Circumciſione, de Epiphania, de octava Epiphaniæ, de Palmis, de Cœna Domini, de Paſcha, de Aſcenſione Domini, de Pentecoſte, de Nativitate Sanctæ Mariæ, de Annuntiatione, de Purificatione, de Aſſumptione eius, de Virginibus ſermones tres, de Martyribus ſermones ſeptem: homiliam in feſtivitatibus Confeſſorum, aliam in feſtivitate Sancti Benedicti, cum ſermonibus duobus de Pontificibus; quatuor de S. Angelo: de Apoſtolis homilias quinque, de pluribus martyribus tres, de uno martyre duas, de dedicatione Eccleſiæ, in Adventu Domini, Dominica ſecunda de Adventu, Dominica tertia, de Annunciatione Beatæ Mariæ homilias duas: de Dominica quarta de Adventu: In Vigilia Nativitatis Domini, in die homilias tres, in Sancti Stephani, in Sancti Ioannis,

Evangeliſtæ, in feſtivitate Innocentium, Dominica prima poſt Natalem Domini, in octava Domini, in Epiphania: Dominica prima poſt Epiphaniam, Dominica tertia, quarta & quinta. In Purificatione Sanctæ Mariæ, in Septuageſima, in Sexageſima, in Quinquageſima, in cinere & cilicio. Feria ſexta, & Sabbatho in capite Quadrageſimæ uſque in cœnam Domini homilias quadraginta. In cœna Domini, Sabbatho Sancto, in feſtivitate Paſchali, in feria ſecunda, tertia, quarta, quinta, & ſexta, & Sabbatho, in octavis Paſchalibus, in Dominica prima, ſecunda, tertia, & quarta poſt octavas Paſchæ, in proceſſione maiori; in feſtivitate Apoſtolorum Philippi & Iacobi, in Inventione Sanctæ Crucis, in Sancto Angelo, in Aſcenſione Domini, in Dominica prima poſt Aſcenſionem Domini, in Pentecoſte, Dominica prima poſt octavam Pentecoſten, Dominica ſecunda, tertia, & quarta. In Sancti Ioannis Baptiſtæ, in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, & in die eorum, in Dominica prima poſt Natalem Apoſtolorum cum homiliis viginti quatuor. In S. Laurentio, in Aſſumptione S. Mariæ. S. Matthæi, vigilia S. Andreæ, & in die eiuſdem: ſermonem de ſancta Scholaſtica, ſermonem de tranſlatione S. Stephani è Civitate Conſtantinopolitana ad Arcem Romanam: verſus in laudem Sanctæ Mariæ; homiliam in decollatione Sancti Ioannis Baptiſtæ, in Nativitate Sanctæ Mariæ. Fuit autem temporibus ſupradictorum Imperatorum. Sepultus eſt in Epiſcopatu ſuo apud Civitatem Signinam.

ANNOTATIO.

SAnctus Bruno Aſte natus eſt ex familia Soleria nobiliſſima, à Gregorio Septimo Epiſcopus Signinus creatur, in virtutum, ac doctrinæ præmium, quod Berengarium impiè de Sacramento Altaris ſentientem in publico Romano Concilio diſputando profligaſſet: deinde deſiderio vitæ contemplatricis tactus abdicato onere Epiſcopali Monachum Caſinenſem profeſſus eſt anno 1104. ubi poſtea omnium monachorum ſuffragio Abbas Caſinas electus anno 1107. idibus Novembris ibique præfuit annis tribus & menſibus 10. quibus exactis, ad Eccleſiam Signinam, quam permutus acceperat, rediit, Pontificis reverentia victus. Nos verò ne tanti Doctoris laudes culpa deteramus ingenij, calamique parum felicis, illum aliis mittimus laudandum. Opuſcula Brunoni duobus diſtincta tomis in lucem prodierunt anno 1651. Venetiis ſtudio & opera D. Mauri Marcheſij Caſinenſis Decani ſcholiiſque etiam illuſtrata: & licet non omnes lucubrationes, quæ in noſtri Petri elencho deſcriptæ ſunt, inibi legantur; multæ tamen, quas Petrus præteriit, ibi habentur: nonnullæ verò m. ſſ. extant Taurini in nobiliſſima ac celeberrima Bibliotheca Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis præſertim verò Commentarius in cuncta quatuor Evangelia, uti etiam aliqua in Biblioth. Illuſtriſſimi D. Caroli de Montchal Archiepiſcopi Toloſani, ſcribit Philippus Labbeus in nova Biblioth. m. ſſ. librorum pag. 199. Forſan tempus, quod publica abſcondit, & occulta manifeſtat, Dei miſeratione orbem, tantis ditabit continuo theſauris. Conſule auctarium de ſcript. Eccleſ. Auberti Miræi in Brunone, ac Vir. Clar. Theophilum Raynaudum Societatis Ieſu, de malis ac bonis libris partit. 1. erot. 10. in Euſebio Emiſſeno, & in Brunone Chartuſ. fol. 131. & 138. E valle miſeriarum in montes æternitatis aſcendit Bruno, anno 1125. 15 Kal. Auguſti, cum multis tam in vita, quàm in morte claruiſſet miraculis, relatus poſtea inter Sanctos à Lucio III. ut videre eſt in ſubiecta inſcriptione marmorea, quæ in Signina Cathedrali ſpectatur. *Memoriæ æternæ Beati Brunonis, quem Lucius III. Pontif. Max. Card & Epiſcop. conventus Signiæ in Eccleſia Beatæ Mariæ, ubi defunctum corpus quieſcebat, inter Sanctos iuſſit adſcribi anno ab eius abſceſſu 58. S. P. Q. S.* Meminit Martyrolog. Rom. ſub die 18. Iulij: plura de eo noſter Petrus in auctario Chron. Caſin. lib. 4. cap. 33. Vide etiam apparatum ad præfata edita opuſcula Sancti Brunonis.

CAPUT XXXV.

IOannes Medicus, ſupradicti Conſtantini Africani diſcipulus, & Caſinenſis Monachus, vir in phyſica arte diſertiſſimus, ac eruditiſſimus: poſt Conſtantini ſui magiſtri tranſitum aphoriſmum edidit Phyſicis ſatis neceſſarium. Fuit autem ſupradictis Imperat. Obiit autem apud Neapolim, ubi omnes libros Conſtantini ſui magiſtri reliquit. *Claruit anno Domini 1072.*

CAPUT XXXVI.

PAulus è Liguria Romanorum provincia ortus, & ab ipſa infantia occulto Dei iudicio lumine privatus, & ob hanc rem literis, & philoſophicis ſtudiis ignarus, tantum uſque in hodiernum diem de ſe miraculum præbuit, ut ab omnibus alter Didymus appelletur. Hic poſtquam ſcripſit altercationem Romanorum, & Græcorum, quæ facta eſt in Civitate Conſtantinopolitana, ſub Oderiſio Abbate, Caſinenſe Cœnobium adiit temporibus Paſchalis II. Papæ, & Alexij Imperatoris. Super Eſaiam, ſuper Hieremiam, & ſuper reliquos Prophetas: ſuper Pſalterium, ſuper Matthæum, ſuper Marcum, ſuper Lucam, ſuper Ioannem, ſuper epiſtolas Pauli, ſuper Apocalypſim. Non ſolum autem Grammaticam, verum & reliquas artes auditu tantum pleniſſimè corde tenus didicit. Scripſit etiam vitam S. Ebizzonis Monachi Caſinenſis, qui Hilarioni ſimilis fuit. Extant & alia eius librorum volumina, quæ in noſtras manus nondum venerunt. Obiit autem apud Tiburtinam Civitatem.

ANNOTATIO.

VLtimis Henrici III. ac primis Henrici IV. temporibus ſcilicet anno 1100. Claruit Paulus Genuenſis, ab eodemque noſtro Petro in auctario hiſt. Caſin. lib. 3. cap. 47. Paulus Grammaticus etiam vocitatus; qui & ſi oculorum lumine eſſet orbatus, tanto tamen ingenij acumine fuit excultus, tantaque perſpicuitate cæterorum ſenſuum extitit decoratus, ut ab omnibus venerari promeruerit, deque illo verè poterat dici, *Dominus illuminat cæcos.*

Sanctus Ebizo ſeu Gebizo, cuius vitam deſcripſit noſter Paulus, Colonia oriundus fuit, & Monachus Caſinenſ. ſub deſiderio Abbate, inter præclara eius geſta refertur, quod animam Adonis amici, quam dæmones ad ſupplicium trahebant, precibus liberaverit: notavit id etiam noſter Petrus lib. m. ſ. de ortu, & vit. Iuſtor. Caſin. cap. 51. & in auctario hiſtor. Caſin. lib. 3. cap. 47. Vide Hugonem Menardum in martyrolog. Bened. ad diem 20. Octobris ac lib. 1. Dialog. Victoris Papæ III. pag. 20. Cætera opuſcula, tempora nobis ut credimus, inviderunt, ſed quid tum; cum hiſce temporibus inveniantur viri, qui pro eruendis antiquitatum prophanorum quiſquiliis non ſolum in viſcera terræ penetrant, verum etiam viſcera opum profundunt, theſauros verò inviſos ſacrorum monumentorum, quæ animos beant: ita nauſeant, ut obolo potius parcere velint, quàm haſce literarias exquirere divitias.

CAPUT XXXVII.

BErnardus Caſinenſis Monachus liberalibus ſtudiis optimè eruditus ſcripſit miracula S. Confeſſoris

Chriſti Amici Caſinenſis Monachi: fecit & alia multa, quæ recenſerè ſuperfluum duximus. Obiit autem noſtro pene ſub tempore.

ANNOTATIO.

VIta Sancti Amici Confeſſoris, quam Bernardus ſcripſit, inter noſtra ſacrorum monumenta m. ſ. hactenus inedita ſervatur, incipit. *Beatus Amicus genere nobili ortus in finibus Comitatus Camerini, &c.* Locus, in quo natus, Atabona in Piceno (nomen eſt Abbatiæ) apud Montem Melonem, nuncupatur. Eius meminit Sanctus Petrus Damiani, ut Baron. annotavit ad ann. 993. ubi Amicum canonizatum eſſe, abſque tamen ſolemni ritu Eccleſiæ ſcribit. Agitur dies feſtus die 3. Novembris, multiſque, clarus miraculis fuit. Vide quæ obſervavit Lauretus in notis ad Chron. Caſin. in calce libri tertij, & Arnoldus Vvion in notis ad martyrol. Bened. Claruit Bernardus anno Dom. 1120.

CAPVT XXXVIII.

IOannes Diaconus divina, & humana ſcriptura peritiſſimus fecit verſus in laudem Sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ, & alia quamplurima, quæ ad noſtros obtutus nondum venere.

ANNOTATIO.

DIverſus eſt noſter Ioannes ab altero Ioanne S.R.E. Diacono, qui à Sigiberto in catal. cap. 106 laudatur & Anaſtaſio S. R. E. Bibliothecario familiaris fuit, qui etiam ſub annum 874. Libros quatuor de vita Sancti Gregorij Magni Papæ edidit, geſtáque Clementis Papæ ſcripſit, quæ m. ſſ. habentur in Caſin. Bibliothec. Vide Voſſium de hiſtor. Later. in Ioanne Diacono; maléque propterea nonnulli opuſcula eorum confundunt inter ſe, dum ex duobus unum faciunt.

CAPVT XXXIX.

PEtrus Diaconus inſtitutor meus declamator inſignis, è Civitate Theanenſi, de qua oriundus erat, egrediens, Caſinum advenit, atque ab Oderiſio Abbate Monachus factus eſt. Scripſit præterea in eodem Cœnobio poſitus, ſermonem de Septuageſima: de Dedicatione Eccleſiæ: de Nativitate Domini: de Epiphania, & alios quamplurimos. *Claruit circa annum Domini* 1080.

CAPVT XL.

LAndenulphus Parvulus in Caſino ſub Deſiderio Abbate Beato Benedicto oblatus: ac in divinis ſcripturis pleniſſimè doctus, & in earum ſenſibus ſubtiliſſima exercitatione limatus, de renovatione Caſinenſis Cœnobij, ſeu Architerij, ac regimine Deſiderij verſus mirificos fecit, quos idem Deſiderius Abbas in circuitu Capituli, & Clauſtri deſcribi præcepit. *Vivebat anno* 1060.

CAPVT XLI.

GVido Caſinenſis Presbyter, vir in humana eruditione clariſſimus, religione, & vita probatiſſimus, ſcripſit hiſtoriam Henrici Imperatoris, viſionem Alberici Monachi Caſinenſis; verſus de fortuna eiuſdem..... præterea quæ in hiſtoria Caſinenſi deerant, à temporibus ſcilicet Oderiſij primi uſque ad hunc diem, adiunxit.

ANNOTATIO.

VIvebat Guido tempore Girardi Abbatis Caſinenſis anno Domini 1111. inter elegantiſſimos ſcriptores ſua tempeſtate præcipuus. Viſio Alberici, de qua ſupra in Alberico Diacon. Cardin. penes nos extat m. ſ. tali lemmate. *Quia nonnulli veritatem mendacio inumbrare conſueverunt.* Summatim verò deſcripta à noſtro Petro legitur in Chron. Caſin. lib. 4. capit. 68. edit. Venetæ his verbis. *Huius tempore* (id eſt Girardi Abbatis qui ſedit ab anno 1111. uſque ad 1123.) *in Campaniæ provincia inſigne miraculum & antiquis per omnia ſimile contigit. Namque in caſtro Sanctorum ſeptem Fratrum, Albericus quidam nobilis puer cum decimum ageret ætatis annum, morbo correptus ad extrema perductus eſt. Quo tempore diebus novem, & totidem noctibus immobilis ac ſine ſenſu quaſi mortuus iacuit; hoc autem intervallo à Beato Petro Apoſtolo; duobúſque Angelis per loca pœnarum deductus ad infernale barathrum devenit. Demum ad Paradiſi amœna delatus, vidit Sanctorum manſiones, atque in Cœlum ſublevatus aereum, & à Beato Petro Apoſtolo ſufficienter edoctus de veteri teſtamento, de peccatorum pœnis, gloriáque Sanctorum: vidit arcana quædam, quæ loqui prohibitus eſt: ſicque per ſeptuaginta duas provincias ab eodem Apoſtolo deductus, vitæ redditus eſt. Huius viſionem, qui cupit cognoſcere: à Guidone huius Monaſterij Monacho deſcriptam, legat. Nos eam, quia per ora omnium vertitur, hic ſcribere omiſimus. Ex hinc Albericus ipſe, relictis ſeculi pompis Caſinenſe Cœnobium petiit, atque à Patre Girardo gratiſſimo affectu ſuſceptus, accepto ſanctæ converſationis habitu, Chriſto Regi militiam profeſſus. Tanta verò* (hodiéque) *abſtinentia, tanta pollet gravitate morum, ut & peccatorum inſpexiſſe pœnas, & Sanctorum gloriam vidiſſe nemo, qui dubitet. Nam ex illo tempore neque carnes aliquando guſtavit, neque vinum bibit: nudiſque ſemper inceſſit pedibus: atque in hac afflictione corporis, cordiſque contritione, & humilitate nunc uſque* (anno 1115.) *in Caſinenſi hoc monaſterio permanet, ut multa illa, quæ alios lateant, vel metuenda, vel deſideranda vidiſſe, etiam ſi lingua taceat, vita loquatur.* Huc uſque Petrus. Hiſtoria Henrici, neſcio quo infortunio nondum lucem viderit, dum hi, qui de rebus Henrici IV. & V. conſcripſerunt, de Guidone ſilentium altum habuerunt.

CAPVT XLII.

ROboas Diaconus, parvulus in Caſino à Girardo Abbate ſuſceptus, ſcripſit rogatu, quorundam amicorum ſuorum ſermones de totius anni feſtivitatibus, ac vitam S. Confeſſoris Chriſti Leonardi. *Claruit Roboas, ſive Noboas anno* 1120.

CAPVT XLIII.

PEtrus Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, & Caſinenſis Monachus, parvulus & ipſe in Caſino ſuſceptus, rogatu Petri Diaconi, ac Bibliothecarij, paſſionem Beati Marci verſibus adornavit.

ANNOTATIO.

PEtrus S. R. E. Subdiaconus Cardinalis appellatur ab Arnoldo Vvione lib. 2. cap. 9. Lig. vit. à quo autem Pontifice promotus, ignoratur, verum ab Arnoldo perperam nuncupatur S. R. E. Subdiaconus Cardinalis, cum in tabulis Eccleſiaſticis, Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi Cardinales in Eccleſia Romana tantummodo legantur. Vivebat anno Domini 1120.

A

CAPVT XLIV.

RAynaldus Caſinenſis Subdiaconus parvulus Beato Benedicto oblatus, vir valde eruditus, & verſificandi ſcientia antiquis per omnia comparandus, ſcripſit ad Petrum Diaconum, ac Bibliothecarium Sanctiſſimi Severi Caſinatis Epiſcopi in laudem verſus: Verſus quoque de vita B. Benedicti, ac B. Mauri. Hymnos in laudem Sancti Confeſſoris Chriſti, atque Pontificis Severi.

ANNOTATIO.

HYmni excuſi ſunt in Breviariis Caſinenſibus ann. 1568. & 1572. Vide quæ de Raynaldo notarunt Arnoldus libro 2. cap. 9. Lign. vitæ. Voſſius de hiſtor. Later. lib. 3. cap. 7. pag. 712. & Camill. Peregr. hiſtor. Princip. Langobard. in ſerie Abbatum Caſin. in Raynaldo.

B

Ex Supplemento Petri Diaconi de Viris Illuſtribus.

CAPVT XLV.

GElaſius Sedis Apoſtolicæ Pontifex, parvulus in Caſino ſub Deſiderio Abbate B. Benedicto oblatus, & ab Alberico Philoſopho edoctus. Scripſit in eodem Cœnobio poſitus, paſſionem Sancti Eraſmi, Sanctæque Anatoliæ: paſſionem quoque S. Cæſarij verſibus adornavit. Factus dehinc S. R. E. Cancellarius deſcripſit Regiſtrum Paſchalis Papæ II. demum verò in Apoſtolica Sede Pontifex factus, Henricum Imperatorem propter inveſtituram Eccleſiarum excommunicavit, atque pro ordinandis Eccleſiaſticis negotiis Galliam ingreſſus, apud Cluniacenſe Cœnobium obiit.

C

ANNOTATIO.

ANtea Ioannes Caietanus, natione Campanus, Creſcentij filius, nobili genere ortus, ex S. R.E. Subdiacono, & præſignatore Vrbani II. Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Coſmedin, & S. R. E. Cancellarius, ac Biblioth. Paſchali Papæ II. gratiſſimus extitit cuius ſenectutis baculus vocabatur; demum Pontifex ſub Gelaſij II. nomine creatur ann. 1118. die 22. Ian. Iuſtitiæ pater acclamatus. Poſt annum, & dies aliquot Pontificatus agens Matiſcone in pleureſim incidit, iuſſitque ſe lectica ferri in Cluniacenſe Cœnobium, ubi mortem oppetiit 4 Kalend. Febr. anno 1119. meritis inclytus, ac ſanctitate inſignis: ſtrato humi corpore cinere ac cilicio cooperto, poſtea ſepulto in monumento marmoreo opere Tuſco, & lapide candido, cui Petrus Pictavienſis cognomento Venerabilis Abbas Cluniacenſis, ac coëtaneus noſtri Gelaſij ſequens epitaphium poſuit.

D

Vir gravis & ſapiens, actu, verboque Ioannes,
Cum prius ex Monacho, pro multa ſtrenuitate
Archilevita foret, & Cancellarius Vrbis,
Præſule Paſchali meritis ad ſydera rapto,
Promeruit tandem ſacram conſcendere ſedem,
Dignus poſt primum Gelaſius eſſe ſecundus.
Sed, quia Rege ſuit non præcipiente levatus,
Horrendum fremuit Princeps: Et filia dulcis,
More ſuo, profugum ſuſcepit Gallia Patrem.
Si licuiſſet ei (pro certo crede) ſub ipſo
Virtus, & pietas, & honeſtas creſceret omnis,
Et pax Eccleſiæ toto floreret in Orbe.
Nam rapuit mors atra virum, cum Pontificatus
Vix ageret Primum Paſtor Venerabilis annum;
Bina dies tum teſtabat, cum Cluniacenſi

E

Dormiit in proprio Romani iuris Aſylo.
Hic igitur poſitus dilectos inter alumnos,
Cum Patribus ſanctis requieſcit, & optat ut orbis
Conditor, & Iudex veniat quandoque potenter,
Et cineres lapſos in priſtina membra reformet.
Felix inde nimis ſemper Cluniace manebis,
Quod Pater Orbis Apoſtolicus ſummúſque Sacerdos
Eccleſia, matriſque tuæ ſpecialis, apud te
Tranſiit ad ſuperos, in te requieſcit humatus.
Nec minus hic etiam felicem credimus illum,
Cui dedit ipſe pius magno pro munere Chriſtus
Vt Monachi Monachum Patrem quoque pignora cara
Iugiter aſpicerent lachrymiſque rigando ſepulchrum,
Sacris in precibus ſpecialem ſemper haberent.

F

De laudibus Gelaſij hæc notavit Cardin. Baronius, anno 1119. *Poſt Martyres, qui fuſo ſanguine martyrium conſummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vita tempore maiora ſit paſſus: ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus.* Gelaſium Sanctum Ioannettus nuncupat, virum ſanctiſſimum Genebrardus: Abbas Vrſpergenſis virum prudentem, venerandum, Apoſtolicæ Sedi ſemper irreprehenſibiliter collaborantem. Vide Gelaſij vitam à Pandulpho Piſano eius ſynchrono conſcriptam, ſtudio & opera Conſtantini Caietani editam: Martyrolog. Gallicanum ad diem 29. Ian. Martyrolog. Vuionis ad dictam diem, Sigonium de Regno Italiæ libro 10. & Hugonem Menardum in not. ad Mart. Bened. ſub die 27 Ian. qui à calumniis Orderici Vitalis Cœnobij Vticenſis, ſeu ſancti Ebrulfi Monachi libro 12. circa initium hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Normannorum Theopompino ſcriptionis genere exaratæ, Gelaſium ſanctiſſimum vindicat.

G

Paſſio Sancti Eraſmi Epiſcopi & Martyr. typis excuſa eſt Romæ 1639. ſtudio & opera præfati Caietani. Actorum SS. Anatoliæ ac Cæſarij rhythmicè à Gelaſio literis conſignatorum meminit Baron. in Martyrol. ad 9. Iulij, quæ temporum iniuria intercidiſſe exiſtimamus.

Ex epiſtolis, quas ſcripſit, quinque refert Binius tom.7.Concil. Vide Baron.tom.12. annal.anno 1118. & 1119. Regeſtum Paſchalis II. Papæ eius prædeceſſoris compoſuit, quod non extat, niſi m.ſ.

CAPVT XLVI.

IOannes Tiburtinus à Girardo Abb. in Caſino ſuſceptus, ſcripſit ſermone ſimplici ſermones de totius anni feſtivitatibus, fecit & alia nonnulla, quæ in noſtram notitiam non venerunt. Obiit autem temporibus Lotharij Imperatoris. *Claruit anno Domini* 1120.

H

CAPVT XLVII.

PEtrus Diaconus Caſinenſis Carthularius, ac Bibliothecarius, quinquennis ſub Girardo Abbate Beato Benedicto oblatus à Patre Ægidio natione Romano, atque ſub eodem Abbate per octo fermè annos eruditus eſt. Anno verò Incarnationis Dominicæ 1128. ætatis autem eius 21. cum Oderiſius Girardi Abbatis ſucceſſor Abbatiam reliquiſſet, ad exilium æmulorum ſuorum faciente invidia, directus eſt. In ipſo autem dum eſſet exilio, rogatus ab Adenulpho eiuſdem Vrbis Comite, deſcripſit ad Oderiſium Abbatem paſſionem Beati Marci, & Sociorum eius: vitam egregij Confeſſoris Falconis: vitam Sancti Placidi diſcipuli Sancti Benedicti. Vitam Sancti Apollinaris Abbatis: vitam Sanctorum Guinizonis,

& Ianuarij: Rhythmum de noviſſimis diebus, in quo iuxta literam videtur ſequutum eſſe Apoſtolum Ioannem, cum idem Petrus ſciret iuxta quod ibidem ſempiternum eſt, finitum pro infinito. Deſtructionem & reſtaurationem Atinæ Vrbis. In beati Marci adiunxit hiſtoriam. Scripſit etiam ſermones hos. De feſtivitate B. Marci ſermones octo, ſermonem in vigiliam eius. De vigilia SS. Nicandri, & Marciani. Sermonem de cœna Domini. Duos in Paraſceve, in Sabbatho ſancto; Homiliam de Sancto Benedicto. In Paſcha, in Aſcenſione, in octava Sancti Benedicti, in Pentecoſte, in feſtivitate ſancti Ioannis Baptiſtæ, de Sancto Petro & Paulo, de ſancto Laurentio: in vigilia ſanctæ Mariæ. Librum Illuſtrium virorum Cœnobij Caſinenſis, miracula Caſinenſ. Monachorum, quæ ſcripta adhuc minimè erant, deſcripſit. Hiſtoriam de everſione, ſeu reſtauratione Cœnobij Beati Mauri ex iuſſione Abbatis Senioretti emendavit, in qua & prologum ſcripſit. Fecit & prologum in libro privilegiorum ex rogatu Raynaldi Subdiaconi Caſinenſ. De S. Nicandro ſermonem. De tranſlatione S. Stephani Protomart. à Civitate Conſtantinopolitana ad Vrbem Romam. De ortu & vita Iuſtorum Cœnobij Caſin. In feſtivitate omnium Sanctorum. De Nativitate Domini ſermones duos. De ſancto Stephano. Chronica Cœnobij Caſin. à renovatione Eccleſiæ Beati Martini à Deſiderio facta, uſque ad hunc diem. Aſtronomiam ex veteribus libris collegit; Soſinum de miraculis breviavit. De generibus lapidum pretioſorum librum exaravit. Expoſitionem Regulæ in quatuor libros diviſit. Scholia in veteri teſtamento. Epiſtolas duas ad Lotharium Imperatorem. Ad Richizam Imperatricem. Librum notarum ex parvo ampliorem fecit. Vitruvium de Architectura Mundi abbreviavit. Librum Heve Regis Arabum de lapidibus tranſtulit. Hymnum de ſancta Chriſtina. Vitam ſancti Conſtantij Epiſcopi. Epiſtolam ad Conradum Imperatorem. Viſionem Alberici Monachi Caſin. corruptam emendavit. Scripſit & vitam ſancti Severi Epiſcopi, & Confeſſ. ex rogatu Raynaldi Subdiaconi Caſin. De ſancto Nicandro, & Marciano ſermonem de tranſlatione, & Chronicam Conſulum, Dictatorum, & Imperatorum compoſuit. Tranſlationem Beati Marci in Civitate Atina, & eius miracula exaravit. Cantus Beati Marci compoſuit, & ſanctorum Nicandri, & Marciani. Obiit autem in Caſino & ibi ſepultus eſt.

Explicit liber de Viris Illuſtribus Caſin.

ANNOTATIO.

PEtrus Caſinenſis Diaconus, Chartularius, Scriniarius, ac Bibliothecarius Caſinenſis, qui hunc de Viris Illuſtribus Caſinenſibus librum literis conſignavit, ex Patre Ægidio natione Romano, Gregorij Romanorum Patritij, & Conſulis Filio, ex Comitibus Tuſculanis, vir fuit in ſacris, humaniſque literis taliter eruditus, ut inter elegantiſſimos ſcriptores ſua tempeſtate præcipuus ſit habitus; Exceſſit è vivis poſt annum 1140. innumeros penè fœtus ſui ingenij ad Reipub. literariæ commodum relinquens, quorum ob temporis iniuriam hominúmque negligentiam nonnulli collapſi, ac diſperſi ſunt, eorum tamen indicem ipſemet Petrus lib. 4 Chron. Caſinenſ. cap. 68. edit. Venet. pertexuit; *Vah! quam multa tempus atrox falce metit.* Nil aliud typis cuſum modò legitur ſupplementum ad 3. lib. Chron. Caſin. Leonis Oſt. totus liber 4. eidem Chron. attextus: exorſus noſter Petrus, ubi Leo deſierat, ab anno ſcilicet 1086. proſecutus uſque ad ann. 1138. Et inſuper liber de notis literarum more Romano ad Conradum Imperatorem editus Venet. anno 1525. ſtudio Nicolai Erythrei, noviſſimè verò Hanoviæ unà cum auctoribus antiquis Grammaticæ Latinæ opera Heliæ Putſchij. Nonnullæ lucubrationes, quæ prælo hactenus non ſunt traditæ, in noſtro ſacrorum penario mſſ. aſſervantur, quas commemorare hic non diffugimus, & ſunt.

De ortu & vita Iuſtorum Caſinenſium, incipit. *Benedictus ſignifer.*

Scholia in diverſas ſententias. *Veni Verbum Dei.*

Scholia in quæſtiones veteris teſtamenti. Mos eſt ſanctæ Scripturæ tempora mutare.

Exhortatorium ad Monachos, in quo oſtendit, quid cuſtodire, quid cavere debeant, & de ſeptem vitiis & virtutibus. De Patriarchis: de Rege Ozia, & de Moyſe. *Omnibus, qui ſecundum Sancti Benedicti Regulam.*

Rhythmus de noviſſimis diebus. *Anno Chriſti paſſionis finito milleſimo Satanas Averni Princeps ſolvetur à vinculis.*

Altercatio pro Cœnobio Caſinenſi. *Igitur dum in conſpectu Imperatoris Lotharij.*

Catalogus Regum, Conſulum, Dictatorum, Tribunorum, Patriciorum, ac Imperatorum gentis Troianæ. *Saturnus Vranius.*

Epiſtola ad Lotharium Imperatorem Abbatis Caſinenſis nomine Guibaldi miſſa. *Poſt innumeras ſollicitudines.*

Epiſtola ſecunda ad eundem Imperatorem. *In variis, multiplicibus, ac diverſis tribulationibus conſtitutus.*

Epiſtola conſolatoria ad Richizam Romanam Imperatricem. *Multoties Imperatrix invicta.*

Epiſtola conſolatoria ad Richizam Imperatricem de obitu Lotharij Tertij Imperatoris. *Licet nervus inciſus doleat.*

Epiſtola conſolatoria ad Conradum Imperatorem ſecundum de electione ſua. *Benedictio, & claritas, & ſapientia.*

Sermo in Cœna Domini. *Scripturus venerabilem Domini paſſionem.*

Sermo in Paraſceve. *Hodie quadrifida fabrica Orbis innovatur.*

Sermo in Sabbatho ſancto. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti.*

Sermo in Reſurrect. Domini. *Reſultet hodie Cælum.*

Sermo in Aſcenſione Domini. *Hodie terrenis cæleſtia ſociantur.*

Sermo in feſto Pentecoſtes. *Redemptoris noſtri feſtivum diem.*

Sermo in Nativitate ſancti Ioannis Baptiſtæ. *Hodie evangelica tuba fulſit in Orbe.*

Sermo in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli. *Sanctiſſimus, ac feliciſſimus dies.*

Sermo de ſancto Laurentio Martyr. *Divini muneris ſacratiſſimum hodie.*

Sermo in vigilia Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis. *Sacratiſſima, ac intemerata Genitricis.*

Sermo in feſtivitate omnium Sanctorum. *Hodie æterni Imperatoris claritas.*

Sermo in Nativitate Domini. *Hodie mundo ſalus redditur.*

Alter ſermo in Nativitate Domini. *Hodie nobis pax vera refulſit.*

Sermo ſingularis in octava S. Patris Benedicti, ubi de miraculorum abundantia. *Egregij, atque pretioſiſſimi Confeſſoris Benedicti.*

Vita S. Placidi diſcipuli S. Benedicti, ſive Regeſtum eius compilatum à noſtro Petro circa annum 1130 ubi prolixæ narrationes variorum de vita, & martyrio S. Placidi, de oblationibus Tertulli, Iuſtiniani Imperatoris, & Vitaliani Papæ habentur.

Vita S. Severi Epiſcopi Caſinenſis ad Signorettum Abbatem. *Quia veſtra iuſſus poteſtate.*

Vita ſancti Apollinaris Abbatis ad Raynaldum Caſinenſis Cœnobij Diaconum. *Nimium admiranda.*

Vita ſanctorum Guinizonis, & Ianuarij ad Richardum Monachum. *Guinizonis ortum, vitam, obitúmque deſcripturus.*

A Sermo in vigilia ſancti Marci Atinenſis Epiſcopi. *Vigilias pretioſiſſimi Martyris & Pontificis Marci.*

De ſanctis Atinatibus, ſcilicet Marco Epiſcopo, Nicandro & Marciano, eorúmque miraculis. *Domitiano Imperatore* Eccleſiam perſequente.

Sermo in eorundem Martyrum feſtivitate. *Sanctam, venerandámque fratres chariſſimi.*

De B. Marco Atinenſi Epiſcopo ſeorſim à Nicandro & Marciano ſermones. Primus incipit: *Vnus idem eſt initium, celebritas, & gaudium*; alter verò: *Maximus Prophetarum.*

Hæc ſupramemorata opuſcula, quæ m. ſſ. ſervamus, communi orbis bono in lucem exitura ſperamus.

Exaravit inſuper noſter Petrus vitam ſancti Leonis Papæ ad Innocentium Papam ſecundum: librum etiam de locis ſanctis, ſive Itinerarium Terræ Sanctæ, continet ſeptem folia. Librum pariter, in quo deſcripti ſunt faſti conſulares, & ſeries Imperatorum, Ponti- **B** ficum, atque Abbatum Caſinenſium. Præterea expoſitionem in Regulam Sancti Benedicti, opus ſatis magnum, Cuius unicum fragmentum refertur à Viro Clar. Ioanne Bona lib. de Harmonia Pſallentis Eccleſiæ cap. 12. ſ. 2. de Officio parvo Beatæ Virginis Mariæ pag. 244. Item Regeſtum pervetuſtum ſign. num. 86. characteribus Langobardis in membranis ſcriptum ex mandato Senioretti Abbatis, habens folia 259. in quo continentur multa diplomata Monaſterio Caſinenſi a Romanis Pontificibus Imperatoribus, Regibus, Principibus conceſſa. Cuſtodiuntur ſupradicta opuſcula m. ſſ. in Caſinenſi Biblioth. ſcamno primo ad lævam ingredientibus.

De ſcriptis, laudibus, & vita noſtri Petri Diaconi, qui diverſus eſt ab alio Petro Diacono pariter Caſinenſi, qui vitam S. Athanaſij Neapolitani deſcripſit; agunt Leo Oſt. hiſt Caſin. Trithemius, Card. Baron. **C** Poſſevinus in ſuo Apparatu, Arnoldus Vvion. lib. Ligni vitæ, Camill. Peregr. in hiſtor. Princip. Langobard. pluribus in locis alijque quamplures. Vide etiam dictum lib. de Harmonia Pſallentis Eccleſiæ in verbo Petrus, cui præfixa eſt rara, & exquiſita notitia multorum auctorum cum librorum cenſura.

SVPPLEMENTVM Virorum Illuſtrium Monaſterij Caſinenſis Conflatum per Domnum **D** *Placidum Romanum Monachum, & Diaconum Caſinenſem.*

CAPVT I.

RICHARDVS Caſinenſis Abbas & Cardinalis ſcripſit expoſitionem ſuper Regulam ſanctiſſimi Patris Noſtri Benedicti. Claruit anno Dom. 1256. & ſepultus eſt Caſini, cum ſediſſet annis ſeptem.

ANNOTATIO.

SEpulchrum marmoreum Richardi Hannibaldenſis de Molaria Domini Arcis Molariæ in Latio infra Montes Tuſculanos, nobilis Romani, Diaconi Cardinalis S. Angeli hodie viſitur in Baſilica Lateranenſi, cum hac veteri inſcriptione. *Memoria Richardi Hannibaldenſis de Molaria S.R.E. Archidiaconi Cardinalis S. Angeli, qui à Gregorio Papa Nono creatus Roma ann. 1240. Obiit Lugduni in Concilio generali ann. Domini* 1274. Extat in Biblioth. Caſinenſi præfata expoſitio ſuper Regulam S. Benedicti.

CAPVT II.

E BErnardus Gallus Abbas Caſinenſis: Scripſit & ipſe ſuper Regulam Sancti Benedicti. Edidit quoque ſpeculum Monachorum. Fecit etiam regeſta duo, unum collationum beneficiorum, & officiorum: Alterum, omnium inquiſitionum iurium, & bonorum in Caſtris, & Villis Monaſterij Caſinenſis. Floruit anno 1272. Sepultus verò eſt in Caſino, cum ſediſſet annis viginti duobus.

ANNOTATIO.

BErnardus Ayglerius Gallus Monachus Cœnobij Saviniacenſis, diœceſis Lugdunenſis, Innocentij **F** Papæ I V. extitit Capellanus, & anno 1256. Abbas Sancti Honorati Inſulæ Lirinenſis, deinde iuſſu Vrbani I V. anno 1263. electus Abbas Caſinenſis, poſtmodum in cœtum Cardinalium adlectus ab eodem Vrbano aſſerunt nonnulli, alij verò, quod probabilius, à Clemente Papa I V. Vide notam Abb. Vghelli ad Ciac. in Clement. I V. Frizonem in Gallia Purpurata, & Arnoldum Vvionem lib. 2. cap. 9. Lign. vitæ pag. 217. Hunc certè Carolus Primus Rex Franciæ illuſtri prudentiæ ac virtutis fama notiſſimum plurimi fecit, cumque iter in Italiam ſuſciperet, eundem voluit & itineris comitem, & ſuorum participem, ac moderatorem conſiliorum. Quanti etiam habuerit Vrbanus Papa I V. noſtrum Bernardum, ex literis eiuſdem Vrbani ad ipſum, cognoſcere eſt; ex pluribus unam refert eruditiſſimus Marcus Antonius Scipio in elog. Abbat. Caſinenſ. in Bernardo. Inter opuſcula, quæ ſcripſit, ſolum extat typis cuſum Speculum Mo- **G** nachorum, in tres partes diviſum; Venetiis, & Coloniæ anno 1520. in 16. Liber ſuper Regulam Sancti Benedicti habetur m. ſſ. Caſini, & in Cœnobio Sancti Benedicti Mantuano: reliquæ verò lucubrationes in Archivio Caſin. m. ſſ. reperiuntur. Obiit Bernardus Caſini pridie nonas Aprilis anno 1282. ibidémque ſepultus.

Vnum verò notandum eſt, quod noſter Bernardus Ayglerius fuit à Diacono, & Pannino in Elencho Cardinalium prætermiſſus, nec inter purpuratos nominatus, eo quod, ipſi putaverint Clementem Papam I V. nullum creaviſſe Cardinalem, ut aſſerit eruditiſſimus Petrus Coretinus in Chronologia Epiſcoporum Viterbienſium, ideóque in Sede vacante Clementis I V. Ciaconus decem & ſeptem Cardinales numeravit, ac propriis nominibus expreſſit non recenſito noſtro Ayglerio, cum re vera decem & octo fuerint, quod colligit idem Coretinus ex quodam diplomate aſſervato in Archivio Civitatis Viterbienſis, **H** quod tibi damus ex originali tranſcriptum ſingulari humanitate Vir. Clar. Dominici Magri Melitenſis Canonici Viterbienſis Cathedralis, in quo Henrico Cardinali Oſtienſi (qui ſummam in iure Canonico edidit, quamque vulgo ob excellentiam Oſtienſem vocamus) conceditur facultas exeundi è Conclavi à cæteris Collegis, qui præter dictum Henricum ſunt decem & ſeptem, ut clarè habetur ex decem & ſeptem ſigillis ex cera rubra pendentibus cum Sanctorum imaginibus temporum iniuria conſumptis in infraſcripto diplomate, Ex his infert dictus Coretinus omnes in Conclavi fuiſſe decem & octo, inter quos erat noſter Bernardus creatus unica promotione à Clemente Quarto cum ſigillum Henrici non extitiſſe credendum ſit, qui facultatem exeundi è Conclavi petebat, aſſenſum verò non præſtabat, pro cuius ſigno ſigillum in diplomate apponebatur. Ex tunc enim Conclavis uſus invaluit, qui uſque ad hæc noſtra tempora perſeverat; nam antea Cardinales conveniebant ſummo mane in Cathedrali Eccleſia, ibique ſuffragia pro eligendo Summo Pontifice ferebant, quibus peractis ad eorum domicilia revertebantur.

A Viterbienſes autem hortatu Sancti Bonaventuræ, qui tunc ibi degebat, Duce Raynerio Gatto Civitatis portis obſeratis, & Cardinalibus ipſis in Epiſcopale Palatium prope Cathedralem conſtructum, adductis, omnes ibidem die Pentecoſtes incluſerunt: ſicque Conclavis originem traxit; ut Panvinus etiam cum Ciacono aſſirmat. Sed quia pervicaces ac obſtinati nihilominus ad electionem ſe demonſtrabant, Raynerius Gattus tunc Civitatis Viterbienſis Capitaneus, ac Conclavis cuſtos, quique alimenta neceſſaria Patribus quotidie ſubminiſtrabat, diſcooperta aula Palatij, vt legitur in præinſerto diplomate his verbis. *Datum Viterbij in Palatio diſcooperto*, Cardinales ad Pontificis electionem ineundam aëris iniuria rerúmque penuria compulit, edoctus à Card. Ioanne Anglo cognomento de Toleto Monacho Ordin. Ciſterc. Epiſcopo Portuenſi quem aliqui perperam de Franciogia nuncupant, qui ad Sociorum diſcordiam exprobrandam Palatium ſupradictum, in quo electio fieri debebat, tecto & lateribus nudandum, quibuſdam ſalibus facetis iactis, prædicabat; ut Papirius Maſſo- B nius, Panvinus, Vghellus tom. 1. Ital. ſacr. in elencho Epiſcoporum Portuenſium in Ioanne fol. 162. Odoricus Raynaldus ad annum Domini 1271. num. 12. referunt, adeo ut perrupta animorum duritie prævio compromiſſo inter eos in Tedaldum de Vicecomitibus Placentinum Archidiaconum Leodienſem extra eorundem Patrum numerum, & tunc in Syria pro Chriſti fide commorantem die prima Septembris 1271. Pontificem creaverint ſub nomine Gregorij X. poſt longam duorum annorum, novem menſium, ac unius diei, Sedis vacationem.

Exemplum præfati diplomatis eſt huiuſmodi.

C NOs miſeratione divina Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardin. Infirmitati Venerabilis Fratris noſtri H. Oſtienſis, & Velletrenſis Epiſcopi Fraterno compatientes affectu, vobis Alberto de Monte Bono Poteſtati, & Raynerio Gatto, qui pro Capitaneo Viterbienſi te geris, & Communi Viterbienſi tenore præſentium ſub debito fidelitatis, quo nobis Eccleſiæ Romanæ tenemini diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus cum idem Epiſcopus iuri, & voto ſibi competentibus in electione Romani Pontificis renunciaverit coram nobis quantum ad præſentem vacationem duntaxat, volens, ut non obſtante eius abſentia, ſine ipſo hac vice liberè procedamus ad providendum Romanæ Eccleſiæ de Paſtore ratam habiturus, & gratam electionem, ſeu proviſionem, quam de Romano Pontifice abſque ipſo, & eius requiſitione duxerimus faciendam, ac inſtanter petierit vobis mandari, ut de Palatio, in quo ſumus incluſi, ipſum permitteretis exire, eumdem Epiſcopum de ipſo Palatio ſtatim egredi libe- D rè permittatis, nec ipſum de cætero aliquatenus detineatis invitum. Datum Viterbij in Palatio diſcooperto Epiſcopatus Viterbienſis 6. Idus Iunij anno Domini 1270. Apoſtolica Sede Vacante.

Loco †††††††††††††††††† ſigillorum pendentium ex cera rubra numero decem & ſeptem.

CAPVT III.

IGnatius Florentinus, Monachus Monaſterij Florentiæ, & Abbas Caſinenſis, nobilitate inſignis, & in Divinis, & humanis ſcientiis apprimè eruditus. Scripſit ſermonem pulcherrimum in honorem Sanctiſſimi Benedicti cúmque coram magno Monaſterij, & populi cœtu habuit, quando ſolemniter capta eſt poſſeſſio Monaſterij Caſinenſis, ſub Euſebio E Mutinenſi eiuſdem Cœnobij Abbate, anno Domini 1505. Scripſit & carmen Saphicum in honorem, & laudem Sanctiſſimæ Trinitatis. Edidit quoque hymnos in honorem Sancti Berthatij Martyris, & Abbatis Caſinenſis. Claruit temporibus Leonis X. cuius dicebatur affinis. Sepultus verò eſt in Abbatia Civitatis Florentiæ, cum ſediſſet annos novem in hac Caſinenſi Abbatia.

ANNOTATIO.

DE Ignatio filio Manfredi ex nobiliſſima Squarcialuporum Familia oriundo, viro doctiſſimo, ac divini cultus zelantiſſimo, hæc ſcribit Michael Pocciantius in catalogo Scriptorum Florentinorum. *Ignatius Squarcialupus Monachus Benedictinus eiuſdem Congregationis Generalis Abb ampliſſimus, vir vita ſanctitate, & bonarum literarum ſcientia clarus, atque poeta illuſtris, cuius ingenium omnibus ingiter admirandum* F *extitit: elaboravit tàm metro, quàm proſa, opuſcula quædam, quibus memoriam ſui poſteritate commendavit, è quibus iſta feruntur.*

De Virginitate hymnus carminibus exametris.

Epiſtola Divi Benedicti ad Scholaſticam hetruſcis verſibus exarata. Orationes multis in locis ſuæ Congregationis in ſolatium Patrum habitæ.

Rurſus hymni nonnulli, inter quos præcipuus extat ille in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, quem Patres Caſinenſes ſuis in Eccleſiis concinunt: & quædam alia.

Mors eum ex humanis abſtulit Florentiæ 1520. cuius oſſa in Abbatia Florentina conquieſcunt.

Hæc de Ignatio Poccíantius, præter memorata, conſcripſit etiam Ignatius, teſt. Arnoldo lib. 1. cap. 16. Ligni vitæ pag 29. 30. infraſcripta opuſcula. De viſione Illuſtr. Principis Ferrandi Gonſalui compendium lib. 1. *Dicamen Illuſtris Ferrandi.* De aggrega- G tione Monaſteriorum Siciliæ ad Congregationem Caſinenſem ſermon. 1. *Superat vires motes.* Extabant his proximis annis penes Abbatem Conſtantinum Caietanum. Carmen Sapphicum in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & de ſancto Berthario hymni habentur m. ſſ. in Biblioth. Caſinenſ. De eo agunt Arnoldus lib. 1. cap. 15. 16. lib. 5. cap. 8. Covaccius lib. 6. Petrus Recordatus dial. 4. pag. 457. Diplomata Leonis X. ſub datum Romæ anno 1514. anno II. ſui Pontific. Scipio in elog. Abbat. Caſinenſ. fol. 215.

CAPVT IV.

BEnedictus de Sancto Severino Monachus Caſinenſis, in Philoſophia & divinis Scripturis apprimè eruditus. Fuit temporibus Caroli V. & ſepultus eſt in Caſino. *Claruit anno Domini* 1520.

CAPVT V.

H IVſtinus Hiſpanus Monachus profeſſus Monaſterij S. Iuſtinæ, & huius Cœnobij Abbas nonageſimus ſeptimus, vir in Philoſophia, & divinis ſcientiis doctiſſimus, ac hiſtoriæ amator. Fuit temporibus Caroli V. Imperatoris, & ſepultus eſt in Monaſterio S. Iuſtinæ, cum ſediſſet anno uno in hoc Cœnobio. *Claruit anno Domini* 1522.

CAPVT VI.

AVguſtinus Paduanus Monachus profeſſus Monaſterij S. Iuſtinæ, & Abbas Caſinenſis nonageſimus nonus, vir in philoſophia, ac divinis ſcientiis doctiſſimus. Floruit temporibus ſupradicti Imperatoris. Obiit Brixiæ, & ſepultus eſt in Monaſterio Sancti Fauſtini, cum ſediſſet in Abbatia Caſinenſi annis tribus.

A

ANNOTATIO.

ABbas Caſinenſis nonageſimus octavus, originem ducens ex familia Bonfiliorum claruit ann. 153 . Vide elog. Marc. Ant. Scipionis pag. 225.

CAPVT VII.

INnocentius de Novaria, profeſſus Monachus Monaſterij Florentiæ, & huius monaſterij Abbas centeſimus quartus, vir diſertus & valde eruditus in divinis Scripturis: Verum in Philoſophia & Matheſi verſatiſſimus. Claruit temporibus Caroli V. & Maximiliani Imperatorum. Obiit Venetiis, & ſepultus eſt in Monaſterio S. Georgij, cum ſediſſet in hoc monaſterio annis tribus.

B

ANNOTATIO.

INnocentius filius Nicolai Novarienſis, vir linguis Græcis, Hebraicis, Chaldæis, ac Latinis verſatus & in omnibus ſcientiis eruditus. Deceſſit anno 1557. Agit de eo Vvion. lib. 1. cap. 16. lib. 5. cap. 8. Vlmus, atque Marcus Antonius Scipio in elog. Abbatum Caſinenſium.

CAPVT VIII.

ANgelus Sangrinus Abbas & reſtaurator Cœnobij Caſinenſis ſub Vincentio Neapolitano Abbate huius monaſterij: Monachus ab adoleſcentia in Caſino factus eſt, vir reverendus & omni bonitate, & ſanctitate redimitus, religione, & vita probatus, & in divinis ſcripturis verſatiſſimus, Poëta inſignis

C & admirabilis. Scripſit innumera penè opera, inter quæ hæc tantum brevitati conſulens referam, Carmen heroicum de ineffabili Ieſu nomine. Meditationes ſeptem in ſeptem noviſſima verba Ieſu Chriſti eodem genere carminis exaratas: ſimiliter de miſericordia, amore & bonitate Dei erga peccatores: De ſpe peccatoris in Deum: Speculum peccatoris: Paræneſes ſex in hebdomada ſancta: De nominibus Ieſu. De contemptu divitiarum, & vanitate humanæ vitæ. Elegias duodecim de Ieſu pietate, & amore in peccatores. Triumphum divini amoris. Carmen ſapphicum in Nativitate Domini, & in omnes alias eiuſdem feſtivitates. Epicedium in mortem Domini: De Ieſu beneficiis in homines. Scripſit & librum unum diverſo carminum genere de laudibus B. Mariæ Virginis. Extant quoque libri duo, in quibus celeberrima nonnulla Sanctorum, & Sanctarum ſacra vario de-

D ſcribuntur metro; eorúmque geſta hymnidicis proferuntur modulis. Aureas etiam, divináſque ſententias ex Davidis Pſalmis excerptas elegiaco carmine conſcripſit. Inſuper vitam Sanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, carmine heroico conſcripſit. Elegias duodecim de paſſione Domini: Paraphraſim vario metri genere excultam in Pſalterium Davidis Regis. De martyrio Monachi: Vitam B. Guillelmi Anacoretæ carmine ſapphico: Vitam S. Patris Benedicti, Sanctorum Mauri, Placidi, & Ioannis Baptiſtæ carmine heroico. Vitam aliam S. Benedicti carmine ſapphico, & ſoluta oratione moralem expoſitionem continentem. Tractatum orationis quadraginta horarum: & Pſalterium glorioſæ Virginis Mariæ carmine ſapphico: Scripſit etiam quamplura alia poëtica, quæ longum eſſet ſingula enarrare. Edidit etiam dialogos, homilias, & ſermones multos ſoluta oratione. Vivit uſque hodie & ſeptuageſimum octavum exceſſit annum.

ANNOTATIO.

AB oppido Sangri familia de Faggis ortus eſt Angelus, qui, (ſi Platonis illud verum eſt, nomina rebus plerumque convenire) Angeli inſtar fuit, priſcæ quidem virtutis, ac ſanctitatis exemplar, temporis avariſſimus, & diligens, horarúmque pervigil diſtributor, poëtica facultate uſque adeo pollebat, ut quidquid libuiſſet, facilè atque ubertim penè extemporaneo carmine enunciaret. Opuſcula quæ edidit, teruntur paſſim eruditorum manibus impreſſa Coloniæ Agrippinæ. Pſalmos David mira Paraphraſis arte colligavit imitatione Hebræorum, quos numeris decurrere auctor eſt Hieronymus, vt & Iobi pleraque, & Hieremiæ Threnos: extat impreſſa paraph. iſta Venetiis 1540. & Baſileæ 1551. Romæ verò 1587. in 4. excuſa eſt vita Sancti Benedicti carmine heroico. Tractatus quadraginta horarum habetur impreſſus Florentiæ 1587. in 12. & Tridenti in 16. Obiit Caſini ann. 1593. ætatis ſuæ 93. cuius corpus anno octavo poſt quam terræ mandatum fuerat, integrum illæſumque ſe vidiſſe in ſepulchro teſtati ſunt nonnulli. E F

CAPVT IX.

HOnoratus Hiſernienſis, ex familia Faſcitella, in Caſino Monachus ſuſceptus eſt ſub Vincentio Neapolitano. Poſtea verò creatus eſt Epiſcopus de Inſula in Calabria, Vir in Græcis, humanis, & divinis literis verſatiſſimus. Poëta inſignis. Scripſit quamplurima opera, quæ temporum calamitate ad manus noſtras non devenerunt. Floruit temporibus Caroli V. & Maximiliani Imperatorum.

ANNOTATIO.

MArci filius natus anno 1502. laudatus à Bembo, Ioanne Caſæ, Flaminio, aliiſque doctiſſimis viris; cuius etiam poëmata lepidiſſima leguntur apud Iovium in elog. Suntque impreſſa quoque in deliciis Poëtarum Italorum. Inſigne edidit opus de factis Alphonſi Avoli Marchionis Vaſti. Anno Domini 1551. G
die 30. Ian. à Iulio Papa III. ornatus Infula Epiſcopali; præceptor datus Innocentio Montio Cardinali eiuſdem Pontificis Nepoti adoptivo. Meminere Ioannucius Gerus lib. 1. Poëtarum Illuſtr. Italiæ & Caramella in ſuo Muſeo Illuſtriorum Poëtarum hoc diſtico.

Lactem eſt vates. Cur lactem? undeque lactis
Nomen habet? verſu eſt candidus atque tener.

Interfuit Concilio Tridentino. Romæ obiit menſe Martij 1564. ibidémque ſepultus poſtquam Epiſcopatum reſignaverat anno 1562.

CAPVT X.

GRegorius de Viterbio, Monachus Caſinenſis, utriuſque Iuris doctiſſimus. Floruit temporibus H
dictorum Imperatorum, & ſepultus eſt in Caſino.

ANNOTATIO.

MEminit Arnoldus lib. 2. Ligni vitæ, de ſcriptor. Eccleſ. litera G. hoc lemmate. *D. Gregorius Viterbienſis I.V. D. & Monachus Congregationis Caſinenſis, alias S. Iuſtinæ de Padua, qui claruit anno Domini* 1540. *Scripſit tam piè, quàm doctè, ſuper Evangelium Ioannis; In principio erat verbum homilias, ſive ſermones tres, qui ſic incipiunt. I. Dicibilis ſermo de indicibili Verbo in verbis dicibilibus. II. In principio erat Verbum. III. Non licet filiis veritatis. Sunt m. ſ.ſ. apud D. Conſtantinum Siracuſanum Monachum Catanenſem.* Ita Arnoldus.

CAPVT XI.

BEnedictus Canophilus Sangrinus, Monachus in Caſino factus eſt ſub Ignatio Florentino Abbate Caſinenſi, vir utriuſque Iuris doctiſſimus. Scripſit

quamplu

quamplurimos libros in Iure Canonico. Edidit quoque Repertorium quoddam in Iure Civili, & extractum de foro fori, & foro poli, qui quidem eſt impreſſus. Claruit temporibus Caroli V. & ſepultus eſt in Caſino.

ANNOTATIO.

BEnedictus Canophilus de Caſtro Sangri fecit Compendium Iuris Civilis, ac Canonici, & ſummam rerum. Scripſit etiam Repetitionem ſuper primum Decretalium de Conſtitut. fori & poli, qui tractatus excuſus eſt Venetiis anno 1542. in 8. quem Bernardinus Bonſius I. V. D. Lector ordinarius, ac Decanus Patavinus teſtatur à doctiſſimo Marco Mantua, aliiſque clariſſimis viris in Patavina Academia examinatum, approbatum, commendatúmque meritò fuiſſe. Scripſit etiam de privilegiis Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum. De criminibus in Deum, & proximum, & pœnis eorum. Floruit anno Domini 1550.

CAPVT XII.

CHryſoſtomus de S. Gemiliano Calaber, Monachus Caſinenſis factus ſub Chryſoſtomo Neapolitano Abbate, poſtea Archiepiſcopus Raguſinus creatus eſt; vir ſanctitate inſignis, reformator Monaſteriorum Inſulæ Melitæ propè Raguſium, in ſcientiis doctiſſimus: ſed & in græca lingua valdè eruditus. Tranſtulit diverſos tractatus à græco in latinum ſermonem. Claruit temporibus ſupradicti Imperatoris. Obiit Raguſij temporibus noſtris, & ſepultus eſt in ſuo Archiepiſcopatu.

ANNOTATIO.

CHryſoſtomus fuit electus Archiepiſcopus, ſedente Ludovico Beccatello Bononienſi die 21. Octobris 1564. ut ex actis Conſiſtor.

CAPVT XIII.

FLavius de Ferraria Monachus Caſinenſis, & poſtea Epiſcopus Ravellenſis, græca & latina lingua valdè inſtructus, à Papa Iulio III. plurimùm dilectus, atque ob hoc ab eodem Epiſcopus creatus eſt. Floruit temporibus Maximiliani Imperatoris.

ANNOTATIO.

HVnc non bene Flavium vocat noſter Placidus, vti etiam Arnoldus Vvion lib. 2. Ligni vit. cum Hercules Tombeſius in Catalogo Ravellenſium Epiſcoporum nominetur. Epiſcopali dignitate inſignitus legitur anno Domini 1555. die 18. Septembris. Ferrariæ, obiit anno 1570. ibique ſepultus in Eccleſia Sancti Franciſci. Teſtatur Marcus Antonius Guarinus in Compend. hiſtor. Eccleſiarum Ferrarienſis lib. 4. pag. 247. & Vir Clar. Vghellus in Epiſcopis Ravellenſibus ſe legiſſe meminit inſculpta in eius tumulo hæc pauca verba vernacula lingua. *Hercole Tambuſi Veſcovo* 1570.

CAPVT XIV.

SEverus Averſanus, in Caſino Monachus ſub Chryſoſtomo Abbate ſuſceptus, vir in Philoſophia verſatiſſimus, & in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimus. Floruit temporibus ſupradicti Imperatoris, & ſepultus eſt in Caſino in Cœmeterio S. Annæ. *Claruit anno Domini* 1570.

CAPVT XV.

LVcas Fratenſis Monachus in Caſino ſub Chryſoſtomo Abbate factus eſt. Vir acer ingenio, & in divinis ſcripturis, & in Philoſophia doctiſſimus. Claruit temporibus Maximiliani Imperatoris, & ſepultus eſt in Monaſterio Sancti Benedicti Mantuanæ Diœceſis, in quo Philoſophiam publicè docuit. *Floruit anno* 1570.

CAPVT XVI.

HIeronymus patria Neapolitanus, ex nobili & Illuſtri Caracciolorum familia oriundus, Monachus ab adoleſcentia factus eſt ſub Hieronymo de Monte Rubeo. Vir humilitate ſummus, caſtitate pudicus, prudentia, animi magnitudine, morum gravitate, ac religionis converſatione inſignis: nobilis carne, ſed nobilior ſpiritu, humanis & divinis literis ſufficienter inſtructus. Floruit temporibus noſtris, & adhuc vivit, Abbáſque titularis exiſtit. *Anno* 1570 *clareſcebat.*

CAPVT XVII.

PAulus de Alta-Villa, Monachus in Caſino ſuſceptus ſub Hieronymo de Placentia Abbate: vir in Græcis, Hebraicis, & Latinis literis doctiſſimus, memoria tenax, ingenio vivax. Fuit temporibus noſtris, & ſepultus eſt in Caſino, in Cœmeterio S. Annæ. *Claruit anno* 1580.

CAPVT XVIII.

MAtthias de Bergamo Caſinenſis Monachus, vir in divinis literis verſatus, & memoria adeò pollebat, ut plures novi, & veteris teſtamenti libros memoriter recitaret. Obiit temporibus noſtris, & ſepultus eſt in Caſino, in Cœmeterio S. Annæ. *Claruit anno* 1577.

CAPVT XIX.

BEnedictus de Sancto Germano, in Caſino ſub Hieronymo de Placentia Abbate, Monachus factus eſt. Vir egregius, & ingenio magnus: in Latinis, Græcis, & Hebraicis literis valdè eruditus, in Philoſophia autem & Theologia doctiſſimus: adeo ut ſuis temporibus in noſtra Congregatione nemini fuerit ſecundus. Scripſit Commentaria in Pſalterium Hebraicum, in epiſtolam Pauli ad Romanos. Tractatum de uſuris: edidit quoque expoſitiones ſuper Pſalmos. Scripſit præterea ſuper libros Perhiermenias, Priorum & Poſteriorum Ariſtotelis, ſuper libros de anima eiuſdem: Eſt quoque in lucem editus, & impreſſioni traditus ipſius tractatus de imitatione Ciceronis. Extant diſputationes in libros Prædicamentorum Ariſtotelis, & pulcherrimum illud opus, quod inſcribitur Proverbia animalium. Scripſit etiam Apologiam contra calumniantes eius opera. Claruit noſtris temporibus, & adhuc vivit. *Anno Domini* 1570.

CAPVT XX.

BErnardus de Ianua, Monachus Caſinenſis factus eſt ſub Hieronymo de Placentia huius Monaſterij Abbate: Vir diſertus & eruditus in Philoſophia, & divinis ſcripturis. Fuit temporibus Maximiliani Imperatoris, & ſepultus in Caſino. *Claruit anno Domini* 1570.

CAPVT XXI.

ANtonius Fracheuſis Monachus in Caſino, ſub Lauro de Mantua huius Cœnobij Abbate ſuſceptus eſt. Vir acri, & magno ingenio, in Græcis & humanis literis verſatiſſimus, in Iure etiam Pontificio valde inſtructus. Scripſit quoddam Repertorium Polyanthea dictum, alphabeti ordine diſtinctum pro Archivio Caſinenſi: in quo quidem opuſculo & iuriſdictiones, & dignitates, & quæcumque bona fuerint vel ſint Monaſterij Caſinenſis, facile eſt invenire. Edidit quoque librum quendam confinium bonorum Caſinenſis Cœnobij, ſed morte præventus, imperfectum reliquit: qui poſtea à me Placido Romano Monacho Caſinenſi repurgatus, & perfectus fuit. Floruit temporibus Maximiliani Imperatoris, & ſepultus eſt in Monaſterio Sancti Liberatoris de Maiella. *Floruit anno Domini* 1575.

CAPVT XXII.

LVcas Antonius de Firmo, in Caſino ſub Hieronymo de Placentia Abbate Monachus factus eſt, vir in Philoſophia, & Medicina doctiſſimus. Floruit temporibus ſupradicti Imperatoris. Obiit Caietæ temporibus noſtris, & ſepultus eſt in Monaſterio ſancti Angeli. *Anno* 1570.

CAPVT XXIII.

PIus Patria Neapolitanus, ex nobili, & antiqua Familia Lottheriorum Civitatis Florentiæ ducens originem, Monachus in Caſino factus eſt, ſub Innocentio de Novario, huius Cœnobij Abbate. Vir religione, & bonitate perſpicuus, in divinis ſcripturis doctus, & notitia Iuris Civilis, & Eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus: Qui cum 25. annis religiosè, & laudabiliter vixiſſet, in noſtra Congregatione Caſinenſi exiſtens, Prior S. Severini in Civitate Neapolis à Papa Gregorio XIII. Epiſcopus Fundanus creatus eſt, de quo quia adhuc vivit, meum iudicium ſubtraham, ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur, aut ueritas.

ANNOTATIO.

CReatus Epiſcopus ann. 1576. 30. Ian. Vir religione & bonitate perſpicuus, acerrimus Eccleſiaſticæ libertatis defenſor. Deceſſit Caſini 1592. ibiq; tumulatus quieſcit.

CAPVT XXIV.

THeophilus Senenſis in Caſino ſub Angelo Sangrino Abbate Monachus factus eſt, vir ingenio perſpicax, in ſcientiis valde eruditus, verùm in Philoſophia, Mathematica, & Theologia doctiſſimus, adeo ut ſuis temporibus in Congregatione noſtra Caſinenſi admirabilis haberetur. Floruit temporibus noſtris, & adhuc vivit. Hic bis vocatus à Romano Pontifice fuit, ut eius opera in quibuſdam Eccleſiaſticis negotiis uteretur. Edidit tractatum de nova reſtitutione Kalendarij.

ANNOTATIO.

THeophili Martij nobilis Senenſis meminit Petrus Recordatus hiſt. Monaſticæ. Romæ in Baſilica S. Pauli Pœnitentiæ miniſtris Pontificiis à Gregorio XIII. adſcriptus legitur. De eius laudibus ſcripſit Fr. Iſidorus Vgurgierius Azolinus Ord. Præd. lib. cui nomen præfixit. Pompe Saneſe tit. 21. pag. 667. Extat apud nos tractatus m. ſ. de Reformatione Kalendarij, incipit. *Magna quidem aggredi laudabile eſt.* Obiit Caſini anno 1586.

CAPVT XXV.

BEnedictus Capuanus in Caſino ſub Angelo Sangrino Abbate Monachus ſuſceptus eſt, vir diſcretus, & valde eruditus in divinis & humanis literis. Verum in ſcribendis carminibus materna lingua Poëta inſignis & noſtris temporibus admirabilis. Edidit librum unum carminum materna lingua, in quo martyrium D. Agnetis, Agathæ, Luciæ, Iuſtinæ & Catharinæ decantat. Scripſit quoque eadem lingua & metro tractatum de cogitatione mortis: Triumphum Martyrum, Confeſſorum & Virginum: Librum unum piorum carminum diverſo metri genere. Extat etiam eiuſdem Tragœdia Iephtæ Ducis Iſraelitici populi. Scripſit & Commentaria in Dantem Poëtam. Edidit quoque librum unum epiſtolarum materna lingua. Floruit temporibus noſtris, & adhuc vivit.

ANNOTATIO.

CLaruit Benedictus anno Dom. 1570. Originem ducens ex nobili familia de Vua. Paſſiones Sanctarum Agnetis, Agathæ, Iuſtinæ, & Catharinæ typis cuſæ ſunt Florentiæ anno 1587. in 4. ſicuti Iephtæ Tragœdia.

CAPVT XXVI.

IOannes Evangeliſta patria Neapolitanus, ex nobili Mormiliorum familia oriundus, Monachus in Caſino ab Ignatio Neapolitano ſuſceptus eſt. Vir ingenio perſpicax, & divina, & humana eruditione valde inſtructus. Verùm in verſificandi ſcientia antiquis per omnia comparandus. Scripſit quamplurimos tractatus. Librum ſcilicet, in quo continentur præcipuè Domini feſtivitates, vario metri genere illuſtratæ. Librum de laude glorioſæ Virginis Mariæ, in cuius calce eius Pſalterium elegiaco carmine concinitur. Librum, qui nonnullorum Sanctorum vitas, hymnoſque vario carminum genere continet. Extat, & alius eiuſdem liber carminum, in quo illa præſertim opuſcula continetur; De inſigni Chriſtianorum victoria contra Turcas temporibus Maximiliani Imperatoris, & Pij V. Pontif. Max. De laudibus Caſinenſis Iuventutis: Ibidémque liber odarum appenditur, & in fine continetur liber Triſtium, ubi ſuas, & amicorum ærumnas elegiacè decantat: ſunt & quatuor eiuſdem Eclogæ. Scripſit præterea innumera Epigrammata. Edidit quoque declamationes & ſermones aliquot, homilias duas proſa oratione. Item expoſitionem in epiſtolam Divi Pauli ad Romanos: & in librum Perihermenias Ariſtotelis. Materna autem lingua quamplurima pia carmina de laudibus glorioſæ Virginis Mariæ, & uſque in præſentem diem ſcribit.

ANNOTATIO.

SCripſit etiam de Sancta Febronia Virg. & Martyr. verſus, qui habentur impreſſi Romæ 1589. unà cum operibus Proſperi Martinengi. Memorata opuſcula m. ſſ. uti etiam multa alia, ſe legiſſe teſtatur lib. 2. Lign. vit. pag. 430. Arnoldus Vvion, dum Caſini morabatur. Meminit & Poſſevinus in ſuo Apparatu. Claresce bat anno 1590.

CAPVT XXVII.

THomas ab Ebulo, Caſinenſis Monachus, ſub Angelo Sangrino Abbate factus eſt. Vir prudentia & ingenio inſignis: In philoſophia, & divinis ſcripturis doctiſſimus. Scripſit librum Synodalium: Librum examinis Confeſſorum, & promovendorum ad ſacros ordines, & eorum, qui mittendi ſunt

ad parochiales Eccleſias. Edidit quoque materna lingua Conciones quinquaginta. Floruit temporibus noſtris, & adhuc vivit, & Vicarius generalis in tota Diœceſi Caſinenſi exiſtit. *Obiit poſt ann. 1574. Caſini.*

CAPVT XXVIII.

HIeronymus ex nobili Serſalium familia Civitatis Coſentiæ originem ducens in Caſino ſub Hieronymo de Placentia huius ſacri Cœnobij Abbate Monachus effectus eſt. Vir callido quidem, & ſubtili ingenio, in humanis & divinis literis mediocriter eruditus; verum in rerum humanarum experientia, & in peragendis negotiis inſignis, & admirabilis. Floruit temporibus noſtris, & huius Caſinenſis Cœnobij Abbas extitit. Sepultus verò eſt Parmæ in Monaſterio Sancti Ioannis Evangeliſtæ, ubi Capitulum generale noſtræ Congregationis celebratur. In anno Domini 1577.

CAPVT XXIX.

APollinaris à Banco ab adoleſcentia ſub Lauro de Mantua Abbate in Caſino Monachalem veſtem induit, ubi per triginta fermè annos angelicam potius, quam humanam vitam duxit. Hic vir vitæ integerrimæ, humanis & divinis literis ſatis inſtructus, adeò in ſcripturis ſacris deditus erat, ut exercitationis cauſa, atque ne otio torpeſceret, ex veteri, & novo teſtamento, atque ex diverſis Catholicis, Ortodoxiſque Patribus innumeras aureas ſententias excerpſerit & ſcripſerit. Decanus præterea in hoc Caſinenſi Monaſterio exiſtens, novitiorum curam invitus, ac renitens ſuſcepit. Tali igitur fungens officio, me licet indignum, Caſinenſium Monachorum cœtui adſcripſit, ſub Domno Matthia de Lignano huius Cœnobij Abbate, cum viginti eſſem annorum, in anno Domini 1570. De hoc magiſtro meo illud ſilentio non prætereundum eſſe iudicavi, quod ad vitæ integritatem & puritatem pertinet. Nam talis eius vita fuit, ut mortis ſuæ tempore, in vigilia ſcilicet Nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ, cum in Miſſa, Gloria in excelſis Deo cantaretur in Eccleſia, eius anima ab ergaſtulo corporis egrediens in Cœlum ab Angelis deferri cerneretur. Sepultus verò eſt in Cœmeterio Sanctæ Annæ. Anno Domini 1581.

CAPVT XXX.

ANdreas à Sueſſa, Iuvenis præclaræ indolis, & vivacis ingenij, de civitate Neapolitana, ubi à parentibus ſtudiis literarum erudiendus traditus fuerat, egrediens, Caſinum advenit, atque ab Iſidoro de Placentia huius ſacri Cœnobij Abbate Monachus factus eſt. Hic exiguus quidem corpore, ſed ingenio magnus, ab ipſo ferè ſuæ converſationis initio, ob ſui ingenij vivacitatem, & rerum mundanarum experientiam, cum ſingulari quadam prudentia, ac ſolertia coniunctam, multis annis huius noſtri monaſterij negotiis, operam dedit. Inter multa præclara ingenij ſui monumenta, exiſtens in regimine terræ noſtræ Citrarij ſcripſit Regeſta duo omnium Iurium, & bonorum, quæ in præſentiarum in eadem Terra à noſtro monaſterio poſſidentur. Humanis inſuper, & divinis literis apprimè eruditus, magnam ſuam apud omnes adhuc vivens expectationem concitavit. Vivit etiam & temporibus noſtris huius Caſinenſis monaſterij Præpoſitus exiſtit. *Floruit anno Domini 1578.*

CAPVT XXXI.

GRegorius Corteſius Mutinenſis Abbas primum Sancti Petri de Peruſio, deinde Sancti Benedicti de Mantua, & S.R.E. Cardinalis à Papa Paulo Tertio creatus, anno Dom. 1542. Vir utriuſque Iuris doctor, & in divinis ſcripturis valde inſtructus. Scripſit quamplurima carmina in laudem D. Petri, quæ impreſſa reperiuntur. Obiit Romæ, & ſepultus eſt in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum anno Domini 1584.

Explicit Supplementum Domni Placidi Romani & Diaconi, de Viris Illuſtribus Cœnobij Caſinenſis.

ANNOTATIO.

NObiliſſima Familia Corteſiorum ortum ſuum habuit à quodam Imperiali Vicario nomine Ludovicus Cortes, inter Gallos nobiliſſimus; qui cum eſſet à conſiliis Pipini Regis Italiæ, Caroli filij, Civitatem Mutinam inhabitaverat. Ex ea Gregorius noſter natus eſt; vir quidem græcis, latiniſque literis inſtructiſſimus. Severum Varinum Placentinum Monachum Ciſtercienſem, raræ & exquiſitæ eruditionis virum, præceptorem habuit. Ab ineunte ætate Civili, Canonicóque Iuri operam dedit, & apud Ioannem Mediceum Cardinalem, poſtea Leonem Papam Decimum audiendarum Cauſarum munus exercuit. Demum cum Romanæ aulæ pertæſus ad ſua priſtina ſtudia rediiſſet, ex divino etiam inſtinctu, Caſinenſibus Monachis nomen dedit. Eius poſtea virtutis, probitatis, ac ſcientiæ fama inductus Paulus Papa Tertius, in Collegium Cardinalium adſcivit, incredibili totius Senatus conſenſu, anno Domini 1542. die 11. Iunij, tit. S. Cyriaci in Thermis, & Vrbinatenſium Præſul eſt etiam dictus: privilegio inſuper conceſſo, ut purpureo cultu ſibi uti liceret, tametſi Monachus Benedictinus eſſet, quod etiam conceſſerat Card. Philippo à Camera Gallo pariter Benedictino. Plurima huius viri clariſſimi monumenta relicta ſunt, videlicet.

Quod ſanctus Petrus Romæ fuerit, ad Hadrianum Sextum lib. 1.

Epiſtolarum Familiarium lib. 1.

Hi duo impreſſi ſunt Venetiis apud Franciſcum Franciſcium Senenſem anno Domini 1573. in 4.

De Theologica Inſtitutione lib.

Hymnorum diverſo metro lib. 1.

Carmen ſapphicum de vita S. Honorati Archiepiſcopi Arelatenſis.

Hymnus in Deiparam Virginem.

In Divum Honoratum Carmen.

In Lerinam Inſulam Carmen.

De poteſtate Eccleſiaſtica tract.

De peccato originali.

De direptione urbis Genuenſis.

De Theologia & Philoſophia multa.

Lerinenſis Inſula, & Cœnobij laudes.

Poemata quædam ad imitationem Catulli.

Prodierunt ex Aldi officina cum Sanazari de partu Virginis lib.

S. Baſilij de Virginitate liber è græco in latinum idioma, eius opera perlegitur.

De Viris Illuſtribus Ordinis Monaſtici lib. 1. qui furto ſublatus ideò non habetur, refert Arnoldus Vvion lib. 2. Lign. vit. pag. 216. Et alia multa ſcripſiſſe fertur, quæ temporum iniuriâ, hominúmque negligentiâ perierunt.

Libri quatuor in ſententias Petri Lombardi perperam à Nomenclatore Card. à Torrigio lib. de Script. S. R. E. Card. & ab aliis attribuuntur noſtro Gregorio, cum ſuum agnoſcant auctorem Paulum Corteſium Prothonotarium Apoſtolicum.

Extant diverſæ ep. Dionyſij Faucherij Monachi Lerin. in laudem noſtri Gregorij in Chron. Lerin. Quanti autem integritatem eius, doctrinam, ac prudentiam incomparabilem ſupradictus Paulus Pontifex fecerit, ex miris laudibus, quibus eum cohoneſtavit, quando in cœtum Cardinalium adlegit, agnoſces: audi ipſum

cum eo loquentem. *Hodie in his ſacris ieiuniis, atque in Conſiſtorio noſtro ſecreto, induſti ſingulari tuâ probitate, religione, integritate, ac doctrina, te S.R.E. Cardinalem, cum Dei nomine, de Venerabilium Fratrum noſtrorum eiuſdem S.R.E. Cardinalium conſilio, creavimus, &c.* Meminere Corteſij Sadoletus, & Bembus; quorum alter doctiſſimum, alter excellentis doctrinæ virum appellat, ingeniique propè divini. Vide etiam quæ notavit eruditiſſimus d'Auberi in hiſtor. generali Cardinalium Gallico idiomate conſcripta par. 4. edita Pariſiis 1647. Obiit Romæ anno Domini 1548. 11. Kalendas Octobris, ſepultúſque eſt apud Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorum ante altare Sanctæ Eugeniæ.

INDEX SCRIPTORUM alphabeticus, quorum meminit P. Diaconus.

A

ADto Conſtantini Africani auditor.
Albericus Diaconus Cardinalis.
Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus.
Amatus Epiſcopus incertæ Sedis.
Andreas à Sueſſa.
Angelus Sangrinus.
Antonius Frachenſis.
Apollinaris à Banco.
Arialdus.
Auguſtinus Patavinus.
Authpertus Abbas.

B

BAſſatius Abbas.
S. Benedictus Abbas.
Benedictus, qui & Guaiferius Salernitanus.
Benedictus de ſancto Severino.
Benedictus Canophilus Sangrinus.
Benedictus à ſancto Germano.
Benedictus Capuanus.
Bernardus.
Bernardus Ayglerius Cardinalis.
Bernardus de Ianua.
Sanctus Bertarius Abbas & Martyr.
Sanctus Bruno Epiſcopus Signienſis.

C

CHryſoſtomus de ſancto Gemiliano Calaber Archiepiſcopus Raguſinus.
Conſtantinus Africanus.
Cyprianus.

E

ERchempertus Diaconus.

F

S. FAuſtus Diſcipulus ſancti Benedicti.
Flavius de Ferraria, ſive Hercules Tombenſius Epiſcopus Ravellenſis.

G

GElaſius Papa ſecundus.
Gregorius Epiſcopus Tarracinenſis.
Gregorius Epiſcopus Sinueſſanus.
Gregorius de Viterbio.
Gregorius Cardinalis Corteſius.
Guaiferius Salernitanus, qui & Benedictus.
Guido.

H

HIeronymus Caracciolus.
Hieronymus Serſalius Coſentinus.
Hildericus Abbas diſcipulus Pauli Diaconi.
Honoratus Iſernienſis ex Familia Faſcitella Epiſcopus de Inſula.

I

IGnatius Squarcialupus Florentinus.
S. Ioannes Capuanus Abbas.
Ioannes Medicus Conſtantini Africani diſcipulus.
Ioannes Diaconus.
Ioannes Tiburtinus.
Ioannes Evangeliſta Mormilius Neapolitanus.
Innocentius de Novaria.
Iuſtinus Hiſpanus.

L

LAndenulphus Capuanus.
Landenulphus.
Laurentius Epiſcopus incertæ Sedis.
Leo Epiſcopus Oſtienſis.
Leo Cardinalis Diaconus.
Lucas Fratenſis.
Lucas Antonius de Firmo.

M

MArcus diſcipulus ſancti Benedicti.
Matthias de Bergamo.

O

S. ODeriſius primus huius nominis Abbas Caſinenſis, & Cardinalis.

P

PAndulphus Epiſcopus Oſtienſis.
Pandulphus Capuanus.
Paulus Diaconus Aquileienſis.
Paulus è Liguria, qui etiam & Grammaticus.
Paulus de Alta-Villa.
Paulus Diaconus Theanenſis.
Petrus R. E. Subdiaconus.
Petrus Diaconus Caſinenſis Biblioth. auctor huius libelli.
Pius Lottherius Neapolitanus Epiſcopus Fundanus.

R

RAynaldus Subdiaconus.
Richardus Cardinalis de Molaria.
Roboas, ſive Noboas Diaconus.

S

SEbaſtianus.
Severus Averſanus.
S. Simplicius Abbas.
Stephanus Papa X.

T

THeodoricus.
Theophanus Diaconus.
Theophilus Senenſis.
Thomas ab Ebulo.

V

VIctor Papa Tertius.

FINIS.

IOANNIS

Digitized by Google

A

IOANNIS SAPIENTIS COGNOMENTO *CYPARISSIOTÆ*

EXPOSITIO MATERIARIA

Eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur, in decem Decades partita.

FRANC. TVRRIANO SOCIETAT. IESV *interprete è Græco.*

Additis etiam ſcholiis & annotationibus.

I. *Decas de Theologia ſymbolica.*
II. *De Theologia demonſtrativa.*
III. *De divinis emanationibus.*
IV. *De informatione divini nominis.*
V. *De proprietatibus divinorum nominum.*
VI. *De apparitionibus divini luminis.*
VII. *De divina participatione.*
VIII. *De infinitate Dei in creaturis.*
IX. *De infinitate in Deo.*
X. *De divina ſimplicitate.*

C

PRÆFATIO FR. TVRRIANI

Societatis IESV in Ioannis Cypariſſiotæ expoſitionem materiariam eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur. Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D.Ant. Auguſtinum Archiepiſcopum Tarraconen.

*M*EMINI, *Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, quod neſcio an ipſe recorderis, quod ante annos multos, cum correctiones Dionyſij Areopagitæ Venetiis ſumma diligentia collatis inter ſe variis exemplaribus manuſcriptis à te olim cum iuvenis eſſes, deſcriptas & notatas petiſſem, ipſum illum librum annotatum, & correctionibus refectum liberaliter more tuo miſiſti, quem ego* εἰς ἱερὸν κειμήλιον ἐπιμελῶς *cuſtodio. Cum autem librum Ioannis Sapientis cognomento Cypariſſioti totum ad opus Dionyſij de divinis nominibus pertinentem ſuperiore æſtate in Amerino ſeceſſu tum interpretatione è Græco, tum ſcholiorum illuſtratione à me elaboratum ad publicam utilitatem edere conſtituiſſem, in mentem mihi venit,* D *& quidem libenti & lætanti, ut ad te eum mitterem, téque ei patronum adoptarem, ac quia propter graviores ſtudiorum occupationes, & in primis propter Eccleſiaſticæ gubernationis ſollicitudinem iam diu ſilebas, qui pro tua alioqui humanitate & benevolentia in me non vulgari frequenter ſolebas ſcribere, & ego item reſcribere, quod à me ceſſatum eſt, ex parte compenſare mihi videbar, ſi hic liber ad te proficiſceretur, ut eſſet teſtis recordationis meæ tuorum erga me meritorum, & animi grati, meæque in te obſervantiæ. Si Græca etiam habere volueris, curabo ut deſcribatur exemplum. Quia vero inſcriptio libri ſubobſcura videbatur, tametſi quod ad opus ipſum ſpectat, ſatis & quidem docte auctor ipſe præfatus eſſe videbatur, tamen quia fortaſſe non omnes facile intelligent, quam recte are ſecum* ἔκθεσιν στοιχειώδη ῥήσεων θεολογικῶν*, quæ eſt inſcriptio libri, interpretatus fuerim expoſitionem materiariam eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur, ne quis in ipſo veſtibulo & aditu interpretationis interpretem reprehenderet, priuſquam rationem ſic interpretandi intelligeret, viſum eſt præfari ad explicandum.* B *Vſus eſt hic auctor philoſophice verbo philoſophico* στοιχειώδης*, quod Ariſtotel. libro 5.* τῶν μετὰ τὰ φυσικά*, inter ea explicavit, quibus omnes diſciplinæ tanquam communibus utuntur, omnes enim habent principia, cauſas, elementa, & alia, quæ ibidem ſequuntur. Igitur poſtquam explicavit Philoſophus, quot modis accipiatur principium, & quot item cauſa, dicit* στοιχεῖα*; quæ veteres Latini interpretati ſunt elementa, illa dici proprie, quæ inſunt primo, & non ſunt in alias ſpecies dividua, ut litteræ dicuntur elementa ſyllabarum, in quibus primo inſunt tanquam earum materia, quæ in alias ſpecies non ſunt dividuæ: item primas demonſtrationes, quæ in pluribus, inquit, demonſtrationibus inſunt, quæ elementa demonſtrationum vocantur. Deinde dicit idem philoſophus elementa etiam dici non proprie, ſed tranſlate, ea quæ maxime generalia ſunt: quia unumquodque, inquit, unum eſt, & ſimplex, & in multis, aut in omnibus, aut in quamplurimis ineſt.* F *Hic ergo auctor, quia has Decades in generalia partitus eſt, & unamquamque decadem componit ex partibus ſuo ordine, quæ ſunt* στοιχεῖα*, id eſt, elementa, & materia ipſius decadis, ſicut litteræ ſyllabæ, idcirco rectè hanc methodum vocavit expoſitionem* στοιχειώδη*, ut ſi dicamus elementariam: pro quo nos meliore & antiquiore verbo uſi, materiariam vertimus, quia idem philoſophus in extrema pagina libri 7. primæ philoſophiæ ſic ait: Id autem eſt elementum, in quod res dividitur inſitum, ut materia, quale eſt ſyllabæ ab A ipſum, & B. & Dionyſius c.4. de divinis nominibus, ubi* ἀρχὴν στοιχειώδη *dicit, ibi interpres vetus vertit: Principium elementarium, quod S.Thomas ſic interpretatur, id eſt, materiale. Itaque vim verbi, & auctorem ſecutus, commode, ut opinor,* ἔκθεσιν στοιχειώδη *expoſitionem materiariam vertimus. Noluit autem hic auctor inſcribere librum, De expoſitione divinorum nominum, ut mihi videtur, propter reverentiam erga divinum Dionyſium,* G *qui librum ſuum de divinis nominibus inſcripſit, cum alioqui univerſa hæc tractatio in decadas artificioſe diſtributa, in materia divinis nominibus, quibus Theologi uſi ſunt, ſubiecta verſetur: & divina nomina, ac dicta de Deo* αἰ-περφόνως *dicantur. Quantam vero commoditatem allatura ſit hæc methodus expoſitionis materiariæ eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur, quæ ſunt divina eius nomina, ad percipiendum fructum ex illa multiplici, & varia & obſcura, atque diſperſa tractatione Dionyſij de divinis nominibus, ipſe uſus, ac frequens & familiaris lectio huius libri docebit. Deinde quia ea quæ ex Dionyſio in hoc libro recitantur, difficilia ſunt ad intelligendum, ſicut reliqua eius, propter ſummam brevitatem, & ſubtilem fere in ſingulis verbis multarum rerum comprehenſionem, ad difficiliora ubi magis opus eſſe viſum eſt, ſcholia adhibuimus S. Maximi, Georgij Pachimeri, S.Thomæ. Quæ autem non aſſigno & reddo ſuo auctori, mea erunt. Præterea, quia hæ decades confectæ ſunt ex partibus Theologiæ demonſtrantis* H *tum affirmantis, tum negantis in materias ſubiectas partita, demonſtrationes autem Theologicæ ex revelatis à Deo exiſtunt, quæ vero ſunt revelata, per traditionem Apoſtolicæ prædicationis in Eccleſia Catholica relictam, & tamquam depoſitum ſacrum ac divinum fideliter & perpetuo conſervatam cognoſcimus, & huius traditionis teſtes ſunt antiqui Theologi, & Eccleſiæ Catholicæ doctores: commodiſſime hic auctor collegit in hoc libro auctoritates eorum cum doctrina Dionyſij Apoſtolici diſcipuli conſentientes ac conſpirantes in iis quæ de divinis nominibus, & eorum materia multiplici ex ſcripturis idem Dionyſius didicit: auctoritates dico Iuſtini martyris, Athanaſij, Gregorij Nazianzeni, Baſilij, Gregorij Nyſſeni, Epiphanij, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, & alterius Cyrilli Hieroſolymitani, Germani Conſtantinopolitani, Sophronij Hieroſolymitani, & aliorum, quos prætereo, ne omnes enumerem. Ac potuiſſet etiam alios, & quidem antiquiores producere, ſi cum hoc opus elaboravit hic auctor, copia librorum (quod idem in præfatione dolet) ei ſuppetiſſet. Hi igitur ſancti doctores in libris ſuis teſtimonia reli-*

querunt Apoſtolica traditionis, quam divinus Dionyſius in argumento divinorum nominum ſibi propoſuit. Secutus itaque eſt hic auctor Cypariſſiotus, quod in epiſtola Athanaſij ad Serapionem legerat, & quod idem in decade 9. cap. 1c. recitavit: Videamus, inquit Athanaſius, ipſam à principio relictam traditionem, & doctrinam atque fidem Eccleſia Catholica, quam Dominus quidem dedit, Apoſtoli pradicaverunt, & patres ſervarunt. In hac enim Eccleſia fundata eſt: ab hac qui exciderit, nec erit, neque dicetur Chriſtianus. Illud praterea dicendum eſt, quod ad ea uberius tractanda, & plenius intelligenda, qua in prima parte Sancti Thoma Aquinatis multa ſubtilitate de Deo, & Dei nominibus, de ſimplicitate, & infinitate, & de exiſtentia in rebus, de cognitione Dei, & de aliis diſputantur, multum hac expoſitio & methodus adiuvabit. Accedit etiam hac utilitas ſciendi quomodo tunc antiqui Theologi, & patres Eccleſia Catholica de iſtis poſtea tam ſubtiliter diſputatis ſentiebant, & quibus verbis, & verborum formis in eis utebantur: qua nos, ubi magis opus eſſe viſum eſt, ſcholiis illuſtravimus, & premunivimus: ut non continuo inverecunde ad reprehendendos ſanctos patres proſiliamus, ſed pro reverentia ac pietate erga eos, ut decet, adhibenda, potius ad boni conſulendum, & commode interpretandum pio & grato animo adducamur. Quo autem tempore hic auctor floruerit (nam etas etiam, & merito, in auctoribus quari ſolet) non potui reperire, hoc conſtat, non fuiſſe ante annos quingentos: ſiquidem alicubi dicit in hoc libro recitare ſe, qua ex quodam loco S. Maximi in Panoplia Euthymij ferebantur. Scripſit autem Euthymius Alexio Comneno imperatore, & iuſſu eius. Repertus vero eſt hic liber (ſi quis hoc etiam ſcire cupit) in Bibliotheca D. Ioannis Laſcharis natione Graci, genere, & multarum literarum Gracarum peritia nobiliſſimi, quam Meſſana in Sicilia reliquit. Habes Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, prafationem noſtram: ordiatur deinceps à ſua opus ſuum Cypariſſiotus noſter.

Nota.

EX APPARATV SACRO ANTONII Poſſevini Societatis IESV.

HVius libri uſus multiplex eſt; Primo quidem ad eam omnem partem intelligendam, quæ à Theologis de Deo & de Dei nominibus, de ſimplicitate & infinitate, de exiſtentia in rebus, de cognitione Dei & de aliis diſputantur: Quare & Divi Dionyſij tractationi de divinis nominibus percipiendæ apprimè conducit, præſertim coniuncta cum iis quæ Turrianus ex ſcholiis, Sancti Maximi, Georgij Pachimeri & Sancti Thomæ adiecit. Ac cum author inſeruerit authoritates Patrum eorum qui cum doctrina Sancti Dionyſij conſpiraverunt, Iuſtini martyris, Athanaſij, Gregorij Nazianzeni, Baſilij, Gregorij Nyſſeni, Epiphanij, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, & alterius Cyrilli Hieroſolymitani, & aliorum, intelligi poteſt quantus ex hoc libro uſus conſtabit ad Apoſtolicam ipſam revelatarum à Deo rerum traditionem cognoſcendam, quam Dionyſius in argumento divinorum nominum ſibi propoſuit. Accedit utilitas illa ſciendi, quomodo tunc antiqui Theologi & Patres Eccleſiæ de iſtis quæ deinceps ab Theologis Scholaſticis ſubtilius diſputata ſunt, ſentiebant: & quibus verbis ac verborum formis in eis utebantur: cui toti rei (quod ad præſentem authorem attinet) magnam attulit lucem Turrianus ſuis ad eum annotationibus.

IOANNIS SAPIENTIS COGNOMENTO *CYPARISSIOTÆ.*

PRÆMEDITATIO EXPOSITIONIS Materiariæ eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur.

FRANC. TVRRIANO SOCIETATIS IESV *interprete è Græco.*

INTER ſcientias quæ ratione diſſerendi utuntur, pulcherrima eſt philoſophia: philoſophiæ vero præſtantiſſima pars eſt Theologia, quæ non ſolum ex nomine, unde dicitur, excellentiam ſuam declarat, ſed multo magis ex iis quæ tradit, & ex contemplatione eorum quæ ſub intelligentiam cadunt. Eſt enim propoſita velut quidam ſol, quæ omnem caliginem falſæ opinionis radiis ſuis diſpellit: quidquid autem adulterinum & immiſſum eſt, primo ſtatim coniectu aſpectus coarguit, nihilque male moratum in eam incidet, quin ab ea illico expellatur. Vt igitur more Geometrarum axioma tanquam fundamentum iaciamus, Theologia eſt ſermo de Deo ex ſe fide dignus propter dignitatem eorum quæ poſita ſunt. Eſt autem primus ex omnibus ſermo ſalutaris Evangeliorum Dei, proximus poſt eum ſermo eorum qui Chriſtum propter eius erga humanum genus amorem viderunt, & ipſi ſermones eius audierunt, poſt hos, qui illos primos & ſecundos ſermones expoſuerunt, & deinceps conſecuti ſunt, dummodo quæ tradunt, cum ſeptem Synodis œcumenicis conſentiant; ita ut nihil amplius intelligant; neque quidquam detrahant, quod diris execrationibus vetitum eſt. Vniverſus autem ſermo Theologiæ in ſumma his tribus axiomatibus comprehenditur. Vnum eſt; Vnum eſſe Deum, impartibilem, infinitum, expertem coloris, inaſpectabilem, ex nulla 1 naturali repræſentatione cognitum, qui notionem, quando, aut quomodo ſit, omnino repellit; quem a nullo modo quavis parte mens capere poteſt, niſi tantum per fidem ex creaturis eius, quod ſit, non autem quid ſit. Secundum axioma eſt, Deum unum, patrem eſſe, & filium, & Spiritum ſanctum, in quibus eſt divinitas, ſive potius, qui ſunt divinitas, quæ eſt una & ſola increata natura. Vnitas enim eſt in Trinitate, & Trinitas in unitate adorata, & nihil aliud ante æternitatem habens præter patrem, & filium, & Spiritum ſanctum; quippe cum divinitas in Trinitate completa ſit, quod autem extra patrem, & filium, & Spiritum ſanctum eſt, id omne ſervum eſt, ut nos. Tertium axioma eſt, ab ipſa una natura trium perſonarum, quæ ſupra ſubſtantiam, & ſupra 3 divina eſt, quæcunque ſunt, facta eſſe, cum aliquando non eſſent, ſive ſub aſpectum cadunt, ſive non; ſive tempore cœperunt, ſive non, ſed cum ævo; ſive participantia, ſive 4 participata; ſive univerſalia, ſive particularia; nihilque inter ipſam divinam, naturam & creaturas eius medium eſſe, quoniam ſola divina natura creaturæ antecellit; & cætera omnia quæ poſt divinam naturam ſunt, creata ſunt. In hæc tria axiomata univerſa Chriſtianorum ſanctiſſima 5 Theologia concluditur, myſterium enim ſupranaturale divinæ incarnationis non dixerunt eſſe modum Theologiæ, ſed exinanitionem inexplicabilis diſpenſationis verbi Dei propter nos factam. Hæc ſapientes & ſacri Theologi divinis libris ſuis inſecuti, omnem quidem hæreſim ex Eccleſia Chriſti

Axiomata vocat cnũctaa, quæ per ſe digna ſunt aſſenſu & fide.

expule

A

Diviſio Theologiæ in ſymbolicam & demonſtrativam Symbolicæ, in figurationem rei & in tranſlationem verbi, Demonſtrativæ, in affirmantem & negantem.

expulerunt, univerſam vero Theologiam puriſſimam, & limpidiſſimam explanarunt, & animis noſtris divine impoſuerunt. Quibus hodie invocatis, hanc methodum materiariam eorum quæ de Deo dicuntur, quibus uſi ſunt, elaboravimus; & quam ſint inter ſe concinentes, & in ſapientia Theologiæ tamquam in divina muſica apte reſonantes, oſtendimus. Quoniam vero omnis expoſitio materiaria à primis ad ſecunda & tertia tranſit, eiſdem iterum invocatis, conſideremus quemadmodum prius poſuerunt omnem Theologiam in duas partes diſtributam eſſe unam ſymbolicam, alteram demonſtrativam, utramque vero diſtinxerunt: illam quidem ſymbolicam, in ſacram formationem figurationis ſub ſenſum cadentis, & in ſacram formationem tranſlationis cadentis ſub intelligentiam: hanc vero demonſtrativam, in affirmantem, & negantem, ut iam quatuor ſint partes Theologiæ.

B

Geneſ.28 Exod.3. Geneſ.18 Exod.33 Eſa.6. Dan.7. Ezech.1

Aut enim Theologia deſcribitur per figurationem ſecundum ſenſum, ut illa ſcala à cœlo uſque ad terram pertingens, ille ignis in rubo, illi tres viri ab Abraham hoſpitio excepti, illa poſteriora Dei apud Moyſen, item illa apud Eſaiam, Danielem, & Ezechielem, & alios ſecundum ſenſum formata: aut deſcribitur per tranſlationem verbi ſecundum intellectum, ut ebrietas & crapula Dei, vigilia, ſomnus arma ad protegendum & ad nocendum, & cetera omnia quæ ad imitationem hominum facta ſunt. Aliæ duæ partes ſunt, una Theologiæ affirmantis; ut cum dicimus, Deum bonum, ſapientem, ſanctum, beatum, ſalvatorem, & reliqua omnia, quibus eum aientes laudamus, vel rurſus negantes; ut cum ipſum vocamus inviſibilem, incomprehenſibilem, ſupraſubſtantiam, ſuprabonum, ſupraviventem, ſupraſapientem: hæc enim omnia ſive privanter, ſuperlate dicantur, negationibus declarantur. Cum igitur quatuor partes ſint, ex duabus quidem prima decas conficitur, qua Theologia ſymbolica in univerſum continetur; ex reliquis vero duabus ſecunda, qua Theologia demonſtrativa in univerſum item comprehenſa eſt, deinde Theologia demonſtrativa generalis diſtinguitur in partes: affirmativa quidem partitur, tum in divinas emanationes, & facit

C

hæc partitio tertiam decadem; tum in divini nominis informationem, & facit quartam. Rurſus ipſa materies divinarum emanationum dividitur in proprietates divinorum nominum, & efficitur quinta decas, & ſexta: & in divinas participationes, & fit ſeptima decas: hic deſinit pars Theologiæ demonſtrativæ affirmantis. Pars vero Theologiæ demonſtrativæ quæ negat, partitur tum in infinitatem Dei, quæ eſt in rebus, & facit octavam decadem: tum in divinitatem, quæ eſt in Deo, & facit nonam: tum in divinam ſimplicitatem, & efficitur decima eademque extrema decas. Vniverſa itaque expoſitio materiaria eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur, his terminatur. Poterat etiam ſubdividi tota Theologia ad ſymbola pertinens, in 6. coincidentia: ſed hæc fere, exceptis proprietatibus eorum, in prima decade tractata ſunt. Fortaſſis autem Deo adiutore, & copiam librorum nacti de his etiam diſſeremus, nunc enim quia exagitabamur, & odio gratis ab omnibus habebamur, libris &

D

otio ad hæc meditanda, & iis quæ ad aliam meliorem compoſitionem pertinent, caruimus, quo circa hæc quæ nunc expoſuimus, magno labore collegimus, quædam ex his occulte & furtim, ad alios uſus & propter alias occaſiones nobiſcum portantes: ob hanc cauſam multis adiumentis ad perfectionem horum privati fuimus, ſed interim ab iis quæ maxime neceſſaria erant, non aberravimus. Expoſitio autem materiaria, quæ in unaquaque decade eſt, docet in extremo decadis, hoc ipſum quod in decade continetur, eſſe expoſitionem materiariam eorum quæ in ipſa ſecundum continuationem ſequuntur, accedit etiam ratio inſcriptionis decadis, & quemadmodum quæ ad eam pertinent, ſatis completa ſint.

Scholia.

E

Ex 1. nulla naturali repræſentatione cognoſcitur Deus, ſicut lapis cognoſcitur per ſpeciem & ſimilitudinem, quæ eſt in oculo; quia ἀνείδεος eſt, ut Dionyſius ait; id eſt; omni ſpecie caret, & ſimilitudine, ipſe enim nullius creaturæ ſimilitudinem habet, nec habere poteſt Deus itaqua non cognoſcimus videntes, quod eſt cognoſcere ἐποπτικῶς, ſed ἀναλογικῶς ex creaturis per rationem; id eſt, ex ſimilitudinibus Dei, quæ in creaturis cernuntur, cognoſcitur Deus, non quid ſit, ſed quod ſit Cum 2. ait hic auctor, *quod nullo modo quavis parte poteſt mens Deum capere, niſi per fidem*, tantum quod ſit, non quid ſit, non negat, quin ratione naturali cognoſci poſſit Deus, quod ſit, ſiquidem demonſtrari hoc poteſt ex effectis eius: ſed loquitur de cognitione altiore neceſſaria, huiuſmodi enim cognitio Dei, fides eſt. Hanc cognitionem Dei vocat beatus Baſilius comprehenſionem intellectilem per

F

fidem, ſic enim ait, ediſſerens illud, Attende tibi: Ne in Deo quæras cognitionem per oculos, ſed menti fidem committe, & intellectilem de Deo comprehenſionem habe. Græce dixit κατάληψιν. Similiter locutus eſt S. Maximus in prima centuria Theologica cap. 8. Sic enim ait: Quæcumque ſunt, intellecta nominantur; & habent in ſe ipſis demonſtrabilia principia cognitionis. Deus autem non nominatur intellectus à nobis; ſed ex creaturis, inquit, intellectis à nobis, ſolum eſſe creditur. Cum dicit, ſolum eſſe creditur, non negat quin naturali etiam ratione ex creaturis eſſe cognoſcatur; ſed loquitur de cognitione per fidem, quam in nobis requirit Deus, tamquam neceſſariam, quam quidem ipſe dat, omni demonſtratione firmiorem; de qua Apoſtolus ait: Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia remunerator eſt, non dixit, Opportet ſcire, quia eſt; tametſi demonſtrari hoc & ſciri poteſt, quia demonſtrationes non omnes capere poſſunt; credere autem omnes poſſunt adiuvante Deo, & debent. Principia autem huius cogitionis per fidem non ſunt demonſtrabilia, ut ait idem S. Maximus, quia, inquit, fides eſt eorum quæ ſunt ſupra mentem & rationem. *Supra 3. divina*, quia ſunt qui participatione dicuntur Dei, ſupra iſtos eſt Deus, idcirco Trinitatem vocat ὑπέρθεον, id eſt, ſupra quam divinam, ſive ſupra divinam. *Participata 4.* vocat ea, à quibus nominantur tales, ut à bonitate boni, à vita viventes, à ſapientia ſapientes, & ſimiliter in aliis quæ abſtracte conſiderata dicuntur & ſunt ſimpliciter participationes: recepta in ſubiecto dicuntur & ſunt participata; ipſa vero ſubiecta participantia. Participata univerſalia ſunt providentiæ univerſales, quas hoc nomen divinum boni complectitur, ut ait Dionyſius cap. 5. de divinis nomini. Participata particularia ſunt providentiæ particulares, quas reliqua nomina ſignificant, ut vita, ſapientia, & deinceps, ut in decade 7. cap. 6. *Theologiam 5.* proprie veteres vocaverunt myſterium Trinitatis, & Oeconomiam myſterium incarnationis, vocabulo ex eo tranſlate ſumpto, quod Chriſtus unus in utraque natura filius Dei, & idem filius hominis, ad inſtar boni patris familias bene ac ſapienter domum & domeſtica omnia gubernantis, tamquam fidelis, ut Apoſt. ait. in tota domo ſua, quæ domus ſumus nos, genus humanum per peccatum amiſſum, & peccatis venditum, ſumma miſericordia & ſapientia ac iuſtitia per paſſionem & mortem, recuperavit & redemit, reſtituens illud, & quidem abundantius, in priſtinam gloriam, in quam à principio in Adam multos filios, ſicut Apoſt. ad Hebræos ſcripſit, adduxerat, ὁμοδόξους, id eſt, ſubdiviſio Theologiæ ſymbolicæ *in 6. coincidentia*, quæ Græci vocant ſυμπίπτοντα, eſt diviſio in ea quæ promiſcue ad tranſlationem verbi intellectilem pertinent, & ad figurationem ſenſilem: ut dicere in Deo, os, oculos, faciem, manus, pedes, & ſimiliter in aliis

Hebr.11

G

H

Heb.3.

Hebr.2.

A partibus corporis, quæ & figurari poſſunt ſecundum ſenſum, & dici tranſlate ſecundum intellectum, ut ſi diviſo animali in rationale oppoſitum irrationali, & in irrationale oppoſitum rationali; rurſus fiat ſubdiviſio animalis in herbivorum, & carnivorum, quæ non ſunt oppoſita, ſed coincidunt in genere animalis rationalis & irrationalis: ſiquidem reperiuntur ratione utentes herbivori, & alij carnivori; & animantes item ratione carentes ſimiliter herbivoræ, & aliæ carnivoræ. Sic diviſa Theologia ſymbolica in figurationem ſecundum ſenſum oppoſitam tranſlationi verbi ſecundum intellectum, reperitur rurſus in quibuſdam figuratio ſecundum ſenſum incidens in tranſlationem verbi ſecundum intellectum; & viciſſim tranſlatio verbi ſecundum intellectum incidens in figurationem ſecundum ſenſum, ut in exemplis ſuperiorum nominum.

B

PRIMA DECAS,

De Theologia Symbolica.

CAPVT I.

Quod duplex ſit Theologia.

DIONYSIVS in epiſtola ad titum Epiſcopum ſic ait: Ceterum hoc advertendum eſt, duplicem eſſe traditionem Theologorum, unam arcanam & myſticam, alteram vero philoſophicam & demonſtrantem: illam quidem ſymbolicam & ad myſteria pertinentem, hanc vero apertam & manifeſtiorem: eſtque arcanum ſive myſticum 1. cum ſymbolo implicatum & connexum, illud quidem philoſophicum & demonſtrans fidem facit, & aſtringit veritatem eorum quæ
C dicuntur: illud vero arcanum & myſticum afficit & in Deo τοῖς ἀδιδάκτοις μυσταγωγίαις firmat. Hoc dictum S. Maximus & Dionyſius Alexandrinus annotarunt: Maximus ſymbolicam & ad myſteria pertinentem Theologiam illam dicit, quæ ex ſymbolis conficitur, cuiuſmodi ſunt myſteria cultus Moſaici, & myſteria noſtri ſacri cultus; tametſi altiora ſunt & magis ſpiritalia noſtra: Philoſophicam vero & demonſtrantem Theologiam illam dicit, quæ exiſtit ex perſpicientia creaturarum, divinæque in quibuſdam rebus providentiæ, & expoſitione ſpeculatrice eorum quæ de Deo in ſcripturis dicuntur. Dionyſius vero Alexandrinus, Theologia, inquit, philoſophica & demonſtrans fidem facit, & adſtringit veritatem; id eſt, eorum quæ dicuntur veritatem tamquam ſigillo quodam obſignat, & tamquam vinculo alligat, & efficit, ut qui audiunt, credant. Altera vero pars Theologiæ, quæ ſymbolica eſt, per ea quæ fiunt, adiungit
D ad Deum quodam ipſius rei habitu & informatione, quod quidem vocavit ἀδιδάκτους μυσταγωγίας. Hinc igitur patet, veluti generatim univerſam Theologiam his duabus partibus comprehenſam eſſe, una eſt arcana & occulta, quæ non docetur rationibus; cuius vis eſt in afficiendo, & quæ in animis de iis quæ cernuntur, vel audiuntur, firmitatem imponit: altera pars concluſionibus argumentorum, & auctoritate celebri eorum qui id prius dixerunt, fidem facit, & cogit auditores aſſentiri.

Ex Scholiis S. Maximi.

1.Cor. 5. *Myſticum 1. cum ſymbolo.*) eſt enim (ait S. Maximus) in ſymbolo tamquam umbra tecta veritas, ut in paſcha Moſaico verum paſcha, ſicut ſcriptum eſt: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Huc pertinet illud ad Galat. 4. Abraham duos filios habuit, &c. hæc enim ſunt duo teſtamenta: & illud 1. Cor. 10. Bibebant omnes de conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus, & ſimilia. Quod autem ſymbolum verti, interpretationem Sancti Maximi ſecutus, Dionyſius vocat, τὸ ῥητὸν, id eſt, non tacitum 5. quia quod myſtice latet in ſymbolo, eſt ἀπόῤῥητον, id eſt, arcanum, & tacitum, itaque myſteria, quæ in ſymbolis ſignificantur, ſunt ἀπόῤῥητα ἐν ῥητοῖς νοήματα, id eſt, occulta intellecta in ſymbolis. E

CAPVT II.

Quod duplex ſit Theologia ſymbolica.

MAgnus Dionyſius in eadem epiſt. ad Titum: Arbitrati igitur ſumus oportere, ut quoad fieri poſſet, tum Timotheo, tum aliis, omnis generis formas quæ per ſacra ſymbola de Deo formantur, explicaremus. Quæ enim in iſtis formis & ſignis ſymbolicis extrinſecus apparent, plena ſunt incredibilis & commentitij monſtri; quale eſt quod effingitur in ſupraſubſtantiali Dei generatione 1. uterus Dei, Deum corporee generans; & 2. cor hominis eructans verbum in aërem effuſum: & delineatur ſpiritus ex 3. ore ſpirans; & quod ſcriptura 4. ſinus divinæ generationis filium Dei complectentes, in modum corporis laudibus celebrat: aut in modum ſtirpis hæc ipſa effingit, & 5. arbores quaſdam, & 6. ſurculos, & 7. flores, atque radices proponit; aut 8. fontes aquis manantes aut luminis fœcunditates producentes 9. ſplendores, aut quaſdam alias ſacras deſcriptiones rerum divinarum & ſupra naturam, quæ declarant Dei 10. providentias, quas mente contemplamur, aut 11. dona eius, aut 12. oſtenſiones, aut 13. poteſtates, aut 14. proprietates, aut 15. ſtatus, aut 16. māſiones, aut 17. emanationes, aut 18. ſecretiones, aut 19. uniones; aut formā viri Deo affingit myſtica ſcripturæ S. Theologia immo varias 20. figuras ferarū, aliorumque animantiū, & 21. ſtirpiū, atque lapidum; quin etiam ornatus 22. muliebres, & 23. barbaras armaturas illi imponit; 24. figlinam, atque fornacem tamquam opifici cuidam ſordido atribuit; & 25. equos ipſi, & 26. currus, & 27. ſedes ſupponit, & 28. convivia quædam epulis inſtructa apparat, item bibentem, & ebrium, & ſomnum 29. capientem, & crapula affectum facit. Quid attinet dicere 30. iras, 31. dolores, varia 32. iuramenta, 33. pœnitentias, 34. maledictiones, iras 35. inveteratas, multiplices 36. & obliquas rationes fruſtrandi promiſſiones; item illam in Geneſi cum 37. gigantibus pugnam, in qua dicitur Deus robuſtis illis viris propter metum inſidiatus, cum Geneſ. 11. alioqui, non ut alios læderent, ſed ut ſe incolumes ſervarent, illud ædificium moliri eſſent: & 38. concilium illud in cœlo ad decipiendum Achab fabricatum, 3. Reg. 22. & illas rurſus Canticorum veluti corporeas & meretricias voluptates: & quæcumque alia ſacra ſigna, quæ Cant. 4. & 5. ſcriptura valde audet in Deo formare, patentia occultis obducens; multiplicata & partita ſimplicibus atque individuis; imprimentia ſignum, & multiformia iis quæ ſignum & formam capere non poſſunt, quorum pulchritudinem intus latentem ſi quis intueri poſſit, reperiet omnia myſtica & divina, & multo lumine ſcientiæ de Deo plena; & illud, In lumine vultus tui ambulabunt: & in lumine tuo videbimus lumen, & ſimilia. Pſal. 88. Pſal. 35. Ex his igitur perſpicitur, quod ſymbolica Theologia eſt ſacra formatio, quæ divinis ſignis & notis ex iis quæ corporee delineata ſunt, adumbrat & pingit ea, quæ in Deo latent corporis & formæ, expertia. Eſt autem animadvertendum, quod hæc ſymbolica Theologia rurſus partitur. Aut enim formatur in verbis, cuiuſmodi ſunt dormire, vigilare, ebrium eſſe, pœnitere, quæcumque alia ſic verbis ſimpliciter in ſcriptura dicta, poſita ſunt: aut formatur in formis corporalibus, Exod. 3. Eſa. 6. Matt. 3. Act. 2. cuiuſmodi eſt ille ignis in rubo: videre Deum ſedere in throno: illa in Iordane columba, illæ linguæ igneæ, & alia.

F G H

A

Ex S. Maximi ſcholiis in Dionyſium.

1. *Vterus*) Pſal.107. Ex utero ante luciferum 2. *cor hominis*) Eructavit cor meum verbum. 3. *ex ore*) Pſal.32. Spiritu oris eius omnis virtus eorum, 4. *ſinus*) Ioan.1. Filius qui eſt in ſinu patris. In his eſt, ut mihi videtur, Theologia myſtica generationis filij & ſubſtantia patris tamquam ex utero, & ſinu; & proceſſionis ſpiritus ſancti ex filio, tamquam ex ore patris, ac promiſc proceſſionis ex patre & filio. Myſticum vero dicitur & eſt quod tegitur vel figuratione rei, vel tranſlatione verbi, 5. *arbores*) Prou. 3. Lignum vitæ, &c. & Apoc.2. Vincenti dabo edere de ligno 6. *ſurculos*) Gen.49 Ex germine fili mi aſcendiſti Eſa.63. Aſcendit ſicut virgultum, 7. *flores, atque radices*) Eſa.11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos, &c. 8. *fontes*) Hier. B 2. Dereliquerunt fontem aquæ, & Pſ.35. Apud te eſt fons iræ, 9. *ſplendores*) ut apud Paul. de filio, Qui eſt ſplendor gloriæ. (Hebr.1.) 10. *Dei providentia* Deut.32. Sicut aquila proteget nidum ſuum, & ſuper pullos, &c. & Exod.19. Portavi vos tãquam ſuper alas aquilarum &c. illud quoque ad providentiam pertinet, punire ſcilicet impios. Oſee 13. Ero eis ſicut urſa indigens cibo, &c. 11. *dona eius*) Pſal.144. Aperis tu manum tuam, &c. 12. *oſtenſiones*) ut cum in figura hominis apparebat antiquis, ut in Gen.cap.18. & in ſpecie columbæ ſpiritus ſanctus, *aut* 13. *poteſtates*) ut oculi, qui habent poteſtatem videndi, ne quid in bonis aut in malis lateat. Pſal.33. Oculi Domini ſuper iuſtos; pedes, qui poteſtatem ambulandi, ad ferendum auxilium aut puniendum Gen.3. Et cum audirent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo, ſimiliter in nominibus aliarum partium corporis 14. *proprietates*) ut in propheta Amos cap.7. adamas vocatur Deus, quod ſignificat, non poſſe pati Deum, neque domari, & ignis, Deut. C 4. quia habet vim conſumendi habitus pravos 15. *ſtatus*) τὸ ἀπαθὲς τῆς θείας φύσεως ſignificat, id eſt, immutabilem eſſe naturam divinam, 16. *manſiones*) τὸ ἀμετακίνητον, id eſt, non poſſe tranſmoveri, utrumque ſignificat myſtice lapis in fundamenta iactus, Eſ.28. 17. *emanationes*) communicationem divinæ bonitatis dicit, quæ myſtice ſignificatur, cum Deus dicitur lilium & flos propter communicationem odoris, ut in (Cant.2.) Cant. Ego flos agri, & lilium convallium 18. *ſecretiones*) (2. Cor.6.) Quæ, inquit Apoſtol. participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad belial? Hanc ſecretionem ſive ſeparationem, quam Deus facit, ſignificat ſcriptura myſtice, cum in ea ignis etiam dicitur, hæc enim proprietas ineſt igni, eſſe διακριτικὸν, id eſt, habere vim ſecernendi & ſeparandi, ſeparat enim plumbum ab argento, & cinerem à carbone, 19. *uniones*) quod uniat ſecum Deus creaturas, & ad ſe convertat, myſtice ſignificatur, cum dicitur Deus lapis angularis, 20. *varias figuras ferarum*) ut leonis, leænæ, pardi, urſi. Oſee 13. aliorumque animantium, ut Ioan.1. Vidi deſcendentem quaſi columbam, 21. *& ſtirpium*) Eſa.53. D Aſcendet quaſi virgultum, & Ioan.15. Ego ſum vitis vera, 22. *ornatus muliebres*) qualis apud Eſa. cap.3. & Ezec. 16. quibus deſcribitur omne genus divinæ providentiæ, qua Deus populum ſuum circumſepſit; & qua eum nudavit, & illud, In veſtitu deaurato circumdata varietate, &c. (Pſal.44.) 23. *& barbaras armaturas*) Pſ. 44. Accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime. Eſt autem rhomphæa barbaricum telum, ut ait Philarchus hiſtoricus, 24. *figlinam, & fornacem*) ſignificant hæc myſtice in Deo providentiam reformantem ac refingentem, aut vim & facultatem ſecernendi & repugandi Eſa.29.64 Hier.9. Malac 3. 25. *equos*) Equi (Habac.3) Dei ſignificant myſtice in oratione Habacuc. prophetæ ſanctos Apoſtolos: quoniam aſcendes, inquit, equos, & equitatus tuus ſalvatio. Equi, inquit Cyril. in eo loco, Apoſtoli & Evangeliſtæ ſunt omnibus modis divinæ voluntati ſubiecti, & frenis parentes, ad omne munus celeres & prompti, Chriſtum pro auriga E habentes, ex quibus fuit unus Paulus, de quo ipſe (Act.9.) Chriſtus ait: Vas electionis mihi eſt hic, ut portet nomen meum coram gentibus. Et equitatus tuus ſalus, currebant enim non fruſtra, ſed ut ſervarent civitates & regiones, hactenus Cyril. 26. *currus*) angeli ſunt, quos in modum currus ſcriptura figurat, διὰ τὴν συζυγίαν τῆς ὁμοταγοῦς κοινωνίας, id eſt, propter communionem coniungentem ordines qui ſunt eiuſdem hierarchiæ, ut ait idem Dionyſ. in extremo cap. cœleſtis hierarc. Pſal.67. Currus Dei multiplex, millia lætantium 27. *ſedes* τὸ κριτικὸν Dei, id eſt, iudicium ſignificatur Dan.7. 28. *convivia*) ut eſt in Evangelio, (Luc.15.) cum vitulus occiditur in reditu filij luxurioſi, & in Luc.22. Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, &c. F 29. *ſomnus & crapula*) Pſal. 77. Excitatus tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus à vino, 30. *iras*) Exod.15. Miſiſti iram tuam, &c. & in Pſal.6. Domine ne in furore tuo, &c. 31. *dolores*) Iudic.10. Doluit ſuper miſeriis eorum 32. *varia iuramenta*) Gen.22. Per memetipſum iuravi, &c. & Eſa.45. Pſal.94. Quibus iuravi in ira mea Ezec. 18. Vivo ego dicit Dominus, & Hier. 44. Iuravi in nomine meo magno 33. *pœnitentias*) Gen.6. Pœnituit eum, quod hominem feciſſet, & de Saul 1. Reg. 15 34. *maledictiones*) Malach.2. Maledicam benedictionibus veſtris. Habac.3. Maledixi ſceptris eius, 35. *iras inveteratas*) Hier.44. Horum omnium recordatus eſt Dominus, &c. & Exod.20. Ego ſum Dominus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Gen. 42. En ſanguis eius exquiritur, quaſi ſervans iram uſque ad illud tempus, 36. *multiplices & obliquas rationes fruſtrandi promiſſiones*) Fruſtrationes promiſſionum vocat hic, cum ea quæ promiſſa ſunt, non videntur ad exitum perducta, quatenus ſenſui apparet, ſunt tamen ſecundum perfectam intelligentiam ſpiritus, ut quod promiſſum fuit Iacob, Eris dominus G fratris tui, impletum eſt in Chriſto ex ſemine eius: ſicut promiſſiones factæ Abrahæ de poſſeſſione terræ, & (Geneſ.17) benedictione gentium & factæ David & Salomoni de regni perpetuitate. Obliquas ergo vocat huiuſmodi rationes fruſtrandi promiſſiones, quia non fuerunt promiſſiones directe ad eos relatæ, qui fruſtrati videntur, ſed ad Chriſtum 37. *cum gigantibus pugnam*) Inſidiatus dicitur Deus, id eſt, cepiſſe conſilium in illos, quaſi metueret, ut doceret nos ſic, ut quamvis iniuria afficiamur, & ſimus potentiores, apologiis tamen mutuis utamur, excuſemuſque nos apud eos qui iniuria nos afficiunt. Ecce, inquit, unus populus, & unum eſt labium omnium, cœperuntque hoc facere, neque deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant, (Geneſ.11.) venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum: id eſt, nemo queratur, quod diviſionem hanc faciam, quia enim non recte uſi ſunt ὁμοφωνίᾳ, id eſt, uno labio, oportet facere ut utantur διαφωνίᾳ, id eſt, diverſitate labij. Sic igitur metum Deus figuravit, ut hoc quod dixi, myſtice doceret, 38. *& conſilium illud*) illa factio perſonarum, quæ ſcripta eſt lib.3. Reg.c.22. H Dei interrogantis in illo concilio, Quis decipiet Achab regem? & ſpiritus mali ſtantis coram Deo in terra, & reſpondentis, Ego decipiam illum, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius, & dixit Dominus, Decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita, illa, inquam, factio perſonarum docet myſtice ſpiritum fallaciæ uti hominibus impiis & celeratis tamquam inſtrumentis, & per eos promittere falſo victoriam, idque permiſſu Dei fieri, quia cum prohibere poſſit, non prohibet, quia indignus ſit cuſtodia & defenſione qui decipitur, ut tunc Achab.

CAPVT

A

CAPVT III.

Quod Theologia ſymbolica ſecundum ſpeciem, ſive formam corpoream, ſemper in corpore, & ſecundum ſenſum delineatur.

Luc.3. AIt divinus Lucas in ſuo ſancto Evengelio: Factum eſt autem, cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit ſpiritus ſanctus corporea ſpecie ſicut columba in ipſum. Hoc Gregorius cognomento Theologus ediſſerens, Oportebat, inquit, ut hoc etiam corporee appareret, ſi quidem filius nobiſcum corporee verſabatur, & rurſus idem alias: Cum fulgor angelorum & ſplendor corporee ſignantur, arbitror ſymbolum eſſe puritatis eorum. Ad hæc, divinus Chryſoſtomus generalius hoc tractans, Et ſi, inquit, fieri potuit, ut ſpiritus ſanctus oculis corporis, ſpecie columbæ videretur, non tamen continuo omnino neceſſe fuit, ut omnibus hoc fieret manifeſtum, nam & Zacharias multa vidit ſpecie ſub ſenſum cadente, & item Ezechiel, nemo tamen alius eadem cum eis vidit: & Moyſes multa vidit, quæ nullus alius: & transfigurationem illam quæ in monte facta eſt, non omnes diſcipuli perceperunt: neque viſio reſurrectionis Chriſti cum omnibus communicata fuit, idque aperte Lucas declarat, cum ait: Et dedit eum manifeſtum fieri teſtibus præordinatis à Deo, & rurſus idem Chryſoſtomus homilia 26. in Evangelium Ioannis: Omne illud quod ſub ſenſum cadit, ſubſtantiam angelorum declarare non poteſt, ſed corpus, quod habet craſſitudinem, & triplicem dimenſionem. Ex his ergo perſpicuum evadit, quod Theologia ſymbolica, quæ in ſpecie ſive forma corporea formatur, iis quidem qui digni ſunt, noteſcit, reliquis vero omnibus in arcano & occulto relinquitur; quod illis viſis alte ſignificatur.

B

Act.1.

Non extat in libris vulgatis hæc homilia.

C

CAPVT IV.

Quod ſymbolica Theologia, quæ in ſpecie ſub ſenſum cadente verſatur, proprium eſt, ut quibuſdam divinis & ſacris viſis informetur.

MAgnus Dionyſius in primo de divinis nominibus capite ait: Atqui Theologi non hæc ſolum divina nomina celebrant, quæ à providentiis in 1. univerſo, aut in 2. parte, aut ab iis quæ providentiam capiunt, ducuntur, ſed etiam à quibuſdam divinis 3. viſis, quæ aliquando in ſacris 4. templis, aut forte alibi magiſtros myſteriorum, vel prophetas illuminarunt, ob multiplicem cauſam & vim nominant bonitatem divinam, quæ omne nomen, omnemque ſplendorem ſuperat; formaſque ei, figuraſque humanas, aut igneas, aut electri inducunt; & 5. oculos eius, atque 6. aures, 7. capillos, 8. facies, 9. manus, 10. ſcapulas 11. alas, 12. brachia, 13. poſteriora, & 14. pedes laudant, tum 15. coronas, 16. ſedes, 17. pocula, & 18. crateras, & quædam alia ei affingunt, de quibus in ſymbolica Theologia pro virili parte dicemus. Secundo autem capite cœleſtis hierarchiæ ait: Quod vero ea quæ ſignari non poſſunt, convenienter ſignis obtecta ſint, & quæ figurari nequeunt, figuris; nemo hoc ſolum in cauſa eſſe dicet, quod proportione noſtra non poſſimus ſine interiecto intermedio ad contemplationes earum rerum quæ ſub intelligentiam cadunt, adniti; opuſque ſit nobis familiaribus & naturæ noſtræ cognatis adminiculis, quæ formas exhibent, quas capere poſſumus eorum quæ formari nequeunt, quæque naturam ſuperant, ſed etiam quod hoc magis myſticas ſcripturas decet, ut arcanis & ſacris ænigmatibus obtegantur, & non pateat vulgo aditus ad ſacram & occultam divinarum mentium veritatem. Hinc igitur patet, omnem

D

E

Theologiam ſymbolicam habere aliquid effictum, ſive illud ſit in ſermonibus, ſive in nominibus, ſive etiam in formis ſenſui ſubiectis, maxime vero proprium eſt Theologiæ ſymbolicæ, quæ in iis quæ ſenſu percipiuntur, verſatur, formas ex animalibus quæ cernuntur, aut ex eorum partibus effingere & induere, neque ſolum ex talibus, ſed ex coloribus omnis generis, quæ omnia verus ille Theologus Dionyſius uno verbo divina viſa appellavit, diſtinguens ea à profanis & fortuitis viſis.

Ex Scholiis S. Maximi.

1. *In univerſo*) ut rex, creator, omnipotens, hæc enim nomina ſunt divinæ providentiæ in genere 2. *in parte*) ut Deus deorum, Dominus dominorum, rex regum: non enim omnes, ſed quidam dicuntur dij, domini, reges 3. *viſis*) Sic vocat revelationes Dei in ſymbolis. 4. *in templis*) Deſignat hic Dionyſius illud viſum apud Eſa. c.6. videturque dicere, vidiſſe Eſaiam in templo illud viſum de ſedente in ſolio, & de Seraphinis ſupra illud. Quæ deinceps hic in Dionyſio ſequuntur, dicta ſunt de viſione Ezechielis cap 1. & de alia cap. 10. 5. *oculi*) Pſal 32. Oculi eius ſuper pauperem reſpiciunt, 6. *aures*) Iacob. 5. Clamor eorum in aures Domini ſabaoth introivit, 7. *capilli*) Dan.7. Et capilli capitis eius quaſi lana alba, 8. *facies*) Pſal.32. Facies Domini ſuper facientes mala. 9. *manus*) Iob. cap.10. Manus tuæ fecerunt me, 10. *ſcapula*) Pſal.90. Scapulis ſuis obumbrabit tibi: 11. *ala*) Pſal. 16. Sub umbra alarum tuarum protege me 12. *brachia*) Pſ.88. Brachium meum confortabit eum 13. *poſteriora*) Exod. 33. Poſteriora mea videbis 14. *pedes*) Geneſ. 3. Et audierunt vocem Domini deambulantis in paradiſo, 15. *coronas*) Pſal.64. Benedic coronæ anni benignitatis tuæ, 16. *ſedes*) Pſ.88. Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi 17. *calix*) Pſalm. 74. Calix Domini in manu eius, 18. *cratera*) Prov. 9. Miſcuit crateram ſuam, apud L X X.

F

G

CAPVT V.

Quod omnis etiam in angelis ſacra formatio ad hanc partem ſymbolicæ Theologiæ refertur.

MAgnus Dionyſius ſecundo capite cœleſtis hierarchiæ: Ad hæc dicendum eſt, quibus formis ſacris ſacræ ſcripturæ cœleſtes ordines figurant, & ad 1. quid unum & ſimplex per eas formas quæ effinguntur, revocare nos oporteat, ne ipſi etiam more vulgi profane exiſtimemus, cœleſtes & divinas mentes multos pedes & multas facies habere, atque ad ſimilitudinem boum, aut ad formam leonum expreſſas eſſe, & ad ſpeciem aquilarum aduncis roſtris formatas, aut ad ſimilitudinem volucrum habere pennas inſtar capillorum; & ne cogitemus rotas quaſdam igneas ſuper cœlum, & ſellas materiatas Deo ad ſedendum accommodatas, ac quoſdam equos variis coloribus, ſatellites, duces exercitus, & cætera omnia quæ ſcripturæ ſanctæ variis ſymbolis divine effingunt. Idem in eodem capite: Quod vero abſonæ ſimilitudines magis mentem noſtram erigunt, nemo, ut opinor, cordatus contradicet, in nobilioribus enim formis effingendis credibile eſt errare aliquos, qui exiſtiment eſſe naturas cœleſtes ſpecie quadam aurea, viros quoſdam micantes, fulgore decoros, veſtitu ſplendido, & igneum vibrantes non lædendo, & quæcunque aliæ eiuſmodi formæ ſunt, quibus Theologia ſcripturæ ſanctæ cœleſtes mentes figuravit, quod quidem ne iis eveniat, qui nihil altius, quam illa pulchra & ſpecioſa quæ apparent, mente complexi ſunt, ſcripturæ ſanctæ ſapientia, quæ ſurſum ducendi vim habet, ad diſſimilitudines abſonas ſancte ſe deiicit, non permittens ut

H

A ſenſus noſtri corporis in illis indecoris imaginibus hærentes acquieſcant; quin potius eam partem animæ, quæ ad alta tendit, ipſa deformitate figurarum excitat & ſtimulat, tamquam non videatur fas eſſe & verum, ne iis quidem qui ſunt terrenis rebus valde affixi, tam abſurdis formis ſimilia revera eſſe illa ſupracœleſtia & divina quæ in ſymbolis cum admiratione ſpectantur. Hinc igitur apparet, quod divina ſcripturæ ſanctæ ſcientia non ſolum in natura Dei, qui ſupra naturam eſt, divinis viſis; ſed etiam in angelis, qui figurari non poſſunt, formis ſacris effictis uſa eſt: ut hinc naturam ſymbolorum perſpicere liceat.

Ex Scholiis S. Maximi.

Ad quid 1. unum, & ſimplex) Sic vocat vacuum à materia, ut cum ſcriptura tribuit angelo formam effi-
B ctam aquilæ, verbi gratia, oportet ſcire per hanc formationem aquilæ, quæ non ſimplicis naturæ, ſed compoſitæ eſt, ad quid nam ſimplex in angelo intelligendum revocamur, ſcilicet revocamur ad intelligendum eſſe in angelis aciem quamdam acutiſſimam ſpiritalis & ſublimis perſpicientiæ: atque id quidem neceſſe eſt ſcire, ne nobis eveniat quod Vulgo, ut exiſtimemus forte habere angelos pedes, facies, alas, & ſimiliter in aliis formis effictis.

CAPVT VI.

Quot modis ſignetur ſymbolica Theologia ſive ſub aſpectum ſive ſub ſenſum aurium cadat.

GRegorius Theologus ſecundo de Theologia libro ait: Quid de Eſaia & Ezechiele, qui maximorum myſteriorum ſpectator fuit, ac de reliquis prophetis dicere poteris, ex quibus ille quidem Dominum
Eſa.6 C ſabaoth ſedentem in throno gloriæ vidit, & hunc à ſeraphinis ſexaligeris ſtipatum, laudatum, & obtectum ſeque carbone ignis purgatum, & ad prophetiam inſtructum; hic vero vehiculum ex cherubinis deſcribit,
Ezech.1. & 10. & ſuper eos thronum, & ſuper thronum firmamentum, & eum qui in firmamento apparebat, & voces quaſdam, & impetus, & actiones, atque hoc quidem ſive erat viſum diurnum ſolis ſanctis aſpectabile; ſive nocturna & vera viſio; ſive informatio futurorum tanquam præſentium in mente, ſive alia ſpecies arcana prophetiæ, non poſſum affirmare; Deus prophetarum novit, & quibus talia contigerunt. Et divinus Chryſoſtomus in homilia de Eutropio, quando inventus extra Eccleſiam, abſtractus & abreptus fuit: Nemo enim, inquit, vidit id quod Deus eſt: non igitur cum Deus videtur, apparet quod eſt, ſed quod poteſt videre iis cui apparet, non mutans ſubſtantiam ſuam, ſed aſpectum figura informans pro varietate rerum ſubiectarum. Sanctus Gregorius Nyſſenus in eo libro contra Eunomium, cuius principium eſt, Prima quidem, ſic
Matt.3. ait; Etenim in Iordane poſt virtutem ſpiritus ſancti,
Ioan.12. & rurſus audientibus Iudæis, & in transfiguratione,
Matt.17. vox ſuperne edita eſt, quæ homines doceret, ne illud
D ſolum eſſe exiſtimarent, quod apparebat; ſed crederent eſſe etiam verum filium Dei dilectum. Talis vox, ut audientes perciperent, formata eſt à Deo in corpore aëreo, ut facere conſueverunt qui loquuntur, ſic Deus
1.Tim.2 qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ad ſalutem eorum qui audierunt, ſermonem in aëre articulate impreſſit, ſicut Dominus dixit Iudæis, qui putabant tonitruum eſſe factum, quia ſo-
Ioan.12. nus in aëre confectus fuerat: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos. Ex his patet, quot modis in prophetis & aliis beatis Theologia ſymbolica declaratatur, nominatim quidem 1. tripliciter, arcane vero & occulte etiam aliter, & ut Deus prophetarum ſcire poteſt.

Ex Scholiis S. Maximi. E

Atque hoc quidem ſive erat viſum diurnum ſolis ſanctis aſpectabile; ſive nocturna & vera viſio; ſive informatio futurorum tamquam præſentium in mente) S. Maximus explanans hunc Gregorij locum, Numeravit, inquit, hoc loco nobis beatus Gregorius ſpecies prophetiæ, ego vero nihil interim affirmans, coniectura ducor diurnum viſum vocaſſe viſionem & auditionem rerum & ſermonum, quæ ſancti neminem videndo, & neminem audiendo, tamquam per ſenſum ſpiritu videbant & audiebant, non enim fas eſt dicere, oportere omnino in divinis ad informationem imaginationis præſens eſſe id in quod cadit imaginatio; ſed admirabiliter, & ſupra naturam, ac nullo præſente, & vocibus ſub ſenſum cadentibus non formatis pulſu aëris, eam partem qua imaginamur, operari; F
ita ut vere audiat & videat, qui divina docetur, nec enim creditur divinum eſſe, in quo nihil amplius eſt, quam quod in naturæ ordine cernitur. Sic enim nos cum nocte per ſomnum imaginamur; ſæpe videmus & audimus, cum nemo eſt qui loquatur, aut videatur; multo magis hoc ſanctis experrectis & vigilantibus vere eveniet, Deo operante in ipſis vigilantibus ſecundum gratiam admirabilem, quod in nobis lege naturæ fieri conſuevit. Nocturnam & veram viſionem exiſtimo eum vocare aut intelligentiam perfectam rerum futurarum, quæ in anima per ſomnum fit, ut in Ioſeph, & Daniele; aut viſionem rerum divinarum cadentem ſub aſpectum oculorum propter ſummam paſſionis vacuitatem ex multa puritate proficiſcentem. Informationem vero futurorum tamquam præſentium in mente arbitror eum [illegible] dicere figuras futurorum ſanctis oſtenſas ſimplici modo tamquam in imagine ſecundum ſimplicem & non dividuam notionem mentis. Hæc ego auſus ſum, ait S. Maximus, ex coniectura dicere nullam gratiam experiendi hæc adeptus, ob eam tantum cauſam, quod tu iuſſiſti. G

1. Tripliciter) ſcilicet aut formatione rei cadentis ſub ſenſum viſus, aut ſub ſenſum aurium, aut tranſlatione verbi ſignificantis aliquid ſpiritale ut ebrietas Dei, & ſomnus, &c.

CAPVT VII.

Quod hanc ſymbolicam Theologiam, ij in quos cecidit, viſum & viſionem appellaverunt.

MAgnus ille ſpectator Dei Moyſes, Tranſiens, Exod.3.
inquit, videbo viſun hoc ingens, quare rubus ardet, & non comburitur, & viſio quam vidit Eſaias: Oſee.12
Et ego viſiones multiplicavi, & in manibus prophetarum aſſimilatus ſum: Et iuvenes veſtri viſiones videbunt: Ioel.2.
& infinita alia huiuſmodi in vetere ſcriptura. In primis vero Salvator noſter de ſua in monte Thabor theophania, id eſt, Dei apparitione, Nemini, inquit, Matt.17.
dixeritis viſionem hanc, & divinus Dionyſius cap. 13. H
cœleſtis hierarc. ait viſionem illam oſtenſam eſſe Eſaiæ Theologo per unum ex iis angelis ſanctis, qui nobis præſunt. Ex quibus fit manifeſtum, quod quæcumque ſacra viſa divinis ſymbolis formata prophetæ ſenſu viſus perceperunt, verbo ſibi cognato viſiones nominaverunt, vocabulo viſionis alioqui communi, rebus ipſis quas videbant, tamquam proprio impoſito. Huiuſmodi eſt in Deo vocabulum proceſſionis.

Vocabulū proceſſionis inqui commune, fact tamē e propriū ſpiritus ſancti.

Digitized by Google

A

CAPVT VIII.

Quod hæ viſiones & Theophaniæ, id eſt, Dei apparitiones, non aliter quam intermedias virtutes cæleſtes informatæ ſunt.

MAgnus Dionyſius quarto capite cœleſtis hierarchiæ: Hi igitur, inquit, ſunt qui in primis & multipliciter 1. occultum Dei manifeſtant, quamobrem cetera omnia vocabulo angelorum egregie ſignati ſunt, quia ipſi primum à Deo illuminantur, & per ipſos nobis noſtræ revelationes tranſmittuntur, ſic igitur 2. lex, ut divinus ſermo teſtatur, per angelos nobis data eſt: & illos celebres ante 3. legem & poſt 4. legem patres noſtros angeli ad Deum adducebant,
B
aut 5. quod agendum erat exponentes, & ab 6. errore & vita profana ad rectam viam veritatis traducentes; aut manifeſtantes 7. ſacros ordines, aut myſteriorum quæ ſupra mundum ſunt, 8. abditas viſiones, aut divinas quaſdam 9. prædictiones tamquam nuntij & miniſtri explanantes. Siquis vero dicat, quibuſdam ſanctis, nullo interiecto medio Deum ex ſe apparuiſſe, diſcat etiam hoc ex ſapientia ſacrarum ſcripturarum ipſum illud, quod Dei eſt 10. occultum, neminem vidiſſe, neque viſurum eſſe; ſed apparuiſſe ſanctis Deum oſtendentem ſe, ut eum decebat, per viſa quædam ſacra, & iis qui ea videbant, congruentia. Sermo autem divinus omni ſapientia plenus viſum illud, quod divinā ſimilitudinem in illo ipſo viſo figuratam oſtendebat, ut figuratur, quod figurari non poteſt, quia adducit eos qui vident, ad Deum, merito inde Theophaniam, id eſt, apparitionem Dei vocat, utpote quæ divinam illuminationem videntibus immittat, & aliquid de divinis eos ſacre doceat. His divinis viſis præclari illi patres noſtri miniſterio angelorum initiabantur.
C
Immo magnus quoque Athanaſius ait: Induunt figuras angeli ad quemcunque uſum Dominus Deus velit; atque ad eum modum iis qui digni ſunt, apparent, & divina illis myſteria aperiunt. Ex his perſpici poteſt, viſionem, ſimilitudinem, & Dei apparitionem idem repræſentare, huc etiam accedit, quod per intermedios angelos indutis figuris ad Dei nutum huiuſmodi ſimilitudines formantur.

Athanaſius in quæſtionibus ad Antiochum principē

Ex ſcholiis S. Maximi.

Occultum 1. *Dei*) quatenus hoc cognoſci poteſt per ea quæ facta ſunt, quia angeli in primis præ ceteris naturæ Deum participant, quia ut ait S. Maximus, eorum ſubſtantiæ ſunt νοῦς ζῶν, id eſt, mens vivens, idcirco in primis per ſe ipſos à Deo creatos occultum Dei manifeſtant, quod ſcilicet eſt ens, quod vita, quod mens, tametſi ſupra hæc eſt illud occultum Dei, ſupra etiam quam ut comparari poſſit, 2. *lex*) Galat. 3. Lex ordinata per angelos in manu mediatoris, & Act. 7. Qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum 3. *ante legem*) ut Abraham, & Manoe, & reliquos 4.
D
poſt legem) ut Ioſeph, & Petrum, & alios deinceps ad voluntatem Dei faciendam adduxerunt angeli. Matt. 2. Act. 12. 5. *quod agendum erat*) ut in Ieſu Nave, & Gedeon, & aliis 6. *ab errore abducentes*) ut in Cornelio Act. 11. aut 7. *ſacros ordines*) ut Daniel. c. 7. decies centena millia ante conſpectum Dei aſtantia vidit; Ezechiel Cherubinos, cap. 10. Eſaias Seraphinos, cap. 6. aut myſteriorum 8. *viſiones*) ut in Moyſe & rubo, & in Paulo rapto uſque ad tertium cœlum, & in Apocalypſi Ioannis, aut divinas 9. *prædictiones*) ut in Manoe, & aliis, id vero quod 10. *occultum eſt Dei*) Vide quomodo interpretatur Dionyſius quod ait Ioannes: Deum nemo vidit unquam, quia enim ſciebat viſum eſſe hominibus in ſcriptura, ut Adæ in paradiſo, Abrahæ ad quercum Mambre, & proficiſcenti Sodomam, & Moyſi, & aliis, dicit nunc, occultum Dei

Exod. 3. 2. Cor. 12

I Ioan. 4. Gen. 2. Gen. 18.

E
neminem vidiſſe, neque viſurum eſſe, id eſt, id quod eſt ſubſtantia eius, vel altius, quid ſit Deus, nemo comprehendere intelligentia, nec exprimere unquam potuit, neque poterit, cum autem dicitur in ſcriptura apparuiſſe, ſive viſus eſſe, ſic intelligendum eſt, quod unuſquiſque illorum proportione fidei habebatur dignus viſione quadam, quæ illi Deum oſtendebat: per quam viſionem illuminationum capiebat cognitionum divinarum, quæ ipſi adveniebant.

CAPVT IX.

Quod ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus quatenus eſt Deus homo non refugit ab ordine Deum decente à ſe conſtituto.

F
MAgnus Dionyſius cap. Quarto cœleſtis hierarchiæ ait: Video autem angelis primum, divinum humanitatis Ieſu myſterium apertum fuiſſe per eos poſtea nobis gratiam cognitionis tranſmiſſam eſſe. Sic igitur divinus Gabriel Zachariam quidem pontificem docuit, filium quem præter ſpem divina gratia generaturus erat, futurum eſſe prophetam eius qui oſtendendus erat in 1. virili divina operatione ad ſalutem mundi, ut bonitatem eius decebat. Mariam vero docuit myſterium formationis 2. Dei in ea mirabiliter ſupra quam dici poteſt, à Deo operandum, alius angelus Ioſeph erudivit, quomodo quæ Deus David progenitori Chriſti promiſiſſet, vere effecta eſſent, alius angelus paſtoribus tanquam in ſolitudine, ſeceſſu & quiete purgatis evangelizavit, & cum eo multitudo cœleſtis exercitus illam valde celebrem, & à multis cantatam laudationem iis qui in terra erant, tradidit. Aſcendam præterea ad celſiſſimas in ſcripturis ſanctis apparitiones Dei. Video enim ipſum Ieſum, qui eſt naturarum ſupra quam cœleſtium ſupra naturam auctor, qui ad noſtram naturam humanam immutabilis venit,
G
non refugere à conſervatione ordinis qui homini congruit, & ab ipſo ordinatus & electus eſt, quin potius & obedienter ſe ſubmittit formis à Deo patre per angelos effectis, & per eoſdem intermedios nuntiatur ſancto Ioſeph ille à Deo patre proviſus filij in Ægyptum ſeceſſus; & inde rurſus in Iudæam reditus. Videmus etiam fuiſſe per 4. angelos paternis legibus ſubiectum, prætermitto enim ut dicam tibi tamquam gnaro ea quæ ſunt nobis à ſancto ſcilicet Luca apoſtolicis 5. traditionibus reſerata de angelo Ieſum confortante, quin etiam huius magiſter, & totius orbis lumen ait: Teſtatus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo quod memor es eius? Minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, omnia ſubieciſti ſub pedibus. In eo enim quod ſubiecit omnia, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autem nondum videmus omnia ſubiecta ei. Eum autem qui modico quam angeli minoratus eſt, videmus Ieſum per paſſionem mortis gloria & honore coronatum. Ex his igitur conſtat, ſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus per paſſionem mortis paulo infra angelos minor factus eſt,
H
& eum videmus per angelos paternis legibus ſubiectum, neque declinare à conſervando ordine hominem decente, quem ipſe conſtituit & amplexus eſt, præbuiſſeque ſe obedientem iis formis, quas Deus pater per angelos effecit, manifeſtumque eſt de omnibus myſteriis Chriſti angelos prius eruditos fuiſſe; deinceps per eos gratiam cognitionis ad nos devenisse; quomodo aliquis quamdiu humanam vitam degit, licet valentiſſimus Theologus ſit, ſuperbe renuat, quin in ipſo etiam, quatenus homo ſit, ab angelis formæ ſignentur? erudiaturque is de divinis, 5. & divine ut conſentaneum eſt, afficiatur: Reſtat igitur fieri non poſſe, ut quis hanc partem Theologiæ ſymbolicæ & arcanæ doceatur niſi per angelos formis per angelos factis ad huiuſmodi viſiones adducatur.

Luc. 1.

Matt. 1.

Luc. 2.

Matt. 1.

Luc. 22.

Hebr. 2. Pſal. 8.

A

Ex Scholiis S. Maximi.

In 1. *divina virili)* Incarnationem verbi ſignificat,
quia Deus in carne humana opera divina operabatur.
Itaque dicendo virilem, perfectum hominem fuiſſe
docet; dicendo divinam, ſimul perfectum Deum. 2.
formationis Dei) Dicitur formatum eſſe Deum in ute-
Ioan.1. ro virginis & matris, ſicut illud dictum eſt: Verbum
caro factum eſt, 3. *non refugit)* id eſt, non reputavit
indignum, ſi cum eſſet dominus angelorum, obedi-
ret tamen illis, per angelos enim nuntiata eſt Ioſeph
fuga in Ægyptum, & inde reditus. Sic itaque dixit
hic Dionyſius, non refugit, ſicut dixit Paulus in
Epiſt. ad Phil. c.2. Qui cum in forma Dei eſſet, id
eſt, verus Deus, non rapinam arbitratus eſt, hoc eſt,
non reputavit indignum, ſi cum eſſet alioqui æqualis
Deo natura, & non falſo ſibi vindicans divinitatem,
B ſicut qui alienum rapit, *fieret tamen homo, per* 4. *an-*
Galat.4. *gelos)* Quia factus eſt Chriſtus ſub lege, ſicut Apoſt.
Galat.3 ait, & lex data eſt per angelos, idcirco dicitur Chri-
ſtus factus ſub lege per angelos, *ſacris* 5. *traditioni-*
bus noſtris) Significat Dionyſius ſibi & Timotheo tra-
ditum fuiſſe hoc myſterium de angelo confortante à
Paulo ἀγράφως, id eſt, ſine ſcripto; quod quidem po-
ſtea à Luca ſcriptum eſt in Evangelio quod Paulus
prædicabat, & ex Paulo didicerat. Si quis vero quæ-
rat hic, quid opus erat angelo confortante, ubi divi-
nitas aderat, docet S. Maximus reſpondendum eſſe,
multa miracula Deum per angelos operari, idque uni-
verſam ſcripturam teſtari.

CAPVT X.

Quod omnino oportet ad altiores notiones ex utra-
que parte ſymbolicæ Theologiæ adduci, ſiue ſi-
C *militudinibus per angelos formatis, ſiue verbis*
quatenus primo aſpectu apparet, abſonis illis
quidem & diſſentaneis.

MAgnus Dionyſius in epiſt. ad Titum, Ne exiſti-
memus, inquit, ſigna formarum apparentium
ſua tantum cauſa & ratione 1. efficta eſſe, ſed potius
integumenta eſſe ſcientiæ arcanæ, & vulgo hominum
occultæ, vt ea quæ ſanctiſſima ſunt, non ſint profanis
facilia ad intelligendum, ſed tantum vere ſtudioſis ſan-
ctitatis aperiantur, vtpote expeditis ab omni puerili
cogitatione in ſacris ſymbolis, & qui acie mentis, &
ingenij facultate ad contemplandum idonea, verita-
tem ſimplicem & ſupra naturam ſymbolorum colloca-
tam aſſequi poſſint. Et rurſus idem cap. 2. de cœleſti
hierarchia, Sic, inquit, omnes divina ſapientia eru-
diti, & divini afflatus miniſtri & interpretes ſancta
ſactorum à profanis & ab iis qui initiati non ſunt,
D pure ſeparant, & formas efficta diſſimiles celebrant,
ut neque divina à profanis facile percipi queant; ne-
que qui ſtudio ſpectandi ſacras iſtas imagines incluſas
tenentur, in illis extrinſecus figuris & ſignis tanquam
in veris hæreant. Immo & magnus Baſilius, Qui, in-
quit, ad celſiores notiones ex verbis non aſcendit, ſed
in ipſis delineationibus corporum verborum compoſi-
Deut.4 tione factis reſidet, audiet ex Moyſe, Deum eſſe
Dan.7. ignem; & à Daniele ſapiente ad alias opiniones detor-
quebitur; ita fiet vt non ſolum falſas cogitationes, ſed
inter ſe pugnantes ex ipſis rebus colligat. Ex his pa-
tet non oportere hærere in ſymbolice efficitis formis,
quomodocumque effingantur, ſiue in ſpecie ſub ſen-
ſum cadente, ſiue in vocabulis quæ videntur habere
multum abſoni & abſurdi; ſed potius omni ſtudio ad
ſubliniores cogitationes recurrere. Vt igitur ſimplici
& diſtincta repetitione exponam capita quæ tractavi,
1 oſtenſum eſt in primo capite, tanquam in genere quo-
dam, ſimpliciter Theologiam in duas ſpecies diſtribu-
tam eſſe, in quarum altera, quæ eſt Theologiæ ſymbo-
licæ, proximè explicatum neceſſario eſt, quæ & quot E
ſint quæ in ea aperiuntur & declarantur, deinde ſe-
quebatur ſtatim, vt qualia iſta eſſent, expediretur, 2
nempe corporea & ſub ſenſum cadentia, poſtea, quid
horum proprium ſit, deinceps non ſolum quæ de Deo 3
ſunt, iſtiuſmodi formis & imaginibus inſtructa eſſe,
ſed etiam quæ de angelis: proximum erat, quot modis 4
iſta ſymbolica percipiuntur & apparent, deinde, quo 5
vocabulo iſta ſunt tecta, & involutè appellata, ad
hæc, quibus intermediis iſta geruntur, deinde oſten- 6
ſum eſt non poſſe hæc aliter fieri niſi per intermedios, 7
per angelos ſcilicet, poſtremo non eſſe hærendum in 8
huiuſmodi typis, ſiue in ſolis verbis ſint efficti, ſiue in 9
formis & imaginibus, nihil igitur hic deeſt, quin ſint 10
hæc abſoluta. Conſentaneè vero huiuſmodi Theologia
arcana nobis & myſtica dicitur, quia non ſinit nos in
viſis ſiſtere; ſed vlterius progredi cogit eos qui pennas,
quibus in ſublime ferantur; à natura acceperunt.

F

Ex Scholis S. Maximi.

Propter ſe 1. efficta eſſe) id eſt; vt ſic intelligan-
tur, ut extrinſecus ſecundum litteram nudam apparet,
non enim ſic accipienda ſunt, ſed potius ſecundum
ſenſus, quos ſymbola intus habent alte reconditos.

SECVNDA DECAS,

De Theologia Demonſtratiua.

CAPVT I.

Quod duplex ſit Theologia demonſtratiua.

MAGNVS Dionyſius ſecundo capite cœle-
ſtis hierarchiæ, Duo, 1. inquit, modi ſunt
ſacræ nominationis Dei: alter quidem, vt G
conſentaneum apparet, per ſimiles imagines ac ſigna
ſacra tendens; alter vero per diſſimiles formas in ſpe-
ciem abſonam & diſſentaneam efficitus, ac traditiones
quidem myſticæ ſcripturarum Deum enuntiantium,
venerandam eius qui ſupra ſubſtantiam eſt, &
θεαρχία, id eſt, Deus deorum, beatitudinem inter-
dum tanquam mentem & verbum & 3. ſubſtantiam
laudant, cum 4. ratiocinationem quæ Deum decet,
& ſapientiam eius declarant, & talem ac tantum eſſe,
qui ſit vera cauſa ſubſtantiæ rerum; & tanquam lumen
eam effingunt, ac vitam vocant, cum alioqui huiuſ-
modi formæ in ſcriptura ſacra efficitæ, honeſtæ qui-
dem & graves ſint, & quæ formas terrenas excellere
quodammodo videantur; ſint tamen infra ſimilitudi-
nem Dei cum ipſa veritate; eſt enim ſupra omnem
cauſam, & vitam; cum nullum quidem lumen poſ- H
ſit Deum exprimere; omne autem verbum & mens
ab ipſa Dei ſimilitudine infinito intervallo diſtent,
quandoque vero 5. diſſimilibus declarationibus ab ip-
ſis illis ſcripturis ſanctis divine laudatur, cum inaſpe-
ctabilem eum vocant, & infinitum, & qui capi non
poſſit; & ſimiliter in aliis: vnde non quid eſt, ſed
quid non eſt, ſignificatur. Ex his efficitur duplicem
eſſe Theologiam demonſtrativam, unam quæ affir-
manter & ex effectis inducitur; alteram quæ ne-
ganter & privativè: & illa quidem ex ſimili-
bus formis efficitis, hæc ex diſſimilibus, hoc ta-
men in affirmativa Theologia cernitur, ipſam etiam
per formas fictas in ſcriptura ſacra progredi, ho-
neſtius tamen quam per ea quæ ſymbolice dicta ſunt
in 6. vtroque genere formationum, quas patres vo-
caverunt ὑλικὰς, nos dicamus terrenas, quatenus
etſi altera pars Theologiæ, ſcilicet ſymbolicæ, in
verbis tranſlatis & adumbratis pergit, multum

tamen

A tamen abſoni & diſſentanei in eis apparet. Quomodo enim cogitabit, qui in Deo crapulam audiat, & pœnitentiam, & iuramenta, & imprecationes, & alia eiuſmodi?

Ex Scholiis S. Maximi.

Duo, 1. inquit, *modi*) Quod duobus modis laudatur Deus, aut tanquam ſimilis omnibus (omnia enim in ipſo conſiſtunt) aut tanquam diſſimilis (nihil eſt enim eorum quæ ſunt) exponit deinde Dionyſius, quomodo formantur iſti modi nominandi Deum per ſimilia, vt cum dicitur Deus in ſcriptura verbum, & mens; vt illud: Quis cognovit ſenſum, ſive mentem Domini? & iſtud in prophetis frequens: Et factum eſt verbum Domini ad me 2. θεαρχία) Cum Dionyſius Deum vocat θεαρχίαν, ab eo nominat quod eſt potiſſimum Dei donum, facere ſcilicet angelos & ſanctos homines, quoad fieri poteſt, Deos quoſdam, ſicut ſcriptum eſt: Ego dixi, dij eſtis, & illud: Deus deorum in Sion, θεαρχίαν itaque dicit, quaſi θεῶν ἄρχοντα; dicamus nos Deum deorum, vt David dicit, & 3. *ſubſtantiam laudant*) vt cum dicit ſcriptura in Exodo: Ego ſum qui ſum; & qui eſt, miſit me, & illud in Pſ.103. Tu autem idem ipſe es, ἀπὸ γὰρ τοῦ εἶναι καὶ τοῦ ὄντος ἡ οὐσία καὶ τὸ παράγωγον οὐσίας ἡ ὕπαρξις, dicamus nos more noſtro, ab eſſe enim & ente ducitur eſſentia, quæ eſt exiſtentia, hoc eſt, exiſtens ſubſtantia, accidens enim non eſt ὕπαρξις ſed ἐνύπαρξις; id eſt, non eſt exiſtentia, ſed in exiſtentia. 4. *ratiocinationem.*) Non ſic dicit, quod velit ſignificare eſſe Deum rationalem, tanquam participem rationis, qui eſt totus ipſa per ſe ſubſiſtens ratio, *quandoque vero* 5. *diſſimilibus*) Diſſimilia vocat, quia quæ negantur de Deo dicuntur, non quid ſit, ſed quid non ſit, declarant 6. *in vtroque genere*) id eſt, in formatione figurationis ſub ſenſum cadentis, & in formatione tranſlationis cadentis ſub intelligentiam.

Rom.11.

B Pſal.81. Pſal.83. Exod.3.

C

CAPVT II.

Quod Theologia demonſtratiua, quæ videtur eſſe ſine integumento, per typos nobis effictos procedit.

MAgnus Dionyſius in epiſt. ad Titum, Quod, inquit, huiuſmodi integumenta cognata naturæ noſtræ ſunt, declarant etiam qui audita aperta 1. Theologia ſine involucris, effingunt in ſe typum quendam, qui eos ad intelligentiam eius Theologiæ quam dixi, adducat: & ipſius quoque 2. mundi qui cernitur fabrica inviſibilibus Dei obducta eſt, ſicut Paulus, & ipſa 3. veritas teſtatur. Alter vero Dionyſius hæc diſſerens ait, eos qui apertam Theologiam, & velis nudam audierunt, 4. typos cogitatione ſua formare, qui ad intelligentiam auditores adiuvent. Ex his igitur manifeſtum efficitur quod antea dictum eſt, typos eſſe & imagines ea etiam quæ aperte nobis & ſine velis obtentis in ſcriptura ſancta Deo dicuntur, quamvis demonſtrativè dicantur affirmando.

Dionyſius Are[opagita]. D Maximus ſcholia etiam in Dionyſiū Areopagitam ſcripſit.

Scholia.

Qui 1. *audita aperta Theologia.*) Exemplum ſit quod ſcriptum eſt in Hiere.c.13. de iis quæ aperte dixit Dominus ſine vllo typo aut integumento, quomodo populum Iſraël ſibi adiunxiſſet, & quomodo propter peccata eſſet puniendus, & de lumbari, in quo tanquam in typo efficto voluit, vt Hieremias ſupplicium de populo Iſraël ſumendum, & ſuam cum illo populo coniunctionem magis adhuc intelligeret, meliuſque aliis exponeret. Et dixit Dominus ad me: Surge, & vade ad Euphraten, & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi vt abſconderes illud ibi. Et abij ad Euphraten, & fodi, & tuli lumbare de loco ubi abſconderam illud; & ecce computruerat lumbare, ita ut nulli uſui aptum eſſet. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Hæc dicit Dominus: Sic putreſcere faciam ſuperbiam Iuda, & ſuperbiam Hieruſalem multam, & paulò poſt: Et erunt ſicut lumbare iſtud, quod nulli uſui aptum eſt. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinavi mihi omnem domum Iſraël, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt eſſent mihi in populum, & in nomen, & in laudem & in gloriam, & non audierunt, & quæ ſequuntur. Frequentia ſunt huiuſmodi exempla in prophetis de aperta Theologia, & de typis ſine ſymbolis ad eam adhibitis, *ipſius* 2. *mundi qui cernitur.*) Fabrica mundi quodammodo vicem ſymbolorum tenet, ut notavit ſanctus Maximus, & *ipſa* 3. *veritas teſtatur*) Chriſtum dicit, qui in Evangelio multa, quæ ad Theologiam apertam & demonſtrantem pertinent, per ſymbola & parabolas loquebatur, unde Nicodemo dixit, vt Pachimerus Dionyſij paraphraſtes obſervavit: Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? ut perinde ſit hoc ut mihi quidem videtur, ac ſi diceret; Si cœleſtia & divina dixi vobis per ſymbola corporea, & naturæ veſtræ cognata & familiaria, & non creditis, vt credendo intelligatis; quomodo ſi dixero vobis cœleſtia abſque iſtis imaginibus vobis notis, credetis? Docuerat enim Dominus Nicodemum exemplo venti de operatione occulta & ſpirituali creaturam ex aqua & Spiritu ſancto regenerante, ubi vocem tantum audimus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſed quomodo operetur, aut unde incipiat, & ubi deſinat, neſcimus; ut in vento, qui eſt, ut ait idem Dionyſius in cap.15. cœleſtis hierar. imago & typus divinæ operationis propter proprietates venti quas ibidem Dionyſius notavit, ubi etiam locum Evangelij citat, Spiritus ubi vult ſpirat, 4. *typos*) ut Deum eſſe trinum & unum, ad apertam & demonſtrantem Theologiam pertinet, quam tamen ut facilius auditores & lectores credant, & credendo intelligant, ex antiquis patribus alij typos & imagines effingunt trium lampadarum, & unius flammæ; alij Solis, radij, & luminis; alij roſæ, floris, & odoris; aut radicis, rami, & fructus; aut digiti, manus, & brachij, & ſimilium.

Hier.13.

E ibid. F Ioan.3. G

CAPVT III.

Quod per omnem Theologiam ratio ſpeculi & ænigmatis progreditur.

ADmirandus & magnus Apoſtolus ait: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, & rurſus: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt, & iterum: Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. Hoc præclarus auctor Baſilius cum perſpectum haberet: Illud, inquit, facie ad faciem, & perfectè cognoſcere in futuro ſæculo dignis reddendum eſſe promiſſum eſt: nunc vero, ſit licet Paulus, licet Petrus, videt quidem verè quæ videt, & non fallitur; per ſpeculum tamen videt & in ænigmate, illud autem quod ex parte eſt, nunc grato animo accipiens; quod perfectum eſt, in futuro perſpicuè expectat. Item cum eo Gregorius Theologus: Quocirca, inquit, omnem cognitionem Paulus quæ in terra de Deo habetur, nihil ſupra quam ſpecula & ænigmata eſſe ponit, vtpotè in minutis imaginibus veritatis locatam. Et iterum idem in oratione de conſtituendis epiſcopis: Ecquis eſt, inquit, qui in tam ſublime poteſt ferri, ut Paulum æquet? & tamen videre ſe dicit per ænigma, & fore tempus cum facie ad faciem videbit. Et rurſus in eadem oratione: Quomodo, inquit, ſenſus in eodem manet, & id quod foris eſt, attrahit? quomodo mens in te manet, & in alia mente verbum gignit? quomodo verbo notio datur? Si nihil horum intelligentia

1.Cor.13 ibid.

H 2.Cor.5. Baſilius in oratione de cõfeſſione fidei.

Gregorius lib.1. de Theologia.

1.Cor.13

A

Pſal 8.

comprehenſum habes homo, comprehendes autem forte aliquando, cum recipies quod perfectum eſt: Videbo, inquit, cœlos opera digitorum tuorum; vt ſuſpicemur, quæ nunc videntur, non eſſe ipſam veritatem, ſed ſimulachra veritatis; quomodo Deum, id quod eſt, & quantus eſt, noſſe te exiſtimas? Ad hæc, magnus Dionyſius in epiſt. ad Titum: Atqui nec in ſanctiſſimis myſteriis ſancti magiſtri Evangelicæ aut Moſaicæ diſciplinæ à ſymbolis, in quibus Deus repræſentabatur, abſtinuerunt; quin potius videmus 1. angelos omni ſanctitate plenos per ænigmata res divinas myſtice promere; & Ieſum parabolis de divinis loqui, ac deifica & à Deo facta ſacramenta per typos panis & vini tradere. Par enim erat, vt non ſolum ſancta ſanctorum ſervata eſſent, ne ea vulgus hominum pollueret; ſed vt ipſa vita humana, quæ incorporea ſimul & corporea eſt, lucem divinæ cognitionis convenienter ſibi caperet; & eam partem animæ, quæ à patiendi extrinſecus neceſſitate 2. libera eſt, id eſt mentem, contemplandis ſimplicibus, & intra imagines Deum repræſentantes, abditis & alte reconditis deſtinaret & attribueret; illam vero partem animæ, quæ neceſſitati patiendi vim externam ſubiecta eſt, vt naturæ eius convenit apparet, & in diviniſſimas res per typica ſymbola eis artificioſe obducta protenderet. Præterea ſanctus Maximus in Theologicis: Dominus, inquit, quandoque peregrinatur, quandoque nobiſcum verſatur: peregrinatur in ratione contemplandi facie ad faciem; verſatur nobiſcum in ratione contemplandi in ſpeculo & in ænigmate. Ac idem præterea in centuria tertia de charitate: Per fidem, inquit, ambulamus, non per ſpeciem; & in ſpeculis cognitionem habemus atque in ænigmate, idcirco multo ſtudio nobis in ea re opus eſt, vt diuturna exercitatione & commentatione habitum contemplationum valde confirmatum comparemus. Ex his liquet, quod anima noſtra de omni Theologia convenienter naturæ ſuæ tractat, ex ſibi cognatis & partibilibus, id eſt corporeis, typos & notiones exprimens. ſiue iſta ex formationibus materiatis exprimat. ſiue ſine integumento ex iis ſolum quæ in mundo ſita ſunt, ubi ea quæ pulchra nunc videmus, non ſunt ipſa veritas, ſed veritatis ſimulachra. Conſentaneè igitur omnis Theologica cognitio huius utriuſque partis non tranſit ſpecula & ænigmata, hoc autem eſt huius cognitionis partibile & imperfectum: idcirco cum venerit quod perfectum eſt, id quod huic ex parte eſt, & illud quod eſt in ea partibile, evacuabitur; videbimuſque facie ad faciem, id eſt, impartibilia impartibiliter, & immateriata immateriate.

Schol. S. Max. 1. vt ſunt angeli, qui Ieſū filium Ioſephi de Chriſto docuit in ænigma-

B

te Zachar. 3. & Gabriel, qui Danielem. c. 9 Sch. S. Max. 2. libera) non omnino, ſed quatenus τὸ habet ſor... ſie cauſas patiendi, ſicut habet organum corporeum, quo non mens, ſed

C

ſenſus vtitur. In ſecunda centuria Theologica cap. 57.

1. Cor. 13

CAPVT IV.

Quod fieri non poteſt, vt qui corpore præditi ſunt, ſine corporeis de Deo philoſophari poſſint.

D

GRegorius Theologus in ſecundo de Theologia libro, Vt eſt, inquit, impoſſibile ei etiam qui valde feſtinat, vmbram ſuam tranſire (tantum enim ſemper vmbra anticipat, quantum antevertitur) aut ſicut fieri non poteſt, vt extra aquam piſcis natet, ſic non poteſt fieri, vt qui in corpore ſunt, abſque corporeis, cum iis quæ intelligentia complectuntur, omnino ſint: ſemper enim aliquid de noſtris rebus intercidet, quamvis ſe mens ab iis quæ cernuntur, maximè avocet, & ſola ſecum collecta, cognata & inaſpectabilia intelligentia aſſequi nitatur. Idem adhuc in eadem oratione: Perorabimus ne hic, vſque ad materiam, & ea quæ ſub aſpectum cadunt, provecti? An vero quia ſcit ſcriptura fuiſſe tabernaculum Moyſis imaginem vniverſi mundi, qui ex iis quæ cerni, & quæ non cerni poſſunt, conſtat, primo velo detracto, & ſenſum prætervecti, in ſancta ſanctorum introibimus, id eſt, ad naturam intelligibilem & cæleſtem? At nec hanc quidem incorporeè videre poſſumus, quæ cum alioqui incorporea ſit, ignis tamen & ſpiritus vocatur. Et paulo ante, Nonne ſpiritus, & ignis, & lumen nomina ſunt naturæ divinæ? quid igitur? An ſpiritum ſine agitatione & flatu fuſo intelligas? an ignem extra materiam, & non ferri ſurſum, neque proprium colorem & figuram habere? an lumen non cum aëre commixtum, & ſolutum ab eo qui eum veluti generat & illuminat? Et rurſus paulo infra: An, inquit, opus eſt, vt nos ab iſtis avocati, ipſam divinitatem ex iſtis, quoad fieri poteſt, videamus privata quadam cogitatione ex coniecturis collecta? Sanctus Maximus: Omnis, inquit, ſæculi huius cognitio, etiam quæ valde alta & ſublimis eſt, ſi cum cognitione futuri ſæculi conferatur, rudis eſt, & veluti figuræ viventis imago, quæ non erit poſtea, oſtenſa iam vera vita, & cognitione. Scientiæ enim, inquit, ceſſabunt, & prophetiæ evacuabuntur. Rectè igitur magnus Baſilius de Deo philoſophatus eſt: Si quid eorum quæ ſupra hunc mundum, qui cernitur, ſunt, intelligentia comprehenderis, infra divinum ſpiritum eſt. Immo ſummus Theologus Dionyſius, Quia, inquit, non poteſt mens noſtra ad illam incorpoream cæleſtium ordinum imitationem ac contemplationem protendere aciem ſuam, niſi corporeo adminiculo ſibi apto vtatur. Et rurſus idem, Non poteſt, inquit, aliter fieri, vt radius divinæ cognitionis nobis illuceat, niſi variis velis ſacris anagogice obtectus, & convenienter naturæ noſtræ divina providentia adornatus. Quo in loco ait divinus Maximus: Sine typis & ſymbolis non poſſumus, dum in corpore ſumus, aſpicere incorporea & materiæ expertia. Hinc perſpicitur, ſi mens noſtra non poteſt per ſe ne angelos quidem imitari & contemplari, nec ad iſta adniti, niſi adiumento materiato & ſub ſenſum cadente ſibi convenienti vtatur; nulla ratione & via fieri poſſe, vt intelligentiam Dei ſine materia & corpore aſſequatur: idcirco impoſſibile eſt, eos qui vitam in corpore degunt, ſine corporeis ad contemplationem Dei aſcendere. Quod ſi nos per inane ad ea quæ ſupra ſæculum ſunt, evagantes, vt aſſolet, quid tandem etiam ante iſta erat, inveſtigemus, neque ſic abducemus nos ab iis quæ corporea ſunt, & animæ vicina & cognata, quæ quidem immenſa ratione [illegible] inferiora ſunt quam ſpiritus Dei, qui ſupra naturam omnem eſt.

Exod. 25. & 26.

E

Centuria 1. c. 47. quæ in in miſſ. deſunt quarta numeratur. deſiit enim in editis

F

duæ primæ. 1. Cor. 13. In oratione de cõfeſſione fidei. Cap. 1. cæleſt. hierar. ibid.

G

CAPVT V.

Quod neque totam & integram de Deo cogitationem habere in hoc ſæculo poſſumus; aut per eam de Deo plenè philoſophari; neque per aliam quamlibet à nobis informatam notionem.

GRegorius Theologus in ſecunda oratione de Theologia, Iuſtificatus, inquit, eſt ex fide magnus patriarcha Abraham; & ſacrificat ſacrificium nouum & inauditum, ac illius magni ſacrificij imaginem. Deum vero non vt Deum vidit, ſed ei tanquam homini cibum appoſuit; & laudatus eſt, quod tantum venerationis adhibuit, quantum intelligentia comprehendit. Ibidem cum de Iacob meminiſſet, Et luctatur, inquit, cum Deo tanquam cum homine, quæcunque illa eſt Dei cum homine lucta, fortaſſis humanæ virtutis cum divina comparatio. Rurſus in eodem loco: Quomodo Manoem Iudicem prius, & Petrum diſcipulum poſtea, non es miratus? illum quidem, quia nec aſpectum Dei typo & imagine informari paſſus eſt; vnde illud: Periimus, inquit, ô vxor, vidimus Deum; tanquam non poſſint homines imaginem Dei in ſenſus notione effictam & informatam capere, nedum naturam eius, hūc vero, quia Chriſtum quem cernebat, in naviculam nō recipiebat, & ob eam cauſam eum dimittebat. Et rurſus in eadem oratione: Nec de ipſa creatura perfecta perſpicientia eſt; ſiquidem credēdum eſt huius etiam vmbras ſolum te habere, cum audias: Videbo

H

Geneſ. 15

Geneſ. 18

Geneſ 32

Iud. c. 13

Luc. 5.

A

Pſal. 8.

1. Interpretatio eſt verborum quæ ſequuntur. Quæ tu fundaſti.

cælos opera digitorum tuorum lunam & ſtellas, & 1. firmitatem in ipſis fixam, quaſi non cernas nunc, cernes autem ſuo tempore. Et Gregorius Nyſſenus, Quomodo, inquit, reperiatur, quem nihil eorum quæ noteſcunt, declarat? non forma, non color, non circumſcriptio, non figura, non quantitas, non qualitas, non locus, non coniectura, non ſimilitudo, non proportio, quin potius ſemper eſt extra omnem viam comprehendendi. Idem iterum, Hæc, inquit, eſt notionis eius maximè propria nota, naturam eius eſſe ſupra omnem notam notionis deſignatricem. Et ſummus Theologus Dionyſius, Illam igitur divinam ſupra quam ſubſtantiam, quodcunque eſt illa ſupra quam eſſentia bonitatis, quæ ſupra bonitatem eſt, neque tanquam rationem, aut potentiam, neque tanquam mentem, aut ſubſtantiam, aut vitam laudibus celebrare fas eſt vlli, qui veritatis, quæ ſupra omnem veritatem eſt, ſit ſtudioſus, quinimmo laudare eam oportet tanquam ab omni habitu, motu, vita, imaginatione, opinione, nomine, ſermone, cogitatione, intelligentia, ſubſtantia, ſtatu, fundatione, vnione, fine, immenſitate, denique ab omnibus quæcunque ſunt, ſuperlate abſtractam. Hinc efficitur manifeſtum, quod neque notione typis & imaginibus informata, aut alia quilibet cogitatione Deum comprehendere, & de eo philoſophari poſſumus, quin potius extra hæc omnia eſt; quoniam omnis phantaſia; id eſt, cogitatio, triplicem vſum habet: una figurat ea quæ ſenſibus percipiuntur, imprimens memoriæ quæcunque ex ſenſibus aſſumpta ſunt, quæ ſingulas imagines ordine, vt ita dicam, & artificioſe diſponit & diſtinguit; quam vocant ſanam phantaſiam, & magnæ naturæ fœtum: altera imprimit obſcura quædam veſtigia, quæ non ſinit cogitata illa, vlla ex parte manere; ſed confuſas imagines, & alter alio tempore commutatas promiſcue obiicit, & prius fere quam cogitatione ficta ſint, ab illis ipſis excidit, & omni fructu & vtilitate caret, qualis eſt inanium ſomniorum in quiete cogitatio. & eorum quæ temere & fortuito cogitatione finguntur: tertia eſt in iis quæ agenda ſunt, ſine recta ratione progrediens, qua id quod non eſt, tanquam ſit, cogitatur: quæ lætatur quibus dolendum erat, & dolet quibus lætandum; & quod ſibi perſuaſerit, non poterit ei diſſuaderi: adamat autem & amplectitur quæ cogitatione depingit, ceu leges quaſdam divinitus ſibi informatas: contenditque, vt quæ clariſſima & ante oculos poſita ſunt, ſi fieri poſſit, ad errorem ſuum pervertat. In huiuſmodi cogitationem qui incidunt, inſanabiles fiunt: qui ſi potentes ſint, in perniciem civitatum imminent; ſi infirmi, & non valentes opibus; non deſiſtent, quin quantum in ſe erit, eas perdant. De his duabus cogitationibus ad cogitandum de Deo ne meminiſſe quidem oportet; illam autem primam alioqui laudabilem, exiſtimandum eſt ipſam etiam tam longe abeſſe vt par ſit ad informandum notionem Dei, vt propter infinitam diſtantiam conferri cum ea non poſſit.

Cap. 1. de divin. nom. (beside "Theologus Dionyſius")

B

Triplex phantaſia.

Hæc de triplici phantaſia ex Schol. Max. in c. 1. Dionyſ. de divinis nominibus copioſius, & explanatius hic.

C

D

CAPVT VI.

Quod Deus neque ex repræſentatione 1. naturali cognoſcitur, nec eſt quidquam ex intelligentibus, aut intellectis, vt ex ſubſtantia eius liceat de eo philoſophari.

Centuria 1. cap. 1.

Divinus Maximus primo capite ex Theologicis, Vnus, inquit, Deus, ſine principio, incomprehenſibilis, totam vim, vt ſit, habens per totum, notionem quando & quomodo ſit, penitus repellens, vtpote nulli eorum qui ſunt, ex repræſentatione naturali cognitus. Et rurſus idem, Omnis, inquit, intelligentia ſicut in ſubſtantia omnino ponitur, vt qualitas; ſic etiam circa ſubſtantiam qualitate affectam habet mo-

Centuria 2. cap. 3.

tionem: non enim aliquid ex toto ſolutum & ſimplex per ſe exiſtens poteſt ipſam intelligentiam ſuſcipere, quia non eſt ſoluta & ſimplex: Deus autem cum in vtroque horum omnino ſimplex ſit, & ſubſtantia ſcilicet ſoluta ab eo quod eſt in ſubiecto, & intelligentia non habens vllum prorſus ſubiectum; efficitur, vt neque ſit ex iis qui intelligunt, neque quæ intelliguntur, quippe qui ſupra ſubſtantiam & intelligentiam ſit. Adhuc idem cap. 11. primæ centuriæ: Rex 2. omnes, quæcunque ſunt, intelligentia prius perceptas nominamus, quæ in ſeipſis habent principia notitiarum demonſtrabilia: at Deus non cognitus nominatur, quin potius ex iis tantum quæ intelligentia percipiuntur, creditur eſſe, quamobrem nihil eorum quæ intelliguntur, cum eo quacunque ex parte confertur. Idem iterum ſecundo capit. ſecundæ centuriæ, Omnis intelligentia eſt intelligentium, & eorum quæ intelliguntur; Deus autem nec vnus intelligentium eſt, nec aliquid eorum quæ intelliguntur: eſt enim ſupra iſta: ſiquidem circumſcribitur qui intelligit, tanquam indigens habitudine rei quam intelligit; aut naturaliter ſubiicitur intelligenti, qui propter habitudinem intelligitur. Relinquitur igitur vt exiſtimemus, Deum nec intelligere, nec intelligi, ſed potius ſupra quam intelligere, & ſupra quam intelligi. Et Theologiæ ſcientiſſimus Dionyſius, Sicut 3. enim, inquit, ea quæ ſub intelligentiam cadunt, per ea quæ ſub ſenſum, intelligentia comprehendere & contemplari non poſſumus, neque per ea quæ typis & ſignis informantur, ea quæ ſimplicia ſunt, & typis non ſignantur, neque per figuras corporum, incorporea, quæ neque ſenſum tactus ſubire, neque figuram & formam capere poſſunt; ſic eadem ratione veritatis ſupra ſubſtantias eſt illa ſupra ſubſtantiam infinitas, & ſupra mentes illa ſupra mentem vnitas, & omnibus ratiocinationibus inſcrutabile illud ſupra ratiocinationem vnum; omni verbo ineffabile illud ſupra verbum, bonum, vnitas 4. effectrix vniverſæ vnitatis; & ſubſtantia ſupra ſubſtantiam, vacans 5. ratione, intelligentia, nomine; & mens non cadens ſub intelligentiam, ratio non effabilis, quia nullius rei ſimilitudinem habet, & cauſa eſt vt omnia ſint, ipſo vero non eſt, vt qui ſit extra omnia quæ ſunt, & vt ipſe de ſe ſibi proprie & ſcienter efferre poteſt. Ex his liquet, quod Deus nec naturali repræſentatione cognoſci ab vllo vnquam poſſit: fugit enim omnibus modis cognitionem, quando, aut quomodo ſit, nec eſt eorum qui intelligunt, aut eorum quæ intelliguntur: eſt enim ſubſtantia, quæ ſubiectum eſſe non poteſt; & notio, quæ nulla ratione ſubiectum habet. In quo igitur id fundatum cognoſcet, quod non poteſt prorſus recipere ſubiectum ad notionem? Recte igitur eſt immenſitas ſupra ſubſtantiam; & mens omnibus cogitationibus incogitabilis; quin potius mens non cadens ſub intelligentiam, & ratio ineffabilis eſt nobis, ſine ratione, ſine intelligentia, ſine nomine, idque propter ſuperlationem ſubſtantiæ & intelligentiæ: ſicut lumen excellens aciem oculorum efficitur nobis tenebræ; & ſonus item excellens ſenſum auditus, ſurditas.

E

F

Cap. 1. de divin. nom. (beside "Dionyſius")

G

H

Ex Scholiis S. Maximi.

1. *Repræſentatio* naturalis in mente ſive intellectu eſt quæ ortum & principium ducit ex phantaſmatibus rei ſub ſenſum cadentis, cum qua Deus nullo modo poteſt comparari, vt intellectus converſus ad phantaſmata poſſit aliquo modo Deum cognoſcere, ſicut poteſt alias ſubſtantias alioqui incorporeas. 2. *Omnia quæ intelliguntur*, habent in ſe principium cognitionis, quia vel ſunt in ſenſibilibus, quorum ſunt phantaſmata, à quibus abſtrahuntur ſpecies intelligibiles, quibus intellectus informatus intelligit; aut ſunt incorporea, quæ in ſe habent vnde comparentur cum ſenſibilibus, ad quorum phantaſmata, quæ ſunt imagines & ſimilitudines eorum, ad animos

A pervenientes, ſe convertit intellectus, vt aliquid de incorporeis intelligat. Sunt autem ſimilitudines principia ſentiendi & intelligendi, vt ait S.Tho. p.1.q.84. art.3. Deus autem non poteſt ſic cum creatura ſenſibili comparari, vnde non ſic intelligitur, ſed tanquam cauſa & per exceſſum, vt ait S.Thom.ead.q.84.art.7. *Sicut 3. enim)* Docet hic quomodo Deus non poſſit intelligentia comprehendi: etenim ſi quæ incorporeæ ſubſtantiæ ſunt, & ſimplices, & intellectiles & vnitæ, non ſolum non ſubiiciuntur ſenſibus, vt Angeli & animæ, vt per eos cognoſci poſſint, ſed neque per ſenſilia quæ inferioris ordinis ſunt, cognitione eas comprehendere, nec earum eſſentiam ſpectare poſſumus; quanto magis excellit Deus ſenſus & ſenſilia, qui non eſt ſubſtantia, ſed ſupra ſubſtantiam; neque ſimplex, ſed ſupra quam ſimplex; neque intellectus, ſed ſupra intellectum; nec vnitas, ſed ſupra vnitatem; nec vllo termino circumſcriptus, ſed infinitate ſua ab omnibus ſolutus: qui vt in ſe eſt, neque ratione veſtigari, nec intelligi, neque nominari poteſt. Cum igitur audis in ſcriptura formam Dei, & ſpeciem & faciem, intellige per anagogen, id eſt, elevare & ſupra corpora, vt Deo dignum eſt: cum vero vnitatem audis, ne intelligas eam quæ ex partibus quibuſdam ad vnionem concurrant: non enim de his nunc ſermo fit, ſed de Deo, qui nec eſt principium numerorum, neque compoſitus, ſed ſupra ſimplices & ſimplicium ſubſtantias vnitatis, vnitas 4. *effectrix vnitatis)* Poſtquam ea quæ de Deo ſunt, ex omnibus quæ in rerum natura ſunt, exemit, deinceps ſequens linguæ noſtræ vſum (non enim ſupra hunc ferri poſſumus) ex illis ipſis Deum laudat, è quibus eum exemit; & vnitatem vocat, ſed effectricem vnitatum, id eſt, ſimplicium ſubſtantiarum, vt angelorum & animarum; & mentem non intellectilem, id eſt, quæ à nulla mente intelligitur. Si enim ſimile à ſimili cognoſcitur, ſi mens eſſet, oporteret vt à mentibus cognoſceretur, at quis cognovit mentem Domini? Eſt igitur

C Rom. 11. Exod. 6. mens ſupra mentem, & nomen ſupra omne nomen. Et nomen, inquit, meum non manifeſtavi eis: quamobrem omnibus eſt ſine nomine, immo nec ens eſt: etenim ſi ea quæ ſunt, ex nihilo creat, non eſt igitur ex iis quæ ſunt, ſed ſupra ea quæ ſunt. Quod ſi dicit: Exod. 3. Ego ſum qui ſum, intellige, vt decet, eſſe ſcilicet ſine principio, & ſine fine; quinetiam inſcrutabilem, & ſimiliter in aliis quæ Deo natura conveniunt. 5. *vacans ratione intelligentia)* Sicut Dionyſ. cap.7. de divinis nominib. 1. Cor. 1. Paulum imitatus, ſapientiam Dei ratione vacantem, & amentem & ſtultam vocavit, vt excellentiam eius ſignificaret, quod ita antecellat rationem noſtram, vt a ratione aliena habeatur; ita mentem, vt amentia & ſtultitia putetur; ſic hoc loco, quia cognitio Dei infinito intervallo rationem creaturæ, & intellectum, & nomina quæ de Deo dicuntur, ſuperat, cum alioqui Deus ex omnibus creaturis per rationem veſtigari poſſit, & intelligi ac nominari; dicit

D tamen eſſe eum ἄλογον, & ἄνουν & ἀνώνυμον, id eſt, ἄλογον, ἄνουν & ἀνώνυμον, hoc eſt, ratione, mente, & nomine vacantem.

CAPVT VII.

Vnde tandem, & ex quibus ſit de Deo philoſophandum.

MAgnus Dionyſius cap.7. de divinis nomin. Præterea, inquit, quærendum eſt quomodo nos Deum cognoſcimus, qui neque ſenſu percipitur, nec intelligentia, & vt vniverſe dicam, nihil eſt ex iis quæ ſunt. An non potius vere dicatur, quod Deum non cognoſcimus ex natura eius (id enim quod naturæ eius eſt, incognitum eſt, & omnem rationem ac mentem ſuperat) ſed ex ordine omnium rerum tanquam ab ipſo propoſito, & imagines quaſdam ac ſimilitudines exemplarium 1. eius divinorum in ſe habente ad

E cognoſcendum illud ſummum bonum, & omnium bonorum finem via & ordine pro viribus aſcendimus in ablatione 2. & in ſuperlatione omnium, & in omnium cauſa? Gregorius Theologus in ſecunda oratione de Theologia: Sic, inquit, illa à Deo perfecta ratio, & omnibus innata, ac prima in nobis lex, & cum omnibus colligata, nos ex iis quæ cernuntur, ad Deum adduxit. Ac rurſus idem, Deus, inquit, mente tantum adumbratur, & ea quidem valde obſcure & minute, non ex iis quæ in natura eius ſunt, ſed quæ eum circumſtant, alia ex alio cogitationis informatione collecta in vnam quandam veritatis imaginem. In oratione de Nativit. Christi. Hoc autem alij poſt Gregorium interpretati, Deus, inquiunt, non ex iis quæ in eo ſunt, id eſt, ex ſubſtantia eius, ſed ex iis quæ circum ipſum ſunt, id eſt, ex creaturis percipitur. Et ſanctus Maximus in Theologicis: Ex nulla, inquit, re, quæcunque ſit, percipi poteſt, 3. hoc vno excepto, quod per fidem cognoſcitur, idque

F ex iis quæ ab ipſo effecta ſunt; cognoſcitur, inquam, quod ſit, non quid ſit. Ac rurſus idem in tertia centuria: Quod propriè eſt, ex eo quod non eſt propriè, cognoſcitur eſſe; cognoſcitur, inquam, non habitudine aliqua, qua ad illud quod non eſt proprie, referatur, aut cum eo comparetur. Quomodo enim quod proprie eſt, & vt omnium cauſa ſupra omnia eſt, & non cognoſcendo illud, ſicut alia cognoſcuntur, cognoſcatur, cum iis quæ non ſunt proprie, vllus vnquam vlla ex parte conferet? cum alioqui non poſſimus nos id quod eſt ſupra ſubſtantiam aliter indicare, quam ſi ex iis quæ ſunt, hoc tantum de eo exigue indicemus, videlicet quod eſt. Et adhuc idem in ſecunda centuria de charitate capite vigeſimoſeptimo. Qui, inquit, de Deo philoſophaturus es, ne rationes de natura eius diſſerendi quæras: non enim humana mens invenire poterit, immo nec vlla cæleſtis mens poſt Deum, ſed rationes diſſerendi de iis quæ eam circumſtant, vt de

G perpetuitate, de immenſitate & infinitate, de bonitate, potentia, ſapientia creandi, providendi, iudicandi: hic enim eſt magnus apud homines Theologus, qui rationes de his aliquas etſi exiliter adinveniat. Et in centuria tertia, capite ſeptuageſimoprimo. Ex iis quæ ſunt, cauſam omnium cognoſcimus; & ex varietate rerum ſapientiam per ſe exiſtentem eius qui proprie eſt, docemur, & ex naturali motione rerum, vitam eiuſdem per ſe exiſtentem diſcimus; vim dico vitam tribuentem rebus, ſcilicet ſpiritum ſanctum. Ex his evadit manifeſtum cognoſci Deum ex iis ſolum quæ circum ipſum ſunt, quæ ſunt creaturæ, & inde de Deo philoſophandum eſſe, ex imaginib. ſcilicet & ſimilitudinibus exemplarium eius divinorum, quæ ſuperius ſpecula & ænigmata vocata ſunt. Ne autem quis in dubium veniat, quomodo quæ imagines & ſimilitudines ſunt, & à veritate rerum diſtant, ad philoſophandum de Deo apta magis eſſe poſſunt, & idcirco maiorem

H Dei contemplationem quam ex iſtis ſimilitudinibus etiam in hac vita quærat, opus eſt docere, quod ſummi etiam Theologi vltra contemplationem ex creaturis non progrediuntur.

Ex Scholiis S. Maximi.

Imagines quaſdam & ſimilitudines 1. *exemplarium in ſe habente)* Quæcunque ſunt, id eſt, ſpecies & ſingulæ creaturæ, vt ordines angelorum, & omnia ſenſilia, imagines ſunt & ſimilitudines divinarum idearum, id eſt, exemplarium quæ ſunt in Deo, quæ quidem exemplaria æternæ Dei intelligentiæ ſunt, per quas, & ſecundum quas omnia in ipſo erant, quæ non erant alia ab ipſo; & per eas, & ſecundum eas omnia quæ produxit, facta ſunt, ſicut beatus Ioannes in Apocalypſi, cap.4. ait dixiſſe illos viginti quatuor ſeniores: Omnia in ipſo erant, & creata ſunt. De ideis dictum eſt, quod erant; de imaginibus autem & ſimilitudinibus idearum id eſt, exemplarium quod creata ſunt. In ablatione 2. *& ſuperlatione, & cauſa)* Tribus

A modis aſcendimus ad cognoſcendum Deum ex creaturis; vno modo auferendo ei neganter tanquam non decentia quæcunque creata cernuntur, quia nihil eorum Deum eſſe dicimus, ſed omnia negamus, aientes, Non eſt Deus angelus, neque anima, nec vllum animal, aut iſtud, aut illud, quodcunque ſit: alio modo perfectiones creaturarum, vt vitam ſapientiam, & alia huiuſmodi, removendo à Deo, quia ſapientia Dei omnem ſapientiam creatam excellit, & vita Dei omnem vitam, & perfectiones reliquæ reliquas omnes perfectiones creaturarum ſuperant: tertio modo, quatenus omnia ſunt à Deo creata, quæcunque in natura rerum & univerſitate mundi ſunt, Non negat, quin poſſit demonſtrari ex creaturis Dei Deum eſſe, ſed negat cognoſci poſſe ſecundum eſſentiam ex effectis: meminit autem S. Maximus de cognitione Dei ex fide, quod ſit; & non de cognitione naturali per demonſtrationem ex effectis, quia cognoſ- B cere hoc per fidem multo excellentius eſt & valentius quam cognoſcere per rationem naturalem; quanto excellentior eſt gratia quam natura; fides enim ex gratia Dei eſt.

CAPVT VIII.

Quod ſummi Theologi de Deo philoſophantur ex creaturis; & poſteriora Dei ipſa creaturæ ſunt, & earum rationes.

GRegorius Theologus in ſecunda oratione de Theologia, Currebam quidem, inquit, tanquam Deum cognitione comprehenſurus; atque ita aſcendi in montem, & diviſi nubem in eam ingreſſus. Et paucis interiectis: Cum paulum, inquit, proſpexiſſem, non vidi primam & æternam naturam, quæ ſibi, id C eſt, Trinitati nota eſt, & quanta intra primum ve- Exod. 37 lum manet, & à Cherubinis contegitur; ſed illam quæ extrema eſt, & ad nos pervadit, quæ eſt (quan- Pſal. 8. tum intelligo) amplitudo illa, vel vt David ait, magnificentia, quæ in creaturis, & iis quæ ab ipſo effecta ſunt Exod. 33. & gubernantur, cernitur: hæc enim ſunt poſteriora Dei, quæ poſt eum ſunt ipſius indicia; ſicut ſolis vmbræ & imagines in aquis, quæ infirmis oculis ſolem vtcunque oſtendunt: ſiquidem impoſſibile eſt ſolem intueri adverſum, cuius radiis acies oculorum vincitur. Exod. 7. Ad hunc igitur modum de Deo philoſophaberis, 2. Cor. 12 ſis licet Moyſes, & deus Pharaonis, licet vſque ad tertium cælum, vt Paulus pervenias, & audias arcana verba; licet ſupra illos ad ſtatum & ordinem aliquem Angelorum aut Archangelorum aſcendas. Quamvis enim omne cæleſte, & aliquid ſupra quam cæleſte, multo excellentiore natura quam nos ſit & Deo propinquius; magis tamen diſtat à Deo, & à perfecta D eius intelligentia, quam noſtram hanc naturam compoſitam & humilem & deorſum inclinatam antecellat. Athanaſius in quæſt. ad Antiochũ principem. Et magnus Athanaſius velut percunctando ait: Cum Deus ſit incorporeus, & figura careat; quæ tandem poſteriora eius vidit Moyſes? Deinde ſoluens quæſtionem, Credimus, inquit, ante ſæcula & ante cunctas creaturas eſſe Deum totum ſolum increatum. Ex quo Exod. 33. fit, vt poſteriora Dei ſint creaturæ, & earum rationes, quas cum vidiſſet expoſuit, inquiens: In principio Geneſ. 1. creavit Deus cælum & terram. Item divinus Gregorius Nyſſenus in libro de vita Moyſis: Gloria, inquit, increata, natura ſcilicet divina omnino eſt ſecundum ſe ineffabilis, & quæ comprehendi non poteſt neque videri: nihil enim quod eſt: 1. ipſum hoc per ſe, 2. nudum poteſt intelligentia liquide comprehendi, aut oculis corporis vllo modo cerni: increatum enim eſt: quod autem eſt increatum, nullus poteſt oculis corporis cernere, quamvis Moyſes ſit, quamvis Paulus, qui in 2. Cor. 12 tertium cælum aſcendit, quamvis angelus ſit qui Deum videt. Quod enim vere eſt, vera vita eſt, hoc autem ab angelo aut ab homine cognoſci non poteſt. Ex quibus E clare noteſcit, valentiſſimos etiam Theologos non vltra creaturam progredi in iis quibus Deum vident; ſed potius ipſam creaturam, & quæ in natura eius inſunt, conſiderare. Quod ſi ad hunc modum, & hac via & ratione de Deo diſſerunt, neceſſario ſequitur, Theologiam quæ in negatione verſatur, longe præſtantiorem eſſe, & ad contemplationem magis idoneam ea Theologia, quæ in affirmatione cernitur.

Ex Scholiis S. Maximi.

Quod eſt 1. ipſum hoc per ſe) Nulla creatura eſt per ſe id quod eſt, ſed per participationem, ſolus Deus eſt ipſum hoc, quod eſt per ſe, id eſt, ſua eſſentia, & ſuum eſſe, & non ſecundum participationem. 2. *nudum)* id eſt, ſecundum ſubſtantiam ſuam tantum, & non ſecundum ea quæ circum ipſum ſunt, id eſt, creaturas. F

CAPVT IX.

Quod in Theologia demonſtratiua magis propria & præcipua eſt illa quæ in negationibus verſatur; & quod in hac Theologia affirmationes non ſunt contraria negationibus.

SVmmus Theologus Dionyſius primo capite de myſtica Theologia, Oportet, 1. inquit, in ea ponere & affirmare omnes omnium rerum affirmationes tanquam in omnium cauſa; & omnes eas magis propriè negare tanquam quæ ſit ſupra omnia: nec exiſtimandum eſt contrarias eſſe negationes affirmationibus; quin potius multo prius eſſe ipſam primam cauſam ſupra privationes, cum ſit ſupra omnem & 2. ablationem & poſitionem. Ac rurſus idem capite ſecundo cæleſtis hierarchiæ: Aliquando, inquit, laudatur divine in ſcripturis ipſis ſanctis diſſimilibus, 3. nominationibus, cum eum vocant inaſpectabilem, & infini- G tum, & non potentem comprehendi, & ſimiliter in aliis, quæ non quid ſit, ſed quid non ſit, declarant. Hoc autem, vt arbitror, magis proprium eſt ei: ſiquidem vt tacita, 4 id eſt, ſine ſcripto ſacerdotalis traditio expoſuit, vere dicimus non eſſe ſecundum naturam vllius rei ex iis quæ ſunt: cæterum ignoramus illud in eo non definitum, quid ſit quod ſupra ſubſtantiam eſt, quodque nec intelligi, neque dici poteſt. Si igitur negationes in divinis veræ ſunt, 5. affirmationes vero non congruunt cum occulta divinitate eorum quæ de Deo efferri non poſſunt, conſequens eſt, vt iis quæ non ſunt aſpectabilia, magis propria ſit nominatio illa quæ per diſſimilitudines formatur. Et Gregorius Theologus in oratione ſecunda de Theologia, Multo, inquit, facilius & brevius eſt dicendo quod eſt, declarare quod non eſt, 6. quam negando quod non eſt, indicare quod eſt. Et rurſus: Sed oportet, poſtquam dictum erit quæ non eſt, dicatur etiam H quod eſt: atque eo magis, quod facilius eſt unum aliquid complecti, quam omnia ſingillatim negare; vt ex negatione eorum quæ non eſt, & affirmatione eius quod eſt, illud intelligentia complectamur. Sanctus Maximus in Theologicis, Qui philoſophatur, inquit, de Deo aiendo, verbum facit carnem, dum In 2. centuria cap. 39. non poteſt aliunde, quam ex iis quæ cernimus & contrectamus, Deum cognoſcere tanquam cauſam: qui vero neganter, auferendo philoſophatur, verbum facit ſpiritum, vtpote quod erat in principio, & erat apud Deum, eum qui eſt ſupra quam incogni- Ioan. 1. tus, ex nulla penitus re earum quæ cognoſci poſſunt, rectè cognoſcens. Hinc fit perſpicuum, quod magis proprium eſt philoſophari de Deo per negationes, quam per affirmationes, quatenus alterum facit verbum ſpiritum, alterum facit verbum carnem. Ac Theologia quidem affirmans vim habet comparandi & figurandi ac coniectandi; & hoc tantum probat, ſcilicet Deum eſſe, ex iis quæ ab ipſo facta ſunt: Theologia vero negans demonſtrat Deum eſſe ſupra omnia;

A ac veritatem maxime aſſequitur qui dicit non eſſe
Deum quidquam eorum quæ ſunt, ſed eſſe ſupra
ſubſtantiam, & ſupra omnia. Præterea in Deo
negationes non ſunt contrariæ affirmationibus: nec
enim quod affirmatio affirmauit, hoc ipſum negatio
negauit: quinimo ſicut affirmatio non ponit quid ſit
Deus, ſic neque negatio tollit quid ſit Deus: quod
enim non ponit, quomodo tollat? Denique æque non
aſſequitur ſubſtantiam Dei tum affirmatio, tum nega-
tio: hoc ſolum differunt, quod propius accedit ad
veritatem qui dicit, Deus non eſt hoc quod nos exiſti-
mamus.

B *Ex Scholiis S. Maximi.*

Oportet 1. ponere & affirmare) Deum omnia eſſe,
vt Deum decet, poſitio eſt; & nihil eorum eſſe, vt
ſupra ſubſtantiam eſt, negatio, vtrumque proprie di-
citur in Dei amplitudine, vt Deus eſt vita, Deus eſt
bonitas, poſitio & affirmatio eſt; Deus non eſt vita,
non eſt bonitas, negatio vera eſt, quia eſt ſupra hæc
quæ nos intelligimus. *Supra omnem 2. ablationem*
Eſt poſitio ſimplex, vt Deus eſt vita, bonitas, lapis,
eſt etiam poſitio hypothetica, cum affirmationi adiun-
gimus comparationem, vt magis eſt Deus vita, quam
lapis 3. & magis bonitas, quam ignis, ſimiliter, abla-
tio ſimplex, ſiue negatio, vt Deus non eſt lapis, non
iraſcitur, & ſimilia, hypotheticam, vt magis non eſt
Deus ebrius, quam non eſt ſermone explicatus ſupra
vtrumque genus poſitionis & ablationis eſt Deus, de
his Dionyſ. cap. 5. myſticæ Theolog. In poſitionibus
hypotheticis, quæ magis Deo conveniunt, illa ſor-
tiuntur illud magis, vt magis eſt Deus vita, quam aër,
contra vero in ablationibus, quæ remotiora ſunt à
Deo, recipiunt magis, vt magis non iraſcitur Deus,
C quam non intelligitur. Rurſus cap. 2. myſticæ Theo-
log. Poſitiones, inquit, ſunt quæcunque in Deo di-
cuntur, vt ei convenit, vt ens, vita, lumen & alia:
ablationes autem quæcunque à Deo aliena negantur,
vt non eſt corpus Deus, non anima, nec quicquam
eorum quæ in cognitionem cadunt, *diſſimilibus 3. no-
minationibus*) Diſſimiles nominationes vocat quæ
dicunt de re quæ eſt, non quid ſit, ſed quid non ſit,
quod eſt diſſimile *tacita 4. traditio*) Traditio occulta
ſacerdotalis vocatur traditio Apoſtolorum ſine ſcripto,
affirmationes vero 5. non congruunt) tanquam falſæ, quia
ſupra has eſt, eſt Deus, vt non eſt ſubſtantia, ſed ſupra
ſubſtantiam; non eſt vita, ſed ſupra vitam: & ideo defi-
niri non poteſt, quia definitio conſtat ex affirmatio-
nibus, & ipſe eſt ſupra affirmationes, quæ ei non
congruunt *6. quam negando*) Verbi gratia, ſi quæratur,
Biſquinque quot ſunt? expeditius eſt reſpondere, de-
cem affirmando, quam dicere negando, Non ſunt tria,
non quatuor, non quinque, non viginti, & dein-
ceps.

CAPVT X.

D *Quod Deus eſt ſupra omnem affirmationem & ne-
gationem; & quod ſolum neſciendo & penitus
non videndo ſimul eum cognoſcimus, & de eo
philoſophamur.*

MAgnus Dionyſius capite primo myſticæ Theolo-
giæ, Mea igitur, inquit, precatio hæc ſit, tu
vero amice Timothee relinque vehementi ſtudio &
exercitatione contemplandi arcana, tum ſenſus, tum
mentis intelligentias, & omnia quæ ſub ſenſum & in-
telligentiam cadunt; ac omnia 1. quæ non ſunt, &
quæ ſunt; & quantum viribus conſequi poteris ad
coniunctionem cum eo ſupra omnem ſubſtantiam &
intelligentiam eſt, ignorando 2. adnitere: tua enim
libera, ſoluta & pura auocatione à corpore & ab
omnibus rebus ad radium ſupraſubſtantialem divinæ
obſcuritatis detractis omnibus, & ab omnibus expe- E
ditus adduceris. Ac rurſus idem capite ſecundo: In
hac, inquit, caligine, quæ lumen vincit, vt nos
ſimus, precamur; & vt non videndo & igno-
rando, videamus & cognoſcamus; & eum qui eſt ſu-
pra quam ſubſtantia, ſupra ſubſtantiam laudemus om-
nibus rebus ab eo ſeparatis; & illam caliginem divi-
nam, quæ ab omni lumine quod in rebus eſt, obtegi-
tur, cernamus. Et iterum idem in epiſtola prima ad
Caium? Tenebra, inquit, lumine aufertur è conſpe-
ctu omnium, & copioſo lumine magis aufertur; co-
gnitiones auferunt ignorantiam, & multæ cognitiones
magis adhuc auferunt. Hæc ſuperlate, 3. & non pri-
vanter intelligens, pronuntia veriſſime, quod qui F
habent 4. quod eſt lumen, & habent creaturarum
cognitionem, latet eos 5. ignoratio Dei, & tenebra
eius ſupraposita; & omni lumine obtegitur, omni co-
gnitioni ſubducitur; & ſi quis Deum vidit, & cogno-
uit quod vidit; non vidit Deum, ſed aliquid creatu-
rarum eius, & eorum quæ cognitione percipiuntur:
ipſe autem ſupra mentem & ſubſtantiam conſtanter
manens, hoc ipſo quod neque cognoſcitur, nec eſt,
eſt ſupra ſubſtantiam, & ſupra mentem cognoſcitur:
& illa melior & vniverſa ignoratio cognitio eſt eius
qui eſt ſupra omnia quæ in cognitionem cadunt. Et
ſanctus Maximus. Hanc ſolam, inquit, habet Deus
veram cognitionem, non cognoſci. Ex his patet,
Deum eſſe ſupra omnem affirmationem & negatio-
nem; & nos ſolum ignorando perfecte, & non vi-
dendo, cognoſcere eum, & de eo philoſophari. Ex
omnibus igitur quæ hactenus dicta ſunt, firmiſſime
conſtat, Theologiam generatim in quatuor partibus
verſari: ſymbolicam quidem in duabus partibus, in
imaginibus ſcilicet, & in verbis: demonſtratiuam
vero in alteris duabus, ſcilicet in aientibus, & ne-
gantibus: quod autem eſt vltra quam hæc, ad igno-
rationem Dei, qui neque cognoſci, neque videri poteſt G
pertinet, quæ quidē non eſt poſita pars Theologiæ: quæ
enim nata eſt, vt ſupra mentem & ſermonem ac ratio-
nem perficiatur, vbi eam collocabunt qui de hac re
quærunt? niſi hanc partem, cognitionem ſupra men-
tem vocare ſtatuant omnes illos præclaros & divinos
viros, qui vt mihi videtur, ex eo quod illam experti
ſunt, nomen ei indiderunt, & non ex demonſtratione
quapiam. Coniunctio enim cum Deo ſupra mentem,
id eſt, ingredi per ignorantiam perfectam in illud in-
finitum, & quod comprehendi non poteſt, & in pe-
lagus immenſum naturæ eius, & vbi omnis natu-
ra defatigata ſiſtit ſe, & vlterius progredi non au-
det, quod à divino quodam odore, & quadam à
corpore & à creaturis auocatione, in laudabilem
& beatum ſtatum, non ſolum admirabilius quam
dici poſſit, ſed quam intelligi, aliquando reſtituit;
coniunctio, inquam, hæc cum Deo ſupra mentem, &
huiuſmodi divina ecſtaſis, nulla ſpecies Theologiæ
tunc numerata eſt. Omnis enim ſcientia & informa-
tio, eorum cauſa quæ ſciuntur & informantur, fit;
vbi autem nihil horum eſt, quæ huius ſcientiæ ars eſſe
dicenda eſt? Vt igitur hanc partem repetitis capitibus H
expediamus, demonſtratum eſt duplicem eſſe Theolo- 1
giam demonſtratiuam: deinde quod nec hæc ſine 2
typo & ænigmate cernitur: tertio neceſſario conclu- 3
ſum eſt, in omni Theologia verſari rationem ſpeculi 4
& ænigmatum: ex quo ſequebatur, eos qui adhuc 5
in corpore ſunt, non poſſe ſine corporeis de Deo phi- 6
loſophari: quinto loco, neque phantaſiam Dei, id eſt,
cognitionem eius per typos & imagines poſſe nos in-
tegram & totam ſuſcipere propter corporum fluxio-
nem: deinceps ſexto capite, ſi nos ita infirmi ſumus,
nequaquam cognitionem eius ex naturali repræſenta-
tione tentemus, aut eſſe ipſum ex iis, quæ intelligunt,
aut qui intelliguntur, exiſtimemus: ſeptimo capite con- 7
tinetur, ſi neque nos propter corpus idonei ſumus ad
philoſophandū de Deo, neque Deus propter excellentiæ
ſuperlationē poteſt comprehendi, vnde oportet ſumere 8

A ad philoſophandum de eo? concluſo autem, ſumendum eſſe ex iis quæ ſunt circum ipſum, quæ quidem ſunt creaturæ, quærebatur deinde, an forte ſummi Theologi præſtantioribus quam ſint creaturæ, philoſophantur: oſtenſo autem hoc, non aliunde ſcilicet quam ex creaturis eos agere de Deo, capite nono continetur comparatio, quid amplius valeat Theologia quæ negat, quam quæ ait: concluſo autem, magis propriam Theologiam eſſe quæ verſatur in negantibus, quam quæ
9 in aientibus, & quod hic non ſunt inter ſe contraria negantia & aientia, extitit decimum caput expoſitis: ſi enim non ſunt contraria, relinquitur vt æquo inter-
10 uallo ambæ Theologiæ a Deo abſint; ſitque demum Deus ſupra omnem negationem & affirmationem, quæ
B eſt cognitio eius, & Theologia, nihil videlicet de eo cognoſcere aut philoſophari, ſed potius neſcienter, & ſine omni intelligentia eorum quæ intelligentia percipiuntur, cum eo coniungi & copulari. Abſoluta igitur ſunt hæc, ita vt nihil deſit. Recte autem Theologia demonſtratiua dicatur tanquam ex affirmationibus & negationibus conſtituta; & quia ſupra has ad illam inexplicabilem & occultam, ac myſticam Theologiam, quæ demonſtrationem vincit, occurrit.

Ex Scholiis S. Maximi.

Ac omnia 1. quæ non ſunt) Prius dixerat: Et omnia quæ ſub ſenſum & ſub intelligentiam cadunt; idem nunc ἐν [illegible] declarat, cum ait: Ac omnia quæ non ſunt; hæc enim reſpondent ſenſilibus, quæ veteres dicebant non eſſe, vt quæ omnem mutationem caperent, & non ſemper in eodem ſtatu eſſent. *Et ea quæ ſunt.*) hæc reſpondent ad illa ſub intelligentiam
C cadentia. Intellectilia enim idem veteres eſſe dicebant, quippe quæ ſemper eſſent immortalia voluntate auctoris, & ſubſtantiam non mutarent. Proprie igitur ſunt intellectilia, homonyme autem ſenſilia. 2. *ignorando aduertere*) Nuſquam magis, ait S. Maximus, declarat Dionyſius quid ſit per ignorantiam cognoſcere Deum, quam cap. 2. myſticæ Theologiæ, & in epiſt. 5. ad Dorotheum: Nota; inquit, cap. 2. myſticæ Theologiæ, hoc eſſe ſub diuinam caliginem ingredi, non videndo & ignorando videre & cognoſcere quod eſt ſupra aſpectum & cognitionem, videre inquam & cognoſcere hoc ipſo, quod non videmus neque cognoſcimus. Et in epiſt. 5. ad Dorotheum, illam caliginem, in quam ingreſſus eſt Moyſes in monte in Exodo, (*Exod. 25.*) interpretatur Dionyſius myſtice eſſe ignorantiam iſtam, qua dicit Deum cognoſci, ita vt in illa caligine ſit qui habetur dignus vt vere videat & cognoſcat Deũ hoc ipſo quod non videt neque cognoſcit, hoc ipſũ cognoſcẽs, quod eſt ſupra omnia intellectilia & ſenſilia. Diuina itaque caligo, ait Dionyſius, eſt illud lumen inacceſſum, in quo habitare Deus dicitur, inviſibile quidem propter exuperantem claritatem, & inacceſſum propter nimiam & ſupra naturam illuminationem. In hac caligine myſtica, id eſt, in hac illuminatione interpretatur, vt paulo ante dixi, eſſe eum qui non vi-
D dendo & ignorando videt vere & cognoſcit Deum. Ad intelligendum quod dictum eſt, id eſt, quomodo caligo eſt illuminatio & ignorantia cognitio: Sume, inquit S. Maximus, exemplum ab oculo corporis: quod enim efficit abſentia luminis, ſcilicet vacationem ſenſus oculorum, hoc efficit intendere fixe aciem oculorum adverſus ſolis radios meridie. *Hæc 3. ſuperlate & non priuanter*) Ne, inquit, quod ait, Et non ſecundum priuationem, ſecundum ſenſum communem intelligendum eſſe ſuſpiceris, quod ſicut tenebræ lumine ſoluuntur, & multo lumine maxime ſoluuntur, aut ſicut ignorantia, quæ eſt tenebræ quædam, cognitione tollitur, & multa cognitione maxime tollitur, ſic ignorantia de Deo ſimilis ſit ignorantiæ per inſcitiam, immo quo magis quis illuminatur in cognitione Dei, & quo magis cognitionem colligit eorum quæ ſunt, id eſt, intellectilium & intelligentium angelorum in-
E quam & animarum, eo magis aſcendens ad altiorem cognitionem cognoſcet hoc ipſum, non poſſe ſcilicet comprehendi, & ignorari, lumen eſſe & cognitionem ſupra omnia cognita. Non igitur ſecundum priuationem dicitur ignorari Deus, ſed ſecundum ſuperlationem cognitionis, *qui habent 4. quod eſt lumen*) Habere quod eſt lumen, ſignificat habere cognitionem veritatis ex creaturis, *latet eos 5. ignoratio*) quia neque ſciunt hoc, quod eum ignorent, ſic enim eum ignorare, quod ſciamus nos ignorare, quoddam ſcire eſt. Non itaque ſic ignoramus, quaſi alius aliquis ſciat; non enim alio ſciente nos ignoramus, tanquam qui non didicerimus quod eſſet ignorare priuanter, ſiue ſecundum priua-
F tionem; ſed ignoramus quod ab omni creatura ignoratur; & omni creaturæ ſupra quam ignotum eſt, quod eſt ignorare ſuperlate.

TERTIA DECAS,

De Diuinis Emanationibus.

CAPVT PRIMVM.

Quod duplex eſt emanatio, vna in Deo, altera extra, ab ipſo Deo ad creaturam.

MAgnus Dionyſius capite ſecundo de diuinis nominibus: Hæ, inquit, ſunt vniones, & diſtinctiones in illa ineffabili vnione & eſſentia. Eſt autem diuina diſtinctio emanatio Deum decens diuinæ vnionis, quæ ſupra quam vnite, bonitate Dei multiplica- (*S. Maximus in ſcholiis in Dionyſ.*)
G tur. Quod quidem edifferens interpres: De inexplicabili, inquit, Trinitatis emanatione vſque ad tres perſonas, philoſophatur nunc, quod Deus & pater ſine tempore, convenienter Deo & amanter motus proceſſit ad diſtinctionem perſonarum, abſque immutatione & partitione in ſe toto manens, proprio eius ſplendore ſupra quam vnite, & ſupra quam ſimpliciter emiſſo, vt exiſteret tanquam imago viua; & ſpiritu ſancto ex patre venerande, & ſupra quam perenniter procedente, ſicut Dominus docet: (*Ioan. 15.*) Dei autem bonitate cauſa omnium in tribus perſonis diuinis multiplicata eſt. Item Gregorius Theologus diſputans contra Eunomium: Eſt vero etiam, inquit, alio modo diſtinctio diuina, emanatio Dei ob nimiam bonitatem ad multiformem creationem aſpectabilem, & non aſpectabilem. Ex his autem fit manifeſtum, quod Deus & pater ad ſua manando filium ſupraſubſtantialem, & ſpiritum ſanctum, duo vnius & eiuſdem diuinitatis lumina vniuoce protulit, nullo modo à ſe ipſo toto egreſſus, ſed potius ad ſe ipſum motus ſine diſtantia intermedia ex æternitate in naturam trium perſonarum deſiuit. Hæc igitur emanatio mota à diuina perſona in diuinas perſonas, in Trinitate, ad quam mota eſt,
H ſubſtitit, & motionem non creatam exhibuit. Omnis enim emanatio fit cauſa eorum quæ emanant. Talis igitur eſt emanatio, qualia ſunt ea, ad quæ facta eſt emanatio. Si hæc ſunt non creata, & intelligentiam vincunt, ſimilis & par eſt eis emanatio, quæ ad ea ipſa fit. Eſt præterea in ſupraſubſtantiali Trinitate alia diuerſæ rationis diſtinctio, quæ ad creaturas emanat; & hac emanatione creaturas iſtas efficit Trinitas. Quod ſi alia ratio eſt huius diſtinctionis, liquet in illis ipſis eam perfici, ad quæ emanauit. Quocirca non eſt obſcurum, duplicem eſſe emanationem, vnam ſcilicet, qua Deus & pater in ſe vniuoce motus eſt; alteram, qua ad creaturam æquiuoce, id eſt, illa naturaliter, hac voluntarie. Simul demonſtratum eſt, omnem diſtinctionem huius ab illo motionem quandam eſſe & diſtinctionem.

CAPVT

CAPVT II.

Quod omnis cauſa & motus & principium, quod propter generabilia dicitur, generatio eſt, quæ cum effectis ipſis ſimul efficitur.

In primo oratione de Filio, & 3 de Theol.

SAnctus Maximus in interpretatione illius ſententiæ Gregorij Theologi: Propter hoc vnitas à principio 1. mota, &c. Omne, inquit, illud quod propter cauſam eſt, & propter cauſam mouetur, neceſſario principium habet vt ſit; illam cauſam ſcilicet propter quam factum eſt vt eſſet; finem vero motionis illam ipſam cauſam, propter quam mouetur, & ad quam properat. Omne autem quod propter cauſam eſt, & mouetur, neceſſario eſt generabile: ſi autem eius quod mouetur, finis eſt cauſa, propter quam mouetur; neceſſario ipſa eadem cauſa eſt, propter quam generatum eſt, & eſt. Ac rurſus idem in tertio titulo ex excerptis in dogmatica Panoplia: Nihil, inquit, eorum quæ ſunt, à ſe ipſo ſit, nec eſt expers cauſæ, quod autem non eſt expers cauſæ, nec immobile eſt; quod autem non eſt immobile; neceſſario propter cauſam mouetur, quod eo ipſo fit, quod mouetur naturaliter à cauſa, propter quam, & ad quam motionem facit Nihil enim eorum quæ mouentur, natura aptum eſt vt ſine cauſa moueatur: reſtat igitur, vt generatio eorum quæ mouentur, principium ſit omnis motus naturalis; principium vero generationis eorum quæ generata ſunt, Deus tanquam auctor generationis. In interpretationibus autem quæ feruntur in illud: Dominus creauit me, hæc etiam reperiuntur: Omne, inquit, principium, aliquorum principium eſt; ſignificatque habitudinem, & non effectionem ipſius ſubſtantiæ: talia enim ſunt quæ referuntur ad aliquid, vt dextrum, & ſiniſtrum. Quare ſapientia Dei, quæ ſubſtantia eſt, non eſt aliquorum 2. principium (ante creaturam enim habet eſſentiam ſapientia Dei) cum autem acceperit habitudinem ad creaturas, tunc efficitur principium viarum Dei, ad faciendum & prouidendum in opera quæ ab auctore exiſtunt, quæ nihil conferunt ſapientiæ ipſi, vt ſit ſapientia; ſed habitudo, ſecundum quam principium & effectio dicitur, tunc extitit, cum effecta extiterunt. Principium enim non antecedit ea, quorum exiſtit principium; nec iſta poſt principium exiſtere dicuntur; quamvis creaturæ in tempore exiſtunt: ſapientia enim cum ſit æterna, non eſt ſubiecta tempori. Principium igitur compar & ſocium eſt creaturarum: ſapientia vero, quæ filius Dei eſt, creaturam antecedit. Si ergo dicat: Dominus creauit me, ne intelligentiam ad divinæ ſubſtantiæ effectionem referas; ſed potius ad habitudinem quam dicit creatam eſſe in opera; vt eſſet principium, id eſt, cauſa viarum providentiæ providentium. Ex quibus efficitur manifeſtum, quod omnis cauſa & motus & principium, quod eſt ad aliquid, principium & finem habet cauſam, propter quam cœptum eſt aliquid, & qua terminatum: & propterea neceſſario eſt generatio; & hæc eſt eius eſſentia, eſſe ſcilicet generationem: ad cauſam enim & ad principium & ad motum ea quæ ſunt ab ipſis effecta & cœpta & mota, ſpectant: effectionem vero & cauſam ac principium capiunt ipſum ſuum motum naturalem. Deus autem omnis generationis eſt effector, & omnis naturæ auctor; eſt igitur omnis ſecundum generationem principij & cauſæ ac motus effector & formator. Adhuc etiam ex his conſtat, quod in iſtis ipſis generatio & principium & creatio tunc extitit, quando extiterunt quæ inde profecta ſunt: quare ſapientia Dei, quæ eſt ſubſtantia, & ante omnem creaturam ex æternitate ſapientia exiſtit, viarum Dei, quæ in efficiendo & prouidendo conſiſtunt, efficitur effectrix & origo & cauſa, eatenus tamen, quatenus creationes iſtas incipit ratione cauſæ & principij earum, vt principium ſupra quam principium.

Prou. 8

ibid.

Ex Scholiis S. Maximi.

Propter hoc vnitas à principio 1. mota) Idem auctor S. Maximus proſequens ibidem locum de creaturis, quæ à Deo tanquam principio & fine fiunt & moventur, ſubiungit concludendo: Vna igitur eſt eius quod eſt, quomodocunque eſt, & quod ſecundum naturam movetur, cauſa tanquam principium & finis: propter quam cauſam & eſt & movetur omne quod eſt & movetur: virtus enim Dei efficax & facit quæ fiunt, vt Deum decet; & producit ac trahit provide tanquam finis quæ moventur; eaque circumſcribit. Si autem quod movetur ac generatur, propter cauſam eſt & movetur & generatum eſt; omne igitur quod non eſt propter cauſam, idem neque factum eſt, neque mobile eſt: nec enim movetur quod penitus non habet cauſam vt ſit. Si autem cauſam non habet, neceſſario etiam eſt immobile: immobilis igitur eſt Deus, vt qui nullam cauſam eſſentiæ ſuæ habeat, ſitque ipſe omnium rerum cauſa. Hoc loco quæſtionem ponit S. Maximus, ad quam reſpondet: Quomodo, inquit, dicet aliquis, hic admirabilis doctor (Gregorium Nazianzenum dicit) Deum facit mobilem? Sic enim ait: Idcirco vnitas in dualitatem mota, in trinitate ſubſtitit. Reſpondebimus, inquit S. Maximus, maxime omnium nouiſſe Gregorium eſſe Deum immobilem: ſed (vt exemplo vtar) ſicut ratio ſcientiæ cuiuſcunque artis manens in ſe penitus immota, dum formatur ſecundum ſingulas formas ſive ſpecies, quæ ſub illa arte continentur, moveri dicitur, cum magis ipſa moueat ſecundum ſe id quod arte fit, quam moueatur; & ſicut lumen, quod aſpectum mouet, ad videndum, moueri dicitur, cum proprie omnem aſpectum magis moueat, quam moueatur, ſic Deus cum ſit omnino immobilis ſecundum ſubſtantiam & naturam, quippe infinitus, & omni habitudine ſolutus, & incircumſcriptus; tanquam quædam ratio ſcientiæ in naturis & ſubſtantiis rerum exiſtens, moueri dicitur, dum mouet prouide vnamquamque creaturam ſecundum rationem qua innatum eſt ei vt moueatur; & tanquam cauſa omnium omnia quæ prædicantur de iis quorum cauſa eſt, nihil patiendo recipiens: quia ſcilicet ipſe eſt omnia, quatenus eſt auctor omnium. Ac ſane quidem verſatus in hac quæſtione Dionyſius, Quid denique, inquit, volunt Theologi, qui aliquando quidem vocant Deum amorem & dilectionem; quandoque vero amabilem & diligendum? quatenus ſcilicet amor & dilectio eſt, quia à ſe effundit amorem, moueri dicitur procreator amoris: quatenus vero amabilis & diligendus, mouet ad ſe quæ amoris & dilectionis ſunt capacia, quibus ineſt vis & facultas eum appetendi, vt cuique conuenit: & vt explanatius rurſus dicam, mouetur quidem generans in ipſis creaturis habitudinem interiorem amoris & dilectionis; mouet verò tanquam trahens natura appetitum eorum quæ ad eum moventur, hactenus S. Maximus. Plura de his in quinta decade, cap. 3. vbi de proprietatibus divini amoris, *non eſt aliquorum 2. principium)* S. Maximus in prima centuria Theologica cap. 7. Omne principium, inquit, & medium, & finis non negant prorſus prædicamentum ad aliquid, Deus autem infinito intervallo omni habitudine ſuperior eſt, quare conſentaneè neque principium, neque medium, neque quidquam aliud in vniverſum eorum in quibus prædicamentum ad aliquid ſecundum habitudinem conſideratur.

Dionyſ. c. 4. de divin. nomin.

A

CAPVT III.

Quod omnis generatio eſt interiecta duobus; & impoſſibile eſt hanc exiſtere altero abſente ex duobus quæ habitudinem faciunt.

SAnctus Maximus in diſputatione contra Pyrrhum, Sicut, inquit, inflammatio inflammatum & inflammantem in ſecum infert, & refrigeratio refrigeratum & refrigerantem, & viſio videntem & rem viſam; & intelligentia intelligentem & rem intellectam (non enim poteſt habitudo ſine habentibus habitudinẽ intelligi & ſignificari) ſi, vt conſequens eſt, deificatio, deificatum & deificantem ſecum inducit. Et rurſus idẽ c. ſecundo tertiæ, centuriæ: Quorum eſſe in multitudine cernitur, horum eſſe differens & varium eſt, quorũ autẽ eſſe differens eſt, horũ habitudo inſeparabilis eſt; quorũ vero habitudo inſeparabilis eſt, proprium eſt eis, vt à ſe ipſis mutuo prohibeantur, ne infinita eſſe exiſtimentur: quorum autem eſſe non eſt infinitum, eorum ſcilicet, quorum generationem ſæculum aut tempus anteceſſiſſe cogitatur, liquet eorum generationem eſſe ex eo quod non erat. Et Ioannes Damaſcenus: Oportet, inquit, quæ ſunt ad aliquid, qualiacunque ſint, ſub aliquod aliud prædicamentum reducere, vt ipſi prius in ſe conſiderentur; poſtea, tanquam habitudinem habentia, opus eſt ſub prædicamentum eorum quæ ſunt ad aliquid, redigere. Opus enim eſt eſſe quædam prius ſoluta; & poſtea conſiderari eorum habitudinem. Immo & beatus Cyrillus: Habitudine, inquit, ad Deum adoptati filij, deificamur. Ex quibus efficitur, non poſſe fieri, vt generatio aliquorum conſideretur, altero quovis eorum quæ ad habitudinem pertinent, ſublato. Quod quidem verum eſt in perſonis divinis, quia hæ ſunt æternæ, ſimul ſcilicet exiſtere habitudinem; tamen in Deo & in creaturis eius poſtea efficitur habitudo, quando ipſa illa quæ habitudinem habent, exiſtunt; vt demonſtratum eſt.

B

C

CAPVT IV.

Quod habitudo & motio Dei ad efficiendas creaturas, & omnium creaturarum generatio & productio, emanatio eius & operatio vocatur, & ſapientia & virtus & magnificentia, & quæcunque ad principium viarum eius pertinent, quæ ex mirabili effectione creaturarum cognoſcuntur.

MAgnus Dionyſius capit. nono de divinis nominibus, Nunc autem, inquit, divinam diverſitatem ne mutationem quandam illius qui idem eſt immutabiliter, eſſe ſuſpicemur; ſed potius multiplicationem ſingularem, & emanationes ſimplices ad omnia. Divinus Maximus, dum hoc ipſum explicat, Multiplicationem, inquit, ſingularem cum dicit, intelligere oportet Deum in ſua ſimplicitate manentem multiplices & varias ſpecies creaturarum efficere: emanationem enim vocat illum veluti motum & conatum ad creaturas fabricandas. Rurſus idem Dionyſius capite quinto de divinis nominibus, Si quidem, inquit, cauſa omnium ab emanatione, creaturarum effectrice, & bonitate exorſa, & per omnia means, & cuncta à ſe ipſa implens exiſtentia, & in omnibus creaturis exultans, cuncta in ſe ipſa habet anticipata, 1. vna ſuperlata ſimplicitate omnem duplicitatem excludente; cuncta ſimiliter continet infinitate ſua ſupra quam ſimplici; & ab vniuerſis vnice participatur. Quem locum rurſus adnotans idem qui prius, Emanationem, inquit, vocat non ſolum ſe contemplari,

D

E

ſed fundere ſe, & meare, & creaturas efficere. Et iterum adhuc idem Dionyſius capite ſecundo Eccleſiaſticæ hierarchiæ, Vt enim, inquit, præclarus noſter ductor dixit, primus quidem motus mentis ad divina, eſt dilectio Dei; ſacræ vero dilectionis manatio ſumma ac maxime princeps ad faciendum ſancte mandata divina, eſt generatio illa ſumme myſtica, qua efficitur vt ſimus diuinè. Magnus vero Baſilius in annotatis à S. Maximo de energia contra monothelitas. Aliud inquit, eſt qui operatur, aliud operatio, aliud opus; ac maxime iſta inter ſe differunt: operans enim eſt qui ad operandum mouetur; operatio eſt veluti motus operatorius, ipſeque, vt ita loquar, conatus voluntatis ad operandum aliquid tendens & ſpectans, & ſimul vt electio facta eſt, quieſcens ac deſinens, & cito mota, ac præteriens: opera vero ſunt, quæ hac operatione perficiuntur, & inde exiſtunt. Et idem rurſus in ſecundo contra Eunomium: Potentiam enim, inquit, & ſapientiam, atque artem, non autem ipſam 2. Dei ſubſtantiam, indicant creaturæ, immo nec ipſius auctoris totam potentiam neceſſario oſtendunt: contingit enim aliquando, vt artifex non omnes vires ſuas in iis quæ facit, collocet; quin potius ſæpenumero in operationibus artis ſuæ remiſſis viribus vtatur, Ac rurſus idem, Amplitudinem, inquit, Dei, & potentiam ac ſapientiam, tum bonitatem & prouidentiam, qua nos procurat, & iuſtitiam iudicij eius dicimur cognoſcere, non autem ipſam ſubſtantiam. Iterum idem Baſilius in oratione de principio Proverbiorum: Qui cognoſcit, inquit, ex fabrica mundi architectum, idem cognouit ex ſapientia mundi Deum. Inviſibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Et iterum ibidem: Et in ſumma, illud: Dominus creauit me principium viarum ſuarum, de ſapientia quæ in mundo apparet, dictum eſt, quæ per ea quæ cernuntur, vocem fere mittit, ſe à Deo factam eſſe. Præterea etiam ſunt quædam rationes ſapientiæ, quæ vt primum ſeminarium ante alia ingenerata eſt creaturæ in ipſa creatione. Hæc ſapientia ſilendo, creatorem ſuum & dominum clamat, vt per eam ad cogitationem eius qui ſolus ſapiens eſt, te referas. In prima & œcumenica Synodo ex reſponſione patrum ad philoſophum, quam Euſebius literis mandauit, Advertendum, inquiunt, eſt, hunc eſſe Dominum, qui ſapientiam ratiocinantem creauit principium viarum ſuarum; quam præparauit homini ad imaginem ſuam à ſe creato: & in Sapientia Syrach, Omnis ſapientia, inquit à Domino, & cum ipſo in ſæculum: prior omnibus creata eſt ſapientia; & intellectus prudentiæ, ab æuo: radix ſapientiæ cui reuelata eſt? & aſtutias illius quis agnouit? Vnus eſt ſapiens, pertimeſcendus ſedens ſuper thronum illius Dominus: ipſe eam creauit, & effudit eam ſuper omnia opera ſua. Divinus Chryſoſtomus, Videamus, inquit, quid Philippus videre velit: an ſapientiam ſpiritus ſancti? an bonitatem? minime, ſed illud, quid eſt Deus; ipſam, inquam, 3. ſubſtantiam. Et Gregorius Theologus in oratione ſecunda de Theologia, Non vidi, inquit, primam & æternam naturam, quæ ſibi, id eſt, Trinitati nota eſt, & quanta intra primum velum manet, & à Cherubinis contegitur, ſed illam quæ extrema eſt, & ad nos peruadit: quæ eſt, quantum intelligo, amplitudo illa, vel, vt David ait, magnificentia, quæ in creaturis, & in iis quæ ab ipſo effecta ſunt & gubernantur, cernitur. Hæc enim ſunt poſteriora illa Dei, quæ poſt eum ſunt ipſius indicia & notæ. Magnus Dionyſius in capite octavo de divinis nominibus Infinitæ potentiæ Deus non eo ſolum quod omnem potentiam producit, ſed quod eſt ſupra omnem potentiam, & ipſa per ſe potentia; & quod eſt ſupra quam potens ad producendas infinite infinitas alias potentias: & quod nunquam poſſint infinitæ potentiæ in infinitum productæ effectionem ſupraquam infinitam potentiæ eius potentificè hebetare & retundere.

F

Rom.1. Prov.8.

G

Geneſ.1. Eccl.1.

Ioan.14.

H

Pſal.8. Exo.33.

Luc.18.

Et

A Et rurſus : Hoc ipſum etiam eſſe potentiam , ſi fas eſt dicere , 4. habet vt ſit ab ipſa potentia, quæ ſupra ſubſtantiam eſt. Et divinus Chryſoſtomus in homilia 64. in Matthæum : Cum dicit , Nemo bonus : non hoc , inquit , dicit, quaſi ſe neget eſſe bonum ; apage: non enim dixit, Cur me dicis bonum ? non ſum bonus: ſed dixit, nemo bonus: id eſt, nullus homo, & hoc ipſum cum dicit, nō priuat bonitate homines: ſed ad diſtinctionem bonitatis Dei hoc pertinet. Et iterum in eodem
Matt. 7. Matthæo homilia 24. Si vos, inquit, cū ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: etiam illic etiā malos vocauit , non quod omnem naturam humanam malitiæ condemnaret , vos enim, ait , non vos homines : quin potius ſic nominauit , id eſt , malos , conferens bonitatem hominum cum bonitate Dei. Item ex 5. Panariis Synodus habita contra Manichæos ab Epiſcopo Carorum Abucara : Bonitas , inquit , quæ in
B vniuerſitate mundi cernitur , accretionem & decretionem recipit , vt quæ accidens ſit. Et rurſus : Bonum in Deo ſubſtantia eſt: in creaturis vero accidens. Eſtote enim , inquit , miſericordes , ſicut pater veſter cæle-
Luc. 6. ſtis. Et iterum Dionyſius : Verum , inquit , eſt nos Deum cognoſcere , non quidem ex natura eius (hæc enim ignota eſt , & omnem rationem ac mentem vincit) ſed ex ordine omnium rerum , vtpote qui à Deo ipſo factus ſit , & imagines quaſdam & ſimilitudines exemplarium eius habeat. Immo & Ioannes Damaſcenus libro tertio , cap. 62. Dicitur , inquit, ἡ ἐνέργεια ἐνέργημα , id eſt , operatio opus, & opus operatio : ſicut τὸ κτίσμα κτίσις , id eſt , creatum creatura, & creatura creatum , hoc eſt , res creata , ſic enim loquimur , omnis creatura, cum omnes res creatas ſignificamus. Eſt autem aduertendum energiam , id eſt, operationem , motum eſſe , & magis effici, quam efficere, ſicut ait Gregorius Theologus in oratione de ſpiritu ſancto : & ſi energia eſt ſpiritus ſanctus, efficietur ſcilicet, non efficiet: & ſimul vt erit effectus , quieſcet.
C Ex his liquet , quod operatio & emanatio idem ſunt. Vt enim emanatio motus & conatus eſt ad efficiendas creaturas , ſic eſt operatio veluti motus operatorius & conatus ipſe (vt ita dicam) electionis , ac rurſus , vt erat , habitudo conatus & motus inter ea, quorum eſt inter ſe habitudo : ſic operatio media eſt inter opera quæ fiunt , & operantem. Emanatio igitur , & operatio , & habitudo , & generatio , ac motus idem ſunt: ac proinde conſequens eſt , vt habitudo & motus Dei ad efficiendas creaturas , & ars & ſapientia & potentia & generatio creaturarum , & emanatio & operatio eius idem ſint.

Ex Scholiis S. Maximi.

Anticipata 1. dicit propter ideas omnium creaturarum in Deo , quas Apoſtolus προορισμοὺς vocat , vt S. Maximus in ſcholiis in Dionyſium notauit , id eſt, præordinationes , ſiue prædefinitiones, ſiue prædeſtinationes, *non autem ipſam* 2. *Dei ſubſtantiam*) Non ſignificant creaturæ , ſicut neque nomina eis impoſita, bo-
D nus, ſapiens , & ſimilia , Dei ſubſtantiam , ſed operationem , quando conſideramus creaturas quatenus habent perfectiones Dei participatas & à Deo effectas, quibus ſignificandis nomina ſunt à nobis prius impoſita. Quando vero ex ipſis creaturis ad auctorem contemplandum deducimur , ſubſtantiam eius nobis indicant, vt copioſius decade 4. cap. 9. dicetur tum à Cypariſſioto in epilogo eiuſdem capitis, tum à nobis in ſcholio , *ipſam* 3. *ſubſtantiam*) id eſt , quæ ſit ſubſtantia, ſive eſſentia , ſive natura Dei 4. Cum dicit , Si fas eſt dicere , ſignificat , ait S. Max. non eſſe poſſibile eſſe aliquid quin exiſtat à Deo , quod vſque adeo ſcilicet verum eſt , vt ſi ipſum eſſe eſſet, ipſum eſſe eſſet à Deo, ſed eſſe, inquit S. Thom. non dicitur proprie eſſe , ſive quod ſit , ſed quod per eſſe aliquid ſit. 5. Panaria vocat volumina , in quibus ferebantur diverſorum auctorum confutationes hæreſum , ſicut Epiphanius opus

E ſuum contra hæreſes Panarium vocauit. In iſtis Panariis , quæ dicit , ferebantur fortaſſe quæ ſcripſerunt contra Manichæos Titus Boſtrenus , Diodorus Cilix, Georgius Laodicenſis , Euſebius Phœnix, quos Theodoretus nominat ; & iſtius Synodi contra eoſdem Manichæos diſputatio , cap. proximo ſequenti quæ hic vocauit Panaria , vocat ſcripta contra omnes hæreſes.

CAPVT. V.

Quod quæcumque habent rationem operationis, & media eſſe probantur, natura per ſe non exiſtunt : & ſunt ſolummodo , quatenus fiunt.

F MAgnus Baſilius libro quarto contra Eunomium, Si , inquit , opus eſt filius, & non germen : nec qui operatus eſt , nec operatio eſt ipſe : aliud enim eſt operatio præter iſta ; alioqui non exiſteret per ſe; nulla enim operatio per ſe exiſtit. Sin vero eſt opus ipſum, ſequitur vt ſit tertius ex patre, & non ſine intermedio, eſt enim primo , qui operatus eſt , poſtea operatio , & ita tertio opus factum. Et Baſilij frater Gregorius Nyſſenus libro ſecundo confutationum arguens Eunomium , qui filium aiebat eſſe ſigillum operationis Dei omnipotentis : Tertium , inquit, facit poſt patrem illa operatione non per ſe exiſtente intermedia : immo videtur facere eum non eſſe. Et iterum in eodem libro: Qui habet , inquit , aures audiendi animaduertat & conſideret quod eſt operationis ſigillum. Omnis enim operatio cernitur in elaborante aliquid , perfecto autem quod elaborabatur , non exiſtit : vt operatio curſoris , quæ eſt motus qui pedibus conficitur : quieſcente motu, non amplius exiſtit operatio. Similiter dicendum eſt in omni exercitatione , pariter cum ſtudio laborantis in re aliqua deſinere operationem , non exi-
G ſtere autem per ſe , neque cum quis operatur quod ſibi propoſitum eſt ad laborandum in eo : neque cum laborandum in eo : neque cum laborare deſinit. Quid igitur cogitat operationem eſſe per ſe, quæ neque ſubſtantia eſt , neque character , id eſt , ſigillum , nec hypoſtaſis ? Dixit igitur ſimilem eſſe ipſum non exiſtenti per ſe , quod autem ſimile eſt non exiſtenti ; neceſſario nec ipſum eſt: hoc eſt nouorum dogmatum monſtrum, credere ſcilicet in eum qui non eſt. Quod enim (vt iterum dicam) ſimile eſt rei quæ non eſt , prorſus nec ipſum eſt. Synodus autem à Theodoro Epiſcopo Carorum contra Manichæos habita , quæ fertur in iis quæ contra omnes hæreſes ſcripta ſunt , ait : Omnis operatio eſt cum fit , quæ nec ante motum operantis id eſt , actionis eſt , neque poſt motum durat : opus, tantum quod effectum eſt , ſæpe ad memoriam actionis relinquit. Si igitur energia actus eſt , omnis autem actus alicuius ſubſtantiæ actus eſt , igitur abſque ſubſtantia non eſt. Ex his perſpicuum eſt , quod operatio rationem medij præfert , & ob eam cauſam non exiſtit per ſe, ſolummodoque eſt cum fit, non ante motum ope-
H rantis , id eſt , ante actum : neque poſt motum permanet. Similis eſt ergo operationi omnis emanatio, & generatio , principium & cauſa , vt ex ſuperioribus demonſtratur.

CAPVT VI.

Quod ſicut operatio eſt eorum quæ fiunt, & emanatio eorum quæ emanant ; ſic & voluntas & expetitio eorum quæ velle & expeti contingit.

MAgnus Athanaſius libro tertio contra Arianos: Sicut , inquit , voluntati opponitur id quod eſt præter mentem ; ſic ſuperat & præcedit voluntatem quod naturale eſt. Domum igitur quiſpiam delibe-

tando

A rando fabricat, filium vero naturaliter generat. atque illud quidem quod voluntate fit, cœpit eſſe, & extra eum qui fecit, eſt: filius vero proprius fœtus eſt ſubſtantiæ patris, & non eſt extra eum, quamobrem non deliberat de eo, ne videatur etiam de ſe ipſo deliberare. Quanto igitur excellit filius, tanto quod natura fit, excellit id quod voluntate fit. Ruſus idem in diſputatione Nicææ contra Arium: Et quidem quod non ſint idem voluntas & ſubſtantia, hæc eſt noſtra ratio, idcirco enim filium dicimus eſſe fœtum ſubſtantiæ, nos vero fœtum voluntatis, vt autem tu concedis, non ſunt idem voluntas & ſubſtantia: ſubſtantia vero neque cœpit, neque deſinet: non igitur imago cœpit, neque deſinet; voluntas vero & incipit, & deſinit. Et B Gregorius Theologus in libro de ſtatu Epiſcoporum: Fac, inquit, velis fieri filium, & fiat filius; fac ſimiliter velis fieri quidpiam aliud eorum quæ fiunt, & procedat voluntas in opus, at ſi nihil horum ſequitur voluntatem, Deum vero velle, facere eſt; aliter quidem homo creat, aliter vero creator omnium Deus. Et ſanctus Iuſtinus philoſophus & martyr in libro contra gentiles: Cum Deus, inquit, habeat ſubſtantiam quidem vt exiſtat, voluntatem vero vt creet; qui ſubſtantiæ & voluntatis differentiam abiicit, exiſtentiam ſimul & creationem tollit: exiſtentiam quidem Dei, creationem vero eorum quæ non ſunt. Et paulo poſt: Subſtantia enim, inquit, non recipit non eſſe, voluntas vero recipit non eſſe, voluit enim Deus, & factus eſt ſol, noluit vt fieret ſecundus ſol, & non eſt factus: nec enim opus erat. Et Ioannes Damaſcenus: Opus, inquit, divinæ naturæ ſempiterna generatio eſt; opus vero divinæ voluntatis creatio. Ex his liquet, quemadmodum voluntas Dei ad creandum creaturas poſterior C eſt & diverſa à ſubſtantia Dei. Quo enim miniſterio indigere poteſt (ait magnus Baſilius de vnigenito) is qui ſimul vt voluit, creatura exiſtit quam vult? Si igitur ſimul cum voluntate creatura exiſtit, ſicut non eſt ex æternitate creatura, ſic nec voluntas eam creandi, & opus, opus enim Dei velle eſt; & ſicut opus voluntatis eſt creatura, & hæc voluntatem ſequitur, ſic divina generatio filio ſimul terminatur, & idcirco generatio divina, quæ à Deo patre in filium procedit & manat, eadem eſt re cum eo ipſo patre, quæ verbis explicari non poteſt. Eſt autem verbum Dei increatum, increata igitur eſt generatio eius ſupra naturam creatam, tamquam naturalis emanatio patris, voluntas vero & nutus Dei ad producendas creaturas, quæ ex æquo cum emanationibus & operationibus Dei proficiſcitur, differt, ſicut ratio poſcit, à ſubſtantia Dei, quia illa ſcilicet voluntas Dei cœpit, & eſt extra facientem & creantem, hæc vero, id eſt, ſubſtantia Dei æterna eſt, & intra ſe ipſam fixe manet, illa incipit & deſinit, hæc initij & finis expers eſt; illa recipit non eſſe, cum Deus non vult eſſe, hæc nunquam recipit non eſſe.

D

CAPVT VII.

Quod ſecundum hanc voluntatem & deſiderium Dei ipſius erga nos providentiæ dicuntur.

ATHanaſius in tertio contra Arianos: Omnia, inquit, dedit pater filio, & omnia ruſus pater habet in filio: divinitas enim filij, divinitas patris eſt, atque ita pater providentiam omnium in filio gerit. Et iterum idem contra gentiles: Per incarnationem, inquit, verbi providentia omnium patuit, & ipſum verbum numinis providentiæ ſuppeditator & auctor eſt, ipſe enim factus eſt homo, vt nos deificaremur, ſe ipſe per corpus manifeſtum fecit, vt nos patris inaſpectabilis notitiam caperemus. Immo & magnus Baſilius in moralibus, quarto & quadrageſimo Pſalmo: Intende, inquit, proſpere procede, & regna: id eſt, qui curam hominum per carnem habere cœpiſti, fac vt

Pſal 44

E curam hanc intendas, contimues, & nullo vnquam tempore relaxes. Et Damaſcenus Theologus: Providentia, inquit, eſt cura Dei de omnibus. Et Theodorus cognomento τῶν χαρίτων: Cuiuſnam, inquit, rei providentia erit, ſi non ſit quod ſeruetur incolume? providentia enim ex iis eſt quæ ſunt propter cauſam. Quare ex his patet, quemadmodum propter ea quæ à ſe facta ſunt, providentiam habet Deus, qua illa procurat & gubernat; & ipſe eſt Dei verbum, huius providentiæ ſuppeditator & auctor. Quod ſi propter iſta facta eſt, quomodo non ſit condita & creata & in iis numerata, quæ ſunt propter cauſam, ſecundum naturam operationum & emanationum. & aliorum quæ ad habitudinem pertinere intelliguntur?

F

CAPVT VIII.

Quod generatim omnes divinæ emanationes, providentiæ dicuntur mente contemplabiles

MAgnus Dionyſius primo cap. de divinis nominibus ait: Non ſolum enim eſt cauſa continendi omnia, & vitæ ac perfectionis cauſa eſt, ita vt ab hac ſola, aut ab alia providentia bonitas, quæ omne nomen ſuperat, nominetur: ſed vniuerſa ſimpliciter & incircumſcripte 1. in ſe anticipauit perfectis bonitatibus ipſius vnicæ & omnium effectricis providentiæ; & ab omnibus rebus apte laudatur & nominatur. Atqui non ſolum hæc nomina divina Theologi celebrant, quæ à providentiis generalibus, aut à providentiis in parte, aut ab iis quibus providetur, & aliquando à quibuſdam divinis viſis dicuntur. Idem ruſus in epi- G ſtola ad Titum: In providentiis, inquit, Dei, quas mente contemplamur, 2. vel in donis, 3. vel viſionibus, 4. vel proprietatibus, 5. vel facultatibus, 6. vel ſtatibus, 7. vel manſionibus, vel emanationibus, 8. vel diſtinctionibus, vel coniunctionibus. Et ruſus cap. quarto de cœleſti hierar. Cuncta, inquit, quæ ſunt, providentiam participant, quæ ex divinitate, quæ omnem naturam antecellit, & omnium rerum cauſa eſt, effluit. Quo in loco ſanctus Maximus: Omnia, inquit, opera creationis ſummatim declarat, cum dicit, Quæ ſunt, omnia ſcilicet intellectilia & ſenſilia, vniverſa enim fecit Deus, cum non eſſent, & ob eam cauſam ſolum, vt bonitate ipſius fruerentur, fruuntur autem providentia ipſa, vt quæque res apta eſt, providentia enim Dei principium eſt naturæ cuiuſque rei, atque hinc patet Dionyſium omnem emanationem Dei providentiam appellaſſe, hoc enim eſt illud apud Dionyſium, Ab hac ſola, vel ab alia providentia; & illud, A generalibus providentiis, vel providentiis in parte, vel ab iis quibus providetur; & illud ruſus, In providentiis Dei, quas mente contemplamur; plane contentus fuit Dionyſius pro emanationibus providen- H tias dicere: niſi quis forte dicat, idem eſſe providentiam, & emanationem, emanare enim propter aliud quid, quid aliud eſt quam providere ſuis, propter quos à principio emanationem fecit, & adhuc eorum curam gerit, quod magis adhuc ex eo conſtat, quod providentia Dei principium eſt naturæ rerum, omne autem principium aliquorum in iis quæ ab ipſo principio exiſtunt, concluditur, liquet igitur eſſe providentiam vnum ex iis quæ a Deo voluntate ſua facta ſunt. Enumerat autem Dionyſius in providentiis dona & viſiones & alia, vtens voce diſiunctionis, vel ad declarandum, non eſſe improbandum, ſi quis hæc hoc aut illo verbo vocet.

Ex Scholiis S. Maximi.

Id eſt, *ita 1. in ſe omnia anticipauit*, & omnia eſt, vt cum eis non ſit coagmentatus, neque corporee vnitus, hoc eſt ſimpliciter & incircumſcripte omnia eſſe in eo, & ipſum eſſe omnia. Contra aiebat

Manichæus

A Ps.144. Gen 18. Matt.3. Act.2. Manichæus Deum omnibus corporibus *συμπαγῶν*, id eſt, ut ita vertamus, conſubſtantiatum Providentia 2. *donandi*,, ut in illo, Aperis tu manum tuam, &c. in 3. *viſionibus*) ut cum in veteri teſtamento apparebat Deus ſpecie hominis; & ſicut Spiritus ſanctus apparuit in ſpecie columbæ, & linguarum ignearum Deut.4. 4. *proprietatibus*) ut in propheta Amos, adamas, providit Deus, ut ſimilitudine & exemplo adamantis oſtenderet nobis Cant.2. Ephes.1. τὸ ἀναβὲς καὶ ἀδάμαστον αὐτοῦ, ut cum dicit ſcriptura: Deus ignis conſumens eſt, providit ut ſic ſignificaret vim conſumendi pravos habitus, 5. *facultatibus*) ut oculi, cui facultatem videndi, & pedes ambulandi ſignificant, ſpecies providentiæ ſunt, ſtatibus 6. *vel manſionibus*) ut cum dicitur, lapis fundamenti, ſignificat providentiam ſtatus immutabilis, emanationibus 7. *vel diſtinctionibus*) ut cum dicitur, flos agri & lilium convallium, varietas providentiæ ſignificatur, 8. *coniunctionibus*) ut cum vocatur lapis B angularis, ſignificatur providentia convertendi ad ſe, & ſecum copulandi.

CAPVT IX.

Quod ſecundum ipſas Dei providentias & emanationes atque operationes fiunt noſtra divinæ participationes, & divina nomina.

MAgnus Dionyſius capite primo de divinis nominibus. Hæc, inquit, ex ſcripturis divinis didicimus; & omnem fere ſacram ſcripturam reperies ad declarandum nobis Deum & ad laudandum eum, divina nomina formare ſecundum divinæ bonitatis emanationes. Et iterum in ſecundo capite: 1. Abſolute communicationes vitæ, ſapientiæ, & alia dona divinę bonitatis C omnium rerum effectricis, in quibus donis divinæ perſonæ; quæ ſine naturæ ſuæ participatione participantur, a participationibus & participantibus laudantur. Quo in loco S. Maximus: Secundum ſubſtantiam, inquit, divinitas neque participatur, nec intelligitur: participabilis vero eſt, quatenus ab ea exiſtunt omnia, & ab ea continentur & conſervantur ut ſint. Ac rurſus Dionyſius in eodem cap. Omnia, inquit, divina, etiam quæcumque nobis declarata ſunt, participationibus ſolum cognoſcuntur, ipſa autem divina qualia tandem ſint ex proprio principio & fundatione: neque mente neque cogitatione ulla aut cognitione aſſequi licet, ut ſi abditam illam eſſentiam Dei, quæ ſupra omnem naturam eſt, Deum, aut vitam, aut ſubſtantiam, aut lumen, aut rationem vocemus, nihil aliud intelligimus, quam multiplicem facultatem ab eo productam & communicatam, vel ad deificandum, vel ad capiendum ſubſtantiam, vel ad vitam præſtandam, vel ad ſapientiam largiendam: ad ipſum vero Deum intelligendum mentem intendimus nude ac ſolute ab omni operatione, nullam cernentes deificationem, aut vitam, aut ſubſtantiam, quæ perfecte D ſimilis ſit illi cauſæ, quæ omni genere excellentiæ & præſtantiæ extra omnia poſita eſt. Quem locum adnotans idem Maximus: Nomen, inquit, Dei non ſignificat ſubſtantiam, neque quid eſt Deus, ſed beneficentiam quandam erga nos: & quod ex participationibus à Deo nobis donatis nomina Dei formamus, quid autem eſt Deus, omnibus eſt incogitabile. Ex quibus manifeſtum fit, ex emanationibus Dei, & donis ac beneficiis eius erga nos nomina ipſius confici, ea vero ipſa quæ in Deo ſunt, cuiuſmodi demum ſint ratione ſui principij & fundamenti, & quæ in eo ſunt, ſupra omnem mentem, notionem, ac cognitionem naturalem putandum eſſe: atque etiam (id quod prius demonſtrabatur) ex magnificentia & rerum ordine Deum cognoſci, non autem ex ſubſtantia ſua. Quamvis enim deificationes ab eo ad nos proficiſci audiamus, aut facultates deificas vel ſubſtantiæ, vel vitæ, vel E ſapientiæ effectrices, nihil aliud intelligimus, quam ab ipſo ad nos proficiſcientes habitudines, motiones, emanationes, & operationes, nulla autem ex iſtis motionibus, ſi ſic eas vocemus, ſimilitudinem aut proportionem habet cum illa omnium rerum cauſa, & omnem naturam ſuperante: hæc enim omnia propter cauſam mota ſunt: omne autem quod propter cauſam eſt & movetur, factum eſt, ac principium & finem habet.

Ex Scholiis S. Maximi.

1. *Abſolute*) ex parte principij, ſive eſſentiæ divinæ, quia eſſentia divina ſecundum ſe non communicatur cum creaturis, ſed remanet ſoluta ab omni habitudine participationis, communicatur tamen ſecundum ſimilitudinem.

F

CAPVT X.

Quod Deus eſt unus, & impartibilis, & non multiplicabilis, & immobilis: in his autem emanationibus videtur moveri, & partiri, ac multiplicari, & dividi.

MAgnus Dionyſius capite ſecundo de divinis nominibus. Quia Deus ſupra ſubſtantiam eſt, & omnibus quæ ſunt, dat eſſe, & omnes ſubſtantias producit, multiplicari dicitur illud unum ens, eo quod ex productione eius multa exiſtunt, cum alioqui nihilominus maneat & unum in multiplicatione, & unitum in emanatione, Ac rurſus idem in eiſdem: Divinam diſcretionem, inquit, dicimus, ſicut dictum eſt, emanationes Dei, bonitatem eius decentes, largiens enim omnibus eſſe, & fundens affluenter omnium bonorum participationes, diſtribuitur unite, & multiplicatur ſinguiariter, efficiturque multiplex non recedens ab uno. G Quem locum adnotans S. Maximus, Dicitur, inquit, unum multiplex fieri, quia ex ipſo, ac per ipſum, & in ipſum cuncta condita ſunt; & ipſe eſt caput omnium quæ ſunt, & ipſe omnes ſubſtantias produxit, recte igitur propter ea quæ ab ipſo effecta ſunt, multiplicari dicitur. Ac rurſus idem Dioniſius cap. nono de divinis nomin. Gloſ.1. Quid, inquit, cum rurſus Theologi dicunt in cuncta meare, & moveri immobilem, nonne hoc ut Deum decet, intelligendum eſt? Pie enim putandum eſt moveri Deum, non quaſi feratur, aut mutetur, aut varietur aliquo modo, aut motu loci ſive recto, ſive rotundo, ſive ex utroque compoſito, neque motu intelligentiæ, neque naturali, nec animali, ſed quatenus omnia Deus producit ut ſint, & omnia continet, & omnibus varie providet. Hunc locum ediſſerens S. Maximus, Deus, inquit, non movetur aliquo ex iſtis genere motus, quin potius motus immobilis, & eodem modo ſe habentis voluntas eius dicitur, qua vult eſſe ea quæ ſunt, & emanatio providentiæ ad omnia. Ex his patet, Deum nulla ex iis motionibus, quas Dionyſius ingenioſe enumeravit, moveri, illa tantum excepta, quæ externa eſt, & qua creaturas per ſuas divinas emanationes H produxit, multiplicatus & diſpertitus ac diſtributus non quatenus ipſe eſt, ſed quatenus manens immobilis & impartibilis & multiplicationis expers, & eodem prius & poſtea tenore, ſola voluntate omnia produxit, neque ſic à ſe ipſo ullo modo recedens. Quo enim moveretur, qui omnia ſubſtantia ſua replet? Immo ſicut ſi una faciens maneat, cuius forma nulla parte & nullo modo varietur, & ponamus multas circum facies ex fulgore illius emicare, videor mihi ex hac tenui imagine ac ſimilitudine coniecturam de his facere: ad hunc modum recte quis dicat, non diſtribui aut partiri aut multiplicari Deum, ſed nos potius ab eo tamquam ſimilitudines & imagines exemplarium eius diſtinctos ac variatos eſſe, & multiplicationem & partitionem ſubiiſſe, huiuſmodi

A enim affectiones ſimilitudinibus non Deo conveniunt.
Sic a Dionyſio rerum divinarum peritiſſimo hæc quæ
in Deo apparet, diſcretio appellata eſt. Videtur enim,
inquit, & dicitur unius Dei diſcretio & multiplicatio:
eſt tamen nihilominus principium divinitatis ſupra
omnem naturam unus Deus impartibilis in partibili-
bus, & ſecum ipſe copulatus, & permixtionis plu-
rium, ac multiplicationis expers. Sed ut iam capita huius
decadis in ſummam redigamus, exponam ſimplicem eo-
1 rum ſeriem materiariam. Demonſtratum eſt duplicem
eſſe ſpeculationem divinarum emanationum; unam ema-
nationũ in Deo naturaliter; alteram emanationum extra
Deũ ad creaturas pertinentiũ voluntariæ, aggredientes
igitur hanc exteriorem, in qua multitudo divinarum
2 emanationum verſatur, ſecundo loco principium ad
creaturam & motum ac cauſam demonſtrabamus gene-
3 rationi rerum convenientem: nulla autem generatio
B ſine habitudine eſt, unde tertio neceſſario ſequebatur,
altero eorum quæ habitudinem faciunt, deficiente,
4 non conſiſtere generationem: quarto deinceps loco,
5 omnis effectio, quæ ad effecta refertur, emanatio eſt
in ea & operatio; poſtea quærebatur, quæ eſſet harum
emanationum & operationum eſſentia, & an per ſe
exiſterent, ac non potius eſſent cum fierent, hoc au-
6 tem explicato, in ſextum locum incidit de voluntate
& expetitione Dei diſſerere, & quomodo ſicut emana-
tiones Dei eorum ſunt quæ à Deo emanant, ſic vo-
luntas Dei eorum eſt quæ Deus vult, deinde explana-
batur, quemadmodum huiuſmodi voluntates tum ema-
nationes, tum providentiæ Dei dicuntur, & rerum
7 gubernationes, poſt ſeptimum ſequebatur octavum
8 caput, in quo docebamus pro emanationibus nomen
9 divinarum providentiarum accipi, nono autem & de-
10 cimo capite duo ſunt ordine concluſa; unum eſt, ſe-
cundum ipſas divinas providentias & emanationes
omne nomen divinum & Dei participationem fieri,
alterum, cum qui eſt unus Deus, & impartibilis, &
immobilis, & non multiplicabilis, videri in ipſis il-
lis providentiis & emanationibus diſpertiri, moveri,
C ac multiplicari, recte igitur à Theologis de divinis
emanationibus explicatum eſt; & merito emanationes
Dei dicuntur, effectionis enim, ſive creationis, & aliarũ
emanationum conditor & auctor & effector eſt Deus:
& nullus motus ad terminum creatum refertur, quin
ſecundum terminum ad quem refertur, ceperit natu-
ram, propter creaturam enim cepit principium, &
extitit, & perfectus eſt, ubi autem ſunt principia
& fines rerum, etiam univerſum in illis concluditur.

QVARTA DECAS,

De informatione divini nominis.

CAPVT I.

D *Quod omne nomen Dei eſt noſtræ mentis inventum, & ob eam cauſam omnis nominatio Dei dicitur* νοητὴ, *id eſt, intellectilis, ſive ſub intelligentiam cadens.*

GRegorius Theologus in ſermone Epiphaniæ,
Cum dupliciter, inquit, infinitum contemple-
mur, quando mens in illud profundum ſuperum aſpe-
xit, quia non habet ubi ſiſtat & innitatur cogitans
de Deo, hoc ſurſum infinitum, & unde egredi non
poteſt, ἄναρχον, id eſt, carens principio vocavit:
quando autem in infera, & ea quæ ſubter ſunt, ſine
interitu & immortalem: quando vero totum comple-
ctitur, αἰώνιον, id eſt, æternum appellat. Et idem
E in eodem ſermone: Mente, inquit, ſola adumbratum
ac delineatum; idque valde obſcure & tenuiter. Dio-
nyſius vero Theologus ſummus cap. decimotertio de di-
vinis nominibus. Hæc inquit, nos divina nomina
quæ collegimus, pro viribus explicavimus. Et in ex-
tremo eiuſdem capitis: Sed hæc quidem, ut Deo pla-
cet: ſic habeant & dicta ſint; ſitque quod ad nos per-
tinet, hic finis nominibus Dei, quæ mens excogita-
vit, ad ſymbolicam vero Theologiam Deo duce tran-
ſibo. Multis in locis cum de nominibus Dei tractat,
reperitur vocare illa νοητά, id eſt ad mentem pertinen-
tia. Ex his igitur liquet, omne nomen Dei, & om-
nem divini nominis appellationem ad negotium & tra-
ctationem mentis noſtræ pertinere, atque inde νοητὴν
vocari, id eſt, ad intelligentiam pertinentem, cum ſci-
licet mens aut ad ea quæ ſupra ſunt; cietur; aut ad ea
quæ ſubter, aut univerſum luſtrat: atque ita nomina-
F tiones Dei adinvenit.

CAPVT II.

Quod ab effectis Deus laudatur, & ex ipſis nominatur.

MAgnus Dionyſius cap. primo de divinis nomi-
nibus. Quoniam vero Deus, utpote ipſa boni-
tas, eo ipſo quod eſt, omnium cauſa eſt; providentia
Dei eorum qui dij dicuntur, principis, quæ omnium Gloſ. 1.
bonorum principium eſt, ab omnibus effectis laudan-
da eſt, quia & circum ipſum ſunt omnia, & propter
ipſum; & ipſe eſt ante omnia & in ipſo omnia, con-
ſiſtunt: & eſſe eum producit omnia, & facit ut exi-
ſtant. Hoc autem cum S. Maximus ediſſerit & retra-
ctat, Ex his, inquit, ſolvuntur fatuæ opiniones eo-
rum qui auſi ſunt dicere, inſitam eſſe Deo natura qua-
dam vim creandi, ſicut inſitum eſt araneolis texere,
demonſtrat enim propter ſolam bonitatem producere
G Deum omnia. Quamobrem non audent Theologi lau-
dare Deum ab iis quæ ipſius ſunt, id eſt, à natura &
eſſentia eius (hæc enim ignota ſunt) ſed ab emana-
tione, quæ eſt providentia eius in ea quæ ab ipſo au-
ctore effecta ſunt. Hanc divinam providentiam, qua
omnibus Deus providet, laudibus celebrant. Rurſus
idem Dionyſius capite ſecundo de divinis nomini-
bus. Non eſt perfecta & abſoluta ſimilitudo eorum
quæ effecta ſunt, & cauſatum: quin potius habent qui-
dem effecta cauſarum quoad fieri poteſt, imagines: ipſæ
vero cauſæ ex effectis exemptæ ſunt; & pro ratione
principatus ſui ſupra locatæ ac fundatæ. Quem locum
iterum adnotans S. Maximus, Effecta, inquit, ſunt
omnia creata ſive in cœlo, ſive in terra, cauſæ vero
efficientes ſive creantes perſonæ ſanctæ Trinitatis ſunt.
Manifeſtum igitur eſt, nullam eſſe horum inter ſe ſi-
militudinem, cauſarum ſcilicet & effectorum. Rurſus
idem in centuria octava capite XXIV. advertendum,
inquit, eſt, quod effecta cauſarum imagines habent,
quatenus habere poſſunt, eſſe ſunt, quæcumque crea-
ta ſunt; cauſæ vero, quæ illa efficiunt & creant, nul-
H la autem ſimilitudo eſt cauſarum & factorum. Ex qui-
bus patet quemadmodum ex effectis, id eſt, ex crea-
turis nomina Dei, quibus Deum laudamus & implo-
ramus, humana mens conſiderando adinuenit.

CAPVT III.

Quæ ſint effecta, & quæ eorum materia.

GRegorius Nyſſenus in explanatione Cantici can-
ticorum: Omnia, inquit, mira, quæ in univer-
ſo contemplamur, materiam divinorum nominum
præbent, quibus Deum ſapientem, potentem, bonum,

ſanctum,

A ſanctum, beatum, æternum, iudicem, ſalvatorem, & & aliis huiuſmodi celebramus. Et Damaſcenus Theologus, Deus, inquit, propter ineffabilem bonitatem voluit de noſtris rebus, & noſtro more nominari, ne ſimus funditus notitiæ eius expertes. Ex his liquet, quemadmodum humana mens eſt cauſa, quæ format, & veluti 1. ſpecie afficit divina nomina; materia vero, illa admirabilia, & effecta, quæ in univerſitate mundi contemplatur; unde huiuſmodi divinorum nominum formam & diſtinctionem colligit.

Lib. 1. de fide orthodoxa.

Ex ſcholiis S. Maximi.

Specie 1. afficere nomina eſt litteris ac ſyllabis ea inſerere, ex compoſitione enim & ſerie literarum ac ſyllabarum exiſtit ſpecies & forma nominis & vocabuli.

B

CAPVT IV.

Quare ab effectis nominatur Deus, & non ab iis quæ ſunt natura eius.

MAgnus Baſilius in iis quæ contra Eunomium ſcripſit: Si divinam, inquit, naturam in ſe contemplari poſſemus, & quod proprium eius eſt, & quod alienum, per ea quæ cernuntur invenire, penitus non indigeremus rationibus, neque coniecturis ad comprehendendum quod quæritur: ſed quia celſior eſt quam ut percipi poſſit quod quæritur, ex coniecturis autem cognitionem eorum quæ nos fugiunt, venamur, neceſſe eſt omnino ut ad ſcrutandum divinam naturam per operationes deducamur. Ac rurſus idem in primo contra eundem: Vnus Dominus cum ſit, & una ſubſtantia ſimplex & expers compoſitionis, alias aliter ſe nominat, aptans ſibi nominationes quæ noſtris cogitationibus inter ſe differunt, diverſa enim nomina ſibi imponit, ut ſunt diverſæ operationes ſubiectæ, & diverſa earum ad ea quæ fiunt habitudo. Idem etiam: Nos vero ex operationibus Deum noſtrum cognoſci dicimus; ad eſſentiam tamen eius appropinquare non promittimus, operationes enim Dei deſcendunt ad nos: at eſſentia eius manet inacceſſa. Ex his igitur manifeſtum efficitur, quod ſicut ex iis quæ in Deo ſunt, philoſophari de Deo non poſſumus, ſic neque per ea Deum nominare: at ex coniecturis quibuſdam, quæ ſunt eorum quæ in Deo ſunt, ſimilitudines & ſimulachra, notitiam Dei colligimus, coniecturas & operationes idem eſſe intelligentes. Vt enim ex coniecturis de Deo ratiocinamur, ſic per operationes ad intelligendum eum adducimur. ſive ex operationibus, & ex iis mirabilibus quæ in univerſo ſpeculamur, Deum noſtrum declarare nos dicimus. Atque hinc ſecundum differentiam operationum ſubiectarum, & ut quæque operatio ad ea quæ fiunt refertur, negotium divinorum nominum conficimus, non putantes intempeſtive facere quod hæc nomina ex coniecturalibus argumentis colligimus, & imponimus. Coniicere autem quid aliud eſt, quam ex iis quæ in univerſo mira contemplamur, & ex effectis ipſis ad quæ emanationes & habitudines referuntur, ſimilitudinem & formam ducere? Cum ergo dicimus illud, à quo & unde materia, non appropinquamus illi ad quod tendimus, id eſt, ſubſtantiæ eius, ſicut cum dicimus, unde nomen 1. cœli ſumptum eſt, non attingimus ſubſtantiam cœli, operationem tamen eius maxime, argumentamur enim undique ipſum à nobis aſpici.

C

D

Ex Scholiis S. Maximi.

Cælum 1. enim Græce οὐρανὸς à verbo ὁρῶ, quod ſignificat video, quod ab omnibus videatur, vel omnibus appareat.

E

CAPVT V.

Quomodo Deus fiat à nobis multorum nominum.

GRegorius Nyſſenus diſputans contra Eunomium: Ego, inquit, quod ex ſcriptura ſancta didici, fidenter pronuntio, eum qui eſt ſupra omne nomen, fieri nobis multorum nominum, cum pro varietate beneficiorum varie nominatur: lumen enim dicitur, cum caliginem ignorantiæ depellit; vita, cum immortalitatem largitur; via, cum ab errore ad veritatem deducit: ſic turris fortitudinis, & civitas munita, & fons, & petra, & vitis, & medicus, & reſurrectio, & omnibus huiuſmodi nominibus appellatur. Rurſus idem: Deus quidem eſt ſecundum ſe id quod demum eſſe creditur: nominatur autem ab iis qui eum appellant, non idipſum quod eſt (non enim explicari poteſt natura eius) quin potius ex iis quæ ad vitam noſtram pertinentia operari creditur, homonymias habet, id eſt, nomina quæ æquivoca vocant. Et Baſilius magnus, Naturam, inquit, divinam quatenus eſt, nihil eorum quæ excogitantur, declarat. Ex his igitur liquet, fieri nobis Deum multorum nominum, quoniam multis beneficiis eius ad cuſtodiendam vitam indigemus, noſque ſumus qui difficultatibus circumplicamur, & in eis Deum excogitatis & adinventis nominibus imploramus. Quare hoc etiam efficitur manifeſtum, quod licet Deus ex infinitis operationibus multis nominibus afficiatur, quam tamen naturam habeat, funditus intelligentia noſtra non aſſequitur. Cum enim duplex ſit quæſtio, quod eſt Deus, & quid eſt; illud quidem, id eſt, eſſe, omnino inter omnes convenit: quid vero ſit, & qua natura, non ſolum nobis, ſed angelis etiam eſt ignotum.

F

G

CAPVT VI.

An ſint ex æternitate nomina Dei.

BAſilius in ſecundo libro contra Eunomium, Non enim, inquit, natura rerum nomina ſequitur, immo poſt res ipſas inventa ſunt nomina: etenim ſi hoc eſſet verum, non eſſe nomina rebus poſteriora, opus eſſet ut quorum ſunt eædem nominationes, una & eadam ſubſtantia eſſet: ex quo fieret, ut quia qui ſunt virtute perfecti, digni nomine Dei habentur, & dij appellantur, eſſent homines homonoij, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ qua Deus; verum ſicut dicere hoc manifeſta inſania eſt, ſic illud dicere æque dementia eſt. Immo & Gregorius Nyſſenus libro XII. diſputans contra Eunomium: Miſerator, inquit, & miſericors Dominus, patiens, & multæ miſericordiæ, quid hæc aiunt ſignificare? naturam ne, an operationem? nemo ſane aliud declarare dixerit, prætequam operationem. Quando igitur miſeratus eſt Dominus, ut ex operatione miſerationis nomen duceret? numquid ante vitam humanam? ecquis tunc miſericordia indigebat? at vero poſt peccatum prorſus miſericordia opus fuit, peccatum autem poſt hominem extitit; poſt hominem igitur actio miſerendi, & miſericordiæ nomen. Et iterum idem in ſecundo. Vt enim, inquit, non eſſet medicus niſi propter ægrotos; ſic rurſus neque miſericors: neque miſerator, nec aliis eiuſmodi nominibus appellaretur, niſi propter eum qui miſericordia & miſeratione indiget: ſic etiam nec omnipotens eſſet, niſi omnis creatura ut ab eo teneretur & cuſtodiretur, opus haberet. Et iterum in primo libro: Alia, inquit, nomina ſignificant utile ad aliquid, ut adiutor, protector, auxiliator, & cetera quæ eiuſdem ſignificationis reperiuntur: in quibus ſi eum qui auxilio indiget, tollas, vis quæ in ipſo nomine cernitur, vacua fuerit. Vnde manifeſtum efficitur,

Pſ. 144.

H

A poſteriora eſſe nomina ipſa æternitate Dei, & poſt hominem, & mentem hominis inventa eſſe: accidereque aliquando, ut ſit ipſa nominatio ſupervacua ſi forte ope indigentem tollas. Denique per omnia demonſtratum eſt, quemadmodum mens ſicut aliarum rerum nomina adinvenit, ſic etiam nomina Dei, aggreſſa, & veluti materiam nacta, illa ipſa effecta & admirabilia, quæ in univerſo contemplatur: hæc enim inſequens, & de Deo inquirens, nomina impoſuit. Declarant hoc in primis qui hæc primum invenerunt, ſive antiquiſſimum quendam Theuthin, ſive alium quempiam fuiſſe dicunt. Gentiles hactenus fuerunt, & in dogmatibus gentilium alti & educati, qui præterquam in divino & ſupra naturam myſterio noſtræ humanitatis, alia Dei nomina invenerunt, & nominarunt, ſicut nos hodie. Sed quia omne nomen, & notio propter uſum quidem à principio introducta ſunt, ad aliquid vero referuntur, unde ſumpta B ſint divina nomina, & quid ipſa per ſe ſignificent, dictum eſt; ad quid autem rei ſubiectæ referantur, & quid iſtis nominibus ſic ſignificetur, ex his quæ ſequuntur, patebit.

CAPVT VII.

Quod ſicut divina nomina ex effectis ſumpta differentiam operationum repræſentant, ſic ad Deum relata diverſas res repræſentare non poſſunt.

Baſilius magnus in epiſtola ad Euſtathium: Omnes, inquit, notiones, & nomina quæ Deum decent, æqualis inter ſe honoris ſunt, quatenus ſignificatione rei ſubiectæ nihil differunt: non enim ad aliam rem ſubiectam mentem ducit appellatio boni: & ad aliam appellatio ſapientis, & potentis, & iuſti: quin potius C quæcumque nomina dixeris, unum eſt quod ſignificatur, & ſi Deum dicas, eundem oſtendiſti, quem per reliqua nomina mente concepiſti. Ex his igitur manifeſtum fit, quòd eadem divina nomina, & eædem notiones noſtræ de Deo dicuntur, nullamque differentiam rei ſubiectæ ad Deum relata repræſentant, & quod nomina Dei triplicem habent cauſam, efficientem quidem mentem ipſam humanam: materiam, illa unde colliguntur, id eſt, effecta: finem, Deum, ad quem referuntur.

CAPVT VIII.

Si non poſſunt divina nomina diverſas res in Deo repræſentare, relinquitur ut ſolam ſubſtantiam eius declarent, non quid eſt, ſed quod eſt.

D

In epiſt. de Synodis Arimini, & Seleuciæ. Exod. 3. Gene. 1. Deut. 6.

Magnus Athanaſius docēs recte dictum eſſe à patribus Concilij Niceni vocabulum homouſij: Cum inquit, audimus: Ego ſum, qui ſum, &: In principio creavit Deus cœlum & terram, &: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus unus eſt, &: Hæc dicit Dominus omnipotens: nihil aliud quam ipſam ſimplicem & beatam, & quæ comprehendi non poteſt, ſubſtantiam eius qui eſt intelligimus. Tametſi enim quid eſt comprehendere non poſſumus, tamen cum audimus, pater, & omnipotens nihil aliud præterquam ipſam ſubſtantiam eius qui eſt, intelligimus. Et rurſus idem in Apologetico pro Synodo Nicena: Si Deus eſt, inquit, aliud ſimplex, ut quidem eſt, cum dicimus Deum, & nominamus patrem, nihil tamquam circa eum, ſed ipſam ſubſtantiam eius intelligimus. Et Gregorius Theologus: ὁ ὢν, id eſt, qui eſt, & Deus, magis quodam modo ſunt nomina ſubſtantiæ: & ex his magis ὁ ὢν. Et rurſus idem: Non ne ſpiritus,

In ſecūda oratione de Theologia.

E & ignis, ô amice, & ſapientia, & iuſtitia, & mens, & verbum, & aliæ eiuſmodi nominationes naturæ ſunt? Et iterum idem contra Evagrium: Sed nominatio, inquit, utilis eſt, quæ nos propter neceſſitatem ad notionem eorum quæ ſub intelligentiam cadunt, ducit. Quidam vero dum craſſe opinantur ſimul cum nominibus ſubſtantiam dividi, opinantur intelligentiis ſuis, quas concipiunt, quæ ſunt penitus indigna divinis. Conſentaneum vero nobis eſt, ut qui veritatis ſtudioſi ſumus, ſciamus divinam & ſimplicem Dei ſubſtantiam eſſe impartibilem, & vnius formæ. Item Gregorius Nyſſenus: Si, inquit, nomen 1 Dei, perſonam declarat, cum tres perſonas dicimus, tres Deos neceſſario dicimus: at ſi nomen Dei ſubſtantiam ſignificat, cum confitemur vnam ſubſtantiam Sanctæ Trinitatis, vnum Deum conſentanee putamus: ſiquidem nomen Dei, vnius ſubſtantiæ nomen eſt. Ac magnus etiam Baſilius: Si vero, inquit, F ſubſtantiam Dei lumen eſſe ſtatuimus aut vitam, aut bonum totum, id eſt, cum ſit vita, totum lumen eſt, & totum bonum; vita autem conſequens habet ingenitum: quomodo non eſt expers compoſitionis, qui eſt ſecundum ſubſtantiam ſimplex? Idem etiam: Nomina magni Dei, naturam indicant. Et Damaſcenus Theologus, Divinitas, inquit, naturam declarat, pater autem perſonam. Ex quibus patefit, quod cum Theologi reſpiciunt vnde nomina Dei nobis collecta ſunt, ab iis ſcilicet, quæ in vniverſo mira ſpeculamur, & ab effectis ipſis; operationem & effectionem Dei aiunt repræſentare, & non quid eſt, & ipſam ſubſtantiam; poſt hominem enim inventa ſunt nomina; immo mens humana ad vſum ſuum hæc invenit: cum autem rurſus volunt per hæc nomina efferre rem ſignificatam, & ad aliquid referimur, Deum per hæc nomina invocantes, non dividitur res ſubiecta, vt dividuntur notiones (expers enim partis, & individua eſt ſubſtantia Dei) idcirco affirmant ſe nominibus iſtis hanc ipſam ſubſtantiam Dei ſignificare, non quid eſt, G ſed quod eſt ſolum repræſentantes; ſicut in aliis nominibus evenire conſuevit. Cum enim forte quærimus, vnde nomen ἀνθρώπου derivatum ſit, & quid per ſe ſignificet, affirmamus repræſentare vim τοῦ ἄνω ἀθρεῖν, id eſt, facultatem in ſublime aſpiciendi, ſive ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπεν, id eſt, facultatem recogitandi quæ aſpexit, nomine ex quadam etymologia & actione circa rem ab humana mente excogitato. Cum autem ſic rem aliquam nominatam ſignificaverit, ad definitionem eius, & quid eſt, revertimur. Aliud igitur eſt quid hoc nomen declaret; & aliud rurſus ad quid pertineat res à nobis ſic nominata: ac nomina quidem 2 ex convento inventa ſunt affectionibus animæ ducibus; res vero foris quatenus unaquæque eſt, extiterunt. Conſentanee igitur in omni nomine quærimus, quis primus invenit, & vnde mens hominis illud accepit: & ad quam rem earum quæ extra ſunt, per nomina adducimur. H

Lib. 2. contra Eunom.

Ex S. Thoma ſcholiis.

Hæc vox, *Deus*, 1 ſicut continet perſonas, ſic etiam ſignificat & declarat perſonas, & de illis prædicatur: ſed quia non ſolum declarat perſonam, ſed etiam unam naturam communem non cogitatione ſola, ſed re, idcirco qui dicit tres perſonas, non dicit tres deos (ſicut qui dicit tres homines) ſed vnum: deitas vero etſi continet perſonas, & de illis prædicatur ſecundum rem, tamen quia ſecundum modum communem ſignificandi, naturam ſine proprietatibus hypoſtaticis ſignificat, non prædicatur proprie de perſonis: pater enim divinitate & paternitate tanquam forma & proprietate hypoſtatica pater eſt: & ſimiliter in reliquis. Hoc 2 dicit, quia nomina ex conſtituto ſignificant: & ea quæ ſunt in voce, ſigna ſunt affectionum quæ in anima ſunt.

CAPVT

A

CAPVT IX.

Quod nomina divina ad rem ipſam, Dei ſcilicet ſubſtantiam relata, proprie ipſam ſignificant, & non per abuſionem: & quod per unumquodque horum nominum Trinitatem, quæ ſupra quam ſubſtantia eſt, declaramus.

Lib.7. cap. SAnctus Cyrillus in Theſauris ait: Oportebat taceſe, & nihil ad iſtorum ita fatuam argumentationem reſpondere: & paulo poſt: Quare ſi quis hominem nominavit, quia homo non eſt hoc omnino nomen, quod hominem ſignificat, ut iſti argumentantur, intelligat igitur aliud quid, & non hoc penitus, quod B nomen ſignificat: at ſi hoc inſaniæ plenum eſt, non ſunt repudiandæ propriæ nominationes; nec aliud quid, præterquam quod per ipſa nomina ſignificatur, intelligendum eſt: ſic enim evaneſcet hæreticorum amentia. Demonſtret vero nobis qui magna argumentandi facultate præditus eſt, non eſſe verbum proprium nomen filij Dei, & contradicat ſcripturis, & beato Ioanni, qui novit appellationem maxime decentem, Ioan.1. & propriam filij Dei novit eſſe, cum vocatur verbum: In principio enim, inquit, erat verbum. Immo & Gregorius Nyſſenus: Omne, inquit, quod non proprie eſt, verbo ſolum, & per abuſionem conſuetudinis dicitur eſſe. Et rurſus idem: Quomodo, inquit, vere eſſe aliquid dicitur, quod non probatur etiam proprie eſſe? Neceſſe eſt enim in quibus non eſt certum proprium eſſe, cum nominibus oppoſitis collocari, quod enim non eſt proprium, improprium penitus eſt. Quare cum quid argumentantur non eſſe proprie, funditus per ſe non eſſe demonſtramus. Et bea- C tus Dionyſius in ſecundo cap. de divinis nominibus Et hoc igitur, inquit, in alio etiam loco à nobis expenſum, demonſtratum eſt, omnia 1. nomina divina Deum decentia non ſingulariter, ſed in tota & perfecta & integra & plena divinitate à ſanctis ſcripturis laudari, & ipſa omnia inparticipate, abſolute, ſine obſervatione ullius differentiæ, univerſe, ad omnem univerſitatem ex toto perfectæ, & totius divinitatis referri: ſiquidem, ut in divinis divinarum perſonarum informationibus meminimus, niſi quis de tota divinitate dicat dictum eſſe hoc nomen, audet ille quidem divinitatem, quæ ſupra quam una & ſimplex eſt, diſtrahere & vituperare. Ex his igitur patet; utrumque verum eſſe, operationem divina nomina proprie repræſentare, & non naturam divinam, quando materiam eorum conſideramus, & unde nobis hæc comparata & collecta ſunt: ac rurſus etiam ſubſtantiam Dei proprie ſignificare, quod eſt, non autem quid D eſt, quando ex unoquoque nomine ad ipſam rem ſubiectam deducimur; & per ea nomina Trinitatem beatam, & ſupra ſubſtantiam invocamus.

Ex Scholiis S. Maximi.

Omnia 1. nomina divina) Ex hoc etiam loco apparet, non ita eſſe, ut quidam putaverunt, divina nomina ſecundum Dionyſium ſecundum cauſam tantum de Deo dici; ut bonus, quod ſit auctor bonitatis; ſapiens, quod ſapientiæ; & ſimiliter in aliis, ſi enim ſic dicerentur de Deo, clauderent in ſuo intellectu, ut ait S. Thomas, bonitatem creaturæ; ac proinde de creatura in primis dicerentur; quaſi Deus diceretur bonus & ſapiens ad ſimilitudinem boni, cui dat bonitatem, & ſapientis, cui ſapientiam; at non ſic Dionyſius ſenſit, ut nomina divina ſecundum cauſam tantum de Deo dicerentur; ſed ſic, ut Deo primum attribuerentur, ut eum decent; id Marc.10. eſt, imparticipate, & eſſentialiter; cum enim dicit ſcriptura: Nemo Bonus, niſi ſolus Deus; perinde eſt, ut ſi E dicat, Nemo per ſe bonus; id eſt, nemo ſupra bonitatem participatam, niſi ſolus Deus; ſic enim intellexit & interpretatus eſt idem Dionyſius cap. ſecundo de divinis nominibus in principio; ut iam bonus & ſapiens dicatur Deus, quia bonitas in eo antecellat & exuperet omnem bonitatem creatam & participatam. Rurſus ait idem Dionyſius ibidem, nomina divina Deum decentia attribui divinitati trium perſonarum ἀμερῶς, hoc eſt, non participate; igitur plene, de plenitudine enim participantur, quæcumque ex Deo participantur, ac proinde abſolute, perfecte, & omnimodis, ſicut ipſa divinitas eſt in qualibet perſona ex tribus tota, perfecta, integra, & plena. Huiuſmodi divina nomina, quæ ſecundum plenitudinem, & non ſecundum participationem Deo redduntur, vocat Dioniſius θεοπρεπῆ, id eſt, nomina Deum decentia. Si igitur Secundum cauſam tantum dicantur, non erunt nomina Deum decentia, quia ſic dicta F in ſe includũt, ut dixi, ſolum participationes creatas, ut bonus bonitatem participatam, cuius auctor bonus Deus; ſapiens ſapientiam participatam, cuius auctor ſapiens Deus; & ad eundem modum alia. Quare Dionyſio contradicit & repugnat, qui dicit, nomina divina ſecundum Dionyſium ſecundum cauſam tantum dici de Deo, ſic enim dicta, non ſunt Deum decentia, ac proinde ſic accepta, non ſunt divina nomina Dionyſio autem auctore nomina divina Deum decentia abſolute, perfecte, integre & plene, id eſt, exuperanter & eminenter Deo conveniunt. Ex his igitur patet, utrumque verum eſſe, operationem divina nomina proprie repræſentare, non divinam naturam, quando materiam eorum conſideramus, & unde nobis hæc comparata & collecta ſunt; ac rurſus etiam ſubſtantiam Dei proprie ſignificare, quando ad ipſam rem ſubiectam ex ipſo nomine deducimur. Vtrumque horum in nominibus quæ de Deo dicuntur, notavit etiam S. Thomas p.1. q.13. art.6. his verbis, Dicendum eſt, quod quantum ad rem ſignificatam per nomen, per prius dicuntur de Deo, quam de creaturis; quia à Deo huiuſmodi perfectio- G nes in creaturas manant; ſed quantum ad impoſitionem nominis per prius à nobis imponuntur creaturis, quas prius cognoſcimus; unde & modum ſignificandi habent, qui competit creaturis. Quod S. Thomas dixit, Quantum ad impoſitionem nominis, per prius à nobis imponuntur creaturis, dixit hic auctor Cypariſſiotus, proprie operationem nomina divina ſignificare, quando materiam eorum conſideramus, unde collecta ſunt: materiam enim eorum unde collecta ſunt, conſideramus, quando conſideramus creaturas, quæ perfectiones Dei participatas, & à Deo effectas habent, quibus perfectionibus participatis proprie ſignificandis hæc nomina à nobis impoſita ſunt; verum tamen ſic prius, & proprie hæc nomina operationem, id eſt, perfectiones à Deo creatas ſignificare, cum ipſa creaturis imponimus, & non proprie & abſolute ſic de Deo dici, ſed ſecundum cauſam, hoc non prohibet H quin alia ratione proprie etiam & abſolute de eo dicantur, & non operationem ſive cauſam ſignificent, ſed potius ipſam ſubſtantiam Dei. Huc pertinent locus Gregorij Nyſſeni citatus, & locus Cyrilli; qui ut melius intelligatur, repetendus eſt integre ſic enim ait Cyrillus; Eſtis ne, inquiunt hæretici, ſic indocti, ut impoſita vocabula rebus non alia eſſe contendatis, quam res ipſæ ſint? Ecce cœlum opus Dei præcipuum eſt, & nomen eius longe aliud; nec enim res præcipua eſt, præterea cœlum ipſum res viſibilis eſt, vocabulum vero ſuum non viſui, ſed auditui ſubiicitur, filius ergo Dei verbum dicitur, neque tamen ita verbum eſt, ut multi intelligunt, ſed aliud quid naturaliter quam verbum. Reſpondet Cyrillus; Tacere oportebat, & nihil ad huiuſmodi rationes reſpondere, & tamen ne ſimpliciores ab iſtis ſeducantur, tacere non poſſumus. Dicimus igitur, vocabula rebus impoſita ipſas rerum eſſentias ſignificare, etiam ſi alia ſint præter ipſas: homo enim, verbi gratia (vox iſta dico)

A dico) aliud eſt quam ipſe homo , & tamen rem ipſam
ſubiectam verbo ſignificat ; nam ſi non ſignificaret
ipſum hominem , hoc nomine audito , non intellige-
retur homo , ſed aliud quidpiam ; quod ſtultiſſimum
eſt, non ergo aliud intelligere debemus,quam quod per
vocabulum ſignificatur ; & ita inſania hæreticorum
evaneſcit. Aut demonſtret nobis Eunomius non eſſe
proprium vocabulum filij Dei,verbum. Et paulo poſt.
cap.3. Ad hæc , verbum in ſcriptura filius appellatur,
& prolationem vocis acutus homo Eunomius intelli-
git , ignorans ex noſtra conſuetudine vocabulum eſſe
ſumptum ; loquitur enim pater ineffabiliter ad filium,
habet enim filius naturaliter perfectam voluntatis pa-
ternæ cognitionem , nec expectat verbum , cum ipſe
ſit verbum Dei. Quando igitur aliquid de Deo huma-
no more dicitur , qui audit , non humano more , ſed
B ſpiritaliter divina intelligat. Sed non ſufficit (inquit
Eunomius) vocabulum verbi ad ſignificandum ve-
rum filium ; non enim manifeſtari poteſt per illud,
ipſum eſſe filij; multa enim alia vocabulo verbi no-
Pſal.81. minantur , quæ non ſubſiſtunt , ut voces ſcilicet. Hac
ipſa ratione (ait Cyrillus) Dei etiam vocabulum non
ſufficiat ad ſignificandum ipſum Deum ; multi enim
alij quamvis natura dij non ſint , ſic tamen appellan-
tur, ſicut ſcriptum eſt , Ego dixi, dij eſtis. Illud etiam
poterit quiſpiam dicere , quoniam bonus , ſanctus,
ceteraque huiuſmodi de hominibus quoque per parti-
cipationem veri boni , & veri ſancti dicuntur , non
propriè de Deo iſta dici , quod ſi multa nominà Deo
& creaturis communia ſunt , & tamen de ipſo ſolo ſe-
cundum naturam dicuntur , quid prohibebit verbum
etiam proprie filium Dei appellari , & hoc vocabulo
maxime ipſum eſſe filij , prout homines percipere poſ-
ſunt, ſignificari ? quamvis multa non quoque alia ver-
ba ſint abuſive , & per imitationem veri verbi appel-
lata ; hactenus Cyrillus. Ex his ergo colligitur , cum
huiuſmodi nomina divina de creaturis quas prius co-
gnoſcimus , & prius nominamus dicuntur , habere ea
modum ſignificandi qui competit creaturis , ſicut ait
C S. Thomas , & ſecundum noſtram conſuetudinem
proprie ſignificare , ut ait hic auctor , operationem
ſive effectum participatum , ut bonus bonitatem crea-
tam , ſapientiam item creatam , & ſimiliter in reli-
quis nominibus ſignificantibus huiuſmodi perfectio-
nes participatas ; & ut ſic , non dicuntur proprie de
Deo , quia Deus eſt ſupra iſta , ſupra bonum , ſupra
ſapientem ; cum vero de Deo proprie dicuntur , eſſen-
tiam eius ſignificare , & ſecundum naturam dici , &
dicta de creaturis quoad rem ſignificatam non pro-
prie , ſed per abuſum verbi , & per imitationem & ſi-
militudinem quamdam dici ; atque ita quæ ſunt com-
munia Deo & creaturis nomina , quoad rem ſignifi-
catam vere & proprie , id eſt , eſſentialiter & per ſe,
dicuntur de Deo ; de creatura vero non vere , neque
proprie , quia non per ſe dicuntur ; quoad vero impo-
ſitionem nominum , proprie ſignificant id , ad quod
impoſita ſunt , impoſita enim ſunt prius ad ſignifi-
candas perfectiones participatas , quas à Deo in crea-
turis effectas cognoſcimus , ex quibus ad cognoſcen-
D das utcunque poſſumus perfectiones eſſentiales Dei de-
ducimur, ſicut ſcriptum eſt ; Inviſibilia Dei per ea quæ
Rom.1. facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.

CAPVT X.

*Quod idem ipſe unus Deus quatenus quid eſt ſe-
cundum naturam , nomine apud nos penitus
caret : rurſus vero multorum nominum idem
& unus efficitur , quia ſolum ex iis quæ produ-
xit , cognoſci poteſt.*

MAgnus Dionyſius c. primo de divinis nominibus
Hoc igitur cum ſcirent Theologi,Deum laudant
& tamquam nomine carentem , & ab omni nomine, E
tamquam nomine carentem , ut cum aiunt , Deum
ipſum in una ex myſticis viſionibus ſymbolicæ appari-
tionis Dei increpaſſe eum qui dixerat : Quod eſt no- Gen.35.
nomen tuum ; & tamquam ab omni divino nomine Iudic.13
abducentem dixiſſe : Quare interrogas de meo nomi- Ibid.
ne ? & hoc eſt admirabile. An non eſt hoc vere no-
men admirabile nomen dico, quod eſt ſupra omne no- Philip.2
men , quod caret nomine , quod eſt collocatum ſuper
omne nomen , quod nominatur ſive in hoc ſæculo,
ſive in futuro ? Multorum vero nominum faciunt , ut Exod.3.
cum ipſum Deum introducunt dicentem : Ego ſum
qui ſum ; 1. vita, lux , Deus , veritas ; & cum ſapien-
tes ipſum Deum omnium effectorem ab omnibus effe-
ctis laudant ; ut bonum , ut pulchrum , ut ſapientem,
ut dilectum , ut Deum Deorum , ut Dominum Domi-
norum , ut ſanctum ſanctorum , ut æternum , ut eum
qui eſt, & ut auctorem ſæculorum, ut largitorem vitæ,
ut ſapientiam , ut mentem , ut verbum , ut cognito- F
rem , ut ſuperlate habentem omnes theſauros omnis
ſcientiæ . ut potentiam, ut potentem : ut regem regum,
ut antiquum dierum , ut non ſeneſcentem , & immu-
tabilem , ut ſalutem, ut iuſtitiam , ut ſanctificationem,
ut redemptionem , ut magnitudine omnia ſuperantem;
& ut in aura tenui. Atqui & in mentibus eum eſſe di-
cunt , & in animis ; & corporibus , & in cœlo , & in
terra , & ſimul in eodem eundem , in mundo , circa
mundum , ſupra mundum , ſupra cœlum , ſupra ſub-
ſtantiam , ſolem , ſtellam , ignem , aquam , ſpiritum,
rorem , nubem , per ſe lapidem , petram , omnia quæ
ſunt , & nihil eorum quæ ſunt. Sic igitur ei qui om-
nium rerum cauſa eſt , & ſupra omnia , congruit ca-
rere nomine ; & congruunt rurſus omnia rerum om-
nium nomina , ut ſit perfecte regnum univerſitatis re-
rum , & circa ipſum ſint omnia , ex ipſo tamquam ex
cauſa , principio , & fine cuncta pendeant , & ipſe ſit,
ut ait ſcriptura , omnia in omnibus. Ex his igitur ma- 1.Cor.15
nifeſtum fit , eſſe ipſum unum Deum tum nullius no-
minis, tum multorum ; nullius quidem,quoad quid eſt,
multorum vero , quatenus ex iis quæ fecit , probatur
eſſe : non diſcrepat quod ex demonſtratis ſequitur : ve- G
rum enim eſt , quod humana mens nomina Dei adin-
venit, utens vice materiæ rebus miris,quas in univerſo
ſpeculatur & contemplatur ; & idcirco ad unam rem
ſubiectam , ad ipſum ſcilicet Deum ſe ipſa deducens,
ad informationem eius rei quam quærit, revocatur. Vt
igitur hæc ſummatim repetamus , & ſecundum expoſi 1
tionem materiarum retractemus , primum demonſtra-
tum eſt , quemadmodum mens hominis nomina Dei
excogitavit : & ob hanc cauſam hæc de nominibus
Dei tractatio νοητὴ vocatur , id eſt , ad intelligentiam
pertinens : ſecundo,demonſtratum eſt Deum ab effectis 2
laudari : tertio , quæ ſunt effecta , & quæ eorum ma- 3
teria ; poſtea quærebatur , quomodo Deus ab effe- 4
ctis nominatur , & non ab iis quæ ſunt naturæ eius:
hac autem dubitatione ſoluta , quinto capite quæſtio 5
ac dubitatio erat , quare Deus multorum nominum ef-
ficitur nobis , & cum non paucis nominibus invoca-
mus : deinde cognito rurſus noſtro uſu multiplici &
vario nominandi Deum , & conceſſa multitudine no- H
minum , ad ſextum caput deducimur , rurſus dubitan-
tes , an ex æternitate nomina Deo tribuantur , poſt- 6
quam vero audivimus poſt res ipſas inventa eſſe no-
mina , & poſt hominem impoſita fuiſſe , ad contem-
plandum quæ ſunt ſeptimi capitis , occurrimus : quod 7
ſcilicet ſicut varietate nominum varietatem opera-
tionum repræſentamus , ſic nominibus variis ad Deum
relatis non poſſumus varietatem rerum ſubiecta-
rum intelligere , oſtendo autem multa dici de uno
ſubiecto , neceſſario ſequebatur octavum caput , 8
non eſſe ſcilicet aliud ſubiectum in Deo , niſi di-
vinam & beatam ſubſtantiam eius : quam nono lo- 9
co proprie nominari didicimus : non quid eſt , cu-
rioſe inquirentes , ſed quod eſt tantum : ad imponen-
dum finem decadi ſequebatur decimum caput , in 10

quo

A quo concluſum eſt ex demonſtratis, eundem & unum Deum carere nobis nomine, & eſſe nobis multorum nominum: illud quidem, id eſt, carere prorſus nomine, quatenus quid eſt: hoc vero, quatenus ſolum eſt; ſic enim infinitis nominibus ex iis quæ produxit, appellatur. Nihil itaque eorum quæ ſcire hic opus erat, Theologi reliquerunt: rectéque inſcripta eſt decas, De informatione divini nominis, non enim proprietates divinorum nominum enumerantes, materiariam expoſitionem earum à Theologis traditam ordinabamus; dicemus enim deinceps de eis breviter & contractè quoad fieri poterit. Quot autem modis divinum nomen tractatur, ſuperius oſtendimus, tripliciter eos partiti, informationem nominum, & unde ſumpta ſunt, & ad quid iſta nomina nos adducant & perficiant: cætera alia accommodate ad iſta quæ quærebamus, inciderunt.

Ex S. Thomæ ſcholiis.

B *Vita 1. & veritas*) Ioan. 14. lux) Ioan. 8. Deus) Exod. 3. ut bonum) Luc. 18. ut pulchrum) Cant. 1. ut ſapientem) Iob. 9 ut dilectum) Cant. 5. ut Deum deorum) Pſal. 49. vt Dominum dominorum) Apoc. 17. vt ſanctum ſanctorum) Dan. 9. vt æternum) Baruch. 4. ut eum qui eſt) Exod. 3. & Iob. 14. ut auctorem ſæculorum) Eccl. 24. ut vitæ largitorem) Act. 17. ut ſapientiam) 1. Cor. 1. ut mentem) Eſa. 14. & Rom. 11. Quis cognovit ſenſum Domini? Græce eſt, νοῦν, id eſt, mentem, ut verbum) Oſee. 1. Verbum Domini quod factum eſt ad Oſee, & Ioël. 1. Verbum Domini quod factum eſt ad Ioel & ſimiliter in aliis prophetis, quod ut Cyrillus in commentariis in Oſee cap. 1. ait, nihil aliud ſignificat, quam cognitionem futurorum inſtar luminis illuſtraſſe mentem eius prophetæ, ad quem

C factum eſt verbum Domini, id eſt, ſanctæ Trinitatis, quod autem eiuſmodi revelatio non lingua ac verbis more noſtro fieret in prophetis, docet (inquit idem

2. Cor. 13 Cyrillus ibidem) Paulus cum ait: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? vt cognitorem) 2. Tim. 2. & Dan. 13. vt ſuperlate, ſive exuperanter habentem omnes theſauros omnis ſcientiæ) Coloſ. 2. vt potentiam) 1. Cor. 1. vbi interpres virtutem vocat, vt potentem) Pſal. 23. vt regem regum) Apoc. 19. vt antiquum dierum) Dan. 7. vt non ſeneſcentem) Pſ. 101. vt immutabilem) Iacob. 1. vt ſalutem) Matth. 1. Ipſe enim, inquit, ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum, à ſalute enim dicitur Deus ſalvator, vt iuſtitiam, vt ſanctificationem, vt redemptionem) 1. Cor. 1. vt magnitudine omnia ſuperantem) Pſal. 94. & vt in aura tenui) 3. Reg. 19. Atqui & in mentibus eum eſſe dicunt) Epheſ. 3. mentes enim vocat ibi Paulus

D corda, & in animis) Sap. 7. Et in animas, inquit, ſanctas ſe transfert, & in corporibus) 1. Cor. 6. & 1. Theſſal. 5. Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela ſervetur, hoc autem fit habitante Deo in mente, & in anima, & corpore, mentem vocavit hic Paulus ſpiritum, & 2. Cor. 6. Et inhabitabo in illis, ſcilicet in mentibus, & animis, & corporibus, & in cœlo, & in terra) Hier. 23. & ſimul in eodem eundem) hoc exponit idem Dionyſius cap. 9. de magno, & parvo, & eodem, &c. in mundo) Ioan. 1. circa mundum) Eccl. 43. ſuper mundum) Eſa. 66. ſupra cœlum & ſupra ſubſtantiam) Pſ. 112. Super cœlos gloria eius: ſolem) Malach. 4 ſtellam) Apoc. ultimo ignem) Deut. 4. aquam) Ioan. 7. ſpiritum) Ioan. 4. rorem) Oſee. 14. nubem) Oſee 6. per ſe lapidem) αὐτόλιθον, Pſ. 80. eſſe enim fundamentum propriæ virtutis, & per ſe, Chriſto convenit propter divinitatem, quæ vna & eadem eſt

Epheſ. 2. in tribus perſonis, quæ fecit in ipſo Chriſto, ſummo lapide angulari vtraque vnum. cui convenit eſſe αὐτόπετρον. petram) 1. Cor. 10. Eſt igitur B. Petrus (vt vbi-

Matt. 16 que hæreticis noſtri temporis occurramus) petra Eccleſiæ, vt Evangelium teſtatur; non tamen eſt αὐτόλιθος, nec αὐτόπετρα, id eſt, per ſe lapis, vel per ſe petra; neque ſic unquam in ſcriptura vocatur, vt Chriſtus Deus noſter, qui ſic eſt αὐτοθεμέλιος, id eſt, per ſe fundamentum, præter quod per ſe fundamentum aliud nemo poteſt ponere, ſicut Apoſtolus ait, de hoc enim per ſe fundamentum loquitur. E 1. Cor.

QVINTA DECAS,

De Proprietatibus Divinorum Nominum.

CAPVT I.

Quæ ſint in ſingulis proprietatibus divinorum nominum obſervanda.

F MAGNVS Dionyſius capit. quinto de divinis nominibus: Tantum, inquit, commentabimur, quantum propoſiti ratio poſtulat, non enim propoſitum eſt ſubſtantiam, quæ eſt ſupraquam ſubſtantia, eatenus aperire & declarare, quatenus eſt ſupraquam ſubſtantiam (hoc enim dici non poteſt, & ignotum eſt, & penitus expromi non poteſt, & ipſam 1 copulationem mentis ſuperat) ſed potius propoſitum eſt laudare ſubſtantiæ deificæ, & quæ omnis ſubſtantiæ principium eſt, in vniverſa quæ ſunt emanationem ſubſtantiarum effectricem: ſiquidem nomen boni de Deo declarat omnes emanationes auctoris omnium; & 2 porrigitur hæc nominatio Dei à bono tum ad ea quæ ſunt, tum ad ea quæ non ſunt; eſtque ſupra ea quæ ſunt, & ſupra ea quæ non ſunt, nomen vero vitæ de Deo ad omnia viventia tenditur, & ſupra viventia eſt, nominatio Dei à ſapientia porrigitur ad omnia quæ 3 intelligunt, quæ 4 ratiocinantur, quæ 5 ſentiunt; & ſupra omnia iſta eſt. Has igitur Dei nominationes, quæ providentias Dei aperiunt, propoſitum eſt celebrare, non enim tractatio noſtra promittit enodare & aperire bonitatem Dei, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, neque ſubſtantiam & ſapientiam divinitatis, quæ eſt ſupraquam ſubſtantiam, & quæ eſt ſupraquam locata ſupra omnem bonitatem & divinitatem & ſubſtantiam & vitam & ſapientiam, quæ eſt, ſicut ait ſcriptura, in abſcondito: quin potius providentiam patefactam, bonorum effectricem, bonitatem excellentiſſimam, Iob. 28.
& bonorum omnium cauſam laudibus celebrat; & exiſtentem & vitam & ſapientiam ſubſtantiæ & vitæ effectricem, & cauſam quæ ſapientiam tribuit iis quæ ſubſtantiam & vitam & mentem & rationem & ſenſus participant, non dicit hæc noſtra tractatio

H aliud 6 eſſe bonum, & aliud exiſtens; aliúdque vitam, vel ſapientiam; neque multas cauſas, & alias aliorum effectrices divinitates, ſuperiores & inferiores; ſed vnius Dei vniverſas bonas emanationes, & nominationes Dei à nobis laudatas; atque unam quidem eſſe quæ totam providentiam unius Dei declarat; alias vero quæ magis & minus generales providentias patefaciunt. Ex quibus fit manifeſtum, efferre, id eſt, expromere, & ſubtiliter enarrare, quatenus naturam & ſedem ac fundamentum habet ſubſtantia, quæ eſt ſupraquam ſubſtantia, omnino dici non poteſt, nec intelligi, ſuperátque ſilentium illud, quod nobis per plenam ex omni parte ignorantiam & reticentiam advenit. Non eſt igitur nunc nobis ſermo de ea, nec propoſitum eſt nobis explicare, bonitas ſupra ſubſtantiam, quomodo ſecundum ſe ſit ſubſtantia, vel vita, vel ſapientia, & alia omnia, quæ Deus noſter ſecundum ſe eſſe creditur, quin potius nominationem Dei, quæ illa quæ ſunt circa ipſum, declarat, dico eſſe ordinem rerum, & providentiam, & aptam vniverſi diſpoſitionem. Hoc igitur eſt Secun. ſuid e ſecund. naturam ſuam.

A nobis in hac tractatione propoſitum, laudare Deum ab emanatione eius ad omnia omnium rerum effectrice & deifica: externæ enim providentiæ Dei erga nos, & emanationes in iis quæ produxit, efficiuntur, & emanatio, ſive providentia effectrix ſubſtantiæ, dicitur ipſa effectio ſubſtantiæ; effectrix bonitatis, ipſa bonorum effectio. θεαρχίαν καὶ θεαρχία principium deificationis, ſicut mors θεαρχικὴ laudatur, id eſt, quæ facta eſt principium deificationi: & corpus ζωαρχικὸν & θεοδόχον, id eſt, quod dedit principium vitæ, & Deum recepit. A providentia igitur bonorum effectrice in creaturis oſtenſa oportet laudare bonitatem ſuperlatam, & omnium bonorum cauſam, ipſum inquam Deum, demonſtratum enim eſt, quam naturam habeat Deus, non ſolum nos, ſed nec angelos poſſe attingere: quatenus vero omnia ex nihilo fecit, à nobis laudandus eſt. Quare in ſingulis divinorum nominum proprietatibus oportet attendere ortus tum univerſi, & emanationes circa eas, & inde Dei laudes ducere & celebrare, & exquirere quam proprietatem unaquæque nominatio Dei ſortita ſit, quæ autem ſit

B bonitas Dei, aut ſubſtantia, aut vita, vel ſapientia, vel alia ſecundum naturam eius, funditus cavendum eſt vt inquiramus: quærere enim ut exprimamus ſubſtantiam Dei, perinde eſt vt ſi velimus exprimere eius vitam, vel ſapientiam, vel potentiam, vel bonitatem. Reſtat igitur, vt laudetur Deus a vita, quam produxit, & à ſapientia ſimiliter, non autem a vita, aut a ſapientia, quæ eſt ipſe Deus. Adhuc ex his liquet, quid ſit quidem poſtea an ſint ſumus principia, & participationes, & per ſe participationes, & ſigillatim, per ſe vitam, per ſe ſapientiam, per ſe eſſentiam, quemadmodum Dionyſius admonens & præmuniens, Oportet, inquit, obſervare in huiuſmodi nominationibus non eſſe exiſtimandum aliud eſſe bonum, & aliud exiſtens, & aliud vitam, vel ſapientiam, neque multas eſſe cauſas, neque alias divinitates alia producentes, ſuperiores, & inferiores, ſed vnius Dei totas emanationes bonas ſecundum nomina Dei a nobis laudata; atque unum quidem, quod vniverſam

C providentiam vnius Dei declarat, nempe nomen boni; alia autem nomina emanationes magis aut minus generales, ſicut ipſa progreſſio tractandi declarabit. Hoc præterea obſervandum eſt, cum audiemus bonitatem ſupra omnem bonitatem, & divinitatem ſupra divinitatem, ne exiſtimemus fieri ſuperlationem in ſui ipſius bonitatem & divinitatem, alieniſſimum enim à ratione eſt, arbitrari eſſe Deum ſe ipſo ſuperiorem, quin potius, vt ſanctus Maximus Dionyſij verba expoſuit, Nota, inquiens, recte hic dici bonitatem ſupra omnem bonitatem & divinitatem: inferiores igitur divinitates intellige angelorum, & hominum iuſtorum, & in vniverſum obſervare debemus, ut rurſus Dionyſius dixit, alienum à ratione & abſurdum ſe exiſtimare non attendere vim propoſiti, ſed voces tantum, hoc enim non eſſe proprium eo-

D rum qui divina volunt intelligere, ſed qui ſolos ſonitus percipiunt, & hos quidem extra aures continent, nec in eas penetrare ſinunt.

Ex ſcholiis S. Maximi.

Et ipſam 1 copulationem) id eſt, excedit ipſam copulationem intellectus beatorum, qui eſſentiam Dei vident per copulationem ſui intellectus cum ipſa Dei eſſentia, quamvis enim videant ipſum Deum, non tamen eſt tanta perfectio viſionis, quanta eſt perfectio ipſius eſſe divini, & quanta eſt perfectio viſionis, qua Deus ſe videt, ex S. Thoma. *Porrigitur 2 hoc nomen Dei a bono, tum ad ea quæ ſunt, tum ad ea quæ non ſunt, & eſt ſupra ea*) Vocare ſolet Dionyſius, vt Sanctus Maximus notavit, ea quæ ſunt expertia materiæ; quæ vero materiam habent, vocat quæ non ſunt, propter incertum. Porrigitur etiam nomen boni ad ea quæ non ſunt, quia Deus vocat ea quæ non ſunt

E tanquam ea quæ ſunt: participatio enim boni eſt poſſe eſſe, vt ait S. Thomas: aut porrigitur ad ea quæ non ſunt, quia non eſſe bonum eſt, cum contemplamur illud in Deo, qui eſt ſupra omne quod eſt, vt bonum eſt non eſſe ſapientem, ſanctum, & alia huiuſmodi, qualia in creaturis cognoſcimus, quod Deo convenit, à quo hæc removentur, vt ait S. Th. non propter defectum, ſed propter exceſſum, aut eſſe ſupra ea quæ ſunt, & quæ non ſunt, ſignificat eſſe loco incircumſcriptum, id eſt, eſſe ubique, ex S. Maximo, *quæ 3 intelligant*) Nomine intelligentium comprehendit angelos & animas, & licet animas ſolet Dionyſius vocare νοερὰς, id eſt, intelligentes, cum eas diſtinguit ab angelis, quos vocare ſolet νοητὰ, id eſt, intellectilia, quia habent angeli infra ſe à quibus intelligantur, nempe animas; animæ vero non habent: nunc tamen, ut dixi, communi nomine intelligentes vocat tum angelos tum animas, quia tum angeli tum animæ intelligunt Deum, & intelligendo Deum ad eum ſe convertunt,

F *quæ 4 ratiocinantur*) Homines intelligit, anima enim dum in corpore eſt, ratiocinari poteſt per converſionem ad phantaſmata, non autem ſeparata, *quæ 5 ſentiunt*) animalia, quæ non participant rationem, quæ ſapientiam Dei in ſuis à natura inſitis conatibus participant, ut beatus Baſilius in Hexaemero docet, non dicit aliud *6 eſſe bonum*) Hoc dicit non otioſe, ſed ut reprehendat eos philoſophos, & Simonem Magum, qui ponebant deos, κοσμοποιοὺς. id eſt, opifices partium mundi, maiores & valentiores maiorum creaturarum; & infirmiores infirmiorum, ſecundum gradus ſuos deſcendentes in opificio ſuo uſque ad materiam, ex S. Maximo.

CAPVT II.

De bonitate, & pulchro: & ubi copulantur, & in quibus diſcernuntur, & quæ eorum proprietas.

G Dionyſius capite quarto de divinis nominibus. Age, inquit, ad ipſum nomen boni progrediamur, quod exempte ab omnibus, divinitati ſupra divinitatem attribuunt Theologi, vocantes, ut arbitror, bonitatem ipſam eſſentiam 1 divinam, divinitatis ſcilicet creatæ originem: & quia ſic eſſentia ſua bonus eſt Deus, ut tamquam ſubſtantiale bonum bonitatem in omnia porrigat. Quem locum adnotans Maximus, Subſtantiale, inquit, bonum vocat ipſum Deum, & paulo poſt: Deus, inquit, bonum habet non ex accidenti tamquam qualitatem quandam, ſicut nos habemus virtutes, quinimmo ſubſtantia boni ipſe Deus eſt, ſicut lumen eſt ſubſtantia 2 ſolis. Idem Dionyſ. quarto cap. de divinis nominibus. Hoc, inquit, bonum laudatur à ſacris Theologis ut pulchrum, & ut pulchritudo; & ut dilectio, & ut dilectum, & quæcumque alia ſunt

H divina nomina, quibus ipſe ſpecioſus decor, & effector pulchritudinis decenter nominatur. Pulchrum autem, & pulchritudo non ſunt diſtinguenda in cauſa quæ vniverſa in vno complexa eſt, hæc enim in omnibus rebus in participationes & in participantia dividentes, pulchrum quidem dicimus, quod pulchritudinis particeps eſt; pulchritudinem vero participationem cauſæ omnia pulchra efficientis. Quo in loco ait S. Maximus: Pulcher dicitur Deus in Cantico canticorum: & David, Specioſus forma præ filiis hominum. Dicitur autem pulchrum & pulchritudo, quia diſtinguitur in rebus in participantia & participata, in Deo autem non ſic: καλὸς namque id eſt, pulcher dicitur, & quia tribuit omnibus pulchritudinem, & quia omnia ad ſe καλεῖ, id eſt, vocat: rurſus καλὸν ὡς ἀεὶ ὄν, id eſt, pulchrum tamquam ſemper exiſtens, ſecundum Græci nominis etymologiam, vtpote numquam decreſcens, nec augeſcens. Ibidem etiam Dionyſius: Quamobrem idem eſt pulchrum atque bonum, quoniam omnia ſecundum om-

Margin notes: Rom. 4. — Cant. 1. Pſal. 44. — [illegible]

Digitized by Google

nem 3 cauſam pulchrum & bonum appetunt : & nihil eſt in rerum natura, quin pulchrum & bonum participet : audebo etiam hoc dicere ; quod non eſt, pulchrum & bonum participare, tunc enim eſt ipſum, pulchrum & bonum, quando in Deo laudatur ſupra ſubſtantiam auferendo 4 omnia. Quod autem idem eſt pulchrum atque bonum in Deo, qui eſt ſupra ſubſtantiam ; & quod hæc quæ ſubſtantiam Dei, quæ eſt origo deificationis, declarant, ad ipſum per divina nomina pulchri & boni pertinent : & quod ad ea quæ in Deo ſunt, non diſtinguntur in participationes & participata, liquet ex conſenſu Theologorum. In quibus autem diſtinguitur bonitas, & per ipſam pulchrum, & quod in creatura diſtinguntur, & quæ ipſorum nominum proprietas, ex his manifeſtum fit. Synodus contra Manichæos ab Epiſcopo Caron habita, quæ in Panariis fertur, ait : Bonum in Deo ſubſtantia eſt, in creaturis autem accidens. Et idem ibidem : Bonitas enim, quæ in vniverſo cernitur, intenſionem & remiſſionem ut accidens recipit. Et Dionyſius capite decimotertio de divinis nominibus. Nec ipſum, inquit, nomen bonitatis divinitati tamquam aptum accommodamus : ſed deſiderio aliquid intelligendi & dicendi de natura illa arcana & ineffabili, quod eſt omnium nominum maxime venerabile, ipſi primum conſecramus. Vbi Sanctus Maximus. Ob hanc cauſam, inquit, nomen boni aut pulchri non proprie accommodatur Deo, quia hæc in rebus reperiuntur : ſic etiam ſuperius dictum reperies, quia hæc paſſiones & accidentia in rebus cenſentur, quod in Deo non ita eſt, qui omnia antecellit. Rurſus idem, Deſiderio intelligendi & dicendi aliquid de Deo nomen boni Theologi Deo attribuerunt, proprie enim Deus eſt ſupraquam bonus, & ſupraquam ſubſtantia : bonitas autem nomen eſt venerationis. Item idem incumbens in ea quæ ſunt in quarto capite de eiſdem divinis nominibus. Bonum, inquit, & pulchrum, quod in omnibus ineſt, non eſt illud primum pulchrum & bonum omnium, cuius participatione omnia ſunt pulchra & bona, quod enim eſt in rebus pulchrum & bonum, non eſt ſubſtantia, neque genus ſubſtantiæ, ſed accidens, quod habet ſimilitudinem aliquantulum coniunctam. Ex quibus patefit, quemadmodum bonitas & ipſum pulchrum in Deo copulantur; & idem eſt bonum atque pulchrum, extra Deum vero, & in creaturis eius diſcreta ſunt, paſſionéſque, & accidentia numerantur. Etiam proprietatem horum intelligemus, ſi quæ dicit ſummus Theologus Dionyſius advertimus : Boni enim, inquit, nomen, quod vniverſas emanationes auctoris omnium declarat, in ea quæ ſunt, & quæ non ſunt, tenditur & porrigitur, & ſupra omnia quæ ſunt, & quæ non ſunt, eſt : ſi autem bonum idipſum cum pulchro eſt, communem omnino cum eo proprietatem habebit; eritque proprietas pulchri tendi in ea quæ ſunt, & quæ non ſunt, propter pulchrum enim & bonum cuncta producta ſunt, immo propter hæc ipſa, pulchrum dico & bonum, item ea quæ non ſunt, non ſunt producta, quoniam vnus ſol propter bonum & pulchrum factus eſt, & alter ſol qui non eſt, propter bonum item & pulchrum non eſt factus : itaque duo non ſunt facti propter eandem bonitatem & pulchritudinem. Si enim unum ſolem in ardore ferre non poſſumus, ſi duo eſſent, quis non combuſtus remaneret ? Propter bonitatem igitur & pulchritudinem etiam quod non eſt, non eſt factum. Simul demonſtratum eſt, omnia nomina in Deo non dividi in participationes & participata : extra Deum autem, cum agitur de emanationibus, tunc & participationes, & paſſiones, & accidentia reputantur : ſicut motus in mobilibus, & operationes in effectis ; nec quæ talia ſunt, ſubſtantiæ dicuntur, quia ut antea demonſtratum eſt, tunc ſunt, cum fiunt.

Ex ſcholiis S. Maximi.

Eſſentiam 1 divinam divinitatis originem dicit, in creaturis ſcilicet, quia Deus eſt auctor divinitatis in cunctis hominibus & angelis, qui Deum imitantur, & ei ſimiles fiunt, de quibus ſcriptum eſt : Ego dixi, vos dij eſtis, unde divinitatem deificam, & Deum deificum frequenter vertimus, quod Dionyſius *θεαρχίαν & ὕπαρξιν θεαρχικὴν* dicit, *ſicut lumen ſubſtantia 2 ſolis*) Non ſignificat lumen eſſe formam ſubſtantialem ſolis (non enim ſubſtantia, ſed qualitas eſt lumen) ſed quia natura ſolis, qui eſt corpus luminoſum, non conſiſtit ſine lumine, dicit ſubſtantiam eius eſſe, id eſt, conſequi naturaliter formam ſubſtantialem ſolis, ſicut calor eſt ſubſtantialis igni, id eſt, naturaliter conſequens formam ſubſtantialem ignis. Hunc igitur locum interpretans S. Maximus. Nemo, inquit, ſuſpicetur, iudicare Dionyſium de Deo omnino ad exemplum ſolis ; quin potius ſic intelligendum eſt, ſicut ſol, cum non ſit aliud præterquam lumen, non habet lumen adventitium & coniunctum; quod vocatur accidens, neque tamquam ſit animal, velut præditus anima, voluntate benefaciendi intus lumen accipit, & in omnia diſpertit potius enim contra, neque animatus eſt, neque voluntatem benefaciendi habet ; caret enim ratione, nec aliunde lumen accipit ; eſt enim hoc ipſum lumen, & illuminat) ſic in Deo intelligere oportet, quod Deus ſcilicet non habet bonum coniunctum tamquam qualitatem quandam, ſicut nos habemus virtutes, quin potius ſubſtantia ipſius boni ipſe Deus eſt, ſicut lumen ſubſtantia ſolis ; & tamquam qui eſt idipſum bonum, fulgorem bonitatis in omnia porrigit, hactenus S. Maximus, qui cum ait lumen, quod alioqui qualitas eſt, ſubſtantiam ſolis eſſe, more philoſophorum loquitur, qui proprietatem naturæ alicuius ad eam categoriam referunt, ad quam natura illa pertinet : vt idem S. Maximus in divinis nominibus notavit, *omnia ſecundum 3 omnem cauſam pulchrum & bonum appetunt* quia Deus eſt cauſa omnium efficetrix, qui cum omnibus bonitatem & pulchritudinem ſuam communicat ; & quia finis omnium, omnia enim ſacta ſunt, ut divinam bonitatem & pulchritudinem, vt quidque poteſt, imitentur. Eſt præterea cauſa exemplaris Deus, quia omnia priuſquam fierent, & inter ſe diſtinguerentur, in ipſo erant, & ſecundum rationes & exemplaria omnium quæ in ſe habebat, omnia facta & diſcreta ſunt, *quando in Deo laudatur ſupra ſubſtantiam auferendo 4 omnia*) Exponit quando quod non eſt, participat pulchrum & bonum, quando ſcilicet aliquis dicit. Hoc non eſt Deus, nec illud, ſed eſt ſupra hæc, hoc igitur non eſſe, ablatio inquam omnium, ſive negatio participat pulchrum & bonum, quatenus Deus dicitur non eſſe. Poteſt etiam dici hic non eſſe materia, vt dici ſolet à Dionyſio, quatenus expers eſt pulchræ formæ, poteſt item dici non eſſe malum, ut etiam alias dicitur, & hoc etiam participat bonum, quia fit propter aliquid, quod pulchrum & bonum videtur. Ex S. Maximo, & ex Pachimero.

CAPVT III.

De amore, & dilectione, & quæ eorum proprietas.

MAgnus Dionyſius capite quarto de divinis nominibus. Audiant, inquit, illa, qui nomen amoris criminantur : Ama illam, & cuſtodiet te : ſcepi illam, & extollet te : honora eam, vt complectatur te, & quæcumque alia in amatoriis de [illegible] eo ſermonibus celebrantur. Atqui viſum eſt quibuſdam noſtris ſacrarum ſcripturarum tractatoribus, nomen amoris divinius eſſe quaſi nomen dilectionis. Scribit

A enim divinus Ignatius. Meus amor crucifixus eſt.
Et in iis quæ aditum 1 ad ſcripturas præparant, in-
Cap. 8. venies quendam de divina ſapientia aientem: Amator
pulchritudinis eius factus ſum. Quare ne propter
hoc nomen amoris metuamus: nec vllus de hoc no-
mine ſermo nos moveat, aut terreat, mihi enim vi-
dentur Theologi exiſtimaſſe quidem commune no-
men eſſe amoris & dilectionis, ſed attribuiſſe divinis
ſcripturis verum amorem propter huiuſmodi homi-
num turpem mentis anticipationem. Cum enim ve-
rus amor non a nobis ſolum, ſed ab ipſis ſanctis ſcri-
ptoris, vt Deum decet, laudetur, vulgus hominum,
cum non percepiſſet illud unum, quod divinum no-
men amoris ſignificat, convenienter ſibi ad amorem
partibilem & corporeum atque diſtractum delapſum
eſt, qui non eſt verus amor, ſed imago, vel potius
lapſus a vero amore: multitudo enim non poteſt co-
gitatione capere illud ſingulare divini & unius amo-
ris: quamobrem tanquam nomen, quod vulgo vi-
B detur durius, ponitur in divina ſapientia, vt vulgus
ad cognitionem veri amoris elevetur & erigatur: &
in nobis rurſus, vbi ſæpenumero aliquid abſurdum
homines terræ affixi cogitare poſſent, ponitur no-
men quod honeſtius videtur: Cecidit, ait quidam,
Reg. dilectio tua in me, ſicut 2 dilectio mulierum, quo-
niam facit Theologi nomen dilectionis & amoris ad-
hibuit ſecundum divinas elocutiones, vt eandem
vim habeant apud eos qui divina recte audiunt. Eſt
præterea divinus amor eſtaticus, qui non ſinit eſſe
ſuos eos qui ſunt amatores, ſed eorum quos amant.
Vnde divinus Paulus divino iſto amore captus, & vis
Galat. eſtaticæ particeps factus, divino ore ait: Vivo ego,
non iam ego, ſed vivit in me Chriſtus: tamquam ve-
rus amator, & qui exceſſit 3 e ſe Deo, & non iam
vitam ſuam, ſed amati tamquam vehementer caram
vivens. Quid vero denique ſignificare volunt Theo-
logi, qui nunc quidem amorem & 4 dilectionem ip-
ſum vocant, nunc vero amabilem & dilectum? illius
quidem, id eſt, amoris ac dilectionis auctor, & tan-
C quam productor & generator eſt; hoc autem, id eſt,
amabilis & dilectus ipſe eſt, illo quidem, id eſt, amo-
re & dilectione movetur; hoc autem, id eſt, ut ama-
bilis & dilectus, movet, quia ſe ipſe adducit, & ſibi
adducit & movet, hac autem ratione dilectum &
amabilem eum vocant, tanquam pulchrum & bonum:
amorem vero rurſus & dilectionem tanquam 5 mo-
ventem, eum ſcilicet ad creaturas, & ad ſe creaturas
adducentem, qui ſolus eſt ipſum propter ſe pulchrum
& bonum, & tanquam indicem ſui ipſius per ſe ip-
ſum; & vt bonum progreſſum ſuperlatæ vnionis, &
amatoriam 6 motionem, ſimplicem, per ſe mobilem,
per ſe operantem, prius exiſtentem in bono, & ex bo-
no in ea quæ ſunt redundantem, ac rurſus ad bonum
revertentem; in quo perpetuitatem ſuam, & carere
ſe origine divinus amor excellenter demonſtrat, ſicut
quidam æternus circulus, propter bonum converſio-
D ne inerrante circumambulans, & in eodem ſecundum
idem & progrediens, & manens, & revertens. Quæ-
dam ex his adnotans S. Maximus, Dilectionis, inquit,
& amoris ipſum ſcilicet Deum vocat emiſſorem, &
parentem: ipſe enim hæc, quæ in ipſo erant, produ-
xit in ea quæ foris ſunt, id eſt, circa creaturas. Item
Idem ibidem: Amatorius motus prius exiſtens in bo-
no, ſimplex, per ſe mobilis, per ſe operans, poſtea
providentiis externis in creaturas progrediens rurſus
eodem redit, ſine & principio carens: quod quidem
deſiderium noſtrum in Deum declarat. Adverte au-
tem, quemadmodum circulum dicit in bono, pro-
grediente illo quidem in ea quæ ſub intelligentiam
& ſub ſenſum cadunt, & rurſus ad ſeipſum illa con-
vertente, & neque ceſſante, neque finiente. Ac
rurſus idem Dionyſius in eodem capite. Et hoc, in-
quit, verum audemus dicere, quod ipſe qui eſt omnium
cauſa, propter excellentiam bonitatis omnia amat,
omnia perficit, omnia continet, omnia convertit ad
ſe, & eſt divinus amor bonus boni propter bonum;
ipſe enim amor divinus, qui bonitatem in iis quæ
ſunt, operatur, quia prius extitit in bono ſuperlate,
non ſivit ipſum in ſe ſine fœtu manere, ſed potius
movit eum ad operandum ſecundum excellentiam
virtutis ſuæ omnium rerum effectricis. Quo in loco
Sanctus Maximus mirifice dicit, quod bonus amor,
qui ante omnia in bono extitit, non remanſit ſine
fœtu, ſed potius bonum amorem nobis peperit, per
quem pulchrum & bonum experimus. Obſerva hinc
divinum motum, amor enim bonorum effector mo-
vit Deum ad providendum nobis, & vt nos conſti-
tueret; vt cum moveretur, produceret, & non re-
maneret expers fœtus. Hinc evadit manifeſtum,
quod nomen amoris divinum & venerabile à princi-
pio Theologi celebrarunt; & quod idem eſt, eandem-
que vim habet nomen amoris & dilectionis, & quod
eſt etiam eſtaticus amor divinus, qui non ſinit aman-
tes eſſe ſuos, ſed eorum quos amant; & quod provi-
dentiæ rerum extra Deum ſunt, & ſecundum eas ip-
ſe etiam Deus extra ſe eſt, converſione inerrante in-
ſtar circuli circumeans; & quod Deus amor præexti-
tit in Deo ſimplex, per ſe mobilis, per ſe operans,
& quod erat divina & beata eius ſubſtantia: quare
tota Trinitas ſuprasubſtantialis, quæ eſt amor, &
dulcedo, & deſiderium, non ſivit eam in ſe ipſa ſine
fœcunditate manere, ſed potius movit ſe ipſa ad fa-
ciendum & creandum. Providentiæ igitur Dei ex-
ternæ nihil aliud ſunt, quam creatura, & creatio; &
ex his nobis plane noteſcit, quod omnis creatura
Deum habet producentem & generantem, ipſe enim
hæc cum in ſe haberet, produxit ea foras, hoc eſt,
circum creaturas: quocirca nomen amoris & dilectio-
nis in unum & idem cum pulchro & bono redit;
cumque in Deo ſint, & ad eundem referantur, divi-
G nam & beatam eius ſubſtantiam, quod eſt tantum,
repræſentant: extra Deum vero cum ſunt, in negotio
creaturæ deſinunt; ideirco paſſiones & accidentia cir-
ca eam cenſentur & numerantur. Apparet etiam per
hæc, quod ad proprietatem horum nominum perti-
net, ratio enim amoris & dilectionis eadem eſt at-
que ratio bonitatis & pulchritudinis. Deus enim
propter excellentem amorem omnia produxit; & pro-
pter eundem amorem, quæ non ſunt, non produxit,
dum cavit, ne producendo, quidquam eorum quæ
amabat, læderet. Poteſt autem intelligi aliquid etiam
magis ſpeciatim proprium, quod ſcilicet divina boni-
tas in infinitum progrediatur, divinus vero amor in-
ſtar circuli circumeat; nam è ſe quidem incipit ope-
rari, deinde per ea quæ produxit, providentiis ſuis fo-
ris manens ſine impoſito ad ſe rurſus redit.

H *Ex ſcholiis S. Maximi.*

Et in iis quæ aditum 1 ad ſcripturas præparant) Di-
vinam ſcripturam Salomonis, vt ait S. Maximus, in-
telligit; vnde ſcriptum eſt illud: Factus ſum amator
pulchritudinis illius, Sap. 8. Ex quo patet falſum eſſe
quod quidam ſcripſerunt, Philonem eſſe auctorem li-
bri Sapientiæ, qui tunc, cum Dionyſius hæc ſcripſit,
nondum haberetur inter canonicas ſcripturas: cum
plane hoc loco Dionyſius in ſcripturis divinis nume-
rare videatur, quas προεισαγωγάς, id eſt, ut verbum de
verbo exprimamus, antegredientes introductiones
ſcripturarum vocat: & rurſus paulo poſt ſcripturas ſa-
cras Græce τὰ λόγια vocat, in quibus nomen amoris
reperitur; reperitur autem etiam in Sapientia, vnde
idem Dionyſius auctoritatem produxerat. Sap. 8. Ex-
plicandum vero eſt, quare libros Salomonis vocavit
Dionyſius προεισαγωγάς. quod quidem ex ipſo intellige-
re licet, cum libros ſcripturæ ſanctæ veteris & novi
teſtamenti ex ſignificatione ac notatione argumento-
rum cuiuſque libri deſignat in Eccleſiaſtica hierarc.
cap. de communione, ſic enim ait: Aut exponit ſcriptu-
ra præcepta de actionibus vitæ; libros morales Salo-

A monis Proverbiorum, Eccleſiaſtes, & Sapientiæ, & librum Sapientiæ Sirach, qui Eccleſiaſticus vocatur, intellexit, his adiunxit, Aut cantica divinorum amorum, & divinas imagines; Cantica canticorum intellexit, quæ ſunt per ſymbola & imagines ſcripta ab eodem Salomone. Quia igitur diſciplina ſancta bene & ex virtute vivendi, quæ in Proverbiis, Eccleſiaſte, Sapientia Salomonis, & in Eccleſiaſtico traditur, neceſſaria eſt ad intelligendas ſcripturas ſanctas, quæ ſine fide non intelliguntur, & fides neglecto ſtudio virtutis amitti ſolet, ſicut Apoſtolus 1. ad Tim. capite 1. ſcripſit. Quam quidam repellentes (bonam ſcilicet conſcientiam, quam dixerat) circa fidem naufragaverunt, & Sap. cap. 1. In malevolam, inquit, animam non introibit ſapientia; neque habitabit in corpore ſubdito peccatis, vnde Paulus Timotheum admonens. 1.Tim.4. Attende, inquit, tibi, & doctrinæ: prius enim dixit tibi, quod virtus docentis, & proba vita in viam recte docendi tamquam dux introducat; B idcirco, ut mihi quidem videtur, libros ſcripturæ morales, quos dixi, tamquam duces percipiendi ſapientiam ſcripturarum προεισαγωγάς, id eſt, (ut totam vim verbi exprimamus) antegredientes introductiones vocavit divinus Dionyſius. Præclare ſcripſit magnus Athanaſius in extrema pagina libri de Incarnatione verbi: Qui Theologorum intelligentiam conſequi cupit, debet prius animam abluere atque detergere, & per vitæ, morúmque ſimilitudinem ipſos adire, *ſicut 2 dilectio mulierum*) Verba ſunt David mortem Ionathæ deplorantis. Quæ ſtulti, inquit Theodoretus, reprehendunt, cum hic David ad ſignificandam amoris & charitatis ſuæ erga Ionathan vehementiam, ſimilitudinem & exemplum ſumpſerit ex amore arctiſſimo vxoris & viri; qui tantus eſt, vt lex coniugalis dicat: Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, id quod Elcana etiam ſignificavit, cum vxorem conſolans. Nonne, C 1.Reg.1. inquit, ego bonus ſum tibi ſupra decem filios? Itaque vt connubialis coniunctio vnum efficit coniuges, ſic eorum qui verè inter ſe amant, animos charitas in vnum copulat, hactenus Theod. *& qui exceſſit 3 è ſe Deo*) Obſervavit hic S. Maximus quomodo ex hoc loco intelligitur quod Apoſtolus 2.Cor.5.ait: Sive excedimus Deo? ſcilicet intelligitur, ſicut Dionyſius accepit, de amore eſtatico Pauli, quem deſcripſit in epiſt. ad Gal. inquiens cap. 2. Vivo non iam ego, vivit vero in me Chriſtus, ſic etiam intellexit locum Pauli S. Diadochus in libro de perfectione ſpirituali cap. 14. De hoc amore eſtatico notavit in eodem loco S. Maximus intelligi illud in Pſal. 115. Ego dixi in exceſſu meo, id eſt, in amore Dei eſtatico, *& 4 dilectionem*) hic interpretatur Dionyſius quod ait Ioan. in 1. epiſt. cap. 4. Deus charitas ſive dilectio eſt, eſt enim ipſe amoris & charitatis auctor & generator, qui hæc quæ in ipſo erant, produxit foras, id eſt, creaturas, motus D ſcilicet charitate, ſic dictum eſt (ait S. Maximus) Deus charitas eſt, propter creaturas ſcilicet quas produxit, eſt alioqui Deus, ne quis hoc tolli putet, abſolute ipſa per ſe charitas ſuperlata, non creata, ſed omnium creatrix, *tamquam 5 moventem*) Obſervavit hic S. Thomas triplicem effectum amoris, ſive charitatis, primus eſt, quod amor, ſive charitas movet amantem ad operationem, vnde (vt hoc obiter obſervetur in hæreticos, qui hominem per ſolam fidem iuſtificari tradunt) ſicut aqua operationem ab igne, ſcilicet calefactionem recipit, & calefit, (operatio enim ignis aquam movet) ſic fides operationem recipit à charitate, qua operatione veluti vivificatur & calefit, & ſine ea friget, & ut ait B. Iacobus, mortua eſt, ex quo fit, vt huiuſmodi fides ſit, quæ in Chriſto valet, ſicut Apoſtolus Iacob.2. Galat.5. ad Galatas ſcripſit, quæ, inquam, per charitatem movetur ſcilicet erga Deum, ſecundus enim effectus eſt, quod movet ad operationem erga amatum, vnde ſic intelligendum eſt quod idem Apoſtolus dixit. Quæ per operationem, ſcilicet charitatis, operatur, id eſt, movetur, paſſive enim accipiendum eſt vocabulum E ἐνεργουμένη, ut aliàs à nobis probatum eſt, tertius effectus, Iacob.2. quod amor ſe prius oſtendat erga eum, erga quem eſt, vnde beatus Iacobus, contra eum qui de fide ſine operibus gloriatur. Oſtende tu, inquit, fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus. Deinde obſervavit etiam idem S. Thomas quinque proprietates amoris ſive charitatis in his quæ hic ex Dionyſio recitantur, prima eſt, progredi ad uniendum eum qui diligit, cum eo quem diligit; & quanto excellentior eſt amor, tanto excellentius unit; unde quia amor in Deum eſt excellens, excellenter cum Deo coniungit; & erga magis coniuncta maior eſt, ſecunda proprietas charitatis eſt, quod facit, ut is qui amorem ſive charitatem habet, ad eum tendat, erga quem habet charitatem, contra atque facit cognitio, quæ rem cognitam trahit ad cognoſcentem; amor vero trahit amantem ad eum quem amat, tertia proprietas, eſſe ſimplicem motum charitatis, quia eſt primus motus appetitus: & primum in unoquoque genere oportet ut ſit ſimplex, quia ex eo cetera F in eo genere compoſita exiſtunt, quarta proprietas eſt, eſſe per ſe mobilem, quia in vnoquoque genere prius eſt quod eſt per ſe, quam quod eſt per aliud: vnde in genere motus appetentis oportet ut primus motus, qui eſt amor, ſit per ſe mobilis, vnde timor quia eſt ſicut motus violentus extrinſecus accedens, non eſt in charitate, ſicut ait beatus Ioannes, ſed 1.Ioan.4 perfecta charitas foras expellit timorem, quia charitas motus eſt ab intimo, ut ait Sanctus Thomas, procedens, quinta proprietas eſt, operari per ſe, quod proprium eſt charitatis, in quo ab ſpe differt, qui enim propter ſpem alterius operatur, propter aliud operatur, qui autem (inquit S. Thomas) ex amore operatur, per ſe ipſum operatur illud tamquam ſibi hoc placeat. Præſtat ſcire quæ efficiat charitas, & quæ ſint eius propria ad cognoſcendum excellentiam & præſtantiam eius ſupra fidem ſolam, quam hæretici vane iactant non intelligentes quæ dicunt, ama- G torium 5 *motionem*) quatenus amor & charitas ex ipſo Deo manant ad creaturas, ipſe amoris & charitatis auctor moveri dicitur, quatenus vero ipſe eſt amabilis & diligendus, movet & ciet ad amorem omnia, quibus vis amandi convenienter ipſis inſita eſt.

CAPVT IV.

De ente & de partibus eius, & quæ ſit in iis quæ ſunt, proprietas entis.

MAgnus Dionyſius capite quinto de divinis nominibus: Age, inquit, laudemus bonum tamquam quod vere eſt, & omnium ſubſtantias efficit, & ſecundum vim ſuam quæ ſupra ſubſtantiam eſt, omnibus tribuit vt ſint totum id quod ſunt, & eſt H vere effector 1 exiſtentiæ, perſonæ, ſubſtantiæ, naturæ; item principium, & menſura ſæculorum & temporum, & facit vt ſæcula & tempora ſint: eſt ſæculum eorum quæ ſunt: tempus eorum quæ fiunt; eſt eſſe iis quæ ſunt quomodocumque; eſt generatio quomodocumque genitis ex eo qui eſt; ſæculum, ſubſtantia, & vnum: & tempus, & generatio, & quod gignitur: eſt ea quæ ſunt in iis quæ ſunt; & quæ quocumque modo exiſtunt, & quæ per ſe exiſtunt. Deus enim non ſic eſt, ut ſit quodammodo, ſed 2 ſimpliciter & infinite totum eſſe in ſe complexus. Et paulo poſt: Et ante alias eius participationes productum eſt eſſe, & eſt ipſum 3 ſecundum ſe eſſe antiquius quam eſſe per ſe vitam, & per ſe ſapientiam, & per ſe ſimilitudinem divinam, & alia, quorum participationem quæ habent, ante omnium illorum participationem participant eſſe: immo vero ipſa per ſe omnia quæ ab iis quæ ſunt, participantur, ipſum per ſe eſſe participant; & nihil eſt cuius non ſit ſub-

ſtantia,

A ſtantia, & ſæculum ipſius per ſe eſſe. Deus igitur cum ſit, vt conſentaneum eſt, omnibus aliis magis principialis, ab antiquiore dono ſuo laudatur, ſiquidem prius eſſe, & excellentius eſſe cum prius habeat, & excellentius habeat; prius fecit eſſe quod eſt: ipſum inquam per ſe eſſe, & per ipſum omne quod quomodocunque eſt, exiſtere fecit. Atqui principia eorum quæ ſunt, omnia participant eſſe, & ſunt, & principia ſunt; & primum ſunt, & poſtea principia ſunt, & ſi vis viventium, quatenus vivunt, principium dicere per ſe vitam: & ſimilium, quatenus ſimilia ſunt, per ſe ſimilitudinem: & copulatorum, quatenus copulata ſunt, per ſe copulationem; & ordinatorum, quatenus ordinata ſunt, per ſe ordinationem: & ſimiliter in aliis, quæcumque hoc, aut illud, aut utrumque, aut multa participant? & hoc, aut illud, vel utrumque, aut multa ſunt participata, reperies per ſe participationes primum participare eſſe, & B ſic primum eſſe quod ſunt, deinde huius, aut illius principia eſſe: & participando eſſe, exiſtere, & participari. Si hæc autem, quæ aliorum principia numerantur, per participationem eſſe ſunt, multo magis quæ ipſa illa principia participant. Primum igitur donum per ſe eſſe, cum per ſe illa ſupraquam bonitas producat, merito ab antiquiore & prima omnium participationum laudatur. Et paulo poſt: Si autem vult Clemens philoſophus ad aliquid dici exemplaria quæ ſunt in rebus principaliora, progreditur 4 quidem cum ſic loquitur, non per propria & perfecta & ſimplicia nomina: ſed ſi concedamus recte hoc dici, oportet meminiſſe ſcripturæ, quæ ait: Non 5 oſtendi illa tibi, ut eas poſt illa; ſed ut per proportionem cognitionis horum ad cognoſcendam omnium cauſam, quoad poſſumus, adducamur. *Exod. 33. Rom. 1.* Hæc adnotans S. Maximus. Hoc nomen, inquit, impoſuit ſibi Deus, cum dixit: Ego ſum, qui ſum, à quo conſentanee laudatur ante *Exod 3.* alia quæ de ipſo dicuntur, qualia ſunt nomen vitæ, ſapientiæ, & alia eiuſmodi., illud autem, prius eſſe, & C ſupra eſſe declaravit, eſſe Deum, carere principio; & Deum penitus comprehendi intelligentia non poſſe: qui prædeſtinatione cognitionis ſuæ ineffabilis omnia in ſe ipſe complexus eſt, & omnia in ſe ex toto eſſe tamquam in exemplari & idea fecit, hoc enim ſtatim prima notione mens cogitat, eſſe inquam: poſtea hoc, aut illo, aut alio modo eſſe contemplatur. Eſſe igitur ſimpliciter, & non aliquo modo eſſe, declaravit cum dixit. Per ſe eſſe, ſicut deinceps dixit per ſe vitam, per ſe ſimilitudinem, & alia eiuſmodi, eſſe enim prorſus vitam, 6 & ſimpliciter viuere non ſignificat hanc talem vitam; & ſimiliter in aliis: ſicut exempli gratia in qualitatibus, prius per ſe qualitates inſunt, poſtea accidentes 7 operantur, ad hunc modum proportione in iis quæ diximus, intelligendum eſt. Item dicit in primo cap. idem Maximus: Creationem vitæ, & creationem ſubſtantiæ, id eſt, res ipſas fecit Deus exiſtere. Primum D igitur notionem rei ipſius menti informamus; poſtea vniverſalem eius rei notionem, ut notionem vitæ vel ſubſtantiæ univerſe conſideratam, deinde in parte, id eſt, notionem ſecundum ſingulas ſpecies accepimus, ut vitæ, vel ſubſtantiæ angelicæ, vel humanæ, aut reliquorum in univerſa ſpecie. Præterea idem cap. quinto, participationes dicit, quas ea quæ ſunt, participant, quale eſt ipſum per ſe eſſe, ipſam per ſe vitam, ipſam ſapientiam, ipſum ordinem, & reliqua; quæ quidem participationes divina dona ſunt, quas principia eorum quæ ſunt, vocavit. Ex his igitur conſtat, quemadmodum Deus ſecundum poteſtatem ſine virtutem ſuam, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, cauſa eſt effectrix & creatrix totius eſſe, & partium eius, exiſtentiæ, perſonæ, ſubſtantiæ, naturæ, aut ſæculi, & temporis. Quod ſi Deus totius eſſe effector eſt; haud dubium, quin partium eius effector ſit, & totum penitus efficiat, totum vero eſſe eſt, quod ſtatim prima notione mens informat; ſecundum quam primam notionem genera in diſputationibus contemplamur; poſtea partes totius ordine expromimus, & ſicut logice à generibus ad ſpecies, ſic eſt per ſe eſſe, id eſt, totum eſſe; E & ad quod intelligendum mens primum vim intendit, antiquius eſt aliis quæ poſtea mens contemplatur. Non enim poſſumus vitam ſecundum ſe contemplari, aut ſapientiam, aut ſimilitudinem, niſi primum eſſe ponamus, eſt enim vita primum; & tunc rem ſecundum ſe contemplantes, ὡς τὸ τί ἐστι, vocamus per ſe vitam, ſi igitur ſubter eſſe, per ſe vita, & per ſe ſapientia, & per ſe ſimilitudo, & alia collocantur, totius autem eſſe auctor eſt Deus; quomodo non erit auctor horum quæ per ſe dicuntur, ſive ea vocentur tamquam exiſtentia, ſive tamquam motus, formatio vitæ, formatio ſubſtantiæ, ſimilitudinis imitatio, & alia? Primum enim fecit Deus eſſe res ipſas, poſtea eſſe generalem earum notionem, quale eſt contemplari vitam, vel ſubſtantiam in omni genere, & omnibus modis. Ex his ſententia Dionyſij notior exiſtit, quod ſicut Deus auctor eſt eorum quæ ſingularia F ſunt, ſic & eorum quæ prima ſunt, ex quibus dubitationem Clementis philoſophi de iis quæ magis principalia in rebus exiſtunt, id eſt, de naturis earum, duabus auctoritatibus ſcripturæ ſoluit, una eſt. Non oſtendi hæc tibi, ut eas poſt ea, altera eſt, Inviſibilia *Exod. 33. Rom. 1.* Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ex magnitudine enim & pulchritudine creaturarũ proportione effector conſideratur, hoc enim ſignificat quod dixit, ut per proportionem cognitionis horum ad cognoſcendum omnium cauſam adducamur. Sic autem ſoluiſſe dubitationem, quomodo non apertiſſime patefacit creata eſſe ea quæ ſic ſunt in rebus magis principalia, quæ concedit dici exemplaria ad aliquid, vt per ea proportione quadam, tamquam per ſpecula & ænigmata cognoſcamus divina? Ex iis etiam quæ antea demonſtrata ſunt, apparet quod ad proprietatem pertinet: in illis enim, ſcilicet bono & pulchro, in ea quæ ſunt, & quæ non ſunt, tenditur proprietas nominis boni & pulchri; in his autem, in ea ſolum G quæ ſunt, nomen divinum τῷ ὄντι, id eſt, entis, porrigitur. & hæc eſt proprietas eius. Nota tamen etiam hoc, eſſe primam participationem & antiquiorem aliis divinis donis ait eſſe proprietatem τοῦ ὄντος, id eſt, entis: ſiquidem bonitas non habet ſimilem rationem in ordine donorum, quoniam porrigitur & tenditur ſupra ea quæ ſunt: præterea poteſt eſſe proprietas eius quod eſt per ſe eſſe, quia hoc ante alia quæ ſunt, produxit Deus prius; deinde hoc per ſe eſſe, tamquam natura quadam utens, univerſum quomodocunque eſt, produxit: ad hæc, alia rerum principia nunquam poſſunt eſſe, quin ſit ipſum per ſe eſſe: hoc autem ſine illis eſt, deinde participatione huius aliæ dicuntur participationes, & per ſe participationes, & dicuntur eſſe, & manere: hoc autem ſublato, nulla erit participatio: tum etiam ipſum per ſe eſſe, quæ eſt participatio prima, à nullo ante ſe participatur, omnia autem poſt eum & participant, & fiunt aliis H infra, participationes. Habent autem hæc non parvam quæſtionem, quomodo Dionyſius cum præmunitione. Si vis, inquit, viuentium tamquam viventium principium dicere per ſe vitam, quatenus ſcilicet manifeſtum eſt, hæc abſoluta, non proprie abſoluta eſſe, ſolus enim Deus horum auctor abſoluta cauſa dicitur: quæ autem ab ipſo effecta ſunt, voluntati permittitur, vt ſic ea nominet, verum cum adiunctione, viventium quatenus vivunt, principium eſſe per ſe vitam. non autem quatenus ſubſtantiæ ſunt, aut ſapientiæ, aut rationes, hæc enim ſubter aliud & aliud principium collocantur, quod quidem in Deo efferre non eſt conſentaneum, vna ſiquidem cauſa & vno principio omnia producit, vt demonſtrabitur.

Ex ſcholiis S. Maximi.

Eſt vere effector, exiſtentiæ, perſonæ, ſubſtantiæ, naturæ, Quæ exiſtunt, conſiderari poſſunt ut ſingularia,

&

& vt ſpecies ; vel genus, & vt natura , verbi gratia, Socrates eſt perſona . homo animal , ſpecies, & genus; quæ poteſtate continent ſingularia , quia poſſunt cogitari in ſingularibus , humanitas eſt natura , quæ nec actu , neque poteſtate continet ſingularia , itaque homo ſecundum ſubſtantiam conſtat ex humanitate , quæ eſt hominis natura , cuius partes ſunt corpus & anima in vniverſali ; ſecundum exiſtentiam conſtat ex hoc corpore , & ex hac anima , natura generis , vel ſpeciei , id eſt , vniverſalis , ea tantum actu continet , quæ in definitionem cadunt, vt humanitas , quæ non continet actu carnes & oſſa , quæ non cadunt in definitionem , ſicut continet homo ; quia notio hominis non abſtrahit ab iſtis , ſicut abſtrahit notio humanitatis : continet tamen potentia , carnes & oſſa , quia poteſt cogitari humanitas in homine vniverſali , qui definitur, principia autem individui neque potentia continet, humanitate enim eſt homo ; ſed non eſt , neque cogitari poteſt eſſe humanitate hic homo , ex S. Thom. Ad hunc modum ſe habent per ſe participatio , participatio , & hæc participatio; vt verbi gratia , per ſe vita , vita , & hæc vita , per ſe vita naturam vitæ ſignificat, id eſt , ea quæ cadunt in definitionem vitæ; vita , eſt vniverſale ſpeciei , vt vita hominis , vita equi ; vel vniverſale generis , vt vita angeli , hominis , equi : & ſicut Deus eſt auctor per ſe hominis id eſt , humanitatis , eſt inquam , cauſa , vt natura hominis ſit eſſe animal rationale (hæc enim continet humanitas) & auctor hominis , & huius hominis;ſic cauſa eſt per ſe vitæ,& vitę & huius vitæ,per ſe vita non eſt proprie & vere ens ſubſiſtens , vt homo , lapis ; ſicut neque humanitas, ſed quo aliquid eſt ; vt per ſe vita vivens , ſicut humanitate homo. *Eſt ſimpliciter 2. & infinite Deus totum eſſe in ſe complecten ,)* quia omnibus dat eſſe per eſſe ſui participationem: & ipſe eſt omnia ſecundum cauſam ; & ſuo eſſe omnia quæ ſunt , & quomodocumque ſunt , facit eſſe ſic eſt cauſa proprie abſoluta , & incircumſcripta *Per ſe 3. eſſe* & ſecundum ſe eſſe idem ſignificant hic , vt τὸ αὐτὸ εἶναι , ἢ τὸ καθ' αὐτὸ εἶναι , καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι , ſimiliter αὐτὴ ἡ ζωὴ , καὶ ἡ αὐτοζωὴ , καὶ ἡ καθ' αὐτὴν ζωὴ , ἤγουν ὅλη ζωὴ ὡς τὸ καθ' αὐτὸ εἶναι ἤγουν ὅλον τὸ εἶναι . progreditur , *4. non per propria & perfecta & ſimplicia nomina)* id eſt,per ſe eſſe,& per ſe vita, & per ſe ſapientia,& ſimilia quæ ſunt principia & cauſæ eorum quæ ſunt,quæ vivunt,& quæ ſapientia prædita ſunt,nõ poſſunt dici proprie exemplaria; quia quorum,iſta ſunt principia , non fiunt vt imitentur illa ipſa principia, ſed fiunt vt impleatur in eis quod divina ſapientia ordinauit , id eſt , quod erat in idea & exemplari divino,non ſunt etiam perfecta exemplaria,cum ipſa aliis exemplaribus indigeant,non ſunt ſimplicia,quia ſimul ſunt ad exemplar formata(quæ vulgo vocantur exemplata) & exemplaria,ex S. Thoma. *Non 5. oſtendit illa tibi)* Locum Exod. 25. citat Dionyſius οὐ κατὰ τὸ ῥητὸν, ἀλλὰ κατὰ τὴν διάνοιαν , id eſt , non ſecundum verba, ſed ſecundum ſenſum , ſic apoſtolici diſcipuli à ſanctis Apoſtolis didicerunt citare aliquando ſcripturam , ſicut ipſi ſancti Apoſtoli interdum faciunt, ſic enim ait ſcriptura : Inſpice , & fac ſecundum exemplar , quod tibi monſtratum eſt in monte.Cum ait , inſpice , & fac ſecundum exemplar (ſive exemplaria , non enim fuit vnum exemplar , ſed multa) tibi oſtenſum in monte ; ſatis clare dicit , oſtendi exemplar , ſive exemplaria non ad colendum illa (hoc enim erat , ire poſtea , colere illa , & habere ea pro diis) ſed oſtendi exemplaria ad faciendum ſecundum illa , quæ facienda ſunt in tabernaculo & vaſis eius , & in ſacerdotibus & eorum ſacrificiis, & in aliis , lex enim vmbram habebat futurorum bonorum , ſcilicet ſpiritualium , quæ quidem oſtenſa ſunt Moyſi in ſpiritu , quorum exemplarium imagines erant omnia quæ in lege fiebant , ſicut ait idem Dionyſius in extrema pagina cap. 4. Eccleſ. hier. *Hebr. 10.*

Quia igitur Clemens videbat τὰ νοητὰ , id eſt , ſpiritualia oſtenſa Moyſi vocari in ſcriptura Exodi παραδείγματα, quæ ſunt ad aliquid , quia referuntur ad imagines (exemplar enim dicitur imaginis , & imago exemplaris) ſimiliter Clemens quæ ſunt in rebus principialiora , exemplaria dici voluit , quæ ad aliquid referuntur , ad illa ſcilicet , quorum ſunt principia , vt cauſæ ad effecta , & effecta ad cauſas , ſi ſic accepit Clemens , vt plane accepiſſe videtur , recte accepit ; & ſic etiam iſta principialiora, quæ exemplaria vocat , creata ſunt , ſicut illa ſpiritualia exemplaria oſtenſa Moyſi in monte , non quidem tamquam exẽplaria illa diuina , quæ ſunt increata & æterna , inviſibilia Dei , & adoranda , quæ ſunt ipſe Deus ſimpliciſſimus , ſed tamquam exemplaria creata & informata menti Moyſis divinitus , vt ſecundum ea faceret , quæ facere Deus ei præcipiebat , quæ erant omnia imagines tenuiter & obſcure adumbratæ illorum exemplarium. Alij hunc locum à Dionyſio citatum ex Deut.cap. 4. ſumptum eſſe adnotaverunt ; ſed nulla ratione quadrat , ego Georgium Pachimerum ſecutus ſum , qui ad illum locum Exodi 25. retulit , quem dixi citatum eſſe à Dionyſio ſecundum ſenſum , ſicut aliquando ſolent Apoſtoli , & ſancti patres , ſimiliter citauit etiam ibidem Dionyſius locum epiſt. ad Rom.cap. 1. Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt,intellecta conſpiciuntur,citauit inquam hunc locũ ſecundum ſenſum,qui eſt , vt ait Dionyſius. per proportionem cognitionis creaturarum adduci nos , quoad poſſumus , ad cognoſcendum cauſam omnium. Itaque cum dixit , Inviſibilia ipſius (vt hoc obiter obſeruetur) videtur plane Paulus intellexiſſe illa in Deo exemplaria æterna , quæ ideæ vocantur , ſecundum quas omnia per eſſentiam ſuam ſimpliciſſimam cognoſcit , & fecit omnia tamquam per principium & cauſam omnium , & eſt omnia , vt omnium cauſa , eſſe prorſus *6.* vitam) Vitam dicit, cum vita abſolute conſideratur , ita vt tota conſideratio ſit vitæ , non quatenus eſt omnium , aut particularium , id eſt , non conſideratur generaliter , neque particulariter ; ſed ſimpliciter vita . quæ dicitur per ſe vita , *7. Verbi gratia* ; ipſa per ſe corporalis albedo adveniens corpori album facit corpus , & poſtquam accidit corpori , diſgregat viſum , quæ eſt propria eius operatio.

C A P V T V.

Quomodo Deus dicitur per ſe eſſe , & per ſe vita & per ſe ſapientia, & quomodo rurſus idem horum effector dicitur.

MAgnus Dionyſius cap. 9. de divinis nominibus. Sed quia , inquit , alias me per epiſtolam interrogaſti , quid appellem per ſe eſſe , per ſe vitam , per ſe ſapientiam , & tecum ais dubitaſſe , quomodo Deum aliquando quidem voco per ſe vitam , aliquando vero effectorem per ſe vitæ ; neceſſarium eſſe arbitratus ſum , homo Dei ſancte , ab hac dubitatione quoad poſſim te liberare. Ac primum quidem , vt nunc repetamus quæ millies dicta ſunt , non pugnant ſecum Deum per ſe poteſtatem , & per ſe vitam ; & dicere Deum creatorem per ſe vitæ , vel per ſe pacis, vel per ſe poteſtatis,hæc enim dicitur Deus ex iis quæ ſunt , & maxime ex iis quæ prima ſunt , tamquam cauſa omnium quæ ſunt ; illa autem dicitur , tamquam quæ ſit ſupraſubſtantialiter ſupra omnia quæ ſunt , & quæ primo ſunt. Quæris autem quod prorſus dicimus per ſe eſſe , aut per ſe vitam , aut quæcumque abſolute & principialiter eſſe , & ex Deo ac primo creata eſſe ponimus. Reſpondemus , non eſſe hoc contortum, ſed rectum , & ſimplicem habens explanationem, non enim per ſe eſſe ſubſtantiam quandam divinam aut angelicam eſſe dicimus , quæ ſit cauſa vt ſint omnia quæ ſunt (ſolum enim qui eſt ſupraquam

A ſubſtantia, principium & eſſentia & cauſa eſt vt ſint omnia quæ ſunt, & ipſum eſſe) nec aliam divinitatem, quæ vitam pariat, præterquam vitam 1. ſupraquam divinam omnium quæcumque vivunt & ipſius per ſe vitæ cauſam ponimus; nec vt ſummatim dicam, alias cauſas principiales rerũ, & creantes, & per ſe exiſtentes, quas quidam & deos rerum, & effectores temere effinxerunt: quos vere & proprie dicere (quippe cum non eſſent) nec ipſi, nec eorum patres ac maiores ſciverunt: quin potius per ſe eſſe, & per ſe vitam, & per ſe divinitatem principialiter quidem & divine, & efficienter vnum omnium principium & cauſam ſupraquam principium, & ſupraquam ſubſtantiam eſſe dicimus. Vt autem in donis ſuis participatur Deus, providentias à Deo, qui in ſe non participatur, manantes, dicimus per ſe ſubſtantiæ effectionem, per ſe viuificationem, per ſe deificationem; quorum participationem quæ, vt cuique convenit,

Plato in Timæo.

B habent, ſubſtantiam habentia & viuentia & divina ſunt & dicuntur, & ſimiliter in aliis, quamobrem bonus ille & ipſorum, quæ prima ſunt, auctor eſſe dicitur, deinde eorum quæ generatim & vniuerſe illa participant, poſtea eorum quæ in parte. Sed quid attinet de his dicere? ſiquidem nonnulli ex noſtris divinis magiſtris dicunt illum ſupraquam bonum, & ſupraquam Deum auctorem eſſe per ſe bonitatis, & per ſe divinitatis, vocant autem per ſe bonitatem, & per ſe divinitatem donum à Deo profectum, quod bonos, 2. & Deos facit; & per ſe pulchritudinem donum a Deo effuſum, quod pulchros reddit, dicunt etiam totam pulchritudinem, & pulchritudinem ex parte; & vniverſe pulchra, & in parte pulchra, & quæcũque alia eodem modo dicta ſunt, & dicentur, quæ declarant providentias & bonitates, ab iis quæ in rerum natura ſunt, participatas, à Deo qui eſt extra ſui participationem, larga effuſione dimanantes & profluentes vt qui eſt cauſa omnium, perfecte ſit vltra omnia; &

C qui ſubſtantiam & naturam exſuperat, ex omni parte & in vniverſum omnibus cuiuſcumque ſubſtantiæ & naturæ ſint, antecellat. Quæ quidem cum adnotat. S. Maximus, In his, inquit, clare ſoluit propoſitam quæſtionem: Quemadmodum oportet dicere, quandoque quidem accipiendum eſſe Deum, cum dicimus per ſe vitam, & alia eiuſmodi; quandoque vero horum effectorem eſſe, id eſt, hæc creaſſe: quoniam tamquam cauſa ille quidem horum, & principium ſupraquam principium vocatur his nominibus; ea vero quæ hæc participant, inde, id eſt, ex participatis dicuntur eſſe, & viuere, & divina eſſe, vitæ igitur creationem, & ſubſtantiæ creationem, ipſas, inquam, res fecit Deus. Primum igitur cogitemus rem ipſam; deinde ipſius rei generalem notionem informemus, verbi gratia vitem aut ſubſtantiam vniverſe conſideratam, & poſtea in parte. Idem Maximus capite nono: Solet, inquit, Dionyſius Deum ab effectis dicere per ſe eſſe, & ipſius per ſe eſſe effectorem; & ipſum eſſe per ſe vitam, & per ſe vitæ effectorem; ſicut nunc ipſum eſſe per ſe ſimilitudinem, & per ſe ſimili-

D tudinis auctorem, hæc autem dicit, non quaſi dicat alteram quidem vitam eſſe ipſum Deum, alteram vero productam eſſe ſubſtantialem, & veluti per ſe exiſtentem præter Deum, quam participant quæ vitam participant; ſed potius, ſicut ipſe eſt ſuus interpres c. 11. per ſe quidem vita, inquit, & per ſe poteſtas, & per ſe ſimilitudo, & alia huiuſmodi dicitur Deus, quod hæc ſit tamquam principaliter & divine, & efficienter, hæc enim eſt ipſe eorum verus fons; auctor vero eſt per ſe ſimilitudinis, & ſimilium tamquam largiens participate iis quæ primum inter ea quæ ſunt, hoc donum participant, cuncta namque, vt cuiuſque naturæ convenit, huiuſmodi dona participant, primæ quidem & ſupremæ inter cœleſtes mentes creaturæ participant præcipue, quæ vero deinceps, participant infra illas. Ex quibus manifeſtum efficitur, quod ſicut Deum ævum & tempus dicimus, & eundem

E rurſus ævi & temporis auctorem (ex effectis enim & creatis, quæ ipſe produxit, ſuppetit nobis copia imponendi ei nomina (& ſicut magis 3. Deum nominamus ævum, à primo eius opere facto; ſic etiam ab iis quæ ſunt ſecundum ævum, abſolute nominamus: dico à per ſe eſſe, & a per ſe vita, & à per ſe ſapientia, nec enim hæc dicuntur ſimpliciter abſoluta, ſed alicuius eſſe aliquid, idcirco primo eſſe dixit, quæcumque eiuſdem ordinis cum ævo, abſolute dicuntur, quomodo enim per ſe exiſtit ævum & tempus, niſi conſiderentur in iis quæ ævum agunt & tempus? Aliter etiam hoc patet, ſi enim Deus omnium quæ ſunt, effector eſt, multo magis eorum quæ prima ſunt, ab iis igitur quæ ſunt, & potiſſimum quæ prima ſunt, tamquam omnium auctor nominatur. Quia vero vult magis quod dicit, explanare, valde dilucide quæ hæc in dubium venerunt, ſoluit: & aggreſſus ea quæ ſic abſolute dicuntur ὑπάρξεις, id eſt, eſſentiæ, Pri-

Æternus dicitur Deus ab ævo.

F mam, & quæ maxime quodammodo videtur ſubſtantia, non ſubſtantiam aliquam, inquit, divinam aut angelicam dicimus per ſe eſſe, quæ ſit cauſa vt omnia ſint, ſi autem antiquius, & primum ex donis, quod quia eſt & participatur, alia dona ſunt & dicuntur, non eſt neque divina nec angelica ſubſtantia, immo nec cauſa vt ſint omnia (ſolus enim Deus, qui eſt ſupraquam ſubſtantia, & principium, & eſſentia, & cauſa eſt vt ſint cuncta quæ ſunt, & idipſum ſimpliciter eſſe) in quali tandem ordine ea quæ ſic dicuntur magis principialia, ponemus? & ſi non ſunt cauſæ eorum quæ ſunt, nec item erunt effectricia horum, quod ſi non efficiunt ea quæ ſunt, neque ſunt facultas nec operatio Dei effectrix & creatrix vniverſi, relinquitur vt ſint hæc habitudines & emanationes, quæ ſunt cum fiunt tantum, ſicut demonſtratum eſt. Cum autem Dionyſius horum, contemplationem dilatat, Nec aliam, inquit, divinitatem, quæ vitam pariat, dicimus, præter cauſam ſupraquam divinam omnium quæcumque vivunt, & per ſe vitæ cauſam, quod ſi non eſt

G alia cauſa viventium, nec alia divinitas quæ vitam pariat viventibus, niſi vita ſupraquam divina, & ſubſtantia ſupraquam ſubſtantia, & ipſum ſingulariſſimum & ſplendidiſſimum vnum, & hoc eſt ſola cauſa omnium, evidens eſt quod hæc quæ primo & principialiter ſunt, & effecta tantum, nihil eorum quæ poſtea ſunt, tamquam cauſa efficiunt: idcirco bonus Deus eorum ipſorum quæ prima ſunt, effector dicitur, deinde eorum quæ vniverſe participant, poſtea eorum quæ in parte: ſic demonſtrat ſolum Deum eſſe cauſam omnium, ſive prima dicuntur, ſive vniverſe, ſive in parte; & ſive ſic participata dicuntur, ſive participantia, quod ſi idem & ſolus auctor eſt & participantium & participatorum, evidens eſt ſi participantia creaturæ ſunt, & participata penitus creaturas eſſe; hoc tantum differunt, quod hæc quidem primum effecta ſunt, & per hæc effecta extrema, vt ſi quis in minimis creaturis videat nubes prius exiſtere quam pluviam, & per nubes Deum pluere; & ſicut motus exiſtunt propter mobilia, & nubes propter pluviam, ad eundem mo-

Vniverſe, vt vita omnium viventiũ, in parte, vt vita hominũ, aut angelorũ, &c.

H dum ſubſtantiæ creationes propter ſubſtantias, & vitæ creationes propter vitas, & deificationis creationes propter deificata, omne autem quod propter cauſam eſt & movetur, ortum quoque habere demonſtratum eſt. Ponit autem Dionyſius eſſe Deum auctorem per ſe bonitatis, & per ſe divinitatis, ſimiliter vt actionum & motionum Dei Deus eſt auctor, divinitates vero inferiores intellige angelorum, & hominum iuſtorum, rurſus vero intellige, interpretatum eſſe apertiſſime Dionyſium declarare hæc nomina, donum à Deo profectum, & pulchri in ea quæ foris ſunt, effuſionem, declarare, inquam, motum & actionem Dei, tamquam effectionem & creationem ipſius Dei.

Ex

A

Ex Scholiis S. Maximi.

Vitam 1. ſupraquam divinam) Vita Dei eſt ſupra vitam hominum ſanctorum & angelorum, quorum Pſal.49. vita eſt divina, ſicut ſcriptum eſt: Deus deorum &c. Pſal.81. & illud: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes, *quod 2. bonos, & deos facis*) tamquam principium participans principium omnium rerum, quod non poteſt participare neque in ſe participari, quia non poteſt fieri pars alicuius, quod eſt ſolus Deus, & tamquam principium imparticipatum, quia eſt formale principium participantibus in ſuo genere; vt per ſe bonitas, principium formale bonis non re, ſed ratione ſeparatum à bonis, qui participatione bonitatis creatæ dicuntur & ſunt formaliter boni, per ſe vita, principium formale viuentibus, non re, ſed ratione ab eis ſeparatum, qui participatione vitæ B creatæ, quæ donum Dei eſt, & perfectio ab eo manans, dicuntur & ſunt formaliter viventes: & ſimiliter in reliquis huiuſmodi principiis ſecundum vniuſcuiuſque principij naturam & ordinem, ex S. Thoma, *& ſicut 3. magis æuum*) Sicut Deus dicitur ævum, qui eſt auctor ævi, & eorum in quibus tenditur ævum; ſic dicitur per ſe eſſe, per ſe vita, per ſe ſapientia, & ſimiliter in aliis, quia eſt cauſa in creaturis per ſe eſſe, per ſe vitæ, & ſimilium, quæ ſunt dona eius; in quibus verſatur ævum, non enim fuit tempus, cum non eſſent hæc, quæ cum ævo cœpta ſunt (ſiquidem fuerunt in angelis) quæ cogitatione noſtra ſunt abſoluta & abſtracta à rebus exiſtentibus, non tamen ſimpliciter abſoluta & abſtracta, quia in re participantur ab exiſtentibus, & ſunt effecta à Deo, à quo pendent, ſed hæc magis adhuc ex cap.7. decadis 7. & dec.8. cap.4. licebit intelligere.

CAPVT VI.

C

De poteſtate, ſiue virtute, & iuſtitia; & quod à poteſtate infinite potenti, & à iuſtitia, per ſe poteſtas, & per ſe iuſtitia producta ſunt & effecta; & quæ in eis proprietates.

MAgnus Dionyſius cap. octauo de divinis nominibus ait: Et quod Deus deificationis princeps ſupra omnem poteſtatem fertur, & omnem poteſtatem, quomodocumque eſt & excogitatur, exſuperat: non puto vllum ex iis qui in ſcripturis divinis alti ſunt & educati, ignorare, multis enim in locis ſcriptura 2. Pet 3. & dominationem ipſam eſſe tradit, & ab ipſis ſupra Pſal.23. cœleſtibus poteſtatibus ſeparat. Quomodo igitur Theologi tanquam poteſtatem laudant, quæ extra omnem poteſtatem poſita eſt? aut quomodo in ea nomen poteſtatis accipiemus? Dicimus igitur Deum eſſe poteſtatem, vt qui præhabeat in ſe, & ſupraquam habeat omnem poteſtatem; & vt omnis poteſtatis auctor, & vt omnia inflexibili & incircumſcripta D poteſtate producens, & vt auctor ipſius per ſe eſſe poteſtatem, vel eſſe vniuerſam, aut ſingularem alicuius poteſtatem; & vt infinite potens, non ſolum eo quod omnem poteſtatem producit, ſed quod eſt ſupra omnem poteſtatem, & ſupra ipſam per ſe poteſtatem: & quod ſupra poteſt innumerabiliter infinitas alias poteſtates producere; & quod infinitæ, & infinito numero productæ poteſtates numquam queant hebetare aut retundere ſupraquam infinitam effectionem poteſtatis eius potentificæ, hæc igitur poteſtas Dei infinite potens, in omnia quæ ſunt, meat & progreditur, nihilque eorum quæ ſunt, omnino nudatum eſt, quin aliquam poteſtatem habeat; quin potius poteſtatem habet vel intelligentem, vel ratiocinantem, vel ſentientem, vel viventem, vel propriam ſubſtantiæ; & ipſum eſſe, ſi fas eſt dicere, poteſtatem E habet vt ſit, ab ipſa ſupraſubſtantiam poteſtate; & vt ſemel dicam, nihil eſt in vniverſum, quod omnipotentis tutela, & conſervatione divinæ potentiæ privatum ſit, quod enim vniverſe nullam habet poteſtatem, nec eſt, nec quidquam eſt, nec eſt funditus vllus eius ſitus. Et rurſus idem in eodem capite: A iuſtitia autem rurſus laudatur Deus, quod omnibus, vt dignum eſt tribuat & congruentem modum, & pulchritudinem, & compoſitionem ordinis, & diſpoſitionem; & omnibus diſpertiat, & ſingulis ordines præſtituat ſecundum veram & iuſtiſſimam præſcriptionem, & omnibus ſuæ cuiuſque actionis auctor ſit, omnia enim divina iuſtitia ordinat, & ſuis terminis definit; & omnia ab omnium mixtione & confuſione libera ſeruat; omnibus, quæ cuique conveniunt, & vt quodque dignum eſt, dona largitur. Ex his autem iam patet, quod poteſtas F Dei poteſtatis effectrix, quæ omnem exſuperat poteſtatem, quæ eſt vnum, & ſupraquam ſubſtantia, quæ omnem poteſtatem in ſe præhabet, & ſupra habet, hæc omnem poteſtatem & generalem, & in parte, & ipſam illam per ſe poteſtatem cogitatione abſtractam, ex iis quæ non ſunt, ſecundum ſuam inflexibilem & incircumſcriptam poteſtatem producit, & facit exiſtere: & ex ipſa emanatione, quæ in vniverſo cernitur, ſuppetit nobis facultas nominandi Deum poteſtatem. Idem etiam celebratus eſt à nobis nomine iuſtitiæ, non quod ipſe ſit 1. cognitus iuſtitia (hoc enim neque effari nec intelligere poſſumus, ſicut magnitudinis eius non eſt finis, & intellectus eius non eſt numerus) ſed cognoſcitur iuſtitia ex iuſtitia quam Pſ.144. & 146. produxit nobis, imponens ſingulis rebus ordinem & deſcriptionem, & cetera omnis iuſtitiæ pondera. Ex his etiam poteſt quis percipere proprietates, cernitur enim, quemadmodum in quæcumque pervadit, ibi poteſtas eius verſatur, & (ſi fas 2. eſt dicere) ipſum eſſe, & quod eſt vniverſum eſſe, vt ſit, poteſtatem habet ab ipſa poteſtate, quæ ſupraquam ſubſtantia eſt, igitur eſſe, opus eſt poteſtatis; ſed non ipſum eſſe poteſtas eſt, verum tamquam in ſubiecto eſt poteſtas, præterea ineſt proprietas ſupraquam poſſe, G ſiquidem poteſtas ſupraquam potens Dei, qui eſt ſupraquam ſubſtantia, indidit nobis intellectum poſſibilem, vt qui eum produxit & creauit, ſit ſupraquam potens ad producendum aliàs poteſtates diverſas ab iis quæ ſunt, infinite infinitas, & quod infinitæ poteſtates in infinitum productæ creationem ſupraquam infinitam potentificæ poteſtatis eius retundere numquam poſſunt. Si igitur poteſtas oſtenſa non haberet poteſtatem has poteſtates recipiendi, numquam promitteret Dionyſius, infinitas illas poteſtates à potentifica poteſtate productas non poſſe actionem eius obtuſam reddere, quare evenit, vt poteſtas bono appropinquet, quod enim in vniverſum nullam poteſtatem habet, nec eſt, nec aliquid eſt, nec prorſus ſitus eius eſt: idcirco eiſdem finibus metimur poteſtatem, & id quod eſt, nec porrigitur poteſtas in ea quæ non ſunt, ſicut bonum porrigitur, eadem autem eſt proprietas nominum iuſtitiæ, ſalutis, & redemptionis, iuſtitia enim Dei ſupraquam potens, quæ iuſta eſt, & iuſtitias diligit, vniuſcuiuſque eorum quæ ſunt, ordinem definit, & producit, & ponit ſecundum propriam actionem: & ſecundum ſupraquam H infinitam iuſtitiam ſuam vnicuique iuſtitiæ ab ipſo productæ virtutem indidit, reddentem omnibus pro dignitate; vel propriam actionem partium animæ, vel mediocritatem inter plus & minus, vel appetitum tribuentē æqualitatem; vel curſus habitum proſpicientem vtila in commune, vel ſcientē eorum quæ ſunt tribuenda, & quæ non tribuenda; vel neutrum: & vt ſemel dicā, nihil reliquit ſine honore iuſtitiæ à ſe productæ; quin potius omnes capillos capitis noſtri numerat, & paſſerē Mat.10. duorum aſſium non ſinit incidere in laqueum ſine iuſtiſſima voluntate ſua: & iniuſtitias noſtras, quæ dicuntur, convincit eſſe aberratioqes noſtrorum deſideriorum, cunctos vero iuſtitia ſua implet

Poteſtas appropinquat bono, quia ſicut nihil eſt expers bonitatis ita neque poteſtatis.

A & nihil eorum quæ ſunt, in re vlla iuſta eius ſalute & conſeruatione priuatum eſt, vnde videtur mihi valere illud peruulgatum: Iniuriam quidem facere omnes, nulli vero iniuriam fieri.

Scholia.

Cognoſcimus 1. quidem Deum eſſe iuſtum, & eſſe ipſam iuſtitiam; non tamen cognoſcere poſſumus quod quid eſt eius, id eſt, quidditatem eius, quam vocant, eſſe iuſtitiam, vt enim ſcire poſſumus de Deo quod eſt, ſic non poteſt comprehendi quid eſt, *ſi 2. fas eſt dicere*) quia non propriè dicitur, quod eſſe ſit, ſed quod per eſſe aliquid ſit, ſic S. Thomas.

CAPVT VII.

B *De vita, & de ſapientia, quæ in Deo eſt; & quod ipſi vita & ſapientia & Deus eſt auctor & creator per ſe vita, & per ſe ſapientia; & quæ horum nominum proprietates.*

Vide epiſt. 2. Dionyſij ad Caiū.

Dionyſius cap. ſexto de diuinis nominibus. Nunc, inquit, laudanda nobis eſt vita æterna, ex qua per ſe vita, & omnis vita manat; & à qua viuere in omnia quoquo modo vitam participantia, conuenienter vnicuique diſſeminatur. Itaque vita, atque immortalitas immortalium angelorum, & illud non poſſe capere interitum perpetuitatem angelicæ vitæ, ex ipſa & propter ipſam eſt & ſubſiſtit, quamobrem ſemper viuentes & immortales dicuntur; & rurſus non immortales, quia non è ſe habent vt immortales ſint, & perpetuo viuant, ſed ex viuifica, & omnis vitæ effectrice & conſeruatrice cauſa, & ſicut 1. dicebamus de eo qui eſt, eſſe æuum ipſius per ſe eſſe, ſic (C) etiam hic vita diuina eſt per ſe vitæ viuificatrix & effectrix, & largitur primum per ſe vitæ, eſſe vitam; & omni vitæ, & cuique vitæ, eſſe vnamquamque apte ad naturam ſuam; & (quod diuinius eſt) nos totos, (Ioh. 6. & 11.) animas dico, & corpora, ad perfectam & immortalem vitam tranſlaturam ſe promiſit, id quod 2. antiquitati quidem præter naturam eſſe videtur, mihi vero & tibi & veritati diuina res, & ſupra naturam; ſupra naturam noſtram dico, quæ videtur, non autem illam omnipotentem vitæ diuinæ, huic enim, vt quæ ſit omnium vitarum, & earum præſertim quæ diuiniores ſunt, natura, nulla vita eſt præter naturam, aut ſupra naturam. Quædam itaque adnotans hic S. Maximus, συνοχικὴν, id eſt, continentem cauſam vocauit, inquit, vitam diuinam, vtpotè quæ non ſolum vitam in rerum natura creauerit, ſed quæ vitam contineat & conſeruet, vt duret & permaneat, & rurſus in eiſdem, (D) Hanc vitam, inquit, ſecundum ſubſtantiam fabricatus Deus, ad immortalitatem angelis & animis noſtris effecit. Rurſus idem Dionyſius in ſeptimo capite de diuinis nominibus: Hanc igitur rationis expertem, & amentem atque fatuam ſapientiam ſuperlate laudantes, diximus omnis mentis & rationis, omniſque ſapientiæ & intelligentiæ cauſam eſſe; & ipſius eſſe omne conſilium, & ab ea omnem ſcientiam & (Coloſſ. 2.) intelligentiam proficiſci, & in ea omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos eſſe, etenim conuenienter iis quæ antea dicta ſunt, cauſa ſupraquam ſapiens, & omnia ſciens per ſe ſapientiæ, & totius ſapientiæ, & partis effectrix eſt. In huius capitis adnotationibus S. Maximus, Omne, inquit, participatum antiquius eſt iis quæ ſunt ex ipſo, quare Deus & æuum & tempus propriè nominatur, vt qui ſæcula & tempora fecit, ſic igitur & in vita & in ſapientia dicendum eſt, quia earum eſt auctor, & rurſus idem, (1. Cor. 1.) Quia, inquit, in ſapientiâ Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum; per ſapientiam, inquam, quæ in concentu & ordine creaturæ apparet & cernitur. Immo & magnus Baſilius in principium Prouerbiorum, & denique in illud, Dominus creauit me (Prou. 8.) principium viarum ſuarum, Loquitur, inquit, de ſapientia mundi, quæ apparet, & vocem fere per ea quæ cernuntur, emittit, quod ſcilicet à Deo factus ſit, & non fortuito tanta ſapientia ea quæ effecta ſunt, decorat; vt enim cœli enarrant gloriam Dei, (Pſal. 18.) & opus manuum eius annuntiat firmamentum; enarrant, inquam, me voce; quia non ſunt voces, neque 3. ſermones, quorum non audiantur voces eorum: ad eundem modum ſunt quidam ſermones ſapientiæ antiquitus editæ, quæ ante alia in fabricatione mundi cum creatura conſeminata eſt; hæc tacens, ſuum conditorem & Dominum clamat, vt per eam ad cogitandum eum qui ſolus eſt ſapiens, te referas. Ex quibus liquet, quod vita, quæ in Deo eſt ſupraquam vnite, & ſapientia, & ſcientia, & mens, & verbum, & intelligentia ex nihilo creat ipſam late patentem, & cum creatura conditam per ſe vitam, & (F) per ſe ſapientiam, & ea quæ ſecundum ipſam per ſe vitam viuunt, & ſecundum ipſam per ſe ſapientiam ſapiunt, & omnem aliam vitam, & ſapientiam, quæ in iis quæ ſunt, reperitur, atqui patent etiam proprietates, vita enim tenditur in viuentia tantum; & immortalitate quidem præditis ſpecies vitæ, & ſubiectum efficitur; præditis vero corpore efficitur continuata motio corporis, ſapientia vero minus latè patet, quam vita; ſiquidem in ea tantum porrigitur, quæ ſapientiam habent, atque in angelis quidem immortalibus æquè patet vita & ſapientia; in iis vero quæ ſentiunt, in ea ſolum porrigitur ſapientia, quæ ratione prædita ſunt; & in his non omnes ſapientiæ participes ſunt, ſed qui amatores ſapientiæ fuerunt vel propter ſtudium diuinitus incenſum, aut propter ſinceram diſciplinam, aut propter vtrumque. Præterea, viuentia quidem natura ſortita ſunt vitam; qui vero (G) ſapientiam habent, idonei & ſtudio ſcientiæ dediti fuerunt, deinde ſapientia eius partis animæ eſt, quæ in contemplatione verſatur; vita autem habitus eſt ſubſtantialis congenitus ſine intermiſſione operationis iis quæ apta ſunt ad recipiendum eum, quantum recipi poteſt.

Ex Scholiis S. Maximi.

Et ſicut 1. dicebamus de eo qui eſt, eſſe æuum ipſius per ſe eſſe) Hoc dixerat cap. 5. cum dixit, entium æuum, ſicut autem eſt ſecundum cauſam tempus, & ea quæ fiunt ſubiecta tempori; ſic eſt etiam ſecundum cauſam æuum, & ea, in quibus eſt æuum, *2. antiquitati*) Antiquitatem vocat ſtultam & fatuam opinionem gentilium, vt S. Maximus notatum reliquit, itaque non antiquis ſimpliciter, ſed fatuis antiquis viſum eſſe hoc dicit, *neque 3. ſermones*) Sic etiam (H) intelligi poteſt hic locus ſcripturæ, ſcilicet nulli vſquam ſunt homines, quacumque lingua & ſermone loquantur, qui non audiant & percipiant, quid dies & noctes ſua illa compoſita & rata mutuæ ſucceſſionis viciſſitudine prædicent & declarent, nempe notitiam Dei, qui omnia fecit, moderatur, & regit. Eſt autem conſtructio verborum idiomatis Græci, Non ſunt loquelæ, neque ſermones, hominum ſcilicet quorum non audiantur, id eſt, à quibus non audiantur voces eorum dierum ſcilicet & noctium, ſic intellexit Euſebius Cæſarienſis in Commentariis ſuis eruditiſſimis.

CAPVT

A

CAPVT VIII.

De pace, & paruitate, & magnitudine, & ſtatione, & motu, & de altero, & de ſimilitudine: & quod hac in Deo vna pax ſint; extra Deum autem vt ab eo facta, diverſa ſunt; & quæ eorum proprietates.

MAgnus Dionyſius cap. 11. de diuinis nominibus. De ipſa igitur diuina pace, & ſilentio, quam ſanctus Iuſtus vocat ἀφθεγξίαν, id eſt, inſonantiam, & ἀκινησίαν, id eſt, immobilitatem ad omnem emanationem, quæ noſcitur, quid nam eſt, & quomodo Deus quieſcit, & ſilet, & quomodo in ſe & intra ſe eſt, & totus ſecum eſt ſupraquam vnitus, & nec in ſe ingrediens, & ſe ipſe multiplicans, deſerit vnionem; quin potius ad omnia egreditur, totus intus manens propter excellentiam vnionis omnia exuperantis, neque dicere, neque cogitare vlli eorum qui ſunt, fas eſt, neque poſſibile. Sed cum hoc alioqui eloqui non poſſimus, nec intelligentia aſſequi, ad ipſam tamen diuinam pacem vt vltra omnia poſitam ſurſum evecti, participationes eius, quæ intelliguntur & nominantur, idque quantum homines, & nos præſertim qui multis bonis viris impares ſumus, conſequi poſſumus, attendamus. Ac primum quidem dicendum eſt hoc, quod per ſe pacis, & pacis in vniverſum conſideratæ, & in parte, effector eſt Deus, & quod omnia inter ſe mutuo connectione ipſorum non confuſa commiſcet; qua coniunctione cohærentia ſine diviſione & diſtantia, ſingula tamen ſecundum propriam ſpeciem pura conſiſtunt, non turbata per concretionem contrariorum. Et paulo poſt: Et eſt, inquit, perfecta illa pax vniuſcuiuſque proprietatis impermixtæ conſeruatrix, per providentias ſuas pacis largitrices, omnia inter ſe ipſa & cum aliis ſine ſeditione & confuſione cuſtodiens. Quid autem dicamus de charitate Chriſti erga homines, quæ pacem effudit? Ex qua non iam nobiſcum, neque cum aliis inter nos, neque cum angelis pugnare diſcamus, ſed potius cum ipſis diuina pro viribus operemur ſecundum providentiam Ieſu, qui omnia in omnibus operatur, & pacem facit, quæ verbis explicari non poteſt, & quæ à ſæculo prædeſtinata eſt; qui reconciliauit nos ſibi in ſpiritu, & per ipſum, & in ipſo, patri. Et rurſus idem cap. 9. de eiſdem diuinis nominibus. Hæc magnitudo, inquit, & infinita eſt, & quantitatis & numeri expers; & hæc magnitudo eſt excellentia ſecundum effuſionem abſolutam & ſupraquam extenſam magnificentiæ non comprehenſæ. Idem etiam: Atque omnium cauſa eſt paruum; numquam enim formam parui reperies non participatam. Sic igitur in Deo accipiendum eſt paruum, vt in omnia, & per omnia expeditè means, & operans, & pervadens vſque in diviſionem animæ & corporis, compagum quoque & medullarum, & cogitationum cordis, immo omnium quæ ſunt; non enim eſt creatura vlla inviſibilis in conſpectu eius, hoc paruum eſt ſine quantitate, ſine numero, ſine inhibitione, infinitum, incircumſcriptum, omnia comprehendens, ipſum à nullo comprehendi poteſt. Rurſus idem: Nunc autem divinam diverſitatem cum dicimus, ne ſuſpicemur variationem quampiam in eo qui idem eſt, & ſupraquam immutabilis; ſed multiplicationem eius vnitam, & vniformes emanationes multiplicis foetus in omnia. Et iterum: Similem vero Deum ſiquis dicat, vt eundem, & vt totum per totum ſibi vnite & impartibiliter ſimilem, non eſt improbandum nomen diuinum ſimilis. Theologi vero Deum, qui eſt ſupra omnia, quatenus ipſe eſt, nullius ſimilem eſſe aiunt, ſed ipſum diuinam ſimilitudinem dare iis qui ad eum convertuntur: &, quod admirabilius eſt, quod nihil ſimile eius eſt dicit ſcriptura;

(Margin: B; C; 1.Cor.15.; 1 Cor.5. Ephes.2.; Hebr.4; D)

E

etſi non repugnat hic ſermo ſimilitudini, quæ cum Deo eſt, eadem enim & ſimilia & diſſimilia Deo dicuntur: ſimilia quidem ſecundum imitationem, quæ eſſe poteſt eius, quam nihil poteſt imitari; diſſimilia vero, quatenus effectus infra cauſam ſunt, & infinitis menſuris, & quæ conferri non queunt, ab ea diſtant. Item: Quid vero de divina ſtatione, vel de ſede dicimus? Ipſe enim eſt omnis ſtationis, & ſedis cauſa, qui eſt ſupra omnem ſedem, & ſtationem, & in ipſo cuncta ex bonorum cuique eorum convenientium ſtatione conſiſtunt, & cuſtodiuntur, ne ex bonorum convenientium ſtatione excutiantur. Quid autem, cum rurſus Theologi ad omnia progredi & moveri dicunt immobilem? an non vt Deum decet, hoc intelligendum eſt? Moveri namque pie intelligendum eſt pro eo quod eſt, facere Deum vt cuncta ſint, & continere omnia, & omnibus modis omnibus providere, & omnibus adeſſe tum complexu omnium quæ ſunt, ſine habitudine coniunctionis, tum per providentiam omnia circumeundo, & in omnibus operando. Ibidem ſanctus Maximus: Quod, inquit, ſemper eſt idem, & abſolute eſt, in ſola cauſa omnium effectrice cernitur, quæ creaturis largita eſt, vt in eodem ſtatu permaneant, & vt ea quæ contrarie, vel alio modo habent, inter ſe coagmentata ſint, eodem igitur modo omnia, etiam quæ non manent in eadem natura, in Deo cernuntur eſſe; ſiquidem omnium quæ ſunt, eodem modo, id eſt ſimiliter, eſt auctor Deus. Ex quibus fit manifeſtum, quod pax, & magnitudo, & parvitas, & ſtatio, & motus, & idem eſſe, & diverſum eſſe, & ſimilem, & diſſimilem, hæc omnia vna pax ſunt in Deo, idcirco & hic, & alias clare dictum & demonſtratum eſt à Dionyſio, alia, & contraria, omnia eodem modo & vnite, & nulla duplicatione in Deo eſſe; tamen ab ipſo producta, variata eſſe, ab ipſis emanationibus diverſitatem nacta. Eſt igitur Deus, vt prius demonſtratum eſt, ſicut ſubſtantia, quam neque verbis exprimere, nec eloqui, nec cognoſcere poſſumus, ſic etiam divina eius pax, præterea ſapientia eius, & vita eius, & quæcumque alia abſoluta, & quæcumque nunc in ipſa videntur ſecundum contrarietatem efferri. Laudamus autem hanc ſecundum participationes eius intellectas & nominatas, id eſt, laudamus ab iis quæ produxit, quæ ſub intelligentiam cadunt, & quæ ſub ſenſum, quibus nos ex iis quæ videntur, inſtructi, ad cogitationem magnorum donorum eius deducimur, ipſas per ſe primum actiones animo verſantes, vt ſi quis primum creaturam, vel mundi fabricam ipſam per ſe cogitet, velut actionem Dei & motum intuens, deinde rationem ad producta & creata referat. Conſentiens autem ſecum idem Dionyſis in ſingulis horum nominibus per omnia, ſicut in aliis, ita & nunc nomina ponit cum adiunctione definiente, quod ſcilicet per ſe pacis, & per ſe magnitudinis, & per ſe ſimilitudinis, & aliorum, & eorum quæ contrarie proferuntur, vt per ſe diſſimilitudinis, per ſe diverſitatis, & eorum quæ ſunt, tota, & quæ eorum partes, auctor eſt Deus, cauſa & effector; per omnia eodem tenore & forma demonſtrans & vniuerſa producta eſſe, & vnum tantum eorum omnium principium & cauſam eſſe, vnum ſcilicet, quod eſt ſupraquam ſubſtantia, quæ eſt illa beata & trium perſonarum natura. Vt autem ex iis quæ poſita ſunt, proprietates etiam percipiamus, eſt quidem pax divina, quæ diverſa nectit in vnum) dicta eſt enim congregatrix & colligatrix illorum etiam, quæ maxime diverſi generis & naturæ ſunt(multa in temperamentum commiſcens non confuſe, neque permixte; ſed ſervans in ſingulis vniverſitates, in vnum mentis ſimplicem 1. conceptum reducit. Deinde hæc divina pax veluti vnionem multiplicium & diverſarum vocum & ſonorum inſtar concentus & ſymphoniæ pulcherrime conficit, nihil ex graui aut acuto demutans, ſed potius manent ſecundum

(Margin: F; G; H)

naturam ſine confuſione aptatam, vt ingeneretur copulatio ſupraquam cogitari poteſt, amatoriis quibuſdam illecebris, vel neſcio quid divinius dicam, in vnionem redacta, conſentanee etiam nos divina nomina, quæ in illo vno, quod eſt ſupraquam ſubſtantia, contraria eſſe videntur, huic divinæ paci attribuimus; & magnitudinem ad paruitatem referentes, in vnam pacem contulimus, magnitudinem quidem definientes, qua non queat maior moles reperiri; parvitatem vero, qua non poſſit minor; per vtrumque nomen, pacem ad infinitum Deum revocantes. Quid enim maius ſubſtantia infinita? aut quid rurſus hac tenuius, quæ tota per puluiculum inſecabilem permeat: Item etiam ſimile arbitramur cui eſt ſimilitudo communionis cum alio vel in coloribus, vel propenſionibus, vel moribus, & modis, vel in gubernationibus rerum, vel in alio, vt aliquis poteſt conijcere ſimilitudinem comparentem: diſſimile vero, cuius nulla eſt ſimilitudo ſecundum rationes & modos nobis notos, deſiderium tamen nominis Dei, quo tenemur, in vna pace congregauit hæc, & laudans ſimilitudinem Dei, ſimilem nobis nominat, quia præbet nobis ſimilitudinem, non quod ipſe fiat nobis ſimilis (nulla enim eſt effectis cum effectore ſimilitudo, cum infinitis & immenſis menſuris & interuallis illa ab auctore abſint) ſed potius ſicut diximus, quia ipſe eſt effector per ſe ſimilitudinis, qua nos Deo efficimur ſimiles: Eſtote enim, inquit, miſericordes, ſicut pater veſter cœleſtis, *Luc. 1.* idem vero eſt etiam diſſimilitudinis auctor, quia vnicuique eorum quæ ab eo facta ſunt, proprietatem indidit, vt numquam quamdiu ſingula ordinata ſunt, inter ſe conveniant. Si autem nomen eiuſdem & diverſi Deo attribuimus, ex iis quæ produxit & donavit ſumimus. Eſt quidem ταυτότης, id eſt identitas, conſpiratio & conſenſus vniverſitatis rerum cum vno mundo, & generatio penitus diſtantium, ſummas eorum qualitates ſimiliter retinens; & eadem affectio diverſarum naturarum, & diſſimilium partium, eſt autem rurſus diverſitas multipartita diſtantia eorum quæ ab vna radice in infinitum tenduntur, & variatio omnis generis in partibus & membris vniuſcuiuſque, & multiplex ac varia multitudo creationis formarum, ſic quoque ſtationem Dei laudamus ab iis quæ & collocauit, & firmauit, & quibus locum manendi dedit, & motum rurſus laudamus, quod ipſe cum ſit alioqui immobilis, & declinare non poſſit, nec vlla in re, aut modo moueatur, neque mutetur, aut varietur, voluntate tantum omnes ſpecies & formas motuum produxit, & renouavit, emittens eas vna omnino pace, concentu, & concordia, quando oportet emittere; & rurſus ad ſe revocans ipſa ſua per ſe pace ſecundum vnam, & numquam intermiſſam operationem.

Ex Scholiis S. Maximi.

Album, i. *& nigrum*, & reliquas ſpecies coloris in vnum conceptum ſimplicem coloris cum mens reducit, vniverſitatem generis in eis ſeruat, neque enim convenientia in vniverſitate generis, confundit ſpecies; neque diverſitas ſpeciei tollit convenientiam in vniverſitate; ſed hæc conſenſio & concentus à pace divina proficiſcitur.

CAPVT IX.

De omnipotente, ſuſceptore, adiutore, & de aliis nominibus, quæ de Deo dicuntur, & ſunt eorum quæ dicuntur ad aliquid: & de divinitate, & ſimitudine, & habitudine, quæ in deificatis, & imitantibus, & ſimilitudinem capientibus dicuntur ſecundum imitationem, & ſimilitudinis informationem, & habitudinem Dei, qui eſt omni habitudine ſolutus, & omnem imitationem ſuperat; & de deificatione ſecundum habitudinem, & de iis quæ dicuntur vt excellentiam declarent, vt rex regum, Deus deorum.

GRegorius Nyſſenus in confutationibus Eunomij libro ſecundo: Reperitur, inquit, nihil aliud ſignificare in divina potentia nomen omnipotentis, quam referri aliquo modo ad aliquid operationem continentem imperio & dominatu ea quæ in creatura mundi contemplamur, hoc enim vis, quæ in hoc nomine cernitur, demonſtrat. Et ſicut numquam eſſet medicus, niſi propter ægrotos; neque rurſus miſericors nominaretur, aut miſerator, & ſimiliter in aliis eiuſmodi, niſi eſſet qui miſeratione & miſericordia indigeret; ſic etiam nec omnipotens, niſi omnis creatura dominante, & in eo quod eſt, eam conſervante indigeret. Vt medicus igitur ei qui curatione indiget, adhibetur; ſic omnipotens ei, cui opus eſt teneri dominatu. Et ſicut bene valentibus non opus eſt medico, ſed male habentibus; ſic conſequenter recte dici poteſt, cum in quo natura aberrare & labi non poteſt, non indigere alio à quo teneatur. Et magnus Dionyſius in epiſt. ſecunda ad Caium: Quomodo Deus, qui eſt ſupra omnia, eſt ſupra principium divinitatis, & ſupra principium bonitatis? ſcilicet ſi divinitatem & bonitatem intelligas eſſe donum ipſum, quod deos & bonos facit, & ipſam. i. imitationem quam aſſequi non poſſumus, Dei & boni, qui eſt ſupraquam Deus, & ſupraquam bonus qua dij & boni efficimur. Etenim ſi hoc eſt principium, quo deificamur, & boni efficimur, qui eſt omnis principij ſupraquam principium, etiam eſt ſupra divinitatem & bonitatem, hoc eſt, ſupra principium divinitatis, & principium bonitatis. Quia enim non eſt imitabilis, neque haberi poteſt, antecellit imitationibus & habitudinibus. & eis qui imitantur, & habitudines participant. Magnus Athanaſius in libro de Incarnatione verbi Dei: Deo igitur, inquit, non eſt ſimilis filius Deus, ſed vnum & idem, ſicut ſcriptum eſt: Ego & pater vnum ſumus, *Ioan. 10.* divinitatem interpretatus eſt vnitatem; divinitatem vero non qualis eſt eorum, qui facti ſunt dij: ſiquidem hanc illi opponens, Deus, inquit, eſt non ſicut homo ad ſimilitudinem Dei factus, & Deus nominatus propter ſimilitudinem. Et Gregorius Nyſſenus in quodam libro ex ſuis confutatoriis contra Eunomium. Et ſi inimicus Domini dominum nominet Deum, nititur comparare illum cum divinitate Moyſis. Sanctus Maximus in ſcholiis Dionyſij, recte, inquit, dixit divinitatem ſupra omnem bonitatem, & divinitatem, inferiores igitur divinitates intellige angelorum, & hominum iuſtorum. Sanctus Ioannes Damaſcenus libro 3. de fide orthodoxa, cap. 12. Natus, inquit, ex Virgine, egreſſus autem Deus cum carne aſſumpta, iam ipſa ab eo deificata, ſimul vt producta eſt, & eſſe cœpit: ita vt ſimul hæc tria eſſent, aſſumptio, exiſtentia, deificatio ipſius ab ipſo verbo facta. Rurſus S. Maximus in diſputatione contra Pyrrhum: Sicut inflammatio inflammatum, & inflammantem ſecum infert? & refrigeratio refrigeratum, & refrigerantem; & viſio viſum,

&

A & videntem, & intelligentia intellectam rem, & intelligentem (non enim poteſt habitudo ſine habentibus habitudinem dici, aut intelligi ſic, ut conſequens eſt, deificatio deificatum, & deificantem ſecum inducit. Idem: Oportebat, vt vere dicam, eum qui eſt auctor eorum quæ ſecundum naturam ſunt, eſſe etiam auctorem deificationis ſecundum gratiam. Idem iterum: Demonſtravi, inquit, divinam potentiam, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, efficere deificationem eorum qui ſecundum gratiam deificati ſunt. Gregorius Theologus in oratione poſtquam factus eſt presbyter: Solitudinem, inquit, maximè omnium amplexus ſum, & tanquam adiutricem & parentem divini aſcenſus & deificam vehementer admiratus ſum. Rurſus magnus & divinus Dionyſius cap. 10. de divinis nominibus ait: Dicitur autem omnipotens Deus, vt omnia dominatu ſuo tenens, & qui iis quæ gubernat, præeſt non 2. mixte; & vt omnibus deſiderabilis, & amabilis; & B cunctis 3. iuga voluntaria imponens, & dulces parturitiones amoris divini, & omnipotentis, & inſolubilis ipſius bonitatis. Gregorius Nyſſenus in primo libro contra Eunomium: Alia, inquit, nomina tantum ſignificant quod eſt ad aliquid utile, ut adiutor, defenſor, & ſuſceptor, & quæcumque huius ſignificationis reperiuntur, quibus ſi adimas egentem ope, vacua & otioſa fuerit vis, quæ in ipſo nomine cernitur. Rurſus Dionyſius cap. 12. de eiſdem divinis nominibus. Quia; inquit, auctor omnium ſecundum unam excellentiam univerſa exuperantem eſt ſupra quam plenus, ſanctus ſanctorum, & aliis eiuſmodi nominibus laudando nominatur convenienter cauſæ ſuperfluenti, & excellentiæ eximiæ; ut ſi quis dicat, quanto antecellunt ſancta, aut divina, aut dominantia, aut regia iis quæ non ſunt talia, & rurſus ipſæ per ſe participationes participantibus; tanto antecellit omnibus quæ ſunt, qui eſt ſupra omnia; & omnibus C participantibus, & participationibus, qui eſt cauſa non participata. Sanctos autem & reges, atque dominos, & deos vocant ſcripturæ principaliores in unoquoque ordines. Quod quidem cum S. Maximus adnotat, principes qui inferioribus præſunt, ait vocari ſecundum excellentiam ſanctos, & dominos, & reges, & deos; ſicut & inter homines ij qui ſunt excellentiſſimi, ſic appellantur. Ex quibus efficitur manifeſtum, aliam quidem ſignificationem præſeferre ea nomina, quæ de Deo dicuntur ad aliquid; aliam vero, quæ ſecundum exuperationem efferuntur: atque illa quidem aliquando ſupervacua eſſe & otioſa perfecto opere, ut antea, & nunc demonſtratum eſt; hæc vero, quæ ſecundum exuperationem, ſemper eodem modo excellentiam declarare, atque illa quidem evidens indicium oſtendunt in fabricatione univerſi. Septimo enim die, inquit, requievit ab omnibus operibus ſuis; quare ceſſavit à creatione cœli, ſolis, ſtirpium, animantium, ut univerſe dicam, ab univerſo 4. opere quod patrarat, propter opus enim dictus eſt tunc Deus fabricator mundi. Eſt igitur ſemper fabricator mundi Deus, ſed tanquam iam fabricatio mundi deſierit; ſicut & creator, qui non ſemper creat; & ad ridendum aptus, qui non ſemper ridet, hæc autem eſt, quia ſolum eſt cauſa & effector Deus, infinitis enim & immenſis intervallis effector effectis antecellit. Cum autem Dionyſius excellentiam in his oſtendit, in duas partes diviſit; in ſancta, & non ſancta, & in per ſe participationes, & in participantia. Et quanto, inquit, ea quæ ſunt, iis quæ non ſunt, antecellunt, & participationes participantibus; tanto Deus antecellit ſanctis, & non ſanctis; & per ſe participationibus, & participantibus. Excellentia igitur Dei æquè pervadit in participantia, & per ſe participationes; & in ſancta, aut divina, aut dominantia, aut regia, & in ea quæ non ſunt talia. Si autem Deus æquè vtraque excellit, quam rationem productionis habebunt quæ non ſunt ſancta, & quæ participant, eandem habebunt ſancta, & per ſe participationes, quod ſi

Geneſ.2

D

E illa ſunt creaturæ Dei, & hæc igitur ſunt creaturæ Dei. Apparent tamen hic etiam proprietates, illa enim, id eſt, participantia & participationes, propter, finem, cuius cauſa, perfecta ſunt, & eorum proprietas eſt dici ad aliquid, aliquo modo ſe habere; horum autem, id eſt, quæ ſecundum excellentiam dicuntur, proprietas eſt; ex æquo eſſe infra Deum, cum illis quæ participant, & ſunt per ſe participationes, hæc enim & illa facta ſunt. Præterea omnipotentia, ſuſceptio, auxilium, & ſalvatio ſi in Deo dicuntur, ſunt una pax, & quies, ac ſilentium; ſin vero extra Deum, & tanquam emanationes in creaturas, ad cuſtodiam, & tutelam, & auxilium, & ſuſceptionem, & ſalutem productæ, in iis quæ cuſtodiuntur, perficiuntur. Rurſus, ſanctitas, & dominatus, & regnum, & divinitas, abſolutè quidem in Deo dictæ ſilentium eius ſunt beatum, & ſupra ſubſtantiam: extra Deum vero, proprietates accipiunt ad creaturam ſpectantes; F illa, id eſt, ſanctitas, liberatio eſt ab omni ſcelere & macula; dominatus firmitatem veram, & à prolapſione liberam exhibet; regnum eſt diſtributio omnis regulæ, & ornamenti, & iuris, & ordinis; divinitas vero providentia omnia contemplans, & ſimiliter in aliis, ſi quis à motibus & actionibus Dei nominare pergat divinitatem quæ eſt ſupra quam expromi poſſit ſive affirmando ſive negando, & ſupra quam intelligi, & ſupra ſubſtantiam.

Scholia.

Ipſam 1. imitationem Dei) Imitatio Dei vocatur deificatio, quia non deificamur, niſi imitando Deum, deificatio ipſa quæ dici ſolet per ſe deificatio, eſt donum Dei, & principium noſtræ deificationis à Deo donatum nobis. Deus igitur eſt ſupra huiuſmodi principium formale divinitatis deificæ, qua tanquam dono Dei deificamur ab ipſo Deo; & ſimiliter ſupra G principium bonitatis, qua tanquam dono Dei boni efficimur ab eo, *non 2. mixte)* quia non opus eſt, vt ſe veluti cum rebus & negotiis miſceat ad cognoſcendum ea, ut tute & caute gubernet, ſicut neceſſe eſt homini; alioqui non poterit ſolus ſufficere gubernationi, *3. Iuga)* Iuga voluntaria vocat appetitus naturæ, ut cuique convenit, inſitos, tanquam leges impoſitas, quibus omnis natura libenter & ſponte ſua paret; & nulla reſiſtit, nec obedientiam detrectat. Et quia huiuſmodi appetitus, & impetus inſiti, & inclinationes tendunt ad amandum ſummum bonum, quod varie participant, idcirco eiuſmodi inclinationes dicuntur à Dionyſio divinum amorem parturire, ſicuti terra ſole tepefacta fructus parturit, *ceſſavit 4. ab omni opere)* Creare non ſolum ſignificat facere ex non ente, vt impius Eunomius tradebat; qui idcirco H aiebat non iam animas creari, ſed generari, ex quo Deus requieviſſet ab omni opere quod creando patrarat; ſed ſignificat etiam facere aliquid novum, vt notavit Nemeſius Adamantius lib. 1. de homine: à quo genere creationis dicit ceſſaſſe quidem Deum, ſicut ſcriptum eſt in Eccleſiaſte: Nihil novum ſub ſole. Nec (Eccl.1) enim vel reſurrectio corporum (vt ait Gregorius Nyſſenus hunc locum interpretans) aliquid novi erit, ſed reſtitutio in priſtinum ſtatum; idcirco, inquit, ſubiungit Eccleſiaſtes: Extra vetus nihil eſt, ſic enim eſt apud L X X. interpretes. Creari ergo animam non eſt novum, ſed tale quid, quale à principio factum eſt, cum fecit Deus hominem, & ſecundum imaginem (Gen. 1) Dei fecit eum, ſicut ſemper facit nihil varians. Deſiit itaque creare primordia rerum, unde idem Eccleſiaſtes ibidem: Quid eſt, inquit, quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum, nihil novum ſub ſole. Significat enim (vt alius quidam Gregorius ait, vetus & elegans interpres Græcus, cuius cognomentum nondum reperi) non ſolum ea quæ à principio facta ſunt,

ſervitutem ſuam erga auctorem ſuum demonſtrare, illiuſque infinitam ſapientiam, potentiam, & magnificentiam teſtari, verum etiam quæ nondum exiſtunt, ſed futura ſunt, ipſa quoque rationem ordinis, ſubiectionis & obedientiæ illorum primorum erga auctorem ſuum ſecutura eſſe: ita ut nihil eorum quæ ſunt futura, aut facienda, vel creanda, diverſam ab iis quæ primum facta ſunt, inveniatur: immo ſecundum ſeriem primis illis à potentia Dei omnium operatrice & gubernatrice impoſitam, ortum & motum ac conſervationem habitura eſſe uſque ad præſcriptum à Deo finem omnium; nihilque prorſus reperiendum eſſe, quod alium ortum, aut motum, aut ordinem habeat, unde poſſit aliquis occaſionem ſumere dicendi, Hoc nouum eſt, hactenus iſte auctor.

CAPVT X.

De æqualitate, perfectione, unitate, & quæ eorum in rebus proprietates.

MAgnus Dionyſius cap. 9. de divinis nominibus. Si quis vero, inquit, in ſanctis ſcripturis nomen, quo Deus nominatur idem, & quo nominatur iuſtus, in nomine divino, quo nominatur æqualis, accipiat, dicendum eſt, Deum eſſe æqualem non ſolum vt expertem partium, & qui à recto declinare non poſſit, ſed ut in omnia & per omnia æqualiter meantem, & ut per ſe æqualitatis effectorem, ſecundum quam æqualiter operatur ſimilem omnium per ipſa inter ſe 1. inceſſum, & participationem æqualiter participantium, ut quodque 2. eorum aptum eſt, & æqualem in omnia pro cuiuſque dignitate diſtributionem, & quatenus omnem 3. æqualitatem intellectilem, intelligentem, ratiocinantem, ſentientem, ſubſtantialem, naturalem, voluntariam, exempte & unite in ſe ipſe anticipavit, ſecundum virtutem omnia exuperantem, omnis æqualitatis effectricem. Ac rurſus idem cap. 13. Perfectum rurſus dicitur, quod non poteſt augeri, & ſemper perfectum eſt, & minui non poteſt, item quod omnia in ſe continet, & redundat ſecundum unam nunquam intermittentem, & eandem, & ſupraquam plenam ſuppeditationem, quæ minui non poteſt, qua omnia perfecta conſummat, & convenienti perfectione implet. Et iterum idem: Nec enim eſt multitudo, quæ aliquo modo non participet unum; immo quæ ſunt multa partibus, ſunt unum toto; quæ ſunt multa accidentibus, ſunt unum ſubiecto; & quæ multa numero, aut facultatibus, ſunt unum ſpecie, & quæ ſunt multa multiplici ſpecie, ſunt unum genere; & quæ ſunt multa emanationibus, ſunt unum principio; & nihil quidquam eſt, quin quoquo modo unum participet; illud dico, quod in ſe ſecundum omnia ſingulari, omnia, 4. & tota omnia, & contraria anticipavit. Amplius adhuc idem: Oportet, ut nos à multis virtute divinæ unitatis ad unum converſi, unite laudemus totam beatam divinitatem, unam ſcilicet omnium cauſam, quæ eſt ante omne unum, & ante omnem multitudinem, & omnem partem, & omne totum, & omnem terminum & incircumſcriptionem, omnem finem, & omnem infinitatem: unum, inquam, quod omnia quæ ſunt, & ipſum eſſe 5. definit; & eſt totorum omnium, & ſimul, & ante omnia, & ſupra omnia cauſa ſingulariter, & eſt ſupra 6. ipſum unum ens, & ipſum unum ens definit: ſiquidem quod eſt unum in rebus, annumerabile eſt, numerus autem ſubſtantiam 7. participat; unum vero, quod eſt ſupraquam ſubſtantia, quod eſt unum, & omnem numerum definit, & ipſum eſt unius, & numeri, & omnium quæ ſunt, principium, & cauſa, & numerus, & ordo. Hæc autem adnotans S. Maximus: Adverte, inquit, quod merito ante unum dicit eſſe Deum, quandoquidem omnibus antecellit: unde numeri eſt effector, & inventor. Et rurſus, Obſerva, inquit, quod annumerabile ſignificat declarationem numeri, quare in iis quæ ſunt, id eſt in creaturis, cum unum dicitur, ſecundum numeri notionem dicitur. Ex quibus patet, quod Deus, qui ipſe eſt ſecundum ſe per ſe æqualitas, & per ſe perfectio, & per ſe unitas, hæc ſibi tribuit quæ eſt ipſe, atqui hæc quæ ipſe eſt, intelligere nequaquam poſſumus, nec expromere fas eſt. Theologi vero de per ſe æqualitate, & per ſe perfectione, & per ſe unitate in rerum natura productis loquuntur, explicant, & intelligunt. Eſt igitur æqualitas æqualis diſtributio univerſi, partim aliquid commune habens cum eodem, & cum iuſtitia; partim aliquid proprium; abundat enim variis vocibus, non ut eas in unum concilians, ſed ut principium quoddam & extremum in unum ſonum deſinens, omnia namque quæ inter ſe concinunt, diverſitatem habent eorum, ex quibus conſtant; & ſimilitudinem ſonorum ſecundum plectri modum, æqualitas autem ſimilitudinis vocum plus concentus habet; moderatur enim hunc tamquam cauſa inchoans, & finiens, & veluti à ſe incipiens, & per concinentia, & inter ſe reſpondentia circumiens, in ſe rurſus deſinit. Ab una igitur ratione æqualitatis ſumenda eſt & aliorum ratio, in quibus æqualitas verſari conſuevit, æquale enim eſt, quod eſt eorundem menſura, quorum igitur eædem ſunt menſuræ, æqualitas etiam eadem eſt. Quare divina æqualitas æqualiter operatur ſimilem omnium per ipſa inter ſe inceſſum, & æqualem participationem, ut quodque aptum eſt, & æqualem in omnia pro cuiuſque dignitate diſtributionem, perfectio autem in iis quæ ſunt, quod in eis eſt minus & plus, eiicit; æqualem autem perfectionem reddit partibus, & eſt perfectum in numeris quidem, totum æquale partibus; in affectis vero qualitate, perfectus habitus eorum qui ad hunc uſum affecti ſunt qualitate, natura quædam eſt ipſis perfectè propter multam experientiam ingenita, & neque plus, neque minus habens, quam recta regula ſecundum ipſum uſum requirit: in ſubſtantiis vero perfecta vita, & immortalis; & vt vno verbo dicam, omne nimium & parum perfectionem corrumpit. Æqualitas ergo, & vita non deflexa à recto in ſubſtantiis quidem perfectionem efficit; in numeris vero totum æquale partibus; in qualitate præditis, ſcientia quæ excidere non poſſit. Deus autem, qui eſt per ſe perfectio, perfectionum effector eſt, tum perfectionis, 8. cui ademptæ ſunt multæ perfectiones; tum per ſe perfectionis, quæ latè patet, ad imitationem enim exemplarium divinorum, quæ ſupra ſubſtantiam ſunt, produxit & perfecit, quæ hic abſolutè dicuntur, unitas autem, quæ in omnibus obambulat, divino nomine unitatis decoratur, operans infinitas vnitates in generibus, in ſpecie, in individuis, in partibus, in membris; & vt dicam, quod plurimum valet, & potiſſimum eſt, in omnia ſe multiplicat, nos ad imitationem vnitatis Dei, quæ eſt ſupra quam ignota, ad vnitates revocans, vt in multitudine vnitatum, quæ ab ipſo productæ ſunt, efficiat vt nos à multis ad vnum virtute divinæ vnitatis converſi, facti vnum, laudemus totam, & vnam divinitatem, vnam omnium cauſam, hoc per ſe vnum, quod iis quæ ſunt, annumeratur, principium efficitur eius quod per ſe eſt, quatenus vnum eſt, quod per ſe eſt, licet non ſit per ſe, 9. ſed vt accidens, hoc etiam in vnaquaque emanatione vnum fit; & vnum item communiter in omnibus emanationibus, ſiue genera ſint, ſimiliter; ſiue ſpecies, eodem modo; ſiue individua, nunquam deficit vbique vnum, & huius per ſe vnius proprietas eſt, in quibus ineſt, multa ad ſe convertere. At vero pro expoſitione materiaria contenti ſumus iis quæ magnus Dionyſius expoſuit, quod ſi in quibuſdam, cum ea recenſeremus, aliquid variavimus, non fuit nobis propoſitum magis ordinate quam ille, recenſere, abſurdum enim erat tam magnum ſolem ex adverſo in-

tuere,

A tueri, vt in hoc etiam verbis eius vtar. Deum capita contexuimus, quia hoc fuit à principio propoſitum: proprietates ex iunctis, & continuatis collegimus, propter facilitatem, quædam contraximus, alia in alium locum tranſtulimus propter clariorem diſtinctionem. Inſcripta vero eſt decas, De proprietatibus, non quaſi nobis aliquid abunde ſuppetat, quod magno Dionyſio deſit, ſed potius ex iis quæ copioſe dicta ſunt ab eo, ſolum explanamus vbi oporteat proprietatem conſiderare. Propoſitum vero eſt planum facere per omnia, ſolum eſſe cauſam vniverſi divinam trium perſonarum naturam, quæ eſt ſupra ſubſtantiam, & ſupra naturam, alia vero omnia, ſiue quæ dicuntur primum exiſtentia, ſiue participationes, ſiue providentiæ, & dona divina, quia propter cauſam producta ſunt, in effectis numerantur; ſuntque ſicut effecta, generata & creata. Omnis enim effectio (ait magnus Baſilius) par fit ſuis effectis; & magna quidem effectio magnorum effectorum eſt; parva vero

Cap. 3. de divin. nom. in extrema pag.

B parvorum.

Scholia.

Inter ſe 1. inceſſum.) In elementorum mixtione verſatur huiuſmodi æqualitas, quæ ſi non eſſet, non fierent generationes in mundo, ſi enim aliquod ex elementis exuperet ac redundet, corrumpitur quod generatur, *vt quodque 2. aptum eſt, & pro dignitate.)* Hoc dicit propter æqualitatem proportionis, ſiue quæ ſunt natura fiant, ſiue per gratiam: vt non omnes æqualiter illuminantur à ſole; nec omnes æqualiter ſanctificantur, ſed proportione, vt apti ſunt, aut digni habentur, *omnem 3. æqualitatem)* νοητὰς & νοερὰς, id eſt, intellectiles, & intelligentes vocat angelos, quia habent infra ſe à quibus intelligantur; & ipſi intelligunt, animæ autem non ſolent vocari νοηταὶ,
C id eſt intellectiles, quia non habent infra ſe à quibus intelligantur, ſed dicuntur ratiocinantes, & νοεραὶ etiam, id eſt intelligentes, ſed non propriè, vt angeli, ſentientem æqualitatem vocat, quæ in animalibus reperitur; ſubſtantialem, quæ in ſubſtantialibus (ſic vocat quæ ſunt ſine ſenſu & motu) naturalem, quæ in naturalibus: illa intelligit, quæ qualemcumque motionem habent, natura enim eſt principium motus & quietis, voluntariam, in iis qui voluntate præditi ſunt, qui volunt iuſte vivere, iuſtitia enim eſt quædam æqualitas, omne genus æqualitatis habet Deus anticipatum in ſeipſo ſimpliciter tanquam in ideis & exemplaribus, æterniſque ſuis notionibus, ex S. Maximo, *omnia 4. & tota omnia)* Omnia dicuntur, quando ſunt ſpecies, & partes, & differentiæ in diviſionibus; totum, quando partes collectæ vnum conſtituunt vel ſpeciem, vel genus; vel contraria & oppoſita in vnum conſenſione quadam con-
D ſpirant, vt aqua ſimul, & terra, & aër, ex S. Max. *& ipſum 5. eſſe)* Illud per ſe eſſe dicit, quod eſt per ſe principium, & primum τῷ πρός τι πῶς ἔχειν, id eſt, quia ratione habitudinis tanquam ex forma ex ipſo per ſe eſſe exiſtunt; ſicut vita eſt per ſe vita, *& eſt ſupra 6. ipſum vnum)* illud dicit, quod eſt, vt ait S. Maximus, αὐτάρχὴ καὶ πρῶτον τῷ πρός τι πῶς ἔχειν, id eſt, per ſe principium, & primum habitudine ad aliquid, inducit enim, inquit, notionem multorum ex ſeipſo, hæc autem longè abſunt à Deo, à quo ſunt aliena, qui ſecundum naturam ſuam non poteſt cum alio coniungi, ſicut vnum in numeris, ex S. Max. *ſubſtantiam 7. participat)* Creaturam vocat ſubſtantiam, quod autem numeratur in creaturis, pars numeri eſt, & numeratur in iis quæ ſunt ſuæ ſpeciei, vel generis, vel ordinis, & ſimiliter in aliis, cum quibus conuenit. *Perfectio, 8. cui adempta ſunt multa perfectiones*, eſt perfectio non abſtracta per intellectum à toto, & à parte; hæc enim multis perfectionibus caret, perfectio vero abſtracta, & abſolutè con-

E ſiderata latè patet, quia non eſt reſtricta ad totum, aut ad partem, vt vita abſolutè conſiderata, quæ dicitur per ſe vita, huic nulla perfectio adimitur, ſicut adimitur vitæ in genere, vt animalis; & vitæ in parte generis, id eſt, in ſpecie, vt hominis, aut angeli, & multo magis huius hominis, aut huius angeli, quæ ſunt individua. *Per ſe 9. eſſe*, ſicut per ſe vita, & per ſe vnum, & ſimilia, eſt ens per accidens, quia ſolum per abſtractionem exiſtit in mente.

DECAS SEXTA,

De Apparitionibus divini luminis.

F

CAPVT I.

Quod omne lumen ſub ſenſum cadens ex Deo eſt, & quod ſol imago eſt bonitatis ipſius.

DIONYSIVS capite quarto de divinis nominibus, Sed quod in medio præter lapſum nos effugerat, cæleſtium principiorum, 1. & ſubterminationum cauſa eſt bonum, item ſubſtantiæ huius cæleſtis, quæ non augetur, neque minuitur, & penitus non variatur, & motuum cæleſtis curriculi vaſtiſſimi non ſonantium, ſi ita loqui oportet, & ordinum ſtellarum, & pulchritudinum, & luminum, & infixionum earum, & multiplicis curſus vagantis quorundam ſiderum, & duorum luminarium, quæ ſcriptura vocat magna, circuitus, & eodem, Gen. 1.
G vnde profecta ſunt, reverſionis, quibus apud nos dies & noctes diſtinguuntur; & menſes atque anni definiti ipſos motus temporis, & eorum quæ in tempore ſunt, circulo confectos diſtinguunt, numerant, ordinant, & continent. Quid autem dicatur de ipſomet radio ſolis? A ſummo enim bono lumen proficiſcitur, & imago bonitatis eſt: quamobrem nomine luminis bonum laudatur, tanquam appareat primum exemplar in imagine. Sicut enim bonitas divinitatis quæ ſupra omnia eſt, à ſupremis & provectiſſimis ſubſtantiis vſque ad extremas pervadit, & adhuc ſupra omnes eſt, ita vt neque ſuperiores vſque ad illius excellentiam pertingant, nec inferiores non ab illa contineantur; quin potius omnia quæ illuminari poſſunt, illuminat, & creat, & vitam dat, & continet, & perficit; & menſura eſt eorum quæ ſunt, & Gene.
ævum, & numerus, & ordo, & complexus, & cauſa, atque finis: ſic etiam ingens iſte, & totus ſplendidus, ac ſemper lucens ſol imago expreſſa eſt divi-
H næ bonitatis, quatenus tenuiſſimum 2. quid illius boni in eo procul reſonat, & omnia quæ eum participare poſſunt, illuſtrat, & lumen habet ſupra extenſum, quod in vniverſum mundum qui cernitur, tum ſuperiorem, tum inferiorem, ſplendore radiorum ſuorum multiplicat: & ſi quid eum non participat, non eſt in cauſa imbecillitas aut tenuitas facultatis illuminandi, ſed potius non eſſe expeditum ad participationem luminis, quia non ſit idoneum ad admittendum illud. Ac revera multa ſic ſunt, quæ radius ſolis prætergreſſus, illa quæ vltra ſunt, illuminat; & nihil eſt eorum quæ cerni poſſunt, quo non pertingat ſol, vt eſt ingens vis ſplendoris ſui. Quin etiam ad ortum corporum ſub ſenſum cadentium confert, & ea mouet ad vitam, nutrit, auget, perficit, & purgat, ac renovat; & menſura eſt ac numerus horarum, & dierum, & omnis noſtri temporis (hoc enim eſt illud lumen, Gene. 1.
tametſi tunc non erat figuratum, quod dixit divinus Moyſes diſtinxiſſe illud primum dierum noſtrorum

triduum)

A

tridnum) vnde ἥλιος, id eſt, ſol, dictus eſt, quod omnia facit ἀλεῖ, id eſt, omnia ſeruat ſalua, & congregat diſperſa, & omnia quæ ſentiendi vim habent eum appetunt, vel vt videant, vel vt moveantur, & illuminentur, & caleſcant, & denique vt contineantur, & conſeruentur à ſole: non hoc dico, vt antiquitas exiſtimabat, quod ſol ſit Deus, & auctor universi, qui hunc mundum quem cernimus, propriè gubernet, ſed potius quod inviſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & divinitas. Ex quibus patet, omne lumen, quod cernitur à Deo factum eſſe; & ſolem eſſe multis modis & rationibus imaginem bonitatis Dei: ſimul etiam demonſtratum eſt, quemadmodum cum Deus dixit primo die: Fiat lux, lucem illius tridui ſine figura, & diffuſam coëgit, & in figuram globi ſolis contulit, præfiniens ei circuitus & orbes annuos. Idem oſtendit magnus Baſilius in Hexaemero.

[Margin: *Rom. 1.* — *Gen. 1.*]

B

Ex Scholiis S. Maximi.

Principiorum 1. *& ſubterminationum.*) Non ſignificat hoc loco Dionyſius, vt quidam interpretati ſunt, corpora cæleſtia eſſe principia agentia eorum quæ ortum & interitum capiunt, & diſcerni res ſecundum eadem corpora; non loquitur hic de huiuſmodi principiis, ſed de principiis & terminationibus orbium cæleſtium, quos fecit Deus bonitate ſua globoſos, in qua figura idem eſt principium & terminus, ſive finis, non dixit τῶν περατώσεων, id eſt, terminationes, ſed ὑποπερατώσεις, id eſt, ſubterminationes, vt S. Maximus obſervavit, quia motus corporis globoſi non habet propriè terminum, ſed veluti terminum habet moveri ab aliquo principio ad idem tanquam ad terminum, verbi gratia, ab oriente ad eundem orientem, *tenuiſſimum* 2. *reſonat*) Græcè eſt πολλοστὸν, quod Lucretius Poëta Romanus lib. vi. vertit multeſimum ea forma, qua dicitur centeſimum, milleſimum. Significat tenuiſſimum hic extremi ſoni, vt ſi quis, inquit, S. Maximus, magna vociferatione aliquid dicat, qui adſtant, & bene clamorem, & quod dictum eſt, percipiunt; qui autem diſtant, quo magis diſtant, minus audiunt; qui vero longe ſunt, tenuiſſimum ſonum audiunt ſine ſignificatione vocis: ſic cogitandum eſt, inquit, de lumine ſolis, ſi cum divino conferatur, eſſe ſcilicet divinum lumen infinitum, & conferri cum illo non poſſe, adinſtar acutiſſimi clamoris, & clariſonæ vocis cum tenuiſſimo & obſcuriſſimo ſono collatæ.

C

CAPVT II.

Quod ignis ſub ſenſum cadens ſolum imagines angelorum, qui ſimilitudinem Dei gerunt, exhibet, ſed ipſius etiam Dei; & quæ eius proprietates.

D

Dionyſius cap. xv. cæleſtis hierarch. Aggrediendum, inquit, eſt dicere, & inveſtigandum in prima explanatione figurarum, quare ſancta ſcriptura in figurandis angelis imaginem igneam ferè præ cæteris imaginibus honorare reperitur. Reperies itaque eam non ſolum rotas igneas effingentem, ſed animalia ex igne, & viros inſtar ignis fulgore collucentes, tum acervos carbonum ignis circa cæleſtes ſubſtantias ponentem, & fluuios igni ardentes, impetu qui cohiberi non poſſit, profluentes: immo & ſedes ait igneas eſſe; & ipſos ſupremos Seraphinos vrentes repræſentat, vt nomen declarat, ac proprietatem ignis & efficientiam illis tribuit; denique ſupra, & infra (id eſt, vbique) igneæ imaginis formationem præcipuè honorat. Igneam autem, ut arbitror, deſignat maximam in mentibus cæleſtibus Dei ſimilitudinem: ſacri enim

[Margin: *Dan. 7. Ezech. 1. Dan. 10. Matt. 28. Ezech. 8. Ezech. 1. Dan. 7. Ibid.*]

E

Theologi ſubſtantiam, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, & ſine forma, multis in locis in igne delineant, quod ignis multas habeat imagines (ſi fas eſt dicere) divinæ proprietatis, quatenus in iis quæ cernuntur, habere poteſt. Ignis enim, qui ſenſu percipitur, eſt quidem in omnibus, vt ita dicam, & per omnia non permixte pervadit, & ab omnibus diremptus eſt, & cum ſit alioqui totus lucens, ſimul eſt tanquam latens, incognitus per ſe, non propoſita materia, in qua ſuam vim & actionem oſtendat, neque teneri, neque videri poteſt, & omnia ſuperat; & ea in quibus fuerit ingenitus, ad ſuam facultatem trahit: habet vim immutandi, impartiendi ſe omnibus qui ad eum utcunque appropinquant, renovandi calore vitali, illuminandi ſplendoribus non obtectis; non poteſt cohiberi, eſt admixtionis expers, habet vim ſecernendi, eſt immutabilis, fertur ſublime, eſt motus celeris, eſt altus, non patitur ut unquam appetat deorſum ferri, eſt per ſe mobilis, ſemper mobilis: alia movens; habet vim continendi, & à nullo contineri poteſt, non indiget alio, auget ſe occultè, & in materiis ſubiectis declarat magnitudinem ſuam: eſt efficax, potens, coram omnibus adeſt inaſpectabilis; ſi negligitur, videtur non eſſe; colliſione facta, veluti quæſitus, naturaliter & cognate repente apparet, & rurſus avolat incomprehenſe; in omnibus ſui copioſiſſimis diſtributionibus non minuitur. Multas ignis proprietates poterit quis invenire divinæ operationi cognatas, quatenus in ſenſibilibus imaginibus eſſe poſſunt. Hoc igitur cum in divinis literis eruditi didicerint, cæleſtes ſubſtantias ex igne effingunt, ut ſimilitudinem Dei, quæ in illis ineſt, & imitationem item Dei quantum illæ capere poſſunt, repræſentent. Rurſus idem Dionyſius in Epiſtola ad Titum: Etenim non ſolum lumina, quæ ſunt ſupra ſubſtantiam, & mente contemplamur, & ut ſemel dicam, divina, ſymbolis ad figurandum pertinentibus variantur, ut cum Deus ſupra ſubſtantiam, ignis dicitur; & 1. eloquia Dei ignea: ſed præterea etiam divini ordines angelorum, qui ſimul ſunt intellectiles, & intelligentes, variis formis, ac multiplici ſpecie. & igneis figuris depinguntur: aliterque eandem imaginem ignis accipere oportet, cum de Deo dicitur, qui intelligentiam ſuperat; aliter cum de providentiis eius, quas intelligentia percipimus, aut de ſermonibus, & aliter, cum de angelis. Atque illam quidem imaginem ignis de Deo dictam, ſecundum cauſam accipere oportet; aliam ſecundum exiſtentiam, aliam vero ſecundum participationem; & alia aliter, ut eorum contemplatio & conſtitutio ſcienter facta præſcribit: nec enim oportet fortuito ac temere miſcere ſymbola, ſed potius explanare ea convenienter cauſis, aut exiſtentiis, aut poteſtatibus, aut ordinibus, aut dignitatibus; quæ omnia ſignis declarantur. Ex his efficitur manifeſtum, quod ignis qui ſenſu percipitur, non ſolum imagines angelorum Deo ſimilium exhibet, ſed etiam ipſius Dei, qui ſupra ſubſtantiam eſt; & ubique imaginis igneæ figuratio ex multis proprietatibus ignis ſumpta locum habet, ſed non utcunque & caſu, quinimmo alter in Deo, ſecundum intelligentiam quæ mentem noſtram ſuperat, aliter in nominibus eius, convenienter mentis noſtræ notionibus, aliter in divinis angelis: in illo enim, id eſt, in Deo, tanquam in cauſa & auctore ignis; in his vero, id eſt, in nominibus Dei, quæ providentia varias ſignificant, tanquam in multiplicatis & diffuſis ad participandum ut quiſque idoneus eſt in angelis vero tanquam in eum habitum, quatenus exiſtunt, indutis, quemcunque Deus ad ſalutis noſtræ procurationem velit.

F

G

[Margin: *Deut. 4. Pſ. 11.*]

[Margin: De providentiis ut in Evang. Luc. 12. Ignem veni mittere in terram. Aut de ſermonibus, ut Hierem. 23. Nunquid ſermones mei non ſunt quaſi ignis?]

H

Ex Scholiis S. Maximi.

Quomodo 1. *imago ignis* conveniat præceptis divinis, quæ in ſcriptura vocantur eloquia Domini igne examinata, & quomodo angelis, non idem ſentiunt S.

[Margin: *Pſ. 11.*]

Maxi

A Maximus, & hic auctor Ioannes Cypariſſiotus. S. Maximus ita interpretatur Dionyſium, ut ſermones Dei vocentur ignei ſecundum exiſtentiam, id eſt, quia ſic eos fecit Deus, id eſt, hanc eis vim indidit, cum eorum auctor fuit: *Deut 4.* ſecundum vero participationem angelis convenit, quia ſimiles eſſe Deo, qui eſt ignis conſumens, à Deo, inquit S. Maximus acceperunt, cum per ſe eſſent ſecundum ſubſtantiam. Ioannes vero Cypariſſiotus ſecundum exiſtentiam dicit eis convenire; quod probabilius videtur, ut cum ſubſtantia ſimul ſimilitudinem Dei acceperint: quia ſi prius oportet eſſe, & poſtea participare aliud præter quam eſſe, angeli non habent per participationem hoc quod eis tribuitur iſtis nominibus & figurationibus, ſed per exiſtentiam, quia non fuerunt prinſquam iſta participarent, ſed potius cum his donis creati ſunt: vnde Gregorius Nazianzenus angelum dicit eſſe primi luminis quandam fluxionem & participationem.

B

CAPVT III.

Quod Deus à ſenſilibus & nobilioribus ſol & lumen nominatur, à mediis autem ignis; & quod contemplatio luminum ſymbolicorum eſt multiplicis nominis.

MAgnus Dionyſius capite ſecundo cæleſtis hierarch. Has, inquit, imagines reperiemus myſticos Theologos ſancte effingere non ſolum in angelicis apparitionibus cæleſtium ordinum, ſed cum Deus ipſe apparet; *Malac. 4. Apoc. 22.* & quandoque quidem ipſam divinitatem à rebus magnæ æſtimationis laudant, ut cum ſolem iuſtitiæ vocant, & ſtellam matutinam in mente ſacre orientem, & lumen ſine integumento, & in mente ſplendens; *Exod 3.* C aliquando vero à rebus mediocribus, ut cum appellant ignem ita illuminantem, ut nihil cuiquam noceat; & aquam, quæ vitalem expletionem præbet, *Ioan 7.* & quæ ut ſymbolice loquar, in ventrem diſfluit, & fluvij emanant, eruptione libera effluentes; *Cant. 1. Epheſ. 2. Oſee 13. Ibid.* alias vero laudant ab infimis rebus, ut cum vocant unguentum odoratum, & lapidem angularem: quin etiam forma feræ eum induunt, & leonis ac pantheræ proprietatem ei affingunt, & pardum fore aiunt, & vrſum indigentem: addam præterea, quod cæteris omnibus ignobilius, & magis à ſimilitudine alienum eſſe videtur, quod illi in divinis literis valentes tradiderunt ipſum ſibi ſpeciem vermis affingere. *Oſee 5. Pſal. 21.* Hæc divinus Maximus explicans, Solem, inquit, iuſtitiæ Malachias nominat; & beatus Petrus Donec, inquit, lucifer oriatur in cordibus veſtris: hic enim eſt ſtella matutina. *Malac. 4. 2. Pet. 1. Apoc. 22.* Moyſes autem in rubo, Ignis, inquit, ardens non nocendo. *Exod. 3.* Hieremias ait: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ. D *Hiere. 11* Et Salomon in Canticis canticorum: Vnguentum effuſum nomen tuum. *Cant. 1.* Oſee autem & Micheas ex numero duodecim prophetarum, feras hic dictas commemorant. *Oſee 13.* David vero vermem dicit in perſona Domini, *Pſ. 21.* qui propter nos carnem induit, non ſecundum divinitatem, ſed ſecundum humilitatem & ignobilitatem carnis quæ videbatur. Sed & Gregorius cognomento Theologus in oratione de baptiſmo: Deus, inquit, erat, lumen illud ſummum & inacceſſum, quod nec intelligentia comprehendi, neque ſermone expromi poteſt, omnem naturam rationis corporem illuminans, hoc eſt in iis quæ ſub intelligentiam cadunt, quod eſt ſol in iis quæ ſub ſenſum. Secundum lumen eſt angelus primi luminis fluxio quædam, vel participatio, quæ ſua in eum propenſione & miniſterio illuminationem habet. Tertium lumen eſt homo, quod etiam gentilibus manifeſtum eſt: φῶς enim, id eſt, lumen, nominant hominem, propter facultatem rationis quæ in nobis eſt; & rurſus qui Deo ſunt ſimiliores, & magis quam nos ipſi vicini. Scio etiam aliud lumen eſſe, quo illæ primæ quæ cœperunt, tenebræ pulſæ ſunt, vel diremptæ, quod ante omnem creaturam aſpectabilem factum eſt; E *Gen. 1.* & circuitum rotundum ſtellatum, & illum ſplendorem, à quo ſuperne univerſus mundus collucet. Lumen quidem erat illud primum mandatum primo homini datum, *Gen. 2. Deut. 6.* quando quidem lucerna eſt mandatum legis, & lumen & quia lumen ſunt præcepta tua ſuper terram; *Eſa. 2.* tametſi invida tenebra, quæ irrepſit, nequitiam creavit. Lumen vero typicum, & compar iis qui illud ſuſcipiebant, lex ſcripta erat, quæ veritatem & magni luminis myſterium adumbrabat; ſiquidem & facies Moyſis hoc lumine ſplendeſcit. Et ut de pluribus luminibus loquamur, lumen quidem erat quod Moyſi ex igne apparuit, *Exod. 3.* cum ardebat rubus, & non comburebatur, vt naturam oſtenderet, & potentiam divinam declararet. Lumen deinde erat, quod in columna ignis populo Iſraelitico in via tanquam dux præibat, *Exod. 14.* & ſolitudinis aſperitatem mitigabat. F Lumen item, quod Eliam in curru igneo rapuit, & raptum non combuſſit. *4. Reg. 2. Luc. 2.* Lumen præterea, quod paſtores circumfulſit, quando illud lumen ſine tempore lumini temporis admiſcebatur. Lumen fuit illud ſtellæ, quæ Bethleem cucurrit, vt Magos deduceret, *Matt. 2.* & lumen ſupra nos nobiſcum ortum ſatellitio ſtiparet. Lumen etiam, divinitas illa oſtenſa ferme ſolidior, quam ut aſpectus ferre poſſet. *Mat. 17.* Lumen quoque ſplendor illinc ad eos qui hic purgati ſunt, manaturus, cum fulgebunt iuſti ſicut ſol, *Matt. 13.* inter quos ſtat Deus in medio deorum & regum, diſcernens & diſtinguens dignitates beatitudinis illinc proficiſcentis. *Pſ. 81.* Præter iſta lumina lumen eſt proprio quodam modo illuminatio baptiſmatis, de quo nunc nobis ſermo eſt, quod magnum & admirabile ſalutis noſtræ myſterium continet. Ex quibus liquet, quod Deus à nobilioribus materiis lumen & ſol nominatur; à mediocribus, ignis: quin etiam ab infimis accipit nomen: ſimul etiam demonſtratum eſt multipliciter dici lumen ſecundum multiplex nomen, & per omnem ſymbolicam Theologiam tendere: G huc acceſſit illud de facie Domini quæ in divina Transfiguratione reſplenduit ſicut ſol, qui eſt omnibus quæ ſenſu percipiuntur, nobilior. Reſplenduit enim, inquit, facies eius ſicut ſol, & veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut lumen. *Matt. 17.*

CAPVT IV.

Quod facies Domini noſtri, qua tanquam ſol in diviniſſima Transfiguratione reſplenduit, & ſplendor eiuſdem decorem corporis poſt reſurrectionem glorificati, & futurum eius fulgorem naturalem figuravit, & idcirco in aſpectum oculorum cecidit.

H DIvinus Chryſoſtomus homilia LVI. in Matthæum: *Matt. 17.* Propter hoc, ait, neque nomina dicit eorum qui aſcenſuri erant: vehementer enim reliqui ſequi concupiſſent, exemplum gloriæ illius ſpectaturi; doluiſſentque tanquam ſpreti. Etſi enim hoc lumen craſſius & concretius demonſtravit, multum tamen deſiderium res afferebat. Et rurſus in oratione ad Theodorum lapſum: *Matt.* Quid, inquit, eſt quod reſplenduit tanquam ſol? gloria autem corporum immortalium non tantum luminis emittit, quantum hoc corpus interiturum, quod neque tale erat, quale oculis mortalibus cerni poteſt, ſed quod aſpectu oculorum immortalium, ut videri poſſet, opus habebat. Adhuc idem in eadem oratione: Sed ſi volumus, inquit, videbimus & nos Chriſtum, *Ibid.* ut illi tunc in monte, multo tamen ſplendidius, non enim ſic poſtea veniet: tunc enim parcens diſcipulis, tantum ſplendoris oſtendit, quantum ferre potuerunt; poſtea vero in ipſa gloria patris veniet. *Matt.* Et Anaſtaſius Sinaites in oratione de

A Transfiguratione: Hic, inquit, ſigna regni præfigurata ſunt: in hoc monte ſplendor iuſtorum adumbratus eſt: hic futurorum bonorum tanquam præſentium imago expreſſa eſt. Immo & divinus Theodorus cognomento γραπτὸς in oratione contra Euſebium: Sed tamen ut veritas habet, ſic de ea dicamus: Poſtquam de periculis Salvator diſcipulis expoſuit, inquiens: *Ibid.* Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, & alia huiuſmodi: erant autem alioqui graviſſima & difficilia ad tolerandum quæ iubebantur; ne difficultate eorum quæ dicebantur, defatigarentur, recreat eorum mentes; & ſplendorem eorum quæ expectabantur, & futura erant, ſub aſpectum valde opportune ponit: quamobrem quantum ſpectaculi huius myſtici ſpectatores ſuſtinere poterant, gloriam illam demonſtrat, cum qua in fine ſæculorum venturus eſt; ſecundum quam & ipſi ſimul ſplendeſcent, hanc ſuorum certaminum B remunerationem laturi, quo magis in periculis poſiti confidant contemptis præſentibus, nulla ratione cum iis quæ ſpectantur, ita comparantes; iudicantes non eſſe dignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom 8.* Atqui non ſemper hæc durarunt; ſed ſic ad tempus gubernata, geſta ſunt; modus enim gubernationis eſt. S. Cyrillus Alexandrinus in explanationibus in Lucam: Factam eſſe dicimus transfigurationem non ſic quidem, ut corpus humanum figuram amiſerit, ſed ſplendore quodam indutum fuerit. Quia enim audiebant, oportere carnem noſtram reſurgere, quo vero habitu & forma, incertum erat, ut daret mutationis indicium, carnem ſuam mutavit, ut ſpes noſtras confirmaret. Nunc enim hoc noſtrum corpus caro nuda eſt; tempore autem reſurrectionis immutatio quædam Deum decens, & ſplendoris, non figuræ mutatio erit. Splende- *Matt. 13.* bunt enim, inquit, iuſti ſicut ſol in regno cælorum. C Quod autem ſplendor qui convenit divinæ ſubſtantiæ, univerſæ naturæ creatæ inaſpectabilis eſt, argumento ſunt diſcipuli, qui ne illam quidem viſionem corpoream in monte productam ſuſtinere potuerunt. Ad hæc, Cyrillus Hieroſolymitanus in decima *Exod. 33.* catecheſi: Quandoquidem nemo faciem Dei videre & vivere potuit, aſſumpſit faciem humanitatis, ut eam videntes vivamus: & cum voluit eam oſtendere cum modica dignitate, quando facies eius ſplenduit *Mat. 17.* ſicut ſol, tunc diſcipuli territi cadunt. Quod ſi facies facta ſplendida non quantum poterat facere ut ſplenderet, qui ſplendorem in ea creaverat, ſed quantum diſcipuli ferre poterant, eos terruit, & pati non potuerunt, quomodo in divinitatis dignitatem intueri quis potuiſſet? In canone autem primo ante feſtum in cantico ſeptimo ſic eſt: Qui naturam humanam ſordidatam aqua & igni repurgaſti, ſplendorem huius naturæ in carne tua oſtendis, Salvator, D cuius facies ſplendidior ſole ad figurandam futuram gloriam facta eſt. Enarratores Evangeliorum per annotationes ſic aiunt: Transfiguratio autem oſtenſa diſcipulis in monte, exemplum gloriæ futuræ Salvatoris *Ibid.* prodebat; corporeè vero oſtendebatur, ut oculis mortalibus ad ſpectandum ſubiiceretur, tametſi nimium ſplendorem, & ita ſummum, & oculis noſtris imparem, ſuſtinere non potuerunt. Et iterum: Transfigurationem intellige non figuræ immutationem fuiſſe, ſed potius manente figura, qualis prius erat, acceſſio luminis facta eſt. Et rurſus: Splendorem vultus inſtar ſolis, & candorem veſtimentorum vocat transfigurationem, quæ non eſt exiſtimanda figuræ mutatio, ſed luminis ſplendidiſſimi acceſſio, & hanc eſſe immutationem quam Paulus dicit. *1. Cor. 15* Evangeliſtæ autem transfigurationem nominarunt. Et alias: Non humana figura corporis depoſita, ſed gloria quadam ſplendoris corpore induto. Et iterum. Transfiguratio, quæ dicitur, ſecundum ſplendorem erat, quo facies eius ſicut ſol ſplenduit, & veſtitus eius factus eſt albus & refulgens, ait Lucas;

E *Luc. 9. Matt. 17.* Matthæus vero ait: Facta ſunt veſtimenta alba ſicut lumen: non enim expectanda eſt immutatio figuræ in regno nec ipſius Salvatoris, nec eorum qui *1. Ioan 3.* ſimiles ei erunt, ſed acceſſio luminis fulgentiſſimi. Divinus vero Coſmas incumbens ad explanandum, quis eſſet ille color ſplendidus, & appoſitio illius ſplendidiſſima, Videntes, inquit, diſcipuli Chri- *Luc. 9.* ſtum indutum nube illa lucida in Thabor, proni & inclinati in terram, illuminati mente hunc cum patre & ſpiritu ſancto laudabant. Ioannes Damaſcenus diviniſſimus: Qui olim, inquit, in nube formæ *Exod. 13.* igneæ, in ſolitudine populum Iſraël deduxit, hodie in Thabor inexplicabili modo in lumine ſplenduit. Rurſus ille lingua aureus in oratione ad Theodorum lapſum: Tunc, inquit, tantum in monte ipſis detexit, quantum ab eis videri poterat, ut aſpectui videntium non noceret. Et in oratione in Transfigurationem: Hic, inquit, Dominus Chriſtus ſplendorem gloriæ regni inaſpectabilis oſtendit, non tantam; F quanta erat, ſed quantam ferre potuerunt qui oculos corporeos geſtabant Et beatus Baſilius in XLIV. *Matt. 17* Pſalmi explanatione: Viderunt, inquit, pulchritudinem eius Petrus & filij tonitrui, ſplendore ſolis ſplendidiorem, & digni habiti ſunt qui initia glorioſi adventus eius oculis cernerent. Et beatus Ephræm in oratione ſua in Transfigurationem: Non, inquit, totam abyſſum ſplendoris ſui demonſtravit, ſed quantum menſura pupillarum capere potuit. Et Ioannes Damaſcenus celebrans hoc feſtum: Sed quia, in- *Exod. 34. 2. Cor. 3.* quit, Chriſtus Moyſis quoque faciem olim ſplendore extrinſecus affecit, latuit nunc diabolum per ſplendorem qui hic apparuit ſenſui oculorum. Ex quibus fit manifeſtum, quod facies Domini, quæ ſicut ſol ſplenduit, quia ſub aſpectum oculorum corporis cadebat, & exemplum corporeum futuræ gloriæ oſtendebatur confectum ſecundum aſpectum corporis, & ſplendorem ſenſilem gloriam corporis Chri- G ſti poſt reſurrectionem glorificati, & decorem figurabat, & non meram divinitatem. *Exod. 33.* Non enim, ait, videbit aliquis faciem meam, & vivet. Demonſtratum igitur eſt, immortalium corporum gloriam ab interitu liberis & immortalibus oculis indigere ut videatur: quamdiu vero corpus Domini ante reſurrectionem erat ſimiliter ut nos (excepto peccato) paſſioni obnoxium, neceſſe erat, lumen quod ex eo apparebat, oculis corporeis definiri: quod ſi huiuſmodi oculis definiebatur, manifeſtum eſt corporeum fuiſſe quod apparuit; futuram poſtea glorificati corporis gloriam, & ſplendorem immortalem & ab interitu liberum figuraſſe: tunc enim oculi qui eam gloriam videbunt, ab interitu incolumes, & immortales erunt. Simul etiam demonſtratum eſt, nihil aliud eſſe transfigurationem, quam manente divino corpore, quale prius erat, repente Chriſtum ſplendido quodam colore indutum fuiſſe, & H acceſſionem luminis ſplendidiſſimi demonſtraſſe.

CAPVT V.

Quod lumen, quo in Thabor Dominus ſplenduit, neque ſubſtantia eius erat, neque defluxio quædam ipſius, ac fulgor, ſed ſymbolum occultæ, & non apparentis nunc divinitatis verbi Dei, & imago tenuis illius gloriæ, quæ ipſi futura erat, & ſimulachrum regni cælorum, & annumerabile aliis Chriſti ſupra naturam miraculis.

Divinus Theodorus in oratione in Euſebium adverſus Iconomachos: Sed inſolenter, inquit, iactat Euſebius mutatum eſſe in lumen arcanum, & inexplicabile, & verbum Dei decens. Atqui neceſſe

eſt

A eſt quærere, quidnam eſſet hoc lumen: non enim aperte egregius vir quid eſt, demonſtravit nunc: ſolummodo verbum Dei appoſuit, poſtea vero apertius dicet. Nos tamen nunc contra ea quæ ei viſa ſunt, rationem exequamur. Quid igitur eſt? nunquid ſubſtantia quæpiam, & aliquid quod per ſe exiſtat, nec altero indigeat ad exiſtendum? aut qualitas ſubſtantiæ & corporis expers, quæ in alio, & non in ſe conſiſtere cernatur? At ſi ſubſtantia eſt, vtrum angelica eſt? ſiquidem & angelus lumen eſt, & à primo atque ſupremo lumine fulgor & ſplendor derivatus. Verum non hoc dicet. In his igitur Theodorus ingenioſe moratus, multa numerat abſurda, quæ ſequantur, poſtea dicit: Huiuſmodi ſunt abſona, & à ratione averſa, quæ ex principiis illius patefiunt, ſi illud lumen inexplicabile ſubſtantiam eſſe ait: relinquitur igitur vt quæramus, utrum qualitatem incorpoream, & B ſubſtantia carentem accidentiſ dixerit veluti defluxionem ſubſtantiæ, & ſplendorem inde emiſſum, in quem forma illa mutata fuiſſet: at nihilominus ſumma omnium ignominia & abſurditas divino corpori inuretur: periibit enim ratio ſubſtantiæ, & ſic inferetur non eſſe per ſe. Præterea, non poteſt qualitas abſque ſubiecto demonſtrari quid nam ſit per ſe, quamvis ſit qualitas ex iis quæ inſunt naturaliter in ſubſtantia, vel quæ ad partem ſubſtantiæ reducitur; ut exempli gratia, nunquam rationale ſine ſubiecto, quod eſt animal, conſiſtet, niſi quis prius ponat ſubſtantiam animatam, ſentientem; ſimiliter in mortali, & immortali, & aliis eiuſmodi. Et alias rurſus idem: Sic enim, inquit, pie intelligetur divina operatio æterna, quam potius per ſe operatio, ſi non diſtinguatur a ſubſtantia, ſed potius eandem rationem ſubeat propter proprietatem ſimplicitatis, & incorporeæ naturæ. Et S. Maximus in ſpeculatione magis dilatata de C Transfiguratione: Dictum eſt igitur ſuperius, quemadmodum tres illi beati Apoſtoli per ſplendorem luminis, qui in monte in facie Domini apparuit, ad illum Dei ſplendorem, qui omnibus qui ſunt, penitus inaſpectabilis eſt, ſecundum facultatem & gloriam inexplicabilem & incognitam occultæ divinitatis myſtice deducebantur, intelligentes lumen quod ipſis maius quam vt ſenſus ſuſtinere poſſet, apparebat, ſymbolum eſſe. Et paulo poſt: Exiſtimo, inquit duos modos generalis Theologiæ, per ea quæ in monte in Transfiguratione divina geſta ſunt, expoſitos eſſe myſtice. Et iterum: Illum fulgorem excellentem faciei Chriſti inſtar radij ſolis ſplendentem, tanquam omnem aciem oculorum ſuperantem, didicerunt ſymbolum eſſe & notam divinitatis eius, quæ ſupra mentem & ſenſum & ſubſtantiam & cognitionem erat; veſtimenta vero alba facta, ſymbolum eſſe & imaginem verborum ſcripturæ ſanctæ. Iterum idem: Videamus, utrumne recte & ſapienter in utroque modo Theologiæ iam dicto ſecundum divinam illam Transfigurationem Domini ſymbolum ineſt: oportebat enim, vt qui ſecundum naturam noſtram immutabiliter propter immenſam in homines charitatem creari voluiſſet, figura atque ſymbolum ſui fieret; ſeque ex ſe ipſo ſymbolice demonſtraret; & per ſe ipſum foris oſtenſum ad ſe ipſum penitus inaſpectabiliter abditum, omnem creaturam deduceret, & per cognata naturæ noD ſtræ ſymbola ad ambos modos Theologiæ nos reduceret. Et divinus Chryſoſtomus in oratione ad Theodorum lapſum, incumbens ad explanandum illud. Bonum eſt nos hic eſſe: Si autem, inquit, cum tenuem quendam radium futurorum videret, hæc dicebat, quid dicet quiſpiam, cum ipſa veritas rerum aderit? Similiter Anaſtaſius, qui in monte Sina habitavit, feſtum Transfigurationis laudibus celebrans. Cum vellet, inquit, a præſentibus ſuadere illis futurum, fecit admirabilem in monte Thabor Theophaniam, id eſt, apparitionem Dei, tanquam in imagine quadam quoddam ſimulachrum regni cœlorum prænuntium. Beatus Chryſoſtomus in Commentariis in Evangelium Ioannis cap. 6. homilia 42. Sicut, inquit, in doctrina tradenda non omnia audiebant cum turba: ſic etiam in ſignis non omnia ſigna cum multitudine vulgi videbant: oportebat enim, ut quibus committenda erat orbis gubernatio & præfectura, aliquid amplius quam reliqui, haberent. Et quæ ſigna, inquit, ſeorſum ab aliis viderunt? Transfigurationem in monte factam; ambulationem in mari: ac poſt reſurrectionem multa & magna. Rurſus idem in homilia in aſſumptionem Domini, cuius principium eſt: Lætum quidem omne feſtum: Admiratio fuit Apoſtolis & ſtupor: mortales enim cum eſſent natura, & huiuſmodi ſpectaculis non aſſuefacti, obſtupuerunt. Sed dicet aliquis: Viderant ante Transfigurationem Petrus, & Iacobus, & Ioannes; viderant quidem prius Dominum transfiguratum, & nubem quæ eos umbra texerat; at non viderant nubem in aërem & in cœlos raptam, & ſuſcipientem Dominum. Miraculum fuit illud, miraculum & hoc; ſed hoc firmius & conſtantius; hoc illo ſublimius, tametſi vnius Dei poteſtas & myſterium erat. Tunc apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes; nunc autem thronus cherubicus, id eſt, virtus inaſpectabilis, in nube abditus repente imminens Dominum cum ſervis colloquentem rapuit: tunc Petrus confidenter reſpondit: Domine bonum eſt nos hic eſſe; faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, Eliæ vnum: nunc autem neque loqui vllus diſcipulus potuit, nec os aperire; quinimmo timore maximo perterriti obſtupuerunt. Gregorius Theologus in oratione de bono ordine diſſerendi ait: Qui aſcendunt cum Chriſto in montem; non enim omnes fuerunt ſpectatores illius miraculi, ſed ſolum Petrus, Iacobus, & Ioannes. Et rurſus idem ad Heteronem: Cum fulgor & ſplendor angelorum corporee figurantur, arbitror ſymbolum puritatis eorum eſſe. Et in iis quæ in feſto hoc canuntur: Vt qui, inquit, mirabilia tua ſpectarunt, ea quæ paſſurus es, ne formident. Et in explanatione Evangelij Matthæi: In montem, inquit, aſcendit, vt in occulto miraculum operetur. Ex quibus patefit, quod lumen, quo ſplenduit Dominus in monte Thabor, neque divina ſubſtantia erat (illa enim nec vllo modo expromi, neque cognoſci, neque videri, neque cogitari poteſt) nec erat defluxio quædam, & ſplendor ex illa manans (divina enim operatio æterna, vel potius per ſe operatio nullo modo ſecreta eſt à ſubſtantia eius; immo quidquid eſt ſubſtantia divina, eſt energia, ſive operatio eius) quare quia nec hoc, nec illud eſt, relinquitur exemplum fuiſſe gloriæ & ſplendoris corporis poſt reſurrectionem glorificati, ſymbolumque illius naturæ occultæ & inaſpectabilis in eo latentis, & imaginem tenuem futuræ gloriæ, & ſimulachrum regni cœlorum, nunc quidem ante reſurrectionem in miraculo oſtenſum, & in ſpeculo atque ænigmate; in futuro autem ſpeculis ſolutis, oculis immortalibus, & ab interitu liberis facie ad faciem ſpectandum, expletum & cumulatum viſione a Dei aſpectabili, ſicut ipſe eſt.

Margin notes (left): Matt. 17. — S. Maximus in ſpeculatione xxi. Duos modos generalis Theologiæ demonſtrative dicit, unum Theologiæ affirmantis, alterum negantis. S. Maximus in ſpeculatione xxi. — Matt. 17.

Margin notes (right): E — Act. 1. — F — Matt. 17. — Ibid. — G — Subſtātia Dei videri non poteſt quid ſit. — H

Ex Scholiis S. Maximi.

Nos reduceret) Declarant hunc locum ea quæ idem S. Maximus ibidem ſubiungit: Lumen igitur in facie Chriſti, quod humani ſenſus facultatem vicit, figurabat Apoſtolis modum myſticæ Theologiæ ſecundum negationem, vt cum Deum dicimus infinitum, incomprehenſum, aut ſupra bonum, ſupra ſapientem [illegible], id eſt, ſuperlate, quæ negationes declarantur; in quo quidem Theologiæ modo divinitas eſt ſecundum ſubſtantiam ineffabilis, & ſupra quam incognita, nullum penitus ne nudum quidem veſtigium poſt ſe relinquens, nec vllo modo notionem ſui, quid ſit, vlli permittens, quia quod increatum eſt, a creatura comprehendi non poteſt, nec a finitis pernoſci quod eſt infinitum. Ex huiuſmodi ſymbolis,

A quæ ſunt ſupra ſenſum, ait idem Sanctus Maximus in ſpeculatione XI. Deum qui ſupra rationem & mentem eſt, eſſe tantum, credimus; quid vero, & quomodo, ac quale, & vbi, & quando, prorſus ſpeculari non audemus, nec intelligere poſſumus, neque cogitare patimur. Modum vero Theologiæ affirmantis, quæ ex creaturis Deum laudat, vt cum dicimus, Deum bonum, ſapientem, iuſtum, ſignificantes operationes & providentias eius, veſtimenta candida ſymbolice ſignificabant: hæc enim erant ſymbola creaturarum, quæ ſecundum divinas ideas factæ ſunt, & ſymbola verborum ſcripturæ ſanctæ, quibus res divinæ ſignificatæ, veluti indutæ ſunt; quæ tunc fuerunt ſanctis Apoſtolis facta dilucida, aperta, & clara, & abſque vllo ænigmate tortuoſo, & ſymbolica inumbratione intellecta, ac verbum Dei in ipſis abditum patefecerunt, quando perfectam Dei cognitionem acceperunt, & ab affectione mundi & carnis perfecte liberati ſunt
B ὁρατὴν θεωρίαν, viſionem Dei aſpectabilem vocat, videre ſcilicet oculis mentis divinitatem per corpus Chriſti glorioſum oculis glorificatis viſum: ſic enim videbimus eum ſicuti eſt, ut
1. Ioan. 3 beatus Ioannes ait. Non quidem ſignificat videndam eſſe in futuro eſſentiam Dei oculis corporeis, ſed quod ait Theodoretus in commentariis in epiſt. 2. ad Corint. cap. 4. Natura, inquit, divina, quæ ſub aſpectum non cadit, neque cerni poteſt, per humanitatem Chriſti divino lumine circumfuſam, & ſplendentem, iacientémque radios cernitur quantum licet ſcilicet oculo mentis, hoc ait ſignificaſſe Paulum, cum ait: Qui
2. Cor 4 dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu, id eſt, qui olim luminis
Gen. 1. naturam ſolo verbo effecit, dicens: Fiat lux; is nunc ſuo lumine mentes noſtras illuminavit, vt Dei gloriam per Chriſtum perſpiceremus hanc vocat hic auctor iſte θεωρίαν ὁρατήν, id eſt, viſionem Dei aſpectabilem huiuſmodi eſt viſio, de qua S. Thom. p. 1. quæſt. 12. art. 3. ad 2. cum ait ex perſpicuitate intellectus & refulgentia divinæ claritatis in corporibus
C glorificatis divinam præſentiam ſtatim cognoſci.

CAPVT VI.

Quod omnes diverſis temporibus luminis divini apparitiones, perſonæ unius filij Dei effectus ſunt; & quod exemplar corporis eius glorificati ſymbolum fuit divinitatis eius propter unionem duarum in Chriſto ſecundum hypoſtaſim naturarum, & quia idem erat Deus & homo; unde in ſingulis miraculis Chriſti divinitas oſtendebatur, & detegebatur, atque aperiebatur.

D SAnctus Gregorius Nyſſenus in epiſtola ad Theo-
Baruc. 3. philum Alexandrinum contra Apollinarium: Nec enim, inquit, quia auctor ſæculorum noviſſimis diebus viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, idcirco duo filij ſecundum Eccleſiam numerantur, vnus auctor ſæculorum, & alius qui in fine ſæculorum humanæ vitæ per carnem patefactus eſt. Si quis enim œconomice apparuiſſe in carne unigenitum Dei patris filium ita accipit, vt alterum filium fabricet, cum numeraverit omnes apparitiones Dei ſanctis factas ante quam vnigenitus Dei filius in carne appareret, & omnes quæ poſt adventum eius factæ ſunt iis qui digni fuerunt; hic ſecundum numerum divinæ apparitionis multitudinem filiorum fa-
Gen. 15. bricabit: eritque ei unus quidem filius, qui Abra-
& 26 hæ locutus eſt, alter vero, qui Iſaac apparuit; alius,
& 32. qui cum Iacob luctatus eſt; alius, qui à Moyſe di-
Exod. 3. verſis apparitionibus eſt viſus, in lumine, in caligi-
13. 33. 31 ne, in columna nubis, facie ad faciem, in poſte-
E rioribus; alius rurſus filius, qui ſucceſſori Moyſis
Ioſ. 8. adfuit in acie; & alius, qui per procellam Iob re-
Iob. 38. ſpondit, & qui in excelſo throno Eſaiæ apparuit, &
Eſ. 6. in figura humana ab Ezechiele verbis deſcriptus eſt,
Ezech. 1 & qui poſtea in lumine Paulum circumfulſit: & qui
Act. 9. antea in monte in ſublimiore gloria viſus eſt. Sin au-
Mat. 17. tem abſurdum eſt hoc, & penitus impium, varias vnigeniti filij Dei apparitiones in numerum totidem filiorum partiri; æque abſurdum eſt, ex adventu in carne occaſionem capere conſtituendi alterum filium Dei: arbitramur enim ſecundum menſuram facultatis cuiuſque eorum, quibus Deus apparebat, apparuiſſe ſemper Deum. Et beatus Gregorius in oratione de recto ordine in diſſerendo: Aſcendere vero in montem opus fuit, vt per formam ſplenderet, & divinitatem oſtenderet, detegerétque eum qui in carne latebat. Et rurſus idem: Divinitas per ſe inaſpectabilis eſt; veniet autem, ut mea quidem ſententia eſt,
F talis, qualis viſus eſt diſcipulis, vel potius qualis ſub-
Mat. 17. oſtenſus eſt, nimis ſuperante divinitate humanam carunculam. Ac iterum: Lumen, inquit, fuit divinitas illa in monte diſcipulis ſuboſtenſa, ſolidior fere, quam ut videri poſſet. Et Damaſcenus: Aſſumit, inquit, puriſſimum virginitatis inſtrumentum, ut qui gloriam
Ioan. 1. filij æternam vidiſſet, illud In principio erat verbum tonaret. Et divinus Chryſoſtomus explanans illud,
Ibid. Vidimus gloriam, gloriam quaſi vnigeniti à patre; Nunquam, inquit, vidiſſent, niſi per corpus nobiſcum altum & nutritum. Et iterum in oratione de Transfiguratione: Oſtendit, inquit, & non oſtendit gloriam regni ſui divini inaſpectabilis: oſtendit quidem, ut eos certos faceret; non autem oſtendit, ne una cum aſpectu vitam etiam amitterent. Et divinus Coſmas in canone feſti, cantico quarto: Ex carne, inquit, tua radij divinitatis exibant. Idem adhuc in quinto cantico: Commixtus non confuſe, carbonem divinitatis oſtendiſti. Rurſus Chryſoſtomus in homilia 42. in Ioannem: Vident, inquit, illum deambulantem in
G mari, & eis conturbatis dicit: Nolite timere, ego ſum:
Mat. 14. quare non aſcendit ſtatim in navigium? quia volebat maius miraculum facere, & divinitatem eis apertius patefacere. Et magnus Baſilius: Ex ventis, inquit, & mari, quæ ei obedierunt, cognoverunt divinitatem
Mat. 8. eius. Ex operationibus igitur cognitio, & ex cognitione proficiſcitur veneratio. Et in iis quæ in mediam Pentecoſtem canuntur: Venit medium dierum Pentecoſtes, cum Chriſtus divina poteſtate tenuiter detecta, paralyticum ſanavit: & in novam Dominicam: Domi-
Luc. 5. ne, inquit, fulgore tolerabili divinitatis clauſis iannis adfuiſti: & infinita alia eiuſmodi. Ex quibus manife-
Ioan. 20. ſtum fit, quemadmodum idem & unus filius Dei, & verbum patris, qui erat ante adventum in carne, hic ipſe apparationes variis temporibus factas operabatur, & in adventu ſuo cum carne, quamdiu cum hominibus verſatus eſt, hic ipſe eaſdem apparitiones Dei cum poteſtate faciebat: & poſtquam complevit œconomiam adventus ſui in carne, & in cœlos aſſumptus eſt,
H rurſus hic ipſe ſecundum menſuram poteſtatis cuiuſque fecit, & facit naturæ ſuæ, quæ ſupra omnia eſt, ſpectacula: & ſicut antequam fieret homo, omne ſymbolum & omne exemplar, divinitatis eius erat ſymbolum & exemplar; ſic & nunc exemplar corporis eius glorificati, divinitatis eius ſymbolum eſt; unus enim eſt filius & Deus: & poſt aſſumptam humanitatem ſanguinem Dei & corpus Dei pie veneramur. Sicut igitur hæc, ſic ſymbolum humani corporis glorificati ſymbolum eſſe divinitatis eius pie docti ſumus, & in ſingulis eius divinis ſignis divinitatem, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, ſuboſtendi, & detegi, & aperiri, & videri, & ſpectari, recte atque ſane à ſapientibus, qui divina callent, accepimus, non affirmantes aſpectabilem eſſe divinitatem eius infinitam & incognitam, ſed ſimilitudinem divinitatis, quam tanquam in imagine & ſpeculo atque ænigmate contemplamur. Et ſicut, cum ſint alioqui

A

infinitæ divinæ imagines Chriſti, non multi Chriſti, ſed unus tantum Dominus noſter Ieſus Chriſtus; ſic cum ſint infinitæ imagines divinitatis, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, & ſicut unaquæque imago divina inſcripta eſt Chriſtus, ſic vnaquæque harum ſimilitudinum divinitas appellata eſt. Ex ordine enim, inquit, omnium rerum, vt qui ab ipſo factus eſt, & qui imagines quaſdam & ſimilitudines divinorum eius exemplarium habet, ad illud ſupremum, quod ultra vniverſitatem rerum eſt, via & ordine pro viribus aſcendimus: & quod plus eſt, divinus ſermo. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: quod autem illud ſuboſtendere & adumbrare dicit ſimilitudinem divinitatis, manifeſtius hoc fit ex iis quæ ſcribit idem Gregorius Theologus tanquam ſe ipſe interpretans in libro de Theologia ſecundo, quomodo hæc oporteat intelligere: Sicut, inquit, umbræ & imagines ſolis in aquis, infirmis oculis ſolem ſuboſtendunt, quia ſol ipſe, cum puro eius lumine ſenſus noſter vincatur, videri ex adverſo non poteſt, quocirca ſenſus noſter vincatur, videri ex adverſo non poteſt, quocirca hoc ſignificat ſuboſtendere, quod ſenſus non poteſt liquide videre, hoc ſimilitudinem eius per aquam, aut per aliam rem quampiam intermediam exprimere. Sic idem Gregorius viſionem interpretatus eſt notionem, libro ſecundo de filio: Qui, inquit, novit filium (hoc enim ſignificat illud. Qui vidit) novit quoque patrem. Et Ioannes Chryſoſtomus: Reſpondit, inquit, Iudæis, & dixit: Non quod patrem quis vidit, niſi qui eſt ex Deo; etiam hic viſionem vocat cognitionem. Igitur vidiſſe, ſpectaſſe, ſuboſtendiſſe, adumbraſſe, detexiſſe, nudaſſe, indicaſſe, patefeciſſe, vel ſimpliciter accipienda ſunt pro eo quod eſt cognoviſſe; vel accipienda ſunt pro eo quod eſt tanquam in imagine & ſimilitudine per aſpectum oculorum perſpexiſſe. Similiter parum divinitatis aperuiſſe, & tenuem ſplendorem eius vidiſſe ſic accipere oportet, ac ſi dicamus per ſpecula & ænigmata conieciſſe. Nec enim divinitas minor, aut maior ſe ipſa, videntibus oſtenditur: ſed potius eadem æque infinita, & non veſtigabilis, & impartibilis, convenienter menſuræ videntium omne genus luminum creat, & ad elevationem mentium noſtrarum proponit.

Rom.1. Geneſ.1. B Matt.11. Ioan.14. Ioan.6. C

CAPVT VII.

Quod eam pulchritudinem, quam Adam ante peccatum non obediendi habuerat, nunc naturam humanam recuperaſſe Dominus in monte Thabor in ſe quidem primum ad vivum expreſſit, poſtea vero poſt reſurrectionem ſuam ſicut ipſe Dominus eodem lumine multo copioſiore † naturaliter ſplendebit, ſic ſecum habebit iuſtos conſequentes ſole ſplendidiores, ſcilicet reſtituens eos in illam beatitudinem quæ erat ante peccatum Adæ.

† id eſt, vere & in ſubſtantia ſua.

DIvinus Andreas Cretenſis in magno canone ait: Amiſi primam meam pulchritudinem, & decorem meum; & inde iaceo nudus, & pudet. Et Gregorius Theologus: Pelliceis tunicis induitur, fortaſſe craſſiore carne, & mortali, & dura, ac repugnante. Et divini atque beati Coſmas & Ioannes in canonibus in Transfigurationem: Qui totum, inquiunt, Adam geſtaſti, Chriſte, naturam obſcuratam & hebetatam commutaſti, & ſplendidam iam antea reddidiſti; & immutatione formæ tuæ deificaſti. Et iterum: In hunc enim montem cum tu Salvator vna cum diſcipulis tuis aſcendiſſes, naturam in Adam inumbratam, transfiguratus, ſplendere rurſus feciſti, mutans eam in divinitatis tuæ gloriam & ſplendorem. Et iterum: Hodie Chriſtus in monte Thabor naturam Adam immutavit, & ſplendidam reddens deificavit. Et iterum: Qui manibus inaſpectabilibus hominem ad imaginem tuam, Chriſte, formaſti, pulchritudinem tui exemplaris in natura à te formata demonſtraſti non tanquam in imagine, ſed tanquam qui eſſes ſubſtantia Deus & idem homo. Et iterum: Qui olim cum Moyſe in monte Sina per ſymbola locutus eſt, cum dixit: Ego ſum, qui ſum; hodie transfiguratus in monte Thabor coram diſcipulis, oſtendit in ſe ipſo naturam humanam ad exemplar pulchritudinem imaginis recuperaſſe. Et Sanctus Cyrillus libro ſeptimo eorum quos more dialogi ſcripſit: Nonne dicimus fabrefactum eſſe hominem in terra ſecundum imaginem Dei? Quis hoc neget? Qui autem divinam imaginem nobis inſculpit, & pulchritudinem ſupra quam cœleſtem inſtar ſigilli in nobis imprimit, an non eſt ſpiritus? Et divinus Anaſtaſius Sinaites in oratione in Transfigurationem: Hodie natura illa Adami, quæ ſimilis Deo facta, ad deformes formas idolorum obſcurata erat, transfigurata eſt in antiquam ſuam pulchritudinem ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Hodie natura, quæ in montibus erraverat, & idola coluerat, ſine ſui mutatione, in monte quæſita, ſplendores divinitatis refulgentes emiſit. Hodie qui tunicis illis triſtibus, & moleſtis tunicis indutus fuit, veſtitum a Deo factum ſumpſit, induens lumen tanquam veſtimentum. Immo etiam ille aurea eloquentia Theologus in homilia de ieiunio ſic ait: Amiſit Adam veſtitum immortalitatis regium, pulcherrimum ſupra quam dici poſſit, quem quidem in monte transfigurationis Domini Moyſes & Elias geſtaverunt. Et magnus Dionyſius capite primo de divinis nominibus. Nunc quidem, inquit, charitas Dei erga homines in ſanctis ſcripturis, & apoſtolicis traditionibus convenienter nobis ea quæ ſub intelligentiam cadunt, ſacris operimentis ſub ſenſum cadentibus velat; & ea quæ ſupra ſubſtantiam ſunt, iis quæ in rerum natura ſunt, obtegit; formas & figuras iis quæ forma & figura carent, obducit; & illud unum & ſimplex, quod ſupra ſubſtantiam & naturam eſt, & quod figurari non poteſt, varietate ſignorum partibilium multiplicat, & effingit: cum vero immortales facti erimus, & ad illum beatiſſimum ſtatum Chriſti ſimilem perveniemus, tunc ſemper, ſicut ait vera ſcriptura, cum Domino erimus, expleti contemplationibus puriſſimis aſpectabilis quidem apparitionis Dei, quæ nos lucidiſſimis fulgoribus circumfundet, vt diſcipulos in illa diviniſſima Transfiguratione, inaſpectabilis vero illuminationis in mente materiæ experte & impatibili participes effecti, ſimul & vnionis, quæ mente concipi non poteſt, in iactibus ignotis & beatis radiorum ſupra modum clarorum, in imitatione diviniore cœleſtium mentium; erimus enim, ſicut ait ſcriptura, angelis æquales, & filij Dei, facti filij reſurrectionis. Hæc Sanctus Maximus cum adnotat, Sancti, inquit, in reſurrectione ſtatum ſimilem Chriſti cum immortalitate adipiſcentur, ſplendentes ſupra quam ſol ſplendet, ſicut Dominus in monte transfiguratus eſt, ſicut Apoſtolus de ſanctis ait: Tunc erunt ſicut & ipſe eſt, & ſemper cum Domino erimus: & divinum eius corpus ὁρατὴν αὐτοῦ θεοφάνειαν, id eſt, aſpectabilem Dei apparitionem vocat, vt iam hoc dictum ſimul quadret in Neſtorianos, & Acephalos, & in eos qui opinantur, non eſſe nunc cum carne Dominum. Eſt in Chriſto aſpectabilis quædam apparitio Dei, quæ eſt caro eius animata; & eſt altera apparitio Dei νοητή, id eſt, quæ mente percipitur, quæ à nobis tunc perfectius participabitur, quando converſi ad Deum, ſplendore illinc perfecte accepto vnum copulate efficiemur, liberati à varietatibus ex compoſitione proficiſcentibus. Et Anaſtaſius Sinaites in oratione in Transfigurationem: Quid, inquit, maius, & magis ſtupendum, quam videri Deum in forma hominis facie ſplendentem ſicut ſol ſplendet, & ſupra quam ſol ſplendet refulgentem, & radios luminis ſine intermiſſione ulla iacientem, & + puriſſimo digito ori ſuo

In oratione in Natalem Chriſti. D E Geneſ.1. Exod.3. Lib. de Trinitate. F Hier.50. Geneſ.3. ſ.103. G 1.Theſ.4 Luc.20. 1.Theſ.4 H

impoſito, diſcipulis qui cum eo illic erant, dicentem: Sic fulgebunt iuſti in reſurrectione; ſic glorificabuntur, in hanc gloriam immutabuntur, in huiuſmodi lumen, in hanc ipſam imaginem, in hanc ſpeciem, in eandem beatitudinem conformabuntur, conformes & conſeſſores facti mihi filio Dei. Et in iis quæ in hoc feſtum cantantur: Vt oſtenderes, inquit, immutationem mortalium cum gloria tua, Salvator, in ſecundo adventu tuo horribili futuram, in monte transfiguratus es. Et Gregorius Theologus in oratione in Natalem Domini: Quam multi, inquit, mihi conventus celebres in ſingulis Chriſti myſteriis? quorum omnium caput vnum eſt mea perfectio, & inſtauratio, & ad primum Adam reverſio. Et Gregorius Nyſſenus libro primo in Eccleſiaſten: Talis facta eſt anima, qualis rurſus poſtea emundata apparebit; tale factum eſt corpus, quod manibus Dei formatum eſt, quale tempore ſuo reſurrectio demonſtrabit. Quale enim poſt reſurrectionem eſſe videbis tale omnino fuit primo; nec enim aliud eſt reſurrectio, quam reditus ad antiquum. Hinc fit manifeſtum quod eam pulchritudinem quam habuit Adam antequam non obediret, & eum ſplendorem, in quo tunc ſecundum naturam creatus eſt, nunc Dominus in corpore ſuo humano recuperaſſe naturam humanam præfiguravit, cum in monte Thabor plus quam ſol ſplenduit: poſtea tamen poſt reſurrectionem ſuam ſicut naturam ab interitu liberavit, & immortalem reddidit, ſic ei totum ſplendorem reſtituit, multo maiore quam dici poteſt, lumine circum eam collucens, habénſque ſecum qui conſequuntur, iuſtos plus ſole fulgentes: quod ſi non plene & perfecte hodie, at certe in communi generis humani reſurrectione, cum nos in ea ipſa natura immortales facti, ſtatum Chriſti ſimilem, & beatiſſimum cum Chriſto aſſequemur, cum Chriſto choream ducentes: finis enim charitatis Salvatoris erga nos maioris quam ut cogitari poſſit, noſtra perfectio eſt, & inſtauratio, & ad primum Adam reditus à Chriſto per humanitatem ſuam ſapientiſſime confectus.

CAPVT VIII.

Quod ſit ſecundum eſſentiam futurum lumen reſurrectionis, & quod ſit regnum Dei nobis præparatum, & quæ civitas cœleſtis, quæ ad regnum Dei pertinet.

MAgnus Baſilius in homilia ſexta Hexaemeri: Nec, ego, inquit, dico poſſe te aut me lumen à corpore ſolis ſecernere, ſed quod ea quæ à nobis cogitatione ſeparari poſſunt, poſſunt actu ab auctore naturæ ſeparari: ſiquidem & tu vim vrendi, quæ in igne ineſt, ab ſplendore eius ſeparare non potes; at Deus cum vellet famulum ſuum admirabili miraculo convertere, ignem iniecit rubo, qui à ſolo ſplendore efficientiam haberet, facultatem vero vrendi vacuam, & nihil agentem; ſicut David teſtatur, cum ait: Vox Domini dividentis flammam ignis: vnde ſermo quidam fertur arcanus, qui nos docet in remunerationibus operum, vitæ huius dividendam eſſe naturam ignis; & lumen quidem iuſtis ad fruendum, partem vero vrendi ad dolorem, reis torquendis ſecernendam eſſe. Et rurſus idem Pſalmo vigeſimooctavo in homilia moralium: Ignis, inquit, diabolo & angelis eius ad tormentum præparatus dividitur voce Domini, vt quia duplex vis ineſt igni, vna vrendi, altera illuminandi, illud acre & vrens dignis cruciatu relinquatur; quod vero illuminat, & ſplendidum eſt, hilaritati lætantium attribuatur. Vox igitur Domini dividentis flammam ignis, & patientis; vt ignis tormenti non ſplendeat & lumen reſurrectionis non vrat. Et rurſus libro primo Hexaemeri: Erat, inquit, quidem ſtatus antiquior ortu mundi, qui poteſtates ſupra mundanas decebat, ſupra tempus, æternus & perpetuus: in eo autem ſtatu creaturas auctor & fabricator vniverſi effecit; lumen intellectile, quod beatitudini diligentium Dominum conveniebat; rationis compotes, & inaſpectabiles naturas, omnémque ordinem earum. Et Gregorius Nyſſenus libro primo confutationum in Eunomium c. 26. Omnibus, inquit, arbitror notum eſſe, eos dico, qui mediocriter ea quæ ſunt, conſideraverunt, quod auctor vniverſi, qui ſæcula, ſive ævum, & locum in eis, tanquam receptaculum eorum quæ in eis facta ſunt, effecit, in his creat omnia, nec enim poteſt quidquam eorum quæ creata ſunt, vel creantur, non eſſe vel in loco, vel in tempore. Et magnus Athanaſius libro ſecundo contra Arianos: Igitur multo magis Petrus non creaturam eſſe ſignificabat, cum hoc aiebat: ſciebat enim eſſe filium Dei, quem confeſſus erat, inquiens: Tu es Chriſtus filius Dei vivi: ſed potius ſignificabat, regnum & dominatum eius in nobis per gratiam creatum eſſe, & exiſtere. Et divinus Chryſoſtomus in oratione, quam inſcripſit contra hæreticos, & in petitionem filiorum Zebedæi, quæ incipit: Heri ex bello reverſi ſumus. Conſidera, inquit, etiam hic multam generis noſtri procurationem, cum loquitur iis quos corona donat: Venite, inquit, benedicti patris, poſſidete paratum vobis regnum ante conſtitutionem mundi: iis vero qui torquentur, non dixit: Recedite à me maledicti in ignem paratum vobis, ſed paratum diabolo & angelis eius, regnum enim hominibus præparavit, gehennam vero non hominibus, inquit, ſed diabolo & angelis eius. Quod ſi vos ſic vitam egeritis, vt digni ſupplicio & cruciatu ſitis, æquum eſt vt vobis ipſi ignem præparaſſe exiſtimemini. Ac vide quanta ſit Dei ad charitatem erga homines propenſio, nondum erant qui certarent, & iam coronæ & præmia præparata erant: Poſſidete, enim, inquit, regnum paratum vobis ante conſtitutionem mundi. Idem iterum: Non ſolum nos à tormentis liberavit Chriſtus, ſed etiam vitam nobis donavit multo ſplendidiorem, quam erat prior; in alium nos introduxit mundum, aliam creaturam effecit. Et ſanctus Iſaac: Time, inquit, Deum, & ſenties qui te finxit, & roborat, & cuſtodit, & qui propter te duplicem mundum fecit, vnum quidem tamquam magiſtrum & inſtitutorem, verumtamen caducum; alterum vero tamquam domum paternam, & hæreditatem tuam æternam. Et magnus Baſilius in Hexaemero: Quid, inquit, illa beatitudine dignum cogitare quis poteſt, quam lætificat flumen Dei? & eius artifex & fabricator eſt Deus, quam Paulus civitatem cœleſtem vocat illis præparatam, qui propter fidem Dei civitates terrenas reliquerunt; cuius, inquit, artifex & auctor Deus. Ex quibus fit manifeſtum, quod futurum lumen reſurrectionis ſecundum eſſentiam ſplendor eſt ignis, ſplendor inquam ſeparatus ab igne, ab eo qui ignem creavit, qui ſplendorem quidem iuſtis ad illuminationem attribuit; vim vero vrendi iis qui deliquerunt, ad dolorem. Sicut enim lætitia iuſtis ante conſtitutionem mundi parata eſt, ſic item iis qui peccaverunt, ſupplicium: & ſicut nova & inuſitata eſt illius ignis vſtio (non enim conſumit ea quæ in eum iniecta ſunt, ad inſtar naturæ ignis qui à nobis nunc cernitur; ſed potius dolorem quidem æqualem aut maiorem infert iniectis in eum, à conſumendo vero alienus eſt) ſic etiam illuminatio illa in meliorem mutata eſt, quam ſit noſtra illuminatio; eſtque cœleſtis & inſeparabilis, & oculis immortalibus immortale lumen. Ad ſimilitudinem igitur illuminationis regnum paratum iuſtis, eſt effectum & creatum à Deo vniverſi, qui mundos duos effecit, vnum quidem hunc noſtrum caducum & fragilem, alterum vero æternam domum, & cœleſtem atque immobilem civitatem, & æternum eius regnum, & dominatum, & cuius ipſe vere rex & dominus eſt.

A

CAPVT IX.

Quod omne lumen ſive ſenſile, ſive intellectile, ex vero & ſupra ſubſtantiam lumine refulget: & quod lumen intellectile Deus eſt.

Iacob.1. MAgnus Dionyſius capite primo cœleſtis hierarchiæ: Omne, inquit, datum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Sed & omnis emanatio luminis à patre proficiſcentis, quæ ad nos tamquam bonum donum venit, rurſus tamquam vis quædam vnifica nos ſurſum elevatos, ſimplices reddit, & ad vnitatem patris congregantis, & i ad ſimplicitatem deificam convertit: Rom.11. ſiquidem ex ipſo omnia, & in ipſum, ſicut ait ſacra B ſcriptura. Ieſum igitur invocantes, qui eſt lumen paternum, lumen verum, quod illuminat omnem homi- Ioan.1. nem venientem in hunc mundum, per quem habui- Ephes.2 mus acceſſum ad patrem, principium luminis, in illuminationes ſanctarum ſcripturarum à patribus traditas pro viribus intueamur. Et rurſus idem cap. 7. eiuſdem hierarchiæ cœleſtis: Contemplatrices autem ſubſtantias, inquit, non tanquam ſymbolorum, quæ vel ſenſu, vel mente percipiantur, ſpectatrices, neque varietate contemplationis ſacrarum ſcripturarum ad Deum elevatas; ſed tanquam omni cognitione ſimplici altioris luminis expletas; & contemplatione illius pulchritudinis, quæ eſt effectrix & origo pulchritudinis, & quæ ſupra ſubſtantiam eſt, & in tribus ſplendet, quatenus fas eſt, refertas, communionis vero Ieſu ſimiliter participes factas non in imaginibus ſancte informatis, quæ veluti formæ in eis deificam ſimilitudinem exprimant, ſed tanquam vere ad eum appropinquantes in ipſa prima participatione cognitionis luminum eius, quæ deifica ſunt, &c. Ac rurſus idem cap. 4. de divinis nominibus. Nunc autem celebrandum nobis laudibus eſt nomen luminis, quo ſummum C bonum nominatur, ſummum enim bonum dicitur lumen intellectile, quia omnem mentem ſupra cœleſtem implet lumine intellectili; omnem autem ignorantiam & errorem ex omnibus animis, in quibus eſt, eiicit, & ipſis omnibus lumen ſanctum impertit, earúmque oculos mentis à caligine ex ignorantia circumfuſa repurgat & liberat; & excitat atque aperit multa gravitate tenebrarum compreſſos & clauſos; datque primum quidem mediocrem ſplendorem, deinde tamquam deguſtato lumine, & oculis iam magis poſt deguſtationem lumen appetentibus, magis ſe impertit, & copioſius fulget, quia dilexerunt multum; ac ſemper eas ulterius provehit proportione ſtudij earum ad aſpiciendum ſurſum. Lumen igitur intellectile dicitur illud bonum, quod eſt ſupra omne lumen, tamquam fons radiorum, & effuſio luminis inundans omnem D mentem 2 ſupramundanam, & circummundanam, & mundanam, ex plenitudine ſua illuminans, & totas earum facultates intelligendi renovans, & omnes continens, quatenus ſupra omnes tenditur; & omnibus antecellens, quatenus ſupra omnes ſtat, & vt ſemel dicam, omnem principatum illuminandi tamquam princeps luminis, & ſupraquam lumen, in ſe comprehenſum habet, & ſupraquam habet, & præhabet; atque omnia ratione & mente utentia congregat, & in unum copulat, etenim ſicut ignorantia errantes dirimit; ſic adventus luminis congregat & copulat illuminatos, perficitque eos, & ad id quod vere eſt, convertit, à multis opinationibus eos revocans, ac varios aſpectus, vel vt magis proprie dicam, varia viſa in vnam veram & puram ac ſimplicem cognitionem contrahit, & vno lumine vnifico implet. Immo & Gregorius Theologus, Æternis quidem ipſe, inquit, Deus eſt lumen, & non alius. Quid enim opus erat ſecundo lumine iis qui E maximum habentiis autem qui ſunt infra, & circum nos, primam huius luminis vim effulgere facit. Rurſus idem in ſecundo de Theologia libro: Quantum, inquit, eſt illud lumen, ſi hoc conſideraſti? Hoc ſol eſt in iis quæ ſenſu percipiuntur, quod eſt ille in iis quæ ſub intelligentiam cadunt, dixit quidam ex exteris. Sol enim aſpectum illuminat, ſicut ille mentem; ſol Nar.lib. 6.de sep eſt pulcherrimus ex omnibus quæ cernuntur, ſicut ille ex omnibus quæ intelliguntur. Et beatus Chryſoſtomus: Splendeat, inquit, nobis peccatoribus lumen tuum æternum, lumen æternum omnino intellige ſpiritum ſanctum, qui illuminat & ſanctificat animas noſtras, de quo Apoſtolus. Miſit, inquit, Deus ſpiritum Gal.4. filij ſui in corda noſtra, ſcilicet ad illuminandum ea; quem gratiam Dei vocat: Dico autem, inquit, per Rom.12. gratiam Dei quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. De quo etiam Propheta David dixit: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, &: In Ps.42. lumine tuo videbimus lumen. Lumen enim eſt filius, Ps.35. F lumen eſt ſpiritus ſanctus, lumen eſt pater. Quin etiam in quotidianis precationibus: Chriſte, inquiunt, lumen verum, qui ad illuminandum omnem hominem in mundum veniſti, ſignetur ſuper nos lumen Ioan.1. vultus tui, vt in eo videamus lumen inacceſſum, & Ps.4. lumen lætum ſanctæ gloriæ immortalis patris, cœleſtis ſpiritus, beati Ieſu. Cum ventum eſt ad occaſum ſolis, viſo lumine veſpertino, laudamus patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum. Et divinus Damaſcenus in carminibus. Lumen, inquit, immutabile, verbum luminis patris ingeniti in lumine tuo hodie viſo in Thabor, lumen vidimus patrem, lumen & ſpiritum, illuminantem omnem creaturam. Immo & Gregorius Theologus: In lumine, inquit, Domini vide lu- Ps.35. men; in ſpiritu Dei filium amplectere, lumen trinum & impartibile. Et S. Maximus in Theologicis: Lumen, inquit, dicitur, & vita, & reſurrectio, & veri- In 1. hec. cent. Theologica cap.70. tas, lumen quidem vt ſplendor animarum, & vt tenebrarum ignorantiæ expulſor, & vt illuminans mentem ad intelligendum arcana, & oſtendens myſteria, quæ puris tantum aſpectabilia ſunt, vita autem dici- Ioan. 11 & 14. tur, quia animis quæ Dominum diligunt, motum eas decentem in rebus divinis præbet, reſurrectio autem G vocatur, quia mentem ab affectione mortua rerum caducarum excitat, & ab omni genere corruptionis & interitus liberam & puram reddit, veritas vero, quia 3 habitum bonorum immutabilem donat dignis. Ex quibus fit manifeſtum, quod omne lumen ſive ſenſile, ſive intellectile ex vero & ſupra ſubſtantiam lumine refulget: & quod Deus dicitur lumen intellectile, quia ex plenitudine ſua vniverſum mundum ab ignorantia abſtrahens, ad cognitionem ſui convertit, & vno lumine vnifico implet, demonſtratum alioqui eſt, quod per omne lumen, & quod cernitur, & quod deprecamur ſignari ſuper nos ex divina facie Domini, ad aliud lumen intellectile & inacceſſum Ps.4. quod in patre, & filio, & ſpiritu ſancto contemplamur, adducimur, vt iam per lumina quæ videntur, & H quæ intelliguntur, ad vnam cogitationem revocemur, ſupra omne lumen & omnem intelligentiam eſſe Deū.

Ex ſcholiis S. Maximi.

Hoc 1 contingit, cum ſumus eodem ſenſu & ſententia, ſicut Apoſtolus præcipit; quod quidem per partici- 1.Cor.1. pationem divini luminis fit, impletúrque illud in Evangelio Ioannis: Vt & ipſi in nobis vnum ſint. Angelos 2 *excellentiora* dicit aſſiſtentes Deo, Dan. 7. & an- Ioan.17 gelos obeuntes miniſteria circa homines in hoc mundo, ad hos pertinet illud in Deuter. 32. Conſtituit Matt.1 terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei, & in Evangel. Angeli eorum ſemper vident faciem patris, & animas, quas mundanas mentes vocat. *Habitum 3 fidei & virtutum* dicit: quia fides cre-

A dentem firmat in veritate, & veritatem in credente, Dionyſ. in divin. nomin. cap. 7. unde Apoſtolus ſubſtantiam vocavit rerum ſperandarum, id eſt, firmamentum. *Hebr. 11*

CAPVT X.

Quod divinus Moyſes, & ei ſimiles omnia lumina ſive ſub ſenſum cadentia, ſive ſub intelligentiam relinquentes, in caliginem ſplendidiſſimam ingrediantur, in unum cum infinito Deo per ignorantiam, & nihil videndo copulati.

MAgnus Dionyſius in libro de myſtica Theologia cap. primo: Sic igitur, inquit, divinus Bartholomæus dixit, multam eſſe Theologiam, & perexiguam; & Evangelium eſſe latum & magnum, & rurſus, conciſum eſſe illud divino ingenio, ut mihi videtur, intellexit, quod bona omnium rerum cauſa eſt quidem copioſi ſermonis, & ſimul brevis ac nullius ſermonis, vtpote quæ neque dici, nec intelligi queat, quia univerſis creatis excellit ſupra ſubſtantiam; & quia ſola ſine operimentis & vere oſtenditur iis qui cuncta quæ impura, quæ pura ſunt, pertranſeunt; & qui omnem aſcenſum ad ea quæ ſunt, ſancta & ſumma, ſuperant; & omnia divina lumina, & ſonos, & ſermones cœleſtes relinquunt, & in caliginem ingrediuntur, vbi vere eſt, ſicut ait ſcriptura, qui eſt ultra omnia, non enim † ſimpliciter divinus Moyſes primum iubetur vt ſe repurget, deinde ut ſe à non repurgatis ſeparet; & poſt omnem repurgationem audit multiſonas tubas, ac videt multa lumina puros & multiplices radios iacientia: poſtea à vulgi multitudine ſeparatur, & cum electis ſacerdotibus ad ſummum faſtigium divinorum aſcenſuum evadit; ſed hactenus nondum eſt cum ipſo Deo, nec eum videt (inaſpectabilis enim eſt) ſed locum videt, vbi ſtetit, hoc autem exiſtimo ſignificare, diviniſſima & ſumma eorum quæ cernuntur & intelliguntur, ſermones quoſdam eſſe, qui ſubiiciunt menti illa quæ ſunt ſubiecta ac ſuppoſita ei qui univerſis antecellit; quibus præſentia ipſius, quæ omnem cogitationem mentis vincit, declaratur inſiſtens tamquam in veſtigiis ſummis intellectibus locorum eius ſanctiſſimorum: ac tunc ab iis quæ videntur, & ab iis qui vident, abſolutus & expeditus, in caliginem vere myſticam ignorantiæ ingreditur, in qua myſtica caligine omnes notiones excludit, & in ipſo qui funditus neque tangi, neque videri poteſt, hæret, factus totus ipſius qui ultra omnia eſt, neque ſuus, nec vllius alterius, cum eo autem qui eſt penitus incognitus, per vacationem omnis cognitionis, ſecundum meliorem partem copulatus. Et Gregorius Theologus in oratione de baptiſmo: Deus, inquit, eſt lumen ſummum & inacceſſum, quod neque mente comprehendi, neque oratione exprimi poteſt, quodque omnem naturam rationis participem illuminandi habet facultatem: hoc eſt in iis quæ intelliguntur, quod ſol in iis quæ ſentiuntur. Ex quibus patet, omnia lumina ſive quæ ſenſu percipiuntur, ſive quæ intelligentia, infra relinqui ab iis, qui ad ſummam contemplationem eius qui vltra omnia eſt, evaſerunt, & in caliginem ſplendidiſſimam non comprehendendi eum ingreſſi ſunt, nullo lumine eum exprimente & deſignante. Ex capitibus diſpoſitis conſtat expoſitio materiaria huius partis, oſtenſio enim luminum divinorum aut in luminibus quæ ſentiuntur, continetur;
2 & facit ſolem imaginem Dei, & ignem item imagi-
3 nem Dei; & à nobilioribus, vt ſole & lumine, im-
4 ponit Deo nomen luminis; & à mediis, ut ab igne,
aut continetur in luminibus ſymbolicis, in quibus
præcipua eſt apparitio luminis facta in diviniſſima

Margin: B; E x … † i. e. … (marginal note, illegible); C *Exod. 33*; D; 1; *Mat. 7*

E Transfiguratione vultus Domini, qui ſplenduit ſicut
5 ſol, quæ decorem corporis Chriſti poſt reſurrectio-
6 nem glorioſi facti tamquam in imagine repræſenta-
bat; & ſymbolum erat divinitatis, quæ in eo latebat:
quia in Chriſto ſalvatore noſtro idem eſt dicere ſymbolum corporis glorificati; & divinitatis eius, &
quod lumen, quod ſic in Domino in monte Thabor
7 apparuit, pulchritudinem Adæ ante peccatum ſignificavit, eamque iam naturam humanam in humanitate Chriſti recuperaſſe, & futurum eſſe poſt reſurre-
8 ctionem ſplendorem iuſtorum, & quid ſit ſecundum
9 exiſtentiam lumen, quod in futuro apparebit poſt reſurrectionem: & quod Deus eſt lumen intellectile, quod in naturis incorporeis ſplendet, quatenus vere ſplendoris earum effector eſt, poſtremo loco vacationem ab omni lumine poſuimus, & ipſam di-
10 vinam caliginem. Nihil igitur in materiaria expoſitione huius tractationis de lumine prætermiſſum eſt, quin potius omnis divini luminis oſtenſio breviter
F tractata eſt.

DECAS SEPTIMA,

De Divina participatione.

CAPVT I.

Quod proprium Dei eſt, adeſſe omnibus ſecundum ſubſtantiam, & ſicut ſubſtantia adeſt præſens, ſic etiam operatione adeſt: & quis modus ſit præſentiæ eius qui explicari non poteſt.

SAnctus Iuſtinus martyr in oratione de recta confeſſione ait: Quomodo verbum ubique eſt ſecundum ſubſtantiam? & quomodo in ſuo templo? Etenim ſi illic eſt, ſicut eſt in omnibus, nihil amplius habebit templum, atque cetera omnia. Et ubi illud ponemus, quod ſcriptum eſt: in ipſo habitat plenitudo divinitatis corporaliter? Sin autem quis concedat, magis eſſe in templo, non adeſt omnibus ſecundum ſubſtantiam, quod eſt proprium Dei. Evidens argumentum eſt perfidiæ, dicere de Deo. Quomodo? Quomodo cœli effector eſt, quomodo terræ, quomodo maris, aëriſque & ſtirpium, & animantium omnium, & tui ipſius? Qui omnia diligenter de Deo quæris, plane dices omnia produxiſſe copioſa potentia ſua. Num igitur potentia Dei aderat ſecundum accidens iis quæ fiebant, an ſecundum ſubſtantiam? ſi ſecundum accidens, aderat quidem illis quaſi eſſent, antequam fierent; ſiquidem accidens non eſt ſecundum naturam per ſe, ſed in aliquibus prius ſubiectis exiſtit. At ſi hoc ridiculum eſt, relinquitur potentiam Dei omnibus adeſſe ſecundum ſubſtantiam. Num igitur quia potentia Dei omnibus quæ fiunt, ſecundum ſubſtantiam aderat, nihil amplius templum ipſum in quo fuit, habebat? Habet hoc dubitationem, & illud habet: & fides eſt utriuſque dubitationis ſolutio. Vidiſti quemadmodum ratio invicta evertit perfidiam; vide linguas cum Deo pugnantes occluſas. Idem etiam: Dic igitur quomodo verbum caro factum, cœlos non dereliquit? Sane dicetis, quod manens Deus, ſic factus eſt. Rurſus ergo dicite nobis, quomodo manens, factus eſt? Si enim manſit quod erat, quomodo factus eſt quod non erat? Sin autem factus eſt quod non erat, quomodo manſit quod erat? Dubium habes de ſolutione, habe etiam dubium de modo unionis. At credis quod manens, factus eſt; crede etiam adeſſe ubique ſecundum ſubſtantiam verbum, & præcipuo quodam modo eſſe in templo ſuo. Immo & Sanctus Anaſtaſius

Margin: G; *Coloſſ. 2.*; H

Antioche

A Antiochenus in libro de incircumſcripto ait : Sed quidam , inquit , ut videtur , infirmitatem propriæ naturæ in Deum transferunt , reſtricti in maximis , & exiſtimantes melius eſſe contrahere divinam naturam à materia , quam exiſtimare ; eam uſque ad omnia tendi & porrigi ; prorſus arbitrantes nefas & impium eſſe, naturam illam quæ pluſquam ultra omnia eſt , indui corporibus non decentibus , ſordibus & tetro odore plenis , vel animis impiis ; vel aliis quibuſdam , quæ minime de Deo cogitari debent ; hi revera humilia ſentiunt , & Deo , ac magnitudine eius quæ attingi non poteſt , indigna. Et paulo poſt : Debilia igitur & infirma animis agitant , nullumque firmamentum habentia , quia nullam creaturam ſuam reiicit Deus , nihil enim ſordidum eorum quæ ſunt , exiſtimat : quinimmo cum ad nos appropinquat , vitij noſtri non efficitur particeps. Et rurſus in eodem libro : Verum
B quia operationem in omnibus eſſe aiunt (hanc enim volunt non circumſcribere) interrogandi ſunt , quomodo de ea ſentiant. Numquid dicunt participare ipſam terrenas ſordes , cum appropinquat eis , an non? Quod ſi verum fateantur , manifeſtum eſt fieri poſſe, ut quod appropinquat , non participet vitium eorum quibus appropinquavit. Quod ſi dicturi ſunt participare , eadem abſurditas eos qui hoc dicunt , conſequetur , quam ut fugerent , Deum circumſcribebant. Contrahant igitur & operationem , ut univerſum plane diſſolvant. Sin vero metuentes hoc abſurdum, tamquam pœnitentia ducti , divinam operationem nihil quidquam lædi dicant, cur non hoc ipſum de ſubſtantia affirmant ? Ad hæc , Photius patriarcha in quæſtionibus ad Amphilochium cap. 75. Quare qui dubitat, inquit , utrum ſi Deus eſt in omnibus , non ſit ſupra omnia, neſcit ſe ignorare quæ de divina natura in ſcriptura ſancta ſcripta ſunt; neque quidquam altius, quam conſuetudo rerum terrenarum fert, neque divinius aliquid de iis quæ materia vacant, cogitat. At vero quo-
C modo in omnibus eſt ? Dictum quidem eſt , nullo modo eorum quæ ſunt , & ſi quid magis ad contemplationem pertinens dicendum eſt , & non eſt reformidandum , ſurſum evehi ſimul cum iis qui ſunt alta mente, ad altitudinem dogmatum Theologicorum , eſt Deus in univerſo ſecundum operationem ſimul & ſubſtantiam. Et ne mihi dicas: Quomodo ? Dictum enim eſt iam , nullo modo creaturarum. Quomodo igitur eſt ſecundum ſubſtantiam ? Sicut intellexiſti ſecundum operationem. Quia enim alia ſunt quandoque potentia , & quandoque actu ; Deus autem , quatenus mens acuta intelligere poteſt , ſemper eſt actu (non enim ex imperfecto ad perfectum proficiſcitur : nec aliud quidquam , quam per ſe actus , eſt per ſe ſubſtantia) evidens conſecutio eſt , in quibus eſt ſecundum operationem ſive actum , in iis ipſis eſſe ſecundum ſubſtantiam. Et magnus Athanaſius in libris contra Arianos Ubique , inquit , adeſt præſens ſubſtantia magnitudinis ſuæ ; quia æqualis eſt filius patri , & cum
D patre ubique adeſt divinitate ; & quia omnia continet ſubſtantia. Si enim dixeris non adeſſe ubique, maiora eſſe dices ea quæ facta ſunt , quam eorum auctor ſit. Et divinus Chryſoſtomus : Quod quidem ubique Deus eſt , ſcio , & quod totus eſt ubique ; quomodo autem , neſcio , non enim fieri poteſt ut ſubſtantiam videamus , neque quæ à ſe eſt , neque quæ ab alio. Et Cyrillus Hieroſolymitanus in catecheſibus : In mera , inquit , divinitate ſupervacaneum eſt cogitare aſcenſum & deſcenſum , potentia enim illa quæ omnia continet , ille qui ubique omnibus adeſt , cui univerſa ſpiritu ſuo circundat , non transfertur à locis in loca , ipſius eſt vox : Cœlum & terram ego impleo. Si igitur implet , quo tranſmittatur ? Ita fit , ut aſcendit & deſcendit ſupervacuum ſit in divinitate. In ſalvatore autem , & in diſpenſatione adventus eius in carne , proprie dicitur aſcendit & deſcendit. Et Joannes Damaſcenus : Deus , inquit , expers partis eſt , totus ex toto ubique ; & non pars in parte

B corporee diviſus ; ſed totus in omnibus , & totus ſupra omnia. Ex quibus fit manifeſtum , proprium eſſe Dei omnibus ſecundum ſubſtantiam adeſſe. Sicut autem ſubſtantia adeſt , ſic ſua poteſtate & operatione, ſecundum enim ſubſtantiam potentia adeſt ; & non eſt aliud per ſe operatio , & aliud per ſe ſubſtantia. Quomodo autem Deus ſecundum ſubſtantiam , & æqualiter omnibus adeſt , & quomodo ipſe in omnibus & ſupra omnia , modus neque dici , neque cognoſci poteſt.

Lib. 4. Phyſicorum exponit Ariſt. modos quibus aliud in alio eſſe dicitur.

Hier. 23

Lib. 1. ca. 16.

CAPUT II.

Quod ſicut adeſt nobis præſens Deus etiam eum participamus: ſi autem ſubſtantia adeſt, ſubſtantiam eius participamus.

F MAgnus Dionyſius in iis quæ adnotavit ex ſancto Hierotheo in Theologicis ipſius principiis: Cauſa omnium , & quæ omnia implet , eſt Ieſu divinitas quæ : ſervat partes toti conſentientes : & neque pars , neque totum eſt : & eſt totum, & pars, quatenus omne , & totum , & partem in ſe ipſa comprehendit; & ſuprahabet , & antehabet , perfecta quidem eſt in imperfectis , tamquam principialis cauſa perfectionis: imperfecta autem in perfectis , tamquam ſupraquam perfecta, & anteperfecta : forma formæ : effectrix in iis quæ carent forma , tamquam principialis cauſa formæ ; ſine forma in ipſis formis , utpote ſupra formam; ſubſtantia totis ſubſtantiis inſiſtens impollute , & ab omni ſubſtantia ſupra ſubſtantiam abſtracta ; tota principia , & ordines definiens , ſupra omne principium & omnem ordinem collocata. Et magnus Athanaſius in diſputatione contra Arium ; Secundum hæc divinitas patris & filij ſancta & ſanctificans , quæ
G ſanctificat omnia quæ rationem participant , quibus data eſt liberæ voluntatis & ſtudij poteſtas ad capiendam ſanctam & beatam ſubſtantiam in communionem ſanctificationis. Et divinus Cyrillus in Theſauris: Sicut igitur , inquit , mulier gloria viri vocata eſt, quia partem ex membris eius ad ſui fabricationem accepit ; ſic vir gloria Dei appellatus eſt , quia factus eſt particeps ſubſtantiæ eius per ſpiritum ſanctum , qui in eo habitavit. Et rurſus idem diſſerens de ſpiritu ſancto : Igitur quandoquidem ſpiritu ſancto habitante in iis qui Deo probati ſunt , Chriſtus eſt qui habitat , neceſſe eſt dicere ipſum ſpiritum divinæ ſubſtantiæ eſſe ; cuius participes facit eos qui ipſum participant , & iterum idem in eiſdem : Eſt igitur ſpiritus ſanctus ſecundum naturam Deus , quippe qui ſanctos regenerat , ut ſint unum cum Deo , qui habitat in eis. Et adhuc idem in eiſdem : Quid igitur opus eſt longo verborum circuitu uti , & multiplices notiones texere ? Hanc enim ipſam vim ſanctificantem ex patre manantem , quæ imperfectis tribuit perfectionem, dicimus eſſe ſpiritum ſanctum ; ſupervacaneumque eſt
H creaturam per interiectum medium ſanctificari , cum benignitas Dei dignata fuerit uſque ad minima pervadere , & ea per ſpiritum ſuum ſanctificare. Et divinus Theophanes in canticis ſuis : Lumen , inquit , unius principij , & in tribus ſplendens, ſubſtantia ſine principio, pulchritudo , immenſa habitat in corde meo , & iterum in eiſdem : Rex cœleſtis , paraclete , ſpiritus veritatis , qui ubique ades præſens , & omnia imples, qui es theſaurus bonorum , & vitæ dator , veni , & habita in nobis ; & emunda nos ab omni macula ; & ſaluas fac animas noſtras. Ex quibus patet , quod Deo ſecundum ſubſtantiam præſente , ſubſtantiam eius impermixte participamus : & quod ipſa eſt quæ nos ſanctificat , & habitat in nobis , noſque ab omni labe per ſpiritum ſuum qui ſupra ſubſtantiam eſt , repurgat.

Cap. 3. de div. nom.

Lib. 13. ca. 3.

1. Cor. 11

Gene. 2.

2. Tim. 1.

A

Ex Scholiis S. Maximi.

In 1. eſſentiis rerum hic ordo conſideratur; primo, principia rerum; ſecundo, ſubſtantia ex principiis conſtituta; tertio, ſpecies propria totius compoſiti ex forma proficiſcens; quarto, perfectio ipſius rei non ſolum quo ad ſpeciem, ſed quo ad propriam operationem & finem, tunc enim res eſt omnimodis perfecta, cum ſuum finem aſſequitur; quinto, res variæ quæ ſingulæ quadam propria perfectione præditæ ſunt, & ordine quodam copulatæ totum quoddam perficiunt, ut in univerſo, & in homine Hierotheus ergo docet, quomodo divinitas Chriſti eſt cauſa in his omnibus incipitque ab extremo, id eſt, à toto, & remeat in primum, id eſt, in principia rerum. Conſervat igitur, inquit, univerſum, & partes univerſi toti conſentientes, & cum eo conſpirantes; & ipſa non eſt totum, neque pars, quia ſcilicet non habet perfectionem totius & partis, ſicut totum & pars, ſed excellentius in infinitum, eſtque rurſus totũ & pars divinitas Chriſti, nempe quia quidquid perfectionis eſt in toto & in parte, hoc ipſa Chriſti divinitas præhabet, & ſuprahabet, reliqua faciliora ſunt. Illud vero, Subſtantia totis ſubſtantiis inſiſtens impollute, ſignificat eſſe Deum in omnibus ſubſtantiis, & ab eis participari non per admixtionem, hoc eſt, non miſceri cum eis, ex S. Thoma in Dionyſium.

B

CAPVT III.

Quod participantes divinam ſubſtantiam, per ſpiritum ſanctum filium Dei, qui ſupra ſubſtantiam eſt, participamus, & hunc participantes, Deum patrem participamus: atque ita efficimur divinæ naturæ & ſubſtantiæ participes.

C

Ioan. 14.

DOminus ait in Evangelio: Qui diligit me, mandata mea ſervabit; & ego & pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quod quidem magnus & ſummus Apoſtolorum Petrus in epiſtola ſua explicat, cum ait: Divinæ naturæ conſortes facti ſumus. Conſentiunt cum eo quæ Paulus item magnus ait: Neſcitis quod templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? & rurſus: Vos eſtis templum Dei viventis, ſicut dixit Deus, Quoniam habitabo in eis, & inambulabo; & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus. Similiter qui deinceps conſecuti ſunt ſancti. Magnus Athanaſius in epiſtola ad Serapionem: Sic autem, inquit, ſignati, conſentanee naturæ divinæ conſortes efficimur, ſicut Petrus dixit, atque ita omnis creatura verbi particeps efficitur in ſpiritu ſancto, & per ſpiritum ſanctum dicimur participes Dei, ait enim: Neſcitis quod templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Et idem in eadem epiſtola Nunc autem cum dicimur participes Chriſti, & participes Dei, demonſtratur chriſma, id eſt unctio, quæ eſt in nobis, & ſigillum, quod non eſt naturæ creatæ, ſed filij, qui per ſpiritum ſanctum nos cum patre coniungit, hoc enim Ioannes paulo ſupra docens ſcripſit: In hoc cognoſcimus quod in Deo manemus, & ipſe in nobis, ex ſpiritu eius quem dedit nobis. Si autem participatione ſpiritus ſancti efficiemur conſortes divinæ naturæ, inſanus fuerit ſi quis dicat eſſe ſpiritum ſanctum naturæ creatæ, & non Dei: ob hanc enim cauſam eſt in hominibus, & per eum homines deificantur, ſi autem deificat, non eſt dubium quin natura eius natura Dei ſit. Magnus Baſilius in iis quæ de ſpiritu ſancto ſcribit: Nulla, inquit, creatura ab anima rationis compote participari poteſt, ita ut in ea habitet [illegible], id eſt ſecundum ſubſtantiam, ſpiritus vero ſanctus habitat in ea, † ſicut ait ſcriptura: Templum eſtis Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis, increatus igitur eſt ſpiritus ſanctus, & beatus Cyrillus in iis quæ de ſpiritu ſancto ſcripſit: Per ſe igitur operatur in nobis ſpiritus ſanctus vere ſanctificans, & nos ſecum in unum ſua coniunctione copulans, ac divinæ naturæ participes efficiens, & rurſus: Si accipientes, inquit, ſpiritum Chriſti, per eum ad Deum patrem adducimur, tamquam divinæ naturæ conſortes facti, modo erit creatura, per quem cum Deo tamquam genus coniungimur? Adhuc idem in capitibus de ſpiritu ſancto: Si ſervus eſt, ut factus vel creatus ſpiritus ſanctus, quomodo in eo clamamus, Abba pater? Verum à ſervitute quidem liberat eos, in quibus eſt, vel potius refingit in filios libertatis, faciens eos participes naturæ ſuæ: non eſt igitur ſervus, quod ſi non eſt ſervus, igitur neque creatura, eſſe autem creaturam, & numerari ſervum, nihil aliud eſſet quam refugere à divina ſubſtantia, ac rurſus idem in eiſdem: Deus igitur eſt ſpiritus qui nos ad Dei ſimilitudinem format, non tamquam per gratiam miniſtrantem, ſed per divinam naturam participationem ſui iis qui digni ſunt, donans. Et quæ eſt horum fides? ſcriptura ſacra, ſcriptura divinitus afflata, quæ aperte & perfecte in unum copulat Deum & ſpiritum eius; nec aliter futuram eſſe Dei participationem, niſi per ſpiritum ſanctum, aperte docet: ſiquidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus de omni, opinor, fideli & bono dicit: Ego & pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus, & in hoc cognoſcimus quod in nobis eſt, ex ſpiritu quem dedit nobis. In ſe enim quis poteſt copioſe habere habitantem & verſantem natura & vere Deum, cum ſpiritum eius acceperit, non alienum, neque ſubſtantia ab eo diſtractum & divulſum, ſed potius ex ipſo, & in ipſos, & propriũ eius, & æqualem cum eo dominatum geſtantẽ, & † ſic nominatum, & tãquam † in ordine filij aſſumptum propter eandem naturam, & in cap. 1. libri 4. Theſaurorum tamquam in perſona hæreticorum: Alienus eſt à communicatione noſtra, & à nobis non participabilis per ſe ipſum pater propter nimiam & ſummam, & quæ ab humana natura capi non poteſt, divinitatis participationem, capitur autem, & eſt in nobis per filium tamquam per minorem ſcilicet. Quomodo igitur ſimilis patri, qui à nobis capi poteſt, qui illum capere non poſſumus? Contra vero diſputans Cyrillus: Ebrij, inquit, rurſus ſunt ſuis inſaniis iſti oppugnatores Dei, non intelligentes, ut apparet, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Si enim, ut vos dicitis, omnia magna & ſupra naturam ſunt in patre, neceſſe eſt concedere parem bonitatem illi ineſſe. Quomodo igitur qui eſt ſumme bonus, non poteſt capi ab iis qui bonitate indigent? Quomodo eſt totus bonus, qui nimia ſupra creaturæ facultatem bonitate omnibus ſui participationem præcludit? Oportebat enim (quod quidem verum videtur eſſe) ut qui eſt ſumme bonus, bonitatem ſibi convenientem adhiberet omnibus, & eam cunctis indigentibus ad fruendum impartiret. Verum iam hoc feciſſe apparet, cum promittit habitaturum ſe in nobis, & inambulaturum, & promittit adoptare filios. Inanis igitur impiorum quæſtio eſt, apparet enim, quemadmodum non ad duritiam deflecti Deus propter magnitudinem & excellentiam naturæ; quin potius tanto magis ad lenitatem vergit, quanto maiora in eo ſunt, ex quibus unum, idque pulcherrimum eſt, bonitas quæ per filium, ſicut ipſe ait, in malos & bonos pertingit, nulli prorſus ſui participationem præcludens. Participatio vero patris per filium in ſpiritu ſancto proprie & decenter fit, ſicut etiam ſolem per ſplendorem ex eo non ſine calore editum participamus. Sicut igitur nemo dicat diſſimile eſſe ſoli lumen quod ex ipſo emittitur, vel calorem, quia per iſta participatur ſol; ſic non eſt neceſſe, ut filius ſit patri diſſimilis, quia pater per filium participatur, quin potius ſimilem per omnia eſſe demonſtrat. Vbi enim facti participes filij: non privamur

participatione

Margin notes (left): 2. *Pet.* 1. — 1. *Cor.* 3. 2. *Cor.* 6. *Levit.* 26 — 2. *Pet.* 1. — 1. *Cor.* 3. — D — 1. *Ioa.* 4. — 2. *Cor.* 6. † Quomodo

Margin notes (right): E Si autem participetur Deus ſecundum ſubſtantiam à creatura, & non participetur, ut recte intelligatur, legatur ca. 10 huius decadis. *Rom* 8. — F — *Ioan.* 14. 1 *Ioan.* 4. Lib. 7. de Trinit. — G † Et ſic nominatum, id eſt Dominum 2. *Cor.* 3. † In ordine filij aſſumptus dicitur ſpiritus ſanctus, quia numeratur tertius ſicut dicit *Mat.* 28. Baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, & illud 1. *Ioan.* 5. — H Tres ſũt qui teſtimonium &c. *Lev.* 26. *Matt.* 5.

A participatione patris, quomodo non erunt idem pater & filius? ubi autem eſt eadem ſuſtantia, quem locum habebit diſſimilitudo? Reſpondeant Chriſti oppugnatores. Ex quibus fit manifeſtum, quod participantes ſpiritum ſanctum, participamus filium Deum, & hunc participantes, participamus Deum patrem, atque ita efficimur totius divinæ naturæ & ſubſtantiæ participes. Quomodo vero fiat in nobis participatio Trinitatis, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, dici non poteſt; ſicut neque dici poteſt, quis modus ſit ſubſtantiæ eius; & quomodo ſit ubique præſens ſecundum ſubſtantiam.

CAPVT IV.

B *Quod participantes divinam naturam, non gratiæ ſolius, & per ſe non ſubſiſtentis participes ſumus, ſed ipſius ſpiritus ſancti viventis, & per ſe exiſtentis: & quod totus Deus trinus gratia dicitur, & ſimul filius, atque ſpiritus ſanctus gratia; ſigillatim unuſquiſque horum gratia dicitur, dicitur vero homonyme gratia, id eſt, quod ab his perſonis fit.*

SAnctus Cyrillus libro ſeptimo dialogorum ad Herſimiam: Si, inquit, gratia quæ per ſpiritum ſanctum *Gene. 2.* datur, diſceſſa erat à ſubſtantia ſpiritus ſancti, cur non aperte dixit beatus quidem Moyſes, quod producto animanti inſpiravit gratiam auctor omnium, gratiam *Ioan. 20.* dico per inſpirationem vitæ? Chriſtus vero nobis, Accipite gratiam, ſcilicet per miniſterium ſpiritus ſancti? quin potius illud quidem vocatum eſt ſpiraculum vitæ; vita enim erat natura divinitatis, ſiquidem *Act. 17.* vere in ipſo vivimus, movemur, & ſumus; voce au*Ioan. 20.*tem Domini dictum eſt: Accipite ſpiritum ſanctum, quia ipſe vere in cordibus credentium habitat, & C paulo poſt: Quando igitur ad ſimilitudinem Chriſti formamur, ipſe etiam in nobis conſignatur, & pulchre exprimitur tamquam per ſpiritum naturaliter ſimilem. Deus ergo eſt ſpiritus ſanctus, qui ad ſimilitudinem Dei format non tamquam per gratiam miniſtrantem, ſed tamquam ipſe participationem divinæ naturæ dignis largiens, & rurſus idem ibidem: Tem*Pſ. 81.*pla Dei, immo etiam dij vocamur, & ſumus, quare autem, interroga adverſarium; ſiquidem ſumus vere participes nudæ & non per ſe exiſtentis gratiæ, at non ſic, *1. Cor. 6.* nequaquam; templa enim ſumus ſpiritus ſancti per ſe exiſtentis: vocati autem ſumus dij propter ipſum, utpote divinæ naturæ propter coniunctionem cum ipſo participes facti, & iterum idem in eiſdem: An non dicimus fabricari hominem ad imaginem Dei? Quis neget? Quod autem imaginem imprimit, & inſtar ſigilli pulchritudinem ſupra mundanam efficit, an non eſt ſpiritus ſanctus? at non, inquit, ut Deus, ſed ut divinæ gratiæ miniſter, igitur non ipſe, ſed gratia per ipſum conſignatur. Videtur, inquit. Neceſſe ergo erat appellare hominem imaginem gratiæ, & non potius D imaginem Dei. Gregorius Nyſſenus in Cantica canticorum: Quod, inquit, vere eſt prædicandum beatum, numen ipſum divinum eſt, ipſa pulchritudo inexplicabilis, ipſa per ſe gratia, & ſapientia, & poteſtas, & divinus Gregorius in oratione de divinitate contra Evagrium monachum: Similiter igitur, inquit, qui dator eſt omnium bonorum, qui veritatis moderator, & ſalvatoris pater, dimanantem quandam filij & ſpiritus ſancti gratiam intellectilem ad nos miſit, neque ipſe quidquam incommodi in ſubſtantia paſſus eſt, non enim ullam imminutionem ſubiit propter illorum ad nos adventum, uſque ad nos proceſſerunt, & nihilominus à patre inſeparabiles perſtiterunt, expers enim partis eſt, ut à principio diximus, divina natura. In *Tit. 2.* primis autem divinus Apoſtolus in epiſtola ad Titum ait apparuit gratia Dei, gratia ſcilicet ſalutaris, omnibus, hominibus cum quo conſentiunt qui in canticis eccleſiaſticis dicunt: Apparuit ſalvator, qui eſt gratia & veritas, in Iordani fluentis: & gratia habitavit in te, quæ E Dei mater es; & mundum ſplendore illuſtravit. Et divinus Ephræm in oratione de ſalute animæ: Quando, inquit, voluit, benignus & miſericors Deus liberare *Luc. 1.* nos ab huiuſmodi errore, viſitavit nos oriens ex alto; & *Tit. 2.* apparuit Dei gratia ſalutaris, deditque ſe ipſe in commutationem pro nobis. Et ſapiens Cyrillus: Quæ, inquit, gratia apparuit nobis? aut qualis Dei gratia ſa*Ibid.*lutaris omnibus hominibus apparuiſſe dicitur? Atqui manifeſtum eſt quod ait David: Deus Dominus, & ap*Pſ. 117.*paruit nobis: & ut ipſius gloria nobis de cœlo appareat, expectamus, & magnus Athanaſius in epiſtola ad Serapionem: Omnia, inquit, patris ſunt filij; quare chariſmata, quæ à filio in ſpiritu dantur, patris chariſmata ſunt: & cum in nobis eſt ſpiritus ſanctus, in *Ioan. 14.* eo ipſo etiam eſt pater; atque ita fit illud: Ego & pa F ter veniemus, & manſionem apud eum faciemus, ſicut dictum eſt. Vbi enim eſt lumen, illic eſt ſplendor: & ubi ſplendor, ibi eſt huius operatio, & ſplendida gratia. Et magnus Baſilius in epiſtola ad Gregorium fratrem: Omne, inquit, bonum, quodcumque ex divina poteſtate ad nos deveniat, operationem gratiæ omnia in nobis operantis eſſe dicimus, omnia enim operatur unus & idem ſpiritus, ac rurſus idem: Spiritum ſan*1. Cor. 12.*ctum qui ex Deo exiitit, fontem dico ſanctitatis, poteſtatem vitæ effectricem, & gratiam perficientem; per quem homo adoptatur filius, & quod mortale eſt, efficitur immortale, unum per omnia cum patre & filio. Præterea, ſecundum † homonymiam divinitatis, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, quædam alia dicuntur gratia. Declarat hoc Paulus, cum ſcribens ad Romanos, Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia. Si autem ex operibus, iam non eſt gratia: alioqui opus non eſt opus. Et rurſus idem Apoſtolus: Gratia enim ſalvi facti eſtis, & iterum: Non enim eſtis ſub G lege, ſed ſub gratia, & alias: In gratia hac, quæ mi*Rom. 11.*niſtratur à nobis, & rurſus: Ex quo die audiſtis & co*Epheſ. 2.*gnoviſtis gratiam in Dei veritate, & divinus Chryſo*Rom. 6.*ſtomus explanans illud, Ex plenitudine eius omnes ac*2. Cor. 8.*cepimus; & gratiam pro gratia: Qualem, inquit, pro *Coloſ. 1.* quali? pro vetere novam, & in illud, Gratia ſalvi facti *Ioan. 1.* eſtis: Non ex operibus propriis, inquit, ſed gratis: & magnus Athanaſius libro tertio contra Arianos: Scie*Epheſ. 2.*bat ubi Lazarus iacebat, interrogabat tamen, ut ſuſcepta noſtra ignorantia, largiretur nobis ut cognoſce*Ioan. 11.*remus ſolum verum patrem ſuum, & quem propter nos ad ſalutem omnium miſit, qua maior gratia non poteſt eſſe. Ex quibus patet, quod facti participes naturæ *Ioan. 17.* Dei, non nudæ gratiæ à Deo manantis, & quæ per ſe non exiſtit, participes ſumus; ſed ipſius ſpiritus ſupra ſubſtantiam, & vivifici, ac per ſe exiſtentis; & per hunc ipſum cum patre & filio copulati, divinæ naturæ conſortes efficimur; & hac gratia ditamur, gratia ſcilicet trium perſonarum, quæ eſt per ſe gratia. Et ſicut creditur eſſe communis nobiſcum per ſe gra H tia, ſic etiam ſigillatim unaquæque perſona divina ex tribus gratia dicitur, & maxime ſummus Deus ſalvator, & qui eſt ſupra ſubſtantiam, ſpiritus ſanctus, uterque ſimul gratia bimanans dicitur. Sicut igitur hæc gratia dicuntur principaliter, & divine, & efficienter, ſic homonyme omne datum bonum, quod ab ipſis perſonis divinis ad nos proficiſcitur, tamquam beneficium nobis creatum & effectum, gratia & donum dicitur, non ex operibus noſtris confectum, quin potius gratis, & ex nulla noſtra importatione ſuppeditatum.

† Id eſt ſicut homo ſanctus æquivoce dicitur Deus, ſic etiam gratia quæ à Deo fit.

CAPVT

A

CAPVT V.

Quod ſicut Deus, qui eſt per ſe gratia, & trium perſonarum poteſtas, ſive virtus, à nobis efficienter † participatur; ſic idem producit & creat diſtributionem divinarum gratiarum, quæ ad participandum creatæ ſunt.

† Deus participatur in ſubſtantia quidē ſecundū rationem cauſæ efficientis, in donis vero ſuis ſecundū rationē effectus. 1.Cor.12

MAgnus Apoſtolus Paulus ait: Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem autem Deus; qui operatur omnia in omnibus, & rurſus: Omnia autem hæc operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult, & iterum: Æmulamini meliora chariſmata, item: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. In quem locum incumbens beatus Chryſoſtomus: Vidiſti, inquit, ubi gratiam linguarum extulit, & ubi eam evertit, & fregit? & rurſus idem in epiſt. ad Corinth. homilia XXIX. De ſpiritualibus, inquit, nolo vos ignorare fratres: ſpiritualia vocat ſigna, quia hæc opera ſunt ſolius ſpiritus ſancti, nihil humano ſtudio afferente ad huiuſmodi miracula efficiendum, & rurſus idem in oratione de ſpiritu ſancto: Spiritus Dei ſpiritus ex Deo, ſpiritus qui à patre procedit, hæc ſunt ſanctæ & impollutæ virtutis ſive poteſtatis nomina, ſunt autem alia nomina non naturæ, ſed operationi convenientia, ut donis eius. Dico igitur, cum ſpiritus ſanctus vel mihi, vel alteri Chriſtiano ſanctificationem donaverit, & donum acceperit, ita ut corpus ſanctum & animam ſanctam habeat, hoc donum vocatur ſpiritus ſanctitatis, id eſt, gratia ſanctitatis, ſi quis accipiat ab ſpiritu ſancto virtutem & donum credendi: promiſſioni futurorum bonorum, accepit ſpiritum promiſſionis, ſi quis accipiat donum ſapientiæ, vocatur donum hoc ſpiritus ſapientiæ, ſi quis habeat chariſma charitatis, dicitur habere ſpiritum charitatis, quando accipit chariſma martyrij, dicitur habere ſpiritum fortitudinis, ſive virtutis, id eſt, chariſma, & quia qui donat, ſpiritus ſanctus eſt, vocatur etiam donum homonyme eodem nomine, quod vocatur qui donat. Adhuc idem in epiſt. ad Epheſios homilia XIII. exponens illud, Creatum in ſanctitate: Vide, inquit, hic, quomodo creaturam vocat creationem eſſentiæ virtutis, quæ creatio virtutis cum non eſſet, factum eſt ut eſſet, & rurſus idem, Ob hanc cauſam, ut demonſtretur quod qui effunditur, non eſt ſpiritus ſanctus, ſed gratia ſpiritus ſancti, ait David de Chriſto: Effuſa eſt gratia in labiis tuis, gratia effunditur, non is qui gratiam donat, & magnus Baſilius in tertio confutationum Eunomij: Sicut dicitur pater dividere operationes iis qui digni ſunt ut eas ſuſcipiant; & filius dividere miniſtrationes iis qui digni ſunt munere miniſtrandi, ſic ſpiritus ſanctus dicitur dividere chariſmata iis qui digni ſunt ut chariſmata accipiant, rurſus idem in homilia Pſalmi XXXII. Apte, inquit, ad terram refertur illud: Ipſe dixit, & facta ſunt, in formatione quidem noſtra ex terra convenit illud, Factum eſt; in creatura vero ad imaginem Dei creata convenit, Creatum eſt. Quia vero ſæpenumero dicitur in renovando, & reddendo melius, ut illud: Si qua in Chriſto nova creatura; & illud; Vt duos crearet in unum hominem: fortaſſis illud, Et facta ſunt, de prima creatione eſſentiæ hominis dicitur; illud autem, Et creata ſunt, de ſecunda regeneratione in Chriſto, quanto autem præſtat mandatum Dei verbo ſimplici, tanto præſtat regeneratio generationi, & iterum idem in epiſto. ad Gregorium fratrem: Quærentes autem, utrum ex ſolo ſpiritu ſancto largitio bonorum originem ducat, atque ita adveniant dignis, rurſus à ſancta ſcriptura deducimur ad principem & auctorem largitionis bonorum, quæ ſpiritus ſanctus operatur nobis, omnia enim per ipſum facta eſſe, & in ipſo conſiſtere, à ſancta ſcriptura didicimus. Quare cum ad illam cogitationem evehimur, rurſus ſcripturæ ſanctæ ductu elevati, docemur omnia per illam virtutem ſive poteſtatem produci, ut quæ non erant, ſint: non autem produci ex illa ſine initio. Gregorius Theologus in libro de ſpiritu ſancto: Dicitur, inquit, ſpiritus adoptionis, libertatis, ſpiritus intelligentiæ, ſapientiæ, conſilij, fortitudinis, cognitionis, pietatis, timoris Dei. Hæc enim cuncta efficit, & iterum idem: Spiritus quidem unus, gratiæ vero non ſunt æquales, quia neque receptacula ſpiritus, alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, vel contemplationis; alij vero fides firma, & ſine ulla dubitatione; alij operationes virtutum, & miraculorum ſublimiorum; alij gratiæ ſanitatum; opitulationes, id eſt, præfecturæ; gubernationes, id eſt, moderationes carnis; genera linguarum, interpretationes linguarum, maiora chariſmata; ſecunda ſecundum proportionem fidei. Athanaſius libro ſecundo contra Arianos: Illa igitur, † Creavit, formavit, conſtituit, quæ eundem ſenſum habent, non declarant initium eſſentiæ verbi Dei, neque ſubſtantiam eius creatam eſſe, ſed renovationis eius & gratiæ beneficium in nos, & iterum idem: Sicut nos, inquit, ex Deo geniti, non ex ventre perſonæ eius geniti ſumus; ſic & ſpiritus ex Deo procedentes non ſunt ex perſona eius, & beatus Cyrillus in libro de ſpiritu ſancto: Si ex patre, inquit, luminum varia chariſmatum largitio manat, Paulus vero ait; Hæc autem omnia operatur Spiritus, dividens unicuique privatim ſicut vult, quomodo non eſt Deus, ex Deo, & in Deo ſpiritus, qui omnia quæ Deum decent, tamquam poteſtatem habens operatur? & rurſus idem in commentariis Eſaiæ: Hæc dicit Dominus, qui in altis habitat, ſpiritus enim Domini à me exibit, quomodo autem exibit, declaravit, inquiens: Spiritum omnem ego feci; eſt enim pater ſpirituum, intelligitur quidem, non tamquam ex propria natura ſicut filium, hos ſpiritus genuerit, immo neque proceſſiſſe eos dicit ex ſubſtantia æqualiter ut ſpiritum ſanctum, ſed potius create ex Deo exiſſe, ut eſſent, affirmamus recte ſentientes, ipſe enim omnem ſpiritum fecit, ubi autem factio nominatur, ibi omnino eſt egreſſio, id eſt, exitus, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ut verbum exitus per abuſionem ſignificet factum eſſe. S. Maximus capite XXXVIII. & XXXIX. centuriæ † quintæ ait: Et requieſcent † ſuper eum ſeptem ſpiritus, ſpiritus ſapientiæ, ſpiritus intellectus, ſpiritus cognitionis, ſpiritus ſcientiæ, ſpiritus conſilij, ſpiritus fortitudinis, ſpiritus timoris Dei. Eſt autem proprium horum chariſmatum ſpiritualium, ſpiritus quidem timoris Dei, abſtinentia à malis ſecundum actum: ſpiritus vero fortitudinis, promptus conatus & motus ad operationem & effectionem mandatorum: ſpiritus conſilij eſt habitus diſcretionis: ſpiritus autem ſcientiæ eſt certa & non fallax notitia modorum qui verſantur in actione ex virtute: ſpiritus cognitionis eſt comprehenſio rationum in mandatis: ſpiritus intellectus eſt erga modos & rationes virtutum aſſenſus, vel ut magis proprie dicam, affectio; ſpiritus ſapientiæ eſt referre ſe ad cauſam rationum magis ſpiritualium in mandatis, & cum ea cauſa copulari, & rurſum idem in eiſdem: Sicut inquit, alius accipit ſermonem ſapientiæ, alius ſermonem ſcientiæ, alius autem fidei, & alius aliud chariſma ex iis quæ magnus Apoſtolus enumeravit; ſic alius quidem accipit per ſpiritum chariſma charitatis perfectæ & ſine intermedio erga Deum, nihilque terrenum habentis ſecundum proportionem fidei, alius vero per eundem ſpiritum accipit chariſma charitatis erga proximum: omnem namque habitum mandati in actione poſitum dicit eſſe chariſma ſpiritus. In commentariis

Left margin notes: B Participatio Dei efficiens. Participatio Dei effecta. Ibid. Ibid. 1.Cor.13 1.Cor.12 — C — Epheſ.4. — Pſ.44. — D — Pſ.32. — 2.Cor.5. Epheſ.2.

Right margin notes: E — Col. 1. — Rom. 8. Eſa. 11. — 1.Cor.12 — F — † Ad interpretationem illius loci Pro. cap. 8 de ſapientia verbi Dei incarnata petitur, &c, Dominus creavit me initium viarum ſuarum. Iacob. 1. 1.Cor.12 Eſai. 57. Ibid. — G — † Tertia eſt in centuriis impreſſis † Sicut hic auctor Maximum tractavit, ita interpretatus ſum. Eſa. 11. — H — 1.Cor.12

A Iob. 1. qui feruntur in Iob: Fuerunt, inquit, illi ſeptem filij, & filiæ tres, catalogus filiorum honoratus eſt apud ſcripturam, & cum myſticis rationibus conſentiens, numerus enim ſeptem ſignificat in ænigmate ſeptem chariſmatum concurſum; numerus vero trium ad perfectius & divinius ſpectat: ut intelligamus, ſidem Trinitatis effectricem eſſe ſeptem gratiarum. Et divinus Act. 5. Apoſtolus & Evangeliſta Lucas in Actis: Multa, inquit, per manus Apoſtolorum fiebant ſigna Act. 19. & prodigia in populo, & rurſus idem: Et virtutes non vulgares faciebat Deus per manus Pauli, & in Matt. 13. ſancto Evangelio: Et non fecit, inquit, illic ſigna Pſ. 110. multa propter incredulitatem eorum, & propheta David in Pſalmo centeſimodecimo: Fidelia omnia mandata eius facta in veritate & æquitate, & rurſus idem in Pſalmo quinquageſimo: Cor mundum in me crea Pſ. 50. B Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Ex quibus fit manifeſtum, quod ſancta Trinitas & & per ſe gratia, per ſe ex iis quæ non ſunt, & producit & creat ad participationem noſtram effectam & creatam divinorum chariſmatum diſtributionem, ipſa enim cum ſit omnium cauſa (ſolum enim quod eſt ſupra ſubſtantiam, principium & cauſa eſt eſſentiæ omnium) per ſpiritum eiuſdem naturæ, & ſupra ſubſtantiam, operatur diſtribuens unicuique chariſmata, 1. Cor. 12. ſive gratias, ſicut vult: ſi autem ſunt hæc opera voluntatis eius, liquet creaturas eſſe, & effecta ex nihilo: & ipſe Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus.

CAPVT VI.

Quod hanc apoſtolicam Theologiam ſequens Dionyſius, quæ magis generalia ſunt, effectus & participationes magis particularium dicit, ut iam omnia quorum Deus eſt creator, in participantia diſtributa ſint.

C MAgnus Dionyſius capite quinto de divinis nominibus ait non eſſe aliud, bonum, & aliud, exiſtens; & aliud vitam, vel ſapientiam, neque multas eſſe cauſas, & aliorum alias divinitates effectrices, ſuperiores & inferiores; quo in loco ſanctus Maximus, Quia, inquit, paulo ante viſus fuerat quodammodo dicere ſuperius, & inferius, cum dixit, bonum eſſe cauſam exiſtentiæ, vitæ, & ſimiliter in aliis; ne qui imprudenter legunt, occaſionem reprehendendi reperirent, ait non eſſe aliud, bonum; & aliud, exiſtentiam; & rurſus aliud vitam, vel ſapientiam; unam enim eſſe omnium cauſam, & non multas; & conſentanee unam divinitatem omnia producentem ſanctam & beatam Trinitatem, & non multas divinitates creatrices. Hoc autem non ſupervacanee dixit, ſed ut ſapientes gentilium, & hæreticos Simonis diſcipulos peſtringeret, qui deos ponebant effectores mundi, & quo inferiores eſſent, eo infirmiores creaturas producere uſque ad fæcem; ut aiunt, id eſt, uſque ad materiam. Nomen boni ait complecti omnem provi- D dentiam; reliqua vero nomina partes providentiæ, ut vitam, ſapientiam, rationem: omnia enim quæ ſunt, propter bonitatem Dei producta ſunt, ut exiſtant; & ſunt bona, id eſt, valde pulchra, non tamen omnia participant vitam, vel ſapientiam, vel rationem. Generaliores ſcilicet providentias vocat, quas in pluribus contemplamur, ut vita pervadit in ſtirpes; & animantes tum rationis participes: tum non participes: ſapientia vero, & ratio pauciorum ſunt: hæc enim ſolum in ratione utentibus cernuntur. Idem adhuc capite ſecundo de divinis nominibus in explanationibus ſuis in Dionyſium, exponens quod ait Dionyſius: Scaturientem, & nunquam deficientem cauſam, atque diſtributionem donorum, quæ bonum decent. Dictum eſt, inquit, in Pſalmis, Quoniam apud te eſt fons vitæ. Et in Hieremia: Me dereliquerunt E Pſ. 35. Hier. fontem aquæ vivæ. Deus igitur dicitur fons velut quidam parens, & principium atque cauſa eorum omnium quæ apparuerunt, & devenerunt ad eſſentiam: quæ enim quidam vocare conſueverunt univerſalia, id eſt, genera, vel tota, vel continentia, utpote quæ complectantur partes emanationum eius, horum ſcripturæ ſanctæ dicunt eſſe cauſam & fontem: propter effectionem igitur inexhauſtam eorum quæ per ſpiritum ſanctum exiſtit, & quia ſpiritus ſanctus eſt cauſa omnium, ut in Sapientia dictum eſt, con- Sap. 1. & 7. ſentanee ipſam per ſe cauſam fontem eſſe divine philoſophatur. Illud autem; non exhauriri creationem, Ioan. inde intellige, ubi ait: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor, ſimiliter ſpiritus ſanctus cum Pſ. 10 patre & filio ſine intermiſſione operatur, ait enim ſcriptura: Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur. F Et rurſus magnus Dionyſius capite undecimo de divinis nominibus: Non enim ſubſtantiam quandam divinam aut angelicam eſſe dicimus illud per ſe eſſe, cauſam eſſentiæ omnium: ſolum enim quod eſt ſupra ſubſtantiam, principium & ſubſtantia & cauſa eſt ut ſint omnia quæ ſunt, & ipſum per ſe eſſe: nec aliam divinitatem, quæ vitam pariat, præterquam vitam ſupraquam divinam omnium quæcunque vivunt, & ipſius per ſe vitæ cauſam ponimus; nec: ut ſummatim dicam, alias cauſas principiales, & creantes, & hypoſtaſes, quas quidam & deos, & effectores rerum eſſe temere effutiverunt: quos vere & proprie dicere non eſſe nec ipſi, nec eorum patres & maiores ſciverunt. Hæc à Theologis propoſita ſunt, ut ſciamus demonſtratum eſſe, quod antea; ſolum ſcilicet quod eſt ſupra ſubſtantiam, beatam & † ſupraquam divinam Trinitatem omnium cauſam eſſe, & nec ipſum per ſe eſſe, quod eſt antiquius donum, quam cæteræ participationes quæ ab ipſa Trinitate manant, nec ipſam per ſe vitam, nec horum ſimilia ullius rei cauſam eſſe: quin potius quomodocumque vocata ſunt illa magis generalia, ſive vocentur primum exiſtentia, ſive per ſe participationes, ſive dona Dei, ſive providentiæ, ſive communicationes divinæ (dictum enim eſt de his à Theologis) non negabunt neque diffitebuntur opera eſſe eius qui omnia in omnibus G operatur ut vult, Dei patris ſcilicet, producta ad miniſterium & ſanctificationem creaturarum per Deum filium, & divinum eius ſpiritum. Diviſiones autem gratiarum Dionyſius, qui has à magno Apoſtolo Paulo didicit, ad laudandum ab effectis providentiam quæ eſt principium ut boni efficiamur & deificemur, pertinere, operte expoſuit, vocans effectus ipſas participationes participantium expoſitas ad participationem donorum Dei, quibus participatis dicimur divini & beati & ſapientes & potentes. Retractat vero poſtea hæc, edilleſens quomodo hæc ſe habeant collata cum eo qui tribuit: nulla enim ſimilitudo perfecta eſt cauſarum, & eorum quæ effecta ſunt: ſed potius effecta quidem habent imagines & ſimilitudines quantæ eſſe poſſunt, cauſarum: ipſæ vero cauſæ abſtractæ ſunt ab effectis, & ſupra locatæ ſecundum rationem proprij principij. In hoc vero ipſum incum- H bens divinus Maximus, Effecta eſſe dixit, quæ producta ſunt in rerum natura, ſive in cœlo, ſive in terra; cauſas vero quæ producunt, id eſt, tres perſonas ſanctæ Trinitatis. Liquet igitur cauſas & effectus nullam inter ſe ſimilitudinem habere. Et adhuc divinus Dionyſius incumbens potiſſimum in hæc: Eadem, inquit, & ſimilia & diſſimilia Deo dicuntur; ſimilia quidem ſecundum imitationem, quæ eſſe poteſt eius quem nihil poteſt imitari: diſſimilia vero, quatenus effectus infra cauſam ſunt, & infinitis menſuris, & quæ conferri non poſſunt, ab ea diſtant. Eandem excellentiam ſupra effectus poſuit, & ſupra per ſe participationes: Quanto, inquit, præſtant ſancta, vel divina, vel dominantia, vel regia iis quæ non ſunt talia, & rurſus per ſe participationes participantibus;

† Supra quã divinã Trinit. dicitur ſicut dicitur Deus ſupra Deum ve ſupra quam Deus propter eos qui dicuntur dij, ſicut ſcriptum eſt Pſ. Ego dixi, dij eſtis. 1. Cor.

tanto eſt omnibus ſublimior, qui eſt ſupra omnia, & omnium participantium, & participationum auctor imparticipabilis. Quod ipſum explanans ſanctus Maximus, Quantum, inquit, antecellit natura pura & cauſa qualitati & effecto (hoc enim eſt ens, comparatum cum eo quod non proprie eſt) & quantum antecellit participanti id quod participatur; tantum differt Deus, qui hæc dicitur, ab iis qui iſta participant. Igitur ſicut cauſæ effectibus antecellunt infinitis menſuris, & quæ conferri non poſſunt; ſic ſolus auctor Deus, idemque imparticipabilis, participantibus, & ipſis per ſe participationibus antecellit. Dictum eſt autem de his à Theologis in quinta & quarta decade initiariæ expoſitionis divinorum nominum. Excipiatur autem hinc, quod in filio & ſpiritu ſancto cauſam habet: hoc enim univoce dicitur de iis quæ ſunt cauſa; quæ vero cauſam habent ſecundum voluntatem, homonyme dicuntur, utpote opera Dei omnia in omnibus operantis. Præterea illud cauſam habens omnium cauſa eſt, hæc autem ab ipſo cauſa 1. habentia ſingulariter & ſolummodo ex ipſo, & non ex alia cauſa ſunt: ſolum enim quod eſt ſupra ſubſtantiam, principium & ſubſtantia & cauſa eſt ut ſint omnia. Ad hæc, in Trinitate ſupraquam divina cauſa, & cauſam habens, diſtinctionem à mixtione maxime liberam exhibet, & in eodem unionem ſupraquam unitam, quia in ea exhibetur prima diſtinctio, & prima unio: primo autem, ut eſt axioma, non eſt aliquid contrarium, ſed vera diſtinctio, & vera unio: neque diſtinctio mutari unquam poteſt in unionem; neque rurſus unio in diſtinctionem: ſervantur autem hæc non confuſa propter utrumque; id eſt, diſtinctio propter unionem, & unio propter diſtinctionem, trine ſimul & unice enuntiata; at in creatura, cuius cauſa eſt ſancta Trinitas, unio quidem eſt ſecundum cauſam tantum; diſtinctio vero creaturarum immenſis menſuris infra cauſam relinquit ea quæ facta ſunt: & unio antecedit, valentiorque eſt huiuſmodi diſtinctionibus; ut una & eadem quidem ſit univerſorum cauſa; creatura vero numeroſa, à primis & generalioribus ad ſecunda & tertia & multiplicia progrediens. Hinc aperitur Theologis quæſtio de participatione, quæ eſt una quidem ſecundum cauſam; altera vero ſecundum participationem; alia ſecundum exiſtentiam, participatione & exiſtentia in creatura conſiſtentibus, id eſt, in ea quæ participantur, & in participantia partitis.

1. Certa In divinis patet ſecundũ naturam eſt cauſa filij, & patet ac huius cauſa ſpiritus ſancti, & in his cauſa, & qui cauſam habent, æquales ſunt hoc eſt enim dici univoce cauſam de cauſã habentibus, id eſt de cauſatis.

CAPVT VII.

Quod omnia participantia, & quæ participantur, à ſola natura, quæ ſecundum cauſam participatur, producta, alia quidem ſimpliciter ab ipſa ad participationem edita ſunt, alia vero ſunt ſecundum exiſtentiam participantium.

MAgnus Dionyſius capite quinto de divinis nominibus: Primum, inquit, donum per ſe eſſe, ipſa per ſe bonitas producens, ab antiquiore, prima inter cæteras participatione laudatur, & eſt ex ipſa, & in ipſa ipſum per ſe eſſe, & principia eorum quæ ſunt; & omnia 1. quæ ſunt, & quæ quocunque modo ſunt, idque incomprehenſe, & copulate, ac ſingulariter. Et rurſus idem: Et ante alias eius participationes eſſe productum eſt: & eſt ipſum per ſe eſſe antiquius quam eſſe per ſe vitam, per ſe ſapientiam, per ſe ſimilitudinem divinam, & alia, quorum quæ habent participationem, ante omnia illa participant eſſe: quin potius ipſa per ſe omnia, quæ ab aliis participantur, ipſum per ſe eſſe participant: principia igitur omnia eorum quæ ſunt, participando eſſe & ſunt, & principia ſunt & primum ſunt, deinde principia ſunt; & ſi vis dicere eſſe per ſe vitam principium viventium tanquam viventium: & per ſe ſimilitudinem principium ſimilium tanquam ſimilium; & per ſe unionem principium copulatorum tanquam copulatorum; & per ſe ordinem ordinatorum tanquam ordinatorum; & quæcunque alia hoc, aut illud, aut utrumque, aut multa participantia hoc, aut illud, aut utrumque, aut multa ſunt; eorum per ſe participationes repeties primum participare ipſum per ſe eſſe; & primum quidem eas eſſe, deinde huius, aut illius principia eſſe; & participando ipſum eſſe exiſtere, & participari. Quod ſi hæc, ſcilicet per ſe participationes, principia aliorum ſunt participando ipſum eſſe, multo magis quæ illa ipſa principia participant, ut iam ex his manifeſtum evadat, & ex iis quæ latius in quinta decade proſecuti ſumus, quod participationes ſunt, quas ea quæ † ſunt, participant, quæcunque ſunt ſpecies, & harum participationes; ſiquidem & in una ſpecie ſunt multæ participationes non ſolum in coloribus, ſed in voluntatibus, & fortunis; ut cum dicimus, Participavit voluntatem moderatam, aut rectam, aut facetiis gaudentem, aut aliter effectam; aut eſſe fortunatum, aut infortunatum. Vt igitur proſperitas, ſive bona fortuna participatio eſt fortunatorum, quatenus fortunati ſunt, non autem quatenus homines ſunt; ſic & aliæ participationes editæ ſunt, ut participentur, non quia ſunt, ſed quia tales ſunt. Quando autem nactæ ſunt ſubiecta recipientia, tunc dicuntur effectæ ſecundum exiſtentiam eorum ſubiectorum, quæ nactæ ſunt, & eſt quidem aliud participatio, & aliud quod ſecundum exiſtentiam participationem recipit: verbi gratia, Vita participatio quædam eſt ſimpliciter, § quæ tunc fit ſecundum exiſtentiam participatio cuiuſdam, cum 2. eſt pars ſubſtantiæ eius, aut eſt ipſum, aut ſecundum accidens. Dionyſius igitur aggreſſus diſſerere generatim, in ſubſtantia ſimpliciter & in participatione ſimpliciter, tractavit; & oſtendit, prius quidem oportere eſſe ſubiectum, quod quidem dixit antiquius eſſe Dei donum: deinde participationem, quę in illo ſubiecto facta eſt. Propoſita igitur eſt ad participationẽ participantium, per ſe ſubſtantia; quod perinde eſt, ut ſi dicatur ſubſtantia facta ad participationem: niſi enim ſubſtantiam participaremus, penitus in rerum natura non eſſemus: deinceps, ipſi ſubſtantiæ factæ ad capiendam participationem, aliæ participationes propoſitæ ſunt; & ſicut tempus generalius ad participationem eorum quæ ſunt in tempore, propoſitum eſt, cum alioqui non ſit ſubſtantia aliqua, ſed ſimpliciter participatio; tunc vero efficitur nobis, qui in tempore ſumus, exiſtentia, quando propter ipſum ſumus in tempore; ſic omnis alia participatio quæ non eſt ſubſtantia, eandem conſecutionem habet: illo prius cognito & percepto, quod ſolus Deus eſt harum participationum auctor & effector, ſive propoſitæ ſint ſimpliciter ad participationem, ſive etiam ad exiſtentiam participantibus.

Leg. c. 4. decad.

† Primũ enim donum Dei eſt eſſe.

§ poſtea eſſe ſpeciem aliquam quæ prius participat eſſe, poſtea eſſe individuum ſpeciei participatæ.

Ex Scholiis S. Maximi.

Omnia. 1. quæ ſunt, & quæ quocumque modo ſunt) vt quæ ſunt in alio ſicut accidentia, & quæ ſunt in potentia, & quæ ſunt priuationes, & quæ non habent totum eſſe ſimul, vt motus, ſunt in Deo incomprehenſe, in ſe autem finite; in ſe multa, in Deo copulatata: ſunt itaque incomprehenſe, & coniunctæ, ac vnite res omnes, quæcumque ſunt in Deo, quia ſunt ipſa divina eſſentia incomprehenſibilis pater, filius, & ſpiritus ſanctus in vnum incomprehenſibiliter vniti. *cum 2. eſt pars ſubſtantiæ eius*) vt cum participatur ab anima, quæ eſt pars ſubſtantiæ hominis, quia non habet in ſe integram naturam ſpeciei, vt ait S. Thom. 1. part. quæſt. 51. ad 3. aut à corpore ſecundum accidens, quia per animam viuit: aut ab angelo; quia enim ipſe eſt integræ naturæ, & non tanquam pars naturæ, per ſe vitam accipit à Deo, & non per accidens participatio ſimpliciter differt à participatione ſecundum exiſtentiam

A ratione tantum: vt per ſe vita non diſtinguitur à viventibus, à quibus participatur ſecundum rem: re enim vita & vivens idem ſunt, ſicut humanitas ſimpliciter, & homo ratione tantum differunt, quia ſicut humanitas ſolum illa comprehendit quæ hominem definiunt, & non quæ materiam faciunt individuam; neque humanitas, actu aut potentia continet principia quæ individuum reddunt, homo vero continet potentia; ſic per ſe vita illa continet quæ viventem definiunt, quatenus vivit itaque vt homo formaliter eſt humanitate homo, ſic vivens per ſe vita eſt vivens Participatio ſecundum exiſtentiam, eſt vita illa ſimpliciter, iam recepta in ſubiecto vivente, ſicut humanitas ſecundum exiſtentiam, eſt in hoc homine qui exiſtit: ſola enim ſingularia exiſtunt in rerum natura; vniverſalia vero & abſtracta ſolum in mente.

B

CAPVT VIII.

Quod omnia quæ ſunt ad participandum, ſive propoſita ſint ſecundum participationem, ſive ſecundum exiſtentiam, quia non ſunt idonea ſubiecta recipientia, multiplicationem & differentiam participationum ſubeunt: ſola autem natura quæ ſecundum cauſam participatur, hanc differentiam funditus non admittit.

MAgnus Dionyſius cap. 9. cæleſtis hierarchiæ: Hoc, inquit, teſtatur populus Hebræorum accidiſſe ſibi: Cognitionem Dei, inquit ſcriptura, repuliſti. & cor tuum ſecutus es: nec enim vitam neceſſitate coactam habemus neque propter libertatem eorum, quibus providetur; divina lumina providentiæ ſplendentis retunduntur; quin potius diſſimilitudo oculorum quos mentes habent, illuminationem paternæ bonitatis ſupra quam copioſam aut penitus non participat, aut facit duritia ſua ne penetret, aut varias reddit participationes, parvas vel magnas, obſcuras vel claras vnius & ſimplicis, & ſemper ſui ſimilis; atque ſupra modum expediti & explicati radij manantis inſtar fontis. Et rurſus idem capite ſecundo de divinis nominibus. Atqui, dicet aliquis, non eſt ſigillum totum & idem in omnibus, in quibus ad exprimendum effigiem imprimitur: non eſt autem in cauſa ſigillum; ſe enim totum & idem vnicuique impertit, ſed differentia participantium diſſimiles facit figuras ab hoc vno & toto exemplari expreſſas: ut ſi ſunt mollia & facilia ad figurandum, & lenia, ἀνχάρακτα; & neque aſpera, neque dura ſunt, neque fluxa, & inconſtantia, puram & expreſſam & permanentem figuram habebunt: ſi quid vero huius habilitatis, quæ dicta eſt, defuerit, hæc erit cauſa, cur effigies non figuretur, nec exprimatur, neque alia fiant, quæ non fiunt, cum non eſt habilitas ad recipiendam participationem. Sed & Iuſtinus martyr philoſophus in oratione de recta confeſſione ait: Quomodo verbum in ſuo templo, & in rebus ſimiliter ſecundum ſubſtantiam eſt, & quid amplius templum quam cætera omnia habebit, audiamus tandem dicentem: Qui eſt in ſinu patris, ſecundum ſubſtantiam omnibus adeſt impartibiliter, & non ſic eum in patre eſſe dicimus, vt eſt in reliquis, non quia ſubſtantia cum in aliis eſt, contrahitur, ſed propter menſuram recipientium, quæ non poſſunt fieri receptaculum divinum: ad hunc modum dicentes eum in templo ſuo inſeparabilem, & tanquam plenitudinem divinitatis habitare confitentes, adeſſe omnibus, & non ſimiliter adeſſe dicimus. Et divinus Gregorius Nyſſenus in primo libro confutationum Eunomij ait: Quia omnis boni fons & principium & largitio in natura increata cernitur, omnis vero creatura in eum vergit per communionem primi boni particeps facta ſublimis naturæ, neceſſario ſecundum proportionem participandi ſublimia, aliis plus, aliis minus ſecundum liberam poteſtatem voluntatis participantis, plus & minus participationis in creatura cernitur; & convenienter vniuſcuiuſque conatu plus & minus in excellentia virtutis, locum habet: natura vero increata longe abeſt ab huiuſmodi differentia. Ex quibus liquet, omnem differentiam participationum ex differentia participantium exiſtere, & conflari, fierique magnas, & parvas participationes propter habilitatem obſcure, aut clare participantium: quare, vt conſentaneum eſt, huiuſmodi participationes, quomodocumque proponuntur, ſive ſimpliciter ſecundum participationem, ſive ſecundum exiſtentiam, ex parvo & magno conflatæ in creatura cernuntur: in iis autem quæ in Deo ſunt, huiuſmodi differentia locum non habet, Vno itaque conſenſu Theologi participationes illas, quas abſolute & abſtracte per ſe ſubſtantiam, & per ſe vitam, & per ſe ſapientiam, & ſimiliter in aliis, vocabant, inter creaturas referebant & numerabant; quia neque ſubſtantiæ divinæ, nec angelicæ erant, nec vllius rei effectrices: ſolum enim quod eſt ſupra ſubſtantiam, principium & ſubſtantia & cauſa horum eſt. Si autem Deus & horum, & eorum quæ ſubter ipſa ſunt, ex æquo auctor eſt (eſt enim, inquit, ex participantibus, & ex participatis infinite & immenſe exemptus) quomodo non in his magis omnis differentia reperiatur, & plus & minus locum habeat? quæ ſunt notæ creaturæ, & varietas circa emanationem, & multiplicatio formarum. Merito igitur quia non ſumus apti & idonei, ſed potius infirmi ad recipiendum Deum, participationem eius à nobis alienavimus: in cauſa autem eſt poteſtas liberi arbitrij, & illud, proclives nos eſſe ab adoleſcentia noſtra ad malum.

Exo. 32. Oſee. 4. — C — D — Ioan 1. — E — F — Gen.

CAPVT IX.

Quod ſola natura divina ſecundum rationem cauſæ eſt participabilis; & quod proprium Dei eſt vocare omnia ad communionem; & quæ plura Dei dona participant, propinquiora Deo ſunt.

G GRegorius Theologus in ſecunda oratione de pace: Non enim, inquit, quidquam ex creatis, & ſervis, atque participantibus, & circumſcriptis naturam increatam, & dominam, atque participatam, & infinitam attingit. Et rurſus idem in oratione in Pentecoſten: Erat igitur ſemper ſpiritus ſanctus participatus, non participans; perficiens, non perfectus. Et magnus Baſilius in libro quinto ad Amphilogium: Natura inacceſſus, capax propter bonitatem; implens omnia poteſtate, ab iis tantum qui digni ſunt, participabilis. Et magnus Athanaſius in epiſtola ad Serapionem: Rurſus, inquit, aliquis vel ex his perſpiciat, participari ſpiritum ſanctum, & non participare: eadem enim dicere non piget: impoſſibile enim eſt, eos qui ſemel illuminati ſunt; & guſtaverunt donum cæleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, & guſtaverunt bonum Dei verbum. Si enim angeli, & aliæ creaturæ ipſum ſpiritum participant; ob hanc enim cauſam excidere poſſunt qui non participant; ſpiritus vero ſanctus ſemper idem eſt, & participabilis eſt. Et ſanctus Maximus cap. 9. centuriæ quartæ de charitate ait: Deus quidem ſolum participatur; creatura vero participat & communicat; & participat quidem eſſe, & bene; communicat vero ſolum bene eſſe: verum aliter quidem i. ſubſtantia corporea, aliter vero incorporea. Et ſanctus Anaſtaſius Antiochenus in primo libro de noſtris dogmatibus veritatis: Quomodo, inquit, oratione laudari poteſt, qui orationem vincit? aut quid digne loqui poſſit vllus, vt cogitatione demonſtret eum qui maior eſt quam cogitari queat? Hic eſt firmamentum omnium,

H — Hebr.

fundamentum omnium, principium omnium, ex quo manant omnia, & in quod vergunt omnia; principium & finis α & ω, ut pulchre dixit qui Theologiam tradens, Theologum docuit: cauſa ut ſint ea quæ ſunt; qui iis quæ nondum conſtituta erant, ſubſtantiam dedit; qui ſubſtantiis, quas ex nihilo fecit, ordinem adhibuit, & ut durarent & conſervarentur, fecit: natura creatrix, poteſtas vim faciendi, inſpiciendi, & providendi habens; vita & vivens; ſubſtantia vitam præbens; natura ſola participabilis, quæ omnia capit, & à nullo capitur: & quid poteſt quiſpiam cum infinita tentaverit, de eo dicere, qui non poteſt expromi? Quod enim ſemel dici non poteſt, non explicabitur: & quod eſt ultra omnia, nulla mens comprehendet, etſi omnium ſit ſubtiliſſima ad penetrandum. Immo & magnus Dionyſius capite quarto cæleſtis hierarchiæ: Primum vero omnium illud vere dicendum eſt; quod divinitas quæ ſupra ſubſtantiam eſt, bonitate ſua ſubſtantias eorum quæ ſunt, produxit, & fecit ut exiſterent: hoc enim proprium eſt bonitatis, quæ cauſa omnium eſt, & ſupra omnia eſt, vocare univerſa ad ſui communionem, ut unicuique eorum quæ ſunt, à propria convenientia definitum eſt. Cuncta igitur quæ ſunt, participant providentiam ex divinitate ſupra ſubſtantiam, & omnium effectrice manantem: non enim eſſent, niſi ſubſtantiam & participium omnium participaſſent. Omnia igitur inanimata eo ipſo quod ſunt, ipſum principium participant: eſſe enim omnium eſt divinitas, quæ eſt ſupra ipſum eſſe: viventia autem participant eandem poteſtatem vivificam ſupra omnem vitam: ratione prædita & intelligentia eandem ſapientiam per ſe perfectam, & prius perfectam, quæ omnem rationem ac mentem vincit, participant: manifeſtum autem eſt eſſe circum ipſum principium ſubſtantias illas, quæcunque multipliciter ipſum participarunt. Ac rurſus idem in quinto de divinis nominibus: Et eſt, ut arbitror, verum, quod ea quæ magis Deum, qui unus eſt, & à quo infinita dona proficiſcuntur, participant, magis ei appropinquant, & diviniora ſunt, quam quæ minus participant. Ex his liquet, quod ſola natura ſecundum cauſam participabilis, Deus eſt: quodque ſecundum eandem cauſam vocat omnia ad ſui communionem: & illa fiunt eidem vocanti propinquiora, quæcunque multis modis participant non ſolum ſimpliciter ſubſtantiam eius & vitam, ſed etiam rationem, & ſapientiam, & alia eius chariſmata ſpiritualia ſecundum proportionem ſupremarum etiam mentium, illæ enim quæ magis cognitionem & ſapientiam participarunt, magis Deo appropinquant.

Apocal. 1. 21. & 22.

Divinitas eſt eſſe omnium, & ſubſtantia εἰναποιός, id eſt, cauſaliter.

Ex Scholiis S. Maximi.

Aliter 1. ſubſtantia corporea) Corporea quidem natura communicat bene eſſe ſermone, opere, & contemplatione; incorporea vero θεωρητικῶς μόνον, id eſt, ſola contemplatione, ſic S. Maximus in eodem cap.

CAPVT X.

Quod totus Deus participabilis eſt, & totus non participabilis; & non aliquid in eo participabile, & aliquid non participabile.

MAgnus Dionyſius in ſecundo cap. de divinis nominibus: Et hoc, inquit, commune, 1. & copulatum, & unum eſt toti divinitati, participari ſcilicet totam ipſam ab unoquoque participantium, & à nullo, nulla parte, ſicut punctum centri in medio circuli, ab omnibus lineis rectis, quæ ſunt circulo circumpoſitæ, participatur, & ſicut multæ figuræ ſigilli expreſſæ, archetypum ſigillum participant, & in unaquaque figura ſigilli expreſſa totum & idem ſigillum eſt, & in nulla figura ſecundum nullam partem: vincit autem hæc, ſcilicet exempla, illud non poſſe divinitatem, quæ omnium rerum cauſa eſt, participari; vincit inquam hoc ipſo, quod divinitatis 2. nulla eſt tactio, ne alia eius cum participantibus mixtionis communio. Hunc locum ediſſerens ſanctus Maximus, Trinitas, inquit, univerſi regina, ab iis quæ participare eam poſſint, participatur non comprehenſe neque participate: idem enim utrumque declarat: participatur enim Deus non comprehenſe, neque reſtrictus, ſed potius totus in cuiuſque participatione exiſtens, & ab omnibus exemptus: ſicut magnam vocem emiſſam omnes qui adſunt, participant, unuſquiſque pro ſuis viribus & viri, & pueri, & brutæ animantes: verum alij quidem valentius, alij vero obtuſius ſecundum vim & facultatem audiendi, & eſt quidem vox participabilis, & in ſe ipſa non participabililis. Et rurſus idem in centuriis Theologicis centuria III. capite VII. Deus, inquit, qui ſecundum ſubſtantiam non eſt participabilis, cum vult aliter ab iis qui poſſunt, participari, à natura & ſubſtantia ſua occulta non recedit: quando etiam modus ipſe, quo volens participatur, manet ſemper omnibus opertus. Adhuc idem in iis quæ in dogmatica panoplia feruntur: Participabilis eſt Deus ſecundum communicationes ſuas; non participabilis vero quatenus nihil ſubſtantiam eius participat, vel vitam eius, vel ſapientiam eius, aut aliquid talium, quæ habet omnia ſecundum excellentiam, & eximie. Ac rurſus idem in tertia centuria, cap XIII. Ad hoc, inquit, nos fecit Deus, ut efficiamur divinæ naturæ conſortes, & participes æternitatis eius, & appareat eſſe nos ſimiles ei ſecundum deificationem ex gratia, propter quam deificationem ea quæ ſunt, conſiſtunt & permanent, & quæ non ſunt, producuntur & generantur. Et iterum idem: Deum ſanctum participat natura rationis & intelligentiæ particeps hoc ipſo quod eſt, & ut bene habeat, apta eſt. Ex his iam conſtat, quod in totum Deus & à nobis participatur, & non participatur, participatur quidem ſecundum rationem cauſæ, id eſt, quatenus omnia ex nihilo producit, & ut ſimpliciter ſint, & ut bene ſint; rurſus vero non participatur ſecundum participationem noſtram, & ſecundum exiſtentiam, nec enim eum ſecundum † tactum participamus, ſicut ſpecies participant genera, & ſicut ſingularia participant univerſalia: & ſicut quæ ſubter prima ſunt, participant illa ipſa prima, neque participamus eum ſecundum exiſtentiam, & illam quam dicit permixtam communionem, ut ſi dicamus: Vita ſentiens eſt pars ſubſtantiæ omnium ſenſu viventium: & omnes ſpecies ex materia concretæ ſecundum admixtam communionem materiam & formam participant, his enim modis & rationibus funditus à nobis non participatur: nec rurſus eſt aliquid in eo quod participatur, & aliquid quod non participatur, abſurdum enim eſt ſi dicatur oportere exiſtentiam Dei ex duobus quibuſdam diſſimilibus conſiſtere, ex participabili ſcilicet, & non participabili. Vt autem bona compoſitio ordinis in hac Decade appareat, patet ex contextis poſitio materiaria huius decadis: ſiquidem demonſtratum eſt à Theologis, proprium eſſe Dei, adeſſe omnibus præſentem ſecundum ſubſtantiam, quod ſi ſubſtantia adeſt omnibus, ſubſtantiam eius omnia participant, non autem aliter participatio divinæ ſubſtantiæ fit quam per patrem, & filium & ſpiritum ſanctum: hæc enim ſunt divina ſubſtantia, quare naturam trium perſonarum participamus, & non nudam, ſive ſolum quandam gratiam non per ſe ſubſiſtentem, creat autem & efficit ad participationem noſtram, gratiarum ſive chariſmatum diſtributionem: creat igitur ſecundum convenientiam ac proportionem participantium ea quæ ſunt magis generalia, ut participentur ab iis quæ ſunt magis particularia, ut ſola ſit hæc omnium quæ ſunt, cauſa & effectrix, ſive ſecum participationem, ſive ſecundum exiſtentiam

† tactum vocat notionem: eſt enim notio tactus quidam ſpiritualis.

propoſita

A propoſita ſint; quoniam omnis differentia & varietas potiſſimum quidem in participantibus fit; per participantia autem fit in ipſis participationibus, ſola denique natura divina ſecundum rationem cauſæ participatur; ſoluſque Deus participabilis eſt ſecundum cauſam, non participabilis vero ſecundum exiſtentiam participantium & participationum, quæ propter participantia fiunt. Nihil igitur deeſt in huius decadis tractatione. Inſcripta autem eſt hæc Decas, De participatione, quia omnem participationem continet, ſive dicatur ſecundum cauſam, ſive ſecundum participationem, ſive ſecundum exiſtentiam.

Ex Scholiis S. Maximi.

Commune 1.) Quia communitas eſſentiæ cum perſonis divinis non eſt communitas rationis, ut in genere cum ſpeciebus, aut in ſpecie cum ſingularibus; ad- B didit Dionyſius, Vnitum, ſingularia enim diviſa ſunt, & ſpecies item diviſæ, ſed rurſus, quia non eſt unio perſonarum divinarum facta per congregationem, ſed quia eſſentia divina eſt unum numero in tribus, ſive tres ſunt unum numero in eſſentia? idcirco addidit. Vnum, ex S. Thoma, *non* 2. *eſt tactus aliquis deitatis* ad creaturas eo modo, quo ex ſigillo & cera fit unum per contactum, nec eſt alia communio, qua commiſceatur cum rebus, ſicut punctum centri commiſcetur lineis, quatenus eſt terminus earum, ex S. Thoma.

DECAS OCTAVA,

De infinitate Dei in creaturis.

C

CAPVT I.

Quod nihil eorum quæ ſunt, caret cauſa, ſoluſque Deus ſine cauſa eſt, qui eſt omnium cauſa.

MAGNVS Gregorius Theologus in primo libro de filio: Quid, inquit, eſt in rebus ſine cauſa? divinitas: nemo enim cauſam Dei dicere poteſt: ſin autem habet cauſam, erit hæc Deo antiquior. Sanctus Maximus in explanatione illius loci Theologici in oratione Gregorij de filio: Propterea unitas à principio ad numerum duorum mota, &c. Omne, inquit, quod non eſt propter cauſam; neque fieri poteſt, neque moveri, neque omnino movetur, cum non habeat cauſam ut ſit: quod ſi cauſam non habet, eſt etiam plane immobile: eſt igitur Deus immobilis, ut qui nullam cauſam habeat unde exiſtat. Rurſus idem in centuriis Theologicis, centuria prima, capite ſe- D cundo: Quod, inquit, ſecundum ſubſtantiam proprie eſt, illud bonum eſt, quod neque principium, neque finem, neque cauſam 1. exiſtentiæ habet; nec ullam qualemcunque ſecundum exiſtentiam motionem ad cauſam: quod autem non ſic ſe habet, id neque proprie eſt, utpote principium, & finem, & cauſam exiſtentiæ, & ſecundum exiſtentiam motionem ad cauſam habens. Quod autem non proprie eſt, quamvis dicatur eſſe, ſecundum participationem voluntatis eius qui proprie eſt: & eſſe dicitur. Imo & magnus Dionyſius in epiſtola ad Titum ait: Si enim ſic ſpectemus, venerabimur videntes fontem vitæ, in ſe ipſum 2. effuſum, & in ſe ipſo conſiſtentem, & unam quandam poteſtatem ſimplicem, per ſe mobilem, per ſe agentem, ſe ipſam non deſerentem, notionem notionum omnium, ac ſemper ſe per ſe ipſam contemplantem. Et ſanctus Hierotheus in hymnis amatoriis ſic ait: Verum age iam & has rurſus 3. poteſtates in unum congregantes dicamus unam, quamdam ſimplicem poteſtatem eſſe, per ſe moventem ad copulantem 4. admixtionem. Et rurſus magnus Dionyſius cap. x. de divinis nominibus. Etenim non ea quæ omnino & abſolute ingenita & vere perpetua ſunt, ubique ſacræ ſcripturæ vocant æterna. Quo in loco S. Maximus, Deum, inquit, vocat abſolute ingenitum, quoniam eſt ſine cauſa. Ex quibus efficitur manifeſtum, quod Deus cum ſit infinitus, & cauſa 5. omnium abſoluta; ſimul eo ipſo exiſtit in creaturis infinitus, & ſine cauſa, & una poteſtas ſimplex, per ſe mobilis, per ſe agens: hoc enim declarat principium omnium ſupra principium, quod proprie eſt unum, & quo nihil eſt altius. E

Ca 4. de divin. nomin.

Ex ſcholiis S. Maximi. F

Neque 1. *cauſam exiſtentiæ habet*) Deus enim non eſt propter ſe tanquam propter cauſam, quatenus nos naturaliter intelligere poſſumus, ut ait idem S. Maximus in eadem centuria, illud etiam, quod ait hic, neque principium, neque finem, neque motionem ad cauſam habet, magis adhuc intelligitur ex cap. 3. einſdem centuriæ: Omnis, inquit, ſubſtantia finita, naturaliter eſt principium motionis, ad quam habet potentiam; omnis autem motio ſubſtantiæ ad operationem, quia poſterius quam ſubſtantia ipſa intelligitur, & prius quam operatio, media eſt naturaliter inter utramque; & ipſa operatio finis eſt ipſius motionis ſubſtantialis prius cogitatæ: Deus autem non ſic eſt ſubſtantia, neque principium, neque finis, neque ſic movetur; ſed eſt incircumſcriptus, infinitus ſupra omnem ſubſtantiam, potentiam, & operationem, *in ſe ipſum* 2. *effuſum*) De ſanctiſſima Trinitate hæc dicit, ſignificatque eius ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantialitatem, quodque unitas uſque in Trini- G tatem progreſſa, in ea ſtat, ſic Gregorius Nazian. in priore oratione de filio, & in ſecunda pacifica contra Iulianum 3. *poteſtates*) Duos amores dicit, mundanum, id eſt, hominum in mundo amantium ſecundum ſpiritum; & ſupramundanum, id eſt, angelorum, quos ad unum amorem divinum revocat, & in unum contrahit, *copulantem* 4. *admixtionem*) Sic vocat amorem, qui vim habet admiſcendi & copulandi, ſicut idem Hierotheus paulo ante dixerat, quia qui inter ſe amant, quodam modo unum fiunt; unde illud: Alter ego: ut iam amor ſit admixtio quædam copulans, ſive copulatio quædam admiſcens hanc vim vocamus in interpretatione poteſtatem: amor enim non eſt paſſio, nec actus, ut ibi S. Thom. in comment. ſuis notavit, ſed vis, ſive poteſtas quædam, quæ virtus etiam dicitur, ad efficiendum aliquid, id eſt, ad admiſcendum quodam modo, & veluti copulandum in unum, *cauſa* 5. *omnium abſoluta*) quia Deus nullam cognationem & affinitatem cum creatura ulla habet, neque quidquam quod cum eo ſimul cogitetur, ut cogitantur ſimul cum alio, quæ ad aliquid referuntur.

H

CAPVT II.

Quod nihil eorum quæ ſunt, à ſe productum eſt, ſolus Deus ex nihilo creat, & eſt omnium quæ ſunt, effector.

MAgnus Dionyſius capite quarto de divinis nominibus ait: Etenim ex ipſo & per ipſum & ſubſtantia & vita omnis & mentis & animæ, atque univerſæ naturæ, parvitates, æqualitates, magnitudines, menſuræ omnium, & rerum proportiones, & conſenſus, & concretiones, tota, partes, omne unum, & multitudo,

A coniunctiones partium, omnis multitudinis copulationes, perfectiones 1. totorum, quale, quantum, 2. quam magnum; aut parvum, infinitum, 3. comparationes, 4. ſeparationes. 5, omnis 6. infinitas, omnis 7. finis, definitiones, ordines, excellentiæ, elementa, formæ, omnis ſubſtantia, omnis facultas, ſive poteſtas, omnis actio, omnis habitus, omnis ſenſus, omnis ratio, omnis 8. intelligentia, omnis tactus, omnis ſcientia, omnis copulatio, & ſimpliciter omne quod ex pulchro & bono exiſtit, & in pulchro & bono eſt, & ad pulchrum & bonum convertitur; & quæcunque ſunt, & fiunt, propter pulchrum & bonum ſunt, & fiunt; & cuncta in ipſum intuentur, & ab ipſo moventur, & conſervantur; & ipſius gratia, & propter ipſum: & in ipſo omne principium ad exemplar, ad finem, ad cauſam efficientem, ad formam, ad materiam B pertinens, & denique omne principium, omnis conſervatio, omnis finis; & ut ſummatim dicam, omnia quæ ſunt, ex pulchro & bono exiſtunt; & omnia quæ non ſunt; in pulchro & bono ſunt ſupra ſubſtantiam; & eſt omnium principium ſupraquam principiale; & finis ſupraquam perfectus: quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, & ad ipſum omnia, ſicut ait ſacra ſcriptura. *Rom. 11.* Vniverſis igitur pulchrum & bonum deſiderabile & amabile eſt; & ab univerſis diligitur, & propter ipſum, & ipſius cauſa, & inferiora amant ſuperiora convertendo ſe ad ea; & quæ ſunt eiuſdem ordinis amant ſimilia, communicando, & maiora minora, providendo eis; & ſingula ſe ipſa, conſervando ſe; & omnia pulchrum & bonum expetendo, faciunt & volunt quæcunque faciunt & volunt. Hoc autem confidenter & vere dici poteſt, quod ipſe qui omnium auctor eſt, propter ſummam bonitatem omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia conſervat, omnia ad ſe convertit, & eſt divinus amor bonus boni propter bonum: ipſe enim amor effector bonitatis rerum, cum eſſet ante omnia in bono excellenter, non ſivit manere ipſum in ſe ſine fœcunditate; potius movit ad operandum, ut excellenti poteſtati omnium effectrici conveniebat. Rurſus idem cap. VII. C Et quidem, quod dixi, ex omnibus cognoſcenda eſt hæc ſapientia; hæc enim eſt quæ, ſicut ait ſcriptura, *Prov. 8. Sap. 7.* omnia facit, & ſemper omnia aptat, & eſt cauſa concentus & ordinis omnium non diſſolubilis, ſemperque 9. extrema priorum cum principiis ſecundorum coniungit; & unam univerſi conſpirationem atque conſenſum pulchre efficit. Et Gregorius Theologus: *In oratione de Nativit. Chriſti.* Quia vero, inquit, non ſatis erat ſummo illi bono moveri ſolum ſui ipſius contemplatione, ſed oportebat diffundi, & meare, ut eſſent plura beneficiis affecta; hoc enim erat ſummæ bonitatis; primum cogitabat angelicas & cœleſtes poteſtates, & erat cogitatio opus verbo completum, & ſpiritu conſummatum. Et paulo poſt: Secundo cogitabat hunc mundum materiatum, & qui cernitur, & quæ deinceps ſequuntur. Et idem iterum in oratione de conſtitutione Epiſcoporum: Reſponde, inquit, mihi diſputator, ad effugiendum difficilis, Si creatus eſt, quomodo creatus eſt? & quære à me, quomodo genitus; ſi paſſio circa generationem; paſſio item circa creationem; ſi enim D non eſt paſſio informatio cogitationis, & cura. & eorum quæ univerſa ſimul cogitata ſunt, explicatio in partes, &c. Et rurſus idem: Et ſi quia ea quæ apud nos fiunt, cum aliquando non eſſent, poſtea ſunt, idcirco etiam filium coges ex iis quæ non ſunt, ad id quod eſt, devenire, &c. Adhuc idem in oratione in novam Dominicam: Deus: inquit, qui voluit hunc mundum conſtituere, qui ex iis quæ videntur, & quæ non videntur, conſtitutus eſt, qui eſt magnus & admirabilis præco magnitudinis eius, æternis quidem ipſe eſt lumen. Et ſanctus Maximus capite VI. tertiæ centuriæ: Si omnis participatio prius cogitatur quam participantia, omnia plane omnibus modis immenſo intervallo ſuperat eam omnium, quæ natura prius quam ea quæ ſunt, & eſt, & cogitatur, non ſicut ſubſtantia prius

E quam accidentia (alioqui demonſtraretur Deus habere compoſitionem, qua complementum exiſtendi conſtaret, ipſam ſcilicet ſubſtantiam rerum) ſed ſicut quod eſt ſupra ſubſtantiam; priuſquam ſubſtantia cogitatur: ſi enim artes figuras eorum quæ arte fiunt, è ſe adinvenerunt, natura vero univerſalis ſpecies quæ ſubter ipſam ſunt: multo magis Deus ſubſtantias eorum quæ ſunt, ex iis quæ non ſunt, efficit, ut qui ſupra ſubſtantiam eſt; multo magis Deus ſubſtantias rerum ex nihilo produxit, utpote ſupra ſubſtantiam exiſtens. Et magnus Athanaſius in epiſtola ad Serapionem: Natura vero, inquit, eorum quæ generantur, & creantur, mutabilis eſt, utpote quæ extra ſubſtantiam Dei eſt, & ex nihilo extitit. Et Theologus Damaſcenus: Qui, inquit, ex nihilo univerſa nutu tuo ineffabili produxiſti. Ex his manifeſtum fit, quod Deus qui auctorem ſui non habet, & cauſa infinita eſt, ex nihilo F creat & condit omnia; & ipſe ſolus eſt unum illud ſuprà ſubſtantiam, & univerſorum effector.

Ex Scholiis S. Maximi.

Perfectiones 1. totorum) quando ex copulatione partium exiſtit forma, quæ eſt perfectio totius *quantum, 2. quam magnum, vel parvum*) hoc quod Græce πηλίκον dicitur, refertur ad certam magnitudinem, vel parvitatem, ut bicubitum, tripedale, bipedale; illud vero, quantum, ad incertam, *infinitum 3.*) ſcilicet potentia, quod convenit quantitati continuæ ſecundum diviſionem; & quantitati diſcretæ ſecundum appoſitionem, *comparationes 4.*) Comparatio pertinet ad relationem convenientiæ, ut idem, æquale, ſimile, *ſeparationes 5.*) ſeparatio ſpectat ad relationem differentiæ, ut diverſum, inæquale, diſſimile *omnis 6. infinitas*) eſt enim multiplex infinitudo, alia quantitatis, alia materiæ primæ, quæ non eſt determinata ad unam formam, ſed in potentia ad infinitas *omnis 7. finis*) ſubſtantiæ, motus ad operationem; & operationis, ac perfectionis: definitiones etiam ſunt quidam fines & terminationes rerum: itaque ubi eſt aliquis finis ex iſtis, ibi non eſt infinitas, G *omnis 8. intelligentia*) S. Thomas legit in ſuo textu Omnis actio, ut ſi Græce fuiſſet πᾶσα ποίησις, ut nunc eſt, πᾶσα νόησις, *ſemper 9. extrema priorum cum principiis ſecundorum coniungit*) ſignificat nihil eſſe inter creaturas medium vacuum & inane, ſed omne eſſe plenum creatura; hæc enim eſt definitio eorum quæ ſe tangunt, quorum termini ſunt ſimul: ſignificat etiam eſſe conſpirationem quandam omnium partium in univerſo ſecundum ordinem & proportionem convenientem: extremum ignis conſpirare & coniungi cum principio aëris; extremum aëris cum humore aquæ, extremum aquæ cum ſicco terræ: & ſimiliter aſcendendo ab elemento terræ ad ignem reperietur ſimilis coniunctio in extremis priorum cum principiis ſecundorum: ad eundem modum in tempeſtatibus anni extremum hiemis cum principio veris; extremum veris cum prinprincipio æſtatis; extremum æſtatis cum principio autumni: huiuſmodi coniunctiones ac conſpirationes dicuntur à Dionyſio ἀλληλουχίας, quod uno verbo Latine exprimi non poteſt.

H *Et omnia quæ non ſunt, in pulchro & bono ſunt ſupra ſubſtantiam*) Quæ non ſunt, non dicuntur ex bono & pulchro eſſe, ut Pachimerus notavit, quia non habent οὐσίαν, id eſt, non exiſtunt, ſed ſunt in bono & pulchro neganter, quia bonum & pulchrum eſt ea non eſſe, quæ non ſunt; ut non eſſe duos ſoles, negationes vero, quas S. Thomas dicit convenire Deo per exceſſum, quia Deus nihil eſt eorum quæ ſunt, ſed ſupra omnia, non ſolum in ipſo ſunt, ſed ex ipſo ſunt ſecundum cauſam, ut bonitas creata, & ſapientia creata, quæ Deo negantur: illa etiam ingenitum, incorruptibile, & immortale, & infinitum, licet negationem ſignificent, non ponuntur inter ea quæ non ſunt,

quia

A quia habent [illegible], id eſt, conſiſtunt, & in ipſo ſunt.

Pachimerus neutrum legit in ſua paraphraſi; fortaſſis appoſitum fuit ab aliquo ad interpretationem verbi quod ſequitur, Omnis tactus: tactum enim vocat Dionyſius intelligentiam, ut Pachimerus interpretatur, quia eſt in operatione animæ per intellectum quidam tactus rei; ſicut in corporibus actio fit per contactum. Sic S. Thomas: idcirco igitur dicit, Omnis tactus, ſenſilis ſcilicet, & intellectilis; & quia per huiuſmodi tactum intellectilem multiplex ſcientia habetur, ſequitur in textu, Omnis ſcientia. Obſervandus eſt ordo intelligendi à ſenſu ad rationem, à ratione ad intellectum, qui eſt quidam tactus intellectilis; ab intellectu ad ſcientiam, quæ coniungit intellectum cum ratione, ut ait S. Thom. à ſcientia ad unionem, quæ ad intellectum pertinet, qui unitur cum intellectis; & ad voluntatem, quæ unitur cum amatis.

B

CAPVT III.

Quod omnis creatura ex nihilo creata voluntate Dei, neque ævum, ſive ſæculum coæternum eſt Deo infinito, neque tempus, nec aliud quid quam ex iis quæ cum ævo vel tempore ſunt: inſcribitur vero etiam ſic, Quod nihil eorum quæ ſunt, coæternum eſt auctori: ſolus autem Deus ex æternitate eſt ante ſæculum.

Dan. 7. MAgnus Dionyſius capite x. de divinis nominibus ait: Laudatur Deus ab antiquitate dierum, quia ipſe eſt omnium 1. ævum, & tempus; & ante dies, & ante ævum, & tempus; & quidem tempus, & dies, & tempeſtivitas appellandus eſt ipſe, ut Deum 2. decet, tanquam qui omni motu eſt immutabilis, & immobilis, & ſemper movetur, manens in ſeipſo; & tanquam auctor ævi, & temporis, & dierum. Rurſus idem ibidem: In ſcripturis etiam aliquando C celebratur ævum temporale, & æternum tempus, tametſi ſcimus, quæ magis proprie ſunt, potius per ævum, quæ autem fiunt; potius per tempus efferri & declarari. Oportet igitur non ſimpliciter arbitrari ea quæ æterna dicuntur, coæterna eſſe Deo, qui eſt ante æternitatem; ſed potius ſequentes incorrupte ſcripturas maxime venerandas, oportet æterna quidem & quæ in tempore ſunt ſecundum 3. modos in eis notos accipere; media 4. vero inter ea quæ ſunt, & quæ fiunt, illa numerantur, quæcunque partim ævum & partim tempus participant: Deum autem ut ævum & ut tempus celebrare oportet tanquam omnis temporis & ævi Ibid. auctorē, & antiquum dierum tamquam ante tempus, & ſupra tempus; & ut variantē tempeſtivitates & tempora, & rurſus ut ante ſæcula exiſtentem, quatenus eſt ante ſæculum, & ſupra ſæculum, ſive ævum, & regnum eius regnum † omnium ſæculorum, Amen. Ad hæc autem & magnus ille Moyſes, Dominus, inquit, regnans in ſæculum, & ſuper ſæculum. Et in his adhuc S. Maximus, Sapientiſſime, inquit, ad pietatem præmunit, inquiens non oportere ſuſpicari quæ æterna dicuntur, eo ipſo coæterna eſſe Deo, qui eſt ante ſæcula: iam enim ſupra diximus, æternum dici proprie non ipſum ſæculum, ſive ævum, ſed id quod ævum participat. Igitur [illegible], id eſt, incorporea, quæ proprie ſunt, utpote creata immortalia, etiam æterna vocare oportet, tanquam quæ voluntate Dei ab interitu libera durent, quæ ſcilicet à Deo producta ſunt cum prius non eſſent: proprie vero loquens ea præcipue quæ apud philologos gentiles gravia & honeſta habebantur, ad pietatem caute traducit. Ait igitur eſſe quidem, & æternas eſſe incorporeas poteſtates à Deo productas, non tamen coæternas Deo, ut gentiles delire nugantur, aientes, ſimul Deus, ſimul omnia. Et iterum idem in centuriis Theologicis centuria prima, cap. IV. V. VI. Non eſt, inquit,

† regnū omnium ſæculo ſi temporalium & æternorum.

D

Exod. 15

E Deus ſubſtantia, ut ſubſtantia 5. quæ ſimpliciter, aut quodam modo dicitur, ubi & principium eſt; neque poteſtas, ut poteſtas, quæ ſimpliciter, aut quodam modo dicitur, ubi & medium eſt; nec opus, ut opus, quod ſimpliciter, aut quodam modo dicitur, ubi & finis eſt motus ipſius ſubſtantiæ ſecundum potentiam prius cogitati; ſed idem ipſe eſt & ſubſtantiæ effector, & ſupra ſubſtantiam; effectorque potentiæ, & ſupra potentiam, firmitas atque vis, & immortalis facultas omnis efficientiæ; & ut breviter dicam, principij, medij, & finis auctor. Et adhuc idem: Principium, & medium, atque finis notæ ſunt eorum quæ tempore dividuntur: & quod vere dici poteſt, eorum etiam quæ cum ævo contemplamur: tempus enim cum motum habeat menſuratum, numero circumſcribitur, ævum vero cum habeat prædicamentum quando ſimul cum exiſtentia cogitatum, ſubit dimenſionem tanquam principium exiſtentiæ capiens: ſi autem F tempus & ævum non carent principio, multo magis non carent quæ in his continentur. Et rurſus: Vnus & ſolus ſecundum naturam ſemper, proprie eſt Deus, totum proprie eſſe omnibus modis in ſe includens: quippe qui eſt ſuperior 6. quam ipſum proprie eſſe: quod ſi hoc ita eſt, nihil penitus eorum quæ eſſe dicuntur, habet proprie eſſe: nihil igitur omnino ſimul cum eo ex æternitate cogitatur ſubſtantia diverſum, non ævum, non tempus, neque quidquam eorum quæ in his vivunt: non enim inter ſe unquam conveniunt proprie eſſe, & non proprie eſſe. Et rurſus idem c. x. eiuſdem centuriæ: Principium eorum quæ ſunt, & medium, & finis eſt Deus tanquam agens, & non patiens; ſicut & alia omnia, quibus apud nos nominatur: eſt enim principium, tanquam creator; & medium, tanquam providens; & finis, tanquam circumſcriptio: ex ipſo enim, inquit, & per ipſum, & in ipſum omnia. Et rurſus idem cap. LXVIII. eiuſdem centuriæ: Eorum quæ ſunt ad aliquid, ſunt ſæcula, & tempora, & loca, ſine quibus nihil eſt eorum quæ ſimul cum his cogitantur: Deus autem non eſt ex iis quæ ſunt ad aliquid: non enim habet quidquam in G univerſum, quod ſimul cum eo cogitetur. Si igitur Deus eſt hæreditas eorum qui digni ſunt, qui hac gratia dignus habetur erit ſupra omnia ſæcula, & tempora, ac loca, pro loco habens ipſum Deum, ſicut ſcriptum eſt: Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut ſalvum me facias. Et iterum idem in centuria quarta de charitate, cap. I. II. III. IV. V. VI. Primum, inquit, admiratur mens cogitans divinam in omnibus infinitatem, & illud pelagus immenſum, & deſideratiſſimum: ſecundo obſtupeſcit, quomodo ex nihilo ea quæ ſunt, produxit. Sed ſicut magnitudinis eius non eſt finis, ſic neque ſapientiæ eius eſt inventio. Præterea, Quomodo enim non demiratur, & pluſquam obſtupeſcit contemplans infinitum illud bonitatis pelagus? aut quomodo non ſtupet cogitans, quomodo, & unde ſubſtantia rationis particeps, & ſubſtantia intelligens facta eſt; item quatuor elementa, I ex quibus corpora, nulla materia eorum ortum antegreſſa? qualis poteſtas illa, quæ ad effectionem excitata, hæc produxit, & ut eſſent, effecit? Verum hoc gentiles non concedunt, qui omnipotentem bonitatem, & ſapientiam, & cognitionem eius, quæ mente comprehendi non poteſt, ignorant. Præterea, ex æternitate creator cum ſit Deus, creat quando vult verbo eiuſdem ſubſtantiæ, & ſpiritu propter infinitam bonitatem. Et ne dicas, Qua ratione nunc creavit qui erat ſemper bonus, & non prius, Quoniam & ego tibi dico, infinitæ ſubſtantiæ ſapientiam quæ inveſtigari non poteſt, non cadere in cognitionem humanam: item, cognitionem rerum, quam in ſe ante exiſtentem creator mundi habebat, quando voluit, fecit ſubſtantiam eſſe, & produxit: abſurdum enim eſt de Deo omnipotente ambigere, an poſſit, cum velit, aliquid facere, ut exiſtat. Adhuc idem: Quam ob cauſam Deus creavit? quære, ſciri enim poteſt:

Rom. — Pſ. 70 — Pſ. 144 & 1 — Cap — Cap — 4?

A quomodo autem, & quamobrem recenter creavit? ne quæras: non enim ſub intelligentiam mentis tuæ cadit: quoniam eorum quæ ſunt divina, partim intelligi poſſunt, partim non poſſunt: contemplatio namque effrænata fortaſſis agat præcipitem, ut quidam ex ſanctis dixit. Idem adhuc: Nonnulli aiunt exiſtere ſimul cum Deo ex æternitate creaturas, quod quidem ferri non poteſt: quomodo enim ea poſſunt ex æternitate ſimul exiſtere cum vndique infinito, quæ ſunt undique finita? aut quomodo ſunt creaturæ, ſi coæterna creatori ſunt? Verum hoc loquuntur gentiles, qui introducunt Deum non quidem ſubſtantiæ, ſed qualitatum eſſe auctorem: nos vero qui Deum eſſe omnipotentem novimus, non qualitatum, ſicut illi, ſed ſubſtantiarum qualitates habentium effectorem eſſe dicimus: quod ſi hoc ita eſt, non ex æternitate ſimul cum Deo creaturæ extiterunt. B Adhuc idem cap. XIII. Eſſe ſemper, aut non eſſe ſubſtantiam rationis participem & intelligentem, in voluntate Dei, qui omnia bona creavit, poſitum eſt, eſſe autem bonos ſecundum electionem, aut pravos, in voluntate eorum qui facti ſunt. Et rurſus idem in cap. 10. Omnis ſubſtantia intelligens, & ſentiens, cum productæ ſunt, acceperunt à Deo poteſtates percipientes res: ſubſtantia quidem intelligens accepit notiones, ſentiens vero ſenſus. Ex quibus efficitur manifeſtum, nihil neque temporum, neque ſæculorum, nec quidquam eorum quæ in ipſis temporibus, aut ſæculis ſunt, coæternum eſſe infinitati Dei, quæ omnium cauſa eſt, & ſupra omnia eſt, & cuius voluntate omnia ex nihilo facta ſunt, ſive à tempore, ſive à ſæculo ortum duxerint: demonſtratum namque eſt, omnibus notum eſſe, qui mediocriter ea quæ ſunt, conſideraverint, quod qui ſæcula, & locum in his velut receptaculum eorum quæ fiunt, produxit vniverſi auctor, in his creat omnia: nec enim fieri poteſt, vt aliquid C eorum quæ per creationem facta ſunt, aut per generationem, non omnino aut in ſæculo, aut in tempore ſit: quod ſi hoc verum eſt, omne quod eſt, quod quidem non à tempore cœpit, liquet à ſæculo principium habuiſſe; nihilque rerum à creatione Dei abeſſe.

Ex S.Maximo & Gregorio Pachimero.

Omnium 1 ævum & tempus) Ævum angelorum qui ſunt in ævo, quos antea ab ævo æternos nominaverat; tempus eorum quæ ſunt ſubiecta tempori, id eſt, eorum omnium quæ facta ſunt poſt cœlum, ex cuius motu exiſtit tempus, id eſt, numerus motus cœli ſecundum prius & poſterius, *vt 2 Deum decet)* Dicitur enim ævum, ſive ſæculum, & tempus, & dies, ſed immutabiliter, quia omnia quæ ſunt in his, ſcilicet ævo & tempore & die, mutationem convenienter naturis ſuis capiunt: ipſa vero ævum, & tempora & dies, quatenus ævum & tempora & dies D ſunt, quadam imitatione Dei immutabilia ſunt, cum enim omnis mutatio in tempore fiat, quali tempore temporis mutatio fieret? Variationes vero anni, veris ſcilicet æſtatis, autumni, & hiemis, quas vocamus tempeſtivitates, mutationes quidem temporum & dierum ſunt ſecundum qualitates, non autem temporum & dierum ſecundum ſe, id eſt, quatenus tempora & dies ſunt. Sicut ergo omnia in his mutantur, ipſa vero manent immutabilia, ſic & Deus, vt Deum decet, ſemper movetur, in ſe alióqui manens. Fortaſſe quærat aliquis, vbi in ſcriptura appellatur Deus tempus, dies, & tempeſtivitas; ſi Deus eſt omnia *αἰτιακῶς* ideſt, ſecundum cauſam, quia omnia fecit ſecundum ideas æternas, quæ ſunt ipſe Deus, vbi ſcriptura dicit Pſ. 73. Tuus eſt dies, & tua eſt nox; tu fabricatus es auroram & ſolem; ibi appellat & laudat eum tanquam tempus & diem, & cum dicit in eodem Pſ. Æſtatem & ver tu plaſmaſti ea: ibi ſimiliter appellatur & laudatur Deus tanquam tempeſtivitas, quæ à Græcis dicitur *ὥρα* ſicut tempus dicitur *χρόνος*, *ſecundum 3 modos in eis notos)* id E eſt, ſecundum ſcopum ſcripturæ, ſecundum inquam naturam eorum quæ dicuntur in ſcripturis æterna, aut temporalia, angeli enim dicuntur in ſcriptura æterni (Pſ. 23. Elevamini portæ æternales) quia ſunt participes ævi, Mat. 2 1. & antiquiſſimi omnium creaturarum, dicitur etiam ævum ſive ſæculum Græce *αἰών*, extenſio ſive duratio ipſa temporis, vt illud: Vſque ad conſummationem ſæculi, & Pſ. 76. Annos æternos in mente habui, & 2. Cor. 4. Deus huius ſæculi, perinde enim eſt, vt ſi interpres vertiſſet, huius ævi, ſive æternitatis Græce eſt *αἰῶνος*. Exod. 21. Erit ei ſervus in ſæculum, ſive in æternum, hanc igitur vocat ſcriptura temporalem æternitatem, ſicut apud Paulum dicitur tempus F æternum, 2. Tim. 1. Ante tempora ſæcularia, Græce eſt *αἰώνια* id eſt, æterna, & Tit. 1. Ante tempora ſæcularia, Græce etiam *αἰώνια*, id eſt, æterna, & Rom. 16. Secundum revelationem myſterij temporibus æternis taciti: idem vocabulum eſt Græce, quod in hoc loco interpres vertit æternum, & in aliis ſæculare, *media 4 vero)* quia illa quæ proprie ſunt, divina inquam, quæ ſupra omnem creaturam, ævo, ſive æternitati attribuit, tametſi ſupra ævum, ſive æternitatem ſunt: illa vero quæ ortum & interitum capiunt, tempori: idcirco media inter ea quæ ſunt, & quæ fiunt, angelos & animas dicit: quæ quidem partim ævum, vt angeli, participant, vtpote immortales, & ab interitu liberæ: partim vero tempus, quia fiunt *ſubſtantia 5 qua ſimpliciter)* Subſtantia ſimpliciter eſt ſubſtantia abſtracte conſiderata, quæ dicitur per ſe ſubſtantia, ſolum continens in notione ſua quæ ad eſſentiam ſubſtantiæ pertinent, hanc notionem primum menti informamus: poſtea notionem vniverſalem, notionem inquam ſubſtantiæ non abſtracte cogitatæ, ſed vniverſe, vt eſt ſubſtantia communis, quæ ratione differt à ſubſtantialitate abſtracta, ſicut humanitas ab homine, G poſtea conſideramus ſubſtantiam communem ſecundum ſingulas ſpecies, hæc ſubſtantia communis, & etiam ſingularis, non ſimpliciter, ſed quodam modo ſubſtantia eſt, quia ſubſtantia communis eſt per participationem per ſe ſubſtantiæ, & particularis ſubſtantia per participationem vtriuſque communis ſcilicet & per ſe ſubſtantiæ. In huiuſmodi ergo ſubſtantia ſive ſimpliciter, ſive quodam modo, principium eſt motus: Deus autẽ nõ eſt principium, quod habeat habitudinem ad id, cuius principium eſt, immo eſt principium ſupra principium, omni habitudine ſolutum, ſimiliter potentia ſimpliciter eſt potentia abſtracte conſiderata, quæ dicitur per ſe potentia, quæ eſt ipſa eſſentia potentiæ, cuius per ſe potentiæ participatione eſt potentia communis, & ob hanc cauſam eſt quodam modo potentia: ſimiliter potentia particularis eſt quodam modo potentia, quia eſt per participationem potentiæ communis, & per ſe potentiæ, huiuſmodi potentia ſive ſimpliciter, ſive aliquo modo, eſt media inter ſubſtantiam & opus, quod fit per motum ſubſtantiæ, non enim fieri poteſt opus, niſi ſit potentia efficiendi H illud. Opus ſimpliciter eſt opus per ſe & abſtracte conſideratum, id eſt, ipſa eſſentia operis, opus quodam modo eſt opus ipſum vniverſe conſideratum, quod eſt per participationem operis ſimpliciter, quod dicitur per ſe opus: aut opus particulare, quod eſt per participationem operis vniverſalis, & per ſe operis, in huiuſmodi opere, ſive ſimpliciter, ſive aliquo modo finis eſt: vt ſanitas quomodocunque conſideretur, ſive abſtracte, & per ſe, ſive communiter, & vniverſe, ſive ſit in particulari, finis eſt medicationis, quæ eſt motus medentis prius cogitatus ſecundum potentiam, quam ſanitas, quæ non poteſt fieri per medicinam, niſi prius cogitetur potentia ad ſanãdum, Deus autẽ neque finis eſt, neque medium, quatenus hæc in iis quæ ſunt ad aliquid, numerantur, quæ ſimul eſſe cogitãtur, cum infinito autẽ nihil finitũ ſimul eſſe cogitari poteſt. Conferenda ſunt hæc cum c. 4. quintæ decadis: & illic etiam obſervandum eſt, quam ingenioſe, quæ Plato in Timæo & Parmenide ſcripſit de ſpeciebus ſive ideis ingenitis, & ſine interitu, ſeparatis, immutabilibus, natura conſiſtentibus,

[A] tanquam effectricibus rerum ſingularium, correxit & traduxit ad verum dogma de principijs, non quæ cauſæ per ſe exiſtant, neque ſint non factæ, ſed quæ habeant in nobis eſſe tantum intelligibile & immutabile à Deo manans, ſintque veluti formæ quædam intelligibiles ratione tantũ à rebus ipſis ſeparatæ, quod enim eſt ſingulare, poſterius eſt intelligentia quod intelligi non poteſt ſine prioribus, quæ sũt quod quid eſt ſpeciei, & ſpecies ipſæ, que à ſingularibus participantur, & prius eſſe habent ſecundum notionem, non enim eſſet hic homo in notione, niſi homo ſpecies eius prius haberet eſſe intelligibile: neque homo diceretur eſſe ſecundum notionem, niſi prius humanitas haberet eſſe intelligibile: hæc enim continet quod quid eſt ſpeciei hominis: ſimiliter in reliquis, non eſſet hæc vita in notione, aut hæc ſimilitudo, niſi eſſet vita & ſimilitudo vniverſe conſiderata: nec iſta eſſet, niſi eſſet [B] prius ſecundum notionem quod quid eſt ipſius vitæ & ſimilitudinis, quæ vocatur vita ſimpliciter, & ſimilitudo ſimpliciter, ſive per ſe vita, & per ſe ſimilitudo, *quippe qui eſt 6. ſuperior, quam ipſum proprie eſſe)* quatenus à nobis ſcilicet cogitari poteſt, ſicut dicitur Deus eſſe ſupra Deum, *ὡς ἡμᾶς εἰδέναι* vt ait Dionyſius, id eſt, ſecundum noſtram cognitionem; ſupra Deum, inquam, per participationem, quem in creaturis cognoſcimus, ſicut ſcriptum eſt: Ego dixi, dij eſtis, ſic etiam eſt bonus ſupra bonitatem, [Pſal.81.] quæ à nobis in creaturis cognoſci poteſt, itaque proprie eſſe, de creatura dicitur & de Deo, ſed æquivoce, vt bonus, & Deus.

Non eſt alienum ab hoc capite, nec à proximo ſeſequenti, explicare quomodo intelligendum ſit quod Pont. Rom. credidit de creatione angelorum, & ad credendum catholicis propoſuit in cap. firmiter credimus, de ſum. Trin. & fide cath. non enim diſcrepat decretalis ab eo quod hic tradit Dionyſ. immo convenit, cum ait, Vnum vniverſorum principium creator omnium viſibilium & inviſibilium, qui ſua [C] omnipotente virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videl. & mundanam, & deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam, hactenus decretalis, ſed dilatandus eſt aliquantum hic locus. Quærit B. Athan. in quæſt. ad Antioch. princip. quæſt. 4. quando, & quomodo, & vnde facti ſint angeli. Reſpondet ad quæſt. nec quando, nec quomodo facti ſint, ab humana natura dici poſſe, præterquam hoc ſolum, factos eſſe verbo Dei ex nihilo; quando vero, Alij, inquit, aiunt [Pſ.148.] primo die; alij ante primum diem. Creatos vero eſſe, teſtatur, inquit, Propheta, cum ait: Laudate eum omnes angeli eius; quoniam ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt. Moyſen enim ait, quia ſciebat eſſe Iudæos idololatriæ & multitudini deorum [Exod.32. Ioan.1. Eccl.18.] deditos, idcirco non feciſſe ſerm. de angelis in Gen. ne eos ceu deos colerent, vt in vitulo, & in aliis idolis poſtea fecerunt, quod ergo ex ſcripturis ſanctis diſci poterat, vtramque ſcilicet creaturam ſpiritualem & corporalem, ſimul & ex nihilo eſſe à Deo [D] conditam: omnia enim per ipſum facta ſunt; &, Qui viuit in æternum, ait Eccleſiaſticus, creauit omnia ſimul, vtrumque horum decr. cath. fidei ſubiecit. Illud vero, ſimul ab initio temporis, ſicut ad creaturam corporalem, id, eſt, ad mundum qui cernitur, & quæcunque in eo continentur, referri voluit, quia [Gen.1.] ſcriptum eſt: In principio creauit cœlum & terram; ſic ad angelicam naturam non neceſſe eſt ſecundum ſcripturam, referri voluiſſe; quia vt paulo ante aiebat Athan. quando angeli creati fuerint, humana natura dicere non poteſt, ſed quia durationem angelorum, quæ non eſt ſubiecta tempori, quia eſt tota ſimul, & invaribilis, quæ & dicitur in ſacris litteris æuum, non poſſumus cognoſcere, nec aliis manifeſtare, niſi per extenſionem noſtri temporis ex horis, diebus, & annis conſtantem, quam ſcriptura æuum quoque aliquando vocat, vt Dionyſ. notauit; idcirco Pont. propoſuit ad [E] [Pſal 2] credendum, ſimul ab initio temporis vtramque creaturam ſpiritalem & corporalem conditam eſſe, nomine itaque temporis æuum & tempus comprehendit Pont. imitatus Dionyſ. quare non prohibet hæc decretalis, quin liceat ſentire quod Apoſtolorum diſcipuli Clem. Dionyſ. quos multi alij poſtea ſequuti ſunt, ſenſerunt, & creatos fuiſſe angelos ante mundum, de angelis enim interpretatur Dionyſ. dictum eſſe illud Eleuamini portæ æternales; quia antiquum & invariabile, & metiri ſecundum totum eſſe, proprietatem æui eſſe dicit: quare ſi æuum antiquius eſt tempore, & æuum dicitur, & eſt duratio angelorum, ſunt igitur angeli ante tempus, & ante ea quæ ſunt in tempore, creati. Idem ſenſit S. Max. in prima centuria Theol. ſi enim angelos non creaſſet ante tempus, cum quo ortus eſt mundus, antiquius virtute fuiſſe non eſſe virtutem, & bonitate antiquius non eſſe bonitatem, quæ abſurda S. Max. eſſe videntur, [F] ſed quæ S. Max. de hac re ſenſit, proximo ſequenti capite latius explicanda & repetenda ſunt. Sic etiam in- [Gen.1.] telligendum eſt quod Epiph. diſputans contra hæreſim Pauli Samoſateni ait, Non eſſe angelos ante cœlum & terram creatos, cum plane, inquit, hoc dictum non ſit mutabile, quod ante cœlum & terram nihil erat ex creatis: nam in principio fecit Deus cœlum & terram, vt principium ſit; & nihil ex creatis ante hoc ipſum ſit, hactenus Ephiph. Veriſſimum eſt ante cœlũ & terrã nihil fuiſſe ex creatis ſcilicet in tempore, ſic enim intelligendum eſt, Angeli antẽ in æuo creati ſunt, æuum enim eſt menſura eorum que non ſunt tempori ſubiecta. Idem quod hæc decretalis, dixit prius ſynod. epiſt. Sophronij patriarch. Hieroſol. miſſa ad Honorium I. & non ad Sergium Conſtantinop. vt Photius Conſtantinop. in ſua biblioth teſtatur, recitata fuit hæc epiſt. in 6. Synodo & in 11. actione collocata. Loquens ergo de creatione mundi à Deo facta, ſic confitetur Sophron. *καὶ τοῖς πᾶσιν ἔθετο ἀρχὴν χρονικήν*, id eſt, & omnibus decreuit principium temporis: quia angeli [G] licet immortales ſint, hoc habent commune cum iis quæ ſunt in tẽpore, quod facti ſunt; idcirco tempus eis attribuit, hunc plane ſecutus eſt Pont. in ſua decretali, & Sophron. ſecutus plane. Dionyſ. quem in eadem ſynodica citat (ne quis dicat ignotum fuiſſe Dionyſ. Sophron.) Eſſe igitur angelos ante mundum hunc corporeum creatos, tradit Dionyſ. hoc loco, & Apoſtolica doctrina li. 8. Clem. c. 12. & eam ſecutus Greg. Nazian. in ſer. de natali Chriſti, & in 2. de Paſcha, & hunc ſecutus Damaſ. li. 2. de fid. orthod. Quomodo vero intelligendum ſit, creaturas ſpirituales & corporales ſimul creatas eſſe, illas cum æuo, has cum tempore, vt hoc quoque non prætereamus, explanauit idem Athan. li 3. contra Arium, intuens in illum locum Eccl. c. 18. Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul: Nihil enim ait, ex rebus creatis ante alia ſui generis conditũ eſſe: ſed omnia ſimul vno eodemque mandato facta, ſunt & paulo ante magis adhuc explicat, cum ait nihil eſſe in rebus creatis, quod ipſum vnum, & ſolum, & primum ante alia ſcilicet ſui generis factum ſit, ſed cum omnibus ſimul *κατὰ γένος ἢ τάξιν*, id eſt, cum omnibus ſui generis, vel ordinis, nullum enim inquit ex [H] aſtris, aut ex magnis luminaribus ita apparuit, vt hoc prius, illud poſterius in rerũ natura emergeret; ſed omnia eodẽ die, eodemque iuſſu ortum ceperunt, quamvis alia ab aliis ſplendore differant; ſimiliter in quadrupedibus, volucribus, piſcibus, pecoribus; ſtirpibus, ſimiliter, inquit, Adam quamquam ſolus è terra formatus eſt, fuere tamen in eo etiam tunc rationes ſucceſſionis poſteritatiſque humani generis, ſubiungit deinde: Et ex creatione mundi viſibilis inviſibilia eius (angelos dicit) hoc etiã genere operum, inquit facta eſſe intelligimus, colligimuſque ne in illis quidẽ quidquã ſeorſum in ſuo genere aut prius, aut poſterius creatum eſſe; ſed omnia ſimul, quæ eiuſdem conditionis ſunt, extitiſſe, non enim ſingulas res enumerauit Apoſtolus, vt in hunc modum diceret: Siue angelus quiſpiam, ſive thronus

aliquis, ſive dominatio illa, aut illa, aut hic vel ille ex poteſtatibus, ſed univerſos ſimul, qui eiuſdem ordinis erant, comprehendit. Sive, inquit, throni, ſive dominationes, ſive principatus ſive poteſtates, &c. hactenus Athan. Omnes itaque Cherubini ſimul creati ſunt; ſimul item Seraphini, & ſimul Throni, ſimiliter in reliquis ordinibus, in quibus, quod ad creationem pertinet, non eſt quidquam prius, aut poſterius, licet gloria & honore inter ſe differant. Sic probat B Athan. contra Arium non eſſe verbum creaturam; alioqui, inquit, neceſſe erat, vt ſimul cum aliis ex ordine virtutum crearetur, & non ante; licet gloria ceteris antecelleret, ex quo rurſus fieret, vt non poſſet eſſe primum & initium aliorum, vt Ariani volebant, tradebant enim creatum eſſe verbum, vt per eum Deus omnia alia crearet; quaſi non eſſet de numero omnium: cum tamen tale principium omnium, ait Athanaſius, in omnibus connumeretur, atque ita concluſit, differre verbum ſubſtantia & natura a creaturis; ſolúmque eum eſſe ſolius veri Dei imaginem.

Coloſſ. 1.

CAPVT IV.

Quod nihil eorum quæ ſunt, caret principio, quin potius vel eſt ex principio temporis, vel ex principio ævi, ſive ſæculi: Deus autem ſimpliciter & infinite eſt ſine tempore.

SAnctus Maximus in Theologicis centuriis centuria 1. c. 55. Quæcunque in tempore ſecundum tempus creata ſunt; poſtquam ſunt perfecta, finem faciunt naturalis accretionis, quæcunque vero ſecundum virtutem ſcientia Dei conficit, poſtquam conſummata ſunt, rurſus moventur ad incrementum, eorum enim conſummationes aliorum ſunt principia. Qui enim deſinit in ſeipſo, facere quæ ortum & interitum capiunt, alias diviniores formationes incepit, quia nunquam Deus deſinit agere pulchra illa, quorum neque principium 1 habuit, ſiquidem ſicut proprium luminis eſt illuminare, ſic proprium eſt Dei benefacere. Quamobrem in lege, quæ exponit conſtitutionem eorum quæ ſecundum tempus oriuntur & occidunt, honoratur ſabbatum per quietem; in Evangelio autem, quod ſtatum rerum ſpiritualium introducit, exercitatione bonorum operum hoc ſabbatum ſplendeſcit. Iterum idem c. 51. eiuſdem centuriæ: Sextus, inquit, dies ſecundum ſcripturam enarrat complementum eorum, quæ ſunt ſub natura; ſeptimus vero circumſcribit motum proprium temporis; octavus notat & deſignat modum ſtatus ſupra naturam, & tempus: Idem c. 54. Qui ſextum diem complevit divine cum operibus, & notionibus ſibi convenientibus; ipſe etiam operibus ſuis cum Deo honeſte perſpectis? pertranſivit perſpicientia mentis omnes res naturæ & tempori ſubiectas, & ad contemplationẽ myſticam ævi & æternorum ſe tranſtulit, ſabbatum mente agitans ignote, rebus ipſis ex toto relictis, & ſuperatis. Qui autem octavo die dignus eſt habitus; is à mortuis excitatus eſt, id eſt, ab omnibus quæ ſub ſenſum & intelligentiam cadunt, & à verbis & notionibus, & vixit beatam vitam Dei, qui ſolus & proprie vita dicitur, & eſt; vt qui ipſe etiam ſit deificatione Deus. Idem rurſus cap. 58. Sextus dies rationem exiſtentiæ rerum deſignat; ſeptimus modum boni ſtatus rerum; octavus vero myſterium boni ſemper ſtatus. Idem cap. 60. Qui propter nos quietem Dei ſeptimo die, & propter nos operationem eiuſdem octavo die, id eſt, myſticam reſurrectionem participatione deificationis participavit. Et rurſus idem cap 48. & 49. & 50. eiuſdem centuriæ: Quærendum eſt ab ſtudioſis, quæ opera intelligenda ſint quæ cœpit Deus creare; & quæ rurſus, quæ non cœpit. Si enim ab omnibus operibus, quæ cœpit facere, ceſſavit; manifeſtum ſit, non ceſſaſſe ab illis quæ non cœpit facere. Dubium videtur, num opera Dei quæ ſecundum tempus eſſe cœperunt, ſint omnia quæ eſſentiam participant, cuiuſmodi ſunt variæ ſubſtantiæ eorum quæ exiſtunt, habent enim non eſſe antiquius quam eſſe; quia erat quando non participabant eſſentiam. Fortaſſis autem opera Dei quæ non cœperunt eſſe in tempore, illa ſunt quæ participantur ſecundum gratiam ab iis qui ea participant, vt bonitas, & omne id quod in ratione bonitatis continetur: & denique omnis vita, & immortalitas, & ſimplicitas, & immutabilitas, & infinitas, & quæcumque 2 circa ipſum ſecundum ſubſtantiam contemplamur; quæ opera Dei ſunt, & non cœpta ſecundum tempus, non enim antiquius virtute erat, non eſſe virtutem, & ſimiliter in aliis, quæ modo dixi, quamvis quæ ipſa participant, ipſa eſſe cœperunt ſecundum tempus. Omnis namque virtus principio caret non habens tempus antiquius ſe, vtpote quæ Deum ſolum habet qui eam æterne generat. Idem adhuc, Immenſe & in infinitum exemptus eſt Deus ex omnibus participantibus, & participatis. Omne 3 enim quod habet rationem cur ſit, opus Dei plane eſt; & partim quidem ſecundum ortum cœpit eſſe in tempore; partim vero ſecundum gratiam inſitum eſt creaturis tamquam quædam vis, ſive facultas innata, quæ Deum in omnibus aperte & clare prædicat, & rurſus, Vniverſa immortalia, & ipſa immortalitas; & cuncta viventia, & ipſa vita, & ſancta omnia, & ipſa ſanctitas, & omnia virtute prædita, & ipſa virtus; & omnia bona, atque ipſa bonitas; & cuncta quæ exiſtunt, & ipſa exiſtentia, opera Dei plane ſunt; ſed opera Dei partim ſunt non cœpta tempore (non enim erat, quando non erat virtus, & bonitas, & ſanctitas, & immortalitas) partim cœpta alioqui in tẽpore, participatione eorum quæ non ſunt cœpta tempore, ſunt & dicuntur hoc, quod ſunt & dicuntur. Deus enim eſt omnis vitæ, & immortalitatis, ac ſanctitatis, & virtutis auctor, ex omnibus namque, quæcumque intelliguntur & dicuntur, ſupra ſubſtantiam exemptus eſt. Adhuc idem cap. 8. centuriæ primæ: Cuncta quæ exiſtunt, intellecta nominantur, & principia cognitionum in ſe ipſis habent indemonſtrabilia: Deus autem non nominatur intellectus à nobis, ſed ex intellectis tantum eſſe creditur, quamobrem nihil eorum quæ intelliguntur, cum eo vlla ex parte comparatur. Ex quibus ſit manifeſtum, quod nullum opus Dei effugit, quin ſit ipſius effectus: quod ex Propheta liquet, cum ait: Quam magnificata ſunt opera tua Domine? omnia in ſapientia feciſti, & rurſus: Veritas & iudicium opera manuum tuarum. Sed quoniam duplex eſt productio operum Dei, & alia quidem cœpto ortu à tempore, ſeptimo die deſita ſunt produci; alia vero cum ſint ſupra ortum à tempore, non cadit in ea cogitatio temporis, neque † tempeſtivitatum, ſed cum ævo, ſive ſæculis tenduntur; idcirco neceſſe fuit demonſtrare, in quibus operibus ſabbatum agitat Deus, & in quibus non; & quæcumque ortum & generationem ſubeunt, quia principium habent, habent etiam ſabbatiſmum, id eſt, quietem ſabbati ipſam ceſſationem. Septimo enim, inquit, die requievit ab omnibus operibus ſuis. Rurſus vero quæcumque 4 ante tempora æterne à Deo creata, in ævo degunt, neque principium temporis, neque ſabbatiſmus in ea cadit, deſignatúrque in eis ſtatus octavi diei, in quo neque principium generationis eſt, neque ſabbatiſmus, id eſt, quies ſabbati & ceſſatio; ſed potius tamquam liberi ab interitu, & immortales degunt omnes. Non igitur aliqua opera Dei refugiunt, quin habeant principium, ſæculum, ſive ævum. Quomodo enim refugiant, quorum auctor eſt, & infinite in infinitum ipſis illis antecellit æque atque ceteris aliis creaturis? Verùm tamen hæc non cœpit Deus generare, quorum non eſt generatio, neque tempus; cum ævo tamen dimenſione carente ex nihilo etiam hæc facta ſunt. Non ſolum igitur quia hæc opera Dei dicuntur, & eorum auctor Deus, & infinite in infinitum ipſis antecellit, clare intelligitur creaturas & effectus Dei eſſe; ſed etiam quia non cœpiſſe appoſita præfinitione temporis vbique exponitur, vt quæ in tempore cœpta ſunt, manifeſte diſtinguntur à ſæculis cœptis: & omnis virtus carere principio dicitur,

Pſ. 103.

Pſ. 110.

† Tempeſtivitates ſunt verum tempus, æſtas, autumnus, hiems.

Gen. 2.

A tur, ſed ſic principio carere, vt ſcilicet non habens tempus antiquius ſe, non tamen non habens ævum antiquius. Et ſicut magnus Dionyſius Deum ait charitatis & amoris productorem & genitorem, hoc autem exponens Sanctus Maximus in ſcholiis in eum, & in octava centuria capite 88. ſic dixit: Charitatis & amoris ipſum Deum ſcilicet ait genitorem eſſe, ipſe enim hæc in ſe ipſo cum eſſent, produxit foras, id eſt, circa creaturas; & ſic dictum eſt: Deus charitas eſt. (1 Ioan. 4) Sic igitur non eſt mirandum, ſi virtutem dicit hic habere æterne 5 Deum genitorem: id eſt, Deus cum haberet eam in ſe ipſo, protulit eam foras, id eſt, circa creaturas. Similiter illud non erat, quando non erat virtus & bonitas, adiuncto tempore redditur conſentiens ſecum, & cum aliis ante dictis. Nihil igitur eorum quæ antea demonſtrata ſunt, rationi adverſatur. Deus autem, qui cauſam non habet, & omnium cauſa eſt, ex nihilo producit creaturam; neque quidquam eorum quæ ſunt, quidquid illud ſit, coæternum ei eſt, ſive ex iis ſint quæ tempore cœpta ſunt; ſive non cœpta tempore, ſed ævo comprehenſa; ſive ex iis quæ ſunt participantia, ſive quæ participata; & ſolum vt à participantibus participentur, expoſita; ſive ex iis ſint quæ intelliguntur; ſive quæ intelligunt. Deus enim infinite in infinitum ex his & illis exemptus eſt: quoniam ſolus ipſe eſt omnium vna cauſa; neque habet ante ſe maius aliquid, neque ſecum æquale, neque poſt ſe minus. B

Ex Scholiis S. Maximi.

Quorum neque 1 principium habuit) Principium temporis dicit; ante tempus enim in ipſis angelis gratiam & virtutes creare cœpit, à quibus numquam deſiſtit in hominibus angelorum vitam & virtutem imitantibus, *quæcumque 2 circa ipſum ſecundum ſubſtantiam*) illa ſcilicet dicimur contemplari circa ipſum ſubſtantialiter, quæ in creaturis à ſubſtantia Dei ἀιτιακῶς, id eſt, ratione cauſæ participata contemplamur, vt infinitatem in potentia, immutabilitatem, ſimplicitatem, & immortalitatem in angelis, *omne 3 quod habet rationem cur ſit, creatura eſt, & opus Dei*) Deus enim non eſt propter ſe, vt à nobis cogitari poteſt, ait S. Maximus in prima centuria Theologica; quia neceſſe eſt vt illa ratio & cauſa ſit prius; Deus autem nihil habet prius, idcirco neque Deus eſt propter ſe, vt à nobis intelligi poteſt: quia quod in creaturis intelligimus, cauſa proprie prior eſt eo, cuius cauſa eſt, *quæcumque 4 ante tempora æterne creavit, in ævo degunt*) Æterne dixit, & non coæterne; id eſt, in ævo ante tempus, quod æviterne dici ſolet, propter angelos, & eorum virtutes, atque cognitiones Deus æterne 5 generat virtutem, id eſt, ante tempus creatum, hæc enim cum haberet Deus in ſe ipſo, protulit ea foras, id eſt, circa creaturas, ſicut ait S. Maximus. Si enim angelos non creaſſet ante tempus, cum quo ortus eſt mundus, antiquius virtute fuiſſet non eſſe virtutem, & bonitate non eſſe bonitatem, quæ abſurda eſſe videntur, valde enim decens videtur, vt illæ perfectiones, quæ a Deo manant, quæ à creaturis ἀιτιατῶς, id eſt, create participantur, antiquiores ſint ipſo tempore, cum quo creaturæ tempori ſubiectæ illas participarunt, itaque ſanctitas, charitas, vita, ſapientia, & aliæ perfectiones Dei ex Deo ἀιτιακῶς, id eſt, efficienter, ſive cauſaliter participatæ non cœperunt creari cum creatione hominis, ſed antiquius, ante tempus ſcilicet cum angelis, qui æterne, hoc eſt, in ævo, & non coæterne Deum laudabant. C D

Septimo die requievit ab omnibus operibus ſuis) Photius Patriarcha Conſtantinop. in reſponſis ad varias quæſtiones de locis ſcripturæ ad Amphilochium metropolitam Cyzici: Quatuor, inquit, ſunt operationes Dei: (Gen. 1.) Prima, qua fecit à principio naturas rerum omnium ſeptem diebus, ſecundum hanc ſignificationem dictum eſt requieviſſe ſeptimo die ab omni opere quod patraverat. Secunda operatio eſt conſervatio ex illo tempore perpetua eorum quæ ſemel extiterunt, quæ non permittit vllam ſpeciem perire, hæc operatio providentia vocatur, ab hac operatione numquam deſiſtit, neque deſiſtet Deus, dum terrena hæc concretio conſiſtet. Tertia operatio, qua facit, vt natura cuiuſque nihil diſſimile, aut à ſe alienum faciat, ſed potius ſui ſimile generat, & ſucceſſionem legitimam oſtendit, hæc quoque operatio ad providentiam referri poteſt. Præter has tres, vnam de creatione eſſentiæ, ſive ſubſtantiæ, aliam de conſervatione, aliam de ſimilitudine, ad quam referenda eſt ſucceſſio ordinis, vt in ſole, luna, ortu, occaſu, coniunctionibus, & diſceſſibus, aliiſque energiis, id eſt, operationibus, quas Deus illis indidit, in viciſſitudine dierum & noctium, in naturis temporum, & ſucceſſionibus: præter has, inquam, eſt alia operatio φιλανθρωπίας διακονικῆς, id eſt, charitatis Domini Dei in homines; quæ duplex eſt, vna ad corpus hominis pertinens, altera ad animam, illa cæcis tribuit aſpectum, paralyticis robur, quatriduanum ſuſcitat, &c. (Ioan. 9. Mat. 9. Ioan. 11.) hæc animam infinitis malis vexatam liberavit, & in priſtinum ſtatum imaginis ſuæ, ad quam facta erat, reſtituit. Populus ergo Iudæorum in beneficia Salvatoris ingratus, invidiæ ſuæ prætexebat ſabbati religionem, accuſans Dominum quod ſabbato ſanaret, cui Salvator tamquam Dominus & præceptor, Pater meus, inquit, vſque modo operatur. (Ioan. 5.) Si enim eos, qui curationem corporis ſabbato factam calumniabantur, redarguit, docens eos ab huiuſmodi operibus neque patrem ceſſaſſe, neque ceſſare; ex hac ſententia facile eſt intelligere, à quibus operibus ceſſavit, & à quibus non, ſiquidem iam olim deſiit creare naturas, à conſervatione vero, & varia providentia in illis, & ordine, & beneficentia non deſtitit, neque deſiſtet. E F

CAPVT V.

Quod nihil eorum quæ ſunt, ex ſe ipſo prodiens, eſt non diviſum; Deus autem ſecundum unam ſuam poteſtatem multiplicatus, & in omnia prodiens, eſt non diviſus, & à ſe non exiens. G

MAgnus Dionyſius capite IV. de divinis nominibus: Audendum, inquit, eſt dicere hoc pro veritate, quod ipſe qui eſt omnium auctor, pulchro & bono omnium amore propter excellentiam ſummam amatoriæ bonitatis extra ſe per providentias omnium rerum exiſtit, & bonitate atque dilectione & amore veluti delinitur: & oblectatur: & cum ſit ſupra omnia, & ex omnibus exemptus, ad omnia demittitur ſecundum poteſtatem ſupra ſubſtantialem, qua extra ſe, non egrediendo exit. Et rurſus idem in eodem loco: Vel quia ipſe ſibi lenocinatur, & ſe movet, hac enim ratione dilectum & amabilem eum vocant veluti pulchrum & bonum, & tamquam ſit quædam ſui per ſe ipſum patefactio, & bona progreſſio eximiæ copulationis, & amatoria motio, ſimplex, per ſe mobilis, per ſe agens, quæ prius extitit in bono, & ex bono ad ea quæ ſunt, manat, & rurſus ad bonum revertitur. Et Sanctus Maximus in centuria VIII. capite LXXXVII. Intellige, inquit, Deum eſſe lenocinantem, & moventem ad amatoriam coniunctionem, illam dico, quæ cum ſpiritu eſt; id eſt, Deum eſſe ſequeſtrem, & confectorem huius coniunctionis, conciliatorémque ſui, vt à creaturis ſuis ametur & diligatur. Moventem vero dicit, tamquam qui ſingula moveat, vt cuique convenit, vt ad ſe ipſum convertat, nomen autem lenocinij etſi apud ſcriptores gentiles rem ſignificat non ſanctam neque caſtam; hic tamen ſignificat conciliationem intermediam coniunctionis cum Deo. H

Et

A Et adhuc idem capite LXXXVIII. Motus amatorius boni, qui in bono prius exiſtit ſimplex & immobilis, ex bono prodiens ad id ipſum redit fine & principio carens, quod quidem declarat, deſiderium noſtrum ſemper ad Deum moveri, copulatio enim cum Deo ex charitate, omnem copulationem vincit, & ab omni coniunctione eximitur. Rurſus idem capite LXXXIX. Amorem cum dicimus, ſive divinum, ſive angelicum, ſive ſpiritualem, ſive animalem, ſive naturalem, intelligamus per vim quandam ſive poteſtatem copulantem & commiſcentem, ſuperiora quidem moventem ad providentiam inferiorum; ea vero quæ ſunt eiuſdem ordinis, ad mutuam communicationem; & noviſſime ea quæ ſunt inferioris moventem ad convertendum ſe ad præſtantiora & præpoſita. Ac rurſus Dionyſius cap. IV. de divinis nominibus. B Hoc vnum bonum, inquit, & pulchrum, ſingulariter eſt omnium multorum bonorum & pulchrorum cauſa, & in quinto capite: In vno enim Deus, vt ſæpe dictum eſt, omnia quæ exiſtunt, præhabet, & fecit vt ſubſiſterent, præſens omnibus, & vbique, & ſecundum vnum, & ſecundum idem; & ſecundum idem, omne, vnum. Et in cap. 7. de eiſdem divinis nominibus. Etenim ſi ſecundum vnam cauſam Deus omnibus impertit vt ſint, ſecundum ipſam illam cauſam ſingularem cognoſcet omnia, & cap. 12. de eiſdem divinis nominibus. Hæc igitur ſunt ſine intermiſſione laudibus celebranda in cauſa, quæ omnibus antecellit; & addendum eſt, ipſam eſſe ſanctitatem exuperantem: & dominatum ac regnum ſummum, & ſimpliciſſimam divinitatem: ſiquidem ex ipſa, in vno 3 & ſimul tota nota eſt, & diſtributa omnis impermixta diligentia omnis puræ munditiæ: omnis eorum quæ exiſtunt, ordo & compoſitio. Et in primo capite de eiſdem divinis nominibus. Vnde in omni fere tractatione Theologica C divinitatem videmus ſacre celebrari tamquam monadem & vnitatem propter ſimplicitatem & unitatem impartibilitatis ſupraquam naturalis, ex qua tamquam ex poteſtate vnifica vnum efficimur: & varietatibus partibilibus divine in vnum contractis, in unum ad Dei ſimilitudinem congregamur, & ad Dei imitationem copulamur. Quo in loco ait Sanctus Maximus: Quia Deus cum cogitaſſet, voluntate produxit omnia, non tamquam mens quædam in voluntates partita, multiplicatus eſt: ſed potius, inquit, manſit in vnitate, & in ea manens, impartibiliter & non diſperſe produxit & producit omnia in creatura mundi. Et rurſus divinus Dionyſius in ſeptimo capite de eiſdem divinis nominibus. Ratio autem Deus in ſacris ſcripturis laudandi gratia nominatur, non ſolum quia rationis & mentis & ſapientiæ eſt largitor, ſed quia cauſas 4 omnium uniformiter anticipavit. Adhuc in eodem capite. Quare divina mens omnia continet cognitione 5 ab omnibus exempta, qui quatenus eſt cauſa univerſorum, ſcientiam D omnium in ſe ipſo anticipavit: qui antequam fierent, novit angelos, & produxit angelos, & alia omnia intus, & ab ipſo, 6 vt ita dicam, principio novit, & ad eſſentiam adduxit: atque hoc arbitror ſcripturam tradere, cum ait: Qui novit omnia antequam fierent, non enim divina mens cognovit ea quæ ſunt, *Eccl. 23. Dan 13.* percipiens cognitionem eorum ex iis quæ ſunt, ſed ex ſe ipſo & in ſe ipſo ſecundum cauſam, ſcientiam omnium & cognitionem & eſſentiam præhabet, & ſimul anticipavit, non intendens ad ſingula percipienda ſecundum eorum formas, ſed ſecundum unum cauſæ complexum omnia ſciens & continens: ſicut 7 lumen in ſe ipſo ſecundum cauſam cognitionem tenebrarum anticipavit, non aliunde tenebras quam ex lumine cognoſcens. Divina igitur ſapientia ſe ipſam cognoſcens, cognoſcit omnia; materiam habentia ſine materia: partibilia impartibiliter, & multa ſingulariter: è ſe ipſo vno cuncta & cognoſcens, & producens. Etenim ſi Deus ſecundum unam cauſam E omnibus quæ ſunt, impertit eſſe, ſecundum eandem cauſam ſingularem cognoſcet omnia, quæ & ex ipſo ſunt, & in ipſo prius extiterunt: & non ex iis quæ ſunt, ipſorum cognitionem ſumet: quin potius ipſis ſingulis cognitionem ipſorum, & aliis aliam cognitionem ſuppeditat. Non igitur Deus aliam ſui cognitionem habet: aliam vero, qua omnia alia communiter comprehendit: ipſa enim cauſa omnium cum ſe ipſa cognoſcat, nequaquam quæ ab ipſa manant, & quorum cauſa exiſtit, ignorabit. Sic igitur Deus quæ ſunt cognoſcit non notitia ipſarum rerum, ſed notitia ſui: ſiquidem & angelos aiunt ſcripturæ cognoſcere quæ in terra ſunt, non illa quidem ſenſu F cognoſcere, ſub ſenſum alioqui cadentia, ſed propria mentis ſimilitudinem Dei gerentis virtute & natura. Hæc ediſſerens Sanctus Maximus. Hoc, inquit, declaravit, cum dixit, non cognoſcere Deum quæ ſunt ex iis ipſis quæ ſunt: & cum dixit, non intendere ad vnumquodque percipiendum ſecundum formam eius, quoniam tamquam horum auctor cognitionem ſuorum operum anticipatam habet, ſciens quomodo ipſa, & in quibus ad ortum ac generationem adduceret: quorum depravatio, & defectio, id eſt, fruſtratio & infirmitas malum introducit, dum deficiente quod eſt ſecundum naturam, efficitur quod eſt præter naturam. Superius enim adhibuit exemplum luminis: huius enim privatione ſubexiſtunt tenebræ, & cauſam habent abſentiam naturæ luminis; ſicuti habitus priores ſunt privationibus, & vt dici poteſt, cauſæ ſunt privationum. Hoc igitur loco pater Dionyſius de iis quæ Deus produxit, & de cuiuſque eorum natura loquitur, quæ quidem dixit prius extitiſſe in Deo ſecundum præcognitionem & prædefinitionem. Præterea vide, quomodo dicit Deum G omnia cognoſcere non ex cognitione omnium, ſed ex cognitione ſui, ſicut lumen cognoſcit tenebras alioqui nihil tenebrarum in ſe habens. Ac rurſus idem in centuria III. de charitate capite XXI. Cognoſcit Deus ſe ipſe, cognoſcit item à ſe effecta: cognoſcunt etiam ſanctæ poteſtates Deum: cognoſcunt etiam quæ à Deo effecta ſunt: non tamen ſicut Deus cognoſcit ſe ipſe, & quæ à ſe facta ſunt, ſic ſanctæ poteſtates cognoſcunt Deum, & quæ ab ipſo effecta ſunt, & capite XXII. Deus ſe ipſe cognoſcit ex beata ſubſtantia ſua: quæ vero idem effecit, cognoſcit ex ſapientia ſua, per quam, & in qua cuncta fecit. *Pſ. 103.* Sanctæ vero poteſtates participatione cognoſcunt Deum, qui eſt ſupra participationem, quæ vero ab ipſo facta ſunt, cognoſcunt colligendo in ipſis contemplationes. Adhuc cap. XXIV. Subſtantia rationis particeps, & ſubſtantia intelligens, Dei ſancti particeps Deum cognoſcit tum ipſa exiſtentia, tum inſuper habilitate bonitatis inquam, & ſapientiæ, & præter exiſtentiam perpetuam gratia. Sic igitur Deum cognoſcit; quæ autem ab ipſo producta ſunt, cognoſcit, vt H dictum eſt, artificio ſapientiæ in iis quæ creata ſunt, collectæ, quæ eſt nuda, & non per ſe exiſtens, in mente formata, & adhuc, in nulla duplicatione Deus penitus ſimplex, & ſupra omne ſimplex, & Ioannes Damaſcenus cap. XIV. de divino loco ait: Angelus enim celeritate naturæ, & quia prompte, id eſt, celeriter tranſit, operatur in diverſis locis, Deus autem qui vbique eſt, & ſupra omnia eſt, vbique eodem puncto varie, vna & ſimplici actione agit. Ex quibus fit manifeſtum, quod non alia cognitione ſeipſe Deus cognoſcit, alia autem ea quæ à ſe effecta ſunt, quinimmo ſeipſe cognoſcens, ſuos etiam effectus vna & infinita cognitione cognoſcit; neque diverſis poteſtatibus & actionibus producit creaturam, ſed hac cognitione, & vna atque infinita poteſtate continebat, & anticipata habebat in ſeipſo omnia, & poſtea ex ſe exiens produxit: & in nihilo, & ſecundum nihil à ſeipſo 8 diviſus eſt habens hæc prius in ſeipſo; & producens poſtea, & rurſus ad ſe rediens.

A

Scholia.

Exemplum 1. huius *definitionis* frequens eſt in Cant. cant. vt illud cap. 2. En dilectus meus loquitur mihi: Surge amica mea, columba mea, *præſens* 2. *omnibus, & ubique*) non ſecundum diverſas partes ſuas, ſed ſecundum vnum & idem;& ſecundum idem omne vnum, & ad omnia procedens eſt enim omne, quatenus in ſimplici eſſentia vna,omnia exiſtunt virtute, ſive poteſtate, ſicut effectus in cauſa; *& ad omnia procedit efficienter, in vno* 3.) hoc eſt quod ait Ioan. in Evang. cap. 3. Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum,ſicut ſol totum lumen ſimul emittit, licet non æqualiter recipiatur, itaque in vno ait, id eſt, non dividue, & per partes, ſed ſimul totum: *cauſas* 4. *omnium uniformiter participans*) quia non recedit à ſua ſimplicitate; nec vllam in eo compoſitionem faciunt, cognitione 5. ab omnibus exempta (quia eſt ſupra cognitionem intellectus, & ſupra cognitionem ſenſus, quatenus per ipſam primam cauſam omnium omnia cognoſcit. S. Thom. *ab ipſo,* 6. *vt ita dicam, principio*) Quia

B

Deus caret principio, idcirco correxit quod dixerat, inquiens, Vt ita dicam. Ex æternitate igitur tamquam auctor omnium habuit ſuorum operum cognitionem, & non ex operibus ſuis eam didicit & percepit, *ſicut* 7. *lumen*) Exemplo luminis docet, quomodo Deus cognoſcat creaturas, quæ ita deficiunt à Deo, ſicut tenebræ à lumine, ſi ponamus lumen hoc ſenſibile eſſe mente præditum, ſi quis roget, an cognoſcat tenebras, dicet cognoſcere antequam ſint tenebræ, experientia enim non poteſt cognoſcere; quia ſi lumen eſt, non ſunt tenebræ, cognoſcit igitur vt lumen, quia ſcit, ſi auferatur lumen, nemo videbit. Sic Deus in ſe vt cauſa habet omnium cognitionem, quam non per experientiam acquiſivit: alioqui eſſet Deus poſterior cognitione; aut aliquo tempore non cognouiſſet, hoc etiam exemplo docetur, quomodo vna & eadem cognitione cognoſcit Deus ſe, & omnia, ſicut lumen cognoſcendo ſe cognoſcit tenebras. Extre 8. à ſe, & non dividi, hoc eſt infiniti, quod omnia ſubſtantia ſua & virtute ac præſentia implet.

C

C A P V T VI.

Quod ſecundum vnam ſingularem cauſam omnia ſit Deus: nihil autem eorum quæ ab ipſo facta ſunt, eſt non creatum.

MAgnus Dionyſius cap. 6. de divinis nominibus. Omnibus, inquit, adeſt præſens Deus providenter: & Omnia in omnibus fit propter conſeruationem omnium, manens in ſe,& ab eodem ſuo ſtatu non egrediens, in actione vna,& numquam ceſſante fixus. Et rurſus idem in quinto: Qui vere 1. præexiſtit, ſecundum omnem eorum quæ ſunt, cogitationem multiplicatur, & in eo proprie 2. celebratur, erat, & eſt, & erit: item factum eſt, & fit,& fiet: hæc enim omnia ſignificant iis qui vt Deum decet, intelligunt, eſſe

D

eum ſecundum omnem cogitationem ſupra ſubſtantiam; & eſſe cauſam eorum quæ modis omnibus ſunt: etenim non hoc quidem eſt, illud vero non eſt; nec aliquo quidem modo eſt,aliquo vero non eſt;ſed potius omnia eſt, vt omnium auctor: & in ſe omnia principia. & omnia ex principiis in rebus omnibus effecta & concluſa anticipans & continens: & ſupra omnia eſt, vtpote ante omnia ſupra ſubſtantiam ſupraquam exiſtens. Quo in loco S. Maximus, Quomodo, inquit, cum dixiſſet ſuperius, In ipſo nec eſt, nec erat, nec eſt, nec erit, neque factum eſt, neque fit, neque fiet: hic dicit, In ipſo & eſt, & erit, & illud fit, & fiet proprie laudatur? An ſibi contradicit Dionyſius? apage. Supra enim ipſum dixit eſſe effectorem exiſtentiæ, hypoſtaſis,

E

ſubſtantiæ, naturæ, & temporis, conſentanee igitur in ipſo collocauit illud erat, & alia, intelligas nec vt à tempore, neque poſt tempus Deum cœpiſſe; quin potius ſuperiorem eſſe quam ipſum eſſe: ſiquidem in ipſo dixit eſſe 3. exiſtentiam, & non eſſe ipſum exiſtentiæ; *Dionyſ. cap.5.* hic autem quia dixit multiplicari eum ſecundum omnem cogitationem, merito dixit in ipſo illud eſt, & erit, & quæ ſequuntur, quia vbi tempus, aut tempeſtivitates cogitabis, illic Deum reperies & ſupra omnia, & ante omnia eſſe, & eorum quæ ſunt, cauſam & effectorem eſſe, & nihil ipſorum eſſe, ſicut dicebamus, nihil eſt eorum quæ ſunt, & ipſe eſt in omnibus. S. Gregorius Nyſſenus adverſus Eunomium, Bifariam, inquit, rebus partitis in faciens,& factum, vtrumque ab altero natura differt; vt neque quod factum eſt, non creatum ſit, neque creatum, quod naturam eorum que fiunt, efficit. Idem in eiſdem libris: Ego, inquit, etſi ſermo eſſet illius Moyſis, qui in adminiſtratione legis ſplenduit, neque ſic huiuſmodi ſermonem 4. tuliſſem, etſi eum nullum alioqui è

F

ſe ſplendorem ille haberet, munere divino ſplendidus repente Iſraëlitis apparuit, *Exo.34.* is enim ſplendor in legiſlatore ortus, non fuit cuiuſdam alterius, ſed ipſius Dei. Et beatus Chryſoſtomus in oratione in laudem *Ioan. 5.* ſancti Ioannis Theologi, cuius principium eſt: Principium nobis rurſus è cœlo advenit, ſic ait: In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat, verbum nuſquam eſt, non erat, ſed vbique erat, nuſquam eſt, fecit, ſed vbique quid erat: poſt erat, fecit, non de auctore, ſed de creaturis,& vt ſciat quomodo erat,& quomodo fecit, ego dico, vos numerate: *Ibid.* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Ecce quarto meminit, & neque ſemel dixit, Factum eſt. Quid igitur poſt hæc? Omnia per ipſum facta ſunt, non dixit hic, Erat, quia de creaturis erat ſermo. Omnia per ipſum facta ſunt: non dixit, erant, ſed facta ſunt, omnia per ipſum: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, rurſus factum eſt, vbi de Deo, erat, vbi de creaturis, factum eſt. In principio

G

verbum. Hinc etiam Deus pater ſecundum vetus teſtamentum patefiebat, *Exod.3* cum enim dixit ei Moyſes: Si dixerint mihi filij Iſrael, Quis eſt qui te miſit ad nos: quid reſpondebo eis? Et dixit Deus: Ego ſum,qui ſum, qui eſt miſit me ad vos: pater, qui eſt filius in principio erat. Si quis contendit dicens, non idem dici in patre, & filio, in patre enim, Ego ſum qui ſum in filio autem, In principio erat: non eſt autem idem, eſt, & erat! demonſtro appellationem in filio, audiat Evangeliſtam dicentem: Vnigenitus filius, qui eſt *Ioan.1.* in ſinu patris, ecce vnam vocem habes Evangeliſtæ *Rom.9.* in, eſt, & iterum Apoſtolus: Quorum patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſupra omnia Deus benedictus. Vidiſti quomodo te munit Ioannes, qui in Deo poſuit, Erat: & in creaturis, Facta ſunt. Nec enim Deum decet, factum eſt, neque creaturæ, erat. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in *Ioan.1* principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, &

H

ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Quando factum eſt, ponitur: ad creaturas deſcendit: quando erat, ad auctorem aſcendit, & rurſus vita erat, rurſus aſcendit ad effectorem, ſcalam hodie affert multis myſteriis refertam, quando aſcendit ad Deum, erat, prædicat: quando deſcendit ad creaturas, aſſumit, factum eſt: quando aſcendit ad Deum, deponit illud, facta ſunt, & factum eſt, & ſumit, erat. S. Maximus in centuria ſexta, cap. 84. Multum valet oratio iuſti, quæ *Iacob.5* agitur ſiue à iuſto, qui eam adhibet, ſive ab alio, qui eam à iuſto adhiberi poſtulat. A iuſto quidem agitur, quia præbet ei fiduciam erga eum, qui poteſt largiri quæ iuſti petunt: ab eo autem qui orationem à iuſto petit, agitur, cum eum à priore nequitia abducit, & ad virtutem affectionem eius transfert. Magnus Dionyſius cap. 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ: Renun-

tiatio

A tiatio non ſolum vitæ diviſe, ſed etiam cogitationum, in mandatis Dei, quæ in vnum conciliant, ſcienter acta, abſolutiſſimam monachorum virtutem & diſciplinam declarat, eſt enim, vt dixi, non medij 5 ordinis eorum qui initiati ſunt baptiſmo, ſed celſioris omnibus ordinibus, quamobrem multa ex iis quæ à medio ordine ſine reprehenſione fiunt, monachis unis, & a diviſione alienis omnino interdicta ſunt. Et in epiſtola ad Coloſſenſes Paulus ait: Docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu; in quo & laboro certando ſecundum operationem eius, quam operatur in me in virtute. Ex his iam liquet, quod Deus ſecundum ſuam, quæ vna eſt, cauſam, omnia efficitur non recedens à ſe: demonſtratum enim eſt non migrando exire: & eodem reverti, non à ſe diſtractum in producenda creatura, ſed ſecundum cauſam vnam ſingularem, quæ eſt ipſe, omnia fit: & nihil quod ab ipſo fit & agitur, eſt ſine creatione. Dicere enim non eſſe creatum quod agitur, perinde plane eſt vt ſi dicamus creaturam non eſſe creaturam, quod enim agitur, idem eſt cum eo quod fit: quia quod agitur, fit; & quod fit, agitur, ſi autem quod fit, non eſt ſine creatione; & quod agitur, non ſine creatione. Quare qui dicit quod agitur, quomodocumque agatur, non creatum eſſe, eo venit vt dicat quod creatum eſt, creatum non eſſe, aut quod eſt, non eſſe: & quæcumque alia ex contradictione ſequuntur.

Coloſſ. 1.

Ex ſcholiis S. Maximi.

Qui vere 1 præexiſtit, 2 ſecundum omnem eorum quæ ſunt, cogitationem multiplicatur) id eſt, quidquid cogitetur, & ad quamcumque rem quis mentem intendat, inveniet in ea notionem cauſæ, id eſt, auctoris Dei, hoc igitur eſt multiplicari, cerni eum in multis cauſam, ex S. Maxim. & Pachim. *in eo proprie 3 celebratur, erat, & eſt)* Idem Dionyſius interpretatur, quomodo proprie celebrentur hæc; ſcilicet quatenus intelliguntur, vt Deum decet, proprie dicuntur in Deo; & in Deo ſunt: id eſt, quatenus eſt, erat, erit, participant eſſe: omnia enim ſecundum cauſam dicuntur de Deo, & in eo ſunt, & intelliguntur ſupraſubſtantialiter, quatenus vero ſic accipiuntur, vt cum dicitur, Deus eſt, erat, erit; ſignificetur Deum participare eſſe, alienæ ſunt à Deo, ex Pachim. *in ipſo eſſe 4 exiſtentiam, & non eſſe ipſum exiſtentia)* Sic dicit idem Dionyſius cap. 5. Ipſum habet exiſtentia, & non eſt ipſe exiſtentiæ, exiſtentia habet Deum, vt conſiſtat ipſa exiſtentia; ſicut quis habet vitam ad ſui exiſtentiam: non autem ſic habet Deus exiſtentiam, vt per exiſtentiam ſit. Sicut igitur exiſtentia habet Deum, ſic exiſtentia eſt Dei, quia ab ipſo manat: & vt Deus non habet ſic exiſtentiam, vt per exiſtentiam ſit; ſic neque Deus eſt ipſius exiſtentiæ, vt per eam ſit, *ſermonem 4 tuliſſem)* Volebat Eunomius cum Arianis ſplendorem qui apparuit in facie Moyſis, & oculis corporeis viſus eſt, fuiſſe divinam ſubſtantiam filij Dei, ex quo creaturam eſſe efficere volebant, quod falſum & hæreticum erat, erat enim ille ſplendor non alterius quam Dei creatura, à quo in facie Moyſis creatus fuit, vt in eo divinum lumen ſecundum ſe inaſpectabile tamquam in ſpeculo ad hoc facto Iſraëlitis oſtenderet, *non medij 5 ordinis)* Medium ordinem dicit laicorum, qui ſunt baptiſmo tantum initiati: hi enim ſunt medij inter catechumenos, qui purgantur ad baptiſmum, & inter communicantes, qui perficiuntur. Sunt autem monachi, quatenus monachi, non huius medij ordinis laicorum, perfectior enim eſt eorum ſtatus, quam laicorum, id quod locus eis in Eccleſia aſſignatus, tamquam in ſymbolo ſignificat, eſt enim prope ianuas templi propinquior populo poſt eos qui ſunt ordinis Eccleſiaſtici, vt Dionyſius in epiſtola ad Demophilum monachum ſcripſit, Ordinem vero monachorum dicit idem Dionyſius eſſe celſiorem omnibus ordinibus, non quidem conferens eum cum diaconis, qui primi purgant; neque cum preſbyteris, qui ſecundi & medij illuminant; & multo minus cum epiſcopis, qui tertij & ſummi perficiunt; ſed cum ordinibus eorum qui adhuc purgantur, ex quibus primi ſunt catechumeni, qui purgantur ad baptiſmum per catecheſim; ſecundi qui ſunt in peccato, qui purgantur per doctrinam ſcripturæ ſanctæ, vt recedant a peccato; tertij ſunt energumeni, qui purgantur exorciſmis, vt reſiſtant fortiter diabolo, & terroribus eius; quarti ſunt qui ſunt in pœnitentia, qui purgantur, vt non revertantur ad peccatum, his omnibus ordinibus perfectior eſt ordo monachorum, quia vt monachi ſunt, ratione inſtituti monaſtici, mortui ſunt mundo, & carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixerunt.

Exod. 34. Galat. 5.

CAPVT VII.

Quod nullus numerus duorum, aut multitudo poſt numerum duorum, aut aliud quid ſecundum ſuperius & inferius procedens, infinitum & ſine principio eſſe poteſt.

Magnus Dionyſius capite 1 v. de divinis nominibus ait: Omnis numerus duorum non eſt principium; vnitas autem erit principium omnium duorum. Quo in loco Sanctus Maximus. In numeris, inquit, duo multitudinem, quæ in numeris diviſionem habet, ad finem ducunt: poſita quidem vnitate principio omnis numeri: duobus vero poſitis principio numeri paris, ſi igitur principium ſignificat quod eſt in vnoquoque genere ſimpliciſſimum, quomodo numerus duorum erit principium omnium? non enim numerus duorum principium ſimplex eſt, ſed compoſitum, principium igitur ex compoſitione conſtans, non eſt ſimplex, & quomodo vocabitur principium? ante principium enim compoſitum, erit proprie principium vnitas, ex qua, vnitatibus compoſitis, confecta ſunt duo, vndique igitur manifeſtum eſt non eſſe principium numerum duorum. Et rurſus idem in aliis: Non poteſt, inquit, numerus duorum eſſe infinitus, vnitates enim eius inter ſe per appoſitionem compoſitæ, ſe mutuo terminant, quod ſi numerus duorum non poteſt eſſe infinitus, vt demonſtratum eſt; neque principio ſcilicet carere poteſt, quia omnis numeri duorum principium eſt vnitas, quod ſi non caret principio, igitur nec eſt immobilis: movetur enim numero ex unitatibus ſecundum coniunctionem compoſito, quod autem movetur, non eſt principium, ſed ex principio ſcilicet moventis, ſola autem vnitas proprie eſt immobilis. Et rurſus idem. Omne, inquit, quod in multitudine quantitatem habet, non poteſt eſſe infinitum, neque ſine principio id, cum quo alterum ſimul cogitatur. Et rurſus idem: Nemo, inquit, qui duo, aut multa ſine principio eſſe dicit, pie vivere poterit. Idem in centuria tertia de charitate XXVII. Deus quidem, inquit, qui eſt ipſa per ſe exiſtentia, ipſa per ſe bonitas, & ſapientia, immo. vt verius dicam, ſupra omnia hæc, nihil penitus habet contrarium: creaturæ vero, quæ omnes quidem participatione & gratia exiſtunt; aliæ vero ratione præditæ ſunt, & intelligentes, & ad capiendam bonitatem & ſapientiam aptæ, contrarium habent, in illis quidem exiſtere, & non exiſtere contraria ſunt: in his vero habilitati bonitatis & ſapientiæ contraria ſunt vitium & ignorantia, & exiſtere quidem ſemper, aut non exiſtere, hæc in poteſtate eius ſunt qui ea effecit; participare autem bonitatem & ſapientiam, aut non participare, in voluntate eorum eſt qui participes rationis ſunt. Greg. Nyſſ. libro primo contra Eunomium cap. 19. Non terminatum idem eſt, quod infinitum, infinito autem plus aut

minus

A minus cogitare extremæ dementiæ eſt, quomodo enim ratio infiniti ſervari queat, ſi plus aut minus in ipſo decernuntur? ex diſpoſitione enim finium inter ſe; quod plus eſt, diiudicamus, in quibus autem non eſt finis, quomodo poteſt quis cogitare ſuperfluens? Idem in eodem: Quis neſcit, quod ſecundum propriam rationem ſimplicitas non recipit in ſancta Trinitate plus aut minus? in qua enim non poteſt mixtio quæpiam qualitatum & concurſio cogitari, ſed potius poteſtas quædam expers partium & compoſitionis cogitatione comprehenditur, quomodo aliquis & in aliquibus aliis differentiam ſecundum plus & minus intelligere poterit? Omnino neceſſe eſt, vt qui hæc variata eſſe diiudicat, qualitates quaſdam in ſubiectum incidere cogitet. Aut enim cogitat differre hæc ſecundum ampliationem & diminutionem, & ob hanc cauſam cogitationem magnitudinis introducit in eo quod quæritur: aut ſecundum bonitatem & B potentiam & ſapientiam, & ſi quid aliud circa Deum pie intelligitur, vt redundet, vel decreſcat, efficere molitur: atque ita rationem compoſitionis non effugiet. Magnus Dionyſius capite quinto de divinis nominibus non aliud dicit eſſe bonum, & aliud quod eſt, & aliud vitam, vel ſapientiam: neque introducit multas cauſas, & divinitates, alias alia producentes, ſuperiores & inferiores. Ex his patefit, quod ſicut nihil quod agitur aut generatur, eſt non creatum, ſic omnia duo, vel deinceps multitudo, vel aliud quid ſecundum ſuperius & inferius progrediens: & vt ſemel dicam, ita conſtitutum, vt aliquid ei ſit contrarium, infinitum eſſe, & principio carere non poteſt, in idem enim recidit ſine principio eſſe, & eſſe non creatum, ſi autem ſine principio eſt, plane etiam infinitum eſt.

CAPVT VIII.

Quod ſit etiam ſpecies circumſcriptionis & termini, comprehenſio atque viſio, Deus autem vno † modo omnibus eſt incircumſcriptus, & inaſpectabilis, ſigillatim vero nobis angeli & animæ ſunt inaſpectabiles.

C — † Quia vno modo eſt infinitus omnibus.

GRegorius Theologus libro ſecundo de Theologia: Et nondum: inquit, dico finitum omnino eſſe Deum, ſi mente comprehendi poteſt, vna enim ſpecies circumſcriptionis eſt ipſa comprehenſio. Idem in eodem: Quid tandem Deus ſit ſubſtantia & natura, nemo hominum unquam reperit, neque reperire queat. Et rurſus ibidem: Salomon, inquit, qui fuit ſapientior cunctis hominibus qui ante eum & poſt eum fuerunt: cui fuit latitudo cordis donum Dei, & affluentia contemplationis copioſior arena maris; quanto plus ſcrutatur profundum, tanto magis æſtuat: & finem quendam facit ſapientiæ invenire quantum effugerat. Paulus autem conatur quidem aſſequi non dico naturam Dei (hoc enim omnibus modis fieri non poteſt) ſed iudicia tantum Dei, quia vero non poteſt reperire exitum, nec vbi gradum aſcenſus ſiſtat, nec vbi deſinat curioſitas mentis: dum ſemper aliquid ſubapparet eius quod relinquitur, (ô rem miram, vt mihi ſimiliter eveniat) ſtupore orationem circumſcribit: & divitias Dei, atque profundum hanc rem vocat; confitetúrque iudicia Dei comprehendi non poſſe, eadem fere atque David loquens, qui nunc quidem iudicia Dei vocat abyſſum multam, cuius fundum menſura, aut ſenſu non licet comprehendere: aliquando vero dicit admirabilem factam eſſe cognitionem ex ſe ipſo, & ex ſui formatione. Et adhuc idem in eodem libro: Quia expetit quidem omnis natura primam cauſam; comprehendere vero non poteſt propter cauſas, quas dixi; laborans deſiderio, & veluti anxia, & damnum non potens ferre, ſecundam navigationem ſuſcipit, vt intueatur ſcilicet in ea

3. Reg. 4. Prou. 12. ſec. 70. Eccl. 12.

D

Rom. 11. Pſ. 35. Pſ. 138. Exod. 33.

E quæ cernuntur, & aliquid ex eis faciat Deum, male docta. Quid enim quod ſub aſpectum cadit, eo qui aſpicit, altius & Deo ſimilius eſt, vt hic colat; illud colatur? Sanctus Gregorius Nyſſenus in vita Moyſis: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit homo faciem meam, & vivet. Hoc autem non dicit ſcriptura, quaſi Deus ſit cauſa mortis (quomodo enim facies vitæ fieri vmquam poteſt cauſa mortis eis qui appropinquaverunt?) ſed quia Deus eſt natura vitæ auctor: proprium autem ſignum divinæ naturæ eſt eſſe celſius omni ſigno. Qui igitur aliquid eorum quæ cognoſcuntur, Deum eſſe arbitratur, tamquam ab eo qui vere eſt, male deflexus ad id quod comprehenſione fictæ cogitationis eſſe exiſtimatur, vitam non habet. Qui enim eſt auctor eorum quæ ſunt, is eſt vera vita: hic autem † cognoſci non poteſt. Quia igitur cognitionem vincit natura effectrix vitæ, omne quod comprehenditur, non eſt vita; quod autem non eſt vita, non habet naturam, vt efficiatur effectrix vitæ. Sic expletur Moyſi † deſiderium per id quod fecit, vt maneret cupiditas inexplebilis. Idem in explanatione illius beatitudinis, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: Qui cor ſuum, inquit, ab omni affectione turbida emundavit, in propria pulchritudine imaginem divinæ naturæ perſpicit. Menſura enim perſpicientiæ Dei, quæ à te capi poteſt, in te eſt. Igitur qui ſe ipſe videt, in ſe quod deſiderat, videt, atque ita mundus corde efficitur beatus, cum intuens in ſuam munditiem, in imagine ſua videt exemplar. Divinus Diadochus, & ſilentij magiſter. Nemo, inquit, cum ſenſum mentis audit, ſperet videre oculis gloriam Dei, ſentiri enim eam dicimus guſtu quodam, qui exprimi non poteſt, divinæ conſolationis, cum quis animam purgaverit; non autem apparere ei aliquid eorum quæ ſub aſpectum cadunt, ſiquidem nunc per fidem, & non per ſpeciem ambulamus, ſicut Apoſtolus ait. Si cui igitur eorum qui † certant, vel lumen, vel figura quæpiam, vel aliquid ad ſimilitudinem ignis appareat, ne amplectamur huiuſmodi viſum, eſt enim fallacia inimici manifeſta, quæ quidem res multos fefellit, qui propter ignorantiam à via veritatis male deflexerunt. Beatus Chryſoſtomus in oratione de incomprehenſo: Quod in Deo eſt incomprehenſum, non ſic nos ſcimus, ſicut illæ poteſtates, quæ tanto magis ſciunt, quanto mundiores & ſapientiores & perſpicaciores quam humana natura ſunt; accretio enim ſapientiæ accretionem reverentiæ † creat, ſicut id quod ex radiis ſolis non poteſt aſpectus ferre, non ſic cernit cæcus, ſicut qui videt: ad eundem modum quod eſt in Deo incomprehenſum, non ſic nos, vt illi, cognoſcimus, quantum enim intereſt inter cæcum & videntem, tantum intereſt inter nos & illos. Et rurſus idem in eiſdem: Illi igitur angeli aſpectus tegunt, hi vero alioqui homines contendunt intendere oculos impudenter in gloriam inexplicabilem. Quis eos non defleat? quis non lugeat hanc vecordiam, & extremam dementiam? Et iterum idem, cum explanat illud, Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre: Non, inquit, vidiſſemus, niſi per corpus nobis aſſuetum, & nobiſcum altum nobis apparuiſſet. Et adhuc in homilia xv. in Ioannem: Si Deum nemo vidit vmquam, quid igitur, inquit, reſpondebimus grandiloquo Eſaiæ, cum ait: Vidi Deum ſedentem ſuper thronum excelſum, & in ſublime elatum? & Ioanni, qui ei teſtimonium præbet, cum ait: Hæc dixit, quando vidit gloriam eius? Quid Ezechieli? ſiquidem ipſe etiam vidit eum ſedentem ſuper Cherubim. Quid Danieli? cum ait, Antiquus dierum ſedebat. Quid Moyſi? qui dixit, Oſtende mihi gloriam tuam, vt manifeſte videam te. Iacob autem hinc nomen accepit cognominatus Iſraël, id eſt, mens videns Deum. Quid igitur ait Ioannes: Deum nemo vidit vmquam? Liquet omnia illa ad condeſcenſionem pertinuiſſe, quia enim futurum erat vt filius Dei in vera carne appareret, aſſuefaciebat

† Cognoſci nō poteſt, quid ſit ſcilicet: de hac enim cognitione loquitur.

F — † Doctus enim reſponſo Dei, deſivit deſiderare videre Deum in hac vita, & incenſus eſt inexplebili deſiderio vidēdi in altera.

Mat. 5. In libello de ſpirituali perfectione. *2 Cor. 5.*

G — † Certamen dicit, quo certamus cum lege carnis.

† Reverentiam enim Deo adhibet qui ſcit eum nō poſſe comprehendi, & qui magis hoc ſcit, maiorē reverentiā adhibet.

H — *Ioan. 1. Ibid. Eſa. 6. Ioan. 12. Ezec. 10. Dan. 7. Exod. 33. Gen. 32. Ioan. 1.*

A eos à principio Deus in gloria Dei videnda, quantum ab eis videri poterat. Quid enim ſit Deus non ſolum prophetæ, ſed nec Angeli, nec Archangeli viderunt: ſolus filius, & ſpiritus ſanctus eum vident. Quomodo enim omnis natura creata 1 videre poterit non creatum? Nam ſi poteſtatis incorporeæ quamvis creatæ viſionem claram penitus capere non poſſumus, & hoc ſæpenumero in angelis demonſtratum eſt; multo magis ſubſtantiæ non creatæ, idcirco Paulus ait: Quem nullus hominum vidit, ſed neque videre poteſt, & de filio dicit, non eſſe aſpectabilem non ſolum hominibus, ſed & ſuperis poteſtatibus, poſtquam enim paulo poſt dixit Paulus, Manifeſtatus eſt in carne; ſubiunxit, Viſus eſt a angelis. Itaque tunc viſus eſt angelis, quando carnem induit. Sed, quomodo nunc dicit: Ne contemnatis vnum ex his puſillis, dico enim vobis quod angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt? Quid igitur? Faciem ne habet Deus? & in cœlis circumſcriptus eſt? quid ergo eſt quod dicitur? Sicut cum dicit: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, aſpectum mentis quem habere poterimus, & notionem de Deo dicit, ſic & in angelis interpretandum eſt propter puram ipſorum & vigilantem naturam, nihil aliud quam Deum ſemper cogitare. Baſilius in oratione quæ inſcripta eſt. Attende tibi: Credo, inquit, inaſpectabilem eſſe Deum cum animam tuam cogitaris, quandoquidem & ipſa ab oculis corporeis percipi non poteſt: quia neque colore prædita eſt, neque eſt figurata, nec vlla nota & ſigno corporeo comprehenſa, ſed potius ex actionibus ſolum cognoſcitur. Quare ne quæras, vt Deum per oculos cognoſcas, ſed potius menti fidem committe, & intellectilem de eo comprehenſionem habe. Magnus Athanaſius in quæſtionibus ad Anthiochum ait: Non poteſt oculus qui interitum capit, contemplari ſubſtantiam ab interitu liberam. Hinc licet manifeſto agnoſcere, non apparere nobis angelos ſecundum 3 ſubſtantiam: ſiquidem nec in figura una ſuper terram ſe oſtendunt: ſed potius alij formam iuvenum induunt: alij in figura & ſpecie militum apparent: & denique multæ quidem formæ, vna vero eſt eorum ſubſtantia inaſpectabilis. Et rurſus idem: Induunt angeli figuras, qualeſcumque Dominus Deus iuſſerit: atque ita apparent iis qui digni ſunt, & divina myſteria illis aperiunt. Et magnus Dionyſius: Quoniam neque mens noſtra poteſt evehi ad illam materiæ expertem imitationem, & contemplationem cœleſtium hierarchiarum, niſi adminiculo corporeo ſibi convenienti vtatur. Chryſoſtomus ad Theodorum lapſum: Animam enim, inquit, ſolam corpore nudam nemo vmquam vidit: & adhuc idem: Atque eſſe quidem in corpore noſtro animam ſcimus: quomodo vero, neſcimus, ob hanc enim cauſam cognitionem huius occluſit Deus, vt abunde nos reſtrænaret ac reprimeret, & ſiſtere perſuaderet, & non quæ ſupra nos ſunt, inquirere, & curioſos eſſe. Et S. Greg. Nyſſenus. Quod notione comprehenditur, non ex ſe, ſed ex operationibus cognoſcitur, anima igitur quæ ex ſe incognita eſt, ex effectibus conſentanee noſcitur. Ex his iam apertum ſit, quod Deus nullam circumſcriptionem apud creaturam habet, neque comprehenſionem: quare omnibus eſt ex æquo inaſpectabilis, & incomprehenſus, nobis vero non ſolum ipſe non eſt aſpectabilis, ſed 4 nec angeli, nec animæ noſtræ.

(Margin: 1 Tim. 6. — 1 Tim. 1 — 1 Tim. 3. — Mat. 18 — B — Mat. 5. — C — Gen. 18. — D)

Ex Scholiis S. Maximi.

1 Nulla 1 natura creata videre Deum poterit, quid ſit; nec enim beati ſic Deum videbunt, vt quid ſit, videant, de huiuſmodi viſione & cognitione Dei loquuntur ſemper Patres, cum eam tollunt & negant. Etſi 2 ante incarnationem videbatur Deus ab Angelis, & apparebat eis, tamen quia cum in mundo apparuit per carnem, tunc illis ipſis angelis excellentius apparuit & viſus eſt, idcirco ſcriptura tunc dicit ὤφθη, id eſt, apparuit & viſus eſt angelis, quando carnem induit, tunc enim perfectius & divinius cognoverunt illa quæ ſunt Dei propria, bonitatem, iuſtitiam, miſericordiam, ſapientiam, potentiam, & alia. Non 3 ſignificat non apparere angelos per ſubſtantias corporeas, ſed per figuras phantaſticas cogitatione effictas, qui fuit quorundam error, quem S. Thom. notavit, & & Athanaſius proprio opuſculo confutavit; ſed ſignificat non apparere per propriam ſubſtantiam, ſed per alienam alioqui veram; vt tres illi viri qui Abrahæ apparuerunt, angeli erant in ſpecie vera corporum ſolidorum, non naturalium tamen, ſed proprietatibus naturalibus humani corporis carentium, vt idem Athanaſius in opuſculo quod dixi, docuit. Non 4 ſignificat ex æquo non eſſe aſpectabilem Deum in hac vita, vt angeli & animæ non ſunt aſpectabiles; Deus enim inaſpectabilis eſt, non ſolum quia eſt incorporeus, ſed quia infinitus; viſio autem circumſcriptio quædam eſt, quæ infinito repugnat; angelus vero & anima ſunt inaſpectabiles, quia incorporei tantum: intelligentia tamen comprehendi poſſunt, quia & definiri, viſio autem Dei in beato, ad quam accedit lumen divinum, non circumſcribit Deum, quia per ſuum eſſe ſine alio medio quo circumſcribatur, vnitur intellectui, & facit intellectum in actu, vt tradit S. Thom.

(Margin: E — Gen. 18. — F)

Quid tandem Deus ſit) Quid ſit Deus nullo modo ab vlla creatura comprehendi poteſt; quod autem ſit, ratione naturali comprehendi poteſt ex creaturis, quæ comprehenſio αἰσθητὴ dicitur & eſt, id eſt, ſenſilis, fide vero excellentius & plenius comprehenditur quod ſit, quæ comprehenſio à beato Baſilio νοητὴ vocatur, id eſt, intellectilis.

CAPVT IX.

Quod nihil eorum quæ ſunt, ab oppoſitis nomen accipit: Deus autem cum alioqui ab oppoſitis nominetur, tamen ſecundum exiſtentiam ſuam omnino caret nomine.

(Margin: G)

MAgnus Dionyſius capite quinto de divinis nominibus: Quamobrem, inquit, omnia de ipſo & ſimul dicuntur; nihilque eſt omnium, eſt omnis figuræ, omnis formæ; ſine forma, ſine pulchritudine; principia, & media, & fines rerum ſolute & abſtracte in ſe ipſo anticipata habens, & omnibus pure illucens largiendo ut ſint, ſecundum cauſam vnam, & ſupraquam copulatam. Quo in loco Sanctus Maximus, ſecundum notionem cauſæ omnia de Deo prædicari ait, id eſt, omnia in ipſo intelligi, κατηγορεῖσθαι enim, id eſt, prædicari, hoc, inquit, ſecundum philoſophos declarat, ipſe autem nihil eſt eorum, quorum cauſa eſt; quia eſt ſupra eſſe, quare negationes quidem hoc declarant, vt non habens formam, ſive ſine forma, ſine pulchritudine, & ſimilia, illud vero eſſe omnis figuræ & omnis ſpeciei, declarat ipſum eſſe cauſam omnis ſpeciei, & omnis figuræ, ſimiliter reliqua eiuſmodi intelligenda ſunt. Idem S. Maximus in eodem loco, contra illud eſſe omnis figuræ, oppoſuit eſſe ſine forma, quia ſupra incorporeum, & ſupra vacationem materiæ; non formatus ad quidquam eorum quæ ſunt, contra illud vero eſſe omnis ſpeciei, oppoſuit eſſe ſine pulchritudine, ſine pulchritudine dicit, quia ab ipſo facta eſt pulchritudo; ipſe vero eſt ſupra pulchritudinem, auctoritates vero ſcripturæ ſunt: Vidimus eum, & non habebat 1 ſpeciem, neque pulchritudinem. Idem in centuria tertia de charitate capite XXIX. Sicut, inquit, malum privatio boni eſt, & ignorantia privatio cognitionis; ſic quod non eſt privatio eius quod eſt, non autem eius quod proprie eſt (non enim habet contrarium) ſed eius quod eſt

(Margin: H — Eſa. 53.)

A participatione eius quod proprie eſt, ac privationes quidem illorum priorum liberam voluntatem eorum qui facti ſunt, ſequuntur: privatio vero huius ſecundi in voluntate eius qui fecit, eſt; qui ſemper propter bonitatem ſuam vult eſſe ea quæ ſunt, & ab ipſo ſemper iuvari. Et rurſus Dionyſius in eiſdem: Omnium igitur principium, & finis, qui eſt ante omnia, principium quidem vt cauſa; finis vero vt cuius cauſa; & finis omnium, atque infinitas omnis infinitatis & terminationis excellenter ſicut oppoſitorum. 2 Et idem in ſecundo capite de eiſdem divinis nominibus Copulatum quidem & commune in Trinitate vno omnium principio, eſt ſubſtantia ſupra ſubſtantiam, divinitas ſupra divinitatem; bonitas ſupra bonitatem, idem † ſupra omnia, eadem in tota 3 proprietate quæ ſupra omnia eſt: vnitas 4 ſupra vnitatem principialem: ineffabilis, 5 multarum vocum: ignoratio, 6 ex omni intellectilis: 7 omnium poſitio, 8 omnium ablatio. Et rurſus idem capite VII. de eiſdem divinis nominibus. Quo circa Deus in omnibus cognoſcitur, & ſeparatim ab omnibus; & per cognitionem Deus cognoſcitur, ac per ignorationem: & eſt de eo cognitio, ratio, & ſcientia, & tactus, & ſenſus, & opinio, & cogitatio, & nomen, & alia omnia: & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur: nec eſt aliquid eorum quæ ſunt: nec in aliquo eorum quæ ſunt, cognoſcitur: & in omnibus omnia eſt, & nihil in vllo: & ex omnibus ab omnibus cognoſcitur, & à nullo ex vlla re. Et iterum in capite primo: Sic igitur, inquit, cauſæ omnium, & quæ ſupra omnia eſt, conveniet non nominari; & omnium rerum nominibus nominari. Ex his efficitur manifeſtum, quod nihil eorum quæ ſunt, ipſum idem dicitur ſubſtantia, & ſupraſubſtantiam: ſimiliter in aliis, neque vita, & ſupra vitam; neque intellectus, & non intelligentia: neque ratio, & rationis vacatio, nec idipſum participatum, & non participatum: neque nominatum, & carens nomine, & alia ex iis quæ primo 9 ſunt, ne ſingula enumerem: cognitio, & ignoratio: lumen, & tenebræ: & † ens, & creatum: hæc enim omnia contraria ſunt, & ſecundum naturam ſuam mutuo à ſe ipſis intereunt. Solus Deus qui non patitur contrarium, omnia contraria ſecundum vnam ſupra ſubſtantiam copulationem recipit: & omnia de eo dicuntur, & nihil eſt eorum, alia quidem eſt ipſe ſecundum cauſam, alia vero non eſt ſecundum exiſtentiam, infinitis enim menſuris, & quæ conferri non poſſunt, abeſt ab effectis, qui eſt omnium, & ſupra omnia auctor.

† Idem ſupra omnia eadem creata: vide proprietates eius ſ. & diverſ. ca. 9. de divi. nominib.

B

† Ens vocat quod eſt ſub eſſe, qui eſt ſolus Deus creator omniũ.

C

Ex ſcholiis S. Maximi.

„Hoc 1 de Chriſto ſecundum humanitatem à Propheta dictum eſt, quod magis adhuc declarat quod ſequitur: Sed potius ſpecies eius inhonorata, & deficiens pluſquam in omnibus filiis hominum, ſic enim eſt apud LXX. Deficientem dixit propter mutationem coloris naturalis in pallorem ex receſſu caloris ad intima ſanguine ſe contrahente, & ſuperficie refrigerata, vt Leontius Byzantius notavit ſcribens contra Ἀφθαρτοδοκήτας, qui carnem Chriſti corruptibilem fuiſſe negabant, ac proinde non fuiſſe in eo paſſiones naturales tradebant. Sed nihil prohibet, quin de Chriſto quoque ſecundum divinitatem intelligatur eſſe ſine ſpecie & pulchritudine, qui erat creator pulchritudinis, ac proinde non pulcher, quia ſupraquam pulcher, quod eſt eſſe ſine ſpecie, *oppoſitorum* 2) Ab ipſius infinitate proficiſcitur omnis infinitas, & terminatio tamquam à cauſa exuperante, & ſuperlata, & effectrice oppoſitorum, quia in ſe habet omnia, vnde omnia quæ de Deo prædicantur, poſſunt de eodem negari, quia non conveniunt ei, vt inveniuntur in rebus creatis, & vt intelliguntur à nobis, & ſignificantur, vnde licet ſit principium & finis, ſicut dictum eſt, tamen neque habet principium, neque finem, neque medium, ſicut in creaturis intelligimus, & licet ſit præſens omnibus, & ubique; nuſquam tamen eſt, nec in vllo eſt ſicut creatura, ex S. Thom. *in 3 tota proprietate*) Proprietatem Dei dicit, vt bonitatem, & ſapientiam, & ſimilia ſupra bonitatem creatam, & ſapientiam, &c. *vnitas 4*) quia vnum habet rationem principij, & non diviſi, ac ſimplicis, ſignificat Dionyſius individuum ac ſimplex divinæ naturæ ſupra omnem vnitatem ac ſimplicitatem, & eſſe principium ſupra principium, *ineffabilis 5*) quia non nominatur à ſubſtantia ſua multarum vocum, quia à providentiis, & variis beneficiis varie nominatur, vt bonus, iuſtus, &c. *ignoratio 6*) quia quid eſt, à nullo intelligitur, *ex omni 7 intellectilis* quia quod eſt, ex omnibus creaturis licet intelligere, ex omni intellectilis, Græce eſt, νοητόν, pro quo interpres Dionyſij, quem S. Thomas habuit, & ſecutus eſt, male legit νοητόν, *poſitio 8*) omnium poſitio, & ablatio, quia ipſe omnia in rerum natura facit, & aufert, *quæ 9 primo ſunt*) id eſt, quæ ſunt principia aliorum, vt participationes ſimpliciter ſunt principia participantium, vt vita abſolute conſiderata eſt principium formale viventium; ſapientia ſapientium, & ſimiliter in aliis; & hæ participationes ſunt effectus Dei, & ideo iſtæ participationes, & quæ ſunt ſupra ipſas, non poſſunt convenire creaturæ, vt ſapientia, & ſupra ſapientiam, quæ negationem ſapientiæ creatæ continet: ſed ſoli Deo, qui † eſt ſapientia creata ſecundum cauſam; & ſupra ſapientiam eſt ſecundum exiſtentiam.

D

E

F

† Id eſt, eſt ſapientia creata, vt auctor eius ſicut eſt omnia, vt effector omniũ.

CAPVT X.

Quod nihil eorum quæ ſunt, eſt non creatum & infectum; ſolus vero Deus eſt non creatus & infectus: omnia autem poſt naturam divinam ſunt facta, id eſt, creata.

Magnus Dionyſius capite 9. de divinis nominibus ediſſerens quibus modis propriis conveniat Deo, vt dicatur idem ipſe, ait: Idem ipſum ſupra ſubſtantiam æternum, & poſt multas proprietates de eodem ſubiungit: Tamquam non permixtum, expers materiæ, ſimpliciſſimum, non indigens, non augeſcens, quod non poteſt minui, ingenitum, non tamquam nondum factum, aut imperfectum, aut ab hoc, aut hoc non factum, neque tamquam nullo modo exiſtens: ſed tamquam ſupra omne ingenitum, & abſolute ingenitum, & ſemper exiſtens, & per ſe perfectum: Quo in loco ait S. Maximus: Notandum eſt, quot modis accipitur ſignificatio ingeniti, id eſt, non facti, aut quod nondum eſt generatum, ſed generandum, vt Sara dixit: Nondum mihi natus eſt, uſque nunc aut quod eſt imperfectum, vt turris in Chalane: aut ab hoc non factum, vt Paulus Apoſtolus non ab hominibus: aut non hoc factum, vt iuſtus non unus ex duodecim; aut quod penitus nullo modo eſt, vt quæcumque fingunt gentiles, Scyllam, Chimæram, & ſimilia. Speciatim igitur & abſolute ingenitum in Deo dicitur. Et adhuc idem paulo poſt: Sciebat, inquit, dogma quorundam gentilium, qui aiebant, omnia intellectilia, & immortalia, & vi intelligendi prædita, genita eſſe, & ingenita, genita quidem tamquam Deo effectore per ſe exiſtentia ſecundum emanationem ſplendoris editi; ingenita vero, quatenus non tempore, ſed æterne, id eſt, in ævo prodierunt, ſiquidem ſupra diximus, ea quæ ſub ſenſum cadunt, habere tempus; ea vero quæ ſub intelligentiam, habere ævum, vnde & æterna dicuntur, vt igitur ex emanatione ſplendentia, ingenita ea vocabant: rurſus ſciebat, alios qui hunc mundum qui cernitur, genitũ & ingenitum eſſe dicerent: genitum quidem, quatenus hoc vniverſũ vel ex vno in multa procedit: id eſt, in generationes animantium, & ſtirpium, & aliorum

G

Gen. 18. Gen. 10. & 11. Galat. 1.

H

A ſecundum varias eorum ſpecies & formas ; vel ex mul-
tis in vnum , quando ſcilicet , vt interitum capiat , in
elementa redit , rurſus vero ingenitum vocabant eun-
dem mundum , id eſt , perpetuum , quatenus , vt ipſi
opinantur , motus ad generationem , & reditus ad
corruptionem numquam deſinit. Ait igitur Diony-
ſius , quomodocumque dicatur ingenitum , ſive vt
dixi , ſive vt gentiles dicunt , ne ſic in Deo accipias,
alia enim dicuntur ingenita αἰτιατὰ , id eſt,vt cauſam
habentia ; Deus autem vt cauſam non habens , & ab-
ſolute , quam enim cauſam habere poteſt , qui omni-
bus , vt ſemel dicam , antecellit ? Idem quoque obſer-
vans beatus Anaſtaſius in iis quæ contra Monophyſi-
tas edidit , Ingenitum , inquit , id eſt , non creatum,
ſolus Deus eſt : deinceps dubitans , quomodo Dionyſio
ſummo Theologo in mentem veniſſet , vt Deum dice-
ret ſupra omne ingenitum , multa ingenita ſignifica-
uit , id eſt , non creata. Atqui , inquit , quomodo
B hoc fieri poteſt : nemo namque ingenitus , niſi ſolus
Deus. Poſt quæ rurſus confutans opinionem Mani-
chæorum, Dionyſium Alexandrinum citat verbi huius
interpretem , cum ait : Solet externa philoſophia vo-
care ingenitum omnem naturam inaſpectabilem : qui-
bus ſic vocatis , Deum dixit Theologus Dionyſius an-
tecellere. Immo etiam Gregorius Nyſſenus : Nihil, in-
quit, eſt non creatū præter divinam naturam,& rurſus;
Sola divina natura creaturam ſuperat: & adhuc.Bipar-
tita , inquit , contemplatione rerum in creaturam , &
non creaturam , naturæ non creatæ ſanctam Trinita-
tem eſſe definimus : creatæ vero cetera omnia , quæ-
cumque poſt illam dicuntur , & ſunt , & nominantur.
Et Ioannes Damaſcenus , Omne , inquit , quod eſt,
aut eſt creatum , aut non creatum, ſi creatum , ab alio
prorſus creatum eſt : ſin autem non creatum, hoc ſane
ſit , quod creaturas creauit. Et rurſus idem : Differen-
tis naturæ ait eſſe ἀγένητον , & γενητὸν vno , ν ſcriptum,
quod quidem declarat creatum , & non creatum , eſt
igitur natura divina ingenita , id eſt , non creata. Et
S. Epiphanius : Ab omni cauſa plane exemptum eſt
C ingenitum : quia vnum eſt ingenitum , & veneran-
dum , & rurſus : Intelligi non creatum , & creatorem
ſoli Deo convenit : & fieri non poteſt , vt ad commu-
nionem huiuſmodi rei plures adducantur , & adhuc
idem : vnum , inquit , eſt quod facit , in vna ſubſtan-
tia Trinitatis perfectæ ; cetera omnia facta , & creata:
propterea enim ipſi non veneramur omne quod infra
Dei ſubſtantiam eſt , quia ſoli Deo convenit venera-
tionem & culturam adhibere. Et iterum idem in iis
quæ ſcripſit contra hæreſim Secundianorum : Redu-
cetur , inquit , vniverſum ad vnum , quod eſt,
quo ſuperius nihil eſt ; nec inferius , nec infimum,
niſi quæ ab ipſo creata ſunt , eritque hoc manifeſtum
iis qui veritatem perdidicerunt , quod vnus Deus eſt
pater , & filius , & ſpiritus ſanctus : ſi autem vnus
Deus eſt , ex quo omnia , nec eſt in eo ſiniſtrum , nec
alud imminutum , neque quidquam gradus inferioris,
præterquam quæ ab ipſo creata ſunt : quæ autem ſunt
poſt patrem & filium & ſpiritum ſanctum , cuncta
ſunt pulchre creata , & large ab ipſo bene profecta
& conſtituta. Rurſus idem contra hæreſim Marcoſio-
rum : Nos enim , inquit , credimus penitus , ſicut ve-
D ritas oſtendit , & probabilis ratio ſuggerit , ac cum
regula pietatis conſonat , & cum lege & prophetis, &
cum ipſis ab origine patriarchis ordine conſecutis , &
cum ipſa Saluatoris doctrina, & Apoſtolorum qui nos
aperte docent confiteri vnum patrem vniverſorum do-
minatum tenentem , & Dominum Ieſum Chriſtum,&
eius ſanctum ſpiritum , vnam ſanctam Trinitatem non
creatam , omnibus ex nihilo poſt patrem & filium &
ſpiritum ſanctum factis. Quare in iis quæ clare con-
feſſi ſunt , & crediderunt omnes ſancti iam dicti , &
prophetæ , & Evangeliſtæ , atque Apoſtoli , non po-
terit vnquam vlla fallax cogitatio contra radium veri-
tatis reſiſtere ac repugnare. Et ſanctus ac divinus
Germanus in expoſitione fidei ait : Sed veneratio no-

ſtra & cultus ſolam non creatam , & in infinitum po- E
tentem ſupraquam principialem ; & ſupraquam bo-
nam , vitæ principem , & ſupra ſubſtantiam ſanctam
Trinitatem , vnam divinitatem & poteſtatem corde
non dubitante & ore confitetur : huic enim ſoli cul-
tum tribuere oportet. Et S. Cyrillus : Sive quis, inquit,
angelos , ſive aliquid ſuperiorum ordinum , & omnia
intermedia prætergreſſus ad ipſos Seraphinos eat , & *Iacob.1.*
ſupremas glorias aggrediatur , naturarum non tranſ-
cendet , vel enim aliquid ſuperne , hoc eſt , ex patre
luminum , & idcirco Deus : vel infra aliquid intelligi-
tur , & inferne , hoc eſt creatura , & ex creatura:
interiectum vero nihil funditus eſt. Et iterum idem:
Quod enim eſt opinione illorum neque pure Deus,
neque aperte creatura, quem locum apud ipſos recipiet
in iis quæ ſunt ? Ego neque in ſola cogitatione reci-
pere dicerem , quamvis eligere ſolum , poſſem. Et
Iuſtinus philoſophus & martyr : Etenim ſiquid princi-
pio extra Deum erat , omnino neceſſarium eſt confite- F
ri hoc aut Deum , aut aliam quamlibet poteſtatem,
at ſi quis Deum dicat ; abrogarit divinas voces , quæ
clare clamant : Ego Deus primus , & ego poſt hæc, & *Eſa.44.*
præter me non eſt Deus:ſin vero non dicat Deum;dicet
ſcilicet angelos , vel poteſtates , at ſic etiam improba-
bit divinas ſcripturas , quæ dicunt à Deo factas eſſe
has : Laudate eum omnes angeli eius , laudate eum *Pſ.148.*
omnes poteſtates eius. Ex his apertum fit , quod in-
ter naturam Dei in tribus perſonis , & ab eo creata
nihil aliud quidquam penitus reperitur : omnia autem
poſt divinam naturam & ſubſtantiam ſunt generata
& creata , idcirco nihil eorum quæ ſunt , eſt non crea-
tum & infectum , niſi ſolus Deus hæc ſupra ſubſtan-
tiam Trinitas. Manifeſta etiam eſt tibi huius Decadis
expoſitio materiaria. Primum quidem ponit , nihil
eorum quæ ſunt , eſſe ſine cauſa , ſed ſolum Deum; 1
hic igitur qui cauſam non habet , cauſa omnium eſt,
qui ex nihilo creaturam producit,idcirco nihil eorum
quæ ſunt , eſt coæternum auctori , quin potius vel ex
principio temporis , vel non ex principio temporis, 2
ſed ex principio ævi eſt , ab his enim operibus quæ 3
ſunt ex principio temporis , requieſcit & ſabbatum
agit Deus ; ab operibus vero quæ ex principio ævi G
ſunt , non requieſcit , & ſabbatum agit : & quod
Deus individue ex ſe ipſo egrediens , vna poteſtate 4
omnia producit,in nullo quopiam propter hæc diviſus,
neque quia producēdo omnia,omnia fit,idcirco aliquid
eorum quæ ab ipſo fiunt,aut aguntur,eſt non creatum:
neque poſſunt aliqua duo, aut multitudo poſt duo,aut 5
aliud quid ſecundū ſuperius & inferius progrediens eſſe 6
infinitum , & ſine principio ; ſed vnum ſolum , hoc 7
eſt Deus , incomprehenſus eſt , & inaſpectabilis : & à 8
contrariis ſolus ipſe nominatur ; ſed ſecundum eſſen- 9
tiam ſuam prorſus caret nomine , quia ſolus eſt non
creatus & ingenitus ; omnia autem poſt naturam divi-
nam ſunt creata ; quia inter ipſum Deum , & creatu-
ras neque quidquam eſt , neque cogitatur tamquam
eſſentia quæpiam. Diligenter igitur materia huius
decadis à Theologis expoſita , cum alioqui ipſius Dei
infinitatem cognoſcere non poſſimus.

Ex ſcholiis S. Maximi H

Ad ea quæ in hoc extremo capite ex variis Patribus
de ingenito notata ſunt , adiungi poteſt quod S.
Chryſoſt. ſcripſit , diſſerens de ingenito contra hære-
ticos in homilia in illud, In principio erat verbum, & *Ioan.1.*
ſpiritus ſcrutatur profunda Dei : Ne exiſtimes, inquit, *1.Cor.2.*
hæretice , magnum quid te tribuere patri , cum dicis
eſſe ingenitum ; quia multa alia quæ non ſunt genera-
ta , dicuntur ingenita : dicitur Adam ingenitus , quia
non fuit genitus , ſed formatus , dicitur etiam homo
ingenitus , non generatus , neque formatus , vt cum
Dominus dixit de Iuda:Bonū erat ei,ſi natus non fuiſſet
homo ille. Et quomodo illi melius erat , ſi natus non *Mat.26.*

A fuiſſet? ei enim qui non eſt, nihil conducit, neque nocet. Et Salomon beatum prædicat eum qui non eſt genitus, ſic enim ait: Beatus qui mortuus eſt, magis quam vivens, & ſupra duos, qui non eſt genitus. Et ſi non eſt genitus, quomodo eſt beatus? Vide nomina naturæ ingenitæ: dixit hominem neque genitum, neque formatum beatum, quamobrem appellatio ingeniti non interpretatur naturam divinam, nec vt tu ais, ſubſtantiam ſignificat; nec honorem affert patri: hactenus Chryſoſtomus.

Eccl. 4.

DECAS NONA,

De infinitate in Deo.

CAPVT I.

Quod in Deo, qui eſt ſupra ſubſtantiam, non eſt quidquam aliud non creatum præter patrem, filium, & ſpiritum ſanctum unius & ſolius naturæ non creatæ, nec aliud quidquam ante ſecula præter has tres perſonas divinas.

B MAGNVS Dionyſius capite primo myſticæ Theologiæ: Trinitas ſupra ſubſtantiam, & ſupra divinum, & ſupra bonum, pietatis Chriſtianorum erga Deum præſes & cuſtos dirige nos ad myſticorum ſermonum Dei ſupraquam 1 ignotum, & ſupraquam 2 lucens, atque ſummum faſtigium; vbi ſimplicia, 3 & abſoluta, & immutabilia Theologiæ myſteria apetiuntur in caligine ſupraquam lucente ſilentij arcanæ doctrinæ. Tu, quæ in obſcuritate tenebricoſiſſima ſupraquam clariſſime ſupraquam ſplendes, & in illis ſplendoribus ſupraquam pulchris, & tactum, & aſpectum ex toto fugientibus mentes 4 oculis captas ſupraquam imples. Mihi igitur hæc optentur, tu vero, chare Timothee, in vehementi myſticarum contemplationum exercitatione & ſenſus, & uſus mentis relinque, & omnia quæ ſub ſenſum & intelligentiam cadunt, & universa 5 quæ ſunt, & non ſunt: & ad copulationem, quantum conſequi potes, cum eo qui ſupra omnem ſubſtantiam & cognitionem eſt, ignote 6 contende: & extra te poſitus pure, & ab omnibus ſolutus & liber ad radium divinum divinæ obſcuritatis, omnibus ablatis, & ab omnibus expeditus adduceris. Vide autem, vt nemo hæc audiat ex iis qui non ſunt inſtructi; hos dico, qui rebus terrenis adhæreſcunt, & nihil ſupra ea quæ ſunt, & ſupra ſubſtantiam eſſe cogitant, quin potius arbitrantur ſua cognitione noſſe eum qui poſuit tenebras latibulum ſuum. Si autem ſupra hos ſunt divinorum myſteriorum cognitiones, quid dici poterit de aliis non initiatis, qui ſummam cauſam omnium ex extremis in natura rerum deſignant, nihilque eam antecellere aiunt impiis imaginibus, quas ipſi fingunt? Et magnus Athanaſius: Sola enim ſancta Trinitas divinitatis non creata apparuit. Et beatus Baſilius: Illic ſtetit beata, & non creata Trinitas, pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Et Gregorius Nyſſenus: Nihil aliud ante ſæcula præter patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum. Et divinus Damaſcenus: Solus non creatus, qui in patre, & filio, & ſpiritu ſancto colitur. Ex quibus fit manifeſtum, quod in Deo, qui eſt ſupra ſubſtantiam, nec aliud quidquam eſt non creatum præter Trinitatem, nec aliud quidquam ante ævum præter patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, Trinitatem ſupra naturam: & in qua ſimplicia, & abſoluta, atque immutabilia myſteria Theologiæ deteguntur, & ipſi occulti ſermones ſilentij ineffabilis, quare ſi quæ eſt natura non

Trinitas ſupra divinum ſ creaturi participatio, ſimiliter ſupra bonum.

C

Tactum, & aſpectum intellectiles dicit, eſt enim cognitio, quædam tactio & viſio intellectus

D

Pſ 17. Extrema in rebus vocat materiã inanimatam.

E creata, ea eſt pater & filius & ſpiritus ſanctus. Et rurſus: Si quid eſt pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, ſola non creata natura eſt, & cum dicimus, O natura non creata, auctor omnium, vel præter divinam naturam nihil eſt non creatum, implicate dicimus patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum: & cum rurſus dicimus, Pater omnipotens, fili, & ſpiritus ſancte, explicate unam & non creatam naturam invocamus; nihil commoventes in fide, quæ tenet vnitatem eſſe in Trinitate, & Trinitatem in vnitate.

Ex Scholiis S. Maximi.

Supraquam 1 ignotum) quia quid ſit Deus, qui eſt ſancta Trinitas, non ſolum eſt ignotum, vt nos intelligere poſſumus in creaturis aliquid eſſe ignotum, ſed eſt ſupraquam ignotum, *ſupraquam 2 lucens*) Quia cognitio eſt quædam lux mentis, ſignificat Dionyſius, non eſſe proprium Dei ſic cognoſci quod ſit, & bonus ſit, & reliqua eiuſmodi Dei propria, ſicut nos intelligimus, & cognoſcimus in creaturis, eſſe, & tales eſſe; ſed eſt cognitio eius propria ſupra omnem cognitionem creatam, à ſe enim ſolum, vt decet, id eſt, perfecte, cognoſcitur eſſe, *ſimplicia, 3 & abſoluta*) illa dicit, quæ nude ſicuti ſunt, ſine integumentis ſymbolicis, & ſine parabolis, ac ſine verbis, quæ explicatione indigent, intelliguntur & videntur, Deo aperiente myſteria; quæ ſic oſtenſa & revelata, non poſſunt poſtea ſermone expromi, ſicut Paulus de huiuſmodi viſione & revelatione myſteriorum ſimplici & abſoluta, id eſt, nuda & aperta remotis ſymbolis, & verbis explicatione indigentibus, in raptu illo ſuo ſcripſit, quæ non licet, inquit, homini loqui, ad hoc enim videtur Dionyſius retuliſſe quod hic dixit. In caligine ſupraquam lucente ſilentij arcanæ doctrinæ, caliginem vocavit, quæ Paulus ἄῤῥητα, id eſt, arcana, hæc enim obſcuriſſima, & quæ explicari non poſſunt (ſicut neque videri poteſt caligo, neque quæ caligine obtecta ſunt) vidit Paulus, & cognovit in luce clariſſimæ revelationis ſine vllis ſymbolis. Illud autem obſervandum eſt (ne quis interpretem temere reprehendat, quod vertimus. Aperiuntur in caligine) male legi in exemplaribus Græcis in Italia & in Gallia hactenus editis, ἐγκαλύπτεται, id eſt, teguntur, melius reperi in exemplari manuſcripto, quod Cypariſſiotus habuit, ἐκκαλύπτεται, id eſt, deteguntur. *Mentes 4* angelicas oculis captas dicit præ infinita excellentia divini ſplendoris, ſunt alioqui multis oculis præditæ propter multam cognitionem propriæ facultatis, ſicut enim Deus dicitur inviſibilis, ſic dicuntur angelicæ mentes oculis captæ, *universa 5 quæ ſunt, & non ſunt*) id eſt, omnia intellectilia, & ſenſilia, hæc enim propter continuam mutationem dicebantur à philoſophis non eſſe, *ignote 6*) Significat non eſſe curioſe inquirendum, quomodo fiat iſta cognitio myſticæ Theologiæ per copulationem cum Deo, relicta omni alia cognitione rerum; id quod Paulus Apoſtolus ſignificavit, cum dixit de illa ſua cum Deo copulatione, in qua myſteria illa arcana vidit: Sive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit. Neſcio, inquit, id eſt, non curioſe inquiro, ſatis mihi eſt vidiſſe & audiſſe arcana illa, &c.

F

1. Cor.

G

H

Ibid.

A

CAPVT II.

Quod in Deo, qui eſt ſupra ſubſtantiam, non eſt alia divinitas eius, niſi pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, vna & ſola non creata natura: nec alia poteſtas, ſive virtus, & operatio in ipſo, niſi hæ tres divinæ perſonæ.

Matt.26 DOminus in Evangelio ait: Amodo videbitis
filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei,
& venientem in nubibus cœli, & rurſus: Si autem
Luc.11. in virtute Dei eiicio dæmonia, & adhuc: Vos au-
Luc.24. tem ſedete in civitate Hieruſalem, donec induamini
virtutem ex alto, & divinus Apoſtolus: Chriſtus
1.Cor 1. Dei ſapientia, & Dei virtus. Gregorius Nyſſenus,
ἡ δύναμις, id eſt, virtus, ſive poteſtas, cum ad Deum
refertur, ſingulariter effertur; cum vero ad creatu-
ras, numero multitudinis. Gregorius Theologus,
B Vnum tria, & tria vnum, in quibus eſt divinitas, vel
potius dicam, quæ ſunt divinitas, & rurſus idem:
Dei vero cum dico, dico patris, & filij, & ſpiritus
ſancti, neque divinitate vltra hæc fuſa, ne populum
deorum introducamus, nec divinitate intra hæc ter-
minata, ne de anguſtia divinitatis damnemur, & ite-
rum: Virius divinitatis, ô boni, Trinitatem honora-
te, & rurſus: Satis eſt, eatenus cognoſcere vnita-
tem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate mirabi-
lem in vnum copulationem, & diſtinctionem haben-
tem, & adhuc idem: Nobis autem vnus Deus, quia
& vna divinitas, & magnus Athanaſius: Ter ſanctus
propter tres perſonas, ſemel Dominus propter vnam
divinitatem, ſatis hæc ſunt fidelibus: hucuſque cog-
Eccl.7. nitio in hominibus procedit; hucuſque Cherubini
alis ſe velant, qui autem amplius his ſcrutari vult,
audit dicentem: Ne ſis nimium ſapiens, ne obſtupe-
ſias. Et magnus Baſilius: Baptiſma noſtrum eſt ſecun-
Matt.28 dum traditionem Domini in nomine patris, & filij, &
ſpiritus ſancti, nulla creatura, neque ſervo ad ordinem
patris & filij adiuncto, vtpote divinitate in tribus
completa; quod extra hæc eſt, id omne conſervum
C eſt, quamvis magnitudine dignitatum alia aliis præ-
ſtent, & antecellant. Et rurſus idem: Catena quædam
eſt ſancta & veneranda Trinitas, vnam & eandem di-
vinitatem in vna & perpetua gloria ubique circumfe-
rens. Adhuc idem: Dicta ſunt hæc, & bene erit, vt
eſt iis qui ſine curioſitate credunt in Deum verbum
& ſpiritum, vnam ſubſtantiam & divinitatem; quæ
& ſola eſt veneranda; & nullo modo ſubrepat multi-
tudo. Et diſputatione contra Phædonem philoſo-
phum, quæ eſt in prima Synodo: Fides, inquit, Ca-
tholica vnam ſolam divinitatem novit, & hanc colit,
patris, filij, & ſpiritus ſancti, præter hanć non repu-
tabitur altera. Editio ſanctæ & œcumenicæ tertiæ Sy-
nodi: Si quis non confitetur in ſancta Trinitate unam
divinitatem, & unum regnum, & unum dominatum,
anathema. Confeſſio ſanctæ & œcumenicæ ſextæ Sy-
D nodi: Nos neque tres deos ſcimus, neque totos mul-
tos deos, vel naturas, vel ſubſtantias, vel diuinitates
nouimus, aut cognoſcimus; aut qui cognoſcerent,
novimus: immo eum qui habet, vel ſentit, vel cog-
noſcit, anathematiſmis ſubiicimus. Gregorius Nyſſe-
nus in libro inſcripto, Quæ ſit Chriſtiani profeſſio:
Qui enim, inquit, eos condemnat qui dicunt unam
divinitatem, neceſſario vel multas dicenti, vel nullam,
aſſentitur, non enim quidquam aliud præter hæc di-
cta cogitari poteſt, quinimmo neque doctrina ſcriptu-
ræ multas dicit, quæ alicubi meminit ſingulariter di-
Coloſ.2. vinitatis, vt cum ait: In ipſo habitat omnis plenitudo
divinitatis corporaliter. Si igitur extendere numerum
diuinitatum in multitudinem, eorum tantum eſt qui
ex errore multos deos ponendi ægrotant, negare autem
in univerſum divinitatem, eorum fuerit qui Deum tol-
lunt, quæ ratio eſt accuſandi nos qui unam divinita- E
tem confitemur? Et S. Sophronius Hieroſolymitanus:
Sicut, inquit, didicimus, unum Deum eſſe, ſic unam
diuinitatem confitendam eſſe accepimus. Et Gregorius
Theologus in oratione de conſtituendis epiſcopis: Si
conſequi poſſem, vt hic perfectam univerſorum ſcien-
tiam haberem, quid mihi reliquum eſſet? quid ſpera-
rem? Regnum cœlorum plane, dicturus es. Arbitror
autem nihil aliud eſſe hoc, quam adipiſci quod puriſ-
ſimum & perfectiſſimum eſt, perfectius autem ex
omnibus quæ ſunt, cognitio Dei eſt, ſed hanc qui-
dem partim teneamus, partim vero pergamus, ut com-
prehendamus, quamdiu ſuper terram ſumus; partim
in futurum reſervemus, vt illinc hunc fructum labo-
ris habeamus, ſplendorem ſcilicet totius ſanctæ Trini-
tatis, quicunque eſt, & qualis, ac quantus, ſi fas eſt
dicere. Adhuc idem in eadem oratione: Satis habeo au-
dire, quod filius, & quod ex patre, & quod hic qui-
dem eſt pater, hic vero filius, & nihil præter hoc cu-
rioſe inquiro; ne mihi eveniat quod vocibus, quæ ni- F
mium elatæ, prorſus decidunt; aut aſpectui intento in
radium ſolis, quo enim plus, & acutius videre quis cu-
pit, eo magis ſenſus eius læditur. Ex his pateſit, quod in
Deo, qui ſupra ſubſtantiā eſt, nō eſt alia divinitas eius,
niſi pater, filius, & ſpiritus ſanctus, immo ipſa tria ſunt
divinitas; & nec ultra iſta, hæc; nec his tribus aliquid
deficit, quippe cum divinitas in his tribus completa
ſit, quod autem extra hæc eſt, neque pater eſt, neque
filius, neque ſpiritus ſanctus, ſed conſervum nobiſcum
eſt univerſum, tota enim natura non creata in his tri-
bus cernitur, & completa eſt, & ſicut vna eſt non crea-
ta natura Trinitatis, ſic etiam una eſt ipſius divinitas,
& poteſtas, & operatio, & ſicut non eſt alia divina
natura præter Trinitatem ſupraquam divinam, ſic non
eſt alia præter ipſam divinitas, vel poteſtas, ſive vir-
tus, & operatio: ſed quod eſt natura, hoc Trinitas;
quod divinitas, hoc poteſtas, & operatio, quare quod
poteſtas & operatio, hoc natura ſupra ſubſtantiam: &
quia natura, & ſubſtantia, & poteſtas, & operatio
idem, idcirco unus nobis Deus ipſa unitas trium per-
ſonarum. Simul tamen & hoc pateſit, omnem Theo- G
logiam in tribus divinis perſonis concluſam eſſe: qui
autem plura his curioſe indagare vult, ab ea, quæ ve-
re veritas eſt, excidit.

CAPVT III.

Quod in Deo qui eſt ſupra ſubſtantiam, non eſt alia unitas, & alia Trinitas: nec eſt in superna Trinitate quidquam inæquale, & maius, ac minus: nec aliud quid in ea privans, ſecundum ſe ſubſtantiæ expers, & non per ſe exiſtens.

MAgnus Athanaſius in expoſitione fidei in pri- H
ma Synodo ait: Principio hæc eſt fides ortho-
doxa, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in
vnitate veneremur; neque confundentes perſonas, ne-
que ſubſtantiam ſeparantes. Et paulo poſt: Increatus
pater, increatus filius, increatus ſpiritus ſanctus; &
non tres increati, ſed unus increatus: omnipotens pa-
ter, omnipotens filius, omnipotens ſpiritus ſanctus;
& non tres omnipotentes: æternus pater, æternus
filius, æternus ſpiritus ſanctus; & non tres æterni, &
non multo poſt: Et in hac Trinitate nullus primus, &
nullus ultimus; nemo magnus, & nemo parvus, ſed hæ
tres perſonæ æternæ ſunt, & æquales in omnibus.
Vnitatem igitur in Trinitate, & Trinitatem in vnitate
omnis Chriſtianus colat. Et ſanctus Maximus in ex-
planatione ſubtili precationis, Pater noſter: Non, in-
quit, aliam unitatem, & aliam Trinitaté eſſe didicimus
(non enim unitas, quæ ſimplex & una natura eſt, diſ-
ſimilitudine naturæ à Trinitate differt) nec aliam iuxta

aliam

A aliam (non enim remiſſione poteſtatis diſcreta eſt ab unitate Trinitas, vel à Trinitate unitas) neque ſicut aliquid commune & generale, quod cogitatione ſolum ſpectari poteſt, à partibus ſuis variatur, ſic à Trinitate variata eſt unitas, quæ eſt ſubſtantia proprie per ſe exiſtens, & poteſtas vere per ſe valens; nec tamquam alia ex alia (non enim Trinitas ex unitate exiſtit, nec unitas ex Trinitate ſecundum productionem, vel antegreſſionem) ſed eandem vere unitatem, & Trinitatem dici didicimus: unitatem quidem ratione ſubſtantiæ: Trinitatem vero modo exiſtendi: totam unitatem eandem ipſam non diviſam perſonis:& totam Trinitatem eandem ipſam non confuſam unitate: ne diviſio multitudinem deorum introducat:neque confuſio Dei negationem. Gregorius Theologus in tertia oratione de pace: Non unum pietatis terminum exiſtimemus, venerari patrem, & filium, & ſpiritum ſan-
B ctum, unam in tribus perſonis divinitatem, & poteſtatem, nihil ſupra, nec infra colentes, illud enim fieri non poteſt: hoc autem impium eſt. Et adhuc idem: Vbi enim eſt unumquodque incomprehenſum, & maius, quam ut cogitari queat, quomodo hic quod excellat, vel intelligitur, vel tradetur; quomodo vero quod infinitum eſt, metiri poſſumus: ut quod eſt eorum quæ terminantur, eveniat divinitati, quam gradibus ſuperioribus, & inferioribus metiamur? Et rurſus idem: Non eſt Trinitas annumeratio inæqualium: alioqui quid prohibet, quin ſit hæc decas, & hecatontas, & myrias? Et rurſus: Vnam divinitatem, & poteſtatem, quæ in tribus reperitur, & tria complectitur diſcrete, neque differens ſubſtantiis, ſive naturis, nec aucta exuperantiis, & remiſſionibus, undique æqualis, undique eadem. Et iterum idem in prima oratione de pace: Vnitas, inquit, quæ in Trinitate colitur, & Trinitas quæ in unitatem redigitur, eiuſdem throni, eiuſdem gloriæ, non creata, inaſpectabilis,
C con caſſens ſub tactum, incomprehenſa, quæ ſola cognoſcit quem apud ſe ordinem habeat, quæ omnem creaturam extra ſinit partim primo, partim ſecundo velo diremptam: primo quidem creaturam cœleſtem & angelicam à divinitate diremptam, ſecundo vero noſtram à creatura angelica. Sanctus Gregorius Nyſſenus libro primo contra Eunomium: Quod autem, inquit, non congruit cum dogmate ab ipſis fabricato, opinari ſimplicem eſſe ſubſtantiam, quæ ſupra omnia eſt, quamvis id verbo gratis largiantur, manifeſtum fit etiam parum advertenti. Quis enim ignorat quod ſecundum propriam rationem ſimplicitas in ſancta Trinitate plus & minus non recipit? Et adhuc Gregorius Theologus in oratione de baptiſmate: Volo patrem maiorem dicere: ex quo provenit, ut qui ſunt æquales, æquales ſint, & exiſtant, hoc enim ab omnibus conceſſum eſt, & metuo ne principium faciam principium minorum,& contumelia afficiam præferendo,non enim ei, ex quo, gloria eſt ſummiſſio eorum qui ex ipſo. Et rurſus Gregorius Nyſſenus in libro de Abraham: In utroque igitur verum dicit ſcriptura, quæ
D æquale confitetur,& maius non negat. Cum enim ſcriptura, ad humanitatem reſpicit, maius confitetur
[Ioan. 14.] quod non videtur; quam id quod per carnem videtur: quando vero mentem deducit ad divinitatem, vacat hæc comparatio maioris & minoris, & vice horum
[Ioan. 10.] unitas prædicatur:Ego & pater unum ſumus, quæ enim variata ſunt ſecundum inæqualitatem, unum eſſe non poſſunt. Et magnus Athanaſius in libro de incarnatione Chriſti: Vbi, inquit, dignitas eſt eiuſdem honoris, eiuſdem quoque honoris eſt veneratio, in dignitate æquali non eſt pugna, inæquale ſuſcitat pugnam; æqualitas honorat pacem. Et idem rurſus contra Apollinarium: Si natura non eſt pater maior filio, neque magnitudine (magnitudinis enim expers eſt) neque tempore, quia ſine tempore eſt, neque qualitate, quia qualitate caret: nulla igitur alia re maiorem ſe patrem dicit, niſi quatenus filius, & patrem ſuum honorans. Et magnus Baſilius libro quarto ſuarum con-

E futationum: Maius, inquit, vel magnitudine, vel craſſitudine, vel tempore, vel dignitate, aut tamquam cauſa, maius eſt: at magnitudine non eſt maior pater filio, expers enim eſt magnitudinis, neque craſſitudine, quia incorporeus, ſed neque tempore, filius enim eſt temporis auctor: neque dignitate, nec enim factus eſt filius, qui aliquando non eſſet, nec ut auctor, quoniam æque erit & ipſo, & nobis maior, ſi ipſius, & noſtri auctor eſt. Et iterum Gregorius Theologus libro ſecundo de Theologia ait: Sed ſi Deus eſt incorporeus, nec hoc demonſtrat ſubſtantiam, ſicut nec ingenitum, & principio carens, & immutabile, & immortale, & quæcumque † de Deo, vel circa Deum dicuntur. Ex quibus efficitur manifeſtum, quod in Deo, qui eſt ſupra ſubſtantiam, non eſt alia unitas ſupra divinam, & alia Trinitas ſupra ſubſtantiam, ſed eandem vere unitatem & Trinitatem credimus: nec eſt in Trinitate ſupraquam divina quidquam inæquale, & partim eius maius, partim vero minus, ſed potius una æqualitas tribus pura, & immutabilis: nec aliquid eorum trium ulla ex parte plus colimus, & aliquid minus: nec eſt in eo quidquam privans, & ſecundum ſe expers ſubſtantiæ, & non per ſe exiſtens: imperfecta enim introductio privantis contumelioſa eſt in id quod perfectiſſime exiſtit, etenim non eſſe ſubſtantiam, & per ſe non exiſtere, defectionem perfectiſſimæ ſubſtantiæ, & per ſe exiſtentis demonſtrat.

† De iis loquitur quæ ſimiliter de Deo dicuntur ut ingenitum, incorporeum, & ſimilia.

CAPVT IV

Quod in Trinitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, neque perſonale diſtinguitur à ſubſtantia, neque tres divinæ perſonæ ſubſtantia diſtinguuntur, nec alia quapiam oppoſitione diſtinguuntur, niſi hac ſola ſecundum relationem.

G MAgnus Athanaſius in dialogo orthodoxi & Anomij ait: Aliud eſt ſubſtantia, & aliud perſona, aliud 1. & aliud, compoſitio igitur. Aliud & aliud dixi, non ut rem aliam & aliam: ſed ut aliud ſignificante perſona, & aliud ſubſtantia, ſicut granum frumenti dicitur & eſt ſemen, & fructus: non ut res alia, & alia; ſed aliud quid ſignificat ſemen, aliud fructus: Et magnus Baſilius in epiſtola ad Terentium comitem: Si autem, inquit, oportet nos paucis dicere quod videtur: illud dicemus, quod quam rationem habet commune ad proprium, hanc habet ſubſtantia ad perſonam. Vnuſquiſque enim noſtrum communi ratione ſubſtantiæ participat eſſe; & proprietatibus quæ circa ſe ſunt, eſt ille, aut ille, ad eundem modum illic, ratio quidem ſubſtantiæ communis eſt, ut bonitas, aut divinitas, aut ſi quid aliud intelligatur: perſona vero in proprietate qua pater eſt, aut qua filius, cernitur. Sanctus Ioannes Damaſcenus cap. LIII.
H cuius inſcriptio eſt, Quod omnis natura divina in una ex perſonis eius unita eſt cum tota humana natura, & non pars cum parte: Communia, 1. inquit, & univerſa prædicantur de ſuis ſubiectis particularibus: commune igitur eſt ſubſtantia, ut ſpecies; particulare autem hypoſtaſis, particulare autem, non quia partem naturæ habet, partem non habet, ſed particulare numero, ut individuum, numero enim, & non natura hypoſtaſes dicuntur differre, prædicatur autem ſubſtantia de hypoſtaſi, quia in ſingulis quæ ſunt hypoſtaſes eiuſdem ſpeciei, perfecta ſubſtantia eſt, quocirca neque hypoſtaſes differunt inter ſe ſubſtantia, ſed ſecundum accidentia, quæ ſunt proprietates deſignantes hypoſtaſim, & non naturam: ſiquidem hypoſtaſim definiunt ſubſtantiam cum accidente, quamobrem hypoſtaſis habet commune cum proprio, ſubſtantia autem ſecundum ſe non exiſtit, ſed in hypoſtaſibus ſpectatur. Idem de ſancta Trinitate: Oportet,

 inquit,

A inquit, ſcire, quod aliud eſt conſiderari re, & aliud ratione & cogitatione, in omnibus igitur creaturis diſtinctio hypoſtaſeon, re conſideratur, re enim Petrus à Paulo diſcretus conſideratur, communitas verò, & copulatio, & unum, & ratione, & cogitatione ſpectatur, intelligentia enim percipimus Petrum & Paulum eiuſdem naturæ eſſe, & naturam unam habere communem, unuſquiſque enim eorum eſt animal rationis particeps, mortale; & unuſquiſque caro eſt animata anima ratione prædita, & intelligente. Hæc igitur communis natura ratione conſideratur, nec enim perſonæ aliæ in aliis inter ſe ſunt: ſed potius unaquæque, ſingillatim & in parte, id eſt, per ſe ſeparata eſt, plurima habens quæ ipſam ab altera diſtinguant, ſiquidem & loco diſtant, & tempore differunt, & voluntate dividuntur, & viribus, & forma, id eſt, figura, & habitu, & mixtione, ac dignitate, & ſtudio, omnibuſque proprietatibus deſignantibus, plus vero ceteris omnibus eo quod non ſunt aliæ in aliis mutuo, ſed potius ſeparatæ ſunt, unde & duo, & tres homines dicuntur, & multi, hoc autem in omni natura licet conſiderare, contra vero in ſancta, & ſupra ſubſtantiam, ac ultra omnia, & incomprehenſa Trinitate, illic enim contemplamur commune, & unum re propter coæternum, & quia id ipſum ſunt ſubſtantia, operatione, voluntate, & voluntatis conſpiratione, poteſtate, virtute, & bonitate. Non dixi ſimile, ſed id ipſum, & propter unum impetum motus, una enim ſubſtantia, una bonitas, una virtus, una voluntas, una actio, una & eadem poteſtas, non tres ſibi inter ſe ſimiles, ſed una & eadem trium perſonarum motio, unum enim unaquæque earum habet erga aliam, non minus quam erga ſe ipſam; id eſt, in omnibus unum ſunt pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, præter 3. ingenitum, & nativitatem, & proceſſionem: unum inquam habet, ſed cogitatione 4. diſtinctum. Magnus Baſilius in ſermone de fide: Filium dixi, & patrem, ſerva mihi has proprietates, permanens igitur filius in eo quod eſt filius, omnia eſt, quæcunque, pater eſt, ſicut ipſe Dominus dixit: Omnia quæ habet pater, mea ſunt. (*Ioan. 10.*) Et gregorius Nyſſenus: Confitentes, 5. inquit, eandem naturam ſine ulla variatione, differentiam cauſæ, & ex cauſa proficiſcentis non negamus, in quo ſolo alterum ab altero diſcerni comprehendimus. Et divinus Anaſtaſius in libro de veritate rectorum dogmatum: Reciprocantur, inquit, huiuſmodi appellationes, Deus, Dominus, & ſpiritus propter incorporeum & ſanctum, quia unicuique perſonæ conveniunt huiuſmodi nominationes, reſervato patri hoc ſolo, ſcilicet patrem eſſe, quia ſolus eſt pater tanquam cauſa, & reſervato ipſi filio hoc tantum, ſcilicet filium eſſe, quia ſolus genitus eſt: reſervato item paracleto eſſe ſcilicet ſpiritum ſanctum. Divinus Dionyſius cap. ſecundo de divinis nominibus ait: Copulata in unum in tota divinitate, ut in Theologicis informationibus prolixe ex ſcripturis ſanctis demonſtravimus, ſunt ſupraquam bonus, ſupraquam Deus, ſupraquam ſubſtantia, ſupraquam vivens, ſupraquam ſapiens, & quæcumque ſunt ablationis 6. ſecundum exuperantiam, cum quibus numerantur omnia quæ ad rationem cauſæ pertinent, bonum pulchrum exiſtens, vivificum, ſapiens, & quæcumque ſunt ex donis eius, quæ bonitatem eius decent, à quibus omnium bonorum cauſa nominatur, diſcreta 7. vero ſunt patris nomen, & res, & filij & ſpiritus ſancti, nulla in his facta reciprocatione, aut prorſus communitate introducta, eſt præterea diſcreta ac diſtincta perfecta 8. ſicut in nobis, & immutabilis Ieſu eſſentia, & quæcumque ſunt myſteria 9. ſubſtantialia humanitatis eius. Ex his manifeſtum fit, quod in Trinitate, quæ eſt ſupra ſubſtantiam, perſona & ſubſtantia non ſunt idem ratione & cogitatione; ſunt tamen re & ſubſtantia, ſimiliter tres divinæ 10. perſonæ inter ſe non diſcernuntur re & ſubſtantia, ſed ratione tantum & cogitatione, eſſentia enim earum una eſt, ſed non eſt earum inter ſe reciprocatio: idcirco non poteſt cadere in eas alia oppoſitio, niſi eorum quæ ſunt ad aliquid, aliæ enim oppoſitiones non aſſumuntur ſine materia: oppoſitiones vero in iis quæ ſunt ad aliquid, quodam modo conſiſtunt ſupra materiam; quia in hac oppoſitione non dirimitur copulatio: quia eſſe eorum eſt quodam modo ſe habere ad aliquid.

Ex Scholiis S. Maximi.

„ Aliud 1. dicitur ſignificare in divinis *ſubſtantia*, & aliud *perſona*, quia licet unam & eandem rem ſubſtantia & perſona ſignificent, aliter tamen eam ſignificat ſubſtantia, & aliter perſona: & recte dicitur Græce ἄλλο καὶ ἄλλο, id eſt, aliud & aliud, ubi ſolum eſt alius & alius modus ſignificandi: ſicut ſemen & fructus unam rem ſignificant, granum ſcilicet frumenti, aliud tamen & aliud dicuntur ſignificare, non tanquam aliam & aliam rem, ſed quia aliter ſignificat illam unam rem ſemen, & aliter fructus: ſemen enim ita ſignificat granum frumenti, ut intelligamus contineri in eo ſeminaliter aliud ſimile; ſemen enim eſt, in quo eſt virtus ſeminalis ad producendum aliud ſimile, fructus autem non ſic ſignificat granum frumenti, ſed eſſe fructum alterius, ſive productum ab alio, ſic etiam ſubſtantia & perſona una res ſunt, & unam rem ſignificant: ſed aliter eam ſignificat perſona, ſcilicet ſingulariter; ſubſtantia vero communiter, quam enim rationem habet commune ad proprium, ait Baſilius, hanc habet ſubſtantia ad perſonam. (*Baſilius Epiſtola prima ad Cledonium.*) Hic igitur modus diverſus ſignificandi unam alioqui & eandem rem, vocatur ab Athanaſio aliud & aliud; non quia alia & alia res ſit, ſed quia una & eadem res alio & alio modo ſignificatur, poſſunt enim eſſe unius rei plura nomina, ut unum nomen plurium rerum, *communia 2. & univerſa prædicantur de ſuis ſubiectis*, commune igitur eſt ſubſtantia, ut ſpecies) Non hoc dicit Damaſcenus de ſubſtantia in divinis perſonis, quod ſecundum rem communis ſit, ſicut in creaturis ſpecies quæ dividitur per proprietates characteriſticas, quas vocant individuales, ita ut, ſicut paulo poſt hic dicit idem Damaſcenus, Petrus à Paulo re diſtinguatur, quia non eſt Petrus in Paulo: Petrus enim & Paulus unum ſunt non re, ſed ratione, & intelligentia, contra vero in divinis perſonis non ſecundum rem, ſed ſecundum modum ſignificandi invenitur aliqua ſimilitudo communis & particularis cum creaturis Obſervavit hoc in Damaſceno S. Thomas *præter 3. ingenitum, & nativitatem, & proceſſionem*) Non hoc dicit Damaſcenus, quaſi innaſcibilitas, quæ dicitur ἀγεννησία, conſtituat & diſtinguat perſonam patris, hoc enim fieri non poteſt, cum ingenitum nihil ponat, ſed neganter accipiatur, nec ingenitum accipit pro eo quod eſt increatum (ſic enim ſecundum ſubſtantiam dicitur, & ad ſubſtantiam pertinet) ſed ſic accipit Damaſcenus hic ingenitum, ut ſignificet id quod non eſt genitum, ut ad relationem pertineat, quatenus relatio geniti, quæ convenit filio, negatur patri; ut ſic pater ingenitus diſtinguatur à filio non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum relationem Obſervavit hoc & explicavit in Damaſceno idem S. Thom. 1.p. q.33. art.4. ad 3. Item nativitas, quæ eſt actus notionalis, ad relationem pertinet, quatenus ſignificatur, ſicut ait idem S. Thom. ut via ad perſonam filij proprietate perſonali, id eſt filiatione conſtitutam, *ſed cogitatione 4. diſtinctum*, ſcilicet à perſona) Ne quis aliter accipiat quod hic dicit Damaſcenus, hoc ipſum dicit S. Thom. 1.p. q.39. art. 1. Relatio enim, inquit, ad eſſentiam comparata non differt re, ſed ratione tantum, quatenus ſcilicet eſſentia quantum ad modum ſignificandi, ut ait idem S. Thom. ſignificatur ut forma trium perſonarum, & perſona, ut particulare: comparata autem ad oppoſitam relationem, habet virtute oppoſitionis realem

A diſtinctionem, & ſic, inquit, remanet una eſſentia, & tres perſonæ. Itaque diſtinctio rationis ſufficit, ut multiplicari poſſint perſonæ, quæ ſunt alioqui una eſſentia, & non multiplicetur eſſentia. Sic etiam Damaſcenus in hoc loco diſtinctionem cogitationis, ſive rationis poſuit inter eſſentiam divinam & perſonas, relicta diſtinctione reali inter relationes perſonales, quas nominaverat. *Confitentes 5. eandem naturam ſine ulla variatione, differentiam cauſa & ex cauſa proficiſcentis non negamus.*) Cauſam dicit, quæ univoce dicitur non enim in divinis perfectius eſt eſſe cauſam, quam eſſe ex cauſa, ſicut in creaturis, in quibus homonymum eſt, id eſt, æquivocum habere cauſam, quod convenit effectui; & eſſe cauſam, quod convenit efficienti tamquam perfectiori. In divinis cauſa eſt pater filij, ſed non cauſa effectrix, quæ à ſanctis Patribus dicitur [illegible], ſed cauſa ſolum quæ dicitur *αἴτιος*, aut *ἀρχή*,
B aut *αἴτιος ἀρχικὸς*, dictum eſt de his decad. 7. cap. 6. Dupliciter itaque dicitur apud Græcos *αἴτιος*, id eſt, qui eſt cauſa, *αἴτιος* [illegible], id eſt, cauſa effectrix, & *αἴτιος ἀρχικὸς*, id eſt, cauſa quæ principium eſt; ſicut accipiunt doctores Græci nomen cauſæ in divinis, quod S. Thom. recte intellexit, & in Græcis patribus probavit, ſic enim ſcripſit in opuſculo contra errores Græcorum cap. 1. Neque tamen intelligendum eſt, quod ſancti qui nomine cauſæ & cauſati utuntur in divinis perſonis, intendant diverſitatem naturæ inducere, aut filium eſſe creaturam; ſed per hoc volunt oſtendere ſolam originem perſonarum, hactenus S. Thom. Quod ergo ait Gregorius Nyſſenus, ex ſola differentia cauſæ & cauſati in divinis exiſtere diſtinctionem perſonarum, ſignificat, quia pater eſt principium filij per generationem ſcilicet, & pater ac filius principium ſpiritus ſancti per ſpirationem, idcirco patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum ſuis proprietatibus perſonalibus inter ſe realiter diſtingui. Et quod Anaſtaſius Antiochenus ait, hoc ſolum reſervari
C patri, ſcilicet patrem eſſe, quia ſolus pater ſit tamquam cauſa, perinde eſt ut ſi diceret, quia ſolus pater ſit tamquam principium filij. Apud Latinos vero uſitatum eſt pro vocabulo cauſæ uti nomine principij, rationes uſus huius verbi idem S. Thom. attulit: legat qui deſiderat, *quæcumque ſunt ablationis 6. ſecundum exuperentiam*) Sunt huiuſmodi nomina ſupra bonum, ſupra pulchrum, quæ tollunt in Deo bonitatem creatam, & pulchritudinem creatam, & tribuunt exuperantem, & ſuperlatam bonitatem, ſcilicet increatam, quæ vincit omnem cognitionem & intelligentiam, *diſcreta 7. ſunt nomen patris* ſupra ſubſtantiam, & res; Nomen patris ſupra ſubſtantiam dicit, quia in divinis non ſignificat nobis nomen patris, aut filij, quod in creaturis intelligimus, perſonas ſcilicet re & ſubſtantia ſeparatas. Rem vero patris vocat non ipſam ſubſtantiam, quæ una & eadem in tribus, ſed rem patris, & rem filij, & rem Spiritus ſancti vocat proprietates, quæ in divinis perſonis ordinem originis ſive principij inter eas deſignant, unde notionales proprietates, ſive actus dicuntur; quia ſunt proprie notiones, ſive deſignationes perſonarum; ut proprium patris eſt generare filium, propria eſt na-
D tivitas filij ex patre; & propria ſpiritus ſancti proceſſio ex uno principio, patre & filio, hæc dicuntur Græce *χρήματα γνωριστικά*, id eſt, res; ſive actus notionales; res enim quatenus pertinet ad relationem, numero plurium prædicatur in divinis S. Thom. 1. p. q. 39. art. 2. ad. 3. In his igitur non eſt reciprocatio, neque communitas, nec in ipſis nominibus patris, & filij, & ſpiritus ſancti, nec in eorum rebus, id eſt, in eorum actibus, ſive uſibus, unde manant: nec enim nomen patris convenit filio; neque filij nomen convenit patri; quia neque generare filij eſt, neque generari patris, ſimiliter in ſpiritu ſancto qui ab utroque procedit: Eſt præterea obſervatione dignum quod hic ait Dioniſius, diſcreta eſſe in divinis nomen patris, & *χρῆμα*, id eſt, rem; & nomen filij, & rem; item nomen ſpiritus ſancti, & rem; cum enim prius poſuit

E nomen patris, & nomen filij, & nomen ſpiritus ſancti, & poſtea ſecundo loco poſuit *χρῆμα*, id eſt, rem patris, quæ eſt generare: & rem filij, quæ eſt generari; & rem ſpiritus ſancti, quæ eſt procedere: plane docuit id quod S. Thom. etiam tradit, prius & principalius ſecundum modum intelligendi diſtingui hypoſtaſes divinas per relationes, quam per origines, ſive actus notionales, quos Dionyſius ſignificavit nomine *χρήματος*. Interpres vetus Dionyſij, quem ſanctus Thomas habuit, vertit *χρῆμα* uſum; S. Thom. uſum mutavit in actum & originem, diſtinguuntur, inquam, prius, & principalius per relationes, quam per notionales origines; quia relationes conſtituunt perſonas, cum ſint ipſæ relationes perſonæ ſubſiſtentes: actus vero notionales, licet ſint idem re cum relationibus, tamen ſecundum modum ſignificandi & intelligendi non conſtituunt perſonas, cum ſint origines
F earum, ſive origo ſignificetur active, ut generatio quæ tamquam actus notionalis attribuitur patri; & ſpiratio quæ attribuitur patri & filio; ſive paſſive, ut nativitas actus notionalis qui attribuitur filio, & proceſſio ſpiritui ſancto, origines enim ſecundum rationem intelligendi extra ea ſunt, quorum ſunt origines, cum ſit origo, ſicut ait S. Thom. via quædam à re, aut ad rem, ut generatio ſignificatur ut via quædam ad genitum procedens à generante. Itaque res patris eſt generare (*χρῆμα* enim ut dixi, rem ſignificat) res filij eſt genitum eſſe; res ſpiritus ſancti procedere, ſic Gregorius in oratione prima de filio: Ex non habente, inquit, cauſam, id eſt, ex patre accedit res nativitatis, de filio loquitur, *πρᾶγμα γεννήσεως* vocavit, quod Dionyſius *χρῆμα*, ſignificat etiam *πρᾶγμα* actum à verbo *πράττω*, unde recte Theologi Latini actum vocant, quod Græci rem, idem enim verbum *πρᾶγμα* utrumque ſignificat. Hoc notavi, quia non parum refert vocabula propria alicuius ſcientiæ callere, *perfecta 8. ſicut in nobis*, & immutabilis Ieſu eſſentia) Perfectam dicit contra Apollinarium, quia habuit corpus præditum anima rationali, & intelligente, ſicut nos habe-
G mus: immutabilem contra alios hæreticos, qui dixerunt naturam humanam ab ipſo principio unionis victam eſſe à divina, & factam incorruptibilem, quod erat negare veritatem humanæ naturæ, negando proprietatem eius, hic fuit Iulianus Alicarnaſſæus, *myſteria 9. ſubſtantialia humanitatis eius*) Subſtantialia dicit, quia ſitire, eſurire, defatigari, vulnerari, & reliqua eiuſmodi vere paſſus eſt Chriſtus, & non phantaſtice ſecundum hæreticos, quamvis hæ paſſiones naturam divinam non attigerunt, cum eſſet alioqui in eadem hypoſtaſi, à qua non differebat niſi ratione tantum & cogitatione, huiuſmodi etiam ſunt ambulare ſuper undas, ingredi per ianuam clauſam ad diſcipulos: hæc enim miracula per carnem operatus eſt Chriſtus Mat. 1
ſua divinitate, ſimiliter tres *divinæ 10. perſonæ inter ſe non diſtinguuntur re, & ſubſtantia, ſed ratione tantum, & cogitatione*) quatenus ſcilicet tres divinæ perſonæ idem re & ſubſtantia ſunt, ſic enim non diſtinguuntur inter ſe niſi ratione tantum, & cogitatione, idem affirmat S. Thom. 1. p. q. 39. art. 1. ad. 1. cum dicit, Relationes ipſæ non diſtinguuntur ad invicem ſecun-
H dum quod ſunt idem realiter cum eſſentia, relationes autem idem ſunt re cum perſonis. Quatenus vero relationes, quæ in divinis ſunt per ſe ſubſiſtentes, oppoſitionem habent ad invicem, diſtinctæ realiter ſunt, & perſonas realiter diſtinguunt, & una perſona non eſt alia, hoc enim eſt quod ait hic auctor cum doctrina S. Thomæ conſentiens, ſed earum ſcilicet perſonarum non eſt inter ſe reciprocatio, quatenus ſcilicet in eas cadit oppoſitio relationum.

Ioan. 1

A

CAPVT V.

Quod in Trinitate ingenitum neque ſubſtantiá eſt neque proprietas perſonæ Dei patris; nec in ipſa eſt aliud principium fons totius divinitatis, niſi ſolus pater: nec vlla alia naturalis, & propria ſubſtantiæ poteſtas, ſive virtus, & divinitas, atque energia, ſive operatio ex infinita ac divina ſubſtantia prodiens, niſi ſolus filius, & ſpiritus ſanctus.

MAgnus Baſilius in ſecundo contra Eunomium: Interrogemus, inquit, Eunomium, quanta menſura ingenitum à genito diſcretum eſt, numquid parua quadam, & tanta, vt poſſint aliquando in idipſum inter ſe cohærere? [B] an hoc funditus fieri non poteſt, & multo minus, quam eundem ſimul vivere, & mortuum eſſe: & eundem ſimul in eadem parte ſanum eſſe, & ægrotare; & vigilare ſimul, & dormire? Talia enim ſunt, quæcumque ſumma oppoſitione ſibi inter ſe oppoſita ſunt, vt alterum cum adſit, neceſſe ſit alterum abeſſe, quæ natura ſunt omnino repugnantia, & incohærentia. Et in quarto libro contra eundem: Ingenitum, inquit, vel ſubſtantia eſt, vel accidens: nihil enim aliud reſtat præter hæc, qui igitur in vtroque abſurdum demonſtrauit in iis que deinceps ſequuntur, rurſus in ſecundo dixit, prorſus reticeri in Trinitate ingenitum propter Arianorum imperitiam. Cum his conſonant quæ Gregorius Nyſſenus dixit. Gregorius Theologus libro primo de filio: Quomodo ſubſtantiam Dei dicis non poſitionem eius quod eſt, ſed ablationem eius quod non eſt? Verbum enim declarat non eſſe ei generationem: non autem quod ſecundum naturam eſt, demonſtrat, neque quod eſt, non [C] habens generationem. Quæ igitur ſubſtantia Dei? Amentiæ tuæ eſt hoc dicere, qui curioſe etiam inquiris generationem, nobis vero magnum eſt, ſi quando tandem & in poſterum diſcamus diſſoluta caligine & [Tit. 1.] craſſitudine, ſicut promiſit qui mentiri non poteſt. Hoc igitur intelligatur & ſperetur ab iis qui ad hoc erunt purgati: nos vero hoc parum dicere audeamus, quod ſi magna gloria eſt patri ex nullo prodire, non minor eſt filio proficiſci ex tali patre, gloriam enim eius qui cauſam non habet, participauerit; quia ex non habente cauſam ineſt ei ipſa res nativitatis tanta, & tam veneranda iis qui non habent mentem magnopere humi repentem, & terrenis rebus immerſam. Sed ſi, inquit, idem ſubſtantia eſt filius cum patre, ingenitus vero eſt pater, erit igitur hoc & filius. Recte, ſi ingenitum eſſet ſubſtantia Dei, ſin autem differentia eſt circa ſubſtantiam, quid hoc dicis tamquam aliquid valeat? An tu etiam es pater patris, ne quid deſit quod pater habeat, quandoquidem idem es cum illo ſecundum † ſubſtantiam? An potius liquet, quod manente proprietate immota, quæremus ſubſtantiam Dei, quæ tandem eſt, ſi tamen quæremus, quod verò non ſint idem ingenitum, & Deus, ſic diſces. Si idem [D] eſſet, oportebat vt quia Deus, aliquorum Deus eſt, ingenitum etiam aliquorum eſſet ingenitum: aut quia nullius eſt ingenitum, neque Deum eſſe aliquorum Deum, quæ enim omnino ſunt eadem, eodem etiam modo efferuntur, atqui non eſt aliquorum ingenitum (quorum enim eſt?) Deus vero aliquorum Deus eſt, id enim omnium, quomodo igitur erit idem Deus, & ingenitum? Et rurſus, Quia, inquit, ingenitum, & genitum contraria ſunt inter ſe; vt habitus, & privationes, neceſſe eſt, vt ſubſtantiæ introducantur inter ſe contrariæ; quod quidem non conceditur, aut quia rurſus, priores ſunt habitus, quam privationes; & habitus tollunt ipſæ privationes, non ſolum antiquiorem eſſe ſubſtantia patris ſubſtantiam filij, ſed etiam à

† Subſtantiam dicit, id eſt, naturam.

[E] ſubſtantia patris tolli neceſſe eſt, quantum ex iis quæ a te poſita ſunt, concludere licet. Et iterum idem in oratione de conſtitutione Epiſcoporum: ſine principio, inquit, erat pater: non enim aliunde habebat vt eſſet; nec à ſe ipſo: filius vero (ſiquidem patrem 1. vt cauſam accipis) non eſt ſine principio; principium quippe filij pater eſt vt cauſa, ſin autem principium intelligas ex tempore; ſine principio eſt, non enim incipit ſub tempore Dominus temporum. Et adhuc in eodem libro: Obſervetur autem, vt mea ſententia eſt, vnus Deus, ad vnum cauſam filio & ſpiritu ſancto relatis, non compoſitis, vel adglutinatis, & ſecundum vnum & eundem, vt ita dicam, motum & voluntatem, & vnam & eandem ſubſtantiam. Et rurſus in eodem: Paruorum, inquit, & indignorum eſſet principium pater, ſi non eſſet cauſa vt divinitas eſſet in filio & ſpiritu ſancto. Magnus Dionyſius in ſecundo de divinis nominibus. Eſt autem, in- [F] quit, diſtinctio in divinis, quæ ſunt ſupra ſubſtantiam, non illa ſolum quam dixi, quod ſecundum ipſam copulationem perſonarum in vnum, ſine mixtione & confuſione vnaquæque ex perſonis quæ ſunt ὑπαρχικαὶ, id eſt, vnum & principium omnium, collocata eſt in alia, ſed quod illa quæ ſunt fœcunditatis Dei, non commeant retro viciſſim, ſolus autem fons divinitas pater eſt, ita vt pater non ſit filius, neque filius pater; ſervatis pie in hymnis & laudibus divinis iis quæ cuique perſonæ divinæ proprie conveniunt. Magnus Athanaſius libro primo contra Arianos: Si non eſt filius, inquit, quomodo igitur Deum dicitis creatorem? [Pſ. 103.] Si enim per verbum, & in ſapientia omnia facta ſunt, & ſine hoc nihil fieri poteſt, [Ioan. 1.] non habet pater opinione veſtra, in quo & per quem omnia facit. Si hæc divina ſubſtantia non eſt fœcunda, ſed ſterilis opinione ipſorum, ſicut lumen non illuminans, & fons ſiccus; quomodo non pudet vos dicere habere eum vim creandi? Et adhuc idem: Participantes, inquit, filium, patrem participamus; quia proprium patris eſt verbum, vnde ſi eſſet ipſe pater ex [G] participatione, & non ex ipſo divinitas ſecundum ſubſtantiam; numquam Deos faceret. Divinus Cyrillus in Theſauris cap. 33. Eiuſdem igitur naturæ cum patre filius ex ingenito non factus, vtpote habens eandem poteſtatem & virtutem: immo potius ipſe eſt vivens, & ſubſtantialis operatio, & virtus, & ſapientia patris. Et rurſus adhuc idem: Qui eſt igitur omnis operatio & virtus patris, per quam omnia operatur, quomodo eſſet naturæ factæ? Et iterum in capitibus de ſpiritu ſancto: Non eſt, inquit, ſpiritus ſanctus creatus, aut factus; ſed ex ſubſtantia, quæ maior eſt quam vt cogitari poſſit, & divina, vtpote virtus ipſius, & naturalis energia. [Rom. 15.] Et rurſus in eiſdem: Non enim audebo dicere, quæ non operatus eſt Chriſtus per me in obedientiam gentium ſermone & opere in poteſtate ſignorum & prodigiorum in virtute ſpiritus ſancti. Signa & prodigia operatur Chriſtus per Paulum in virtute ſpiritus ſancti, eſt igitur ſpiritus ſanctus energia 2. quædam naturalis, & vivens, & vt ita dicam, qualitas 3. divinitatis filij Dei. Et iterum in eiſdem: Sanctus enim nominatur ſpiritus ſanctus: ſi igitur eſt natura ſanctus, non habet foris, vnde talis ſit: [H] quinimmo cum ſit ipſe divinæ ſubſtantiæ energia, ſive actus naturalis, & vivens, ac per ſe exiſtens, apponit creaturæ perfectionem per ipſius ſanctificationem, & participationem. Et adhuc: Cum igitur quod Deus promiſit ſe facturum, cum poteſtate impleat ſpiritus, & paſtores excitet ſecundum promiſſionem in prophetis factam, ſequitur non eſſe alienum à divina ſubſtantia, & per ſe exiſtens ex ipſa ſubſtantia prodiens, & in ipſa manens, omnia quæ Dei ſunt, operatur. Et adhuc: Oportebat eos doceri de ſpiritus ſancti myſterio, & intelligere eſſe ſpiritum ſanctum velut fructum 4. quendam divinæ ſubſtantiæ, qui in ipſa exiſtit, & ex ipſa inſeparabiliter & impartibiliter procedit, & ſecundum eandem naturam in unum

A copulatus eſt. Et adhuc in eiſdem : Si à Deo patre procedit ſpiritus ſanctus, eſtque veluti fructus quidam, vel qualitas ſubſtantiæ ipſius, pater vero neque factus, neque creatus, quomodo eſſet factus ſpiritus, qui ab ipſo procedit? Et iterum : Nemo poteſt dicere, † Dominus Ieſus Chriſtus, niſi in ſpiritu ſancto. Liquet igitur, quod qui ſpiritum ſanctum participat, novit Dominum Ieſum : qui autem non participat, ignorat, Quomodo igitur qui particeps ſpiritus ſancti eſt, novit quod Dominus Ieſus? Sicut qui mel deguſtarunt, ex qualitate eius cognoverunt mel eſſe dulce : ſic qui particeps ſpiritus ſancti eſt. Igitur ſpiritus ſanctus qui eſt ex ſubſtantia filij, qualitas, ut ita loquar, exiſtit Dei univerſorum domini. Si autem hoc verum eſt, eſt igitur Deus, & non aliquid factum, aut creatum, ut hæreticis videtur. Et adhuc : Non igitur ſpiritus ſanctus ex participatione, nec ex compoſitione ſanctus eſt, ſed eſt ſubſtantia & natura ſanctificans, & divinitatis Dei patris, ut ita dicam, qualitas;

1. Cor. 12. † Dicere, Dominus Ieſus, eſt noſſe Dominũ Ieſum, nemo enim dicit, aut appellat, quem nõ novit.

B ut dulcedo 5. mellis, vel odor ex flore. Et magnus Athanaſius in epiſtola ad Serapionem : Sic, inquit, & ſpiritus ſanctus qui à filio datur & mittitur, & eſt ipſe unum, & non multa, nec ex multis unum, ſed ipſe ſolum ſpiritus. Cum enim unus ſit filius : qui eſt verbum vivens, oportet eſſe unam vitam perfectam, & implentem, ſanctificantem, & illuminantem, quæ eſt energia ipſius & donum, quod quidem ex patre dicitur procedere. Et adhuc : Quomodo non ultra omnem impietatem quidam procedunt, qui ſpiritum ſanctum inter creaturas ponunt : & non potius confitentur ex divina natura exiſtere quod ex ipſa ſecundum ſubſtantiam procedit, & tamquam Deum in nobis habitare? Gregorius Nyſſenus in catechetico : Eſſe, inquit, verbum Dei, & Dei ſpiritum, virtutes ſecundum ſubſtantiam per ſe exiſtentes effectrices eorum quæ facta ſunt, & continentes ea quæ ſunt, ex divinis ſcripturis demonſtratur. Verbo enim Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Ex his patet, primum quidem, ingenitum in

Pſal.

C Trinitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, neque ſubſtantiam eſſe, neque proprietatem hypoſtaticam Dei patris, hypoſtatica enim hypoſtaſim, ſive perſonam exhibent, perſonam autem definiunt commune cum quadam proprietate : vel, ſubſtantiam cum accidente. Si autem ingenitum neque ſubſtantia eſt, nec accidens, nullam perſonam exhibet, ſive oſtendit, & idcirco neque proprietas hypoſtatica eſt : notio tamen eſt patris non habentis cauſam, quod ipſe ſolus eſt pater cauſam non habens. Secundum eſt tamquam ex hoc probatum, ſcilicet non eſſe in ipſa Trinitate alium quendam fontem divinitatis, niſi ipſum ſolum, qui eſt pater totius divinitatis, cauſam non habens : nec aliam quandam naturalem & ſubſtantialem energiam ex divina ſubſtantia incomprehenſa prodeuntem, niſi filium ſupra ſubſtantiam, & ſpiritum ſanctum naturales & ſubſtantiales energias, ſive actus Dei cauſam non habentis, tamquam qualitates & fructus ſubſtantiæ ipſius.. Atque ad hunc modum vere conſtituta & declarata

D nobis eſt divina, & ſupra naturam beatitudo trium perſonarum nulla re indigens, & per ſe pleniſſima.

Ex Scholiis S. Maximi.

„ Siquidem *patrem* 1. ut cauſam accipis (filij ſcilicet) non eſt ſine principio (filius ſcilicet) principium quippe filij pater eſt ut cauſa.) Notatum eſt paulo ſupra à S. Thoma, nomine cauſæ ſolam originem perſonarum Sanctos patres ſignificare voluiſſe, itaque cum ait Gregorius Nazian. Principium quippe filij pater eſt ut cauſa : perinde eſt ut ſi diceret, Principium filij eſt pater ut origo. Quia 2. in Deo *energia* propria non diſtinguitur à natura, ſicut in creatura diſtinguitur, idcirco cum Cyrillus dicit, Spiritus ſanctus eſt energia quædam naturalis, & vivens, & ut ita dicam, qualitas divinitatis filij Dei; hoc dicit, Spiritus ſanctus qui eſt natura ſive ſubſtantia, procedit ex filio, qui eſt ſubſtantia, ſive eſſentia. Ad hunc modum S. Thomas interpretatur, & docet interpretandas eſſe huiuſmodi locutiones, in opuſculo contra errores Græcorum, c.4. Eſſentia eſt de eſſentia, quia filius, qui eſt eſſentia, eſt de patre, qui eſt eadem eſſentia divina. Quia *qualitas* 3. formam ſignificat, quæ tamquam accidens in alio exiſtit, quod ab ea quale nominatur, idcirco vocabulum correxit Cyrillus, cum dixit, Vt ita dicam, ut admoneret ſpiritum ſanctum non qualitatem, ſed veram & perfectam ſubſtantiam eſſe. Cur autem qualitatem ſymbolice vocaverit, intelligi poteſt ex eo quod paulo poſt ait : Sicut qui mel, inquit, deguſtarunt, ex qualitate eius cognoverunt mel eſſe dulce; ſic, inquit, qui particeps ſpiritus ſancti eſt, novit Dominum Ieſum, ſicut ſcriptum eſt : Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto. Vt igitur ex dulcedine qualitate ſubſtantiali mellis cognoſcitur mel, ſic qui cognovit virtutem ſpiritus ſancti viventem, & per ſe exiſtentem, quæ eſt ipſa divina ſubſtantia, novit & filium & patrem, quia ſunt unum. Quod autem ſpiritum ſanctum dicit eſſe naturalem energiam, ſive virtutem, non dicitur naturalis à natura creata, ſed à natura increata; eſt enim ſpiritus ſanctus re natura ipſa divina. Rurſus, cum dicit eſſe energiam, ſive virtutem viventem, & per ſe exiſtentem, veluti qualitatem, ut ita dicam, divinitatis filij Dei; ita dicit, quia ut ait idem Cyrillus lib. 14. Theſauri ex divina eſſentia filij (qui ſcilicet ſpirat ſpiritum ſanctum) tamquam virtus eius naturaliter emanat, velut *fructum* 4. *quendam* divinæ ſubſtantiæ, qui in ipſa exiſtit, & ex ipſa inſeparabiliter & impartibiliter procedit.) Dicit ſpiritum ſanctum procedere ex ſubſtantia divina; quia pater & filius, à quibus procedit, ſunt divina ſubſtantia, ſive eſſentia divina. Etſi enim perſonis divinis attribuitur ſpirare, more tamen Græcorum patrum ſubſtantia ſive eſſentia divina pro perſona dici ſolet, quia ſunt idem re : hoc etiam notavit S. Thomas in eodem Cyrillo, in opuſculo contra errores Græcorum, cap. 4. & 17. *ut dulcedo* 5. *mellis*, vel odor ex flore) His ſymbolis utitur Cyrillus ad demonſtrandum ex ſubſtantia patris, id eſt, ex patre ſubſtantialiter procedere ſpiritum ſanctum, ſicut dulcedo ex melle, & odor ex flore, & vapor ex aqua, quo exemplo idem Cyrillus cap. 7. utitur, ſic enim ait : Relinquitur igitur ut neceſſario confitendum ſit, eſſe ex ſubſtantia eius, cum omnem filij Dei virtutem & operationem, habeat, ut ſi vapor ex aqua aſcendat, & per ea quæ operatur, eos apud quos eſt, refrigeret, & naturam aquæ unde emittitur, ſignificet, hactenus Cyrillus, ſic itaque vocavit hic ſpiritum ſanctum, qualitatem divinitatis ſymbolice, adhibita correctione verbi, ut ſi vocaſſet vaporem ſubſtantiæ divinæ, ſimili exemplo & ſymbolo utens.

CAPVT VI.

Quod in Trinitate non eſt alia operatio, & manus, per quam omnia Deus operatur, niſi filius & ſpiritus ſanctus; nec alia ſapientia, & virtus, & gloria, & imago Dei, niſi filius & ſpiritus.

MAgnus Athanaſius libro quinto contra Arianos Sicut, inquit, Deus pater creaturas verbo creat ſic ſecundum naturam propriæ ſubſtantiæ habet germen verbum, per quod fabricatur, & creat, & guberna omnia, omnia enim verbo, & ſapientia facta ſunt; & ordinatione eius manent univerſa. Et in epiſt. ad Serapionem : Paulus, inquit, ſcribit Tito : Per regenerationem & renovationem ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum. Si autem pater pe

verbu

A verbum in ſpiritu ſancto creat omnia & renovat; quæ
ſimilitudo, aut affinitas creanti cum creaturis? Conſe-
quens enim eſt, ut huiuſmodi blaſphemia in filium
etiam manet, ut qui dicunt ſpiritum ſanctum eſſe crea-
turam, dicant ſimiliter, verbum, per quod omnia crean-
tur, creaturam eſſe. Et rurſus idem in diſputatione
contra Arium: Fac velis recolligere conquiſitionem de
filio, quæ nos comitata eſt, & reperies æternam ſpiri-
tus ſancti virtutem eiuſdem ſubſtantiæ cum patre di-
ctam eſſe ex digito eius. Sane quidem cum virtutem
Exod.8. ſpiritus ſancti inexpugnabilem Magi in Ægypto con-
templari clamabant, aientes: Digitus Dei eſt hoc; ni-
hil aliud confitebantur vocabulo digiti, quam virtu-
tem, ſive poteſtatē ſpiritus ſancti homouſion, id eſt eiuſ-
dem ſubſtantiæ, quam habet cum Deo patre; cui voca-
bulo digiti non poteſt contradici, neque repugnari.
Et S. Cyril. lib. 15. Theſaurorum: Si omnia, inquit,
B in ſapientia, & manu Dei facta ſunt, ſcripturæ vero
divinæ de Deo verbo clamant: Omnia per ipſum facta
Ioan.1. ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, non poteſt eſſe opus
ſapientiæ Dei filius; ſed potius ipſe eſt ſapientia, &
manus, qua cuncta Deus operatur. Et adhuc idem lib.
14. eorundem Theſaurorum: Quia, inquit, ſimplex eſt
Deus, nihil aliud præter ipſum eſt fortitudo, quæ in
ipſo eſt; ſed potius ipſe ſcilicet eſt filius, qui unam cum
patre ſubſtantiam, & eandem naturam habet; ut qui ſit
Ioan.10 unum cū eo qui genuit, ſi & Deus ex Deo, & lumen ex
lumine ſplenduit, filius, & non pater intellectus. Igitur
omnis energia & virtus patris, per quam omnia opera-
tur, quomodo eſſet naturæ creatæ? Idem in capitibus
de ſpiritu ſancto: Ait in quodam loco Chriſtus diſpu-
Luc.11. tans cum Iudæis: Si autem in digito Dei eiicio dæmo-
nia, igitur pervenit in vos regnum Dei, hoc loco digi-
tum demonſtrat eſſe ſpiritum ſanctum, qui modo quo-
dam ex divina ſubſtancia naturaliter productus eſt, &
Pſ.97. naturaliter ex ea pendet, ſicut digitus ex manu homi-
Eſa.16. nis: Filium enim appellant divinæ ſcripturæ brachium
Ier.70. & dexteram Dei, ſicut ſcriptum eſt: Salvavit eum dex-
tera eius, & brachium ſanctum eius, & illud: Domine
C excelſum brachium tuum, & non cognoverunt, cogno-
ſcentes autem confundantur. Sicut igitur brachium
naturaliter ad totum corpus aptatum eſt, omnia operans
quæcumque menti videantur; ſolet vero ungere digi-
to apud eum, qui brachio utitur: ſic verbum Dei ex
ipſo, & in ipſo naturaliter aptatum, ut ita dicam, &
inſitum conſideramus: in filio autem conſideramus
ſpiritum naturaliter & ſubſtantialiter à patre proce-
dentem, per quem omnia ungens ſanctificat. Non
igitur ſpiritus ſanctus à divina ſubſtantia alienus &
diſiunctus videtur, quin potius ex ipſa, & in ipſa na-
turaliter. Sicut igitur digitus corporis in manu, eiuſ-
dem naturæ manus eſt: ſic rurſus & manus in corpore,
non eſt alterius naturæ, quam corporis. Hæc igitur
cum ſic ſint, ſequitur Deum eſſe ſpiritum: & non ali-
Hier.23. ter eſſe. Adhuc idem in eiſdem: Ait in quodam loco
Deus: Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus;
implet ſcilicet ubique præſens per ſpiritum, quod qui-
Pſ.138. dem cum ſciret qui Pſalmos cecinit, aiebat: Quo ibo
à ſpiritu tuo? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi de-
D ſcendero in infernum, ades. Si igitur per ſpiritum
implet omnia Deus, adeſt autem ubique: Deus igitur
eſt ſpiritus, omnia implens ut Deus. Et in eiſdem: Non
ergo eſt factus ſpiritus, in quo Deus, & per quem om-
nia operatur; & propter hoc honoratur. Magnus Atha-
Rom.1. naſius, lib. 2. contra Arianos: Apoſtolus, inquit, gentiles
ad reverentiam erga Deum excitans aiebat: Inviſibilia:
enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, in-
tellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius,
& divinitas, quæ autem ſit Dei virtus, idem Paulus do-
cet, cum ait: Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia. Et
1.Cor.1. adhuc in eodem libro: Audiant & de ſapientia: quia
Num.23. non eſt, ut homo, Deus, ne humana cogitent. Et in hoc
libro, de ipſo: Etenim cum homines facti ſint apti ad
percipiendam ſapientiam, Deus nullius alioqui parti-
ceps, ipſe ſuæ ſapientiæ pater eſt, cuius qui ſunt parti-
cipes, ſapientes appellari conſueverunt. Præterea con- E
tra eoſdem Arianos: Si ergo, inquit, in divinis ſcrip-
turis non reperitur alia ſapientia præter hunc filium,
nec ex patribus quidquam tale audivimus, eſt autem *Prov.8.*
certum, & ſcriptum, increatè ſapientiam ſimul exiſtere
cum patre, & per ſe mundi opificem eſſe; ipſe fuerit fi-
lius. Et adhuc idem in eodem: Sane, inquit, his duobus
dictis inter ſe contrariis, iuſte quis dicat, vincere pro-
prietatem unigeniti, quia non ſit aliud verbum, vel
alia ſapientia, niſi hic ſolus. Et rurſus in eodem: Dece-
bat enim, unius Dei unam eſſe imaginem, & unum hu-
ius verbum, & unam ipſius ſapientiam: quare miror,
quomodo cum ſit unus Deus, multas iſti imagines &
ſapientias ſecundum ſuas cogitationes excogitant. San-
ctus Cyrillus in Theſauris: Si factus eſt, inquit, filius, *1.Cor.1.*
vocatur autem & eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, erat
igitur tempus, in quo erat Deus ſine ſapientia, & ſine
virtute, cum non eſſet filius, creatura enim plane ex
nihilo fit: at ſapiens erat ſemper & potens Deus; erat F
igitur ei filius, qui eſt omnia hæc. Et adhuc ipſe: Con-
fiteris, inquit, licet invitus hæretice, ſapientiam Dei
naturaliter inſitam, & virtutem exiſtere in ipſo increa-
te. Cum igitur audies filium, dic etiam rurſus duo in-
creata: hanc vero ipſam in Deo ſapientiam & virtu-
tem increate & ſine tempore exiſtentem credimus eſſe
filium, qui omnia creavit, & propter nos factus eſt ca-
ro. Et adhuc ipſe in ſeptimo ad Hermiam libro diſpu-
tans more dialogi: Cyr. In quo ſunt ſapientes, qui ſa-
pientes fiunt? Herm. In ſapientia. Cyr. Igitur ſi ſpiritus
ſapientiam docet ea quæ ſunt apta ad capiendum ſa-
pientiam, omnino ſapientia erit, & intelligetur, hunc
autem diximus eſſe Deum. Et adhuc in iis quæ de ſpi-
ritu ſancto ſcripſit: Libenter igitur magis gloriabor *2.Cor.12*
in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chri-
ſti, ſi autem ſpiritus eſt qui habitat in nobis, & per
ipſum Chriſtus: virtus igitur eſt eius ſpiritus ſanctus,
ſi autem hoc ſic eſt; quomodo erit creatura, qui na-
tura adeſt in filio? Niſi tempus eſt, ut Deum ver-
bum, qui nihil duplex habet, compoſitum eſſe di- G
cas ex creato, & ſua natura, quod ſi hoc abſurdum eſt;
non eſt ſpiritus creatus, aut factus, ſed ex divina &
quæ intelligentia comprehendi non poteſt, ſubſtantia,
tamquam ipſius virtus & energia naturalis. Et magnus
Athanaſius in epiſtola ad Serapionem: Et rurſus quia
filius eſt ſapientia, & veritas, ſcriptum eſt: Spiritus
ſapientiæ, & veritatis; & rurſus, filius quidem eſt vir-
tus Dei, & Dominus gloriæ; ſpiritus autem dicitur ſpi-
ritus virtutis, & ſpiritus gloriæ. Et rurſum: Deinde *Rom.16.*
cum pater ſit, ut Paulus dixit, ſolus ſapiens Deus,
filius eſt ſapientia eius, Chriſtus enim Dei virtus, & *1.Cor.1.*
Dei ſapientia, & cum filius ſit Dei ſapientia, acci-
pientes nos ſpiritum ſapientiæ, filium habemus; & in
ipſo ſapientes efficimur. Et rurſus idem contra eos qui
ſerviunt verbis: Gloria enim, inquit, dicitur unige-
nitus: Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unige- *Ioan.1.*
niti à patre, quare illud, Deus Domini noſtri Ieſu *Ephes.1.*
Chriſti: per inde eſt, ut ſi dicatur: Deus carnis Chri-
ſti, pater gloriæ, i. pater divinitatis. Gloriam enim
vocat Eſaias ſalvatorem ſecundum dignitatem divini- *Eſa.35.*
tatis, cum enim narraſſet miracula, quæ in deſerto fa-
cta ſunt, & evangelizaſſet deſerto, Exultet, inquit, H
ſolitudo Iordani, & floreat tamquam lilium; quo-
niam gloria Libani data eſt ei, & honor Carmeli: & *Luc.3.*
populus meus videbit gloriam Domini, & altitudi-
nem Dei: & videbit omnis caro ſalutare Dei. Glo-
ria igitur eſt à gloria, unde & Paulus ait: Qui cum
ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ. Pater ergo *Heb.1.*
eſt gloriæ unigeniti: Deus autem carnis Chriſti. Ad-
huc contra ſervientes verbis, & non nominibus di- *Ephes.1.*
vinarum ſcripturarum: Apoſtolus dicit: Deus Domi-
ni noſtri Ieſu Chriſti, & pater gloriæ, hic œcono-
miam, id eſt, myſterium carnis aſſumptæ deſignavit;
& gloriam quidem vocat ipſum unigenitum; Ieſum
Chriſtum vero prædicationem œconomiæ. Item li-
bro tertio contra Arianos: Si enim ad imaginem facti

ſumus,

A ſumus , & imago & gloria Dei vocati ſumus , at non propter nos ipſos , ſed propter imaginem , quæ in nobis habitat , & propter veram gloriam Dei , quæ eſt verbum Dei. Et iterum in eodem : Quia igitur & filius imago eſt patris , neceſſe eſt intelligere , quod divinitas 2. & proprietas patris eſt eſſentia filij , & *Philip 2.* hoc eſt illud : Qui cum in forma Dei eſſet : & illud: *Ioan. 14.* Pater in me ; non forma divinitatis ex parte , ſed plenitudo paternitatis Dei , quæ eſt eſſencia filij. *εἶδος* Et adhuc in eodem : Quæ operatur filius,opera patris ſunt: forma 3. enim divinitatis patris eſt filius , qui operatur opera. *Rom. 8.* Et in epiſtola ad Serapionem : Imago 4. filij dicitur & eſt ſpiritus ſanctus , quos enim præſcivit & prædeſtinavit conformes imagini filij ſui. Cum igitur certum ſit illorum etiam ſententia filium non eſſe creaturam , nec imago eius erit creatura. Qualis enim imago eſt, tale neceſſe eſt eſſe id,cuius imago eſt. Et adhuc in eadem epiſtola : Si autem creaturæ talem habent naturam , & talia ſcripta ſunt de angelis, B ſpiritus autem unus eſt , & non variabilis , & habens immutabilitatem filij , manens ſemper immutabilis cum eo ; quæ ſimilitudo immutabilis cum mutabilibus? Liquet igitur neque creaturam eſſe , ac prorſus neque ex ſubſtancia angelorum , quia ſunt mutabiles ; ſed *1.Cor. 15.* imaginem verbi , & proprium patris S. Cyrillus in iis quæ de ſpiritu ſancto ſcripſit , ait : Scribit rurſus Paulus quibuſdam : Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis , terrenum eſſe dicimus Adam principem generis humani ; cuius imaginem portavimus in ſimilitudinem transgreſſionis eius, delapſi in mortem & corruptionem : cœleſtem vero dicimus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum , cuius imagine accepta , id eſt , inhabitante in nobis ſancto *Ioan 6.* & vivifico ſpiritu , ad ipſum Dei verbum vivens reformamur , rurſus ad immortalitatem aſcendentes , & in æternam vitam renovati. Spiritus enim eſt qui vivificat , ut Salvator dixit. Sicut ergo , quia filius eſt perfectiſſima patris imago , & qui eum accepit , patrem habet ; ſic convenientia & ſimilitudine æqualis C figuræ , qui accepit imaginem filij , id eſt , ſpiritum, per ipſum ſpiritum habet penitus filium , & in ipſo filio patrem. Quomodo igitur ſpiritus ſanctus creaturis annumerabitur ; ſiquidem eſt imago filij Dei ſine ulla varietate , non enim eo amentiæ ulli procedent , ut audeant dicere imaginem creatoris in creaturis ſine ulla variatione nitere , ferreque omnia in ſe ipſa naturaliter , quæcumque illud , cuius eſt imago , habet. Si vero ſpiritus imago Dei vocatur , eſt igitur Deus; *Rom 8.* & non aliter eſt hoc. Gregorius Nyſſenus in oratione ad pulcheriam : Si quis , inquit , ſpiritum Chriſti non habet , hic non eſt eius : ſpiritus autem gloria eſt, *Ioan. 17.* ſicut alibi dicit patri : Glorifica me gloria , quam habui à principio apud te , antequam mundus eſſet. Deus enim verbum , qui ante mundum gloriam patris habebat , quia extremis diebus factus eſt homo , oportebat ut caro propter unionem cum verbo , illud fieret quod verbum eſt , ſit autem hoc , quia illud accepit, quod habebat ante mundum ; hoc autem erat ſpiritus ſanctus , nihil enim aliud eſt ante ſæcula præterquam patrem , & filium , & ſpiritum ſanctum , idcirco ait D hic : Glòriam , quam dediſti mihi , dedi ipſis , ut per *Ibid.* eam in unum mecum copulentur , & per me tecum. Rurſus idem libro primo contra Eunomium : Si autem ſemper eſt glorioſus pater , qui eſt ante ſæcula ; gloria vero patris eſt filius , qui eſt ante ævum , ſimiliter autem gloria filii eſt ſpiritus Chriſti , qui ſemper cum filio & patre intelligitur ; unde ſapiens iſte , & ex qua diſciplina pronuntiat anitiquius in iis quæ ſunt ſine tempore , & honoratius in iis quæ naturaliter ſunt honorata? Ex his efficitur manifeſtum , quod in Trinitate , quæ ſupra ſubſtantiam eſt , nullo modo alia eſt energia , ſive operatio , & manus , per quam Deus pater omnia creat & facit , niſi ſolus filius , & ſpiritus ſanctus , qui ſunt manus Dei ſupraquam ſubſtantiales , ſicut alicubi ſcriptum eſt : Manus tuæ fecerunt *Pſ. 118.* me , & plaſmaverunt me , nec alia ſapientia & virtus Dei , niſi hæc ipſa ſupra ſubſtantiam. Verbo enim Domini cœli firmati ſunt , & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum , nec alia imago & gloria coæterna Deo niſi filius , qui eſt ſupraquam principium , & ſpiritus eius, qui eſt ante ſæcula , & ſine ulla variatione imago & gloria Dei patris non habentis cauſam.

Ex Scholiis S. Maximi.

Pater gloriæ 1. pater divinitatis) Pater divinitatis dicitur , id eſt , filij , divinitatem enim , id eſt , eſſentiam divinam accepit pro perſona filij propter identitatem rei, ut Græci patres ſolent,quod etiam S. Thomas obſervavit , *divinitas* 2. *& proprietas* patris eſt eſſentia filij) Non dicit , Proprietas patris eſt proprietas filij quia relatio unius oppoſita eſt relationi alterius , ſed hæc oppoſitio non facit , quin una eſſentia in patre ſit paternitas, & eadem eſſentia in filio ſit filiatio ; ita fit ut paternitas ſit eſſentia filij & filiatio eſſentia patris ſicut pater eſt in filio,& filius in patre,quia ſunt unum in divinis enim abſtractum & concretum non diſtinguuntur , pater & paternitas , filius & filiatio , *forma 3. enim divinitatis* patris eſt filius) hoc eſt , ſubſtantia patris eſt filius Notavit Damaſcenus , ſic patres accepiſſe hoc verbum ; formæ , ut proprie ſignificare ſubſtantiam , quæ per ſe eſt , & à nullo alio pendet ut ſit , & ſic Apoſtolum accepiſſe , cum ait : Qui cum in forma Dei eſſet. In eadem ſignificatione uti ſolent aliquando patres Græci vocabulo *εἶδος*, quod ſpeciem & formam , & figuram ſignificat , ut hoc loco Athanaſius , cum ait : Forma divinitatis patris eſt filius Græce eſt *εἶδος*. Secundum hanc ſignificationem vocat Dionyſius perſonas divinas *ὁμοειδεῖς*, id eſt, uniformes , quod nulla penitus differentia in earum ſubſtantia ſit , unde ſic Damaſcenus definit *ὁμοειδὲς* , id eſt uniforme , quod per ſe primum ſubſiſtit , & omnis mutationis & transfigurationis expers eſt. Impium enim , inquit , eſt figuram in Deo ponere. *Imago 4. filij eſt ſpiritus ſanctus*) S. Thom. in opuſculo contra errores Græcorum : Poſſumus , inquit , dicere ſpiritum ſanctum eſſe imaginem patris & filij , ita ut per imaginem nihil aliud intelligatur , quam exiſtens ab alio & eius ſimilitudinem gerens , ſin autem per imaginem intelligatur aliquid exiſtens ab altero , ex ipſa ſuæ originis ratione habens quod ſimilitudinem gerat eius , quo exiſtit , in quantum eſt ab altero , ut filius genitus ; ſic ſolus filius dicitur imago, de ratione enim filij eſt , quod ſimilitudinem patris habeat in quacumque natura : & ſimiliter de ratione verbi eſt , ut ſit ſimilitudo eius , quod verbo exprimitur , cuiuſcumque ſit verbum ; ſed non eſt de ratione ſpiritus , vel amoris ut ſit ſimilitudo eius , cuius eſt , in omnibus , ſed hoc in ſpiritu Dei verificatur propter divinæ eſſentiæ unitatem & ſimplicitatem : ex qua oportet , ut quidquid eſt in Deo , ſit Deus. Nec obſtat ad rationem imaginis, quod ſpiritus ſanctus non conveniat cum patre in aliqua perſonali proprietate , quia ſimilitudo & æqualitas perſonarum divinarum non attenditur ſecundum proprietates perſonales , ſed ſecundum attributa eſſentialia. Nec enim inæqualitas, vel diſſimilitudo ſecundum proprietatum perſonalium differentiam in divinis dici debet, ſicut Auguſtinus dicit in libro contra Maximum. Cum enim dicitur filius à patre genitus , non oſtenditur inæqualitas ſubſtantiæ , ſed ordo naturæ ſecundum ſe. Hactenus S. Thom.

A

CAPVT VII.

Quod in Trinitate, quæ eſt ſupra ſubſtantiam, non eſt alia vita, vel voluntas, vel charitas, vel beatitudo, vel pulchritudo, vel ſanctitas, neque bonitas, vel forma, vel regnum, niſi ipſe filius Dei, & ſanctus eius ſpiritus.

CHryſoſtomus explanans illud, In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: Cum audies, inquit, in ipſo vita erat, ne exiſtimes Deum compoſitum: ſiquidem prodiens ex patre ait: Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo: etenim alibi etiam dicit, quod lux eſt Deus; & iterum, quod lucem habitat inacceſſibilem: hæc omnia dicta ſunt, non ut ſuſpicemur compoſitionem; ſed ut paulatim ad excelſitatem dogmatum elevemur. Quia enim non facile quis ex vulgo cogitaverit, quomodo eſt vita eius per ſe exiſtens, primum quidem illud dixit, quod humilius eſt; deinde iam eruditos, ad altius ducit. Qui enim dixit: Dedit ei vitam habere; hic rurſus ait: Ego ſum vita. Magnus Athanaſius in libro de adventu Dei in carne: Manifeſtum igitur eſt iis qui advertunt, quod excitato corpore, filius dicitur apud Paulum excitatus eſſe à mortuis: corpus enim dicitur pro perſona: ſic ergo cum dicitur, Vitam dedit pater filio, intelligere oportet vitam carni datam. Si enim vita eſt ipſius carnis, quomodo vita vitam accipit? S. Cyrillus libro quinto dialogorum ad Hermiam: Si igitur, inquit, non eſt filius vita ſecundum naturam, erit omnino in propria aliqua natura ſortitus vitam ſuam aliam quam quod ipſe eſt. Reſpondeant ergo qui ſic corrupta & depravata dogmata defendunt, ſub quo genere erit nobis, ut illi opinantur? Demonſtratum enim eſt, non eſſe factum. Her. Vita, inquit, facta eſt à patre: dixit enim Ioannes; Quod factum eſt in ipſo, vita erat: verbum cuius vita eſt. Cyr. Qui colligavit igitur ambo, & in unum aliquid contulit vitam & filium, non aliud eſſe dicit præterquam vitam, quæ in ipſo eſt: ita ut diverſis nominibus natura unius qui intelligitur, nobis ſignificetur; ſive filius, ſive vita † forte dicatur. Her. Sic, inquam. Et rurſus idem libro 7. Subiicientur, inquit, nobiſcum ſacris & divinis literis, quæ aperte prædicant, non vitæ ab alio manantis miniſtrum eſſe, ſed te eſſe ipſam vitam ſpiritum vitæ ſecundum naturam vivificum & ſanctum: ſic enim ait alicubi Paulus: Si ſpiritus, qui ſuſcitavit Ieſum à mortuis, habitat in nobis; qui ſuſcitavit Ieſum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora noſtra per inhabitantem ſpiritum eius in nobis. Spiritum igitur vitæ ſecundum naturam, prorſus nihil aliud præter ipſam vitam eſt ſecundum rectam rationem. Et adhuc in capitibus de ſpiritu ſancto: Scriptum eſt rurſus: Si ſpiritus, qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, habitat in nobis; qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora noſtra per inhabitantem ſpiritum eius in nobis. Sed ſi ſpiritus ſanctus creatura eſſet, & factus, ut inſane tradunt hæretici, quomodo totam operationem Dei habet? Non enim quiſquam tantum, ut opinor, à ſana mente excidet, ut audeat vel dicere ſolum, divinæ ſubſtantiæ per inſtrumenta quædam foris creata miniſtrari ad operationem ex ſe ipſa naturaliter tranſeuntem ad aliquos, qui ſunt ad recipiendum illam idonei & apti. Quia vero filius vita eſt ſecundum naturam, ſpiritus vero ab ipſo datus vivificat, relinquitur neceſſario, ut confitendum ſit eſſe ex ſubſtantia eius, cum omnem filij & Dei virtutem & operationem habeat, ut ſi vapor ex aqua aſcendat, & per ea quæ operatur, eos apud quos eſt, refrigeret, & naturam aquæ, unde emittitur, ſignificet. In eiſdem: Lex, inquit, ſpiritus vitæ, ne ſpiritus ſanctus reperiatur tantum legem ferre, ſed reperiatur iam etiam ſpiritus vitæ: & quæ vita? ſane Chriſtus, qui ait: Ego ſum veritas & vita. Chriſto igitur legem ferente, ſpiritus eius utpote ex ipſo, & in ipſo naturaliter exiſtens legem fert. Magnus Athanaſius in uno ex libris contra Arianos: Sed impij, inquit, non concedunt eſſe filium verbum, & conſilium vivens, verum fingunt accidere Deo humano more velle, & ſapientiam tanquam habitum habere; & omnia movent; ac Valentini intelligentiam & voluntatem obiiciunt. S. Cyrillus in Theſauris: Si conſilium, inquit, & voluntas patris eſt filius, ut quidem eſt, quomodo voluntas antecedit eſſentiam eius? Et rurſus in eiſdem: Aut enim neceſſe eſt vos aliam fingere ſapientiam, in qua cum voluit, filium peperit, ut vos dicitis; aut ſi alia non eſt, ſed eſt ipſe ſolus ſapientia patris; ipſe eſt & voluntas. Et in iis quæ de ſpiritu ſancto ſcripſit: Spiritus ſanctus, inquit, qui eſt mens Chriſti, omnia quæ in ipſo ſunt, ediſſerit diſcipulis, non in propria quadam voluntate, neque rurſus in aliena, ſed tanquam ex ſubſtantia eius procedens, & totam eius voluntatem, ſicut & operationem habens. Et divinus Damaſcenus: O miraculum novum ex omnibus olim miraculis! Dei enim conſilium eſt, qui in utero geſtatus eſt, ut infans. Et Gregorius Theologus in oratione in laudem Gregorij Nyſſeni, cuius principium eſt, Amici fidelis: Deus, inquit, pacis, qui reconciliavit nos per crucem, qui propter peccatum eramus oppugnati: qui evangelizavit pacem iis qui longe, & iis qui prope; iis qui ſub lege, & iis qui extra legem erant: pater charitatis, charitas: his enim nominibus præ cæteris vocari gaudet. Gregorius Nyſſenus in commentariis Cantici canticorum: Quia igitur unum eſt connubium, & una ſponſa, & uno ſponſo imponitur corona: nihil enim penitus intereſt, vel filium Dei vocare unigenitum verbum, vel filium dilectionis eius, ut Pauli voce utamur. Et ſanctus Cyrillus cum de ſpiritu ſancto ſcribit: Quantam benignitatem in nobis operatus eſt omnium Dominus, docens Paulus ait: Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Si igitur Deus charitas eſt, ut Ioannes loquitur, & non eſt aliud ipſe, & aliud quod in ipſo eſt (eſt enim ſimplex, & expers compoſitionis) diffuſa eſt autem per ſpiritum ſanctum habitantem in nobis: eſt igitur charitas ſpiritus ſanctus, qui tanquam Deus in nobis habitat, & idcirco plane Deus. Idem libro primo ad Hermiam: Ipſe enim, qui eſt pulchritudo incorrupta Dei patris, ſumma beatitudo, & forma, atque ſpecies; qui ex ipſo, & in ipſo Deus verbum abiecit ſeipſum in exinanitionem. Magnus Baſilius ſcribens ad Cæſarienſes: Si non eſt, inquit, ſimplex ſpiritus ſanctus, compoſitus eſt ex ſubſtantia, & ex ſanctitate: at quis ita vecors eſt, ut compoſitum dicat ſpiritum ſanctum, & non ſimplicem? Et Gregorius Theologus: Si enim alia eſt ſanctitas præter ſpiritum ſanctum, quæ hæc intelligatur, dicat quiſpiam. Sanctus Cyrillus diſſerens de ſpiritu ſancto: Quid opus eſt longo circuitu verborum, & multiplicibus notionibus? Illam enim ipſam virtutem ſanctificantem ex patre procedentem, quæ perfectionem imperfectis tribuit, dicimus eſſe ſpiritum ſanctum. Et magnus Athanaſius in diſputatione Orthodoxi, & Anomœi ait: Sic dicis bonum ſpiritum, ſicut patrem, & filium? Orthodoxus. Maxime. Spiritus enim in participatione 1. bonitatis bonum eſt: ſed rurſus bonum, id eſt, bonitas eſt. Sane Mattheus quidem Evangeliſta ait dixiſſe Dominum: Si igitur vos cum mali ſitis; noſtis bona data dare filiis veſtris; quanto magis pater cæleſtis dabit bona petentibus eum? Audis, ſi aures habes? quod Evangeliſtæ cum ſcirent ſpiritum idem eſſe quod bonitas, & bonitatem idem quod ſpiritus; ille quidem bona dixit ipſum ſpiritum, alius vero ſpiritum ipſa bona. Magnus Baſilius in capitibus de ſpiritu ſancto: Bonus ſpiritus, ſicut bonus pater, & bonus ex bono genitus ſubſtantiam habens ipſam bonitatem. Sanctus Cyrillus ſcribens de

Marginalia (left): Ioan. 1. — Ioan. 5. — 1. Ioan. 1. — 1. Tim. 6. — B — Ioan. 5. — Ioan. 14. — Galat. 1. — C — Ioan. 1. — † Quod ſi nihil aliud eſt quam vita, totus eſt vita, & ſua vita & ſuum eſſe, & nõ factus. — Rom. 8. — Ibid. — D

Marginalia (right): E — Ioan. 14. — F — Epheſ. 2. — 1. Ioan. 4. — Coloſ. 1. — G — Rom. 5. — 1. Ioan. 4. — Philip. 2. — H — Mat. 7. — Luc. 11.

de ſpiritu ſancto : Accedit, inquit, quidam in Evangeliis, & dicit Domino & Deo noſtro Ieſu Chriſto : Magiſter bone. Ad hoc Chriſtus reſpondit : Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, niſi unus Deus. Chriſto igitur dicente unum eſſe vere & ſubſtantialiter bonum, David ait : Spiritus tuus bonus deducet me in terra recta. Si ergo filij, qui eſt bonum, ſpiritus eſt bonum, liquet divinæ naturæ eſſe, de quibus vere dicitur bonum proprie & ſingulari modo. Magnus Apoſtolus : Qui cum in forma, inquit, Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Magnus Baſilius : Illud in forma Dei, inquit, ſubſtantiæ Dei eſt, non enim aliud eſt forma, & aliud ſubſtantia Dei ; ne compoſitum ſit. Qui igitur eſt ſecundum formam æqualis, ſecundum ſubſtantiam quoque æqualis eſt S. Gregorius Nyſſenus cum explanat illud, Adveniat regnum tuum : Creatura, inquit, ſervit ; ſervitus autem non eſt regnum, atqui regnum eſt ſpiritus ſanctus ; regnum vero plane regnat, non regnatur, ſi igitur regnum eſt ſpiritus ſanctus, quomodo ipſum naturæ ſervienti annumerant inſani iſti ? Et Gregorius Theologus : His quidem lumen quod exprimi non poteſt, ſuccedit, & contemplatio regalis Trinitatis ſplendentis clarius & purius, & quæ tota cum totis miſcetur, quam regnum cœlorum eſſe cenſeo. Ex his manifeſtum fit, quod in Trinitate ſupra ſubſtantiam, nihil ex iis quæ à Theologis enumerata ſunt, effugit, quin declaret ſolum eſſe hæc in Deo patre, filium eius verum Deum, & ſanctum eius ſpiritum, quocirca qui dixit divinam Trinitatem, quæ eſt ſupra principium, hæc ſimul & alia complexus eſt.

Ex ſcholiis S. Maximi.

,, *Spiritus in participatione 1. bonitatis bonum eſt*) id eſt, in participatione noſtra bonitatis creatæ eſt bonus ſpiritus tamquam auctor & creator bonitatis à nobis participatæ ; ipſe vero ſpiritus natura eſt ipſa bonitas ſupra bonitatem, itaque ea quæ de Deo & de creaturis æquivoce dicuntur, de Deo dicuntur ſecundum naturam ; de creaturis vero per participationem.

CAPVT VIII.

Quod in Trinitate nihil eſt quod non ſit ſubſtantia, & perſona ; nec eſt in ea aliquid naturale & ſubſtantiale patri, quod quidem non ſit filius, & ſpiritus ſanctus : neque quidquam aliud ſunt in Deo rationes eorum quæ ſunt, niſi implicite unigenitum Dei verbum.

SAnctus Cyrillus in Theſauris libro x i x. Non quia in nobis ſapientia & ſcientia non eſt in ſua hypoſtaſi, id eſt, non exiſtit per ſe ; idcirco ſapientia, quæ ineſt in deo, idem incommodi patietur, ut non exiſtat per ſe, ſed quandoquidem confiteris non eſſe Deum more noſtro plane confiteris, omnia quæ illius ſunt, non eſſe ut noſtra ſunt. Idem in primo Theſaurorum: Conſiderent oppugnatores Chriſti magnitudinem imprudentiæ ſuæ, cum enim nollent dicere unum filium Dei ſimilem eſſe patri, duos dederunt ; ſi voluntatem eius dicunt eſſe aliquid per ſe exiſtens, ſi vero non per ſe exiſtit, non erit character, id eſt, figura per ſe exiſtentis, quod non per ſe exiſtit. Idem in eiſdem : Omnino neceſſe eſt, quod ex aliquo naturaliter prodit, ſimile ei eſſe ſecundum ſubſtantiam ; quamvis ab illo ipſo tamquam cauſa, habeat ut ſit. Idem in eiſdem: Inquirendus, inquit, eſt modus diſſimilitudinis, quam habet ad patrem voluntas, ſi enim vlla ex parte tamquam minor ipſo, non habet ſimilitudinem eius, videbitur aperte aliquid exire ex ſubſtantia patris deterius eo & minus, non enim voluntas extrinſecus accedit, nec introducta eſt ; ſed ex ipſo, & in ipſo, deteriorem vero gignere nec iis qui naturam creatam habent, accidere arbitror. Magnus Athanaſius libro quinto contra Arianos ait : Sicut, inquit, ex Deo Deus eſt, & ex ſapiente ſapiens, & ex rationem habente λόγος, id eſt ratio, ſive verbum ; & ex patre filius ; ſic ex perſona, perſonam habens ; & ex ſubſtantia ſubſtantialis, ſubſtantiamque habens ; & ex exiſtente exiſtens. S. Cyrillus libro x i v. Theſaurorum : Paulus, inquit, cum dicit proprietates naturales & ſubſtantiales, quæ in Deo patre ſunt, ſic ait : Qui ſolus habet immortalitatem. Si ergo nihil aliud quiſpiam definiet eſſe immortalitatem, niſi vitam ; vita autem eſt filius, qui dicit : Ego ſum vita ; pater habet vitam in ſe ipſo, filium ſcilicet, & nihil aliud quidquam præter ipſum. Idem in eiſdem : Quæcumque dicuntur eſſe in Deo patre naturaliter, & ſecundum ſubſtantiam, hæc omnia filius eſt. Solus verus Deus dicitur pater, quia ſolus habet filium dicentem : Ego ſum veritas : ſolus ſapiens, & potens ſimiliter ; quia Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia, ſolus dicitur habitare lucem inacceſſibilem ; habet enim in ſe ipſo filium dicentem : Ego ſum lux, ſolus fons aquæ vivæ ; ſiquidem ſolus habet filium, qui dicit : Ego ſum vita. Si ergo omne proprium patris eſt filius, cum pater dicitur habere vitam in ſe ipſo, filium, ſignificat, & non aliud quidquam præter ipſum, cum autem exiſteret ipſe in filio ſecundum ſubſtantiam ſine ulla variatione, & cum eſſet vita ſecundum naturam ; dedit ipſam ſibi ipſi. Athanaſius libro quarto contra Arianos, Quandoquidem tota eſſentia filij propria eſt ſubſtantiæ patris, ut ſplendor ex lumine, & ex fonte fluvius ; ut tandem qui videt filium, videat quod proprium patris eſt : & intelligat quod eſſentia filij, quæ ex patre eſt, ſic in patre eſt. Eſt autem & pater in filio, quia quod eſt ex patre proprium, hoc filius eſt, ſicut in ſplendore ſol, & in ratione mens, & in fluvio fons : ſic enim qui cõtemplatur filium contemplatur proprium ſubſtantiæ patris ; & intelligit quod pater in filio eſt. Cum enim ſpecies 1. & divinitas patris ſit eſſentia filij, conſequẽs eſt, patrem eſſe in filio, & filium in patre. Sanctus Cyrillus in capitibus de ſpiritu ſancto : Reperitur alicubi ſcriptum, immo dicit beatus Ioannes Evangeliſta: In hoc cognoſcimus quod in nobis eſt Deus, ex ſpiritu quem dedit nobis, & rurſus : In hoc cognoſcimus quod in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quod ex ſpiritu ſuo dedit nobis. Si igitur habitante in nobis ſpiritu per participationem, Deus eſt qui habitat, & nos ſumus in ipſo, & ipſe rurſus in nobis, quia ſpiritum ferimus ; quomodo ſpiritus non erit Deus, cum habeat in ſe ſecundum ſubſtantiam totam proprietatem Dei patris, cuius ſpiritus per filium creaturæ tribuitur ? Magnus Dionyſius cap. v. de divinis nominibus. Exemplaria vero dicimus eſſe rationes rerum in Deo, effectrices ſubſtantiarum, & unite præexiſtentes, quas divinus ſermo vocat prædefinitiones, & divinas atque bonas voluntates, quæ ad diſtinguendum & efficiendum ea quæ ſunt, valent ; ſecundum quas qui eſt ſupra ſubſtantiam, omnia quæ ſunt, prædefinivit, & produxit. Quo in loco divinus Maximus, Exemplaria, inquit, quæ vocant ideas, iam quidem ſuperius declaravimus, quomodo definiantur ; ſcilicet notionem per ſe perfectam æternam æterni Dei vocant ideam, id eſt, exemplar, hic tamen explanat Dionyſius ſcripturam, cum ideas vocat prædefinitione, ſignificans obſcure Paulum, qui in epiſtola ad Romanos ait : Quos autem prædefinivit, ſive prædeſtinavit, hos & vocavit, & alibi ? Qui prædeſtinavit nos in voluntate ſua. Voluntatem enim, & prædeſtinationem, ſive prædefinitionem ideas & exemplaria dicit. Et iterum magnus Dionyſius cap. v i i. de eiſdem divinis nominibus. Verbum Dei laudatur à ſacris ſcripturis, non ſolum quia rationis & mentis & ſapientiæ largitor eſt ; ſed quia cauſas omnium in ſe ipſo † una forma anticipavit ; & quia per omnia meat, pervadens ſicut ait ſcriptura, uſque ad finem omnium ; & potiſſimum quia verbum

A Dei ſupra omnem ſimplicitatem ſimplex eſt, & ab omnibus ſupra omnia ſupra ſubſtantiam abſolutum eſt. Quem locum edifferens S. Maximus, Nominatur, inquit, verbum Dei λόγος, id eſt ratio, quia habet omnium cauſas in ſe: rationes enim omnis naturæ in ipſo ſunt tamquam in cauſa omnis creationis: per ipſum (*Ioan. 1.*) enim omnia, ideæ namque & exemplaria in ipſo, non alia in alio; ſed æternæ notiones ſunt, & rationes facientes omnia. Ex quibus fit manifeſtum, quod in Trinitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, omne quod per ſe non eſt ſubſtantia, & per ſe non exiſtit, eiectum & excluſum eſt: ſi quid vero eſt in ea, ſubſtantia eſt, & per ſe exiſtens, idcirco omne quod eſt Deo patri naturale & ſubſtantiale, filius eſt, & ſpiritus ſanctus, lumina eius per ſe exiſtentia, & ſupra ſubſtantiam; immo & omnia exemplaria in Deo, & rationes omnium rerum implicite unum verbum Dei ſunt, quod B illas in ſe habet tamquam non alia in alio: unum enim eſt unigenitum Dei verbum; & una ſapientia Dei patris, ſpiritus eius ſupra quam ſanctus.

Ex Scholiis S. Maximi.

Species 1. & divinitas patris) Non vocat hic ſpeciem, univerſale quod de pluribus differentibus numero prædicatur, huiuſmodi enim ſpecies dividitur: neque figuram vocat; Deus enim caret figura; ſed ſpeciem vocat formam, id eſt, ſubſtantiam vere & proprie, quæ à nullo ſcilicet pendet, ſicut Paulus vocat formam Dei: Qui cum in forma, inquit, Dei eſſet. (*Philip. 2*) In hac ſignificatione poſuit hic ſpeciem Athanaſius.

CAPUT IX.

Quod in Trinitate præter tres perſonas divinas, quæ non reciprocantur, quia pater non eſt filius, neque filius pater, nihil eſt quod non ſit alterum alterius eſſentia, vita enim filij non eſt C *aliud præter patrem; & rurſus, vita patris non eſt aliud præter filium, ſimiliter in ſpiritu ſancto: & hoc eſt incedere perſonas deificas per ſe ipſas & in ſe ipſis viciſſim.*

MAgnus Dionyſius capite ſecundo de divinis nominibus: In divina, inquit, in unum copulatione, id eſt, in ſubſtantia ſupra ſubſtantiam copulatum quidem & commune in Trinitate; quæ eſt unum omnium principium, eſſentia eſt, quæ eſt ſupra ſubſtantiam; divinitas 1. ſupra divinitatem; bonitas ſupra bonum, idem 2. ſupra omnia in tota proprietate, quæ ſupra omnia eſt; unitas ſupra 3. unitatem principialem, ineffabilis, multarum vocum, ignoratio, 4. ex omni intellectilis, 5. omnium poſitio, omnium demptio, ſupra omnem poſitionem, & demptionem, divinarum perſonarum in ſe ipſis, ſi ita loqui 6. fas eſt, D mutua manſio, & collocatio, in totum ſupraquam copulata in unum, non confuſa in parte ulla, ſicut lumina lampadum (ut exemplis ſub ſenſum cadentibus & familiaribus utar) quæ ſunt in una domo; & tota ſunt in ſe totis viciſſim, non permixta: ac per ſe 7. exiſtunt perfecte inter ſe mutuo ſingulatim diſtincta, coniuncta in unum diſcrete, & diſcreta coniunctim. Hæc S Maximus cum annotat, Advertendum, inquit, eſt illud, In ſe ipſis viciſſim, eſſe ſecundum manſionem & collocationem divinarum perſonarum, ut cum ait ſcriptura: Ego in patre, & pater in me, (*Ioan. 14. 1. Cor. 3.*) ſic & de ſpiritu ſancto Apoſtolus ait. Sanctus Ioannes Damaſcenus in capite de Trinitate: Etenim creaturæ & loco diſtant, & tempore differunt, & voluntate dividuntur, & viribus, & forma, id eſt, figura, & habitu, & mixtione, & dignitate, & ſtudio, & omnibus E proprietatibus ſignantibus; ac potiſſimum in eo differunt, quod non ſunt in ſe ipſis viciſſim, ſed ſeparatim: unde & duo, & tres, & multi dicuntur, contra vero in ſancta Trinitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, & ultra omnia, incomprehenſa, unus enim conatus, ſive impetus motionis, & una ſubſtantia, una bonitas, una virtus, una voluntas, una operatio, una poteſtas, una, inquam, & eadem; & non tres ſimiles inter ſe; ſed una atque eadem motio trium perſonarum, unum enim habet unaquæque earum cum altera, non minus quam ſecum commune: id eſt, unum ſunt ſecundum omnia pater, & filius & ſpiritus ſanctus. Magnus Athanaſius in epiſtola ad Serapionem: Deinde, cum pater ſit, ut Paulus dixit, ſolus ſapiens, qui eſt Deus, (*Rom. 16.*) filius eſt ſapientia eius; Chriſtus enim Dei virtus, & Dei ſapientia: (*1. Cor. 1.*) & cum filius ſit ſapientia, nos ſpiritum accipientes, (*Pſ. 145.*) filium habemus; & in ipſo ſumus ſapientes, F ſic enim ſcriptum eſt: Dominus ſolvit † ligatos, (*† al. compeditos.*) Dominus † erudit cæcos, (*† al. illuminat.*) & cum datur nobis ſpiritus, (Accipite enim ſpiritum ſanctum, aiebat Salvator) (*Ioan. 20.*) Deus eſt in nobis, ſic enim Ioannes ſcripſit: Si diligimus invicem, Deus in nobis eſt: (*1. Ioan. 4*) quoniam in ipſo manemus, & ipſe in nobis; quoniam ex ſpiritu ſuo dedit nobis. Cum autem Deus eſt in nobis, eſt etiam filius in nobis, dicit enim ipſe filius: Ego, & pater veniemus, (*Ioan. 14.*) & manſionem apud eum faciemus, deinde, cum vita alioqui ſit filius: Ego, inquit, ſum vita: vivificari tamen dicimur in ſpiritu ſancto. (*Ibid.*) Qui enim ſuſcitavit Chriſtum Ieſum à mortuis, (*Rom. 8.*) ſuſcitabit & mortalia corpora noſtra, per ſpiritum eius inhabitantem in nobis. Nobis autem in ſpiritu vivificatis, ipſe Chriſtus in nobis dicitur vivere. (*Galat. 2.*) Chriſto enim, inquit, confixus ſum; vivo autem non iam ego, vivit autem in me Chriſtus, & rurſus, ſicut opera quæ filius faciebat, dicebat patrem facere: (*Ioan. 14.*) Pater enim, ait, in me manens, ipſe facit opera: non creditis mihi, quia ego in patre, & pater in me eſt? alioqui propter opera ipſa credite, ſic quæ in virtute patris operabatur Paulus, aiebat Chriſti eſſe opera. Non enim, inquit, audebo aliquid dicere eorum, (*Rom. 15.*) quæ non operatus eſt Chriſtus per me in obedientiam gentium in verbo & operatione, in G virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute ſpiritus ſancti. Talis coniugatio & unitas cum ſit in Trinitate, quis iam deinceps filium à patre, aut ſpiritum ſanctum à filio, aut ab ipſo patre ſeparabit? aut quis erit ita audax, ut dicat diſſimilem, & alterius naturæ eſſe apud ſe Trinitatem? vel filium eſſe ſubſtantiæ alienæ à patre? vel ſpiritum ſanctum alienum à filio? Si quis rurſus interroget, quomodo hæc ſunt? quæratque quomodo, cum ſpiritus ſanctus eſt in nobis, pater dicitur eſſe in nobis, & cum filius eſt in nobis, pater dicitur eſſe in nobis; aut quomodo cum Trinitas eſt, in uno ſignificatur Trinitas; aut quomodo cum unum eſt in nobis, Trinitas dicitur: vel ſeparent primum à lumine ſplendorem, aut ſapientiam à ſapiente, vel dicant, quomodo hæc erunt, quod ſi hoc non poſſunt; multo magis quærere hæc de Deo, inſanientium audacia eſt. Divinitas enim non in demonſtratione verborum tradita eſt, ut diximus, ſed in fide, & pia ratiocinatione cum reverentia. Et iterum idem libro 4. contra H Arianos: Quia igitur filius eſt imago patris, neceſſe eſt intelligere, (*Philip. 2. Ioan. 14.*) quod divinitas & proprietas patris eſſentia filij eſt: & hoc eſt illud, Qui cum in forma Dei eſſet; & pater in me. Non autem ex parte eſt forma divinitatis, ſed plenitudo paternæ divinitatis eſſentia eſt filij, & verbum Deus eſt filius; idcirco æqualis Deus non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo. (*Philip. 2*) Et rurſus, quia filij divinitas & ſpecies non eſt alterius quam patris; hoc eſt quod diximus, Ego in patre: ſic Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians. (*Ioan. 14. 2. Cor. 5.*) Proprium quidem ſubſtantiæ patris eſt filius, in quo creatura Deo reconciliata eſt, ſic quæ operabatur filius, opera patris ſunt, forma enim divinitatis patris eſt filius; & paterna forma in ipſo, demonſtrat in ipſo patrem: atque ita eſt pater in filio; & proprietas atque

divinitas

A divinitas ex patre in filio, demonſtrat filium in patre inſeparabilem ab eo. Ex his patefit, quod in Trinitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, exceptis tribus perſonis deificis, quæ non reciprocantur, aliis remeantibus, quod eſt vna perſona, hoc ipſum eſt alia; quia ſunt vna & ſola trium perſonarum eſſentia: & quod eſt vnius, hoc idem eſt reliquarum perſonarum ſine vlla varietate, ſicut demonſtratum eſt. Quare ſi eſſentia filij eſt vita, neceſſario patris & ſpiritus ſancti eſt eadem vita, quæ erat eſſentia filij. Qui amplius quærit, ſi filius habet ſapientiam patrem, vbi eſt huius filij ſapientia? Fatuus plane & inſipiens eſt, cum audiat, vitam quam habet pater, non eſſe aliam vllam præter filium; & vitam in filio non eſſe vllam: aliam præter patrem; & verum dicere qui dicit: Ego in patre, & pater in me. (Ioan. 14.) Vna enim, vt diximus, eſt eſſentia Trinitatis, & vna ſolum ſemper. Hæc igitur eſſentia ſingulariſſima trium, aſſumens ineffabiliter nomen patris, quod eſt ſupra ſubſtantiam, ſolum patrem generantem filium manifeſtat, rurſus aſſumens ſupraquam intelligi poteſt, nomen filij, quod eſt ſupra ſubſtantiam, ſolum filium demonſtrat generatum à patre, rurſus hæc ipſa eſſentia aſſumens nomen ſpiritus, quod eſt ſupra ſubſtantiam, ſpiritum tantum declarat à patre procedentem per filium, vt ſi exempli gratia & quidem tenuis dicamus, natura hominum, quæ vna eſt, in quibus ſolum aſſumit virtutem gignendi, patres tantum declarat: in quibus autem aſſumit genitum, filios ſolum: eſt nihilominus, vna natura humana patrum, & filiorum. Cum igitur dicimus eſſe filium; in eo quod manet filius tantum, ſimul 8. inducitur eſſe patrem, & ſpiritum ſanctum; quia eſſentia eorum eſt vna, ſimiliter vtrauis aliarum perſonarum ponatur, neceſſario ſequitur reliquas duas eſſe, quod enim eſt 9. alicuius eſſentia, hoc ſimul cernuntur eſſe quæ illam definiunt. Cum enim eſſentia alicuius demonſtratur, proprietates quæ ad illam pertinent, ſimul patefiunt: vt quod habet tres angulos æquales duobus rectis, neceſſario omnis trianguli naturam oſtendit. C Niſi quis hoc recte dicat, omnino hoc diſſentire ab imagine & ſimilitudine vnius & eiuſdem naturæ Trinitatis, quæ ſupra naturam, & ſupra omnia eadem eſt. Per ſe ipſas igitur & in ſe ipſis viciſſim divinæ perſonæ meant: & vna poſita, neceſſario tota Trinitas declaratur, ſicut oſtenſo ſolum radio, tacite ſol & lux ſimul oſtenduntur: vel ſicut demonſtrata charitate, qui diligit & quod diligitur, ſimul demonſtrantur: vel ſicut poſito fonte, fluvius & aqua. & quæcunque aliæ imagines ſacræ & ſimilitudines huius rei ex ſacris ſcripturis ſymbolice exprimuntur.

Scholia.

Divinitas 1.) ὑπέρθεος, id eſt, ſupraquam divina, ſupra divinitatem, ſcilicet creatam; eorum dico, de quibus ſcriptum eſt: Ego dixi, dij eſtis. (Pſal. 81.) Deus enim eſt qui illos ſanctificat, & facit deos per participationem: vnde divinæ perſonæ à Dionyſio & à patribus vocantur θεαρχικαὶ, id eſt, deificæ; & ſpiritus ſanctus vocatur ὑπέρθεον πνεῦμα, hoc eſt, ſpiritus ſupra deos, quos ſcilicet ſanctificando facit deos, ſive in cælo, ſive in terra, D *idem 2. ſupra omnia in tota proprietate* quæ ſupra omnia eſt) Sunt proprietates ſubſtantiales eædem in creaturis cuiuſque ſpeciei; vt rationale proprietas ſubſtantialis in homine; in angelis ſunt proprietates eorum ſubſtantiales eædem; in animantibus aliis ſuæ item proprietas ſubſtantiales eædem; & in aliis naturis ſimiliter: ſed ratio proprietatis, & ratio eiuſdem proprietatis in creaturis non poteſt comparari cum proprietatibus ſubſtantiæ divinæ, & cum identitate earum: hæ enim ſunt ſine differentia in re ipſa divina ſubſtãtia: vnde perſonæ divinæ vocantur à Dionyſio μονοειδεῖς, id eſt, vniformes, *vnitas 3. ſupra vnitatem principialem*) quia in creaturis reperitur vnum, quod habet rationem principij, vt in igne eſt vnum principium caloris; in ſole vnum principium luminis; ſed in his nec vnitas, neque ratio principij comparari poteſt cum proprietatibus illis principij divini. *ignoratio 4.*) Ignorationem vocat quandam inſcientiam, quæ eſt quædam tenebræ animæ; ſed relicta omni cogitatione rerum externarum, omni intelligentia à propoſito aliena, vniri in quodam ſilentio ſecundum meliorem partem cum Deo ignoto quid ſit, qui eſt ſupra omnem cogitationem & nihil aliud cognoſcendo & contemplando, ſupra mentem cognoſcere & contemplari, vt Dionyſius in myſtica Theologia cap. 1. tradit. Hæc ignoratio vocata eſt in Exodo caligo, in quam dicitur Moyſes ingreſſus, vt S. Maximus notauit. Hanc vnionem optat Dionyſius Timotheo in principio myſticæ Theologiæ, vnde melius eam licet intelligere Vnio autem ſupra mentem eſt, cum mens ſe relinquit; reliquit autem ſe, cum vacat omnino à ſuo motu proprio, & nihil proprium ſui habet, neque ſui eſt, ſed eſt tota in Dei contemplatione ex omni *5. intellectilis*) id eſt, ex creaturis Dei, & providentiis eius, quibus vniverſum plenum eſt *ſi ita loqui 6. fas eſt* (Quia hæc vocabula manſio, & collocatio diſtinctionem ſecum inferri videntur, & ad locum referri (quod enim in aliquo manet & collocatur, non videtur eſſe idem quod eſt illud, in quo aliquid manet tanquam in loco, & in quo collocatur) idcirco correctionem adhibuit Dionyſius, inquiens, Si ita loqui fas eſt, *ac per ſe 7. exiſtunt*) Non eſt vſus hoc exemplo Dionyſius, vt quidam exiſtimarunt ſecundum opinionem eorum qui tradebant lumen eſſe ſubſtantiam corpoream, & non qualitatem: quod enim poſuit Dionyſius lumina lampadarum per ſe exiſtere; non ad lumina retulit, ſed ad lampadas quæ per ſe exiſtunt, ſicut faces & tedæ: itaque faces ardentes, ſive lampadas accenſas luminibus in vnum connunctis per ſe exiſtentes cum proprietatibus hypoſtaticis per ſe ſubſiſtentibus in lumine ſubpraſubſtantiali Trinitatis diſcrete vnitis, & vnite diſcretis comparat: & quod ſequitur in Dionyſio, Et ſi quis vnum luminare, id eſt, vnam facem accenſam educat è domo, ſimul exibit totum proprium lumen, nihil quidquam aliorum luminum in ſe ipſa ſimul trahens, nec aliquid ſui illis relinquens; ad myſterium incarnationis retulit, vt Pachimerus notauit, interpretatuſque eſt illud: Ego à patre exivi. Filius enim factu homo, qui erat fax quædam humanitatis accenſa lumine divinitatis: non traxit ſecum patrem, neque ſpiritum ſanctum, neque quidquam proprium divinitatis illis reliquit; quin potius eandem totam divinitatem quæ in illis eſt, tulit manens in illis. Ad iden myſterium incarnationis retulit hoc exemplum Leontius monachus, auctor erudititiſſimus: in libro quen contra Neſtorium & Eutichem ſcripſit: docet enin ſic ſubſtantias vniri poſſe ſine mixtione, vt hic ſin mixtione vniuntur qualitates luminum, & vniuntu ſplendores ſtellarum, ſalua proprietate quanti in qual in eo quod manet filius tantum, *ſimul 8. inducitu eſſe patrem*, & ſpiritum ſanctum) Non hoc accipiendum eſt dici ſecundum relationem: ſic enim filiu non refertur ad ſpiritum ſanctum, ſed ad patrem tantum, ſed accipiendum eſt dici ſecundum circumineſſionem, quæ περιχώρησις à Græcis patribus dicitur quia in filio ſunt pater, & ſpiritus ſanctus; & filiu in patre, & ſpiritu ſancto; & ſpiritus in patre, & in filio, & denique vnaquæque perſona in aliis viciſſim. *quod enim eſt 9. alicuius eſſentia*) Sicut qu hominem demonſtrat, animal rationale demonſtrat quia eſſentia hominis eſt animal rationale; ſic qu vnam perſonam divinam demonſtrat, reliquas dua oſtendit: quia figura, quæ habet tres angulos, æquales duobus rectis, omnis trianguli naturam demonſtrat, quia vna & eadem natura trianguli eſt in omnibus triangulis; ſic vna perſona reliquas demonſtrat quia vna & eadem natura eſt in tribus, tametſi infinito intervallo abſunt hæc exempla à divinis perſonis, qu

A non poſſunt definiri, quia ſunt infinitæ : & natura in
eis non dividitur proprietatibus hypoſtaticis, ſicut in
creaturis, ſed eſt ἄναιθεν ὑπεράνω ταυτόν, id eſt, eſt
idem ſupra omnia eadem.

CAPVT X.

*Quod ſupra omnem rationem & mentem eſt omne
quod in Trinitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt,
contemplamur ; & penitus incognitum, & in-
telligentia incomprehenſum, quomodo una &
eadem eſſentia & in unaquaque perſona ex tri-
bus tota & ſola eſt ; & in tribus ſimul eadem
tota & ſola ; & in nulla perſona ulla in re à ſo-
la & tota dimovetur, trine ſimul & ſingula-
riter culta.*

Aut ſic :

B *Quod in Trinitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt,
non ſecundum deificas 3. perſonas eſſentia eius
terminatur ; ſed eſt ſupraquam ratione compre-
hendi poteſt, una trium eſſentia.*

SAnctus Maximus in centuria IIII.c.I.ait unum eſt
bonum ſupraquam ſine principio, & ſupra ſubſtan-
tiam, ſancta ſcilicet trium perſonarum unitas, pater, fi-
lius, & ſpiritus ſanctus, trium qui immenſi ſunt, immen-
ſa naturæ conſociatio, quæ rationem eſſentiæ ſuæ, &
quomodo, ac quid, & qualis ſit nullis penitus perviam
facit ſiquidem omnem notionem intelligentium fugit,
nequaquam ex abdito & penetrali naturæ ſuæ egre-
diens; & omnem cognitionem ſummam & excellentiſſi-
mam in infinitum ſuperat. Idem in eadem centuria ca.
IIII. Vnus Deus unius filij genitor pater, & unius ſpi-
ritus ſancti fons, unitas ſine confuſione, & Trinitas ſine
diviſione, mens ſine principio, ſolus ſolius verbi ſine
principio ſecundum ſubſtantiam genitor, & ſolius æter-
næ vitæ tamquam ſpiritus ſancti fons. Item in ſecunda
C centuria c.I. Vnus Deus, quoniam una divinitas; unitas
ſine principio, & ſimplex, & ſupra ſubſtantiam, & ex-
pers partis, & individua, eadem unitas, & Trinitas, to-
ta eadem unitas, & tota eadem Trinitas ; unitas tota ea-
dem ſecundum ſubſtantiam, & tota eadem Trinitas ſe-
cundum perſonas : pater enim & filius, & ſpiritus divi-
nitas; & in patre, & filio, & ſpiritu ſancto divinitas : to-
ta eadem in toto patre, & in eadem tota totus pater : &
tota eadem in toto filio, & in eadem tota totus filius; &
tota eadem in toto ſpiritu ſancto, & in tota eadem to-
tus ſpiritus ſanctus : tota pater, & in toto patre, & totus
in tota pater, & tota totus pater; & tota eadem totus fi-
lius, & tota eadem in toto filio, & totus tota, & in tota
eadem filius ; & tota eadem ſpiritus ſanctus, & in toto
ſpiritu ſancto, & totus ſpiritus ſanctus tota, & totus in
tota eadem ſpiritus ſanctus. Non enim ex parte divini-
tas in patre, aut ex parte Deus pater. nec ex parte in ſpi-
ritu ſancto divinitas, aut ex parte Deus ſpiritus ſanctus:
nec enim partibilis eſt divinitas, nec imperfectus Deus
pater, vel filius, vel ſpiritus ſanctus ; ſed potius tota eſt
eadem, perfecta perfecte in perfecto patre ; & tota per-
fecta perfecto eadem in perfecto filio ; & tota perfecta
D eadem in perfecto ſpiritu ſancto, totus enim in toto
patre, & ſpiritu ſancto perfecte eſt filius ; & totus in
toto patre, & filio perfecte eſt ſpiritus ſanctus : quam-
obrem & unus Deus pater, & filius, & ſpiritus ſan-
ctus, una enim & eadem ſubſtantia, & virtus, & ope-
ratio patris, & filij, & ſpiritus ſancti, cum nullus ſi-
ne altero ſit, aut intelligatur. Magnus Athanaſius in
epiſtola ad Serapionem : Videamus vero præterea ipſam
etiam à principio relictam traditionem, & doctri-
nam atque fidem Eccleſiæ catholicæ ; quam Domi-
nus quidem dedit, Apoſtoli vero prædicaverunt, &
patres ſervarunt. In hac enim fide Eccleſia fundata
eſt, ab hac qui exciderit, nec erit neque dicetur
Chriſtianus. Trinitas igitur ſancta & perfecta eſt in
patre, & filio, & ſpiritu ſancto, nihil alienum, nec E
extrinſecus collectum habens, nec ex creatore con-
ſtans, ſed tota creatrix, & effectrix; ſui ſimilis, &
ſecundum naturam individua & una huius operatio.
Pater enim per verbum in ſpiritu ſancto omnia facit,
& ſic ſervatur unitas Trinitatis ; & ſic unus Deus in
Eccleſia prædicatur, qui eſt ſuper omnia, & per om-
nia, & in omnibus, ſuper omnia quidem, ut pater,
ut principium, ut fons, per omnia vero per verbum;
in omnibus autem in ſpiritu ſancto. Trinitas vero eſt
non ſolo nomine, & fictione verbi, ſed veritate & exi-
ſtentia Trinitas. Sicut enim qui eſt, eſt pater ; ſic qui
eſt, eſt ſuper omnia Deus, qui eſt huius verbum; &
ſpiritus ſanctus non eſt non exiſtens, ſed potius exiſtit
& ſubſiſtit vere. Neque minus his ſentit Eccleſia ca-
tholica, ne in errorem eorum, qui cum Caipha, & Iu-
dæis, atque Sabellio ſentiunt, incidat : neque plus his
excogitat, ne ad multitudinem deorum cum gentilibus F
voluatur. Et quod hæc ſit Eccleſiæ fides, intelligant
quomodo Dominus, cum mitteret Apoſtolos, præcepit
eis iacere hoc fundamentum Eccleſiæ : Euntes, inquit, Mat.28.
docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine pa-
tris, & filij, & ſpiritus ſancti. Apoſtoli autem profe-
cti ſic docuerunt. Et hæc eſt in univerſa Eccleſia quæ
ſub cœlo eſt, prædicatio : & hoc eſt fundamentum fi-
dei Eccleſiæ. Ex his planum fit, quod omnis pleni-
tudo divinitatis eſt pater, filius, & ſpiritus ſanctus, to-
ta enim & ſola divinitas de unaquaque trium perſo-
narum ſine differentia ulla, & ex omni parte prædica-
tur, & reciprocatur prædicatio de eodem ; nec variatur
in ulla re, niſi in hypoſtaticis : atque hoc eſt illud mi-
rum in modum ingens & arcanum, atque abditum, &
quod nulli naturæ in ulla re contingit, quomodo trium
perſonarum, & (ſi fas eſt dicere) trium ſubiectorum
una eſt eſſentia actu, ſola & tota in unaquaque perſo-
na, ut ſi una perſona abſolute exiſteret : unam eſſen-
tiam actu dico magis unam, quam quæ eſt maxime om-
nium ſingularis. Vt autem repetendo ſummatim mani-
feſta fiat expoſitio materiaria, quæ hac Decade conti- G
netur, demonſtratum eſt per propoſitiones affirmantes,
quod non eſt alia, & ſola natura non creata, niſi ſolus 1
pater, & filius, & ſpiritus ſanctus ; nec alia divinitas,
& virtus, & operatio, niſi ſolus idem pater, & fi- 2
lius, & ſpiritus ſanctus ; nec eſt alia unitas ſupraquam 3
divina, niſi pater, filius, & ſpiritus ſanctus : nec eſt
alia in Trinitate diſcretio, niſi in eo quod eſt eſſe pa- 4
trem, & filium, & ſpiritum ſanctum ; nec eſt in Trini- 5
tate alius fons, & principium totius divinitatis, niſi
ſolus pater ; & quod naturales & ſubſtantiales opera-
tiones ex ipſo prodeuntes ſunt filius, & eius ſpiritus 6
ſanctus ; nec alia eſt operatio, & manus, & digitus
eius, qui eſt ſupra bonum per quem omnia Deus ope-
ratur, niſi eius filius, principium deificandi nos, & 7
ſpiritus ſanctus : neque quæcunque ſingulatim natura-
les & ſubſtantiales energiæ, ſive operationes Dei di-
cuntur, aliæ ſunt præter filium, & ſanctum eius ſpiri- 8
tum ; neque quæcunque uno verbo naturalia & ſub-
ſtantialia Dei dicuntur, alia ſunt præter filium, & ſpi- 9
ritum ſanctum ; neque quæcunque in Trinitate reci-
procantur, pium eſt dicere quidquam in eis eſſe & dici 10
unius perſonæ, quod non ſit & dicatur eſſentia alterius:
neque quæ ſunt perſonæ deificæ, & eſſentia Trinitatis, H
pium eſt dicere alterum non eſſe eſſentiam alterius : ſu-
pra omnem vero mentem & rationem in tribus perſo-
nis, ſive ſubiectis una eſt & tota, & ſola trinæ ſupra
naturam, & infinitæ unitatis eſſentia ſupraquam divi-
na. Perfecta itaque ſunt quæ in hac Decade contexta
ſunt & expoſita, ita ut nihil deſit. Eſt autem inſcripta
Decas, De infinitate in Deo, quia omnis infinitas in
Deo eſt Trinitas, quæ ſupra naturam, & ſupraquam in-
cognita eſt ; & ipſa ſola eſt is qui ſuper omnia, & per
omnia, & in omnibus laude & gloria celebratur unus &
trinus Deus ; & eſſe eius eſt ſubſtantia, & ſubſiſtentia
omnium ; & non eſt in ipſo ulla privatio, neque quid-
quam non ſubſiſtens : nec eſt in eo plus aut minus

niſi

A niſi quæ ab ipſo extra ſe ipſum voluntate propter exuperantiam bonitatis ſuæ producta ſunt.

Ex ſcholiis S. Maximi.

„ Non ſecundum perſonas 1 deificas definitur eſſentia Trinitatis ; definiretur autem, ſi quia eſt vna & eadem, & tota in unaquaque, non eſſet eadem tota in tribus ſimul ; aut ſi, quia eſt vna, eadem & tota in tribus, non eſſet eadem tota ſine vlla variatione & differentia in ſingulis. Perſonas deificas vocat, id eſt, divinas, quia perſona quæ deos facit, non poteſt eſſe niſi Deus.

B

DECAS DECIMA,

De Diuina Simplicitate.

CAPVT I.

Quod non oportet quærere in Trinitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, habitus & diſpoſitiones, ne quæ ſunt aliqua circa ipſam, quæ ſubſtantiam eius compleant.

SANCTVS Maximus in centuria quarta, capite octavo: Ne, inquit, quæras habitus & habilitates in ſimplici & infinita ſubſtantia ſanctæ Trinitatis, ne eam facias compoſitam, ſicut creaturas; quod quidem in Deo cogitare abſurdum & nefarium eſt. Divinus Damaſcenus: Voluntas & ſapientia, & virtus patris eſt filius: non enim oportet dicere in Deo qualitatem, ne dicamus eum ex ſubſtantia & qualitate compoſitum eſſe. Magnus Athanaſius in apologetico pro Synodo Nicena, cuius principium eſt. Bene feci-
C ſti, vt declarares mihi, &c. Si quis igitur, inquit, exiſtimat Deum eſſe compoſitum, vt quod ex ſubſtantia & accidente compoſitum eſt; aut habere extrinſecus aliquod operimentum, & tegi; aut eſſe quædam circa ipſum, quæ ſubſtantiam eius compleant; ita vt cum nos dicimus Deum, vel nominamus patrem, non ipſam inaſpectabilem, & incomprehenſam ſubſtantiam eius ſignificemus, ſed potius aliquid circa ipſum, accuſent Synodum, quæ ſcripſit, ex ſubſtantia patris eſſe filium. Conſiderent, quod duo blaſpheme, & in Deum contumelioſe proferunt, cum ſic cogitant: Deum quendam corporeum introducunt, & Dominum non ex ipſo patre, ſed ex iis quæ ſunt circa ipſum, mentiuntur eſſe. Sin autem ſimplex quidpiam Deus eſt, vt quidem eſt, manifeſtum fit quod cum dicimus Deum, 1 & nominamus patrem, nihil tanquam circa ipſum, ſed ipſam eius ſubſtantiam ſignificamus. Et rurſus idem in oratione,
D cuius principium eſt, Omnibus vobis qui in vnum conveniſtis; de eo quod patres Synodi Nicenæ recte vſi ſunt verbo homouſij: Quia igitur, inquit, excuſatio de iis qui ſcandalizantur, improbabilis demonſtrata eſt, dicite deinceps vos, quomodo non placet vobis nomen ſubſtantiæ? hoc enim neceſſe eſt primum excutere: atqui & vos ſcripſiſtis ex patre genitum eſſe filium. Si igitur cum patrem nominatis, vel Dei nomen dicitis, non ſubſtantiam ſignificatis, nec eum intelligitis, qui eſt id quod ſecundum ſubſtantiam eſt; ſed aliud quid 2 circa ipſum, vel aliquid 3 deterius (ne à me expromatur) his nominibus ſignificatis, oportebat vt non ſcriberetis vos, ex patre filium genitum eſſe, ſed ex iis quæ circa ipſum, vel in ipſo ſunt; vt cum refugitis à dicendo vere patrem Deum, & eum qui ſimplex eſt, compoſitum & corporeum cogitatis, novarum blaſphemiarum inventores reperiamini. Cum autem ſic cogitatis, neceſſario etiam verbum non ſubſtātiam, ſed nomen ſolum exiſtimatis: denique vſque ad nomina opinionem veſtram aſſertis; & quæ dicitis, non creditis eſſe, ſed potius non eſſe ſentitis. Hæ autem audacia Sadducæorum 4 potius, & eorum qu apud gentiles ſine Deo ſunt, exiſtit. Quocirca nequ ipſam creaturam ipſius qui Deus eſt, fabricam eſſ dicetis, ſi hoc nomen pater & Deus non ipſam cau ſam eorum quæ ſunt, ſignificant, ſed aliud quidpian quod vos fingitis: verum hoc indecorum, & vald impium eſt vel ſolum cogitare. Sin autem cum audi mus, Ego ſum qui ſum; & illud, In principio feci Deus cœlum & terram; &, Audi Iſraël, Dominu Deus tuus, Dominus vnus eſt, & illud, Hæc dicit Do minus omnipotens; non aliud præterquam ſimplicem & beatam, & incomprehenſam eius qui proprie eſt ſubſtantiam intelligimus (etſi enim non poſſumu comprehendere quid tandem eſt, tamen cum audivi mus dici patrem, & filium, & omnipotentem, nihi aliud quam ſubſtantiam ipſam eius qui eſt, ſignificar intelligimus; & vos dixiſtis ex Deo filium, ſcilicet e ſubſtantia patris cum dixiſtis, quia & ante nos dicun ſcripturæ Dominum filium patris, & ante ipſas ider pater dixit: Hic eſt filius meus dilectus; filius auter nihil aliud eſt, niſi fœtus ex patre) quomodo non vi dentur patres bene dixiſſe ex ſubſtantia patris eſſ filium, recte arbitrati idem eſſe dicere ex Deo, & di cere ex ſubſtantia Dei? Ex quibus fit manifeſtur quod in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, non opor tet quærere habitus & diſpoſitiones; nec an ſint circ ipſam aliqua naturalia, & ſubſtantiæ propria ad com plendam ſubſtantiam ipſam: niſi forte à nobis ſic di cuntur conſuetudine intelligentiæ noſtræ; & qui non poſſumus aliter intelligere, qui nunc vitam pe ſpeculum, & in ænigmate tranſigimus.

Ex Scholiis S. Maximi.

Cum dicimus Deum, 1 & nominamus patrem, nihi tanquam circa ipſum, ſed ipſam eius ſubſtantiam ſig nificamus, Non contradicit Ioannes Damaſcenus cu ait libro primo Theologiæ cap. 9. Bonum, & iuſtum & ſanctum, & alia huiuſmodi conſequuntur natu ram, non autem ipſam ſubſtantiam declarant & capi te 10. Pater, filius, & ſpiritus ſanctus non declarar ſubſtantiam, ſed relationem, & paulo poſt: Ex his a divinam ſubſtantiam manuducti, non ipſam ſubſtan tiam comprehendimus, ſed quæ circa ſubſtantiam hoc enim dixit Damaſcenus, ſcilicet non ſignificar nomina Dei ſubſtantiam eius, quia nullum nomen ex primit quid eſt Deus perfecte; ſed eum ſignificant im perfecte, ſicut creaturæ imperfecte repræſentant: ſi enim Damaſcenum interpretatus eſt S. Thom. p. 1. c 13. art. 2. in reſp. ad 1. Præterea conſuetudine intell gentiæ noſtræ locutus eſt hic Damaſcenus: quia enim impoſita ſunt nomina ad ſignificandas res, quaten in noſtram intelligentiam cadunt; ſuperat autem in telligentiam noſtram, vt quæ propria ſunt alicuius na turæ, ea intelligamus eſſe ipſam naturam per ſe ſub ſiſtentem; quod in Deo tantum evenit; idcirco de i quæ propria ſunt ſubſtantiæ divinæ, tamquam de pro priis naturæ creatæ, quæ non ſubſtantia, ſed circa ſub ſtantiam ſunt, & illam conſequuntur & complent lo quimur, ſic inquam, loquitur Damaſcenus de perfe ctionibus divinæ ſubſtantiæ, vt loqui ſolemus de pro priis accidentibus, quæ circa ſubſtantiam contempla mur, quæ naturam conſequuntur, ſimiliter nomen pa tris, quod prius convenit Deo, quam creaturæ, & no men filij, & nomen ſpiritus ſancti, relationem, & no ſubſtantiam dicit ſignificare, hoc etiam dicit conſue tudine intelligentiæ noſtræ ex creaturis ſumptæ; qu hoc nomen patris ſecundum modum ſignificandi & intelligendi nobis vſitatum non perſonam, ſed relatio nem ſignificat, quæ per ſe non ſubſiſtit, vt quidem ſubſiſtit in divinis; & ideo non poteſt ſignificare rela tionem, quin ſignificet ſubſtantiam perſonæ, quia ip ſa relatio per ſe ſubſiſtit: ſed quia hoc ſuperat [illegible] gentiam noſtram, idcirco ſecundum conſuetudinem

A intelligendi,& ſecundum noſtrum modum ſignificandi dixit Damaſcenus non ſignificare nomen patris ſubſtantiam perſonæ patris,ſed relationem,Gregorium Nazianzenum ſecutus, qui hoc etiam dixit in oratione prima de filio, licet ibidem concedat ei, contra quem diſputat, ſignificare etiam ſubſtantiam. Si enim exiſtimaſſet Damaſcenus, ideo non ſignificare ſubſtantiam in divinis, quaſi relatio non per ſe exiſteret, error plane fuiſſet, vt S. Thomas 1. p. q. 33. art.2.in reſp. ad 1. notauit: Damaſcenum enim notaſſe videtur, licet non nominatim, pro ea qua fuit modeſtia, cum ait, Vt quidam falſo opinati ſunt. Item Anaſtaſius Antiochenus in oratione prima de rectis dogmatibus veritatis: Nomina,inquit,Trinitatis,pater,filius, & ſpiritus ſanctus non ſignificant eſſe, ſed quomodo eſſe, nec enim qui patrem dixit, ſubſtantiam ſignificavit, ſed omnino habitudinem, *ſed aliud quid 2 circa ipſum)* ſcilicet accidens individuum, quod conſequitur materiam vltimam, quod enim circa ſubſtantiam eſt, accidens per ſe eſt, & ſubſtantiale, quod totam ſpeciem conſequitur, quod ex principiis ſubiecti efficitur; quod in Deo eſſe non poteſt, in quo nihil eſt factum; & multo minus accidens materiale, *aut aliquid etiam 1 deterius)* id eſt, aliquid non in ipſo tamquam accidens, neque circa ipſum tamquam complens ſubſtantiam eius,ſed aliquid circa ipſum extrinſecus, vt indumentum, vt paulo ſupra dixerat idem Athanaſius. *Sadducaorum 4 potius)* Antiqui ignorantes vim intelligendi, & non diſtinguentes ſenſum ab intellectu, exiſtimarunt nihil eſſe in mundo, niſi quod ſenſu & phantaſia comprehendi poſſet; & quia in phantaſiam non cadit niſi corpus,exiſtimarunt nullam rem eſſe in mundo niſi corpus, vt Ariſt.4. Phyſic. tradit, ab iſtis profectus eſt error Sadducæorum, qui aiebant, non eſſe ſpiritum, hæc S. Thom. 1. p. q. 50. art. 1. Idem evenit gentilibus, qui ſine Deo erant colentes opera manuum hominum.

B

C

CAPVT II.

Quod non oportet quærere in Trinitate accidentia quæpiam, quæ in ſubſtantia eius exiſtant; nec differentias ſubſtantiales in ipſa intelligere, ſiquidem & in incorporeis, quæ ab ipſa producta ſunt, non oportet quærere differentiam ſubſtantiæ, & energiæ, neque tamquam aliud in alio iſta vt exiſtant, accidere.

SAnctus Cyrillus lib. 31. Theſaurorum:Si igitur nō quæcumque dicuntur ineſſe in Deo ſecundum naturam, hæc omnino erunt ſubſtantia eius, relinquitur vt dicamus eſſe ea accidentia ſubſtantiæ ſic † voce tenus intellecta, non enim poteſt natura hūmana † aliquid maius in Deo dicere, quam ſecundum 1 ſe;ideirco conſuetudine propria vtimur, cum ea quæ naturæ noſtræ conveniunt, maiorum rerum exempla facimus, vt qui in parva tabula orbem cœli deſcribunt. Idem in eodem libro:Sapientis eſt dicere,nihil accidere ſubſtantiæ Dei,quia habet ex ſe ipſa perfectionem,ſed videmus quod multa ratio coget nos ad intelligendum in Deo tamquam accidentia ea quæ huiuſmodi ſunt, etſi penitus non acciderunt. Et idem adhuc:Si ergo quædā res tamquam accidentia Deo, intelliguntur, quid fruſtra contenditis non eſſe dicendum accidiſſe Deo ingenitum eſſe, cum quædam huiuſmodi appareant, quæ ſunt ſecundum ſubſtantiam eius? Et rurſus idem: Non enim eſt ſubſtantia Dei ingenitum, aut incorruptibile, aut immortale, vel inaſpectabile,nam ſi vnumquodque horum 2 ſubſtantiam ſignificat, ex tot ſubſtantiis compoſitus erit Deus,quot ſunt iſta quæ reperiuntur convenire illi naturaliter. Gregorius Theologus in primo de filio: Vel & immortale, & expers malitiæ, & non variabile ſubſtantia Dei eſt.Sed ſi hoc verum eſt, multæ ſubſtantiæ Dei erunt, & non vna;

D

† Id eſt, ſecundū modum ſignificādi & intelligēdi nobis cōvenientē.

† Id eſt, aliquid maius, quam ut ex rebus creatis dinicit, ex quibus ſciētiā capit.

E vel Deus erit ex his compoſitus, non enim hæc ſine compoſitione erunt, ſi ſunt ſubſtantiæ. Magnus Baſil. Quomodo non eſt ridiculum dicere ſubſtantiam 3 eſſe facultatem creandi? ſubſtantiam item facultatem providendi? & ſimiliter ſubſtantiam eſſe facultatem præcognoſcendi? & vt ſemel dicam, omnem energiam ſubſtantiam ponere? S. Damaſcenus: Deus, inquit, ſimplex eſt, & non compoſitus, quod autem ex multis & diverſis conſtat,compoſitum eſt.Si igitur increatum,eſſe ſine principio,& incorporeum,& immortale,& æternum, & bonum,& poteſtatem creandi, & alia huiuſmodi, differentias ſubſtantiales in Deo dicamus, quod ex iſtis conſtabit, non erit ſimplex, ſed compoſitum. Magn.Dionyſ.cap.11.de cœleſti hierarchia: Sed quia omnes mentes ratione quadam excellenti convenienter ipſarum naturæ,in tria diviſæ ſunt, in ſubſtantiam, & virtutem, & energiam, ſive operationem, cum omnes, aut earum aliquas indifferenter cœleſtes ſubſtantias, aut cœleſtes virtutes vocamus, exiſtimādum eſt declarare nos circuitione eos cœlites, ſcilicet, de quibus ſermo fit, ex ſubſtantia & virtute vniuſcuiuſque eorum. S. Maximus in annotationibus ſeptimi cap.eiuſdem hierarchiæ: Quia, inquit, in divinis mentibus † habitus deiformes dixit, non oportet exiſtimare, quaſi dicat magnus Dionyſius, has virtutes mentium divinarum tamquam accidentia in illis ſicut in nobis, velut aliud in alio ſubiecto tamquam qualitatem advenire. Illud enim tamquam accidens, 4 & tamquam ſubiectum non habet illic locum; quia omnis compoſitio,& illud informe materiæ illinc eiectum eſt. Si enim eſſet aliud in alio veluti accidens in ſubiecto, non viveret per ſe ſubſtantia illa;neque poſſet per ſe deificari,quantum vires pati poſſunt,propter ſolum ordinem qui ſervatur ponendo aliud in alio.Habitus igitur quos in ipſis diximus, ſunt ipſi earum ſubſtantiæ inditi, non autem vt accidens in ſubiecto, quia ſunt expertes materiæ: vnde magnus Dionyſ. in libro de Eccleſiaſtica hierarchia, cap. IV. ſubſtantiales vocat habitus, qui in ipſis ſunt. Adhuc idem Maximus in annotationibus cap. IV. de divinis nominibus. Propter hos ſcilicet radios bonitatis divinæ extiterunt omnes mentes intellectiles, & intelligentes; & ſubſtantiæ,& virtutes, & energiæ:intelligunt enim & ipſæ; quia omnes ſunt mentes, & ſubſtantiæ vitæ, à mente ſuprema creatæ, immo & energiæ, 5 illic per ſe ſubſiſtentes ſunt, & ſubſtantiæ: omnis enim motus & ſtatus illic ſaltem per ſe ſubſiſtentes ſunt, & virtutes viventes, ac ſuperiores, quam vt in eas cadant variationes eorum quæ fluxa & corporea ſunt. Potes autem aliter etiam intelligere virtutes, & operationes; virtutes quidem, quia nondum omnia creata eſſent, virtute tamen omnia in DEO prius extiterunt, quæ producenda erant ab ipſo: operationes vero, quando iam creatura ad effectum adducta eſt. Ex his manifeſtum fit, in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, non poſſe accidens verſari, neque ſecundum habitum, neque ſecundum diſpoſitionem, neque ſecundum † operimentum, 6 neque ſecundum † ſubexiſtentiam, neque ſecundum conſequentiam. Si autem tamquam accidens dicatur, voce tenus tantum ſecundum cogitationem humanam, quia dicitur tantum, oſtenditur: neque differentias ſubſtantiales pium eſt in hac Trinitate intelligere, eſt autem extremæ impietatis excogitare aliud in hac, aliud enim in alio, & tamquam in ſubiecto, denique † accidens neque in 7 incorporeis cœlitibus ab ipſa creatis, qui materia vacant, locum habet.

F

† Habitus deiformes dicit, quibus angeli Deo aſſimilātur, quoad fieri poteſt.

G

† Vel Deus dicitur indutus,cō ſignificatur accidens ex categoria habete.

H

† Vt privationes ſubexiſtunt in habitibus.

† Accidens ſcilicet, quod materiā cōſequitur, id eſt, accidēs corporeum: quia angelus nō eſt corporeus, & multo minus Deus, immo infinitō minus.

Ex Scholiis S. Maximi.

„ *Hoc* 1 eſt quod dicit S. Thom. 1. p. q. 39. art. 2. quod ſæpe alias repetit, intellectus noſter res divinas nominat, non ſecundum modum earum, quia ſic eas cognoſcere non poteſt, ſed ſecundum modum in rebus creatis inventum, *ſi vnumquodque horum 2 ſubſtantiam ſignificat*, ex tot ſubſtantiis compoſitus erit Deus,

A quot ſunt iſta quæ reperiuntur convenire illi naturaliter.) Contra Eunomium diſputans hoc dicit, ille enim, quia ingenitum dicitur de Deo patre, & ingenitum aliud nomen eſt a genito, argumentabatur aliam ſubſtantiam ſignificare ingenitum, & aliam genitum: quaſi vna ſubſtantia non poſſet diverſis nominibus affici. Sic enim S. Maximus in eo loco orationis primæ Gregorij Nazianzeni de filio, vbi quærit Eunomius, quid pater ſignificet, explicans eum: Interrogabant, inquit, hæretici. Eſt ne pater nomen ſubſtantiæ, an energiæ? vt ſi dixerimus eſſe nomen ſubſtantiæ, hinc colligant, filium eſſe diverſam ſubſtantiam à ſubſtantia patris, ὡς τ̃ αὐτῆς οὐσίας ἐν μὴ ἐπιδεχομένης καὶ διάφορα κυρίως ὀνόματα, id eſt, quaſi vna ſubſtantia non reciperet duo & diverſa proprie nomina, ſi enim pater eſt nomen ſubſtantiæ, nunquam eiuſdem ſubſtantiæ nomen erit filius, hactenus Sanctus Maximus, & beatus Baſilius
B libro 2. contra Eunomium: Quomodo igitur, inquit, ô ſapientiſſime, ſi diverſitatem nominum neceſſario ſequitur varietas ſubſtantiæ: recordamur enim hæc te in ſuperiore oratione expoſuiſſe, &c. Hanc igitur impiam Eunomij opinationem cum patres refellunt, Athanaſium dico, Gregorium Nazianzenum, Baſilium, & Cyrillum, compoſitum eſſe Deum argumentantur, ſi nomina quæ Deo ſecundum naturam conveniunt, ſubſtantiam Dei ſignificant; id eſt, ſi vnumquodque Dei nomen diverſum, diverſam Dei ſubſtantiam ſignificet, vt Eunomius volebat, quod quidem nihil aliud erat, quam dicere, vnumquodque diverſum nomen Dei, partem ſubſtantiæ Dei ſignificare, ex quibus vna ſubſtantia Dei compoſita eſſet, at hoc non ſequitur, ſi diverſa nomina, quæ ſcilicet affirmanter & abſolute de Deo prædicantur, vnam & eandem, & totam Dei ſubſtantiam, vt nos dicimus, ſignificent, licet non perfecte, & vt in ſe eſt, quia ex creaturis nunc Deum cognoſcimus non perfecte; & vt cognoſcimus, ſic nomina ſignificant. Sic reſpon-
C det idem Baſilius eidem Eunomio obiicienti nobis compoſitum eſſe Deum, niſi concederetur idem eſſe ingenitum, & lumen quod de Deo dicitur: ſic enim argumentabatur: Si aliud ſignificat lumen quod de Deo dicitur, & aliud ingenitum, compoſitum erit quod ex alio & ex alio conſtat: quod autem compoſitum eſt, non eſt ingenitum: ſi vero idem eſt, & idem ſignificat vtrunque nomen, tantum diſtabit lumen, aut vita, aut bonum, quod de ingenito dicitur, à lumine, aut vita, aut bono, quod de genito prædicatur, quantum ingenitum diſtat à genito, ita ſubſtantiam ingeniti à ſubſtantia geniti ſeparabat Eunomius. Reſpondet Baſilius: At vero ad illud quod ait Eunomius, compoſitum demonſtrari Deum, niſi pro eodem lumen & ingenitum accipiantur, illud dicere poſſumus, quod ſi partem ſubſtantiæ ingenitum acciperemus, haberet locum ea ratio, qua dicitur compoſitum eſſe quod ex diverſis conſtat: ſin vero ſubſtantiam Dei ponimus lumen, vel vitam, vel bonum, totum quod eſt, bonum; totum quod eſt, vitam; totum quod eſt,
D lumen; vitam vero, & lumen, & bonum ſequitur ἀγεννησία, hoc eſt innaſcibilitas, id eſt, eſſe vitam, lumen, & bonum non ab alio; quomodo non erit expers compoſitionis, qui ſecundum ſubſtantiam ſimplex eſt? Non enim modi exiſtentiæ, qui indicant proprietates, ſcilicet ingenitum eſſe, & eſſe genitum, rationem ſimplicitatis lædent: hactenus Baſilius. Quomodo non eſt ridiculum dicere, ſubſtantiam *3 eſſe facultatem creandi?)* Hæc quoque contra Eunomium dici intelligenda ſunt, qui diverſas proprietates Dei, diverſas item ſubſtantias Dei faciebat, vt ingenitum, quæ Dei proprietas eſt, & negationem tantum declarat, ſubſtantiam diverſam à ſubſtantia geniti induceret. Sunt alioqui facultas creandi, facultas providendi, facultas præcognoſcendi, & denique omnis energia naturæ divinæ propria non partes ſubſtantiæ, ſed vt ait Dionyſius, totum id quod Deus eſt, qui eſt omnino ſimplex, & μονοειδὴς, id eſt, vniformis in tribus perſonis. *Illud enim tanquam 4 accidens, & tanquam ſubiectum non habet illic locum)* Quod ait S. Ma- E
ximus non eſſe habitus in angelis tanquam accidens in ſubiecto, non ſolum verum eſt in habitibus materialibus, vt S. Thom. in 1. 2. q. 50. in reſp. ad 1. interpretatus eſt, quia huiuſmodi habitus, vt idem ait, ſunt diſpoſitiones ad eſſe naturale, cuiuſmodi habitus non habent locum in angelis, quia materia carent, quales ſunt proprietates quædam naturales, quæ in animatis & inanimatis reperiuntur, & ad ſecundam ſpeciem qualitatis pertinent, quæ potentiæ etiam naturales dicuntur, non ſolum, inquam, in huiuſmodi habitibus & accidentibus verum eſt, ſed etiam in habitibus qui ſunt qualitates, & ad primam ſpeciem in prædicamento qualitatis pertinent: quos idem S. Thomas dixit excludi à S. Maximo in angelis. Quod quidem non ita eſſe, ex ſcholiis eiuſdem S. Maximi in eundem Dionyſium perſpici poteſt. Vbi enim dicit F
Dionyſius, quem S. Thomas citat, in cœleſti hierarchia cap. 7. eſſe habitus in angelis deiformes, id eſt, quibus Deo aſſimilantur, ſcholium his verbis ſcripſit: interpretabor ad verbum: Nota, inquit, quod divinæ poteſtates (angelos dicit) ſimilitudinem Dei ſecundum habitum habent: habitus autem eſt qualitas ſtabilis & fixa: hinc igitur patefit, quemadmodum liberi arbitrij ſunt; ſiquidem virtutes habent ſecundum habitus acquiſitas, quod copioſius Hammon Adriopolitanus docet in iis quæ contra Origenem de reſurrectione ſcripſit: hactenus S. Maximus. Hos ergo habitus S. Maximus dixit non eſſe tanquam accidens in ſubiecto ſicut in nobis; & rationem reddidit, quia angeli carent materia, & omni materiali compoſitione. Dicendum igitur eſt ſummatim, quomodo in nobis ſunt habitus ſcientiæ & virtutum tanquam accidentia in ſubiecto, idque propter materiam; vt inde intelligamus non ſic eſſe habitus in angelis tanquam accidens in ſubiecto, vt S. Maximus recte dixit. Habitus ſcientiæ in nobis acquiritur principio per converſio- G
nem ad phantaſmata, quæ ſunt in potentiis materialibus ſenſuum, vnde materialiter & diſpoſitive, vt ait S. Thomas, actus, ex quo habitus generatur, in potentiis ſenſitivis eſt, idcirco corrumpi poteſt in intellectu habitus ſcientiæ per oblivionem ex parte memoriæ, in qua ſervantur phantaſmata ſenſilium, à quibus ſpecies intellectiles abſtrahuntur; & per deceptionem falſæ argumentationis, qua ſuadetur contrarium eius quod prius ſciebatur: neutrum autem horum in angelo evenire poteſt, qui nec oblivíſci poteſt, neque decipi, quia liber ab omni materia per ſpecies rerum à Deo inditas & congenitas, quibus habitualiter, vt ait S. Thom. perficitur, omnes naturas rerum ſcire poteſt. Quare huiuſmodi habitus non eſt in eo tale accidens, quale in nobis, vt dixit S. Maximus; nec ipſe angelus huiuſmodi habitus tanquam accidentis ſubiectum eſt: ſed potius ſic huiuſmodi habitus in eo eſt, vt virtus calefaciēdi in igne, vt ait S. Maximus, & Pachimerus Dionyſij paraphraſtes: ſimiliter habitus virtutum, quas per ſenſum capimus, vt ait S. Diadochus in libro de perfectione H
ſpirituali, id eſt, per iuſtum vſum ſenſuum, & earum rerum quæ ſub ſenſus cadunt, quas Iſaac Syrus ἐξωτέρας τάξεως, id eſt, exterioris ordinis vocat, in nobis tamquā accidentia adeſſe & abeſſe poſſunt, quia ſunt materialiter in potentiis ſenſitivis, & tanquam in ſubiecto in appetitivis, quibus accidit obedire, aut non obedire rationi, vnde iuſti auditu, & aſpectu, & ſimiliter in reliquis dicimur; ſicut beatus Petrus de ſancto Lot dixit: erat enim aſpectu, & auditu iuſtus: & compoſitio *2. Petr.*
ex ſubiecto harum virtutum, & ex ipſis virtutibus, materialis compoſitio eſt propter organa corporea: virtutes etiam illæ ordinis interioris, quæ Theologicæ dicuntur, fides, ſpes, charitas, accidentia quoque ſunt in nobis, quia adeſſe & abeſſe poſſunt propter carnem, quæ poteſt ſubiici & non ſubiici legi ſpiritus: aliud enim eſt caro, aliud prudentia carnis, quam Apoſtolus ait legi Dei non eſſe ſubiectam, nec enim *Rom. 8*

A poſſe: at in angelis non ſunt virtutes tanquam qualitates mutabiles, quæ dicuntur & ſunt accidentia, vt quidem eſſent, ſi in angelis materia eſſet, & compoſitio ex materia ſicut in nobis, ſed potius quaſi naturæ fiunt: ſic enim ait Sanctus Diadochus Epiſcopus Photices in Epiro, quem Sanctus Maximus citare & ſequi ſolet, in libro aureo quarundam quæſtionum de anima ſeparata & angelis, quam inſcripſit Apocalypſim, ἐπὶ γὰρ τῶν ἀσωμάτων φύσεων ἐστὶν αἳ κτῶνται ἡ ἐνέργεια, τοῦτο αὐτὸ τῆς φύσεως διὰ πολλὴν ὡς ἔφην λεπτότητα γίνεται, id eſt, In naturis incorporeis, quodcumque operatio acquirit, hoc tanquam naturæ efficitur propter multam, vt dixi, ſubtilitatem vocat τὴν ἀϋλίαν, id eſt, vacationem à materia. Propoſitum itaque fuit S. Maximo interpretari, quomodo intelligendum eſſet quod Dionyſ. dixit, eſſe in angelis habitus deiformes, ne quis erraret, ſi ſuſpicaretur eſſe virtutes angelorum tanquam qualitates quaſdam mutabiles, ſicut in nobis more accidentium: hæc enim quia poſſunt adeſſe &
B abeſſe præter ſubiecti corruptionem, proprie accidentia dicuntur & ſunt, quæ veteres Latini vocabant coniuncta tanquam adventitia: ſic enim vocat Lucretius, verbum Græcum, vt mihi videtur, συμβεβηκὸς interpretatur. Illud enim non pœnitet obſervare hic, quod iſtos habitus virtutum in angelis idem S. Maximus cap. 8. de divin. nomin. ἐπιτηδειότητας vocat, nos habilitates, ſive aptitudines interpretamur, S. Thomas participationes divinæ ſapientiæ & bonitatis eſſe dicit, cum ait 1. p. q. 3. art. 6. in reſp. ad 2. quia ad attingendum Deum per intellectum & voluntatem indigent participare aliquid ab exteriori, ſcilicet ſapientiam & bonitatem divinam, vt ibidem ait: Ideo, inquit, neceſſe eſt ponere in eis habitus: habitus iſtos dicit Dionyſius cap. 4. de divinis nominib. corrupiſſe angelos qui ceciderunt, quatenus aberrarunt ab operatione habitibus iſtis congruente, quos Iudas Apoſtolus in epiſtola ſua dicit non ſeruaſſe principium, ſive, vt vetus interpres vertit τὴν ἀρχὴν, principatum: creati enim erant, vt ait S. Maximus, ad opera bona: crea-
C tionem enim eorum vocauit Iudas principium: ſic Dionyſius locum Iudæ interpretatus eſt, vt S. Maximus obſervavit. Præterea quod Dionyſius dixit corrupiſſe angelos ſuum principium, ſumptum eſt ex Ezech. cap. 28. cum de diabolo ait: Corrupta eſt ſcientia tua cum pulchritudine tua. Hactenus de habitibus in angelis, qui communi vocaculo δυνάμεις quoque, id eſt, potentiæ, à Dionyſio vocari ſolent, vt S. Maximus cap. 5. de divinis nominib. notauit, quod per eos poſſumus prompte operari. Dicendum eſt nunc de potentiis eorum, quæ ſic proprie δυνάμεις dicuntur, quas etiam à ratione accidentium idem S. Maximus excludit. Si enim, inquit, illud eſſe aliud in alio tanquam accidens in ſubiecto, locum haberet in potentiis angeli ſequeretur vt non per ſe viveret angelus, ſed per accidens; & τὸ ζωτικὸν id eſt, poteſtas vitalis, per quam viuit, non eſſet ſubſtantialis in angelo, ſed accidentalis; neque per ſe deificaretur quoad fieri poteſt, ſi potentia item intellectiva angeli accidens eſſet, ſicut in nobis, & non potius ad
D ſubſtantiam angeli pertineret: nunc autem cum potentia angeli ad vivendum, aut intelligendum non ſit accidẽs, ſicut in nobis eſt accidens individui, quod conſequitur materiã, quę eſt principium individuationis, ſed potius accidens per ſe, & proprium ſpeciei, quod S. Thomas 1. p. q. 54. art. 3. in reſp. ad 2. ad formam pertinere dicit, de potentia angeli loquens, non ſequitur vt per accidens viuat, aut accidens beatificetur angelus: quia operari per potentiam propriam, quæ ad formam ipſam & rei ſubſtantiam pertinet, vnde οὐσιώδης, id eſt, ſubſtantialis à philoſophis vocari ſolet, non eſt operari per accidens: quia vt idem S. Maximus cap. 5. de divinis nominib. notauit, vt antea dixi, Philoſophi, inquit, proprietates cuiuſque ſubſtantiæ ſive viventis, ſive vita carentis, ad prædicamentum ſubſtantiæ revocarunt, & hoc vocabulo ſubſtantiæ eas comprehendunt alioqui non confuſis rationibus propriis ſubſtantiarum & proprietatum. *immo & energiæ 5. illic ſaltem per ſe ſubſiſtentes ſunt*) Quia natura angelica per ſe

E ſubſiſtit, idcirco potentias eius operatrices, quæ energiæ dicuntur, & motum proprium ad operationes naturæ angelicæ, & quietem quibus angelorum natura definitur, per ſe dicit ſubſiſtere: motus dixi ad operationes, quales ſunt miniſtrationes propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſicut Apoſtolus ait; Helm. item contemplatio Dei, & perpetua laudatio, & in eis ſtare, ac quieſcere; hæc inquam ſubſtantialia ſunt, id eſt: propria ſubſtantiæ eorum: vnde illis tribuit ſanctus Maximus, quod ſubſtantiæ, ad quam pertinent, convenit, id eſt, per ſe ſubſiſtere & vivere, & non per accidens; quia hæc in ſubſtantia angelorum copulata ſunt ἑνοειδῶς, id eſt, in vnam vnionem cum ipſa, ſaluis alioqui, & non confuſis propriis rationibus ſingulorum, vt ibidem ait Dionyſius: alia eſt enim ratio proprietatis & alia ſubſtantiæ, cuius eſt proprietas, quæ eſt accidens per ſe, ſiue
F proprium: ſic etiam locutus eſt Simplicius, quem S. Thom. in illo art. quæſtionis, quam paulo ante dixi, citat, etſi non probat: Sapientia autem, inquit Simplicius, quæ eſt in anima, habitus eſt; quæ autem in intellectu (id eſt, in ſubſtantia intellectuali) ſubſtantia eſt: ſubſtantiam dixit pro eo quod eſt ſubſtantialis, ſic enim intelligendum eſt, vt S. Maximus intellexit; ſiquidẽ ſubſtantialia philoſophi, vt antea dixi, & vt idẽ S. Maximus notauit, ad ſubſtantiam referunt; & hoc nomine ſubſtantiæ illa comprehendunt: alioqui idẽ S. Maximus cap. 1. de divinis nominib. Sciendum eſt, inquit, quod aliud eſt ſubſtantia, aliud potentia; ſubſtantia enim eſt ex iis quæ per ſe exiſtunt, potentia vero ex iis quæ in alio ſunt. Accidens id eſt, κατὰ περιβολὴν, id eſt, ſecundum 6. operimentum, eſt tegi extrinſecus, vt habere indumentum, quod ad categoriam habendi pertinet; de hoc Athanaſius paulo ante, cap. 1. huius decadis. Accidens κατὰ παρυφίστασιν, id eſt, ſecundum ſubexiſtentiam, eſt accidens ſecundum privationem, vt inviſibile, tenebræ, & ſimilia: privatio enim eſt omnino
G non ens, quia habet ſubexiſtentiam in habitu, cuius eſt privatio, & per quem cognoſcitur; vt tenebra in luce, cuius abſentia eſt tenebra, quæ cognoſcitur cognoſcendo lucem abeſſe. Accidens κατὰ συνέπειαν eſt accidens quod conſequitur naturam, quod vocatur accidens proprium, quod ex principiis eſſentiæ rei naſcitur, ita vt declarata natura, ſimul declaretur quod eam conſequitur, vt riſibile conſequitur naturam hominis: Damaſcenus vocat [illegible] τῇ φύσει. quod alienum etiam eſt à Deo, qui eſt ſupraquam ſimplex natura. Cum ergo dicimus in Deo eſſe ſapientiam, iuſtitiam, & alia ſimilia ei tribuimus, ita loquimur, vt aſſueti ſumus cogitare; quia intellectus noſter non res ſecundum modum earum, ſed ſecundum modum ſuum intelligit itaque voce & locutione ſecundum humanam cogitationem, quam de creaturis habet, accidentia tribuimus Deo, non autem re & veritate, *accidens neque in 7. incorporeis*) De accidente communi quod materiam conſequitur, quod proprie dicitur eſſe in ſubiecto, intelligendum eſt, accidens enim proprium ipſius natu- H ræ potius dicitur eſſe ſubſtantiale, quam eſſe in ſubiecto, quia non poteſt adeſſe & abeſſe à ſubiecto.

CAPVT III.

Quod in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, non eſt quærenda vbique differentia cauſæ, & cauſam habentis, vbi ex ſe ipſa dicitur exiſtere; & vbi ex ſe ipſa prodit ſua energia, ſive operatio; & vbi ex ſe ipſa, & per ſe ipſam ad ſeipſam remeat.

MAgnus Dionyſius cap. 9. de divinis nomin. Quid autem de divino ſtatu, vel ſede dicimus? quid

A quid vero aliud, præterquam manere Deum in ſeipſo, & in eodem ſtatu immobili firme fixum eſſe, & ſupraquam fundatum eſſe ſtabiliter, & ſecundum eadem, & circa idem ipſum, & ſimiliter operari; & omnino eſſe à ſe ipſo immutabilem, & non poſſe transmoveri, & eſſe ex toto immobilem, atque hæc quidem ſupra ſubſtantiam. Idem in hymnis amatoriis ex S. Hierotheo: Producens, inquit, vna eſt ſimplex virtus, per ſe movens ad amatoriam quandam mixtionem ex bono uſque ad extremum eorum quæ exiſtunt, & ab illo rurſus conſequenter per omnia ad bonum, ex ſe ipſa, per ſe ipſam, & in ſe ipſa ſe ipſam revolvens, & ad ſe ipſam ſemper eodem modo revertens. Idem in epiſtola ad Titum: Sic enim contemplantes ſcilicet myſteria nuda velis, venerari poterimus fontem vitæ videntes in ſe ipſum effuſum, & in ſe ipſo manentem, & vnam quandam virtutem ſimplicem, per ſe mobilem, per ſe operantem, numquam ſe ipſam derelinquentem, ſed cognitionem omnium cognitionum vincentem, & ſemper ſe ipſam per ſe ipſam videntem. B Adhuc idem c. iv. de divinis nominib. Amorem vero, inquit, & charitatem Deum vocant, vtpote vim ad ſe adducendi habentem, qui ſolus eſt ipſum propter ſe pulchrum & bonum, & qui eſt ſui per ſe ipſum patefactio, & eximiæ copulationis in vnum, bona emanatio, & amatoria motio, ſimplex, per ſe mobilis, per ſe agens, prodiens in bono, & ex bono in creaturas manans, & rurſus in bonum remeans, in quo & fine & principio carere divinus amor egregie demonſtrat, ſicut quidam perpetuus & ſempiternus orbis propter bonum converſione inerrante ſe circumvoluens, & in eodem ſecundum idem & procedens ſemper, & manens, & revertens. S. Maximus in ſcholiis in Dionyſium c. 1. de divinis nominib. In vniverſum igitur non eſt audendum loqui neque cogitare de divinitate ſupra ſubſtantiam, & abdita, divinitas enim ſolius Dei omnibus occulta virtus eſt ἀρχικὴ eorum qui dij dicuntur, tum angeli, tum homines, quatenus effectrix eſt C eorum qui participatione efficiuntur dij; ipſa, quæ vere ex ſe & ſine cauſa eſt per ſe divinitas. Gregorius Theologus, Et ad vnum, eorum qui ex ipſo, conſenſus. Quem locum cum ediſſerit S. Maximus. Niſi fallor, inquit, vnam dicit divinitatem; ex ipſo autem vno tres perſonas. Divinus Damaſcenus: Divinitatem in tribus ſplendentem, vno ſplendore ex vna divinitate trium perſonarum fulgente, patrem ſine principio, eiuſdem naturæ verbum patris, & conregnantem eiuſdem ſubſtantiæ ſpiritum. S. Theophanes: Vnum trium fulgorem ſubſiſtentem ex una prodeuntem divinitate, idem tribus fulgoribus ſplendens ex vna divinitate prodeuntibus. Et iterum: Tamquam enim ex vno ſole Trinitas ſplendens. In actis ſextæ Synodi œcumenicæ. Vtriuſque naturæ, inquit, vtramque operationem ſcimus, naturalem dico, & ſubſtantialem, & congruam ſine 1 diviſione ex vtraque ſubſtantia & natura prodeuntem ſecundum operationem & † qualitatem naturaliter inſitam; & ſimul neque partibilem, neque confuſam alterutrius ſubſtantiæ operationem 2 coniunctè inductam, hoc facit differentiam operationum in Chriſto, ſicut & differentiam naturarum. Ex quibus efficitur manifeſtum, in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, non oportere conſiderare quod ex ſe ipſa exiſtere dicitur, vel ex ſe ipſa prodit operatio; vel ex ſe ipſa, per ſe ipſam, in ſe ipſam revolvitur: & idcirco differentiam cauſæ. & cauſam habentis ſequi: quin potius manifeſtum eſt prodire ex ſe ipſa ſine diſtantia, & ſine cauſa, & ſine diviſione; vt ſi eſſet virtus quædam abſoluta, & motus ſimplex: per ſe ipſam mobilis, per ſe operans, ex ſe ipſa, per ſe ipſam, ad ſe ipſam revertens & ad ipſam ſemper eodem modo ſe revolvens: & converſione inerrante circumiens. Simul tamen demonſtratum eſt non oportere vbicumque aliquid ex aliquo dicitur, quærere differentiam cauſæ, & ex cauſa proficiſcentis, demonſtratum, inquam, eſt non ſolum ex iis quæ prius diximus, ſed etiã ex iis quæ modo ſubiecta ſunt, quibus oſtenditur confitendum eſſe tres perſonas ex vna divinitate prodire. Si ergo dici ex aliquo, vbique differentiam cauſæ, & cauſam habentis, introduceret, neceſſario tota Trinitas cauſam haberet: ex quo fieret, vt pater in Trinitate ex cauſa profectus eſſet: at hoc abſurdum eſt, non igitur iam vbicumque ex aliquo, in divinis dicitur, ibi differentia cauſæ, & ex cauſa proficiſcentis oſtenditur; ac præterea prodire in divinis ſine diviſione tantumdem eſt, quantum ſine diſtantia, ſive differentia, & ſine cauſa eſſe, ſiquidem quoad Trinitatem, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, quatenus Trinitas colitur, non habet in ea locum τὸ ἀδιαίρετον, id eſt, illud ſine diviſione, quin potius dividitur divinis & deificis perſonis: eritque, quatenus Trinitas eſt, vere diſcreta Trinitas, ſicubi vero dicatur Trinitas non diviſa, non quatenus Trinitas, dicitur, ſed quatenus ipſa Trinitas unitas eſt, igitur non eſſe diviſionem in divina vnitate, eſt non eſſe differentiam in ea, nec eſſe cauſam eius.

D

† Qualitatē naturalem vocat proprietatem utriuſque naturæ.

Ex ſcholiis S. Maximi.

Sine 1 diviſione) ſcilicet perſonæ: non enim propter differentiam ſubſtantiarum divinæ & humanæ diviſus eſt Chriſtus, quin potius idem eſt perfectus Deus, & perfectus homo, rurſus ſine diviſione, quia operatio divinæ naturæ eſt operatio trium perſonarum, quarum vnitas eſſentiæ, vt eſt in Synodo ſexta, actione 11. non poteſt partiri, nec alteri vnitati copulari, ſed potius ſingularis eſt, & extra omnem numerum. Operationem 2 *alterutrius ſubſtantiæ coniunctè inductam dicit*, quia ſic operabatur vtraque natura quod proprium erat, vt altera ſimul operaretur conveniente ſibi, & vt ſe decebat, ſive enim operationes eſſent Deo convenientes, vt miraculorum, caro operabatur vt cum poteſtate divina remittebat peccata, & ore dicebat: Remittuntur tibi peccata tua, & poteſtate divina reſtituebat viſum, & manu & ſputo linibat oculos: ſive operationes humanæ naturæ convenirent, u ſitire, eſurire, fatigari, verbum operabatur permittendo, & volendo: ſive operationes eſſent mixtæ, id eſt partim divinæ, partim humanæ, hoc eſt Deo convenientes, & homini, vt ambulare ſuper mare ambulare enim homini conveniebat, non deprimi ambulando ſuper mare, Deum decebat, quæ operationes θεανδρικαὶ à Dionyſio dicuntur, id eſt, ſimul divinæ & humanæ.

CAPVT IV.

Quod in vnitate Trinitatis non oportet quærer aliud ſubſtantiam, & aliud energiam ſiv operationem: neque tegi homonymia verb energia; nec exiſtimare non idem eſſe in e. ſubſtantiam & energiam.

Sanctus Gregorius Nyſſenus libro 9. contra Eunomium: Quis eſt, inquit, dic mihi, Deus? quibu dominatur, qui eſt aliud quid præter potentiam? S dominatur, & aliud eſt potentia; igitur vincitur pc tentia à non potentia, quod enim eſt aliud quam 1 pc tentia, potentia prorſus non eſt: atque ita reperitu quatenus potentia non eſt, dominari potentiæ. Iuſt nus martyr in iis quæ Photius patriarcha ex eo rec tat. Alia quidem, inquit, potentia ſunt aliquand & actu: Deus autem, vt mens perſpicax intelliget poteſt, ſemper eſt energia, id eſt, actu, non enii ex imperfecto ad perfectum procedit; nec aliud quic quam præter ipſum per ſe actum, eſt ipſa per ſe ſub ſtantia. Theodorus cognomento τῶν γραπτῶν, in ſua con tra oppugnatores imaginum tractatione; Non, inqui vt quidam olim nugati ſunt, cœlos à perſona ſua v: cuos cum carnem aſſumpſit, fac re voluit, eſſeque nc biſcum ſecundum ſubſtantiã, energia vero & dignita

apt

A apud Deum patrem,quia aliud ſubſtantiam,aliud ener-
giam , vt in iis quæ corporea eſſe cogitantur , ſic in
verbo Dei ponebant; quod quidem pij negant. Sciunt
enim in ſimplicibus 2 & incorporeis nihil iſta differ-
re ; quia non ſunt hæc inter ſe diſcernenda , ne quod
eſt ſupra omnem ſimplicitatem , compoſitum eſſe in-
telligatur. S. Maximus in annotatione extrinſecus ap-
poſita ad cap. ſecundum Centuriæ primæ. Bonum,in-
quit , proprie ſecundum ſubſtantiam ex iis quæ ſunt,
cognoſcimus creaturarum effectorem , quod eſt , non
quid ſecundum naturam eſt , plurimum enim differt
credere aliquid eſſe, ab eo quod eſt,ſcire quid demum
eſt hoc. Ex bonitate igitur & energia, & ex operibus
providentiæ propriis cognoſcitur Deus , ſed non ex
ſubſtantia. Energiam vocamus hic opera , non au-
tem potentiam , ſive virtutem operationis , hæc enim
B nihil aliud eſt , præterquam ſubſtantia Dei , ne com-
poſitio in Deo eſſe exiſtimetur. Magnus Athanaſius
libro primo contra Arianos : Interrogent , inquit,
Græcos , vt cum audierint quot ſignificationes habet
verbum, diſcant ſe non bene ſcire de quibus loquun-
tur. Et in epiſtola ad Serapionem : Cum hæc ſic ſint,
& tanta differentia ſpirituum oſtendatur , meliores eſ-
ſetis,ſi de creato ſpiritu audientes, de vno quopiam ex
dictis ſentiretis. Et ſanctus Maximus in diſputatione
contra Pyrrhum : Dicere,inquit, & non prius diſtin-
guere ſignificata verbi , nihil aliud eſt quam omnino
confundere, & obſcura relinquere ea, de quibus quæ-
ſtio eſt : quod quidem alienum eſt ab homine rationis
participe. Idem in eodem : Superius etiam dictum
eſt, oportere eum qui de veritate differit , diſtinguere
eorum quæ dicuntur , ſignificata , propter errorem ex
C homonymia proficiſcentem. S. Anaſtaſius Antioche-
nus in libro qui inſcribitur. Quod Deus eſt incir-
cumſcriptus : Tripliciter, inquit, dicitur energia, po-
teſtas,ſive vis, ſecundum quam naturale eſt Deo ope-
rari ; & habitudo operantis ad opus factum ; & ipſum
illud opus factum. Præterea ſanctus Ioannes Dama-
ſcenus in ſermone inſcripto : De proprietatibus Chri-
ſti : energia,inquit,aliquando ſignificat virtutem ope-
randi , aliquando operari , aliquando opus effectum.
Magnus Baſilius in v. ἀντιῤῥητικῶν , Illud ex aliquo ac-
cipitur, inquit , vel quatenus pertinet ad creationem,
vt cum dicimus omnia ex Deo ; vel ad generationem,
Pſ 109. vt illud , Ex utero ante luciferum genui te , & illud,
Ioan. 8. Ego enim ex Deo exivi ; vel naturaliter, vt cum dici-
mus , Energia † noſtra ex nobis eſt , ſplendor ſolis ex
ipſo. Si igitur corpus Chriſti divinum ex ſpiritu ſan-
cto eſt, non poteſt eſſe ex eo genitum ; quia quod na-
tum eſt ex carne , corpus eſt ; quod autem ex ſpiritu,
ſpiritus , neque rurſus naturaliter ex ipſo eſſe , ſicut
energia eius, quoniam in ſimplici 3 & incorporea na-
tura eandem rationem ſubit ſubſtantia & energia
eius , relinquitur igitur ex ipſo eſſe tamquam creatu-
ram eius. Idem libro ſecundo : Si quidem nihil com-
mune habet virtus cum ſubſtantia, quomodo ex crea-
turis, quæ ſunt effectus virtutis, ad cognitionem eius
facta eſt via ? Sin autem idem eſt ſubſtantia atque vir-
D tus ; quod virtutem ſignat, ſignabit plane etiam ſub-
ſtantiam. Divinus Theodorus cognomento γραπτὸς,
tractans dictum Baſilij : Sic , inquit , pie intelligatur
divina energia ſive operatio æterna : quin potius ipſa
per ſe energia , vt non diſtinguatur à ſubſtantia ; ſed
potius eandem rationem habeat propter proprietatem
ſimplicitatis, & incorporeæ naturæ. Magnus Athana-
ſius in diſputatione Anomoei 4 in perſona adverſarij:
Dic, inquiunt , energiæ 5 imaginem. Si vero idem eſt
energia atque ſubſtantia , ſubſtantiæ ergo imago erit
filius. Gregorius Nyſſenus libro XIII. contra Euno-
mium clarius hanc rationem explicans,& diſtinguens:
Progrediens enim, inquit, Eunomius, tamquam ratio-
ne recte concluſa , alia magis difficilia quam ſuperio-
ra , vt appellat , crimina in nos intendit , multa indig-
natus , & calumniatus rationem , auditoréque ad ea
quæ dicenda ſunt , vehementer irritato , in quibus

† Energia noſtra ex nobis, ut reſpiratio, cibi concoctio, & ſimiles operationes. Dam. 3.

E quædam accuſat impie à nobis confici , quaſi nos non
ſolum nominationes Deo attributas , ad noſtras cogi-
tationes accommodemus , tacens interim quæ iſta at-
tributio nominationum , & quando , ac quomodo fa-
cta , ſed quaſi omnes res miſceamus , & in vnum at-
que idem unigeniti ſubſtantiam & energiam condu-
camus , nulla de hoc ipſo diſputatione habita , neque
demonſtrato quomodo à nobis conficitur , vnum &
idem eſſe energiam atque ſubſtantiam. Apparet ta-
men ex verbis Eunomij , quod dogma Arianorum erat Dogma Arianorum.
diſcernere à Dei ſubſtantia energiam eius.Declarat au-
tem hoc Eunomius in iis quæ contra Baſilium mag-
num ſcribit. Ait igitur , Non oportet eos qui veritati
credunt, ſequentes ſententias aliorum non excuſſas &
inconſideratas, dicere vnum eſſe energiam atque ſub-
ſtantiam. Adhuc idem: Igitur ſi ratio concluſit volun-
tatem eſſe energiam,non autem ſubſtantiam energiam,
F extitit autem patris voluntate filius unigenitus,non ad
ſubſtantiam, ſed ad energiam,quæ eſt etiam voluntas,
neceſſe eſt ſervare filium ſimilitudinem; ac rurſus non
cum ſubſtantia imago feret ſimilitudinem , ſed cum
energia.Contra hoc autem obiicit Baſilius libro ſecun-
do τῶν ἀντιῤῥητικῶν. Si unigenitus eſt imago energiæ,
energia autem eſt dignitatis, dignitas vero ſubſtantiæ,
erit unigenitus ſubſtantiæ imago. Et Gregor.Nyſſen.
in primo contra Eunomium: Si non eſt,inquit, in pro-
pria ſubſtantia energia , quæ Deum quidem ſequitur,
filium vero operatur;quis tam cæcus eſt qui non videat
blaſphemiam confectam ? Ex quibus fit manifeſtum,
quod in vnitate quæ ſupra ſubſtantiam eſt , non eſt
quærendum aliud ſubſtantia , & aliud energia ; neque
oportet regi multiplici ſignificatione verbi energiæ,
energia enim hic virtus operandi univerſum celebran-
da eſt, quæ eſt principium omnium , & cuius ſubſtan-
G tia eſt energia ; non autem illa energia hic laudanda 6
eſt, quam habitudo continet, vel habitudinis effectus,
vtrumque enim horum cum ſit imperfectum, multum
abeſt à perfectiſſimo principio , cui qui addit , nulla
alioqui re indigenti , minuit addendo. Neque pium
quidem erit exiſtimare non idem eſſe ſubſtantiam &
energiam, non ſolum propter ea quæ Ariani blaſphe-
me in filium Dei dicunt;ſed quia imperfectum aliquid
perfectiſſimæ vnitati attribuere omnium fœdiſſimum,
& à ratione maxime alienum eſt.

Ex Scholiis S. Maximi.

„ Deus 1 eſt ſuum poſſe , & ſuum eſſe , & ſuum
operari , & non eſt in eo aliud poſſe, aliud eſſe , aliud
operari , ſed potius unus ſimpliciſſimus actus, & vna
ſimpliciſſima ſubſtantia ac potentia , ſive virtus , *in 2
ſimplicibus & incorporeis nihil iſta differre)* ſcilicet ſub-
ſtantiam & energiam. Loquitur de ſimplicibus & in-
corporeis, quæ ſunt ſuum eſſe, cuiuſmodi ſunt perſo-
næ divinæ , vnaquæque enim earum eſt ſuum eſſe, &
actus purus ; & ideo non poteſt eſſe Deus ſubiectum
accidentis : ſubiectum enim comparatur ad accidens,
ſicut potentia ad actum , *in ſimplici 3 & incorporea na-*
H *tura* eandem rationem ſubit ſubſtantia & energia) id
eſt,idem ſunt eſſentia & virtus eius operandi ; de ſub-
ſtantia ſimplici,quæ eſt purus actus,qui ſolus Deus eſt,
intelligendum eſt : ſicut intelligendum eſt quod dixit
Boëtius, formam ſimplicem non poſſe eſſe ſubiectum,
ſic interpretatus eſt S.Thom. 1.p.q.54.in angelo enim
non eſt idem eſſentia eius , & virtus eius intellectiva;
ſed potius hæc eſt accidens à materia liberum in eſſen-
tia angeli tamquam in ſubiecto recepta. In diſputatione
Anomæi , 4 & orthodoxi , quæ tota eſt de ingenito , &
genito , Anomœum vocat Athanaſius Eunomium, &
Ætium, qui filium faciebant diſſimilem patri,hoc enim
ſignificat ἀνόμοιος , ſive Anomœus. Dic,inquiunt,*ener-
gia 5 imaginem)* Quatenus energia eſt virtus Dei effe-
ctrix , idem eſt atque ſubſtantia Dei ; & filius eſt
imago energiæ Dei , ſicut eſt invariabilis imago ſub-
ſtantiæ , conſilij, voluntatis , virtutis , ſive potentiæ,

&

A & gloriæ, ſicut ait idem Athanaſius in eadem diſputatione Anomæi, de qua paulo ante memini. Vt vero accipiebant Ariani vocabulum energiæ pro virtute patris generativa; aiebant fuiſſe filium in patre σπερματικῶς, at, inquit Athanaſius, ſi ſplendor eſt in luce σπερματικῶς, id eſt, ſeminaliter, ſit etiam filius, deinde genitus eſt, inquit, filius perfectus ex perfecto, & non προκοπῇ τελειούμενος, id eſt, non eſt proficiendo ad perfectum adductus, ſicut quæ in ſemine continebantur, ex imperfecto ad perfectum progrediuntur. Idcirco, inquit Athanaſius, dixit Apoſtolus. Character ſubſtantiæ, & non energiæ. Character autem ſubſtantiæ non perficitur proficiendo, ſed in ipſa eſſentia habet perfectionem: ſicut homo eſt character ſubſtantiæ hominis non ex profectu ſive progreſſione, ſed ἐξ αὐτῆς τῆς ταυτότητος, id eſt, ex ipſa eadem natura humana. Energia itaque quæ Deum ſequitur, non differt à ſubſtantia eius, ſed idem penitus eſt, ſecus de operationibus, quæ

Hebr. 1.

B non ſequuntur naturam divinam, ſed ex voluntate eius, & non ex natura pendent, non autem illa energia hic laudanda 6 eſt, quam habitudo continet) id eſt, non laudamus Deum ab eo quod ſit ipſa operatio, quæ refertur ad operantem Deum, & ad opus: hæc enim relatio eſt in creaturis, quæ à Deo pendet, ſicut creatura; & vt accidens eſt, inhæret ſubiecto: vtrumque autem eſt imperfectionis, & ideo non poteſt attribui Deo, quod ſi non eſt operatio Deus, nec erit opus, quod operatione perficit.

CAPVT V.

Quod in unitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, non oportet quærere energiam 1 per ſe ſine ſubſtantia, & non per ſe exiſtentem; neque cogitare ſimul aliud quid cum ipſa unitate; neque ab ea diſtinguere ſuam energiam.

C MAgnus Baſilius in quarto libro τῶν ἀντιῤῥητικῶν cap. XXXI. Si quis dixit perſonam ſine ſubſtantia, negavit etiam exiſtentiam ſubſtantiæ, quod enim ſubſtantiam non habet, & per ſe non exiſtit, ſignificat naturam, quæ non exiſtit, neque prorſus eſt. Gregorius Nyſſenus libro primo contra Eunomium: Si enim, inquit, energia Dei naturalis non exiſtit per ſe, & in hac includitur opus ex non exiſtente confectum, talis plane naturæ eſſe intelligetur opus factum, qualis natura eius cauſæ quæ opus efficit; cogitatione ficta eſt, quod enim factum eſt ex non exiſtente, & in eo continetur, omnibus manifeſtum eſt non exiſtere. Idem in eiſdem: Effectum enim non exiſtentis non parum demonſtrat conſecutio hæc neceſſaria; quin potius ſic demonſtrat, vt neque per prædicationem 2 dicere periculo vacet. Sicut enim neceſſario confitendum eſt eſſe quod ortum ducit ex eo quod eſt; ſic contra, neceſſario confitendum erit non eſſe quod ex eo quod

Eſſe ſubſtātiæ eſt eſſe per ſe: eſſe accidētis eſt ineſſe alteri.

D non eſt, naſcitur. Cum enim ipſum non eſt, quomodo aliud ex ipſo per ſe exiſtet? Si enim non eſt in ſubſtantia propria energia, quæ Deum quidem conſequitur, filium vero efficit, quis tam cæcus eſt, vt non videat, quæ blaſphemia † conficiatur? Adhuc idem in eiſdem: Si enim qui hæc abſurda devitat, energiam dicit eſſe rem quandam non per ſe exiſtentem, cuius effectum eſſe filium decernit, dicat rurſus; quomodo ſequitur ex eo quod non eſt, id quod eſt? quomodo quod non exiſtit per ſe, operatur ea quæ per ſe ſunt? Reperientur enim in his conſequi quidem Deum quæ non ſunt, ea vero quæ non ſunt, cauſam eſſe eorum quæ ſunt; & quæ non exiſtunt per ſe natura ſua, definire & circumſcribere naturam eorum quæ ſunt: & virtus, quæ omnem creaturam efficit & creat, comprehenſa erit in eo quod ſecundum propriam rationem non exiſtit. Idem adhuc in eiſdem: Hactenus autem dignum eſt conſideratione, quomodo energiæ conſequantur

† Scilicet eō ſicutur filiū genitū eſſe perfectiorem genitore, ſiquidem filius per ſe eſt, & ex quo eſt, non eſt per ſe.

E ſubſtantias: & quid ſint ſecundum propriam naturam, aliud ne præter ſubſtantias, quas conſequuntur, an pars illarum, & eiuſdem naturæ? quod ſi aliud ſunt: quomodo, & à quibus productæ? ſin autem idem ipſum: quomodo abſciſæ, pro eo quod ſimul cum eis exiſtere debebant, eas extrinſecus conſequuntur? vtrum neceſſitas quædam naturalis cogit vt involuntarie ſequatur ſubſtantiam energia, quæcumque tandem ea ſit; ſicut vſtio ignem ſequitur, & vapores atque halitus corpora illa ſequuntur, vnde fiunt? at non puto ipſum dicere hoc, vt exiſtimet variam quandam rem & compoſitam eſſe ſubſtantiam Dei, quæ inſeparabilem, & ſecum ſimul cogitatam energiam habeat, vt accidens in ſubiecto demonſtretur: ſed eam potius voluntarie & libere excitatam, energias vt videtur, dicit per ſe eſſe efficere. Ecquis quod ex providentia voluntarie fit, ſequi dicit ſicut aliquid eorum quæ foris ſequuntur? Nec enim ſecundum communem conſuetudinem in huiuſmodi rebus hoc vocabulum tritum eſ-

F ſe cognovimus, vt energia, 3 ideſt operatio laborantis in aliquo, dicatur ſequi laborantem: nec enim fieri poteſt, vt qui alterum ab altero disiunxit, quod relinquitur, per ſe intelligat: immo qui energiam, id eſt operationem dixit, ſimul comprehendit ratione, quod ſecundum energiam, id eſt, operationem movetur: & qui meminit operantis, energiam, id eſt operationem ſimul cum eo tacite ſignificavit: ſed manifeſtius, quod dicimus, exemplis fiet. Dicimus quendam fabrefacere, aut ædificare, aliudve aliquid eorum quæ talia ſunt, operari: vna igitur voce & energiam, id eſt operationem, & eum qui artem exercuit, per ſe oratio repræſentavit: ita vt ſi alterum ſeparetur, non ſubſiſtat reliquum. S. Cyrillus libro VII. ad Hermiam: Simplex, & non compoſitus proprie & primum Deus, ô amice, non ex natura & energia, tamquam alia præter ipſum, compoſitus eſſe intelligitur, ſed potius vnum quid eſſe omne. Et ſanctus Maximus ediſſerens hanc rationem. Omne, inquit, quod habet aliquid ſimul

G cogitatum ad declarationem ſuæ propriæ exiſtentiæ, compoſitum eſt, & non ſimplex proprie. Ex his efficitur manifeſtum, quod in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, omnino abſurdum eſt, energiam eius quæ omnium efficaciſſima eſt, & ſupraquam infinitæ virtutis, ponere non per ſe exiſtere ſecundum propriam ſuam rationem. Sin vero per ſe vere exiſtit, magis adhuc abſurdum, & magis impium appareat, ſimul cum ipſa vnitatem, quæ omnem ſimplicitatem vincit, cogitare, vel prorſus hanc ab hac diſtinguere: exiſtimaréque aliud eſſe ſuam ſubſtantiam, aliud vero ſuam energiam, id eſt, ſuam virtutem propriam operandi.

Ex Scholiis S. Maximi.

Energia 1 proprie vocatur operatio, quæ conſequitur naturam, quæ eſt virtus operandi, quæ eſt in Deo infinita. Ariani enim energiam, ſive operationem Dei naturalem à ſubſtantia diſtinguebant, & filium aie-

H bant eſſe non ex ſubſtantia Dei, ſed ex energia eius, id eſt, ex virtute generativa: at in Deo omne quod eſt, Deus eſt, quia eſt actus purus; non ſicut in angelis, qui, vt ait Dionyſius in cœleſti hierarchia, dividuntur in ſubſtantiam, virtutem, & operationem: vnde aliud eſt in eis ſubſtantia, aliud virtus intelligendi, aliud intellectio: Deus vero eſt ſua intellectio, & ſua virtus, vt *neque per prædicationem 2 dicere periculo vacet*) quia in Deo dicimus eſſe ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam, & alia huiuſmodi, non quod per eſſentiam aliud ſit in alio, quin potius idem eſt quod eſt, & in quo eſt, ſed per prædicationem ſic loquimur nullo periculo. Vt enim ait Cyrillus in Theſaur. libro 2. capite 1. multa de patre & filio divinæ ſcripturæ prædicant, neque tamen diverſitas nominum diverſitatem ſubſtantiæ oſtendit, nec vlla diſſimilitudo eſſentiæ inter patrem & filium intelligitur, at prædicare

A filium eſſe genitum ex non exiſtente, neque ſic quidem à periculo vacat, qui enim ſic prædicat, conſequenter dicturus eſt non exiſtere genitum, aūt genitum eſſe perfectiorem genitore *In iis ; quæ ad aliquid* dicũtur, non habet locum alterum conſequi, ſed vtrumque ſimul eſſe, & ſimul tolli, & idcirco de operatioue quæ eſt habitudo, non proprie dicitur energia.

CAPVT VI.

Quod in unitate Trinitatis non oportet quærere aliud ſubſtantiam, & aliud bonitatem: nec aliud formam, & aliud ſubſtantiam: nec aliud vitam, vel ſapientiam, vel virtutem, aliud vero ſubſtantiam eiuſdem.

B Dominus in Evangelio ait: Nemo bonus, niſi vnus Deus. S. Cyrillus in Theſauris libro XII. *Luc. 18* cap. XIV. Quomodo, inquit, eſt vnus bonus, vt ipſe teſtatur? nempe quia ſancta Trinitas in vnam divinitatem redit propter vnam & eandem ſubſtantiam, vt tantum divina ſubſtantia ſit bonum proprie. Magnus Baſilius. Bonus, inquit, ſpiritus, ſicut bonus pater, & ſicut bonus ex bono genitus, cuius ſubſtantia eſt ipſa bonitas. Sanctus Gregorius Nyſſenus in libro de vita Moyſis ait: Primum, & proprie bonum, cuius natura eſt bonitas, ipſe Deus, quodcumque natura 1 intelligitur, hoc eſt, & nominatur. Et magnus Apoſtolus: Qui cum in forma, inquit, Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo. *Phil. 2.* Divinus Chryſoſtomus in oratione ſexta de incomprehenſo ſic ait: Cum, inquit, eiuſdem formæ, & eiuſdem figuræ eſſe dicit, quid aliud declarat, quam ſubſtantiam unam ſine ulla varietate? Non enim eſt circa Deum forma, vel facies. S. Cyrillus. Forma, inquit, in Deo ſubſtan- C tia accipitur à patribus, ſicut ab Apoſtolo: nefas enim eſt & impium, in Deo, qui in aſpectum non cadit, formam dicere ſpeciem. *Ioan. 11* Dominus in Evangelio: Ego, inquit, ſum reſurrectio, & vita. Sanctus Cyrillus in actis ſanctæ & œcumenicæ ſextæ Synodi: Sicut unitas, inquit, non poteſt dividi in duas vnitates (ſiquidem unitas in has diviſa non erit unitas, ſed duo) ſic quod eſt vnum ſumma copulatione, non poteſt dividi in duo; alioqui non amplius erit Deus vniverſi ſimplex natura, ſiquidem eſt alia præter ipſum, quæ eſt in ipſo vita. Et rurſus idem: Primum quidem, non eſt ſimplex natura Deus vniverſorum, ſed potius compoſitus, & ex duobus conſtans; ſiquidem eſt alia præter eum, quæ in eo eſt vita. Gregorius Nyſſenus in vita Moyſis: Ens entium eſt vera vita; hoc autem cognoſci non poteſt: quia igitur cognitionem vincit vita vivifica: omne quod cognoſcitur, non eſt vita. Divinus Apoſtolus: Chriſtus, inquit, Dei virtus, & Dei *1. Cor. 1.* ſapientia. S. Gregorius Nyſſenus libro VII. in Cantica canticorum: Dominus, inquit, natura ſua id ipſum D quod eſt, veritatis, & ſapientiæ, & virtutis ſubſtan- *Pſ. 103.* tia eſt: idcirco quod David dixit, Omnia in ſapientia *Coloſ. 1.* feciſti, interpretatus Apoſtolus prophetam, in ipſo ait omnia creata eſſe, tamquam hoc Propheta ſignificaverit vocabulo ſapientiæ. Idem Gregorius in eiſdem: Qui omnium cognitionem in ſe ipſo comprehenſam habet, cuius infinita ſapientia, quin potius cuius eſſentia ſapiẽtia eſt. Cyrillus in Theſauris: Nõ quia ſapientia in nobis, & ſcientia non exiſtit per ſe, idcirco ſapientia, quæ in Deo eſt, non per ſe exiſtet, ſed ſi confiteris non eſſe naturæ noſtræ Deum, plane confiteris, omnia quæ eius ſunt, non eſſe ex noſtris: ſed potius noſtra ſuperant, ac tantum ſuperant, quantum ſuperant & differunt ſecundum rationem ſubſtantiæ. Ex quibus fit manifeſtum, quod in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, neque bonitas ipſius, neque forma ipſius, neque vita ipſius, neque ſapientia, neque virtus ipſius alia quædam ſunt præter ſubſtantiam ipſius: quin potius hæc omnia unica eius ſubſtantia ſunt. E

Ex ſcholiis S. Maximi.

Quodcunque natura 1 intelligitur, hoc eſt, & nominatur.) Quid natura ſit Deus, intelligi non poteſt; nec hic Gregorius contradicit, qui in eodem libro ait: Quid oporteat ſolum de Deo cognoſcere, ſcilicet nihil eorum eſſe quæ humana mens cognoſcere poteſt. Significat igitur hic Gregorius Deum ex creaturis, quas intelligimus, intelligi quod ſit, & illa eſſe ſecundum cauſam, etſi perfectiones nominibus Dei ſignificatas Deo proprie, & prius, & eſſentialiter convenire, & à creaturis participari certum eſt, & in ea excellentia, in qua Deo conveniunt, non poſſe à nobis intelligi. F

CAPVT VII.

Quod in unitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, non eſt quærendum aliud eſſe cognitionem eius, vel charitatem eius, vel pulchritudinem eius, vel immortalitatem eius, & alia eiuſdem: aliud vero ſingularem eius ſubſtantiam, & exiſtentiam ſupraquam divinam.

Sanctus Cyrillus in Theſauris libro XXXIV. Deum eſſe ſimplicem, & compoſitionis expertem omnes fatebuntur, abſurdum igitur eſt dicere habere eum huiuſmodi cognitionem ſui, qualem nos, etenim ſi aliud eſt ipſe, & aliud præter ipſum cognitio in ipſo, compoſitus eſt, & non ſimplex, at quia ſimplex confeſſione omnium eſt: non eſt aliud præter ipſum cognitio in ipſo, nos autem non ſic, ſumus enim aliquid proprie ſecundum ſubſtantiam in ſubſtantia autem habemus poſitam cognitionem, vt colorem in corpore. G S. Maximus in centuria tertia cap. V. Omnis, inquit, cognitio earum rerum quæ ſunt, habitudo eſt quæ extrema quædam colligat: eos dico qui cognoſcunt, & ea quæ cognoſcuntur: hæc autem non 1 cognoſcitur ab iſtis qui cognoſcunt, neque ſimul cognoſcitur cum cognitis: non enim cognitio apta eſt natura ſua vlla ex parte, vt cognoſcatur: Deus autem ſecundum eſſentiam ſuam, quodcumque eſt ſecundum ſubſtantiam, cognitio eſt ineffabilis, quæ in mente & verbo & ſpiritu per ſe exiſtit. Deus igitur omnino eſt creaturis ignotus, vtpote ipſa per ſe cognitio, niſi cui placeat dicere eſſe etiam Deum ſupra hanc immenſe. Et rurſus Cyrillus in capitibus de ſpiritu ſancto: Deus, *1. Ioan. 4.* inquit, charitas eſt, vt Ioannes ait: & non eſt quidquam aliud ipſe, & aliud quid, quod in ipſo eſt; ſimplex enim & ſine compoſitione eſt. Idem adhuc libro XXXII. Theſaurorum: Omnia mihi tradita ſunt à patre meo, & nemo cognoſcit filium, niſi pater; neque *Mat. 11.* patrem quis novit, niſi filius: quia ſcilicet nulla mens creata poteſt vllo modo divinam ſubſtantiam complecti, quia omnem mentem vincit: & ſupra omnem notionem fertur pulchritudo eius quæ ſupra naturam eſt, & deleri non poteſt: & à ſe ſola quid ſit ſecundum naturam, cognoſcitur. H S. Gregorius Nyſſenus in commentariis in Cantica: Quod vere beatum eſt, ipſe Deus eſt: quidquid tandem eſſe eum ponamus: beatitudo eſt illa vita immortalis, & illud bonum immortale, & quod intelligi non poteſt; pulchritudo quæ non expromitur, & ipſa per ſe gratia, & ſapientia, & virtus. Et magnus Athanaſius in quadam diſputatione Orthodoxi & Anomæi. Orthodox. Aliam & aliam perſonam habemus; non autem aliam & aliam immortalitatem, quam per vnum baptiſmum accepimus; ſi enim alia & alia immortalitas eſt, & aliud & aliud baptiſma, & alia & alia fides; non eſt unus Chriſtus, vna fides, vnum baptiſma. *Ephes. 4.* Anom. At noſtra perſona alia

eſt

A eſt præter immortalitatem, & baptiſma: igitur perſona Chriſti alia perſona eſt præter immortalitatem. Orthod. Minime: immo hæc ipſa perſona & immortalitas eſt; & non ſolum immortalitas, immo etiam incorruptio, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, & dominatio, & virtus. Ex quibus patefit, quod in vnitate ſupra ſubſtantiam non oportet quærere, aliud eſſe ſui cognitionem, quia habere eam dicitur; aut ſimiliter aliud eſſe ſuam charitatem, vel pulchritudinem, vel immortalitatem, vel alia; ſed ſuam ſingularem ſubſtantiam, & exiſtentiam: quin potius cum hæc abunde ſit, ea vt ſe ipſam habet.

Ex Scholiis S. Maximi.

Cognitio 1 non cognoſcitur primo ab intellectu humano cognoſcente, quia primum obiectum intellectus noſtri in præſenti ſtatu eſt ens & verum conſideratum in rebus materialibus: cognitio autem eſt B immaterialis, & ideo cognoſcitur poſt obiectum materiale prius cognitum; neque cognoſcitur ſimul cum obiecto cognito, vt cognitio lapidis non cognoſcitur ſimul cum lapide, quia cognoſcere lapidem non eſt perfectio lapidis cogniti; alioqui vno actu cognoſceretur, ſicut cognoſcitur vno actu res cum perfectione ſua; ſicut angelus vno actu intelligit ſuam eſſentiam, & ſuum intelligere, quod eſt perfectio eſſentiæ eius, ex S. Thom. 1. p. q. 87. art. 3.

CAPVT VIII.

Quod in vnitate ſupra ſubſtantiam non oportet quærere, quia hæc eſt omnia, idcirco multa eius eſſe & diverſa omnia, eſt autem ea omnia ipſa divina & beata eius ſubſtantia, quæ habet C *omnia non vt alia in alio, ſed ſine habitudine & collecte, nihil habens duplex, & ſupra omne vnum.*

SAnctus Maximus in eo libro qui inſcriptus eſt, Quod in Chriſto eſt rerum, id eſt, ſubſtantiarum differentia: Omnis, inquit, differentia, quæ diſſimilitudinem, vel diverſitatem aliorum ab aliis ſecundum rationem aliquo modo exiſtendi declarat, quantitatem rerum differentium ſecum naturaliter inducit, ſive ſubſtantiarum, ſive qualitatum, ſive proprietatum; quod vero penitus ſimplex eſt, non admittit differentiam, quia idem penitus eſt ſibi ipſi & ſingulare, & totum ex toto habitudine nudum, ſicut genus in quantum non habet quod de ſe prædicetur: & ob eam cauſam omnino non numeratur, neque dividitur. Idem capite quinquageſimo de energiis & voluntatibus. Cum omni, inquit, differentia ſimul inducitur D quantitas, & cum omni quantitate coniunctus eſt numerus, qui eam declarat, non enim fieri poteſt, vt vel differentia ſit ſine quantitate, vel quantitas ſine numero, qui eam declaret, dignoſcatur. Idem capite III. centuriæ III. Quod eſt penitus vnum proprie, non habet differentiam: quod autem non habet differentiam, extra omnem etiam habitudinem eſt: quod autem habitudinem non habet, etiam non coërcetur: quod autem non coërcetur, principio caret: quod vero principio caret, etiam eſt infinitum: ſolus igitur Deus eſt ſine principio, & infinitus, & ſine habitudine, & ſine differentia; quia proprie eſt ſingulariſſimus natura, & ſimplex, & non circumſcriptus, hoc eſt infinitus. Idem in IV. cap. eiuſdem centuriæ: Nihil eorum quæ ſunt, eſt non circumſcriptum, quoniam neque liberum à prædicamento: ſolus Deus eſt extra prædicamentum, & idcirco ab omni circumſcriptione liber, vtpote infinite in infinitum celſior omni ſubſtantia, & mente, & ratione, & intelligentia. Sanctus Athanaſius in oratione, quam inſcripſit [illegible], in annuntiationem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ, matris Dei: Quamobrem, inquit, & ipſe vnigenitus E *Ioan. 16.* Deus ait: Omnia quæ habet pater, mea ſunt: & patri *Ioan. 17.* dicit: Mea omnia, tua ſunt: & tua mea; & glorificatus ſum in ipſis. In omnibus enim, in quibus glorificatur pater, cum de Deo ſermo ſit, glorificatur etiam filius, & ſpiritus ſanctus, hinc dicitur perfectus Deus pater, perfectus Deus filius, perfectus Deus ſpiritus ſanctus: quia nihil ex plenitudine divinitatis vnicuique perſonæ deeſt; ſed potius ἰσότητα id eſt, æqualitatem habet omnium proprietatum; in quarum æqualitate plenitudo divinitatis cernatur; ab ἴσου enim, id eſt æquali vox feminina ἰσία derivatur, id eſt æqualitas, quæ eſt comprehenſio conſtituens æqualitatem multorum; quorum enim æqualis quædam ſubſtantia eſt differentium proprietatum, ἰσία dicitur, tamquam ἴσια καὶ μία, id eſt, ſancta & vna; & quia ἰσία dicitur ſecundum etymologiam mutatione, ι, in ο & acceſſione F litteræ, υ, efficitur interpretando, οὐσία, id eſt, ſubſtantia tamquam quædam eſſentia ex pluribus in vnum congregatis conflata; hactenus Athanaſius. Gregorius Nyſſenus in ſermone catechetico: Si enim, inquit, bonum, & iuſtum, & ſapiens, & potens ſimiliter dicatur, item immortalitas, & ſempiternitas, & omnis mens pia eodem modo confiteatur omni ratione differentiæ ſublata: neceſſario ſimul tollitur ex dogmate multitudo deorum, cum idem ipſum eſſe in omnibus, fidem in vnitatem circumducit. Idem in eodem: Non enim extra compoſitionem erit huiuſmodi opinio, quæ dicit aliud in alio eſſe: ſed potius neceſſe omnino eſt, ſimplicitate extra controverſiam & dubitationem poſita, ipſam per ſe vitam eſſe verbum Dei. Idem: Omne, inquit, quod circa Deum intelligitur, id erat ante mundi conſtitutionem; ſed tamen hoc nominari dicimus, poſtquam factus eſt qui nominavit. Et divinus Maximus in ſcholiis in Dionyſium G cap. v. de divinis nominibus. Quia, inquit, quidam dixerunt, ideas & exemplaria per ſe foris exiſtere, hos nunc ferit gentiles, & ait: Si ideæ non eſſent ſimpliciter & ſingulariter notiones ſupraquam ſimplices Dei ſupraquam ſimplicis, compoſitus eſſet Deus ex exemplari, & ex ſe ipſo, quem dixit Dionyſius omnem duplicationem recuſare. Idem Maximus in eiſdem ſcholiis cap. VII. exponens quod Dionyſius ait, Imagines quaſdam & ſimilitudines divinorum exemplarium: Quæ, inquit, ſunt, id eſt, ſpecies, & ſingulæ creaturæ, vt omnes ordines angelorum, & omnia quæ ſub ſenſum cadunt, imagines ſunt & ſimilitudines divinarum idearum, id eſt exemplarium, quæ in Deo ſunt: quæ quidem exemplaria ſunt æternæ notiones Dei; per quas, & ſecundum quas omnia erant in ipſo non alia quam ipſe; & producta ſunt: ſicut ait Ioannes in Apocalypſi, quendam in antiquiſſimis angelis dixiſſe ei, quod omnia erant, & facta ſunt; ideas *Apoc. 4.* dixit fuiſſe: & imagines atque ſimilitudines idearum, id eſt, exemplarium dixit eſſe omnia quæ pro- H ducta ſunt: Beatus Chryſoſtomus in homilia de cruce, cuius principium eſt, Quid dicam? quid loquar? quo nomine vos appellabo? Cum dico Deum ſedentem in excelſis, non ſolum in vno, ſed vbique ſedentem dico, non enim diſtantiam loci habet, qui eſt ſuus lo- *Eſa. 6.* cus, qui ipſe omnia capit, cum vero nihil capit. Quis enim poteſt capere naturam incorpoream, & materiæ expertem, atque infinitam, & quæ neque inveſtigari, neque corrumpi, neque intelligentia comprehendi poteſt, quæ eſt hæc Deus? Apud pios enim ſic oportet intelligere Deum: ipſe namque eſt omnia, ipſe eſt noſtra ſpes, vt antea dixi: ſicut ſcriptũ eſt: Hæc eſt vita æ- *Ioan. 1* terna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Magnus Dionyſius cap. v. de divinis nominibus ait: Ex ipſa vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, & in ipſa eſt ipſum eſſe, & rerum principia, & omnia quæcumque ſunt, & quæ quomodocumque ſunt: idque ſine habitudine, & collecte, & vnite: ſiquidem in vnitate omnis numerus vniformiter

Digitized by Google

præextitit: habetque vnitas in ſe ipſa ſingulariter omnem numerum: & omnis numerus in vnum copulatus eſt, & in vnitate eſt: & quanto longius ab vnitate procedit, tanto magis dividitur, & multiplicatur: & in centro omnes lineæ circuli vna copulatione ſimul exiſtunt: & habet punctum omnes rectas lineas vniformiter copulatas inter ſe, & cum vno principio, à quo exierunt: & in ipſo centro omnino copulatæ ſunt: & parum ab eo diſtantes, parum dividuntur: magis autem diſtantes, magis, & vt ſemel dicam, quanto ſunt centro propinquiores, tanto magis cum eo & inter ſe copulantur: & quanto magis a centro diſtant, tanto magis & inter ſe diſtant: immo & in tota natura vniverſi, rationes vniuſcuiuſque naturæ vna copulatione non confuſa collectæ ſunt, & in anima copulatæ ſunt vniformiter virtutes, quæ omnibus partibus corporis provident: non eſt igitur abſurdum ex parvis & minutis imaginibus & exemplis ad cauſam omnium aſcendentes oculis contemplari omnia in cauſa omnium, & quæ ſunt inter ſe contraria, vniformiter & copulate. Ad hæc S. Maximus adiungit: Illud in eo, & ex eo ſic intelligendum eſt, ipſa per ſe ſupraquam bonitas, quæ eſt mens, & tota actus, ad ſe ipſam converſa in actu eſt, non poteſtate prius ſine mente, poſtea mens actu: vnde eſt etiam mens ſolum pura, quæ non intelligit intelligentia extrinſecus introducta: ſed ex ſe ipſa penitus intelligit. Si enim ſubſtantia eius alia eſt: quæ autem intelligit, alia 2 ab eo, non intelligetur ipſe, id eſt, ſubſtantia eius, ſiquid vero habet à ſe, non habet ab alio; ſi autem à ſe, & ex ſe intelligit, ipſe eſt ea quæ intelligit: igitur qui eſt intellectus 3 eius quod eſt, intelligit quæ ſunt, tamquam qui eſt: quare ſi cum intelligit ſe ipſum, intelligit quæ ſunt: ipſe eſt ea quæ ſunt: aut enim intelliget ea quæ alibi ſunt, aut quæ in ſe ipſo tamquam ſua: quæ alibi ſunt, non poteſt fieri vt intelligat: vbi enim ſunt? an in iis quæ ſub ſenſum cadunt? at quæ ſub ſenſum cadunt, non ſunt, vtpote mutabilia, & ortum atque interitum capientia: ſe igitur, & in ſe intelligit: quia vero Deus auctor eſt eorum quæ ſunt, ſi in ſe ea non intelligit, intelliget in eo quod nondum eſt: at ipſe archetypum eſt, id eſt, primum exemplar vniverſi: & quæ intelligit, non accipit eorum typos, id eſt ſpecies, ſive formas ab aliis, ſed potius ipſe eſt exemplar rerum: quare nec ipſe eſt in loco; neque quæ in ipſo ſunt, tamquam in loco ſunt: ſed habet ea, vt ſe ipſum habens, & in eis exiſtens; omnibus quidem ſimul exiſtentibus, & in impartibili in ipſo exiſtentibus, diſtinctis vero in impartibili impartibiliter. Igitur notiones eius ſunt res, res autem formæ ſunt, notiones vero non ſic accipiendæ ſunt, vt quia hoc intellexit, fuit hoc: huiuſmodi enim notionem oportet vt antegreſſum ſit aliquid quod intelligitur, quod fecit vt ipſe intelligeret: ſed potius intelligit quæ ſunt, nempe intelligens ſe ipſum, & cum iis quæ in ipſo inſunt, copulatus. Ex his liquet, quod in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, non oportet quærere multa, & diverſa, quæ in ipſa ſpectantur: primum quidem, quia natura differentium, quantitatem & numerum inducit in ſimplici, & ſine confuſione, & diviſione vno & toto: ſecundo, quia omnia quæ in ipſa dicuntur, ſunt divina & beata eius ſubſtantia, vtpote quæ eſt eſſentia ex pluribus in vnam vnitatem congregatis, omni differentia omnibus modis in congregatis ſublata: & quæ ineſt in his ſine habitudine, & ſingulariter, & non tamquam alterum in altero, ſed maxime ſupraquam copulate, nulla duplicatione poſita: nec enim tamquam in loco omnia exemplaria rerum habet vnitas ſupra ſubſtantiam: nec ipſa horum locus efficitur: ſed potius habet ea tamquam ſe ipſam habet; & ineſt ipſis tamquam ſubſtantia & eſſentia, quorum eſt ſubſtantia & eſſentia, ſolaque puriſſima, & ſine omni ſubiecto actus.

Scholia.

Omne quod circa 1 Deum intelligitur, id erat ante mundi conſtitutionem: ſed tamen hoc nominari dicimus, poſtquam factus eſt homo.) Hoc eſt quod ait S. Thom. 1 p. q. 13. art. 6. Hæc, inquit, nomina Dei bonus, ſapiens, & ſimilia, quantum ad rem ſignificatam prius dicuntur de Deo, quam de creaturis, quia à Deo huiuſmodi perfectiones in creaturas manant: ſed quantum ad impoſitionem, inquit, nominis, impoſita ſunt creaturis, quas prius cognoſcimus, ſignificant enim bonitatem creatam bonus, & ſapientiam creatam ſapiens, &c. quæ Deo per eſſentiam conveniunt, & ἐξῃρημένως, vt ait Dionyſius cap. v. de divinis nominibus, id eſt, elate & eminenter, ipſe enim eſt ſua bonitas, & ſua ſapientia. Quare cum S. Thom. dixit, quod huiuſmodi nomina non ſolum dicuntur de Deo cauſaliter, vt quidam poſuerunt; non notavit Dionyſium, vt quidam ſuſpicantur. De hoc iterum admoneo, ne tanto auctori hoc falſo tribuatur, immo ipſe idem S. Thom. interpretatus Dionyſium cap. v. cum ait. Et neque totaliter ipſi convenit aliquid æternaliter exiſtentium, aut temporaliter ſubſiſtentium, ſed & à tempore, & ab ævo, & ab iis quæ ſunt in ævo, & ab iis omnibus quæ ſunt in tempore ſegregatur: Vniverſaliter, inquit S. Thomas, non convenit ei aliquid de numero creaturarum, ſed ſeparatur per quandam eminentiam, & rurſus. Etiam, inquit, ſeparatur ab iis quæ ſunt in ævo & in tempore per quandam eminentiam. Quod igitur dixit S. Thomas hæc Dei nomina bonus, & ſapiens, & ſimilia, ſignificare eſſe hæc in Deo eminenter, ex Dionyſio, quem interpretatus eſt, ſumpſit, poſtremo in eadem q. 13. p. p. art. 2. quod Dionyſius dixit cap. 1. de divinis nominibus. Omnium ſanctorum Theologorum hymnum invenies ad beatos proceſſus nominationes dividentem, ſic interpretatur, vt voluerit Dionyſius ſignificare, nomina Dei bonus, vivens, ſapiens, & alia eiuſmodi impoſita quidem eſſe à proceſſibus, ſive providentiis Dei in creaturas manantibus, ſed ſignificare ipſum rerum principium, quatenus in eo eſt prius bonitas, & vita, ſapientia, & quidem excellentius quam à nobis intelligatur & ſignificetur, aliud enim eſt à qua re imponitur nomen, & aliud in qua re imponitur, ſic nomina Dei impoſita ſunt à providentiis, quas alij vocant proceſſus, ad ſignificandum ſubſtantiam Dei, licet non perfecte eam ſignificent; ſicut perfecte hoc nomen homo ſignificat ſubſtantiam ſive eſſentiam hominis, quia quid ſit Deus, comprehendi intelligentia non poteſt, vt poteſt comprehendi quid ſit homo, eſt enim animal rationale, quæ eſt perfecta eſſentia hominis, quam homo ſignificat. Immo illud etiam eſt advertendum, vocabulum ipſum, eminentia, & eminenter, quibus S. Thomas, vti ſolet, cum de nominibus Dei loquitur, & quid in Deo ſignificent explicat, ex Dionyſio ſumpſiſſe, qui ἐξῃρημένως, vt paulo ante notavi, dicere ſolet, quod varie licet interpretari, elate, exuperanter, eminenter, eximie, excellenter, ſeparate, quæ autem intelligit, *alia 2 ab eo*, &c. & paulo poſt: igitur *qui eſt intellectus 3 eius quod eſt*, intelligit quæ ſunt, tamquam qui eſt.) Non eo tendunt hæc, vt probet, quod Deus alia à ſe non cognoſcit, aut non cognoſcit cognitione propria, ſed vniverſe, qui fuit quorundam error à S. Thom. notatus & reprehenſus 1. p. q. 14. art. 6. immo dicit Deum omnia alia à ſe cognoſcere, cum ſe ipſum cognoſcit, at ſe ipſum perfectiſſime cognoſcit, igitur cognoſcit omnia alia à ſe perfectiſſime, & quidem propria cognitione, quia in ipſo ſunt perfectiſſime, immo ipſe eſt illa ipſa omnia vt cauſa efficiens, & exemplaris; & ipſa divina eſſentia eſt propria ratio vniuſcuiuſque creaturæ, quæ Deum quomodocumque participat.

CAPVT

A

CAPVT IX.

Quod in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, neque principium eius reperire licet, neque medium, neque finem: neque eſt aliquid totum, quia in vnoquoque eorum quæ intelliguntur, eſt tota, & ſola: nec eſt aliquid eorum quæ ſunt, quia ipſa eſt omnia: neque licet vno nomine eam complecti.

MAgnus Dionyſius in quinto de divinis hominibus. In vno enim, inquit, vt ſæpenumero dictum eſt, omnia quæ ſunt, præhabet, & exiſtere fecit, præſens omnibus vbique ſecundum vnum & idem: & ſecundum idem, omne; in omnia means, & in ſe manens, & ſtans, & ſe movens: & neque ſtans,
B neque movens; neque principium, vel finem, vel medium habens, nec in quopiam eorum quæ ſunt, eſt; neque quidquam eorum eſt; neque penitus ei convenit quidquam eorum quæ in ævo, aut in tempore exiſtunt; quin potius extra tempus, & ſæculum, ſive ævum, & extra omnia quæ in ſæculo, aut tempore ſunt, eſt: quia ipſum per ſe ævum, & ipſum per ſe tempus, & quæ ſunt, & quæ illa quæ ſunt, metiuntur, omnia per ipſum, & ab ipſo. S. Maximus in centuria prima cap. 7. ait: Omne principium, & medium, & finis non vſquequaque negant quin ſecundum habitudinem prædicentur, Deus autem in vniverſum omni habitudine infinite in infinitum ſuperior cum ſit, conſentaneum eſt vt neque principium, neque medium, neque finis ſit; neque quidquam omnino habet eorum, in quibus natura ſecundum habitudinem prædicatio ad aliquid cerni poteſt. Idem in eadem centuria cap. 82. Omnis cognitio habet ſignificationem multitudinis vt minimum duorum media enim eſt habitudo duorum extremorum, quæ inter ſe copulat intelligentem, & rem intellectam neutrum enim poteſt vſquequaque ſervare ſimplicitatem: quia cum eo qui eſt, aliquam rem ſubiectam intelligens, ſimul cogitatur habere poteſtatem intelli-
C gendi: & quod intelligitur, ſubiectum quoddam eſt, vel in ſubiecto; cum quo ſimul cogitatur, quod poſſit intelligi; aut cogitatur ſimul præſubiecta ſubſtantia, cuius eſt poteſtas, non enim eſt res aliqua omnino, quæ ipſa per ſe ſit ſimplex ſubſtantia, aut cognitio, vbi & vnitas ſit individua: Deus autem, ſive ſubſtantiam dicamus, non habet poteſtatem intelligendi, quæ naturaliter cum eo intelligatur; ne habeatur compoſitus, ſive dicamus cognitionem, non habet ſubiectam ſubſtantiam, quæ naturaliter recipiat cognitionem; ſed id ipſum quod ſecundum ſubſtantiam eſt, cognitio eſt Deus, & totus Deus, & ſolum; & ipſa cognitio ſubſtantia; & totus ſubſtantia, & ſolum; & ſupra ſubſtantiam totus, & ſupra cognitionem ſolus: quia vnitas eſt individua, expers partis, & ſimplex. Et adhuc idem: Deus in vtroque penitus ſimplex, ſubſtantia ſine ſubiecto, & cognitio non habens vllum plane ſubiectum S. Cyrillus in Theſauris libro 3. cap. 4. Primum quidem, inquit, ne-
D ceſſe eſt dicere compoſitum eſſe Deum ex diverſis, eiſque ſecum inter ſe valde pugnantibus, ſimili ſcilicet & diſſimili; quæ quidem inter ſe in vno ſubiecto miſceri & cohærere non poſſunt, & ſi ex parte ſimilis, ex parte alia non erit ſimilis, non erit totus lumen, neque totus veritas, neque natura Deus. Præterea etiam ad ipſum qui genuit, manabit blaſphemia gravis: erit enim compoſitus pater ex ſubſtantia & conceptu mentis. Magnus Baſilius libro ſecundo τῶν ἀντιῤῥητικῶν. Siquidem, inquit, tamquam partem ſubſtantiæ acciperemus ingenitum, locum haberet iſtius ſermo, cum ait, compoſitum eſſe quod ex diverſis conſtat: ſin vero ſubſtantiam Dei lumen ipſum ponimus, vel vitam, vel bonum totum, quod quidem eſt totum vita, totum lumen, & totum bonu habet autem vita ingenitum conſequens, quomod non eſt incompoſitus, qui eſt ſecundum ſubſtantia ſimplex? non enim modi proprietatem eius demon ſtrantes, rationem ſimplicitatis lædent. Gregoriu Nyſſenus libro primo contra Eunomium cap. 41 Simplicitas enim, inquit, dogmatum veritatis tam quam fundamentum iacit, Deum, quid eſt, nequ nomine, neque alia quapiam cogitatione & intelli gentia comprehendi poſſe. Sanctus Epiphanius i hæreſi contra Ptolemaitas: Quæ poteſt ab vllo dic tanta illius audacia, quam de Domino vniverſi evo muit? qui ſimul vt intellexit, perfecit hoc, quo quidem voluit; hoc intelligens, quod vult; & tun volens, cum intelligit, totus intelligentia, totus vo luntas, totus mens, totus lumen. Ex quibus fit ma nifeſtum, quod in vnitate Trinitatis neque reperitu principium, neque medium, neque finis, ſi quis vere aliquid horum quærat, multa reperientur, & non vnitas, principium enim, & medium, & finis eorum plane ſunt, quæ dividi poſſunt; vnitas vero individu eſt ſimiliter quod habet principium, & medium, & finem, totum aliquid eſt ex his coagmentatum; quod autem ſic eſt totum, ex partibus etiam eſt totum: partes autem multæ: igitur totum ex multis, vnitas vero expers partium eſt, & non ex multis, aut ex partibus totum. Præterea, quod neque principium, neque finem habet, neque terminum in vtroque habet: & idcirco infinita eſt vnitas, Bifariam enim, inquit, cum infinitum contemplamur, ſcilicet ſecundum principium, & finem, quod non eſt in his, & eſt ſupra hæc, infinitum appellatum eſt. Sed neque formam habet, vel figuram, vel ſpeciem, vel colorem divina vnitas, ſic enim magnus Baſilius libro 4. τῶν ἀντιῤῥητικῶν. Si, inquit, filius vere eſt imago patris, omnis autem imago vel ſubſtantiæ, vel formæ, vel figuræ, vel ſpeciei, vel coloris imago eſt: Deus autem in nullo horum eſt, ſed in ſola ſubſtantia: filius igitur cum ſit imago ſubſtantiæ, ſequitur vt ſit homouſios, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ patris: & relinquitur vt ſit vnitas expers formæ, & figuræ, & ſpeciei, & coloris, expers igitur eſt formæ, quia idem eſt forma, & ſubſtantia Dei. hoc enim ab omnibus Theologis conceſſum eſt. igitur in ſola ſubſtantia eſt Deus, non igitur in forma circa ſubſtantiam, hæc enim forma non eſt ſola ſubſtantia, eſt etiam ſine figura, quia demonſtratum eſt non habere medium: ſi autem non habet medium: neque rotundi, neque recti particeps eſt, quia vbi non eſt medium, nec extrema æqualiter à medio diſtabunt: quod quidem in rotundis euenit: neque rurſus ab extremo ad extremum æqualiter procedit linea, quod quidem in rectis reperitur, ſi autem nec hoc, nec illud: caret igitur figura vnitas divina. Eſt præterea expers ſpeciei: quia ſpecies continentur in generibus: vnitas vero divina nec eſt in alio, nec in ſe: in alio, quidem ſi eſſet, eueniret ei perinde ac ſi in medio eſſet comprehenſa, quod in circuli centro contingit: demonſtratum vero eſt non habere eam partes, neque figuram: non eſt igitur in alio, immo nec in ſe: alioqui idem etiam, quod circulo, ei accideret, ſi ipſa ſe complecteretur, & contineret, non enim poteſt eſſe aliquid in ſe ipſo, quin à ſe ipſo contineatur, etſi enim Deus ex ſe, & ipſe ipſum continet: tamen fieri non poteſt, vt idem contineat, & à ſe contineatur, ſi autem ab alio continetur, hoc eſt quod dicebamus ad figuras pertinere. Caret etiam colore, quia eſt ſubſtantia quæ non eſt in ſubiecto. Quomodo recipiet colores quæ non poteſt cadere ſub aſpectum, qui colores diſcernit? Sicut ergo non eſt hæc omnia divina vnitas; ſic neque habet vniverſitatem, vel vniverſum: quod partes recipit, alioqui incidet vtrumvis eorum quæ diximus. Omnis enim oratio vel effertur vniverſe † in vniverſis, aut in vniverſis non vniverſe, ſed particulariter, & hoc eſt quod ait Dionyſius: Quambrem primum bonus Deus eorũ auctor eſſe

Digitized by Google

A dicitur, deinde eorum univerſe, poſtea partium eorum; tum participantium ea univerſe, deinde participantium in parte, ſive particulariter; quæ perinde ſunt, ac ſi diceret, Genera & ſpecies ſimul, Deum habent auctorem; deinde partes illis ſubiectæ, & qualcumque univerſitates quis dicat, poſtea has tamquam abſolutas & abſtractas producit Deus; deinde tanquam aliquorum & ipſorum aliquorum univerſitates, non eſt Deus univerſitas ſecundum has univerſitates, id eſt, ad ſimilitudinem harum; ſed ipſa ſola univerſitas, quæ in nulla eſt univerſitate, vniverſa ipſa & ſola univerſitas eſt, omnes univerſitates ex ſe producens, & à nulla univerſitate coercetur, nec enim ipſe eſt in aliquo, nec aliquid in ipſo, ſubſtantia enim eſt nihil habens quod ſit in ſubiecto: & cognitio eſt nihil prorſus ſubiectum habens, idcirco ipſe eſt omnia, & non eſt quidquam omnium, qui à nullo eorum quæ ſunt, continetur: nec eſt nomen eius, quo per rem aliquam ex iis quæ ſunt, nominetur, vnde enim nominabitur, ſi nihil eſt ex iis B quæ ſunt? Præterea totum & ſolum in unitate, eſſentiam exuperantem repræſentat, & non poſitionem quamlibet rerum, perinde enim eſt dicere, totus ſubſtantia, & ſolum eſt Deus, & in ſola ſubſtantia eſt, atque dicere ſupra omnem ſubſtantiam eſſe, & non annumeratur vni ſubſtantiæ earum quas produxit, ſed eſt ſola ex aliis exempta, & prima, & cuius ſubſtantia eſt actus.

C A P V T X.

Quod unitas Trinitatis ſupra omnem ſubſtantiam eſt, & ſupra omnem unitatem, & Trinitatem nobis cognitam: & quod neque ſubſtantia eſt, nec unitas, neque Trinitas ab ullo cognita; nec infinita, aut in multis numerata

C MAgnus Dionyſius cap. XIII. de divinis nominibus: Oportet, inquit, nos à multis ad vnum virtute divinæ unitatis converſos, ſingulariter laudare totam & unam divinitatem, unum quod eſt omnium cauſa, ante omne unum, & multitudinem, & partem, & totum, finitionem, & infinitionem, finem, & infinitatē; quod omnia quæ ſunt, & ipſum eſſe terminat, & omnium, & totorum omnium, & ante omnia, & ſupra omnia una cauſa, & quod ſupra ipſum vnum, id quod eſt, determinat: ſiquidem quod eſt unum, in iis quæ ſunt, numeratur, numerus enim particeps eſſentiæ eſt, quod autem eſt vnum ſupra ſubſtantiam, & quod eſt vnum, & omnem numerum definit, ipſum eſt & vnius, & numeri, & omnis rei principium, & cauſa, & numerus, atque ordo, quamobrem & unitas, quæ laudatur, & Trinitas, quæ eſt divinitas ſupra omnia, non eſt nec vnitas, neque Trinitas, aut à nobis, aut ab alio quopiam eorum qui ſunt, cognita: ſed vt quod in ipſa eſt ſupra quam in unum copulatum, & fœcunditatem vere laudemus, trinum & unum Deum nominamus illum, qui ſupra D omne nomen eſt, nulla autem unitas, vel trinitas, neque numerus, nec unitas, vel fœcunditas, nec aliud quid eorum quæ ſunt, aut quæ ab aliquo eorum qui ſunt, cognita ſunt, explicat obſcuritatem, quæ omnem rationem & mentem vincit; obſcuritatem dico divinitatis, quæ ſupra ſubſtantiam; ſupra rationem & mentem eſt. Rurſus idem extremo capite myſticæ Theologiæ: Rurſus autem aſcendentes dicamus, quod nec anima eſt, neque mens; nec imaginationem, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam habet; neque ratio eſt, nec intelligentia, neque dicitur, vel intelligitur, neque numerus eſt, neque ordo, neque magnitudo eſt, neque parvitas, neque æqualitas, neque ſimilitudo, neque diſſimilitudo; neque ſtat, neque movetur, neque quieſcit, neque habet vim, nec eſt vis, neque lumen, neque vita eſt, neque ſubſtantia eſt, neque ſæculum, neque tempus, nec eſt eius tactio ſub intelligentiam cadens, neque ſcientia, neque veritas eſt, neque regnum, neque ſapientia, nec vnum, nec unitas, neque divinitas, neque bonitas, neque ſpiritus eſt, vt nos ſpiritum cognoſcimus; nec eſt filius, neque pater, nec aliud quidquam eorum quæ nobis, aut vlli eorum qui ſunt, cognita ſunt; nec aliquid eorum quæ non ſunt, neque quæ ſunt: neque quæ ſunt eam cognoſcunt, quatenus eſt; nec ipſa cognoſcit quæ ſunt, quatenus 1 ſunt: nec eſt illi ratio, neque nomen, neque cognitio; neque tenebra eſt, neque lumen, nec error, neque veritas: nec eſt eius in univerſum poſitio, nec ablatio: immo cum eorum quæ poſt ipſam ſunt, poſitiones & ablationes facimus, ipſam neque ponimus, nec tollimus; quia ſupra omnem poſitionem eſt perfecta & ſingularis omnium cauſa; & ſupra omnem ablationem exuperatio omnium ſimpliciter abſtracta, & vltra omnia. Hæc annotavit S. Maximus, inquiens: Nota, quod neque divinitas ſubſtantia eſt Dei, ſicut nec vnum aliquid eorum quæ dicta ſunt, neque contrariorum eis, quare nihil ipſorum eſt, non enim ſunt hæc ſubſtantia, ſed gloria 2 circa eum. Sic Sextus Eccleſiaſticus philoſophus dixit, & Gregorius Theologus libro 3. Theologiæ ſuæ, quod neque divinitas, 3 nec ingenitum, neque paternitas ſubſtantiam Dei ſignificant. Obſerva præterea, quod neque ſpiritus eſt, vt nos ſpiritum cognoſcimus; neque filius eſt, neque pater, ut nos patrem & filium cognoſcimus, illud enim, Vt nos cognoſcimus, in omni negatione ſuperiorum accipe, declarat autem, quod dici ſolet, ſecundum noſtram cognitionem. Neque te moveat hoc caput, vt putes hunc divinum auctorem aliquid blaſpheme dicere, propoſitum enim eſt ei demonſtrare Deum nihil eorum eſſe quæ ſunt, ſed eſſe ſupra omnia, etenim ſi ipſe omnia produxit, quomodo poteſt eſſe aliquid eorum quæ ſunt? Dixit autem, quod nec ea quæ ſunt, cognoſcunt Deum cauſam omnium; at non cognoſcere Deum, interitus plane eſt, verum ſtatim idem expoſuit quod dixerat, cum ſubiunxit, Quatenus ipſe eſt; quod perinde eſt, vt ſi dicatur, Nihil ex iis quæ ſunt, cognoſcit Deum, quatenus eſt, id eſt; ſubſtantiam eius, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, & quæ intelligi non poteſt, vel exiſtentiam ſecundum quam exiſtit. Dictum enim eſt, quod nemo cognoſcit filium, niſi pater; neque patrem quis novit, niſi filius. Mat.11. Ac rurſus ſubiungit magnus Dionyſius, & ait: Nemo cognoſcit filium, quatenus eſt, nec ipſe Deus cognoſcit ea quæ ſunt, quatenus ſunt; id eſt, non novit intendere mentem ſecundum ſenſum ad ea quæ ſenſilia ſunt; nec ad ſubſtantias, quatenus ſubſtantiæ ſunt, hoc enim non convenit Deo, nos enim, qui homines ſumus, ea quæ ſenſu percipiuntur, aut aſpectu, aut guſtatu, aut tactu, intelligimus quid ſint: ea vero quæ ſub intelligentiam cadunt, aut per 4 diſciplinam, aut doctrinam, aut per illuminationem cognoſcimus. Deus autem nullo modo ex iſtis novit ea quæ ſunt, ſed potius ex ſe ipſo cognitionem omnium habet, hoc enim ſignificat ſubobſcure ſcriptura, quæ ait: Qui novit omnia antequam fierent, quod quidem declarat, non ſe- Dan.13. H cundum rationem productionis eorum noviſſe ea Deum ſecundum ſenſum aut intelligentiam; ſed potius ſupra omnem ſenſum & intelligentiam in ſe, tantum intuens. Idem ibidem: Quæ ſunt, inquit, id eſt, creaturæ, non poſſunt ſupra naturam ſuam ferri intelligendo: conſentanee igitur cum in ſe intuentur, divinam naturam ignorant ſecundum illud quod ipſa eſt, ſic igitur divina natura in ſe ipſam intuens, non novit in ſe eſſe creaturas ſecundum rationem 5 ſubſtantiæ eorum, hoc enim ſignificavit cum dixit, Quatenus ſunt; ſiquidem eſt ſupra omnia quæ ſunt, & ipſum eſſe ſupra ſubſtantiam habet, aliter enim nemo diceret ignorare Deum creaturas ſuas. Ex quibus fit manifeſtum, quod vnitas ſupra ſubſtantiam, ab omnibus abſtracta eſt, & ſupra omnia eſt, immenſis enim menſuris, & quæ conferri non poſſunt, cauſæ 6 ſupra effectus locantur, & eximuntur, & ab eis abſunt, vt ſæpe

dictum

A dictum eſt. Quomodo enim creaturæ, & facta, &
quæcumque vocabulo entium ſignificantur, conferri
poſſunt cum natura, quæ vltra omnia eſt? Vnde con-
venienter ſibi, cauſa omnium non eſt vnum eorum
quæ ſunt, non dico quæcumque aliquis numerauerit,
ſed ſi quis cogitatione fingeret, & ad illa quæ vltra ſæ-
cula ſunt, refugeret, opiniones eſſent rationis apud nos
inaniter quidem ad illa quæ vltra omnia ſunt, proficiſ-
centis; tantum vero à re diſtantis, quantum ſimula-
chrum à veritate, & domus ab eo qui eam fabricauit; &
vmbræ ab iis quæ ſunt, & per ſe exiſtũt. Non enim fieri
poteſt, vt quæ finita ſunt, pertranſeant quod infinitum
eſt, quamvis mens multas infinitates reperiat, & ſecum
reputet, nihilominus ab infinitate vera excidit, & tan-
quam cum vmbra pugnare conuincitur attrectans; ſicut
qui tenebris craſſiſſimis involuti ſunt, & in eis ruunt.
Ob hanc cauſam Theologiam ſecundum negationem
in multis valentiorum eſſe Theologia affirmante de-
monſtratum eſt; non quidem quod Theologia ex ne-
B gantibus magis Deum aſſequatur, & attingat (ex æquo
enim vtraque aberrat à coniectura de Deo) ſed quod
Theologia negans plus profiteatur neſcire, qui enim
dixit, quod nec vnitas eſt Deus, propius acceſſit ad
incomprehenſam vnitatem, quam qui poſuit eſſe Deum
vnitatem ſecundum morem vnitatum quæ nobis notæ
ſunt; vt igitur ſummatim repetam quæ in hac Decade
1 expoſita ſunt, demonſtratum eſt à Theologis, non opor-
2 tere quærere in vnitate, quæ ſupra ſubſtantiam eſt,
habitus & diſpoſitiones, vel alia circa ipſam, quæ
ſubſtantiam eius compleant; nec aliqua in ea acciden-
tia, neque differentias ad ſubſtantiam eius pertinentes;
3 neque quia ex ſe ipſa exiſtere dicitur, idcirco oportet
4 conſtituere ipſam eſſe ſui cauſam: nec ponere aliud in
5 ea eſſe ſubſtantiam, & aliud energiam, ſive operatio-
nem: nec exiſtimare operationem ſuam curatricem
ſubſtantia ſecundum ſe carere, & non per ſe exiſtere:
6 nec aliud eſſe ſuam ſubſtantiam, & aliud ſuam bonita-
tem, & ſimiliter in cæteris eiuſmodi: nec aliud eſſe
7 ſubſtantiam ſuam, & aliud cognitionem ſui, & ſimi-
8 liter in reliquis ſimilibus; & omnia quæ in ea ſunt, non
9 differre à ſe ipſa: nec in ea poſſe reperiri principium,
10 medium & finem: nec vnitatem divinam, quæ eſt
C ὑπέρθεος, id eſt, ſupra eos qui dicuntur dij, eſſe ſub-
ſtantiam, nec eſſe vnitatem quæ vocatur, neque tri-
nitatem ab vllo cognitam: ſed potius ſupra ſubſtan-
tiam eſſe, & ſupra omnem vnitatem, & ſupra omnem
trinitatem 7. excogitatam vel aſſimilatam, & ſupra
omne vnum tale abſtractam eſſe, & ad eam accedi non
poſſe. Recte igitur & quæ in hac decade ſunt, ſecundum
expoſitionem materiariã expoſita ſunt: neque quidquam
divinæ ſimplicitati deeſt. Convenienter autem huic in-
ſcriptioni de ſimplicitate divina tota decas ad divinam
ſimplicitatem contexta eſt apte ad duas antegreſſas de-
cades, per propoſitiones enuntiantes ad infinitatem Dei
procedens: ſiquidem nulla infinitas ex iis quæ dicun-
tur, cum infinitate Dei æquabitur, nec enim infinitas
materiæ, & carere eam forma & ſpecie, cum infini-
tate Dei conferendum eſt (materia enim finitur & ter-
minatur ſpecie, & forma ſpeciei, & hæc, ſpecies ſci-
licet, & earum formæ, ſunt termini & fines materiæ)
nec infinitas corporis, quia corpus in infinitum divi-
di poteſt, infinitatem Dei dirimit, quippe cum in cor-
pus dimenſio, & diviſio primum cadat: neque ſecun-
dum primas qualitates, quæ in infinito inſunt, infini-
D tas Dei comparanda eſt, quia in ipſis primum cernitur
plus & minus: neque rurſus infinitum ſecundum ge-
nerationem, & generationis perpetuitas retundit in-
finitatem Dei ſimpliciter, & incircumſcripte circum-
meantis, & non ad inſtar circuli motionem habentis,
quæ ſolummodo eſt cum fit: neque quidquam quod in
cœlo, & in motu eius rotundo accidit (habet enim hic
motus infinitatem propter infinitam potentiam Dei mo-
ventis) immobilem infinitatem Dei excludit: neque
infinitas vniverſi temporis, quia actus eius, quo meti-
tur periodos eorum quæ in tempore ſunt, nunquam de-

De infinitate in rebus multiplici ex Deo manante, & à creaturis participata.

ficit, & numero eſt infinitus, infinitatem Dei coer-cet, quæ eſt ſupra omnem numerum, & omnem perio-dum: item immutabilem eſſe mentem & animum (ſcilicet à libertate arbitrij) & totam ſimul in omni-bus ſui corporis partibus adeſſe, & ob eam cauſam continua & infinita facultate motus corporis guberna-re, non progredietur ad infinitatem Dei, qui has fa-cultates animæ inſeuit, nec innumerabilitas angelo-rum (millia enim millium, & decies centena millium aſſtant throno magnificentiæ eius) neque perennitas ſine dimenſione, ac perinde infinitas vitæ eorum & immortalitatis, infinitatem Dei, quæ omnem nume-rum, & omnem cogitationem vitæ continuæ ſuperat, pertranſibit: nec ipſum ævum, & infinitudo eius om-nibus nota & vulgata, quæ omnem infinitatem intel-lectilium continet, æque porrigetur vt infinitas Dei, qui illud produxit: creatum enim à creatore infinitis men-ſuris ſuperari notum eſt. Si igitur infinitas Dei ſupra-quam infinita nulli ex iſtis infinitatibus ſimili cer-nitur, ſolus igitur eſt infinitus, fons infinitatis effector, qui eſt vnum ſolum ſecundum ſubſtantiam bonum & infinitum, qui omnem infinitatem ex nihilo fecit. Etſi enim illæ poſt Deum infinitates dicuntur, non tamen ſunt ſecundum ſubſtantiam infinitates, ſed ſecundum menſuram tantum, & participationem, & infinitam multitudinem, & ſecundum vitam dimenſione caren-tem, & ſecundum totam ſui præſentiam in totis, & id qui quidem à cauſa ſola effectrice, & non alio modo habent. Conſentaneè igitur dictum eſt Deum eſſe vltra omnem infinitatem, ſolus enim Deus eſt eſſentia infi-nitus, & ſola eſſentia, ſive ſubſtantia Dei eſt ſim-plex, & † vniformis, & expers qualitatis, & quieta & ſeditione carens, infinita, omnipotens, & effe-ctrix omnium, cui gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Scholia.

Quatenus 1. ſunt) id eſt, non cognoſcit alia quate-nus ſunt in ſe ipſis, ſed in ſe ipſo, id eſt, in ſua eſſentia in qua omnes ſpecies rerum ſunt comprehenſæ, & multo excellentius in eo, quam in ſe ipſis ſunt, 2. *ſed gloria circa eum*) Non dixit gloria in eo, quæ eſt increata, id eſt ipſa eſſentia, ſed circa eum ſunt, quæ ab eo creata ſunt, ex quibus à nobis glorificatur & laudatur; *neque divinitas 3. ſubſtantiam* Dei ſignificat, neque ſubſtantia Dei eſt, ſcilicet vt nos divinitatem cognoſcimus, co-gnoſcimus enim divinitatem creatam in iis qui per par-ticipationem dicuntur, ſive angeli, ſive homines ſint: huiuſmodi autem divinitas creata, nec eſt, ne-que ſignificat divinitatem Dei, quæ eſſentia, ſive ſubſtantia eius eſt; ſed potius divinitas, bonitas, ſa-pientia, & cætera, vt nos cognoſcimus iſta; gloria ſunt circa Deum, quia ab his quæ ab eo creata ſunt glorificatur & celebratur, *per 4. diſciplinam*, cum ex magiſtro diſcimus; per doctrinam, cum noſtro ſtudio & induſtria ſine magiſtro docemus; per illumi-nationem, cum Deus revelat, *ſecundum rationem 5 ſubſtantiæ eorum*) quia ipſa divina eſſentia eſt propria ratio ſubſtantiæ cuiuſque creaturæ in infinitum perfe-ctior quam propria ratio ſubſtantiæ in ipſa creatura. *Cauſas* 6. dicit propter perſonas divinas, quæ ſunt alioqui vna cauſa creaturarum, ſicut vna eſſentia, *ſupra omnem trinitatem 7. excogitatam, vel aſſimilatam* Obſeruavit Manuel Calechas in libro de Trinitate ima-gines, quas patres excogitarunt ad aſſimilandum ea vtcumque Trinitati. Gregorius Nazianzenus cum ocu-lo fontis, & fonte, & fluvio comparat: item cum ſole, radio, lumine; item cum mente, ἐνθυμήσει id eſt conſideratione; anima, in quibus non eſt diviſio, vel ſectio; item cum triplici ſole, & vna luminis commix-tione. Gregorius Nyſſenus in libro de Spiritu ſancto contra Macedonium cum tribus lampadibus, quarum vna flamma, idem Gregorius Nyſſenus in libro de Trinitate hæc tria dicit eſſe in nobis, quæ ſunt

A νοῦς, λόγος, πνεῦμα. Mens, inquit, parit rationem; ratio movet mentem; & neque mens ſine ratione eſt, neque ratio ſine mente; ſimiliter ſine ſpiritu, qui eſt in nobis, non exit ex mente, hæc, inquit, ſunt æqualia, & ſeparari à ſe viciſſim non poſſunt, ſic, inquit, intelligendum eſt in Trinitate, alij cum fonte, fluvio, & lacu; cum igne, flamma, & lumine, Cyrillus cum radice, ramo, & fructu; idem cum digito, manu, & brachio; & alias cum roſa, flore, & odore. In his omnibus reperiuntur quædam inſeparabilia à ſe mutuo, quæ aſſumuntur ad declarandum vtcumque eſſe tres perſonas inſeparabiles proprietatibus diſtinctis, & unius ſubſtantiæ, ita ut ab alio ſumatur τὸ ἀχώριστον, id eſt, inſeparabilitas perſonarum; ab alio τὸ ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantialitas.

B

Decima & ultima decadis Finis.

EIVSDEM IOANNIS

CYPARISSIOTÆ

PALAMICARVM TRANSGRESSIONVM SERMONES DVO.

NOTA.

C *DVo iſti Sermones ex grandiori contra Palamitas opere eiuſdem authoris, quod nondum Latine redditum eſt, extracti ſunt, cura R. P. Combeſis O. P. & ex eius interpretatione.*

SERMO PRIMVS.

CAPVT I.

DE PACE, ET QVOMODO EAM Palamas diſſolverit, facta ei ad tempus rei venia; ac qua cauſa ſermonum ſit.

Pacis laudes ac cōpēdia.

PAca nihil puto divinius, uti nimirum etiam bello, & pugna, rixaque nihil moleſtius. Hæc ſic rectè dicta eſſe, humanæ res omnes ipſæ argumento ſunt. Etenim hilaritas & ſecuritas, publici D conventus, feſta item & Legum collationes & iudicia, mercimoniaque & colendorum agrorum compendia atque artium vigor, Philoſophiæque ſtudia & virorum contubernia, amicorumque congreſſus & mixta coniugia, urbiumque omnis felicitas, Pacis fructibus ſunt adſcribenda, ut hæc omnia confluant, ea ratio, eſt quod hæc ritè colatur atque vigeat. Quid verò quis de anni tempeſtatibus dicat, cùm aliis aliæ quodam pacis iunguntur fœdere? terræ fertilis proventus, fauſtæ navigationes, aëris ſerenitas & temperatio, corporum venuſtas: ſanitatum munera, felices partus, ſenſuum illibatus uſus, nihil fallaces memoriæ. Quin in Muſicis quoque Vnitas; inque Geometria Æqualitas, ſummam laudem habent. Vt item ad pacem cœleſtia reſpondeant corpora, cunctaque pace tum committantur tum contineantur ac conſerventur, Pa- E cis ſunt effecta atque opera. Et quid verò neceſſe ſermonem protrahere, cùm in divinis Pax magis vigeat, eamque ubique Scriptura ad omnia canat ac circunſonet? *Gloria*, inquit, *in altiſſimis Deo, & in terra Pax: in hominibus bona voluntas.* Videtur mihi, Lu.2.14 Locus ſcitè enarratus. velut in Angelis præſtantiſſimum eſt videre Dei gloriam, ſic nimirum etiam in terra præſtantiſſimum appellaſſe Pacem, quæ ipſa eadem coadunatio eſt, tumque vinculum, tum beatorum in cœlo Spirituum atque ordinum, tum in terra hominum; atque illis quidem in Dei gloriam paratam eſſe; his verò ad eam quæ à Deo in eos facta eſt, bonam voluntatem. Quinimmo ipſum Dei Verbum ipſa Pax, in terra apparuit, in Dei quidem ac Patris, qui in altiſſimis eſt gloriam, humani verò generis propenſam bonamque voluntatem. Alio namque loco *Pacem* cum *ſuper Iſraëlem* Gal.2.16. Act.28.28. vocat, & *Salutare Gentibus.*

F Vix ſanè enumerare liceat, quæ de Pace ubique voces Theologis celebratæ ſunt. Magnum namque illud, ac quod vim omnem mentis excedit, Salvatoris pro nobis myſterium, eiuſque ad nos, nulla verborum vi explicabili clementia, deſcenſus, reconciliatio cum Deo, ac Pax, appellatum eſt. Et, *Pax Dei*, inquit, *quæ exuperat omnem ſenſum*; Pacem nimirum eam, quæ exuperet omnem ſenſum, vocans, 2 Cor.5.18. Col.1.20 Phil.4.7 qua ſupra quàm Deus factus homo, nos, qui inimici eramus, ſibi ipſe reconciliavit; quo quid decentius ad eximiam Pacis aſtruendam præſtantiam?

Enim verò audivi & Pacem Progredientem ac revertentem, ſi indignus fuerit, qui eam ſuſcipiat: Mat.10.13. quanquam Pax tibi, Pax viro tuo; Pax filio parvulo. Quanquam Deus Pacis; cunctaque ſus deque Scripturæ, Pacis ſunt plena: quinimmò ritè animum attendentibus, omnis quanta eſt, Pax ſit & ſecuritas; Luc 10.6 1.Par.12:18. 4.Reg.4.26. 1.Co.14.35. neſcio tamen quomodo novæ nunc inventores fidei longa protenderunt oppoſitionum deliria, eo ſcilicet fine ut unionem, quæ in Deo eſt, divellant, noſque à dulciſſima Pace abrumpant, Vbique enim cum exceſſu quod contrarium eſt diligentes, magnum Pacis munus diſſolvêre. Tantaſque omnium mentibus G injecerunt ineptias, ut non ſolùm à veriſſimis decretis avocare ſtuderent, nihilque eorum quæ ad Chriſtianos à principio attinent inconvulſum ſinere contenderent, ſed & nos ipſos perplexos redderent, quibus ſcripſere libris, dubitantes, Num omnino homines exiſtant, Deique figmentum audire ſuſtineant, Palamitæ Deo inimici. qui tanta in illum temulentorum more deblaterent. Neque enim aliam exiſtimo Apoſtolum dicere defectionem, in extremis temporibus futuram, quàm utique hanc omnium unam: quatenus ſcilicet aliæ, eorum quæ Dei ſunt aliquid ponentes, quod reliquum 2.Theſ.2.3. Palamitarum. Χριστια-vίας erat ſublatum ibant; hæc autem impudentiſſima ſuperſtitio ac religio, quicquid Dei eſt, ſemel honorare recuſat. Quanquam enim concrepantibus buccis aliquid de illo videatur dicere, iis tamen qui ſenſum attendant, eorum, quæ loquuntur, omnimodam impietatem ſtatuit, Deique (ut ſic dicam) extinctionem: quæ planè una, apertè nudam ipſam puramque defectionem deſignant; ita nimirum, tantoque exceſſu in bonum Pacis procacia invecti ſunt, H quanquam maximus Deus & Salvator noſter Ieſus Chriſtus, poſt omne ſalutis noſtræ expletum negotium; quod Diſcipulos ad prædicationis munus præmittebat, eorum antè componens animos, ſecuraſque mentes reddens, quibus ait, *Pax vobis*, non Tit.2.13. Apoſtolatus totus pace concretus. ceſſavit donec hæc primùm dicere iniungeret; eſſe ſe magis auctorem atque arbitrum pacis confirmans quod in aliis dixerat, *Pacem meam do vobis*, hoc denuo ipſe adiungens, ſicque perorando, *Pax vobis*, Ioan.20.19.21. Luc 10.5. Ioan.14.27. in eum modum Apoſtoli munus illis concredit; rem ſcilicet nullis ſatis laudibus celebrandum, *Sicut miſit me Pater meus, & ego mitto vos*, & illos honore afficiens, & dignitate augens.

Sin autem etiam ante omnem Chriſti prædicationem atque ad eam præparationem, Pacis pronuntiata

A indictáque ſalutatio eſt, inque omni re ſacra, ac Myſteriorum celebratione ipſa apud nos prænuntiatur, quinam eſſe dicendi ſunt, qui prius nuncque eius bonum diſſolventes, nihilque improbitatis miſſum facientes, tanta impudentia in omnem noſtram graſſati ſunt Pacem? hoc cogitantes ut à Deo priùs, tumque etiam ab humanis ſtudiis atque moribus eam profligarent. Num igitur ſtatim à principio, ſuam oſtendunt, quod ad concordiam attinet, ſuperbiam, quove præditi ingenio ſint, ut ſponte ſua impietati concedant? Verùm hunc quidem adverſus Pacem furorem, in aliis alij diverſis temporibus auſpicati, poſtremò ad Palamam devenerunt; virum ſcilicet, inconſtanti animo; ſuperſtitione Deique cultu portentoſum; quicquid negotij vertatur imprudentem ac inconſideratum: qui hunc contentionis finem noverit, non quem natura iuſtæ neceſſitatis cauſa ſtatuerit, ſed quem vitæ illi tempus omne protenderit.

B

Palamæ indoles ac mores

Eiuſcemodi ille animum circumferens, hocque reliquis præcellere quærens, quo victoria diſputatione de Deo maius periculum facit, circuibat primùm occaſionem rimans ſui oſtentandi, in minimis operam magnopere ádhibens, atque in omnibus primas ferre etiam atque etiam ambiens: nullum non funem movens autve quicquam omittens, ut in omnibus præeſſe velle ac dominari videretur: omniſque illi quotidie conventus, ſive plures, ſive pauciores confluxerant, plenus tumultus & perturbationis abibat.

Poſtquam verò tempus advenerat, ut omnis in nobis conſummaretur improbitas, eſſentque noſtra Sodomæ ac Gomorrhæ haud diſſimilia; atque ut tota natione in ſervitutem redacta, nulla non civitas deſolaretur, ac Sancta profanis Perſarum pedibus conculcarentur, noſtriſque moribus atque cultibus, illorum perfidia inſanique amores (quæ Dei iudicia!) pari iure haberentur, maiori audacia irruens homo contumelioſus, Lydus ſtatim in campo erat, faxque ad ſtupas; ac ſicut aliis corporum bonorumque exitium labeſque procurata atque præſtita, ſic prope illi latius diffuſum ac exporrectum animarum venenum; quo nimirum utrimque, tum animabus mortem, tum corporibus ruinam caſumque induceret.

Mahumetanorum invaſio.

C

Deut. 32. 27. & 32. 21.

Gens nimirum quædam emergens, gens exacerbans; gens furore exagitata, Deumque in iis qui non ſunt dij, aſſimilans; quam & propterea Deus in non gente aſſimilare conſtituit, & verò perfecit, vix non omnem eorum cœtum è terra exterminans; tradens cum ira genti inſipienti, ducique ſceleratiſſimo ſuper omnes habitatores terræ. Nuncque etiam quod iræ reſiduum eſt, ne poſt plagam quidem ex periculo cautius, ſicubi veſtigium aliquod Pacis reliquum eſt, elidere ac conterere avidè cogitans, quanta licet impudentia ſubmovet, plena ſcilicet rixæ, tumultuſque ac alius omnis immunditiæ circumagens dogmata, inque orbis theatrum producens. Ad quæ nos etiam cum multis beatiſque viris, quandoquidem perſecutorum ſtrue ita nobis comparatum eſt, ut omnis nobis libertatis ſit abolita occaſio, privatim noſtræ pietatis cauſa, ac eius quæ olim floruit, Pacis, defenſionem inſtituere operæpretium duximus: nempe Iudices appellantes, noſtræ huius defenſionis, qui in poſterum legerint, & uniuſcuiuſque mentem ſenſumque diſpexerint. Ex iis autem, quæ ex libris Palamæ collecta producimus, facilè intelligant qui diligenter rimentur, quinam tum Dei, tum noſtra repulſa Pace, contra ac Chriſti rationibus ſedet, ſentire velint atque vivere. Pugnam enim eorum, quæ in Deo naturalia ſunt, irreconciliabilem implacabilemque adverſus divinam eius beatamque Eſſentiam conſtituentes, atque inde in nos ipſos malum traducentes, Deo ſe obſequium meritò præſtitiſſe exiſtimant: ac velut qui urbem expugnare ſatagunt, eius prius arcem aggrediuntur, inque eam continuè rumpunt impetum, interdiu noctuque inſtruentes inſidias; haud aliter nec minora machinati ſunt, qui

Divina in Hæreticos vindicta.

Cyprii ſtotæ ac Catholicorum iuſta defenſio.

D

E

nunc Pacis inimici ſunt, & ut omni tam Chriſti Eccleſia eliminarent, inſulſam hanc deliriorum ſylvam adinvenerunt, ad defectionem à Deo faciendam, hancque abolendam, ut & à nobis eam facilè auferant. Enimverò, quemadmodum Dominus vita & lumen & veritas, reliquaque laudatus eſt, ſic nimirum & lapis ſummangularis, & lapis offenſionis ab Scriptura appellatus eſt. Quis ergo tandem illi impingens, non caput conteret? Quanquam aliquis procul ſagittis petere aggrediatur, Babylonicæ fornacis flammam ad ulciſcendum habet. Non enim ea in eos exarſit, in quos accenſa erat; ſed magis in eos irruit qui incenderant, ac combuſſit. Videntur mihi & ſingula tela hæc, in mittentes redire, ictuque validiore percutere; quantò nimirum duro maximè alliſa, violentius retunduntur. Quid enim portis inferi indomabilius? Æreæ enim & ferreæ, ac lapideæ adamantinæque, ac ſi quid aliud infracti roboris eſt, appellantur, at neque has prævalituras Chriſti Eccleſiæ, Chriſtus univerſorum Caput ac columen prædixit.

Ioa. 14. 6. & 9. 5. Eſa. 28. 16. 1. Petr. 2. 6. Rom. 9. 33. Dan. 3.

Eccleſiæ victoria in Hæreticos.

Iſa. 45. 2.

F

Matt. 16. 18.

Haud rarò ſanè permiſſum eſt, quò nimirum probatio noſtræ fidei eluceret, ac prudens diſpenſator clareſceret, ut lupi ad tempus caulæ obreperent, & gregem diſſiparent atque cortem vaſtarent; non tamen in finem uſque res illis ex animo ceſſerunt; ſed percuntium animarum prope cruoribus ebrij, ſtatim dirupti ſunt, ſuis ipſorum impediti funiculis. Singularis propéque inauditus vitus illorum caſus. Ac quidem longum haud rarò tempus ſuis gaudere impietatibus permiſſi ſunt. Eius generis Idololatria, annos trecentos, atque his plures poſt prædicationem libertate fulta. Eius generis Ariana nugacitas, Monothelitarumque inepta loquacitas & Iconomachorum turba. Supra enim annos quingentos ſeptuaginta quælibet harum ſectarum viguit, Chriſtique Eccleſiam graſſando infeſtavit: repente tamen venit ſuper eos ultio, ac modò, ne an ſint quidem noſcuntur. Haud enim verò qui nunc deinceps turbant Eccleſiam, diu multumque inde voluptatem ſument, aut in finem patientia pauperum in oblivione erit, aut Chriſtus virgam ſuarum hæreditatum eſſe otioſam ſinet, ſed aut omnino intertitu delebit, cum iſtiuſmodi miſerabilibus à noſtris nos avulſos, ad ignobiles ſedes traducens, velut etiam prius Iudaicum populum; eius ſceleris reatu quo Idola colebant civitatis ac provinciæ Babylonis, Græciſque erutæ ac vaſtatæ, eos pœna mulctans; aut certè ſublata potente manu ſua, hos quidem tartari imo ſinu concludet; nos verò in brachio excelſo ab impietate pariter ac captivitate liberatos, prioribus dogmatis pariter & ſenſibus utrique Reipublicæ ac propriis inſtitutis reſtituet.

Eccleſiæ poſt tempus hoſtes extincti.

Veterum hæreſeon tempus.

G

Pſ. 9. 19.

Verùm hæc quidem expectentur, ác quæ ſunt potiora, à nobis petantur; nunc verò conandum eſt ut ſermonem exequamur; rei omnis ac molitionis auſpicem, ſuper ſubſtantialem Virtutem nobis ſtatuentes, cuius etiam gratia hæc audemus, minimè quidem ipſi ſponte rem aggredientes, eo quod pollutis labiis Dei myſterium attingendum aſſumamus, haud tamen ullius præterea ambitionis cauſa certamen ineuntes, ſed quod magis neceſſitate ad reſpondendum cogamur. Niſi enim eorum, quorum nomine malè audimus, rationem reddiderimus, cùm quotidie præconis more, qui idcirco quod prava hæc dogmata defendat, eiuſque operæ mercede præſulatum nactus eſt, vociferetur; ultimique exempli nos diris ſubiiciat: & quid non moliatur? quid non ſuadeat, ut in nos omnium impetus moveat, plebiſque coitionem faciat? fortè ut præmium à Deo conſequatur. Ad reliqua enim quod attinet, iubemur paci ſtudere: ubi autem Deus in periculum vertitur, etiam valde ſtrenui ac animoſi eſſe præcipimur; meritoque largè audientibus riſum moverimus, qui ſic ingloriè defenſionis noſtræ rationes prodamus; hocque adeò quod ſilentio toleramus, nedum ſuſpicionem faciat conſentire nos obiectis criminibus, verum etiã poſteris longè officiat, dum per ſegnitiem quæ

H

blaſphemiæ

A blaſphemiæ ſunt irreprehenſa ſinuntur. Præterea neque nos primi hanc viam iniimus: quin multi ſuperiorum, beati viri iſtud decurrentes ſtadium, in omnibus victores extiterunt; quorum nos quoque libenter inſiſtentes veſtigiis, eorum in omnibus divinum relegentes ſenſum, hæc quoque decertare conſtituimus.

Hæc totius, quātum eſt, aw ſia operis.

Ac primùm, ſi libet, hoc conandum, ut ſtatim adverſus Palamæ Tranſgreſſiones ſermonem vertamus. Deinde confutandum quibus unionibus ac diſtinctionibus credendum Deum portentoſè induxit. Poſtea danda opera, ut quæcunque de Lumine quærere conveniat, hæc repreſentemus. Poſtremò, quæ ſingulis* annis in Eccleſia adverſum nos tumultuarie editæ, promulgantur diræ, demonſtrandum calumnias eſſe; ac potius adverſus Chriſtum inventas blaſphemias, cunctoſque à Chriſto, quàm nos maximè afficere. Erit verò nobis diſputatio claritatis cauſa, adverſus ſingula quæ incident, cum probatione ex Scripturis inſtructa. Vt igitur rurſus etiam illa dicam, *Ne auferas de ore meo verbum veritatis*, ſuperſubſtantialis & ſupraquàm Deus trinè ſubſiſtens Beatitas ac Virtus.

B

Pſ. 118. 43.

C A P V T. II.

NON POSSE PALAMITAS quicquam negare Palamæ lucubrationum, ſeu cuiuſquam eorum, qui eum ſecuti ſunt.

POrro fieri non poteſt, ut qui nunc tumultuantur, negent, non confiteri ſe aliquid eorum, quæ à Palama ſcripta ſunt, qui ſic clarè de his in ſua profeſſi ſunt, Fide, quam ſic inconſultè vocaverunt, nec tam profanis, quàm temerariis manibus divino altari impoſuerunt, in quo hæc duo ſolummodo imponenda conſtitutum eſt, tum diviniſſima ſcilicet Evangelia; tum tremenda nimirum Caro quæ ſimul Deus ſit; intemeratum ſcilicet Salvatoris Corpus ac Sanguis: Sin autem contingat, & tertium, Magnum noſtræ conſummationis Vnguentum. Omnino enim ſolus ipſe Chriſtus imponitur: hæcque ſingula, ipſum exhibent, ac ſolum; Evangelia quidem, ut Legiſlatorem atque Magiſtrum: alterum verò, eundem ut pro nobis paſſum: poſtremum denique, quod idem Pontifex pariter Rexque deſignatus eſt. *Vnguentum* enim *effuſum*, ac cuius in omne diditus odor, *nomen* illi. Vbi igitur præceptum eſt, nihil aliud præter Chriſtum, vel quidvis aliud ſanctum imponere, profana hi molitione, ac oſtendentes nihil ſibi ſacrum, ut nec divinum, impurum illum Tomum portandum inferunt, Chriſtianorum eum Fidem eſſe, quibus ſic appellarunt, ſcurrilliter iactantes ac mentientes. In hoc igitur ita de Palamæ conſcriptis libris ac opuſculis, deque his quæ ex illis à piis exempta ſunt, ad coarguendam eorum vanitatem, improbitatem improbitate vindicantes, ac (quod aiunt) malum malo curantes, iſtiuſmodi referunt. *Nec ea quæ in ſacratiſſimi Metropolitæ Theſſalonicenſis Eccleſia hoſtes in crimen vocabant, ne hæc quidem præterire indiſcuſſa, quanquam ex iis, quæ tunc quoque examinata ſunt, in divina Synodo, hæc excerpta ſint. Invenientes igitur hæc potentiſſimi ſanctique Imperatoris noſtri Regiſque manu conſcripta, & cùm ille nobis ea porrexiſſet, nos ſingula quæque in ſacratiſſimi Metropolitæ Theſſalonicenſis libro legimus & examinavimus, cùm conveniſſemus ad maximam Eccleſiam, diemque diſputatione tranſegimus; neque id ſemel, ſed & bis & ter, ſæpiuſque: ac quidem ſacratiſſimum Metropolitam Theſſalonicenſem, in his quoque ſacris Theologis conſentientem invenimus, ac Chriſti gratia veræ fidei pietatiſque defenſorem:*

Fides Palamitarum Temerariè altari impoſita

C

Vnus Chriſtus altari imponēdus, cùm & ipſa imponātur.

Cant. 1. 2.

D

Apparet igitur beatos illos viros, ex libris Palamæ collegiſſe potiſſima impietatis capita, quæ nos quoque ſequentibus enuntiabimus; cumque latrocinali conventui ad coarguendam improbitatem fuiſſent propoſita, diligenter rimantes, ut hi loquuntur, & ſingula examinantes, inveniſſe revera ipſa ſeipſis conſentire: addatur verò, *Et his quos calumniabantur.* Ex his igitur facilè eſt tria diſpicere. Quod & illius erant conſcripta manu; quodque inculpata hæc invenerunt; ac tertiò, quod pietati veræque fidei adſtipulantia. Cæterum ex primo quidem conicere habemus, non ab aliis, triumpho productam impietatis coargutionem, ſed duntaxat à beatis illis viris, qui nihil perſecutorum ſuperbiam morarentur, nec reliquam illorum dominandi potentiam; ſed qui certa veritate ex impietatis libris, quæ impietatis eſſent palam producerent. Ex altero verò cuiuſnam illi ſententiæ ac animi eſſent. Si enim hi, qui ea excerpſerant, quæ adverſariorum erant, inculpata videri exhibebant, quidnam facturi eſſent, in quibus quæ erant Theologorum proponebant; ubi vel ſyllabam tranſgredi, nec ferendam quidem in divinis depravationem inducit. Præterea ne os quidem deinceps Palamitæ auſint aperire, illis ipſis oſtendentibus, nihil nos per calumniam illis imponere. Videte enim quàm ſeriò, quantoque exceſſu affirment, hæc ſæpius diſquiſiiſſe, ſinceraque inveniſſe. Ex tertio denique, quod & tanta portenta, nugaſque, quas ex illius verbis audituri eſtis qui nobilia conſcripſit dogmata, ſacris Theologis, veriſque de Deo dogmatis convenire, ſuperbè audent dicere, nec ad tantam impietatis molem, impendentem à Chriſto calumniatoribus pœnam reformidant: quantò deinceps maiori examine hæc receperunt, ac pietati veræque doctrinæ adſtipulari ſenſerunt, tanto prorſus neceſſe habent illis immanere, nec cuiuſquam alterius illius ſequacium poſſe eos aliquid negare. Iſidorus enim, etſi mortuus eſt ante Tomi conſarcinatas nugas, quibus tamen quoad vixit & ſcribebat & confitebatur, Tomi auctor fuit. Coccinus verò & Nilus, præter-quam quod in vivis erant, ipſimet Tomum compoſuerunt. Igitur fieri non poteſt, ut qui Tomum colant, aliquid negent lucubrationum eorum, qui Tomi auctores extiterunt.

E

F

Nempe Scripturæ Pamb. que auctoritates, nec verbo ullo mutādæ.

Inſignes Palamitas & quaſi in. Epto. res.

Præterea multa ſunt, attendentibus animum, iuramentorum genera. Inter ea autem majus eſt, quid eorum quæ pluris fiunt alieni imagini ſupraponitur, atque tollitur: Ad hæc verò longè etiam majus, ſi tremendo altari (quanquam id nefas) appropinquaverit. Verum Palamitæ huic obnoxii facti ſceleri, iuramentorum maximo fidem obſtrinxerunt, quæ ſunt blaſphemi Tomi ſe amplexaturos. Continetur autem in illo, quæ ſunt Palamæ omnia veritati hærere, atque adeo hæc quoque quæ à nobis confutandi gratia excerpta ſunt. Itaque fieri non poteſt, ut negent ſe non admittere aliquid librorum Palamæ, quanquam maxima illis dica, ſolerter inquirentibus inde ſcribatur, niſi fortè palam reos ſe perjurij conſtituere velint.

G

Ad hæc dicit divinus Apoſtolus, *Si quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo.* Quemadmodum igitur, quæ everſa ſunt ac deſtructa ædificare, prævaricationem conſtituit: ſic nimirum etiam, ſi quis ea quæ ſunt ædificata deſtruat, in idem crimen prævaricationis incurrit. Igitur impoſſibile eſt, ut quæ illi in librorum Palamæ gratiam, quantum ad illos ſpectant, ædificavere, conentur aliquando deſtruere: niſi hac etiam parte velint ſeipſos prævaricatores conſtituere.

Gal. 2. 18

H

C A P V T III.

Auſpicatum eſſe Palamam exitioſum dogma ab errore ac contentione.

NE verò procul ab ſcopo ſagittam mittamus, paucis quibuſdam præmiſſis, oſtendemus unde ducto exordio, in eam Palamas invectus inſaniam ſit,

Barlahamo detecta Palamæ hæreſis & inſania.

A

ac ex quibus fomentis magnum impietatis ignem accenderit. Sciunt omnes, quæ illi Barlaamus crimini verteret: non ita ſcilicet, ut omnem vitam Monaſticam atque cœlibem (quemadmodum ipſe dixit) arceſſeret ac ſugillaret, ſed ut eos vituperaret, quibus ſeriò curæ eſſet, cùm in reliquis ſeniores eſſent, nec accuratæ diſciplinæ; ut in tenebris tantiſper clauderentur, nonnihilque parum velut deliquio expirare, quin ſpiritum intus ægrè ducere viderentur, intentique oculum immotè firmiuſque umbilico defigere: quibus facilè peractis, clarè ſtatim monſtroſa vanaque ac mendacia, præſto eſſent. Et quid inde? Ignem dicebant videre; intra viſcera extraque conſiſtentem; pulſuſque quoſdam inſolitos & motus cordis, necnon calores quoſdam ac velut igniculos ex naſo exire, poſteaquàm hæc aliaque tum feciſſent, tum paſſi eſſent, ſentire, cùm tres quatuorve tum eſſent, qui huic operam diſciplinæ darent; reliqui verò, ut ipſe ex multis, viris pietate illuſtribus audivi, hæc deteſtarentur, prorſuſque deriderent; plerique, ne quidem auditu aliquid de illis accepiſſent.

Illuminatorum delira, quibus Palamas vindex acceſſit.

B

Hæc igitur Barlaamus à quodam cùm doctus & paſſus eſſet, minimè certè tulit, operæque pretium putavit, ut venerandis parentibus educationis præmia redderet; ſed contemplationis ſtruem illam ac negotium traducit; ſeductionem ac noxam ſatanicam vocans, pleraque eius morbi, quibus ſcriptis aggreſſus eſt, ad Maſſalianos revocavit. In eius itaque libros cùm incidiſſet Palamas, ſeu potius furatus eſſet, perfoſſo cubiculo ubi in angulo latentem librum atque occultum perveſtigaret, ex adverſo impietatem conſcribit; nempe docens, nullo errore laborare verumque eſſe erroris illud Lumen, minimumque ac nullius pretij eius comparatione videri divinæ opus creationis. Iam itaque in illis rebus haudquaquam numerandum, quæ creata ſint & ſerva, affirmare: ſed Deum increatum ac Deitatem rerum huius univerſitatis verè creatricem, ipſum conſiderare.

Barlahamus erroris ſugillatio.

Palamæ defenſio.

C

Manifeſtiſſimè autem rurſus à Barlaamo confutatus atque convictus, adhuc maxime Maſſalianorum ſenſu laborare, eorumque deliriaque ac mendacia colere, præfractæ audaciæ homo temerarius ac ſceleratus, perfugium quærit, nonnilque eructat ex malo theſauro cordis ſui. Nempe contemnit Principatus & Dominationes, Thronos quoque & Poteſtates, intraque Dei ſinum irrumpens, eius Virtutis profunda altaque ſcrutatur; ac Dei quidem Eſſentiam illa nudat virtute qua eſſe poteſt atque vivere: ſeparataque ab invicem exceſſu mirabili, aliiſque differentiis, quas audituri eſtis. Nomenque imponens ac indigitans, erroris Lumen illud, Dei vitam eſſe dicit atque virtutem, non eius eſſentiam; peſſima nimirum impietate, à Maſſalianiſmo, quod levius eſt, ſe ipſe liberans; quos affirmantes audiret, Dei ſe eſſentiam videre. Convenientius namque exiſtimavit, ſuo illi Igni virtutem aptare ſeu potentiam, quæ Dei eſſentiæ competit ut tremenda ſit, atque hanc videre, Lucem exiſtentem, minori præ Maſſalianis auſu ac compendio.

Refert libr. ſeq Retulit & Calecas, in quo licet videre.

D

Contegens itaque novum hunc atque recentem eum operationis nomine atque virtutis, necnon Lumine divinæ Transformationis (hoc enim magis ſibi congruere invenit, ob nominis alio alioque ſenſu uſurpationem) Gratia item donoque ac reliquis, quæ percenſere ſolebat, ad vulgo innectendam fraudem, in eum modum procedebat, ac per omnia exercentem vocem ſub phonaſco ac ſubridentem exhibebat. Fruſtra iam igitur eſt, ut ad Palamitarum illationes, quibus novum Deum obtegere confidunt, reſponſiones noſtras opponamus; decetque magis ut eos interrogemus: Num quod animo informant videntque Lumen, Deus increatus exiſtat. Hoc namque etiam ſtatuere volentes, ad abſurdiſſimas has declinaverunt diviſiones ac conciſiones. Iam igitur operepretium, ſit, ut qui alloquuntur, de hoc primùm Lumine diſputent, reliquis procul valere iuſſis; hincque adeò manifeſtè invenire liceat, unde Palamas de his loqui ac confu dere occœptarit.

Præterea, ſingulis ſcientiis atque artibus, conv niens quoddam apparet principium. Licet igitur principiis deſpicere, viro ſcientia arteque prædit quò illi negotij ratio viaque ſpectet, cuius principiun illud quidpiam exiſtat. Atqui Palamitarum principiu ex contentione rixaque, quemadmodum audiſtis, e ritit, hinc itaque coniicere licet, quænam ſit omn illorum ſtrues, de quibus ſermo exiſtit.

Præterea ait Dominus, *De malo theſauro cord exeunt mala.* Quaſi diceret, ex malis cauſis, ma quoque eventus. Atque hæc ſecutus Gregorius Thec logus, *Malorum* enim, inquit, *ſeminum mala germ na ac fructus.* Præterea in illis Salvator ait, *Ex fr ctu arborem cognoſcetis*, Quaſi diceret, ex eventib principia. Vtrinque igitur deprehendat quis exitioſu eſſe Palamitarum inſaniam: Sive enim ad illius prin cipia animum attenderit, ex contẽtione rixaque horu originem adverterit; ſive demque ad ea quæ evenerun peſſima hinc conflata, uti oſtendetur, perſpexerit.

Præterea ne ipſe quidem impietatis auctor ac parer veritatem obticet; ſed velut qui cum eo ac per illu loquitur, *Quid nobis & tibi eſt. Filij Dei?* Confite batur; ſic nec ille, cœpiſſe ſe à contentione tacet. I ea enim, quam conſcripſit, Fide; *Neque hæc dixi ſem,* inquit, *niſi in eum qui contradicat neceſſitatem ve niſſem, per contrarij obnitentiam in eum certamen ſuſc piens.* Neceſſitatis igitur partus, contrarioque oblu ctantia certamina: id eſt, contentiones rixæque decar tata illa Palamæ; eaque ratio eſt cur ad illa aggreſſu ſit. Alioqui enim de illis ne locutus quidem eſſet, quo & invitus fatetur.

CAPVT IV.

Erroris Symptomata iactare atque referre, u propria ſua rectè facta atque munera.

COnvenientius autem videatur, ut ante alia, enar rantem illum exhibeamus ferventis cordis ſui mo tus & exultationes, altoque pectore incendentes atqu ſpirantes igneas contorſiones & converſiones, exqu naſo Typhonum more aut Chimerarum exilientes ca lores ſcintillaſque, ac reliquos abſurdos pulſus in dubioſque conceptus, quibus præeuntibus aut conſi ſtentibus vel ſequentibus erroris Lumen illud ſcaturit Vt igitur brevitatis cauſa, pleraque illius, & ad plu res ſcripta, præteream, ea commemorabo quæ ad Mo nam illum ſcripſit, hominem ſcilicet mirabilium vi ſionum afflatuumque partiarium. *Sin autem aliquis,* in quit, *non recipit exultationem Salutaris Chriſti, quam & geſtientis agitationem multis locis Patres vocaverunt & ſpirantem virtutem, ac viventis cordis motionem, h talis, puto, eius necdum ſenſum percepit.* Rurſuſque i iiſdem. *Beatus autem Ambacum, qualem nos Spiritum accipere dicis & parere? Nonne Domini Ieſu, in ign afflantis Fidelibus, ac ſalutem implentis? Quiſnam ver ignis flagellat dæmones eoſque fugat? quemadmodum bea tus Pater Ioannes dicit? Nonne Domini Ieſu, qui intu animo, illius recordatione accenditur? Odor Altiſſim quiſnam alius, niſi fervor ac calor Spiritus, qui & non nunquam ex naſo, qua nemo explicet ratione, egreditur* His aliiſque pluribus collectis, ſacriſque vocibus com mixtis, velut qui turpes vultus iis obducunt, quibu proclive eſt ut videntium lateant oculos ac decipiant ſive etiã venena deterrima ſuavefragantibus ſpeciebu ac ſuccis dulciſſimis condiunt, rem in palam producit hiſque parturitionibus atque igni ardentibus partubus ut venerandum Lumen nec quicquam humilium au terrenorum, attendere hortatur, multas olim factas Lu minis apparitiones prius nobis congerens, quò ſcili cet commentitium illius Lumen, eorum locum nanci ſcatur, aut etiam maiori conſtituatur, ob temporum

libertate

A

libertatem, animique eius malignitatem, ac reliquam morum impudentiam, quam vtitur quibus omnibus loquitur adverſus Deum.

Sanè quidem, ſi nobis in præſentiarum conſtitutum eſſet, vt hæc confutaremus, multos divinorum Patrum produxiſſemus, qui hanc palam inſanam, principiſque in nobis ſpiritus animæ everſionem aſſerant; in quibus ſunt, divinus Diadochus, Nilusque mirabilis ac Iſaac clariſſimus; viri ſcilicet tanta provecti virtutis religioſa palæſtra exercitatione ac contemplatione, vt cunctis ſe omnis virtutis magnificè exemplum præbuerint, tum eius quæ eſt, tum ſi qua adinvenienda eſt. Atqui is quidem in hunc modum contemplationem definit; quod videlicet qui ad eam per orationem devenerit, *ſine ſpiritu ac ſtupore plenus videatur*; non vt inſani homines dicunt, alicuius formam aut figuram ſeu ſpeciem informet ac ſecum ipſe conſpiciat. Ille verò (Nilus ſcilicet) *Aſſilire dæmonem*, ait, *locum qui dictus eſt, ac quid circa mentem eſt, lumen, ut libuerit variare, ſicque inanis gloriæ effectum moveri, qui vani hominis mentem ad cogitandum informet, quo ſcilicet divinam ac ſubſtantialem ſcientiam confingat.* Magnus porro Diadochus, *Si cui eorum, qui certamine funguntur apparuerit, aut figura, aut ſignum aliquod ad modum ignis, haudquaquam iſtuſmodi viſum recipiat. Aperta enim eſt hoſtis deceptio. Quod cum multis eveniſſet, à veritatis via abducti ſunt; quod nimirum quandiu in mortali hoc corpore verſamur, à Deo peregrinamur. ... eum oculis contueri, ſive quidpiam ſupercæleſtium eius munerum, haud poſſumus.*

Magni Patres ſpirituales, viſis quaſi divinæ lucis interſi[illegible] [illegible] 4. libro Aſceticæ.

Nil.

B

Diadochi.

2. Cor. 5. 6.

Si quidem igitur, quemadmodum dicebam, hoc nobis conſtitutum eſſet, vt eos qui talia dicunt enumeraremus, quantoque exceſſu quæ ſic in precibus formantur, viſa averſantur, in medium produceremus, quàm multa confutando errori in promptu eſſet adducere. Quod verò hoc duntaxat ſimpliciter explicare decrevimus, id vnum operæpretium eſt, vt erroris à principio cauſas conſideremus, ac cuius ergo Palamas tanto certamine ſuſcepto, adverſus Deum bellum moverit; quove modo, illo à ſua creatura extruſo, alium illius iurium hæredem nuncupaverit. Viſcerum enim æſtuationes, accenſaque intus incendia, atque ferventis ei cordis exultationes motuſque, nec non Siculorum craterum more naſo erumpentes calores, quod ex his omnibus conflatum eſſet, ignem divinum vocitans, divinum ei circumfuſum Lumen, & ſubſtantiam ac eſſentiam atque operationem, illuminantem & lucentem atque afflantem Sanctos, ad eos deificandos, hoc, vt & Deum vniverſorum inſpectorem demonſtraret, quibus locutus eſt, verſus eſt.

C

Palamæ cuiuſmodo craſſo ſenſu conflictus Deus.

CAPVT V.

Quomodo Palamas ex multis diverſiſque libris ſuis ac ſermonibus, novum erroris Deum, Luminis in modum conſiſtentem fabricetur, cuncta erepantem quæ vnius Dei ſunt.

TAle itaque Lumen, exque talibus ſaltibus atque ignitis motibus, ſenſibile ac colore imbutum eſt: quale denique ſolent haud rarò à potu ſurgentes, ubi tantiſper in tenebris ſeipſos incluſerint, intra extraque viſcera circumfuſum videre, Palamas, vti dicebamus, ex contentione orſus, ac quaſi depellendi contrarij animoſitate certans, Deum increatum prædicat ac Deitatem, verumque Lumen, & non ſymbolicum, ſed ſemper exiſtens. Sic namque ſolum arbitrabatur, dignam ſe pœnam ſumpturum, eorum nomine quorum à Barlaamo reus agebatur: ſi eum nihil falſo calumniari oſtenderet, ſed manere quidem ac eſſe Luminis viſionem ſuaderet, non tamen qualem ille diceret. Igitur ne videamur procul à Palamæ verborum ſcopo aberrare, atque à mirabili viri diva progenie, ipſe

D

E

nunc prodeat, ac dicat, Quidnam à principio Lumen illud exiſtat, quemve in rerum matricula nactum ſit ordinem ac claſſem: quidnam his commixtum efficiat; quænam dicat ac iubeat.

Nimirum *Lumen in ſubſtantia, ſpiritaliter videre* aiunt; *quod ipſum exiſtat, & non ſit ſymbolicum: ſemper namque eſt, extraque materiam ac mente intelligibile eſt; quod certa experientia noverunt. Dei quidem Eſſentia non eſt, nam illa palpari non poteſt. Angelus non eſt; Dominicos namque fert characteres.* Dignitas Lucis, ac quod ſe ſpiritualiter videre dicunt illius cultores, illo genio ac ordine eſt: quæ verè præſtat; iſta ſunt. *Vnum*, inquit, *eſt, cum eſt cum videnſe; aliàs aliud videtur: Quandoque quidem è corpore aſſurgit, atque ad immenſam altitudinem tollit; quandoque verò rurſus etiam coaptato corpore ſuaque impartita claritate, paceque ac dilectione, illoque deiformi, atque voluptate imperturbationeque repleto, oculis corporeis (ò rem dignam admiratione!) ſpiritu immutatis ſeipſum comprehenſum reddit.* Cùm tanta igitur faciat; taliaque eis munera ad voluptatem gratiamque conferat, minimè hactenus definit è dignumve cultoribus reputat, vt abſque contemplatione ſeu amica fabulatione relinquat. *Quandoque enim*, inquit, *haud ſecus ac radius circumfuſus rebus natura intelligibilibus, aſpectabilia ea facit. ei qui eius tanti muneris dignatus ſit, cùm ipſum nullam prorſus vocem mittat: quandoque videnti, ineffabilibus, ut ſic dicam, verbis loquitur. Atque id à principio palam ei dicit.* Ego ſum; noli timere, ego ſum. *Non enim à me ſeparatur Deitas, cuius commercio deifico eos, qui deificantur. Ego ſum qui adſum, ac præſto deitatis munus. Num vides in me omnia, ac me priorem omnibus? Enim verò tui gratia, in te omnia ſio. Tui cauſa etiam viſibilis tibi reddor.*

Palamitarum fictitium numen Deique virtus.

F

Vilumne igitur reliquum eſt Theologiæ membrum, quod non huic luci aptaverit? Vno enim hoc dempto, quod non Dei Eſſentia ſit, cuncta illi tribuit. Sic nimirum homo temerarius ac ſceleratus, nihil divinos illos Patres curans, qui ſic locuti ſint, ille quidem, Beata mens, quæ fungenda oratione nacta eſt, *ut omni perfectè forma vacet.* Et, *Ne inter orandum, Deum in te ſimulacro repræſentaveris, nec vlla mentem forma figurari permiſeris; ſed immateriate, ei, qui extra omnem materiam eſt, accede, & intelliges*, Hic verò, *Deus quidem omnes videt, vident autem Deum, qui orando nihil vident.* Alius præterea, *Quicquid in figura apparet ſive ut lumen, ſive ut ignis, ex inimici machinatione eſſe, palam docet divinus Apoſtolus, dum ait transformari in Angelum lucis.* Haud igitur deceat, ut ea ſpe quiſquam vitæ religioſæ palæſtram exerceat. Magnus item Dionyſius, *Nos quoque ad eius caliginis modum aptari optamus, excedentis vim omnem luminis, ac per ignorantiam videndique abſentiam, videre ac ſcire, eum, qui omnem excedit viſum ac ſcientiam, ipſo hoc quod non videamus neque ſciamus. Id enim verò videre eſt, ipſum non videre, nec ſcire, ſeu cognoſcere.*

Nili. Euſdẽ.

G

Ioannis Carpathii. Diadochi. 2. Cor. 11. 14. Secundo de Myſtica Theologia.

His omnibus ſpretis regulis ac ſermonibus iiſque inſultans, eum quidem quem trinè ſubſiſtentem ac inviſibilem antiqua traditione Deum novimus, è medio profligat, & ab humanarum rerum gubernatione abiungit; alium verò ipſe excitat præter Dei Eſſentiam oculis corporeis comprehenſum, ac qui Deus expers eſſentiæ exiſtat, ſeu ſubſtantia carens. Inde autem quis conſiderans, novamque hanc doctrinam rimans, iſtud apertè acceperit: Dicendo namque, *Dei eſſentia non eſt; etenim illa palpari non poteſt*, oſtendit non eſſe hoc Deum trinè ſubſiſtentem. Affirmando autem, *Angelus non eſt*, ab omni quovis modo creata ſubſtantia eximit. Quod verò ſubiungit, *Dominicos enim fert characteres, quodque exiſtens eſt, nec ſymbolicum eſt, extraque materiam & quod mente videatur ac intelligatur*, Dominum ipſum increatum eſſe affirmat. Qua tandem ratione reliqua colligit, quæ hiſce commixtum faciunt, & quæ oculis conſpicuum, loquitur, etiam rerum huius univerſitatis Deum oculis aſpectabilem oſtendit, cuncta

H

quæ

A quæ ſunt unius Dei crepantem atque ſuperbè gloriantem. Manifeſta igitur ex iſtis eſt omnis viri impoſtura, & quod tum ipſe Deum alium præter trinè ſubſiſtentem ac omnipotentem Subſtantiam ſentiat, tum ei quæ nunc eſt, Eccleſiæ, adorandum atque colendum tradat.

Præterea Lumen hoc manifeſtius Palamas Deum viſibilem vocat, quibus ad Barlaamum ſcribit, *Qui autem illud Lumen habet ac videt, non ultra iam à ſimili, ſed vero, ac qui rebus emineat, aſpectu, Deum tum cognoſcit, ut in ſe habet.* Et rurſum, *Hæc itaque claritas eſt ac maieſtas, per quam nanciſcimur ac verè videmus Deum.* Præterea, Non de uno trinè ſubſiſtente Deo ait Palamas dixiſſe Gregorium Theologum, *Deus diis unitus ac innoteſcens,* ſed de ſecundo hoc atque oculis aſpectabili Deo. Ait enim in iiſdem, *Vnde etiam hoc Theologi infinitum vocitant Lumen; quo per ceſſationem ab omni noſcendi facultate, in virtute Spiritus, Deus Sanctis viſibilis redditur; velut ſcilicet Deus diis unitus & innoteſcens.* Semel namque divinam Eſſentiam prorſus impalpabilem ſtatuit, & cuius nullum ulli commercium eſſe poſſit. Ad hæc, non ait Palamas dixiſſe eundem de uno trinè ſubſiſtente Deo, *Cùm vellet Deus huncce mundum,* & quæ ſequuntur, ſed de hoc Lumine, ſecundo ac viſibili Deo, & qui divinæ ſubſtantiæ (ſeu eſſentiæ) minimè ſit. Ait enim in iis quæ ſcribit ab beatum Acindynum. Oratione inter Secundas ſexta, cuius hoc initium, *His quidem quæ circa actionem mundumque. Creatis verò Lumen hoc accenſens, Deum creaturam manifeſtè ſtatuit. Volens enim mundum hunc condere, ex rebus viſibilibus, & iis quæ aſpectu cerni non poſſunt, conſtitutum, ut auctor eſt Gregorius Theologus, ſempiternus quidem (deiformis ſcilicet Angelus) ipſe eſt Lumen, & non aliud, Quid enim ſecundo lumine iis opus erat, qui maximi illius compotes eſſent? Acindynus autem, Maximum illud Lumen, quod illuminat deiformes Angelos (quod nihil aliud eſt quàm Deus ipſe) creaturam eſſe docet, ac corporeum, inque materia lumen exiſtere.*

Orat. 40. & 42.

B

Orat 43. p. 698.

C

Manifeſtum igitur eſt, ex eo quod deſignatè relatéque dicat, *Lumen iſtud,* de quo nimirum vulgo ambigitur, nec quomodo Palamas Deum fecit, creditur, exque reliqua probatione: Neque enim vir ille admirandus cum illo diſputabat de Lumine quod eſt in Trinitate. Si quis enim alius, ipſe quoque eius cultor erat: ſed de illo quod malè confictum eſt, ut probatum eſt, inque Dei cenſum relatum, abſurdiſſimo lumine, quòd & illud Deum eſſe dicat, qui ex ſubſtantia viſibili & quæ videri non poteſt, cuncta condiderit, ac reliqua, quæ Theologus de divino, ſuper ſubſtantiali, adorandoque Lumine, quod in Patre Filio & Spiritu ſancto eſt, diſſeruit.

Acyndini rectè ſites: Palamas calumniatur.

Præterea, Non dicit Palamas eum dicere de uno trinè ſubſiſtente Deo, *Deus eſt Lumen ſupremum & inacceſſibile;* ſed id dictum eſſe de Lumine, quod recens ab illo confictum eſt. Ait enim in eodem ſermone ſeu libro, *Vbi igitur eſt, quod Deum inter & Angelos à Barlahamo & Acyndyno confingitur Lumen, quod neque Deus neque Angelus, ſed terrenum quid ac craſſum eſt?* Idque cùm Theologus dicat, *Hoc in intelligibilibus eſſe ſupremum Lumen* (Deum ſcilicet) *quod eſt Sol in ſenſibilibus* Manifeſtum igitur eſt, ſua ipſum probra, & quas cudit blaſphemias, aliis tribuere. Illius enim commentum eſt, quod Lumen in ſubſtantia ſpiritaliter videatur, ac neque divina eſſentia ſit, nec Angelica; quique proinde rem hanc, Deum inter atque Angelum, ſtatuerit. Enim verò à calumniæ labe purum eſſe ſinamus, quæ res illi ſic ubique ex genio eſt ac conſueta: hæc verò ſolum quis conſideret quæ ſuperiori capite ediſſeruimus, calumniæ in Deum deliria. Nam, ut videtur, unum hoc terrenum craſſæque ſubſtantiæ evertit: reliqua verò omnia ut dicatur ſuum illud Lumen concedit.

Orat. 34 ex Platone.

D

Adhæc ait Palamas, Non dixiſſe Evangelium de Deo Verbo, *Erat Lux vera,* & quæ ſequuntur, ſed de illa quam confinxit ac videre exiſtimat, Luce. Ait enim in iiſdem, ſermone quarto, cuius initium, *Submurmurans enim quæ eſt in magnum Lumen. Itaque Lumen illud, tum ſymbolum eſt, tum Lux vera. Nec quovis modo Lux vera, ſed ipſa Lux vera erat, uti etiam ait magnus Baſilius, Si vera Lux Filius, erat Lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum:* hic quoque conſueta uſus calumnia, velut de duplici locutum Luce vera, Virum magnum ponit: nec quovis modo duplici, ſed ita ut Dei Verbum, Lux prior ſit & particularis; quod verò ille lumen comminiſcitur ac videre putat, ſequens ac univerſalis. Ac ſi diceret, Si eſt homo, etiam animal eſt. Enim vero, Dominum Lucem eſſe particularem, nemo hactenus dixit. Cùm ſe enim ipſe abſolute nominaverit, *Ego ſum Lux,* nullam anſam præbuit, quibus blaſphemare conſtitutum ſit, ut particulare ipſum Lumen exiſtiment. Nec iam ita accipienda Magni Baſilij auctoritas ac ſententia: ſed cùm una ſit Lux vera, exæquandi modo uſus eſt, terminiſque in idem valentibus: ac ſi diceret, Nam ſi homo eſt, eſt & animal utens ratione, mortale; cùm homo nihil aliud ſignificet, quàm animal rationale mortale.

Ioan. 1. 9.

Baſilius.

E

Io. 12. 46

Præterea non dicit Palamas, ſuperſubſtantialem ſubſtantiam atque virtutem, Deum trinè ſubſiſtentem, ſupremum appetibilium eſſe, ſed quem luminis ſpecie commentus eſt dæmonem, & quem malè hodie Deum conſecravit. Ait enim in eodem ſermone. *Quanquam enim Lumen appellationem habet, verum. Lux quoque vera nuncupatur. Quinimmo ipſa Lux vera, quam Deus induit ſicut veſtimentum.* Et ut interiecta indiſtincta incompactaque omittam, *Lumen,* inquit, *quod à Sanctis videtur, iiſque in ſpiritu.* Deinde ſubiungit, quæ illi omnino contraria ſint, *Lumen, in quod Angeli aciem defigere non poſſunt. Lumen quod laudant Angeli: quo omnis Cæleſtium ſpiritalis ornatus ſpiritali epulans ratione, Verbi in nos propenſiſſimæ benignitatis ac clementiæ, manifeſtiſſimum argumentum præbet* Ac rurſus poſt multa divina nomina, *Lumen,* inquit, *quo Deus verè cernitur.*

F

Manifeſtum igitur eſt qui funeſto impioque conſilio cuncta miſceat, his quidem qui eodem ac ille agantur furore, dicere Deum verè videri; id eſt, phantaſiam hanc nec verè exiſtens Lumen; Angelos verò, nec aciem in ipſum defigere dignatur. Hactenuſque ex his aliiſque a me omiſſis præ tanta rei futilitate ac ineptia, ſupremum deſiderabilium, impiam phantaſiæ ſuæ emotionem erroremque vocat.

G

Præterea non dicit Palamas, Evangelicam ſententiam, *Deum nemo vidit unquam,* ac Apoſtolicam, *Quem nullus hominum vidit, neque videre poteſt,* univerſim Dei viſionem negare: ſed quod ita dicitur, verum exponit de Eſſentia, de cogitato autem ipſi Lumine, cùm luſdeque Deum confiteatur, congenitamque & nativam & ſubſtantialem Dei virtutem & operationem ipſum affirmans, negat comprehendi; tametſi quod Deũ indefinitè dixit, adiunxitque particulam negantem, *nemo,* vel ſi alius eſſet Deus Palamico ſenſu atque commento, ea negatione ac ſententia comprehenderetur.

1. Io. 1. 18
1. Tim. 6. 16.

CAPVT VI.

Quomodò ex talium ſermonum aggregatione, is quem Palamas cõminiſcitur, ipſum non verè exiſtentem, ac ſubſtantiâ Deum, Creator appareat arbiterque omnis creaturæ, ac omnis beatitatis finis.

H

PEne ita Palamica omnis nugacitas, talibus ſuſdeque comprehenſa eſt vanitatibus, atque his longè deterioribus. Vt ergo reſumẽdo, atque hac quoque parte repetito calculo colligendo, novi Dei productionem apparitionemque conſideremus; primum quidem, eius tum ortum complectitur, tum commercium, cum his qui vident ipſum: item rationes quiſnam tandem exiſtat; quodque non ſeparata ab eo deitate, ipſe eſt omnia, & in ipſo ſunt omnia, ipſeque prior omnibus eſt: propter eos tamen qui in tenebris incluſi ſunt aſpirantque, atque ad umbilicum innixam genam inferiorem habent, inque ipſum immotè intendunt oculum, viſibilis efficiatur. Secundum, manifeſtiſſimè & qui credatur, Deum hunc eſſe

Palamæ novus & cõmẽtitius Deus.

A probat. Tertium, etiam eum verè videri docet. Quartum, hunc quoque Deum eſſe qui omnibus uniatur, adſtruit. Quintum, etiam huius rerum univerſitatis auctorem eum pronuntiat. Sextum, mundi eius qui mente intelligitur & qui ſenſu percipitur, Lumen eſſe ſupremum & inacceſſum, tradit. Septimum, nedum illum ſupremum Lumen, ſed & verum contendit. Octavum præterea, ſupremum appetibilium omniſque beatitatis cumulum, iſtiuſmodi aſſerit.

Per Deum rogo (Deum nimirum trinè ſubſiſtentem, ac quem omnes communiter unum Deum ſentirent, nuncque nobis qui perſecutionem patimur ſolus Deus exiſtat) quidnam illi Palamas fecit reliquum ut Deus audiret; Nam ſi Lumen iſtud, quod non eſt Dei eſſentia, ante omnia eſſe dicit, & in ipſo eſſe omnia, atque videri ut Deum, & uniri omnibus, & creare omnia & conſervare; cùm ſupremum & verum ſit ac omnis beatitatis finis, quemnam cultum reliquit, Deo pridem venerationem habenti, & quem ipſe eminentem

B vocat, quo diſtinguatur ab eo qui nunc eſt, inferiori Deo? Manifeſtum itaque eſt, ablata Deo omni veneratione ac numine, eius ut Lumen eſt ſimulacro detuliſſe: hocque unum docere rerum univerſitatis arbitrum ac gubernatorem eſſe.

Præterea, ſi omnis cultus & adoratio, Naturæ trinè ſubſiſtenti à nobis defertur, ut quæ omnium ſalus ſit ac creatio, quemadmodum aiunt, *Increata Natura, quæ univerſorum creatrix eſt.* Siquidem igitur, Palamicum Lumen cuncta hæc præſtat ac operatur, huic maximè adorationem cultumque tribuamus neceſſe eſt, non illi.

Ad hæc homines tribus modis neceſſe habent ut animum Deo adhibeant; ex præteritis, quod rerum conditor ſit; ex præſentibus, quod ſervator ſit, exque futuris, quod propter juſtitiam tremendus ſit; quodque item finis appetibilium ſit: ſi quidem igitur, ut auctor eſt Palamas, divina ſubſtantia hæc non attingat ab eiſque immunis ſit, nec illi animum adhibere neceſſe ſit.

C Præterea ſi Palamicum Lumen, quodque ille intra extraque viſcera conſiſtens videt, hoc ſcilicet ſupremum appetibilium eſt totaque beatitatis ratio, ſublata ſemel è medio eſt tum divina Eſſentia, tum quicquid aliud de illa à nobis creditur, nec præter illud ullus alius Deus eſt. Abſurdum namque eſt, eo, quod ſupremum extremumque bonorum eſt, ulterius aliquid quærere. Rectè igitur nos quoque dicebamus, eſſe hanc verè defectionem, quam dixit beatus Paulus in novisſimis temporibus eſſe inolituram.

2 Theſ. 2. 3.

PALAMICARVM TRANSGRESSIONVM.

SERMO II.

D *Præter omnem chriſtianitatis ritum ac ordinem, conflatam eſſe Palamitarum Eccleſiam, de quo quæruntur decem.*

CAPVT I.

Quæ ſit ratio Sanctæ Dei Eccleſiæ.

TANTA igitur hæreſeon colluvie, talique defectiones adorſus Palamas; ac cùm primum tres quatuorve diſcipulos ſibi adiunxiſſet, atque adeo nonnullis in Monte ſancto obrepſiſſet, hoc nimirum Barlaamo crimini vertens, ac inde dicam ſcribens, tanquam ille divinas uſquam exhibitas apparitiones, aliaſque aliis beatis viris factas illuſtrationes traduceret, ac Monachorum inſtitutum omne ſtatumque everteret. Hiſque artibus illis ſeductis, ac per ſimplicitatem ut Tomum illum adverſus pietatem tumultuaria penè opera conflatum, ſubſcriberent, inductis (cui etiam ex loco palam appellationem indidit) ad Magnam deinceps profectus civitatem ac, quà impietatis ſimul errorisque libellum oſtendens, quà ſequaces adiunctoſque Monachos impudentiæ garrulitatiſque fomentum exhibens, id planè apud nonnullos Magnatum effecit, quod dicit magnus Apoſtolus. *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ſecundùm deſideria ſua coacervabunt ſibi magiſtros; quibus aures pruriant. Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Neque hos quovis modo ac temere, ſed, ut quis dicat, ad principatum furtim invadendum eumque parandum, longis prius laboribus, ac cunctis quæ placeant, inſtructos.

E — 1 Balaamo ca... mnia. — Tomus Palamicus & 1. Fides. ... ferè Hæreticorum ... genes — 2. Ti. 4. 3 — F

Eos igitur qui ſibi magiſtros ita coacervaſſent, peractis tropæis, in Eccleſia conſtituentes, quam Dei nuncupaſſent, omnes ad cultum ac religionem cogunt, ita clamantes ac edicentes: *Hæc tenet ac docet Eccleſia.* Quamobrem nos quoque huncce tractatum idcirco compoſuimus, ut hanc Eccleſiam, quà provexerit, ratione oſtendamus, nec iuſtè ſanctéque eam ſibi vendicare appellationem, monſtremus.

Id vero obſervemus operæpretium eſt, non in omnes, qui eam nunc complent, nos ſermonem intendere, ſed de illis duntaxat loqui, qui huncce principatum conſtituerunt: pauci ſcilicet homines, ac ii ferè qui nobis inter teſtimonia memorantur. Neque enim opus eſt ut de illis dicamus, qui ſolum numerum complent, nec verò de ullis eorum qui magiſtratibus fulgent, cùm & tempus, & conſuetudo ita cogant: ac neque de popularibus vulgique hominibus: quibus opus, vita eſt; non dogmatum cura ac diligentia.

Quæſtiones de his ad quos movetur

Vt autem prius Eccleſiæ Dei rationem ſciamus; Sancta Dei Eccleſia eſt, iuxta divinitùs tradita, & à Patribus accepta eloquia, ſacra congregatio, nedum ex pluribus ac beatis viris conſurgens, ſed ex iis etiam, qui minores ſunt, in nomine veri Luminis, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum: dixit enim quodam loco Verbum, *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

G — Quid Eccleſia 1. — *Ioan. 1.* — *Mat. 18. 20.*

Præterea, Sancta Dei Eccleſia eſt, ſacer Conventus, funiculus hæreditatis Chriſti, regale ſacerdotium, populus acquiſitionis Dei in petra Apoſtolicarum Paternarumque traditionum fundata; nihilque novitatis admittens, ad evertenda quæ à principio ſuſcepit dogmata. Ac partim cavit, monetque ſalutaris Sermo: *Docentes eos,* inquit, *ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis*: partim divinus Apoſtolus, *Profanas vocum novitates devita.* Ac rurſus, *Etſi Angelus de cœlo evangelizaverit, præterquam quod accepiſtis, etſi ego* Paulus, *Anathema ſit.*

Quid. 2. — *Deu. 32. 9.* — *1. Pe. 2. 9* — *Eph. 2. 20.* — *Mat. 28. 20.* — *1. Tim. 6. 20.* — *Gal. 1. 8.*

Ad hæc, Sancta Dei Eccleſia eſt, divinarum humanarumque rerum Magiſtra; &, ut auctor magnus Apoſtolus eſt, *Captivam in Chriſtum ducens omnem cogitationem*: in communes ſcilicet de Deo rationes: atque ex illis, ut ait divinus Baſilius, omnem quæſtionum ducens originem, eóque rurſus referre ſtudens. Quod ſi verbum aliquod Scripturæ inciderit, uti ſancta ac univerſalis Synodus Chalcedonenſis ſtatuit, non aliter exponens, quàm Eccleſiæ Lumina ac Magiſtri Libris ſuis ac ſcriptis expoſuerunt, in nullo terminos jam poſitos tranſgrediens, aut à Patribus acceptam traditionem.

Quid. 3. — H — *2. Cor. 10. 5.* — Baſilii de Eccleſia. — Synod. Chal.

Poſtremò, Sancta Dei Eccleſia eſt, Chriſti corporis membrorum integritas, ad unum reducta Caput, juxta quod dictum à Domino eſt, *Et erit unum ovile: unus paſtor.*

Quid 4. — Capitis unitas. — *Io. 10. 16.*

A Eccleſiæ munera. Gal. 5. 22. 1.Cor.2. 15.

Comes verò neceſſariò eſt, ſic pulchrè ex divinis eloquiis definitæ ſanctæ Dei Eccleſiæ, *fructus Spiritus*. Hic verò eſt auctore D. Apoſtolo, *Charitas, Gaudium, Pax, Lenitas, Benignitas, Bonitas, Fides, Manſuetudo, Continentia. Adverſus iſtiuſmodi non eſt lex*, ut quod ſpirituales ſint, omnique lege ſuperiores: & ad quos magis ſpectet ut lege ſanciant ac præcipiant, quàm ut legum diſciplina crediti ipſi dirigantur.

CAPVT II.

Num Propter Hunc talem ac illum, qui Patriarcha exiſtat, ſancta Dei Eccleſia dicitur.

HIs ita conſtitutis ac explicatis, conſiderare debet omnis Chriſtianus, quænam vocanda ſit ſancta Dei Eccleſia, ac quinam qui in ea fulgeant: non quia quiſpiam arrepto throno, pari ſenſu hominum ſodalitium conflavit, quibus prius huius illiuſve opinionis auctor extiterit, eiuſcemodi exiſtimanda ſancta Dei Eccleſia. Hoc enim dato, à principio videretur, & Arianorum congregatio ſancta Dei Eccleſia: itemque Monothelitarum, ac Iconomachorum: cùm multi talium diverſique Sedem arripuerint, atque his, qui nunc emerſerunt, longè plures Synodos conſtituerint; omnemque terrarum orbem malitiæ labe complexi ſint; cùm pauci quidam, ipſique nullo pretio adverſariis habiti, reliqui eſſent, qui recta dogmata & intelligerent & docerent.

B Quæ nõ ſancta Dei Eccleſia. 1.

Præterea, iuxta eam, quam aſſignavimus, ſanctæ Dei Eccleſiæ rationem, operæpretium eſt ut qui illi præficitur, tum quæ recta ſunt ſentiat, tum & doceat. Sin autem contraria, iis quæ poſita ſunt, via incedat, nec intra ea, quæ definita ſunt, ſeſe contineat, ſic quoque ad eum quod attinet, non eſt ſancta Dei Eccleſia. Igitur ne talis quidem ſacra hoc meritò gaudeat appellatione: ſolumque videtur non talis conventus eſſe.

Quæ nõ 2.

Ad hæc, Oſtium, qui nos præceſſere; nedum rectam de divinis Chriſti dogmatis, ſerò ſtatuerunt, expoſueruntque vocari ſententiam, ſed etiam qui Eccleſiaſtica conſtitutione & canonico ordine ad divina proceſſus eſt. Qui igitur vtrovis horum munere in gregem introducitur, is palam per oſtium ingreditur, gregique aptatur: qui autem aſcendit aliunde, fur eſt & latro, ut ſacris oraculis proditum eſt.

Quæ nõ 3. Oſtium greg. s. C Ioan.10. 1.

CAPVT III.

Num Sancta Dei Eccleſia, quæ ob confuſionem ac proditionis mercedem principatum conſtituit.

QVod autem Palamitarum ſodalitium, degeneri conatu ſenſuque principatum conſtituerit, confuſionis fructus exiſtens ac proditionis merces, noverunt omnes: ac teſtantur, quæ nunc res perditæ ſunt. Mali enim primùm Magnam circumobeuntes civitatem, cum Tribunis qui extra erant, de proditione ſermonem conferebant; ſeditioſiſque intra vrbem ſocij accedebant, atque in rem utilem operam eis conferre ſatagebant: Magnificis verò excitatis incredulitatis tropæis, auctores ſunt ei, qui functus imperio erat, ut unam hanc illis longorum laborum, nec verò aliam velit rependere mercedem; ut ſcilicet nova eorum doctrina publicetur; cùm prius ſuaſibilibus verbis ſeductum, ad impietatem traxiſſent. Is verò maiore liberalitate ad novationem, etiam Eccleſiæ præfecturam adiunxit; inque eum modum, primùm cœptum eſt Palamicum Concilium, proditionis fomes exiſtens ac confuſionis præmium.

D Proditio atque ambitus Palamici ſodalitij initia. Cantacuzeno.

E

Sin verò etiam hæc procul conſideranda ſint, ac velit quiſpiam ſingula diſcutere, is verò Librum percurrat, quem magnus veritatis pugil Nicephorus conſcripſit, ex quo exactè omnia noverit, cùm in his, nulli eorum, qui probè veritatem excoluerunt ac ornatè ſcripſerunt, impar videri poſſit. Non igitur, quod talibus conflatum auſpiciis ſodalitium eſt, meritò ſancta Dei Eccleſia vocetur.

Nicephorus Gregoras.

Præterea, ordinandæ doctrinæ ineundoque principatui, Salvator pacem præmiſit. Cùm enim primùm dixiſſet, *Pacem meam do vobis*, poſtea ſubdit, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Manifeſtum igitur eſt, Salvatoris Pacem, omni meritò præire Sacerdotio. Atqui Palamitarum ſodalitas, contra ac à pace, à ſeditione tumultuque duxit exordium: contrariis ergo Dei Eccleſiæ moribus primò conflata eſt.

Ioan.14. 27.& 20. 21.

Ad hæc, Omnis proditio ac nequitia, cùm inter maximas Reip. iniurias damnaque computetur, graviſſimis etiam Legum pœnis ſubiicitur. Illegitimum itaque, qui ſic reus teneatur, ad ullum vocari miniſterium; longeque magis legibus adverſum, ut divinus illi principatus credatur.

Palamitæ in adverſa legibus ordinatio.

F

Adhuc, Operæpretium eſt, ut quiſquis ad Epiſcopatum Animarumque præfecturam vocatur, Dei in ſe teſtimonium circumferat. Id autem eſt, *uſtus, irreprehenſibilis, ab omni ſe malo abſtinens.* Secus verò Palamitæ ſibi conſcij ſint, ſiquidem rectè animo indicare velint. Ergo etiam indignè ſanctam Dei Eccleſiam arripuere: nec iam meritò ſancta Dei Eccleſia vocandi ſint: ſed longè potiori iure à Dei Eccleſia ſegreges & apoſtatæ audierint.

Tit.1.8.

CAPVT IV.

Num Sancta Dei Eccleſia, quæ priuſquam conflaretur à divina ſanctaque Synodo abiecta eſt & anathemati tradita.

VT igitur quæ ſic turpiter conflata Sodalitas eſt, nedum quibus ex cauſis conflata ſit, conſiderare velint, quibus ſit conſtitutum, ut ea ſapiant, quæ Chriſti ſunt; ſed ut adhuc maiori dedecore habere eam exiſtimaverint, ex his quoque, quæ & ante proditionem, in illos, à verè ſancta Dei Eccleſia geſta ſunt, pœniſque irrogatis, pauca ex ſacris illius commentariis in medium producam.

G

Beatæ igitur recordationis magnuſque Patriarcha ac Confeſſor Ioannes, in multis quidem diverſiſque Synodicis ſuis Actionibus, Palamam, ac qui cum illo ſentirent, à divinis excommunicatum eiectumque ſeptis, ſententia lata pronuntiavit. In defenſione autem adverſus Latrocinalem illam Synodum cuius exordium, *Obiiciunt quidam*, ut ſuprema Viri memorem rectè facta ac merita, *Palamitas itaque*, inquit, *velut qui veritatem calumnientur eique detrahant, praveque ac aſtutè prioris Synodi ſententias evertere ſatagant, excommunicationi, quæ eſt à ſancta & conſubſtantiali & beata ac vivifica Trinitate, noſtra Mediocritas ſubiicit dirſque anathematis, quoadusque reſipuerint & ſubſcripſerint, ac confeſſi veritatem fuerint.* Pauciſque interiectis. *Quapropter, Ipſum quoque Palamam & qui cum illo ſentiunt, cunctoſque nova illa dogmata defendentes, nec illa reiicientes, eidem excommunicationi ſubiicimus.*

Ioannes Patriarcha Palamitis infenſus puto Beccus, non è γλυκύς; Palamæ ſequacẽ que excommunicatio.

H

Qui verò duo ac viginti numero Epiſcopi Synodum implevere, uno complexu, tum ante illos, tum ipſis ſociis in rem pietatis geſta, ſacro conſignantes Tomo; ac qui prius excommunicati fuiſſent, uti audiviſtis, Palamitas, proditionis præmio munera conſecutos à Chriſto, eiuſque omni Sacerdotio abſcindentes, nec non paribus eos cenſuris pœniſque mancipantes, ſic aiunt, in Actione, cuius exordium, *Audite*

A

Iſidorus depoſitus eccenſus Palamita.

tribus terra & linguæ. Ac primùm ſtatim, ſanctiſſimæ Monenbaſeæ Metropoleos Suffraganeum exiſtentem Iſidorum, à Palama, eiuſque factionis ac partiariorum dogmatis avocare conantur. Erat enim is quoque unus eorum, qui illius erant opinionis, quanquam imprudens, Epiſcopalibus obnoxius factus ſententiis eſt. Reluctantem verò illum inflexique prorſus animi ac propoſiti cùm inveniſſent, è ſacro tribunali eiiciunt, cum iam paratus eſſet cum Patriarcha rem ſacram facere unáque celebrare. Deinde etiam ad iudicium vocant. Is verò, palam profeſſus, nunquam ſe, quæ illorum eſſent, recepturum? quin & animam potius traditurum & Eccleſiam, quàm ut à Palama diſſentiret, ſi qua illi vis adhiberetur. Pontificali dignitati renunciat, & Eccleſia, cui Epiſcopus fuerat conſtitutus. Itaque etiam Synodicæ depoſitioni ſubiicitur: ita ut paulò poſt alius ordinaretur eius Eccleſiæ Præſul, quam ille eſſet nactus.

B

Palamas ſodaleſq. ex. communicati.

Qui autem blaſphemiarum auſpex eſſet ac Præſes Palamas, ipſe quoque pari cum ſodalibus innexus ſententia (quippe cum nihil pugnacis animi obnitentiam remitteret, ac vel minimum abſonam nugacitatem ac garrulitatem minueret) ab Eccleſia Dei ac Sacerdotio abdicatur, uti narrant ſcripta in eos commentaria, Regiæ Vrbis Patriarchæ, necnon Theopoleos, Antiochiæ, ſingulorumque Epiſcoporum, tum qui nunc hic præſentes ſunt, tum qui in ſuas parochias ierunt, manu conſignata. Inque eum modum illorum facta abdicatio eſt, interdictioque & ceſſatio quanquam nullo illi loco habentes inflictam Eccleſiaſtica animadverſione pœnam, Sacerdotium nihilominus ſibi retinentes, myſticas in occulto hoſtias temerario auſu offerebant.

Spreta ius cenſuræ, ſuſtimq. violata.

Exinde verò, cùm Dei Eccleſia pace gauderet atque hac parte quieto res ſtatu eſſent, turbo quidam ex adverſo, vehementi erumpit impetu, Satanæ ventorum ſtatu excitus, cunctaque evertit ac in gravem transfert procellam: ſicque blaſphemos proditos, ſic veritatis inimicos, primis gubernaculis præficit, ſacrorumque miniſtros & Sacerdotes nefandarum obcœnarumque rerum artifices facit; deſertores, dogmatum præſides; viroſque ſceleratos, animarum Oeconomos conſtituit.

Palamitarũ res reſtituitur

C

Cumque multas liceat, tum Patriarcharum, tum ſubiectorum illis Præſulum communiter privatimque Synodicas adverſus Palamæ dogmata editas ſententias repræſentare, ut omnes miſſas faciam, unius duntaxat meminero, quam, qui tunc erant Epiſcopi, ad ſuæ ipſorum pietatis ſpeciem, decreto ſancivere. *Neminem ad Epiſcopatus dignitatem aſſumendum, qui Palamæ vocum novitates colat ac recipiat, quandiu in eis perſeveraverit.*

In Palamitas lata ſententia.

Tot igitur tantiſque in eos muneribus, ac actionibus editis, viri per omnia impudenti ingenio præditi, nulla horum habita ratione; quod ſplendidè proditionem perfecerant, cunctis ſpretis divinis regulis, Eccleſiaſtica omni diſciplina poſthabita, Sacerdotium miſerabiles præda invadunt, ac impietatem palam profitentur; quibus obnoxij facti erant tremendas illas pœnas floci facientes, ſed, quæ tunc eſſent, ſeculares ſecuti Poteſtates, ipſi ſibi canones fiunt atque regulæ ac leges: velutque ſicarij, tanquam ſua, quæ aliorum eſſent, decerpunt. Nullaque iuſtitiæ divinæ, quæ ſæpius nos ulciſcitur, conſideratione, ipſi ſeipſos faſtu ingerunt, clamantes, Sanctam eſſe Dei Eccleſiam, qui ut audiviſtis, longè procul ab ea fuiſſent excommunicati. Non iam ergo ullo modo Palamitarum Congregatio, ſancta Dei Eccleſia

Seculari potentia invadunt Eccleſiã.

D

Præterea, Divina omnis actio ac humana, ex præexiſtentibus, ut plurimum, iudicatur. Ex his ergo Palamitarum Congregatio nedum profana convincitur, verumetiam cunctis repulſa cœtus Fidelium calculis ac ſententiis.

Ad hæc, Dupliciter eiicitur illegitima Palamitarum Congregatio, tum ſcilicet quod primùm à ſacra illa expulſa eſt Synodo, tum quibus proditionis præmium, Sacerdotium eſt conſecuta.

Præterea, Humanis Poteſtatibus, primum quidem bonum eſt ut ordine ferantur, quandoque verò contingat, ut & fortuna; divinis autem, ut ſolùm ſemper ordine. Id quoque Dominus Petro ait, *Et tu converſus confirma fratres tuos.* Quemnam igitur ordinem Palamitæ in ſacris ſervaverunt? Cuius Synodi ſententiâ dilutis prius criminibus, Epiſcopatus adepti ſunt? Quiſnam verò eſt qui eiectam receperit, quique ſolvendi, quibus tenebatur, facultatem habuerit? Ne unum omnino indicare poſſint.

E

Ordo in ſacris ſemper neceſſarius. Luc 22. 32.

Sin autem Latrocinalem illam Synodum dixerint, quæ magnum pietatis propugnaculum concuſſit. Primum quidem divinam ſententiam diligenter attendant, quæ illos è veſtigio redarguit. Vna enim nocte, tum Iuſtum, ut eis inutilem, oſtenderunt, tum ab hoſtibus comprehenſi vinctique ſunt. Deinde conſideremus, quod hi quidem erant, qui pœnas illas ac depoſitiones pari calculo decreverant; hi verò, qui Imperatori prius defectionis dicam ſcripſerant: ac illum quidem Fidelium cœtu eiecerant; ſe verò iuramentis diriſque execrandis, eum ſe nunquam recepturos, ac pro virili ſua expulſuros, ſubiecerant. Quis ergo hæc, ſic eis conſtituta prævaricatos, talibus abſolvit; periuroſque, in quæ probaverant, innoxios fecit?

Patriarchæ à Palamitis excommunicatio: eta in eos pœna.

F

Præterea verò, his quoque ſublatis, licet quidem Epiſcopis, qui provinciæ ſubiecti ſunt, ut ſibi dignum eligant atque ordinent, aut etiam in ordinem cogant atque deponant, ſi criminum reum invenerint. Sine Præſide verò, nedum de dogmatis interdictum eſt antiquis traditionibus tractatum habere, verum etiam ſi qua crimina ſynodali egeant diſquiſitione: niſi fortè in Acephalorum verſentur errore. Non igitur hac quoque iam parte obſervaſſe Eccleſiaſticas leges ac iura Palamitæ glorientur.

Epiſcoporũ in provincia electio ac depoſitio. Quæſtio de Fide ſine Præſide vetita. Conc. Chalced.

CAPVT V.

Num Sancta Dei Eccleſia, quæ ob libertatem iuriſque ſui præſumpta licentia, eum ſibi in Patriarcham præfecit, qui prius canonicis obſtrictus criminibus, omni fuerat ſacerdotio abdicatus.

G

TAm multis igitur pœnis obnoxij, ſicque malè atque indignè habentes ut nedum ad Sacerdotium (rem ſcilicet magnam anguſtamque) proſilirent, ſed cùm nec populare munus aliud iis obire liceret, ſæcularibus tamen freti Poteſtatibus, ac cuncta ſibi permittentes, divina invadunt: Exque proditionis ſcelere aucti fiducia, Eccleſiæ res adminiſtrant, quos velint ad præfecturam Animarum, temere adhibitis. Cumque neceſſe eſſet ut etiã ſuperſtitionis ſuæ ducem aggregarent, quidnam moliuntur? Eum, qui trium reus criminum deprehenſus eſſet, ut in eum compertum Synodica actione eſt; quique ab omni ſacerdotio exciduſſet, nihil animo reputantes, non divinas leges ac iura, non poſitos canones, non Eccleſiaſticum ordinem ac diſciplinam, ſed erroris licentia ac libertate ad ſe omnia referentes, velut quidam legiſlatores, prodigioſique myſteriorum inventores, Patriarcham producunt: Deo, puto, in hoc etiam illorum mentes ſeducente, ut cunctis manifeſti eſſent, profanam Epiſcopatus nacti originem, ac pro ipſorum congrua ratione. Velut enim abortivi fœtus, haud rarò needum utero effuſi, mutili ſunt atque oblæſi; ſic & illis evenit. Cùm needum orti eſſent, depoſiti ſunt & abdicati, condignaſque futuræ deinceps malignitatis pœnas ſuſtinuerunt.

H

Vt igitur illius Actionis meminerimus, *Relata ſunt,* inquit, *de ſanctiſſimæ Metropoleos Monẽbaſeæ ſuffraganeo ac Sacerdote Monacho Iſidoro, hæc illaque. Ac poſtremò his ita relatis, ac quæſito quid hîc facto opus, Conſtitutum eſt ac ſynodicè decretum, cuius ſe res in eum modum habeant, non eſſe amplius pro Sacerdotis aut Epiſcopi munere admittendum. Qui enim antequam*

Synodalis in Iſidorum poſtea Patriarcham, ſententia

Epiſcopal

A *Epiſcopali perfectione conſummaretur quæ ſunt Epiſcoporum muneris præſtitit, prono in eos animo qui per vim opprimerent, eoſque recipiens qui ſuas ipſi ſequerentur opiniones, non quibus Eccleſia inſtituta eſt atque graditur, colerent; huic meritò nec ut in Epiſcopalis muneris via incendat, indulgebitur.*

Præterea, Omnis ſacra actio, neceſſe eſt ut ex Apo-
1.Tim 3. 2. ſtolicæ iuſſionis ratione fiat. Atqui ait Apoſtolus, Debere eum, qui ad Sacerdotium promoveatur *ſine crimine eſſe*. Non jam ergo Sacerdotum habuerint ordinem, qui & antequam fierent, innumeris pœnis cenſuriſque obnoxij erant.

1.Tim. 6. 4. Ad hæc, Dicit Apoſtolus, *Cavete ſuſpiciones hominum, tametſi falſæ ſint.* Decebat ergo Palamitas, vel ſi
Non videntur cõ.epiæ S.ſcriptoræ voces falſa erant, quæ illis obiecta erant crimina, ad iudicium maius provocare, eiuſque ſententia crimina diluere. At non permiſit, quam ſibi licentiam exque facultate libertatem, arripuerant. Quinimmo reprehenſiones veriti, quæ ſilentio digna eſſent, ſilentio in rem ſuam moliti ſunt.

B
Mat.20. 25. Præterea, Omnem ambitum ſuique iuris licentiam
Sæcularia, & Eccleſiæ Chriſti munera. ſæcularibus, Gentiumque Principatibus competere ait Dominus: ut verò Eccleſia ſua ſecus habeat, iuis conſtituit. *Scitis* enim, inquit, *quia Principes Gentium, dominantur earum: & qui magni ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter.* Palamitarum autem Eccleſia antequam etiam primò conſtitueretur, proditorum quoque elegit locum, quò videlicet id ipſum illi eveniret, in quod modò delapſa eſt. Contrarium ergo Dei Eccleſiæ nacta ſcopum eſt; ac planè ad ea attinet, quæ ſunt Gentium.

Præterea, Omnis oblatio atque hoſtia tunc accepta eſt, cùm ex regula Dominicæ traditionis peragitur. Ait enim, *Si obtuleris munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo; & tunc veniens, offerto munus tuum.* Qui igitur unam hanc eandemque Sedem ſibi Patriarchæ vendicant, quanam quiſque ratione munus ſuum ad altare offert? Num munus ante altare relinquit, ut reconcilietur ei, qui adverſus eum aliquid habet? At non ſuaſerit, niſi prius illi Sede ceſſerit. Enim vero nulla reconciliatione ſic ſeorſum quiſque munus offert nec iuxta Domini Salvatoris præceptum eſt obſequium. Non jam igitur eorum quoque oblationes ac victimæ acceptæ ſunt apud Deum.

Ad hæc ait Dominus, *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Solvitur autem Palamitarum Eccleſiæ (unius Cathedræ vendicatione, ac quæ inde eſt duorum Patriarcharum rixa pugnaque, cum & eiuſdem religionis uniuſque opinionis exiſtant) præceptum offerendi: iam ergo minimi indignique vocabuntur, tum qui ſolvant præceptum, tũ qui in .um modum offerant.

Poſtremo, nedum in his convincuntur perperàm agere, ſed quod etiam Salvatoris de Eccleſia ſua vaticinium conantur evertere. *Erit* enim inquit, *unum ovile: unus Paſtor.* At Palamitarum Eccleſia, hac quoque parte Chriſto adverſatur, dum unius gregis duos Paſtores exhibent. Non ergo iam illorum congregatio eſt Chriſti Eccleſia.

CAPVT VI.

Num Sancta Dei Eccleſia, quæ unius gregis duos ſimul Patriarchas, ſeſe mutuo abdicantes, ac tumultuantes retineat ac proclamet.

C OMnem itaque Apoſtolicam ac canonicam, quibus tum primùm divinis irruerunt, ac quibus ex cauſis ad rem moti ſunt, præceptionem tranſgreſſi, nihil minus in ſua nunc quoque diſciplina habuerunt. Et ut pleraque omittam, illegitimas invectas nuptias, ſacrorum direptiones, abſurdas manuum impoſitiones, accipientium munera iniurias, ad eam ſtylum verto. Abſceſſerat, quem prius ſic quaſi ludo Epiſcopum ſibi præfecerant. Acceſſitur verò alius qui ſacram functionem obeat. Vt autem quemadmodum reliqua, ſic pri-
Schiſma Patriarcharum. mum quoque Eccleſiæ Chriſti indicium notaque, Pax illis aufugiat, eum, quem haberent, deiiciunt, aliumque ſuperinducunt. Quod verò ille à fuga retractus, cum Imperatore redierat, eum conſtituunt, qui deiectus fuerat; fugant verò, qui eius locum invaſerat; atque is quidem, quaſi nulla iuſta cauſa deiectus, à ſe quoque potentia fretus, quod cum iuſtitia æmulatus eſſet, thronum conſequitur; alter verò contrà nititur,
D multis alterum laceſſens, ac criminans quod ſua deprædetur; alterque alterum deiicit, ſibique mutuo mœchiæ crimen obiectant. Nullaque ab ullo in aliquem procedit damnationis ſententia, ſed ambo pari tum nominis appellatione, tum pompa gaudent: inque magna hac unaque Civitate, aliis quidem hic tanquam verus inter commemorationes habendas nominatur, his verò, alius: aliis uterque, inque eum modum omnibus his divinæ Pacis res pignuſque evertitur: falſumque evincitur, quod ingreſſi ut rem ſacram faciant, in principio & fine ac reliquis petunt, profligataque
Io.13.35. eſt Chriſti Eccleſiæ nota præcipua, quod ſcilicet alter alterum diligere iubentur. Longè igitur abeſt, ut, quæ hæc interimat, Dei Eccleſia appellanda ſit.

CAPVT VII.

Num Sancta Dei Eccleſia, quæ tot profanas vocum novitates palam eſt confeſſa.

TAlibus igitur ex principiis, talique inſtitutione, ac diſciplina, arrepta ſibi Eccleſiæ tyrannide, & ut eam vi ſibi ſubiiciant, tumultuantur quidem, uti dicebam, alij in alios, implacabilia inter ſe odia ſervantes ac diſcordias: uno verò hoc duntaxat concordes ſunt ut omnem piorum dogmatum evertant ſententiam Quamobrem etiam adverſus ſingularem Deitatem caſtra inſtruunt, proferuntque impudentiæ libertatem ut veritatem evertant. Vt igitur ſumma repetendo, quæ ſuperius multis dicta ſunt, ob oculos ponamus, Deum quidem verè ac ſubſtantia exiſtentem, infinities infinitè innatè, ac qua eſſe poteſt, Virtuti eminentem trinè ſubſiſtentem Eſſentiam confingunt ſentiuntque Eam verò quæ ſic habeat innatam Dei Virtutem Deum non verè ac ſubſtantia exiſtentem, ſicque Eſſentia divina inferiorem Certa igitur ratione, qui velut Deos, ſic & Deitates ſtatuant, tum hac diviſione diſtingui volunt, tum multis aliis oppoſitionum modis uti etiam ſe habet viſibile ad inviſibile, & quod poteſt participari ad id quod imparticipabile eſt: & quæ ſunt reliquæ oppoſitiones.

Vnum hoc eſt eorum impietatis caput quod nedum Deo veram exiſtentiam adimat, ac portentoſam Deorum multitudinem invehat, ſed & nobis à principio poſitas de Monarchia leges evertat, quarum hæc verba ſint ac ſententia, *Fides autem Catholica unam profitetur Deitatem, Patris & Filij & Spiritus ſancti, præter quam non reputabitur alia.* Et, *Nobis unus Deus eſt quoniam una Deitas.* Et ſicut unum Deum ſentire docti ſumus ſic & unam profiteri Deitatem accepimus.

Secundò verò, Quibus conſtitutum ſit, ut quem ad invenerunt Deum alterum ac Deitatem, mundi omnis adminiſtrationis ac commercij præſidẽ & inſpectorem ac opificem ſtatuant, in immanem adverſus Dei Eſſentiam, quæ omni Deitati eminet, incidunt inſaniam Aiuntque in hæc verba & ſcribunt. *Quiſnam invidus dæmon procaci audacia Dei Eccleſiæ invexit, quo*

A *ipſa Dei Eſſentia in hominibus habitans, eos qui purgantur, purget, & qui ſplendeſcunt, ſplendorem induat: atque in creaturis habitans hæc efficiat? Hoc, quod ex vobis audimus (atque utinam ne audiremus quidem) dæmonum verè tenebroſum inventum eſt.* Hinc omnino ſcilicet, & ex tanta captantes blaſphemia, non aliud, quàm quod dicebamus, ut nimirum Dei quidem Eſſentiam, ab omni prorſus rerum adminiſtratione curaque amoveant, ſubditicium verò illum Deum, quem in modum Luminis cogitantes produxerunt, eius loco inducant.

Tertium autem pari impietate, aut maiori, quæ ſunt ſuperiora ſuperans eſt. Nedum ſupereſſentialem incircumſcriptamque Eſſentiam, ne in creatis inhabitet, eliminant, ac Scripturam abolent, quod diſertè clamet, *Inhabitabo in eis, & inambulabo; & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum*, Verumetiam ne quid grave hominibus ab illa proveniat, hanc hominibus fugiendam ſuadentes, corrumpendi vi præditam pronunciaverunt, ſic nimirum loquentes in Fide, quam poſuerunt. *Quodque Dei Eſſentiam, idcirco quod imparticipabilis ac inacceſſa dicta ſit, corruptrice vi præditam exiſtimamus: qui ſic de illa ſentiamus: ô temeritatem & audaciam! impios nuncupaverunt: idque cùm Deus ad Moyſem dixerit*, Nemo videbit faciem meam, & vivet.

Lev. 26. & 2. Cor. 6. 16.

B

Exo. 33. 20.

Duo verò hæc, nedum omni maiora ſunt impietate, ac prioris evidentius adſtruunt impietatem; verum etiam omnem Chriſtianorum ſublatum iere ſpem: idque cùm Salvator dicat, *Qui diligit me, mandata mea faciet, & ego & Pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Et, D. Petrus, *Divinæ conſortes facti ſumus naturæ*. Magnus quoque Athanaſius, *Secundùm hæc eſt Deitas Patris ac Filij ſancta & ſanctificandi vi prædita: Cuncta ſanctificans, quæ ratione utuntur, quæ videlicet libera mentis ſententia & voluntate ac diligentia, ſanctam beatamque Eſſentiam ſuſcipere meruerint, ad ſanctificationis commercium.* Item Melodus ac ſacer Cantor, *Lumen ſingulare ac trinè fulgens, omni principio carens Eſſentia, immenſus decor, in mente mea inhabita.*

Ioan 14. 23. 2. Pet. 1. 4. Athan.

C

Quartum prioribus par eſt ac æquale. Et quidem alteri Deo & Deitati perfectionem univerſorumque imperium tribuens; ſupra-quam Deum verò Trinitatem inter creata infimo loco deiiciens, hoc ait, *Non ſufficere, quæ verè exiſtit, vitam; aut quæ verè exiſtit, ſapientiam; aut quæ verè exiſtit, virtutem ſibi à ſe ipſa, ſeu niſi abundè, ipſa quæ non verè exiſtit, utatur & vita & ſapientia & virtute:* nempe vitam non verè exiſtentem & ſapientiam & virtutem & actionem ſupereſſentialis Trinitatis communem vocantes, alterum illum Deum, ſicque infinities infinitè Deo, qui cunctis eminentior eſt, ſubiectum. Sin autem quod alio præter ſe, utitur, ut vivat, vel ſit præditum potentia aut ſapiens exiſtat, à ſeipſo imperfectum & mortale & impotens eſt, quomodo non etiam verè exiſtens Vita & Virtus & Sapientia, Pater & filius & Spiritus ſanctus (quiſque enim horum ipſum quod eſt, verè exiſtens vita & ſapientia & virtus eſt) imperfecta per ſe & mortalis & imperfecta eſt? Hæc quatuor omnem complexa ſunt, quæ in animum cadat, aut ſit futura, impietatem.

D

Adiungunt verò etiam innumera alia, omnem vim abſurditatum ſuperantia. Hunc enim alterum ac ſubiectum Deum, in multa & quæ numerum excedant, explicant increata & non verè exiſtentia: quantaque in rebus ſunt genera, hæc quoque illis conformari aiunt; atque ab eis videri corporeis oculis immutatis, unaque cum iis qui vident moveri, atque in ſuam increati rationem ſecum mutare, quæ increatos, æternos, incircumſcriptos ipſos efficiant: & quæcunque alia in libro de Hæreſibus ſeorſim diſputavimus. Diſtorquent verò, quum ſecus exponere ac depravare liceat ad ſuas iſtiuſmodi impietates, divinam Scripturam; quæ verò clara extraque omnem controverſiam ſit, hanc ſpernunt ac reſpuunt.

Cum talibus itaque dogmatis talique nugacitate inſtructa acie, volunt ſe, ſuamque impiam ſodalitatem, eſſe ſanctam Dei Eccleſiam. Vnum enim Deum in tribus perſonis ex ipſo, & qui eius ſunt, didicimus, hactenuſque in eo quod ſcimus, ſiſtere docti ſumus, quemadmodum ait magnus Athanaſius. *Ter Sanctus dicimus, ob tres perſonas: ſemel verò* Dominus, *quod una Deitas eſt*. Sunt hæc ſatis Fidelibus. Hactenus quæ in hominibus eſt ſcientia pervenit. Hactenus Cherubim alis obteguntur: Deum verò Eſſentiam & Deum operationem tantis diviſos ſeque ſic habentes, nec didicimus, neque hactenus audivimus. Dictum verò eſt, eſſe Dei Eccleſiam, quæ fundata eſt ſuper fundamentum Apoſtolicarum & Paternarum traditionum. Non ergo jam Palamitarum Eccleſia, Dei Eccleſia eſt.

Nolle dè Deo ſcientiæ limites.

E

Athan. Triſag. doctrina.

Epheſ. 2. 20.

Præterea, *Omnis plantatio*, ait Salvator, *quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*. Manifeſtum igitur eſt, quæ eſt præter Patrum traditiones, Fidem, minimè à Deo plantatam eſſe. Audiviſtis verò & Palamitarum fidem, omnino peregrinam adverſamque divinis nobis à principio conſtitutis dogmatis; ergo eradicabitur. Sin autem ita eſt, non eſt ſancta Dei Eccleſia; nam contra illam, nec portæ inferi prævalebunt.

Mat. 15. 13.

F

Mat. 16. 18.

Ad hæc jubet D. Apoſtolus, Auferri profanas vocum novitates; ſuperædificari verò ad inſtaurationem Eccleſiæ Chriſti. Id verò palam eſt, Palamitarum vitare Eccleſiam cum tantis vocum novitatibus pugnam inſtruentem, connumerari verò divinis iſtis viris, in nomine magni Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti congregatis, ac in quorum ille medio verſetur. *Tu enim*, inquit, *numeras myriadas, Deus autem eos qui ſalvandi ſunt.*

1. Tim. 6. 20. Eſ. 4. 12.

Præterea, Ait idem divinus Apoſtolus, *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem: fidelis enim eſt qui repromiſit.* Haud ergo acceſſiones quærendæ, vel ut aliquid auferatur, eorum quæ confeſſi ſumus: nec aliena ſequenda promiſſa ſunt, tametſi Angelus è cœlis ſit, qui hæc nobis annuntiet. Sic enim etiam ſolum confeſſionem indeclinabiliter tenebimus, ac Dominum, cujus promiſſa ſunt, fidelem habebimus. Sin autem aliter quæramus, inanem omnem ſpem noſtram efficiemus

Heb. 10. 23.

G

Præterea Salvator ait, *Oves meæ vocem meam audiunt, quia ſciunt vocem meam, alienum autem non ſequentur, ſed fugient, quia neſciunt vocem alienorum.* Conſiderandum itaque, Num Palamitarum Eccleſiæ dogmata conſentanea ſint voci Salvatoris, ut eos ſequamur. Enim verò Deitatem dicere ſubjectam & increatam aliam eſſe à Dei Eſſentia, quæ à ſe non verè ac ſubſtantia exiſtat; aut Dei Eſſentiam eiuſmodi eſſe quæ corrumpendi vim habeat, aut non eam in omnibus habitare, quæ ſanctificans ſit, eaque à ſeipſa ſanctificare: aut, quæ verè exiſtit Dei ſapientiam, non ſibi ipſam ſufficere, ſed habere ſapientiam non verè exiſtentem; ut ſapientia imbuatur, ac quæ præſtet ſapere, hactenus non audivimus. Non ergo vocis eſt Chriſti Salvatoris; nam ſi eſſet, à principio diceretur. Nos verò audiviſſemus ac ſecuti eſſemus, quandoquidem per viſcera miſericordiæ ac miſerationum gregis eius utentis ratione oves effici meruimus. At neſcimus hàs voces; neque ergo eas ſequemur, ſed fugiemus Palamitarum Eccleſiam, quod neſcimus illius vocem.

Ioan 10. 27. & 4.

H

Poſtremò idem divinus Apoſtolus iſtam prævidens Eccleſiam, dixit. *Erit tempus quando ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed propter ſuas concupiſcentias, coacervabunt ſibi magiſtros, quibus aures pruriant. Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Manifeſtum igitur eſt, hæc nunc impleta eſſe; quod fabulis ſimilia ſunt, ea, quæ dicunt, ex proditione ortum floritionis nacta, ſecundùm verò quorundam concupiſcentiam ac complacentiam, in Magiſtrorum Eccleſiam coacervata, præter omnem divinam regulam ac legem.

2. Tim. 4.

CAPVT

A

CAPVT VIII.

Num Sancta Dei Eccleſia, quæ poſt impiam fidei novationem, eoſdem Sanctorum iudices & accuſatores concervavit.

QVod verò ſplendidè aperta impietatis ſunt penora, exque malis theſauris cordis eorum largiùs effuſa blaſphemiæ novatio eſt, quid ad calliditatem moliuntur; ſeu potius quid ad multorum pernitiem ſtruunt? Vt videantur iuſti, ac æqui aliqua ratione ad libertatem niti, ut Synodum conflarent, atque huius antiſtites veros hos peſtilentes ſceleſtiſſimoſque conſtituerent, Monachorum neminem convocari ſuſtinuerunt; ſed & plurimæ Epiſcoporum partis, ſeorſum convenientes, nullam rationem habuerunt, ſæcularibus innixi poteſtatibus, exque adverſo turbines inſufflantes adverſus pietatem. Vbi autem cuncta bene eque animo illis doloſè ſtructa ſunt, atque vt veritas ſententia damnaretur fuit conſtitutum, eiuſque loco prava illorum opinio induceretur, tunc nimirum viros in ſtadio adeſſe tulerunt. Conſtitueruntque Concilium, longè illo mendoſius, quod in Chriſtum fuit conflatum; quatenus illud quidem & invitum, prophetavit, dicens, *Expedit ut unus homo pro omni populo moriatur*, illud vero, ne invitum quidem, pium aliquid loqui conceſſum eſt. Eoſdem ſimul iudices & accuſatores ſeſe conſtituentes, homines ſcilicet omnibus calculis digne flammis addicendi, ſiquidem alios nacti iudices eſſent. Quos enim redargui oportebat & pœnas dare, eorum nomine quæ in omnibus deliquerant, his neceſſe erat, ut arreptis iudicantium ſedibus, libertatem ac licentiam ſententia firmarent; ac qui vllo modo obſiſteret, ac vel gry mutire auderet, quæ mancipiorum ſunt, aut etiam his graviora confeſtim mala ferret. His ſtructis cuniculis paratiſque inſidiis, improbitatis illas tabulas exarant, omnique licentia impietatis colophonem alta edunt præconis voce; Eccleſiam Dei vocitantes, impiam ac devotam eorum ſynagogam: profanos vero & abdicatos. Viros ſanctos *Tomum*, impietatis illam promulgationem: *Fidem*, quæ omnem Dei cultum ſublatum iret ac religionem. Conſideremus igitur ex omnibus operæpretium eſt, Vtrum vllo unquam tempore Chriſtianorum moribus iſtiuſmodi vſurpatum ſit, aut etiam per præceptionem ſacris congruentem effectum. Sin autem iſtud oſtendere non poſſunt, qui undique arguantur libertatis ac licentiæ errore laborare, haud planè ſancta Dei Eccleſia ſunt.

Palamitarum tyrannicū cōciliabulū.

B

Ioan. 11. 50.

C

Palamiticū Conciliabuli ſentētia.

Præterea, Interdictum eſt, & in civilibus tribunalibus, per occupationem iudicare, eaque reum opprimere; longè magis in divinis, ubi & maius periculum eſt, his, qui horum aliquid violaverint. Sin dicant Palamitæ, Non occupaſſe aut vero oppreſſiſſe, maiori riſu habendi ſint, pro ſua in omnibus cum impudentiā calumniandi libidine. Mendacij enim convincuntur: ac primùm quidem quod Iſidorum Palamicæ doctrinæ cauſa in ordinem redactum ac depoſitum, Patriarcham conſtituerunt: Cum illo vero, etiam impietatis parentem Theſſalonicæ Epiſcopum præfecerunt. Tumque rurſus alterum poſt eum eandem ipſam in rem accerſitum quem prædefuncto in ſuis ipſorum deliriis maiori audacia præditum, non ignorarent.

1. Tim. 5. 21. Iudicij occupati iniuſtia.

Palamitæ, reatu non diluto promoti.

D

Præterea divinæ regulæ legeſque omnes præſcribunt; Neminem, cui crimen obiectum ſit, nedum in iis quæ ad fidem ac dogmata ſpectant, ubi & proiecta audacia maius damnum offert, ſed & in aliis quibuſcunque, licere promoveri, ab ea qua fulget præſenti dignitate, donec ſynodali iudicio obiecta diluerit. Oſtendant igitur qui velint, quo Patriarcha Synodum prius indicente, arreptoque iudiciali ordine (ut nimirum in neutram affectu declinetur partem) Palamitæ victores exierint: ut ita etiam iuſtè promoti cenſeantur, ac quibus fulgeant Sedes adepti. Sin autem non poſſunt oſtendere, planè illegitimum fuit illud Concilium, nec quicquam canonibus fultum; quod ipſum pari cum condemnatis noxa teneretur, ac in quo ob proditionis ſcelus ac occupatam opinionem, qui ſedebant iudices, omni anathemati obnoxij erant. Non enim iam illa Synodus aut Dei erat Eccleſia, aut illius ſunt admittenda decreta.

E

Præterea ait D. Apoſtolus, *Non eſt tumultuationis Deus, ſed pacis, ut in omnibus Eccleſiis Sanctorum.* Atqui Palamicum illud iudicium, tumultuationis erat officina; præter omnem, uti probatum eſt, canonicum primùm conflatum ordinem ac tranquillitatem, deindeque deteriori conſilio ac molitione ad pietatem decreto damnandam congregatum. Non ergo Deus illius erat, ut in Eccleſiis Sanctorum. Quod ſi Deus eius non erat, grave eſt ut Dei Eccleſia appelletur.

1. Cor. 14. 33.

Præterea ait rurſus idem divinus Apoſtolus, *Vtinam & abſcindantur qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati eſtis, Fratres.* Palamitæ igitur qui Eccleſiæ iura, regulaſque pietatis everterint, ac noſtram ob Chriſtum libertatem in ſervitutem redigant, meritò etiam à piorum parte pridem debuiſſent exſcindi. *Quid enim commune Chriſto & Belial?* Exciſi verò ſemel, ut qui noſtram libertatem conturbent, nec nos decet, quicquid adverſum nos blaſphemaverint aut devoverint, ullam rationem habere. Probatum namque eſt, nec in Sacerdotum illos claſſe eſſe, nec prorſus fidelium: in ſuum verò duntaxat iudicium divina invadere, profanéque (quod ne fuiſſet unquam) inque locis ſacris ac ſanctis altaribus adſtare.

Gal. 5. 12.

F

2. Cor. 6. 15. Contemnendæ Hæreticorum diræ & anathemata.

Ad hæc ait magnus Baſilius, *Nemo exiſtimet, eorum, qui falſas de Deo habent opiniones, inter pſallendum acceptas eſſe laudes.* Sin autem hæ non ſunt acceptæ, multò minus, quas in eos qui pietatem velint colere, intentant excommunicationes ac diras, dignæ ſunt quæ probentur ac recipiantur.

Poſtremò, ſi (ut ait in divinorum ſcientia clarus Theodorus Studita) *Vel hoc uno, quod Hæretici nomen in Eccleſia referatur, Eccleſia commaculatur, idcirco quod Angelus cuſtos ab ea avolat hæreſis tempore: iamque, quod eiuſmodi templum eſt, templum commune ac pollutum eſt.* Si igitur ſe res ſic habet quidnam quis dicat quæ in Palamitarum Eccleſia adverſum nos publicantur maledicta? Manifeſtum igitur eſt, neque qui loquuntur, dignos eſſe qui ſuſcipiantur; neque locum in quo dicuntur, Deo electum eſſe; ſed commune & ab eis pollutum: nec ergo quas illi adverſum pios iactant diras & ſententias ac proſcriptiones, hoc ſunt quod dicuntur; ſed nugæ temerè fuſæ; & ut Scripturæ verbis dicam, aliud nihil præter *inanem garrulitatem* (βαττολογία) quæ omnem eiuſmodi ſuperfluam loquacitatem excedat.

G

Mat. 6. 7.

CAPVT IX.

Num Sancta Dei Eccleſia, quæ diverſas ærumnas, longaque exilia & ergaſtula & carceres adverſus iuſtos omnes pioſque decrevit ac indicavit.

VT igitur etiam Concilij huius fructus noverimus haud procul ab eo quod antè Chriſtum petiit, hunc in modum conſideremus. Illud enim non ferebat Iuſtum videre, nec cum ab illo argueretur ſuſtinebat: deſertoque vadimonio, cruci eum ac morti damnabat. Hoc verò longè prolixius illius malis laborans, maiore furore illos ulciſcitur, qui pro Chriſto certamen deſudaverant. Atque illud quidem, ut ait divinus Apoſtolus, æmulationem habebat, ſed non ſecundùm ſcientiam; quod nimirum earum legum defenſionem ſuſciperent, quæ hactenus viguerant,

H

Iudæorū, Palamitarumque Cōcilium.

Rom. 10. 2.

A Huius maior ac ſævitia. *Sap.2.15*

eáſque vellent incolumes : hoc autem , quæ nullo unquam tempore viguiſſent , ac nec auribus audita fuiſſent , aut vlli mortalium ob impietatis magnitudinem probata eſſent, à principio comminiſcens, atque poſtea in lucem producens, furore in omnes bacchabatur, qui hæc minimè colerent ac reciperent : tantáque ſuperbia provexerat , vt & maioribus quàm pro facultate animis raperetur , gravioraque adverſum Iuſtos deſtinaverit, quàm licuerit præſtare. Ac quidem improbitatis nullum terminum reſpuerat , vt non omnes ipſo die amaro interitu perderet. Sin autem etiam aliquid incolume ſervatum eſt , divinæ res virtutis fuit , vt relinqueretur divinum ſemen Iſraëli ad abſurdam coarguendam inſaniam.

Actum enim ipſoque in loco ac Concilio calcibus irruentes ac pugnis impetentes (& quid non atrocis ſceleris perpetrantes, quidve abſurdi non effutientes ?) vi tollunt , qui in eis potiores eſſent ac Sede præſtarent, Epiſcopalis ordinis inſignia, his, qui præter confeſſionem , Epiſcopalem Sedem ornaſſent : aliumque aliò carcere includunt , omni aliorum interdicto congreſſu: atque alios quidem carceri & verberibus ærumniſque aliis manciparunt , alios verò ad extrema terræ relegarunt ; non quæ ipſi à principio ſtatuerant. Nam hæc quoque in anguſtum valde contraxerunt : ac nec vel ſolum , eius , quam habitant , vrbis , liberum eis dimiſerunt , vt non hoſtibus proderent , gratiam rependentes auxilij, quod ex illis conſecuti eſſent : ſed quò illos neceſſitas extruderet ac caſu diſpergeret. Multique ſic extorres , peracto confeſſionis agone , ac fide inviolabili tenore ſervata, cum Paulo nunc choros agunt , quæ eis repoſita eſt, iuſtitiæ coronam conſecuti.

B Cõfeſſiõ ... inſtitutio.

1.Tim 4 8.

Tanta adverſus Sanctos veteratoria arte malignati mala hæc ſodalitas , ac cùm tales fructus retuliſſent, ambitioſius longéque adhuc maiore licentia perſecutionibus indulgent , ſtudentque vt malorum orbem inducant. Caſſa tamen illis vota cunt , humaniore facto Imperatore , nec doloſis eorum machinationibus ac conſiliis duci ſe patiente , vel iis excitatos tumultus abaudiente, ſeu illis morem gerente. Non ergo iam Chriſti Eccleſia , quæ malæ hæc notæ congregatio eſt, qui nec iniuriantibus reſiſtebat , ſed pro eis rogabat , ne quid inde mali eis accideret , qua improbitate in eum ſæviebant.

C Eccleſiæ Chriſti ... Chriſto authore. *Luc.23. 34.*

Præterea ait magnus Petrus Apoſtolus , *Paſcite qui in vobis eſt , gregem, non coactè , ſed ſpontaneè.* Manifeſtum igitur eſt, Palamitas , qui non ſinant ex Apoſtolicæ iuſſionis ratione componi ; ſecus verò qui tormentis , quin & longis exiliis & carceribus pios ſibi ſubiiciant ac cedere cogant , nec Dei eſſe Eccleſiam.

1. Petr.5 2. Lenitate paſcẽda.

Præterea ait idem divinus Apoſtolus , *Præfaſtuoſa enim vanitatis loquentes , pelliciunt in concupiſcentiam carnis plurimos , eos , qui verè effugerant, qui verò in errore verſentur , iis libertatem pollicentes , cùm ipſi ſervi ſint corruptionis. A quo enim quis ſuperatus eſt , illi & ſervus addictus eſt.* Palam igitur eſt , & Palamitas utriſque multis moleſtos eſſe ac obtundere. Eos enim qui morem non gerant , pellicere conantur in concupiſcentiis carnis , munera pollicentes , aliáque præbituros, ſi modò in ſententiam traxerint. His verò qui erroris illis ſocij ſint, remiſſionem pollicentur , quantumvis peſſima deliquerint. Corruptionis ergo ſunt, non Eccleſiæ filij.

1.Petr.2 18.

D Hæreticorũ ſeducendi fraus.

Ad hæc ait magnus Baſilius. *Si quis perſecutionem patitur , ab his qui eiuſdem ac ille fidei videntur , ob rectam fidem atque doctrinam , is illuſtriore donandus corona eſt, quam qui ſæviente Idolorum cultore martyrium facit.* Tali igitur corona donandus qui perſecutionem patiatur : Idololatræ verò rem nomenque ſortiantur, qui hunc perſequuntur.

B ſil. Illuſtrius martyriũ ab Hæreticis.

Item, ait Gregorius Theologus, *Impium eſt ut Chriſtiani Chriſtianos perſequantur. Eius enim eſt qui Chriſtum ſpernat , eos perſequi qui ſunt Chriſti.* Omnino igitur manifeſtum eſt , Palamitas , quibus conſtitutum ſit ut Chriſtianos perſequantur , impios eſſe ac Chriſtum ſpernere.

Theol.

E

Poſtremò , ait D. Chryſoſtomus , *Mihi enim moris eſt perſecutionem pati, non facere, fugari, non verò fugare. Sic & Chriſtus victor extitit ; non qui ipſe in crucem egerit , ſed qui actus in crucem ſit : non qui alapas dederit , ſed qui acceperit. Etenim cùm fulmen vibrare poſſet ac terram concutere , atque ſervi manum areſacere ; nihil horum fecit , ſed lenitate vincit , erudiens te nequando ægrè feras ac indigneris.* At Palamitæ contrarios Chriſto Sanctiſque mores inierunt , vt perſequantur , fugentque & cædant, ac , ſi res ferat , in crucem agant. Non ergo iam , ex Chriſti genio & eorum qui Chriſti ſunt , indolem coluerunt. Nec iam igitur Chriſti Eccleſia ſunt.

Chryſ. Mala pati , Chriſtianorũ nõ facere.

F

CAPVT X.

Num Sancta Dei Eccleſia , quæ Teſtamenta invadat, & divinorum virorum cadavera inſepulta proiiciat.

Augentes verò huius malitiæ fructus, nec modum ad quem eos habere ſinentes, quod nec Idolorum cultores in Martyres præſumpſere , Sanctorum Teſtamentis inſultant, ac beatorum virorum cadavera contaminant : illa quidem evertentes, hæc verò inſepulta proiicientes. Quorum probri eſto ſpecimen , Viri ingenui cadaver, per diem omnem æſtivum, inſepultum iactatum , nec eius, qui veteri ſententiæ obnoxius eſt, permiſſum facere periculum.

Inſepulta Fidelium cadavera. Palamitarũ ſævitia.

Ad hæc vero , admirandum illud magni veritatis præconis cadaver , diu multúmque ludibrio habitum ac circunlatum : idque adeò cùm Philoſophus eſſet, qualis nemo inter illos maiorem nactus eſt admirationem ; inter exercentes religioſa palæſtra, qualis nemo maiori ſedulitate pro pietate deſudandis laboribus, piratarumque ac prædonum vellicationibus & maledictis ac carceribus , qualis nemo maiori tolerantia in omnibus ; Nicephori ſcilicet admirandi Gregoræ , ac nihil aliud vtraque appellatione à Deo præiudicium indicationémque habentis, quàm ab inimicis veritatis vigili mente victorias atque triumphos ſublaturũ eſſe.

G Nicephori Gregoræ elogia. Obſtet tamen Legatus Romani Põtif. in finem vnionis.

Ad hæc ipſe pariter horum teſtis accedat , magnus ille ſapientiáque ac virtute admirabilis Ignatius , nihilque hac in parte illi inferior , qui ait, *Zelatus ſum ſuper iniquos , pacem peccatorum videns.* Et , *Odivi Eccleſiam malignantium.* Et, *Perfecto odio oderam illos: inimici facti ſunt mihi*; ſub vitæ huius curriculi finem, poſt multas à perſecutoribus graves iniurias & dehoneſtamenta, carcereſque & verbera , à Monaſterio, in quo degebat , tranſlatus, ac in occulto vivendi finem nactus (ſic nimirum comminantibus qui inſidias ſtruerent) vt eius inſepultum cadaver proiiceretur, canibúſque ac porcis obiiceretur, vt qui revera pretioſus Chriſti Margarita eſſet.

Pſ.72.3. Pſ.25.5. & 138. 22. Ignatij Patriarchæ mala tractatio.

H *Mat.7.6.*

Mitto dicere de beatis illis , admirando ſcilicet Burde, divinóque Paleriauita , nec non mirabili Lybdice. At neque plurimos beatóſque viros memoro, magnum philoſophiæ atque virtutis præmium conſecutos: quique adeò priuſquam prava opinio licentiam frontémque nanciſceretur, multis ſæpius maximiſque comitiis præſentia adeſſe & functiones obire decretis coacti ſint , deterioribuſque poſtmodum in malis verſati, tantiſque adeò, vt neque iuſta eis fieri, funuſque eorum efferri per dies ſineretur.

Alij Cõfeſſores.

Enimverò Teſtamentorum everſum ius ac religio, viri ſancti , probéque confeſſionis curſu perfuncti, cellas dirutas, iactat , quæ ſervorum Pontificis rapinæ ac liguritionibus ceſſerint ; aliáque eius generis innumera, quæ & omittam, ea ſcilicet ratione, quod multis beatis quotidie præſto ſunt vt videantur.

Atque

A Atque hæc quidem ſufficiunt, vt nemo qui hæc ſeriò percurrat, Chriſti Eccleſiam vocare in animum induxerit; ſed magis conſiderandum putaverit, quemnam eſſe Spiritus fructum definitum ſit: & quomodo ſecus omnino habeat, qui à viris iſtis fructus emerſit. Vnde nec meritò Dei Eccleſia vocanda ſit, ſed adverſi ſpiritus, cuius & gignat fructus & augeat, liberéque iis fruatur ac impartiatur. Tantóque adeo, quantò & ſalutaris Sermo, ex fructibus cognoſcendam arborem prolocutus eſt. *Luc. 6. 44.* Sive quos igitur fructus numeraverit Eccleſiæ malignantium, eius nimirum prolixius pravitatem pernoverit; ſive quam ſibi diſciplinam conſtituit intellexit, & ex quibus conflata principiis ſit, quæve dogmata ſanxerit, nihil minus eius nequitiæ ac malitiæ magnitudinem invenerit. Non ergo iam vllo modo Palamitarum ſodalitas Dei Eccleſia ſit.

B Sin vero quis accuratius, vt dicebamus, hæc quoque exquirere, ſingulaque rimari voluerit, diligenter perlegat maximorum Patriarcharum Ioannis Ignatiique actiones ſynodicas ad Palamitarum devovenda, & proſcribenda, anathematique ſubiicienda dogmata, editas. Perlegat verò rurſum poſtremam illam ſynodum, magno illo Epheſiorum lumine, admirando magnoque Patre celebratam; quæ videlicet canonicis dogmaticiſque probationibus, fidei novitatem Canonúmque violationem in medium producat, per ſingulàque redarguat, nec non etiam geſtarum rerum monumentis & narrationibus traducat. Sin autem quis curioſior & Eccleſiaſticas ſcripturas legere voluerit; vt omnia à principio complexus intelligat, huic ſane mirari ſuccurrat, videnti ſcriptorum compoſitum ordinem, quantaque cum voluptate & gratia hæc digeſſerint, ac vivis prope coloribus ob oculos narrando poſuerint.

Hic Ignatius debitè ... in vt opus Librari catalogo, ex puncto forte à Palamiti.

F I N I S.

C

POTHONIS, PRESB. PRVMIENSIS, OPVSCVLA.

De Statu Domus Dei, Libri quinque.
Einſdem de magna domo Sapientia, Liber unus.

D

DE POTHONE PRVMIENSI PRESBYTERO, Ex Epiſtola Alexandri Braſſicani, ad Reverendiſſim. Cardinalem, Bernardum Epiſcopum Tridentinum.

FVit Potho Presbyter Prumienſis, vt ex iis verbis apparet, quæ ex ipſo Idiographo exemplo, ſua ipſius manu deſcripta, libenter hic adſcripſimus.

Hoc anno, quo mortuus eſt rex Conradus, hoc eſt, M. C. L I I. Ego F. Potho, indignus Presbyter Prumienſium, ad contemplandum decorem domus Dei mentis oculos attentius ſublevans de ſtatu einſdem domus Dei, quantum in ipſum, intellectu perſpicere mihi datum fuit, ſecundum exemplar Cæleſtium, præſens opuſculum ſcribere aggreſſus ſum.

POTHONIS, PRESBYTERI Prumienſis, de Domo Dei;

L I B E R P R I M V S.

DOMVS Dei quæ in terris conſtituitur ad ſimilitudinem cœleſtis habitationis quæ eſt æterna, conſtruitur. Hæc nimi rum domus, Eccleſia eſt, columna & firmamentum veritatis, quæ in vnitat indiviſa unitatur, quæ vna columba, vna perfecta Deo vnice dilecta; ſcriptura teſte, declaratur. In tot hac domo ſolus Beatus Petrus cum ſuis ſucceſſoribus plenitudinem poteſtatis accepit. Vnde, quicumque i partem ſollicitudinis vocati ſunt, vt ea quæ in parten regenda ſuſceperunt provida diſpenſatione gubernen eius authoritate roborandi, eius exemplis informand ſunt, qui in plenitudine poteſtatis toti Eccleſiæ præ eſſe dignoſcitur. Quomodo vero domus iſta, vel i toto, vel in parte melius regitur, quàm vt pacis cha ritatiſque gratia in ea confirmetur? Pactum namqu pacis eſt quo Deus in Chriſto mundum ſibi reconci liavit. Ingrediens quippe mundum Salvator, pacen nobis per Angelos annunciavit. Egrediens de mun do, teſtamentum pacis fidelibus ſuis reliquit, dicen Apoſtolis, & in Apoſtolis nobis: Pacem meam d vobis, pacem relinquo vobis. Miſſis etiam in mun dum prædicatoribus præcepit: In quamcumque intra veris domum, primum dicite, Pax huic domui Quod ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper ill pax veſtra. Qui ergo filij ſunt pacis, hi profectò pe eandem gratiam pacis habitant in vnum, quia vn domus ſunt. Hæc domus, dum adhuc conſiſtit i corpore quod corrumpitur, & terrena habitation deprimitur, ab inimicis pacis & concordiæ foris & intus impugnatur. Sicut enim in habitaculo corpo ris noſtri duo ſunt, caro videlicet & ſpiritus, quæ ſib invicem adverſantur. Sic & in exteriore domo, qu interiorem domum mentis imaginatur, Filius ancilla cum filio liberæ contendit. Perſequitur namque is qu ſecundum carnem natus eſt, eum qui ſecundum ſpiri tum. Proinde tuum eſt, ô paſtor Apoſtolice, quem ſpe culatorem dedit Deus domus ſuæ, ſpiritui gratiæ an nuere, id ſuggerenti, vt eiicias de domo Domini an cillam & filium eius. Semper enim vult ludere filiu ancillæ, qui in filiis Dei gratiam libertatis perſequi tur. Charitas, pax, gaudium, non erit in domo Dei quamdiu in ea filius ancillæ ludere permittitur. V que adhuc ancilla cervicem contra dominam erigit, & in vna domo filius ancillæ cum filio liberæ rixatur, at que vtrarumque partium diſpar ſtudium, moleſtur exercitium, dum pacem domus perturbare non ceſſat ab intima quiete habitatores domus repellit. Mul enim ſunt qui in hac domo Dei quietem ſpiritus no ſectantur, ſed libertatem ſpiritus perſequuntur, i his qui hæreditatem Dei conſequuntur. Non alite verò filij pacis, qui ſunt filij liberæ, pacem & con cordiam in domo Dei habere poſſunt, niſi miniſteri domus, ſuo iure contenta ſint, niſi ancilla cum fili ſuis humilitatem conditionis ſuæ cuſtodiat, niſi carna lia ſpiritualibus ſubiecta ſint. Nam cum ſenſualis ra tioni ſervit, cum terrenum regnum cœleſti regno mi litat, cùm legibus divinis, iura humana in nullo con tradicunt, diſciplina domus bene regitur. At vbi hæ ſingula ſibi invicem adverſari cœperint, iam inte filium ancillæ & filiũ liberæ rixa oritur, ludus agitu immò perſecutio commovetur. Quo circa Dominu

domu

A domus ſollicitudo admonet, vt indiſciplinatos mores diſciplinæ ſeveritate coërceat, & eos qui corrigi nolunt, tanquam ancillam & filium eius de domo eiiciat. Sub hac quippe diſciplina inviolata pax cuſtoditur, vt decenter ornata & bene compoſita domus Dei in ſuo ſtatu roboretur. O quàm bonum & iocundum eſſet, ſi nihil interius aut exterius pacem domus Domini perturbaret. Sed ecce, noſtris, proh dolor, temporibus, peccatis exigentibus, nec interiora domus quieta, nec exteriora ſunt pacata. Exteriora domus bellorum tempeſtate quatiuntur, & interiora optatæ quietis ſolatio deſtituuntur. Nos ſumus qui interioribus domus ſpiritalibus ſtudiis vacare debemus, qui in abſcondito domus Dei abſcondi cupimus à conturbatione hominum. Cæterùm, quotiens foris pugnæ perſtrepunt, totiens intus timores & ſollicitudines nos inquietant. In his periculoſis temporibus huiuſmodi præcipuè incommoda vigent, quando B orta inter principes diſcordia, ſurgente bellorum procella, ſtatum quietis ſuæ domus Dei amittit. Quocirca ſeditionem ac diſcordiam rem vtique pernicioſiſſimam in dies excreſcere videmus. Hinc eſt quod non ſolum exteriora domus Dei in ſecularibus conturbata & commota ſunt, verumetiam illi qui in interioribus domus ſub ſilentio & quiete vitam ducunt, & ſpiritalibus vacant exercitiis, adeò ſtatum mentis immutarunt, vt penè omnis ſapientia eorum devorata ſit. Vnde aurum ſapientiæ, quo facies Eccleſiæ ornatur, obſcuratum eſt, & ſacræ religionis color optimus, quo pictura domus Dei decorabatur, mutatus eſt. Ipſi etiam lapides ſanctuarij diſperſi ſunt, in capite omnium platearum, quia nimirum Eccleſiaſticæ perſonæ quæ miniſterio domus Dei funguntur, fuſi ſunt exterius, & per latam huius mundi viam terrenis dediti oblectamentis diſperguntur. Quid ergo mirum, ſi exteriora domus huius in ſecularibus perſonis a ſe C invicem diſcordent, cum & hi qui intus ſunt per diſcordiam ſe dividant, & pacem cum Deo non habeant? Spiritalibus namque ſecularia fulciuntur, & ab interioribus domus exteriora reguntur. Omnis enim gloria eius ab intus. Gloriam & magnum decorem domus ſuæ poſuit Dominus in Sacerdotibus Eccleſiæ, qui divinorum myſteriorum celebratione ornant domum Dei intrinſecus, & vitam plebium ædificant per vocem prædicationis extrinſecus. Sed pulchritudo domus Domini, nec adeò deformata eſt, vt iam illud impleatur quod ſcriptum eſt; Et erit, ſicut populus, ſic ſacerdos. Vnde luce clarius patet, quòd ſacerdotes mali ruina ſint populi. Quod nimirum, quàm verum ſit, hinc datur intelligi, quia in illis Eccleſiis vbi tales ad intercedendum pro populo ſacerdotes eliguntur, qui per vitam indignam offendunt Deum, ibi proculdubio maxima ſæpè pericula proveniunt. Proinde apud nos quotidie videmus Eccleſiam ruentem, & nullam ac D penè nullam manum erigentem, & pro domo Iſraël murum ponentem. Non eſt qui iræ Dei reſiſtat, non eſt qui conſurgat & teneat Deum, non eſt qui in hoc tempore iracundiæ fiat reconciliatio. Quomodo namque ſacerdotes inter Deum ac populum mediatores, reconciliare populum Deo poſſunt, quem ipſi propitium non habent? Nam licet aſſiduè iterent Verbum pacis in populo, dicentes, Pax vobiſcum, tamen pacem dare non poſſunt, quam ipſi intus cum Deo non habent. Nos verò pacem amplectimur eam quam mundus dare non poteſt, quam mundi amatores neſciunt, quæ ſuper hanc ſolam domum in qua filij pacis ſunt, requieſcit. Pacis namque ſignum continet titulus in ingreſſu domus huius poſitus, quem ſapientia Dei dictavit, quem prædicatio Apoſtolica promulgavit in hæc verba; Pax huic domui. Hæc domus in mundo poſita, pacem cum mundo habere non poteſt. Pax enim mundi cum domo Dei perpetuum gerit bellum. Ergo pax mundi noſtrum bellum eſt. Pax autem domus Dei eſt ordinata imperandi & obediendi concordia cohabitantium. Bene autem à ſanctis Patribus ſecretior quædam domus monaſticæ converſationis, E quam nos inhabitamus, ordinata, in ſuo decore perfecta erat. Domus hæc tranquilliſſima pace fruitur, quæ in mentibus illorum quorum converſatio in cœlis eſt, conſtruitur, domus huius fundamentum fides ponit, ſpes parietem erigit, tectum charitas conſummat. Sub hoc tecto proteguntur, qui à vanitate ſeculi convertuntur. Et beati planè, qui in abſcondito domus huius abſconduntur à conturbatione hominum. Beati, inquam, qui ſub hoc tecto inveniuntur, quia nimirum remiſſæ ſunt iniquitates eorum, & tecta ſunt peccata eorum. Charitas namque operit multitudinem peccatorum. Hæc itaque domus licet ex tribus integralibus partibus conſtet, non tamen in parte, ſed in toto conſiſtit. Nam & in vnoquoque materiali ædificio tres iſtæ partes ſunt, ſcilicet diſpoſitio, conſtructio, venuſtas. Diſpoſitio eſt areæ F vel ſoli vel fundamentorum deſcriptio. Conſtructio eſt lapidum vel lignorum compoſitio. Venuſtas eſt quicquid ad ornatum domus pertinet. Bona eſt diſpoſitio, melior conſtructio, optima venuſtas, in qua totius operis ornatus apparet. Bonum eſt namque virtutis initium, melior profectus, optima perfectio. Hanc ergo domum ſapientia Dei ædificavit, ſeptiformis ſpiritus gratia in Apoſtolis exornavit, cuius intima illi penetrant qui cum Apoſtolis huic mundo perfectè abrenunciant, vt in ſemetipſis domus eiuſdem ornatum ſervando vnitatem ſpiritus in vinculo pacis perficiant. Vſque in finem ſeculi domus iſta proficere in ſuo decore non ceſſat, dum in ea dominæ charitatis imperium ancillæ ſervitio ſemper præfertur. Domus hæc in primitiva Eccleſia ædificari cœpit, quæ ab Apoſtolis ſpiritui ſancto dictante inſtituta eſt. Nam in primitiva Eccleſia formam habemus, quemadmodum in cordibus noſtris domum Domino conſtruamus. Domus hæc ab imis ad ſumma proficit, quæ à fundamentis incipit, fundamenta eius in montibus ſanctis. Montes ſunt Apoſtoli, montes excelſi, cœlo proximi. In his montibus, hoc G eſt, in fide Apoſtolica conſtitutis dicitur nobis quod & Moyſi; Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. Inſpiciamus ergo exemplar cœleſtium, in Apoſtolica vita nobis oſtenſum, & ſecundum formam præmonſtratam fabricam domus ſpiritalis ædificemus. Domus iſta quæ nobis in exemplari cœleſtium oſtenſa eſt, tota pulchra eſt in diſpoſitione, in conſtructione, in venuſtate tota perfecta eſt. Primò igitur, qualiter domus huius diſpoſitionem in nobis ipſis ordinamus, factis dictiſque Patrum docemur. Omnis ædificatio noſtra quæ ex Deo eſt, in diſpoſitione cordis fundatur. Nam regnum Dei intra nos per fidem initiatur, vt tota ſtructura noſtra vita & moribus proficiens creſcat in templum ſanctum in Domino. Ac proinde, aſcenſiones in corde diſponimus, vt conſtructione atque venuſtate ſpiritalis ædificij in Deum proficiamus, cuius promiſſio eſt, quod domum non manu H factam æternam in cœlis habeamus, poſtquam corruptibile carnis habitaculum depoſuerimus. Eſt ergo conſtruendæ domus noſtræ diſpoſitio diſpoſita in corde aſcenſio, qua proceſſu temporis, progreſſu bonæ converſationis proficiſcimur de mundo, vt perveniamus in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei. Atque hanc primam ædificij partem per fidem, quæ eſt fundamentum ſtructuræ ſpiritalis in cordis diſpoſitione componimus. Iam deinde poſt deſignatum in corde diſpoſitionis locum, condignam ſpiritali ædificio eligamus conſtructionis materiam. Neque verò aliud quid, niſi quod durabile, quod ſtabile, quod precioſum eſt, ſuper fundamentum noſtræ diſpoſitionis ædificandum. Non enim vilia quæque quæ ligno, fœno, ac ſtipulæ comparantur, ſed aurum, argentum, & lapides precioſos ſuperædificare debemus. Sapientis viri eſt ſcire, vbi diſpoſitionis ſuæ fundamentum ponat. Sapiens quippe architectus primum in iaciendo fundamentum induſtriam ſuam exercet, dein ſuperædificat, fodit ergo in altum,

&c

A & in petra iuſtitiæ, in fidei firmitate ſtabilem & inconcuſſum defigit animum. Impenſius fodiendo laborat, vt in occultis ſapientiæ theſaurum inveniat. Trahitur enim de occultis ſapientia, quæ eſt fundamentum iuſtitiæ. In alto ſiquidem ſapientia latet, quæ primo omnium per timorem, qui eſt initium ſapientiæ, à malo nos retrahens, agnitionem voluntatis Dei nobis inſpirat, & fructum bonæ operationis in fide, quæ per dilectionem operatur, conſummat. In his ſiquidem & tranquillitas conſcientiæ, ac ſecuritas innocentiæ conſiſtit, quæ beatam in nobis vitam ædificant. Et de his quidem apud philoſophos diverſa opinio erat, quorum alij in non dolendo, vitam beatam poſuerunt, vt Hieronymus, alij in rerum ſcientia, vt Berillus, alij in voluptate corporis, vt Epicurus. Horum

B omnium falſa commenta, vanas aſſertiones, divinæ ſcripturæ authoritas confutat, quæ verè beatam vitam, quæ eſt vita æterna in cognitione divinitatis, & fructu bonæ operationis conſtituit. Animus quippe in cognitione divinitatis per timorem Dei fundatur, atque inde ſpiritalis in nobis domus ſtructura proficit, cùm in operibus mandatorum Dei exercemur. Timor namque Dei theſaurus cordis eſt, ſcientiæ ac ſapientiæ opibus impletus. Timere Deum, eſt ſapientia, & recedere à malo, intelligentia. Hoc fundamentum in corde hominis ponitur, qui declinat à malo & incipit facere bonum. Vnde bonus homo, de bono theſauro

Modus iuſtificationis.

cordis profert bonum. Non enim aliud in ſuperficie operis oſtendit, quàm quod intus in diſpoſitione cordis fundatum habet. Etenim vera bonæ voluntatis origo, quæ in diſpoſitione cordis fundatur, ex amore Dei generatur, amor Dei ex cognitione divinitatis naſcitur, cognitio divinitatis ex fide oritur, fides ex auditu percipitur, auditus per Verbum Dei in nobis initiatur. Hæc circa fundamentum domus ſpiritalis quam conſtruimus, verſantur, quæ virtutum in nobis ædi-

C ficium conſummant in fide, quæ per dilectionem operatur. Duo hæc proponuntur nobis, cognitio ſcilicet divinitatis, & fructus bonæ operationis, quibus in fundamenti diſpoſitione, in domus conſtructione, in ipſa etiam perfecta domus exornatione tanquam neceſſariis ſumptibus vti debemus.

Sine iſtiuſmodi impenſis nullum ædificium ſpiritale tutum, nullum firmum, nullum integrum conſtruitur. Hæc enim ſunt quæ verè beatam vitam in nobis ædificant, quæ æternæ vitæ beatitudinem nobis præparant. Hæc eſt enim vita æterna, ſicut ad Patrem Chriſtus loquitur: Si cognoſcant te ſolum verum

Ioan.17.

Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et hoc quidem teſtimonium habemus veritatis de cognitione divinitatis, quæ primo ianuam fidei aperiens nobis cœleſtis domus pandit introitum. Sed quia fides non eſt ocioſa, neque ſolitaria, individua comes ei iungitur bonæ operationis inſtantia. Nam cùm per fidem quiſque cognita incipit amare, conſequenter exercet operando quod amat. Fides namque per dilectionem operatur.

D Ergo cognitio divinitatis quæ ex fide datur, & fructus bonæ operationis quæ eſt probatio fidei ac dilectionis inſeparabiliter ei aſſiſtit, qui cupit in ſemetipſo invenire locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, fide ſiquidem atque operatione domus Domini ſtructura in nobis proficit. Labor actionis in conſtructione domus ſentitur, ſed in conſummatione operis requies invenitur. Laboramus quippe dum bene operando domum noſtram conſtruimus, ſed perfecta domo per contemplationis ocium requieſcimus in domo. Beatus, qui poſt fatigationem operationis conſequitur emolumentum laboris in gaudio intimæ quietis. De ocio intimæ ſpeculationis proficiſcitur exterior exercitatio bonæ actionis, quæ conſummatur in requie mentis. In his ergo conſiſtit ædificatio domus ſpiritalis, quæ habet in fide inchoationem, in ſpe directionem, in charitate perfectionem: in fide boni operis ſtructura initiatur, in ſpe ad perfectum ducitur, in charitate conſummatur. Hæc tria ſunt individua, ſcilicet, fides, ſpes, charitas, quæ in omni virtutis actione B

in nobis exercentur & in ædificatione domus ſpiritalis nobis cooperantur, per quas omnis ædificatio creſcit in templum ſanctum in Domino. Summæ ſunt iſtæ tres virtutes, quarum profectò magna ſunt opera exquiſita in omnem decorem & vtilitatem domus Dei, quæ conſtruitur in nobis. Quæ verò ſit, quæ per eas agitur in nobis, domus ſpiritalis ædificatio, earundem virtutum declarat definitio. Sic namque fides definitur, Fides eſt voluntaria certitudo abſentium, ſupra opinionem, & infra ſcientiam conſtituta. Voluntaria,

Quid ſit fides.

quia non cogitur: abſentium, ſenſibus corporeis non ſubiacentium: ſupra opinionem, quia plus eſt credere quam opinari: infra ſcientiam, quia minus eſt credere quàm ſcire. Ideò enim credimus, vt aliquando ſciamus. F Hoc fundamentum fidei in opere domus noſtræ primo loco ponitur, vt conſequenter reliquæ partes ſtructuræ ſuperædificentur. Poſt fundamentum quippe paries ſpei levatur. Spes eſt quæ ſic diffinitur. Spes eſt fiducia futurorum bonorum ex gratia, & ex bona conſcientia. In ſpe proficit virtutis ædificium cùm mens ad ſumma erigitur. Spes autem vera eſt certitudo veniens ex præcedentibus meritis, & ideò ſine meritis aliquid ſperare, non ſpes, ſed præſumptio debet

Quid ſpes.

dici, & ſine charitate nullum meritum. Charitas verò merito & ordine maior eſt, & in ædificio ſpiritali ſummum tenens locum, tectum conſummat. Ipſa eſt quæ ad perfectum adducit omnia, ipſa eſt quæ illos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, in domum æternitatis inducit, vnde nemo eiicitur, quia ſine veſte nuptiali nemo ibi invenitur. Hæc tria, fides, ſpes, & charitas, tempore ſe invicem non præcedunt, quia ſimul in nobis oriuntur & coniunctim operantur. Fides enim per dilectionem operatur, quibus ſpes individua comes iungitur. Verùm & ſi non tempore, tamen cauſa præcedit fides ſpem & charitatem, quia nimirum vnde credimus, inde ſperamus G & amamus. Fides itaque, ſpes & charitas inviſibiliter nobis inſunt, vtpote affectiones quædam quæ circa animam verſantur, ſed viſibili effectu apparent in opere domus Dei, quæ ex diverſis virtutibus in nobis conſtruitur. Sic enim ex inviſibilibus ſuis Deus omnia viſibilia produxit, ſic rationabilis anima de his quæ intus concipit, quæ de inviſibilibus credit, ſperat, diligit, foris exhibitione operis oſtendit. Sunt namque tria

Coniungit fidem & opera.

inviſibilia noſtra, ſcilicet, fides, ſpes & charitas. Sicut ſunt tria inviſibilia Dei, hoc eſt, potentia, ſapientia, benignitas à quibus omnia procedunt, in quibus omnia ſubſiſtunt, per quæ cuncta reguntur. Pater eſt potentia, filius ſapientia, ſpiritus ſanctus benignitas. Potentia creat, ſapientia gubernat, benignitas conſervat. Potentia per benignitatem ſapienter creat. Sapientia per potentiam benignè gubernat. Benignitas per ſapientiam potẽter conſervat. Sic ad ſimilitudinem inviſibilium Dei quæ in rebus viſibilibus intellecta conſpiciuntur, inviſibilia noſtra, quæ ſunt fides, ſpes, & charitas efficaciam virtutis ſuæ in opere viſibili demonſtrant, cùm domum Dei quæ vita & moribus conſtant, H per activæ vitæ laborioſam occupationem, & intimæ quietis contemplationem ædificant. Sicut imago in ſpeculo cernitur, ſic in ratione animæ à natura humana videtur, quod per potentiam Dei creaturarum immenſitas manifeſtetur, per ſapientiam decor demonſtretur, per benignitatem vtilitas operum Dei declaretur. Huic ſimilitudini Dei approximat homo, cui potentia Dei dat bonum poſſe, ſapientia tribuit ſcire, benignitas præſtat velle. Hæc triplex animæ rationalis vis eſt, ſcilicet poſſe, ſcire, velle, quæ ſupra dictis tribus, fidei, ſpei, & charitati cooperantur: fides enim auget in nobis operandi vires, quia ſi magna eſt fides, magna operari poſſumus: & quantum credimus, tantum ſcimus. & quantum creſcit in nobis fides, tantum per dilectionem operari volumus. Virtus enim dilectionis proficit ad augmentum bonæ voluntatis: & quantum ſubeſt nobis poſſe per fidei conſtantiam, tantum confirmamur

per

A per gratiam, & provehimur ad veri cultus ſcientiam. Totum poſſe noſtrum, ſcire ac velle circa domum ſpiritalem quæ intra nos ædificatur. Poſſe quidem noſtrum in quantitate operis conſiſtit, videlicet tantum in opere domus Domini laboris impendamus, quantum poſſumus. Scire verò ad gubernationem domus eiuſdem ſpectat. Sic namque debet gubernare ſeipſum, ne vel minus quàm poſſit quis agat, vel eo quod poteſt vtatur nimium & opus virtutis vertatur in vitium. Velle quoque nobis adiacet, in quo eſt libertas arbitrij, continens in ſe ſpeciem poteſtatis quadruplicem. Qua nimirum poteſtate vtimur, vel ad conſervandum, vel ad adipiſcendum, vel ad explendum, vel ad repellendum. Primò ergo potentia naturalis quæ nobis ineſt per libertatem, arbitrij vires ſuas exerat ad conſervandum domus Dei quæ intra nos eſt decorem. Habet enim interior homo noſter domum ſuam, in qua ſollicita circumſpectione, vigilet, in qua operetur, quam
B cuſtodiat, circa quam curam ſuam diſtendat. Sic primus homo habuit paradiſum ſibi creditum in quo poſitus erat, vt operaretur & cuſtodiret illum. Poſuit eum Deus cuſtodem domus ſuæ, ſed domum ſuam ille minimè cuſtodiuit. Neque enim in domo ſua opus virtutis exercuit, qui de naturali ſtatu in quo conditus fuerat, per libertatem arbitrij ad merita virtutum non profecit. Nam voluntas eius à Deo deficiens, prima peccati cauſa fuit. Vnde actum eſt, de interiore domo ſua, per exteriorem delectationem, prius exiret, deinde exteriorem quoque domum, hoc eſt paradiſum, amitteret. In primo itaque parente noſtro expulſi de domo noſtra ſumus, ac deſtructa interiore domo noſtra, libertate arbitrij amiſſa, ducti ſumus in captivitatem. Sed per gratiam redemptoris noſtri libertate iam nobis reddita, reædificemus in nobis, per fidem, ſpem, & charitatem, eandem domum quæ Dei in ſe continet ſimilitudinem, & eum priſtino eam decore ſuo reparemus. Hinc in cuiuſdam pſalmi titulo admonemur, vt reædificemus domum poſt captivitatem. Vtinam domus in ea reædificetur poſt captivitatem. Beatus
C namque qui collapſum in ſe virtutum ædificium reſtaurabit, vt poſt mandatorum Dei tranſgreſſionem conſequi mereatur peccatorum remiſſionem, & operum bonorum perfectionem. Reſtaurata igitur in eam homo cordis in incorruptione quieti & modeſti ſpiritus vt operetur & cuſtodiat eam. Magnum operis exercitium eſt in hac domo. Si enim regnat ibi amor Dei, ipſe amor nunquam eſt ocioſus. Ne autem ocioſa ſit Domus hæc, Dominus domus idem animus noſter nunquam inani vacationi deditus eſſe debet. Qui & ſi aliquando indulget ocio, ita tamen vacet, vt eius ocium plenum ſit negotio. Vt autem operari poſſit Dominus domus, vt ſemper in opere bono proficiat, duos ad manus habet adiutores, qui ſunt amor & labor. Duo hæc omne opus peragunt in domo. Amor ſtudio feruet bonæ operationis, labor diligentiam adhibet meditationis. Meditatio namque, quæ & ſcrutinium dicitur, ad exercitium ſpectat. In labore eſt, vt agas, in amore, vt perficias. Ergo ad opera domus neceſſaria ſunt amor & labor, amor qui pigram mentem ad opus excitet: labor, qui inſtantiam operis non deſerat. Cæte-
D rùm, ad cuſtodiam domus, alia duo nobis famulantur, id eſt, cura & vigilia. Conſilium iſta pariunt vt ſcil. in omni opere conſilium ſequaris, nec ſine conſilio aliquid facias. Sicut enim in labore eſt vt agas, in amore vt perficias, ſic in cura eſt vt prouideas, in vigilia, vt attendas. Dicunt ſapientes mundi, quòd iſti ſint quatuor pediſſequi, id eſt, amor & labor, cura & vigilia, qui portant lecticam philoſophiæ, quia mentem exercent cui præſidet ſapientia. Cathedra quippe philoſophiæ ſedes eſt ſapientiæ, quæ his ſuppoſitis geſtari dicitur quoniam in his ſe exercendo promovetur. Vnde pulchre iuvenes propter robur à fronte lecticam tenere dicuntur, videlicet Philos & Robos, quia foris opus peragunt, à poſteriori puellæ videlicet Philemia & Arimia, quod interpretatur cura & vigilia, quia intus in ſecreto conſilium pariunt. Sunt

Ab Ada prognata eſſe peccata, à Chriſto Gratiam.

E quidam qui putant per cathedram philoſophiæ humanum corpus ſignificari, cui anima rationalis præſidet. Quod miniſtri quatuor portant, id eſt, quatuor elementa componunt, è quibus ignis & aër actu & nomine maſculina ſunt, duo verò inferiora, id eſt, terra & aqua, fœminina. Sicut ergo corpus noſtrum, quod eſt exterior domus, ex quatuor elementis componitur: ſic interior domus, id eſt, mens noſtra, quatuor miniſteriis ſupra memoratis, adminiſtratur & regitur. Et exterior quidem hæc domus imago eſt interioris domus: interior verò domus imago eſt illius, quod in mente divina continetur. Ad mentem namque divinam facta eſt mens rationalis, quæ eſt domus noſtra interior, ad rationalem mentem facta eſt creatura viſibilis, quia in corpore noſtro domus conſtruitur exterior, quæ ſeruit interiori, quia caro famulatur ſpiritui. Vt enim Deus ſapientiam ſuam oſtenderet,
F exemplar eius in creatura rationali depinxit, & maiorem euidentiam domus ipſius, cuius decorem intus in ratione mentis noſtræ depinxit, formam corporis noſtri pulchritudine membrorum variauit, & opus ſapientiæ per officia corporis diverſa monſtravit. Vtraque igitur domus, interior videlicet & exterior vna fit, cùm per ordinatam imperandi & obediendi concordiam, firma pacis cuſtodia vndique munitur. Quod tunc nimirum agitur, cùm paterfamilias, id eſt, animus noſter, omnem familiam cogitationum & actionum ſub ſe conſtringit, ne à ratione voluntas noſtra diſcordet, ne dominio mentis ſervitia domus contradicant. Bene quippe ordinata domus eſt, ſi animi imperio, corporis vtimur ſervitio. Ad regendam igitur domum ſuam, Dominus domus, hoc eſt, interior homo poteſtate arbitrij ſui quatuor modis, vt ſupradictum eſt, vtatur, ſcilicet, vel ad conſervandum, vel ad adipiſcendum, vel ad repellendum. Vigilanti cura mens conſeruet naturæ beneficium, vt ad id quod à conditore naturaliter inditum eſt per liberum arbitrium, adiuvante gratia virtutis, adipiſcatur meritum, & per meritum acquirat æternæ beatitudinis præmium. Et benè cœpta
G quiſque ſtudeat explere, vt ad perfectum ducat domus ſuæ decorem. Ad repellendum quoque omne noxium circumſpecta mens vigilet, ne ſi fluant flumina venti irruant, domum noſtram commoueant, & ad ruinam impellant. Hæc ergo circa cuſtodiam domus noſtræ cura vigilantiſſima verſari debet, vt ſeruet quiſque decorem domus ſuæ, quem dono Dei habet, efficaciter compleat quicquid ad ornatum domus eiuſdem ex virtutum divitiis acquiri poteſt, repellat quicquid intus & foris quietem domus perturbare, ac pulchritudinem eius deformare ſolet. De cætero, omnia quæ cogitando, loquendo, operando molimur, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem domus Dei, quæ intra nos eſt, conducant. Huc vſque de diſpoſitione, conſtructione, ac venuſtate ſpiritualis ædificij ordinem dicendi proſecuti, primordia libri explicare curavimus. Nunc ad nos introrſus redeamus, & intra ſilentij ſecretum pauliſper exemplar cœleſtis domus contemplemur, vt dum ſingula iuxta id, quod ibi monſtratur, deſcribimus, nulla nos imago fallax deludat. Qui enim
H de cœleſtibus loqui cupimus, prius aſcenſiones in corde diſponere debemus. Cùm enim ſuperna gaudia, & cœleſtium viſionum claritas in cor hominis non aſcendat, neceſſe eſt vt accedat homo ad cor altum, ad ea quæ ſurſum ſunt, quæ non aſcendunt in cor noſtrum, vt intelligere poſſimus alta myſteriorum.

A

DE DOMO DEI;

LIBER II.

B*Eati qui habitant in domo tua Domine in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Hæc prophetica vox inſinuat quæ ſit veræ beatitudinis æternitas, quæ ſit æterna vitæ immortalis iocunditas. Habitatio domus verè beatæ deſcribitur, in qua requies ſempiterna, ſummum bonum, plenitudo gaudiorum poſſidetur. Ad habitationem domus huius ſuſpiramus, ad hanc domum dum adhuc peregrinamur à Domino, per fidem ambulamus donec ad ſpeciem decoris eius videndam perveniamus. B Scimus enim, vt ait Apoſtolus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Eſt ergo domus illa ſuperior quam expectamus, inferior verò iſta in qua peregrini habitamus. Proinde aſcenſiones in corde diſponamus, vt ab iſta quæ inferior eſt, ad illam quæ ſuperior eſt, pertingamus. In iſta namque laus Dei inchoatur, in illa perficitur. Beati ergo qui in illa domo æternitatis habitant, quia in ſæcula ſæculorum Deum laudant. In illa enim domo veritas eſt, in iſta imago veritatis. In veritate laus Dei perfecta eſt in imagine imperfecta. Quocirca libet conſiderare diligentius, quomodo ipſa domus Dei ex qua parte eſt imperfecta, ſit diviſa, & ex qua parte eſt perfecta, in toto ſit collecta. Adhuc enim partim ædificatur, in huius vitæ peregrinatione, partim collecta eſt in cœlo. De his namque differendi locum, liber hic Secundus habet. Quia enim in præcedentibus de domo Dei C quæ intra nos ſecundum imaginem eius qui condidit eam, pauca diximus, nunc de interioribus ad exteriora procedamus, vt iuxta id quod in intellectu percepimus, domum Dei forinſecus in vmbra & imagine depingamus, vt ex vtriuſque domus conſideratione, quæ in vmbra, & quæ in imagine conſtituitur, eam quæ in veritate tota pulchra, & tota perfecta eſt, mens contempletur. Alia domus eſt in vmbra, alia in imagine, alia in veritate. Pars domus eſt in vmbra, pars in imagine, totum in veritate, & partes ad totum colliguntur. Vmbra eſt in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlo. Domus Dei quæ in vmbra legis ædificatur, imperfecta eſt, quia nihil ad perfectum lex ducit. Domus Dei, quæ in imagine conſtruitur, in luce eſt. Domus Dei quæ in veritate conſiſtit, tota lux eſt. Domus ergo quæ in imagine eſt, & Evangelicæ gratiæ luce refulget, perfecta eſt quantum ad domum illam quæ legis vmbra obſcuratur, imperfecta eſt, quantum ad domum hanc quæ in veritate tota lucida D eſt, non habens aliquam partem tenebrarum. Domus enim præſentis Eccleſiæ ad imaginem Dei condita, in imagine lucet, quia nimirum imago patris Chriſtus, eam ſua præſentia illuſtravit, qui & domum Iſraël, quam legis vmbra obſcurabat, ad lucem Evangelij tranſtulit, ut vtraque domus Synagogæ ſcilicet & Eccleſiæ pars Domini eſſet, & in vnam domum concurreret, & in domo cœleſti partes vtriuſque domus in vnum conſummarentur. Vult namque conditor & habitator domus huius Deus, vt qui diverſitate quadam per partes ſunt diviſi, in domo ſua in vnum ſint conſummati. Verùm domus Dei quæ adhuc peregrinatur in terris, imago eſt ad domum illam, cuius veritas eſt in cœlis, & ideò cœleſtia nunc non niſi per ſpeculum & in ænigmate videmus, & ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit illud quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. Tunc autem evacuabitur, quod ex parte eſt, cùm apparuerit Chriſtus in gloria ſua, quando & domus eius, quæ eſt Eccleſia, cùm ipſo apparebit in gloria, & in ſuo decore perfecta erit tota. Sed à contemplatione clariſſimæ huius domus quæ in cœlis ædificatur, mentis oculos divino ſplendore reverberatos, interim avertere ipſa mortalitatis noſtræ infirmitate compellimur, E donec per gradus legitimæ aſcenſionis ad eam pervenire mereamur, vbi facie ad faciem ipſam veritatis lucem videamus. Cæterum, penſare debemus quanta ſit circa nos divinæ pietatis dignatio, quàm mira ſit in omnibus providentiæ ipſius diſpoſitio. Ponamus corda noſtra in virtute eius, & diſtributionem domus eius conſideremus attentius. Nam Deus in domibus ſuis cognoſcetur. Domum in qua primum poſuit Deus hominem, vt operaretur & cuſtodiret illam, quæ nobis in hæreditatem delegata erat, non iure, ſed fraude in primo parente noſtro amiſimus. Sed divina miſeratio, vt divitias bonitatis ſuæ in nobis oſtenderet, & amiſſam vitæ hæreditatem mortalibus redderet, ad domum æternitatis homini redeundi aditum hoc ordine paravit. Homo qui ad hoc conditus erat, F vt lumen æternum videret, vbi ad concupiſcendum prohibita, oculos carnis aperuit, oculos mentis, quibus cœleſtia videbat, perdidit. Vnde à domo ſua, in qua viſione Dei fruebatur, excluſus eſt. Verum medica Dei manus vt curam ſuam cæco homini adhiberet congruam ei domum in vmbra legis conſtituit, ubi infirmos oculos quos paulatim curari oportuit, obſcuritas literæ legalis foveret, ne lux ſpiritalis intelligentiæ, quæ ſub velamine literæ tegebatur ſubitò oſtenſa, non ſolum non reficeret, immò plurimum turbaret.

Diſcrimē legis & Evangelij.

Sed ubi venit plenitudo temporis, proficientibus iam in homine divinæ gratiæ incrementis, ſapientia Dei in carne apparens, ædificavit ſibi domum, quæ imagine cœleſtis veritatis reſplendens oculos hominis cæleſti medicina iam ſanatos, temperata luce reſpergeret. Ergo de domo illa in qua umbræ futurorum & exemplari cœleſti um ſub obſcuritate legis ſervivit homo, egreſſus in domum ſapientiæ, quæ Evangelicæ gratiæ lucem miniſtrat, eſt receptus. G Illam priorem domum Moyſes famulus Dei fidelis in tota domo eius diſpenſabat, in hanc verò domum quando filius Dei intravit, ſervum foras miſit. Servus enim non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Vbi per mediatorem novi Teſtamenti introducta eſt in domum charitas perfecta, locum in ea ulterius non habuit timor ſervilis, ſub quo domus Iſraël ſervivit imperfecta. In domo Iſraël ſacrificij veteris ritum inſtituit lex ordinata per Angelos in manu mediatoris, quæ omnia figuris adumbrabat. Moyſes namque, cum quo Deus facie ad faciem loquebatur, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum, quamvis Deo revelante futura Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta videret, tamen, vt ratio illius temporis poſcebat, omnia carnalibus inſtitutis velabat. Circuncíſionem vidit ſpiritalem, ſed operuit eam, vt in ſigno circuncíſionem præſcriberet. Vidit azima ſinceritatis & veritatis, vidit paſſionem Domini, operuit azimis corporalibus azima veritatis, operuit paſſionem Domini agni vel vituli immolatione. H Sic Levitæ myſterium fidei ſuæ creditum ſub tegmine abſcondebant. Ipſi namque pro omni primogenito filiorum Iſraël in partem Domini aſſumpti, tabernaculo ſerviebant, ipſi quæ operienda erant operiebant, ne illi viderent quibus videre minimè licebat.

Quid typi veteris teſtamētī declaraverint.

Hinc eſt quod Moyſes faciem ſuam, quæ ex conſortio ſermonis Domini ſplendore gratiæ lucebat, cùm ad populum egrederetur, operiebat, converſus verò ad Dominum velamen auferebat. Litera namque legis, myſteria Dei ab illo populo carnali abſcondebat, quæ nobis ſpiritus intelligentiæ revelat. Exterior quippe domus erat, in qua illi carnalia ſacrificia ſecundum legem offerebant. Interior domus eſt iſta, in qua ſpiritales hoſtias nos immolamus. In domo namque ſapientiæ duce ſpiritu ſapientiæ, interiora velaminis penetrare valemus. Hinc eſt quod ſub velamine carnis latens ſapientia Dei, ad nos per organum vocis egrediens, Vobis, inquit, datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Vnde Iſraël carnalis multitudinē hoſtiarū in parabolam acceperat. In agno enim qui

ſerebatur, illius innocentia, qui ſicut ovis ad victi[illegible]am ductus eſt, ſignabatur. In hirco ſimilitudo car[illegible]s peccati in ipſo, qui eſt ſine peccato, declaratur. [illegible] ariete principatus eius monſtratur, qui eſt prin[illegible]ps pacis. In tauro fortitudo illius inſinuatur, qui [illegible]t fortis & potens in prælio. In vitulo virtus eius [illegible]gnificatur, qui eſt Dominus virtutum & rex gloriæ. [illegible] columba ſimplicitas illius indicatur, qui ſuos diſci[illegible], vt ſint ſimplices ſicut columbæ docet. In turtu[illegible] caſtitas eius manifeſtatur, qui lumbos noſtros præ[illegible] iubet. In paſſeribus corpus & anima ipſius ſig[illegible]catur, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis. In [illegible], conſummatio operum eius exprimitur, qui in [illegible] dixit, Conſummatum eſt. Ecce quàm plurimis [illegible] domus Iſraël vmbræ futurorum ſerviebat. Si[illegible]t enim plurima verba legis, ſic plurimas hoſtias [c]arnalis Iſraël habebat. Sed apud nos eſt vnum ver[illegible]m, verbum ſcilicet incarnatum: & vna hoſtia, quæ [illegible] in conſummatione ſeculorum per mediatorem [n]ovi Teſtamenti Chriſtum oblata, conſummavit in [illegible] ſanctificatos. Exterior namque illa do[m]us, quæ à veritate cœleſtium longiore diſtabat in[t]ervallo, carnalibus hoſtiis ſpiritale ſacrificium vela[illegible] verò domus hæc, quam ſibi ſapientia Dei [illegible], ſeptem columnis ſubnixa, ſeptiformis ſpe[illegible] virtute ſuffulta, in ſpiritalibus hoſtiis appropin[illegible] cœleſtibus. Nam & arca quam in diluvio Noë [illegible], inferius latioribus ſpaciis diſtendebatur, ſupe[illegible] [illegible] ſpacio anguſtabatur. Inferius quippe ir[illegible] animal, ſuperius rationale continebat: Secun[illegible] [illegible] inferior domus quæ eſt ſyna[illegible], in carnalibus ſacrificiis & terrenis promiſſioni[illegible] [illegible]tabatur. Superior verò domus quæ eſt Eccle[illegible], in carnalibus anguſtatur, in ſpiritalibus dilatatur. [illegible] veterum hoſtiarum ad vnum reda[c]ta eſt ſacrificium, quod in eadem figurabatur arca, [q]uæ poſt tantam longitudinis, latitudinis, & altitudi[n]is dimenſionem, in vno cubito conſummata eſt. De[illegible] præter vnum verum ſummumque ſacrificium, [illegible] ſecundum ordinem Melchiſedech in conſecra[illegible] hoſtiæ offerimus, nullum aliud munus præ[illegible] altari ſancto ſuperponimus. Cæterùm, plures [ſ]unt hoſtiæ ſpiritales, plura ſunt dona & ſacrificia, [q]uæ ad vnum illud ſacrificium conducunt, quæ om[n]em animam præparant, vt participatione cœleſtis ſa[c]rificij digna eſſe poſſit. Verum namque cultum quo [D]eo patri ſpirituum in ſpiritu & veritate ſervitur, [ſa]pientia Dei in ſua domo novo ſacrificandi ritu inſti[t]uit. Habet enim interiorem hanc ſapientia domum, [i]n qua qui habitant, non aliud offerunt, quàm [q]uod intus perceperunt, quod de occultis trahunt. [N]am & ipſa ſapientia non in ſuperficie rerum iacet, [ſ]ed de occultis trahitur, & occultè in viſceribus ho[m]inis ponitur. Vnde quicquid Deo gratum dignúm[q]ue offertur, de bono theſauro cordis profertur. [A]bſconditus enim homo cordis noſtri in incorruptio[n]e quieti & modeſti ſpiritus, omne donum & ſacri[f]icium Deo conſecrat, cùm in voce exultationis & [c]onfeſſionis omnia interiora noſtra Deum benedi[c]unt. Intra nos quippe eſt quod Deo offerimus, om[n]e videlicet acceptabile munus. Ibi eſt timor Dei, in [q]uo ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus dicatur; [I]bi confeſſio, per quam vitulos labiorum noſtrorum [c]onfitentium nomini Domini offerimus: Ibi caſtitas, [q]ua plus quàm holocauſtis delectatur Deus. Ibi largi[t]as, quæ Deo abundanter tribuit quod habet. Ibi ſo[b]rietas, qua elevatio manuum noſtrarum fit ſacri[f]icium Deo acceptum. Ibi paupertas ſpiritus, in qua ſinguli dicimus, quid retribuam Domino pro omni[b]us quæ retribuit mihi: Ibi acceptabile ſacrificium [illegible] Deo offerre habemus; Ibi compaſſio, quæ nos [illegible] per amorem iungit, vota ſua Deo reddit. Ibi [a]bſtinentia voluntariè Deo ſacrificat, ibi obedientia, [q]uæ melior eſt quam victima Deo immolatur. Omnia [e]rgo hæc & huiuſmodi, quæ Deo à nobis offeruntur,

in duo dividuntur. Aut enim dona ſunt, aut ſacrificia. Donum eſt perpetuum, ſacrificium ad tempus. Donum eſt integritas animi, ſacrificium laus & hymnus. Deus enim qui non videtur, his rebus coli debet quæ non videntur. Nulla enim alia religio vera eſt, niſi quæ virtute ac iuſtitia conſtat. Quomodo autem Deus iuſtitia hominis vtatur, intellectu facile eſt. Si enim iuſtus fuerit homo, accepta immortalitate, in æternum Deo ſerviet. Secundum hanc incorruptionis ſervitutem, qua in domo æternitatis, immortalitate accepta, ſerviemus Domino, nunc in hac domo, qua per fidem, ſpem, & dilectionem inhabitamus, donis & ſacrificiis ſolennibus ſervimus. Proinde, introimus in domum Dei in holocauſtis, reddimus ei vota noſtra, quæ dixerunt labia noſtra. Verum, inter omnia ſacrificia iuſtitiæ, oblationes & holocauſta, id quod præſtantiſſimum eſt ſpeciali devotione offerre debemus, ſcilicet hoſtiam iubilationis. Nam cætera ſacrificia à ſingulis offerri poſſunt, ſola verò iubilatio eſt, quæ à pluribus in commune offertur. Vnde eſt illud propheticum, Beatus populus, qui ſcit iubilationem. Mirari ſanè poſſumus, quæ ſit iſta iubilatio, quæ beatum populum faciat. Non enim dixit, quia beatus qui operatur iuſtitiam: vel beatus populus qui ſcit myſteria, vel qui ſcit cœli ac terræ, vel ſyderum rationem, ſed beatus populus qui ſcit iubilationem. In aliis timor Dei beatum facit, ſed vnum tantum modo facit beatum. Sic enim dicit, Beatus vir qui timet Dominum. Alibi etiam plures fiunt beati, ſicut pauperes ſpiritu, & mites, vel pacifici, vel mundi corde; Hic autem beatitudo profuſa eſt, & tanta cauſa beatitudinis indicatur, vt vniverſum populum faciat beatum, qui tamen ſcierit iubilationem. Vnde videtur iubilatio iſta indicare quendam concordiæ & vnanimitatis affectum. Qui ſi incidat in duos vel tres Chriſti diſcipulos, omnia quæcunque petierint in nomine Salvatoris præſtat eis pater cœleſtis. Si verò tanta fuerit beatitudo, vt vniverſus populus concors & vnanimis maneat, vt eadem dicant omnes, eodem ſenſu in eadem ſententia permanentes, iſte talis populus hoſtiam iubilationis in odorem ſuaviſſimum Deo offert. O quam ſuavis eſt hæc iubilatio, cùm in vnum habitat fratrum congregatio. Hæc eſt hoſtia iubilationis, in qua non ſolum confert peccatorum expiationem, verumetiam omnem in nobis perficit ſanctificationem. Sicut carnales hoſtiæ à populo carnali oblatæ, nihil ad perfectum adducunt, ſic hæc hoſtia ſpiritalis, hoſtia iubilationis perfectum facit offerentem. Per hanc hoſtiam iubilationis ſapientia Dei domum quàm perfecto decore conſummavit. Quam domum Propheta in ſpiritu contemplans, & ad eam toto deſiderio anhelans, ait; Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Hæc domus in initio naſcentis Eccleſiæ in Apoſtolis ſancti ſpiritus gratia eſt fundata, & perfecti decoris gloria illuſtrata. Beatus ille populus tunc in fide adunatus ſancti ſpiritus vnctione doctus, primum hanc emiſit iubilationem, hanc conſonam deprompſit cœleſtis muſicæ modulationem, quam in Actibus Apoſtolorum audivimus. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & cætera. Vetera tranſierunt, & ecce in Chriſto nova facta ſunt omnia. Quæ omnia? niſi quæ in domo Dei ſunt, quæ ad ſimilitudinem cœleſtis regni ex virtutum perfectione in terris conſtruitur? In hac domo primæ conditionis dignitas reparatur. Immò ſupra primæ originis dignitatem humanæ vitæ ſtatus ſublimatur. Sicut enim in prima conditione omnes homines natura æquales condidit, ſic omnibus omnia quæ ad vſum & obſequium hominis condita ſunt, æqualiter diviſit, vt ſicut aërem hunc ac ſolem communiter omnes habent, ſic & fines terrarum, & fructus agrorum, cunctarúmque ſubſidia rerum æqua diſtributione ſortirentur. Verùm iſtud divinum ius, quod ex lege naturali conſtabat, quo omnibus omnia communia erant, ius humanum per inſolentiam morum adeò pervertit, vt in rebus communibus

E F G H

proprieta

A proprietates ſibi ſinguli vendicarent. Nam iure quidem divino, Domini eſt terra & plenitudo eius, quæ videlicet communis eſt, vt dicant ſinguli; Hic meus eſt fundus, hæc mea villa, hoc meum mancipium. Hinc per avaritiam & raptorum violentiam iſta inæqualitas ſuborta eſt, vt alij minus, alij plus in hoc mundo poſſideant, alij divitijs & honoribus alios præcedant, alij inopem & deſpectam vitam ducant. Sed in hac, quam primitiva Eccleſia fundauit domo, cùm conſenſu ambulantibus omnia communia ſint, non ſolùm quæ in terris poſſidentur bona temporalia, verumetiam cœleſtia & æterna. Ecce omnis pulchritudo domus Dei, & cœleſtis converſationis forma primitivæ Eccleſiæ inſtitutione declaratur, quæ perfectam ſpiritalis ædificij menſuram continet. In hac quippe menſura tota domus Dei fabrica in altum proficit. Nam ex quo ſtructuræ huius fundamenta in Apoſtolis ſunt poſita, eandem domum ſummi opificis manus ex vivis & electis

B lapidibus ædificare vſque in finem ſæculi non deſiſtit. Donec ergo vniverſitas electorum in vnum conveniat, & domum Dei compleat, ſingulæ fidelium collectiones in vno ſpiritu domum Dei intra ſe habent, ſicut Veritas ipſa teſtatur. Regnum Dei intra vos eſt. Nam in vnoquoque homine, qui domum mentis ſuæ Deo conſecrat, hæc verba implentur. Domus ergo Dei quæ intra nos eſt, quæ in Apoſtolicæ fidei petra fundata eſt, perfectam in longitudine & latitudine & altitudine dimenſionem habere debet, vt illius domus cuius veritas in cœlis eſt, ſimilitudinem non amittat. Longitudo, latitudo, altitudo eius æqualia ſunt, quia nimirum, quantum in altitudinem extenditur, tantum in longitudinem & latitudinem porrigitur. Nam quanta eſt in nobis latitudo charitatis, tanta eſt patientia in adverſis, quæ per longitudinem intelligitur, tanta etiam ſpes qua erigitur animus ad Deum, quæ in altitudine domus noſtræ conſiſtit. Hac ſiquidem dimenſionem domus Dei quæ intra nos eſt Apoſtolicæ perfectionis formam imitatur. Latitudo charitatis quæ ſibi coæ-

C quat in longitudine & altitudine domum mentis, ſecundum ſpacia domus interioris metitur domum exteriorem, ſcilicet monaſticæ converſationis. Hæc namque domus eſt quæ intra ſinum ſuum illum recipit populum qui ſcit iubilationem, qui conſonā vnanimitatis novit cantionem, qui in ſe implere monſtrat illud propheticum. Deus in loco ſancto ſuo, Deus inhabitare facit vnanimes in domo. Ad hanc domum ſapientia Dei invitat omnes qui laborant & onerati ſunt, vt æternæ refectionis gaudium in ea percipiant. Extra hanc domum exundante diluuio, columba locum non invenit vbi quieſcat pes eius. In hac domo Evangelicæ inſtitutionis diſcipuli aſſueſcunt portare iugum Domini ſuave, & onus eius leve, & diſcunt à ſaluatore mites & humiles eſſe, vt inveniant requiem animabus ſuis. Hæc domus in hæreditatem delegata eſt illis, qui in hac peregrinatione ſolo corpore conſtituti cogitatione & aviditate in illa æterna patria, in illa cœleſti domo converſantur, iuxta illud Apoſtoli: Noſtra autem converſatio in cœlis eſt. Eorum nimirum hæc vox eſt in

D pſalmo; Elegit nobis Dominus hæreditatem ſuam ſpeciem Iacob quam dilexit. Species Iacob Deo dilecta quæ ſit videamus. Iacob dilexi, ait Dominus, Eſau autem odio habui. Amborum enim fratrum diſpar ſtudium, converſatio diſſimilis erat. Nam vt ſcriptura dicit: Factus eſt Eſau gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem ſimplex habitabat domi. Hæc eſt ſpecies ſimplicitatis quam Dominus diligit, quam nobis in Iacob oſtendit, vt ſcilicet ſecundum ſpeciem Iacob in ſimplicitate cordis quietem domus amplectamur: nec vt Eſau foras egrediamur nec terrenis & ſecularibus negotiis occupemur. Nam quod foris eſt, in inquietudine perſtrepit, in ſtrepitu verſatur, vbi Dominus locum non invenit. In illo tantum corde in requie, domus Domini habitat, requieſcit ſpiritus Domini. Qui ergo intus ſunt in domo à facie Domini non egrediuntur. Abſcondit enim eos Dominus in abſcondito faciei ſuæ a conturbatione hominum. Ille vero qui primus à facie Domini egreſſus fuiſſe legitur, hoc eſt Cham in terra Naid, quod interpretatur commotio, habitabat. Quo contra is qui in requie domus Dei converſatur, orat Dominum, Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moveantur veſtigia mea, & non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Item, vox ſpiritus in pſalmo pro habitatore domus Dei orat; Non det in commotionem pedem tuum. Cuius enim pes movetur, ille de domo intimæ quietis egreditur, & foris in inquietudine verſatur. Qui autem foris ſunt, in æternæ quietis gaudia, quibus habitatores domus Dei fruuntur, penetrare non poſſunt. Nam cum extra domum Dei poſiti ſint, in circuitu cum impiis ambulant, ſemperque in motu ſunt. Et quid mirum, ſi inquietis motibus circunferantur, qui a facie Domini exeunt, qui in abſcondito faciei eius à conturbatione hominum non abſconduntur. Qui ergo in mundo ſunt, extra domum quietis ſunt, quia dum ea quæ mundi ſunt concupiſcunt, ſemper in motu ſunt. Tranſit enim mundus & concupiſcentia eius, & mundi amatores cum tranſeunte mundo cadunt. Non enim ſtant in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Domus enim Dei ſtabili & immobili firmitate ſtatum quietis intima ſeruat. Nam Deus in medio eius non commouebitur. Sapientia Dei quæ hanc ſibi domum ædificauit, ſuper firmam fidei petram eam fundauit, vt non ſit in ea qu de ſtatu quietis intimæ deiiciatur, non ſit qui omn vento doctrinæ & aura levitatis circunferatur: non ſi qui ægri animi iactationem patiatur. Beati qui à vanitate ſeculi converſi, huius domus interiora petunt vt in ea ſecuram & quietam vitam agant. Magna i hac domo quies eſt, vbi ſabbatiſmus mentis agitur vbi digito Dei lex in tabulis cordis noſtri ſcribitur vbi interior homo ſpiritu Dei eruditur. Ibi enim ſin ſono & ſine ſtrepitu verborum interna inſpiration doctrina ſalutaris in mente percipitur. Iocundum e in hac domo vacare, & videre nunc per ſpeculum & in ænigmate futuræ vitæ gaudium, & prægustare quie tis æternæ dulcedinem. Quam magna multitudo dul cedinis huius, quam abſcondit Dominus timentibu ſe. Proinde, quomodo ſecundum cæleſtis vitæ ſimili tudinem in terris converſari debeamus, in ocio & quiete domus noſtræ contemplari ſtudeamus. Intra no cœleſtis diſciplinæ ſtudium ſi quærimus, invenimus extra nos verò locus non eſt, vbi dulces theoriæ fru ctus carpamus. Nemo qui ſe fundit exterius, qui ſe cu ris vitæ huius & terrenis occupationibus inſerit, pro ficere valet in ſpiritualibus. Nam ſapientiam, inquit ſcribe in tempore ocij, & qui immoratur actu, perci piet eam. Quando ab actionibus vitæ temporalis re quieſcimus, tempus ocij habemus, vt iam ſapienti ſtudere poſſimus. Locus verò vbi ipſa ſapientia ſcrib debeat, intimæ quietis domus eſt. In hac domo divin ſeruitij ſchola conſtituitur, in qua nos quaſi prim elementa præcepta vocis, & regulæ artium erudiunt vt de ſenſibilibus ad intelligibilia, ab intelligibilibu ad intelligibilia, quibuſdam profectuum gradibu conſcendamus. Primus quippe gradus eſt rerum viſi bilium cognitio, quæ per quinque ſenſus corporis di verſo modo ſentitur. Secundus gradus rerum cor porearum menti inhærens imaginatio. Tertius grad eſt inviſibilium contemplatio. Primo gradu ſenſibili eſt rerum præſentium cognitio. Secundo gradu in telligibilis eſt rerum abſentium imaginatio. Terti gradu intelligibilis eſt viſibilium contemplatio. I primo gradu ſenſibilis naturalem habet cognitione rerum. In ſecundo intelligibilis doctrinalem, in terti intellectibilis divinalem ſortitur intelligentiam. Si ergo rationalis anima proficere debet, vt rebu ſenſibilibus, ad quas à ſua ſimplici puritate degene rans per inſtrumenta ſenſuum deſcendit, non in hæ reat, & ita earum ſimilitudinem per imaginatione

ad ſe trahat, vt intelligibilem vim de rerum ſimilitudinibus capiat, ac doctrinam in his inveniat, vt tandem inviſibilia Dei, quæ ſupra omnem ſenſum ſunt, quæ omnem tranſcendunt imaginationem puriſſimo mentis intuitu ſpeculetur. Verùm, ſi profectum ſuum negligens anima, ea ſola quæ ſenſibus corporeis ſubiacent, comprehendat: nimirum à dignitate conditionis ſuæ tangendo corpora degenerat, quia dum inviſibiles corporum formas per ſenſuum paſſiones percurrit, eaſque attactas per imaginationem in ſe trahit, totiens à ſua ſimplicitate ſcinditur, quoties aliquibus contrariæ paſſionis qualitatibus informatur. Cùm verò ab hac diſtractione ad puram intelligentiam conſcendens, in vnum ſe colligit, fit beatior intelligibilis ſubſtantiæ participatione. Huius quoque progreſſionis regreſſioniſque rationem ipſe etiam numerus docet. Nam ter vnum, fiunt tria. Ter tria, fiunt novem. Ter novem, fiunt viginti ſeptem. Ter viginti ſeptem, fiunt octoginta vnum. Ecce tibi in quarto gradu occurrit prima vnitas, idemque, evenire videbis, ſi vſque ad infinitum duxeris multiplicationem, vt ſuper in quarto gradu vnitas emineat. Rectiſſimè autem ſimplex animæ eſſentia vnitate exprimitur, quæ ipſa quoque incorporea eſt. Ternarius quoque propter mediæ vnitatis vinculum indiſſolubile, congruè ad animam refertur, ſicut quaternarius, quia duo media habet, ideò diſſolubilis eſt, propriè ad corpus pertinet. Prima ergo progreſſio animæ eſt, qua de ſimplici ſua eſſentia, quæ monade figuratur, in virtualem terminum ſe extendit, vbi aliud per concupiſcentiam aliud appetat, aliud per iram contemnat; per rationem inter vtrumque diſcernat. Et rectè à monade in triadem profluere dicitur, quia omnis eſſentia naturaliter prior eſt potentia ſua. Rurſum quod eadem vnitas in ternario multiplicante ter invenitur, hoc ſignificat, quoniam anima non per partes, ſed in ſingulis ſuis potentiis conſiſtat. Neque enim vel rationem ſolam, vel iram ſolam, vel concupiſcentiam ſolam, tertiam partem animæ dicere poſſumus; cùm nec aliud nec minus ſit in ſubſtantia ratio, quam anima, nec aliud nec minus ira quam anima, nec aliud nec minus concupiſcentia quam anima, ſed vna eademque ſubſtantia, ſecundum diverſas potentias ſuas diverſa ſortitur vocabula. Deinde à virtuali ternario, ſecunda progreſſione, ad regendam humani corporis muſicam deſcendit, quæ novenario componitur, quia novem ſunt foramina in humano corpore, quibus ſecundum naturalem contemperantiam influit & effluit omne quo idem corpus vegetatur & regitur. Hic quoque ordo eſt, quod prius naturaliter anima potentias ſuas habet quam corpori commiſceatur. Poſtea autem interna progreſſione per ſenſus iam extra ſe profuſa ad viſibilia hæc, quæ per viginti ſeptem, qui ſolidus eſt numerus, & trina dimenſione ad ſimilitudinem corporis extenditur, figurantur diſpenſanda, per infinitas actiones diſſipatur. In quarta autem progreſſione ſoluta à corpore, ad puritatem ſimplicitatis ſuæ revertitur. Ideoque in quarta multiplicatione, vbi ter viginti ſeptem, in octoginta vnum excreuit, monas in ſumma apparet, vt euidenter clareat, quòd anima poſt huius vitæ terminum, quod per octoginta deſignantur, ad vnitatem ſuæ ſimplicitatis redeat, à qua prius diſceſſerat, cum ad humanum corpus regendum deſcendebat. Quod in octoginta meta humanæ vitæ naturaliter conſiſtat, propheta declarat. Si, inquit, in valetudine octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Hanc quadroplam progreſſionem, illum quaternarium animæ, de quo ſupra locuti ſumus, quidam intelligendum putant eum ad differentiam quaternarij corporis; quaternarium eſſe appellatum. Iam corpori quoque ſuum aſſignant quaternarium. Sicut monas animæ, ita dias corpori congruit. Dic, bis duo, fiunt quatuor. Dic, bis quatuor fiunt octo. Dic bis octo, fiunt ſedecim. Dic, bis ſedecim, fiunt triginta duo. Et hic in quarto loco ſimiliter idem numerus, idem binarius, à quo multiplicatio initium ſumpſit, tibi occurrit, idemque ſi in infinitum proceſſeris, indubitanter continget, vt quarto ſemper gradu binarius emineat.

E

Et hic eſt quaternarius corporis, in quo intelligi datur omne quod à ſolubilibus compoſitionem accipit, ipſum quoque eſſe ſolubile. Vides nunc ſatis apertè, vt puto quomodo animæ de intellectibilibus ad intelligibilia degenerant, quando à puritate ſimplicis intelligentiæ, quæ nulla corporum fulcatur imagine, ad viſibilium imaginationem deſcendunt. Rurſumque beatiores fiunt, quando ſe ab hac diſtractione ad ſimplicem naturæ ſuæ fontem colligentes, quaſi quodam optimæ figuræ ſigno impreſſuræ componuntur. Eſt igitur, vt apertius dicam, intellectibile in nobis quod eſt intelligentia, intelligibile verò id quod eſt imaginatio. Intelligentia verò eſt de ſolis rerum principiis, id eſt, de Deo & incorporeis ſubſtantiis pura certaque cognitio. Imaginatio eſt memoria ſenſuum ex corporum reliquiis inhærentibus animo, principium cognitionis, per ſe nil certum habens.

F

His igitur de quaternario, qui animæ ac corpori aſſignatur præmiſſis conſiderare debemus, quia in ſchola Dominica ſtudentibus, & ad profectum ſapientiæ & ſcientiæ tendentibus, duo neceſſaria ſunt, lectio ſcilicet & meditatio, vt in his ſe exerceant, in his ingenium excolant, quibus maximè in ſtudio philoſophiæ mens proficit. Principiū namque doctrinæ eſt in lectione, conſummatio in meditatione. Meditatio eſt frequens cogitationis ſtudium cum conſilio, quæ cauſam & originem, modum & vtilitaté, vniuſcuiuſque rei diligenter inveſtigat. Meditatio principium ſumit à lectione, nullis tamen ſtringitur regulis aut præceptis lectionis. Delectatur enim quodam aperto decurrere ſpacio, vt liberam contemplandæ veritati aciem affigat, nunc has, nunc illas rerum cauſas perſtringere, nunc autem profunda quæque penetrare, nihil anceps, nihil obſcurum relinquere. Quam ſi quis familiarius amare didicit, eique ſæpius vacare voluerit, iocundam valde reddit vitam, & maximam in tribulatione præſtat conſolationem. Ea enim maximè eſt, quæ animam à terrenorum actuum ſtrepitu ſegregat, & in hac etiam vita æternæ quietis dulcedinem prægustare facit.

G

Cumque iam per ea quæ facta ſunt, eum qui fecit omnia, quærere didicerit, & intelligere, tunc animum pariter, & ſcientia erudit, & lætitia perfundit. Vnde fit, vt maximum in meditatione ſit oblectamentum. Tria ſunt genera meditationis, vnum conſiſtit in circumſpectione morum, aliud in ſcrutatione mandatorum, tertium in inveſtigatione divinorum operum. Mores ſunt in vitiis & virtutibus. Mandatum divinum, aliud præcipiens, aliud promittens, aliud terrens. Opus Dei eſt, & quod erat potentia, & quod moderatur ſapientia, & quod cooperatur gratia. Quæ omnia quanta ſint admiratione digna, tanto magis quiſque novit, quanto attentius Dei mirabilia meditari conſuevit. Hæc de ſtudio ſcholæ illius, quam ſapientia in domo ſua inſtituit, breviter prælibavimus, in qua nimirum ſtudentibus tria ſunt neceſſaria, natura, exercitium & diſciplina. In natura conſideratur, vt audita quiſque facilè percipiat, & cœpta firmiter retineat; in exercitio, vt labore & ſedulitate naturalem ſenſum excolat; In diſciplina vt laudabiliter vivens, mores cum ſcientia componat.

H

Sed quia de his per ſingula, modo introductionis, pauca iam perſtrinximus, reſtat vt de vltima hac particula, quæ eſt diſciplina morum, quæ ſcientiam in nobis, cùm laudabiliter vivitur, exornat, latius diſſeramus. In qua licet, grandem dicendi materiam habeamus, quam vix parua ingenia ſufferant, tamen proferre conabimur, quod ingenij noſtri exiguitas capere valet. Diſciplina morum eſt qua regitur domus Dei, ſine qua non habitant vnanimes in domo. Diſciplinam morum, venuſtatem domus Dei, non incongruè appellamus. Poſt diſpoſitionem quippe domus huius & conſtructionem ſequitur, vt ſupra dictum eſt, venuſtas quæ eſt tertia pars ædificij ſpiritalis. Sicut ergo in ædificio domus, ſpiritalis ſimilitudinem

A trahentes à ſtructura materiali, tertio loco ponimus venuſtatem, quæ domum Dei in nobis perfecto decore conſummat: Sic poſt illa duo priora quæ ſunt natura, & exercitium, diſciplinam morum, ad exornandam & gubernandam eandem domum, in qua bonum & iocundum eſt habitare fratres in vnum aſſumimus. Vt autem iuxta diſciplinam morum domum Dei ordinemus, immo, vt ordinatam in omnibus ipſam domum demonſtremus, interim, laxato mentis ſinu in amplitudine meditationis, quæ ſit menſura ſpiritalis ædificij contemplemur, vt quicquid inde locuturi ſumus ex ratione inviſibilium, ex ſimilitudine cœleſtium ratum probetur. Proinde nunc ſub ſilentio quietis vires animi reparemus, vt poſtmodum aliquod dicendi exordium efficacius exprimere valeamus.

B

DE DOMO DEI.

LIBER III.

COeleſtis domus ſimilitudo, quæ intus inviſibiliter in ratione hominis continetur, & foris viſibiliter in converſatione rationabili demonſtratur, à divina mente proficiſcitur. Nam id quod eſt in ratione hominis, imago eſt illius, quod eſt in mente divina, & quod eſt in creatura viſibili, imago eſt illius quod eſt in mente creaturæ rationalis. Ad mentem quippe divinam facta eſt rationalis creatura, & ad rationem hominis facta eſt creatura viſibilis, vt, quod videt homo exterius, inde doceatur interius, & ex viſibilibus inviſibilia comprehendat. Ex divinorum operum contemplatione homo iugiter informatur, ut quodcunque poteſt manus eius facere, inſtanter operetur, vt ſicut Deus requievit ab operibus ſuis, ſic & ipſe quandoque requieſcat a laboribus ſuis. Proinde, omnem virtutis C actionem, totámque boni operis executionem in diſciplina domus Dei propoſitam nobis habemus, vt in ea vires animi & corporis exerceamus. Verùm quamvis primo acceſſu, quoad diſciplinam domus Dei ingredimur, arctum iter nobis aperiatur, cum difficultas maxima in duris & aſperis ſuboritur, non id animi conſtantiam frangat, nec ab incerto vos revocet. Nam omnis diſciplina, in præſenti non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea verò pacatiſſimum fructum iuſtitiæ exercitatis per eam reddet. Quàm multi de amaro quodammodo ſemine diſciplinæ ſpiritalium gaudium fructum metunt. Seminant enim in lachrymis, vt in gaudio metant. Vomere diſciplinæ terra cordis noſtri ſcinditur, ac diligenter excolitur, vt incrementa frugum iuſtitiæ in ea naſcantur. Hinc profectò, & Dei ædificatio, & agricultura ſumus, ſi exercitatum cor in ſtudio cœleſtis diſciplinæ habemus. Gloria namque & divitiæ D domus Dei in hac agricultura reperiuntur. Si enim in exercitio ſpiritalis agriculturæ iugiter verſamur, theſaurum precioſum in agro cordis latentem invenimus, cui in Evangelio regnum cœlorum aſſimulatur. Quiſquis cor ſuum collectis animi viribus inuenerit, ille nimirum agrum dominicum, theſaurum vitæ, ac margaritam precioſam continentem, invenit. Fructus agri huius precioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Qui huius theſauri, huius margaritæ deſiderio flagrat, facilè contemnit omnia quæ in mundo ſunt, ut theſaurum cœleſtem acquirat. Fœlix iſte regni cœleſtis negociator, qui invenit ſapientiã, & qui affluit prudentia. Melior eſt acquiſitio eius, negotiatione argenti & auri. Huius igitur Evangelici agri theſaurus gloriæ & divitiæ ſunt domus iſtius, quam nunc in imagine conſtructam habemus, dum per fidem ambulamus, ut ad ſpeciem decoris eius plenius intuendam perveniamus. Quam profectò domũ ratio mentis, ſapientia illuſtrante, in præſenti quidem per ſpeculum, & in ænigmate, virtutum meritis ornatam, & compoſitam ex parte videt, in futuro verò per amplius & perfectius, domus eiuſdem claritatem electorum Eccleſia viſura eſt, cùm apparuerit in gloria ſua. E Cæterùm, quoniam, vt ſcriptum eſt, malleus & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo Domini cùm ædificaretur. Hæc cùm de illa perfecta domus cœleſtis ædificatione intelligenda ſint, adhuc in terris poſiti, tunſionibus & preſſuris diſciplinæ ſpiritalis expoliri debemus, vt inter vivos & electos lapides domus illius connumerari poſſimus. Quocirca exercitio diſciplinæ dediti ſimus, & vt opera domus Domini in nobis ipſi perficiamus, Deum conditorem eiuſdem domus in ſuo opere imitari ſtudeamus. Sicut Deus, vt coæternam ſibi ſapientiam rationali creaturæ manifeſtaret, & id quod inviſibile eſt, in rebus viſibilibus oſtenderet, decoram mundi fabricam ex quatuor elementis compoſuit: Sic & homo rationalis illius quam intus habet exemplar foris in operatione depingit, atque maiorem evidentiam, F quomodo id quod foris eſt, concordet cum illo quod intus habetur, verbis exponit. Nam & ipſa Dei ſapientia, quæ operibus ſuis inviſibilium rationem indidit, vt evidentiùs in his humanam mentem erudiret, viſibiliter corporalis in mundo apparuit, os ſuum aperuit, de inviſibilibus nos docuit, vt hominem à delectatione viſibilium, ad amorem inviſibilium trahat. Hinc eſt quod tota oratio noſtra quæ de domo Dei contexitur, ex inviſibilium ratione ſumitur. Nam vt domus hæc quam deſcribimus, cœleſtis domus ſimilitudinem veraciter in ſe habeat, cœleſtibus diſciplinis informari debet, vt ſicut ex ratione in nobis domus ipſa conſtruitur, ſic & ratione regatur. Exemplar namque domus cœleſtis morum diſciplina in nobis depingitur, quæ tanquam optimis coloribus, pulchra varietate picturæ decoratur. Revera pulchra varietas, & varia eſt pulchritudo, qua ex diverſis virtutibus, velut ex multis coloribus ſplen- G det imago ſanctitatis, qua perficitur tota venuſtas ædificij ſpiritalis. Contemplantibus ergo nobis decorem domus Domini, tranſlucet imago vitæ cœleſtis, quæ à primordio Eccleſiæ naſcentis fundata eſt in Apoſtolis, vt ſcriptum eſt; Fundamenta eius in montibus ſanctis. Vnde perfectum vitæ magiſterium eſt, primitivæ Eccleſiæ ſemper actus imitari, illámque ædificij ſpiritalis normam ad finem vſque ſervare, quam ab ipſis Apoſtolis in fundamento fidei liquet eſſe poſitam. Perfectæ namque vitæ inſtitutio primum ab Apoſtolis promulgata, & poſteris tradita, quo vſque mundus volvitur, in tota mundi latitudine domum Dei ædificare & exornare non ceſſat. Supernæ quippe benedictionis vnguentum, quod ab ipſo capite in barbam copioſius profluxit, inferiora quoque petens, in oram veſtimenti deſcendit. Deſcendit ergo vſque ad nos hæc vnitio gratiæ ſalutaris, qui licet vltima Eccleſiæ membra ſimus, vno tamen ſpiritu, & vna fide cum barba capitis, hoc eſt, cum Apoſtolis, H immo cum ipſo capite Chriſto, vnum ſimus. Sed ſicut in confeſſione veræ fidei vnguento ſalutari delibuti ſumus, ita in eiuſdem fidei operatione ſpeciali quadam unctione imbui nos oportet, vt vitæ noſtræ perfectio à primitivæ Eccleſiæ inſtitutione non diſcordet. Niſi enim intima cordis noſtri unctio ſpiritalis penetret, ſemen verbi Dei fide conceptum minimè in nobis fructificat, quia interiora noſtra Spiritus ſancti aſperſio non fœcundat. Cæterùm nos qui ad nuptias CHRISTI & Eccleſiæ invitati, intra domum convivij ſpiritalis locum humiliorem tenemus, longè infra pedes Apoſtolum iacemus, quos vitæ perfectione ſequi negligimus. Hinc eſt quod quanto longius à ſuperiorum ſedium dignitate diſſimilitudine morum diſtamus, tanto inferius accumbimus, & quo minus interiora penetramus, eo amplius exterioribus appropinquamus. Vnde illud iam in nobis impletur, quod propheta lamentando conqueritur: Et receſſit, inquit, à filia Sion omnis decor eius. Nos enim qui ab intimis receſſimus, & exterius fuſi ſumus, interiorem

omus Domini decorem deformari in nobis conſpicimus. Cùm enim ad exteriora fundimur, ac noxia vattione animi circuimus, multa nobiſmetipſis inania ctus in mente fingimus, quia obſcurati inſipientia, era & ſpiritalia bona non videmus. Quocirca de gno Dei quod intra nos eſt meditamur vanitates & iſanias falſas, dum interioribus animæ virtutibus, quibus regnum Dei conſiſtit privati, ad exteriora uædam ſtudia ducimur, & circa corporales exercitiones quæ ad modicum vtiles eſſe videntur, occuamur, fructus ſpiritus qui ſunt, charitas, pax, gauum, &c. in latitudine cordis intus minime poſſidemus, & exterius quarundam conſuetudinum obſerantias ſectamur, in exercitiis tantum corporalibus uæ ſunt ieiunia, vigiliæ, aſperitas ſeu vilitas veſtis, cætera, regulam nobis vivendi quaſi perfectam ſtatentes. Et illa quidem exteriora exercitia, quæ circa orporales conſuetudinum obſervantias verſantur, inumenta boni ſunt, quæ non propter ſe, ſed propter a maiora vtique bona ſiunt, vt ſcilicet carnis noæ ſubſtantia quo fit afflictior, eo fiat ſpiritus purgaor. Illud verò purum ac ſimplex bonum, quod in piritualibus animæ perfectionibus conſiſtit, etiam ne illis exterioribus inſtrumentis perfectos nos redt. Verùm nos virtutum inſtrumentis corporalis laoris exercitio vtimur, maiora autem charitatis lucra, uæ perfectam conferunt vitæ puritatem aſſequi negamus. Equidem non vt Apoſtolus monet ſpiritu entis noſtræ renovamur, ſed vetera maiorum noorum ſtatuta ſæpiùs innovantes, dum nova ſemper gere videmur extrinſecus, in novitate vitæ nos ambulare ſimulamus. Quocirca, dum nova quiſque ondere præſumit, dum maiorum inſtitutis addere vel emere cuique prout libet, licet proculdubio inordiata res in domo Dei agitur. Vnde concordia charitais deſcribitur vinculum pacis rumpitur, vt iam non nanimes in domo Dei habitent, in quorum mentium cultura, Deus pacis & charitatis amator, locum habitationis non habet. Meritò namque non invenitur n nobis locus quietis vbi habitet Deus, quia nimium pacis charitatiſque cuſtodia domum noſtram ommunire negligimus. Vnde nec ipſi in ea quieti anere poſſumus, ſed curioſitate ducti, foras egredinur, exterioribus occupamur, cùm corporalibus monaſticæ diſciplinæ obſervantiis tantummodo inhærenus, habentes quidem formam pietatis, virtutem eius gnorantes. Virtus enim charitatis eſt, per quam à ntoribus noſtris quibus diſpenſatio domus Dei creditaerat, ipſa domus bene ordinata, optimis inſtitutis egebatur. In quibus profectò inſtitutis complacitum ſt ſpiritui ſancto, quia probata ſunt coram Deo & ominibus. In his quippe concordia fratrum & amor roximorum firma ſtabilitate, & ſtabili firmitate durabat. Proinde pulchro ſatis ordine domus Dei à noſtris maioribus adminiſtrabatur, quando intus in latiudine charitatis ſpiritalibus ſpatiis amplificabatur. Quocirca nos de noſtro tempore fruſtra gloriamur, ui ſpiritalis vitæ ſtructuram ad ſummum perfectionis ulmen apud nos excreviſſe arbitramur. Sed ſi ſubtiliter conſideremus, & noſtrum defectum, & patrum recedentium profectum, longè infra pedes eorum nos icere videmus. Nam in longinquam regionem diſſimilitudinis ab illis receſſimus, qui cœleſtis converſaionis exemplar quod in eorum vita & moribus lucee conſpicimus, imitari deſpicimus. Omnis gloria eoum ab intus, nos verò interius vacui virtutibus, extius imaginem quandam ſanctitatis nobis depingimus, cùm in exterioribus obſervantiis inſtituendis, ommutandis, renovandis inquietis ſemper diſſentionibus animos ab intimæ theoriæ dulcedine alienatos occupamus. Ecce gloriam noſtram in ore hominum onimus, & gloriam veram, quæ teſtimonio conſcientiæ commendatur, minimè habemus. Hinc eſt quod in his temporibus periculoſis, inopia nos eo anguſtat ſpiritalium, cum exuberat copia rerum temporalium. Eccleſia enim in hoc tempore divitiis maior, E virtutibus minor facta eſt. Vnde refrigeſcente iam in multis charitate, cœleſte in nobis evaneſcit deſiderium, atque omne virtutum ſtudium ad appetitum convertitur rerum tranſeuntium. Quocirca de ſtatu temporis noſtri, in quos fines ſeculorum devenerunt; Eccleſiam in verbis Cantici lamentando conqueritur, Ecce, inquit, in pace amaritudo mea amariſſima. In prioribus ſeculis, quando perſecutionis ſævitia Catholicam fidem oppugnabat, amara erat amaritudo Eccleſiæ. Deinde amarior, cum hæretica pravitas doctrinam veritatis perverſis dogmatibus corrumpere conabatur. Nunc verò, quando pax eſſe videtur, quando nec perſecutor manifeſtus ſævit, neque hæreticus in verba malitiæ prorumpit, amaritudo amariſſima ſentitur. Eſt enim moleſtiſſimum hypocritarum genus intra domeſticos parietes incluſum, cum amicis & domeſticis Dei habitans, ſolo habitu exteriore mundi contemptum præferens, monaſticæ converſationi ſe ingerens, quod eo acrius membris Chriſti nocet, quo minus vitari poteſt. F Et revera hæc eſt amaritudo amariſſima, quando pax quidem eſt à perſecutoribus & hæreticis, qui apertè ſæviunt, ſed non eſt pax à domeſticis qui intus ſunt, qui religioſorum quidem numero admixti ſunt, ſed veram religionem execrantes, doloſè agunt in conſpectu Domini, vt inveniatur iniquitas eorum ad odium. Cùm enim omni virtute interius ſint deſtituti, ſola imagine ſanctitatis exterius nitidi, intuentium oculos fallunt, quia nimirum gloriam, quæ ab hominibus eſt, quærunt. Iam myſterium iniquitatis in his operatur, donec caput illorum Antichriſtus adveniat, cuius adventus eſt ſecundum operationem Satanæ, qui quaſi meridianus fulgor apparebit in omnibus ſignis & prodigiis mendacibus, ſeducens corda illorum qui charitatem veritatis non receperunt vt ſalvi fierent. Quatuor ſunt hæc tentationum genera quæ perſtrinximus, quibus videlicet Eccleſia infeſtatur, dum in hoc mundo peregrinatur, dum triticum ſub paleis latet, dum malorum improbitas bonorum vitam affligit. G Verum ſacroſancta Eccleſia ſupra petram ædificata, & à Chriſto fundata, in cunctis adverſitatibus inconcuſſa firmitate perdurat, ſicut ei vox ſpiritus ſancti in pſalmo promittit, dicens: Nō Pſ. 90. timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. His quatuor tentationibus ſibi in hoc tempore ſuccedentibus, membra Chriſti à membris diaboli infeſtantur. Sed qui ſunt Chriſti, ab eo cui per fidei integritatem inhærent, minimè ſeparantur. Non timebis, inquit, à timore nocturno. Timor nocturnus erat, quando quicunque ſanctos interficiebat, arbitrabatur ſe obſequium præſtare Deo. Nox erat, quando Iudæa in infidelitate obſcurata, contra primitivam Eccleſiam perſecutionis rabiem primum excitavit, ac deinde furor gentilium ſub principibus Romanis, eadem procella Chriſti Eccleſiam, per ampliſſima terrarum ſpacia diffuſam, turbavit. Sed vbi devicta perſequentium crudelitate, per victorias martyrum Eccleſia ſancta optata frui cœpit pacis tranquillitate, maligni hoſtis acrius ſævit invidia. H Paravit enim ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittet in obſcuro rectos corde. In ipſa ſiquidem Evangelicæ gratiæ die, circunfuſis errorum tenebris hæretica impietatis perverſa doctrina, tanquam ſagitta volante in die multorum corda lethali vulnere ſauciavit. Et hæc vtique amaritudo, quæ vitam animæ, qua ex fide vivitur, interemit, amarior eſt amaritudine illa, qua mors corporis, à perſecutore illata, guſtatur. At vbi venena hæreticorum antidoto ſalutaris doctrinæ, per doctorū ingenia, in corpore Eccleſiæ cœleſtis medicina curavit, ſucceſſit amaritudo amariſſima, quæ in his noviſſimis diebus; Eccleſiam admodum infeſtare videtur. Eſt enim in omni ordine, in omni profeſſione latens diſciplinæ fictum; Sancto Spiritui inimicum, innocentiæ ac ſimplicitati Chriſtianæ valde contrarium. Hoc eſt

nimirum

nimirum illud negotium, quod perambulabat in tenebris, quod latet intus in ſecreto conſcientiæ, apparet foris in ficta bonæ converſationis diſciplina. De his conqueritur Eccleſia; Ecce, inquiens, in pace amaritudo mea amariſſima. Ac ſi dicat; Pax quidem mihi eſt à perſecutoribus; qui corpus occidunt: pax eſt ab hæreticis,qui animas per doctrinam nequam interimunt, ſed non eſt pax à filiis, & à domeſticis,qui mihi ſociantur per exteriorem ſacramentorum communionem, ſed alieni ſunt à Deo, per ſimulatam religionem. Ecce in hac amaritudine ſua amariſſima Eccleſia gemit dolens, quia videt fictæ religionis hominibus, altaris Chriſti ſacramenta committi, & eorum uſui ſervire ſtipendia Eccleſiarum, quæ utique ſunt patrimonia pauperum, precia animarum. Ordinis Eccleſiaſtici dignitates, non vitæ meritis,ipſæque ſedes Epiſcopales, Abbatiæ, Præpoſituræ, ſed negocio illi quod perambulat in tenebris,tribuuntur. Præſentis temporis fœlicitas, totáque tranſeuntis fœlicitatis iocunditas, conſpicua in auro & argento, in apparatu armorum, in numero millium, in illecebris conviviorum, in frequentia miniſtrantium, in lautiſſimis dapibus, & pretioſis poculis, in equitatus ornatu, in ſellis & frenis deauratis, in venationibus; in canibus & accipitribus, omniſque ſeculi pompa arridet illi negotio quod perambulat in tenebris. Omnia hæc illis famulantur, quibus vel ficta ſanctitas, vel generis nobilitas ſuffragatur. Propter hæc eſſe cupiunt Epiſcopi, & Eccleſiarum prælati, ut his bonis fruantur, ut deliciis affluant, ut Eccleſiæ Dei magis præſint, quàm proſint, ut familiam Eccleſiæ ſubiectam habeant, ut Domini rerum ſint, ut quantò Eccleſiæ ſunt ditiores, tanto ipſi fiant clariores. Cum ergo in his regnet ambitio, quomodo doctrinam Chriſti, verbo & exemplo in omnibus ornare poſſunt? Quænam illis ineſt virtus veræ Religionis, quorum corda deſerit ſplendor divinæ illuminationis? Miniſtri Chriſti appellantur; diſpenſatores myſteriorum Dei exiſtimantur, & tamen ſacramentorum lumen in ſemetipſis extinguere, indignè vivendo, non verentur. Nam in ſacramentis quidem offerendis, exterius Deo ſervire videntur, ſed interius luce charitatis, quæ eſt effectiva ſacramentorum virtus,privantur. Hinc profectò liquido monſtratur,quomodo iſti, qui ad altiorem Eccleſiaſticæ dignitatis gradum promoti ſunt, & qui ſanctæ religionis propoſitum tenent, negocio illi quod perambulat in tenebris, ſerviant. Denique circa hæc noniſſima tempora, ſeneſcente mundo, frigeſcente in hominibus charitate, multi ſunt, in quibus Spiritus S. diſciplinæ fugit fictum, & aufert ſe à cordibus illorum, qui cum non habeant ſimplicem ac rectam intentionem, foris prætendunt falſam ſanctitatis imaginem; Vnde, quia charitatem veritatis non amplectuntur, & falſa virtutis laude, non vera virtutis actione, quæ à recta procedit intentione, delectantur, ad illius imitationem accedunt, qui cum ſit princeps tenebrarum, transfigurat ſe in angelum lucis: Quo circa, nobis apertè declaratur, quia illi negotio, quod perambulat in tenebris, cui nimirum ſervitur à multis, iam iamque ſuccedit vltima, & periculoſiſſima tentatio, quando Eccleſia Chriſti ab incurſu, & dæmonio meridiano, quaſi tempeſtate ſæuiſſima; quaſſabitur: quando ille homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, tanquam meridiana lux apparens, in omnibus ſignis & prodigiis mendacibus ſeducet inhabitantes ſuper terram. Cæterum,his quatuor tentationum generibus,Eccleſia quidem inter mundi turbines fluctuans,impugnatur, ſed Deo protegente, nullis vnquam inimicorum machinationibus expugnatur. His ergo breviter prælibatis, iam ad propoſitum redeamus, & ad deſcribendam Domus Dei diſciplinam, prout temporis noſtri ſtatus poſtulat, operam impendamus. Summa namque ope niti debemus, vt negotio illi, quod perambulat in tenebris, cœleſtibus inſtructi diſciplinis reſiſtamus, & de penetralibus domus noſtræ, huiuſcemodi phantaſiam, atque verſutiam diabolicæ fraudis ambigamus. In hac quippe domo, quam ſapientia Dei condidit, quamque ſpiritalibus diſciplinis regit, nil reſidere monſtruoſum convenit. Hac verò diſpenſatione domum ſuam Sapientia gubernat, vt quamvis in vna eadémque Chriſtianæ fidei religione vniverſalibus inſtitutis eam moderetur: particularia tamen inſtituta vnicuique ordini ac profeſſioni tribuit. Attamen particularia præcepta, quæ cuilibet profeſſioni ſpecialiter aſſignata ſunt, ab vniverſalibus inſtitutis in nullo diſcordant. Nam particularia inſtituta, ſi ab vniverſalibus diſcreparent, vim ſuam amitterent, ſicut ramus ab arbore, rivus à fonte præciſi, ariditate pereunt. Huc accedit, quod monaſtica profeſſio, quæ particularia inſtituta, ex quavis regula ſanctorum patrum ſervanda ſuſcepit, ab vniverſalibus inſtitutis, quibus canonica authoritas omnem Eccleſiaſticum ordinem inſtruit, nequaquam excluditur. Nam monaſticus ordo, ſic regulæ ſuæ terminis contentus eſſe debet: vt etiam, qualiter eum oporteat ſacris obedire canonibus, non ignoret. Sunt quippe in monachica vita quamplurimi, qui ſimpliciter monachi dicuntur, quia ſacris ordinibus minimè funguntur. Sunt qui monachi ſimul & clerici vocantur, quorum videlicet & propoſitum ſacerdotio; & propoſito ſacerdotium ornatur. Iſti nimirum & regulæ ſuæ obedientiam, & ſacris canonibus reverentiam ſubiectionis exhibere debent. Habent enim ex regula vivendi præcepta quibus obtemperent, habent ex canonica traditione ritum miniſtrandi, quem ſervent. Sic ſunt regulæ ſuæ debitores, vt & Canonum debeant eſſe obſervatores. Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur, & cùm dona Dei in nobis creſcunt, rationes etiam donorum creſcunt. Amplius igitur ex debito obligati ſunt, qui & ex regulæ cuſtodia, & ex Canonum obſervantia rationem redditur; ſunt.Quo contra illi deſipiunt, neſcientes, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, qui cum ſint in ſacris conſtituti officiis, in ſola tamen regula ſua gloriantes, dicunt; Quid nobis cum Canonibus, habemus regulam noſtram, hac contenti ſimus. Benè & argutè regulæ prætendunt authoritatem, nonne regularum omnium magiſtra eſt authoritas Canonica; nonne Romani pontifices, qui in plenitudine poteſtatis Eccleſiæ præfuerunt, quorum videlicet authoritate vniverſalia Canonum decreta conſcripta ſunt & corroborata, illi præferendi ſunt, qui in partem ſollicitudinis vocati, particularia quædam quibuſdam inſtituta in ſuis regulis ediderunt? Sanctus pater Benedictus, quamvis ſpiritu omnium iuſtorum plenus extiterit, tamen in regula, quam monachis ſpecialiter ſcripſit, teſtatur non omnem iuſtitiam eſſe conſtitutam. Vnde ad exempla maiorum, & ad inſtituta Catholicorum patrum, ſequenda illos mittit, qui perfectioni culmen attingere cupiunt.Neque regula beati Benedicti, neque vllæ maiorum traditiones, quæ correctionem morum docent, & honeſtæ vitæ formam demonſtrant, his qui in monaſteriis converſantur imminuere vel infirmare vllò modo poſſunt ſacrorum Canonum authoritatem, quorum videlicet obſervantia, cùm generaliter omnibus Eccleſiæ filiis indicta ſit, monachi ſoli non excipiuntur.Nam Canones ad monachos quoque pertinere, illoſque ſynodalibus Patrum decretis obedire debere, ex ſcriptis beati Gregorij Papæ. liquido datur intelligi, qui in ſua ſynodica,id eſt, ſynodali epiſtola ſanctiſſima,quatuor concilia confirmat ita. Sicut ſancti Evangelij quatuor libros,ſic quatuor concilia ſuſcipere & venerari me fateor; Nicenum ſcilicet, in quo perverſum Arrij dogma deſtruitur, Conſtantinopolitanum quoque in quo Eunomij & Macedonij error convincitur. Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur. Calcedonenſe vero, in quo Eutychetis Dioſcorique pravitas reprobatur, tota devotione amplector, integerrima approbatione cuſtodio, quia in his velut in quadrato lapide ſanctæ

fidei ſtructurâ conſurgit, vt cuiuſlibet vitæ & actionis exiſtat; Quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe videatur, tamen extra ædificium iacet. Civitates verò & perſonas, quas præfata veneranda concilia reſpuunt, reſpuo, quas venerantur, amplector, quia dum vniverſali conſenſu ſunt conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit, aut ſoluere quos ligant, aut ligare, quos ſoluunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Hucuſque Gregorius. Cæterum, ad regendam domus Domini diſciplinam, in omni religionis propoſito, in omni ordine ac dignitate canonum obſervantiam eſſe neceſſariam, Apoſtolicæ ſedis authoritas affirmat, quæ omnibus filiis Eccleſiæ illam quam ſacris Canonibus exhibere debent, indicit obedientiam. Eccleſiaſticæ namquam diſciplinæ inſtrumentum eſt, canonicæ authoritatis privilegium, quod in Apoſtolica ſede fundatur, vbi divinæ voluntatis inſtitutio, omnibus principaliter Eccleſiæ prælatis, eorumque ſubditis traditur, vbi firmamentum diſpenſationis Eccleſiæ ſpecialiter collocatur. Hoc namque privilegium B. Petro Apoſtolorum principi cœleſti decreto principaliter traditum atque firmatum, ſancti patres cum magna veneratione ſuſcipientes, atque ſanctam Romanam Eccleſiam ſervantes, tam in generalibus conſiliis, quàm & in cæteris ſcripturis & geſtis ſuis, vniverſalem matrem appellaverunt, & ſicut eius documenta in confirmatione fidei & eruditione ſacræ religionis, ita etiam iudicia ſuſceperunt, in hoc conſentientes, & quaſi vno ſpiritu & vna voce concordantes, omnes maiores res & præcipua negotia, nec non omnium Eccleſiarum iudicia ad eam quaſi ad matrem & caput debere referri, ab ea nuſquam appellari, iudicia eius à nemine retractari aut refelli debere vel poſſe. Inde B. Gelaſius Anaſtaſio Imperatori ſcribens, divina fultus authoritate, quid & qualiter de primatu ſedis Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ ſentire deberet, hoc modo eum inſtruxit. Et ſi, inquit, cunctis generaliter ſacerdotibus rectè divina tractantibus, fidelium colla convenit ſubmitti; quantò potius ſedis illius præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem cunctis ſacerdotibus & divinitas ſumma voluit præeminere, & ſubſequentis Eccleſiæ generalis pietas celebrauit. Vbi prudentia tua euidenter animadvertit, vnquam quolibet penitus humano conſilio æquare ſe poſſe quenquam illius privilegio, vel confeſſioni, quem Chriſti vox prætulit vniverſis, quem Eccleſia confeſſa ſemper eſt, & habet deuota primatem. Ex his ergo B. Gelaſij dictis, aliorumque ſanctorum Patrum ſcriptis declaratur, quod Romanæ ſedis ſpeciali privilegio omnium Eccleſiarum privilegia confirmentur: quodque illius ſingulari diſpenſatione omnium ordinum, dignitatum ac profeſſionum iura, inſtitutionumque moderamina gubernentur. Sicut enim Deus pater omne iudicium dedit filio, ſic filius Dei omne iudicium ſuum Apoſtolicæ ſedi conceſſit, quæ videlicet totius Eccleſiæ caput à Domino conſtituta; ſua ſapientia & diſcretione, tanquam duorum in vno capite oculorum proviſione totum Eccleſiæ corpus, cum ſubiectis ſingulorum membrorum officiis regit. Et ſingula quidem membra ſuis funguntur officiis, & pro parte ſollicitudinis ſuæ corporis curam gerunt. Tua verò pater vigilantiſſima ſollicitudo in plenitudine poteſtatis totius corporis Eccleſiæ ſtatum provida gubernatione diſponit. Tua namque prudenti virtutis actione præcipua, præ cunctis contemplatione ſuſpenſa, proſpicere novit, quomodo in Eccleſia carnalia ſpiritalibus ſubeſſe ac ſervire oporteat, & quomodo ſpiritalia cœleſtis vitæ formam tenere debeant. Verum, quæ nos inter hæc excellentiæ veræ humiliter ſuggerimus, ſancti apoſtolatus veſtri manſuetudo dignanter quæſumus accipiat. Nam verbi gentium doctor, minoribus qui ſunt in Eccleſia, etiam coram maioribus loqui concedit, quando ratio poſcit. Videtur enim nobis neceſſarium, veſtræ ſublimitati ſuggerere, quæ in hac parte amplius indiget, veſtræ proviſionis diligentia, qui minimè ſibi cohærent ordinata temperatura partium. Sciſſura mentium aſſiduo illorum vnanimitatem & quietem rumpere videntur, qui in ordine monaſtico converſantur, vbi maiorum traditiones tanquam minus ſalubres ac inutiles negliguntur, immò reiiciuntur. Nam quodam tædio & ægrotatione animorum, antiquarum inſtitutionum crebra fit mutatio & renovatio, ita vt rem pernicioſiſſimam ſeditionem ac diſcordiam induci monaſterio videamus. Verùm omnia membra in pace eſſent, ſi quod ad pacis charitatiſque cuſtodiam conducit, de alieno iure ſibi quiſque vſurpare præſumeret. Præſumptuoſum enim eſt, quibuſlibet prælatis veterum ſtatuta immutare, nova inſtituere, cùm ſolum id Apoſtolicæ ſedis diſpenſationi conceſſum ſit, vt pro temporis neceſſitate vel pro vtilitate Eccleſiæ aliquid de inſtitutis patrum commutare poſſit. Vnde beatorum pontificum Gelaſij & Leonis decreta in hac ſententia concordant. Vbi neceſſitas non eſt, nullo modo patrum ſtatuta violentur. Vbi verò neceſſitas fuerit, ad vtilitatem Eccleſiæ qui præeſt, ea diſpenſet. Sed hæc diſpenſatio, vt diximus, penes illum eſt, qui vicem Chriſti in terris agit, cui vna cum Petro dicitur à Domino; Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Ipſe namque eſt qui tanquam fidelis & prudens diſpenſator ſuper familiam Domini conſtitutus, vt det illis in tempore tritici menſuram, ſolus totius domus Dei quæ eſt Eccleſia, curam gerit. Hanc ergo diſpenſationem, qua menſura Dominici tritici datur, id eſt, facultas temperandorum, ſive mutandorum canonum conceditur, Romano Pontifici potiſſimum adiacere non dubitamus, vt ſancti patres docuerunt. Nam B. Gelaſius, & Nicolaus Papa primus in decretis eorum, Simmachus verò in generali ſynodo diverſo quidem tempore, ſed eadem voce de Romani Pontificis authoritate proteſtati ſunt; Neceſſaria, inquiunt, rerum diſpoſitione conſtringimur, & Apoſtolicæ ſedis moderamine convenimur, ſic Canonum paternorum decreta librare, & retro præſulum deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, vt quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus. Nec mireris, ſi Romani pontifices hanc ſemper peculiariter habuerint poteſtatem, vt canones pro tempore diſpenſarent. Ipſi enim ſunt authores Canonum, & illa ſedes ſemper hoc habuit privilegium, vt ligatum vel ſolutum ſit, quicquid ipſa ligauerit vel ſoluerit. vnde iuxta atteſtationem ſanctorum Patrum omnibus Eccleſiis præeminet, & de omnibus iudicare poteſt.

Sciendum ſanè quod Romani Pontifices ſemper magis antiqua exequi & obſervare, quàm nova inſtituere, niſi aliqua rationabilis cauſa perurgeret conſueverunt. Vnde Beat. Gelaſius Papa ad Epiſcopos Dardaniæ; Nullus, inquit, iam veraciter Chriſtianus ignorat vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniverſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam magis ſedem exequi præ cæteris oportere, quàm primam, quæ vnamquamque ſynodum & ſua authoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit. Hinc ſanctus Leo Papa, Ad merum, inquit; tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente ſunt creditæ, me, quod abſit, cohibente, violentur. Item Iulius Pap. Orientalibus Epiſcopis ſcribens; Inſtituta, inquit, Apoſtolorum & apoſtolicorum virorum contemnere nolite. Canones habetis, his fruimini. Satis enim indignum eſt quemquam pontificum, vel ordinum ſubſequentium hanc regulam refutare, quam B. Petri ſedem videat ſequi & docere. Multum convenit vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione concordet, quæ inde authoritatem habet, vbi Dominus Eccleſiæ totius principatum poſuit, dicente ſcriptura; Ordinate in me charitatem. Et iterum;

E F G H

Omnia cum ordine fiant. Eandem ſententiam Beatus Gelaſius in generali decreto de Eccleſiaſticis inſtitutis ad omnes Epiſcopos ſcribens, deprompſit; Cùm nobis, inquit, contra ſalutarium reverentiam regularum cupiamus, temerè nihil licere, & cum ſedes Apoſtolica ſuper his omnibus favente Domino, quæ paternis Canonibus ſunt præfixa, pio devotoque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt, quenquam pontificum vel ordinum ſubſequentium hanc obſervantiam refutare, quam beata Petri ſede conſequi videat & docere; ſatiſque conveniens eſt, ut totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione concordet, quam illic vigere videt, ubi Dominus totius Eccleſiæ poſuit principatum. In hoc utique ſancti Romani Pontifices alij pates eſſe voluerunt, quod non tam novæ inſtitutionis authores, quam veteris executores exiſtere ſtuduerunt, quod non ſolum Romano, ſed cuilibet Epiſcopo idem Gelaſius licere teſtatur. Hinc ergo liquidò datur intelligi, quantum in minoris cuiuſlibet poteſtatis humilitas maiorum ſuorum inſtitutis obtemperare debeat, ſi Romanæ ſedis authoritas, tantam ſacris Canonibus exhibet reverentiam, vt prædeceſſorum ſuorum ſtatuta magis exequi quam mutare ſoleat. In eo ſiquidem fidelis & prudens diſpenſator domus Dei comprobatur, ſi id quod maiorum traditione accepit, & ipſe ſervare ſtudet; & ſubditis ſuis ſervandum tradere curat. Sed ſicut iam ſupra dicere cœpimus, neglecta communitate noxiam ſingularitatem induci in monaſteria videmus, ab his qui in monaſtico ordine curam animarum ſuſceperunt. Communem namque utilitatem Domus Dei poſtponentes, priuatam ſingularitatem, quæ humanis favoribus magis quam diuinis iuſſionibus ſervire ſolet, ſectantur. Bene nobiſcum ageretur, ſi ea menſura qua menſi ſunt nobis partes qui ante nos fuerunt, etiam noſtri temporis prælati infirmorum contuentes imbecillitatem, ſuis ſubditis metirentur. Sic namque in ſua venuſtate fabrica domus Domini melius proficeret, cum in latitudine charitatis & ſpei altitudine amplius excreſceret. Illi quippe venerandi patres ſapientia & diſcretione præcipui, qui Dominici tritici menſuram, in diſpenſatione regularis diſciplinæ, ſuis conſervis in tempore ſuo erogabant, pia conſideratione utentes, rigorem regulæ uſque ad infirmos, temperauerunt, ut plures in ordine noſtro ſaluarentur. Vnde ſapientiſſimus Salomon, ut decorem domus Domini figuratè inſinuaret; ferculum fecit ſibi de lignis Libani, quod cum ex diuerſis partibus conſtrueret, hinc videlicet reclinatorium aureum ſtatuens, hinc columnas argenteas erigens, hinc aſcenſum purpureum componens, media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem. Imaginariam ferculi huius ſtructuram apud nos in Domo ſapientiæ maiorum noſtrorum providentia conſtituit, ubi regulariter ſic omnia temperantur, ut & ſit quod fortes cupiant & infirmi non refugiant. Fortium quidem virorum perfectio, & diverſa perfectorum merita in columnis argenteis, in reclinatorio aureo, in aſcenſu purpureo pulchre ſignantur. Infirmorum verò locus humilior in eo exprimitur, quod ſapientia Dei media charitate conſtrauit. Infirmorum namque cum ſit maxima multitudo, qui per filias Hieruſalem intelliguntur, a Domo ſapientiæ non excluduntur, quia & ipſa ſapientia Dei in carne apparens, humanæ infirmitati condeſcendit. His profectò locum congruum diuina providentia deputavit, illorum infirmitati piè conſulens ut videlicet in loco humili ſalventur, qui virtutum alta non penetrant. Verum, plerique ſunt ferculi ſpiritalis ſtructores, hoc eſt, domus Dei rectores; qui ſic fauent eorum profectibus, qui virtutum ſublimia ſectantur, ut his qui humiliorem locum, utpote infirmantes adhuc tenere videntur, condeſcendere dedignentur. In grege namque ſibi commiſſo, tantum fortia quærunt, infirma derelinquunt, craſſa quæque aſſumunt, debilia proiiciunt, ſicque quod pingue ac forte eſt, in paucis cuſtodiunt, ut infirmorum pluralitatem negligant. Qui nimirum non providè animarum curam adminiſtrant, neque proficuè domum Domini diſpenſant. Omne namque proficuum domus Domini in duobus conſiſtit, in vno videlicet, ut utilitatem ſuorum, is qui præeſt, ita tueatur, ut quicquid agit, ad eos referat, oblitus commoderum ſuorum: in altero, vt totum gregem ſibi commiſſum curet. Si enim partem tuetur, & partem negligit iam non eſt cuſtos integræ unitatis, qui tales ſub ſe habere non ſtudet, qui unanimes in domo Dei habitant, ſed qui in partes ſe dividant. Sed quod videmus in hac parte prælatos perfectioribus ſolum velle præeſſe, vt ex illorum profectibus tranſitorium quendam ſibi aucupent favorem, nolle autem prodeſſe per condeſcenſionem infirmantium multitudini, vt multorum ſalutem lucrum animæ ſuæ faciant. Hoc planè non eſt paſtoralis curæ adminiſtrare officium, ſed manifeſtum ſuperbiæ dominantis dare indicium. Non enim ad multorum utilitatem communis vitæ ordinem à maioribus noſtris inſtitutum ſervare contendunt, ſed ſuæ ſingularitatis ſtatuta promulgare intendunt, ut tanquam novarum inſtitutionum authores, ſingularem ſibi laudem ac nomen celebre acquirant, non in ædificationem, ſed in deſtructionem conceſſa ſibi poteſtate uti videntur. Alligant enim onera gravia, & imponunt in humeros infirmorum, quibus cum auſteritate imperantes ea ſervare quæ ipſi inſtituunt, gregem Domini diſpergere, atque vnanimitatem & concordiam fratrum perturbare non metuunt. Indiſcreta namque velocitate feruntur, qui tarditatem infirmantium, ſecum in via Dei ambulantium patienter non ſuſtinent, quos dum in via Dei ſocios habere dedignantur, fruſtra ſe ſolos ad cœleſte regnum vna penna dilectionis Dei, ſine altera penna quæ eſt dilectio proximi, pervolare poſſe arbitrantur. Neque enim eſt vlla, quæ ſine duarum pennarum adminiculo in altum ſublevari queat. Vbi quæſo hæc iam invenitur diſcretio illa Iacob Patriarchæ, quam ſanctus pater Benedictus aliis patribus in exemplum proponit: Si greges meos, inquit, in ambulando plus fecero laborare, morientur cuncti vna die. Sed liquet, quàmplurimos fore noſtro tempore, qui greges cum Iacob ducunt, in quibus tamen tantæ diſcretionis oculus caligat. Vnde timendum ſatis eſt, ne aliqui ex his cæci ſint, duces cæcorum. Ecce patres noſtri, qui nos in via Dei præceſſerunt, quantum laboraverunt, vt nos in labores illorum intrantes, ſine errore veſtigia ipſorum ſequeremur, & per tritam gradeꝛemur viam. Sed quamvis ipſi nobis verbo & exemplo obcluſas ſemitas aperuerint, & greſſus noſtros in viam pacis direxerint, nos tamen adeò illorum labores caſſamus, vt quotidie de via Domini quæſtiones moveamus, de litera regulæ noſtræ contendamus, atque non iam in invio, ſed in ipſa via nos errare monſtremus. Miramur & obſtupeſcimus quod noſtris temporibus tanta cæcitas contigit in ordine monaſtico, vt tanquam media nocte, ſic palpemus in meridie. Denique Prælati noſtri non contenti terminis quos poſuerunt patres noſtri, quibuſdam diverticulis, quæ ad regiam charitatis viam minime conducunt ſubiectos ſuos aberrare faciunt. Sed nihil in his magis eſt inordinatum, quàm res bene ordinatas nova quadam ordinatione, immo præſumptione, nulla cogente neceſſitate deſtruere. Illi quidem qui nunc domui Dei præſunt, in labores patrum præcedentium introierunt, ſed dum labores illorum pro ſui officij debito cuſtodire negligunt, neglecta Spiritus quiete, quæ ſola neceſſaria eſt ad vacandum & fruendum Deo, in plantando & evellendo, in ædificando & deſtruendo ſuperfluo labore deſudant. Sed vt aſſerunt, hanc idcircò ſibi occupationem ſumunt, ne vel ocio torpeant, vel à bono opere ceſſare videantur. Fruſtra hæc ad excuſandas excuſationes prætendere ſolent. Nunquam enim minus ocioſi eſſent, quàm ſi illi ocio dediti eſſent, in quo ſapientia ſcribitur, quam nemo niſi qui minoratur actu percipere meretur. Vita

namque

namque monaſtica non practicæ curis, ſed theoricæ ſtudiis dedicatur. Attamen corporalis exercitatio ad modicum utilis, quæ ex regulari authoritate in monaſteriis obſervatur, in vſum contemplationis ſumitur. Ad hoc namque quotidiani operis exercitium prodeſſe videtur, ut labore ac fatigatione corporis excitata mens ardentiùs aſpiceret ad amorem intimæ quietis, de qua vox divina in Pſalmo nobis loquitur: Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus. In omnibus enim quæ corporaliter agimus, curandum eſt nobis ſollicitiùs, ut de corporalibus ad incorporalia mentem citiùs transferamus, & de labore ad requiem tendamus. Laboris quippe noſtri fructum in ſpeculationis intimæ dulcedine deguſtamus; & beati erimus iuxta Pſalmiſtam, quia labores manuum noſtrarum manducabimus. Hinc idem Propheta, cùm in tribulatione ſua Deum exquireret, & nullam extra Deum in rebus corporalibus requiem inueniret, ut demonſtraret quæ ſint veræ deliciæ mentis: Memor fui, inquit, Dei, & delectatus ſum. Quocirca, ſi veterum ſtudia, profectúmque ſpiritalis militiæ conſideremus, defectum noſtrum ex illorum comparatione diligentiùs metientes, aſſiduè deploramus, qui in corporalibus quidem obſervantiis laborem habemus maiorem; in ſpiritalibus verò fructum conſequimur minorem. Vnde illud Propheticum bene nobis congruit. Reſpexiſtis ad amplius, & factum eſt minus. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum. Revera reſpicimus ad amplius, cùm intentionis noſtræ oculum in eo defigimus, vt in obſervantiis exterioribus ampliorem nobis laborem indicamus, ſed factum eſt minus, quia nimirum in ſpiritalibus animæ profectibus valde imminuti ſumus. Seminamus quoque multum, qui corporalis exercitationis labores, quaſi ſemina terræ mandamus, ſed inferimus parum, quia videlicet fructum ſpiritus per modicum de ſemine laboris noſtri colligimus, ac minimam exinde animæ noſtræ refectionem præparamus. Cùm ergo continue pſalmodiæ vocibus cum quodam tædio quo dormitat anima, perſtrepimus, cùm exercitiis corporalibus immoderatius incumbimus, quid aliud facimus, quàm ſicut turba in Evangelio Dominum comprimimus, nec tamen curam ſalutis inde conſequimur? Plus enim aliquid mulier feciſſe videtur, quæ ſolam fimbriam veſtimenti eius tetigit, & continuo remedium quod quæſivit, ſe inveniſſe, gaviſa eſt. Quocirca cantandi vſus apud nos cùm ſit continuus, & vix aliquando ad momentum intermitti ſoleat, cætera vitæ ſpiritalis exercitia, hoc eſt, legendi, meditandi, & operandi ſtudia, quibus & corpus exerceri, & mens multum proficere poſſet, nobis quaſi interdicta eſſe videntur. Cùm enim in uno aſſiduè moramur, reliqua exequi præpedimur. Sed ſancti præceptoris noſtri Benedicti inſtitutio, ſic per vices horarum ad elevandum faſtidium pſallendi, legendi, & operandi tempora diſtribuit, ut obſeruatores regulæ illius ſub tantæ diſcretionis moderamine nullam prorſus querelam moverent. Nam vir iſte ſpiritu omnium iuſtorum plenus, qui etiam ſpiritu prophetico pollens, futuri ævi ſtatum prævidit, & mores hominum proſpexit, illum vivendi ordinem ex Actibus Apoſtolorum, aliorúmque Patrum exemplo ſumptum nobis tradidit, quo nemo aliquid melius aut ordinatius tum inſtituere potuit. Vnde profecto liquet, quantum delinquant, quantum communis vitæ ſocietatem perturbent, qui extraordinaria inſtituta monaſteriis tradunt, qui currum Domini, de quo ſcriptum eſt: Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium; Dominus in eis, currum, inquam, Dei extra metam quodammodo ducunt. Hinc eſt quod in ordine monaſtico, qui honeſtis ſtudiis ac laudabilibus inſtitutis aliquando præeminebat, noſtris iam diebus color optimus Eccleſiaſticæ gravitatis mutatus eſſe videtur, ſuperducto quodam fuco levitatis. Ecce enim vita monaſtica, quæ erat columna & firmamentum religionis, in qua videlicet viguit diſciplinæ cenſura, morum gravitas, maturitas conſiliorum, authoritatis pondus, antiquitatis inſigne, in Eccleſiaſticis officiis repentinis viſa eſt novitatibus acquieſcere, & quadam iuvenili paſſa eſt decolorari levitate. Miramur ergo ſatis quid viſum fuerit hoc tempore quibuſdam monaſteriis mutare colorem optimum, novas quaſdam inducendo celebritates. Nunquid patribus doctiores aut devotiores ſumus? Superba mente præſumimus, quicquid ipſorum in talibus prudentia præterivit. Neque verò nos in huiuſmodi aliquid invenire poſſumus, quod illorum quiverit diligentiam præteriſſe. Quæ igitur ratio hæc feſta celebranda nobis induxit? feſtum videlicet ſanctæ Trinitatis, feſtum transfigurationis Domini. Additur his à quibuſdam quod magis abſurdum videtur, feſtum quoque conceptionis ſanctæ Mariæ. Nos in his omnibus devotioni fidelium minime derogamus, dum rationem quærimus, qua rationabile obſequium noſtrum offerre Domino debemus, ne fortè à via recta deviantes, præſumptionis ſpiritu ſeducamur.

PROLOGVS IN Librum quartum.

Tranſcurſis ſuperioribus huius libri partibus, vbi in umbra legis, & in imagine Evangelicæ gratiæ decorem domus Domini, ac ſi picturam variis coloribus diſtinctam aſſignare curavimus, tandem ad cœleſtis domus claritatem intuendam aciem mentis attentiùs erigamus. Cœleſtis enim domus habitatio cùm ordinatiſſimam in ſuis civibus ſemper habeat concordiam, ad exemplum proponitur huic terreſtri domui, in qua peregrinamur, ut videlicet ſecundum exemplar cœleſtium informetur converſatio terreſtrium. Vnde nimirum ſecundum cœleſtium ordinum diſpoſitionem, omnium profeſſionum gradus, & omnis Eccleſiaſticus ordo inſtituitur, & regitur.

DE DOMO DEI

LIBER IV.

CAPVT I.

OMNE datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Divinæ illuminationis radij, ſic è ſurſum emittuntur in ea quæ inferius ſita ſunt, & interius per rationales motus illuminantur, vt ab vno fonte veri luminis, ex quo procedunt, nulla ſe intercapedine dividant. Cùm enim ſummum bonum, quod verè vnum & indiviſum eſt, creaturæ rationali, de plenitudine ſua gratis ſua dona diſtribuat, nequaquam in ſeipſo minuitur. Neque enim ſol cùm ſit fons ignis ætherei, de altiſſima ſede ſua ſic radios ſuos in remotiſſimas terræ partes ſpargit, vt eos ad ſe non recolligat, quos inſeparabiliter à ſe dimittit. Etenim, neque ipſe ſol verus, vnus videlicet pater ſpirituum Deus, nuſquam vnquam ſua propria ſingularique unitate deſeritur, cùm multiformis gratiæ ſuæ dona in eos, quos ſibi in vno ſpiritu participes facit animos, multipliciter transfundit. Proinde ſic uniformiter multiplicium donorum Dei largitatem in ſe cu'odiunt illi, quibus vnus Spiritus & vna fides erat, vt virtutum radios, quos acceperunt, quibus intus claritatem Dei irreverberatis oculis mentis intuentur, ad ipſum patrem luminum remittant, & ſparſum in ſe multipliciter cœleſtis gratiæ lucem ad ſimplum revocant radium, cum Deo applicant, non ſibi quicquid boni habent, quicquid poſſunt. Omnia enim ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, ſicut

divinum ait eloquium. Nos ergo ſplendorem paternæ gloriæ Ieſum invocantes, ut per eum ad principale lumen Deum patrem omnipotentem aſcenſum habere poſſimus, intimè flagitemus, quatenus in lumine eius lumen videamus. Intenta quippe mentis acie intueri libet eam, quæ corporeis oculis minime videtur, cœleſtium ordinum clariſſimam dignitatem: quorum imagines in ipſis Eccleſiaſticis ordinibus veneramur. Qui enim cuncta viſibilia & inviſibilia condidit, per hæc viſibilia noſtros animos ad inviſibilium contemplationem introducet. Varias namque rerum figuras ſapientia Dei noſtris proponit obtutibus, in quibus ordines cœleſtes, & rationes cœleſtium, quaſi in ſpeculo nobis tranſlucent. Revera pulcher ordo eſt, ut res viſibiles inviſibilium rationes in ſe contineant, quatenus formalibus intenta figuris mens humana, per exēplaria cœleſtium informetur, ſicque aſcendat in ſimplam, & non figuratam rerum cœleſtium veritatem. Traditur enim nobis in ipſis formis ſive figuris cœleſtium particularis intelligentia, ſecundum menſuram donationis Chriſti, de cuius plenitudine omnes accepimus.

CAPVT II.

PVlchrè proviſæ ſunt formæ informium, & figuræ rerum, carentium figuris; formæ namque viſibiles inviſibilium nobis intelligentiam miniſtrant, non quod ſimile aliquid æſtimandum ſit, inviſibilibus & ſpiritalibus ſubſtantiis in his formis ſive figuris, quas corporeo intuitu videmus. Omne namque quod ſimile alicui rei dicimus, diſſimile quodammodo eſt, quia non eſt idem quod illud cui aſſimilatur. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia tribus modis ſimilitudo dicitur. Alia eſt namque ſimilitudo ſubſtantialis, alia imaginaria, alia imitatoria. Similitudo ſubſtantialis agnoſcitur in Patre & Filio, & Spiritu ſancto, quia hæc quidem ſunt tria in tribus perſonis vocabula, ſed una & eadem in nullo diſſimilis eſt ſubſtantia Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Subſtantiali quippe ſimilitudine, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus unum ſunt, quamvis alius ſit in perſona Pater, alius in perſona Filius, alius in perſona Spiritus ſanctus. Imaginaria ſimilitudine ſe ad invicem habent, verus homo & pictus homo. Sed aliud eſt quod in imagine, quæ ſimilis eſt homini, videmus, aliud, quod in vivente homine conſpicimus. Imitatoria ſimilitudine bene ſic conveniunt, qui alterna morum ſimilitudine mutuo ſe reſpiciunt, licet ſpecie viſibili valde diſſimiles ſint. Per hanc ſiquidem imitatoriam ſimilitudinem habitare fecit Deus homines unius moris in domo, quia per imitationem mutuam ineſt eis amica morum ſimilitudo.

CAPVT III.

Quomodo conveniant corporea incorporeis.

QVocirca conſiderandum eſt, quomodo formæ corporeæ rebus incorporeis conveniant, quomodo figuris exprimantur cœleſtes ſpiritus, quos figuris penitus carere perſpicuum eſt. Divinorum eloquiorum ſacratiſſima ſapientia in cœleſtium ſpirituum formationibus utrumque valde utiliter nobis providit ut neque in has cœleſtes virtutes iniuriam faciamus, cùm viles iſtis rerum materias aſſimilamus, neque nos poſſibiliter animum inclinemus ad terrenarum imaginum venerationem, quas inviſibilium figuris ſervire cognoſcimus. Cuncta namque viſibilia, tam ad eruditionem, quàm ad obſequium hominis condita ſunt, ut in his formas ſpiritalium ac ſacramenta divina excolat, non ut poſtpoſito conditoris amore in his delectetur, & adulterinum mentis oculum in rerum tranſeuntium pulchritudine defigat. Solus enim conditor ſyncera mente diligendus eſt, in cuius ſapientiæ luce omnia videntur eſſe valde bona. Proinde formas atque figuras aliquas cœleſtium ponamus, quas paſſim in ſacris eloquiis expreſſas invenimus, ut intelligamus ad qualem nos oporteat aſcendere per formas veritatem. Non enim æſtimare debemus, cœleſtes ſubſtantias ſecundum earum viſibiles formas, vel multipedes eſſe, vel multorum vultuum, vel boum pecualem ſimilitudinem, aut leonum beſtialem præferre imaginationem, aut ad aquilarum, curvo roſtro ſpeciem formatas, aut ad volatilium ſex alarum commotionem eſſiguratos. Sed neque rotas igneas in cœlo circumferri putemus, quanquam his ipſi adminiſtratorij ſpiritus imaginariè monſtrentur. Hinc eſt quod Heliæ currus & equi ignei apparuiſſe leguntur, ut videlicet Angelorum miniſterio ſubvectus eſſe declaretur. Thronos quoque materiales Deitati, quaſi ad recubitum neceſſarios depingimus, & equos multicolores & armigerum exercitum præſidenti Domino Deo Sabaoth, partim per millia millium miniſtrantem, partim per decies millies centena millia aſſiſtentem, ut ſacra tradunt eloquia, diviſim denotamus. Summus namque & circumſcriptus Spiritus pater ſpirituum Deus, qui eſt ſuper omnem eſſentiam & vitam, incomparabiliter omnem excellens ſimilitudinem, & ſi nulla poteſt viſibili ſpecie imaginari, tamen ſpecialiter in ignis viſione manifeſtatur. Nam & Moyſi in igne flammæ rubi apparuit, & in vertice Syna montis, ſpecies gloriæ Dei in igne oſtenſa eſt. In Patrum quoque hoſtias deſcendens ignis, præſentiam divinæ maieſtatis declarabat. Deus enim noſter ignis conſumens eſt. Peccati ſiquidem rubiginem in nobis conſumit, & cœleſtis gratiæ lumen in cordibus noſtris accendit.

CAPVT IV.

De diſſimilibus ſimilitudinibus.

HAs itaque materiales formas ex animatis & inanimatis rebus hinc inde adductas, divina eloquia per diſſimiles quaſdam ſimilitudines cœleſtibus ſpiritibus aptare ſolent, qui hoc ſpecialiter in munere habent, ut in eis expreſſius ſimilitudo Dei luceat, in ipſam inacceſſibilem deitatis lucem irreverberatum ſemper defigunt contenplationis oculum. Ipſi namque primum poſt creatorem creaturæ obtinent locum, in quos de fonte plenitudinis ſuæ Dei ſapientia primos inundantis ſapientiæ rivos emiſit. Inde autem ad nos, quaſi ſtillæ pluviarum de cœlo in terram cadunt, cùm de lumine inviſibilis quo principaliter angeli illuminantur, etiam nos illuminamur, ut in lumine Dei videamus lumen. De ſuperioribus namque inferiora illuminantur, quia per angelos hominibus cœleſtia ſecreta revelantur. Cœleſtem quippe habitationem ſortiti ſunt angeli, terram autem dedit Deus filiis hominum. Duo namque ſunt rationales ſpiritus, unus qui in cœlis ſedem habet, alter qui terræ locum obtinet. Superior ex his ſine corporeæ molis pondere Deo miniſtrans, in cœlo ſemper aſſiſtit, inferior corpus quod corrumpitur & aggravat animam geſtans, ſuperioris illius miniſterio & adminiculo neceſſariò fulcitur: ſunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus, miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis. Verùm, quia ſpiritus angelicus in ſua natura nihilo ſubtilior eſt quàm hominis ſpiritus. In intellectualibus quidem angelicæ virtuti per ſimilitudinem appropinquamus, quamvis corporalibus motibus inferius poſiti, longè à ſuperioribus diſtemus. Vnde per eaſdem diſſimiles ſimilitudines quas prænotavimus, homines Dij & angeli nuncupantur. Hinc eſt quod ad Moyſen dicitur: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. Et in lege: Diis, inquit, non detrahes. De præcurſore autem Domini Ioanne ſermo divinus loquitur: Ecce mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam. Sic & Sacerdotes angelos vocant eloquia Dei, iuxta illud: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Nam

a Deus publicam rem ſuam ordinauit vt ſicut ſuperiores cœleſtes poteſtates in terra poſitis voluntatem Dei nunciant, ſic in hominibus illi qui præminent officio & dignitate ordinis inferioribus docendi magiſterio præſint.

CAPVT V.

HActenus per diſſimiles ſimilitudines euagati, duos tandem rationales ſpiritus induximus vnum qui carne non tegitur; alterum qui carne tegitur: illum in ſuperioribus, iſtum in inferioribus inſinuantes eſſe locatum. Qui nimirum medius intra ſuperiorem angelici ſpiritus rationalitatem, & infimam animantium rationalitatem eſt conſtitutus vt per meritum vitæ poſſe eius ad æqualitatem ſuperiorem aſſurgat: ſi verò ad id proficere per ignauiam negligit in tantum decidat, vt his quæ ſub eo in infimis ſita ſunt, comparetur iumentis inſipientibus, & ſimilis fiat illis. Commune namque aliquid proportionaliter habet homo, cum angelis quidem rationalitatem, cum iumentis ſenſualitatis viuacitatem: Eſt autem quiddam per diſſimiles ſimilitudines hic conferendum, vt illud quod medium inter intellectualia & ſenſibilia collocauimus, per rationem addiſcat, quantum infimis rebus, id eſt ſenſibilibus naturæ ſuæ dignitate præſtare videatur, videlicet alij naturaliter motus ſenſibilibus, alij rationalibus. Nam etſi iidem iraſcibiles & concupiſcibiles motus inſint ſenſibilibus, ſimul & irrationabilibus, non tamen eodem modo in vtriſque agitur, Nam in irrationabilibus duce diſcretione omnia inordinatè geruntur, in ſenſibilibus autem effrænata libertas, nunc iam in furorem commutat, nunc in concupiſcentiam incontinenti viſu rapitur. Verum has diſſimiles ſimilitudines à ſenſibilibus motibus animantium ad intellectuales animos trahentes, iraſcibilem in eis motum ad auſum virtutis conuertimus, & concupiſcentiam in ipſis ad amorem diuinum formamus. His autem bene vti motibus, & animales in ſe ſenſus decenter regere, id profectò euehit hominem ad ſupernarum virtutum ſocietatem, & angelicæ dignitatis æqualitatem. Hinc iam in ſeipſo poteſt homo non diſſonas reformare cœleſtibus formas, ſi vita eius ex angelicæ conuerſationis imitatione, velut è ſpeculo tranſlucet. Similes enim ſunt angelis Dei, qui veraciter dicere poſſunt cum Apoſtolo, dum adhuc peregrinaretur in terra: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Has igitur habemus formas tam ex hominibus, quàm ex aliis animatis rebus angelicis ſpiritibus diſtributas, diſſimiliter vt dictum eſt, ſimilitudinibus acceptis, vt mirabilem cœleſtium ordinum diſpoſitionem per reſonantias quaſdam intellectualis pulchritudinis, & per materiales formationes agnoſcamus. Nec ſolùm formas viſibiles ad declarandam nobis cœleſtium diſpoſitionem aptamus, verùmetiam diuinitati eas adſcribimus, quam aliquando quidem ſolem iuſtitiæ, & ſtellam matutinam vocamus, aliquando ex mediis, vt ignem innocuè ſplendentem, & venam aquarum viuentium ei aſſimilamus, aliquando ex nouiſſimis, vt vnguentum ſuaue, vt lapidem angularem ſignanter exprimimus, ſed & beſtiarum illi formam adſignamus, cùm Leonis & Rhinocerotis ei fortitudinem coaptamus, & quod omnium viliùs eſt, is qui ſupra omnia eſt Deus benedictus in ſæcula, vermis ſpecie ſeipſum circumformare dignatus, dicens in David: Ego autem ſum vermis & non homo. His ergo diſſimilibus formationibus honoramus Deum, qui nullam recipit in ſua eſſentia corpoream ſimilitudinem, & mirabilia teſtimonia illius ſcrutantes, tralatis nobis ex ſacris eloquiis, veris vtimur figuris ad declarandum maieſtatis eius potentiam. Nihil ergo inconſequens: ſi & cœleſtes eſſentias ex diſſimilibus ſimilitudinibus reformamus ſecundum dictas cauſas.

E

CAPVT VI.

Qualiter cœleſtes ſpiritus ad Dei ſimilitudinem proportionaliter aſcendant.

IN cœleſtibus itaque ſpiritibus mira eſt ordinum diſpoſitio, & ſuperexcellens ſcientia, & diuina illis eſt actio informata, ſecundùm acceptas illuminationes, quibus porportionaliter in Dei ſimilitudinem aſcendunt. In prima namque conditione ſua ſic diuinæ ſcientiæ donis ſunt illuminati, vt illi cæteris in eadem diuina illuminatione ſint clariores, qui maiorem habent diuinorum ſecretorum cognitionem. Vnde iuxta diſtinctam in illis donationum Dei menſuram, alij aliis in ipſa ordinum diſpoſitione ſunt prælati. Tanta verò charitate illi angelici ſpiritus ſibi ſunt coniuncti, vt quod in ſuo ordine quiſque non habet, hoc in alio ſe habere gaudeat, & quod amplius præ cæteris quiſque habet, hoc in alios minus ſcientia perfectos per indiſruptam charitatis concordiam transfundat. Sic nimirum pura exiſtit angelica natura, nihil in ſeipſa recipiens, quod à ſuo conditore per aliquam diſſimilitudinem diſcordet. Sed ita creatori per vnitam ſimilitudinem cohæret, vt ſibimet indiuiſa concordiæ vnitate confœderata ſit. Lux ergo angelicæ creaturæ de illa inacceſſibili luce Dei talis reſplendens imitatur in omni virtute, in ſcientia, in operatione, artificem omnium ſapientiam. Vnde ad diuinum collata decorem omnis virtus eorum, quæ ſit eius ſimilitudo & vnitas cum Deo, apertè demonſtrat. In Deo quippe viuunt, mouentur & ſunt, à quo & genus per ſimplicem & indiſſolubilem naturæ ſuæ vnionem ducunt. Sic autem de plenitudine Dei gratia in eos redundans, ac ſi è ſpeculo clariſſimo humanæ creaturæ tranſlucet, vt in ipſis ſuis ordinibus angelici ſpiritus à nobis diſcernantur, qui videlicet ex illis plus, quive minus ſapientiæ acceperint, iuxta ipſum ordinis ſui poſitionem, qua alij aliis vicinius Deo adhærent.

F

CAPVT VII.

G

De ter ternis ordinum diſpoſitionibus.

TEr ternas autem eſſe cœleſtium ordinum diſpoſitiones, nullus eſt qui ambigat. In quibus nimirum ordinibus imago ſanctæ Trinitatis ſplendidè lucet, quia videlicet ab ipſa deificæ Trinitatis vna & indiuiſa ſubſtantia ſpiritus creati, in ter ternas ordinum diſtinctiones diſpertiti ſunt, quorum ſimplex & indiſſolubilis eſt natura ab ipſo, qui eſt vnus pater ſpirituum formata. Ter tantum namque impar eſt numerus, à primo imparium numerorum ternario ter ducto multiplicatus. Nam numero Deus impare gaudet, qui parium numerorum ſectionem in ſua Trinitate atque indiuiſa vnitate non recipit. Ipſa itaque cœleſtium ſpirituum agmina in ſuis ordinibus diſtincta, ſecundùm propriam donorum Dei diſtributionem, ſic ſimilitudini eius à quo creati & diſpoſiti ſunt, appropinquant, vt alij ex his ſint qui illuminant, alij qui illuminantur, alij qui perficiant, alij qui perficiantur. Plena namque diuina luminis & perfecta Dei ſimilitudine relucens beatorum ſpirituum concors multitudo, in accepta diuinitus gratia, ita in ſe inuicem ſine defectu redundant, vt per charitatem ſuperiores inferioribus diuinæ illuminationis perfectam charitatem qua irradiantur adminiſtrent. Quæ enim Deo viciniùs adhærent agmina ſpirituum, infra ſe poſitis ordinibus eo modo communicant. Omnis ergo cœleſtium ordinum diſpoſitio in Dei imitationem aſcendens, diuinam in ſe actionem, & Dei imaginem oſtendit relucentem, & ſecundum hoc quod vnuſquiſque ordo ſpirituum remotus aut propinquus Deo aſſuerit, acceptam de plenitudine ſapientiæ Dei gratiam cæteris transfundit. De origine namque ſua, hoc eſt, de fonte omnium bonorum ſuperiora ſpirituum agmina vbertim hauriunt, vnde ſocij ſpiritus, qui illis proximi ſunt ordinis poſitione per contemplationem indeſinenter bibunt. Sic enim illi beati ſpiritus

H


ſimilitudinem

A ſimilitudinem Dei tamquam ſpecula clariſſima recipiunt, ut tamen iuxta ordinis ſui diſpoſitionem alij aliis propinquiores Deo exiſtant. Quamvis verò omni Angelica creaturæ quaſi ſignaculo ſimilitudo Dei impreſſa ſit, unitati tamen eſſentiæ Dei diſſimili quadam ſimilitudine adhærent, ut participatione ſummi boni, boni ſint, & contemplatione lucis æternæ lux ſint.

CAPVT VIII.

De ſimilitudine centri & circulorum.


COngruum proinde videtur, ſi exemplaria inviſibilium, viſibilia conſiderantes, creatori omnium, & his quæ circa ipſum ſunt intellectualibus creaturis, decentem ſimilitudinem accommodemus. Sicut enim B ſtabile atque immobile centrum decenti æqualitate, diſſimili tamen quadam ſimilitudine circulos iuxta ſe poſitos circino modificante ad ſe colligit, & illi quidem qui viciniores eidem centro ſupra orbes, arctiori ſpatio volvuntur, qui vero remotiores, amplius ſuo circuitu dilatantur, ſic quodammodo in cœleſtium ordinum mira diſpoſitione agitur. Increatus namque ſpiritus omnium ſpirituum creator, & ordinum diſpoſitor Deus cœleſtes eſſentias, rationales videlicet ſpiritus in diverſis ordinibus, ac ſi circulos ad ſimilitudinem ſuam, & æquitatem à proximo reſpicientes, ipſe centri more immotus in ſe permanens, circa ſe collocavit. Et primas quidem ter ternas agminum cœleſtium diſpoſitiones in ſummis ſedibus iuxta ſe poſuit, hoc eſt, Seraphin, Cherubin, & thronos. Secundas autem poſt has principales ordinum ter ternas diſpoſitiones continent in cœleſtibus, ſedes item ter ternis diſtinctas ordinibus, quæ ſcilicet dominationibus, virtutibus & poteſtatibus complentur. Tertia verò, quæ & extrema eſt ordinum diſtributio, in tribus conſiſtit, id eſt, in principibus, Archangelis & angelis. Cœterùm ea quæ de centro ac C circulis præmiſſa eſt ratio, ad eaſdem ordinum diſpoſitiones pro ſimilitudine ſpectans, hac ſequenti figura denotatur.



D

DE NOVEM MODIS VOCVM Muſicalium, & novem ordinibus Angelorum.

QVia igitur per novenos ordines angelicæ virtutes diſpoſitæ ſecundùm ſanctarum ſcripturarum vocem laudem ſui conditoris inceſſanter decantant, has ſapientia Dei nobis ad imitandum propoſuit, ut qui hoc in promiſſione habemus, quod Angelis Dei in cœlis quandocunque ſimiles erimus, ſic ad eorum ſocietatem quotidie anhelemus, ut cum ipſis Creatorem noſtrum ſemper laudemus. Hac namque devotione promerebimur non ſolùm veniam peccatorum, E verum etiam conſortium & gloriam Angelorum. Et quoniam omnis ſapientia à Domino Deo eſt, omnium artifex terrenos homines docuit huius artis ſcientiam, ut in modulandis Dei laudibus imitentur novem ordines Angelorum per novem modos vocum. Ita divinæ maieſtati grates immenſas referimus, cuius dignatio cum hymnidicis Angelorum vocibus noſtras admittit voces. Nam iuxta numerum novem ordinum Angelorum, novem ſunt conſonantiæ vocum, quas ſubiecta monſtrat figura, quibus videlicet in laudem Dei omnis cantionum modus contexitur.



F

HIs breviter digeſtis, ad priora unde paululum digreſſi ſumus, redeamus. Seraphin itaque in prima ternarium ordinum cœleſtium diſpoſitione altiſſima ſede locata, tanta Deo vicinitate ſunt coniuncta, G ut nulla ſpirituum agmina inter ipſa & Deum media ſint. Seraphin autem incendentes, ſive calefacientes dicuntur, eo quod incendio divini amoris incomparabiliter ardeant, eique de proximo inſeparabiliter adhæreant. His proximè adiuncta ſunt agmina quæ vocantur Cherubin, quod interpretatur plenitudo ſcientiæ. Incendio quippe divini amoris tanguntur ex adiunctis ſibi ſuperius agminibus. Vnde ex ipſo divini amoris calore pariter & plenæ ſcientiæ lumen ſortiuntur. Prima ergo agmina Seraphin in media ſibique adiuncta agmina Cherubin calorem ex incendio ſui amoris, quo Deum amant, & ſplendorem plenæ ſcientiæ qua Deum cognoſcunt, transfundunt. Media rurſus agmina in ſubiecta ſibi agmina de plenitudine ſcientiæ ſuæ portionem, non minimam tranſmittunt. Proinde pulchrè nominantur Throni agmina ipſa, in quibus ex infuſione ſapientiæ, quam deſuper accipiant, agitur, ut in his Deus ſcientiarum Dominus ſedeat, & per ea iudicia ſua exerceat. Hæc igitur de primorum ordinum ternaria diſpoſitione dicta ſunt. H Paucis namque verbis utimur, cùm de ſecretis cœleſtibus loquimur. Neque enim dignè de his loqui poſſumus, etiam ſi linguis Angelorum loqueremur, quibus datum eſt enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annunciare. Eorum nimirum linguæ ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquuntur veritatem Dei. Sicut enim intrinſecus à Deo Angeli ſancti erudiuntur, ſic de Deo intrinſecus loquuntur. Cæterùm nos veritatem rerum adhuc velut in ſpeculo conſiderantes, interim dum corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio ſenſum multa cogitantem, de viſibilibus inviſibilium rationem colligimus, & per exemplaria verorum extrinſecus accipimus, unde intrinſecus erudimur, & unde extrinſecus loquimur.

CAPVT IX.

LEvemus ergo mentis noſtræ oculum ad contemplandum domus cœleſtis ſtatum, cui creator omnium admirabilem indidit ornatum, in novem ordinibus Angelorum. Ibi profectò intentam mentis aciem defixam habebat anima Prophetæ ſancti, qui dixit: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Domus hæc domus eſt, non manufacta, æterna in cœlis, ad cuius decorem agmina beatorum ſpirituum Deo miniſtrantium & aſſiſtentium, miro ordine diſpoſita ſunt. Alij quippe ex his miniſtrant, alij aſſiſtunt. Illi qui miniſtrant, ad exteriora explenda miniſteria à Deo mittuntur, & tamen contemplationem creatoris ſui non deſerunt, illi aſſiſtunt qui foras non mittuntur. Sed hoc præ cæteris pleniùs in munere acceperunt, ut contemplationi Dei indeſinenter aſſiſtant. Et de illis quidem ſpiritibus qui mittuntur, Apoſtolus dicit: Nonne omnes ſunt miniſtratorij ſpiritus, miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. De illis verò qui aſſiſtunt hoc indubitanter aſſerimus, iuxta ſcripturæ ſanctæ authoritatem quia ſuperiora illa agmina Angelorum exterioris miniſterij uſum non recipiunt, quæ ab intimis nunquam recedunt.

CAPVT X.

ITaque novies diſtincta beatorum ſpirituum agmina, in primas, medias, & ultimas ordinum diſpoſitiones dividuntur. Et quia primas trium ordinum diſpoſitiones præmiſimus, nunc de mediis conſequenter diſſeramus. Sunt namque media ſpirituum agmina item in tribus ordinibus diſpoſita, quæ ſunt Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. Sed quæ ſunt eorum officiorum vocabula exponendo exequamur. Dominari eſt ſubiectos quoſque poſſidere. Vnde illa Angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quod ſibi cætera ad obediendum ſubiecta ſunt, Dominationes dicuntur. Virtutes ſunt illa agmina, per quæ ſigna & miracula frequentius fiunt. Poteſtates ſunt, quibus adverſæ virtutes ſubiiciuntur, & eorum poteſtate refrenantur, ne corda hominum tentando tantum nocere valeant, quantum cupiunt. Hæ nimirum ſunt in officiorum vocabulis proprietates illis ſpiritibus convenientes, quorum mediæ ordinum diſpoſitiones ſunt locatæ inter primorum & ultimorum bis tripartita ſpirituum agmina: Participant verò & iſta media Angelorum agmina, in ſapientia & ſcientia proportionaliter, cum tribus primis & ultimis ordinibus, minus quidem habentia ad primos, plus ad ultimos. Nam ſi omni intellectuali creaturæ commune ſit eſſe participem ſapientiæ ac ſcientiæ Dei, unicuique tamen ad menſuram dat Deus ſpiritum, dividens ſingulis prout vult.

CAPVT XI.

HIs ſanè digeſtis tranſeundum eſt ad ultimas ordinum cœleſtium diſpoſitiones, quæ in tribus choris conſiſtunt, ſcilicet Principum Archangelorum & Angelorum. Quorum officiorum vocabula conſequenter exponamus. Principes itaque vocantur, qui ipſis quoque Angelorum ſpiritibus præſunt, qui ſubiectis aliis dum quæque ſunt agenda diſponunt, eis ad explenda divina miniſteria principantur. Archangeli dicuntur, qui ſumma quæque nunciant. Angeli vocantur, qui minima nunciant. Teſte autem ſacro eloquio, Angeli ex officio dicti ſunt non ex natura. Semper enim natura ſpiritus ſunt. Tunc autem ſolummodo Angeli dicuntur, quando mittuntur. Summa ergo Archangeli nunciant, ſicut Gabriel, qui ſummum omnium in carne venturum, beatæ Virgini Mariæ nunciabat. Quia namque ad debellandas aërias poteſtates fortis præliator veniebat, hunc per Gabrielem, E
qui fortitudo Dei interpretatur, nunciari decebat. Michael autem, qui, quis ut Deus interpretatur, quia cum dracone magno diabolo bellum cōmittens, illius ſuperbiam qua ſe contra Deum exerit, potenti virtute conculcat, nullum poſſe quod Deus poteſt evidenter oſtendit. Raphael medicina Dei dictus, ad effugandum à Sara dæmonium & ad curandos Tobiæ oculos miſſus fuiſſe legitur. Magna ſunt hæc opera Dei Archangelicæ virtutis operatione declarata. Mittuntur etiam, ut dictum eſt, ad minora quæque agenda minores Angeli, quod ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio facilè probari poteſt. Nam Zacharias Propheta in viſione ſua dicit: Ecce Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & alius in occurſum eius egrediebatur, & dixit: Curre & loquere ad puerum iſtum, Abſque muro habitatur Ieruſalem. Patet igitur quod angeli minoris ordinis à maioribus ad minora explenda miniſteria mittantur.

CAPVT XII. F

De diverſitatibus Angelicæ adminiſtrationis.

SVnt & aliæ Angelicæ adminiſtrationis diverſitates, quas paſſim novi ac veteris teſtamenti paginæ continent, per medias ſiquidem cœleſtis militiæ virtutes ſancti patres noſtri viſiones & revelationes acceperunt, & ut notitiam futurorum haberent, iuſſu Dei illuminatores Angeli, Prophetarum oculos revelabant. Nam & lex ſancta per Moyſen data, ordinata eſt per Angelos in manu mediatoris. Sunt etiam ad alia miniſteria ſinguli Angeli deputati. Nam alius Iſraëlitico populo præerat, alius princeps alterius gentis fuiſſe dignoſcitur. Aſt alius excubias, in circuitu caſtrorum Domini obſervans, Ioſue ſtupenti apparebat, ſeque principem exercitus Domini & protectorem fore Iſrael manifeſtavit. Alij ex his poſt Ioſue in diebus populi præſto erant, eiſque in liberatione gentis contra hoſtes auxilium ferebant. Aſt alius virum Mariæ Ioſeph erudiebat, & ne timeret accipere deſponſatam ſibi coniugem, filium David admonebat, ut quod promiſſum fuit David, ratum foret. Alius nato Domino paſtoribus noctu cum lumine apparens, novo G
nuncio exultantem cœleſtis exercitus evocavit multitudinem, clamantem & dicentem, Gloriam in altiſſimis Deo, & in terris pacem annunciantem hominibus bonæ voluntatis. Alius in ſomnis Ioſeph viſus, tyrannidem Herodis declinare, & in Ægyptum fugere illum cum matre & puero præmonuit. Alius item defuncto Herode relationem ex Ægypto fieri pueri Ieſu, eidem nutritio Domini mandabat. Divinis itaque diſpoſitionibus per Angelos adminiſtratis, non ſolùm homines ſubiacent, ſed etiam humani generis conditor & redemptor, Angelorum Dominus, paulò minus minoratus ab Angelis, his ſubeſſe dignatur. Nam cùm factus in agonia prolixiùs oraret, apparuit ei Angelus de cœlo confortans eum. O mira dignatio Salvatoris noſtri. Ipſe namque paternæ voluntatis nuncius, magni conſilij Angelus appellatus, legi, quæ per Angelos ordinata eſt, ſubditus erat, qui legi nihil debebat, quia ſine peccato in mundum natus, ſine pec- H
cato eſt in mundo converſatus. Sed quia ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, ut ſervos peccati in adoptionem filiorum Dei transformaret, purgationem peccatorum faciens, hominem aſſumptum ſupra omnem principatum & poteſtatem in cœleſtibus ad dexteram paternæ maieſtatis collocavit. Sic profectò miro modo actum eſt, ut hominem cœleſtem, quem mundus natura mirante ſuſcepit, iam propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, cœlum reciperet incomparabiliter ſupra omnem angelicam creaturam ſublimatum. Ipſe omnium purgator purgandorum, omnium illuminandorum illuminator, omnium perficiendorum perfector eſt, de cuius capite plenariæ benedictionis unguentum manans, inferioribus largiſſima copia influxit,

omnem

Digitized by Google

A omnem videlicet rationalem creaturam, hoc eſt, angelicam & humanam, mirifica ſuavitate replens.

CAPVT XIII.

Quare cœleſtes ſpiritus univerſaliter Angeli vocentur.

IGitur ſecundùm tripartitas cœleſtium ordinum diſpoſitiones ſupra expoſitis officiorum vocabulis, iam ſcrutari diligentius oportet, ob quam cauſam omnes illi ſupernorum civium ſpiritus, ſuis ordinibus diſpoſiti, & tot nominibus diſtincti vniverſaliter Angeli vocentur. Conſtat quippe quòd inter primas, & medias, & vltimas ſpirituum beatorum diſpoſitiones, ternario numero diſtinctas, illi qui in tertia ternaria collegione agminum extremi habentur ordines, ſpecialiter Angeli nuncupentur. Angelorum namque miniſterio res humanæ propriæ commiſſæ, iuxta Dei ordinationem effectus ſuos conſequuntur. Ipſis verò

B Angelis prælati Archangelici ordinantur ornatus, ſuperque hoc principes & poteſtates, & virtutes, & excellentiores ordines collocantur, ſicut ex divinorum eloquiorum manifeſtatoria traditione cognoſcimus. Per omnem verò ſanctam ſupernorum ſpirituum diſpoſitionem, excellentes quidem ordines habent, à quibus inferiorum ordinum diſpoſitiones illuminantur & perficiuntur. Revelatione namque ſuperiorum agminum inferiores ſpirituum ordines docentur, & quod iſti de donis ſapientiæ & ſcientiæ Dei minus perfectè habent, hoc excellentium ordinum eruditio in his perficit. Non autem eo modo vltimi ordines excellentibus communicant, quia videlicet inferiores ſuperioribus ſpiritibus nihil de Deo annunciant. Angelorum autem nomen ideirco commune eſt omnibus cœleſtium ſpirituum ordinibus, quia omnium eſt manifeſtare occulta Dei his quibus præſunt: Qui autem propriè dicuntur Angeli, hominibus præſunt, hiſque voluntatem Dei annunciant. At ipſis Angelis à ſuperioribus ordinibus

C ſpirituum myſteria revelantur. Cæterum ordo Angelorum extremus non habet rationem, vt excellentiſſimorum ordinum nominibus cenſeatur. Neque enim ordinem extremum thronos Cherubim & Seraphim nominamus. Non eſt quippe vltimus ordo in participatione excellentiſſimorum ſpirituum, ſed ſicut Angelorum agmina extrema, ſanctos homines divinis revelationibus docent, regulis vivendi erudiunt, & ſacerdotes myſteriorum Chriſti diſpenſatores inſtruunt, ſic ipſi Angeli ab excellentioribus cœlorum virtutibus in divinos ſapientiæ fulgores reducuntur, vt à ſuperioribus accipiant, quod inferioribus tradant. Nam omnes illi in quibus habitat Deus interius illuminati, à ſuperioribus lumen ſibi miniſtrari divinorum ſecretorum agnoſcunt, ſicut Propheta Domini in Pſalmo: Et in lumine tuo videbimus lumen.

CAPVT XIV.

D Quod homines ad ſimilitudinem Angelorum in cœtus eorum ducuntur.

SAnè illud advertat vnuſquiſque, qui creatoris ſui beneficia in ſeipſo cognoſcit, eique debitas gratiarum actiones rependere ſatagit, quò meritas dignitates cœleſtium ſpirituum ſortiuntur electi, qui cœleſtem in terris ducunt vitam. Homo quippe ad ruinam apoſtatæ Angeli ſupplendam conditus eſt. De ipſis autem apoſtatis Angelis, ex ſingulis novem ordinibus Angelorum aliquos lapſos eſſe, ſcripturæ ſanctæ teſtimonio affirmatur. Vnde ad inſtaurandum in ſingulis ordinibus numerum Angelorum, qui lapſi ſunt, ſancti & electi homines, ſicut divina providentia diſpoſuit, aſſumuntur. Sunt ergo in hominibus aliqui qui Angelis, ſunt qui Archangelis, ſunt qui principibus, ſunt qui poteſtatibus, ſunt qui virtutibus, ſunt qui dominationibus, ſuntqui thronis, ſunt qui Cherubim, ſunt qui Seraphim, vitæ ſuæ merito annumerantur. Qui intra horum novem ordinum conſortium admitti non

E merentur, hi profectò extra electorum numerum inveniuntur. Qui enim ſocietatem ſupernorum civium aſpici deſiderant, neceſſe eſt vt ad imitationem cœleſtium virtutum, dum adhuc in hac mortali vita peregrinantur, mores & vitam informare ſtudeant. Illi itaque in Angelorum numero computantur, qui minora, quæ de Deo noverunt proximis annunciant, eos ſecum ad cœlorum regnum invitant. Qui verò ſumma & capere prævalent & nunciare, iſti nimirum in Archangelorum numerum currunt. Inter principes cœleſtis ordinis hi merito locum dignitatis habent, qui virtutum prærogativa, etiam electorum hominum merita ſuperant. Qui quoniam & bonis meliores ſunt, electis quoque fratribus ad ſimilitudinem Angelici principatus principantur. Eſt & alius ordo meritorum, quo illi præeminent, qui de obſeſſis corporibus malignos ſpiritus fugant, eoſque virtute orationis, & vt acceptæ poteſtatis eiciunt. Iſti locum meritis ſuis

F congruum, in poteſtatem cœleſtium ordine ſortiuntur. At alij, qui ad ſigna & miracula patranda mira virtute præditi ſunt, in ſorte ſupernarum virtutum computantur. Alij autem ſunt, qui ſic vitiis ac concupiſcentiis in ſemetipſis dominantur, vt ipſo iure munditiæ ſuæ dij inter homines vocentur. Vnde ad Moyſen dicitur: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. Hi itaque, dum tam ſibi & proximis, innocentis vitæ authoritate dominantur, inter dominationes ſatis congrue numerantur. Sunt etiam aliqui, qui dum bene ſibi aliiſque, ſicut iam diximus, dominantur, tam ſublimiter in Dei contemplationem proficiunt, vt non ſolùm ſæcularia, verum etiam Angelos iudicent. Spiritalis enim omnia iudicat, ipſe autem à nemine iudicatur. Quid ergo iſti, niſi throni conditoris ſui ſunt, in quorum cordibus ſedens, iudicia ſua exercet. Et ſunt quidam qui ita dilectione Dei proximi pleni ſunt, vt merito in Cherubim ſortem capiant. Cherubim namque plenitudo ſcientiæ interpretatur. Quibus autem plenitudo ſcientiæ magis ineſt, quam his, quorum corda charitas Dei ac proximi amplius

G replet? Plenitudo enim legis eſt charitas. Qui ergo diligit, legem implevit, & nihil de ſcientia Legis & Prophetarum deeſt. In gemino quippe charitatis præcepto vniverſa lex pendet & Prophetæ. Sunt quoque nonnulli, qui tanto conditoris ſui deſiderio ardent, vt ſola ipſius contemplatione paſcantur, nihil in hoc mundo appetant, terrena cuncta & tranſitoria contemnant, & ad cœleſtia iugiter anhelant. Iſti profectò illorum agminum conſortio digni habentur, quæ Seraphim dicuntur. Seraphim namque incendentes interpretantur. Hæc namque agmina ſpirituum in tantum divini amoris igne ardent, vt proxima Deo exiſtant, nulliſque alij inter ipſa & Deum ſpiritus medij ſint.

CAPVT XV.

H Quod ſuperiora ſpirituum agmina ab intimis non recedant.

HÆc itaque ſuperiora cœleſtium ſpirituum agmina ſunt, ita conditori ſuo ſemper adhærentia, vt ab intimis non recedant & exterioris miniſterij vſum non recipiant. Quod cum ita ſit, quæri ſolet, quid illud ſibi velit quod Eſaias dicit: Volavit ad me vnus Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum. Vt quid ergo ad purganda prophetæ labia Seraphim miſſus fuiſſe dicitur? namque cum ſit ex ſuperioribus agminibus, vt dictum eſt, non mittitur ad exteriora, quia in intimis manet. Verum, id potius intelligendum eſt, quod ex inferioribus ordinibus Angelorum qui nobis præſunt ad purgationem, prophetæ aliquis miſſus ſit, qui eorum ſpirituum nomine vocatur, quorum officio fungitur. Nam ad hoc miſſus eſt, vt per ignitum eloquium Dei, peccata labiorum in propheta purgaret, qui dixit: Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſũ. Mittitur ergo Angelus æquivocatione Seraphim

vocatus, qui purgatis prophetæ peccatis, divini amoris calore, per ignitum eloquium Dei mentem eius excitaret, ad obediendum ipſius voluntati, cuius verba audivit dicentis: Quem mittam? Et quis ibit nobiſcum? Ecce ego, inquit, mitte me. Conſtat ergo vnum ex Seraphim ad Prophetam miſſum, non ſummam videlicet ex his quæ circa Deum collocatæ ſunt virtutem aliquam, ſed ex miniſtratoriis aliquem ſpiritibus, qui propter nos mittuntur ad purificationem noſtram. Quo circa conſiderare nos oportet, quomodo divina virtus in omnia veniens implet, & cum ipſa omnia capiat, nihil eam capiat, licet ipſa per maieſtatis ſuæ præſentiam vbique tota ſit. Nam neque cœli cœlorum eam capere prævalent. Quomodo ergo non vbique eſt illa divina virtus, quæ omnia potenter creat, ſapienter exornat, benigne regit? Sic tamen vbique divina maieſtas eſſe creditur, vt cum ſit vna & indiviſa omnium eſſentiarum eſſentia, in omnes eſſentias ſic bona ſua dividat, vt de participatione ſummi boni: quod ipſa eſt aliis plus, aliis minus conferat, ſicque in omnibus creaturis inviſibi quodam & ineffabili modo, occultas quaſdam operetur virtutes. Verum ipſa divina claritas in omnibus & præ omnibus rationali creaturæ lucet, ſuamque propriam illuminationem primis ingerens eſſentiis, angelicæ videlicet creaturæ, per eam ſe bene & ornate diſtribuit, ſecundum vniuſcuiuſque menſuram, qua ipſa cœleſtium ſpirituum agmina diſpoſita, in Dei contemplationem proportionaliter aſcendunt. Sed de his per propria exempla, quamvis cuncta in Deo deficiant exempla, & ipſe ſolus ſine exemplo ſit, breviter aliqua dicamus. Videmus ſolis ſplendorem eſſe indiviſum, ipſumque ſolem de ignea ſubſtantia ſua, calorem ſimul & ſplendorem indiviſa quadam vnitate in ſubiecta emittere. Attamen ſolaris radij quaſdam diviſiones conſpicimus per feneſtras domus interiora penetrare, ſed intra domum ita dividuum lumen collectum, vt diſcerni nequeat ſparſa introrſus lux, quæ per ſingulas feneſtras diviſim & diſſimiliter illabitur. Poteſt quippe fieri, vt vna è feneſtris perlucidum vitrum habeat, & ideo per capaciorem luminis materiam copioſior lux ſolis ſe tranſfundat. Craſſiorem vero aliquam materiam alia feneſtra continet, quæ obſcuriorem lucem in interiora tranſmittit. Iterum, ignis caliditas magis ſeipſam in capaciora ſuæque ſimilitudini convenientia diſtribuit. In contrarias vero ſibi eſſentias, ipſa naturaliter non admittit calorem, ſed ad ea quæ cognatam habent caliditatem, coniungitur, vtpote cum ea quæ naturaliter ſunt calida, cum maiorem ex igne acceperint calorem, amplius fiunt [illegible], & per hæc quæ frigida ſunt ex natura proportionaliter calefiunt. Secundum hanc naturalis ordinationis rationem omnium naturarum creatrix & illuminatrix divinitas, primam ac maximam charitatem ſuam copioſiſſima effuſione excelſiſſimis ſpiritibus, ſibique vicinius adhærentibus, ſeque de proximo contemplantibus manifeſtat, & per eos quæ poſt eos ſunt Spirituum ſanctorum agmina, divino participant radio. Excellentiſſime namque virtutes cœlorum proximæ Deo & primæ, cognoſcentes Deum, & divinam ſuperexcellenter ſemper deſiderantes virtutem, ita operantur in omnia quæ Dei ſunt, vt ſimillima virtute & actione Deum imitentur. Ipſæ vero ſummæ virtutes angelicæ poſt ſe ordinatas beatorum ſpirituum eſſentias, ad eam quæ in ſe largiſſime diffuſa eſt ſimilem virtutem & conformationem Dei extendunt, copioſe ipſis [illegible], ex ea quæ ſupervenit in eas claritate, & illæ [illegible] acceptam claritatem ſubiectis, & per ſingulas [illegible] ei quæ eſt poſt eam tradit. Prælati ſunt namque [illegible] ſpiritibus & à prælatis in ſubiectos ordines di[illegible] ac ſcientiæ lumen proportionaliter per[illegible]. Eſt ergo cunctis ſimul cœleſtium ſpirituum agminibus illuminatis, principium illuminandi Deus. [illegible] natura vere ac proprie luminis æterna eſt eſſentia, eſſe autem ab illo, & videre ſemper [illegible], hoc primi poſt illum angelici ſpiritus habent proprium, qui conformes ac ſimiles Deo permanent. Ergo omnes cœleſtium virtutum eſſentiæ ſupra ſe collocatam primum ordinum Angelorum diſpoſitionem nitantur habere principium omnis ſacræ & divinæ ſcientiæ, & divinæ imitationis, & per illam divinæ ſapientiæ & ſcientiæ illuminationem ſibimet cognoſcunt, fore diſtributam. Hinc eſt quod omnem præclaram divinæ virtutis operationem ad Deum quia admirandæ operationis cauſa principalis eſt referunt, deinde ad primos cœleſtium agminum ſpiritus tanquam operatores divinorum & magiſtros. Denique cum de omnibus angelicis virtutibus Deo in Pſalmis canamus; qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam ignis, tamen illi ſuperiores cœleſtium ordinum Spiritus, magis ſimul omnibus, igneam habent in ſua natura proprietatem, & effuſam in ſe divinæ ſapientiæ ampliorem copiam & ſedium excelſarum proprietatem, eminentiorem in eis gloriæ dignitatem ſignificantem. Sed inferiorum ordinum ſpiritus igneam divini amoris virtutem, & divinæ ſapientiæ ac ſcientiæ illuminationem à ſuperioribus ſuſcipientes, per præpoſitarum ſibi virtutum illuminationem in Dei aſcendunt ſimilitudinem. Ex his igitur adminiſtratoriis ſpiritibus, qui propter nos miſſi ſunt, vnus excellentiſſimus Seraphim æquivoce iunctus, ab eis incentivam virtutem accepit, quam ad purgationem Prophetæ, vt ſupradictum eſt, exhibuit. Sic pulchre ſupernarum virtutum officia ſunt diſpoſita, quomodo etiam Eccleſiaſticæ diſpenſationis adminiſtrationes conſtat eſſe ordinatas. Ab ipſa namque Apoſtolica ſede, quæ eſt omnium Pontificalium ſedium prima, mittitur legatus aliquis, cui poteſtas datur, authoritate ſedis Apoſtolicæ, per omnia vti in eos quos miſſus eſt. Sed & aliud pro exemplo ponamus. Summus ſacerdos & verus pontifex Dominus Ieſus Chriſtus expiato ſemel ſuo ſanguine mundi piaculo, ingreſſus in ſancta ſanctorum, hoc eſt, in ipſum cœlum, quotidie per ſuos miniſtros aut ſacerdotes, cum purgant purgandos per pœnitentiã, cum illuminant, illuminandos per ſalutarẽ doctrinam, ipſe dicitur purgare eos & illuminare, qui eſt author totius purgationis & illuminationis. Omne namque quod eius miniſtri agunt, ipſius donum eſt, qui per eos operatur, de cuius munere acceperunt. Pro Chriſto enim legatione funguntur, Deo exhortante, purgante, ac illuminante per eos. Quorum vnus, ſummi videlicet Sacerdotis vicarius, ad eos ad quos purgandos & illuminandos miſſus eſt, ait; Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.

E

F

G

C A P V T XVI.

INter hæc ſane illud quoque memoratu dignum videtur, quod item de Seraphim, prædicto Prophetæ nulla viſione admirabili, qua ad contemplanda ſecreta cœleſtia, rapiebatur, oſtenſum eſt; Vidi, inquit, Dominum ſedentem ſuper ſolium, & elevatum, & plena erat omnis terra maieſtate eius, & ea quæ ſub ipſo erant, implebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: Excelſum & elevatum eſt ſolium Dei, quia ipſe immotus permanens in ſeipſo, altiſſimam ſedem quietis poſſidet, cui eſt eſſe principaliter omnia, à quo exiſtendi initium habent omnia. Non enim eſſent, niſi eſſentiam ex principio aſſumerent. Exiſtentia igitur omnia eſſe eius participant, qui ſolus veraciter eſt, quia ſine initio, & ſine fine æternaliter eſt. Vnde quia ſolius divinitatis eſt æternaliter eſſe, bene ad Moyſen dicitur; Ego ſum qui ſum. Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos; Et plena erat, inquit omnis terra maieſtate eius. Deus namque per ſuæ maieſtatis præſentiam vbique totus eſt, cuius potentia omnem immenſitatem rerum producit, in cuius ſapientia decor creaturarum ſubſiſtit, cuius divinæ bonitatis omnem nobis vtilitatem ex ipſis creaturis adminiſtrant. Et ea quæ ſub ipſo erant,

Quæſtio de Seraphim.

replebant

A repl bant templum. Sub ipſo ſunt anima cœleſtium ſpirituum ordinata, hoc eſt, in ter ternas, vt ſupradictum eſt, ordinum diſpoſitiones ſegregata Replebant nimirum templum quæ ſub ipſo ſunt; quia ipſas angelicas virtutes præſides quondam templi Iudaici fuiſſe conſtat. Sed cum gens perfida tempus viſitationis ſuæ non recognoſcens redemptorem ſuum in necem tradidiſſet, in ipſa paſſione eius quando velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum, earumdem angelicarum virtutum voces in templo auditæ ſunt dicentium; Tranſeamus de his ſedibus. Tranſierũt igitur de illis ſedibus Domini, ut relinqueretur Iudaico populo domus eorum deſerta. Tranſeuntes autẽ à templo ſynagogæ, ad templum Eccleſiæ de Gentibus collectæ, migrauerunt. Eſt enim hoc templum per totam mundi latitudinem conſtructum, in quo cœleſtes virtutes ad explenda miniſteria ſua pro ſalute hominum ſolennes agunt excubias. Quæ ergo ſub ipſo ſunt, replent templum, quia B ſubiecta Deo Angelorum miniſteria imitatione ſupernarum virtutum complent Eccleſiæ ornatum, cum pro ſimilitudine cœleſtium ſpirituum converſatio agitur electorum adhuc in terra peregrinantium. Replent, inquam, Eccleſiæ templum quædam ſimiles cœleſtium ordinum diſpoſitiones, quia nimirum dignitates cœleſtium, meritis adſcribuntur terreſtrium. Denique, ſicut ſupra dictum eſt; Diverſi ordines hominum ſunt, ſecundum diverſos ordines Angelorum. Quia enim tanta ad cœlum aſcenſura eſſe creditur multitudo hominum, quanta multitudo remanſit angelorum: ſupereſt, vt ipſi quoque homines, qui ad cœleſtem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc revertentes, imitentur. Alij enim ex hominibus merito inter Angelos computantur, alij inter Archangelos numerantur, alij in principatuum, & poteſtatum numero adſcribuntur, alij inter virtutes & dominationes ſortem accipiunt, alij inter thronos & Cherubim conſortium habere merentur. Vbi vero præmiſſum eſt, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum, mox ſubiungitur. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alteri. Seraphim, quia incendentes dicuntur, geminæ C dilectionis; Dei videlicet & proximi ardorem deſignant. Et quia excellentiorem eſſe viam charitatis, teſte Apoſtolo, didicimus, recte ſupra cæteras angelicas virtutes Seraphim collocata fore memorantur, qui nimirum virtutib. vniverſis eminet charitas. Seraphim ergo ſtant ſupra templum, quia charitas qua nos Chriſtus dilexit, & qua nos invicem debemus diligere, ſanctæ Eccleſiæ faſtigium eſt, quo pertingit ad alta cœlorum. Sex autem alis velantur Seraphim, quia omnium bonorum operum perfectio in charitate conſiſtit. Senarius namque numerus perfectus eſt, & perfectionem boni operis inſinuat. Hinc eſt quod ſex diebus operatus eſt Deus omne opus ſuum. Sex ergo alæ vni, & ſex alæ alteri, quia in vtroque teſtamento, veteri ſcilicet ac novo, perfectio operum Dei prædicatur, & charitas perfecta commendatur. Duabus alis caput velabant, & duabus pedes contegebant, mediis vero inceſſabilem ad volandum motum oſtendebant. Et de primis quidem alis quæ caput velabant, hoc intelligendum, quod illi beati ſpiritus certos fines in contemplatione divinitatis, quæ ſine initio eſt, non D excedant: nec ad ſuperbam & audacem, & impoſſibilem divinæ maieſtatis ſcrutationem, ſupra menſuram ſuam ſe extendunt: Hoc eſt namque quod apoſtatam angelum de faſtigio Angelicæ dignitatis eiecit, quia Deo paria ſentire ſuperappetebat. Aſcendam, inquit, ſuper altitudinem nubium; & ſuper aſtra cœli leuabo ſolium meum, & ero ſimilis altiſſimo. Similiter & pedes contegunt, duas protendentes alas Seraphim; vt ſe ad finem attingere videndo non poſſe manifeſtent. Sola quippe Dei ſapientia quæ ex ore altiſſimi prodiit, attingit à fine vſque ad finem fortiter, diſponens omnia ſuaviter. Creatura rationalis ſic in ſuis ordinibus ordinata eſt, vt alij aliis ſpiritibus ex contemplatione divinitatis amplius illuminentur. Vnde beata Seraphim proximè Deo collocata. Quamvis quicquid poſſibile eſt, rationali creaturæ in Dei contemplatione videre, totum videant, tamen ſupra infraque terminis ſuis coerceantur, ne extra ſe in infinitum progrediantur. E Cæterum in mediis alis continuum videntur monſtrare motum, quo multam divinorum ſecretorum viam celerrimo ſpeculationis volatu penetrant, vbi de inviſibilibus Dei multa quæ ab aliorum intellectuum oculis remota ſunt, intuitu perſpicaciſſimo vident. Altiſſimas ergo cœleſtium agminum eſſentias, ſic ad altiora contemplanda ſupereſſentialis divinitatis eſſentia ſemper inducit, vt eas ad manifeſtandam ſubiectis agminibus divinorum ſcientiam reciproco volatu reducat.

F

DE DOMO DEI

LIBER V.

CAPVT I.

MVltis variiſque locutionum modis locutus eſt Deus aliquando per Angelos, aliquando per internam inſpirationem Prophetis ſanctis ſecreta cœleſtia, qui ſuo figuris & ænigmatibus occultauerunt alta Dei myſteria. Nouiſſimis vero temporibus tanquam poſt aſtra matutina, Sol iuſtitiæ mundo exortus, quæ ſub figuris latebant in lucem veritatis manifeſtauit. Ipſe namque illuminans quæ in tenebris ſunt ſplendor paternæ gloriæ appellatur, lumen de lumine vocatur, in cuius lumine cœleſtis ſapientiæ lumen intuemur. Vnde cœleſtium eſſentiarum lucem, hoc eſt, Angelicam naturam in tot ordinum diſpoſitiones diſtinctam limpidius ſpeculantes, ex ipſis divinæ ſapientiæ theſauris ea quæ accepimus, incunctanter proferimus. Primo omnium creata eſt Sapientia, ſicut divinum ait eloquium alia eſt Sapientia non creata, ſed genita: alia G creata quidem, ſed non genita. Sapientia à Deo patre genita, non creata, Dei filius eſt, Sapientia primo omnium creata, hoc eſt primo dignitatis loco poſt Deum poſita eſt Angelica natura. Quæ nimirum Sapientiæ nomine convenienter exprimitur, quia in eius creatione artifex ſummus mirificæ artis ſuæ induſtriam declarauit. Imaginẽ quippe Sapientiæ ſuæ principaliter in hac excellentiſſima rationali creatura expreſſit, eique de proximo ſapientiæ ſuæ radios infudit. Sic namque ordinata ſunt, vt ſupra dictum eſt, cœleſtium ſpirituum agmina, vt à nouiſſimis vſque ad ſummos ordines, proportionali quadam divini luminis diſtributione, illi beati ſpiritus æterni luminis contemplentur claritatem. Transfuſa ſiquidem in eos inexhauſta divinæ Sapientiæ copia, ſic ad Deificæ claritatis provehuntur ſpeculationem, vt & vna charitas omnes æqualiter aſtringat, & tamen extrema agmina mediis, media ſummis, inæquali munerum divinorum collatione communicent. Proinde trium ornatum ſuperexcellentium agminum in tribus ordinibus diſpoſitum, fidei oculis contemplemur, ac fidei intelligentiam dante, H ſecundum quod divinorum eloquiorum authoritas docet, de ſecretis cœlorum, quantum fas eſt diſſeramus. Oportet namque vt occulta ſcire cupientibus, authoritas ianuam aperiat.

CAPVT II.

PRimum itaque videtur nobis à radice res aperienda. Inſinuare quippe debemus, & probabili diffinitione determinare, qui ſint illi inviſibiles ſpiritus, quorum habitatio eſt in cœleſtibus, quorum infinitus eſt numerus, inter ternas ordinum diſpoſitiones ſegregatos. Angelicus ſpiritus; eſt ſubſtantia incorporea,

Quæ ſe … hoc & q… alium

inviſibilis, ſenſibilis, rationalis, intellectualis, immortalis. Et bonorum quidem Angelorum ſubſtantia eſt lucida & impaſſibilis. Verum, de rebus viſibilibus colligimus indubitanter eſſe inviſibilia, quia nimirum ea quæ videntur, exemplari & umbræ deſerviunt eorum, quæ non videntur. Vnde vas electionis, in quo Chriſtus loquitur, rerum viſibilium & inviſibilium quandam cognitionem nobis inſinuans, ſic aſſerit, inviſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur. Omnia vero quæ ſunt, aut ſenſibilia ſunt, aut inſenſibilia. Et in his omnibus, quædam quidem à ſeipſis motum habent, quædam aliunde. Quæ à ſeipſis motum habent, ſenſibilia ſunt, quæ aliunde inſenſibilia. Sed unde inſenſibilia tam certam ſui motus legem ſervarent, niſi quædam virtus inviſibilis, rationalis, ac intellectualis ea moveret. Conſtat ergo ſolem & lunam & ſidera, cæteraque mundi corpora irrationalia & inſenſibilia, quæ per ſe non moventur, Angelico miniſterio moveri. Similiter ventos, pluvias, grandines, fulgura, tonitrua, tempeſtates, & totam mundi molem, per Angelica miniſteria regi nemo dubitet. Igitur, conſtat Angelos vere eſſe, quæque à nobis abſcondita ſunt, in Dei luce videre, & quæ à nobis ignorantur, indubitanter ſcire. Hæc in argumentum fidei de viſibilibus & inviſibilibus dicta, ſufficiant. Nunc ad propoſitum redeamus, & de ordinibus cœleſtium ſpirituum quæ reſtant dicamus.

CAPVT III.

SVperior huius operis textus breviter explicat cœleſtium ſpirituũ cognominationes, quibus nimirum declaratur, ſingulos Angelicorum agminum ordines, quandam deiformem habere proprietatem. Et quidem ſanctam Seraphim nominationem, Hebræorum ſapientes, aut incendentes, aut calefacientes interpretati dixerunt. Cherubim vero multitudinem ſcientiæ, aut fuſionem ſapientiæ, Thronos autem oculoſos, aut pennoſos ordines nominant. Trinum hunc ornatum, quaſi unam æque ordinatam, & vere primam ſupercœleſtium eſſentiarum diſpoſitionem eſſe conſtat, quia non eſt alia Deo ſimilior & divinis illuminationibus præclarior, ac divinæ contemplationi intentior. Porro, proprietas ſingulorum ordinum diſtinguenda eſt. Prima cœleſtium ſpirituum agmina, ordinem habent omnibus altiorem. Hæc circa Deum immediate collocata, Primo, operatricem divinitatis virtutem declarant, & revelationes divinorum ſecretorum in proximam ſibique coniunctam ordinum diſpoſitionem principalius deferunt. In hoc ergo ſecundo ordine, poſt prima Seraphim agmina, Cherubim ſunt collocata, quæ ab excellentiſſimis eſſentiis ſanctificantur, cum de proximis ſpirituum agminibus & multitudo ſcientiæ & plenarie funditur eis donum ſapientiæ. Calefacientes ergo nominantur & throni, & fuſio ſapientiæ, deiformis habitudinis ſuæ nomine manifeſtant. Omnibus vero mobiliores ſunt Seraphim, & calidiores & acutiores circa divina ſemper verſantes, & ea inceſſabiliter contemplantes. Et quia in Dei amore præ cæteris fervent ardentius, ordines ſpirituum iuxta ſe poſitos ad ſui imitationem adducunt, eoſque in actione virtutis ſibi conformant. Recalefaciunt quippe & eſuſcitant in ſimilem ſibi calorem, vicina ſpirituum agmina. Habent namque luciformem & illuminativam proprietatem omnem ignorantiæ caliginem propulſantem, tenebras perſequentem, & ea quæ in tenebris ſunt manifeſtantem. Ipſis vero Cherubim agminibus, cognoſcibilis eſt ſuperexcellens illa divinæ maieſtatis claritas, quia his proprium eſt Deum in his videre, & latiſſimam luminum dationem ab his accipere, atque in eis contemplari primam operatricem virtutem divinæ pulchritudinis. Nam divinæ ſapientiæ traditione ſunt repleta, & ideo plenitudo ſcientiæ vocata. Communicant namque copioſe cum adiunctis ſibi ſuperioribus ſpiritibus fuſioni donatæ ſapientiæ, tranſmittunt vero ad thronos plenæ acceptam illuminationem ſcientiæ. Throni quippe, in quibus Dominus ſedere dignoſcitur, per quos etiam iudicia ſua exercet, recte ſcientiæ virtute præditi eſſe memorantur, ut nihil eos in cauſis examinandis lateat. E

CAPVT IV.

De ſtatu primæ diſpoſitionis Angelicæ.

SVmmorum itaque ſpirituum ordines trino ornatu præfulgentes, primarum ſedium celſitudine compacti, & adunati, ab omni ſubiectione ſunt alieni, utpote circa illum qui eſt altiſſimus ſolus, totis virtutibus incommutabiliter & ſtabiliter collocati. Primæ namque poſt Deum iſtæ ſunt eſſentiæ, quæ proximo loco poſt Deum collocatæ, & veluti in veſtibulis ipſius ordinatæ, omnem ſunt inviſibilem & viſibilem ſuperexcellentes factam virtutem. F Sciendum eſt puras eas eſſe, non ut immundis maculis, ſeu inquinationibus liberatas, neque ut materialibus phantaſiis exemptas, ſed ut omni ſubiectione mundas, & cunctis Angelicis ordinibus altiores. Nam ſecundum excellentiſſimam ſui puritatem, omnibus Angelicis virtutibus ſupercollocatæ, & proprio per ſe motu, & eodem motu, iuxta quod cunctis calore divini amoris ſunt mobiliores, velocius præ cæteris ac ſubtilius in contemplationem ſummæ Trinitatis ac ſimplicis Deitatis irreverberato intuitu recipientur. Communicant ergo iſtæ altiſſimæ cœlorum virtutes altiſſimo, quæ ſpeciali hac gratia dignæ factæ ſunt, ut Domino Ieſu propius aſſiſtant, & maieſtatis ac ſcientiæ ipſius lumen immenſum principaliter intueantur. Vnde divinitatis & humanitatis eius myſteria maxime ab his cognoſcuntur. Sunt namque prima & ſupereminenti deificatione repletæ, ſecundum excellentiſſimam, quantum in Angelis eſt, divinorum operum ſcientiam. Non enim per alias eſſentias, ſed ab ipſa divinitate ſanctificatæ, in ipſam immediate extenduntur, omnes, ſupereminenti ſcilicet virtute & ordine, & ad contemplationem immaterialis, G & inviſibilis pulchritudinis, quantum fas eſt adducuntur, divinorum operum cognoſcibiles rationes, ut primæ, & circa Deum conſiſtentes eſſentiæ ſciuntur. Ab ipſo ſiquidem perfectionis principe excellentiſſime ſanctificatæ ſunt eſſentiæ.

CAPVT V.

Quod alij ab aliis ſpiritibus erudiantur & alij aliis præſint.

HOc ergo divina eloquia aperte declarant, ſuperpoſitas quidem cœleſtium eſſentiarum diſpoſitiones, eas, quæ poſt ſe poſitæ ſunt virtutes erudire deificas ſcientias, omnium vero altiores ab ipſa deitate, quantum fas eſt, doctrinis illuminari. Quaſdam enim earum introducunt à prioribus eruditas Dominum eſſe cœleſtium virtutum, & regem gloriæ in cœlos humanitus receptum. De his quippe Propheta commemorat; ubi ſuperiores Angelicæ virtutes regem gloriæ in humanitate glorificata cœlos aſcendere videntes, principes cœlorum alloquuntur. Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. H At ipſæ minores Angelorum poteſtates cœli ianitores, nondum plene ſibi cognitam aſcendentis gloriam à ſuperioribus diſcere cupientes, interrogant: Quis eſt iſte rex gloriæ? Quibus de ſuperioribus reſpondetur; Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Quædam vero Angelicarum virtutum apud ipſum Ieſum quærunt, & ab eo divinæ actionis eius ſcientiam diſcunt. Quas nimirum ipſe redemptor noſter rex Angelorum, nullis aliis ſpiritibus mediantibus ſpecialiter docet, prælargiens eis manifeſte humanam ſuam benignitatem. Nam cum poſt triumphum paſſionis ſuæ, iam poneret nubem aſcenſum ſuum admirantes interrogant: Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? Quos benigne docens ipſe

A ſubiungit: Ego qui loquor iuſtitiam, propugnator ſum ad ſaluandum. Quare ergo, inquiunt, rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Adhæc ille; Torcular, inquit, calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Oſtendunt autem nobis virtutes angelicæ quod à ſuperioribus ſuis diſcant, & Deificam ſcientiam appetant. Nonne ergo prima cœleſtium ordinum diſpoſitio ab ipſa Deitate ſanctificata, multo lumine ſcientiæ purgatur, illuminatur & perficitur, omni quidem imminutione pura, vtpote divina ſapientia conſummata, & primi luminis plena, participans primo Deitatis cognitionem, eámque cæteris perfectius poſſidens. Quarum nimirum purgatio, illuminatio, & perfectio eſt perfectæ ſcientiæ proportionaliter eis collata donatio. Ignorantia quidem purgatur in eis ſecundum inditam ſcientiam, illuminatur autem quicquid ineſt ignorantiæ
B per divinam cognitionem. Nam per clariſſimam illuminationem prius purgantur, vt conſequenter in excellentiſſimam Deitatis contemplationem rapiantur. Semper enim in Deum deſiderant proſpicere. Perficiuntur autem multo divinæ ſcientiæ lumine, vt ſine defectu continuum habeant in Dei viſione profectum. Alioquin deſiderium eorum, quo Deum inceſſanter deſiderant videre, non ſatiaretur. De perfecta vero beatitudine minus aliquid haberent, niſi ſatiarentur. At ipſa ſatietas, ne pœnalis eis ſit, ſic ſatiatur eorum deſiderium, vt tamen indeſinenter ſatiari deſiderent. Sicut enim in nobis corporalium ciborum ſaturitas faſtidium parit: Sic in beatis ſpiritibus viſionis Dei ſatietas, deſiderium contemplationis auget. Hæc ergo eſt prima cœleſtium ordinum diſpoſitio, quæ in circuitu Dei indeficienti lumine ſcientiæ plena reſplendens, nullis aliis ſpiritibus inter ipſam & Deum mediis, divinam contemplatur maieſtatem. Ipſa ſimpliciter ac inceſſanter circumiens æternam Dei ſcientiam ſecundum excellentiſſimam ſuarum ſedium collocationem, multas & beatas pure videt contemplationes,
C ſimplo videlicet & immediato fulgore divinæ ſapientiæ illuminata. Multa ergo communione Dei & cooperatione digna effecta, laudes Dei inceſſabiliter decantat, & magnificentiam gloriæ ſanctitatis eius loquitur. Cuius laudes divina eloquia nobis aperte declarant, ſicut in Prophetarum libris legentibus patet. Vnde Ezechiel Angelicas laudes, tanquam vocem commotionis magnæ audit poſt ſe intonantem; Benedicta gloria Domini de loco ſuo. Eſaias quoque in ſecretis cœleſtibus auditas, tradit nobis hymnidicarum vocum ſuavitates. Namque ſumma ſpirituum agmina ſine ceſſatione ſunt dicentia; Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus ſabaoth, pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Hæc itaque de laudibus ſummorum ſpirituum divina revelatio, his qui in terra ſunt, tradidit, ad excitandas videlicet mentes terreſtrium ad amorem cœleſtium: vt ad illam cœleſtis patriæ manſionem, toto deſiderio anhelemus, ubi ſunt hymnidici chori
D Angelorum, ubi ſonant iugiter organa ſanctorum, quemadmodum in Pſalmis canimus; Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

CAPVT VI.

De media ordinum diſpoſitione.

IN Geneſi legitur; Factum eſt firmamentum in medio aquarum, ut diuidat aquas ab aquis, aquas ſcilicet quæ ſub firmamento ſunt, ab aquis quæ ſuper firmamentum ſunt. Arbitramur ſenſum hominis rationalem firmamentum eſſe in medio infimorum & ſummorum, hoc eſt, in medio cœleſtium & terreſtrium poſitum, ut diuidat aquas ab aquis, ut diſcernat ſcilicet divinam & humanam ſapientiam, vt diiudicans carnalia & ſpiritalia, à carnalibus mentem abſtrahat, & ad ſpiritalia contemplanda evolet. Debet ergo homo per iudicium rationis & ea reſpuere quæ videntur, illa vero appetere quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. Attamen ea quæ videntur, in vſum contemplationis ſumimus, ut ex his illa quæ non videntur, cognoſcamus. Inviſibilia enim à creatura mundi, per ea quæ facta, ſunt intellecta conſpiciuntur. Intelligamus ergo inviſibilem novem ordinum cœleſtium diſpoſitionem, pro firmamento ſuam habere medietatem, ſicut in hac viſibili mundi fabrica inferiores & ſuperiores aquæ ſuum habent medium quod eſt firmamentum. Vt enim perfectius ac firmius conſtaret divini operis decus, quod in Angelica creatura ſimilitudinem Deificæ Trinitatis continet, triterni ordines Angelici ſic ſunt diſpoſiti, vt medij in tribus choris dominationum ſcilicet atque virtutum & poteſtatum, ſuperiora & inferiora quadam muſicæ cœleſtis conſonantia iungantur, & media ſuperioribus & inferioribus proportionali habitudine reſpondeant, divinæ purgationis, & illuminationis, perfectionis modos à ſuperioribus accipientes, & inferioribus ad menſuram tradentes. Prima ſiquidem ad media, media vero ſpirituum agmina ſe inferius ad proxima extendunt. Eodem modo in prima, ſecunda, & tertia, ternaria ordinum diſpoſitione agitur, quia nimirum ſingulæ ternariæ diſpoſitiones in tres ſingillatim ordines diviſi, medios habent ordines, qui ſic ſuperiores ſibi in ſcientia & virtutis actione imitantur, vt inferiores ſibi cohærentes ſimul et imitatione ad ſuperiorum contemplationem & æmulationem reducant. Profecto convenire his ordinibus videntur quidam gradus comparationis, quibus Grammaticæ artis periti in nominibus utuntur, vt videlicet alij ex ipſis poſitiuo gradu ſint perfecti doctrina. Alij comparativo gradu perfectiores. Alij ſuperlativo perfectiſſimi, alij per divinam illuminationem lucidi, alij lucidiores, alij lucidiſſimi, alij ab omni ignorantia purgati, alij purgatiores, alij purgatiſſimi. Sic ergo cœleſtium ſpirituum ordines diſpoſiti ſunt, vt prima agmina ab ipſa divinitate immediate doceantur, ſecunda vero à primis erudiantur, extrema per media illuminationem doctrinæ percipiant. Hoc nimirum in Propheticis eloquijs habetur expreſſum. Nam cum divina providentia habitatores Ieruſalem peccatis exigentibus inimicis ſuis tradidiſſet, & Babylonico regi ſubdidiſſet, vt erudiret Iſrael, & eruditum corrigeret, correctumque ad terram ſuam reduceret, iam ſeptuageſimo inſtante anno, qui erat propitiationis annus, Zacharias unum ex primis Angelis qui Deo proximi ſunt, & ab eo immediate docentur, audivit dicentem Domino; Vſquequo Domine non miſereberis Ieruſalem & urbibus Iuda quibus iratus es, iſte iam ſeptuageſimus annus eſt. Et reſpondit Dominus Angelo qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria. Et ſubinfert; Et ecce Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & alius Angelus in occurſum eius egrediebatur, & dixit ei; Curre & loquere ad puerum iſtum. Abſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius, & ego ero murus ignis in circuitu eius, & in gloria ero in medio eius, dicit Dominus exercituum. Ecce à Deo accipit vnus ex primis Angelis quod ſecundo dicat, & quod ſecundus tertio annunciet. A ipſo namque Dei verbo primis ſpirituum agminibus dictio informatur, à medijs dictio auditur, audita vero per medios inferioribus nunciatur. Hinc Ezechiel quoque viſione cœleſti edoctus miri ordinis miniſterij Angelici differentias deſcribit. Denique cum peccata populi ſui Deus punire decreviſſet, & innoxios à noxijs ſecernere manifeſto indicio voluiſſet, contemplatur idem Propheta vnum de prioribus Angelis, qui alium ſibi ſubiectum mittit ſignare Thau in frontibus innoxiorum virorum. Alijs autem dicitur; Exite per eum, per mediam civitatem, & percutite, & nolite parcere. Super quos autem videritis Thau, illos perimere nolite. Aſſumpta enim dicit, gloria Domini à Cherub: & vnum de ſuperioribus illis ſpiritibus, quibus Dominum ad exercenda iudicia ſua præſidet, aſſer-

A Propheta; iubere illi qui indutus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris habebat ad renes, & dicere; Tranſi per mediam civitatem Ieruſalem, & ſigna Thau in frontibus virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius. Et dixit ſex viris illis qui ab aquilone venerant, & vaſa interfectionis in manibus habebant. Tranſite per mediam civitatem, & percutite. Non parcat oculus veſter, nec miſereatur, & à ſanctuario meo incipite. Aſſumitur ergo unus de ſummis ſpiritibus, qui imperet ſubiecto ſignare innoxios, præcipitur aliis percutere noxios. Hic ſuperior de aſſiſtentibus eſt, quos ſupra memoravimus, ſequentes vero de miniſtrantibus. Nam & ille miniſtrat, qui Thau in frontibus innoxiorum ſignat, & qui vaſa interfectionis habent, miniſtri Dei ſunt. Claret igitur eſſe primos & medios & ultimos ſpirituum ordines. Primos, qui à ſolo Deo docentur. Medios, qui à primis diſcunt; Vltimos, quibus medij
B nunciant, quæ à primis audierunt. His itaque utcumque pro capacitate ingenij noſtri elucidatis, reſtat, vt & proprietates eorundem ordinum ex vocabulis ipſorum intelligamus. Nam ut ſupra dictum eſt: Dominationibus proprium eſt, ſic inferiores ordines ſubiectos habere, ut eos quodammodo poſſideant, non quaſi dominantes illis tyrannica poteſtate; ſed à prima conditione ſua hoc conditoris dono prædati, in ſubiectis ordinibus plenaria voluntate ac poteſtate pollent. Virtutes ſiquidem ac Poteſtates principali ordini Dominationum adiunctæ, in una medietate triternorum ordinum locantur, ſicque iſti medij ordines compacti ſunt. Vt ſicut rem efficientem ſequitur effectus, ita Dominationibus virtutis ac poteſtatis ſua actio iuncta ſit. Nam virtutes eis ad patranda ſigna & miracula & diverſas curationes exercendas, ſubiectæ ſunt; poteſtates vero ad reprimendas adverſariæ Poteſtatis eis vires obediunt. Sic nimirum beneficia ſua per virtutes diuina bonitas nobis miniſtrat, vt per Poteſtates, omnem
C malitiam & adverſæ dominationis vires à nobis excludat.

CAPVT VII.

De ultima ordinum diſpoſitione.

TRanſeundum nunc nobis eſt ad ultimam cœleſtium ordinum diſpoſitionem, vt quæ de primis & mediis dicta ſunt ordinibus, ex noviſſimorum conſideratione amplius eluceſcant. Noviſſima itaque ordinum diſpoſitio tres ordines complectitur, ſcilicet Principum, Archangelorum, & Angelorum. In quorum vocabulis diligentius conſideremus, quæ ſint eorundem ordinum proprietates. Principes ſunt, qui ſubiectis ordinibus ad explenda diuina miniſteria principantur. Hoc autem inter principes qui noviſſimis ſpirituum ordinibus Prælati ſunt & dominationes, qui mediis ordinibus præſtant diſtare videtur, quod dominari quidem eſt ſubiectos quoſque poſſidere, principari vero eſt, inter alios priorem eſſe. Cœleſtis ergo
D militiæ ornatus, omnes Angelicas concludens diſpoſitiones, in Principibus, Archangelis, & Angelis diſpoſitus eſt. Manifeſtatur autem nobis in ipſis principibus, quos & principatus vocamus quod præ cæteris, quibus principantur, principaliter Deo conſortes exiſtant. Nam ad ſuperprincipale principium, ad fontem ſcilicet omnium bonorum Deum univerſaliter ſe convertentes, ad illud ipſum, quantum poſſibile eſt reformantur principificum principium, à quo videlicet principatus ſui originem trahunt, cui ſoli nimirum in ſuo principatu debita ſubiectione deſerviunt. Principibus vero & Archangelis, & Angelis, una eſt in tribus ordinibus quædam principalitas & una diſpoſitio. Verumtamen, quoniam non eſt talis hæc ordinum diſpoſitio, quæ non & primas, & medias, & ultimas habeat virtutes, Archangelorum ordo ſic mediate ordinum extremorum recipitur, ut ſanctiſſimis Principibus communicet & Angelis. Namque ordo Archangelorum in participatione diuinæ contemplationis cum ipſis principatibus ad ſupereſſentiale princi-
E pium, ex quo omnia, per quod omnia, in quo omnia, principaliter convertitur, & ad ipſum, unum poſſibile eſt reformatur, & Angelici ordinis ornatum vnificans, ad inacceſſibile lumen deitatis contemplandum ſecum provehit. Archangeli quippe Angelis prophetico præſtant ordine, qui nimirum diuinas illuminationes per primas virtutes ſuſcipientes, & Angelis eas annunciantes, & per Angelos nobis manifeſtantes, ſecundum ſimilium comparationem in ſuperioribus ordinibus præmiſſam, ſuum complent ornatum.

CAPVT VIII.

De habitudine eorundem ordinum.

SEd circa hæc intuendum eſt, quod eodem quodammodo ordine quo ſe Archangeli habent ad Angelos, etiam coaptare ac conformare ſe Angeli videantur Prophetis & electo populo. Nam ſicut Angeli ab Archangelis erudiuntur, & ad divina myſteria ſubtilius cognoſcenda inducuntur: ſic Iudæa, in qua notus
F erat Deus, legem vitæ & diſciplinæ acceperat, ordinatam per Angelos in manu mediatoris. Ergo per medium legiſlatorem plebs Iſraëlitica erudiebatur. Ipſe autem mediator qui populo præerat, prælatos ſibi Angelos habebat, in quorum diſpoſitione legem acceperat, quam ſubiectis plebibus traderet. Si ergo gentem hanc, quam ſibi Deus ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, in peculium delegerat, qua primum literas diuinas & ſcientiam ſacræ legis conſecuta eſt in numero Angelorum ponamus, iam poſt novem cœleſtium ſpirituum ordines aliam ex hominibus collectam in terris habemus Angelici ordinis diſpoſitionem. Non ſolum autem ex Iudaica plebe, verumetiam ex gentibus in fide ac cultu unius veri Dei adunati, ad Angelici ordinis ſimilitudinem imo ad ipſam Angelorum ſocietatem & æqualitatem perficiuntur, ſicut ab ipſo magni conſilij Angelo in Evangelio eſt promiſſum. Erunt, inquit,
G æquales Angelis Dei in cœlis. Specialiter vero illi qui prophetico & ſacerdotali ordine præeminent angelico funguntur officio. Prophetarum enim eſt futura nunciare, & populum Dei ab ignorantiæ tenebris in diuinæ ſcientiæ illuminationem reducere. Hinc eſt quod Ioannes Baptiſta, cum ſit Propheta, & plus quam Propheta, teſtante Salvatore, Angelus eſt per Malachiam Prophetam prædictus, in hæc verba; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Sacerdotalis quoque dignitas Angelici ordinis officio ſublimatur; quemadmodum eiuſdem Prophetæ verbis manifeſtatur. Labia, inquit, ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam & legem requirunt ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt. Verum univerſaliter ipſis Prophetis & Sacerdotibus cum electa plebe iuſtorum aggregatis, & in medio gentium poſitis, præceptum eſt diuinitus, ut vice Angelorum gentes quæ ignorabant Deum ſuo exemplo ad
H Dei cognitionem invitarent, ſicut per Prophetam David ammonentur. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius, quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis.

CAPVT IX.

De proprio principatu quo Angeli hominibus præſunt.

LEgimus autem in diuinis litteris populum patrum principem habuiſſe unum ex prioribus, (qui ſupra inter Principatus & Angelos medij ſtatuuntur) qui utique Archangelorum eſt. Nam ſic habes in Daniele, dicente Gabriele ad eundem Prophetam: Et nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michaël princeps veſter. Ergo hic Archangelus populo Dei princeps erat conſtitutus. Quod ergo ſuperius in tertia trinaria cœleſtium ſpirituum diſpoſitione diximus ordinem Archangelorum in medio principum & Angelorum locatum eſſe: hoc iam decimo adiuncto ordine, hominum electorum qui nuncupative ordo Angelorum eſt, aliquo modo mutari videtur. Quod enim ſunt principes ad Archangelos & Angelos, hoc ſunt

Archan

A Archangeli ad Angelos & electos homines. Si enim princeps eſt Archangelus populi Dei, conſequens eſt, vt Angelus ad inferiorem ordinem Archangelicum, qui ex hominibus aſſumitur relatus, Archangeli locum obtineat. Et notandum, quod ipſi Archangeli diſtributa officia in populo Dei qui eorum curæ commiſſus eſt ſortiantur. Nam contra tyrannidem gentium, in populum inſurgentem Michael princeps eorum in adiutorium de cœlis mittitur. Daniel vero à Gabriele de myſticis viſionibus docetur. Raphael vero ad curandum Thobiam & Saram miſſus fuiſſe legitur. Hinc penſare poſſumus quantum divina providentia humanæ ſalutis curam gerat, quæ adminiſtratorios ſpiritus propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, ad tam diverſa miniſteria peragenda mittit.

B

CAPVT X.

De excellenti cœleſtis gratiæ dono.

ILlud quoque conſiderare attentius libet, quam excellens ſupernæ gratiæ donum homini ſit collatum, qui in ordine cœleſtium ſpirituum ſublimatus, in ſuperna Angelorum curia adſcribi meruit. Huius namque rei gratia ipſe magni conſilij Angelus paternæ voluntatis nuncius, tegmine mortalitatis noſtræ indutus, homo inter homines apparere dignatus, vt hominem à viſibilium amore ſeparatum de cœleſtibus erudiret, & ad inviſibilium amorem corda mortalium accenderet. Olim Deus per Moyſen famulum ſuum locutus eſt populo ſuo, in noviſſimis vero diebus locutus eſt nobis per filium ſuum, qui eſt conſtitutus hæres vniverſorum, per quem facta ſunt omnia. Moyſes diſpoſitam per Angelos legem, carnali populo tradidit, quæ terrena promiſſa continebat & imperfecta erat. Per filium autem Dei in æternum perfectum gratia & veritas mundo allata eſt, qui ad perfectum omnia ducens, Eccleſiam ſuam ex paucis electis collectam, derelicta inferius latitudine infidelium, ædificium Eccleſiæ ſuæ ad ſimilitudinem arcæ Noæ ex C perfectis extructum, in vno cubito ſuperius conſummavit. Vna eſt enim fides, in cuius vnitate tota electorum numeroſitas ex vtroque populo, Iudæorum ſcilicet & Gentium congregata, culmen Evangelicæ perfectionis attigit. Cœleſte namque regnum in Evangelio Veritas promittit, quod in veteri teſtamento legiſlator ſub figurarum velamine occultabat. Ipſe quippe mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, veniens in ſimilitudinem carnis peccati, peccata noſtra pertulit in carne ſua ſuper lignum, pacificans per ſuum ſanguinem, & quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt, vt ex Angelis atque hominibus vnam rempublicam faceret. Ecce per incrementa temporum, quantum crevit notitia ſacramentorum cœleſtium. Completum cernimus in plenitudine temporis, quod in nona Danielis viſione Angelus prædixit. Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. Quod nimirum in ipſo ætatum ſæculi tranſcurſu, & patrum ſibi invicem ſuccedentium temporibus patenter inſinuatur. Loquens namque D Deus ad Abraham Patriarcham primo apparuit ei in Deo omnipotente, cuius fidem beatæ ſenectutis promiſſione remunerabat. Poſtmodum vero locutus Dominus ad Moyſen apparuiſſe quidem ſe Abrahæ in Deo omnipotente teſtatur, ſed nomen ſuum magnum Adonay non ſe illi indicaſſe aſſerit. Plus ergo Moyſi quam Abrahæ de ſecretis Dei revelatum eſt, cui nomen Dei magnum Adonay indicatum eſt. At longo poſt tempore David dixit; Super ſenes intellexit. Plus ergo David quam Abraham & Moyſes ſe in ſcientia profeciſſe divina, manifeſtat. Poſtremo, in adventu Salvatoris Evangelica coruſcante gratia, miſſis ad prædicandum Apoſtolis, apparuerunt fontes aquarum, & revelata ſunt fundamenta orbis terrarum, quia nimirum iam repleta eſt terra ſcientia Dei & patefacta ſunt divinorum profunda myſteriorum. Hæc per exceſſum dicta ſufficiant, nunc vero ea quæ reſtant de Angelis dicenda brevi expedire libet.

CAPVT XI.

ARbitrari nequaquam debemus ſolam Iudaicam plebem per Angelos ad divinam cognitionem eſſe perductam. Nam & ſi in diſpoſitione Angelorum legem gens illa ſuſcepit, tamen, quia eandem legem non cuſtodivit, & legis authorem Chriſtum venientem non recepit, merito tandem reprobata eſt, quæ primitus ſola inter cæteras gentes portio Domini fuiſſe legitur. Vnde proviſores Angeli, quibus eiuſdem gentis cura commiſſa fuit, eam reliquerunt, & ad aliarum gentium ſalutem providendam tranſierunt. Hinc eſt quod ipſi etiam Apoſtoli, qui æquivoce Angelico vocabulo concordant; nam & Angeli & Apoſtoli nuncij Domini ſunt, & voluntatem eius hominibus nunciant, ipſi, inquam, Apoſtoli cum occulto Dei iudicio cæcitatem in Iſrael contigiſſe conſpicerent, ad plenitudinem gentium colligendam ſe converterunt. Denique ad prædicationem Evangelij Iudæis in infidelitate obcæcatis, gentium doctor ait: vobis oportuit primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Ecce quomodo divina cenſura extendit ſuper faciem orbis terræ lineam, vt alios intrà menſuram fidei concluderet, alios excluderet. Sic nimirum manus Dei omnipotentis iuſta & occulta quadam manſione orbis terræ latitudinem dimenſa eſt, vt ad fidem ſuam invitaret quoſcumque intra huius dimenſionis ſpacium vocantis gratia inveniret. Hi namque ſunt quos ante tempora ſæcularia præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui. Hoc ſiquidem divinæ providentiæ diſpoſitione in ipſa vocatione gentium actitari videmus, quod etiam ſacræ ſcripturæ atteſtatione agnovimus. Scriptum quippe eſt: Statuit excelſus terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei. Sicut enim duodecim tribubus Iſrael diviſa terra promiſſionis in funiculo diſtributionis, [illegible] duodecim Apoſtolis diviſus eſt orbis terrarum & ipſi cum funiculo ſanctæ prædicationis dimenſi ſunt, & conſtitutos ſibi terminos a Deo legationis poſſederunt.

POTHONIS PRESBYT. PRVMIENSIS,

De magna domo ſapientiæ,

LIBER.

DOMINVS ſapientia fundavit terram, ſtabilivit cœlos prudentia. Initio namque Dominus terram fundavit, & opera manuum eius ſunt cœli. Cœlum & terra duo ſunt grandia mundi corpora. Ergo cœlum & terra, & vniverſa quæ cœli ambitu continentur, domum vnam conſtituunt. Magna eſt hæc domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius, terra videlicet & plenitudo eius, orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo. Sapientia Dei quæ ædificavit hanc domum, excidit columnas ſeptem. Sex igitur dies, quibus in primordio mundi Deus operabatur, & ſeptima dies in qua requieviſſe Deum ab operibus ſuis ſacra ſcriptura teſtatur, ſeptem ſunt columnæ quibus mundi fabrica quæ eſt domus ſapientiæ, ſuſtentatur. Sunt quippe ſeptem ſpiritus ante thronum Dei, miſſi in omnem terram quibus omnium operum Dei ſignificatio in ſex diebus cum requie ſeptimi diei exprimitur. In primo ergo die quando diviſit Deus lucem à tenebris intelligitur Spiritus ſanctus, ſpiritus eſſe timoris, quando

Angeli lucis diviſi ſunt ab angelis tenebrarum, qui de faſtigio angelicæ dignitatis irreparabili lapſu deiecti ſunt. De hoc terribili iudicio Dei, quo ſpiritus timoris cognoſcitur, dictum eſt in Iob: Poteſtas & terror apud illum eſt qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. A die ſecundo quo fecit Deus firmamentum in medio aquarum, & diviſit aquas ab aquis, cognoſci poteſt Spiritus ſanctus, quod ſit ſpiritus pietatis, ſi rite perpendas, qua intentione fecerit Deus fabricam mundi, cuius initium fuit factura eiuſdem firmamenti quo vocavit cœlum, dicit enim ſapientia Dei; Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, cum eo eram omnia componens, ludens in orbe terrarum coram eo, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Et quid tam pium, quam ideirco præparaſſe cœlos & feciſſe hunc mundum, & in eo genus humanum, quia ipſa ſapientia iam delectabatur, quandoque fieri homo, & eſſe cum filiis hominum. A die tertio quo dixit Deus appareat arida, quam vocavit terram, & germinet, ait, herbam virentem, & facientem ſemen, lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, quod fuit initium exornationis mundi, propter quod ſcriptura dicit; Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, ſubauditur enim ornatus ſive exornationis terræ. Ab iſto, inquam, die tertio cognoſcitur Spiritus ſanctus, qui ſit ſcientiæ, imo ſcientiarum Dominus, quem vel hoſtis ſcientiam, quia iam in corde ſuo æmulabatur. A ligno in paradiſo poſitus, permiſſus eſt accedere tentator, qui diceret, comedite & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. A die quarto, quo dixit Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos, cognoſcitur Spiritus ſanctus quod ſit ſpiritus fortitudinis. Quis enim Eccleſiaſticorum, aut gentilium philoſophorum, non miratus eſt fortitudinem ſive potentiam in iſtis duobus luminaribus ſole & luna, & ſtellis quas poſuit Deus in firmamento cœli. Primus Pſalmiſta dicit; Qui fecit luminaria magna, ſolem in poteſtatem diei, lunam & ſtellas in poteſtatem noctis. Sunt quædam poteſtatum inſignia ſano intellectu aſſumenda, ad comprobandum, quod in his luminaribus fortitudo magna ſit. Quinque tenent cœlum zonæ, ait poëta inſignis, quarum duæ ſunt temperatæ, vna quæ & media eſt, nimium exuſta, eo quod ſoli ſemper ſubiecta, duabus autem extimis, à quibus longe abeſt, vel quibus gyrando & regyrando non appropinquat, frigore torpentibus & gelu vel glacie perpetua. A die quinto, quo dixit Deus producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli, & benedixit eis dicens; Creſcite & multiplicamini, cognoſcitur Spiritus ſanctus, quod ſit ſpiritus conſilij, quippe, cuius potentia divina fertur ſuper aquas, hoc mirabile fecit, vt creatura eiuſmodi, quæ rationem non habet, ita conſulere novit poſteritati ſuæ, vt homo rationalis non ſufficiat admirari. A die ſexto, ſive à creatura humana, quæ die ſexto facta eſt, cognoſcitur Spiritus ſanctus, quod ſit ſpiritus intellectus, non ſolum quia rationalis eſt conditus, verumetiam, quia quod maximum eſt, ſpiritualis intelligentiæ capax. Denique & ſi tunc homo primus non intellexit, & poſt eum plurimi, de quibus ſcriptum eſt, Homo enim in honore eſſet non intellexit, tamen [illegible] fuerunt & ſunt multi, quos Dominus ſpiritu intelligentiæ replevit. A die ſeptimo, in quo Dominus requievit, cui benedixit, quem ſanctificavit, cognoſcitur Spiritus ſanctus, quod ſpiritus ſapientiæ ſit, qui vere ad magnam ſapientiam adducit illum, quem [illegible] fecit huius dicti; Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris, hunc vſque ſeptenarius ſpiritus ſacramentum, deſignari monſtravimus [illegible] ſeptem columnarum, nimirum propter gloriam & honorem altiſſimi filij hominis, quia templum corporis eius ipſa eſt Domus, quam ſapientia ſibi ædificavit. Domus autem quæ ſuper columnas ædificata eſt, ex ipſis columnis firmitatem pariter & pulchritudinem habet, & alta eſt. Talis poſitio domus ſapientiæ illa eſt exaltatio filij hominis, de qua ſcriptum eſt; Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Denique & Dominus eſt Angelorum ſanctorum & Dominus firmamenti, id eſt cœli & Dominus terræ, ſive paradiſi & maris, & Dominus cœli & lunæ, & ſtellarum; & Dominus omnium creaturarum quas aquæ produxerunt, & quæ de terra productæ ſunt, & Dominus totius generis humani, & Dominus etiam ſabbati, id eſt, patriæ cœleſtis, in qua eſt plenitudo illius quam ſperamus requiei. Vere magna domus, pulchra & altiſſima, domus ſeptiformis ſpiritus in eadem domo plenarie habitat quietiſſime, nunquam vllam ibi paſſus offenſam alicuius culpæ. Et hoc eſt quod Eſaias dicit; Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Quod autem eoſdem ſpiritus aliter ſubordinavit, primum ponens ſpiritum ſapientiæ, ſeptimum timoris Domini, cauſam ſive rationem hanc habet, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius adventus prædicabatur de altiſſimo ſapientiæ ſuæ ſecreto, de magna requie ſua, de ſinu patris ſui huc deſcendit, vſque ad obedientiam & mortem crucis, quæ videlicet obedientia, religioſus in ipſo erat timor Domini. Nos autem, quorum ad eruditionem & correctionem ſcripta ſunt opera illa Patris & Filij & Spiritus ſancti, timore incipimus, & in ſapientia perficimur, ſicut alia ſcriptura dicit; Initium ſapientiæ timor Domini. Quomodo factum eſt iſtud? quomodo ædificata eſt Domus iſta? malleus & ſecuris & omne ferramentum non ſunt audita in domo cum ædificaretur, quia nulla humani operis perſtrepente inquietudine ſpiritus Domini qui ſuper aquas ferebatur, virtute ſua ſuperveniens virgini obumbravit, & de carne illius Verbo incarnato, materiam carnis formavit. Sic in fabrica huius domus, quam ſibi Sapientia ædificavit, Spiritus ſancti operatio perfecit, vt ſine ſemine viſceribus virginis ſe infunderet, & eam fotu ſuo velut ovum volucris ſuperſedentis, ſeparata myſterij maieſtate ad fœcunditatem perduceret. In hac itaque Domo quam Spiritus ſanctus in vtero virginis ædificavit, tria ſunt conſideranda, ſcilicet domus ipſius ædificatio, exornatio, & dedicatio. Quæ domus ex materia noſtræ carnis intra viſcera Virginis matris genitura ineffabili ædificata, ſplendida & alta, columnarum ſeptem poſitione firmatur. Talis eſt huius domus, quæ ſine humano opere facta eſt ædificatio, vt ſicut domus illa quæ à Salomone in Ieruſalem ædificata eſt, ſic & iſta incarnati verbi domus, de dolatis atque perfectis lapidibus ædificaretur. Qui alij dolati & perfecti lapides fuerunt, quam Patriarchæ & Prophetæ, qui fide & operibus, & Propheticis ſcriptis teſtimonium perhibuerunt huic domui, quæ in fine ſæculorum ædificanda erat, vt ipſa gloria Domini impleretur, & plenitudo divinitatis in ea corporalis habitaret? Dolati & perfecti lapides, qui in ædificio domus ponuntur recte Prophetæ dicuntur, qui teſtimonium veritati dantes, ab incredulis perſecutionem paſſi ſunt. De his Dominus dicit: Propter hoc dolavi in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei. Hinc beatus Stephanus ad Iudæos dicit, Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri. Sic in Patribus & Prophetis tunſionibus & preſſuris, expoliti lapides, ad ædificium domus Domini præparabantur. Ipſa autem domus cum ædificaretur, malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita, cum Spiritus ſanctus operatione quietiſſima in patria virginis ædificaretur. In virgineo namque corpore tantam Spiritus ſanctus invenit requiem, vt nulla ibi perſtrepente pugna carnalis moleſtiæ, tanquam mallei percuſſione, domus Domini ſtructura cum ſuis integralibus partibus perficeretur. Tres namque integrales huius domus partes ſunt, fides, ſpes, & charitas. In fide fundamentum domus ponitur, in

Qui lapides dolati ac perfecti fuerunt.

E F G H

ſpe

A ſpe paries levatur, in charitate tectum conſummatur. Domus fide fundatur, cum fide virginis Verbum concipitur, paries domus levatur, cum Deus homo per fidem natus, proficit ætate & ſapientia, tectum conſummat domum, cum peracta carnis diſpenſatione filius Dei aſcendens ad cœlos Spiritum ſanctum credentibus miſit in remiſſionem peccatorum, ut beati eſſent quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata. His de ædificatione domus breviter prælibatis, ad inſinuandam eiuſdem domus exornationem, ad Dominicæ incarnationis annum tricesimum accedamus. Tunc in ſuo decore viſa eſt domus, quam ſibi Sapientia ædificavit, quando verum hominem renovans Salvator venit ad baptiſmum, quando baptizato eo, aperti ſunt cœli,& vox Patris audita eſt, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, quando Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper eum deſcendit. Baptiſta Ioannes, venientem ad baptiſma B Dominum digito demonſtravit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed de illo poſtmodum dicit: Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum ſanctum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat. Neſciebat eum prius, cum minorem eius notitiam haberet. Sed poſtquam in baptiſmo myſterium ſanctæ Trinitatis in voce Patris in Filio baptizato, in præſentia ſancti Spiritus per columbam ei manifeſtatum eſt, pleniorem cœpit habere de illo cognitionem. Intellexit ſane Prophetarum maximus ſponſi amicus, Spiritu ſancto edoctus, quod domus illa, quam Sapientia ſibi in partu virginis de materia humanæ carnis ædificavit & conſecravit, talem in ſe haberet exornationem, qualem Apoſtolus hoc modo deſcribit: Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum natum de Virgine, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quicumque adoptionem C filiorum ſub gratia novi teſtamenti receperunt, & in Chriſto baptizati, Chriſtum induerunt per gratiam ſancti Spiritus, remiſſionem peccatorum acceperunt. Hæc eſt maxima in ſeptem donis Spiritus ſancti gratia, in totam mundi latitudinem diffuſa per Apoſtolos, qui miſſi ſunt prædicare pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, ad ornandam domum Dei. Hinc ad eiuſdem ſacratæ domus exornationem manifeſtata eſt illa claritas, de qua filius orat patrem cum dicit: Clarifica me pater apud temetipſum claritate quam habui priuſquam mundus fieret. Denique in omnibus quæ cœpit Ieſus facere & docere, cum pertranſiret benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quando virtutibus & ſignis vt Deus emicuit, D quid aliud agere viſus eſt, niſi vt domum ſuam exornando clarificaret? Vt ergo ad exornationem Domus ſuæ viam ſibi præpararet, cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & in ſimilitudine carnis peccati, vt peccatum damnaret, ex his quæ paſſus eſt in carne purgationem peccatorum fecit, qui non ſua, ſed noſtra purgavit peccata. Ipſe enim agnus eſt ſine macula, qui mundi crimina tollit, qui in lege veteri ſignaculo circumciſionis purgationem peccatorum præfiguravit, & ſub gratia Evangelij baptizatus à Ioanne, ſanctæ regenerationis lavacrum in remiſſionem peccatorum conſecravit. Ecce quomodo per incrementa temporum crevit ſacramentorum cœleſtium notitia, & manifeſtata eſt humanæ reſtaurationis gratia. In lege & Prophetis præfigurata ſunt noſtræ ſalutis ſacramenta: à beato Ioanne Baptiſta, qui eſt ultimus prophetarum ipſa mundi ſalus digito eſt oſtenſa, & in Chriſto completa ſunt omnia, quæ ad domus Dei conducunt exornationem. Ædificata igitur domo ſive templo Dominici corporis, quid deinde factum eſt? Quomodo exornata vel decorata eſt ipſa domus? Domum quoque, ait ſcriptura myſtica, ante oraculum operuit Salomon auro puriſſimo, & affixit laminas clavis aureis, nihilque erat in templo quod non

Phil. 2.

Typica ſacramentorum.

E auro tegeretur. Sed & totum oraculi altare texit auro. Et fecit in oraculo duo Cherubim de lignis olivarum. Secundum typum huius manufactæ exornationis, quam hic perſcribere longum eſſet, exornata eſt domus non manufacta, hoc eſt, humanitas ſalvatoris noſtri anno videlicet trigeſimo ætatis ſuæ. Nam vſque ad illum annum ignotus inter homines manſit. Illo denique anno, ſicut Evangeliſta manifeſte dicit: Ipſe autem Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta cum baptizaretur à Ioanne, deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, & ipſe plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane, cum ſine dubio plenus Spiritu ſancto fuerit ab ipſa conceptione. Quid eſt quod dicitur plenus ſancto Spiritu a Iordane regredi? niſi quia iam tempus erat exercere, F quæ prius in poteſtate habebat Spiritus ſancti chariſmata. Hoc autem aurum, verum eſt aurum puriſſimum, & lapides precioſi ſunt ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, operatio virtutum, gratia ſanitatum, prophetia, diſcretio ſpirituum interpretatio ſermonum. Huiuſmodi chariſmata, ex tunc cœpit opere exercere, ita vt per eum vetera tranſierint, & nova facta ſint omnia. Quod autem Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper Dominum apparuit, quid aliud ſignificat, niſi magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt, vt ait Apoſtolus, in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria. Vnde non ſolum illud attendendum eſt, quod ex tunc verbum in carne, Deus in homine miraculis cœpit clarificari, immo quod tunc pœnitentiam pro nobis agendam ſuſcepit, baptizatus baptiſmo Ioannis, videlicet in pœnitentiam, quam protinus à ieiunio quadraginta dierum G inchoavit, & in ea perſeveravit vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vere magnum pietatis ſacramentum, quia poſuit in eo Dominus iniquitates omnium noſtrum in pœnitentiam. Nam eiuſmodi pœnitentiam, morte crucis conſummata, lex ſacra & myſtica in ſacramento ſacrificij ſignificaverat, dicendo: Si holocauſti oblatio fuerit Domino de turturibus atque columbis, offeret eos ſacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, & corrupto vulneris loco de turture faciet ſanguinem ſuper crepidinem altaris decurrere. Non ſecabit, nec ferro dividet eam, & adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito, holocauſtum & oblatio ſuaviſſimi odoris Domino. Quid enim in hac oblatione turturis vel columbæ, quæ pro peccato offerri iubetur, atque vt poſt mortem hoſtiæ caput corpori inhæreat, niſi mediatoris noſtri perſona ſignatur? Redemptoris enim mors ad coniunctionem ſui corporis, id eſt, Eccleſiæ, valet, non ad ſeparationem. Mediator H etenim Dei & hominum, id eſt, caput omnium noſtrum eſt, veræ mundationis hoſtia. Vnde pro nobis mortem pertulit, inde verius nobis inhæſit. Poſt ſectionem ergo caput columbæ ſuo corpori inhæret, quia Chriſtum & Eccleſiam neque mors interveniens dividit. Multum ergo pertinuit ad magnum pietatis ſacramentum, quod Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper eum apparuit, de quo Apoſtolus ait: Quia per Spiritum ſanctum ſemetipſum immaculatum offerens Deo, emundavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. Igitur, poſtquam de domo Domini, quam ſibi Sapientia ædificavit, aliqua digeſſimus, & de ædificatione atque exornatione ipſius iſta præmiſimus, ad dedicationem illius properemus, id eſt, ad gloriam reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qua ſine dubio dedicatum eſt templum corporis eius, ita vt omni mortalitatis ſeu paſſibilitatis paupertate deterſa, ſolennitas æterna, feſtivitas ſempiterna in voce exultationis & confeſſionis in ea celebretur ab Angelis, celebretur ab hominibus quotquot ſunt vel erunt filij reſurrectionis. Hoc loco ſenſum & verba noſtra dirigat textus Pſalmi 29. cui talis præſcriptus eſt titulus: Pſalmus Cantici in dedicatione domus David. Primum autem in fundamento ſermonis

illum

A illum ponere libet, quia domus illa non manufacta, quæ in typum huius domus ædificata fuit, vt ſupra diximus, ſub benedictione nominis Domini dedicata eſt, ſicut habet ipſa ſcripturæ ſeries. Primo namque ſic ſcriptum eſt: Convertitque rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael, & ait: Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui locutus eſt ore ſuo ad patrem meum David, & in manibus eius perfecit & cætera. Item ſecundo: Stetit autem Salomom, ait, ante altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſraël, & extendit manus ſuas in cœlum, & ait: Domine Deus Iſraël, non eſt ſimilis tui in cœlo deſuper & ſuper terram deorſum, qui cuſtodiſti ſervo tuo David patri meo quæ locutus es, &c. Deinde tertio: Factum eſt autem cum compleſſet Salomon omnem orationem, ſtetit & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël, & ait, Benedictus Dominus qui dedit requiem populo ſuo Iſrael iuxta omnia quæ locutus eſt, &c. Itaque ſub trina, vt iam dictum eſt, invocatione nominis Domini
B Eccleſiam ſive domum Domini dedicauit, non vtique caſu, ſed cum ratione ſapientiæ, quam Deus dederat illi, præſertim, quia talis data fuerat regula benedicendi. Sic enim ſcriptum eſt in libro Numeri: Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere ad Aaron & filios eius: Sic benedicetis filiis Iſraël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te: Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. In his manifeſtatur glorificatio Trinitatis, quia nihil celebre ſive memorabile refértur ſcripturæ veritatis, abſque ſacramento huius nominis. Sic in iſto Pſalmo Cantici cantati ſive cantandi ſecundum dedicationem domus David, id eſt, corporis Chriſti, ſimiliter trina præpollet appellatio eiuſdem nominis Domini. Primo namque dicit: Exaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Deinde ſecundo, Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me. Deinde tertio; Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.
C Continuo ſequitur. concentus multitudinis ſub admonitione huiuſcemodi: Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius. Sic in dedicatione domus illius manufactæ, poſt trinam adorationem nominis Domini à Salomone præmiſſam, continuo ſequitur admonitio ad multitudinem, & magnæ feſtivitatis, vniverſalis communicatio præloquente Salomone: Sit quoque noſtrum cor perfectum cum Domino Deo noſtro. Et ſubſequente ſcriptura. Igitur rex & omnis Iſrael cum eo immolabant victimas coram Domino. Generalis quippe feſtivitas huiuſce dedicationis, feſtivitas reſurrectionis. Vnde non prætereundum, quia titulum Pſalmi præſcripti, qui ſic ſe habet; Pſalmus in dedicatione domus David, titulus alterius Pſalmi. ſcilicet, ſexageſimiquinti pœne expomt, qui eiuſmodi eſt: In finem Canticum Pſalmi reſurrectionis. Tali præeunte titulo; Iubilate omnis terra Deo, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Et dicit inter cætera: Introibo in domum tuam in holocauſtis, reddam
D tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea. Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum, offeram tibi boues cum hircis. Quæ omnia myſtice ſignificant combuſtionem vitiorum, purificationem ſpiritus, omnimodamque intentionem ac deſtructionem totius repugnantiæ quaſi arietum cornutorum, & totius excellentiæ quaſi boum cornupetarum, & totius fœditatis malorum operum quaſi hircorum. Cum huiuſmodi quippe holocauſtis introitur in domum reſurrectionis, in domum quam ſapientiſſimus Salomon, ideſt, Chriſtus filius Dei per ſemetipſum dedicavit, id eſt, immortalitatem & impaſſibilitatem, quam habent iam cœleſtes ſpiritus, in quibus pleniſſime habitat maieſtas ſanctæ Trinitatis, quo præcurſor introivit per viam, qua illum columba, id eſt, Spiritus ſanctus demonſtrauit. Paſſus enim idem Chriſtus, & reſurgens à mortuis feſtivitatem ſibi & nobis inchoavit huiuſce dedicationis, tanquam caput corpori. Et hanc fidem tenere, atque in hac

E ſpe per dilectionem operari, hoc nimirum eſt legitime cantare canticum pſalmi reſurrectionis, iamque cum illo cantico ſtare in dedicatione domus David. Magnam quidem hæc dedicatio habet feſtivitatis iocunditatem, ſed magnum nihilominus ſpecies, quæ exinde apparuit, debet incutere timorem, & exitare ſollicitudinem. Non enim hic in columbæ ſpecie Spiritus ſanctus ſe exhibuit, ſed in ſpecie ignis ſuper beatos Apoſtolos ab illa domo proceſſit, mittente illo ſecundum virtutem vel naturam divinitatis; quemadmodum dixit ad illos; Si autem abiero mittam eum ad vos. Quamobrem ergo non in ſpecie columbæ, ſed in ignis ſpecie? Attendant tantam diverſitatem ſpecierum iſtarum, ſcilicet columbæ & ignis, quicunque irreverenter iſtam, poſtquam dedicata eſt, audent aſpicere domum Domini, qualibus ipſe dicit, Ideo dico vobis, omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque
F dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum non remittetur ei, neque in hoc ſæculo neque in futuro. Attendant, inquam, qui eiuſmodi ſunt, attendamus & nos quanta cum ratione tam diverſas ſpecies, diverſis temporibus exhibuerit, apparens vnus idemque ſpiritus. Dicendum autem inprimis, quid diſtet inter blaſphemiam, & ſpiritum blaſphemiæ: quoniam dixit, blaſphemia remittetur, ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Blaſphemia tantum, & non ſpiritus blaſphemiæ eſt, cum quis ignorans loquitur aliter quam ſe habet veritas, vel quippiam agit contra iuſtitiam, ſicut exempli cauſſa Saulus ignorans & errans agebat. Porro, ſpiritus blaſphemiæ eſt cum quiſpiam ſcienter veritati per invidiam repugnat, quod peccatum Iudæorum & hæreticorum eſt, quos Apoſtolus devitandos eſſe denunciat: Hæreticum, inquit, hominem poſt vnam & ſecundam correctionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui eiuſmodi eſt & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. Vtriuſque ergo reatus diſcretionem habens Spiritus ſanctus, non in ſpecie ignis, ſed in ſpecie columbæ ſuper Dominum Ieſum apparuit an-
G te glorificationem eius, & econtra non in ſpecie columbæ, ſed in ſpecie ignis ſuper Apoſtolos poſt glorificationem eius. Adhuc enim qui dicebant verbum contra filium hominis de ignorantia poterant excuſari, & idcirco decebat eum agere vel pati cuncta in ſpiritu manſuetudinis, verbi gratia, vt non conſentiret diſcipulis ſuis dicentibus; Magiſter vis dicamus, vt deſcendat ignis de cælo & conſumat eos, ſed diceret; Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. Amplius autem dum crucifigeretur; Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt. Vſque illuc patientia & manſuetudo agni, quam columba ſignificaverat circa vos pervenit. O oves domus Iſrael, ad quas miſſus fuerat, vnde & dicebat; Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael. Ex tunc vobis peccantibus peccatum veſtrum in ſpiritum blaſphemiæ reputatur, quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittetur. Iam enim non eſt vobis hoſtia, quippe quibus filius Dei, cum eſſet agnus, in leonem converſus eſt, & Spiritus ſanctus qui in columba viſus fuerat, in igne demon-
H ſtratus eſt, quia non per ignorantiam delinquitis, ſed voluntarie peccatis ſubverſi, & propro iudicio côdemnati. Hinc eſt illud Apoſtoli, Voluntarie enim peccantibus vobis poſt acceptam notitiam veritatis non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios, quomodo & nobis, ſcilicet non natura Iudæis, non relinquitur hoſtia pro peccatis, ſi voluntarie peccamus, id eſt, ſi vocem eius audientes, & ex ſcripturis eum cognoſcentes, corda noſtra obdurare voluerimus, nimirum taliter, vt nec hoſtia ſive ſacrificium. nec locus ſive templum remaneat, in quo ſacrificetur.

Diſcrimē inter Blaſphemiam & Spiritum Blaſphemiæ.

A

NICOLAI

QVONDAM S. BERNARDO CLAREVALLENSI A SECRETIS.

B

EPISTOLÆ

AD REVERENDISSIMVM IVXTA AC RELIGIOSISSIMVM

Patrem, & Dominum Dionyſium Argenterium Abbatem æque Clarevallenſem, Ioanne Picardo Bellovaco Canonico regulari ad S. Victoris Pariſienſis, evulgante.

*Q*VAS *olim Nicolaus ex Cluniacenſi veſter cœnobita dedit Epiſtolas nomine S. Bernardi, reddo tibi : quin do ex animo.* C *Scilicet, inquis, mihi das mea : quaſi non ſint ἄδωρα δῶρα huiuſcemodi : eſſentque profectò, ſi τὰ ἐμὰ : quæ revera ſunt hominis, & tui amantiſſimi & obſeruantiſſimi. Præterquam quod & villici aliquantulam ab heris ineant gratiam, licet eiſdem offerant ſuorum etiam primitias agrorum. Serenis igitur oculis tuum recipias Nicolaum, & per te, ſtudioſi. Sic enim mage tuus, quo plurium fuerit. Dixi tuum : quia tuus quondam cœnobita & Clarevallenſium Amanuenſis: longeque potiori repoſcendus iure, quam Homerus à Colophoniis, Chiis, Salaminiis, Smyrnæis, Athenienſibus, Argivis & Cumæis. At quantum dicto frivola abſit iactantia : ſuſpicioſus lector obſidem hæreat Auctoris præſtantiam uno tractu depictam, ut Epiſtolis legendis lubentius aliquot partiatur horas. Nicolaus monaſticen Cluniaci profeſſus Petro venerabili Cœnobiarcha poſt temporis aliquantum ſuſcepit demandatam ſcholæ Cluniacenſis Provinciam : Provinciam, inquam, tanto dignam moderatore. Quid enim deſideras in homine? Ingenium? pollebat maximo, & quidem vivido, ardentique* D *φιλανθρωπίας? Tam copioſam ſibi collegerat ex Mathematicis, Philoſophia, liberalibuſque diſciplinis, ut quid ei defuerit, & illo quidem ſeculo, vix advertas. Theologiam, inquiet aliquis, ni videro in homine florentem, multiplicemque : tantum mihi verba erunt, quæ das. Dabo equidem verba non mea, ſed Epiſtolarum Nicolai mei : qui ſic ad unguem divinos tenebat libros (ex his enim, ceu vere paradiſo perennes uberrimóſque omnifariæ Theologiæ dimanare fontes, nemo niſi ἄθεος diffitebitur) ut inſertis eorum verbis quaſi cœleſtibus floſculis ſingula ferme cola, commataque intexat : & te cogat illud exclamare Lucilij.*

> Quam lepidæ lexeis compoſtæ, ut teſſerulæ omnes,
> Arte, pavimento, atque emblemate vermiculato.

Hiſce porro dictis fidem facient cœleſtium voluminum loci ad marginem ſignati, potiſſiméque integriores. Univerſos enim, eoſque conciſiores annotare, ut nullius prope fructus, ſic inſani fuiſſet laboris. Dant vero præter hæc arrhabonem Theologiæ ſimul & Philoſophiæ, quibus excelluit Nicolaus, Epiſt. 49. & 52. dantque indubitanter quamplurima in exemplari deſiderata. Interim lector haſce paucalas exoſculare, contemplareque ut Protogenes, lineolam in tabula pictam Appellis manu. Poteris enim hic legere Nicolaum noſtrum eximia valuiſſe dicendi facultate, ut ſua ferebant tempora : tantúmque cæteris præſtitiſſe, quantum eruditione ſingulari : ne interim allegem, quæ legas hominis argutias, veneres, univerſumque orationis mundum, quo ſua ſtuduit comere Epiſtolia. Sane Petrus venerabilis ei reſcribens Epiſt. 18. 56. ait inter cætera : Non ſolum tuum ſequeris Tullium Tullianus: de quo ſcripſiſti, quod pectus in linguam facillima transferebat facilitate. *Sed penes Petrum ſui dicti fides & auctoritas ſunto. Nicolaus autem ſui meminit magiſterij Epiſt. 2. his omnino verbis.* Expectavi ut ſcriberes mihi, & attenderes magiſtrum honore, Priorem ordine : provectum ætate : *Ruſuſque ad calcem :* Dictum eſt etiam tibi ſi redires me non amplius lectarum. Quod autem propter te ſcholas dimitterem, refellere dignatur auctoritas. *Ex auditoribus unicum offendis L. Leſcelinum : quem Epiſt. 38. his compellat blanditiis.* Hærebas lateri meo : placebas cordi meo, meus frater & filius : & (ſi dignum ducis recordari) diſcipulus : potius autem condiſcipulus ſub illo, cuius ſchola eſt in terris, & cathedra in cœlis. *Pro more ſtudioſorum, certo immorabatur ingenio, ſeſeque familiariter applicabat Senecæ Philoſophi Lectioni, ut Petrus Cellenſis Archimandrita teſtatur Epiſt. 51. huius libri :* Tuus, *inquit,* familiarium familiariſſimus Seneca hominum ingenia per tria divuidit genera. *Verumenimvero quia dignitates licet religionem habeant individuam comitem: pios etiam ni præcaveant ſurdaſtra blanditia dementant : Nicolaus haud neſcius quanta plerisque antecelleret ingenij gloria eruditionis fama, dignitatis gradu : effectus ſui inſcius cœpit licentioſius agere: popularem venari gratiam tandemque ſe ignorare, qui mutatione longe ſe iciori quam Circæ transformabat ignaros in gnaros. Quæ quidem, ut non puduit patrare, ita nec referre Ep. 45. Sub hac, imo ante hac Cluniacenſes latum pluſquam unguem ab antiquis deflexerant inſtitutis. Robertus quoque S. Bernardi nepos gravis quorumdam ineſcatus ſuſurris ad Cluniacenſes ... Hic contra ferens ægerrime nepotis abſentiam, ... univerſam familiam alioqui religioſiſſimam irreligioſe ... decoraſſe transfugio, & ad iter latiſſimum haud ... interitu ſepoſitum divertiſſe : miſit literas uberiores, liberiores, tamque expreſſas, ut etiam myopes monachi viderint ſe vix a laicis vel monaſtica diſcrepare cuc. ... fricem mutuas illas, quibus ſe ſe Ciſtercienſes Cluniacenſeſque impetebant obiectiones repetitas Ep. 28. 54. ... venerab. Tum, inquam, Nicolaus, qui prælicentius vixerat, omniaque propemodum præter ſe ſcierat, ad ſe rediit animum ſolum, habitumque mutans in ſolo Clarevallenſi ad id quam conſulto, Ep. 8. ad Theobaldum his teſtificatur* De veteri teſtamento & umbra Cluniacenſium ad Ciſtercienſium evolavimus puritatem. Nam iuxta Pauli vocem, ſi prius illud culpa vacaſſet: non utique ſecundi locum inquireremus. Habent revera obſervationes veſtrorum cum obſervantiis Iudæorum nonnullam ſimilitudinem. Illi enim in auro & purpura in cibis & potibus & variis baptiſmatibus omnem ritum divini cultus intulerant: *ita & apud vos, ubi plus eſt auri, plus* creditur eſſe meriti : ubi plus palliorum, plus morum: ubi plus epularum, & veſtium, ibi verior obſervatio mandatorum: Hæc autem fecimus non ſubita, ubi aſſolet commotione iactati: ſed moroſa deliberatione firmati dedimus ſocietati dextras ſub Sacramento divinitatis. *Hucuſque Nicolaus: qui Epiſt. antecedente vocat Claramvallem, locum ſanctum : Vallem nemoroſam, vallem abundantem, Paradiſum deliciarum gratiarum portum caſtra Dei, domum Dei, & portum cæli quam circumvola & circumdat legionum cœleſtium multitudo in qua, ſi non fuerit & vixerit, emoriturum. Quam vero id ægre fuerit conſequutus, Lector aſſequetur ex eiuſdem Ep. 45. Annum interim ſe vertebat 1199. inſignis monachiſmo Henricus Ludovici Craſſi Francorum Regis, filius: qui pro more tyronum religioſorum : victus vigiliarum inſolitarum & prolixiorum, aſperiori cultu, durioruмque exercitationum fatigati*

A *gatus inſolentia deceſſit Claravalle reparandæ valetudinis ergo. Decedentem proſequutus eſt Nicolaus Epiſt. 39. qui & ipſe mox tam graviter ægrotavit, ut S. Bernard. non ſemel interpellatus Petri Venerabilis literis de eius videndi copia reſponderit Epiſt. 245.* Is, quem mitti iubetis, modo mecum non eſt, ſed cum Domino Altiſſiodorenſi, & ita infirmus vt ſine nimio incommodo nec ad nos uſque venire poſſe dicatur. *At quia vivebatur Claravalle cum ſumma rerum omnium communione (ut hodieque) nec non cœnobitarum ſocietate, viſus fuit homo pernecceſſarius, qui non Abbati tantum ſed & monachis eſſet ab epiſtolis: quo hi & ille liberius rebus vacarent graviſſimis. Nec iverim inficias præter hunc & alios miſſitare ſolitos: ſed, ut reor, leviores parumque momentoſas. Verum ut ut ſit, certo certius conſtat Nicolaum ad utriuſque conditionis homines dediſſe ſcripta longe numeroſiora his quæ edimus: alias vacillaret fides eiuſdem dicentis epiſt. 25.* A cuſtodia matutina uſque ad noctem nihil aliud facio, *ſcilicet (ut paulo ante dixerat)* ut ſtylum & tabulas revolvam; non illis imputetur, qui mihi hoc oneris impoſuerunt, & poſuerunt me multa ſcribere & reſcribere multis. *Horum tamen multorum ad nos pauca pervenere, quibus, nec iniuria connumerem duas epiſtolas lōgo poſtliminio reductas à me ex lib 6. Petri Venerab. eademque titulorum de libatus fidelia, qua legis cæteras eiuſdem Petri. Neque tamen piguit, ut & reliquis, apponere ſcholia: hiſtoriæque Gallicæ novum quamvis breviuſculum additamentum, nempe* B *mandatum Henrici, Craſſi Regis, filij: Comites Armoricæ Britannicæ ad expeditionem Hieroſolymitanam invitatos, & Imperatorem Conſtantinopolitanum multo, quo oratos pro Epiſcopo Aletenſi, quem Macloenſem vocitant. Cum primis vero gratulandum eſt Henrico Gallicorum liliorum ſurculo, Gerardoque Peronæo: qui, ut Nicolaus diſperſa colligeret epiſtolia, tandem extorſerunt: gratulandum eſt, inquam, illis: per quos vel paucorum recreamur dulcedine. Nicolaus Damaſcenus apud Cæſarem Auguſtum tanto fuit in pretio, ut ſi bellaria, placentulas, cruſtula, dulciariaque huiuſmodi, dono mitteret, ab Auguſto vocitarentur Nicolai: ita ut hinc pleriſque dulciculis eſculentis manſerit Nicolai nomen, ſicut panibus allatis Apollonio Eremitæ, de quibus Palladius in hiſtoria Lauſiaca. Nos quoque, ſi* C *epiſtolas noſtri Nicolai, Chriſtiana conditas ambroſia nuncupaverimus Nicolaos, nullus accuſet novitatis: cum, ubi eadem ratio, idem quoque ius eſſe debere lex Aquilea moneat. Verumenimvero, ut proxime commonui gratulandum illis, quorum inſtantia Nicolaus diffuſas congregavit literas: ſic & Nicolao Camuzæo ad S. Petri Trecenſis lectiſſimo Canonico: qui eas laudabili ſedulitate detexit: ſingulari pietate detraxit impiis tineibuſque blattis, nec pepercit ſumptibus ut ad lucem venirent. olim fort. iſſis, furtimque barbaro Lamiorum edicto mittenda in exilium, non dico teſtulutam ſed perpetuum.*

N O T A.

FVit hic Nicolaus primum Arrematenſis Cœnobij Ordinis Cluniacenſis in Trecenſi Epiſcopatu; poſtmodum Claravallis ſub S. Bernardo Monachus, eiuſdémque Notarius; ſed quia Pater Sanctus in eo reperit pravitatem, amovit eum ab officio; unde factum eſt, ut ille Claravalle diſcedens, eius hoſtis efficeretur. Queritur de eo apud Pontificem Eugenium S. Bernardus Epiſt. 84. & 98. ubi autem, quando, & quo fine è vita exceſſerit, ignoratur.

D Eius Epiſtolas hic damus, ſermones vero eiuſdem novendecim quia inter opera Beati Petri Damiani reperiuntur, omittimus.

EPISTOLA I.

DILECTISSIMIS *fratribus Girardo & Henrico F. Nicolaus illis placere per omnia; qui eſt ſuper omnia DEVS benedictus in ſecula.* Sequentes epiſtolæ, (ſi enim epiſtolarum nomine cenſendæ ſunt) non ſunt in unum corpus mea primum voluntate compactæ, nihil in eis meo iudicio, memoria dignum eſt; ubi nec ſublimitas ſermonum, nec profunditas ſenſuum vel ex aliqua parte poterunt inveniri. Non enim eas excipientes dictaveram, ſed mittendas, dimittendas utique ſi prænotere licuiſſet. Nam cum multitudo di- E verſorum negotiorum irrueret ſuper me, manum à calamo, mentem à ſtudio huiuſmodi ſtudioſius extergebam, & hoc non minus velociter quam libenter, dormiebat anima mea præ tædio, tædioſi operis multitudine provocata, nec poteram ad plurima, ſicut ad ſingula vigilare: ad illud ſolummodo vigilans, vt poſſem petentes vel expectantes citius expedire, hinc eſt quod multa ſimilia ibi poſita ſunt; multa tam de veteribus quam novis epiſtolis nunc quidem latenter impreſſa, nunc ſignanter expreſſa, cum mihi melius memoria quam ingenium ſubveniret. Nec hoc dico quaſi, ſi voluiſſem, potuiſſem ſententioſum opus in limitatam eloquentiam complanare: cum hoc longe fecerit à me & ingenij tarditas, & exercitij raritas & di- F verſitas propoſiti mei. Non ſum orator, neque filius oratoris, ſed homo ſimplex & domi habitans, ruſticanus utique & vellicans ſycomoros. Illis verborum venationes tota voluntate relinquo, qui per locutionum ſylvas libenter deambulant, & rhetoricos modulos quaſi florentes ramuſculos decerpere gloriantur. Iſti enim ſunt, qui eloquia Domini, eloquia caſta quaſi tribuloſa quæque refugiant; & ab aſperitate ſegetum abhorrentes, ſpinarum floribus inhiant, vanitate utique pleni non veritate, ſi tamen vanitate quis poſſit impleri. Vos ergo, dilectiſſimi, qui eas eligere & in unum colligere voluiſtis, ſupprimite verba dicta potius quam dictata: nec efferatis in publicum, quod publicum erubeſcit. Alioquin ego de verecundia, vos de amicitia periclitabimini: & in illa re facietis offendiculum, quæ ſingulariter odit offenſionem. Nec hoc dico, quaſi de vobis vel dubitem, vel debeam dubitare: cum utriuſque viſceribus perenniter inviſceratus ſim in charitate Dei, & patientia Chriſti. Tu es enim regij germinis præful- G gidum ſydus: qui de ſummo rerum vertice veniens, mundi gloriam in terra colliſiſti; quem & nobilitas ſingularis, & humilitas ſpecialis non minus amabilem quam admirabilem reddiderunt. Tu vero alter dulciſſimæ converſationis ſpeculum & exemplum: quem & iocunda ſeveritas, & ſevera iocunditas, & affabilem, & imitabilem præbuerunt. Ille autem, qui vos elegit ante mundi conſtitutionem, & vocavit in admirabile lumen ſuum; ſit vobis via in moribus, veritas in ſermonibus, in ſplendoribus vita cum apparuerit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius ad iudicandum orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.

EPISTOLA II.

Ad quendam ſocium ſuum qui relicto clauſtro in urbe morabatur.

H CHariſſimo fratri, *Nicolaus chariſſimus ille frater ſuus charitatem fraternitatis, & fraternitatem charitatis in Chriſto.* Multis, & multiplicibus amicitiæ mundi illecebris revocatus dormientem te & multo tempore tempus redimentem ſuſcitare ſuſtineo Epiſtola dulciori. Nec attendas hic aurei ſermonis pulchritudinem vel ſtyli lenocinantis inſignia, ſed affectum accipe preſſe cautéque ſignatum. Verus enim affectus non facit præmium, non captat benevolentiam, nullo utitur blanditiarum fuco, ſed nuda frondoſitate cogitata perorat. Audi ergo iam, quod te conveniat audire, & me dicere deceat. Nihil tam celerrime inter homines conſeneſcit quam beneficium, cum æternæ memoriæ infigendum ab omnibus prædicetur.

Et datur deeſſe connotati etiam aut ſi quidem.

Quid Amos Prophetæ de ſe prædicat, Nicolaus ad ſe vertit. Pſ. 11. Neceſſario ad intelligendum ut Henrico ſcripta ſit epiſtola Ludovici Craſſi Francorum Regis filio) ut quo nes ad Ep. 355. S. Bern. edit. poſt leges paulo poſt Ep. 13. eius ſcriptam nomine mittendi haud abſimilem Ep. 351. Ep. quoque 39. ad eum. Epheſ. 1. Heb. 1. Pſ. 35.

Teſtis

A Teſtis enim mihi eſt Deus: & conſcientiæ tuæ non latet arcanum quod dilectio tua ab ipſis infantiæ rudimentis perennem in pectore meo pepigit manſionem. Cum enim cognovi indolem tuam, extuli eam: & ingenium habile ad formandum, ſubtilioribus demonſtrationum lineis ad ſtellantis ſapientiæ ſolium, quantum potui, invitavi. Suſurrantibus aliis & inuidioſa murmuratione loquentibus, cur tantum in te animi reclinaſſem, labia inſurgentium, conſcientiæ ſecutus excepi, & iuſtitia in iudicium converſa, quæ fortiter cœperam, fortius conſummavi. Ad hæc, ſi quid tibi gratum fuit quod ſub facultatis meæ terminis adhæſiſſent, libentiori animo & vultu alacriori donantem, quam accipientem vidiſti: Summúmque mihi ſtudium fuit, * ut ubi verbum oneroſum & ſummiſſo vultu dicendum * rogo tenui cognitionis rimula prævenitem. Noveram enim vultum tuum in verecundiæ fabrica fabricatum vix ad quærendi ianuam aſpirare, Si quis tibi vel odientis vel invidentis vultum * ſuum oſtendit; aut communem gratiam, aut commune periculum reportavit. Sed ne iuxta Comicum iſta commemoratio ſit quaſi exprobatio accepti beneficij, parcam verbis & ſtyli verboſitatem tuæ conſcientiæ derelinquam. Placuit tibi ut Trecis ires; fateor diſplicuit mihi. Quare diſplicuerit, non effugit memoriam meam. Prætermiſſa autem illa principali cauſa, quæ à volubilitate tui pectoris non receſſit, intravit per feneſtras tuas; & oculi columbæ columbam penitus exuerunt. Commutavi vultum meum coram te, cum animum non mutaſſem? vt ſaltem nobiliori intuitu curſum retraherem fugientis, ſed non potui. Ad extremum læſus veniam petens, victus fateor à puſillanimitate ſpiritus: quicquid turbulentum erat, in ſerenitatem reduxi, referens victum & fructum auferens. Expectavi vt ſcriberes mihi, & attenderes Magiſtrum honore, Priorem ordine, provectum ætate, &, quod his maius eſt, amicum ſollicitudine, ſed non profuit. Videns autem quia nihil proficerem, & tantum ignem in tenues evanuiſſe ſcintillulas, metuens ne in mortuos cineres penitus deperiret, afflatu mollioris ſpiritus reaccendere ſtudeo. Inſenſate puer, quis animum tuum avertit à tantæ amicitiæ firmitate? Cui credidiſti incredule, vt illum unicum tuum à tuis viſceribus ſeparares? Elapſi ſunt quidam eorum à latere noſtro eo plus odientes, quo magis amare debuerant, invicem mordentes & invicem conſumpti. Ij omnes quaſi ex uno ore conceperunt dolorem, &c. Sed & ille collateralis tuus (quem nominare ſermo ſecretior dedignatur,) melli venenum immiſcuit, qui novit fere mixturam myrrhæ & aloes pluſquam libras centum; Iuvenis perpetuæ levitati & infinitæ garrulitati conſecratus.

Sic legendum eſſuit ſ. c. N. Faber. Non videtur cohærere in ſequentibus & antecedentibus.

B

Recte N. Faber repoſuit ſuũ pro tuum. In Andr. act. 1. Scena 1.

C

Ioan. 19. Iuv. ſ. 12.

Nec amans quemquam nec amatus ab vllo.

Doctor diligere odientes ſe, & odio habere diligentes ſe. Iſte vel alij credulas aures tuas impleverunt, & alienaverunt animum tuum à me dicentes. Hæc dicit Nicolaus, cum Nicolaus non ſit locutus. Si crediſiſſem delatoribus accuſantibus te, longam texuiſſem reprehenſionis parabolam quam epiſtolaris brevitas aſpernatur. Sed non ita ſenſum meum ſubruit inconſtantia levitatis ut credere poſſim ante aliquid ab ore tuo effluxiſſe, quod in meam redundaret iniuriam. Dictum eſt etiam tibi ſi redires, me amplius non lecturum. Hoc quomodo poſſet facere, qui tantum potuit amare vt & tu ſentires ſimilia, & ingenium docile ſenſu maturiore condires, non credens omni ſpiritui, quia qui credit cito, levis eſt corde: Quod autem propter te ſcholam dimitterem, refellere dignatur amoris authoritas: quod ſi abſurdum eſt, vt ſine omni excuſationum patrocinio ſubruatur; Reſcribe igitur, & alteri tibi teipſum oſtende.

D

Eccl. 19.

EPISTOLA III.

Item ad eundem.

D*ilecto fratri N. frater Nicolaus ſpiritum conſilij & conſolationis.* Tandem reverſa ſunt in me viſcera mea: & cor meum rediit ad me, & ego ad cor meum. Felix dies in qua tibi ſcribere propoſui, ſed illa multo felicior, in qua tu reſcribere voluiſti. Non recedet memoria eius & uſque in ſeculum non derelinquetur, ſed erit mihi clara atque ſolemnis & æternis gaudiis inclareſcens. Amici mei & proximi mei quaſi alieni receſſerunt à me, & obſtupui. Appoſuerunt adhuc precare mihi, quia adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt & indolui. Delictum quoque maximum incurrentes, te lumen oculorum meorum auferre tentaverunt, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea, hic conturbatum eſt cor meum, dereliquit me virtus mea: & qui duo præcedentia robuſtiori mente pertuleram, tertio confectus elangui. Sed nobilis animus & de cœleſti ſede ducens originem, in orbem ſe ſe recolligens redivivi ſpiritus aſſumpſit audaciam, vltimi enim facinoris indignitate commotus, dulcioribus literis purgavit innocentiam ſuam & reliſis obloquentium faucibus, perpetuum ſilentium ſuſurrantibus & invidioſis indixit; mentita eſt ergo iniquitas ſibi: quia maieſtas amicitiæ in perſeverantiæ ſolio collocata, linguas tranſeuntes in terram ſublimi ſecuritate deriſit, nunc ergo poliendus eſt ſtylus, & venuſtiori reſpergendus eloquio, ne verborum nuditas accuſet ingenij facultatem. Quis mihi det nunquam memoriam tuam deſerere, & nunquam ab illa deſeri? Quomodo pati potuit tamen tam longam tam mutam abſentiam? Cum reſideo iudex cogitationum mearum, & ſolus ſolitudinem cordis mei ingredior, admiror vehementer. Et ſi videre non licuit, ſaltem literæ, quæ vera amici veſtigia veras notas afferunt quare defuerunt? Quid eſt quod dico? quia videre non licuit? quænam excuſatio? umbratilibus palliata mendaciis? nunquid uſque ad Trecas mare interfluebat Oceanum? aut impenetrabiles Riphæi montes fuerant interiecti? Sed etſi hæc omnia conveniſſent, nihil eſſe debuit amori invium, nihil arduum diligenti. Conſuevit amor nare ſupra nubes, & aquæ non poſſunt illum extinguere: quia ſolus eſt qui difficultatum inſtantiam ſaltu ſuæ ſubtilitatis ludificare prænovit, difficile & anguſtum, leve facit; & latum opprobrium gloriam indicat, deſpectionem exaltationem eſſe contendit. Quem accuſabo primum aut quem iuſtiorem in noſtra querela? Si verum cupio confiteri: ego ſum qui peccavi, ego inique egi. Quid enim tu feciſti ſimplex & manſuetiſſime puer, & in ipſis arcanis verecundiæ, recluſione mirabili conſignatus? vix audes oculos levare ad cœlum & reſpicere circumſtantes: & ego pudorem altiſſimum altiori oblivione confudi. Factus ſum tibi ſicut urſus, & leo, & ſuperbientis oculi dedignatione, teneritudinem tuæ mentis infregi. Idcirco meipſum reprehendo, transfer peccatum hoc à me. Sed hactenus ſi garruli & ſubverſores ſubvertunt te amplius non ſubvertant: Ne ſedeas cum conſilio vanitatis & cum hominibus virulentos ſermones afflantibus non commiſceatis, memento quia nemo invito auditori aliquid libenter narrat. Sed quia mortui apices non poſſunt applicare quod ſentio:

Nil mihi reſcribas: attamen ipſe veni.

Conſpectus enim & converſatio habent aliquid vivæ voluptatis; quam litterarum elementa non capiant.

A

EPISTOLA IV.

Ad Attonem Trecenſem Epiſcopum multum recommendativa & laudativa.

Hic Hatto ex monacho Cluniacenſi factus eſt Epiſc. Trecēſis an. 1122 ut notauit D. Camus.

M*Agno ſacerdoti & ſuo ſpecialiter Patri Frater Nicolaus fungi ſacerdotio in conſpectu Dei.* Forſitan irreverentiæ arguar qui tātæ reverētiæ ſcribere nō formido. Quid enim ſervus ad Dominū, diſcipulus ad Magiſtrum, ad Epiſcopum monachus? Nihil mihi & illi: cum illum ſummā dignitas, me vilitas alia componat. Tacebo igitur, ne loquens notam loquacitatis incurram: immo præſumam loqui ad Dominum meum: iocundum ſit ei eloquium meum. Dat fiduciam ſtylo ſermo communis, antiquus amor, indiviſa familiaritas. Laudatur Evangelica mulier, quia quod habuit, & fecit: ita & ego facio, quod habeo; litteras habeo, & litteras mitto. Felices litteræ quæ non trahunt ad inſaniam ſed ad modeſtiam, fœlix ſcientia, quæ conſcientiæ poſſidet puritatem. Conſummatus ſenſus, qui ſic ſerpentem exerit vt columbam non deſerat: & ſic columbam temperat, vt ſerpens non tepeſcat. Sublimis eloquentia quæ nec præcipitatur nec præcipitat: quæ docet ordinem, componit mores, patientiam induit, loquitur honeſtatem. Erudita lingua quæ novit, quando debeat proferre ſermonem, quæ tacet in tempore malo: quæ non profert totum ſpiritum ſuum ſimul, ſed reſervat in poſterum. Pectus providum & plenum conſilij; vbi reverentia ſedet, regnat diſcretio, modeſtia dominatur. Quid enim ſenſus valet, ſi inſana non facimus? Quid ſapientia eſt; ſi de ſapientiæ occaſione deſipimus? Quid litteræ ſi litterarum effectum neſcimus? Quid eloquentia, ſi loqui & tacere non novimus? Qui ſenſatus eſt ut diſſentiat, ſapiens ut deſipiat, litteratus ut commoveat terram, eloquens ut linguoſus appareat, non habet partem in regno Chriſti & Dei. Iuſtus qui non cognovit litteraturam, introibit in potentias Domini. Moyſes impeditioris & tardioris linguæ, præficitur ſexcentis millibus armatorum; eliguntur piſcatores & indocti, vt ſapientes & Philoſophi confundantur: & .... ſibi vendicat gloriam de muneribus creatoris, perfectus animus & perfectæ compoſitionis partibus inſignitus quem ſenſus maturior, ſermo diſcretior, habitus reverentior honeſtavit, hanc vobis formam dulciſſime pater impreſſit altiſſimus, & in virtutum altitudinem vita veſtra ſurrexit. Quis enim rectius ſentit, venuſtius loquitur; moderantius viuit? Sed ne videas iterum adulatorio ſermone, rerum obnubilare ſplendorem, omittam cætera. Quæ vero præ cæteris virtutibus in pectore veſtro ſibi delegit principatum, ea, niſi fallor, patientia eſt. Vidi ego oculata fide populos frementes obſtrepere, & circūlatrare, plurimos clericorum turbari, terram ante faciem veſtram & verba volantia in deteſtandum clamorem emergere: vos reſidere quietum, & eo munitum vallo, quo infrendens ſtultitia apparere non poſſet. Vidi iniquos inique agere, & delinquentes exaltare cornu quos ad unum verbum Epiſcopalis auctoritas poſſet ſubruere, ſi in eos irruere placuiſſet. Sed expectabatis paulisper, & de tonante malignorum procella ſecurius ridebatis, donec aut colliderentur adinvicem, aut a ſuperioribus poteſtatibus arcerentur. Singularis virtus in homine ad illorum impatientiam, patientiam exhibere quos habet in poteſtate punire cum voluerit. Currebat ſtylus & affectum meum quibuſcunque litteris indicabat, donec retroſpexi & intellexi longitudinem ſermonis Epiſtolæ limitem exceſſiſſe. Finem igitur facio, & rogo vt interpoſitis eius aliquid reſcribatis & pueruum veſtrum nobilis illius eloquentiæ conſolationibus relevetis.

Pſal. 104. Marc. 12 & Luc. 21.

B

In MS cōpoſuit. Prou. 25.

Pſ. 70. Exod. 4. Exod. 12.

C

In margine antea occulta.

D

E

EPISTOLA V.

Ad Magiſtrum Archidiaconum multum recommendativa.

Suſpicor hāc literam ſolitariam ſignificare Gebuinum cuius meminit S. Bern. ep. 17. & Petr. Clun. 4. epiſt. 34. 35. ubi appellatur magiſter Gebuinus Archidiac.

P*Recordiali amico & Reverendiſſimo Magiſtro G. Archidiacono, Frater Nicolaus in bono miniſterio bonum gradum acquirere.* Tibi ſoli audeo ſcribere cui ſcribere multa præſumptio eſt; paupertas enim ſenſus & ſtyli nuditas ſapientiam tuam reformidat, & eloquentiam reveretur. Vtrumque tibi cumulata felicitate conceſſum eſt, & ſentire ſapienter, & proferre vtiliter. Et quia cogitare de ſapientia ſenſus eſt conſummatus, ſtellantium auctoritas ſcripturarum ſedem invenit in te, manet apud te, de te facit armarium. Eloquentiæ vero præconſiderata diſcretio in ſublimi ſermonis claritate relucens tanta varietate ſe temperat, ut & doctis proſit, & non deſit indoctis eruditus ſermo, lingua polita, vultus hilarior & rhetoricus ſpiritus, amicis placens nec diſplicens inimicis, infelicem invidiam feliciori gloria ſuperavit. Tibi dedit duo talenta talentorum omnium diſtributor & profuſiori ſpiritu. Spiritum duplicem infudit tibi ſpiritus intelligentiæ ſubtilis & diſcretus. Extollant alij Philoſophos, & Grammaticos laudent: & neſcientes loqui, loquaci diriuatione circumſonent: tu ſolus ſufficis mihi, quem & ſenſus prudentior & ſermo venuſtior conſummata perfectione perficiunt. Vidi ego Galliarum Magiſtros, quos famoſi nominis imago protulerat, ante tuam eloquentiam palpitare, & compreſſo murmure unum exire poſt alium, tibi gloriam, ſibi verecundiam reportantes, ſed fuit iudicium, in quo eſſet abyſſus multa, non caligauerunt oculi tui: ſed velociori ingenio præuolantes furtiuam ſententiam dimotis obſcuritatibus inuenerunt. Accedit ad hoc iocundior tuæ mortalitatis infirmitas, quæ ſeueritate lætitiam condiens, ita tuæ mentis incendit arcanum, ut non contrarius, ſed diſſimilis cæteris videaris; conuictus honeſtior, & aureæ mediocritatis titulis inſignitus auaritiam & ambitionem miro moderamine propulſauit. Caſtigata familia, & domi habens unde diceret, non fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos. Sic ſapientiæ, eloquentiæ & diſciplinæ dotibus approbatus, decus Eccleſiæ lingua ciuitatis, populorum exemplum factus es. Felix eſſes Trecis ciuitas, ſi cognouiſſes & tu: ſi cumulum inuidiæ, in admirationis gloriam tranſtuliſſes, noui quid dicam, nec obumbratorio ſermone rerum veritatem velare contendo, ſed defero Dominis, & amicis parco, impudica frondoſitas eſt illum fugere & fugare quem ſequi doctrina, conſequi vero ſumma ſapientia eſt, furioſa peſtis inuidia & ipſum cordis robur exedens, quæ utramque ſubſtantiam moleſtiori debilitatione perturbat. O ſi mihi datum eſſet deſuper adhærere tibi, audire te, tuo conſortio non remoueri. Sed promiſſa ſtabilitas & diſcretioris legis præiurata profeſſio ſubmouent auditorium, & viuenti conſtituunt ſepulturam. Dum linguæ tuæ volubilitas aureo ſermone diffunditur, Tullium, aut Quintilianum vel aliquem ex illis veteribus officinis perorare confiteor: & licet in multa ſapientia multa ſit indignatio: ſublimitatem tamen tuam humilitas tanta componit, ut videatur impletum in te, quod dicitur: *& in veritate tua humiliaſti me.* Exceſſi fateor, & meæ tenuitatis oblitus, longum nudúmque ſtylum tuis oculis præſentaui: Excuſet ergo dulciſſime magiſter orationis defectum affectus integer, & tegat amicitia quod imperitia denudauit. Sit in beneplacito tuæ dignationis ut digneris mihi mittere ſermonem illum quem ſuper illam ſaluatoris ſententiam dicere ſolebas. Si filius vos liberauit, verè liberi eritis, ut liberet à morte peccati, qui ſolus fuit inter mortuos liber Ieſus Chriſtus ſponſus Eccleſiæ filius Dei.

F

ſtum in abbendis concionibus non miſſe ruptem ut hic memorat Nicolaus teſtatur 5. c. ſermonũ eius in noſtra Bibliotheca ſeruatorum.

G

Pſ. 14.

Rectius, frontoſitas.

H

Pſ. 118. v. 75.

EPISTO

Digitized by Google

A

EPISTOLA VI.

*Ad * Petrum Trecenſem Decanum de unitate & dilectione.*

** Huic rurſus ſcribit Ep. 17.*

** Confidentius veſtitus vocalâ ſuper. Reſpexit [illegible] ctor ad operabo idē exa ratam. Luc. 17*

** oppa [illegible] legē dū, imitatur.*

D*Ecano ſuo & vere ſuo frater Nicolaus, à Domino * ſuper decem conſtitui civitates.* Tibi aliter ſcribendum eſt, quia tibi me tota dilectione committo, vnus es, quem affectus meus vendicat ſibi: totumque te toto ſe trahere gloriatur. Ex duobus enim unum facimus & excluſimus binarium alternitatis principem: nec in nobis poſſidet locum dualitas, quos unitas commendat animorum. Spiritualis virtus eſt unitas & illius vnitatis * vnitatur faſtigium, in qua quicquid eſt unum eſt, hanc tantam inter me & te unitatem multiplex innexuit cauſarum pluralitas, & iſtam ſimplicitatem compoſitio multiformis effecit. Dulce colloquium, bona familiaritas, convictus aſſiduus, ſcripturarum amor; venuſtas converſationis, morum gratia. Iuventutis æqualitas, dulcedo naturæ, diſciplinæ modeſtia, & (quod his maius eſt) idem velle atque idem * nolle in unitatem ſimplicitatis duos animos confuderunt. Super hæc omnia ſpiritus tuus bonus; & dulciori ſuperfuſus eloquio mitigavit aſperitatem meam, & quicquid enorme fuerat, in menſuram redegit. Non invenit in me cultioris ingenij ſubtilitatem, nec eloquentiæ gloriantis inſignia, ſed iocundiori gratiâ prævenit is amicum ſuum præventum coluit, & colere non deſiſtit. Grata ſanè confœderatio, quam adulatio non extorſit, quam neſcivit perſonata felicitas, nec fortunæ blandientis in altera proſperitas ſimulavit. Vbi enim inæqualitas eminet perſonarum, non tam amor quàm favor dicendus eſt; & raro amicitiæ magnitudo de fortuna impari pares animos facit. Nihil horum obſtitit nobis, quos nec pecunia, nec fortuna, nec famoſi nominis divulgata celebritas, ſed magnus amor feliciori gloria colligauit. Erubeſcant Philoſophi, & Academicorum linguæ convertantur retrorſum: quæ ſimplex & compoſitum confundentes nihil ſimplex ex compoſitis partibus eluceſcere crediderunt. Ecce duo rediguntur in unum

C

& Ariſtotelicæ ſubtilitatis enervatur inſtantia, quæ verborum multiplicitate confidens, indiviſibilis unitatis ignorat arcanum: Nec præiudicat exterioris habitus ſeparata diviſio: quia non color veſtium, ſed amor cordium, amicitiæ fabricat maieſtatem. Gaudeo ſuper te, & utramque fortunam te vivente derideo: dum aut proſpera tibi communicata ſit lætior, & aduerſa te compatiente ſit lenior. Si fortuna ſuperbiens lucidioris mihi gratiæ curſum abrupit, conſolatio abſcondita eſt ab oculis tuis, nec ante ſereniorem vultum tua facies induit, quàm mihi ſerenitas redderetur. Si demulcens & læta gratioſiori mihi iocunditate reduxit: ſtatim mihi mens lætior, vultus hilarior, ſermo compoſitior inundavit; felici animæ noctem verterunt in diem: ſed mihi infelici diem verterunt in noctem, qui ſeparaverunt nos corporaliter, cum corde non poſſent. Et licet ſpatiorum diuerſitas non

D

minuat diligentis affectum: convictus tamen & converſatio habent aliquid viuæ voluptatis, & collata colloquia dulces amicitias faciunt dulciores. Ecce monachus factus ſum in longitudine litterarum, ſed ſtylum currentem inſtigavit plurimus affectus. Parcat affectui, qui novit affectum: & prolixitatem deputet charitati. Fœlix tu ſed ego multo felicior: conſociales animi corpoream quoque ſocietatem receperant, interim pro præſentia ſit memoria donec utriuſque gaudium impleatur.

EPISTOLA VII.

Ad Priorem & Seniores Clarevallis de eius receptione.

D*Ominis & patribus reverendis Priori R. & conſilio ſuo Frater Nicolaus facere miſericordiam in illum qui incidit in latrones.* Hac vice ſuſtinete modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me: omnem enim mihi fiduciam ſuggerit & humilitas veſtra & neceſſitas noſtra: & illud tertium, in quo mihi ſpem dediſtis, noſtræ puſillitatis ſuſceptio. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, cum ſuſcepimus ſocietatem illam, ſocij facti ſupernarum virtutum, quæ in Clarevallis locis cumulatius immittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Non eſt ergo vanitatis occaſio, ſed affectio veritatis; quia non illa quæ inflat, ſed quæ ædificat, in cauſa eſt. Hoc excelliu libera eſt anima mea licet gravioribus ſe adſtrictam diffiteri non poſſit. Clauſeram quidem me infra memetipſum, vt non eſſet ſermo in lingua mea, ſed affectui meo amplius imperare non potui, quin hoc ſaltem remedio cor meum veſtris cordibus communicarem. Impatiens animus meus & ſe verbis indicare geſtiens, & loqui audet & veretur: æſtuat vt ſe aperiat, veretur ne diſpliceat: laxo tamen habenas & largiori voluntate totus in vocem feror. Familiare erit ſapientibus tolerare neſcientem. Diſceſſi à vobis in gaudio: ſed nolite credere quod gaudium meum plenum ſit. Quale enim gaudium mihi erit qui in tenebris ſedeo, qui lumen cœli; lumen Clarevallis non video? O lumen deſcendens à patre luminum, ubi lucent luminaria in firmamento cœli vnde aſſumptum eſt videlicet Eugenius Papa, luminare maius quod illuminet terram. O felix regio, ub vidi filios Iſraël per ordines & turmas incedere; omnes negocioſos, ocioſum nullum, omnes gladios tenentes & ad bella doctiſſimos in ſpiritu fortitudini terram promiſſionis intrare, ibi vidi ſponſam Chriſti quæ fere vbique rugata eſt, ſine ruga & macula: Illam quæ verè vulnerauit cor ſponſi ſui; illam, quæ i uno capillulo & ocelluli ſcintillatione ſollicitat cœlo rum regem, Angelorum Dominum, Filium Dei Pa tris, & dixi: *Caſtra Dei ſunt hæc. Non eſt hic aliud ni domus Dei, & porta cœli*, quam circumvolat & cii cundat legionum cœleſtium multitudo in ſecuritatei & abſconſionem à turbine & à pluvia. Hæc viden levavi me ſuper me, & in mentis exceſſu raptatus, i ravi & ſtatui pauperem Chriſtum cum pauperibus ſ qui, ut paupertatis præmium invenirem, nec pot nec volui diutius ſpiritum accenſum extinguere: ſ in brevi, multa, & multiplici affectuum multitudi ſubſepulta, veni ad vos ſicut de mari ad portum, promiſſo ad præmium, de labore ad requiem, ſpem de deſperatione: veni ad locum quem eleg Dominus ex omnibus locis, vt ibi non alibi ſedere ad pedes Domini mei, donec audirem criminum r miſſionem in pace; locus ille locus ſanctus eſt, val nemoroſa, vallis abundans, paradiſus deliciarum, gr tiarum hortus, in quo ſi non fuero & vixero m riar. Fraudatus graviter à deſiderio meo, coram D loquor, quia ſi conferrentur in me omnia regna mu di & gloria eorum, nihil eſſet, ſi vobiſcum & in lo illo non adeſſe contingeret: Clarevallis in affect Clarevallis in ſenſu, Clarevallis in præſentia, Cla vallis in memoria, Clarevallis in ore, Clarevallis corde eſt, & teneram animam tenerrima meditati ne ſuccendit. Libenter quidem conſilium veſtru & ſuſtineo & ſuſtinebo; ſed ſi qua eſt pietas, quis charitatis affectus miſeremini mei, miſeremi & educite vinctum de domo carceris: quia carcer vbique ſine vobis. Nunquid non impetrari pot rit à fratribus, immo ab hoſtibus noſtris vt dimitta

A nos in loco iſto, donec veniat communis pater, cui repoſitum eſt, qui ſpiritu oris ſui dividat inter diem & noctem vel inter diem & diem? Nunquid in tanto conſilio tantillum conſilium manendi inter vos non poterat inveniri? Recordamini Prioris, quem ipſa ſenectus venerabilem reddit, & iuvenis quem bona voluntas & multa vtilitas amabilem facit: qui non habent conſolationem, conſilium niſi à vobis, & in vobis, ſentio quia nimis progredior & egredior vltra modum meæ puſillitatis. Sed excuſet compaſſio, quod oratio aula eſt & prolixitatem charitas tegat: & quia poſt Deum omnem ſollicitudinem meam proieci in vobis, ſit in beneplacito veſtræ dignationis vt mittatis nobis Dominum * 1 Gaucherum quia multa vobis habeo dicere, quæ ſcribere auſus non fui: ne B forte Epiſtola in curioſorum manus incideret renunciate nobis dignationem veſtram, & liberetis nos à circuitu iſto, vt vos liberet ab omni malo qui ſolus fuit inter mortuos liber ſponſus Eccleſiæ, filius Mariæ Dominus Deus noſter.

1 Hunc puto eſſe, Gaucherum quem S Bern. epiſt 267. appellat Galterium [illegible] C. arcval. ex Cluniac. tranſlatum & ad quem [illegible] poſtea epiſt 45.

EPISTOLA VIII.

Ad Theobaldum Priorem, qui cum eo ordinem intraverat & exierat, revocatiua.

DOleo ſuper te, pater Theobalde, & dolor iſte in conſpectu meo ſemper. Quotidie fit recentior & vulneri vulnus * inſigens tam acriter quàm pertinaciter affligit ſpiritum meum, renuit conſolari anima mea; memor fui tui, & contriſtatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Nec ſic memor vt obliviſcar, C ſed ſic, vt adurar magis ac magis. Credebas me fortitan oblitum tui & ex illorum eſſe numero qui colunt proximum dum benè ſuccedit: cum malè eſt, non agnoſcunt. Sciòque male tibi eſſe, nec fuit cuiquam peius, niſi quis ſimiliter aberravit. Homo eras in honore poſitus, plenus dierum, & literarum bonæ voluntatis & multæ vtilitatis, ſocietatiſque dulciſſimæ. Noverant te tam curiæ quam Eccleſiæ, principes: & ſic vixeras in ordine contra ordinem, vt à mundi actibus alienus non eſſes. Quicquid dulcius habuit, habueras & eructaveras ex hoc in illud. Mihi quoque tanta familiaritate devinctus eras, vt mirarentur etiam noſtri, noſtris temporibus 1 * Scipionem & Lælium revixiſſe. Vno denique conſenſu reliquimus omnia: & de veteri teſtamento & umbra Cluniacenſium, ad Ciſtercienſium evolavimus puritatem. Nam iuxta Pauli vocem, ſi prius illud culpa vacaſſet, non vtique 2 * ſecundi locum inquireremus, & habent revera obſervationes veſtrorum cum D obſervantiis Iudæorum nonnullam ſimilitudinem. Illi enim in auro & purpura, in cibis & potibus & variis baptiſmatibus omnem ritum divini cultus intulerant: Ita & apud 3 * vos, vbi plus eſt auri, plus creditur eſſe & meriti: vbi plus palliorum, plus morum: vbi plus epularum, & veſtium: ibi verior obſervatio mandatorum. Hæc autem fecimus non ſubita, vti aſſolet, commotione iactati; ſed moroſa deliberatione firmati dedimus ſocietatis dextras ſub Sacramento & teſtimonio divinitatis, & in manu quidem forti receſſimus ab eis & ad iſtos acceſſimus: vbi te vidi virum virtutis, quem nec minæ concutere nec blandimenta ſeducere potuerunt. Quid plura? Egreſſus ab illis, ingreſſus ad iſtos, ad illos regreſſus es. Egreſſus commendabilis, ingreſſus prædicabilis, ſed execrabilis eſt regreſſus. Non eſt hic regreſſus ad patrem; ſcandalum reliquiſti tuis exiens, rediens multiplicaſti. Noſtri enim viderunt & doluerunt, ſed compaſſione moti; non regreſſione vel tranſgreſſione turbati. Si væ illi, per quem quodlibet ſcandalum venit: quid illi, per quem tot & tam E gravia ſcandala provenerunt? Sed dicis fortaſſis, Pungebat me tunica, turbabat eſca, premebant calores, vigiliæ fatigabant, cruciabat ſilentium, cogitatio contorquebat. Hæc quidem prima abſtinentiæ gravia erant, & prope erat, ubi cupiditas relangueſceret & Deus tuus in adiutorium tuum. Si clamaſſes: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Ps.60. Nunquid ſubtraheret manum ſuam, qui implet omne animal benedictione? *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Ps.141. Ps.49. Ego quoque ex eodem luto formatus eram in tanta teneritudine & celſitudine nutritus qualem & ego novi & tu non ignorabas. Ego ſaltem te retinere debueram tam propter exemplum, quam propter affectum; ſed F tu rectitudinis & neceſſitudinis oblitus exiſti à concilio multorum & congregatione ad primum impetum, Propheticæ & Evangelicæ voces corruerunt in te: quia qui iuxta Prophetam ad punctum & in modico dereliquerat te, revertebatur ad te in miſericordia & miſerationibus ſuis multis: Iſa.54. Nunquid novum aliquid habet mundus quod offerat iterum redeunti? 1.Reg.19. Nunquid iuxta vocem Berzelai, cum ſeptuagenarium exceſſeris, vigent ſenſus tui ad diſcernendum ſuave & amarum; aut delectare te poteſt cibus aut potus, aut mulcere aures vox cantorum aut cantatricum? Quam melius iuxta exemplum glorioſiſſimi ſenis, etiam ſi mori oporteret, glorioſam mortem quàm vitam amplecteretis odibilem & diceres cum eo. *Suſtinendo fortiter, ſenectute dignus apparebo. Adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ne maculam vel execrationem ſenectuti meæ exquiram. Nam & ſi in præſenti tempore ſuppliciis corporis eripiar, ſed manum omnipotentis neque vivens, neque defunctus effugiam.* Hæc decerent hominem priorem ordine, magiſtrum honore, provectum ætate, canicie reverendum. Nemo tibi de reditu blandiatur, quia iuxta Satyricum tuum, *nemo nocens abſolvitur, ſe iudice*, cum tu tuam conſcientiam tecum portes, & te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem, propter hoc plorans ploravi, & plorare non deſinam cum videam alterum me tam graviter periclitari, ne dicam G apoſtatare, & mortem imminere extremæ ſenectuti; non enim habet quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem: quia neceſſe eſt mortem ſenectutem ſequi. Propterea, dilecte mi, redi ad cor tuum & feſtina venire ad hominem Dei: ſpretiſque omnium conſiliis, conſilio eius committe animam tuam, ne perdas eam cave iterum ne hominibus vel negotiis ſecularibus manum mittas: quia hoc & ſummæ infamiæ eſſet & extremæ dementiæ. Quod ſi perſeveraveris dicens non faciam hoc, ſed voluntatem cordis mei perverſi ſequar; neque iniquitas mea neque peccatum meum amplius. Erunt autem litteræ iſtæ inter me & te in teſtimonium ante terrificum tribunal illius, qui tunc non parcet, nec miſerebitur: quia iuH ſtitia plena erit dextera ſua. Quod ſi ex me, quæ circa me ſcire cupis, audi breviter. Nicolaus tuus mortem perdidit, & vitam invenit ad votorum plenitudinem: deeſt mihi reſurrectio tua, quam ſi videre & audire contigerit, non ſum fraudatus à deſiderio meo. Vale, & memorare noviſſima tua.

Marginal notes: *Hæc erat Eleazari nomen relege hiſt. ex 2. Mach. 6 c. hac ſut. 5.28. Iſthæc. 25. ſic præpoſtere allegavit. Iuven. Sat.13.*

*1 * Tul. in Lælio teſtatur fuiſſe memorabilem utriuſque familiaritatem. 2 * Locus eſt ca. 8. Epiſt. ad Hebr. ubi Apoſt. præponit novi teſtamenti miniſterium veteri. 3 * Hoc eſt apud Cluniac. de quibus leges haud abſimilem Epiſt. 1. S. Bern.*

A

Epiſt. 146. S. Bern. appellatur Burcardus. vide notas ad eandem Epiſt.

EPISTOLA IX.

Brocardi Abbatis de Balerna ad ipſum Nicolaum de converſione & nova dilectione congratulativa.

D*Ilecto ſibi multum & amabili valde Nicolao frater Brocardus de Balerna à ſalute in felicitatem.* Hac vice prima in ſimplici ſtylo recipe me : & ſine modo, ut quadam compoſitione graduum liceat aſcendere ad animal primum pennatum implumi beſtiolæ. Si teſtudo eſt, quomodo loquetur avi pennatæ? Si talpa eſt, qualiter cum cervo ſaliet? Si cicada quomodo † citillabit ad oloris melodiam? Concede quæſo ut in ſimplicitate mea tanquam hebes vetulus accedam ad iuvenem chalybatum; Incidentis aciem perſenſi, ideo chalybe à ſimili mihi ſit argumentum: At etiam hebeti & obtuſo, opus eſt & chalybe, præfatiuncula hæc ſtet hic. Gratias ago Deo nova facienti omnia pro novo mirabili de immutatione nova innovati Nicolai: Qui fecit album de nigro, novum quid fecit & mirabile: ſed hoc mirabilius eſt inter omnia nova, & novo novius quod de tali nigro tale album factum eſt. Bene & optime potuit facere, quem feciſſe conſtat, ut Æthyops pellem ſuam mutaret. Hæc mutatio dexteræ excelſi. Benedicamus illi conflatorio, in quo ſic conflatum eſt & purgatum ut ad albedinis claritatem perveniret cum nova admiratione & novo gaudio. Sed quid ad me de hac novitate? Multum per omnia. Etenim novam gratiam noviter me accepiſſe glorior in hac novitate de nova noticia & nova familiaritate & nova dilectione, nova inventio, novi theſauri de novo amico noviter invento. Huic ſcriptum eſt: *amicus fidelis protectio fortis: qui invenit illum invenit theſaurum*, cuius memoria delicias mihi operatur incomparabiles & recordatio iocunditatem, & conſideratio ſuavitatis abundantiam, & perfruitio gaudij novitatem. An non iſta nova ſunt, à nova inventione decurrentia & uberrime redundantia? Hæc à te ad me, ſed à me, quid ad te? Dico, purga, poli, lima, rade, ſculpe, innova, depone, lava, terge, ut album noſtrum purgatum, adhuc ibi amplius quam † ſeptuplum purgetur.

Hic videtur legendum ſaltitabit

B

Pſal. 76.

Eccl. 6.

C

Ita legit dum Nicolaus Faber advertit

EPISTOLA X.

Reſcriptum ad eundem de unita dilectione.

R*Everentiſſimo Patri, & amico chariſſimo Brocardo Balernenſi Abbati, Frater Nicolaus in vero ſalutari, ſalutem.* Vidi literas veſtras, immo vos in literis veſtris, & de camino fornacis ardentiſſimæ ſcintillas evolantes incurri: nec aduſtus ſum ex eis, ſed accenſus & in medullas cordis, verba flammantia deſcenderunt & incenderunt eas. Beatum ſanè pectus, quod charitatis flamma profundius abſorbuit in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris. Felix anima, ubi vera paupertas, inexpugnabile refugium & ſingularem requiem fabricavit. Dulciſſimus animus, quem ſpiritus humilitatis largiori gratiarum flumine placidiſſimè circumrotat. Vigilantiſſima mens, de qua tam ſapientiæ quàm eloquentiæ fontes & perenniter & affluenter ebulliunt. Denique conſummatiſſimus homo, in quo virtutum concentus & conventus ſcientiarum reverendum ſibi thalamum conſecravit. Nunquid varietatis, & non potius veritatis ſunt hæc verba? Veritatem dico, non mentior teſtimonium perhibente mihi conſcientia mea. Novit etiam ille divinus intuitus, * cuius oculis omnia nuda ſunt & aperta: quia ſicut in ſcripto, ſic & in animo, ſentitque anima, quod continet pagina, longeque ſublimius quam mortui poſſunt apices deſignare. Vnus & unicus eſtis poſt illum unum, quem diligit anima mea, qui principalem in pectore meo manſionem habetis. Sed & ego in ſacrarium veſtræ dilectionis receptus, veſtris viſceribus inviſceratus ſum in æternum & in ſæculum ſæculi. Sola mors, quæ horrendum divortium amicorum facere novit, poterit hanc intercidere unitatem: immò nec ipſa, forſitan autem & huic ipſa comparabitur unitati quando tanto unicius, quanto inviſibilius occurremus in unitatem fidei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Tunc ex omni parte, omni arte callidi tergiverſatoris eluſa & eliſa videbimus Deum in nobis, nos videndo alterum in altero ſubtili iocunditate & iocunda ſubtilitate: quia, qui *adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Si itaque cum omnes adhæſerimus Domino unus ſpiritus erimus cum Domino. Ergo in illa civitate munita & unita, unitas ſola regnabit & implebitu illud quod puer cytharædus ſic intonat: *Hieruſalem quæ ædificatur ut civitas, &c.* Sed hæc cogitet, qui cogitare ſufficit: quia & ſi ex his afficior, defecit, fateor ſpiritus meus, nec aſſurgit vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Hic enim opus eſt & viſu mundiori & ſenſu profundiori cum utrumque longè à me & ultra me eſſe non ambigam. Interim me feliciſſimum dico & indico cui ſola notitia veſtra, quæcunqu reliqueram largè centuplicavit. Inde eſt quod licet præſentia corporis remotus ſitis à me: memoria tamen cordis totus eſtis apud me, & in me & mecum, non ſine multa dulcedine iocunditatis. Si poteſt mihi auferri cogitatio mea, poterit & dilectio veſtra, quandiu illa fuerit in me, non eritis ſine me: quia vera eſt nimis, ſententia illa, animus amico poſſidendus eſt, hæ autem nunquam abeſt, ſed hactenus. De cetero ita ne ludere vultis cum puero iſto, ſanè dignanter atqu amicabiliter: ſed ſi ita luditis, ut non illudatis: poſtulatis vos recipi à me in ſimplici ſtylo, cum ego totu obſtupuerim in luce ſagittarum veſtrarum, in ſplendore fulgurantis carthæ veſtræ. Tota pagina phalerat eſt, & ſplendoribus rhetoricis inauratur, & fecundiſſim ſenſus, ſententiarum maieſtate ſcintillant. Alteratis enim verba eadem in eadem pagina & difficillima, ſed facillima vobis ſubtilitate: colores oratorū in manu veſtra cerei ſunt, ille ne ergo implumis eſt beſtiola, qui floridiſſimas & multiplices artium pennas ſenſibus ſuis inſuit ut directior exeat ſagitta verborum? Nunquid ille teſtudo eſt qui tam cognitione, quam dilectione veritatis in verticem rerum attolletur? Quomodo talpa eſt qui cordis oculos illuminatos habet qui terram & terrena contemnit? An cicada qui voce magna clamat a Deum & poſt Deum die ac nocte: magna humilitas & magnum eſſe, nec ſentire ſe magnum. An pennatum animal ego ſum, de ſex alis pennatorum animaliu nondum penna, necdum ala ſubcrevit? Cervus ne eg qui necdum, perfeci pedes meos tanquam cervorum & ſuper excelſa ſtatutus ſum? Siccine cygnus voco qui nondum dedi voci meæ vocem virtutis: cuius albedo ſi qua eſt, necdum tamen eſt in ſinceriſſimum re purgata candorem? Sed amicus eſt qui loquitur, & illum de quo loquitur, vehementer pectori ſuo impreſſi Credit quidem propter quod loquitur, & ardenter credit de amico, quod etiam de inimico libentiſſime crederet. Porro illa, duo ſecretiora verba, quæ mihi mandaſtis, collegi & collocavi inter verba mea: quæ & ſi perſonata non ſunt, tamen ſerpere deſierunt. Dabo autem operam elimare & eliminare quod reſiduum eſt ne quid in amico ſit quod amicum offendat. Salutat vos H. veſter & mandat vobis quia prope eſt dies i quo feriet pactum cum Domino Deo ſuo, cui vos intereſſe & inſtanter ſupplicat & conſtanter requiri Promiſiſti enim: ſed & G. meus, & veſtro, qui hæc excèpit, individuus comes ſcriptitationum mearun memoriam veſtri ſpiritus in ſuo ſpiritu pleniſſime collocavit. Valete & orate pro utroque, quia uterqu veſter eſt.

D

Hebr 4.

EPISTOLA XI.

In perſona Patris Fratris Girardi de Perona, ad quendam hominem ſuum de ingratitudine.

DIlecto ſuo N. Frater Girardus diligere iudicium & iuſtitiam. vetus proverbium eſt & veterum ore celebrata ſententia beneficiorum memoria labilis eſt, iniuriarum verò tenax. Nihil enim, vt Philoſophus ait, inter homines, tam celerrime conſeneſcit quàm beneficium, cum æternæ memoriæ configendum ab omnibus prædicetur. Hanc peſſimam conſuetudinem invenerunt filij hominum vt diſtendantur in ea, quia gratiis ingrati ſunt, & beneficiis non voluńt reſpondere. † Ingratitudo peſſimum vicium, diſperſio virtutum, meritorum exinanitio, ventus furens & vrens, exſiccans miſericordiæ fontem, rorem pietatis extergens, & obturans flumina gratiarum. Hæc & ſi propter te penitus dico, volens ad beneficia commouere. Tu ſcis quia multa bona feci tibi, & feciſſe me gaudeo: Non eſt iſta commemoratio quaſi exprobatio beneficij accepti, ſed commonitio quædam; vt quod mihi amplius facere non potes facias filio meo: quia ipſe in me, & ego in eo. Natura enim & vſus habet, vt qui diligit patrem, diligat & filium, diligatur à patre. Ipſe tibi multa debet, ſed tu mihi multa debes; & hoc multum contra multum debet eſſe quædam laxatio debitori. Fac cum illo gratiam & benignitatem: quia quicquid illi feceris, mihi factum eſt. Sic enim liberabis & apud Deum & apud homines; & omnes qui audierint dicent, quia fecit quod debuit facere homo iſte. Ego autem G. vti chariſſimum meum rogo, vt prædicto R. litteras iſtas legas attentius & per ſingula verba diſcutias.

† *B. Bern ſerm. 51. in Cant. idem ferme ſcribit*: ingratitudo ventus vrens [quod ſit] ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ, ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. *Epiſt. 2. eandem vſurpauit ſent. ex Comico in And.*

EPSITOLA XII.

Ad Abbatem Igniacenſem in perſona Prioris concordatiua.

Ludit in nomine Igniacenſis

ET *dilecto & multum diligendo patri, Igniacenſi & Abbati Fr. R. de Clareualle ſancto * igne igniri.* Tantò ſecuriùs ſcribimus vobis, quantò ſinceriùs diligimus vos, & hæc pro negotio veſtro. Omnia enim veſtra, noſtra ſunt, & noſtra veſtra ſunt dilectiſſime pater. Eſt negotium inter noſtros Igniacenſes, & veſtros Clarèuallenſes quod vobis G. M. imò & veſter viua referet voce, ipſum enim audietis tanquam nos. Supplicamus igitur quatenus tam pro matre veſtra Igniacum cum prædicto G. eatis; & ſecundum quod ipſe ex parte noſtra dixerit vobis, negotium terminetis: cum enim communis pater dominus Clareuallenſis venerit, tunc etiam iuxta conſilium veſtrum omnis cauſa & omnis controverſia decidetur, quod ſi vos (quod quidem non expedit) ire non poteſtis, ſit in beneplacito veſtræ dignationis, vt fratrem Henricum de Viviſembero, illuc mittatis qui vice veſtra ſtatuat quod conſtituendum eſt.

EPISTOLA XIII.

*In perſona fratris Henrici regis Franciæ ad dominum Clarevallenſem pro Epiſcopo * Alecenſi.*

PAtri ſuo, *filius ſuus, Henricus quicquid filius patri,* non eſt inſolentia, ſed confidentia quòd vobis ſcribo benigniſſime pater: Scio quia non eſt meum loqui ſicut vulneratus N. & dormiens in ſepulchris; ſed zelus fateor, vrit animam meam, pro paupere iſto Epiſcopo: qui, quia iuſtitiam coluit, voluit æquitatem: plaga inimici percuſſus eſt, caſtigatione crudeli; Quia voluit ſedere in ſede ſua, & Epiſcopo Epiſcopalia reſignare hoc eſt maximum & primum peccatum. En ſanguis iſte de manu eius exquiritur. Si quid ergo ego poſſum in oculis patris: Imò quia multum poſſum, facite negotium eius, ſicut illi noueritis expedire, de cætero lætus & incolumis ſum, & expecto videre faciem Dei. Prope eſt enim dies deſponſationis meæ, quo feriam pactum Domino cum Deo per manum veſtram, & ſub cuſtodia veſtra vt ſeruiam ei die ac nocte & omnibus diebus vitæ meæ, amantiſſime pater.

* *Cautio, ni fuerit legendum* Alecenſi, *vel* Alitenſi: *ſic enim* *Sigeb. ſedem Epiſcopatus (quem hodie dicunt de S. Maclouio S. Mallo appellare) Alitam quondam fuiſſe dictam obſervavit ad annum 1182. Hunc autem Epiſcopum puto eſſe illum ipſum Ioannem, cuius eſt mentio in notis ad epiſt. 359. S. Bern. Infrà leges iterum epiſt. 23. eius gratia ſcriptam. Porro coniecturam meam de lectione, Alecenſi pro Alcenſi confirmatur vltima periodo epiſt. 23. id eſt, vbi diſertè ſcribitur eſſe comprovincialem Archiepiſcopi Turonenſis imò diſertius epiſt. 142. vbi nuncupatur* Alecenſis.

EPISTOLA XIV.

In perſona Domini Clarevallenſis, Comiti & Baronibus Britanniæ pro negotiis crucis.

COmmota eſt, & contremuit terra, quia rex cœli perdidit terram ſuam: terram* vbi ſteterunt pedes eius inimici crucis eius vnanimiter ſimul adverſus eum teſtamentum diſpoſuerunt, & qui oderunt eum extulerunt caput. Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul: * hæreditate poſſideamus ſanctuarium eius. Officinas redemptionis noſtræ euertere moliuntur, & loca Chriſti ſanguine dedicata profanare contendunt. Præcipuè autem illud Chriſtianæ religionis inſigne: ſepulchrum, inquam, in quo ſepultus eſt Dominus maieſtatis, vbi facies eius ſudario ligata eſt omni niſu nituntur evellere. * Agitauit manus ſuas ſuper montem filiæ Sion, & niſi Dominus cuſtodierit prope eſt, vt irruant in civitatem ſanctam Hieruſalem, in civitatem Dei viventis, ſuper quam invocatum eſt nomen eius. Populi Chriſtiani partim coniiciuntur in vincula, partim trucidantur ſicut oves occiſionis: Videt & diſſimulat ille magnus providentiæ oculus, vt videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum: ſi ſit, qui doleat vicem eius, qui reſtituat hæreditatem ſuam ſibi. Et cum omnia poſſit, cui ſubeſt omnia poſſe cum voluerit; vult tamen nomini Chriſtiano victoriam aſcribere, & ſuper tribulantes eos mittere manum ſuam. Propterea inſtantiſſima poſtulatione Domini regis, Apoſtolicoque præcepto in Paſchali ſolemnitate ad * Verzeliacum celeberrimum locum advenimus vbi Dominus rex cum principibus regni & populo multo ad diem feſtum convenerant. Expoſitus eſt autem lacrymabilis iſte dolor in conſpectu omnium & recitatæ ſunt litteræ iſtæ domini Papæ,

Ep. 322. S. Bern. relata etiam [ab] Otton. Friſ. li. 1. de Geſt. Fred. leg. quid pid ſimile. Pſal. 132. Pſal. 82. Eſai. 10. Pſal. 13. Sap. 12. al. Viceliacum in continuat. Sigib. & Aymoini

A quarum exemplar univerſitati veſtræ tranſmittimus. Emollivit autem corda eorum Spiritus ſanctus: & ſtatim rex cum multa * multitudine principum, & innumerabili populo, ſigno crucis Chriſti armatus eſt, diffunditur autem benedictio iſta per univerſam terram, & certatim evolant omnes ad ſuſcipiendum ſignum ſalutis in frontibus & in humeris ſuis. Et quia terra veſtra fœcunda eſt virorum fortium & militari iuventute referta decet vos inter primos & cum primis ad tam ſanctum opus accedere & armatos aſcendere ad ſerviendum Deo viventi. Eya igitur fortiſſimi milites accingimini: & qui non habet gladium, emat eum. Nolite deſerere ſolum regem veſtrum regem Francorum, imò regem cœlorum: pro quo ipſe tantum viæ & laboris ſuſcipit. Venit ad vos homo Dei Dominus Carnotenſis, qui plenius vos doceat quæ B dicta & facta ſunt, & oſtendat largiſſimam * veniam, quæ in literis domini Papæ, ſuper eos qui cruces ſuſceperunt, continetur. Pro illo, qui pro vobis mori dignatus eſt, defendite loca mortis eius & redemptionis noſtræ: Ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum? ut vos faciat victorioſos in terris, in cœlis glorioſos, ſponſus Eccleſiæ filius Mariæ Dominus Deus noſter.

Suger in vita Ludovic. & Aymon. c. retin. ennumerant.

Randem, an fuit, ipſe apud Ottom lib. 1. de Geſt. Fred. ca. 31. quam Vrbanus Papa inſtituerat Pſ. 113.

EPISTOLA XV.

Ad quendam ſocium: commendat Clarevallenſes & incitat reddere vota.

QVanto dolore tibi condoleam, noverit ille, qui dolores noſtros portavit. Abſit autem contempſerim, quia non ſcripſerim cum tibi ex fraternitate & familiaritate debeam quicquid ſum; & ex charitate, quicquid facere poſſim in Domino. Sed tu ſcis quia C inter homines ſum, in quibus viget diſciplinæ cenſura. Morum gravitas, maturitas conſiliorum, authoritatis pondus, taciturnitatis inſigne. Nolo autem argui ſingularitatis, ut cum illi vacent, & videant, quoniam ipſe eſt Deus: ego ſtylum & tabulas revolvam ut revolem ad faleras gloriamque verborum. Tamen à cuſtodia matutina uſque ad noctem nihil aliud facio: non illis imputetur qui mihi hæc oneris impoſuerunt & poſuerunt me multa ſcribere, & reſcribere multis. Plorare enim & orare deberem; & iuxta Prophetam ponere in pulvere os meum ſi fortè ſit ſpes, ſi fortè videat humilitatem meam Dominus, & laborem meum, & dimittat univerſa delicta mea. Quod dicis, Quia non eſt cura mihi de aliquo; aliter eſt. Nec enim quia in Clarevalle ſum, affectus humanos vel exui vel exivi: ſed teſtis mihi eſt Deus quomodo vos omnes habeam in viſceribus meis: à quibus etſi corporaliter receſſi, corde tamen non recedam in æternum & in ſæculum ſæculi. Te autem impreſſiùs poſui in ſignaculum ſuper cor meum: cuius mentem & D ex parte novi & pro quo ſæpius expandi manus meas ad illum, qui non ſprevit neque deſpexit orationem pauperum: ſed neſcio ſi poſuit lachrymas meas in conſpectu ſuo. Quod ſecularis es & ſecularibus coniunctus, quam ſis morti proximus tua ſcientia & conſcientia non ignorat. Quod arcana mentis tuæ mihi denudare non audes ſcribendo, poſſes colloquendo: niſi magis timeres homines quàm Deum. Quod te poſt me & à me trahi ſperabas, iam impletum eſſet: niſi tu trepidaſſes timore ubi non erat timor. Tu ſcis quàm fideliter & efficaciter te trahere voluerim de fornace ferrea magnæ Babylonis; ſed tu de manibus meis relapſus es ad antiquum incendium. Quod peccatum huius diſceſſionis dicis te lachrymis & ligone pœnitentiæ deleviſſe. Vtrùm verum ſit: Sed in peccato manere, & peccati veniam impetrare non eſt illius qui dicit: Ex ore tuo iuſtificaberis aut ex ore tuo condemnaberis. Si noviſti quod non ſoluiſti, præſertim cum noveris vel de malo ad bonum vel de bono ad melius pertranſire: Vide quamdiu non facias, ſi in utramque aurem valeas obdormire, & audi ſuper hoc quid ſentiam, nec meam ſolum, ſed & beati Gregorij in 1. Paſtorali ſuo. *Quiſquis*, inquit, *maius bonum ſubire propoſuit, bonum minus quod potuit, ſibi illicitum fecit.* Item ipſe in 2. Homilia tertia ſuper Ezechielem *Sunt nonnulli qui bona quidem, quæ noverunt operantur; atque hæc operantes meliora, quæ deliberant: ſed expectantes meliora, quæ deliberant, 4. mutantur. Et quidem bona agunt quæ cœperant: ſed à melioribus, quæ deliberaverant, ſuccumbunt. Hi nimirum ante hum ma iudicia ſtare videntur in opere; ſed ante Dei omnipotentis oculos ceciderunt in deliberatione.* En ſpeculum, in hoc non vultum nativitatis, ſed factum tuæ reverſionis conſidera. Quod verò bonum ſit maius aut minus, ſuperius aut inferius, arctius aut remiſſius, novit omnis Eccleſia ſanctorum. Quod autem ſtatim tuis literis non reſcripſi, non potui pro paſſione Domini: in qua vix nuntio tuo vel licuit vel libuit conferre ſermonem. Humbertus ille, qui hominem exuit non eſt ille communis pater, de quo tu dubitas, verſus 5. Galteri mei, imò & tui nondum habui. Sed & ſi vidiſſem, non perlegiſſem 6. quia nos nihil recipimus, quod meretricijs legibus coërcetur. Ecce mitto ei epiſtolam, quam fidei tuæ ſub teſtimonio divinitatis commendo ut eam inveni ſignatam & integram reconſignes & cum ipſe viderit, videas eam. Dominus autem Abbas noſter ad præſens veniet ſicut nobis mandavit, de cætero paratus ſum tuam in omnibus cum voluntate Domini facere voluntatem. Vale, & cogita quia mori te oportet & illic pergere ubi conſtituta eſt domus omnis iuventutis. Quicquid dico, dicit & Girardus.

Eſa. 53.

Ier. Tr. 3.

Pſ. 24.

EPISTOLA XVI.

Ad Walterium nobilem iuvenem, rogans eum ad ordinem remeare.

SVo Waltero, ſuus Nicolaus. In ipſis converſionis meæ principiis principaliter propoſueram tibi ſcribere, quam proſcribere & ſi non valui, volui tamen. In multis & per multa & multùm peccaſſe me memini ſed nemini tam multos tumultus meæ malignitatis incubuit, incanduit ſæpius indignatio mea contra eos qui propoſuerunt adverſum me mala pro bonis & odium pro dilectione mea, ſed in te pro amicitiis inimicitia execranda converſione converti. Non eſt neceſſarium errores & horrores illos epiſtolari caractere renovare qui & ſepulti ſunt ante oculos hominum, ante Dominum non ſunt ſopiti. Quoniam ait *Sanctus, mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit.* Igitur tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Re vera malum: quia malus eram voluntate, potestate peior, ſed peſſimus auctoritate. Omnia votis meis pleniùs reſpondebant dum me circumfunderet & confunderet adulantium favor: & qui retunderet ne unus quidem. Quis enim ſe opponeret vento furenti & urgenti, qui ab Aquilonis partibus totis artibus ſibilabat. Bonum eſſet ei ſi natus non fuiſſet homo ille cui voluntas & præſto ſunt, ſi benignitas deſit ſed hæc erat hora & poteſtas tenebrarum, in qua iam urgebat ſuper me puteus os ſuum, niſi totis miſericordiæ viſceribus vigilaſſet ſuper me ille miſericors pietatis intuitus. Huius rei gratia ligaveram linguam, invaginaveram ſtylum, ne fortè magis te ad iracundiam provocarem, quàm revocarem ad gratiam. Sed tu læſus poſtulas veniam & prævenis me in benedictionibus dulcedinis, ſupplicans ut ſcribam tibi aliquid in veteris amicitiæ argumentum. Gaudens & audens occurro gratiæ redeunti: & ambabus, ut dicitur manibus, traho & retraho te ad cor meum. Eya, accipe affectum meum, ſed alium, & aliter quàm ſolebam. Nec attendas hic ſplendidioris eloquentiæ claritatem: quia hæc eſt unum eorum, quæ retro obliti

lum

Digitized by Google

A ſum ; quod mihi ſæpius inſolentiam & extollentiam miniſtrauit. Stylus enim ſententiarum maieſtate ſcintillans, & vernantis eloquij rutilans poſitura, philoſophum decet non monachum, oratorem non exploratorem peccatorum ſuorum. I uerum exuiſti, exiſti adoleſcentem virum & ſtatura & ætate reddens. Nobilis es, iuvenis es, literatus es, iuratus es, in militiam regis cuius regnum eſt omnium ſæculorum. Vt tibi illud Virgilianum off ram:

Æneid. *Nunc animis opus Ænea nunc pectore firmo.*

Nunc verè opus eſt animo maturiori, & corpore grauiori : vt quicquid vitiorum infantia præcipuit, rapuit adoleſcentia, ſaltem virilis ætas eliminet & elimet. Hoc etiam ſi non propter pœnam inferni vel gloriam regni ſuſcipiendum tamen eſt propter compoſi-B tionem morum & vitiorum expunctionem. Nobilis enim animus, & de cœleſtibus officinis ad imaginem Trinitatis elapſus, pudere debet putidis artubus deſervire & ſic ſervire in carnem ſuam vt eam ad nutum rom. 30 nutu citiùs & ducat & reducat. Salomon domum illam aſſerit incompoſitam & expoſitam perditioni, in qua ſervus regnat, & ſtultus ſaturatur& ancilla eiicit dominã ſuam Domina, mens eſt, ancilla, caro : ancillam dominari, & dominam ancillari extremæ dementiæ eſt. Si exigit ratio ab omni homine, quid tu debes rationi & rationis auctori, quem & conſcientia ligat, obedientia vocat, poteſtas tangit, angit neceſſitas ? Ferè enim ab vberibus matris tuæ collocatus es in ſanctuarium Dei, ad ſanctè vivendum, & ſerviendum Deo viventi. Si carnis tunicam impollutam ſeruaſti, ſi vnicus virginitatis candor puerilia membra ſine intermiſſione veſtiuit : ſtandum eſt, & inſtandum donec tranſeas ad candidatorum gregem, qui Virginis filium, Vir-Ier 33 ginum ſponſum per floreas manſiones ſequuntur. Quod ſi iuxta * Prophetam in Ægypto fractæ ſunt manus tuæ, & cum Chriſtus tecum dormiret diſcooperuiſti te & ſuſcepiſti adulterum : exeundum velociùs & devotiùs tranſeundum illuc vbi eſt vita : vbi digni pœnitentiæ fructus primam reddant innocentiæ ſtolam, & in paternos revocent & reducant amplexus, Si non me retineret, dilectiſſime iuvenis, honor religionis, timor præſumptionis, amor habitationis antiquæ, iam regerminaret antiqua loquacitas C & oſtenderem tibi quam horridum & horrendum eſt ibi vivere, vbi mori non audeas. Verum tamen ne penitus ſpiritum libertatis extinguam, intende paucis quod te non parum attendere volo. Quid facient ante faciem tuam, Domine Ieſu, qui in ordine ſunt : vbi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat? qua fronte, quibus oculis, qua mente qua conſcientia intuebuntur vultum gloriæ tuæ qui totum ſuperbiæ montem idolum abominationis peſſimæ contexuerunt? & licet operti ſunt iniquitate & impietate ſua, diſcooperti ſunt tamen & venerunt clericis in opprobrium, ſecularibus in deriſum, orbi in fabulam, ordini in ruinam ? Quis dabit mihi 1 * gladium Phinees, 2 * zelum Mathathiæ, 3 * ferrorem Petri : aut quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem? Sed nimis progredior & debeo curſum frenare ſermonis: ne fortè & nihil proficiat, & diſpliceat oculis tuis; D Quid dicendo taceam : imò quid tacendo dicere velim, novit & ſcientia & conſcientia tua. Quis dabit mihi & fratrem meum cum fratribus meis Clareuallenſibus (loquor vt excocta ad purum ſcoria tua) fabrefaciant te lapidem precioſum in corona regis æterni? O ſi cognouiſſes & tu, quàm dulce ſit cupiditates fugiſſe atque fugaſſe : viliſſimo cibo atque aſperrima tunica eſſe contentum : mundum habere ſub pedibus, & ex altiſſima paupertatis ſpecula reſpicere, & deſpicere 93. vanitates & inſanias falſas. O ſi te vnquam in ſchola pietatis, in loco ſanctitatis, ſub magiſtro Ieſu, cum Domino Ieſu merear habere conſortem : & quos vna tenuit amicitia, vna teneat diſciplina. Quàm libenter partirer tibi calidos panes, & de furno vt aiunt E recens tractos, coctos adipe frumenti in ſuperna Hieruſalem, quos paravit in dulcedine ſua pauperi Deus. Quàm crebrò cognoſcimus Dominum in fractione panis, de quo, qui * ſemel guſtauerit mortem non Abſurdè autem ſi mei. videbit in æternum. Sed dices quomodo poſſunt hæc fieri ? An ignoras, quia cognatione mea plena eſt omnis terra, & omnes me ſanguine contingunt qui in circuitu noſtro ſunt ? Et ego, * omnia poſſibilia Marc.9. ſunt credenti : volenti lenia, leuia diligenti. Facilè contemnit omnia, qui cogitat ; * quoniam cum inte-Pſal.38 rierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Sed iam epiſtola finienda eſt in cuius fine obſecro te per viſcera miſericordiæ Dei noſtri vt ſcias poſſidere vas tuum in ſanctificatione & honore. Cogita quanti pudoris ſit propter ignominioſas corporis partes & cadauеroſa & cauernoſa membra pudere F 4 * & perdere interminabiliter, intolerabiliter, inceſſanter ? * Veſpere (ait ſanctus de homine loquens) decidat, induret, & areſcat ; decidat in morte, induret, in cadauere, areſcat in puluere. Eya ſuperbia, hæc eſt gloria filiorum Adam. Hic eſt ille ſublimis honor, qui excipit de ſæculo exeuntes, veniunt in pallorem & horrorem, & in ſaniem & fœtorem & in vermem & cinerem puniendi etiam in ſepulchro. Hæc vident & rident filij hominum ſol-Pſal.98. liciti ne ſollicitudinum materiam poſſint amittere. Pſal.33. nec mirum : quia finis fructuoſus, locus glorioſus, comes ſpecioſus expectat eos, videlicet interitus, infernus, diabolus : quia & mors peccatorum peſſima, & in inferno gloria eorum, & cum diabolo & angelis eius. Hæc & eiuſmodi verſa in animo tuo, & dulcia conventicula fuge : quia nihil ſic effeminat hominem & via veritatis exturbat. Semper vitiis ſerviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus fortia, & auſtera amica ſunt. Tu verò licet præſentia ſis remotus à me : in memoria tamen totus es apud me; Præſentiores enim ſunt, qui ſe animis, quàm qui oculis intuentur : & plus eſt connecti corde, quàm corpore. Ecce habes quod petiſti, & vtinam ſicut petiſti, illud autem non te lateat, quia tuus ſum, & tuus ero quamdiu fuero in viſceribus Ieſu Chriſti : qui mihi & tibi, peccatorum veniam, virtutum gratiam, cœlorum gloriam largiri dignetur : & ſit finis epiſtolæ qui finis eſt ad iuſtitiam credenti.

G

1 * Quo Zambri Hebræum fornicantem cum Madianitide occidit. *Nu.* 25. 2 * *leg. cap.* 11. *Mach.* 1. 3 * Quo ſcilicet abſcidit auriculam Malchi 4 * *Meliùs opinor*, perire : *nam & adiiciebatur*, in æternum: *quod, quave de cauſa fuerit à quopiam expunctum, me fugit.*

EPISTOLA XVII.

*Ad * Petrum Decanum Trecenſem provocativa ad ordinem & mundi contemptum.*

Huic ſuprà ſcribit epiſt. 6.

M*Agiſtro Petro Trecenſi decano & pracordiali, Frater Nicolaus in pſalterio decem cordarum pſallere Deo.* Nolo tibi longum facere prologum nec candidioris eloquentiæ gratia paginam falerare : quia H ſermo floridus, & verborum ornamenta conſectans philoſophum decet non monachum. A re ipſa incipio, vt res ipſa ſicut cognitionem, ſic & devotionem imprimat cordi tuo. Factum eſt in vna dierum cum plorarem & orarem ad pedes Domini mei vt propiciaretur peccato meo (multum eſt enim) memoria mea, pectus meum & altius & arctiùs occuparet. Elevans autem oculos ad illius ſupereminentis maieſtatis imperium, in hæc verba prorupi. * *Vbi ſunt miſericordia tua antiqua Domine :* Vbi multitudo viſcerum tuorum, vbi miſerationum tuarum inexhauſta Pſ 98. profunditas ? Qui 1 * reſpicis ſuper peccatorem, ne

A

** Hic adverbium modò, erat interpoſitum, ſed à me depoſitum, repoſitumque.* 2* Rom. 7. 3 * Tribunali *adiecti ve poſitum* [illegible]

ſit ſupra modum peccans peccatum. Quæ enim vtilitas in ſanguine eius, vt quæras iniquitatem eius & peccatum eius ſcruteris in illa; * tribunali, & horribili ſcrutatione, cum ſcrutaberis etiam Hieruſalem in lucernis: ne comprehendas eum in operibus manuum ſuarum miſerator Dominus, ſed collige itinerarium humanitatis tuæ, & quid ei contuleris, & quid pro eo pertuleris, dignanter attende. Intende illarum tuarum infantilium neceſſitatum dignationem, reminiſcere laborum quos pertuliſti in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo, conuiciorum, ſputorum, colaphorum, clauorum horumque ſimilium quæ in ſalutem noſtram operatus es in medio terræ, ille quem tu contemnis, liberalis eſt, amabilis eſt, docibilis eſt, iuvenis eſt, cui carnalitas ſola ſolita malignitate blanditur. Præveni eum in benedictionibus dulcedinis, tange cor eius, & ad vnius iuſſionis vocem omnia hæc cum Apoſtolo tanquam ſtercora computabit. Sic dimicabam & ſupplicabam pro te, & de te cum Domino & coram Domino exercituum, neſcio ſi potuit lacrymas in conſpectu ſuo. Vnum ſcio quia nunquam ſprevit neque deſpexit deprecationem pauperis, ille tantus paupertatis amator, qui elegit exulare à cœlis, vt pauper poſſet eſſe in terris. Nunc ad te ſtylum converto ſupplicans patri ſpirituum, vt ille per illum pungat & compurgat cor tuum, qui tibi carnem ſuam, in cibum, ſanguinem, in potum; animam in pretium miniſtrauit. Tuum erit patienter audire amicum tuum amantem ſinceriter, amaturum perenniter, qui te vult vocare ad cor, revocare ad viam, ad gratiam provocare. Nec debes iraſci provocanti & medicanti, qui non iraſceris ſagittanti & agitanti te in vulneribus & anfractibus multis. * *Amen dico tibi* Petre, *quia in hac nocte antequam Gallus*, ille matutinus conciſiori voce convocet omnem mundum, nimium dormis, nimium pateris & * lethargiam. Mundus tranſit & tu cum tranſeunte pertranſis: ante tamen quam tranſeat emittet te. Cum interieris, non ſumes neque conſumes omnia: ſed omnia remanebunt, & tu ibis viam tuam; & viam, quæ ducit ad civitatem. Huiuſmodi enim viam civitatis habitaculi non invenerunt, duo ſunt, quæ te vehementer oppugnant & inceſſanter expugnant, adverſus quæ pugnare & repugnare, oportet. Si redire eligis non perire: elatio in mente, voluptas in corpore. Ex his duobus fontibus omnis abyſſus vitiorum exurgit & ſubmergit vniverſam ſuperficiem terræ. In totam mundi latitudinem illæ regnaverunt paludes & vbique regurgitantes ipſis etiam montium cacuminibus ſuam refuſionem intentant. O elatio, velutio cordium, corporum confuſio, infuſio præſumptionum, ſingularitatis magiſtra, novitatis amatrix, turbatrix pacis, vnitatis expunctrix, communitatis diſſenſio. Hanc qui ſequitur, conſequitur invidiam: quia nullum inexorabilius conſequitur multitudo, quàm illum, qui ſibi multitudinis arrogat principium. * Nihil ſic arcem virtutis arietat, & totius diſciplinæ ſubruit fundamentum, quàm ſuperbia: ad quam reprimendam & deprimendam totam ſe contulit illa maieſtas quæ nutu concutit orbem. Conferatur in te, præferatur tibi Alexandri Macedonis, & gloria Auguſti Cæſaris: quorum priori in Babylone conſtituto Occidentalium gentium eſt oblata corona; alteri in Hiſpaniis poſito, ab omnibus Orientalibus eadem gratia eſt relata. Mori tamen te oportet & illuc pergere, Vbi conſtituta eſt domus omni viventi. Mors ſuccedens ſuccidet omnia, & gloriam hominum plebiſque tumuſculos multum quæſitos, vix inventos, parum poſſeſſos, altiſſima profunditate ſepeliet in æternum & in ſæculum ſæculi: & hæc quidem propter gloriam & elationem. De voluptate verò audi breuem, ſed veram ſententiam. Com[illegible] bibere, dormire, luxuriari & totam nativitatis ſuæ per hunc infeliciſſimum orbem terere non eſt hominis, ſed iumenti: Deliciis & divitiis circumfundi atque confundi (quarum iuxta virum mordre [illegible]) omnis vſus aut in ventre aut ſub ventre eſt, pecorinæ voracitatis eſt non divinæ ſimilitudinis: & tu, vt pace tua loquar, tota nocte variis ferculis crapulatus indigeriem tuam ructas ad cœlum, vt in te homo hominis ſit ſepulchrum; & in homine, non hominem videam ſed cadauer. Ciborum multiplicitas vitalia deiicit, infirmat ſtomachum, corrumpit ſanguinem, viciat humores, ſuccendit coleram, extremum febris grauat incendium. Inde eſt quod luxuria ſerpit in carne, in venis æſtuat, intrat oſſa, conditur in medullis, ardet in ſanguine, prorumpit in freneſim viciorum. * Luxuria prodigum filium tulit ex gremio patris, eiecit domo, exemit patria, ſpoliauit fama, caſtitate nudauit; Ciuem, in peregrinum: filium, in mercenarium: in egenum, locupletem: liberum, mutauit in ſeruum. In his verſaris & vexaris; & non cogitas, vt quicquid de vitiis infantia ſuſcepit, adoleſcentia rapuit, inventus invaſit ſaltem extrema corrigat & ſenectus; etiam moriatur innocens, qui vixit in crimine. Sed iam epiſtola complicanda eſt & ſignum imprimendum ne ad honoratam perſonam ſine honore veniat & decore. Pro illo igitur, qui pro toto te, totum ſe morti expoluit & tormentis, cogita infantiæ vanitates, adoleſcentiæ lapſus, iuventutis ruinas, ſenectutis morbos, & veni hic finire finem tuum: qua non eſt via rectior, non vita ſanctior in omni ſanctitate, quam ſanctus ſanctorum reliquit in terris. Excuſſit magnam epiſtolam magnus affectus: quia dum me tecum, fabulari arbitror, ſtylum in longinquum extendi. Reſcribe mihi voluntatem tuam: & * epiſtolas Domini Cenomanenſis mitte nobis, quia volumus eas tranſcribere, & ſi fieri poſſit;

Nil mihi reſcribas: attamen ipſe veni.

** Chriſti præmonitione ad Petrum Apoſtolum ſcite retorquet ad Petrum decanum. * Men dosè, erat,* le tagam.

C

Superbi. totius diſciplinæ concutit funda mentum.

D

EPISTOLA XX.

In perſona fratris Gauchery ad quendam militem templi de amicitia ſpirituali.

ILli *ſuo militi & militi Chriſti, O frater, Gaucherius in cœleſti militia conſcribi.* Vtinam viderem te, non ſcriberem tibi: & impleret tunc Deus deſiderium meum ſuper terram. Deſiderio enim deſideraui videre faciem tuam, ſed hoc longè eſt à me, & vltra ſpem meam. Infinita enim terrarum ſpatia & vaſtiſſimi maris interiecta profunditas invident mihi huius deſideratæ & deſiderandæ viſionis dulcedinem. Præterea ligat te diſciplina militum, & militiæ Chriſti, ad quam miſiſti manum tuam & me claudit pœnitentia pauperum Chriſti, quam iuraui & ſtatui cuſtodire: Magnum chaos inter me & te firmatum eſt vt tu ad me deſcendere vel ego ad te aſcendere non poſſim: O ſi quod poſſibilius eſt, videant oculi mei, vt te aliqua negotiorum magnitudo traheret ad nos: tunc non eſſem fraudatus a deſiderio meo. Quod ſi diviſa ſunt corpora, nunquid corda dividi poterunt in æternum? Si ſpatia locorum vel internalla temporum, corporum ſeparant præſentiam: nunquid veritatem & vnanimitatem recidere poterunt animorum? Abſit. Neque enim diligimus nos ſicut homines, qui ſe diligunt vt homines: qui in carne & ſanguine, carnis & ſanguinis affectant præſentiam. Noſtra dilectio tota de puritate deſcendit, tota ſpiritum redolet, nihil habens terrenitatis admixtum. * Spiritus eſt qui vivificat caro non prodeſt quicquam. Quid enim eſt aliud caro quam caro? Corpuſculum fragile, vile mancipium, minima pars mei abeſt tibi. Spiritus tuus bonus ſemper eſt in ſpiritu meo, mecum manet, mecum perſeverat, nunquam recedit à me. Memoriam ſuavitatis tuæ

eructat

A eructabo quoad vixero. In æternum non obliviſcar tui, nec poterit facere malitia temporis ut te vel ad horam de pectore meo ſurripiat, huiuſmodi amor locorum & temporis incommoda penitus ignorat, ſemper enim licet diligere, etſi quem diligas, videre non liceat. Charitas Chriſti, quamvis abſentem, præſentem tamen te mihi reddit: & quantò longiùs receſſiſti, à me, tantò ardentiùs in viſceribus meis remanſiſti. Abſit ut tua dilectio maris mihi fluctibus auferatur,
Cant 8. cum ſcriptum ſit. *Aquæ multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam:* tamen, *qua-*
Pſ 41. *re triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc videbo* illum, ſi non in terra ſaltem in cœlo, cum te videbimus Domine Ieſu in die æternitatis tuæ in ſplendore ad dexteram patris. Interim, dilecte mi, oro pro te, ſi quid poteſt peccatoris oratio, ad illum qui non ſprevit neque deſpexit deprecationem pauperis. Cæterum beati oculi qui vi-
B derunt quæ tu vides. Quotidie perambulas officinas noſtræ redemptionis, & adoras in loco ubi ſteterunt pedes eius, vides ubi natus ſit, ubi fatigatus ſit, ubi miracula fecerit, ubi mortem pertulit, & omne itinerarium eius felicibus oculis admiraris. Ad extremum vides ſepulchrum ubi ſepultum eſt corpus Ieſu, ubi virgineus flos Mariæ linteis & aromatibus conditus eſt. Unde & reſurrexit hic primus & maximus flos qui apparuit in terra noſtra. Ibi non te prætereat memoria Galteri tui, ſed ora regem gloriæ, ut qui tibi dedit hæc videre oculis tuis, plantet illa in ſenſibus meis, & non amoveat orationem tuam & miſericordiam ſuam a me: & ecce Galterus nepos meus venit ad te, qui me tibi & nomine & ſanguine repræſentet. Vides illum? vides me. Quicquid illi feceris, mihi factum eſt. Experiatur in te quantum gratiæ habeo apud te dulciſſime atque amantiſſime frater. De cætero, vir nobilis atque Deo amabilis ut ſcias, &
C non ſolùm ſcias, ſed etiam ſentias quantùm erga te noſtra ferveſcat dilectio, duas pelles de Clarevalle per quendam collateralem tuum militem templi in amoris dotem tibi transmiſimus. Hanc ipſam epiſtolam & per alios nuntios tibi deſtinare curavi, ut ſi quid vobis caſu in hac delegatione, abſentatione unius defuerit, alterius ſuppleatur præſentia Bene valeas.

EPISTOLA XIX.

In perſona fratris Adæ ad Abbatem Cazeienſem cum ordinem intraret.

Domino & chariſſimo patri S. Cazeienſi Abbati, frater Adam non contriſtari quicquid ei acciderit. Non ſunt in homine viæ eius: & viam maximè iuve-
Prov. 30. nis quis invenit? vel cognovit? hoc eſt illud quartum, quod penitus ignorat ille * Salomon ſapientia ſingularis, ſublimis gloria, rebus affluens, pace ſecurus, levitas enim iuventutis comes, naturæ confu-
D ſio, infuſio vitiorum, adoleſcentiæ vias tortioribus ſemitis intervolvit, ut non facilè poſſit agnoſci unde iuvenis veniat, aut quo vadat. Hæc ideirco dixerim ut ſequentibus literis viam faciam, & aperiam vobis cor meum quod diu operueram ante faciem veſtram. Ad quid tam longus verborum circuitus intendit, & quò tendit tam audax, ſed non mendax oratio? Audi paucis Domine pater, affectum cordis mei, qui memoriam tuam impreſſit in pectore ſuo in æternum & in ſæculum ſæculi. Diu eſt quod deliberavi in corde meo, ut ingrederer ad cor meum & venirem ad veſtros Claravallenſes & reliquum dierum meorum agerem inter illos & cum illis. Diſſimulavi fateor, & conceptum propoſitum meis viſceribus inclavi, ne revelatum velociter laberetur. In hoc ſpiritu veni ad homines Dei, & tam diu pulſavi donec impetrarem ingreſſum, & ecce cum illis ſum quaſi unus ex

E illis. Placeat tibi Domine pater hoc holocauſtum quod obtuli de corpore & corde meo, Domino maieſtatis, & ſit in beneplacito voluntatis tuæ ut voluntatem tuam renuncies puero tuo, quia tuus ſum, & tuus fui, & tuus ero in ſæcula.

EPISTOLA XX.

In perſona eiuſdem ad Abbatem Cellenſem cuius Monachus erat.

Singulari patri & domino P. Cellenſi Abbati frater A. quicquid eſt, & quicquid poteſt in Domino. Nihil eſt amicitia dulcius in rebus humanis, ſed hoc fit cum hominis perſona diligitur, non fortuna, hac dilectione dilexiſti filium tuum, pater ſan-
F cte, ut aliquando dum recordor miſerationum tuarum, cor meum & caro mea exultent in Deum vivum. Eram enim iuvenis ætate, pauper cenſu, pauperior meritis, & tu, dimiſſis illis qui me tam religione quam ſcientia tranſcendebant, iunxiſti, lateri tuo, tuo conventui prætuliſti. Quid retribuam Domino, pro his omnibus non quæ retribuit, ſed tribuit mihi? ſcio quid faciam. Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabo quoad vixero. Sed quouſque longum facio prologum & non nudè frontoſéque dico, quæ dicenda ſunt? Loquar ad Dominum meum, utinam iocundum ſit ei eloquium meum. Iuxta enim vocem * viri ſancti conceptum ſermonem tenere quis poteſt? Tacere non poſſum, dicere non audeo, dicetur tamen. Diu eſt amantiſſime pater quod propo- Iob 4.
ſueram aſcenſiones in corde meo, ut aſcenderem ad locum ſanctum, locum illum, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut eſſet nomen ſuum ibi, nec iuvenili ut aſſolet levitate iactatus, ſed moroſa deliberatione firmatus texi propoſitum ne expoſitum penitus deperiret. Arreptus igitur in ſpiritu iu-
G dicij & ſpiritu ardoris, nec ulteriùs valens vel volens diſſimulare ſpiritum libertatis, veni ad veſtros Claravallenſes plorans & orans ut reciperent me in concilio iuſtorum & congregatione. Pulſavi fortiter ſed fortiùs repulſus ſum. Perſeveravi, impetravi, intravi, & ecce ſum inter illos quaſi unus ex illis. Obſecro vos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent: quia de veſtris ad veſtros tranſivi, veſtros non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Videte quantum confidant de vobis, qui ſine vobis retinuerunt me, ſcientes quia ipſi in vobis & vos in illis ſereniſſime domine, & amantiſſime pater. Vale.

Cellæ ſeu Cellenſe cœnobium ord. S. Bened. *ſitum eſt prope Trecas, quod etiam nominatur cœnobium inſula Germanica, dictum & Cella S. Bebini non Benoni ut ſcriptum eſt in epiſt. 107. Fulberti Carnoten. Hæc Nicol. Camuzeus notavit notaſſeque fuit pretium operæ. Nam in Bituricenſi diœceſi eſt oppidum & cœnobium ordinis Sanct. Auguſt. eiuſdem nominis, & Auguſtivert Pellanum. Litera P. ſignificat Petrum ad quem extat ep. S. Bern.*

H

EPISTOLA XXI.

*In perſona * Aletenſis Epiſcopi ad dominum Clarevallenſem conſultativa.* Epiſt. 13. ſuprà eius quoque nomine ſcripta eſt.

Patri ſuo & patri omnium bonorum. Bernardo Clarevallenſi Abbati, Frater Ioannes Aletenſis Epiſcopus & hic honeſtari in laboribus ſuis, *& illic honorari cum angelis.* Utinam viderem vos, non ſcribe- Pſ. 54.
rem vobis: & dolorem meum liniret & leniret veſtræ ſuavitatis aſpectus. Contriſtatus ſum enim in exercitatione mea, quamvis iuxta 1. * ſapientem ipſa

tribulatio

A tribulatio ſit mihi pro ſolatio, non conſcientia ſed pro flagello. Scio enim, quia 1 * feliciter ſunt miſeri, quos conſtat non meruiſſe quæ perferunt. Propterea ex me quæ circa me ſunt ſcribo breuiter tamen ne quos mundo debetis oculos detineam pagina longiori, poſt datam in me ſententiam, iuxta veſtrum conſilium, perrexi ad Dominum meum, quem conſtituit Dominus, Dominum domus ſuæ & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, ad quem ingreſſus plus inveni iudicis quàm patris, minùs miſericordiæ quam cenſuræ: Prævenerunt enim me homines monaſterij maioris & maiores facti ſunt me, facientes voci ſuæ vocem virtutis. Dixerunt me ſubterfugiſſe Epiſcoporum audientiam, in quorum manibus ipſe me poſuerat audiendum. Non ſolum autem hæc, ſed quæcumque vndecumque colligere potuerunt, propoſuerunt adverſum me & cum multa pace auditi ſunt. Cumque
B paratus eſſem repellere vel refellere quæ dicebantur, noluit me audire vniverſitatis iudex, non illi imputetur. Sed & ſuper dolorem vulnerum meorum addidit, remittens me ad illos ad quos ante me miſerat, quos ex parte ſuſpectos habebam, & adhuc manus eius extenta, quia ſuſpenſus acceſſi ad illum & ſuſpenſus ab illo receſſi. Et quamvis nihil horum conſcius ſum quæ illi malitioſè compoſuerunt adverſum me: porro tamen iudicium patienter, etſi non libenter. Scio enim me meruiſſe grauiora quàm patior, tanquam ſervus malè operans, & dignus omni indignatione. Verumtamen duram provinciam nactus ſum homo minimi cenſus, & ſenſus minoris illos aggredi & cum illis ingredi cauſam, qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur. Hinc eſt quod inter veſtros Clarevallenſes poſitus expecto conſilium veſtrum, tanquam conſilium Dei: quia nemo poterit eripere pauperem Epiſcopum de manu fortiorum eius, niſi veſtra manus tota obuiauerit infeſtantibus & diripientibus eum. Domine pater paratus ſum & non ſum turbatus vt cuſtodiam mandata tua, & vtinam voluntas tua (ſi Domini voluntas eſt) cum mea volun-
C tate diſcordet, beneplacitum veſtræ dignationis ſi dignum iudicatis renunciate puero veſtro, quia non eſt conſilium & auxilium niſi ad vos & ex vobis, amantiſſime pater.

1 * *Videtur reſpexiſſe ad Danidem dicentem Pſal.* 22. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt 2 * Fœlicìter ſunt miſeri, quos conſtat non meruiſſe quæ perferunt.

EPISTOLA XXII.

In perſona Girardi de Perona ad Abbatem Cellenſem de vnita dilectione.

Huic ſuprà ſcribit epiſt. 10

Huic partim ſcribitur epiſt. 1. ſuprà

SVo, & verè * ſuo Abbati Cellenſi frater Girardus de Peròna in cellam vinariam introduci.* Quod vos meum appello, non inſolentia eſt, ſed amicitia. Conſcientia enim mea, quæ ſentit me eſſe ſervum
D veſtrum, præſumit vos dicere meum. Dignatio enim veſtra fecit mê vobis familiarem, familiaritas amicum, amicitia vnum animum ex duobus effecit. Et quamvis vos in ſublime, * in humili loco fortuna locaverit. Charitas tamen, quæ in ſacrario ſuæ maieſtatis omnem hominem aut parem fecit, aut accepit de perſonis imparibus pares amicos facit. Quem enim ſic diligo, cui æquè dilectus ego? Nonne ego & vos vnum ſumus? Neminem habeo tam vnanimem in viſceribus Ieſu Chriſti: teſtis eſt mihi Chriſtus. Et licet nos ordo diviſus dividat, charitas ligat: quia non color veſtium, ſed amor cordium hanc effecit vnitatem, imò vnanimitatem, amantiſſime pater, &, vt aliquid ludam coram Domino meo, quod in me torquetis, in vos retorqueo. Quid enim? Suſpicioſus vobis factus ſum, ſicut etiam in literis veſtris apparet. Hoc ſignum eſt quia aut non diligitis, aut minus diligitis quod in veram amicitiam nec cadit nec cadere poteſt. Quid ſi vidiſſem vos & non locutus fuiſſem, aut ſtatim exiſſem: nunquid tamen ideo minùs diligerent? Abſit à ſervo veſtro. Abſit à corde veſtro, vt vel tenuis ſuſpiciuncula in tantum amorem deſcendere poſſit. Quod autem oſtia non confregi, parcite verecundiæ meæ, quæ iuxta virum ſanctum, egreſſa eſt ex vtero, mecum creuit ab infantia mea. A modo pudorem antè excutiam, quàm vobis ſuſpicionem incutiam, & etiam portas æreas conteram & vectes ferreos confringam veniam peto: facite de veſtro, quod de veſtro. Verumtamen monacho illi ſit pro me, melius, cui peiùs propter me fuit. Illud autem ſcitote quia ſic collocaui memoriam veſtram inter vbera mea vt nulla occaſione poſſit avelli. Salutat vos N. veſter, vt veſter, veſter eſt enim.

Fortè rectius eo.

EPISTOLA XXIII.

*In perſona * Riuallis Prioris ad Archiepiſcopum Turonenſem de directione, amore, & charitate.*

D*Omino & dignè reverendo * Hugoni Turonenſi Archiepiſcopo Frater R. vtriuſque vitæ ſucceſſum in Domino.* Et ſi paucis ſcribo vobis, non parum tamen vos diligo in viſceribus Chriſti. Quæritis tamen quantùm: vt ſecurè & ſincerè reſpondeam, reſpondeo multùm: additis, & qualiter: profectò quantùm facultas eſt fideliter, ſapienter, fortiter, in charitate, quia * fortis eſt vt mors dilectio. In his tribus gradibus arbitror & affectum & effectum ſancti amoris plenius expreſſum iri. Et quia ſeme cœpit adhuc loquar ad Dominum meum, iocundum ſit ei eloquium meum: Locus ille, quem tenetis magnus eſt & magnam à vobis exigit charitatem Sine hac fides nihil eſt, martyrium nihil prodeſt Nihil valet omnino expoſitio facultatum. Hanc v... creſcere in Domino meo & patre meo, vt omnia veſtra in charitate fiant. Huic enim vnitus & pe... hanc vnitus ſecutus ibitis ante * pontificem noſtrum qui penetrauit cœlos. Cæterùm bene nouit veſtra paternitas, quid fecerit, & quid faciat Abbas S. Albini de eleemoſyna Domini Magnetenſis, cuius vo... cuſtos eratis conſtitutus. Saltem depoſitum, quod apud eum depoſui, reſignare debuiſſet, & poſte... dicere ſi quid eſſet dicendum. Cum hoc emendare feceritis, veſtrum ipſius honorem facietis amantiſſime pater. Dominum * Aletenſem veſtræ ſanctitat... commendo: quia quicquid illi feceritis, factum eſt nobis. Gloria veſtra hæc eſt pauperem & veſtrum & talem Epiſcopum protegere & honorare. Ego autem veſter fui: veſter ſum, & veſter ero, quamdiu fuero, & vbicumque potero mea voluntas eſt veſtram cùm voluntate Domini facere voluntatem.

* Abbatis Riuallis *fuit ad normam Ciſtercienſem anno* 1131 4. *Non. Mart. in Anglia & diœceſi Eboracenſi.* * *Hic eſt procul dubio Hugo, cuius extat memoria epiſt* 9. *l.* 3. *Petri venerab.*

A

EPISTOLA XXIV.

Ad abbatem Cellenſem excuſativa ſcribendi vel dictandi.

I*Nter amicos amiciſſimo Domino Petro Cellenſi Abbati Fr. Nicolaus, ſic in nigris vivere pannis ut candidis induatur in cœlis.* Sufficere vobis deberet, ſi vos diligerem ſicut me: quia nunc vos pluſquam me, me conſtat dilexiſſe. Furtum enim feceram propter vos: nunc furatus ſum me mihi pro vobis: Ego enim, qui ſtylum abiuraveram, dignus latebris & omni ſolitudine B poſtquam aviditatem veſtram præſenſi & perſenſi quam habetis de verbis & pro verbis hominis illius: cuius eloquentia & ſapientia, vita & fama non immeritò per totam latinitatem decucurrit, accepi tabulas & quod habui & feci. Cum laborare & plorare & orare deberem, ut propitiaretur Dominus peccato meo (multum eſt enim) in linguæ volubilitatem refuſus ſecretum cordis mei ſucceſſi pariter & concuſſi. & dicitis. Hæc omnia in ſilentio, & magis cum ſilentio operari potuiſtis. Mirum ſi hoc ex ſententia dicitis. Quis enim magis in turba eſt, quàm ille qui faciendis dictaminibus implicatur? Perſtrepunt enim ut dignè invenizi ſenſuum veritas, verborum varietas, quid meliùs ad conſequentiam, denique quid, quando, ubi & quomodo proferri oporteat. Hoc ergo vos iudicabitis ſilentium & quietem, maximè homini imperito, cui & ſenſus nullus adeſt, vel ſermo non eſt venuſtus & facilis ad ſententias veſtiendas? Denique 1. * vel monachi, quod eſſe videor, vel peccatoris, quod ſum, non eſt officium dictare, ſed flere. Dictare ergo nec indocto eſt in promptu, C nec monacho in auſu, nec pœnitenti in affectu. Coëgi tamen me contra me, & duo volumina ſermonum hominis Dei mitto vobis, in uno quorum ego dictavi quod ita incipit. 2. * *Solet Apoſtolus Paulus in verbis eſſe brevis, in ſententiis* 3. * *denſus.* Aliud verò volumen iampridem dictatum eſt, & roſum & raſum: ſed quærite quis diligenter & ſapienter illud ſcribat, multis enim ſenſibus plenum, illud autem ſcitote, quia non parvam amicorum multitudinem contempſi quibus nolui præſtare ea, ad vos enim feſtinabat cor meum. Feſtinate & hæc feſtinanter reſcribere, & exemplaria remittite mihi & ſic ad opus meum, ſecundùm pactum meum reſcribi facite: ſed & illa quæ miſi vobis, & reſcripta illorum, ſecundùm quod dictum eſt, mittite mihi, & videte ut nec unum iota perdam. Libellulum autem, qui ita incipit: 4. * *Tria ſunt quibus reconciliari debemus*, & horas noſtras, quas habetis de Domina noſtra, remittite. Orate pro me & reſcribite mihi de his omnibus voluntatem veſtram, & per proprium nuntium veſtrum.

D

1. * *Videtur imitari illud ſancti Hierony. in Apolog. 2. contra Vigilant.* Monachus non doctoris, ſed plangentis habet officium, qui ſe, vel mundum lugeat, & domini pavidus præſtoletur adventum. 2. * *Extat hic ſermo ſecundus ordine inter ſermones de Verbis Apoſtoli, à S. Bern dictos.* 3. * *Impreſſ. liber habet*, copioſus. 4. * *In libello ſent. S. Bernar. habes tertiam ſectionem his incipientem verbis*: & hinc liquet vel libellum furſſe tranſpoſitum. *In lib. ſent. moral. S. Bern. extat horariorum precum in memoriam B. Virginis liber 2. cui ſupra inſcribuntur epiſt. 20. 22. 24.*

E

EPISTOLA XXV.

Ad Henricum Trecenſem Epiſcopum in perſona Rivallis prioris pro 2. Abbate Cellenſi recommendativa.

DOmino & patri Henrico Trecenſi Epiſcopo Fr. R. de Clarevalle, ambulare à claritate in claritatem, tanquam à ſpiritu Domini. Quam libenter audiamus illa de vobis, in quibus honoretur Deus, honoretur Eccleſia, honorificetur 1. * myſterium veſtrum, novit ille cui, & à quo eſt omnis honor & gloria. Ad hoc enim vos Deus in ſublimitate poſuit, ut deponatis ſuperbos, & humiles exaltetis, vos præcipuè cui & voluntas bona, & poteſtas magna tam F ex auctoritate quàm ex nobilitate deſcendit. Hoc idcirco diximus, ut ſequentibus litteris viam faciamus. 2. * Abbas Cellenſis vir religioſus ac timens Deum, homo bonus & teſtimonium bonum habens à bonis, vita & litteratura conſpicuus, nobis quoque tanta familiaritate devinctus, eſt, ut non ſit unus de cæteris, ſed præ cæteris unus. Omnia noſtra, ſua ſunt: & ſua, noſtra ſunt: nos in illo & ipſe in nobis 3. * unus eſt de ordine ſuo, in quo domino Abbati noſtro, amico veſtro multùm complacuit. Invenit ipſe Abbatiam, cui præeſt, & turpatam, & turbatam à malitia habitantium in ea, vult eos reducere ad viam veritatis, ſed faciliùs eſt informari ignaros quam reformari perverſos. Sunt inter eos duo famoſiſſimi & clamoſiſſimi turbatores qui & malefactis ſuam, & maledictis alienam vitam iugiter attriverunt. Confidentes enim in linea ſuæ nobilitatis ſcandala nutriunt, moliuntur diſſenſiones, quia comprehenſi ſunt in operibus manuum ſuarum. Si quid igitur noſtri Clarevallenſes apud vos poſſunt, facite unum ex duobus, ut aut de monaſterio penitus evellantur, aut ſic ſtatuantur in monaſterio ut iam amplius G mutire non audeant, & ſciant Prophetam ſurrexiſſe in Iſraël ad obſtruendum os loquentium iniqua. De prædicto vero abbate patre & fratre noſtro, hoc adiicimus, quia qui illi benefacit nobis facit, & qui illum audit nos audit, & qui illum lædit nos lædit.

1. * *Germanior eſt, lectio miniſterium: reſpexit enim auctor S. Paulum ſcribentem Rom. 11.* Honorificabo miniſterium meum *ubi græce poſuit τὴν διακονίαν,* non μυστήριον. 2. * *Hic eſt Abbas Cellenſis, nomine Petrus ad quem ſuprà epiſt. 20. 22. 24.* 3. * Petrus Abbas Cellenſis pergratus S. Bern. Compendium urbs eſt in diœceſi Sueſſionenſi ad Iſaram flumen, notiſſima ex Gallorum regum conventibus & conciliis quæ allegantur in capitula.

EPISTOLA XXVI.

In perſona Henrici fratris regis ad Hugonem de H ** Compendio redargutiva, & attractiva.*

SVo Hugoni frater Henricus ſalutem & ſincerum amorem. Et ſi tui tu oblitus es, ego tamen non obliviſcor, variciter oblitus tui, imò & mei, cum te obliviſci ſit cæcitas, me crudelitas & crudelitas infinita. Dilexi enim te ut animam meam & tibi tam familiariter vinctus ſum quantùm & ego novi, & tu ignorare non potes. Quid ergo male merueram de te, ut me totum de toto corde tuo poſſes auferre? Vera eſt nimis illa ſententia, quia, qui nos divites coluerunt, pauperes reſpicere dedignantur. Poſtquam enim tranſivi in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei, & elegi abiectus eſſe in domo Dei

Digitized by Google

A mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum nec nuntium tuum, nec literas tuas, nec faciem tuam, nec aliquid a te vel audire vel videre merui. Decreveram ego ſilere, rem tacitus conſiderabam & manum ſuperpoſueram ori meo. Dicebam non obliviſcetur in finem, veniet & non tardabit & requiret dilectum ſibi & diligentem ſe tanto velocius quanto devotius dignum eſt feſtinare. Sed heu actum eſt nihil; iuxta enim Prophetam, expecto reexpecto, remando, ſed dicere poſſum quod ſequitur. Modicum ibi. Modicum ibi. Nunc ergo ſi quid apud amicum preces amici poſſunt & ſi non ut videas me, veni ſaltem ut videam te, quia deſiderio deſideravi videre faciem tuam.

EPISTOLA XXVII.

B *Ad Odonem Pulterenſem Abbatem regratiativa de tunica quam remiſit*

CHariſſimo patri & præcordiali amico O. Pulteriensi Abbati Fr. N. ſe ad pedes. Quantùm & diligam vos, & dilectus ſum à vobis teſtis eſt antiqua familiaritas. Licet enim me in humili, vos in ſublimi loco fortuna locaſſet: amor tamen qui poſtquam amor eſt, & regem & pauperem unit, unum ex duobus eſſicerat, ille adhuc in veſtro pectore concalebat, cum mihi veſtra munera tranſmiſiſtis, & poſſet quidem indui tunica veſtra, ſi unica non fuiſſet. Nimis eſt precioſa, & ſpecioſa hæc ſolo, non bona quia nimiùm bona dilectiſſime pater. Nec volo nec valeo, imò non debeo induere illam inter eos qui panniculis & ſemicinctiis veſtiuntur, nec purpuratus necnon tunicatus mendicam. Abſit, abſit, ut peccatrici carni veſtis iterum ſplendida coaptetur, ne raptetur ad ineptias ſuas. Propterea remitto eam vobis, cum non ſit inter nos, qui vel audeat, vel debeat illam induere, C vos induite illam Domine pater cui & ex ordine licet & ex dignitate. Cum enim tunicam induitis ultra conſuetudinem & ordinem veſtrum facitis, ſed ſcitis quid dixerit. Si quid ſupererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. Multa tamen gratiarum actione proſequor & qualitatem muneris & quantitatem numerationis, ita verò diligo donum remiſſum, ſicut diligerem & retentum: quia non datum, ſed dantis animum intueor. Ego profectò qui fueram antea ſervus veſtræ ſanctitatis & nunc & ante. Nec enim ordinis mutatio mutavit amicitiæ firmitatem, ſed augmentavit. Vnum in calce literarum, ſupplico, ut oretis & orare faciatis pro me filios veſtros & fratres noſtros ſalutatis eis ex noſtra parte, ſi dignum iudicatis ſalutate etiam Ioſcellinum veſtrum & rogate ut in diebus iuventutis ſuæ memor ſit mortis ſuæ antequam veniant anni, de quibus dicat: non mihi placent.

EPISTOLA XXVIII.

D *Ad abbatem Cellen. exhortativa unitatis contra malos & de correctione.*

S*Peciali & pene ſingulari amico Petro Cellenſi Abbati, frater Nicolaus ſeipſum, & ſi quid amplius poſſit.* Quod frequenter ſcribo vobis, non eſt inſolentiæ, ſed amicitiæ argumentum. Scio enim quis & cui ſcribam: alioquin quid tantæ extremitatis cum tanta ſummitate, ſi non mihi 6. condeſcendiſſet illa veſtra humilis ſublimitas, imò ſublimis humilitas? Credo, patienter audietis ſervum veſtrum, etſi dignum iudicatis, filium, amicum autem velitis, nolitis. Si quid mordacius & audacius proceſſerit, dilectioni aſcribite, non præſumptioni. Manum veſtram miſiſtis ad fortia, & fortitudine opus eſt, quæ vos ſalvum faciat à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, ſortiendo in prælatorum mentibus ſummum obtinet principatum, qui cadente omnis virtutum fabrica per diſcrimina, imò per præcipitia labitur, vobis præcipue neceſſaria eſt, ſi attenditis & intenditis, ubi, cum quibus, ad quid, & quis poſitus eſtis, ubi, in loco utique honorato, ſed onerato: ubi multæ divitiæ & malitiæ multæ, locus dives poſſeſſionum, ſed præſumptionum ditiſſimus. Ab antiquo plantatum eſt tox cum mortis in horto illo. Ex quo iodem regularis rigor elanguit, & res ſanctuarij rapinis expoſitæ, dispoſitæ flagitiis, flagitioſos homines incurrerunt. Non fuit qui ſe opponeret murum pro domo Iſraël: qui gladio ſpiritus amputaret vites, purgaret palmites in vinea illa electa, quia, qui vigilabant ſuper gregem illum, dormitaverunt omnes & dormierunt: cum quibus autem? Cum hominibus operantibus iniquitatem? qui ab uberibus, ſub uberibus Eccleſiæ nutriti in ipſa matris viſcera tota eviſceratione graſſati ſunt, exteriùs infamia, & infamanda operati, interiùs horrida & horrenda fecerunt, ad quid autem? profectò ut vitia diſperdatis in ſuperficie, evellatis à radice, diſperdatis in elongatione, diſſipetis in communitione, vos autem quis? revera iuxta Apoſtolum homo quieti & moderati ſpiritus totum habens quod lenitatis eſt, aſperitatis aut parum aut nihil, vos multum mellis, illi multum fellis hauſerunt ſibi. Converſatio veſtra dulcior ſit quàm mel & favum, illorum amaritudo habet myrrhæ & aloes pluſquam libras centum. Non bene conveniunt nec in una ſede morantur tanta ſimplicitas & tanta doloſitas, tanta perverſitas & tanta ſanctitas, tanta benignitas, & malignitas tanta. Ponenda quidem fuit lucerna ſuper candelabrum, ut lumen videret qui ingrederetur: ſed forſitan non tantis ventorum turbinibus opponenda, ne extingueretur. Et hæc quidem antequam aſcenderetis. Poſtquam autem audiſtis à Domino: 1. * Amice, aſcende ſuperiùs, agendum eſt in manu forti, & brachio extento, & 2. * gladius Phinees ſæpiſſimè & potentiſſimè educendus ad verberandum & tranſverberandum filios 3. * Belial, qui famæ & vitæ ſuæ nec rogati parcere volunt. Indigent enim increpatione, non exortatione, præcepto, non conſilio, non doctrina, ſed virga, alioquin lætificaſtis omnes inimicos veſtros & amicos mæſtificaſtis: qui ambabus, ut dicitur, manibus parati ſunt peſtilentes filios à ſacris ædibus, & ſedibus exturbare, induite fortitudinem, non parcat oculus veſter, & non miſereatur: quia & ſi plerumque culpa eſt totam proſequi culpam, in illis tamen vitium eſt, vitio vel aliquatenus pepercisse. novi ego quod populus duræ cervicis ſit, cuius & vetus, & veterata rebellio velit vinum, non oleum, flagellum non beneficium, verbera non verba, punctionem non unctionem, ſerpentem non columbam magiſtrum non patrem iuxta comicum, male eos docuit lenitas veſtra, quia domus exaſperans eſt, legiſtis ne de illis qui ponunt pulvillos ſub cubito hominum & faciunt cervicalia ad capiendas animas pulvilli; & cervicalia iuxta Sapientem blanda & lenia verba ſunt in quibus laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ & iniquus benedicitur. Tali pulvillo & tali cervicali circa delinquentes filios uſus eſt Heli cum diceret: Non bona fama filij quam audio de vobis, & hæc quidem fuit corripere & coercere, ſed lenitate & manſuetudine patris, non ſeveritate & auctoritate pontificis, immiſericordem debet ſortiri ſemper expectata iudicem, nunquam ſecuta correctio

1 * *Luc. in parab. de convocatorum ad convivium* 2. * *Lev. c. 25. Num. 3.* * *diabolus lingua Hebraa Satan appellatur, i. eſt. contrarius ſive adverſarius, & ab Apoſtolo 2. Cor. 6.* Belial *hoc eſt*, abſque iugo, quòd de collo ſuo Dei abiecerit ſervitutem. *Ita B. Hieron. in cap. 4. epiſt. ad Ephes. Hic igitur Nicolaus ſcitè appellat* exleges monachos, filios Belial, *id eſt ſine iugo religionis vel, ſi liceat novare vocalum eudere, exiuges.*

A Qui ſunt tamen, qui affectant tyrannidem & ponunt
in cœlum os ſuum? Profectò duo filij iniquitatis, qui-
bus nulla mentio, de ſe nulla cura, pro ſe nulla, in
ſe nulla reverentia: qui didicerunt fatigare Deum con-
temptu, naturam flagitio, leges abuſu. Nunquid
non mille mortibus dignus eſt, qui ſuam pueritiam tur-
pavit, turbavit adoleſcentiam & ætatem tam incli-
natam inclinat ſemper in peius? non ſolum ſemper
feriendus, ſed & fulminandus eſt homo frontoſus ad
verecundiam, inſenſatus ad metum, inflexibilis ad
pietatem, ad iram præceps, velox ad facinus, pro-
nus ad iniurias, ſed & ille alter contemptibilis adole-
ſcentiæ & contemptricis inſolentiæ eſt adhuc, 4. * lu-
picellus in patrem ſuum mordaciter ſtrinxit dentes
ſuos, turpis corpore, turpior corde, opere turpiſſi-
mus ſuper omnes coætaneos ſuos, hic in primævo
pueritiæ flore omni impuritate ſe polluit, & adole-
ſcentiæ vias ingreſſus, egreſſus eſt 5. * cum Dina
B ut videret mulieres regionis illius, nec hominem ve-
ritus nec reveritus ordinem, & ſi non quæcunque vo-
luit, tamen quæcunque valuit fecit. Quanta mali-
gnatus eſt inimicus in ſancto! Quanta audivimus &
cognovimus ea, & fratres noſtri narraverunt nobis?
Religandus eſt, & dentes eius in ore ipſius conterendi
ne in lupum tranſeat iuvenis gratis currens ad facinus,
ad honeſtum nec precio. Ij duo unum impietatis pa-
rietem ſtatuerunt & clamavit piloſus alter ad alterum,
iuvenes ſunt, nobiles ſunt: & idcirco alacriùs & acriùs
corrigendi, ne vobis in ſcandalum, ſibi in periculum,
aliis veniant in exemplum, & ſciant vitiis acceſſiſſe
iudicem, moribus ſundatorem, vos autem, Domine
pater, ne timeatis 6. * à duabus caudis titionum fu-
migantium iſtorum: quia fortaſſis ducentis manus du-
cit eos, ut exeant opera eorum in lucem & arguantur
à luce in luce, nonne veſtri Clarevallenſes vobiſcum
ſunt, ante quorum faciem vel ſtare nedum loqui au-
debunt? videte, 7. * ut non annuntientur in Geth,
neque in compitis Aſcalonis & dicant filij incircum-
ciſorum: Vbi eſt quem poſuerunt cuſtodem in vineis?
C Proinde extendite manum veſtram, & ſagittas ve-
ſtras complete in eis. Sicut filius excuſſorum, hæc
locutus ſum, Domine pater, non quaſi dirigens, ſed
quaſi corrigens, & diligens multum, nec enim præ-
ſumo docere Minervam, vel in ſole radios ponere:
cum vos, me tam vita, quàm ſcientia longè antece-
datis. Claudite Epiſtolam hanc veſtris, & veſtrorum
oculis: quam idcirco propriis manibus exaravi, ne in
oculos aliorum incideret. In fine eius commendo
vobis magiſtrum Ioannem, qui vos ſuo pectori & al-
tiùs & arctiùs impreſſit: quem propter vos ſingulari-
ter diligimus, cum & propter ſe ſpecialiter diligendus
ſit, valete.

4. * *Malè in exemplari*, lipecillus *pro* lupicello *vel* lupullo *ut loquar cum S. Anſel. Cantua. Epiſt 68 l. 3. MS.* 5. * *De qua. Geneſ. 34. 6.* * *Lepidè duob. illis effrenatis monachis tribuit quod Eſai. c. 7. Raſin & Phacee obſidentibus Ieruſalem.* 7. * *Id depromſit ex 2. Reg. 1. c. ubi David deflet Saulum interfectum.*

D

EPISTOLA XXIX.

In perſona fratris Philippi. Ad Cancellarium imperatoris attractiva, conſultoria pro libris, &c

*CHariſſimo Domino & amico Colonienſis Eccleſiæ
Præpoſito, & Cancellario imperatoris*, 1. * *Philip-
po, bene diſponere ut ſuum.* Vt verbis Propheticis te
ſa. 26. o. 4. Tb tier 3. alloquar, dilecte mi, anima mea deſideravit te in no-
cte, ſed & ſpiritus meus in præcordiis meis. Tacere
decreveram, & cum 1*. Propheta ponere in pulvere
os meum, ſi fortè ſit ſpes, ſi fortè reſpiciat ille miſeri-
cors pietatis intuitus humilitatem meam & laborem
meum, hæc propoſueram, ne & loquens, loquacita-
tis notam incurrerem: ſed, fateor, ampliùs affectui E
meo imperare non potui, quin ſaltem præſentis epi-
ſtolæ remedio cor meum tibi communicarem. Quod ſi
ſe ſtylus extenderit, parcat affectui, qui novit affe-
ctum, & prolixitatem deputet charitati, utinam datum
eſſet mihi deſuper hæc viva voce proferre: oculi quip-
pe loquentis fidem proferrent vel facerent & efficacior
eſſet ſermo vivus, quàm ſcriptus, lingua, quàm litte-
ra, oſcularet illud mihi dulciſſimum atque amiciſſimum
caput, totuſque à collo penderem hominis illius, cu-
ius memoria pectus meum latiùs occupavit, altiùs ir-
rupit, ſtabiliùs poſſidet, viventi convivit, nec mirum:
quia ſpiritus tuus bonus prævenit me in benedictioni-
bus dulcedinis, &, ut verum fatear, ſemetipſum exi-
nanivit, vilem benignè colligendo perſonam, cum te
in rerum verticem fortuna locaſſet. Et ideo dulcior iſta
confœderatio, quàm adulatio non extorſit quam neſci-
vit perſonata fœlicitas, nec fortunæ blandientis in al-
terum ſublimitas ſimulavit, ut enim inæqualitas emi- F
net perſonarum, & ſuperior inferiori totis partibus
iungitur: ſingularis utique humilitas eſt, quia rariſſi-
me, amicitiæ magnitudo de fortuna impari pares ami-
cos facit. Propterea dico tibi: ſolus es & in mundo,
& de mundo, quem ſingulariter & interminabiliter
viſceribus meis impreſſi. Eya, auditum eſt in terra
noſtra quod vexillum crucis aſſumpſeris, quòd pro-
poſueris ire in civitatem Ieruſalem ubi virgineus flos
Mariæ lintheis & aromatibus conditus eſt; unde & re-
ſurrexit ille primus & maximus flos qui apparuit in
terra noſtra. Non tempus & opus eſt oſtendendi ſa-
pientiam tuam, ut ſic diſponat domui tuæ, quod con-
veniat honori perſonæ tuæ & ſaluti animæ in æternum
& in ſeculum ſeculi. Tu quia in ſorte, & de ſorte Do-
mini es, ſine uxore es, frater tuus ſine liberis eſt, ſo-
ror maritum non habet, tota domus ſpem perdidit fi-
liorum, hoc ideo factum arbitror ut ſterilitas carnis in
quæſtum animæ commutetur: & ſcias, quia felicius
eſt fœcundum eſſe ſpiritu, quàm carne, & glorioſiùs
cœlo parere quam ſepulchro. Cum ergo omnium ne- G
ceſſitudinum nomina ſint ſublata: quis faciendus eſt
hæres, niſi ille qui omnia dedit, qui te fecit, cum non
eſſes, qui redemit cum perditus eſſes, qui te vocat ad
ſervitium ſuum, & potens eſt reddere in illum diem
Dominus Ieſus Chriſtus? Sed & illum ſingulariter the- Inſignis Bibliotheca Philippi Cancellarij imperatoris
ſaurum tuum nobilem, bibliothecam loquor: quam uti-
que tam mirabiliter quàm incomparabiliter congeſſi-
ſti, vide ut relinquas pauperibus Chriſti, qui pro te
orent & plorent ut proſperum iter faciat Deus ſaluta-
rium noſtrorum. Quos cum benedictionibus tuis vi-
ſitaveris, leva oculos tuos ſuper domum iſtam in qua
habito: & ſi non propter illam, ſaltem propter me ſer-
vum tuum: &, ut tibi in aurem loquar, non eſt locus
ordinatior, non eſt gens amabilior, non eſt vita ſan-
ctior in omni ſanctitate, quam ſanctus ſanctorum reli-
quit in terris. Tu verò & ſi præſentia remotus es à me:
memoria tamen totus es apud me, quia tuus ſum, &
tuus ero quamdiu fuero. In corde meo te aſſiduè vi-
debo quare præſentiores ſunt qui ſe animis quam ocu-
lis intuentur, & plus eſt corde connecti, quàm corpo-
re: ut autem memoriale tuum oculis corporalibus etiam
præſentetur, mitte mihi aliquid quod monacho con- H
veniat. Saluta mihi etiam Dominum Regem: qui &
ſi fortè mei propter grandia negotia oblitus eſt, ego
tamen eius non obliviſcar in ſeculum.

1. * *Malè in MS.* Philippi: *Nam uſque ad annum 1100. ne unus quidem huius nominis imperator regnavit. Emendatior ergo lectio, Philippo: qui S. Ber. commotus exhortatione potenti, ſpretis Cancellarij & Colonienſis Canonici honoribus, factus eſt Clarevallenſis monachus, & paulò poſt elegantem ſcripſit epiſtolam relictis Colonienſibus Canonicis, qua extat c. 9. l. 6. Miracul. S. Bern.*

A

EPISTOLA XXX.

In perſona Domini Clarevallenſis 1. * *ad Conſtantinopolitanum imperatorem, ut faciat novum militem.*

S*Vblimi & glorioſo, Manuel Conſtantinopolitano imperatori frater Bernardus Clarevallenſis vocatus abbas, ſalutem & orationes.* Quod tantæ audeo ſcribere maieſtati, non inſolentia temeritatis eſt, ſed confidentia charitatis. Quis enim ego ſum aut quæ eſt domus patris mei in Iſrael, ut tanti nominis imperatorem noſtris litteris audeam prævenire? Pauper enim ſum ignobiliſque, patria, perſona, longo terrarum ſpatio vaſtiſſimi maris interiectu remotus à præſentia veſtræ B ſublimitatis. Quid ergo tantæ ſublimitati, cum tanta humilitate ſi non daret mihi fiduciam humilitas Chriſti? in qua, & de qua reges terræ & omnes populi, principes & iudices gloriantur? Ad nos enim uſque pervenit magnificentia & gloria nominis veſtri: quæ longe, latéque dilatata eſt ſuper terram, huius rei gratia flecto genua mea ad patrem ſpirituum, (ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur) ut de regno illo ad regnum illius transferamini, cuius regnum, regnum eſt omnium ſeculorum, nullis igitur meis meritis præcedentibus audeo mittere ad thronum gloriæ veſtræ præſentium latorem, iuvenem magnæ nobilitatis, ut eum ſacramentis militaribus applicetis & accingatis ei enſem contra inimicos crucis Chriſti, qui adverſus eum extulerunt caput. Et inveni quidem ſublimium patebat aditus curiarum: ſed altiori conſilio mittimus ad illius imperij veſtri gloriam ſingularem ut memor ſit omnibus diebus vitæ ſuæ, à quo militaris diſciplinæ dignitatem ſuſce- C perit, nequaquam autem, 2. * has miſiſſem in preces niſi Chriſtus eſſet in cauſa pro quo tantum viæ pariter & laboris aſſumpſit. Quicquid illi, vel pro illo feceritis, mihi factum eſt, de cætero glorioſiſſime imperator nunc opus eſt oſtendendi & extendendi abundantiam ſuavitatis veſtræ. 3. * Commota eſt & contremuit terra, quia rex cœli perdidit terram ſuam: terram ubi ſteterunt pedes eius, prope eſt enim ut irruant inimici Domini in civitatem ſuam, etiam in illud glorioſum ſepulchrum ubi virgineus flos Mariæ linteis & aromatibus conditus eſt, unde & reſurrexit ille primus & maximus flos qui apparuit in terra noſtra. Propterea ad præceptum Domini 4. * Papæ, & ad qualemcumque exhortationem noſtram Francorum Rex & innumerabilis 5. * multitudo principum, militum, populorum, tranſitura eſt per fines veſtros ad civitatem Dei viventis: veſtrum erit eos honorificè ſuſcipere, & agendum nunc pro loco quem tenetis, pro poteſtate quam accepiſtis, pro dignitate qua D polletis, pro divitiis quibus abundatis: quòd conveniat imperiali excellentiæ, honori perſonæ veſtræ, & ſaluti animæ veſtræ in æternum, & in ſeculum ſeculi inter quos & ante quos 6. * filium 7. * Comitis Theobaldi illuſtriſſimi principis vobis ſollicitiùs commendamus, non tanquam unum de cæteris, ſed præ cæteris unum. Iuvenis eſt, nobilis eſt, bonæ indolis eſt, & primitias ſuæ militiæ non 8. * malitiæ, ſed iuſtitiæ conſecravit, filius etiam eſt hominis illius, 9. * qui propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam diligitur & honoratur inter principes terræ. Pro his omnibus vos participem facimus omnium beneficiorum, quæ in domo noſtra fiunt & fient, ut vos faciat victorioſum in terris, in cœlis glorioſum, ſponſus Eccleſiæ filius Mariæ Dominus Deus noſter.

1. * *Mendosè in MS.* Conſtantinum. *Certum eſt enim ex Otten. ut alios mittam, l.7.c.28. Manuelem ſucceſſiſſe patri ſuo Calo. Ioanni.* 2. * *Videtur legendum*, hanc. 3. * *Eſt quiddam ſimile 5. epiſt.14. & 322. S. Bern.* 4. * *Scilicet*, *Eugenij.* 5. * *Hac de multitudine vide ſcholium noſtrum ad epiſt.246. S. Bern. & in ſequentem Nicolai epiſt. poſt medium.* 6. * *Cui fuiſſe Henricus nomen, conſtat ex conſtitut. Aymoini* 7. * Comitis Palatini, *inquit idem & Campanorum & Bleſenſium.* 8. * *Ante Nicolaum S. Anſel. epiſt. 70. l. 1. MS. & S. Bern. e. 2 ſerm. ad milites Templi uſurparunt.* 9. * *Huc refert ſcholium noſtrum ad epiſt.37. S. Bern.*

E

EPISTOLA XXXI.

In perſona fratris 1. * *VValteri ad VV. fratrem ſuum, exhortativa ad mundi contemptum.*

D*Ilectiſſimo fratri ſuo Waltero frater ſuus W. viam* veritatis ingredi, nec egredi ab ea. Etſi longo terrarum ſpatio & difficillimi maris interiectu remotus ſum à te: tamen memoria ſum iuxta te, & non ceſſo orare pro te ad illum qui non ſprevit neque deſpexit F deprecationem pauperis. Neque enim, quia in Clarevalle ſum, vel exui vel exivi affectus humanos, ſed audio Apoſtolum Dei, immo Dominum in Apoſtolo prædicantem: Si quis curam ſuorum non habet, 1.Tim.5. fidem negavit & eſt infideli deterior. Propterea memoriale nominis tui arctius impreſſi viſceribus meis, ſciens quia omnia tua mea ſunt, & tu meus es dulciſſime frater. 2. * Garcioni fratris mei ego nec credam, nec credidi. Obitum fratris mei iampridem noveram & feceram orari pro eo, & adhuc faciam, fratrem noſtrum Achetumum ſcribis uxorem duxiſſe, ſed utinam ſcripſiſſes, quod ei tertio anno, pro meo amore, terram ſuam ſicut biennio feceras, conceſſiſſes: ſi inveni gratiam in oculis tuis, adhuc & tertio anno, meáque interceſſione concedatur. Quod autem ſub Domino, 3. * Rege Scotiæ, ſub quo & virtus mercede, & vitium ultione non caret, 4. * diſpoſueris ire in Ieruſalem, placet animæ meæ: hoc eſt enim militare militiam bonam, inviſere & defenſare officinas noſtræ redemptionis, contra eos qui adverſus regem gloriæ G extulerunt caput. Scio quia commota eſt, & contremuit terra à facie ſermonis huius, & reges, & principes, & populi terræ certatim evolant, ut annuntient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ieruſalem: & nolo dicatur tibi. 5. * Tu ſolus peregrinus es, & neſcis quæ fuerunt in Ieruſalem his diebus? Luc.24. melius tamen eſſet & ſecurius ut ſeculum omne relinqueres, quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & hoc ſingulare ſalutis conſilium eſt eſſe in concilio iuſtorum, & congregatione. Quod ſi tetigit te ſpiritus Dei, ut omnino illuc ire proponas: diſpone domui tuæ, & tali diſpoſitione, quæ conveniat ſtrenuitati tuæ & placeat animæ meæ. Terram illam, quam tibi dedit Dominus rex, fac confirmari ſigillo regio, & aſſenſu filij ſui coram teſtibus. Cum hoc factum fuerit & illam & reliquam, fac confirmari fratri tuo, ſi ego aliquid poſſum in corde tuo, ſi te tangit recordatio nominis mei, quis enim melius & fidelius ſervabit eam tibi? Quod ſi diſceſſeris (quod Deus avertat) 6. * quis iuſtius ſuccedet quam frater fratri? melius eſt enim quod frater H tuus hæreditet terram tuam, quam filius alienigenæ inducatur in eam, qui ſe generi noſtro per ſororem noſtram immiſcuit. Ecce habes cor meum: & conſilium meum audi, & exaudi me ſi frater meus es, & ſi vis me fratrem tuum in ſecula.

1. * *Hunc Vualterum eſſe illum ipſum de quo c.11. lib.1. vitæ S. Bern. non obſcurè patebit lectori.* 2. * *Id eſt, puero vel ſervo. Eam vocem pro ſervo in antiquis Ciſtercienſ. conſtit. Apparet formatum ex Hiſpan. voce, Garzone.* 3. * *Scilicet* Henrico, *quem plurimis commendat Guill. Neubrig. l.1. rerum Anglic. integro cap.23.* 4. * *Perperam, in MS.* diſponetis. 5. * *Eſt reſponſum Apoſtolorum ad Chriſtum bauitu peregrini apparentem* 6. * *Paret hic deeſſe vocabulum uerno.*

A

EPSITOLA XXXII.

In perſona Fratris Franconis ad ſocios qui remanſerunt, incitativa ad fugiendum mundum.

DIlectiſſimis ſociis ſuis, dilectiſſimus eorum ſocius Franco, citò fugere à ventura ira, quia tempus breve eſt. Etſi corpore receſſi à vobis: corde tamen remanſi vobiſcum, vel vos potius remanſiſtis mecum in viſceribus Ieſu Chriſti. Minimè quidem deſerit me dulcis veſtri memoria. Sed quantò memoria dulcior, tantò abſcentia eſſet moleſtior, niſi ille eſſet in cauſa, cui conveniunt omnia: cui nos B & vivere, & mori felici neceſſitate propoſuimus, vos quid facitis? qui videtis & intelligitis, quia 1. *vanitas vanitatum & omnia vanitas*, quia 2. *vanè conturbatur omnis homo?* (1. Eccl. 1. 2. Pſ. 38.) Abeunt dies, & dies, anni, & anni, mundus irretardabili curſu feſtinat ad finem. Non ceſſant tamen filij hominum, quæcumque vident quæ cadere poſſunt, & iuxta Prophetam non eſt finis poſſeſſionis eorum. Quis erit finis omnia ſine fine conſpicientibus? fremit mundus, premit corpus, tremit animus, mors vos ſequitur, fugit vita, hoſtis inſtat à tergo, prope eſt index, qui ſtetit ſub iudice ut reddat unicuique iuxta opera ſua, inter hæc omnia vos dormitatis & dormitis: cum veriſſimum & irrefragabile ſit quia nihil mortalibus morte certius, nil incertius hora mortis, & iuxta Salomonem, *quid habet amplius homo de omni labore ſuo, quo laborat ſub ſole?* (Eccl. 1.) mors ſuccedens ſuccidit omnia & præterita vanitatis arguit & erroris. Pro illo igitur, qui elegit exulare à cœlis ut vos reportaret ad cœlos, fugite de fornace Ægypti, & venite in terram promiſſionis: ubi vos amici & fratris noſtri iam præceſſimus, quia non eſt via rectior, non eſt via ſanctior dilectiſſimi fratres.

C

EPISTOLA XXXIII.

Ad Philippum Leodienſem. Archidiaconum rememorativa amicitia & incitativa ad religionem.

I*Lli ſuo antiquo & familiari Domino & amico Philippo Leodienſi Archidiacono frater Nicolaus, illi ſervire, cui ſervire regnare eſt*, forſitan miraris, quis eſt qui ſcribit tibi: ſed noli mirari hoc, quia ſervus tuus eſt: & ſi dignum indicas, amicus, hic eſt qui tecum montes lubricos glacie vel ſcopulis exaſperatos tranſiit & 1. * tranſivit, qui tecum Romæ & corde & corpore fuit, tecum in Tiburtinis montibus vigilavit. Hoc ſolum ſit commonitorium & commemoratorium priſtinæ fœderationis, quia non loca propter ea, ſed propter amicitiam, quam in locis contraximus, memorantur. Quid enim hæc omnia niſi vanitas vanitatum, & omnia vanitas? ubi numeroſus exercitus D & militaris illa iuventus triumphalibus ornamentis intexta: ubi denique ille ſublimis & potens in ſolio gloriæ ſuæ, cui ad nutum nutu citiùs ſenatus & populus, ſed & clerus aſtabat? tranſierunt hæc omnia velut umbra, & ſingularis ille ſplendor velut fumus evanuit, ibi tamen dilectio tua perennem in pectore meo pepigit manſionem: & ab illo die, memoria tua pectus meum altiùs irrupit, latiùs occupavit, * ſtabiliùs poſſidet, viventi convivet, pceſſetam ſtylum (1* Amea ſtabilit.) hactenus, rem tacitus conſiderabam & ſubmurmurantium voces tanquam ſurdus non audiebam & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Alij dicebant, prope eſt ut veniat tempus eius & dies eius non elongabuntur. Alij verò: quouſque animam noſtram tollit & non citiùs & ſollicitùs rumpit omnia & deſideratus & deſiderandus? E Ego modicæ fidei eram, nec credebam aſſerentibus & referentibus ſermonem iſtum, timens delicias & divitias in quibus ab ipſo iuventutis flore iugiter fueras obſervatus. Præcogitans tamen divitias miſerationum Domini illud ſæpiſſime replicabam. Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus: & relinquat poſt ſe benedictionem? (Ioel. 1. 2.) dum ita nutaret ſic, & nutaret ſe puſillitas & puſillanimitas amici tui, ecce ſubitò nuntius plenus ſpei (quæ non confundit) advenit, qui diceret redditionem tuam ſolemniter factam, & te iam non ſolum venire, ſed &, qui veniant tecum, fideliter & efficaciter congregare, fateor non me capio præ lætitia & inter admirationem & expectationem ſuſpenſus ſum, donec teneam te & non dimittam niſi introducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, & gaudeas ad vocem ſponſi F & ſponſæ omnibus diebus vitæ tuæ, verum ne erit, Domine Ieſu, ut tantæ nobilitatis ſanguinem & tantæ utilitatis hominem abſcondas in tabernaculo, tuo in die malorum, & non ſolùm in tabernaculo, ſed in abſcondito tabernaculi tui. Quàm libenter videbit ille magnus providentiæ oculus tantum ac tale vas furatum Ægyptiis & in donaria Domini ſeparatum. Lætentur igitur cœli, & exultet terra & ſpargatur celebratæ & celebrandæ converſionis gloria uſque in fines terræ, quia Philippus ad paupertatem pauperum Chriſti deſcendit: & honorabile nomen eorum coram illo, veni igitur Domine, & noli tardare, quia ſi negotiis credis, negotia nunquam finem habebunt, nemo cum ſarcinis enatat, ait ille * ſecularis orator, (Seneca ep. [illegible]) feſtivus erit tam feſtinus adventus, qui te in conſcientiam, nos in lætitiam reponat, & quia verus amor, ibi quoque timore trepidat ubi non eſt timor: attende pauliſper, & quod dico: quia propter te dico, nec me putes orationis velle floribus inhiare, ſed affectum accipe preſſe, cautéque ſignatum iuxta vocem prudentis, in agro mentis pœnitentis ſpiritum concepiſti, delicatus profectò conceptus, & excuti facilis ante partum. Mille ſunt veneficia dæmonum, quibus iniectis vel non formabitur vel deformabitur ſe- G men verbi Dei. Caro enim tenerrimè reſpirat, & egreſſum de Sodomis ſpiritum reſpicere frequentiùs ſubhortatur: nec de victoria deſperat, cum omnes illecebroſa ſenſuum voluptate faciliimè novimus revolare, & efficacior ſit conatus carnis ad crimen, quàm ſpiritus ad virtutem. Sed forti animo fortiter incedendum eſt, nec curandum, ſi poſt te 2. * muſſitet prurigo voluptatum: ſed iuxta, quod Auguſtinus de ſe meminit ſuccutiat carneam veſtem ſuam, nec deerunt, qui dicant tibi euge euge, qui te admoneant in frigidiores annos ſanctum differre propoſitum & amoveant ab oculis tuis, quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita venient dicentes, Quid tibi, & vitæ huic: quam potius evitare quàm ad eam te invitare oporteat? Quid ſomnias teneros artus, & exquiſitis educatos deliciis longum poſſe ferre martyrium? incipe, ſed quod non te pœniteat incepiſſe, neminem ſerò pœnitet, quem mors invenit pœnitentem. In extremo vitæ dum paradiſum latro meruit, exemplum reliquit. Si has H Sirenes uſque in extremum dulces audieris, longiùs abſtraheris in voraginem voluptatum. Aderit autem & fraudulentus ille contortor (à quo nemo unquam nocendi inducias extorſit) ſub quo caſus frequens & reſpiratio difficilis, & de quo rara, & nunquam ſecura victoria, & dicet tibi. 3.* Hæc omnia tibi dabo ſi procidens adoraveris me. Cum autem vigilantiſſimum oculum habeas, nonne vides quanta mundus laboret inſania? res in infinitum cedet ſi iuxta ſapientem recenſere velim diſcrimina principum, ſi turbati querelas coniugij, ſi mille Menedemos deploratores, filios ſcortatores, ſi conflatas iniquè vel attritas turpiter divitias, ſi poſſeſſiones arrogatas armis, erogatas flagitiis, ſublatas dolo, tranſlatas præiudicio & (quibus in hoc tempore nihil abiectius) iactura nominis

quæſitas

A quæſitas & honeſti. Ab Eccleſia igitur, & cum 4 * illo, (cuius nomen portas) adiunge te ad currum iſtum: ubi millia lætantium, & Dominus in eis, locus enim iſte à Deo factus eſt, locus quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, vt eſſet nomen ſuum ibi; & miſeri filij Adam, qui hîc non finiunt finem ſuum. Denique nobiſcum debilium, nobilium, delicatorum, litteratorum infinita pluralitas perſeverat, qui ex eodem quoque luto formati ſunt. Exceſſi fateor Epiſtolarem modum: ſed currentem ſtylum plurimus inſtigavit affectus, veni ergo, dilecte mi, incipiendo, veni proficiendo, venies & tranſibis perficiendo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.

1 * *Nec ſeriò fuerit hic legendum:* tranſcendit *aut aliud quid ſimile, ad tollendam repetitionis ſuperfluitatem.* 2 * *In exemplari*, in [illegible] *verò* [illegible], inſiſtet. *Poteris enim* [illegible] *cœleſtem animum compellare de ſpurcitia:* [illegible] *excitareque mentis affectum, ut* [illegible] *Hildeb. Cenoman. epiſt. 41.* [illegible] *ſi dum incipis fugere te, vel* [illegible] *voluptatum, &c.* 3 * *Verba ſunt eiuſdem* [illegible] *Chriſtum tentantis. Matth. 4.* 4 * *Scilicet S. Philippo verba ſunt S. Spiritus monentis S. Philippum ut iungeretur currui Candacis Æthiopis & fideliter legentis Eſaiam prophetam,* [illegible] *ex* [illegible] *Non malè hic quadrat locus ſerm.* [illegible] *Bern. de dedicatione Eccleſiæ, haud procul ab* [illegible]

EPIST. XXXIV.

Ad Amedeum Epiſcopum Lauſanenſem dilectiva, & laudatoria.

PAtri ſuo frater Nicolaus ſeipſum ad pedes. Multa præſumptio, ſi non multa eſſet dilectio, quòd præſumo ſcribere veſtræ ſublimitati, affectus enim trahit me, qui nec legibus obtemperare, & cui reges imperare non poſſunt. Neſcio enim quo pacto, ex quo vidi vos, dilectio veſtra ipſis animæ meæ penetralibus largiter ſe infudit. Nec fuit mora inter aſpectum & affectum, quamvis affatum tardiùs habuiſſem. Si ergo fidenter ſcribo ex hoc eſt, quia fideliter amo: quia ſi audax ſum, non tamen mendax. Amor Dominum neſcit, agnoſcit amicum, & in inſulis, dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax, perſpicax puritate: Quid ergo ſi aſcendiſti ſurſum, Domine mi, immò potius dilecte mi? etiam ſuper pennas ventorum non ſubduceris affectui meo, & ſi aſcendas ad cœlos, ſequar te quocumque ieris. Non enim amo pontificem, ſed hominem qui zelum legis cathedræ contulit, non à cathedra ſuſcepit. Quis ille aiunt vigor, quæ ſolertia ſpiritus, quæ ſaltu ſuæ ſubtilitatis obſtantia quæque perrumpit: & quæ poſſit de ſingulis artibus etiam cum ſingulis artificibus Philoſophari? Propterea ſupereminet illa mortalitatis tuæ liberalitas, quæ iuxta oratorem ſe præbet blandam pueris, iuvenibus comem, gravem ſenibus, confortans omnes, omnibus ſe conformans in ſermone communis, in contubernio æqualis, in conſilijs præcellens, & multùm ambienda, quia minimè ambitioſa. Vidi enim te ſine ſuperbia nobilem, ſine invidia potentem, ſine ſuperſtitione religioſum, ſine iactantia litteratum, ſine ineptia gravem, ſine ſtudio facetum, ſine aſperitate conſtantem, ſine pluralitate communem, illud admirans quod eminenti ſcientiæ conſcientiam habes ſuperiorem. Talem te credit ſpiritus meus, talem te loquitur affectus meus, aſſiduè mihi ſubmurmurans ſpiritum tuæ ſuavitatis, mitto tibi librum magiſtri 1 * Anſelmi de ſpiritu ſancto bene punctatum niſi fallor, & emendatum: ego inquam, qui tuus ſum & tuus ero quamdiu fuero, amantiſſime pater.

1 * *Scilicet S. Anſelm. Cantuar. Archiepiſcopi: quem inſcriptum de proceſſione Spiritus ſancti hodieque lectitamus* [illegible] *Ille, inquam ipſe eſt, de quo in epiſt. 21 22. & Hildeb. Cenoman. ut* [illegible] *ex* [illegible] *appoſito Nam. l. 3. epiſt. MS. eiuſdem S. Anſelmi,* [illegible] *& ad quem* [illegible]

EPIST. XXXV.

*Ad 1 * Vvalterum nobilem & diſcretum provocativa, ad religionem recommendativa Clarevallenſem.*

FRatri Vvaltero frater Nicolaus illuc tendere, ubi eſt vita. Litteras tuas tam libenter ſuſcepi quàm ardenter eas deſideraveram: quæ ut per fidelem nuntium manus meas occupaverunt, exoccupavi me, ab omni negotio & otio remotiſſimo mox admotus, vix me ipſum mihi ipſi credebam. 2 * Eſt mihi ſcriptoriolum in mea Clarevalle, vallatum undique officinis cœleſtibus & celantibus illud. Oſtium eius aperitur in cellam novitiorum, ubi frequens numeroſitas tam nobilium quàm literatorum novum hominem in novitate vitæ parturiunt, gemitibus cœlos, fletibus Angelos inclinantes, nec declinantes donec orationis vehementia Cherubin & Seraphin tranſvolent, & ante miſericordes oculos dulciſſimi Domini rapiantur. A dextra parte clauſtri monachorum excreſcit: ubi floridior ille conventus obambulabat, qui felici ſecuritate vel ſecura felicitate in aliquid melius & lætius profecerunt, & defecerunt in atria Domini. Ibi divinorum eloquiorum libros ſub caſtigatiſſima diſciplina ſigillatim apperiunt, non ut eventilent theſauros ſcientiæ ſuæ ſed ut dilectionem, compunctionem eliciant, & devotionem. A læva prominet domus & deambulatorium infirmorum: ubi corpora diſciplinis regularibus laſſata, atque caſſata cibis lautioribus refoventur: donec vel ſanata vel meliorata revolent ad laborantium & orantium gregem, qui vim faciunt regno cœlorum & violenter rapiunt illud, nec contemnendam putes domunculam meam, quia & deſiderabilis eſt ad affectum & delectabilis ad aſpectum & reclinabilis ad receſſum. Plena eſt libris electiſſimis & divinis, ad quorum iocundam inſpectionem, deſpectionem mundanæ huius vanitatis agnoſco, conſiderans quia vanitas vanitatum & omnia vanitas: & quia nihil eſt vanius vanitate, hæc mihi tradita eſt ad legendum, ad ſcribendum, ad dictandum, ad meditandum, ad orandum, & adorandum Dominum maieſtatis, hic ſæpius infelicis conſcientiæ mole depreſſus ſolus ſolitudinem mei cordis ingredior, & eſt mihi ratio iudex, 3 * conſcientia teſtis, timor carnifex, ſtatuoque me ante faciem meam: ne me ſtatuat ante faciem ſuam terribilis illa maieſtas in cuius manibus eſt horrendum incidere, hic aperui Epiſtolam tuam & prævolantibus oculis legi avidè, relegi audiùs, avidiſſimè lego, totus contextus eius viritis erat excedens vires ingenij tui, ingenij inquam illius quod reliqueram, inerant ei, iuxta virum eloquentiſſimum, rhetoricæ partitiones, oratoriæ gemmæ, vernantes clauſulæ non puerilitèr ſed viriliter operabantur. Nec hoc dico quaſi hæc cor meum vel debeant vel habeant occupare quæ etſi funditus oblita non ſunt, tamen penitus ſunt relicta: ſed quia cum te amem, amo etiam in te, quòd litteras amas. Pars enim quædam probitatis eſt noſſe meliora, & bono proximus eſt, qui diligit ornamenta doctrinæ. Cùm igitur eam attentiùs & intentius perlegiſſem, cogitavi dies antiquos inter nos ſecundùm, ſeculum, & quæ ſeculi ſunt, animæ duæ, animus unus excitarat & dixi, A a a, Domine Deus. Seduxiſti

Diligēs ornamēta doctrinæ, bono proximus eſt.

1 * *S. Epiſt. 31.* [illegible] *V.* [illegible] *hanc autem ſuo.* 2 * *Hic incipit* [illegible] *Clarevallenſem, proſequiturque ad epiſt. calcem.* 3 * *Videtur* [illegible] *illud Quintil. Orator. inſtit. l. 5. c. 11* Conſcientia mille teſtes.

A me Domine & ſeductus ſum, fortior me fuiſti, & in-
valuiſti: partem animæ meæ recepiſti in cœlo, partem
reliquiſti in cœno, & ſine illo ſum, ſine quo tamen
eſſe non poſſum, itane deficiet in dolore vita mea, &
anni mei in gemitibus. Si inveni gratiam in oculis
tuis, redde eum ſibi, immo & tibi, ac per hæc, mihi:
quis tu es, qui peccata condonas, merita donas, præ-
mia redonas Domine Deus meus. Redde Robertum,
redde Lecelinum, redde 4.* Valterum, & ſi de duo-
bus nec exaudior, audiar ſaltem pro tertio. Remitte
mihi vt refrigerer in hoc priuſquam abeam, & videam
dimidium animæ meæ vivere voluntati tuæ in medio
meorum Clarevallenſium, in medio denique iuven-
cularum tympaniſtriarum, iuvencularum, quæ dilexe-
runt Deum nimis, tympaniſtriarum, quæ crucifixe-
B runt carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis: non
Pſal. 47. ceſſabo à precibus, Domine virtutum, donec ſurgas
iuxta formam 5 * Evangelici largitoris, ſi non pro-
pter amicitiam, ſaltem propter importunitatem. Cum
autem ſummatim verba Epiſtolæ volviſſem, & revol
viſſem ſigillatim, lætatus ſum: ſed lætitiam abundan-
tior triſtitia ſepeliuit, coniectaui enim te currere, &
acrius & alacriùs poſt vanitates, & inſanias falſas:
& nec vnum verbulum ad quod tibi de Clarevalle
* reſpõdiſſe. propoſueram, * repoſuiſſe. Scio ego quòd ama-
bilis & affabilis & tractabilis ſis: & quod verearis
& reverearis aliquantulum oculos iudicis cuncta cer-
nentis, ſed ſufverſores ſunt tecum, immò tu cum
ſubverſoribus eſſe cœpiſti: illos duos loquor, vulpes
aſtu, faſtu leones: ad ſuperbiendum, tauros: immò
tauros ad contumendum, nonne ipſi ſunt, quos iuxta
Sidonij vocem hæc peculiariter provincia manet
inferre calumnias, deferre perſonas, afferre minas,
auferre ſubſtantias. Ad eorum enim conſilia 6 * Fala-
ris cruentior 7 * Midas cupidior, 8 * Ancus iactantior,
9 * Tarquinius ſuperbior, 10 * Tyberius callidior,
11 * Gaius periculoſior, Claudius ſocordior, Nero
impurior, 12 * Galba auarior, 13 * Vitellius ſum-
ptuoſior, Domitianus 14. * truculentior redderetur.
Fili mi ne ambules cum eis. Ipſi enim ſuam tibi ru-
C biginem affricabunt, & intricabunt te doloribus &
laboribus multis, de quibus exire non poteris etiam
cum volueris cum dolueris te oppreſſum. Verumtamen
de illis quid ad me? ſuo Domino ſtant aut cadunt,
nec enim hæc dixi ad inſtantiam, ſed ad cautelam:
ne fortè te convertant aut pervertant, ſi mores eo-
rum imbiberis. Scio enim quia proprium 1 * eſt ſtul-
titiæ, aliorum vitia cernere ſuorum oblviſci. Nunc
ad te ſermo retorquendus eſt, patere me pauliſper
attingere cor tuum, immo & cor meum: Si tamen
verum eſt, quod nos ſimus ſecundum epiſtolam tuam,
vnum & anima mea. Iuvenis es, ſed certè pauco-
rum annorum iuvenis, multorum peccatorum,
nullorum meritorum, nondum pœnitentiam perfeciſti
ſed nec incepiſti: nec me fallit vigilantia mea. Quæ-
ris vnde id ſciam? quia profectò non pœnitentiæ ſed
peſtilentiæ eſt locus ille, vbi * cum fecerint vnum
proſelytum, faciunt illum duplo filium gehennæ,
quàm ſe, non eſt tergiverſandi locus: Ego, eos &
intus & in cute novi. Sepulchra dealbata ſunt, plena
interius oſſibus mortuorum. Prætermitto, quod in-
D trinſecùs latet: quia & me pudet dicere & te non
decet audire, venio ad manifeſta. Quod ſi iuxta vi-
rum mordacem nares illorum duorum (qui bene
duo ſunt, quia ab vnitate diviſi) rubiginoſi 3 * auro
marſupij afflaveris: nonne confeſtim videbis illic,
& oculos Argi & 4 * manus Briarei, 5 & Sphin-
garum vngues, & 6 * Vlyſſis argutias & 7 * Simo-
nis fallacias, 8 * & periuria Laomedontis, & 9 * fi-
dem Polymneſtoris, & 10 * pietatem Pygmalionis
adhiberi? fortaſſe reſpondes: Iuventuti lætitiam,
ſenectuti pœnitentiam deputabo, cum deferbuerit
ſanguis, & iuvenilium medullarum validiſſimus &
calidiſſimus ignis abſceſſerit. Dilecte mi, mors hunc
ordinem non ſeruat: quæ tam iuvenes, quàm ſenes

E exire compellit Involuens pariter humile & celſum
caput. Nihil enim mortalibus morte certius, nil
incertius hora mortis, non eſt, amantiſſime iuvenis,
ſumma noſtræ felicitatis in carne ponenda. Hone-
ſtum ei vile eſt, cui corpus nimis eſt charum. 11
* Non enim viuit, cui nihil eſt in mente niſi vt
viuat. Nihil novi videmus: & fit homini huius
ſeculi nauſea, ver, hiemem: æſtas, ver: autumnus
æſtatem premit & omnia in orbem aguntur. Come-
dimus, bibimus, dormimus & miſerias noſtras)
quod omnibus miſeriis miſerius eſt) & eligimus &
diligimus, horrendo 12 * fæculenti corporis carce-
re circumſepti. Pro illo igitur, qui te fecit, rede-
mit, vocauit in admirabile lumen ſuum, veni huc
finire finem tuum, & ſi non propter te, ſaltem pro-
F pter me, qui amore & timore tui, dies anxios &
noctes laborioſas duco. In argumentum & condi-
mentum tibi ſit interitus iterij tui: quem in ipſo æta-
tis, & ſcientiarum flore, acerba mors præcidit &
occidit. Quicquid alij patiuntur, & tu poteris pati,
quia ex eodem luto formatus es. Nihil autem tibi
grave eſſe poterit, ſi recordatus fueris, quid biberit
ad patibulum, qui nos invitat ad cœlum: cuius ſi
ſequaris exemplum, conſequeris & regnum, regnum
omnium ſeculorum. Nonne etiam ille Henricus 13
* Regis filius, & 14. Regis frater nobiſcum eſt ge-
nere ſingularis, ſublimis gloria, rebus affluens,
pace ſecurus; ſecundùm carnem nobilis, ſecundum
ſeculum potens, litteratus pro ætate, in cuius obſe-
quium tam fortunæ, quam natura iuraverant: quaſi
vnus ex nobis? Omnis ille regius apparatus in pro-
fundiſſimam humilitatem decubuit: ita vt exemplo
eſſe poſſit etiam his quos accepimus in exemplo. Su-
per his omnibus, reſcribe mihi voluntatem tuam &
credo te vera dicturum: cùm tibi à pueritia innatum
ſit nolle mentiri. Nec tamen, ſi non veneris ideo
putes me ab amore tuo vel tranſuerti vel auerti poſſe,
ſed amicitiam ſemel ceptam atque receptam vſque
ad mortem & poſt mortem etiam retinebo in viſceri-
bus Ieſu Chriſti, vnde, & quicquid habeo, quic-
G quid ſum, quicquid poſſum, tuum eſt: ſi tamen vo-
luntas tua cum voluntate Domini concordet. Nunc
autem te prolixior pagina doceat, quia, etſi non
dictatoris imaginem, oratoris tamen perdidi veri-
tatem: cùm Tullius oratorum rex & Romanæ elo-
quentiæ princeps, principalem facundiam aſſerat,
quæ paucis multa cohibens ſtudet potiùs cauſam im-
plere, quàm paginam, ſed addit plurimum huic vitio
dilectio tua: quia dictare tibi & occupatus incipio,
& invitus depono, dum, ſaltem hoc remedio cor
meum tibi volo communicare. Intolerabiles enim
eſſent amicorum abſentiæ, ſi non intervenirent reme-
dia litterarum, ſed iam Epiſtola complicanda eſt,
& ceræ mandanda: vt ſaltem terminum meæ loqua-
citati, quem non potuit verecundia, ponat vel charta.
Quæ cum digitis tuis reſerabitur, oculis inſpicietur,
ora Dominum qui fecit nos, vt non imputet nobis,
quæ fecimus nos: ſed cum pereunte immunditia,
mundus verè vocabitur: mundus oſtenderit nobis
ſeipſum in forma Dei, in die virtutis ſuæ, in ſplen-
doribus ſanctorum, & ipſe ſit finis Epiſtolæ, quem
cernere finis.

H 4 * Quod eius miro tenerētur, deſiderio teſtes ſunt *epiſt. 26. 31. 32.* 5 * *perperam in MS. Evangelij appellat autem Evangelicum largitorem: qui amico nectu ab eo petenti tres panes dedit victus improbitate hominis.* 6 * nota eius crudelitas ex æneo tauro, *de quo Val. Max l. 9. cap. 2. Sen. obiter l. 7. de Benef. cap. 19. l. 2. de ira cap. 4. & l. 1. de Clem. cap 4.* 7 * *relege Prou. Mida divitiæ chil. 1. Cent. 6 Eraſ.* 8 * *ita Virg. 6. Æneid.* 9. * *ob ſuperbia contemptum Dion. Halic. l. 1. Orig. cap. 51. l. 1 Dec. 1.* 10 * *Eò præcipuè ſpectare videtur cap. 50. Sueton.* 11 * *Vocat periculoſiorem ob varia quibus ſe obiecit bellorum pericula.* 12 * *Videbitur eius avaritia c. 12. 13 * Suet. cap 13 & poſt Eutrop l. 7 deſcribunt.* 14. * *Notiſſima eſt truculentia eius in hiſtoriis Eccleſ. Martyrologiis Suet. cap. 10. 11.*

A

1 * *Stultitia fuerit, aliorum conſpicere vitia, deſpicere ſua.* 2 * *In rem ſuam vertit ſatyricum Chriſti acerbum de Phariſæorum hypocriſi ſermonem Matth 24.* 3 * *In M S. aura, neſcio quis ad oram repoſuerat anima, ſequens verò verbum, aſſe, ſat oſtendit reponendum fuiſſe, aura.* 4 * *Neceſſario licet res non poſtulaſſet, in plurali, ponere debuit numero. Erat enim continuatus teſt. Theor. in ſpeculat. de nat. Deo. S. Gregor. Nazianz. in orat. de funere patris uſurpavit eodem quo hic ſenſu:* χαίρουσα τοὺς ἄλλως ὁρῶν τὰς Βριαρέω χεῖρας ἐπιβάλλοντας τοῖς δημοσίοις *videns quoſque alios, Briarei manus inicientes bono publico.* 5 * *Sphingarum, correctius, Sphingum ex Mela. lib. 3. cap. 10. Plinio & aliis.* 6 * *Vlyſſis argutias relege adagium, Vlyſſeum commentum.* 7 * *Simonis, vel Sinonis, illius ſcilicet vafri, quo agente Troes everterunt muros ad inducendum equum ligneum in urbem ſuam, qua de re Virgil. 2. Æneid.* 8 * *Periuria Laomedontis, Hygin. fab 89. enumerat.* 9 * *Polymneſtoris fidem magè perfidiam, quam Hygin. deſcribit fab. 109.* 10 * *Pietatem Pygmalionis. Id εἰρωνικῶς dictum apparet, hoc 1. Æneid.* Pygmalion ſcelere ante alios immanior omnes. 11 * Non vivit, cui tantum eſt curæ, ut vivat. 12 * *Meuloſò*, in M S. ſeculenti. 13 * Lodovici Craſſi Francorum Regis. 14 * Lodovici VII. æquè Regis, *ut rurſus epiſt. 29.*

B

EPISTOLA XXXVI.

Ad Petragoricenſes Clericos in perſona fratris Alquerij, incitattiva ad ordinem Clarevallenſem.

DIlectis ſuis Petragoricenſibus Clericis frater Alquerius: *Illam vivere*, qua in cœlo *vivitur*, *vitam.* De terra longinqua ſcribo ad vos: quamvis vos à corde meo longe non ſitis. Charitas enim, quæ in ſacrario dilectionis, & amicum diligit in Deum & inimicum colligit propter Deum, non vos mihi abſentes patitur vel ad horam, & facile eſt facere charitati, quæ unam rempublicam terram facit, & cœlum, in illa & cum illa & pro illa audacter audeo aggredi vos, propter vos, quia pro animabus

C

Eccl. 1.

veſtris. Videtis quia iuxta vocem Sapientis nihil eſt ſub ſole niſi labor & dolor & afflictio ſpiritus: & quia quicquid in hoc tempore vel in hoc corpore eſt in irretardabili curſu feſtinat ad finem. Finis venit, finis venit, dilectiſſimi, ſuper filios hominum qui filium hominis non noverunt, qui noluerunt, * eum regnare ſuper ſe: ſed regnavit in eis luxuria, mundi gloria, diaboli ſuperbia, ſed & omnis materia vitiorum, filij Adam, filij Evæ, filij iræ, filij gehennæ, filij ſeculi, filij diaboli, filij mortis, filij captivitatis, vt quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis, & obliti eſtis quia homo naſcitur in mœrore, vivit in labore, moritur in dolore? Ducunt (ait ſcriptura de divitibus loquens) in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. O dura & non duranda, immo ſemper duranda deſcenſio, vel præcipitatio, vt ſic deſcenderit vt nunquam aſcendatur ibi: quomodo? Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eas, quam bene, ſicut oves: quia perdito vellere mundialium divitiarum dure preſſéque detonſi, ſempiternis involuuntur incendiis, mors depaſcet eos, & verè depaſcet, quia ſemper vivunt, vt ſemper moriantur: & ſemper moriuntur ut ſemper viuant, felices proinde, Domine Ieſu, qui tibi ſerviunt, cui ſervire regnare eſt: quia & hic ſecuritatem in conſcientia, & illic felicitatem in gloria poſſidebunt. Sic tu ſolus ſoles amicos tuos, & hic confortare in via, & illic confortare in patria, hîc ſolatium, illic præmium: hic . . . . illic glorioſus & faciens glorioſos, quid ergo facitis chariſſimi: Quare non venitis ad domum iſtam: ubi filij Iſraël in procinctu circumſpectæ militiæ inoffenſo & indefeſſo pede tranſeunt Iordanem illum, iam videntes, quamvis à longè civitatem ſanctam Ieruſalem, & cœleſtis palatij divitias adorantes? non eſt religio iſta, ſicut religiones quæ ſunt in terra veſtra: quia ſeculares & ſecularibus coniunctæ, religionis nomen in contemptum & opprobrium adduxerunt: & mundum, & quæ mundi ſunt, noſtri penitus reſpuerunt & expuerunt à cogitationibus & operibus ſuis. Hinc eſt, quod glorioſa iſta ſocietas in nomine Trinitatis in ternarium ordinem colligatur & colligitur, novitiorum, monachorum, converſorum: novitij ſunt, qui probantur: monachi, qui approbantur: converſi, qui operantur, vnde Chriſti pauperes, immò Chriſtus in pauperibus ſuſtentetur, & hæc quidem domus eſt, in qua ſalvator diligenter ſuſcipitur: ubi & Martha miniſtrat, & Maria vacat, & Lazarus reſuſcitatur. Martham accipite converſos laborantes: Mariam, monachos contemplantes, Lazarum, novitios plorantes, qui nuper ſunt à mortuis reſuſcitati, non eſt vobis ſecurum, curam animarum habere, & animas non curare: de Chriſti patrimonio vivere, & Chriſto non ſervire. Breves ſunt dies hominis ſuper terram: & nihil indignius quàm brevi voluptate, torrentem perdere voluptatis. Venite ergo amantiſſimi fratres & ingredimini tabernaculum ſanctum, & de iſto voletis in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. Illud autem ſcitote, quod non eſt facilior tranſitus ad civitatem Dei, ſed nec compendioſior. Dominus autem virtutum det vocem virtutis, & concedat vobis ut faciatis eius voluntatem ad veſtram utilitatem corde bono & animo volenti.

* Hanc vocem Id, quæ, ut etiā cælo claret, deſiderabatur, reſtituimus.

Iob. 21

Pſ 48.

D

EPIST. XXXVII.

In perſona Domini Clarevallenſis 1 ad Lucanum Epiſcopum, incitattiva ad fortitudinem & iuſtitiam.*

V*Enerabili Domino Lucano Epiſcopo frater Bernardus in luce vivere, & in luce mori.* Poſitus eſtis in ſublimi loco, & opus eſt ſublimi animo, qui vos doceat, quia cathedra, quam accepiſtis oneris eſt non honoris: operis, non nominis: virtutum denique, non divitiarum. Sic enim ait illa cœleſtis fiſtula de cuius, & in cuius pectore verbum Domini perſonabat. Si quis, inquit, Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Opus, non dignitatem: quia ergo manum veſtram miſiſtis ad fortia, opus eſt vobis fortitudine: quia ſpeculator Domus Iſraël factus eſtis: opus eſt prudentiæ ſubtilitate opus eſt aurea temperantiæ mediocritate, quia ſapientibus & inſipientibus debitor eſtis. Porro in conſummationem virtutum, iuſtitia veſtiri vos oporteret, qua unicuique reddatur quod ſuum eſt, dicente ſcriptura, Sacerdotes* tui induantur iuſtitiam felix hic quadriga, & auriga eius beatus: *qui humilitatis temone præſidens, virtutum rotas ad ductum & conductum ipſius inclinat. Humilitas virtutum magiſtra, ſingularis filia ſummi regis, à ſummo cœlo cum cœlorum Domino deſcendens in cœleſtibus animis æternam poſuit manſionem, ſine humilitate per prudentiam eligere, quod diligendum eſt, ſicut Sapiens ait, Erronea diſcretio eſt, adverſa per fortitudinem ſuperare, tacens victoria, illecebris per temperantiam reſiſtere, temulenta ſobrietas: operibus iuſtitiæ inſiſtere, palliata ſuperbia: ſola eſt humilitas, quæ virtutes beatificat, & perennat: quæ vim facit regno cœlorum, quæ Dominum maieſtatis humiliavit uſque ad mortem, mortem autem crucis. Verbum enim Dei in ſublimi conſtitutum, ut ad nos deſcenderet prior humilitas invitavit veritas quæ ſe promiſerat venturum, compulit, puritas uteri virginalis ſuſcepit. Salva virginis integritate

potem

A

potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia animavit. Charitas verbis & miraculis manifeſtavit. Hæc in corde pontificis alta radice radicari debet, atque fundari: qua cedente omnis conventus virtutum, vel opprimitur vel ſuccumbit, factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis, non erat quidem meum, docere Epiſcopum: ſed amicum admonere, & meum erat & omnium qui noverunt veritatem charitatis, reliqua vobis communis filius, illic pleniùs & planiùs, viva voce referet. Neque enim literis committendum fuit, quod & ſi quoſdam docere, quibuſdam tamen nocere potuiſſet.

EPIST. XXXVIII.

B

*Ad * Lecelinum ſocium ſuum, qui multum tardabat, redargutiva & attractiva.*

* Sin ſpirit... 4. 1.4

FRatri Leceline frater Nicolaus, non in levitate, ſed in veritate ſpiritus ambulate. Vere fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, qua te æmulor. Æmulor enim Dei æmulatione, propoſueram nec videre te, nec loqui tecum, ſed nec ſcribere tibi. Poteram enim mittere te nota & nomine deceptoris, nec meam proditoris & illud ſapientis, vel ſuggerere vel ingerere toto ore, qui denudat arcana amici, perdit fidem. Dictaveram quidem Epiſtolam in occultis, ſed pro occultis arguens te, notores contra faciem tuam ut ſcires quæ deeſſent, quæ adeſſent, quæ prodeſſent tibi. Audacter fateor tam ſecure loquens tecum, quàm mecum, quippe qui credebam cor unum & animam unam. In argumentum mihi erat converſatio familiaritatis, aut quæ & magnitudo vel multitudo beneficiorum, quæ præveneram te in omnibus neceſſitatibus tuis, & omnibus diebus vitæ tuæ inter nos & nobiſcum. Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam. Hærebas lateri meo, placebas cordi meo, mens & frater & filius: & ſi dignum ducis recordari, diſcipulus, potius autem condiſcipulus, ſub illo magiſtro cuius ſchola in terris eſt, & cathedra in cœlis, hinc eſt, quod illud tantillum litterarum, quod infuderam animæ meæ, refuderam in animam tuam minùs attendens quid facerem, vt ſatisfacerem tibi. Sic enim me vel induxeras vel reduxeras ad Philoſophicas vanitates, vt niſi quia Dominus adiuvit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea: &, ut iterum ſummam ſummatim ac breviter perſtringam, neminem habebam tam unanimem dum adhuc eſſem vobiſcum quaſi unus ex vobis. Quid ergo malè merueram de te ut litterulas illas vel Abbati, vel Abbatis collateralibus oſtenderes: qui quærunt animam meam, ut auferant eam: quibus morte gravior eſt vel memoria nominis mei? Quia enim zelo zelatus ſum pro Deo Iſraël: zelum, dolum: conſcientiam arrogantiam: veritatem dicunt iniquitatem. Si tacuero, non tacebunt opera eorum, ſed fiet quod unus ex Satyricorum officina proclamat. (Taceant homines, iumenta loquuntur.) Sed & * Abbati inſulæ Germanicæ, quid ſcripſiſti? homo etiam ille, qui nec ordinem tenet nec tenetur ab ordine: cuius officium, non ſacrificium ſed carnificium eſt: homo ille bonorum excitator, legum contortor, quid extorſit à te? dediſti ei fidem contra fidem, quod in tua perfidia remaneres nec redderes Deo vota tua quæ diſtinxerunt labia tua. Singulari utique doctori & magiſtro incomparabili adhæſit anima tua: quia conſumpſit & conſummavit omnes actus ſuos, in morte pauperis, & rapinis viduarum: & in hoc verſatur & vexatur, ut vim faciat cauſæ humilium populi Dei. De litteris autem, quas propalaſti, vnam poſſe meam breviter coniecturam, quæ utrum certi aliquid habeat, tuo iudicio derelinquo, aut volens, aut nolens hoc feciſti. Si volens, quid adhuc egemus teſtibus? Nolens autem, quomodo? cum illi vel in leviſſima te offendere oculos tuos nec velint nec poſſint nec audeant? Timent enim quod fortaſſis quandoque futurum eſt, vt recedas ab eis, & accedas ad iſtos: relinquas umbram, & teneas veritatem. Nonne ergo Deus requiret iſta? Licet hæc celes in corde tuo, noſti tamen, quia * ſupradictas ad invicem colliderem rationes: quid infigi, vel infligi poſſet tuæ dilectioni. Veruntamen hæc omnia dimitto, & remitto quod factum eſt quaſi ut factum fuerit, tantùm ne iteretur. Si enim iteraretur, ut ne dicam amicitiam, amicitiæ tamen ſubtraherem familiaritatem & hoc ſine ſpe recuperationis, recordatus cum tui ſum: miſerearis adoleſcentiam tuam & claritatem tuam qua ſecutus es me & ſi non aſſecutus. Sed etſi * Girardus meus, immò & tuus cui multùm in te complacuit, non ſolùm animavit ad veniam ſed & armavit ad gratiam, ita ut paratus ſum ſuccurrere & occurrere: iuxta Prophetam cum panibus, fugienti, iam enim gaudentior & ardentior ibit oratio de charitatis fornace deſcendens. Quid ergo, quod dilectus meus moram facit inveniendo, & non citiùs & ſollicitiùs rumpit omnia, ut ſequatur qui eſt ſuper omnia, non furtivo inceſſu, ſed velociſſimo curſu currens cum gigante qui exultat ad currendam viam: ſcio ubi habitas, ubi ſedes eſt non ſedentis ſuper thronum. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in ea ſanitas. Solus ille vir bonus & iuſtus non conſenſit conſilio & actibus eorum. Iſtum bardum loquor, qui & ipſe expectat regnum Dei. De reliquo curre per omnes, curre per ſingulos, & vide ſi non omnes quærunt quæ ſua ſunt; non quæ Ieſu Chriſti: Quid tibi & illi, qui literatus es, & præventus à patre ſpirituum in benedictionibus dulcedinis, cui, niſi fallor & mundus, & quæ mundi ſunt & corde & corpore viluerunt? Cum ſanctis ſanctum eſſe magnæ felicitatis eſt: Cum malis bonum, ſummæ difficultatis, &c, ut brevibus verbis perſtringam, quicquid te vel urit vel urere poteſt. Audi amicum tuum, dubitas de profeſſione tua? ſed hoc ſolum dubitandum eſt, quia * noviſti, quod non ſolviſti: & quærendum ubi ſoluas, quia, ſicut ait legiſlator, ubique uni Deo ſervitur, uni regi militatur, an emendationem monaſterij expectas? Sed multitudo impiorum invaluit & prævaluit, & dies ultimus non eſt cognitus tibi. An parentes tui retinent te, quorum turba te circumvolat & circumvallat? Sed patris iuberis te contemnere ſepulturam. Times ſcandalum? Sed melius eſt, ut ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Putaſne peccata Deus nolit remittere? Sed affixit ea cruci ſuæ cum manibus. Paves, quia tener & delicatus es? Sed & ipſe cognovit figmentum tuum. Quia conſuetudine peccandi ligatus? Sed Dominus ſolvit compeditos. Quia peccata multa ſunt. Sed ubi abundavit peccatum ſuperabundare gratia conſuevit. An de cibo & potu & veſtimento ſollicitus es? Sed ſcit pater tuus cœleſtis quia his omnibus indiges, expectas uſque in ſenectam & ſenium? Sed nihil morte certius, nihil incertius hora mortis. Metuis ne ad extraneos venias? Sed omnes in Chriſto unus ſumus. In me quoque omnium nomina neceſſitudinum inveniſti: & nunc multò magis invenies. Quid ergo dubitas modicæ fidei? Ablata eſt tergiverſationum excuſatio, non eſt quo te vertas. Adhuc inquis oblitus es. Quidam enim ex noſtris terruerunt me qui de vobis ad nos reverſi ſunt. Illi non tam movere, quàm ego te movere debeo quem ſibi retinuit ſpiritus veritatis: quem vidiſti deliciis & divitiis conſtipatum, in tanta teneritudine nutritum, quantam & ego novi: & tu quoque non ignoras. De illis aliquid dicere ſuperſedi, quos tu noſti teneris præbibiſſe medullis, quod in conſuetudine oſſa perdurauit, &

[illegible] ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem,

Teſta diu. Vides inveteratum illum, qualiter ad

Marginal notes: Cant. 8 — Eccl. 27 — * Abbate inſula Germanica eundem eſt cum Celenſi legere auctoris ad ep. 30. — E — * Liquebit deſiderari continuatio, Si — F — * Hic eſt Giraldus cui ſcribit ep. 1. cuius commemoratio ſcribit 1. 21. Eſai. 21. — G — Matt. 8. Luc. 9. Pſ. 145. — H — Horat. l. 1. ep. 12 ſub fin.

C — D

vomitum

A vomitum ſuum reverſus eſt, portans tabulas teſtamenti ſui in caput ſuum: vt ſigillet & ſugillet orfanos & viduas, neſciens quia exturbabitur à facie patris orfanorum & iudicis viduarum. Sed alter boninum ſemper habuit intellectum. Putáſne poteris mutare pellem rufedinis ſuæ? non multum eſt enim, neque enim expoliavit eam cum venerit ad vos, ſed aſino leonem ſupervestivit: & nunc detracta regia pelle ad innatam & cognitam ſibi reverſus eſt tarditatem. Tranſi ergo, dilecte mihi: nihil tibi difficile erit niſi tranſire: quia omnis ſubita mutatio rerum non ſine quodam conflictu contingit animorum: venies ad ignotos, ſed non ignotus: quia paravi viam amico. Veni ergo, & vide viam Domini quæ poſuit B prodigia ſuper terram, multos potentes, multos nobiles, multos litteratos, multos delicatos, filios regum & principum ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, congregatos in loco illo quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, vt eſſet nomen ſuum ibi, ut dicas: caſtra Dei ſunt hæc. 2 * Non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cœli, mi Leceline. Non eſt via tectior, non eſt vita ſanctior in omni ſanctitate, quam reliquit ſanctus ſanctorum in terris. Sed dicis: paratus ſum & non ſum turbatus: ſed exire non poſſum. Demonſtra eis vias eorum & ſtudia eorum priùs: & ſi te audire noluerint, inſtanter & conſtanter dic, dic quia in invio es & non in via, & ibis ad illos, vt fiat tibi. Chriſtus via in exemplo, veritas in promiſſo, in præmio vita, dic, dic, quia non eſt domus orationis ſed ſpelunca latronis abſque eo quod intrinſecus latet, dic: in domo Iſraël vidi horrendos & plangentes * Adonidem. Si viderint audaciam & perſeverantiam tuam, non expectabunt ut exeas, ſed cogent egredi & ſuperponent digitum ori ſuo. Meminiſtine quod propitium me ſuggerente immo & cogente inveniſti hominem Dei? Cui aliquando de ordine tuo C ſic reſpondit ore ſuo illa cœleſtis fiſtula, & ſingulare organum ſpiritus ſancti: non turbetur cor tuum, neque formidet: quia quicquid in priore epiſtola mandavi, totum implebo, & ſupererogabo adhuc quæcunque, vndecunque colligere potero. Cætera poſui in ore præſentium latoris, qui dicet tibi quid te oporteat facere. Solus ſoli dabit epiſtolam, quam ſi viderit oculus abſque oculo tuo, perdidiſti me in æternum & in ſæculum ſæculi: nec hoc dico quaſi de veritate pro veritate timeam: ſed quia ſcandalum facere & nihil proficere nec prudentis eſt nec providentis bona coram Deo & hominibus. Scio enim ubi legerim: uterque reus eſt, & qui veritatem cælat, & qui mendacium loquitur: quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat. Pro illo igitur, qui pro toto te, totum morti ſe expoſuit, & tormentis, veni & refrigera animam meam, quia crucior in hac flamma, cum videam partem animæ meæ receptam in cœlo, partem relictam in cœno: Et ſi non propter te, ſaltem propter me tranſi: & gladium timoris, qui tranſuerberat D interiora mea uſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ, remove à me: quia remoueri non poteſt, niſi tu moueas pedem tuum à loco illo qui terra ſancta non eſt. Tota die, vt audio, Philoſophos, rhetores, & poëtas legis: putáſne intelligis, quæ legis? Crede mihi plus inuenies apud nos in ſecuri & aſcia, quàm apud vos in ſcripto & pagina, nobis enim montes ſtillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel, oleúmque manat de ſaxo durissimo, & omnia ligna ſylvarum plaudunt manibus. Sed ecce, dum me tibi fabulari arbitror, ſtylum in longinquum extendi oblitus quantum ſpatij poſt terga reliquiſſem. Si minùs ſplendida videtur epiſtola, nec eventilatis cumulata ſermonibus: recole ſcriptum, prudenti viro non placere falerata ſed fortia. Non enim elegi quid ſubtilius ad conſequentiam, ſed quid utilius ad conſcientiam eſſet, ſed in hoc tantillo quantũ quantulæcunque meæ devotionis perdiderim, novit ille qui novit abſcondita cordis. Vale, & ora pro me: & cor tuum, cordi tuo reſcribe, & ſi fieri poteſt:

Nil mihi reſcribas attamen ipſe veni.

E Iam epiſtola complicata erat, cum mihi in mentem venit, ut mitterem tibi tantum ac talem nuntium, qualem conſpiciunt oculi tui: quæcunque dixerit tibi, attende & fac & vide ne inveniat apud te, eſt, & non: & ſicut diſpoſuerit in corde tuo, pone & vide ut ne unum iota de his quæ tibi dixi, prætereas. Cave ne tempus opportunum perdas, quia nunquam ampliùs poteris recuperare, ſi nunc neglexeris.

Ovid. in epiſt.

** Adonis nomẽ eſt idol memorati. Ezech. 8*

1 * *Ni hallucinor, reponendum eſt*, vouiſti: vouere *enim eſt*, promittere: ſolvere, *eſt* vota reddere. *Vide Pſal. 75.* Vovete & reddite Domino Deo veſtro. 2 * *Verba ſunt à Iacob dicta: poſt viſionem Angelorum aſcendentium & deſcendentium. Gen. 28.*

F

EPIST. XXXIX.

*Ad Henricum fratrem * Regis, qui receſſerat pro infirmitate, deplorativa.*

** Regis Francorũ Ludovici.*

S*Peciali fratri & Domino Henrico, frater Nicolaus, utriuſque hominis ſalutem.* Poſt diſceſſum tuum diſceſſit à me gaudium meum, & ad meipſum turbata eſt anima mea, nec mirum: quia dimidium animæ meæ, me relinquebat, & melior pars mei recedebat à me ante faciem meam. Cum enim aſcenderes equum, & ruſticalibus ornamentis ille tantæ nobilitatis ſanguis inſigniretur, cœpi mirabiliter admirari & turbari vehementiùs. Vtrique autem rei mihi materia largior abundabat, nec certum erat vel eſſe poterat cui parti magis inclinare deberem. Admirabar ſiquidem mutationem dexteræ excelſi: quòd tu, qui paulò ante flammeus cocco, rutilus auro, lucidus ſerico: quem equus, immò equi radiantibus gemmis onuſti G præcedebant, & ſubſequebantur, ita in ſacrarium diſciplinæ iſtius deceſſiſſes, vt poſſes eſſe exemplo, his etiam quos habuimus in exemplo. Turbabar autem eo quòd abrumpebantur à me viſcera mea, quod vel ad horam, corporalem viſionem tui mihi vel ſpatia locorum, vel intervalla temporum abiungebant, ſed mea voluntas cum Domini voluntate concordat. Nunquam fuiſſet infirmitas illa: 1 * pro qua te miſimus peregrinari lumen oculorum noſtrorum & ſpeculum univerſitatis noſtræ, minimè quidem deſerit vel deſeret me dulcis tui memoria, ſed quantò memoria dulcior, tantò abſentia moleſtior. Verum eſt nimis quod Philoſophus ait: 2 * quia conſpectus & converſatio habent aliquid vivæ voluptatis, quam abſentes habere non poſſunt. Sic enim hac peregrinatione tua & affectus ſum & confectus, vt nec legere nec orare libeat, nec ſcribere nec dictare delectet. Hinc eſt quod præſens epiſtola lento & macilento ſtylo decurrit, nec ordine, nec pulchritudine vernantis eloquij deaurata, & licet in cauſa ſit inſipientia mea: plurimum tamen H addit inſipientiæ meæ recordatio tua. Dum enim cogito, & quid, & quomodo ſcribam: memoria tua de recenti facta recentior inter ſenſum meditantis, & ſtylum ſcribentis obequitat, reliditque flammas ſenſuum, ut undas verborum. Cúmque repugnare & recolligere ſtudeam, tale eſt ac ſi feſtucis cum ſagittis dimicem. Senſus enim doloris altior eſt: & cum me totis viribus afficit, defecit ſpiritus meus, nec ſufficit manus ad tenendum ſtylum. Quomodo autem hoc acciderit, nolo lateat dominum meum, fratrem meum, amicum meum: amicum, non præſumptione mea, ſed ſua dignatione. Regreſſus à te, ingreſſus ſum ſcriptorium tuum ſolus, & verè ſolus, cũ

1 * *Imitatus eſt locum cap.* 10. *Tobiæ* Heu, me fili mi, ut quid te miſimus peregrinari lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ. 2 * Conſpectus & converſatio habent aliquid vivæ voluptatis, quam abſentes habere non poſſunt.

A te ſolum non adeſſe contingeret. Ibi recrudnit ſopo-[illegible] dolor, & mihi ſoli relictus totam mentem in co-gitationum profunda laxavit. Cogitabam illam ani-mi tui libertatem erga me, & ſingularitatem familia-ritatis, qua me complexus eras, non ſicut unum de cæteris, ſed præ cæteris unum, & dicebam mihi. Quis es tu, & quis tu n ego? Sicut nihil est aliquid [illegible] comparationem, cum ille dignior, ego [illegible] eſſe non poſſum. Quid ergo eſt, quod tantus [illegible] dilectione [illegible] non dedignatur? Quid in me comp[illegible] tuæ? Aliquid pro-fecto vidi, ſed ego [illegible] aliquid videre non poſſum. Scio enim [illegible] animæ tuæ fragilitatem, nec [illegible] gloriæ pondere premor, ſciens quia non eſt reg-num in ſermone [illegible], & illum eſſe beatum, cui pulchro ſermone vita ſit pulchrior. Hæc ideo di-xi, quia ubicunque es, ingentes præconiorum titulos meis moribus, meis ſenſibus applicas, & occaſione [illegible] vel ficta extollis hominem & hominem non extollendum. Indigniſſimus omnium mortalium quod habeo dicere, facere detrecto: & ad mea verba dam-
B nabilis, meam in me quotidie dicto ſententiam. Cre-dis quidem amice propter quod loqueris: ſed memi-niſſe debes illud philoſophicum, quia, *Sicut vera laus ornat, ita falſa caſtigat.* Sed ſi bene animum tuum metior, hoc & tu arte feciſti, quòd mihi deſpicatiſ-ſimo vermi, vermiculatum amicitiæ ſplendorem tota familiaritate largiris. Sic enim illa tua ſublimis ſub-limitas humilior apparet, cum omnium humillimo [illegible] refulſit. Tu lau-dandus eſſes, niſi dum me laudare non parum ſtudes, [illegible], quem & nobilitas ſin-gularis, & humilitas ſpecialis, ſocietas liberalis, & [illegible] moralitas [illegible], & quamvis ſcriptura dicat, 3 * ne laudes hominem in vita ſua, ſaluabo ta-men ſcripturæ textum & laudabo Henricum meum, [illegible], inquam, & ſpecialiter meum in viſceribus Ie-ſu Chriſti. *Ne laudes*, inquit, *hominem in vita ſua.* Nunquid laudari potes in vita tua: qui non tibi, ſed
C Chriſto vivis: * cui vivere Chriſtus eſt, & mori lu-
Phil. 1. crum? nunquid non, & tu dicere habes: * vivo ego,
Galat. 2. iam non ego, vivit verò in me Chriſtus? Et quod
Rom. 6. vivo in carne, in fide vivo filij Dei, qui tradidit ſe-metipſum pro me? non igitur vivis in vita tua, ſed in Chriſti vita, qui mortuus es peccato, vivis autem Deo. * Laudatur Iob, quod ſua * patienter amiſit, & non laudabitur Henricus, quòd ſua patenter dimi-ſit, & liberaliter diſtribuit? De hoc profectò veriùs conſequitur, quod ſequitur. * Quis eſt hic & lauda-
Eccl. 31 bimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Verè mirabilia: quia regnum poſtpoſuit, fratrem & Regem [illegible]: 5 * matrem reliquit, & hoc in ipſo flore proſperitatis & ætatis, ſi laudatur qui poſt au-rum non abiit: nihilne plus merebitur, qui abiecit & ſic abiecit? ſed quo vado? claudenda eſt epiſtola: quia longius quam ſperaui vagatus ſum, dum me te-cum [illegible] conferre ſermonem. Intolerabiles enim
D eſſent amicorum abſentiæ, ſi non interuenirent re-media litterarum. Tu ergo, dilecte mi, non ſolùm patienter, ſed & libenter ſuſtine manum Domini, ut cum * Apoſtolo tibi complaceas in infirmitatibus
2. Cor. 12 tuis: hoc profectò teneas, quia pius pater flagellum in beneficium commutabit, ſic conflatus eſt omnis il-le ſanctorum chorus: quorum voces cytharædus puer
Pſal. 36. ſic exprimit. *Quoniam ego in flagella paratus ſum.* O hominem ſecundùm cor Dei, qui de corde Dei dictat ſententiam non ſolùm patiens ad flagella, ſed & in flagella paratus ſciens quia virtus in infirmitate per-
2. Cor. 12. ficitur. Interim [illegible] mihi eris expectatione dulcis, ad-[illegible] dulciſſimus, quia & ſi loco ab-ſens, [illegible] habes tecum animam meam & animum [illegible], dominum Remacenſem, qui te diligit ſingula-riter, me ſpecialiter: quem nos in toto, & de toto or-dine, & ſi non unum, tamen unicum ſuper cæteros & præ cæteris amicum habemus, habes & tecum

E * Girardum de Perona per omnia diligendum, qui in huius Trinitatem amicitiæ veniens non quaternita-tem addit, ſed claudit unitatem, nouit Dominus, quia extrema verba cum lachrymis ſcribo. Reuertere, re-uertere dilecte mi, reuertere, reuertere ut intueamur te. Reuertere propter dolorem meum, reuertere pro-pter honorem tuum, reuertere propter Andream & propter conuentum noſtrum, qui te expectat ſicut an-gelum Dei. Cum autem veneris adduc dominum Re-macenſem tecum ut feſtiuum diem habeamus & abun-dantiùs gaudeamus, in illo qui ſuper omnia eſt Deus benedictus in ſecula.

* Huic ſcribit ep. 1.

3 * *Eccl.* 11. v. 29 *ubi vulgata edi.* ſic Ante mortem ne laudes ho-minem quemquam *&* [illegible] *Græcam verſ.* ante mortem ne dicas beatum quemquam. 4 * *Eo quem feſtinò laudas pro more*, patien-ter, patenter. 5 * Adelam, *ſeu*, ut alij *ſcribunt Eleſam Hu-berti Comitis* [illegible].

F

EPISTOLA XL.

Ad Abbatem 1 * *Arremarenſem, quando fecit concordiam cum eo.*

PAtri ſuo frater Nicolaus, exhibere viſcera patris. Forſitan vel imprudentiæ, vel impudentiæ aſcri-batur, quod vobis ſcribere præſumo, quod reſumo patriam diligentis ita eſt: efficaciùs namque, citiùs, & ardentius natura mortalium culpat aliqua quam laudat: & filiis Adam eſt facilius ad mala quam ad bona devolui, unuſquiſque in ſuo ſenſu abundabit: ergo ignem, qui triſte pectus adurit, ampliùs non ab-ſcondam ſed refundam in flammas ſcintillaſque ver-borum, recordor enim, & ſi non ubi legerim, tamen quæ legerim: *Quoque magis tegitur, tantò magis æſtuat ignis.* Iſte ignis, dolor eſt: dolor utique ſingularis, & dolor meus in conſpectu meo ſemper, dolor ſumus, & conſumens ſpiritum meum: qui lachrymis non mi-nuitur, ſed augetur & in ipſam animæ ſedem furioſus
G irrumpit. Tu ſcis omnipotens pater, cuius oculis om-nia nuda ſunt & aperta quia ſcribentem lachrymæ comitantur: quæ utinam ſic ante patris oculos admit-tantur, ſicut emittuntur ab oculis meis. Patris, dico, non mei, ſed fratrum meorum: quia iam non ſum dignus vocari filius tuus, ex quo averti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus. Et ego quod fue-ram ei filius tenerrimus, quem ipſe non tanquam unum de cæteris, ſed præ cæteris unum eligebat, dili-gebat, colligebat in multitudine miſericordiæ ſuæ. In-venis eram ætate, infirmus corde, puſillanimis ſpiritu, in verbis levis, in operibus indiſcretus, lingua pollu-tus, conſcientia ſordidus, ſcientia ſuperbus. Quamvis autem illa nulla eſſet aut parva: pro his omnibus ma-
H nus eius contra omnes, & manus omnium contra eum pro me, dum me volebat reddere mihi, immò & ſibi: ac pro hoc tibi Domine Deus meus A. a. Domine Deus, quotiens doluit, ne dolerem: & præueniens expugnauit expugnantes me, cauens & pauens ne vel tenuis ſuſurrantium rumor aures meas aduerberaret. Quotiens in menſa ſua ipſo præſente & præſidente conſedi, non tanquam ſocius & conſeruus eſſem, ſed tanquam Dominus, & Dominus verè dicebam huic: vade, & vadit: & alij veni, & venit, & ad verbum oris mei & conuiua & conuiuium parabatur, & quia me nouerat ſplendidioribus epulis aſſuetum, quæque delicatiſſima componebat & apponebat mihi, ſe ieiu-niis, me deliciis paſcens. Quamvis autem gloriæ ſal-tibus (quod ſine gloria dico) venenum invidiæ tran-ſiſſem: ſollicitus tamen erat prouidere, ne inuidere quis poſſet, magis amabilem quàm admirabilem eſſe me volens, quid plura? In hoc totus erat ut totum fa-ceret quod volebam, & ſibi factum aſſignabat quic-

quid

A quid me poterat inſignire. Interea cogitationes meæ tranſierunt in affectum cordis, vt tranſirem ad arcem paupertatis huius, & verticem diſciplinæ diu tam animo in diverſa verſato. Conferebam enim & hominem & ordinem, huius mollitiem, illius duritiam cogitabam: ſed incaluit & invaluit timor Dei, igitur iuravi & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ ſecundum Ciſtercienſium inſtituta. Exiit ſermo inter fratres, non potuit latere illum, quem poterit altiori vulnere vulnerare. Exterritus igitur & me & ſocios meos convenit & inuenit verum eſſe, quod in ore populi volitabat: ſtatim mutatus eſt color, & dolor alta ſuſpiria trahens in lachrymarum fontes bulliit, ſupplicabat precibus, præceptis inſtabat: ſed iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, quæ duriori pœnitentia fuerant conſtringendæ, factus ſum ſicut homo non audiens & ruptis graviſſimorum affectuum vinculis propoſitum meum non diſtuli, ſed contuli me in hanc domum Domini Dei noſtri, ubi cum intraſſem, B intra me nihil remanere permiſi, ſed commiſi quicquid me vel urebat, vel urere poterat. Homini huic in quem reſpiciunt oculi totius Iſrael. Vnum locutus ſum, quod utinam non dixiſſem: * & a. q;. u. n. poſſem dicere, quod ad exonerandum conſcientiam meam, ad honorandum Eccleſiam illam, ad honorificandum patriam ſuam dixi: ſed accuſare, non excuſare me venio. Eya ergo Domine pater, ego ſum qui peccavi; ego qui iniquè egi, qui retribui mala pro bonis, & odium pro dilectione mea, ego ingratus tibi extiti, tuis beneficiis non reſpondi, hoſtis naturæ, tibi nequam, mihi nequior, mille mortibus dignus, indignus venia, veniens & hac vice in profundum iniquitatis non ſuſpexi Dominum, non reſpexi patrem, amicum deſpexi, & in leges amicitiæ peccavi peccatum grande, & iuxta Pauli vocem, ſupra modum peccans peccatum, factus ſum alter mihi Abſalom, & pluſquam Abſalom hic,: cum illum pater, nec reliquis filiis contulit, hic me prætulerit univerſis, utinam vocem patris audiam: ſervate mihi puerum Abſalom ut reſpirare liceat à tribulatione malo- C rum & dolore, utinam mihi datum eſſet deſuper hoc dicere, non dictare: ut orarem non perorarem, nec mortuis apicibus quod vivis vocibus debebatur, committerem. Provolverer pedibus, amplecterer genua, amplexarer manus, totuſque à collo penderem, & oſcularer mihi illud dulciſſimum atque amiciſſimum caput, donec audirem remiſſionem criminum, dimiſſionem in pace. Revera crebris fletibus flecterem illum quia benignus & miſericors eſt, & doctus *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.* Domine pater & Deus vitæ meæ, tu mihi teſtis es, quotiens nudum & virgas tenens in manibus aſtare mihi videor ante ipſum & totum corpus verbis & verberibus offerre, ut iuxta vocem viri ſancti hæc mihi conſolatio ſit, quod affligens dolore, non parcat, ſi non parcit tunc parcet, & vindictæ magnitudinem, gratiæ multitudinem computabo: quia ſi flagellaverit, ſignum eſt quod recipiat filium ſuum. Inveniam veniam Domini mei in conſpectu D tuo. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt ſemper: Tibi ſoli peccavi, non habeas peccatorem ſe iudice te iudicante, damnabilem, ſed memento quia ſine intervallo coniuncta ſunt, & lachrymæ peccatricis & indulgentia ſalvatoris. Ego enim, qui potui offendere, volo defendere quicquid offendi, & devotis obſequiis & humili ſatisfactione, hic, tuus ero, quamdiu fuero & amicum tuum, patrem meum, immò patrem omnium ex amico amiciſſimum reddam, & huic ſanctæ multitudini ſpecialem dominum & amicum ſempiterno fœdere ſociabo. Nec putes parum provectum eſſe huiuſmodi vel profectum: quia & ij tibi pro ſcuto erunt in temporalibus & ſpiritualibus maximum adiumentum. Gratia enim Domini, gratiam inveni in oculis eorum diligens omnes & dilectus ab omnibus, ab illo præcipue quem præcipue diligit anima mea. Hic

*Sic po- to hic legendum & audivi, quæ ubique non.

Rom. 8.

2. Reg. 18

Virg. Æneid. ſub finem.

E oſtendam tibi, & quod tibi, & tuis non mortuus ſum, ſed revixi, & probabis, ſi probare dignaberis, quia vera ſunt hæc non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Cur ergo faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? non contra folium, ſed contra filium, oſtendis potentiam tuam & animam tuam perſequeris. Quæ tibi gloria erit perſequi 1 * carnem mortuam & pulicem unum? Velis, nolis, tuus fui, tuus ſum, tuus ero quamdiu fuero; & ſcio, quia cum intus fueris, miſericordiæ recordaberis. Quis me cogit hæc loqui? Timor? non, neque enim aliquid ab illis partibus timeo, cum cura corporis mei in alium tranſlata ſit, fortaſſis ſpes? abſit: neque enim aliquid eſt, & ſi eſt, parum eſt in ordino illo, quod ordini illi conveniat, & conſuetudinibus iſtis. Vos enim elegiſtis viam dulciorem, nos fortiorem: & utraque Deum quærit, utraque Deum invenit, cum utriuſque auctor ſit Deus. Amor igitur, & amor non tam amans, quàm amens, qui mihi lachrymas tuas, quas F mihi in extremis libaſti reducit, tua beneficia superducit, & me ad id faciendum inducit. Amantiſſime pater elige quam volueris, & ſicut volueris pœnam, ego ſubire paratus ſum, tantùm ut ſaluum ſit propoſitum meum. Regredi enim vel egredi, mihi morti eſſet, non ſaluti tibi: oneri, non honori: multis deſtructioni. Pro illo igitur, qui tantus miſericordiæ amator fuit, vt potius mori eligeret, quam non miſereri, miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam, concedendo veniam, reddendo gratiam, augendo gloriam ad gloriam Dei, non te prætereat vox illa quæ de cœlo deſcendit: 2 * culpas dimittere, cœleſte eſt, vindicare terrenum. Quicquid enim mihi condonabis, donabis tibi cum veneris ante iudicem, 3 * qui ſtetit ſub iudice: & ipſe ſit epiſtolæ terminus, qui terminum non habet Dominus Ieſus Chriſtus, reliqua lator præſentium, præſenti narratione tibi efficacius referet.

G 1 * *Rectius* Canem mortuum *ſunt enim Davidis verba Saulem rogantis 1 Reg. 24.* Quem perſequeris Rex Iſraël? Canem mortuum perſequeris & pulicem unum. 2 * Vox cœleſtis: culpas dimittere cœleſte vindicare, terrenum. 3 * Scilicet Ieſum Chriſtum, qui ſtetit ante Pilatum iudicem.

EPISTOLA XLI.

Ad Dominum Clarevallenſem in perſona Rualeni Prioris pro Epiſcopo Aletenſi recommendatiua.

FRatri ſuo, Frater Rualenus. Iſte vir, Epiſcopus pauper, pauperum amicus. Et, quod maius eſt, paupertatis amator veniens ab urbe, venit ad nos, & per nos, ſperans vos invenire nobiſcum. Retinuimus eum communi conſilio tam pro familiaritate, qua nobis devinctus eſt, quam pro neceſſita- H te: quia non habebat ubi reclinaret caput ſuum, omnes amici, inimici: omnes neceſſarij, adverſarij facti fuerant, & aggregaverat manum ſuam ſuper eum manus potentis, filius excuſſorum. Quam benignè intravit, & exivit nobiſcum, quantumque commercium cum paupertate habeat, viderunt oculi noſtri, non eſt conſilium, non eſt auxilium, ſed nec refugium niſi ad vos, & in vobis, venit ipſe ad vos, & nos cum eo, & pro eo, & ſi non corpore, ſpiritu tamen. Aperite illi illum veſtræ pietatis latiſſimum ſinum: quia (niſi multùm fallimur) negotium Dei eſt: & ſi Dei, & noſtrum & veſtrum. Complacuit in illo univerſitati noſtræ propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, quæ eum etiam inimicis commendabilem reddere poſſunt. Sed ſi hac vice ad veſtros Clarevallenſes redieritis, reducite eum vobiſcum: & tunc videbitis quantam ſollicitudinem &

A & teneritatem ſuper eius tribulationibus habeamus: Poteris etiam loqui de negotio eius cum fratre Gregorio, quem Dominus Papa miſit ad vos pro negotiis ſuis.

EPISTOLA XLII.

Ad Gaufridum pro Epiſcopo Alctenſi recommendativa.

GAufrido ſuo, ſuus Nicolaus, quod ſuus. Quod te meum appello, non adulationis ſed dilectionis eſt argumentum, nec mirum, ſi tu meus es: quia ego ſum tuus, & tuus ero quamdiu fuero. Converſatione enim & litteratura pariter amplectendus perennem in pectore meo meruiſti manſionem, unde licet præſentia remotus ſis à me, memoria tamen totus es apud me. In ſacrario enim caſti & caſtificantis amoris præſentiores ſibi ſunt, qui ſe animis quàm oculis intuentur: quia plus eſt connecti corde, quàm B corpore. Totum ergo illud familiaritatis arcanum, quod mihi ſervas in pectore tuo, experiatur Dominus Alctenſis Epiſcopus in negotio ſuo. Totus enim Epiſcopum vivit, nihil habens in veſtibus & moribus de ſupercilio Phariſæorum admixtum. Pauper eſt, & pauperum amicus: &, quod maius eſt, paupertatis amator. Inſurrexerunt in eum viri abſque miſericordia, antiqui fratres mei: quibus antiquum eſt aurum & argentum effundere, vt confundere, poſſint populos in univerſa terra, ubique terrarum peſtilentialis iſte morbus excrevit, & non fuit adhuc qui inſolentes reprimeret, qui ſe opponeret murum pro domo Iſraël: qui ſagittas ſuas compleret in eis. Putaveram ego quòd ille, quem poſuerunt cuſtodem in vineis, putaret huiuſmodi infructuoſas vites, & ſterilia ſarmenta recideret. Sed res in contrarium re- C lapſa eſt. Homines enim monaſterij maioris, maiores fecit in curia, vtrum maiori pecunia, neſcio: Deus ſcit. Traditus eſt pauper Epiſcopus in animam inimicorum ſuorum: &, quos ſuſpectos habebat, iudices accepit, ubi veraciter dicere poſſit: *& inimici noſtri ſunt iudices.* Deut. 32. Vnum tamen ei inexpugnabile refugium remanſit, * pater tuus, immo & meus: quem monachi, nec auro corrumpere, nec minis concutere, nec blandimentis ſeducere poterunt in æternum. Vnus enim exceptus eſt ex filiis Adam, qui integer inter munera, & intrepidus inter minas, Dei ſibi ſimilitudinem induit: apud quem non eſt acceptio perſonarum. Elabora & effice apud eum, vt pauper Epiſcopus eripiatur à diripientibus eum, & exaltetur apud proximos ſuos, & ſuper inimicos ſuos deſpiciat oculus eius. Litterulæ enim, quas ei & pro eo feciſti, non ſolùm non profuerunt, ſed plurimùm nocuerunt: quia docuerunt dominum Papam D de ambiguitate verborum ſuorum ad Romanam tergiverſationem recurrere, & de his ſatis. Cæterùm ora pro me; & ora patrem meum orare pro me; curam agere de me, compaſſione eſſe iuxta me, noſtra enim univerſitas expectat illum, vt videat faciem eius tanquam vultum angeli ſtantis inter illos. Vale, & dilige diligentem te, ſaluta mihi dominum Philippum. Iam enim pridem conglutinata eſt anima mea animæ illius.

EPIST. XLIII.

*Ad Rualenum Abbatem 1 * Sancti Anaſtaſij Querimonia de abſentia, recommendativa.*

SVo Rualeno, ſuus ille, quod ſuus. Forſitan quæris vel quereris, quòd cùm nomen tuum præſcripſerim, non ſubſcripſerim Abbatem: Abbatem tanquam E 2 * beati Petri manibus exaltatum. Dicant hoc, qui dicunt tibi, euge, euge: qui perſonata vocabula maſticantes de oleo peccatoris plurimùm vendere non verentur: non ſic ego, non ſic. Cedit quippe faſtus, cum accedit affectus: & perſonalis reverentia deperit, cum cœperit familiaris amicitia perorare: Licet enim cuſtos hominum te locaverit, & vocaverit ad urbem: quam, iuxta Philoſophum, novimus fuiſſe domicilium legum, Gymnaſium litterarum, curiam dignitatum, verticem mundi, patriam libertatis: ego tamen non agnoſco niſi Rualenum meum: meum, inquam, meum, & ſpecialiter meum in viſceribus Ieſu Chriſti. Illum mihi oculus mentis repræſentat, quem vidi diligentem omnes, dilectum ab omnibus, in ſolius paupertatis divitias, & cordis & corporis defixiſſe conſpectus. Quàm verum eſt Domine Ieſu quòd illo tuo ſancto ore ſanxiſti: nolite arbitrari quod veni pacem mittere in terra, non veni pacem mittere ſed gladium, quàm durus eſſet hic gladius, ſi non eſſet Mat. 10 Luc. 12. F tuus qui meliorem partem mei Romanis arcibus impoſuit, deteriorem reliquit in valle lachrymarum, in loco quem poſuit vt eſſet nomen ſuum ibi. Elongaſti à me amicum, & proximum: amicum ſimillima voluntate, proximum una profeſſione. Itane Domine pater placitum eſt ante te, ut quos adinvicem convinxeras, diſpergas ab invicem ſuper faciem terræ: ſed quo progredior? Nunquid & ego cum Deo cupio diſputare? Abſit, non enim contradico ſermonibus ſancti: quia & ſi doleo, non murmuro tamen, non iuſtificabitur in conſpectu tuo Domine omnis vivens, nec reſpondere poterit unum pro mille. Iob. 9. Tuus erat Rualenus: tu de tuo, opus tuum feciſti, quoniam omnia ſerviunt tibi. Ego tamen vulneratus ſum, meam animam gladius pertranſivit: in me hæc omnia mala reciderunt, Sublatus eſt mihi homo unanimis ſecundùm cor meum, dulcis ad gratiam, ſuavis ad G mores cui nihil alienum, niſi quod virtuti incongruum erat. Quàm ardentiſſima caritate ipſe in me, & ego in eum irruimus? Vix ille facundiæ Romanæ ſplendor implere poſſet, de quo ſcriptum eſt: 3 * Quæ ſtudio informaverat, affectu urgebat, arte exequebatur: totum pectus in linguam facillima transferens facultate: obligaverat me Rualeno beneficiis indulgentiarum ſuarum, & tantus tantillum tanta dignatione prævenerat: ut me tibi ſurriperet in multitudine dulcedinis ſuæ. In alto tamen erat, ſed altum non noverat, nil Deo charius, nil rarius apud homines eſſe non dubitans, & cum omnes omnium neceſſitudinum nomina in eo inveniſſent; ego tamen ſuſpiciebam eum vt Dominum, diligebam ut amicum, reverebar ut patrem, vt familiariſſimum complectebar. Doleo igitur ſed & doleo: nec me conſolabitur illa veriſimilis, ſed non vera ſententia. Nemo ſibi de abſentia blandiatur: præſentiores ſunt, qui ſe animis quàm oculis intuentur: & plus corde, quam corpore. Præſentiores ſunt, qui ſe animis quàm oculis intuentur. Quamvis enim plenior cognitio ſit in ſpiritu: conſpectus tamen & converſatio habent aliquid vivæ voluptatis, quàm iſti allegoricè diligentes exhibere non poſſunt. Propterea, dilecte mi, memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabo, quando præſentiam habere non poſſum: H & illa tuorum ſingularium morum proprietas, amici pectus tam æternaliter quàm ſpiritualiter poſſidebit: &, niſi me retineret communis 4 * pater, in cuius meritis ſuperbiora ſecula, & ora Prophetarum, quæ legebamus, aſpeximus, novit ille deſiderium meum, in quem deſiderant angeli proſpicere. 1. Pet. 1. Quare tamen triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi; Pſal. 42. ſi non in terra, ſaltem in cœlo, in illa civitate, cuius rex veritas, cuius lex charitas, cuius modus æternitas. Vbi ſemper erimus, ubi bene erimus, ubi ſimul erimus, ſine metu, ſine faſtidio, ſine defectu; Interim quicquid ſum, quicquid facere poſſum, tuum eſt:

&

A

ex 1. Æneid. vertit ad institutum.

& tuus, ô Rualene quod optes,
Explorare labor: mihi iuſſa capeſſere fas eſt.

Tantum ne dedigneris præcipere. Et quia nemo maiore fiducia vtitur, quàm qui ex affectu diligit: Nunc te quaſi portionem animæ meæ convenio, habens apud te familiarem & dolentem querelam, quamvis enim nunquam ſis tacitus mihi, qui ſcio, quòd tuo pectori nunquam defui: contrà tamen tuas litteras non accepi: in quibus cum amico miſceres ſermonem; In quibus imago tuæ præſentiæ refulgeret. Quomodo largus eris in factis, qui tam parcus coñduras in verbis? nec hæc dico quaſi tua quæram, qui te ſolùm quæro: quia & mundum, & quæ in mundo ſunt, ſi non tranſire, tamen tranſire vehementer inſpicio. Malè enim de te iudicat; nec de me melius, qui tuam abſentiam muneribus compenſandam aut me putat muneribus redimendum. Sed frænandus eſt ſtylus, ne vltra limitem epiſtolarem euagetur oratio, cum noverim quantum compendioſa gaudeas brevitate. Vnum in calce litterarum & ſupplico ſicut patri, & conſulo ſicut amico, quatenus onus magis impoſitum, quàm ſuſceptum habeas, faciaſque de neceſſitate virtutem. Abſit enim vt te alteret exterorum locus: cum illud, * per quod homini bene eſt, in homine ſit, non in loco, non patriam, ſed locum mutaſti: cum veriſſimum ſit, quia ſtultus vbique exulat & ſapiens vbicunque ſit, peregrinatur. Si ergo diligis Epiſcopum, paſce oues eius; *Quia diligis me*, inquit, *paſce oues meas.* * Semper autem puta te non dominum monachorum, ſed vnum ex illis, bonorum ſervum, malorum metum; magiſtrum inſipientium, nutricem infirmorum, omnium formam. Mitto tibi cultellum eburneum opere argentario, & manubriolum illud 1 * Hiberniticum, quod non minus precioſum eſt gratia quàm natura, extrà enim naturaliter habet propulſare venenum: & lignum, de quo abſciſſum eſt plantauit quidam ſanctus manibus ſuis; & arbor illa ſicut accepimus pro ſummis reliquiis cuſtoditur, difficillimè extorſi illud de manibus illius, quem tu non ignoras; Vale & ora pro me, vt videant te oculi mei antequam moriar. Airadum tuum, immò & meum, & ore tuo, & noſtro ſpiritu ſalutare dignare.

B

* Per quod homini bene eſt, in homine eſt non in loco. *Ioan. 21.*

* Qualē ſe deber Abbas exiſtimare.

C

1 * *Roma eſt id cœnobij reparati anno 1140. Oct br. 25. & à Clarevallenſib. inhabitari* 2 * *Sic antonomaſticè vocat Eugenium Papam S. Petri in Apoſtolica ſede ſucceſſorem Huc verò pertinet de Rualeni promotione S. Bern. epiſt. 260. ad Eugenium placet vobis vt Frater Rualenus Abbas ſit apud S. Anaſtaſium & mihi iunge eiuſdem S. Bern. epiſt. 260.* 3 * *Petrus Venerab. epiſt. 37 ad l. 6. tribuit Nicolao noſtro inquiens:* non ſolum tuum ſequeris Tullium Tullianus, de quo ſcripſiſti quod pectus in linguam facillima transferebat facilitate. 4 * *intelligit S. Bern. cuius hic permaxima laus vno verſu.*

5 * *Forſan Hybernicum, immò ſic neceſſariò legendum, &, ni fallor, intelligenda conſequentia de baculo, cuius virtutem ſic recenſet Girald Cameren. in Topograph. Hyber. cap. 34 Inter univerſos Hyberniæ baculos ligneaque natura, ſanctorum reliquias virtuoſus ille & famoſus, quem baculum Ieſu vocant, non immeritò primus eſſe videtur. Per quem vulgari opinione S. Patricius venenoſos ab inſula vermes eiecit. Verum ſi quis malit, accipiat hoc de ſalice, quæ S. Keivvino ægroti pueri pomaque deſiderantis compatienti, non procul ab Eccleſi. Poma protulit, tam puero quàm aliis ægrotantibus ſaluſifera, inquit idem Girald. lib. ſuper. cap. 28.*

D

EPISTOLA XLIV.

*In perſona Prioris ad * Garnerum Cluniacenſem, congratulatio de converſione.*

* *Petrus Venerab. 36. epiſt 36. quæ eſt ad S. Bernar. meminit Garnery in Clarevallē dimiſſi ſua poteſtate.*

FRatri Garnerio Fr. R. ſpiritum fortitudinis. Vidimus litteras tuas, & exultauimus & delectati ſumus, non qualicunque gaudio, ſed gaudio magno valde. Benedictus ille pauper vnicus, qui te paupertatis & vnitatis ſuæ reddidit amatorem, quia faciet
hæreditatis ſuæ eſſe conſortem præ conſortibus tu
Fuimus quidem de converſatione tua læti, ſed adhu
eramus de converſione ſolliciti: nunc autem tam co
verſatione quam converſione lætatur anima noſtr
quia clamant litteræ tuæ: *Perfice greſſus meos in ſemi*
tis tuis, vt non moveantur veſtigia mea Quis putare
te de tanta ſublimitate ad tantam humilitatem vel vo
luiſſe vel potuiſſe deſcendere? felix iſte deſcenſus, i
quo ſic deſcenditur vt aſcendatur, vbi auditis, *ami*
aſcende ſuperius. Maledicti autem, qui aſcendunt v
que ad cœlos, quia deſcendunt vſque ad abyſſos, q
vocaverunt nomina ſua in terris ſuis: qui ſonoro f
cūdiæ plauſu fecerunt ſibi nomen grande iuxta nome
magnorum: qui ſunt in terris, nec amaverunt paupert
tē vel præmium paupertatis, quod eſt regnum cælorum
eſto, divitiis & deliciis in ordine contra ordinem affl
xiſti, nunquid tamē in honore ſine dolore, in prælatio
ſine tribulatione, in ſublimitate, ſine vanitate eſſe qu
poteſt? Quis enim erit finis omnia ſine fine concup
centibus? non habebit pacem, non habebit requie
animus, qui non fuerit à mundi huius aſpergine pu
preſſeque deterſus. Quis nobis det te fratrem noſtru
ſugentem vbera matris noſtræ, vt inveniamus te in
tus: quia *omnis gloria eius filiæ Regis abintus*, ho
enim deſideras, vt ſis nobiſcum, cum nos multo ma
gis, vt ſimus tecum, in loco tamen iſto; quem pr
omnibus locis elegiſti. Nec excidit hoc à pectore n
ſtro, ſed omni opere operam damus vt gaudium tuu
plenum ſit, & gaudium noſtrum vt vnus tandem h
beat locus, quos vnus continet animus: quod & cre
dimus fieri citò. Salutat te Nicolaus tuus, & frat
Thomas ille regius iuvenis: quem & ſi commend
nobilitas terreſtris, multò ampliùs illa cœleſtis; q
omnes te diligunt non verbo, neque lingua; ſed op
re & veritate. Dominum Willelmum, qualem volu
mus, inveniſti. Ipſi & Abbati & congregationi eiu
dem loci proprиis litteris proprias gratias referimus
&, vt quod in te, & de te bene cœperunt, meli
perficiant ſuppliciter ſupplicamus.

Fratri ſuo Garnerio frater Hugo in Domino ſal
tem. Paucis ſcripſiſti, ſed ego paucioribus reſcrib
tibi: Viſis litteris tuis reuixit ſpiritus meus, ſuffic
mihi, ſi videam te nobiſcum, antequam moriar.

EPISTOLA XLV.

*Ad fratrem 1 * Gaucherium, cum ad ordine venire decreuiſſet recommendatio Clarevallenſium & religionis.*

FRatri Gaucherio frater Nicolaus, *Induere viſcer*
miſericordiæ. Triſtis eſt anima mea vſque ad te
quia in te Domine ſperaui: 2 * non in te vel in homi
ne fundamentum ſpei meæ locauerim; cum ſcriptur
ſit: * maledictus, *qui ſpem ſuam ponit in homine, vt*
Deo recedat cor eius. Sic enim recedimus à Domino
& Dominus recedit à nobis non ſic ego, vel de te, vt
in te ſperaui; ſed quantùm homo in homine confider
poſſit, vel debeat, & nunc quid à te volui ſupra pe
tram niſi videre te, tibi loqui, tecum vivere? Primu
enim es, cui primitias cordis mei ſub teſtimonio divi
nitatis aperui, & inveni te ſecundùm cor meum &
ſecundùm Deum. Ardens eram, ſed ardentiorem m
feciſti; reliquiſti verò ardentiſſimum. Sub pannis enin
humilitatis Chriſti intrans & exiens, in voluptatum
gurgitem ſaliebam & de patrimonio crucifixi, de pre
tio vulnerum Domini mei, non ſolùm intra * ſancto
rum, ſed intra ſancti ſanctorum monachum ſine regula
Preſbyterū ſine reverentia exhibebā. Ad Romanā enin

1 * *Calcherium Cellerarium Clarevallis appellat Pet. Venerab l. 6. epiſt. 36. & Nicol. noſter epiſt. vlt. Gaucherum vt hic Clunt meminit.* 2 * *Videtur legendum*, non quod in ſe velut in homine

A curiam curioſiùs iens, & rediens feceram mihi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui ſunt in terris, & in omni vita mea, nec una die vixiſſe me memini. Hoc recordatus ſum & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. Tabernaculum, Clarevallis domum non manufactam intelligo, ex hoc tabernaculo facilis eſt tranſitus ad illam domum: hic qui ſteterit, illic ſedebit, felix tabernaculum, ubi vidi homines, non homines: immò verè homines; &, quod verius eſt, ſupra hominem ambulantes: Vidi milites Chriſti armatos ſtare, & ambire lectulum Salomonis: uniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos, vidi ſtare ſuper cuſtodias Domini totis diebus & totis noctibus, indutos lorica iuſtitiæ & galea ſalutis, habentes ſcutum fidei & gladium ſpiritus; quod eſt verbum Dei; conſpexi oculata fide habitare homines unius moris in domo, nocte conſurgere ad confitendum nomini Domini,

Priſcorū Clarevalleſiū ſancti monia.

B veſpere & manè & meridie narrare, & annunciare laudem eius, & omnem illorum ſedulitatem in orbem divini obſequij complicari: Vidi manducare labores manuum ſuarum, non viduarum lachrymas, non pauperum ſanguinem, nec ſub obtentu pietatis, carnificinam crudelitatis intrudere. Plena erant ſubſellia concinentibus; concentu, & parili voce in ſublimibus reſultabant, ut felici invidia iuraſſe eos crederem iubilare Deo in voce exultationis: vellem, nollem, eorum devotione tractus ſum, & dicebam: Caſtra Dei ſunt hæc, *Non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cœli.* In veritate dico tibi: quia ex tunc concupivit & defecit anima mea in atria domini, tantoque affectus ſum deſiderio, vt diem pro anno computaverim mihi. Inde eſt, quòd terminum quem mihi conſtitueras non præterivi, ſed prævi: ſed multa paſſus quæ brevitas epiſtolaris non permittit

Gen 32

C inſerere; & utinam aliquid propter iuſtitiam. Quis enumeret Abbatis lacrymas, gemitum monachorum, famulorum planctum, quæſitam licentiam, licèt non impetratam? Quis dicat qualiter de manibus eorum elapſi ſumus ſine pannis, ſine nummis, ſine famulis, ſine equis, & vix apud Aripatorium appulſi? Sed & illinc fugati fugimus ad refugium noſtrum (Clarevallem loquor) non capientes nos præ lætitia, quia tandem meruimus videre tabernaculum Dei cum hominibus. Iam in portu eramus nihilque aliud expectabamus niſi videre viſionem hanc grandem, & effici quaſi unus ex vobis; ſed res in contrarium relapſa eſt: Humiliatus ſum, & conturbatus, elongatus & miſſus in fines terræ, & avulſa ſunt viſcera mea, à me, & ego à viſceribus meis. Propter hoc non momentaneus, ſed continuus dolor eſt cordi meo, quia vobiſcum non ſum; quia cogor vivere ſine vobis. Anguſtiæ fratrum meorum, qui ſecuti ſunt me, ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt qui morte afficiuntur tota die quos nec ad ho-

D ram mitigare poſſum, quia vobiſcum eſſe non poſſum, hoc ſolo deſolamur: non eſt qui conſoletur nos ex omnibus charis noſtris: ſed ignoti cum ignotis habitare compellimur. Præter hæc ſunt alia multa quæ non mortuis apicibus, ſed tuis auribus iudico committenda. G. homo Dei, ſi qua pietatis viſcera, ſi quis charitatis affectus, ſi te tangit amici recordatio; & illius amici, qui ſe tibi credidit & gaudet crediſſe, veni velociter ad nos, & memor eſto verbi tui ſervo tuo in quo mihi ſpem dediſti. Si non veneris citò: ſcito doloribus dolores additos, & requiret Deus de manu tua ſanguinem noſtrum. Puerum autem præſentem latorem litterarum pro ætate cuſtodi ſicut me, & redue eum tecum ad me: ſolus me ſecutus eſt ex quo ſolus factus ſum, nec declinavit à ſervo tuo, beatus enim ſi ei retribuere potuero. Vale & veni.

EPIST. XLVI. E

Ad Fremundum hoſpitalem Clarevallenſem congratulatio de mira converſione.

F*Ratri ſuo, Frater Nicolaus, & mundum, & qua mundi ſunt; penitus obliviſci.* In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, & experimentum meum tu es, quem de fornace ferrea Babylonis ad locum religionis, ſine me, ſpiritus pietatis adduxit. Spiritus iſte multiplex & ſubtilis, qui deduxit te in viam rectam non in iuſtificationibus tuis, ſed in miſerationibus ſuis multis. Quid enim ad gloriam tuam dico? nonne tu es vir, qui conturbaſti terram, qui circuiſti regna, qui terrarum orbem famoſa infamia repleviſti: & nunc quantò pernicioſior, tantò glorioſior apparuiſti. Si gaudium eſt angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente: quale gaudium eſt ſuper te tanto ac tali peccatore, iam non ſolùm pœnitentiam agente, F ſed & alios ad pœnitentiam exhortante. Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi; mutatio, quæ ſublimiores illas officinas profuſioribus gaudiis cumulavit. Attende igitur quàm indebita miſeratio, quam inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo illius, qui te vocavit in admirabile lumen ſuum: qui tranſtulit in regnum filij claritatis ſuæ: qui te poſuit in partem ſortis ſanctorum, & inter fortiſſimorum militum cuneos aggregauit. Tota ſe toti te comparaverat, & te toto totum illum blaſphemare gaudebat, tantò lætior, quantò flagitioſior. Non ſufficiebat tibi ut interires in ſeculum ſeculi, niſi alios ad interitum pertraheres ſempiternum: ſed ubi abundauit peccatum, ſuperabundavit gratia; & ille magnus prouidentiæ oculos ſuccuſſit carneam veſtem tuam, & confixit timore ſuo: pannos humilitatis ſuæ conceſſit tibi; inter homines angelorum more G viuentes collocauit te, & miro modo ſtatuit in exemplum, ut exemplum acciperes à iuſtis & eſſes peccatoribus in exemplum. Coram Deo loquor: ſolus es, qui conſolatus es me, & vivus incendor quia præcedere me vis in regnum Dei, & nunc quid dabis liberatori tuo pro tanto dono ſuo, tam ſpecioſo & precioſo: ſpecioſo propter ſpeciem, precioſo propter utilitatem? Serva ei corpus & animam tuam, qui pro te poſuit corpus & animam ſuam, nihil quærit à te, niſi te: ſed nec te niſi propter te; ipſe non eget vel te vel tuis: ſed tu, & ſe, & ſuis. Quid autem audeat arida vel ieiuna lingua mea tuo ſpiritui imminutire, qui tanta ſancti Spiritus devotione diſtillat? Dicturus ſum tibi, ut relinquas mundum & quæ in mundo ſunt: quem video non ſolùm facultates, ſed & animi cupiditates penitus abſterſiſſe. Dicam tibi vt deſævienti gulæ, lautiores deneges apparatus, cui pulmentum & legumen inconvertibili continuatione ſubſerviunt? Dicturus ſum, vt viuas caſtè: in quo nihil crucifigendum, ſed totum crucifixum eſſe non dubito. Dicam tibi, ut non ſedeas cum concilio vanitatis: quem in H concilio iuſtorum, quos beata illa Clarevallenſis regio circumdabit, intueor conſidere? Porro unum eſt neceſſarium: teneat te perſeverantia, immò tu perſeverantiam non relinquas: & beatus es, & bene tibi erit. Perſeverantia eſt ſingularis filia ſummi regis, quæ reliquarum virtutum conventum ad dominantis thalamum introducit. Hæc igitur pro te. Sed & ſi me vis audire quæ circa me ſunt, audi breviter. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum: quia cogor viuere ſine vobis, ſine quibus non viuo, ſed morior? Clareuallis in ore, Clareuallis in corde, Clareuallis in toto, Clareuallis in partibus mecum manet, mecum perſeuerat, nunquam recedit à me. Inde frequētes gemitus, lachrymæ iuges, crebræ vigiliæ, profunda ſuſpiria, ſingultus innumeri, anxia cogitatio, & quæ vel ad monumentū non valeat revelari. O Domine Ieſu quare non iudicas & vindicas ſanguinem meū, iis qui

Verba ſunt S. Petri. Act.10.

Luc.15.

Rom.5.

Mali in exemp. ponit.

Perſeverātia eſt ſingularis filia ſummi Regis.

remorantur

A remorantur iter meum : qui claudunt viam venienti ad te, & in te confidenti : Ea propter ; chariſſime amice Fromunde, quem multùm diligo, & à quo multum diligor; ſuggere patribus & fratribus noſtris, ut educant me de iſto carcere, & inducant in locum tabernacul: admirabilis uſque ad domum Dei, ne moriar in amaritudine animæ meæ:qui,ſi hic diutius fuero, melior eſt mihi mors quàm vita,efficiant & elaborent, ut licentiam habeam aut ſine licentia recipiar, quæ eſt non licentia eundi ad Dominum. Cætera clericus iſte meus, immò & tuus viua referet voce : qui ſolus me ſolum ſecutus eſt, & nullo pacto patitur ut à me diſcedere poſſit litteratus pro ætate in commiſſo fidelis. Hunc tuæ libertati commendo utpote ſolatium meũ in loco peregrinationis meæ. Vale & ora pro me.

EPISTOLA XLVII.

In perſona Gaucheri & Girardi. Ad Henricum nobilem militem conſultiva voti.

B VIro illuſtri Henrico Gaucherius & Girardus, Bonum propoſitum bono fine concludere. Putas nos oblitos tui, vir nobilis & fidelis, homo ſuavis ad mores, dulcis ad gratiam, ad obſequium impiger : & (quod maius eſt) in ſeculo ſeculum non amplectens. Abſit, in æternum non obliviſcentur tui, amici tui : nec poterit facere malitia temporis, ut te vel ad horam ſubtrahat à cordibus noſtris inveniemus hominem, ſecundum cor noſtrum : qui in ſeculo quærit Deum, qui ſub militari cingulo monachum profitetur. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis* de Ieſu, dum loqueremur in via tecum de illo, qui eſt via, veritas, & vita? utinam datum eſſet nobis deſuper hæc dicere, non dictare; ut poſſemus loqui tecum, tuo conſortio delectari. Nunc re vera experimento didicimus, quia amor inter præſentes gratus eſt, inter abſentes moleſtus. Conſpectus enim & converſatio habent aliquid vinæ voluptatis, quam mortui apices non loquuntur. Quid tamen? & ſi non videmus te oculis corporis, videmus tamen te oculis cordis in viſceribus Ieſu Chriſti, qui tibi & nobis peccatorum veniam virtutum gratiam, cœlorum gloriam largiri dignetur, cum ſurrexerit percutere terram virga oris ſui. Interim orabimus pro te ad illum qui fecit te, ut tibi inſpiret voluntatem ſuam ad tuam utilitatem, ad lætitiam noſtram, ad exultationem uniuerſæ terræ : Nos enim tui ſumus, & tui erimus quamdiu fuerimus: Tui, inquam, & ſpecialiter qui memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ adinvicem eructamus.

[Margin: Luc. ult. Ioan. 14.]

[Margin: C Conſpectus & cõverſatio habẽt aliquid vivæ voluptatis quã mortui apices non loquuntur.]

EPIST. XLVIII.

*Ad * Abbatem Cellenſem ſuſpicioſa ſuper traditione litterarum.*

DIlecto ſibi multùm & amabili valde Domino Petro Cellenſi Abbati Fr. Nicolaus, à ſummo domino euge boni ſervi : Antequam vos viderem, dilexi vos, & fuit principium dilectionis teſtimonium religionis, quod à religioſis de vobis audieram. Poſtquam verò auditui viſus acceſſit, ſucceſſit mutuæ familiaritatis arcanum, & de perſonis imparibus pares animos amicitia fecit. Et licèt vos dignitas ſublimem, dignatio tamen humilem reddidit, cum vos exinaniſtis vilem benignè colligendo perſonam. Hinc eſt quòd in ſacrario veſtræ charitatis admiſſus commiſi vobis, quod alteri committere non audebam; & hoc tanto ſecuriùs, quantò ſinceriùs vos diligebam. Et quia verus amor omnem ſuſpicionem vel ſimulationem à veritate ſuæ puritatis eliminat : parvam ſuſpiciunculam meam vobis aperio. Litteras vobis donaueram donandas* Lecelino : ſed neſcio quo pacto * Arremarenſis abbatis

[Margin: * Ad hunc ſũt ſuprà ep. 10. 11. 24. 28. 48. & infrà 49.]

[Margin: D * Hic eſt Lecelinus ad quem ep. 38.]

[Margin: * De Arremarenſi cænobio te lege ſcholiũ ad ep. 40. & noſtrũ, ad S. Bern. ep. 197.]

E manibus inhæſerunt. Verumque difficile immo impoſſibile pene eſt, ut vel vos ei dederitis vel ab illo illas acceperit, cum ego de veſtra veritate & de illius taciturnitate non dubitem. Proclinius tamen crediderim iuuenem iuuenili leuitate ſeductum, quàm vos ad id deductum, amantiſſime pater, ſit tamen in beneplacito veſtræ dignationis ut mihi reſcribatis, qualiter Epiſtolam reddideritis ei. Librum noſtrum per præſentium latorem mihi remittite. Illud autem ſcitote, quia ſeruus veſter ſum: &, ſi dignum iudicatis, amicus. Vale, & orate pro me.

EPIST. XLIX.

Ad eundem conquerentem cur aliquid longius non ſcriberet. Pulchra de miſeria hominis. Homo natus, &c.

SVo ſuus. Nuper cum Aquilonaris rabies rapidiori flatu nuditatem noſtram percuſſiſſet, & percuſſiſſet iuſſi ſumus minuere ſanguinem uniuerſi. Hæc autem minutio ſolemnis eſt, & ab his qui fundaverunt ordinem, ordinatiùs ordinata, ut de ſuperfluitate conqueri non queamus. Tacere namque & iacere præcipimur, omnia in refectorio ſicca ſicut heri & nudiuſtertius intuentes. Nec laborare poſſumus nec orare, nec legere, nec ſaltem legentibus adhærere. Iuſtiſſima prorſus ratio, & æquo pondere confunditur, & contunditur antiqua ſuperbia : ut qui parietum rimulas ipſi ſoli inacceſſibiles claudebamus & gaudebamus ad tenebras: nunc ſoli & aëri caput offeramus, vir cum ſit imago gloriæ Dei, ait Apoſtolus, non debet velare caput ſuum; & nunc experimento didicimus, quia ſubinducta teneritudo fuit vitium, non natura. In hoc ſpatio ſpirituales viri ſecretiſſimos conſcientiarum ſuarum receſſus inueſtigant; non ut non inueniant, quod reprehendant : ſed, ut quod inuenerint reprehendant. Tunc diuident inter aquas & aquas videlicet inter puritatem ſpiritualis intelligentiæ & ſenſualitatem infimæ & infirmæ carnalitatis, ponunt autem firmamentum rationem : ne ſuperiores inferioribus inclinentur, & inquinentur; vel inferiores copulentur in ſuperioribus : infelix, qui ſic non diuidit; quia quicquid obtulerit, non placet ut placeat, ſed placitum irritat. Ego inter alios, & cum aliis ad hoc iubilæum ſum vocatus & collocatus in deliciis iſtis. Hic autem à flamma litteralium negotiorum, quæ aſſidue Clareualis aguntur, paululùm refrigeratus retorſi oculos ad memoriam veſtram : & hoc utique tam gaudenter, quàm ardenter diligo vos & diligor à vobis. Reliquis reliqui ſubtiles & utiles illas meditationes; qui me durioris & vitæ purioris exercitiis attriti & aſtricti in plateis ſupernæ Sion ſæpius, euolantes, imaginum cœleſtium hauriunt theorias. Igitur à tumultu & vario rerum turbine liberatus confabulabar mecum & dicebam : Ecce iam venit plenitudo temporis, ut ſcribam illi quem diligit anima mea, ſi forte recurſu familiarium paginarum poſſim illius blandimentis eloquentiæ reuocare dulcedinem. In veritate comperi quia ſtylum potentiſſimum habet quem ſenſus acuit, & ſermo polit; & qui ſit utrarumque partium felici temperatura permixtus. Dum hæc cogitarem : ecce alia cogitatio ſubintravit dicens : nunquid hoc eſt ſapientis needum pœnitentis, ut amicum vocet & prouocet, non ad medullas ſenſuum, ſed ad ſpinas verborum? Hoc certè puerorum eſt, vel pueriliter ſapientium : qui non ſententiam lectionis, ſed eloquentiam orationis attendunt, inhiantes ſpinarum floribus & ab aſperitate ſegetum abhorrentes. Sermo veræ puritatis, vel puræ veritatis illibatus eſſe debet, & facilis nec artificioſo colorum velamine deſiderat opacari.

[Margin: F] [Margin: 1. Cor. 11] [Margin: G] [Margin: H]

Teſte quippe philoſopho, aperta decent & ſimplicia bonitatem. Quid ergo dicam, vel dictabo roganti amico, dignum dilecto, ad videndum, labiiſque &

A

& dentibus illius ad ruminandum? Docebo te? ſed hoc eſſet dementia? laudabo te? ſed hoc eſſet ſtultitia: monebo te? ſed hoc eſſet audacia: tamen circa hoc tutiùs verſabitur ſtylus, cum audacia ſit quaſi comes individuus dilectionis. Volo ergo tibi duo verba proponere, ad quæ tremere ſoleo quæ vir ſanctus & ſummè ſanctus in ſeipſo & de ſeipſo ſentiens tam mirabiliter quam miſerabiliter humanæ mortalitatis deplorans ærumnas ait: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra & nunquam in eodem ſtatu permanet.* O conditio abiecta naſcendi: viuendi dura, miſera moriendi. *Homo natus de muliere.* Quid enim abiectius? *brevi viuens tempore repletur multis miſeriis*; quid durius? *qui quaſi flos egreditur & conteritur*: quid miſerius? Vides homo triplicem, ſed infelicem funiculum quo ſtringitur & cingitur omnis humana propago, quo non modo difficilis, ſed & impoſſibilis ſit ad rumpendum. Vis oculata fide videre, quia nihil eſt homine naſcente abiectius? * Omnium certè animalium & avium corpora multiplici munivit natura præſidio, & eis quaſi quodam patentiſſimo ſinu pietatis occurrit. Denique boni ſetam, volucri plumam, & dentes, & ungues, & cornua conceſſit, vt habeant unde vim vel inferant, vel repellant. Sola hominis membra videas abiecta eſſe, non edita: quibus illa benigniſſima rerum nutrix quaſi quodam indignationis oculo novercatur. Adde quòd profundiſſimis ignorantiæ tenebris homo pollutus & obvolutus veniat in locum hunc tormentorum, ubi infeliciter naſcitur, infeliciùs vivit, infeliciſſimè moritur. Reliquorum namque animalium pulli, & cum nati fuerint currunt & inter tot millia gregum ad ubera materna mira facilitate revolare noverunt. Pueri autem pedes nec idonei ſunt ad movendum nec manus ad tangendum: & niſi nutricis ubera puerilibus labris preſſius imprimantur, antè poteſt mori, quam ori appoſita invenire, hanc nobis hæreditatem reliquit ille vetuſtus Adam, qui fugit à facie Dei, quam inconvertibili mortis privilegio communivit. * Vide Domine, & conſidera quia furtim ſublatus ſum, & hic innocens in lacum miſſus ſum innocens planè quantùm ad illum, qui me perdidit & occidit; ad nihilum redactus ſum & neſcivi, quia non ibi fui cum devoraſſet me morſu amariſſimo: & attende quantùm ſingula verba ſuo pondere librata ſint. *Homo*, inquit, *natus*, non homo conditus, quia ille leges oppreſſionis iſtius non ſenſiſſet, ſi non conſenſiſſet apoſtatæ ſpiritui, qui eum fallaciter ſeduxit, & deduxit in locum afflictionis & lacum mortis. Idcirco autem additum arbitror, *de muliere*, quòd filius virginis his paſſionibus ſubditus non fuit: * quos & ſi habuit ex voluntate fuit, non ex neceſſitate: *Brevi*, inquit, *viuens* tempore, verè *univerſa vanitas, omnis homo vivens*. *Omnis*, inquit, *homo vivens*, non omnis homo vita. Corpus denique eſt vivens, anima, eſt viua, Deus vita; viuens ex vanitate, viua ex ſimplicitate, vita ex unitate. Propterea corpus, quia compoſitum eſt, oritur & moritur; anima, quia ſimplex eſt neſcit occaſum. *Omnia*, inquit, *ſcriptura orta occidunt*, & aucta ſeneſcunt. Orta, inquit, non facta: quia quæcumque ab illa omnipotentis manu in ipſis rerum principiis facta ſunt, in æternum permanent, ab ipſis compoſita & prodeuntia, & ortum recipiunt & occaſum. Vita verò & unum eſt, & una eſt, quod nec ſimplex quodammodo nec compoſitum participare poſſunt, quia vnius & unicæ unitatis eſt hæc prærogativa, quantum ergo vivum viuens præcellit, tantum viuum vita præcedit, niſi quòd illud tantò eminentiùs ſupervehitur, quantò incomparabiliùs creator ſupereminet creaturæ: *vivens*, inquit, *tempore*, qui factus eſt vt præeſſet tempori, non ut temporalitati ſubeſſet, & hoc brevi tempore, ut velocitati iungat velocitatem, quia nihil eſt annis velocius; hinc eſt quod puer in adoleſcentem, adoleſcens in iuvenem, iuvenis in ſenem, ſenex in decrepitum commutatur, ut unde proficit, inde deficiat, donec redeat in terram unde aſſumptus eſt, ut illud impleatur: *Veſpere decidat, induret, & areſcat.* Recordare; quia etſi brevi tempore, non tamen breui labore, & ideo ſequitur: *Repletur multis miſeriis*, & quis pondus humanarum miſeriarum cogitationibus comprehendere nedum vocibus enarrare ſufficiat? Nullus excipitur, nullus evadit, etiam ſi illum in rerum verticem vocaverit, & locaverit ille magnus providentiæ oculus, qui de ſublimi divinitatis ſpecula, cuncta proſpectat. Huiuſmodi enim quantò ſubliminiores ſunt, tantò miſeriis multiplicioribus implicantur. Subditis namque licet vel plangere miſeriam ſuam: prælatis verò, inter ærumnas tot ipſum exerentes neceſſe eſt vultum inducere gaudiorum. Semper ergo homo convertitur in miſeria ſua; quia ſemper configitur ſpina: nunc ad miſeriam corporis, nunc ad miſeriam cordis; ad miſeriam dum dormit, ad miſeriam dum vigilat, ad miſeriam quaquaverſum ſe vertat. Animadverte quid de mala conſcientia debeas iudicare: ego ipſam bonam arbitror, miſeram licèt longè diverſo vel adverſo reſpectu, nunquid non miſera eſt, quæ cecidit ab æterno, quæ tenetur in exilio, quæ differtur à regno? *Egreditur*, inquit, *& conteritur* inter egreſſionem & contritionem nulla provenit intercapedo: Sed ſtatim, vt egreditur; conteritur: quia unde incipit vivere, inde incipit mori. *Quotidie enim morimur.* Quotidie demitur aliqua pars vitæ; & hoc eſt quod ſubvertit, quia *fugit velut umbra*, quàm eleganti ſimilitudine, circuitus humani ſignavit involucrum, ſicut enim umbra nunc à dextris eſt, nunc à ſiniſtris, nunc antè nunc retrò; ſic & homo nunc à dextris eſt, per proſperitatem, nunc à ſiniſtris per adverſitatem, nunc antè per elationem, nunc retrò per detractionem, & *nunquam in eodem ſtatu permanet.* Quàm bene depicta eſt inertia vel vecordia animarum noſtrarum. Nunquam enim ſtat anima, ſed nunc intus, nunc foris, nunc in angulis platearum vaga & garrula, & quietis impatiens, nec valens domi conſiſtere pedibus ſuis. Heu quàm verum eſt: *Peccatum peccavit Hieruſalem, & ideo inſtabilis facta eſt.* Hæc tibi, amicorum dulciſſime; ſaltem ſaltuatim dictavi, qui continuatim non potui, trahentibus & retrahentibus negotiis multis, ſed & manibus meis ſcripſi.

Omnes enim, qui habent negocia, veniunt ad nos; ſed & ego ſolus cum ſancto Iacob dicere poſſum: *In me hæc omnia mala reciderunt.* Quamvis & hoc ultra occupationes tuas multas & malas ſit, quem in terribile curarum pelagus honoris altitudo reſorbuit. Validiſſimum tibi tamen argumentum ſit quàm profundius in viſcerum meorum abdita deſcendiſti, qui tantillum illud ſpatij, quod conſcientiæ meæ debui, præbui amicitiæ tuæ: ubi ſi ſtylus rutilantiori verborum lumine non lucet, ſcito quia facultas defuit, non voluntas. Factus ſum inſipiens: tu me coëgiſti. Tu inquam qui cum ſis verbo dives, ſcientia copioſus, magnus ingenio, loco primus, ruſticiatis meæ eloquium concupiſti inſtar Eliæ, qui victum viduæ eſurivit extremum, ſed, niſi fallor, ſimili animo & tu facis qui petis, ut tribuas; eſuris, vt ſaties, & mihi tui ſenſus horreum tota liberalitate recumules. Non attendas ergo ſtyli claritatem, ſed animi puritatem: & penſa opuſcula noſtra poſt mortem non eſſe penſanda, ſed opera illo ſcrutante, qui reddet vnicuique iuxta opera ſua. Propterea ſic vive cum inferiori quemadmodum ſuperiorem tecum vivere velis: & cum aliquid feceris, nihil te feciſſe putes: & tunc pleniſſimè cuncta feciſti fortunatus, ſi ſemper amari ames, & timeas timeri: hæc cogitatio tollit extollentiam, inſolentiam reprimit, deprimit primum & ultimum vitiorum. Semper ergo cœleſtibus invigilet tua lingua præconiis, anima ſententiis, dextra donariis: quia quicquid hominibus tuis indulges, tibi retines: & quicquid pauperibus ſpargis, colligis tibi. Verum eſt enim quod ait ille rhetorum ſplendor, quia quicquid agis,

tuum

Margin notes (left column): Iob. 14. — B — * Or[illegible] hu[illegible] p[illegible] tulerit. — H[illegible] naſcitur [illegible] — C — Gen. 11. — * Chriſtus habuit paſſiones humanas ex voluntate non ex neceſſitate. Pſ. 48. — D

Margin notes (right column): E — Pſ. 89. — Homo ſemper verſatur in miſeria. — F — Seneca ep. 24. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ noſtræ, & tunc quoque, cum creſcimus vita decreſcit. — Thr. 1. — G — Gen. 42. — H

A tuum eſt : quod habes , alienum. Et hæc quidem dictaveram & bene ſcripſeram , antequam tuus nuncius adveniret. Cum quanta autem celebritate & ſuavitate recordationis tuæ , iſta iactaverim ; teſtis eſt mihi , qui hæc excepit meus , immo & tuus qui memoriam ſpiritus tui in ſuo ſpiritu abundantius collocavit ; in illo enim mihi multùm complacuit , tam propter puritatem conſcientiæ ſuæ , quàm propter indolis ſuæ alacritatem. Tu verò qui iam cum Domino aſcendiſti Hieroſolymam , ora pro utroque, quia uterque tuus eſt ut protegat nos ſub umbra alarum ſuarum donec tranſeat iniquitas , ut cum ipſe apparuerit , vita noſtra, & nos cum ipſo appareamus in gloria. Quàm fortiter autem univerſitas noſtra , puſilli & magni, iuvenes & ſenes , clauſtrales & officiales , uno verbo, uno animo, uno in loco rogaverunt dominum Trecenſem & pro perſona tua , & pro Eccleſia tua melius eſt,
B ut per alium quàm per me cognoſcas.

EPISTOLA L.

*Ad Cantorem * Grandiſylvæ in perſona Matthæi affectuoſa & recommendativa.*

* Grandiſylvæ cœnobij ad auctoritatem Claræ-vallenſis Abbatis reducti an. 1144. *ſic mentio l. 4. vita S. Bern. c. 1. & 4.*

C*Hariſſime B. frater Nicolaus , cantare Deo in voce exultationis.* Quantùm ego diligam te in viſceribus Ieſu Chriſti, novit ille qui novit abſcondita cordis. Memoria enim tui pectus meum altiùs irrupit, latiùs occupavit , ſtabiliùs poſſidet , viventi convivit. Quis mihi det nunquam memoriam tuam deſerere; nunquam ab illa deſeri ? Abſit ut ego deſeram , non recedet à me in ſeculum ſeculi. Felix ego , qui te diligere & cognoſcere merui : cuius indoles & multos mores gratiæ ſatis expetunt diligi , plus extollit. Multò autem felicior quem diligere & colligere dignatus eſt
C ampla charitate , & familiaritate non minima. Pro his omnibus graviter fero abſentiam tuam , & ſuſpiro ad præſẽtiam tuam, ſuſpiriis & gemitibus inenarrabilibus: & , quia non poſſum habere præſentiam : memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabo , & dicam animæ
Pſal. 41. meæ : *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me.* Spera in Deo quoniam adhuc videbo illum , ſi non in terra, ſaltem in cælo , & ſatiabor præſentia ſua , cum apparuerit gloria Domini mei. Ibi nemo poterit me prohibere , quia non erunt corpora, vel corporeorum obſtacula , quæ deſiderium meum , vel excludere vel includere poſſint. Scio ego quia conſpectus & converſatio habent aliquid vivæ voluptatis , ſed hoc in ſecularibus. Locorum enim vel temporis incommoda * verus amor ignorat : quia affectus in eo principatur qui ſemper ſui iuris eſt , charitas enim amplectitur quicquid Oceanus , & in ſacrario dilectionis neminem nobis patitur non eſſe præſentem , in iſta & cum iſta vivit in ſpiritu meo ſpiritus tuus bonus: & dum affectum tuum recolo , cor meum & caro mea exultant in Deum vivum. Hæc pro me. Nunc commendo tibi fratres noſtros , qui tecum ſunt : ut ſi ibi
D remanſerint , foveas illos & faveas illis : qui ipſi in me & ego in eis. Sed & ſi quid apud amicum preces amici poſſunt : cuſtodi zelum illum in ordine,& de ordine tuo in pectore tuo & tene ſine fine , ut in fine merces tua multa ſit in cœlis. Ceterùm ego & Samuel unum ſumus ; Neminem ego habeo tam unanimem, & cui te familiariùs commendare poſſem. Ipſum ſalutavi ex parte tua , & litteras tuas dedi in manus eius. Suſcepit eas religioſus , & fidelis adoleſcentulus , & gaviſus eſt non qualicunque gaudio , ſed gaudio magno valdè. Legit eas avidè , relegit aviduis abſcondens eas in ſinu ſuo , & in animo ſuo in æternum & in ſeculum ſeculi. Quid plura ? Dilectio tua perennem in pectore meo pepigit manſionem. Quicquid ego loquor , & ipſe loquitur : & totus epiſtolæ contextus non minùs eſt ſuus quàm meus. Nos ergo, duo in te uno , & tu , in nobis duobus : & hæc trinitas in unitate, illi uni trinitati, immo & trinæ unitati ſupplicat, ut ſicut charitate iungimur in terris ſic & veritate coniungamur in cœlis : &, ut breviter cordi meo cor meum exponam , nihil eſt mihi tua perſona dulcius in rebus humanis,& oro Deum ut videant te oculi mei , antequam moriar. Exceſſi fateor epiſtolarem modum , ſed currentem ſtylum plurimus inſtigavit affectus. Dum enim cor meum in arcanis amicitiæ feliciter verſaretur, oblitus quantum ſpacij reliquiſſet poſt tergum , ſemper ad anteriora tendebat : Neſcio enim quo pacto quod multum diligimus , nunquam loqui faſtidimus , finem igitur litteris facio , dilectionis tuæ finem minime poſiturus , dulciſſime atque amantiſſime frater.

eſt quidam ſimile epiſt. 47.

* Cur verus amor detrimenta locorum vel temporum neſciat.

EPISTOLA LI.

Reſcriptum Abbatis Cellenſis de miſeria hominis.

B*Eſtia , 1. * quæ tetigeris montem , lapidabitur.* Cacumina dulciſſime , litterarum in tantam nubium denſitatem ſublevata ſeſe recipiunt , quod vix conatibus difficillimis acumen luminum meorum quoquo modo admittant. Nunc enim volas & prævolas in ſublimitate cedrorum , nunc nidificas in altis & abditis cavernis maceriarum, nunc ambulas ſuper pennas ventorum. Nunc denique curris & diſcurris , incomprehenſibiliter , & ſuper montes aromatum ſive invenias ſemitam per quam ambulaverit homo , ſive non invenias , non multùm curas , nec mirum : nam tuus ille familiarium familiariſſimus Seneca hominum ingenia per tria dividit genera. Primum , ut tuum , ponit vias ſibi adaperire , quæque vi propria penetrare. Secundæ ſortis ingenium non adeo ingenioſum quod aperire neſcit , ſequi tamen non intumeſcit. Infelicioris tertium fortunæ aſſerit quod niſi coactum, manu tractum , currui impoſitum , ab inertia ſua minimè concaleſcit & convaleſcit. Huic me natura quàm aſtrictiſſimè , ni fallor , larga manu obligavit & funiculo ſuæ dimenſionis in hereditatem præclaram confirmavit , proprioque ſigillo communivit , hæc primum etiam ſecundum mihi invidens. O dolor ! Tibi quidem oculo nequam invideo , attamen mihi condoleo , quia quantò ſors tua meæ vicina relucet ſplendidior : tantò mea ipſa ſublucet obſcurior. Dum ergo repagula ori induxiſti , dum oculis dormitationem induxiſti, dum manum ad pharetram non conduxiſti: magna maiorum celeritate verborum effabar , perſpicacitate ingenij nulli adæquabar , locupletem ſcientia ſcripturarum me arbitrabar. At ubi fulgurare cæpiſti , tonitrua ſententiarum vibrare , iacula argumentorum pluere , monita dulcium * exhortationum : inventus ſum lingua tardior , ſenſu pauperior , ſtylo ruſticior. Video igitur paupertatem meam , mirantem non migrantem in abundantiam tuam , ſuſpicientem non ſuſcipientem ſcientiam tuam : confortata eſt, nec poſſum ad eam. Quanta enim putas profunditate , caligine , obſcuritate reconditum involvatur , corpus eſt vivens , anima viva , Deus vita ? Deinde : abyſſus abyſſum invocat. Vivens , inquit, ex vanitate , vivum ex ſimplicitate , vita ex unitate. Hic , hic tenebræ , hic umbra ex nube , nubiloſus aer in meridie. Sed quæ culpa ſolis ſi non illuminor obductis oculis ? fortaſſe ais. O dignum riſu hominem,qui diem, mortem , umbram, lucem : tenebras autumat ſolem : neque, inquam,ſolem, neque diem,neque lucem ſed planè palpabilem obſcuritatem. Cum enim corpus ab anima , animam à Deo , Deum vitam habere à ſemetipſo irrefragabiliter credatur : nonne , etſi

1. * *Sic quidem S. Paul. Heb. 12. & S. Gregor. l. 5 in Iob. 117 Lyran. in hunc locum repetit ex 119. Exod. ubi tamen generatim dicitur :* omnis qui tetigerit montem , morte morietur , *ſi quis ad verſ. inſequentem reſpiciat : ſpeciem ſcilicet iumentum reperiet poſitum pro genere.*

A rusticiùs, tamen veraciùs dicetur corpus ab anima viuificatum, animam viuificatam à Deo, & viuificantem corpus, Deum omnia ſenſibilia viuificantem, & in ſe, ex ſe viuum & viuentem? Sed rurſum quod

Rom. 8.

eſt corpus viuens ex vanitate? *Corpus*, inquit Apoſtolus, *mortuum eſt propter peccatum.* Quod ergo Apoſtolus mortuum vocat propter peccatum tu vivens dicis

Pſal 30.

ex vanitate? An non vanitas peccatum: An idem ſimplici ſenſu intellectum operatur mortem & vitam? Odit Deus obſervantes vanitatem, dilectio autem Dei viuificat, odium mortificat non eſt ergo aliquid vivens ex vanitate; ſed ex veritate. Quod enim factum eſt in illo vel verbo veritatis: Vita erat, in ſe & ex ſe profectò creatura nulla terreſtris, vel ſupercæleſtis, vita aut viua eſt, cum tamen in illo vniverſa ſive viventia, ſive vita carentia vitam ſuam habent. Adde, *viuum*, id eſt, animam ex ſimplicitate; vitam, id eſt, Deum ex vnitate.

B

Iſtis non ſic, in ſpiritu vehementi offendor, ſed nec penitus aſſentior. Nam anima ex vnitate, immortalis & indiſſolubilis, (ſicut & Deus) ſuo ſingulari, & proprio modo immortalis eſt, & indiſſolubilis ex nihilo creata eſſe creditur. Idcirco namque ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit Deus eam, per hoc etiam quod per omnes particulas corporis tota ſimul adeſt, nec maior in maioribus, nec minor in minoribus; ſed tamen, vt Auguſtinus teſtatur, in aliis intenſiùs in aliis remiſſius effectus ſuos exercet cum in ſingulis particulis corporis eſſentialiter ſit.

Anima per omnes corporis particulas tota ſimul adeſt.

Vnitati magis quam ſimplicitati obnoxia penditur, non autem ſi vna ſtatim & ſimplex: Si qua enim ſimplex res eſt, refugit & reſpuit omnem prorſus admixtionem, omne conſortium. Res verò vna, duo ſimul vel plura convenientia aliquando in ſeſe recipiendo convertit vt vnum ſint. Vnde & Deus dicitur ſimplex non ob aliud, teſte 2 * Iſidoro, niſi quia non eſt aliud & ipſe aliud quàm in ipſo eſt, animam itaque quamvis diverſarum compactionem partium in ſui confectionem non recipiat, & quia tamen aliud ipſa, & aliud in ipſa eſt ſecundùm auctoritatem prælatam, potiùs ex vnitate,

C

quàm ex ſimplicitate convenit ei eſſe. Hac etiam rationis demonſtratione Deus ex ſimplicitate dicetur magis propriè; cum pene nihil aut prorſus nihil de eo dicatur, niſi ipſe. Quid enim eſt quod dicitur Deus ex vnitate vel ex ſimplicitate, niſi Deus ex Deo patre; ſcil. à ſeipſo: filius à patre: Spiritus S. à patre & filio? An deſipit ita quiſpiam vt participatione ſimplicitatis, ſimplicem participatione vnitatis, vnum; participatione bonitatis, bonum exiſtimet Deum, ſicut ſapiens participatione ſapientiæ efficitur homo, & cætera huiuſmodi? Quicquid in Deo eſt, Deus eſt, Sapientia in Deo eſt, & Deus ſapientia eſt. Potentia in Deo eſt, & Deus ipſa potentia eſt. Bonitas in Deo eſt, & Deus bonitas eſt non magis ergo Deus ex vnitate quàm ex ſimplicitate. Iam extorſiſſem digitis ſtylum, & ori meo paraſſem tempeſtiuum ſilentium, ſi non decreuiſſem expirare hic quicquid de amico remordet animum. Durius ſiquidem pungitur cor meum, dummodo vſpiam pingitur * 3 filius medius inter patrem & ſpiritum, prorſus idolum abominationis conflaret qui ſculptile quodlibet ſic ſculperet, vel depingeret. Conſubſtantialitas enim, coæqualitas, coæternitas vnius

D

Trinitatis & trinæ vnitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non recipit prius aut poſterius, maius & minus, inferius & ſuperius; Sed totus pater in toto filio, totus filius in toto patre, totus Spiritus ſanctus ſigillatim & communiter in vnoquoque & in vtroque, ſimul * hæc ſancta & ſemper cum tremore nominanda trinitas vbique tota per eſſentiam & potentiam, non per gratiam diffuſa, niſi ſpacioſa magnitudine, quemadmodum lux viſibilis vel aliud quodlibet viſibile, ſed ſicut ſapientia in homine, vides enim duos homines, vnum paruum, & alium magnum corpore, in vnius ſapientiæ participatione pares & æquales eſſe, Sic divina eſſentia vniformis & vniuſmodi eſt, & in maximis & in minimis. Sicut denique

* Sancta Trinitas nominanda cum tremore.

E incomprehenſibilis eſt pro ſui immenſitate ſic & indiviſibilis pro ſui ſimplicitate. *Intelligamus*, inquit Auguſtinus, *Deum quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſitu præſentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine commutatione multa facientem.* Iuras credo ſic te nec aliter credere vel credidiſſe: proteſtor & ipſe in fide mea, ſi lingua quæ in mundo eſt errauit, cor ſic tenuiſſe ne diu tamen à cogitationibus perturberis, revoluens vbi hoc dixeris in ſermone de 4 * ſancto Victore, ſic ſcribis, vbique autem eſt in medio. Nam & in illa deitatis eſſentia medius filius inter patrem & ſpiritum, meminiſſe debes non quia mediator vnius non eſt, Deus autem vnus eſt pater & filius & ſpiritus ſanctus. Quod ſi creatum non increatum ſpiritum ideoque ſanctum non ſubiunxiſti, intelligendum aliquis æſtimat, regulam 5 * Hieronymi

F

de ſignificatione huius nominis penitus ignorat, *vbi*, inquit *ſpiritus ſine adiunctione aliqua in ſcripturis ponitur, Spiritus ſanctus rectè intelligitur.* Si autem intellector iam dictus de creato ſpiritu dictum prorſus contenderit, nec minor abuſio (quàm de increato ſuperius oſtenſum eſt) remanebit. Qui enim pugillo concludens omnia extrà & intrà, infrà, & ſuprà: qua ratione medius dicatur, qui comprehendat, nemo eſt, in carnis quoque aſſumptionem filius inter patrem & ſpiritum nullo mundo medius, ſed inter hominem & Deum dicatur & credatur. Vnde & mediator dicitur: ſed de his hactenus: Audio nempe te intra fauces clamitantem & infringentem: vt quid hæc effuſio verborum & temporum? Prorſus effudi tibi animam meam, dimidium animæ meæ. Vale. Priorem Dominum meum Henricum, Aſcelinum, Guillelmum, Robertum Hugonem ſcriptorem tuum, & Thomam, & cæteros amicos nominatim ſaluta, ignoſce mihi.

*2 * Cuius hæc omnino ſunt verba lib. 1. de ſummo bono cap. 1. Ideo Deus dicitur ſimplex, ſive non amittendo quod habet, ſeu quia non aliud eſt ipſe, & aliud quod in ipſo eſt* 3 * Filius 2 perſona SS. Trinitatis non eſt pingendus medius inter patrem & Spiritum ſanctum. *Nicolaus verò epiſt. inſequenti, haud procul à fine dicit ſe id referre ad vocabulorum differentiam, non ad indiviſam ſubſtantiam: vbi nulli gradus, nulla tempora, nulla diſtinctiones poſſunt excogitari.* 4 * *Videtur eſſe ille ipſe S. Victor in cuius feſtivitate S. Bernar. & ſermonem qui extat, dixit, & Eccleſiaſticum compoſuit officium feſtus dies agitur 29. Febr.* 5 * *Sub finem lib. 1. in Habac. ſic prorſus ſcribentis (hic enim eſt interpolatè) ſpiritus autem vbicunque ſolus & abſolutè ſine aliquo additamento legitur ſemper refertur ad bonam partem, id eſt, ad Spiritum ſanctum.*

G

EPISTOLA LII.

Ad Abbatem Cellenſem de materia prædicta nihil affirmans.

SVo Cellenſi, ſuus Clareuallenſis, quod ſuus. Anxietatem mihi generat, & ſcribere & non ſcribere vobis, in altero læditur amicitia, in altero propria conſcientia. Illud quippe contra propoſitum, iſtud contra affectum eſt, monachi namque eſt non ſcribere, ſed lugere, amici verò & loqui, & frequentibus epiſtolis interludere, ne muta charitas repræſentet ſpeciem non amantis. In has igitur rerum anguſtias incidit amicus veſter: & ſic verbis indicare

H

geſtiens, & loqui æſtuat, & veretur. Æſtuat vt ſe aperiat, veretur ne præſumat. Timet, ſi loquitur, improbus: ſi taceat, alienus. Quis ergo vincet monachus, vel amicus? Amor: qui neſcit vinci, vincere conſueuit & facilè triumphabit de homine, qui de cœlorum Domino triumphauit; & de illo quidem tantò facilius, quantò non ſolum amans ſed & ipſe amor eſt: cuius altitudo adæquata eſt, cuius ſingularitas adſociata eſt, cuius plenitudo effuſſa eſt, ipſos angelos vincens in miniſtrando. Denique,

A qui erat ſuper illos, factus eſt inter illos quaſi unus ex illis, immò magis ſub illis minoratus, ab angelis, hominibus ſubditus, noviſſimus virorum, vir dolorum, ſciens infirmitates, & qui diſceret obedientiam ex his quæ paſſus eſt. Indicabunt alij, prout volverint: ego malo in verbis excedere, quam vobis non ſatisfacere, & eſſe verboſus amicus, quam languidus, unde ergo incipiam? A literis veſtris quæ non modicum hoſpitaverunt apud me; quæ floridioris eloquentiæ, & profundioris ſcientiæ dotibus rutilantes percuſſerunt me, & vulneraverunt me nihil minùs ſperantem. In ſimplicitate ſiquidem cordis mei ſcripſeram vobis, utpote homo ſimplex & domi habitans: vos autem tam verborum venator, quam ſenſuum & concluſum retibus, & perculſum venabulo credidiſtis, utinam poſſemus dicere, fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum: nam repercutere etiam ſi valerem non vellem, ſed fortaſſis aut exclamatis aut cogitatis. O longa præmeditatio! ô ſenſus exquiſiti! ô verba vigilata! quæ & ingenij viribus & eloquij floribus debeant inſigniri. B Non ego id mihi adrogaverim, cum utrumque veraciter deſit mihi, nec mihi ſuper hoc hactenus cogitavi, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea. Negotioſus enim ſum non ocioſus: homo ſub poteſtate, cui dicitur, Veni, & venit; & iterum, Vade, & vadit, ingrediens ad arbitrium imperantis. Vix enim & hac vice negotiis occurſantibus me furari prævalui, quæſitus, ſed non inventus.

Abſconderam enim me à facie quærentium me in loco ſecretiſſimo & remoto, hic autem brevibus & interruptis ſpatiolis, ut hoc magis dicerem quam dictarem.

Prætermitto igitur reſpondere prooemio veſtro; quod nunc ungens laudibus, nunc ictibus pungens nervoſo dictamine vires orationis alternat, niſi quod in finem, quicquid obduxerat, eduxit in lucem. Ait enim, verba prioris epiſtolæ noſtræ revoluendo collidens: *Epiſt. 51* *Quanta putas profunditate, caligine, obſcuritate, reconditum involuatur: corpus eſt vivens, anima viva, Deus vita? Deinde abyſſus abyſſum invocat vivens* C *vivens, inquit, ex vanitate, vivum ex ſimplicitate, vita ex unitate, hic, hic, tenebræ, hic umbra ex nube, nubiloſus aer in meridie. Hic neque ſolem, neque lucem, neque diem intueor, ſed planè palpabilem obſcuritatem, hæc verba veſtra ſunt de noſtris quidem ſumpta non ad propugnandum, ſed ad impugnandum.* Veſtrum autem fuit dilecte mi, ſingula verba ſuo pondere librare, antequam de verbis ſententiam proferretis, & diligenter inquirere, utrum meum commentum an documentum eſſet altius, quod repelli vel refelli non poſſet. Habeo mecum plenam ſubtilitatis & ſanctitatis animam, & quæ fronte non nomine ſolo præmineat, quam in auctoritatis arcem, tam ſcholaſticorũ quam Eccleſiaſticorum chorus evexit. Claudianus hic eſt, qui totam Chriſtianam, Romanam, Atticam Bibliothecam in viridi Æuo ſecretiſſimis inſtitutionibus ebibens, & ingenij acumine & operis mole pene nobis alterum reddidit Auguſtinum. Hic eſt enim de quo Romana Gymnaſia, & auditoria Gallicana in hæc verba teſtimonium perhibent: *Cum veniſſemus ante eum, quicquid dixerat, reluctantium ſyllogiſmorum contrarietate excipiebamus: ſed ipſe omnes conatus noſtros ſicut aranearum fila rumpebat prævolanti ingenio, ipſa verborum principia eludens: homo enim erat, hominum, avi, loci, populi ſui ingenioſiſſimus, & nemo noſtro ſeculo, quæ voluit, affirmare ſic valuit.* Ait ergo iſte lib. 3 de animæ ſtatu, de rerum principiis ita loquens: *Sicut informis materia, quia formabilis eſt, præſtat nihilo; ita quod iam formatum eſt, melius eſt illo, quod & ſi formari poteſt, formatum non eſt. Itemque ſicut id quod formatum eſt, anteit illud quod formatum non eſt, ita inanimum quodcumque formatum, cedit illi quod & formatum pariter eſt & animatum: quia ſicut formatum proximat formæ, ſic animatum proximat vitæ. Sicut autem tria ſunt, informis materia, formatum exanime, rerum forma: ſic item tria ſunt vivificatum, vivificans, vita: corpus eſt vivens, anima viva, Deus vita.* Hic hic, *inſpicite, quid dixeritis, qui contradixeritis* quia puto quod pro me faciat & ſatisfaciat Claudianus: Quod autem ſequitur, *vivens ex vanitate, vivum ex ſimplicitate, vita ex unitate*, verba mea ſunt & tantò fortius munienda, quantò perſona, quæ loquitur, & auctoritate caret, & nomine, *vivens ex vanitate*, vivens corpus eſt, quod & vivificatum vocat authoritas Claudiani. Audite igitur, *vanitas vanitatum* (dixit Eccleſiaſtes) *& omnia vanitas.* Si omnia vanitas: & corpus vel ex omnibus, vel ex aliquo omnium eſt, ergo corpus vanitas eſt, *univerſa vanitas omnis homo vivens*, ait ſanctus David. Quod moritur, ipſum eſt quod vivit: quod, ut vivat naſcitur: vivit, ut moriatur. Quid enim moritur, niſi quod vita privatur? Ipſum eſt, quod moritur in homine, quod à vita extinguitur: & quid hoc eſt, niſi corpus & corporeus ſenſus: ipſum enim prius animale ex quo ipſum animal eſt: ut cum ſenſibile eſſe deſinit, deſinit eſſe ſenſus. Ergo quod moritur in homine, ipſum eſt quod vivit in homine; quod ideo vanitas, quia mortalitas eſt, igitur univerſa vanitas, omnis homo vivens, non omnis homo vita, ſed omnis homo vivens. Nam & vita quodammodo homo eſt, & vivens homo eſt vita in eo quod vivificat, vivens in eo quod vivificatur, vivit autem caro ex anima & anima in carne: & utrumque vivit, differentia tamen multa eſt, quia caro ex anima totum habet quod vivit, anima in carne non totum habet quod vivit. Nam vivit etiam in Deo, & utinam vivat. Quod vivit in carne, vanum eſt; quia ex vanitate. Quod Autem Apoſtolus corpus mortuum dicit, propter peccatum, niſi facit quia & hoc expreſſiſſima vanitas eſt. Mortuum verò dicit, id eſt, moriturum ea locutionis regula, qua dictum eſt: *Quacumque die comederitis, moriemini*, non quod ea die mortui fuerint, ſed quod inconvertibilem acceperint moriendi neceſſitatem. Quomodo enim verum eſſet, & corpus mortuum, & homo vivens: Illud Apoſtoli, iſtud Pſalmiſtæ: niſi utrunque ſub ſenſu tam ſubtili, quam utili Auguſtini ſententia copularet? Ad quid ergo tota illa verborum inſtans conſtantia, vel conſtans inſtantia, qua ſubvertere nitimini amicum veſtrum: Dicitis enim, Quid eſt corpus vivens ex vanitate? *Corpus*, inquit, *Apoſtolus mortuum eſt propter peccatum.* Quod ergo Apoſtolus mortuum vocat propter peccatum; tu vivens dicis ex vanitate? An non vanitas peccatum? An idem ſenſu ſimplici intellectum operatur, & mortem & vitam? Odit Deus obſervantes vanitatem; dilectio autem Dei vivificat, odium mortificat, non eſt ergo aliquid vivens ex vanitate? Vos videte, quid concluſeritis. Verum autem hæc aliquantulum impugnata, ne dicam expugnata, veſtro ipſius iudicio derelinquo, ſubiungitis autem: *Dicitis: iterum, vivum, id eſt, animam ex ſimplicitate: vitam, id eſt, Deum ex unitate.* Iſtis non ſic in ſpiritu vehementi offendor: nec tamen penitus aſſentior. Nam anima unitati magis quam ſimplicitati obnoxia eſſe perpenditur. Omnis enim res ſimpliciter ſimplex & unum & una eſt, non autem ſi una ſtatim, & ſimplex. Si qua enim res ſimplex eſt, reſpuit & refugit prorſus omnem admixtionem & conſortium. Res vero una, duo ſimul vel plura convenientia aliquando in ſeſe recipiendo convertit: ut unde fit, & poſt pauca: *Quia eſt ergo quod Deus dicitur ex unitate, vel ex ſimplicitate niſi Deus ex Deo, Pater à Filio, Filius à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio: An deſipit ita quiſpiam ut participatione ſimplicitatis, ſimplicem; bonitatis bonum; unitatis, unum exiſtimet Deum? Bonitas in Deo eſt, & Deus bonitas eſt, non magis ergo Deus ex unitate quam ex ſimplicitate.* Hucuſque verba veſtra: interſecui autem medium epiſtolæ, illa colligens, & eligens quibus fuerat reſpondendum.

Quod enim longius progredior, non ſolùm veſtrorum argumentatio, ſed & noſtrorum qualiſcumque probatio cogit. Neque enim verbum, verbo reddere

Cognomento Mamertus Viennæ Galliarum Epiſcopus claruit anno 440. Præclariſſimum Mamerti elogium Gymnaſiorum Gallicanorũ de Mamerti doctrina teſtimonium. *Cap. 7. Lib. Imp. quæ.*

D

poſſum: quia non idem negotij eſt calumniam ſtruere, quod deſtruere. Neque enim idem eſt ſpinas vellere; quod frugem iacere: & multò maior opera in utroque horum inſumenda eſt quam in altero, neget quiſpiam mundum ſphæram eſſe, quod uno verbo negari a qualicumque poteſt, neque uno id verbo Ariſtoteles adſtruxerit. Quid igitur dicetis: quia quod dico vivum ex ſimplicitate, vitam ex unitate, non ſic oſtenduntini nec tamen penitus aſſentimini mirum eſt. Gratias enim gratiæ veſtræ, quia verba veſtra vel ex parte recipitis: receditis autem in omnibus à Claudiano, cum dico vitam ex unitate nec pauperrimus ſenſus intelligit, ut ſubſit vel præſit Deus unitati ſuæ vel bonitati: atque illi unitas, non eſſentia ſit, neque ipſe ſit unitas ſua, ſed in illo ſit tanquam in ſubiecto. Non eſt enim aliud eſſentia Dei, & aliud ipſe: quia hoc eſt illi eſſe, quod perſonam eſſe. Illi namque uni unitati non formabile aliquid vel formatum vel reformatum eſt, ſed forma neque informis neque formata ipſa ſibi eſt æterna immutabiliſque ſubſtantia, illud autem quod proponitis quia omnis res quæ ſimpliciter ſimplex eſt, & unum & una eſt: aut non intelligo, quod magis puto, aut vos minus attenditis, quod ego non credo. Non enim aliqua res ſimpliciter ſimplex eſt, niſi illa una ſola & ſumma res, ſi tamen res, & non eorum omnium cauſa; ſi tamen & cauſa, quia non facile invenitur nomen, quod illi ſingulari excellentiæ poſſit aptari, corpus enim multiplex eſt, quod notiſſimum eſt etiam minus intelligenti. Anima vero comparatione corporis, ſimplex eſt, ſed per ſe nullo modo. Habet enim & varietatem cogitationum, & mutabilitatem affectuum. Nihil autem mutabile ſimplex eſt; ſed & ſupercœleſtes ſpiritus fortaſſis his carent; non tamen ſimplices ſunt; quia aliud eſt, quo ſunt, aliud quod ſunt, aliud quoque quo beati ſunt ad imitationem ſimplicitatis participando eos gratia redegit, non natura. Si igitur neque corporeum neque incorporeum aliquid ſimplex eſt, ut non collidam ad invicem rationes, videte quod dixeratis: omnis res, *quæ ſimpliciter ſimplex eſt, & unum & una eſt, cum hæc nulla res ſit.* Quod verò proſequimini rem ſimplicem refugere & reſpuere omnem prorſus admiſtionem & conſortium: rem autem unam, duo ſimul, vel plura convenientia aliquando in ſe recipere & convertere ut unum ſint; hoc autem in contrarium relabi puto. Iſta enim, quæ quodammodo ſimplicia dicuntur, conſortium, vel admixtionem recipiunt: quod autem unum eſt, horum omnium expers eſt & immune. Nam & animæ (utinam non cum tanta mixtura) corporibus conglutinantur; & angeli, vel naturalia corpora habent, vel ex aëre, vel in aëre ea induunt cum mittuntur. Quod ideo dico, quia videntur hoc patres ſub ambiguo reliquiſſe. Neque nunc opponatis mihi incarnationem Filij Dei: quia alia eſt illa ratio (ſi tamen ratio, & non potius dignatio) nec huius temporis, vel operis eſt hanc in diſputationem adſumere: Quæ enim iuxta rationem probabilia, ex ratione neceſſaria, contra rationem incredibilia, ſupra rationem mirabilia, quæ ſcrutari non liceat, ſed mirari. Non eſt autem vere unum, niſi quod eſſentialiter & immutabiliter unum eſt increabile, invariabile, interminabile, quod nec affuit, præciditur: nec aberit, expungitur: cui ſolum & inexpugnabile remanet, eſt: *apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio*, cui veraciter dicitur. *Neque enim eſt alius extra te.* 3. * Quare autem ſpecialiter unitatem aſſignaverim Deo, factum eſt propter ſpecialiſſimam numerorum ſimilitudinem, quæ omnibus ſimilitudinibus antecellit, cum enim omne numerabile per numeros numeretur; ipſi numeri numerari non poſſunt. Nam quis, non dicam eloqui, ſed cogitare digne ſufficiat quod cum numerus ex uno & per unum & in uno ſit: ipſe tamen principium vel finem habere non poſſit? Sed enim unum diximus unius eſſe principium: ipſius unius, quod oſtendis eſſe principium: ecce habetis principium numeri ſine principio, ut ex ipſo ſit numerus. Iam verò ſi numerare velitis: adiicitis unum uni, ut fiant duo; & unum duobus ut fiant tria: & unum tribus: ut quatuor; & deinceps quotiens unum multiplicaveritis, totiens quaſi multi ſinguli in ſumma dicuntur ut decies ducti: decem vicies, viginti; & centies, centum: & millies, mille nominentur: ut agnoſcatis omnem numerum ſicut per unum eſſe, ita ex uno procedere. Illud vero clariſſime patet ad finem numeri, qui nullus eſt, omnino veniri non poſſe: quia trans omnem numerum, qui ex uno, per unum, & in uno eſt, ſemper unus eſt: tria tamen iſta ſunt cum divinis ex uno, & per unum, & in uno pariter æterna, pariter æquiterna, pariter illocalia, ubique tota, eodem infinito ſemper æqualia: quia nullum verè unum maius, unumue minus eſt. Hæc ſunt numerorum Inchoantia. Ducentia, præfinientia, ipſa nec inchoata, nec numerata, nec finita, credo, quia ſapientiæ Dei non eſt numerus. Nam cum ex uno & per unum, & in uno ſit numerus, nec numerari niſi trifariam poſſit, ut per eundem numerum ordiamur, numeros finiamus: Ipſe eſt ternarius totus, per quem omnis numerus: ubi & una trinitas & trina unitas indiſſolubiliter regnat: reſpicite igitur ſi poſſit ſimilis ſimilitudo reperiri: etſi non inveneritis, non inferatis Deum magis ex ſimplicitate propriè eſſe quam ex unitate, non tamen me fugit illa profundiſſima * Platonis ratio, quæ de intimis Philoſophiæ diſciplinis elicita μονάδα, id eſt, unitatem, animæ: corpori verò δυάδα, id eſt, dualitatem lucidiſſimis numerorum exemplis aſſignat. Dicit enim *Duc ter unum, & fiunt tria; Duc ter tria, & fiunt novem. Duc ter novem, fiunt viginti ſeptem. Duc ter viginti ſeptem, fiunt octoginta unum.* Ecce tibi in quarto gradu unitas prima occurrit. Idemque eveniet ſi uſque ad infinitum duxeris multiplicationem, ut ſemper in quarto gradu unitas emineat: rectiſſimè autem eſſentia animæ, unitate exprimitur: quæ ipſa quoque incorporea eſt. 4. * Ternarius quoque propter indiſſolubile mediæ unitatis vinculum, congruè refertur ad animam: ſicut quaternarius, quia duo media habet, ideoque indiſſolubilis eſt, propriè ad corpus pertinet. 5. * Prima igitur progreſſio animæ, qua de ſimplici eſſentia ſua, quæ monade figuratur, in virtualem ternarium ſe extendit: ubi iam per concupiſcentiam aliud appetat, aliud per iram contemnat: per rationem, inter utrumque diſcernat. Et rectè à monade in triadem profluit: quia omnis eſſentia naturaliter prior eſt potentia ſua. Rurſum 6. * quod eadem in multiplicante ternario ter invenitur, hoc ſignificat quod anima non per partes, ſed tota in ſingulis ſuis potentiis conſiſtat. Neque enim vel rationem ſolam, vel iram ſolam, vel concupiſcentiam ſolam tertiam partem animæ dicere poſſumus: cum nec aliud nec minus ſit in ſubſtantia ratio quam anima; nec aliud, nec minus ira, quam anima, ſed una eademque ſubſtantia ſecundum diverſas potentias ſuas, diverſa vocabula ſortiuntur. Deinde à victuali ternario, ſecunda progreſſione ad regendam humani corporis muſicam deſcendit, quæ novenario componitur, quia 1. * novem ſunt foramina in humano corpore, quibus ſecundum naturalem contemperantiam influit & effluit omne, quo idem corpus vegetatur & regitur. Hic quoque ordo eſt: quia prius naturaliter anima potentias ſuas habet, quàm corpori commiſceatur, poſtea vero in tertia progreſſione perſenſus iam extra ſe perfuſa ad viſibilia hæc quæ per viginti ſeptem: qui ſolidus numerus eſt, & trina dimenſione ad ſimilitudinem corporis extenditur, figurantur diſpenſanda, per infinitas actiones diſſipatur. 2. * In quarta autem progreſſione ſoluta à corpore ad unitatem ſuam, quæ de vera illa unitate deſcendit, revertitur: Ideoque in quarta multiplicatione, ubi ter viginti ſeptem in octoginta unum excrevit, monas

Pſ. 146.

Aliquid eſt huiuſmodi videre in Patm.

ita

A in ſummo apparet: ut evidenter clareat, quod anima poſt huius vitæ terminum, qui per octoginta deſignatur, ad ſimplicem ſuæ ſubſtantiam unitatis redeat, à qua prius diſceſſerat, cum ad humanum corpus regendum deſcendebat. Non latuit hoc & Philoſophum noſtrum. 3. * David, qui metam humanæ vitæ conſtituit in octoginta annis. Si in valetudine octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor, iam corpori quoque ſuum aſſignat quaternium ſicut ter'ſ, ait, animæ, ita duas quoque corpori congruit: Dic enim bis duo, fiunt quatuor; dic bis quatuor; fiunt octo; dic bis octo, fiunt ſexdecim; dic bis ſexdecim, fiunt triginta duo. Hic in quarto loco ſimiliter idem numerus 2. binarius, à quo multiplicatio initium ſumpſit, tibi occurret: Idemque ſi in infinitum proceſſeris, indubitanter continget, ut ſemper quarto gradu binarius emineat; & hic eſt quaternarius corporis, in quo intelligi datur, omne quod à ſolubilibus

B compoſitionem accepit, ipſum quoque eſſe diſſolubile. Hæc ideirco de tanti Philoſophi aſſertionibus poſui, ut agnoſcatis, primitivam illam, quæ in primæva rerum ratione eſt, veram unitatem non aliquam deductivam: nec etiam illam, quæ ſignaculum ſimilitudinis appellatur, in qua prima unitatis inclinatur deductio. Quod autem 4. * pungimini, & compungimini me dixiſſe filium medium inter patrem & ſpiritum nequaquam vos tam acerrimè contutbaſſet, ſi verba ſequentia legiſſetis: quia ſenſus manifeſtè ſe legentibus offert, medium enim dixi inter patrem & ſpiritum, quantum ad vocabulorum differentiam, non quantum ad ſubſtantiam indiviſam: ubi nulli gradus, nulla tempora, nullæ diſtinctiones poſſunt excogitari. Sic enim nos conſuevimus dicere: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: unde & verſiculum Pſalmi ad hanc expoſitionem inflexi: *Benedicat nos Deus, Deus noſter: benedicat nos Deus:* illic ubi *noſter* adiungitur, interpretans filij perſonam, quæ quippe noſtra eſt,

C quia in ſua proprietate noſtræ carnis paupertatem accepit,ſed iam nimis evagatur amicus,amicorum dulciſſime:& dũ nihil monacho ſui iuris relinquit,delinquit. Veruntamen quis ego ſum, qui tanto nomini vel homini auſus ſum reſpondere? Nimirum ille ſuus, & ſpecialiter ſuus & ipſe amicus meus non tam dimidium, ſed melior pars animæ meæ, nihil enim ab altero diviſum, nihil alteri ſingulare, & meam bene teget imperitiam, qui me diligit ut animam ſuam: apud quem malui de verecundia, quam de amicitia periclitari. Tu autem dilecte mi, claude epiſtolam niſi tibi & Thomæ tuo, nec me perducas in publicum, qui ſecretum profeſſus ſum, dignus latebris & omni ſolitudine in æternum & in ſeculum ſeculi. Propterea enim hæc propriis manibus ſcripſi, cum nimia vertigine capitis fatigarer, nec etiam familiariſſimos familiarium meorum admiſi, ne forte vel ad curioſitatem vel ad ſuſpicionem iuveniles & ferventes animos mutarem. Abſit enim ut alteri cuiquam ſic effunderem etiam meam niſi tibi; tibi, inquam ſoli, cui

D debeo quicquid ſum, quicquid facere poſſum in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

* 1 *Origenes homil. 11. in Cantica Canticorum ſcribit animam debere diſquirere, num ſint aliqui ſpiritus eiuſdem ſubſtantia cum ipſa, alij vero non diverſi: at l. 11. τῶν ἀρχῶν vult eſſe corporibus tenuiſſimis. Itidem S. Auguſt. pluribus in locis Lactant. Hil. Baſil. necnon S. Bern. ſer. 5. in Cant. Cant. & alij relati à Sixto Senenſ. tom. 2. Bibl. ſancta ann. 18 ſed generale Concilium Lateranenſe ut ſileam pleroſque & antiquos Toreleg. 1. habitum anno 1215. relatum cap. firmiter de ſumma Trinitate definivit eſſe incorporeos: ſed & Luc. 8. c. conſtat in uno eodemque homine fuiſſe legionem dæmonum, hoc eſt ſex millia, ut Veget. l. 2. de re milit. c. 11. ſupputat, quæ ſi habuiſſent corpora, non potuiſſent eſſe in eodem homine ſine penetratione, ne prætercam Chriſtum dicentem diſcipulis: Spiritus carnem & oſſa non habet.* 2. * Incarnatio Chriſti non ratio eſt, ſed dignatio. 3. * Non eſt verè unum niſi quod eſſentialiter & immutabiliter unum eſt. 4. * Ternar. congruè refertur ad animam, quatern. ad corpus. 5. * Animæ progreſſio fit à monade in virtualem ternarium. 6. * Anima in ternario multiplicatore ter inventa quid ſignificet.

1. * Novem foramina in corpore humano eminentia & immittentia quibus ſe ſummi regit vegetatque. 2. * Anima corporis ſoluta redit ad unitatem ſuam de vera unitate deſcendentem. 3. * *Iuxta S. Moſen, qui teſte [illegible] Hieron. in epiſt. ad Cypri. Presb. 10. præter Pentateuchum ſcripſit 11. Pſal. quorum hic primus eſt uſque ad 91. & licet 91. ſit titulus Pſalm. David: non tamen eius eſt, etiamſi ut Hebr. Pſalt. careat hac epigraphe: quia mos hic in ſcripturis ſervatur, ut omnes Pſalmi, qui ſui titulo ſunt auctori nomine, deputentur iis, quorum in prioribus Pſalmis apparuere nomina.* 4. * *Poſt medium antecedentis epiſt.*

EPISTOLA LIII.

Reſcriptum Abbatis Cellenſis de prædictis collaudativa.

SVo, ſuus: ut pernicioſum optimis telum invidiam à ſuis finibus noſtram proſcribat Epiſtolam, communis exorat. Satis namque, ſuperque mihi quod ſcripſiſti, dulce mihi & honeſtum fuit. Quid enim dulcius amore? Quid honeſtius morum ſalubri informatione? Quid utilius divinarum & humanarum rerum ſubtili & compendioſa deſcriptione? Iſta proculdubio continent Epiſtolæ tuæ principia, media & ultima: His noſtrum torpens ingenium excitaſti, cantum non cauſandi de ſecularibus parumper præbuiſti, ac ocioſæ ſollicitudinis vela protenſa relaxaſti. Sic irrigant, inebriant, & tranquillant ſcripta tua, dulciſſime, animam meam, ſterilitati denique, ubertate: tumultuoſitati, libera pauſatione occupationum inſolentiæ renuntians ad remotiora, ſeceſſione: Nicolai mei hæc agi conteſtor ſcriptitatione: Deficiente ergo ſpiritu, manu trepidante, repugnante ingenio, grandiora præſumo, * pertento fortiora, vix explicabilia arripio: utcumque enim ſpiritu vehementia quatuor ventis conglobato, cuius ſpei robore floris teneritudo non evaneſcat, pulchritudo non deficiat, vitor emarceſcat, inſidum eſt irato obviare leoni: ſtultum nihilominus emiſſam non declinare ſagittam; omnis armatura fortium tuis militat caſtris: Itaque congredi timeo, nam cum propria ſatis armatura triumphare poſſet, quorumcumque & potentiſſimorum arma mutuaſti, ut ſupervinceres; ſolo clypeorum aureorum fulgore deiicior: exclamo tamen, pone non tua. Nam plurimum intererit utrùm maieſtate & irrefragibili auctoritate Philoſophorum, an propriarum rationum & ſententiarum conſpicuitate; caſtra veſtra potius debellare tibi, an illis deputetur victoria: cum ſine diſcriminis examinatione, illorum veſtigiis volens procumbam contra te, ante arma, ſed pacifera ſtatim eluceſcet. Quid enim vera ſint, * falſa ſint Philoſophorum inattingibilia acumina, cum ingeniorum noſtrorum vis ſola quæritur, quid noſtra intereſt, prorſus eorum cedo auctoritati, non ſic autem, non ſic effugiet pupillam oculi mei quod egreſſum fuerit de labiis tuis, iure ſuo privari amicitia aliter conquereretur, niſi res amicorum æquo libramine diſcuterentur, decurſis itaque & diſcuſſis vernantis eloquentiæ ſermonibus, & ſenſibus, iterum & iterum tua revolvens & mea evolvere geſtiens timeo ſub luce videri. Quid ergo? periculum experiar? ſed non * in filia loquar? ſe utinam non inania. Reprehendam? ſed amici ſuperflua. Laudabo ſed Philoſophorum ingenia. Hinc tamen non progrediar, niſi prius data manu initum prorſus fuerit pactum, nequaquam iraſci pro aliqua contumelia. Ingrediens itaque aggrediar non veritatis domicilia ſubvertere, ſed amici (ſi qua eſt) & propriam de præiacentibus verborum diverſitatibus calumniam aſtruere, & quibus potero, auctoritatis rationibus refellere video autem in veſtibulo, & in fronte Epiſtolæ tuæ quod nimia formoſitate ſui; curioſitatem oculorum ſic allicit, ut vix eos elicere; & eiicere ab iſt

A intuitu ad penetralia interioris & vlterioris paradiſi valeam : eſt enim quiddam, cuius nomen ſuper omne nomen, cuius forma formoſior omni forma, cuius ſtatura & altitudo à fine ſuperioris cœli vſque ad finem inferioris inferni, imago eſt inimitabiliter nata non facta : vnus eſt qui hanc de corde ſuo excogitauit & eructauit, non artifex huius, ſed omnium, huius autem pater huic conformari eſt reformari. Hanc loquentem, & ſe exprimentem, aptis coloribus renitentem, neruorum & venarum vigore vigentem, vultus venuſtate ridentem, ſceptro imperiali cuncta regentem, Cœlicolas cum terrigenis in brachiis coniungentem inveni, adoraui, & tenui. Decor eius inæſtimabilis : dulcedo inſatiabilis : claritas inacceſſibilis : tam ſuave de illa loqui, quam admirabile amplecti. Illam, ad hanc qui accedit, aut vix, aut nunquam

B

Eccl. 24.

recedit. Oculus non ſatiatur viſu, nec auris auditu. *Qui edunt, adhuc eſurient, &c.* Hæc oſculata eſt caput meum oſculo oris ſui : hæc digito manus ſuæ tenens animam meam, voce propria monuit ne declinarem ab ea. Huiuſmodi attractus & delinitus blandius, an vlterius progrediendum ſit, hæſito. Bonum enim eſt eiſe, tandem verò innuente & annuente vt irem non diſcedens, redirem permanens, aliam vidi viſionem : rubus ardens in interiora deſerti apparuit. Suſpenſus interdum attenta cogitatione : non, inquit, ſicut Moſi rubus ardebat & non conſumebatur : ſic meus iſte reddit ſplendorem lucentem non calorem vrentem, amici enim increpatio grata potius eſt correctio, quam moleſta exuſtio, vos venator tam verborum quam ſenſuum & retibus & percuſſum venabulo crediſtis. Hic rubus ruborem ingerens, ſed perfectæ & ſolidæ charitatis robur neſcienti : Oculus puſilli pungeretur vel compungeretur, ſi ſpina huiuſmodi configeretur. Non vero contingat hoc oculo charitatis, cuius ſolius eſt colligere imò producere roſam de ſpinis. Sic Ieſus de ſpina paſſionis roſam protulit redemptionis. An non eius imitatione & tu reddis bona pro malis ; qui mollia duris, dulcia amaris, vera retribuis vanis ? Re vera tu ſimplex & domi habitans vt dicis, in ſimplicitate cordis tui ſcripſiſti. Animadverto igitur an thronum gratiæ miro pennarum iuvamine te convolaſſe : & ibi, quia citra non reperiſti, ſimpliciter ſimplicem Deum didiciſſe. Quæro itaque, an ne ſimplicitatem tuam ab illo fonte reportaveris ? & vtinam tantum tranſeundo, quantùm cœlicolæ manendo & ſtando exhauſeris ; Quod ſi fieri non potuit, conſtat non iniurioſè, inæſtimabiliter illorum tuam præcellere ſimplicitatem ſicut & beatitudinem ? Animam ſiquidem humanam naturaliter ſimplicem ; Angelorum vero naturam & ſimpliciter ſimplicem dubitabiliter credo & confiteor. Quod vt evidentius appareat, verba noſtra de ſimplicitate, & tua ſub oculis compendioſa hic annotatione volo colligere : Dixi, quia omnis res ſimpliciter ſimplex vna & vnum eſt. Non autem & vna ſtatim & ſimplex. Simplex enim res refugit, & reſpuit omnem protſus admixtionem. Rem verò vnam convenientia duo ſimul, vel plura aliquando faciunt, vt vnum corpus conſtans ex quatuor elementis. Iſta inquis, aut non intelligo aut vos minus attendere, quàm te non intelligere. Tamen

D

parumper attende, & de ſimplicitate (ſi malè ſentio) quia cœpiſti iterum corrige. Iterum ipſe vt decet conſignatam tuis exhibens reverentiam ſenſibus & ſermonibus, meos, & ſi non verba, ſenſus vallo veritatis communiam fortiùs. Omne igitur quod eſt, aut ſimplex, aut compoſitum eſt : Compoſitum autem aut ſubſtantiale eſt, aut partiale. Subſtantiale, veluti cum vna ſubſtantia alij iungitur : partiale, cum vnius ſubſtantiæ partes coniunguntur. Hoc autem compoſitum ſuperiore ſimplicius eſt, illud verò ex toto & naturaliter dicitur ſimplum, quod caret & ſubſtantiali, & partiali compoſitione. Anima itaque, quia neque diverſarum ſubſtantiarum,

E neque eiuſdem ſubſtantiæ diverſarum partium in ſe ſuſcipit coniunctionem, naturaliter eſt ſimplex. Non enim ex prius exiſtente aliqua materia, creata eſt, vt reſpectu materiei ſuæ compoſita dici poſſit, ſicut in omni tempore. Id quod factum eſt reſpectu illius, de quo factum eſt, compoſitum dicitur ; reſpectu verò quod de eo factum eſt ſimplum, ſed de nihilo facta Catholicè creditur. Angelica verò natura, quia hoc ampliùs habet, quod nulli ſubiacet, quemadmodum anima ex coniunctione corporis corruptionibus liberius euolat ad ſecretiſſimos ſimplicitatis receſſus. In hoc etiam ferè omnes Philoſophi conſentiunt, quod principium rerum eſt perfecta ſapientia, lumen præclarum, ſubſtantia ſubſtantiarum, argumentum rerum vniverſarum. Id autem vnum & ſimplex, cuius ſimplicitas confert non aufert ſimplicitatem : neque

F

enim creaturæ ſuæ ſuam invidet ſimplicitatem, cui ſuam non negauit imaginem.

EPISTOLA LIV.

Ad Abbatem Cluniacenſem, Epiſtola 54. 9. verò l. 6. Petri venerabilis.

PAtri ſuo, Domino Cluniacenſi frater Nicolaus. In breui, ſicut puto, viſurus faciem veſtram, mitto vobis Epiſtolas veſtras : 1 * librum quoque Domini Abbatis Clareuallis ad Dominum Papam: Epiſtolas etiam duas, quas 2 * eidem Domino Abbati & 3 * mihi miſiſtis hoc anno. Illud autem non lateat ſublimitatem veſtram, quia literæ veſtræ multùm addiderunt promotioni fratris Henrici, & libentiſſimè

G

auditæ ſunt ab Archiepiſcopis & Epiſcopis Franciæ, & ſerenitati veſtræ multæ gratiæ redditæ ſunt, ſicut ego meliùs viua referam voce.

*1 * Scilicet de conſideratione ad Eugenium l. 1. nam ex Prologo l. 2. apparet eum non ſcripſiſſe vna opera. 2. * Si ſpectetur ordo, erunt certè 284. & 209. 3 * Extat l. 6. Petri Venerab. ordine, 7. altera. 31.*

EPISTOLA LV.

Ad eundem Epiſtola .55. 34. apud Petrum Venerabilem lib. 6.

PAtri ſuo, Domino Cluniacenſi frater Nicolaus. Indica mihi quem diligit anima : quando veniam & apparebo ante faciem tuam : quando videbo te; quando conſolaberis me ? Conſolaberis, inquam, quia conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, donec videam, & deſideratam & deſiderandam præſentiam tuam : & triſtis eſt anima mea vſque ad te. Minimè

H

quidem deſerit me, quocumque iero, dulciſſima tui memoria, ſed quantò memoria dulcior, tantò abſentia moleſtior eſt. Abſit autem vt me conſoletur illa veriſſimilis, ſed non vera ſententia : 1 * Præſentiores, inquit, ſunt qui ſe animis quàm qui oculis intuentur, & plus eſt corde connecti quam corpore. 2 * Quaſi verò conſpectus & converſatio non habeant aliquid vinæ voluptatis, quæ non poteſt abſentibus provenire. Sed hæc, ſicut arbitror, ex ratione, non ex affectione locutus eſt ille Romanæ eloquentiæ ſplendor, cum quo eloquentia nata eſt, & educta in lucem : Tullius hic eſt, de quo & dictum eſt, quia quæ ſtudio infor-

maverat,

ized by Google

A maverat, actu urgebat, arte exequebatur, pectus in linguam faciliima transferens facultate. Quid facio? Evagatus ſum à negotio meo, nec digreſſio; ſed tranſgreſſio eſt quod feci. Quis mihi recompenſabit, quod non vidi pariter duo illa magna luminaria, & in firmamento cœli, videlicet loco illo, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut eſſet nomen ſuum ibi. Iraſcor occupationibus meis, quibus factum eſt, non ut non vellem, ſed ut non poſſem, & etiam neſcirem. In cauſa fuit cauſa fratris tui, Domini mei Vizeliacenſis Abbatis, ad quam ex præcepto tuo oportuit me pugnare ad beſtias, ut non

Iſa. 9. prævaleret homo. Additus eſt iuxta Prophetam annus ad annum: revolutæ ſunt ſolennitates, & dies pro anno datus eſt mihi, ex quo non vidi, non dicam Dominum; ſed dilectum. Cedit quippe faſtus, cum accedit affectus, & perſonalis reverentia deperit, cum cœperit familiaris amicitia perorare. Honoret

B ſanè, qui orat, qui ſtupet, qui metuit, qui miratur; vacant hæc omnia penes amantem. De te autem iam mihi pridem perſuaſum eſt hoc, cuius altitudo adæquata eſt: cuius ſingularis ſingularitas aſſociata eſt, ita ut exemplo eſſe poſſit, & iis qui fuerant in exemplo. Cuius autem culpa eſt, quod tandiu fraudatus ſum deſiderio meo? Mea non eſt, tum propter infirmitatem, tum propter occupationem, quæ mihi à te fuit iniuncta. Numquid tua? Abſit. Duplici enim Epiſtola & provocaſti me, & evocaſti ſcribens patri meo in hæc verba. Mitte mihi Nicolaum tuum, in quo tuus ut mihi videtur ex parte, & meus ex toto ſpiritus requieſcit. O vocem amoris! vocem, cui vicem rependere non poſſum omnibus diebus vitæ meæ. Si inveni gratiam in oculis tuis: ſi te tangit aliqua recordatio Nicolai tui, ſcribe patri meo per nuncium tuum & Priori noſtro, & Gaucherio tuo: horum enim omnium negotiis intricatus, & implicatus ſum, ut in ſancto Paſcha mittant me ad te: ita ut noverim virtutem de ſtylo, imo ſtylum de virtute exiſſe: quia deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare tecum

C amantiſſime Pater. Ita autem fiat, ut aliquot diebus liceat mihi commorari tecum; etſi non ſatiari, ſaltem refocillari præſentia tui. Confiteor enim; & ſi neceſſe eſt, profiteor, quia pene nihil aliud libet, dum non præſto eſt quod libet. Reſcriptum autem illarum literarum mitte mihi ſecretò; & tunc, ſi potero, perferam ad te Alexandrum magnum: referam Auguſtinum tuum, & quæcumque bona, manus mea poterit invenire. Nunc appareat totum illud gratiæ quod habeo in oculis tuis. Sanctiſſimæ animæ tuæ commendo me, quia tuus fui, tuus ſum, tuus ero, quandiu fuero in viſceribus Ieſu Chriſti. Per præſentium latorem communica mihi de verbis illis cœleſtibus & dulcibus, ut interim ſpeculum videam, donec videam vultum. Si in Paſcha non poteſt evenire quod mando; ſaltem poſt Paſcha. Scio ego quod Dominus Abbas dixit tibi, ne mandares me ſine neceſſitate, ſicut & mihi dixit: ſed neceſſitas eſt, & ſumma neceſſitas

D te videre, quamvis in multis occupatus ſim. Quid plura? Præcipe ut veniam.

1. Idem ſcripſit [illegible] epiſt. 10. ſub finem & epiſt. 43. 2. Idem dixit epiſt. [illegible] & 47. [illegible] multa ſimilia [illegible] poſita [illegible] nunc quidem [illegible] impreſſa, nunc [illegible] expreſſa.

F I N I S.

E

PHILIPPI
SOLITARII
DIOPTRA, ID EST, REGVLA, SIVE AMVSSIS REI Chriſtianæ, ad Callinicum Monachum, quatuor Libris per Dialogum explicata.

F

EX BIBLIOTHECA Reipub. Auguſtanæ.

Latinitate donata, à IACOBO PONTANO Societatis IESV.

Cum Notis Iacobi Gretſeri eiuſdem Societatis in fine additis.

AD LECTOREM PRÆFATIO Iacobi Pontani, Societatis IESV.

VOLVMEN iſtud inſcriptum Διόπτρα, vocabulo inſtrumenti Geometrarum, quo illi ad explorandas ex intervallo altitudines utuntur ut ſunt qua vocantur quadrans geometricus, & baculus S. Iacobi, nos regulam ſive amuſſim Rei Chriſtianæ, ad argumentum ipſum quo de hic diſputatur, ſatis accommodatè, ut

G *puto, appellavimus: volumen ergo iſtud in Auguſtana bibliotheca cum reperiſſem, etiam atque etiam dignum iudicavi, quod latina lingua expreſſum, ad virtutis & vitæ Chriſtianæ ſtudioſos perveniret. Auctorem & parentem habet* PHILIPPVM SOLITARIVM, *qui libro quarto teſtatur, ſe id confeciſſe anno poſt Chriſtum natum milleſimo centeſimo quinto, quo tempore Alexius Comnenus annum decimum ſextum imperabat. Reliqua ex Pſello, Phialtis correctoris, ipſiusque auctoris præfationibus licebit cognoſcas. Magnopere vellem, Phialitum illum in iſta emendatione accurationem maiorem præſtitiſſe. Spirat ubique pietatem Philippus, & nos* DEO *gratiores efficiendi ſtudio flagrat. Vſus eſt verſibus politicis, de quibus præfatione in Orationes Simeonis, ſuperiore annò à nobis converſas, & in lucem prolatas diſſeruimus. Quos, quoniam latinis auribus parum noti ſunt, & eos multis locis rerum ſubtilitas, ſermoniſque Romani egeſtas non admitteret, ſoluta & perpetua oratione, non ſine*

H *exemplo interpretandos cenſuimus. De pauci ſingulorum librorum capitibus multo plura fecimus: cuique lemma, ſive ſummam ſuam noſtris verbis, uberiuſque & accuratius aliquanto, quam ſcriptor ipſe fecerat, præfiximus, quò omnia luculentiora fierent, planiuſque perciperentur: tametſi nihilominus ad quadam promptius intelligenda graviores, & ſeveriores illas ſcientias libaſſe opus erit. Oeconomia non immerito cuipiam admirationem movebit, cur nimirum, cum hoſce libros in dialogo conſcriberet,* ANIMÆ *interrogandi ac diſcendi,* CARNI *reſpondendi docendique partes dederit: & illam Diſcipulam, hanc Magiſtram eſſe voluerit in huiuſcemodi rebus tam ſanctis ac ſpiritualibus, addo etiam, tam eruditis, cum contra potius faciendum fuiſſe videatur. Caro quippe eſt anima inferior, & appetitus ſentiens, Auguſtino anima irrationalis: Anima vero hic eſt ſuperior anima, anima rationalis, ut idem Auguſtinus nominat, & qui à Paulo*

A *nuſquam commanti; & idcirco ad aſpectum indecora ac invenuſta. Porrò bonus Leſbiorum Paſtor Dionyſius, cum in librum ſic, ut diximus, habentem incidiſſet, ita incorrectum & informem relinquendum non putavit: nec reliquit: ſed germana, & diligenti opera noſtra debitas ei emendationes adhibuit. Quantum quantum enim toto opere ſalebroſum & abſonum erat, ceu marcidum quoddam ſenium, ſive ſitum abradens quaſi novum, ac vegetum præſtitit, repulſa inde omni barbarie, & quidquid in conſecutione orationis vitioſum erat. Contrà, nitore, concinnitudine, compoſitione, certaque numerorum moderatione inducta, & ubique luce perſpicuitatis illata. In rebus autem ipſis nihil vel contractum, vel ablatum: ſed omnia ad auctoris memoriam integra conſervata ſunt. Quod facilè cognoſcet, qui novam hanc, & recentem Dioptram cum prima & veteri illa collatam perpenderit & examinarit, inque ſingulis ſenſum ponderarit, ac reliquam orationis vim explorarit. Vel cæco apparet, ut Plato ait.*

B

P H I L I P P V S

Solitarius, peccator, abiectus, & peregrinus, Callinico Monacho ſalutem.

PETITIONI tuæ quanquam invitus, propter obedientiæ tamen, & charitatis fructum obſecutus, & expleto munere, quod mihi impoſuiſti (venerande Pater, fraterque Callinice) omnia verſibus politicis, & libris quatuor, interrogandi ac reſpondendi forma ſervata complexus ſum. Anima quærit, Caro reſpondet. Sunt autem res huiuſmodi, quæ non ad aures tuas demulcendas, ſed ad animam exhilarandam valere poſſunt. Hoſce libros accipe, etſi quid parum conſentaneum offenderis, imperitiæ ruſticitatique noſtræ veniam tribue: nec in verbis ipſis inhære: neu
C elegantiam inelegantem conſidera (ſanè enim nihil in his, niſi vulgare ineſt, & agreſti inſcitia plena ſunt omnia) ſed offerentis obedientiam ac propoſitum amplectere. Quod ſi quid laudabile dictum occurrerit, ad Deum auctorem referatur, illique, ut par eſt, laudes dicantur, & gratiæ habeantur, qui etiam idiotas ad emolumentum audientium ſapientes reddit:
2. Co. 12. & virtutem ſuam in infirmitate perficit. Si quid viciſſim imperfectè, & inaniter ſcriptum repereris, humanæ imbecillitati ignoſce: quæ ab ignoratione quadam maiore impedita: nec quæ voluit, nec quemadmodum voluit literis mandare potuit. Et quoniam fratrum iuſſis mos gerendus eſt, hæc tibi, Pater, & frater multo cum timore, & reverentia conſcripſi, proque captu meo perexiguo è ſacris ſcripturis neceſſaria, utilia, tuæque ſanctitati conducibiliora, magiſque opportuna decerpta libens miſi. Precaberis Deum pro me aſſiduo, Pater imprimis venerande, quo mihi delicta mea condonentur: & cœleſtia bona conſecutus, regno illo perfrui queam.

D

IDEM AD LECTOREM.

AD rudes ego rudis qua poſſum facultate diſſero, eoſque pro virili mea admoneo, & hortor, & tam ſecu-
1. Cor. 11 *laribus, quam monaſticis hominibus munus ipſorum in mentem revoco ſermone prorſus imperitis, ut ego ſum neque ad faciendam orationem, ipſamque artem propenſis: neque rhetorum eximiorum, & ſcientia magiſtrorum cupidis. Atque hinc eſt, quòd ſcommata, & reprehenſionem eorum non horreo, qui aliorum lapſus irridere conſueverunt. Sed quod potius ſoleo, id ſapio, & loquor.*

E

D I O P T R Æ REI CHRISTIANÆ

Liber Primus.

CAPVT I.

Perſpicuè demonſtratur, fidem operibus destitutam nihil prodeſſe.

F

ANIMA, DISCIPVLA. CARO, MAGISTRA.

ANIMA. Tempus antiquum eſt immò antiquiſſimum, quo nos ab omnium conditore ac principe fabricatæ ſumus, unum animal homo, ex utroque mundo, mixtura ac temperamentum nobiliſſimum. Ego vero uſque in hunc diem nihil ex te percunctata, nunc primùm domina famulam interrogabo. Tu te erige, & doce alacriter, mihique deſidiam præteritam ignoſce. CARO. An ego, quod imperas, detrectare queam? tametſi ita erudita non ſum, ut tibi quidem videor. ANIMA. At enim nec ego artium diſciplinis imbuta ſum. Loquere igitur, & omni poſito metu reſponde, quæſitaque mea prompte diſſolue. CARO. Auſculta ergo, & dictis meis attende. Sæpenumero à compluribus audivi, hominem animantem eximium, omniumque animantium pulcherrimum, nunquam à conditore ſuo
G ſuppliciis traditum iri, ſi modo ſalutari ablutus lavacro, ac fide præditus fuerit. Ablutionis autem, ac ſimul fidei expertem, iuſtè pœnas ſubiturum. Quos quidem pro eo ac decuit ignorantiæ condemnavi. Inſignis namque, & doctor maximus Baſilius ita ſentientes facilè refellit, optimeque docet in hanc ſententiam. Cum ſervus quiſpiam dominum offenderit, & offenſio illa miſerationem penitus excluſerit, ut ſecundum legem pœna illi infligenda ſit, primum omnium damnatur, gloria nudatur, ſpoliatur & eiicitur iis quæ habebat bonis: tandemque commeritæ pœnæ addicitur. Præterea lex, & diſciplina Eccleſiaſtica ſervatur, & cum quis ſacerdotum deliquerit, ſive inferioris gradus fuerit, ſive throno Epiſcopali clarus, ſymbolis ſacrarum veſtium exuitur: —

Non eandem pœnam ante, & poſt initam ſacerdotij dignitatem exſolvemus, ſi peccaverimus. Qui enim ne tantum quidem honorem adepti meliores evaſerint, multò gravius, & dirius iure punientur. Honoris quippe magnitudo peccantibus ſupplicij fit augmentum. Et qui indignos conſecrant, earundem cum ipſis pœnarum rei ſunt, tametſi quos conſecrant, non noverunt.]

H — & ſimul, ut ait Canon, omnem dignitatem exuit, ac pro Papa fit Apopapa, canonibuſque ſubiectus, debito ſupplicio multatur. Iudex autem totius orbis, an non ita omnes iudicabit? Cum venerit ad iudicium, criminibus obnoxios gratia baptiſmatis, quod illi ſuorum vulnerum ſordibus inquinarunt, denudabit, & tum, heu, cruciatibus mandabuntur ſempiternis.

Omnes qui in circuitu eius ſunt, offerent munera terribili, & ei qui aufert ſpiritum Principum. Nam apud formidabile illud, divinumque tribunal iuſti actiones, ſeu opera ſua tanquam dona Deo offerent. A ſingulis autem peccatoribus datus illis per baptiſmum ſpiritus auferetur: atque ita æterna illos pœna excipient. Pſ. 75

A Chryſoſt. *Nihil confert baptiſmus vitam non bene recteque inſtituentibus.*

[illegible] *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, ſermones meos ſeruat.* [illegible] *Si enim ego pater ſum, vbi eſt honor meus? Et ſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Gloria patrum, ſ[illegible] filiorum: & dominorum honos, ſervorum timor.*

Cyrillus, *Nihil conducit nobis, Chriſtianorum appellationem eſſe conſecutos, niſi etiam opera ſequantur. Scriptum eſt enim:* ſi filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis. Sicut enim corpus ſine anima mortuum eſt: ita quoque fides ſine operibus mortua eſt. *Haud enim quidquam valet ſanitas fidei, ſi mores ſint corrupti, Nam & ſi omnem fidem dogmatumque veritatem complectamur, & à vitæ innocentiæ patrocinio inopes ac deſerti ſimus, nihil obſtabit, quin in gehennæ ignes ſempiternùm arſuri abripiamur.*

B Eſſet ſiquidem à ratione alieniſſimum abſurdiſſimumque, tantum beneficium, tantumque donum vna cum anima ignominia affici, atque condemnari. Gratia igitur priuata, tormentis deditur. Nec ſolus Baſilius iſta, quæ dixi, ſcripta reliquit: ſed alicubi etiam eloquentiſſimus Chryſoſtomus, & cum his Amphilochius, tres, inquam, hi velut Eccleſiæ ſidera, magiſtrique VERBI DEI maximi ac præſtantiſſimi. ANIMA. Teſtes tu mihi non ſpernendos, ſed quæ dignißimos memoras. *Nam in ore duorum,* Mat. *aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* Quodſi plures producere potes, age, producito: licet enim teſtari pluribus. CARO. Ergo alium teſtem audi, cui crede, cui fidem habe: verba enim ſcripturæ ſunt. Os namque Chriſti, & magnus ille præco Paulus, Hebræis, qui erant Romæ, ſcribens ait, *Circunciſio quidem prodeſt* Rom. *ſi legem obſerves, ſi autem præuaricator legis ſis, circunciſio tua præputium facta eſt.* Nam circumciſionis in Chriſto quæ cauſa, aut quæ gratia? nec etiam præputij, ſi adſit gratia. Mandatorum obſervatio prodeſt, 1. Cor. 7. vt ait: neque enim auditores, ſed cuſtodes, & factores legis, ſi in eo perſeuerent, iuſtificabuntur. Rom. 2. Sed totum ex ipſo VERBI ore diſcas licet. *Non omnis* Matt. 7. *qui dicit mihi domine, & non facit quæ dico, intrabit in regnum cœlorum: ſed is potius, qui implet voluntatem Patris mei.* C Nemo te decipiat, nemo tibi blandiatur, quaſi fides operibus deſtituta tibi ſalutem afferre queat. Fides ſine operibus, ſcias velim, inutilis eſt: & viciſſim opera ſine fide nihil valent. Quapropter ſi ſaluari vis; & fœlicitatem illam concupiſcis, fidem & opera ritè coniunge. ANIMA. Expone igitur, quænam opera intelligas: vt vbi cognouero, ad ea rectè præſtanda feſtinem. Agedum, dic, doce, recenſe.

CAPVT II.

Quænam mandata divina, ſive opera bona præſtantiora ducenda videantur.

CARO. Et plurima & pulcherrima, & omnia fructuoſa ſunt. Quæ autem meliora, & pulchris pulchriora, quibus compendio ad dominum aſcendatur, omninò à me docendum ac præcipiendum eſt. Sex tantummodo, nec plura ſunt numero. D Vide catalogum, & quæ ſint noſce. Mat. 25. Eſurienti mihi cibum, ſitienti dediſtis potum Peregrinum, & hoſpitem me recepiſtis, nudum cooperuiſtis. Infirmus eram, & in carcere, & acceſſiſtis, viſitaſtis, & miniſtraſtis mihi. His alia item, eaque permulta & ſalutaria adiungere potuiſſet: verùm vt ad ſalutem magis neceſſaria, magis obuia, & honorabiliora, ſex duntaxat enumerans cætera prætermiſit. Ad hæc igitur omnes allicit, & provocat, divites, pauperes, ſeruos, dominos: rel[illegible] quorum vſum volentibus permittit, neminem ad ea vllo modo compellens. ANIMA. Ede porro iſta, quorum neceſſitatem imponere noluit; E aueo enim ſigillatim cognoſcere. CARO. Virginitatem colere, vitam monaſticam vivere: peruigilare in divinis precibus: cubare humi: multum peregrinari, & corpuſculum pœnis voluntariis atterere: vnica tunicula veſtiri: Deo, Virgini matri, aliiſque amicis Dei opere magnifico templa condere. Ad hæc nos Mat. 19. Chriſti præcepta non adigunt: ſed *qui poteſt capere capiat.* Cæterorum ſeriem, quæ nimirum ſaluari volentibus conducunt, quis percenſuerit? Veruntamen, mandatur nobis, omnia illa facere, quæ in ſacris literis præcipiuntur, ſi Deum in nobis habitare cupimus, Sed illa lex honeſtiſſima, & laudatiſſima, præque aliis indicta nobis ſunt. Nec ſolum aliis ea præponit, ac præfert: ſed & alibi eorum ſæpius meminit. *Miſericordes, inquit, eſtote ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt.* Luc. 6. Non hortatur nos pſallere, quando nec pater pſallit. F Non peruigilare; non labores & ærumnas multas; non vitam ac certamina ſolitariorum amplecti. Nihil horum, ſed ad miſericordiam ſolam nos invitauit. Quoniam natura *miſerator, & multum miſericors eſt Dominus.* Pſ. 101. Oſee 6. Quoniam *miſericordiam tantùm vult, & non ſacrificium.* Quoniam nulla re alia colitur, nec placatur, niſi vna miſericordia. Quoniam vult miſerationes; & quoniam miſericordiæ abyſſus eſt. Dicam breviter, miſericordia ſolum opus eſt homini cum Deo commune, & per miſericordiam ſolam homo creatorem ſuum imitatur, eique conſociatur. Mat. 25. Id ita eſſe ex decem virginum parabola liquet. Ex conſervatione virginitatis pulchræ erant omnes. Amabant Deum, & pudicè vitam agitabant.

Baſil. *Qui circa modum operis offendit, etſi videatur facere mandatum, reprobus eſt apud Deum. Ait enim.* *Etiam ſi quis certauerit,* non coronabitur, niſi legitimè certauerit. 2. Tim. 2. *Nam bonum non eſt bonum, niſi bene, atque vt oportet fiat.*

Sane neceſſariis magis neceſſaria ex comparatione præferenda ſunt. Nihil habet commodi ſine compaſſione virginitas. Etenim & otium, ſive ſocordia in virtute, ſupplicium parere poteſt, non ſolum actiones improbæ: quando & illi, qui eſurienti non dederunt manducare, nec Mat. 25. *ſitienti bibere, nec nudum cooperuerunt, fortaſſis aliena non rapuerunt, nec fraudarunt aliquem. Sed quia miſericordiam non fecerunt, ſupplicio in eos vindicatum eſt.*] G

Et quinque quidem prudentes, quinque autem fatuæ continentiæ, lacrymis, & fletui incumbebant: otium molle, morumque licentiam nullo modo diligebant. Viam anguſtam, & tribulationes conſectabantur, carnemque aſſiduis laboribus debellabant. Non tamen æqualiter illis mandatum curæ fuit: ſed prudentes prudenter oleum habuerunt in vaſis ſuis, quo fatuæ caruerunt. Atque hinc veniente ſponſo, gaudiis nuptialibus excluſæ ſunt: *Neſcio vos*, clamat ſponſus formoſiſſimus. *Neſcio vos*, recedite. Quis enim vobis aperiet, cum virginitate oleum etiam non afferentibus? ſine quo omnia, & ipſum virginitatis lumen extinguitur. Sine quo omnia vana, & inefficacia: quandoquidem id ſponſus ſuper omnia diligit. Intellige cum tremore verba Domini, & crede, & fidem commoda, & neutiquam diffide dictis. Proferet verbum aſperum ad eos, qui à ſiniſtris ſtabunt. *Diſcedite procul hinc in gehennam ignis, qui præparatus eſt diabolo, & angelis eius.* H Non quia adulteria commiſiſtis. Non quia fornicati eſtis. Non quia furtum feciſtis. Non quia cædes, & latrocinia perpetraſtis. Non quia libenter maledixiſtis, & vim aliis attuliſtis, & mendacia profudiſtis, & vobiſmet placentes, & vinoſi, & ebrioſi, & improbi fuiſtis. Nec quia omne genus iniquitatis, atque ſceleris conſciuiſtis: nihil horum in ipſis tum reprehendet: ſed quia mendicum ſtipem rogitantem deſpexiſtis: ſed quia fame, & ſiti conflictantem, in carcere ſedentem, & nudum, & hoſpitem, & lecto miſere affixum me cum vidiſſetis, non cibo refeciſtis, non potu recreaſtis, non vel paulùm viſitaſtis, non veſtiiſtis, non hoſpitio accepiſtis, non miniſtraſtis.

Chryſoſt.

Digitized by Google

A Chryſoſt. *Miſericordia charitatis præſtantiſſimus ramus, & primogenitum germen eſt. Et, ſi æternum punitur, qui bona, & bene non fecit: multò magis puniendus eſt is, qui mala ſupra commemorata deſignaverit.*

Iſidorus. *Divitiæ parum attentis ac providis miniſtræ vitiorum ſunt: paupertas vigilantibus ſapientiæ mater eſt. Si igitur divitias amantes benignè aliis facere contemnimus, digni ſumus qui longo igni torreamur.*

Luc.16. Hoc ipſum quod dico, rurſus ex Evangelio confirmo. De divite illo duro & inhumano audiviſtis, quomodo videlicet lingua eius (ô calamitatem) apud inferos arſerit. Non quod variis ſe ſceleribus in vita obligaſſet: nec quod proximum odiſſet: nec quod per temulentiam plurima & nefaria admiſiſſet: nec quod undecunque provenientibus vectigalibus intumuiſſet, ac ſuperbiiſſet, opulentus, gaudens, rapiens, dominatum obtinens, byſſo & purpura indutus ſplendidè: non, inquam, horum cauſa ad tormenta detruſus: ſed quia B Lazarum pauperem omnimodis neglexit, & ſuper afflicto miſericordia non eſt commotus. Res mira hæc, & horroris pleniſſima. Quantum poteſt charitas, quantum miſericordia, & compaſſio? Anima. Si plura dicenda reſtant, ne tace, & ad utilitatem meam adde his quæ dixiſti. Silentium tuum nobis damno erit non ferendo.

CAPVT III.

Omnia ad Dei Præſcriptum à nobis facta, citra charitatem frigere.

Caro. Sex igitur illa, mandatorum prima, & maxima eſſe pro facultate docuimus. Propemodum autem memoriam noſtram fugerat (prô iacturam) illa Pauli vox inaudita ſane & admirabilis. Anima. Tu vero vocem illam admirabilem ne prætermiſeris: ſed in medium profer, celeriterque recita. C 1.Cor.13. Caro. Accipe Pauli verbum. *Si fidem habuero, ut montes transferam: ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam: ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, ſi etiam linguis angelorum loquar, charitatem autem non habuero, nihil mihi proderit.* Charitas, Prophetarum, & legis caput ac ſcopus eſt. Charitas eſt res maxima. Charitas res divina. 1.Ioa.4. Deum eſſe charitatem, Ioannes Theologus divinitus ſcripſit: & manentem in charitate, in Deo manere, & Deum in eo. Papæ, quanta eſt charitatis vis? Rurſus aliud quiddam à Verbo ad honorem charitatis in Evangelio dicitur. *Ab his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ.* Mat.22. *Diliges,* inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: & proximum* (hoc eſt, fratrem tuum) *ſicut te ipſum.*

Baſilius. *His qui primum pietatis curriculum ingrediuntur, timor, tanquam prima rudimenta, utilior eſt, iuxta illud,* Prov.9. principium ſapientiæ timor Domini. *Qui autem ut infantes, lacte amplius non indigent: ſed ſolidis* D *Scripturæ dogmatis uti poſſunt, iis mandatorum præcipua, charitatis ſcilicet erga Deum & proximum, proponantur.*]

In quibus autem ineſt charitas, in iis quoque fidem ineſſe manifeſtum eſt. Rurſus in quibus fides, etiam charitas. In quibus porrò charitas, & fides coaluerunt, in iis & alia, quæcumque optima ſunt, reperiuntur. Quod ſi charitas abfuerit, ea omnia procul recedunt. Audiſti, quantum ſit in charitate poſitum: & quomodo ex ipſa ceu fonte, aut radice omne bonorum operum germen erumpat, profundaturque. Proinde charitatem cole citra quam non eſt ſperanda ſalus, quemadmodum è Scriptura demonſtravimus.

CAPVT IV.

Pauli Apoſtoli erga Deum, & proximum charitas immenſa.

E Anima. Quiſpiamne in hac vita reperitur, qui mandatorum præcellentiſſimum, ut dicis, charitatem probe ſervet, ut nimirum Deum ex toto corde, & proximum ut ſeipſum diligat? Caro. Immo multi, iidemque optimi, & honore digni. Si tamen noſſe deſideras: quiſnam in his primas obtineat, & quis ſupra modum, vehementerque Dominum dilexerit, & proximum legitimè, ut ſeipſum: Deum, inquam, planè *ex tota anima, & ex tota mente*, ut in lege ſcriptum ac præſcriptum eſt, Pauli epiſtolam ad Romanos percurre, inde charitatis ardorem perſpicies, qua ille erga Deum proximumque flagrarit. F Verùm audi, & obſtupeſce: auſculta, & treme, tanta verborum Pauli virtus eſt: tantus amoris æſtus. Rom.8. *Quis nos unquam ſeparabit à charitate Chriſti? Non tribulatio, non anguſtia, non periculum, non perſecutio, non fames, non nuditas, non gladius, non mors, non angeli, non principatus, non virtutes, non inſtantia, non futura, non altitudo, non profundum, non alia omnino creatura ſeparare me poterit à charitate Dei.* Et hæc quidem de charitate illius erga Deum. Erga proximum verò quod attinet, ſitiebat, appetebat omnes fratres ſaluari. Rom.9. Pro illis ipſe ſe à Domino abſcindebat (anathema quippe diviſionem à Deo ſignificat) qui erant ſecundum carnem cognati, modo ſalutem conſequerentur.

Anathemati honoris cauſa nullus appropinquare audet: ab abciſſo autem, & eo qui factus eſſet anathema, contraria de cauſa omnes ſe removent. Ac ſeparatio quidem una erat, cum hic, & illud à multitudine vitarentur. Modus autem ſeparationis non idem, ſed priori contrarius. G *Anathemate enim tanquam re dedicata abſtinebant: hoc autem tanquam alienato à Deo, & ab Eccleſia orthodoxorum abrupto.*

Chryſoſt. *Diſcamus primum, quid ſit anathema, & tunc ſciemus quid ſit Pauli anathema. Anathema eſt omne, quod Deo ſuſpendimus & dicamus, quod nemo profanis manibus audebat attingere, nec propius accedere. Sic etiam ab Eccleſia ſeparatum, & ab omnibus abſciſſum, longiſſimeque remotum vocat, contraria ſignificatione: edicens omnibus, ut multo cum timore ab eo abſtineant, & reſiliant. Ait autem:* Volebam Anathema eſſe, *id eſt, execrabilis, cum quo aliis nihil commune eſt, non habens partem cum Chriſto, ut traderetur Diabolo, & flagellaretur, & pœnas Iſraeli ob incredulitatem in Deum iure irrogandas, ipſe ſuſtinere deberet.* Galat.3. v.13. Quemadmodum tradidit Chriſtus ſemetipſum pro nobis, & factus eſt maledictum. Deut.21. Maledictus enim, *inquit*, omnis, qui pendet in ligno. *Illo autem,* pro fratribus meis, *propter charitatem in Chriſtum cognatos ſe diligere Apoſtolus ſignificat. Quoniam quem nulla creatura à charitate Chriſti ſeparare potuit, quomodo eum charitas cognatorum, & fratrum ſeparaſſet.*]

H Quis tantum ex omni ſeculorum memoria auſus eſt? Quis tantum propter charitatem deſideravit perpeti? egregiè, inquam, perpeti pro fide & charitate. Quomodo non demittebat animum: ſed audebat adverſus omnia, terrena & cœleſtia, ut Chriſtum lucrifaceret? Quem Paulo ſimilem vidimus? aut quis unquam huiuſcemodi charitatem ſpirabit? En, abſolui, quæ de charitate dicere habui, tum ex aliorum, tum ex Pauli ſcriptis, quanta nimirum in eo charitas fuerit, & quàm mirificè Deum dilexerit. Anima. Intelligo dicta, & miror. Paulum verò propter virtutem incredibiliter ſuſpicio. Caro. Atqui Paulus natura homo fuit, omniumque aliorum ſimilis, quanquam civis cœleſtis. Si itaque ſalutem æternam aſſequi concupiſcis, Paulum tibi imitandum propone. Quod ſi quæ ſingularis tentatio te

invaſerit, aut inſperata calamitas te oppreſſerit, ab hominibus peſtilentibus occultè, aut palam invecta, ne concide, fer æquo animo, & patere quod accidit, ne fluctua. Pone ante oculos Patres antiquos, pone Martyres, pone Prophetas, pone chorum Apoſtolorum, pone maiorum multitudinem. Quam multas tribulationes & ærumnas quiſque exantlavit? Quam varios cruciatus, contumelias, vexationes, incommoda, malorum tempeſtates & mortes experti ſunt? Horum propoſitum, & fidem ſtudioſè imitare, & onus malorum tuorum ſuſtine, ut potes, & ſaluabere.]

Eccleſ.2. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore, & in mutatione humilitatis tuæ patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum, homines verò receptibiles in camino humilitatis. *Tolle tentationes, nemo erit ſanctus. Aufer moleſtias, afflictiones, miſerias, nemo ſaluabitur.*

C A P V T V.

Qui irruentes tentationes, afflictionesque grata mente pertulerit, præmium adepturum. Qui invitus pertulerit, nullum adepturum. Scopus tenet enim quadruplex.

ANIMA. Frequenter me tentationes quædam invaſerunt, quas ego ob animi imbecillitatem tolerare nequivi. CARO. Non ita eſt: velamentum, & inanis excuſatio eſt quod dicis. Si verum audire vis, Paulum audi. *Benedictus Deus*, inquit, *qui non patietur vos tentari ſuper id quod poteſtis.* (1 Cor.10) Nam qui tentationibus laceſſuntur, illis Deus robur addit. Tribulationes pro rata parte virium hominibus contingunt: robuſtis graviores, infirmis leviores. Pro cuiuſque captu & viribus, inquam, arcano Dei conſilio unicuique tentationes eveniunt. Haud ſupra vires, ſed quas facilè ſuſtineas. Quoniam autem aliæ ſecundum œconomiam Deo permittente, aliæ eodem volente, & favente accidunt, non intelligo, cur iſtuc dicas, quod dicis. Non poteſt, non, inquam, potes abſque tribulationibus ſalute potiri.

Iſidorus. *Non eſt invenire artificium aliquod, quo quiſpiam uſus, ab afflictione immunis ſit, & in tentationes nunquam lapſus, huius vitæ fluctus effugiat.* Nam ſi (Lib.7.) tentatio eſt vita hominis ſuper terram, *qui tandem, qui in tentatione vivunt, non tenentur?*

Chryſoſt. *Invenire qui tecum tua mala aut re ipſa communicent, aut iis commemoratis pariter tecum doleant, magnum eſt in ipſo dolore ſolatium.*

(Mat.26.) Baſilius. *Oportet cum gaudio omnia propter nomen Domini, & eos qui ſunt eius, ſufferre ac perpeti: non tamen prius quàm ipſe ſinat, ſeſe in tentationes præcipitare: ſed orare potius, ne in eas incidamus.*]

Nemo præterea vitam omni triſtitia vacantem degit: quemadmodum nemo per mare circa fluctum navigat. Sed ut aurum in igne probatur, ſplendidiuſque, & ſolidius efficitur: ita te quoque tentationum flammæ purgant, & ſordibus, maculiſque tenebricoſis liberant. Nulla enim relinquitur purgatio, non dantur præmia ſalutis, niſi grata voluntate tentationes admittas: cui rei maximam fidem martyres, de quibus diximus, conciliant. Neminem Paulus abſque tentatione & dolore intraſſe, aut intraturum in regnum cœlorum affirmat. *Per multas tribulationes*, inquit, *oportet nos intrare in regnum Dei.* (Act.14.) Fidelis eſt, (1.Cor.10.) qui hoc dicit, & fidelis Deus, ut idem ſcribit. Tentationes, ut docui, ad utilitatem accidunt. Accidunt autem modis quatuor, ſeu fine quadruplici, quod oſtendemus. Aut ut præterita peccata deleant. Aut ut illa, quæ nunc in nobis operantur, impediant, in his, qui moribus ſunt improbis, & in viam redire nolunt. Aut ut ne cadat, qui feliciter currit, & tentatione ſpiritus elatos coërcente, malum magnum effugiat. Aut ut exploretur ac probetur quiſpiam: quo pacto iuſti compluribus probati fuerunt. Recordare Abrahami, & Iob virorum eximiorum. Noli timere tentationis incommodum. Noli metuere moleſtiarum onus, ſed ſi te adortæ fuerint, admitte: ſi invaſerint, conſiſte. Cave quidquam puſillanimum committas, Gregorio Theologo utiliter præcipienti obtempera. Incurſantes tentationes, inquit, generosè ſuſcipe. Caſtigationem flagelli, ſanationem reputa.

Diſciplina Domini aperuit mihi aures. Caſtiga me Domine, veruntamen in iudicio non in furore. Non enim quantum meruerunt peccata mea, flagellatus ſum. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. *Incidamus in manus Domini, & non in manus hominum.* Secundum enim magnitudinem ipſius, ita & miſericordia illius.] (Iſaia 30. Pſal 6. Mich.7. 1.Reg.24 Eccleſ.2. 2.Reg.10)

Afflictiones tanquam fluctus tolera. Velis incidere in manus Domini potius, quam in manus hominum. Caſtigat enim in miſericordia, non in ira, & conſolationem conſequeris, ſicut magnus ille Iob conſecutus eſt. Qui omnia citra exceptionem, velut beneficia perpeſſus eſt, quæcumque illi dæmon tentator inflixit. Sed rem novam prorſus, & maximam conſidera. Ambobus pecuniæ poſſeſſiones, & omne genus facultatis, & liberi, fruges, pecora, materia & argumentum animadverſionis, & ærumnæ fuerunt. Vbi autem inopinatò omnia amiſerunt, uterque (vir & uxor) alterum eſt miſeratus.

Rerum improviſarum repentini caſus, hominum animas perturbare, & concutere conſueverunt.]

Amplius tamen uxor lamentis indulſit: ſunt enim fœminæ naturaliter ad miſerationem propenſæ, & ad effusè plorandum faciles, impatienterque lugent, & plangunt pectora, lacerant genas, ululatibus & eiulatibus, & luctibus tabeſcunt. Mirum dictu, quantum in omnibus coniux cum marito doluerit, omniumque rerum adverſarum, eundem cum illo ſenſum habuerit; remunerationum verò, præmiorumque particeps neutiquam fuit. ANIMA. Quænam huius rei cauſa, quæ ratio? & unde tandem ita factum? ne me cela, ſi ſcias. Num quia non æque ut maritus lepra ſeu ulceribus cooperta eſt, nec proinde opprobrium ex eo ſuſtinuit, idcirco etiam parem mercedem non obtinuit? Hæccine cauſa ſit, neſcio, tu dixeris. CARO. Non hanc eſſe cauſam, ex ipſis verbis planum eſt, quibus virum lachrymans alloquitur. Heu, mi vir, inquit, en memoria tui periit, quando unà cum rebus aliis etiam liberi tui, dolores uteri mei perierunt. Ego vero miſera famula, ut inops & infamis exul vagor, domum domo infeliciter mutans, exſpectans dum ſol occidat, ut à multis, acerbiſque moleſtiis reſpirem: ob quas iam mihi præcordia vel ante mortem contabuerunt. Cernis quantoperè miſera mulier affligetur? propemodum ac ſi ipſa quoque opprobriis, & lepræ ſubdita eſſet. ANIMA. Si ita viri calamitate doluit, ut dicis, qui tandem non ipſa ſimiliter præmium retulit? Dic cauſam, & ſolue quæſtionem. CARO. Protinus tu auſculta. Iob calamitates quaſi beneficio afficeretur, ſuſcipiebat, —

Morbi aut ex peccato proveniunt: aut ex ignavia, & ordinis negligentia: aut ex infirmitate naturæ: aut etiam ad demonſtrandam tolerantiam, & virtutem.]

— ut imperturbatus, ut robuſtus animi ac validus Quas illa haud perferebat: quin verba quædam maledicta iactabat.

Chryſoſt. *Sunt quidam, qui ſi quid offenderint, aut ab aliquo convitiis aperiti fuerint, aut in podagram, ſeu alium quempiam morbum inciderint, illico in blaſphemiam erumpunt. Et cruciatum quidem patiuntur, lucro autem privantur Quid facis homo? num ſi contumelioſus in Deum fueris, morbum leviorem reddis? Imò vero dolorem diriorē & intolerabiliorem tibi facis.* Idem. *Non enim tentationū conditio & natura, ſed tentatorum deſidia inter homines cadendi ac delinquendi cauſa eſt. In paradiſo verſabatur Adamus: & quoniam deſes erat, ſupplantatus eſt. In ſterquilinio ſedebat Iob: ſed quia vigilavit, vicit, magnamque*

apud

apud poſteros eſt laudem conſecutus. Et nos ex verbis noſtris iuſtificari atque condemnari, ex preſenti ſermone clarum eſt, nempe blaſphemi latronis, & uxoris Iob.

Ille eam obiurg .ns, deſipis, inquit, infelix mulier, quid iſta loqueris? *Sicut una de ſt .ltis mulieribus nunc locuta es.* [Iob.2.] Quoniam igitur puſillo, ingrato, & iniquo animo clades illas paſſa eſt, etiam remuneratione excidit. Aliud inſuper exemplu n narrabo tibi ad confirmanda quæ dixi, quod de quodam longè infeliciſſimo literis mandatum eſt. [Mat.27.] ANIMA. Iſtum, quicunque eſt, mihi nomines velim. CARO. Quando Iudæi Dominum meum in crucem egerunt, duos etiam cum eo latrones inſignes crucifixerunt, unum à dextris, alterum à ſiniſtris. Quibus cætera omnia paria fuerunt, facta ſceleratiſſima, ſupplicium, genus mortis, crurum confractio. Æquales igitur hi duo in pœnis inventi ſunt: aſt in extremo prudentia etiam pares cogniti non ſunt. Nam ille in paradiſum, hic ad inferos profectus eſt. Ille bonus, hic improbiſſimus apparuit. Quod ſi roges, quonam modo id acciderit ſic accidit. Latrones iuxta VERBVM ſuſpenſi, ad verba venerunt. Vnus horum divinitus loquebatur: alter maledicta fundebat. Et bonus ille quidem cum divino ſermone ſuo ſalvatus: alter blaſphemus cum maledictis ſuis damnatus eſt. Vides quemadmodum latro demens, manifeſte malorum omnium ſocius, vt dicebam, latroni prudenti fuerit (ſicut item Iobo uxor) at non perinde præmiorum. Operæ pretium eſt igitur, ſibi attendere. Amabo, ne tu quoque domina, onus tentationum portes, ſecuturam vero mercedem ex ignavia amittas, quomodo infelix latro (dicam enim ſæpius) quomodo uxor miſera hominis forti animo præditi. Sed ſi quæ afflictio, aut tentatio, aut moleſtia te occuparit, ne animo agiteris, ne mente concutiaris: ſed immota penitus, & inconcuſſa uſque ad finem perſevera, reſpiciens, & exquirens bona, de quibus egi. Nam ſi vitæ tuæ rationes ad meliorem normam accommodaveris, & quæ deteriora ſunt declinaveris, tu quoque coronam adipiſceris, & cum nominatis à me glorificabere. ANIMA. Res mihi videtur adeptu ardua, & ad imitationem neutiquam expedita. Proinde aliud me doceas. CARO. Non ego adeptu difficilia diſſero, quid ita gravaris? Nec eſt cur puſillanimes ſequate, quorum memini. Et tamen vt moroſa, & hæſitabunda reſpondes. At ſi quis temerè probra tibi ingerat, te vituperet, facetè irrideat, accuſet, ignominioſè tractet, naſo ſuſpendat, ludibrio, dedecore afficiat; ſi te deteſtabilem, piaculum, peſtem vocaverit: ſi effœminatam, ſtupidam, moroſam, plagoſam, fœdam, deformem, tenacem ac ſordidam appellet: ſi mendicam, fungum, nullius pretij, aut furem, obtrectatricem, vinoſam, aut ſcortum, aut adulteram, aut laceram, aut etiam pediculoſam: dicam paucis, ſi aliud quippiam huiuſmodi, qui te nominet, ſuſtine fratrem, ſuſtine ſcomma, cuſtodi os tuum, coërce cor tuum, ne quid accuſatione dignum committe, ne loquere, ne muti, nil quidquam reſponde. Quid enim iacturæ, aut damni facies, ex eo quod malè audis? Si igitur immerito tuo contumelias audieris, ex tolerantia fructum percipies. Quod ſi hæreticam te vocet, hoc ſolum ne patere, nec dicas, te eſſe; hic iraſcere: alioqui Chriſtum negaſti, ſi hanc iniuriam perfers.

Chryſoſtomus. *Ne doleamus nobis maledici: ſed iure maledici. Qui enim contemptum, contumeliam, detrimentum ſuſtinet, hic ſalvari poterit. Malo enim cum humilitate vinci, quam cum ſuperbia vincere.*]

In aliis tametſi ſupra modum iniurioſè tracteris, ut ſupra dixi, nihil perdidiſti ob id, nullum damnum es perpeſſa. Habes adhuc oculos, vt ante habebas: habes omnia membra intus & foris, & maiorem ſpiritum. Humiliatio iſta tibi adiumento, & ornamento fuit. Si tantummodo verba irriſoria pertuleris, vtilitatem inde haud nocumentum capies. Quid plura opus eſt? Sine flagris athleta, ſine tormentis martyr eris. Scrutare, perpende, diſcute negotium. Si inveneris convitiatorem vera dicere: ſi deprehenderis ſubſannantem, quod res eſt loqui, ne illi, ſed tibi iraſcere, & te ipſam damna, idque etiam verbis præ te fer.

Hoc principium ſalutis eſt, & mutationis optima, penitus pudeſieri, penitus ſua facta damnare, ac viliipendere. Quod ſi anima tua peccatis affixa, afflictiones et ſupervenientes repudiat, tum angeli de ea illud uſurpant: curavimus Babylonem, & non eſt ſanata.] [Hier.51]

Si non quodammodo voluiſſes audire quæ audis, non malum perpetraſſes; non te vitio dedidiſſes. Fruere operibus tuis, & perverſis moribus. Sin autem, etiam ideo vitam religioſam excole, vt externis nullam tui reprehendendi anſam præbeas: vt de cætero te perſtringere, & conviciis inceſſere quiſpiam non poſſit. Vbi te collegeris, correctione gaude, exulta, tripudia; quoniam præter laudem magnam quoque coronam, & mercedem certaminis reportabis. ANIMA. .. o iſtuc argumento, me hinc mercedem, & coronam accepturam videlicet? CARO. Quod à Chriſto in Evangelio beati pronunciantur, quibus maledicitur, & in quos omne verbum malum, ac peſſimum propter VERBVM iactatur. Gaudete tunc, inquit, & exultate, [Mat.5.] quoniam mercedem in cœlis ampliſſimam recipietis. Hæc ſi in animo, & in memoria tua repoſita habes, lætare, confide, in omni iniuria patientiam adhibe, tametſi convitiator ſceleſtus, ac deteſtandus fuerit. ANIMA. Eſto, feram, patiar: quid amplius mihi faciendum putas? CARO. Ne talem ut inimicum, ſed vt benefactorem intueare. Ne labiis ſare lenius, & corde iraſcere. Ne condemna maledicum, quanquam tibi maledicat. Delictum ei ignoſce, erratum condona: ut remiſ- [Mat.6.] ſionem peccatorum, remunerationem optimam referas. Hæc enim VERBI doctrina, hoc indicium eſt. Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, inde quoque vobis omnia peccata veſtra dimittentur. Si dimittis, dimittêris, miſericordiæ enim miſericordia tribuitur.

Si nihil pœnarum debes Deo, debentes miſerere, & manſuetè illos tracta: miſericordia ſiquidem Deus miſericordiam rependit.

Baſil. *Septuagies ſepties dimittendum eſt*, ſi pœnitentiam egerit, *inquit. Quo enim pacto quiſpiam dimiſerit ei, qui nec peccaſſe ſe fatetur, nec pœnitentiam agit?*] [Mat.18. Luc.17.]

Non dabitur porro ſecundum, ſi non præceſſerit primum. Si terribilis iudex tum iudicaturus ſedens tibi dixerit non dediſti veniam, quinam, petitam licet, accipies? Non dimiſiſti aliis, quomodo remittetur tibi? Ipſamet contra te ipſam ſententiam tuliſti. *In quo iudicio iudicas, eodem iudicio iudicaberis. Qua menſura metiris, eadem remetietur tibi.* [Rom.2. Mat.7.] Audiſti admonitiones, cognoviſti præceptiones. Quid tibi pluribus verbis ad ſalutis rationem opus eſt? Nihil horum difficilè: nihil operoſum utique, nihil intractabile: nihil parum tolerabile. Sed omnia facilia, & facillima volenti. Si igitur inter humiles probata fueris, & officio inter abiectiores fungeris, eandem cum illis partem feliciter conſequere, qui prius grandia æquo animo ſuſtinuerunt: & annumeraberis primis ac ſecundis, & cum iiſdem in præmiis ac honoribus communicabis. ANIMA. Dic, oro, unde hoc intelligam? Nam affirmatio tua vix eſt vt admitti queat.

CAPVT VI.

Qui propter Chriſtum parvas, & paucas tribulationes gratè, integreque ſuſtinuerit, eum magna paſſis æqualem futurum.

CARO. Video te verbis meis fidem non adiungere: ſed dubitare, & ea propter è ſcripturis teſtimonium requirere. En igitur teſtimonium firmum, & eximium: ipſam quippe veritatem, ipſum tibi dominum, vt verborum meorum teſtem fideliſſimum

A dabo : ut ſaltem hinc credas vera me locutam. Ne reſpicias quantum cuiuſque ſit ſtudium & contentio: nec iudicium, quo operarios poſteriores primis exæquat : illis, qui à prima hora magis, eos, qui poſtea mediocriter poſt undecimam, quando ad vineam paſtinandam miſſi ſunt, laborarunt ; & quo pacto quidam ex prima hora murmuraverit, poſterioribus æqualis præmij dationem invidens, audieritque, *amice, non facio tibi iniuriam ; tolle quod tuum eſt.*]

Iſidor. *Ne putes exercitationem virtutis inſidias repellere poſſe : maximè enim tales inſidiis ſunt expoſiti eorum, qui honorem non conſequuntur, quia ſe in virtute non exercent, & iis, qui virtutis cauſa honorantur, invident. Præſtat igitur virtutem colentes generoſo animo invidorum pravitatem perpeti, quam invidiam fugientes à virtute deſciſcere.*

Baſilius. *Sæpe, qui exiguum quoddam & in medio poſitum officium exſequitur, maior eſt eo, qui libere ſummis functus eſt.*]

Cum igitur dicit, *erunt primi noviſſimi,* murmuratores intellige. *Et noviſſimi primi*, gratos & beneficij
B memores accipe, qui fratribus non invident, & gratiam agnoſcunt. Qui iudicat omnes, ita iudicavit : quis de cætero habet cur dubitet? ANIMA. Excellenter, ac neceſſariò colligis, & quo de agitur, probas optime. Sufficit mihi, etiamſi plura ſuper hoc quæram. CARO. Acrem te in urgendo reperio, & in percunctando multam cerno. Tentas enim me, ut experiaris fortaſſe, utrum ad interrogationes tuas dubium quippiam elocutura ſim, quam potius vela contrahere oportuit. Quoniam autem plura teſtimonia poſtulas, cedo & obtempero tibi: tu advertes animum : teſtem enim dabimus haud obſcurum, quin inſignem potius & excellentem, magnum diuinumque Patrem & Prophetam illuſtrem. ANIMA. Quiſnam, & unde eſt? dic ſtatim. CARO. Sanctiſſimus pater David, à quo genus ſuum Chriſtus ſecundum carnem duxit. Sed prius totam rem geſtam audi: dicemus poſtremo quorſum tan-
C dem ea ſpectet. Poſtquam egregius ille vir Goliathum interfecit, ——

Chryſoſt. *Si virtus abſit, nulla eſt in corporis compoſitione, & viribus vtilitas. Goliath alienigena, & Saul, robuſti erant : ſed quoniam virtute carebant, nihil illis corporea moles roburque commodavit*]

—— Saul pactis ſtans, ſtrenuum bellatorem accerſit, eumque his verbis compellat. Ecce, mi gener, Merob maior natu filiarum mearum, longè venuſtiſſima, eam tibi coniugem promiſſam habeto. Sed huic thorus Da-
1.Reg.18. vidicus non placuit. Placuit autem ſecundæ, Michol nempe, quæ prudentia excellebat. Hanc forma præſtantem David ſibi coniugavit. Mulieres igitur hilaria nuptiarum agunt, pro more choros ducunt, oblectantur, gratulantur: & cum Davidi, tum Saulo carmina ſuaviſſimè modulantur in hanc ſententiam. *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Quod ubi Saul audivit, invidit, & ſuccenſuit, & furere, cruciariq; cœ-
D pit. *Mihi,* inquit, *mille dederunt, & filio Eſai decem millia.* Ex eo ſollicite de genero occidendo ſecum cogitavit. Id ubi reſcivit, cui invidebatur, ſine mora fugiens, ad Achimelech ſenem, & ſacerdotem venit, panes propoſitionis neceſſitate adactus comedit, acceptoque gla-
1.Reg.21. dio inde abiit. Aderat tum Doeg Syrus, Saulis paſtorum potentiſſimus. David fugitivum cernit, ad Saulem currit, omnia renunciat, omnia revelat, de Abimelech, de Davide, de panibus, de gladio, & verbis hominem concitat, atque ira inflammat. Rex iratus, Achimelechum advocat. Siſtitur ille ad iudicium, & ſupplicium. Vt potest, veram ac iuſtam defenſionem affert: non ſe Davidem ut fugitivum, ſed ut generum regis accepiſſe. Et profecto, quo eſſet ille animo, non cognoviſſe. Ignoraſſe id funditus; proinde miſericordiam petere. Hæc ſenex Achimelech, pœnam deprecans profatus eſt. Non flectitur Saul, ſed ipſum principem, omneſque ſacerdotes alios ad necem condemnat, & omnes cóprehendens Doegus iugulat. Heu crudelitatem. Ante omnes, inquã,

E Achimelechum, deinde alios omnes, octoginta quinq;, omnes fungentes ſacris, omnes geſtantes ephod in loco venerãdo: ſimul etiam quotquot reperiebat, urbis illius ſacerdotalis incolas, nemini parcendo gladiis trucidat. 1.Re.22.

Iſidor. *Eadem peccata & propter locum, & propter tẽpus graviora ſunt. Exempli cauſa, cædes grave ſcelus eſt: quæ ſi in loco ſacro commiſſa fuerit, redditur ſceleratior. Quod ſi etiam ſacro tempore, ſceleratiſſima. Itaque igitur cædes per ſe ipſam diritatem habet, ſi locus, aut tempus, aut perſona eam auxerit, dirior utique & longè gravior efficietur.*]

David porro cum fugiſſet ad Achis regem regionis Get, alienigenam, quanquam ſibi notum : ——

Interrogatio. *In Pſalmi inſcriptione Abimelech nominatur, ait enim:* Pſalmus Davidi, quando immutavit faciem coram Abimelech, & dimiſit eum. *Hic autem Achis appellatur. Quid hoc ſibi vult?* Reſponſio. *Reges illi habebant commune nomen Abimelech, ſeorſum vero unuſquiſque ſuum ſibi proprium, quo appellabatur ; quod etiam in Romano Imperio videre eſt, ubi communiter Cæſa-*
F *res, & Auguſti dicuntur; nihilominus propriis nominantur nominibus. ſicut item apud Ægyptios Pharaones.*]

—— timeretque ne quid inexpectatum pateretur, 1.Re.21.
prudenter ſe epilepticum finxit, optimóque fine ac ſcopo notum ſuum fefellit. Quam fallaciam, calliditatemve cum Toparcha non intelligeret, ipſum expulit, domeſticoſque pro ſtultis reprehendit, qui hominem inſanum ad ſe introduxiſſent. Inde ſalvus ad ſpeluncam Odollam pervenit. Vbi ſic brevi manum parvam 1.Re.22. 1.Re.22. 28.
collegit, aliis aliunde ad eum ſe adiungentibus, aſſumptis illis ad Achis, mente ſana revertit, & Sicelег pro ſuo, amicorúmque domicilio in munere accipit. Gerebat tum bellum Achis, quem contra hoſtes iuvenis, & hoſpes David adiuuabat. Triduum præterierat, 1.Re.30.
ex quo David abfuerat. Interea Amalecitæ Siceleg urbem circundederant; & quoniam defenſoribus tum carebat, citra laborem occuparant, omniáque diripuerant, ſimulque mulieres, pueros, puellas, virgines in
G ſervitutem abduxerant, & viris quotquot inerant, occiſis, oppidum incendio diſperdiderant. Pervenit ad aures David Sicelegenſium calamitas ; perturbatus eſt animo, vt heroëm tantum perturbari conveniebat, cum omnes hoſtiliter tractatos cerneret : commotúſque & inflammatus, Abiatharum, qui ſacerdotij principatu, & genere clarus erat, ſacrum ephod applicare ſtatim iuſſit, ut illuc eventu cognito, in hoſtes procederet. Cognovit, eóſque ad torrentem Beſor perſecutus eſt, ubi impedimentis relictis, & ad ea cuſtodienda militum numero ſufficiente (quorum equi præ laſſitudine ſequi non poterant) cum ſelectis Amalecitas ſecutus & aſſecutus, eos occiſione occidit, & prædam reduxit, victórque ad torrentem Beſor, ubi ſarcinæ remanſerant, eſt regreſſus. Huc cùm veniſſet, præda quàm quiſque retulerat in unum congeritur, σῦλα & λάφυρα, uno verbo universa præda (σῦλα vocantur, quæ interfectis detrahuntur ; λάφυρα quæ à viuis au-
H feruntur.) Hæc igitur ſpolia inter inſecutores, & impedimentorum apud torrentem Beſor cuſtodes, de quibus dictum eſt, æqualiter diſtribuit. Vbi vero quidam præ invidia id ægrè ferentes conqueſti ſunt, nolueruntque iis, qui remanſerant partem ſuam de præda decerni (ſatis enim fore, ſi uxores liberóſque reciperent) non id iuſtum iudicavit : ſed omnibus æquam partem ſpoliorum impertivit, cum diceret: non ſe illos vt ignavos, nec ut inutiles, parumque commodos, ſed propter equos, currere præ laſſitudine non valentes, reliquiſſe. Quam ob cauſam relicti ſunt, non ut otioſi tamen manerent: ſed ut, inquit, vaſa noſtra quæ relinquebamus, cuſtodirent: quæ ni illi cuſtodiſſent, nos amiſiſſemus: nec quidquã quod vel ederemus, vel biberemus ſuperfuiſſet, non veſtis, non tegumentum ad fovendũ operiendúmq; corpus: fuiſſemuſque privati rebus ad vitam pertinentibus. Et oportebat ſanè neque hos pari portione fraudare. Hæc tibi ad probationem dictorum meorum ſatis ſunto : quomodo ſcilicet Chriſtus

ſententiam

A ſententiam inter operarios, & mitis David inter milites tulerit: & quod diviſit, inter omnes æqualiter diviſerit, inter eos qui plus, & qui minus laborem capeſſiuiſſent. Et gloria domino meo, gloria Chriſto meo, iudici miſericordiam diligenti, benéque facienti univerſis. His credin', an iterum teſtes, & omni exceptione maiores expetis, & probationem cumulari vis, vt conſueviſti, cum interrogas? ANIMA. Tertium teſtem non poſco, ſed exemplum tantummodo. CARO. Mox, vt petis, exemplum afferam. Multi multos propter Chriſtum cruciatus, alij breviores, ac leviores, alij diuturniores, ſævioréſque ſuſtinuerunt: & tamen æqualia, eadémque præmia conſecuti ſunt. Ad verba mea vt paradoxa obſtupuiſſe te arbitror: ſed explicationem, eámque brevem adiiciam. Cogita mihi duos, eadem voluntate præditos, ad certamen currentes, ut pro Chriſtiano moriantur. B Vnum quidem mente excelſa, & natura robuſtum: alterum viribus imbecillem, & ægro corpore; qui confeſſi Chriſtum, in ſtadium ingrediuntur, ambo nudantur, & flagris diverberantur. Sed robuſtus centum omnino plagis acceptis, vita deficit, ſpiritúmque conditori tradit. Imbecillis tantummodo quinquaginta paſſus, ad pœnas amplius durare nequit, & extinguitur. Ne tu igitur alterum athletam in reportanda mercede priore inferiorem futurum exiſtimes, quia non etiam centum plagas perferre potuit. Non enim robur corporis, ſed animi virilitas amorem erga Chriſtum demonſtrat. Niſi enim alter ille prius animam efflaſſet, vt dixi, ipſe quoque perinde vt primus centum plagas toleraſſet. Sed illi tanta virtus tabernaculi ſui, hoc eſt, C corporis, non ſuppeditavit. Quanam verò alia de cauſa anima ad hæc tam parata, & prompta ſit? Non enim pigritatur ipſa, non refugit, neque timet flagella experiri. Nam quod verberatur, illico mori, aut non mori, non eſt in nobis, nec in poteſtate noſtra ſitum: ſed in eo *qui portat omnia verbo virtutis ſuæ*, & pro ſua ſapientia iudicat, ordinat & facit: quique omnes præſcit, & prædeſtinat: & quid cuique conducat ac proſit, puſillanimo, inquam, & magnanimo, novit. Eſt cui multa, eſt cui pauca ſuſtinere cruciamenta expedit.

Hebr.1.

Iſidorus. *Propoſita ſunt tibi in vna domo vaſa diverſa: non ideo tamen ſine diſcrimine omnibus uteris: ſed quodnam vino, quod oleo quod aceto ſuſcipiendo idoneum ſit, noſti. Sic nimirum & Deus cuinam animæ miſericordia tribuenda, cui ſupplicium imponendum ſit, novit. Non quoniam eiuſcemodi illam ipſe fecerit: ſed quia moribus & vita ſua talis evaſerit. Quocirca Deus Hieremiæ ait:* priuſquam te formarem in vtero, novi te: & antequam exires de vulua, ſanctificavi te. *Hinc & Paulus Apoſtolus:* quos præſcivit, & prædeſtinavit. *Non dixit prius,* prædeſtinavit: *ſed,* præſcivit.

Hier.1. Rom.8.

D Quanquam igitur alter citò edidit animam, non ideo pro impatienti, & ignavo habendus eſt. Nam uterque quas à natura vires accepit, quamvis non pares, domino, ut potuit obtulit: non plus, non minus, quam ſibi deſuper contigit: Humanarum enim rerum quædam in noſtra poteſtate ſunt: quædam non ſunt. Si quis iis quæ ſunt, non rectè vſus fuerit, rationem reddet. Quod autem in nobis ita eſt, vt noſtra poteſtate non contineatur, ſi non bene ſe habuerit, nos pœnam non debemus. Mori enim haud eſt noſtri arbitrij: nec fame affici, aut ſiti: nec laborum moleſtiarúmque ſenſus: nec defatigatio in curſu: nec ut corpus noſtrum aut magnum, aut parvum ſit: nec ut colore aut fuſcum, aut album, aut lividum: nec ut tenue, macrum, aut carnoſum: nec ut ſolidum ac validum, aut infirmum. Non enim noſtrum eſt poſſe, aut non poſſe: verum id naturæ noſtræ à procreatore cœlitus conceditur. Nec quiſquam hæc in nobis accuſat, nec querimoniam habent. Neque ob iſta vel pœnam incurrimus, vel coronas adipiſcimur. Eſſe autem improbum, aut ſcortationi deditum, aut laſcivum, aut ebrioſum aut cynedum, aut mendaciloquum, aut furacem; aut contrà, ſobrium & probum, & continentiæ amicum, aut manſuetum, fra- E trum & veritatis amantem, aut animo ſimplicem, aut moribus doloſum, hæc omnia in nobis ſita eſſe certum eſt. Eſſe, inquam, electionis, & voluntatis humanæ, & conſilij & ſcopi, & poteſtatis. Hæc retine, & dicta conſidera. *Scrutatur corda & probat renes dominus. Et homo videt ea quæ parent, Deus autem cor.* Et quis hunc medullitus amat?

Hier.17. 1.Reg.16.

CAPVT VII.

Multos bonis operibus, & rectè factis compluribus abundantes, aliis quorum minuta, & pauca numerantur, divina voluntate & ſententia non antecturos.

F CVm autem oblationem obtulerimus creatori, hic quidem ieiunium, lacrymas: alius preces & ſtationem: alius affluentem luctum: alius vigilantiam cordis, humilitatem ſinceram: alius ſublimem charitatem, in tribulationibus gratiarum actionem, in rebus adverſis patientiam, miſericordiam in pauperes, alere eſurientes, auxilium erga orphanos, viduas, egentes, gaudere cum gaudentibus, lugere cum lugentibus: alius abdicationem rerum omnium, & paupertatem ſpiritus, propter Chriſtum voluntarias corporis verberationes; non qui horum plus dedit, acceptior & gratior fuit; cave iſtuc putes: cave ullo modo arbitrere. Haud enim ſimpliciter Dominus quod plus eſt admittit. Non curat menſuras, & modos, & qualitatum elegantiam, neque molem, & magnitudinem, neque aliud quippiam iſtiuſmodi: conſilium tantummodo & intentionem eorum quæ aguntur, eligit G atque ſpectat, affluentiam voluntatis, & fervorem cordis, amorem intimum, deſiderium, zelum.

Chryſoſt. *Non enim ea quæ fiunt, ſed ſcopum quo fiunt iudex Deus inſpicit. Et in rebus quidem quas ſenſu percipimus etiam ſatio ipſa laborioſa eſt, meſſiſque ſimiliter: ſæpe enim æſtus temporis meſſores languefacit. Aſt illa meſſis alia eſt, labore enim & ſudore caret.* Eiuſdem. *Affectu enim animi, non menſura facultatum, penuriam, & abundantiam iudicare conſuevimus. Multi namque de multis pauca largiuntur: nec dati copia, ſed dantium mens talis, aut talis iudicatur, æſtimaturque.*]

Non ea quæ ſunt ipſorum concupiſcit: in his acquieſcit. Quodque admirabilius, & miſericordia plenum eſt, non oblatorum præſtantiam, ſed quæ iam à me recenſita ſunt admittit, & approbat, quæ viciſſim largiter remuneratur, quod è duobus minutis, à vidua miſſis (quæ ſane præ divitum muneribus ſuſcepta legimus) liquidiſſimò conſtat omnibus. Nam hi partem aliquam de ſummis divitiis ſuis: illa totum quod habuit, magna voluntate dicavit: nec arbiter Chriſtus ſecundum doni amplitudinem, ſed ſecundum animi magnitudinem, divitiáſque arbitrium pronuntiavit. H Viden' ut munus viduæ huius & abiectum & puſillum, viſum eſt maximum? Sæpenumero enim exigua quædam dicuntur ampliſſima: id quod ex his quæ dictura ſum perſpicies. Olim Cain, & Abel dona obtulerunt; veruntamen non eadem mente ac ſcopo obtulerunt: ſed Abel optimo, Cain peſſimo. Non reſpexit autem Dominus ad dona Cain, quanquam eximia ac ſumptuoſiſſima. Prior quidem de frugibus terræ ſacrificavit: at non rectè, nec convenienter ſacrificavit. Atque hinc etiam verba parum iucunda audivit: *Nonne ſi rectè obtuleris; non rectè autem diviſeris, peccaſti? Cur adeo triſtis es? peccaſti, quieſce.* Satis apparet, quid iſtuc ſignificet. Cæterum & alia de ſcripturis audi. Noë de ligno, quo mundus ſervatus eſt (de arca) egreſſus, domino ſacrificium fecit; quod ille, ut odorem ſuavem odoratus eſt. Thymiama ſive incenſum Hebræi obtulerunt, quod tamen Deus vt vanum, execrandum, & deteſtandum repudiavit. Vapor, & fumus hic & ibi. Ibi nidorem fumi cum voluptate odoratus eſt: hic thymiama eadem natura conſtans, non aliud quam ignis crepitus, & res odorifera iudicatum eſt.

Marc.12. Gen.4. Gen.8. Eſai.1.

A confeſſio : id quod magnus inter videntes (Prophetas) quoque ſcribit. Abſterge, eluę delictorum ſordes. Annuntia commiſſa, ne diutius tacita habeto, & luge, & geme, & lacryma, & plora, quantumque potes, in ſalute comparanda elabora. Creator te paternis vlnis excipit. Quoties cecideris, ſurge, cadere enim humanum eſt : & propter peccatores, non propter iuſtos Chriſtus venit : & illos, non hos ad pœnitentiam vocat. Pſal. 6.

Principio peccanti omnes ignoſcimus, propter inexperientiam : poſt multos autem recurſus ſupplantatum, difficulter quis venia impertiendum exiſtimabit, vt qui ex negligentia, ſocordiaque ceciderit. Nec iſtuc ſolum eſt indignum, & horribile, ſed etiam, quod multis ſcandalizatis, & ſæpe ignavioribus effectis, ipſe tanquam criminis reus, & excuſabilis euadit. Cum autem averterit ſe iuſtus, *inquit*, à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius quas fecit, non recordabuntur amplius. In peccatis ſuis morietur, & iuſtitia iuſti non liberabit eum, in qua die erraverit.] Ezech. 18. B

Velut limis oculis aſpexiſti, irrita feciſti, tranſgreſſa es pacta, quibus Chriſto in ſancta ablutione adſcripta es, & Sathanæ, atque angelis eius ſeruiſti. Proinde cum Dominus in iudicio ſederit, draco improbiſſimus, ac primus apoſtata, vt invidus, vt inſatiabilis, & crudelis dicet. Hæc, Domine, verbis duntaxat me negauit, operibus ipſis mea fuit, mihi ſervivit plurimum: meæ voluntati quamvis enixè, diligenterque obtemperauit : mea potiſſimum amica, & familiaris eſt. Nihil in illa tuum eſt. Quid tibi cum ea ? Non latent eius actiones : teneo, quibus ſe obligauit, literas : cœlum & terra ſcelerum eius teſtes ſunt. Tu iuſte iudex, quomodo vlla ratione iniuſtè poteris facere ? Tuis contentus eſto : aliena cur appetis ?

Chryſoſt. *Bonus eſt Deus, ſed idem iuſtus. Iuſti autem munus, pro dignitate mercedem reddere : ſicut ſcriptum eſt*, miſericors, ſed & iudex. *Ac Deus quidem, quanquam regnum cælorum promittens, non auditur. Diabolus verò cum hominibus gehennam comparet, diligitur & amatur: & cum ante Gehennam hic probra & ludibria, mille pœnas, ipſamque mortem imperet, nihilominus promptè ſibi obſequentes non paucos habet.*] Pſal. 11. C

Hæc iudex iudicaturus audiens, aſtantibus virtutibus miniſtratoriis angelis, archangelis, principibus ſacerdotum, athletis, & religioſis omnibus, quot ordines ſupra, quotque infra ſunt, & audacem hunc clamorem admirantibus, non volet iuſtam ferre ſententiam : ſed rationem probabilem, & excuſationem quæret, vt in iudicio tu vincas. Si igitur tu quoque tum aliquid probe factum habueris, aut fidei (quod præcipuum eſt) aut actionis optimæ, vt quiddam ad defenſionem peropportunum, & optabile obtende, & ab imo pectore exclama : hinc enim miſericordiam impetrabis, & cum ovibus ad dexteram collocaberis, manibuſque ſceleratiſſimi impoſtoris eripere. *Non in manu potenti*, ſed in miſericordia, & iudicio. Atque hinc & ad iudicem maior redibit gloria, & ad te laus, ſi ſalutem conſequêre. Dum tempus eſt, contende: tempus hic eſt operandi. Dum es in via, emendare, & ſaluabere. Exerce talentum, cave, ne defodiatur. Theſauriza tibi virtutes, vt in iudicio abs te malignum queas depellere, & habeas cur ſalueris. En, & exemplum adduxi tibi, & cætera quoque prout voluiſti, & cenſuiſti, explicaui, auxilio illius, qui ſolus docet homines ſcientiam. Quod ſi quid à me falſo prolatum putas, ideoque non credis, occurre quantum in te eſt, rurſumque interroga : ego tuæ oppoſitioni reſpondebo. Quod ſi à me dicta tibi certa indubitataque videntur, ne de cætero cunctare, quæſo, ne locum des deſidiæ. Ad opera exſuſcitare, & illa te ad iudicium abeuntem, vt commodum itineris adminiculum viaticumque comitabuntur. Sin opera neglexeris, quod te maledictum maneat, dicere nolo. Pſ. 135. Mat. 25. Pſal. 93. D

F

CAPVT IX.

Parvam negligentiam atque ſocordiam non parua mala generare, oſtenſum ex hiſtoria Leuita de libro Iudicum.

ANIMA. Non repugno abs te dictis amplius, quibus aſſentior, & in ſententiam tuam tranſeo maximè. Tu vero iam docere perge : propter iſtud, quod dicis, maledictum, quodque animum mordet, quid tandem ex deſidia gignatur mali : hoc enim liquidius noſſe deſidero. Iſtuc mihi ediſſerere, ac patefacere ne differas : vt ne quid ex deſidia mihi contingat mali, meque tecum perdas: te vt quæ non docueris: me, vt quæ non didicerim. CARO. Quoniam ita cupis, aures adverte. Iuſſi ſumus orare, vigilare, ſobrij eſſe : quandoquidem neſcimus, qua hora fur venturus, & perfoſſa domo abiturus ſit. Qui vigilare inſtituit, oculos vigiles circumfert, nec dormit vt nos, nec rhonchos trahit : ſed lampadem accendit, & vt prudens, in vaſe oleum ad ſalutem habet, quod eſt miſericordia erga pauperes, ex charitate & miſeratione adverſus eos, vt fas eſt, exiſtens : & paratus eſt, & citra dormitationem vigilias agit. Atque hic beatus ſervus appellatur. Qui autem procraſtinat, indignus eſt, & miſer. Vita hæc in actione verſatur, tanquam mercatus quidam. F Mat. 24. Mat. 25. Luc. 12.

Chryſoſt. *Nam & homicida quandiu in via eſt, poteſt mutare animum, & ſupplicium effugere. Vbi autem iudicis arbitrium ſubierit, gladius, carnifex, barathrum illi imminent. Sic plane & nos, quamdiu in hac vita ſumus, mutatis moribus ſempiternas pœnas euadere poſſumus. Vbi hinc in alia illa loca migrauerimus, fruſtra lamentabimur.*]

Quia igitur mercatus eſt, lucra tua ſectare. Futura vita pro meritis præmia ſingulis perſoluet. Ibi voluptate potientur, quotquot hic vigilant : è diverſo, puniententur quotquot hic inertiæ ac languori ſe dedunt. Excitare proinde, vigila, ſemoue abs te ſocordiam. Lugeamus quantum poſſumus : ducamus gemitus ex alto pectore. Et quoniam ſimul vivimus, altera alteram incitamus, & ad opitulationem mutuam exacuamus. Nam ſi repertæ fuerimus remiſſæ, & ad curſum ſegnes, fruſtraque diem ex die tranſiuerimus, ex improviſo mors vt leo in nos irruet, inopinata ſequetur diſſolutio, & copula noſtra dirumpetur, peribitque mixtio iſta admirabilis, & vna pars noſtri ſub terra, vt ex terra procreata relinquetur : altera, vtpote mens, ad mentium naturã revertetur. Timendum que, ne quid ambæ patiamur tale, quale olim paſſus eſt Levites, malum intolerandum, inſperatum, & omnino non ferendum, cum vxorem morte turpiſſima amiſit, ſicut in libro Iudicum memoratur. ANIMA, Quæſo iſtuc mihi latius declara. Equidem hiſtoriam hanc cognoſcere cupio. Sat ſcio, cum nobis, tum aliis proderit, quibuſcunque ſtudio erit hinc fructum colligere; & is ſermo ad diſciplinam conducet. CARO. Longa, & varia eſt narratio, atque idcirco & cognitione, & diſertiore lingua ad explicandum eget. Aſt ego vtroque deſtituta, facere verba vereor. ANIMA. Quanquam res eſt difficilis, tu tamen mihi debes obſequi in omnibus. Quapropter tolle moras. CARO. Obſequor, dico, & hinc duco initium. Olim vir quidam Iſraelita, tribus Leviticæ, habitans in latere montis Ephraim, vxorem accepit Bethleemitidem ex Iuda, quam in ſuam regionem ſecum duxit. Mulier aliquanto poſt icta deſiderio parentum ac patriæ, eo revenit, ac perdiu apud eos manſit, diebus centum viginti videlicet. Poſt maritus conſurgens cum duobus aſinis, & puero ad coniugem reducendam properato abit. Soceri generum amanter recipit. Apud quem ille toto triduo diverſatus, quarta luce mane exſurgens, G Iud. 19. H

domum

A domum, redire voluit. Socero autem rogante filios, vt etiam illo die ſecum manerent, audiunt illum; manent, & cum eo ſe lætitiæ dedunt. Quinto demum die genero iter vrgente, nullâque iam dilatione interpoſita ad abitum incumbente, ſocer ei perſuadet, ne ieiunus diſcedere velit. Prandent unà rurſum, & procedit dies, illiſque vltra debitum tardantibus, iterum à patre filij detinentur, & die etiam illo manere compelluntur. Cum poſtridie mane in viam ſe conferre pararent, iterum ſocer vt maneant precibus inſtare. Verum ille detrectavit, & alieno tempore egreſſus, vix ad oppidum Iebus pervenit. Iam ſol ad veſperum, & occaſum urgebat, cum puer conſilium dedit, vti illuc diverterent. Verum Levites eo declinare noluit, quod ei in Gabaa, vrbe munita, & tribus Beniamiticæ pernoctare deli-
B beratum eſſet. Tranſierunt ergo Iebus, occubuitque eis ſol iuxta Gabaa, quo hoſpitij cauſa ſe receperunt, id quod malorum maximorum principium fuit. Igitur ſenex quidam tribus Ephraim, probus moribus, qui tunc advena illic incolebat, in publico ſedenti occurrens, eum ſalutat, quærit vnde veniat. Quod cum mox didiciſſet, &, vt erat ingenio hoſpitali, eius miſertus eſſet, ambos in ædes ſuas invitat, introductóſque benigne habet. Cæterum quidam indigenæ libidinoſi ac protervi, hunc hoſpitem laſcivis oculis intuiti, facto ſodalitio, ut rabioſi canes, pulſare, & impellere ianuam diverſorij, virum (prô facinus) ad muliebria patienda expetere: non ius & fas, non hoſpitij, non legum ſanctitatem revereri. Quid ad hæc ſenex hoſpes & honeſtus? obſtupeſcit illico, non ſe capit, ad pedes deteſtandorum illorum procidit, quantum poteſt obnititur, hoſpitique ſuo conſultum volens, amentes illos rogat, vt minore malo ſint contenti, relictóque viro, ſua filia adhuc virgine, & cum ea
C uxore hoſpitis quem quærebant, ad ſuam libidinem abutantur. Illi vix huic preci annuunt, mulieriſque caſtitati mirum in modum illudunt, totâque nocte, vi adhibita eam decurpant ac defœdant, viciſſim nefaria libidine ſeſe inquinantes: vt oriente ſole dimiſſa, & ad ianuam ſenis veniens, & ſive calamitatis magnitudine, ſive doloris acerbitate humi cadens (ô rem novam) ſtatim animam ibidem expiraret. Inventam ante oſtium iacentem Levites dormire exiſtimans, ubi mortuam cognovit, vt erat, mortuam iumento impoſuit, domumque onus omnium acerbiſſimum portavit. Poſtmodum in partes duodecim diviſum, ad unamquamque tribum unam partem mittit, nuntio appoſito in hanc ſententiam. Num egregium factum ſit, vos ipſi conſiderate, & ſincerè iudicate. Sin factum hoc contra creatorem, & execrandum ſcelus eſt, in reos, ut par eſt, vindicate. Re cognita, zelo Iſraelitæ accenduntur, copias expediunt, quadringenta millia, omnes omnino tribus, præter Beniamitas, quorum numerabantur vigintiquinque millia; & Gabaonitas eiuſdem tribus ſeptingentos, & hos omnes bellatores peritos, ac funditores. Pro more omnes in Silo
D conveniunt, Deum conſulunt, quæ tribus bello præeſſe, & præliandi initium dare debeat: Reſponſum, Iudam debere primam impreſſionem facere. Confligunt, caduntque primum præter ſpem de vltoribus viginti duo millia. Tum flentes Conditori ſupplicant. Altera pugna committitur, iterúmque decem & octo millia occumbunt. Denuo lamentatio in Silo, denuò ſupplicatio, & denuo conatus flectendi Deum per victimas, & fructuum oblatio, & ſacrificia, & oblationes acceptabiles. Phinees filius Eleazari, nepos Aaronis primi ſacerdotis, ſacra peragens, iſtiuſmodi voces effundebat. Quomodo nobis ſic iratus es? En ſecunda clades prima pœne maior accidit. Nam cum ardere-
144. mus ulciſci impios, ab illis, neſcio quomodo iterum victi ſumus. Verum age, nunc audi, & ſuffice nobis robur. Obſequitur eorum voluntati Deus, & victoriam tribuit, qui *voluntatem timentium ſe facit.* Inſidias circum urbem locant, plurimos ignes accendunt, plenis agminibus procedentes, oppidanos ad
E pugnam etiam tertium eliciunt, manumque acertimè conſerunt; omnes Beniamitæ, quinque & viginti millia, & centum præterea ferro conficiuntur.

Mat. 7. Iſidorus. *Qui enim gravioribus erant aſtricti ſceleribus, & longè maioribus eo, quod patratum erat, ut puri ac innocentes ad cædem fratrum ſuorum aſcendebant unanimes. Verum experientia didicerunt illud*, hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui. *Nam undecim tribus cum à Deo deſciviſſent, & cum idolis fornicatæ eſſent, ab una tribu devictæ ſunt, ſimulque victores funditus extincti perierunt.*]

Vndecim autem tribuum quadraginta millia. Poſtquam autem omnes de tribu Beniamitica, ut breviter dicam, cum coniugibus & liberis bello abſumpti ſunt, & ſexcenti dumtaxat relicti, in petram Rhem-
F non confugerunt, ibique totos ſex menſes commorati ſunt, undecim tribus in Maſpha ſe conferentes, & internecionem generis ſui magnæ calamitati ducentes, primum unam tribum Beniamiticam ſcilicet, ex aliarum numero deletam luxerunt. Nihilominus adhuc iiſdem irati coniurant, & inter ſe pactum ineunt, vti neminem flagitioſorum illorum qui in Rhemnon confugiſſent, quiſpiam ſibi generum facere ſuſtineret. Cum porrò ſolemne feſtum in Silo adveniſſet, ad quod omnes undique aſcenſuri eſſent, & lege veteri Iudæorum nemo abeſſe ab ea celebritate poſſet, rurſum eos qui prius coniuraverant, vt cum nullo vnquam illorum ſexcentorum affinitatem coniungerent pœnitudo ſubiit. Sed quoniam tribules Galaat ſimul in Maſpha non aſcenderant, datum adverſus Beniamitas iuſiurandum negligentes, decem millia contra eos miſerunt, ut tanquam periuros omnes occiderent: ſolas autem virgines reſerva-
G rent. Editur, mandata cædes, & puellæ illis ſervantur, omnes numero quadringentæ, quas fœdere facto Beniamitis nuptum tradunt. Quia verò ducenti ſine vxoribus reſtabant de illis Iſraëlitarum à maioribus natu, quibus cura erat tribum Beniamiticam ad cæteras recuperare, tametſi iuraverant generi illi non parſuros, alia ſuſcipitur cogitatio. Inveniunt modum, quo etiam hi uxores adipiſcantur. Mandant proinde illis, ſolemne anniverſarium fore in Silo, eo accelerarent, atque intra ſepta vinearum inſidioſe latentes, virgines indigenas ad choros ducendos precedentes raperent, nec plures, quam pro numero ſuo, id eſt, ducentas, raptaſque domum ducerent, & in matrimonio ſibi haberent. Si eorum cognatio, patres, fratres, propinqui & amici hunc raptum accuſatum venerint, dicturos: non habere ſe quid faciant: cur rogantibus non dederint: legitimam nihilominus affinitatem, neceſſitate probandam eſſe. Metuendum enim, ne miſeri, naturæ ſtimulis ſubacti, aliunde ſibi uxores, ex alienigenis, & incircumciſis quæſitum eant. His dictis à primoribus populi, verba ſecundum præceptionem ad rem conferuntur, rapiuntque ſibi ex Silo uxores,
H tertia pars, inquam, eorum qui ſtragi ſuperfuerant, iterumque Beniamiticum genus inſtauratum, & de integro ex ſexcentis illis auctum eſt, ubi uxores adepti, vt dictum eſt, liberis operam dederunt, vrbéſque & caſtella multa conſtruxerunt. Rem geſtam tibi totam expoſui, & demonſtravi, quantum ſit in eo mali, ſi quis quod in manibus habet, ſegniter tractet. Vides enim ter infelicem illum viatorem, in quot incommoda ex ſegnitie incurrerit, amiſſa uxore, morte indigniſſima, excitatoque inter tribus belli incendio exitiali. A ſcintilla cœpit, & in facem excrevit, totumque genus arſit. Mutuo enim in ſe inſanientes, & furentes mutuò trucidarunt. Sed hoc facinus (ô cladem inſperatam) unius hominis deſidia ac remiſſio invexit. Si enim hora tertia voluiſſet itineri ſe dare, ante veſperam domum ſuam revertiſſet: nec cedendo ſoceri precibus, & ſemper remanendo tantum malum & paſſus fuiſſet, & aliis creaviſſet, ſibi primum, ſubinde tribubus, & Beniamitis maximè.

Chryſoſt.

A Chryſoſt. *Prioris enim delictum, poſterioris cautio fit, ſi attendamus. Nonne vides quomodo & matres, cum filiolus præcedens lapſus fuerit, ſi ſubſequens quoque labatur, durius eum verberant, ſubiicientes: non videbas illum te antecedentem cadere? quomodo tu quoque cecidiſti? non vidiſti? non habes oculos? itaque quod alij ante nos ceciderint, non ſolum venia nos priuat, ſi in eadem inciderimus: ſed etiam ſupplicium nobis auget.*]

Numerus omnium in hoc bello cæſorum, ex undecim quidem tribubus quadraginta millia, præter viros Iabes Galaad. Ex ſola autem tribu Beniamin, mali auctoribus, exceptis mulieribus, ancillis, & pueris, viginti quinque millia, & centum. Vſitatum eſt enim in primis ſcripturæ veteris teſtamenti, in enumeratione generis, & genealogiæ viros tantummodo, non etiam fœminas, non pueros ſeu mares ſeu femellas recenſere. B Viros igitur illos connumeravit, qui manifeſtè in viris ponuntur.

CAPVT X.

Remiſſe, & in peccatis vitam agitantes è rebus humanis duriter, violenterque excedere. Secus accidere iis, qui ad ſuperna animo & cogitatione converſi, vivendi rationes in melius commutant.

QVamobrem ſi me audis, neutiquam differes, quemadmodum Levita, neutiquam tali procraſtinatione utere. Nam ſi diem ex die ducamus, ſemperque craſtinum fruſtra exſpectemus, quoniam C diverſi caſus vitam noſtram circumſtant, repente ſecuris lethi apponetur, & arborem vt infructuoſam radicitus amputabit; noſtrámque colligationem ante tempus diſſolvet, vt coniugem à Levita abſtraxit, & in pugna tribuum tot millia proſtravit. Quanquam illa corporum ſeparatio fuit, nec ſpiritus animæve periculum habuit. Et quoniam anima mori non poteſt, ſupplicium immortale luet, ſi non quo ſtatu debet, è corpore emigraverit. Iudicium plenum eſt horroris, pœnam quis ſuſtinebit?

Theologus. *Aliquando dolor voluptati præferendus eſt, & vultus demiſſus ac mæſtus pompis ac ſpectaculis, & riſui inhoneſto lacrymæ laudabiles.* Quis ſapiens, & Oſee 14. intelliget?]

Vltimis horis currimus, finis eſt in foribus, æſtas Ioan.4. adeſt, albæ ſunt regiones, falx inſtat, tempus eſt meſſis. Vita noſtra eſt miſerrima, mores infructuoſi. Neſcis quam vana ſint in rebus humanis omnia. Nondum noſti bonum, vel ipſa diuturnitate tempoD ris. Nondum ſatiata es videlicet rerum caducarum uſu. Si finis vitæ eſt incertus, in adoleſcentibus incertus eſt: in ſenibus manifeſtus, & minimè dubitabilis. Sperant iuvenes ad ſenectam ſe perventuros: ſenes de vita longiore deſperant: iam enim terram intuentur, & quæ terrena ſunt maximè aſpiciunt: vnde & γῆρας ſenectus, [illegible] à terra: & corpus ſimul magis magiſque incurneſcens, in ſenibus termini adventantis indicium eſt. Et quidem in humum unde proceſſerunt proclinantur; quam & tanquam ſinum maternum ſubire feſtinant: & lex nobis lata Gen.3. extat, vt qui de terra ſunt, in terram revertantur. Præterea quod ſeneſcit & inveteraſcit, prope interitum aiunt eſſe, quodcunque illud eſt. Quomodo igitur etiam ſenex deterioribus inhæres, neque Prophetam Eſa.5. illum clamantem audis. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Eheu.

Catenis enim ſuorum criminum quiſque conſtringitur.]

Pſ.74. In quemnam alium potius, quam in nos iſtuc convenit? Quod ſi peccans, putas fortaſſe te divinas manus, & fæcem iræ eius in extremo poſſe effugere, & ob hanc cauſam ignava es ac torpes, qui tandem E cum iſta opinione tua non cæca es? Væ tibi, & ſæpe, niſi pœnitentiam agis. Divinam benignitatem Rom.2. cave ullo modo deſpicias: divitias bonitatis eius neutiquam negligas. Eſt enim longanimis, & vult te converti.

Chryſoſt. *Benignus eſt Deus, ideo non ſtatim delinquentes pœna mulctat, eorum converſionem expectans. Quod ſi nonnullis omnino hic parcit, futuras iiſdem pœnas atrociores infliget.*]

Tu autem non converteris, magiſque ipſum irritas, & theſaurizas tibi futura ſupplicia, quibus rebelles iudicio illo damnatos puniet.

Iſidorus. *Non te, homo, regnum cælorum incitat: non gehenna terret. Non advertimus nos beſtiam immanſuetam delinire, & in forma humana cum perverſo dæmone colluctari.*]

F Reſipiſce, vigila quantum potes: ſtultos zelus igneus exſpectat. Nihil mirum eſt quenquam ægrotare: ſed morbum flocci pendere.

Chryſoſtomus. *Non eſt moleſtè ferendum quempiam malè habere: ſed cum malè habeat, non curari. Nec ſimpliciter ulceribus affectum lamentamur: ſed ſic temere iacentem ſine medicorum auxiliis. Eum porro qui ſecatur, & uritur, ad ſanitatem tendere dicimus. Ita quoque quod ad animam attinet, nos geramus cenſeo. Non eos qui tentantur, ſed qui impunè peccant lugere ac deflere oportet. Nam improborum animadverſio, iuſtos ad officium attentiores facit.*]

Et horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, iuxHebr.10. táque vivos ac mortuos incorruptè iudicantis, & cuique dignam factis mercedem perſolventis. Etenim Deut.4. ignis eſt Deus, ignis urens, & illuminans: inſipientes urens, prudentes autem illuſtrans. Hic appropinquat, vt de omnibus iuſtam iudicij ſententiam ferat: G tu verò dormitas, negligentiæ ſuccumbis, dormis, & obdormiſcis, idque ſponſo neutiquam moMat.25. rante: & parato illo ad nuptias his qui digni fuerint, tu non habes veſtem dignam ullo modo: ſed tota ſorMat.22. dibus, & maculis plena iaces, nec ablui purgarique ab his quæris. Iterum ac ſæpius tibi dico, ne contemnas, ne differas, ne peccata cumules.

Chryſoſtomus. *Fatemur quidem; nos regnum Dei deſiderare, ſed per quæ illud adipiſci queamus, nobis ſollicitudini non ſunt. Quod ſi Deus inflammatum animum tuum, excitatam voluntatem viderit, ipſe te ad proficiendum iuvabit. An non dicentem audiviſti,* in mundo Ioan.16. preſſuram habebitis, & mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini?]

Prope eſt qui iudicat, cur iudicium non times? repente ſuperveniet, quid tempus fruſtra conteris? Memor eſto eorum quæ patraveris, & emenda, & eſto vix tui memor, & te geras providè. Cognoſcis veritatem, noſti quid deceat. Si tamen affectionibus H animum turbulentum non habes. Cognoſcis, quemadmodum peccatum adducat ſupplicium: virtuti autem deditum eſſe, contra voluptatem comparet. Tu ſecus egiſti, idque inſipienter. Peccatis dedita es, virtutis ſtudium fugis. Et deterioribus gaudes, bonis abſtines, neque cohabitatricem tuam ad eadem tecum pertrahis. Falx æſtatis advolat, meſſis inſtat, regio albet maximè. Et quomodo coram iudice apparebis, quæ fructibus cares, cum opera mala ante te nuda ſtabunt? quæ omnia exhibebunt, & demonſtrabunt, quæcunque clandeſtinè, quæcunque palam deſignaſti, quibus deteriora nemo fecit ab orbe condito? Tempus tibi reſtat breviſſimum, vt ex aſpectu tabernaculi tui patet. Etenim conſenuiſti, & ad metam tendis. *Memorare noviſſima tua, & non peccabis.* Eccl.7. Rogo, ignava ne ſis. Noſce fictorem tuum, & quis te mecum, domina, copulaverit, & quæ inter nos mixtio, & quale iſtuc temperamentum. Et quis conditor, quis iudex, & mercedum diſtributor. Quis renes, Hier.11. cogitationes, & corda intueatur; & quis à ſordibus peccatorum mundare poſſit. Tempus eſt abluendi te, ad hoc enim ſpatium tibi conceſſum eſt. Noli celare Eſa.43.

amplius, dic tu primum peccata tua & occulta, & aperta, ſeu verbo, ſeu opere commiſſa, quibus me miſeram tecum quotidie corrumpis. Quid ſi rapiaris, ſi hoc nexu ſolvaris antequam convertare, & à principe latronum, vt infelix mancipium abducare, tuorum ſcelerum catenis impedita? Væ tibi, quantum tunc ingemiſces. Cum dictum ſit, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, neve penitus quiſquam id audeat, quid illo fiet, qui animam à tabernaculo ſuo prorſus diſtraxerit? quomodo non ſuppliciis, & quidem extremis afficietur? ſi igitur, ut dicebamus, repentina nobis ſeparatio (quod utinam ne fiat) acciderit, & finis improviſus, quomodo Levitæ ex animo parum attento factum eſt, quam veniam conſequaris, abs te pendet. ANIMA. Quonam pacto ego ſola horum cauſa ſum? & quomodo à me proficiſci delictum pronuntias: alius eſt omnium Dominus, alius omnium conditor, ille colligavit, ille ſeparat: & ille vitæ ac mortis imperium habet: & huic quidem addit, alteri aufert, & quod melius eſt diſponit, & quod eſt utile iudicat, hominumque vitam ſapientiſſime regit. Quomodo igitur inſontem tu me tam audacter accuſas, & ſeparationem à te malè mihi obiicis? CARO. Rationi conſentanea, & vera admodum loqueris. Terminum vitæ alius omnibus emetitur: alius finem huius lucis, mortemque diſtribuit. Et alius quidem annos apponit, ab aliis rurſum amputat, vt fecit Ezechiæ regi, & improbo Balthaſar. Ego verò plurimos novi, qui repente corruerunt in lege, & ante legem; rurſumque poſt gratiam, quibus peccare contigit, nec in viam rediiſſe, vt in barathrum, & profundum perditionis caderent, vitamque probam & honeſtam omnimodis neglexiſſe, & pro ea luxurioſam & improbam amaſſe. Et hæc tremens David impenſe rogabat clamans, *Ne revoces me in dimidio dierum meorum:* Et filius eius Salomon, ne, inquit, eſto ſimilis impiis, & iniquis, nec duris corde, & incompatientibus. Et mali pereunt, inſuper mortibus immanibus, & tempeſtas veniet ad perniciem impiorum.

Qui obliquè ad Deum accedit, eiuſque mandatis adverſatur, ad eum viciſſim ille obliquè veniet. Et merito. Ne facias mala, & non te comprehendent mala.

Chryſoſt. *Qui ob præterita peccata pœnas dedit, veniáque dignatus eſt, ſi rurſum peccaverit, maius ſibi iudicium ipſe parat. Quanto enim maius eſt donum, tanto peccatum minus ignoſcendum iudicatur. Iudex enim, ſi latronem & furem comprehenderit, punitumque dimiſerit, ſi poſtea eadem ſcelera admiſiſſe invenerit, longè acerbius punit: quandoquidem priore venia melior non evaſit.*]

Quod ſi vim verborum iſtorum noſſe vis, res mihi conſidera, quemadmodum cum verbis conſpirent. Reſpice ſuperiorum temporum homines, qui ſæculo Noë vixerunt: & rurſum Sodomitas, & qui humo abſorpti ſunt cum Chore, Dathan, & Abiron centum quinquaginta, quique in ſolitudine interierunt, tot myriades. Heli filios mihi cum hic conſidera, Phinees, & Ophni ſceleratiſſimos. His & plurimis aliis, quorum nomina edere erubeſco, improviſo & puncto temporis emori contigit. Tu, ſi volueris, omnino plures reperies, & quo pacto, & qua ex cauſa interierint. Veruntamen unum quiddam ſolum, quod etiam Chriſti eſt, tibi dicam. In Siloe ſine improviſo deleti ſunt viri peſtilentes, improbiſſimi, & moribus deteſtandi, & digni his, quæ iam ſignificavimus. Sic docet verbum in ſermonibus de pœnitentia de iis, qui lapſu turris extincti ſunt, genere Iſraëlitæ decem & octo: idque propter peccata, & delicta, quibus obnoxij pœnas omnino dederunt.

Et hoc addit, *ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Maximus. *Mala voluntaria, involuntaria generant. Non enim poteſt, qui peccavit, futurum iudicium ſive aut ſponte ſua hic ſuſceptis, aut extrinſecus illatis afflictionibus effugere.* Iram domini portabo, quoniam peccavi ei.]

Alibi ipſius diſcipulis loquens Verbum ſe vitem, illos palmites, patremque ſuum, alioqui conditorem, agricolam nominavit. Palmes fructum non ferens, mortifera ſectione exſcinditur, in ignem coniicitur, & ardet, & perit. Conſentanea his & conſequentia ſcribit David. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit, & paravit in eo vaſa mortis.* Cernis, non pœnitentes, neque converſi, & compuncti, quomodo malè pereunt, & inſuper damnantur interitu repentino, vt liquidiſſime oſtendimus. Qui autem ſtudioſe ante obitum vitam ſuam, moréſque in melius formaverunt, & cum lacrymis, ac pœnis voluntariis pœnitentiam egerunt, miſericordiam impetrant miſericordis domini: id quod cum è multis, tum è Ninivitis potiſſimum apparet. Qui cum in cinere & ſacco pœnituiſſent, vitam conſervarunt: & è Manaſſe, qui per fletum, & correctos mores ſalvatus eſt. Ex publicano, ex latrone, ex meretrice, ex filio prodigo: vt Davidem, & Petrum magnos illos taceam, & (ne verboſa videar) plures prætermittam.

Virtutis enim, & bonitatis comites ſunt voluptas animi, & gaudium: vitij autem & peccati ærumna, afflictio, ploratus, cruciatus, mœſtitia.]

Num aliam præterea demonſtrationem requiris, an à me dictis contenta es, an incredula es, & ægrè fers pertinacia quadam Hebraica? ANIMA. Prorſus verbis tuis fidem habeo. Abſit enim à me, ut tam vere dictis fidem negem. Quomodo enim quiſpiam adhuc hæſitarit, & credere detrectarit? Quin vehementiſſimè dictis iſtis obſtupui & cohorrui: & omnia peccata ac delicta mea reputo. Reputo ut abs te audivi, iudiciumque tuum amplector. Dixiſti enim quod conducat, & in commune proſit.

CAPVT XI.

Qui hic peccata ſua confeſſus non fuerit, eum alia via ſalvari non poſſe. Cur Petro ante alios claves traditæ. Quid ſit pœnitentia. Notanda magnopere quæ hic de confeſſione ſacra differentur.

PОrro me præter alia hortaris, vt peccata mea ſpiritualibus patribus annuntiem, quibus me, & te fœdavi, & pro abſolutione ea confitear. Mihi autem primum perquam difficile eſt hæc in memoriam revocare. Deinde timor, pudor, dubitatio, & angor me impediunt, quo minus ſerie quadam, & ordine omnia, quemadmodum à me commiſſa ſunt, confitear: quæ arenam maris, guttas roris numero vincunt, & manent, & animam verſant. Quod ſi fortè in memoriam omnium rediero, & animo multitudinem complexus fuero, rurſum æſtuo, & tremor ac pudor me corripiunt. Confeſſuram turpitudinis opera, timor me invadit, & horror exanimat. Hinc impenſe angor ad declarationem occultarum peſtium, quas infeliciſſimè tacitas habui: quas diebus, noctibúſque, quas volens & deliberatè, quas verbis voluntariis, quas apertè, quas clam, quas ignoranter etiam perpetravi. Quis hæc omnia dixerit? quis per ſpecies enumerarit?

Quemadmodum in navi, ſi nauta offenderit, vectoribus parum nocet: ſi gubernator, commune omnibus exitium affert. Ita ſubditorum lapſus, non tam communi, quam privatim ſuum cuique detrimentum afferunt. Sacerdotum verò ad omnes perveniunt, multoque illorum, quam profanorum delicta ſeverius vindicantur.]

De tractandis autem peccatoribus ſic ſcriptum eſt ab Iſidoro.

Medici excellentiſſimi, cum quempiam nacti fuerint oppletum vulneribus, tantum ei curationis, & medicinæ adhibent, quantum vires affecti patiuntur, ne, dum vulnera ſanare volunt, ægrotantem perdant. Magnum revera eſt aliquod delictum, & impunitate maius. Ideo

increpatio

by Google

A *increpatio adhibeatur pro ſupplicio: venia autem detur celeriter, ut morbus ad ſanitatem procedat.*]

Et tertius timor me inceſſit, ne cum totum dixero, aliis ad perniciem, & ſcandalum dicam, iterumque iudicium velut à nobis incipiat: malúmque revertens, in caput meum recidat. Etenim ſi quis è vulgo aberrans peccaverit, ad ipſum ſolum damnum redundat, quoniam qui peccavit, in communi latere poteſt. At ſi quis ſtatu ſublimior, & ſacerdos deliquerit, malum ad omnes communiter pertinet. Inſuper timeo, & pudori mihi eſt apud ſanctum virum aperte edicere turpia flagitia. CARO. Nihil eſt penitus, cur formides. Quanquam enim pater eſt, cui peccata confiteris, tamen & ipſe natura homo eſt, tibique carne, & ſpiritu ſimilis: etſi alioqui vitæ rationibus, familiaritate cum Deo, vt virtutis cultor, diſtet abs te plurimum. B In humilitate, in contritione cordis te ad pedes eius abiice, ab imo pectore clama, ingemiſce, quantúmque potes recenſe omnia. Ne confundare, ne perturbere, ne concutiare. Quæ clauſa habes, patefacito, & diutius tacere noli. Opera tenebrarum in lucem profer, vt de cætero in tenebris peccatorum ne ambules. Etenim, etſi naturam humanam geſſerit, quemadmodum gerit, is, cui tu cogitationes tuas enuntias & committis, tamen Dominus tunc inaſpectabili modo præſens, veniam, & abſolutionem impertit.

Chryſoſt. Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis mundum ſe à ſordibus liberè profitebitur? Prov. 20 *Omnes igitur miſericordia egemus: ſed non omnes miſericordia digni ſumus.* Lib. 33. *Etenim quanquam miſericordia non deeſt, nihilominus dignum ſe poſtulat, iuxta illud:* miſerebor cuius miſertus fuero; & clemens ero, cui clemens fuero. Exod. 33

Idem. *Peccato nihil exitioſius accuſatione & condemnatione. Demus operam ne peccemus. Si peccaverimus, ne per negationem & occultationem malè commiſſi nobis ipſis pœnam exaggeremus.*]

C Imitare manſuetum Davidem, regem & Prophetam: *peccavi Domino*, clamat ex imo corde. Et mox 1. Reg. 12 audit; *& Dominus tranſtulit peccatum tuum* Nathane divino prudenter huic rei ſubſerviente. Scriptum eſt, Eſa. 43. *dic tu primum iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* An enim, ſi tu dicere nolis, Dominus eas non videt? Et qui Mat. 18. tandem, qui videt, & prænoſcit omnia? Qui tamen non abſque pudore temporario te à futuro pudore liberari vult. Fidelis eſt Dominus. Si tantummodo enunties peccata tua, omne debitum dimittet tibi, ſicut dixit. Nam quod manifeſtatur, etiam lux eſt manifeſtè. Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini.*

Chryſoſt. *Corpora enim morbo affecta curare, non eſt cuivis facile: at verè animam ægrotantem ſanare, quivis ſine magno negotio poteſt. Et ad corporis quidem adverſam valetudinem depellendam medicamentis, & pecunia opus eſt: anima autem parvo pretio, & nullo ſumptu convaleſcit.* D *Sola quippe voluntas ſatis eſt, qua omnia expeditè & cum virtute conficiuntur: Nam confeſſio iis qui peccaverunt, peccatorum fit abolitio.*]

Eſa. 58. *Adhuc te clamante, ecce adſum*, ait tibi, & prævenit. Christus Deus appropinquat iis magis, qui ei ſtudent eſſe proximi. Fidelis eſt Dominus in verbis, & in operibus ſuis. Alia via mihi benignitatem Domini conſidera, qua peccantibus ianuam aperit: non enim regni cœlorum claves alteri tradidit, quam Simoni Mat. 16. Petro, qui ipſum pernegaverat. ANIMA. Quo iu- Ioan. 21. dicio, quibus rationibus adductus eſt, vt id faceret? & cur non eas dilecto, ac virgini, cur non charo fratri tradidit, Iacobo videlicet, aut eius cognomini? Petro, qui ipſum negaverat, eas committit. CARO. Diſce igitur rationem eius quod interrogas. Et ex eo rurſum VERBI propenſionem ad miſericordiam, clementiam ineffabilem, miſerationum multitudinem, quibus erga lapſós vtitur, qui eſt natura miſericordiſſimus, cognoſce Vt enim lapſos, lapſuróſve aliquando liberaret, & ad pœnitentiam ex timore, turbatione, & E tremore ac timiditate animoſiores redderet, non alteri alicui ſibi obſequentium ſed Petro potiſſimum, qui ter eum negaverat, claves illas cœleſtes dedit: vt ille, ſi alios deinceps cecidiſſe, & per pœnitentiam pulcherrimè reſurgere, lachrymiſque maculas abluere, & violenter regnum ſupernum rapere audiret, verborum Domini ad ſe, & quomodo ſtatim cecidiſſet, cribratus Mat. 11. ut triticum, memor, & exemplo ad compaſſionem Luc. 12. promptior, lapſis, iterumque ſe erigentibus, ſine moleſtia, ac prompte cœleſtem ianuam reſeraret.

Iſidorus. *In peccatum prolapſo pernicioſum eſt non pœnitere, pernicioſius deſperare. Nam cum illud ab ignavia, hoc à ſtupore & ſtoliditate proficiſcitur. Quanto autem ſtoliditas ignavia eſt calamitoſior, tanto deſperatio ignavia eſt nocentior. Illud quippe malum eſt immedicabile:* F *hoc curationem admittit. Siquidem illud indicij eſt corrupti: hoc falſæ ratiocinationis. Sunt autem ignavia, & ſtoliditas duo infeſtiora mala.*]

ANIMA. Gloria Deo meo, gloria Chriſto meo, cuius clementia, & patientia nondum adeſt finis ultimus: CARO. Quoniam igitur plenè didiciſti, quam ob cauſam Chriſtus Petrum, tradendis ei clauibus maioris æſtimarit, in eoque alios omnes diſcipulos prætererit, viriliter age: ne cadas animo: Petri exemplum tibi propone, qui nihil neglexit, nec diſſolutè egit: nec rem cunctando procraſtinavit: neque propter delictum ſocordiæ indulſit: nec dolorem poſthabuit, quo multo erat opus ob id, cuius gratia à divinis ſeptis; & à parte Chriſti illa deſiderabili abiectus erat. Sed celerrimè ad ſanitatem reverſus, & malum ſuum cognoſcens, vt cordatus, vt conſtans, vt fidens animi miles, lucta inſtauranda victorem ſuum vicit: & qui adverſus ſe inſurrexerat, eum proſtravit. Nam qua nocte cecidit, eadem reſurrexit.

Iſidorus. *Quoniam quæſiſti per epiſtolam, quo te verteres, quo ires, reſpondeo ego, ad pœnitentiam. Ipſa enim arx tibi erit excelſa, & ſublimis, & muris* G *inexpugnabilibus, atque in modum turrium altiſſimis undique circumdata.*]

Ne proinde cunctare, ſed quam habes in conſpectu viam, ingredere. Vade viam, quæ te ad pœnitentiæ altitudinem ducit. Et, ſi cadis, reſurge: ſi dormis, expergiſcere, propoſitumque ac voluntatem muta in melius, & veniam adipiſcère, quandoquidem penes te (aut penes quem alium?) eſt creatoris venia, qui ſolus habet poteſtatem dimittendi peccata. Hic enim abs te committuntur, & rurſum abs te omit- Luc. 5. tuntur. Hic remiſſionem, & abſolutionem accipiunt. Nam quæ confeſſio apud inferos? Hic pœnitentiam Pſ. 6. arripe, & omnia tibi condonantur, & tunc claviger tibi ianuam reſerabit. ANIMA. Quam ſupra & infra, ac toties prædicas pœnitentiam, doce me quænam ſit; & quomodo ſalus mea in hac ſola ſita ſit, perque eam ſolam, non per aliud acquiratur. CARO. Pœnitentia à me dicitur, & eſt, à diabolo ad Dominum per ſudores & labores exercitationis alicuius reverſio. Ad bonum in abſtinentia à malo converſio, cum quis percuſſis tenebris peſſimis, quibus obnoxius, omnigenis paſſio- H nibus ſervivit, recurrerit ad Deum, ab his quæ ſunt præter naturam, vt prudens, reverſus ad ea quæ ſecundum naturam ſunt. Hæc eſt aperta mutatio mentis & pœnitentia; revocatio, reſurrectio à peccato; ſeu pactum cum Deo vitæ melioris. Sermo autem Prophetæ eſt, immo Salvatoris. Poſtulat enim converſionem ut convertatur, noſtram erga ipſum, & eius ad Ezec. 36. nos. Miſericors, inquit, ſum, & diligens miſericordiam natura, longanimis, diligens viſcera miſericordiæ, benignus, filiorum amans, paratus converti propter humanas nequitias. Hæc ipſa etiam David pſalmographus ſcribit. *Declina à malo, & fac bonum.* Pſ. 30.

Chryſoſt. *Non idem eſt à peccatis deſinere, & iuſtum eſſe, ſed aliud hoc, aliud illud. Non enim ſatis eſt diſcedere ab improbitate, ut iuſtus fias. Ait namque,* declina à malo, & fac bonum, *ubi illi*, declina, *ſtatim*

A bonum. *ſeu fructus virtutum ſubiungit.*

Pſal.30. *Mat.10.* *Rom.6.*

Baſilius. *Pœnitentibus recedere tantum à peccatis, ad ſalutem minimè ſufficit: ſed eos etiam fructus pœnitentiæ dignos facere neceſſe eſt. Non enim qui bene incipit, ſeque bene exercet, hic perfectus, & beatus eſt: ſed qui bene claudit vitam ſuam, & ita vt Deo placet, ad finem perducit. Hæc cum ſciamus, in fine ne corrumpamus.*]

Ferme eadem Paulus ad Romanos ſcribens mandauit. Membra veſtra exhibuiſtis ad ſerviendum peccatis, membra, inquam, Chriſti capitis omnium. Verum age, aptate ea ad ſerviendum VERBO. Quomodocunque & huic ſerviant membra. Porrò vir quidam ſpiritualis, animo ferventi, ad Dominum rurſus ita clamare auſus eſt; *dignare me Domine & te quodammodo diligere: ſicut peccatum dilexi, heu mihi! & tibi ſeruire puro Domino prompto animo ac ſtudio, ſicut peccatis ſeruivi.* B Si quis ita ſe convertens alacriter ſe converterit, meritò dicetur pœnitentiam agere. Quod ſi mens vt mancipium in habitu conſueto dominationem, & tyrannidem patiatur, cum cogitationibus & opinionibus non bonis, impulſibus, & luctis, quibuſcum commercium habens, voluptatibus inquinatur, & inde in corde paſſiones morabuntur, nec virtus ibi eſt inde emergendi (quandoquidem paſſionibus impeditæ cogitationes eam vna ſecum trahunt) nec eſt revocatio, aut memoria converſionis. Qui enim eſſet, cum tanta abſurdorum turba oppreſſa teneatur?

Iſidorus. *Idcirco & Ioannes Profeſſionem ante baptiſmum requirebat in his, qui ad ſe confluebant. Non quod ea indigeret: ſed ad ſe aduentantium ſalutem ita efficere ſtudebat. Nemo enim antequam peccata ſua confiteatur, ſalutem poteſt conſequi hoc ſiquidem reuera humilitatem gignit.*]

Sed ne ſic quidem conſternari debes: deſperandoque concidere: ſed occurrere, & rationes, quantum potes, reponere, vt ne illam in vltimas tenebras devolui patiare. Qui enim minoribus victus cadit, eius mores etiam in maiora corrumpuntur. Qui verò levioribus reſiſtit, etiam gravioribus adverſabitur. Nam ſi parva C debellaueris, maiora quî te appetent? ANIMA. Docuiſti, idque ſatis, ſpiritualibus Patribus peccata confitenda eſſe, cogitatione, verbo, opere commiſſa, quod quidem ad ſalutem conducit vehementer, faciendumque eſt omnibus, quibus ſua ſalus curæ eſt. Ego porrò noſſe deſidero, vbi hac de re ſcriptum ſit; num lex de eo vetus, aut nova extet, quæ nos viris ſpiritualibus hortetur exponere, quid noctu, & interdiu egerimus. Audiui enim nuſquam id literis mandatum reperiri: nec opus eſſe, hominibus cogitata enuntiare: ſed ſoli puro Domino. CARO. Negligens, & iners mihi videris, neque ſcrutari ſcripturarum oracula. *Deu 32.* Quod ſi Patres tuos, vt ſcriptum eſt, interrogares, ipſis annuntiantibus rem totam vti ſe haberet cognoſceres, & nunc haud imperita & indocta appareres. Quod ſi & hoc te latet, ego tibi pandam. Pentateuchum, id eſt, quinque libros Moſes ille Dei ſpectator Hebræis conſcripſit, Geneſin, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium. In Numeris *Num.5.* igitur etiam hoc præter alia poſuit. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Loquere filiis Iſraël, Vir ſive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus* D *accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput, quintamque partem deſuper ei, in quem peccauerint. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, & erit ſacerdotis. Et hoc quidem in libro Numerorum.*

Theodoretus. *Iubet enim eum qui alteri re quapiam nocuit, primùm confiteri peccatum; deinde eidem ablatum reſtituere. Quod ſi contigerit, eum, cui illata eſt iniuria, ante vita defungi, quam noxius pœnitentiam egerit, id cognatione proximo reddere. Quod ſi nullus fuerit, nec inveniatur cognatus, Deo offerri. Quod autem pro peccato redditur, cedere in vſum ſacerdotis.*]

E Quod ſi plura teſtimonia deſideras, Davidis librum, Salomonis, omniumque aliorum Prophetarum attentè perlege: omnibus enim quiddam ſuper hoc inſertum eſt, oportere omnes, vtriuſque ſexus, admiſſorum confeſſionem obire, & quantum poſſunt, eò alios adducere. Nec verba Verbi ac Domini audiſti, qui longè clariſſimè de hoc ſanxit? Nec quæ hortati ſunt, & ſcripſerunt Apoſtoli, præcones Verbi: nec quæ magiſtri, & primi Patrum? Vt paucis dicam, omnes hortantur, clamant, & vniverſos ad annuntianda ipſorum cogitata, dicta & opera inuitant: non eſt enim aliud, vt diximus, principium pœnitentiæ, niſi occulta ſpiritualibus viris detegere, ſicut & Dominus ad Moſen dixit. En docui quæ dicatur pœnitentia, & quæ ſit, & vnde. Si ergo vis, accede, pœnitere incipe. Nihil eſt quod impediat, nihil quod prohibeat. F Verùm audi, & extremum ſermonis mei pernoſce. Verbum eſt Chriſti. *Ioan.15.* *Si non veniſſem*, inquit, *& eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Quod dictum ad te, tuique ſimiles pertinet.

Iſidorus. *Qui non paret rectori ſuo chorus, abſurdè, & inconcinnè canit: & ægrotus, qui non obtemperat medico, miſer eſt. Rector autem, & medicus culpa vacant. Nam & ipſe Chriſtus cum Iudæos, tum Iudam crebrius officij monuit: tamen non eis perſuaſit. Perſuadeantur enim nec ne auditores, ipſorum debet eſſe poteſtatis, propter arbitrij libertatem videlicet. Docentis munus eſt, nihil præterire eorum, quæ ad gignendam perſuaſionem valent: audientium, perſuaderi. Etenim qui docet, dictionem, non item perſuaſionem in poteſtate habet. An igitur Chriſtum accuſabimus, quia Iudæ, & Hebræis non perſuaſit, nec eos ſaluauit? neutiquam.*]

ANIMA. Optimè doces omnia, egoque admitto & amplector, ac de cætero ſociam, & opitulatricem vitæ agendæ, & conſiliariam, & contubernalem te aſciſco: tantum quæ convenit diſſere, vt ambæ purgemur à ſordibus, & pro viribus ad Dominum in ſuperna curramus. Nec in poſterum vt pullus in frænis, G aut rabioſa Scylla, tibi reſiſtam. Quod ſi ambæ in ſcelus ruemus, & ego tecum puniar, & tu vnà multaberis. Quando quidem nos vnum eſſe animal planum eſt, è carne & ſpiritu conflatum, *quæ ſibi invicem adverſantur.* *Galat.5.* Veruntamen vna eſt vita, & actio vna penitus, & iudicium, & damnatio, & ſupplicium vnum. Cum autem hinc diſceſſerimus, tolletur actio, nihilque vel boni, vel mali operabimur.

Baſilius. *Duplicem ait animæ functionem eſſe, vnam quidem vitalem corporis: alteram rerum contemplatricem, quam & ratiocinantem appellamus. Sed vitalis illius virtus à voluntate non procedit. Nam quemadmodum ſole illuceſcente non poteſt non illuminari, in quod ille radios ſuos proiicit: ita non poteſt anima non vivificare corpus illud, cui inſita fuerit. Contemplatrix verò à voluntate vim ſuam accipit. Improbitas autem aliud nihil eſt, niſi virtutis interclusio, & abſentia.*

Iſaac. *Sicut cum primi homines fingerentur, prima fuit corporis fictio, deinde ſecutum eſt ſpiraculum: ſic opera, ſeu actiones corporeæ actiones animæ præcedere debent.*

CARO. Vt me occupas, & trahis quo vis? Nec poſſum tibi vt famula non obſequi. H Age vt libet, non me excuſo. ANIMA. Duc me ad meliora, & adiuva me. CARO. Fias bene placens, & probata conditori; & ego opera tecum promptè capeſſam. ANIMA. Pudor, & timor futurarum pœnarum me tenet, à quibus liberari magnoperè cupio. CARO. Tu opera verbis congruentia demonſtra. ANIMA. Vnum antea verſum profari æquum eſt. Ita diſſeras velim, vt etiam aptè convenienterque exordiare. CARO Quînam me famulam loqui deceat, ante dominam clariſſimam, multoque excellentiſſimam? Vereor ne id temeritati potius adſcribatur. ANIMA. Aſt ego iubeo, obtempera, & ſine mora prior dicito. Nam pro inſtrumento mihi es, & te verba facere oportet, mihique linguam ad

A ſermonem commodare, citra quam nec quidquam omnino proloqui, nec Deum, vt decet, cantare, ac laudibus celebrare queo. Caro. Quoniam præcipis, obſequor; tu fac attendas. Ex virtute tanquam genere quodam duo oriuntur: quorum aliud πρᾶξις ſive actio, aliud θεωρία, ſive contemplatio nominatur, per quas quis ad virtutis exercitationem elevatur, & ad intimam Verbi amicitiam provehitur. Ad praxim igitur tibi auxiliabor, nam theoria tua ſolius eſt.

Cognitio indiget actione, & actio cognitione. Vnde ait Dominus, qui fecerit, & docuerit, hic magnus *Mat 5.* vocabitur in regno cœlorum. *Si enim ſuffeciſſet ad perfectionem facere tantum abſque docere, aut docere ſolum ſine facere, non ambo coniunxiſſet, his verbis,* qui*Act. 1.* cunque fecerit, & docuerit. *Ait enim Scriptura,* Ieſus cœpit facere & docere.]

Anima. Incipe igitur, vt potes, à praxi, tametſi praxin theoria antecedit. Caro. Nec enim quiquam ad theoriam venire poteſt, niſi prius ad finem B practicæ venerit. Incipiendum igitur tibi, & ſtudendum in primis huic, laborandumque in gemitibus, in lamentis, in luctibus, in lamentationibus, in fluentis lachrymarum, in oratione conſtanti, in pſalmodia ſtabili, in chameunia humili, in maceratione carunculæ, in contritione vera, in ieiunio ſevero, in lectione ſcripturarum, in earum meditatione, & notitia, in pervigilatione continua, in opere manuum, in manuum elevatione, in genuum inclinatione, in forma divina ſanctæ crucis exprimenda. Pectus *Luc. 18. Pſ. 11 1. Cor.* libenter percute, vt percuſſit publicanus. Diſtribue facultates pauperibus, vt ſcriptum eſt, & omne bonum opus quod poteris, hoc facito.

Chryſoſt. *Non enim ex gratia tantum, ſed etiam ex fidei, & virtutis uſu ſalus comparanda eſt. Etenim ut ignis proprium eſt calefacere, & ſolis illuſtrare; ſic Dei benefacere, & multo plus quam nos velimus. Vbi etiam gratia eſt, opera non ſunt, & ubi opera, gratia non eſt. Vbi autem gratia eſt, ſuperbire non oportet.*

C Anima. Oratione tua in me officioſa candide fuiſti. Quod ſi & operibus me delectare volueris, tum revera & adiutrix mea vocabere. Caro. Fidere tantummodo te oportet, fidere, inquam. Movere ad Dominum motu operum ad eum ſurſum reſpiciens, & omnino ipſe dabit. Et accede, & fide non procraſtinata ad veſtigia conditoris tui procumbe, clamans cum lachrymis. Tu, Salvator ineffabili tua exinanitione inſtauraſti, tu, Domine, ſalvaſti naturam hominum è manibus inimici, & ex ſervitute. Tu ſalva me rurſum gratia tua: es enim Deus ſalutis. Si enim ex operibus me ſalvaveris, erit illa compenſatio, non gratia, manifeſtáque retributio. Mihi autem nullum adeſt opus bonum. Ipſe ſolus bonus, ipſe natura miſericors, & tantum fidem requiris, & tantum charitatem vis. Si fides tantum redemptio eſt, etiam ipſis deſperatis, fidem habeo, ſalD va me, es enim Deus ad ſalvandum. Fides eſt mihi pro opere, fidem pro opere ſuſcipe. Sufficiat tibi fides, quam & ſolam tibi offero. Si enim quoquo modo abſtrahere me ab omnipotenti potentia tua peſſimus tyrannus Belial potuerit (pro audaciam, pro impudentiam) efferretur, & gloriabitur vehementer. Seu igitur voluero, ſeu non voluero, ſalva me; *Pſ. 78. & 21.* *citò anticipent me miſericordia tua.* Tu es Deus meus ab vtero, tu cuſtos, tu ſervator meus. Hæc ſi compuncta dixeris: ſi è profundis clamaveris: ſi ex animo lamenta & lachrymas, & gemitus fuderis, audiet te, & parcet, & ſalvabit, & liberabit, nam libera*Dan. 6.* tor eſt Dominus, & animorum Salvator ſolus. Habe ſpes bonas, & exſpecta optima.

E

CAPVT XII.

Exempla Manaſſis, & Davidis pœnitentium, & ſalutem conſecutorum.

Anima. Verùm ego omnes mortales peccando ſuperavi: omnes peccatis omnigenis prætergreſſa ſum; filium prodigum, principem latronem, meretrices, & publicanos, Sodomitas inſuper, & Ninivitas. Omnes qui temporibus Noë vixerunt, & qui inde ab Adamo primo huculque procreati ſunt. Et metuo, ne ſeductor me devoret. Caro. Ne adeò timeas, ne ſupra modum metuas. Nam dolor immodicus mentem evertit. Et formidandum, ne quod animæ damnum hinc accipias, & in imum exitium præcipites.

Quomodo penitus non dolere propter admiſſa crimina pernicioſum eſt, & extremi cuiuſdam ſtuporis: ita aſſiduò, & nimium dolere, omnibus eſt noxium. Nam angor F *& triſtitia ſemper animo incumbens, ſæpius mente à ſua ſede dimota ad inſaniam redigere conſuevit, & ad omnia bona honeſtáque inutiles efficere.*

Sed patere te conſolari, audies enim verba à viro quodam ſpirituali prolata, & ad hoc de quo agimus ſpectantia. Invenio, inquit, Manaſſem regem tantopere peccaſſe, divináſque leges transgreſſum eſſe, vt adverſum Dei gloriam etiam deteſtanda idola conſtitueret: qua de cauſa genus Iudæorum, in lamentis videlicet, ploratibus, & ſupplicatione ieiuniorum ad Dominum clamabit. Non tamen illorum lamenta tunc, ſed poſtea exaudivit, & in contritione cordis, *4 Re. 2* in humiliatione animæ humiliato Manaſſe, contritionem illam minimè eſt aſpernatus. Quin etiam idolo*2. Par.* latriæ ſcelus, quod maximum, & peſſimum erat omnium, ei dimiſit.

G Theodoretus Epiſcopus Heracleæ. *Miſericordias domini cum imploraſſet David, & mundari ab iniqui-* *Pſ. 50.* *tate, ſive à peccato ſuppliciter oraviſſet, per hyperbaton infert*, ut iuſtificeris in ſermonibus ſuis: & vincas cum iudicaris. *Cum enim Deus pœnitentiam convertentibus ſe in remiſſionem peccatorum vertat (ſicut & iuramento confirmavit*, nolle ſe mortem peccatoris: *Ezec. 1* ſed magis vt convertatur & vivat) *perſpicuè verba illa attulit ad probandum, quaſi diceret: ſi mihi pœnitenti ignoveris, & converſo propitius fueris, iuſtificatus es in ſermonibus tuis, & verus in promiſſionibus tuis tempore retributionis oſtenderis. Me enim propter pœnitentiam miſericordiam conſecutum cum in medium produxeris, meritò iudicabis eos, qui pœnitentiam non egerunt, ſed uſque ad exitum vitæ peccatis inhæſerunt.*]

Si placuiſſent tibi victimæ, ſi ſacrificium voluiſ*Pſ. 50.* ſes, dediſſem utique, clamat ad Dominum David: at non his oblectaris, nec gaudes vllo modo: ſed ſpiritus contribulatus, & humiliatus, placitus & gratus eſt tibi. Quæ ſequuntur, rectiſſimè, & præſertim H apud prudentes dicta ſunt. Rurſum David, alibi *2. Re. 1* duorum peccatorum reus peractus (nam in eodem ſimul adulterium, & homicidium commiſerat) quia proſtratus pœnituit coram Domino; quia procidens exclamavit, *peccavi Domino*, & hanc vocem dedit cum pœnitentia, audit viciſſim, & ſtatim à Nathane Propheta, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Si tantum poteſt humilitas ad ſalutem, obtempera, confide, & humilitatem adhibe, veluti pharmacon quoddam adverſus viperam, quæ intelligentia percipitur, & animas peccatis perdit præſtantiſſimas. Pernicioſum eſt tibi, (iterum iterumque dicam) ſi immoderatius dolueris.

Digitized by Google

A

CAPVT XIII.

De concipienda ſpe divinæ miſericordiæ, ex pœnitentia, & humilitate.

Mat. 7. PEtite, & dabitur vobis, verbum eſt Verbi. Si pulſaveris aperietur, & ſi quæſiveris, invenies. Quære, pulſa, pete, ne his faciendis defatigere, donec aperiatur, & detur tibi. Si iudex iniquus exaudivit viduam inſtantem, importunè clamantem, & accuſantem, qui Luc. 18. Pſ. 118. iudicat orbem terrarum iuſto iudicio (quoniam iuſtum eſt iudicium tuum Domine) quomodo non citò iudicabit, ſi tantum urſeris, & ſedulò petiveris?

Chryſoſt. *Perſeverandum eſt in aſſiduis precibus & vigiliis, ſic enim exaudimur. Primùm quidem ex eo quod digni ſumus, qui impetremus. Deinde, quia ſecundùm legem à Deo præſcriptam petimus. Tertiò, quia ſine intermiſſione. Quartò, quia nihil ad vitam iſtam ſpectans petimus. Quintò, quia conducentia orando quærimus. Quod niſi has conditiones habeat oratio, audiemus*, petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, *& ſupra* Iacob. 4. *quam decet.*]

B

ANIMA. Gloria Domino meo, gloria Chriſto meo, qui miſericorditer vult, & iudicat, & ſalvat. CARO. Aliud quiddam maius, & elegantius accipe, quò & maiorem omnino lætitiam hauries, doceariſque, & in puritate confirmeris: quam ob cauſam ſermones utiles audire voluiſti. Quando enim verbo & Marc. 5. imperio dæmonas eiiciebat à dæmoniaco, rogabant illi Dominum impudenter, ne in cruciatum mitterentur: ſed in porcos maximè, qui tunc paſcebantur, ingredi iuberentur. Et obtinuerunt quod deſiderabant, proceſſitque negotium, & hinc in ea regione, quorum erant porci in mare ſummerſi, detrimento ſunt affecti. Num igitur ille non præcognovit, qui C præno ſcit omnia, ſcopum eſſe dæmonum, ut porcos ſummergerent? Nihilominus eis optata conceſſit: qui appellabantur legio, hoc eſt, ingens multitudo. Tuam autem petitionem, cui propoſita eſt utilitas tua, an non multo magis, & benevolentius (*gaudium enim eſt in cælo*, vt ſcriptum eſt, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*) ſuſcipiet, & procul adhuc tibi paternas ulnas ad complexum expandet? Sanè magis te accipiet, magis admittet, qui totum orbem iudicio incorrupto iudicat. Alioqui iuſtitia tanta Domini vbi tandem, & quando apparebit, ſi non tunc apparebit? Et ſi quis audiat dæmonas auditos fuiſſe, nos verò non audiri, iudicis æquitatem deſiderabit. Et inſontem quomodo ſontem facies? Quocirca iterum miſertus, ut miſericors, petitionem ut æquam humaniter implebit. Si tamen inflexibilis, & ignava, & remiſſa, & ſegnis, & accedia D plena non petis, non quæris, non pulſas, non audis, quomodo ianua aperiet tibi miſerationum ianuam? aut quomodo invenies quod deſideras? quomodo accipies quod appetis? Non laviſti lacrymis pedes Salvatoris, & quomodo amabiliſſimam vocem illam audies, *remittuntur tibi peccata tua?* aut quomodo ſor- Mat. 9. des peccatorum elues?

Chryſoſt. *Num Deus oculos nobis tantum ad videndum largitus eſt? Hunc uſum & in animantibus ratione carentibus cernimus. Et, ſi diligenter explores, quædam bruta nobis acutius vident. Tibi verò non ſolum ad viſum, ſed etiam ad pœnitentiam oculi ſerviunt. Commove lacrymarum fontem. Habes puteum; ex imo cordis, pro portione perpetrati criminis haurias licet.*]

Dicam paucis, invitam te, ſalvare non vult, nec ſua ad hoc uti potentia. Nec enim myſterium ſalutis noſtræ violentia, & coactu peragitur. Voluntatem vult. Neſcit virtus Dominum. Quod autem violenter, aut voluntate tyrannica fit, non eſt, nec dicitur propriè virtus. Quod natura honeſtum eſt, voluntarium eſt, & arbitrij, non externæ neceſſitatis, E vt dixi: ſed affectionis ferventis & alacris, qua quis ſemet mandata ſervare cogit. Quod ſi ſolùm compunctio, & contritio cordis voluntati maximè alacri ſuccurrat, & lachrymæ, idque ex corde, ex amaro fervore, & humilitate, ad vincula ſolvenda, & remiſſionem quam conſequi deſideras ſufficit.

Baſilius. *Quæ neceſſitate, aut vi aliqua fiunt, apud Deum pro virtute non reputantur. Quempiam autem ſponte ſe ad mandata ſervanda compellere, manifeſtum eſt omnibus.* Regnum cœlorum vim patitur, Mat. 11. & violenti rapiunt illud.]

Chryſoſt. *Medicinæ corporis peregrinæ ſunt, & extraneæ: animæ autem medicamenta ex ipſamet, & propriis naturæ prærogativis habemus.*

Sciendum, nos ferventi & inflammata anima, & ardenti fide, ut meretricem illam, ad Chriſtum accedere oportere, & peccatorum remiſſionem flagitare.]

F

Non indiges ſumptu, non labore, nec alio quopiam, vnde tibi per continentem, per mare, per vias difficiles periculum aliquod, aut moleſtia pariatur. Sed in anima, in tabulis cordis inſcriptum geris, quod te volentem nullo negotio meliorum admoneat: ſi modo etiam fides haud dubia inſit. Cum tu purgationem obtuleris, paratam quoque remiſſionem accipis, vt dixi. Quod ſi tu in aliis quibuſdam excuſationes excuſas, plurimaque & diverſa, & ſæpe prætendis, in his quod prætendas haud invenies, cum prætendi nihil poſſit. A multis prudentibus ſæpenumero audivi, nec ieiunium frequentandum, nec vigilias amplius, nec humi cubandum. Nihil quippe horum tantum poſſe ad ſalutem, quantum illud, quod magis celebra- Pſ. 114. tur. *Humiliatus ſum*, inquit, *& liberavit me.*

Climacus. *Si inflata ac ſe opinio quoſdam ex Angelis dæmones fecit, planè humilitas ex dæmonibus Angelos facere poteſt: Quamobrem qui cecidimus, bono ſimus animo. Si Cherubin, ob ſolam ſuperbiam cælo extruſi ſunt, videndum, ne fortè etiam abſque alia virtute, & ex ſola hu-* G *militate in cælum aſcendere liceat. Dolor quippe cordis & animi præ omni corporali labore ſatis eſt.* Quoniam Pſ. 33. prope eſt Deus, his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabuntur.]

Sicut Publicanus humilitate cordis ſalvatus eſt. Non quia laboribus aſceticis ſe delaſſavit: nec quia inſudavit occupationibus ſpiritualibus: ſed quia humiliatus eſt, humilitate, quam perfectam & optimam ex ſuperna gratia ſortitus eſt.

CAPVT XIV.

Deſcriptio humilitatis ex effectis eius.

QVid autem ſit humilitas, breviter nunc tibi declarabo. Si ſenſeris, & dixeris te omnium ulti- H mam: te peccando viciſſe omnes, & omne facinus nefarium, & omne genus ſceleris, ſi quis alius homo, novis modis perpetraſſe. Si quid aliquando deliqueris, id tuum exiſtimaveris. Si quid rectè feceris, id Dei gratiæ adſcripſeris: ſi neminem oderis, neminem afflixeris, neminem ſcandalizaveris.

Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, expedit Mat. 18. ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundo maris.]

Si neminem irriſeris, neminem turbaveris, neminem iudicaveris, iniuriæ non memineris.

Iſidorus. *Quemadmodum veri, & fervidi pudicitiæ amatores, ex ſua ipſorum caſtitate etiam aliorum animos, quanquam tales non ſint, ſæpe puros eſſe cenſent, neminémque libidinoſum ducunt: ſic contrà protervæ libidinis æſtro perciti, etiam illos, qui huiuſmodi vitio carent, ſibi ſimiles arbitrantur. Quilibet enim ex ſe alios metiri conſuevit.*]

Si neminem per calumniam vllo modo accuſaris.

Digitized by Google

A Si neutiquam de alio detraxeris, nullum odio habueris. Si hæc ritè præſtiteris, acquiſiſti humilitatem: acquiſiſti ſalutem, haud dubiè ſine laboribus, ſine ærumna, ſine foſſionibus, ſola ad hæc voluntate ſufficiente.

Chryſoſt. *Etiam hoc divinæ benignitatis opus eſt, quod præcipua Dei mandata, & quibus vita noſtra continetur, ab imbecillitate corporis nihil impediuntur.*]

Quod ſi & linguam loquendo quæ decent exercueris, ſcitote totum decalogum probè obſeruaſſe. Si quis autem ſe humiliauerit, piaculumque, & execrabilem, & ludibrium hominum duxerit, qui tandem verbum aliquod inutile, aut profanum, aut inane, aut glorioſum profuderit? Nunquam enim ſuper contribules ſe eriget, deſpiciet fratres & amicos, nec deridebit in aliquo proximum: ſed ſervum ſe inutiliſſimum B reputabit, & tum ad felicem terminum, in Scriptura expreſſum perveniet, *qui ſe humiliat, exaltabitur: contrà, qui ſe exaltauerit, humiliabitur.*]

Humilitatis imago & ſpecies frequens eſt, & circumfertur à multis, cum veritas eius nuſquam reperiatur. Non qui ſeipſum abiicit, hic humilis eſt: ſed qui cum gaudio à proximis contumelias, ignominiamque ſuſtinet. Humilitas porrò, & timor Dei omnibus virtutibus antecellunt.]

CAPVT XV.

Epilogus, cum gratiarum actione ad ſanctiſſimam Trinitatem.

EN, tibi ſalutis viam, eamque facillimam demonſtraui, viam quæ compendio ad princeps lumen perducit. Nihil enim habet laborioſum, neque ad diſpiciendum difficile, nihil accliue, nec tortuoſum, vt Labyrinthus: inſuper nihil rebus ad corpus, & res caducas pertinentibus: non divitiarum abundantia, nec ſumptu aliquo, tantummodo humili precatione, & timore Dei opus habet. C Complectere humilitatem, ſi ſaluari deſideras, & tu, & alius quilibet qui ſapit, mentemque humilem amat & honorat, vt etiam ad Dominum, quem concupiſcis aſcendas: appropinquat enim ſibi in humilitate appropinquantibus. ANIMA. Rectiſſimè de hoc etiam me admonuiſti. Qualis ſit humilitas demonſtraſti, & explanaſti. CARO. Sed age, hic ſermonem finiamus, ipſi Verbo verborum largitori gratias agentes.

Gloria igitur tibi, ô Trinitas, Deus omnium conditor. Trinitas in hypoſtaſibus, in divina autem natura vnitas.

Gregorius Theologus. *In ſancta Trinitate tres quidem ſubſtantias, & tres perſonas, naturam & voluntatem vnam eſſe dicimus. In Chriſto vero vnam quidem hypoſtaſin, & vnam perſonam; duas autem voluntates, duas naturas, duas operationes: ita vt carnis voluntas divinæ voluntati ſubiecta ſit.*]

Vnus Deus ratione inconfuſa. Opinionem gentilium, & Iudæorum, tanquam hydram multicipitem, aut monſtroſum Typhoeum declinamus: Hebræorum quoque propter monarchiam. D Nos enim monarchiam quidem, ſed in tribus perſonis ſive hypoſtaſibus inconfuſè honoramus, naturam vnam, & identitatem gloriæ; à qua vtinam à peccatis in hac vita contractis liberemur. Quam decet gloria, honor, adoratio, & imperium, ô pater, & eodem throno illi aſſidentes, Fili & Spiritus ſancte, nunc & ſemper, & in omnes generationes.

DIOPTRÆ
Liber Secundus.

CAPVT I.

Carnis vitioſitas, & contumacia ipſius ab anima exprobratur. Animam ex his quæ per corpus agit & operatur, qualis quantaque ſit, cognoſci.

E ANIMA. Alterum tibi ζήτημα, quæſtionemque propono. Quæ enim ſermone antegreſſo, & heſterno die ex te ſcire volui, ea tu mihi omnia, pro eo ac res poſtulauit, expoſuiſti.

Iſidorus. *Si enim quæſieris, invenies: quæres autem, ſi te nondum ſcire, putaveris. Nam putare ſe iam ſcire, vt nec quæratur, nec ſciatur in cauſa eſt. Tunc namque ſciemus, quando nos arbitrantes neſcire, magiſtros à quibus erudiamur requiſiuerimus. Etenim opinari ſe ſcire, nos ad ſciendum proficere, & quærere, & invenire non ſinit.*]

F Nunc noſſe velim, diſſoluta natura in quas oras ſpiritus, ſive anima hinc proficiſcatur. Si dicas, ad inferos, vbi nam ſunt inferi? Hoc te pro virili tua explicare ne pigeat. CARO. Laboras tu negligentia, vt mihi quidem videtur. Si enim animum quoque ad ſcripturas attenderes, perinde vt eas legis (quotidie enim pſallis, & hymnos recitas) omnia nota, & experta tibi intus forent: ſermonéque & doctrina externa minimè indigeres. Nunc & ignorantia quaſi tenebris offunderis: & me miſeram, abiectamque famulam tuam interrogas. ANIMA. Si abs te non didicero, à quo tandem alio diſcam? G Et ipſam ſcripturam audio iubentem interrogare, dicentemque inter ſe quærere, & rationes conferre fructuoſum eſſe. CARO. Quodnam opus tibi curæ eſt: & cui intendis animum, & ad quod natura es idonea? agedum narra mihi. ANIMA. Certum ac ſtabile mihi opus eſt divinarum rerum meditatio; & vnde à principio extiterim, & quam ob cauſam: & quis ſit conditor meus: & quomodo is me rebus, creaturiſque vniverſis excellentiorem condiderit, omniaque in manus meas dederit, volatilia, reptilia, beſtias, cœlum, & omnia ſidera, terras, & maria. Et tandem quo pacto me tibi fœtidæ incluſerit, atque coniunxerit: & quonam ex hoc tabernaculo euolatura ſim. CARO. Bene narras: & ego iſta te facere ac dicere cupio, vt eorum rationem naturamque perſpicuè comprehendas. ANIMA. Non alius mihi ſcopus, non appetitio, non deſiderium eſt, quam ſemper commentari; & lætari his quæ dixi. Et gaudeo, & delector, & ſanctæ ſcripturæ ſum dedita. Verùm vt ſus ſe in lutum abiicit & contaminat, & in eo ſe iucundè volutat: ſimiliter tu ſtolida, mihique exitioſa facis. Vt porcus quippe ſpurciſſimus cupiditatib. carnalibus inquinaris, & me H polluis penitus: & deorſum vergis, & mentem ad imaginem Dei factam turbidam reddis, vt, quemadmodum deberet, cœleſtia reſpicere nequeat. Quem gero oculum vitias, atque hinc quandam mutilationem, cæcitatemque animi ſuſtinens, intelligere ac perſpicere cogitationes cordis, & affectiones turbulentas non poſſum. CARO. Cur ita loqueris, domina, cum tu imperium in me teneas: Tu ceu eques equum verſas me quo lubet. Tu omnem poteſtatem meam in manu tua habes: abſque cuius nutu ac voluntate ego nihil vel mali queo efficere. Et tamen maledicis, & irata mihi ſic exordiris.

Excellentiam animæ oſtendit. Nam illa tota gubernatio commiſſa eſt.]

Anima. Haud vera dicis, nec quod res eſt. Similiter enim facis, ut equus ferox, intractabilis, habenas reſpuens, calcitro, & percuſſor, cum lupatum mordens, & per loca, præcipitia currens equitem trahit, hinnit, humum ungula pulſat, ſeſſoremque qua uvis firmum, & fræna tenentem, ſi furere cœperit, ſella excutit, quod peſſimum eſt, & præcipitem agit. Eodem modo nunc quidem inter nos ſe res habet. Os tibi ligneum, & frænorum impatiens, ut equus contrà hinnis, nec duci facilè, nec converti potes: ſed me potius ducere, rapere, & tyrannicè tractare conaris.

Corpori cum anima fœdus non intercedit, nec ut reginam honorat: ſed adverſus eam impudenter inſurgit lege peccati, & lege concupiſcentiæ: & voluptate in conſilium adhibita, in terram ſe abiicit, peccatumque operatur.]

Si igitur flagellavero, & punivero te, ſi fame, ſiti, afflictione maceravero, & laniavero, ſi tot & tot labores tibi impoſuero, & frigore, & nuditate ærumnoſam te fecero, tuoſque ſaltus, & motiones protervas ita compreſſero, per quas in ſuperiorem, & heram tuam calcitras, & te carnem ſpiritui pro ancilla ſubiecero, non habeo qui mecum currat, qui mihi opituletur, quemve in conſectanda virtute ſocium adhibeam. Quomodo ergo fungar actionibus honeſtiſſimis? Contra ſi te colo, ſi tibi parco, ſi te a[illegible], adverſariam te, & hoſtem rabioſam reperio: & fœdas, & confundis me, & tecum deorſum rapis. Et ita rurſum te hic ſociam laboris, & adiutricem adipiſcor. Malevolentiam tuam, rebellionemque timeo. Adiutrix mihi es, & viciſſim obluctatrix. Nunc me oppugnas, nunc adiuvas. Mirum ſane, quomodo utrumque poſſis. Quid capiam conſilij in hoc negotio, penitus neſcio. Si conditore imperante abſolvi à te poſſem, pro deſiderio meo è cuſtodia hac ſordida egrederer, diſcedenſque à rebus iſtis inferioribus, ad dominum, ad patrium ſolum, ad meum vitæ genus aſcenderem, & relicta terra, cœlos habitarem. Caro. Sublime evecta es, & ſupra me ſublata potius, velut materiâ & corpore vacans, velut naturâ Angelus, velut ratione ornata, ac ſempiterna, velut ſola conditoris imaginem & ſimilitudinem conſecuta. Mundus univerſus tuæ præſtantiæ non eſt comparandus.

Chryſoſt. *Noſſe vis, quantum valeant animæ noſtræ? Redempturus eas Chriſtus, non mundum, non cælum, non terram, non mare, ſed illum pretioſum ſanguinem ſuum dedit.*]

Ego vilis, & natura ignobilis, ego peccatis dedita, & carne lutea, & execrabile quiddam, ac deteſtabile, ex quatuor elementis commixta & compoſita, ut tu cenſes. Dic mihi, & impera, ut domina, quod videbitur. Tamen ſi me, quam ut improbam vituperas, & turpem ducis, non haberes, nihili æſtimanda eſſes. Anima. Siccine ancilla audaciſſima, dominæ tuæ reſpondes? cur tu adeò imperitè, & audacter loqueris? Caro. Si audire placet, cur dixerim, quæ dixi, primùm poſita iracundia placidam te exhibe. Ego verò etſi paululum à decoro deflexi, perſonæque reverentiam aliquantum ſepoſui, veritatem ut par eſt latius tibi exponam. Tu me attentè audi, & cognoſce. Sine inſtrumentis, & membris, & partibus meis conditorem afficere laudibus, & venerari, & illi gratias agere non potes. Quod alterum eſt, delictis perpetratis non potes pœnitentiam agere cum lacrymis humilibus, ut Petrus, & meretrix, niſi ego collaborem tibi, & te adiuvem. Vbi te à me ſeiunxeris, tum me verum dixiſſe comperies. Anima. Iterum blateras, iterum contradicis, iterum impudentius, hoſtis mea, reſpondes.

Iſidorus. *Nec libertati impudentia, nec impudentiæ libertatis nomen imponendum.*]

Caro. Quamobrem verò taceam? Quamobrem deſinam? Scio me tibi famulam & ſervam traditam & adiunctam eſſe. Ideo tamen elinguis facta non ſum, nec deſipio. Qui utramque noſtrûm finxit, ſpiritum mihi indidit, & tu non prior me creata es. Nec me figulus quidum, te autem Deus præmiſit. Sine me contempta, & deſerta, & nihil es. Incognita es, ſpectari nequis, otioſa, & iners. Quis enim te novit, quis ſpectavit, quis te vel aliquantum cognoſcit, num pulchra, num deformis ſis naturâ, num prudens, num laudabilis, an planè ſecus: num ingenioſa, num inepta, & imperita prorſus? Anima. Quam ob cauſam tu mihi iſta exprobres, & quid tibi velis, oſtende. Caro. En veritatem perſpicuè tibi pandam. Tota hæc univerſitas, partim ſenſu, partim intellectu percipitur. Intelligibilia intelligibilibus, ſenſibilibus. Vtrumque natura noſtra pro portione ſortita eſt. Quæ ſubiecta ſunt ſenſibus, per ſenſuum inſtrumenta cognoſcit: intelligibilium comprehenſio non ex his ipſis, ſed ex ſola ſenſuum functione gignitur. Hoc modo tu qualis ſis, cognoſceris. Ex iis enim quæ agis, nota evadis. Et Dominus creaturarum his ſolis comprehenditur. Quis enim poſt homines natos Deum vidit? Etenim natura eſt inaſpectabilis, & omnem eſſentiam vincit: ſed ex ipſis creaturis proportione videtur. *Ioan.1.* *inviſibilia enim Dei*, ut magnus ille Paulus ſcribit, *ex his quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, & ex ſapientia, *Rom.1.* amplitudineque qua producta ſunt, conditor, ut dictum eſt, cognoſcitur. Deinde quotquot opera quotidiè fiunt, inſtar præconum omnibus Dominum prædicant. Ex magnitudine enim, & pulchritudine creaturarum, inquit, earum parens & rector perſpicitur Ego motum vitalem abs te accipio, tu viciſſim tui manifeſtationem à me accipis, per quam, ut per inſtrumentum operaris. Ego enim tuum indicium & nota, nec imprudens præco, & teſtis incircumſcripta ſum operum & ſermonum, quæ, & quos per organa mea prodis, & per ipſos, & cum ipſis terrarum orbem peragras. Et apud me occultaris, & ſub umbra mea lates, ut natura intelligentia conſtans, & aſpectum fugiens. Et omnis tua cogitatio, quæſitum, placitum non exit, non effertur, apud te remanet. Non orator, non philoſophus, non geometra, non vates, non magus aliquis, non ullus alius ea cognoſcit, donec à me os, id eſt, ſex quaſi chordas; inſtrumenta ſcilicet ad ſonum vocis edendum inter ſe congruentia ſumpſeris: guttur, fauces, collum, linguam, labra, dentes, & his ſenſum tuum declararis, & dubia explanaveris, in lucemque protuleris, obſcuraque, & occulta omnibus patefeceris. Proſpicis autem per oculos meos, & intueris quæ vis. Loqueris per linguam meam: per aures audis; per odoratum odoraris; per manus meas operaris, & omnes artes ſcientiaſque, à trivialibus & minutis uſque ad maximas per me exerces Nihil ſine hac ancilla, nihil, ſive id ad intelligentiam, ſive ad ſenſum ſpectet, præſtare vales. Ego te manifeſto, ego tibi gloriam affero. Alienis ne gloriare, adventitiis ne inſoleſce.

CAPVT II.

Niſi artus & membra corporis accreverint, animæ functiones non apparere: &, ſi membrum aliquod perierit, aut vitiatum fuerit, ſecundum illud animam nihil agere. Qua in parte corporis animum, ſeu mentem habitare exiſtimandum ſit. Animam & corpus ſibi mutuò creata eſſe.

QVod ſi totum plenè cupis diſcere, attende hic mihi animum, & dilucidè percipies. Nota es ut maxima, pulchrorumque pulcherrima. Ab origine tua

perfecta,

A perfecta, per te conſummata & plena es, mihi inde ab utero materno aſſidens & cohabitans. Ego autem cùm primùm naſcor, infans ſum, fœtus novus ac recens omnino, omnis actionis impotens, & tu per me tunc universè nihil agis. Nec enim articulate quippiam loqueris, nec ambulas omnino, nec aliquid operum manibus meis conficis ſed otioſa es, ut dictum eſt, & tempus inutiliter tranſigis, meque famulam & abiectam tu domine exſpectas, donec membra mea, & partes tibi perficiantur, eorumque conveniens tibi incrementum adipiſcar, plenitudinemque, & menſuram ætatis attingam. Tum demum ad actionem, & praxin procedis.

Anaſtaſius. *Dum corpus noſtrum infantile, & adhuc imperfectum eſt, etiam intellectus noſter velut infans, & imperfectus, & inſipiens eſt, ac nihilo ferè magis, quam bruta animantes diſcernit. Creſcentibus autem membris, ſecundùm eorum accretionem etiam intellectus augeri, &* B *illuſtrari videtur.*]

Quod ſi mihi nec opinati aliquid morbi acciderit, & forte membro mutilata, aut privata fuero, etiam tu ex ea parte ad agendum operandumque imbecilla, & impotens deprehenderis. Quod ſi & cerebri inflammationem patiar, aut alia ratione malè me habeam, ſubitò mecum doles, & attonita, & quaſi epileptica, aut mente capta non aſpicis, non loqueris, nihil penitus facis. Breviter, ſemimortua, & vitæ expers videris. Sicut & ego, ſi oculi mei obtenebrati fuerint, & iis patiar, mox totum corpus meum obſcuratur, ut in Evangelio ſcriptum eſt: (Luc. 11.) tametſi omnia membra firma ac robuſta ſervem. Hoc etiam contingit tibi, ſi mens minus bellè habuerit. Cerebrum igitur in medio capitis collocatum eſt: mens ut regina eſt, cum facultate triplici, memoria, imaginatione, ratiocinatione. Vis imaginatrix in anteriori eius parte, memoria in poſteriore ſita eſt: tertia in medio, cerebri, inquam. Intellige bene quæ dico.

Pſellus. *Caput cùm ſit una quadam pars humani* C *corporis, eius nomen tres illius partes complectitur, quarum media vertex, antica ſinciput, poſtica occiput dicitur. In harum medio ſitum eſt cerebrum, rectà ſub vertice, ubi ſedes eſt animi noſtri, tanquam regis, quem proximè ſtipant facultates principes: longius principes ſimul, & naturales, longiſſimè autem ſentientes. Verùm huic regi tyrannus è vicino imminet, corpus videlicet, & ad eum facultates quaſdam turbationibus obnoxias caducisque inhærentes oppugnandum mittit. Nec ſecus in corpore, quàm in navi vaſtum iſtuc vitæ pelagus animus purus traiicit. Aqua quibus ſupervehitur corpus, inſita in eo paſſiones ſunt, in quibus frequenter, antequam portum attingas, naufragium ſubis, & corporis affectionibus qui navi inſidet animus, ſummerſus & ſuffocatus, undis fertur.*]

Triplex porrò facultas abſque mente, eſt inutilis omnino, quantumvis valuerit, & ſalva tibi manſerit. Nempe ratio, ira, cupiditas, cum quibus & procreata es, & à principio à fictore, & conditore tuo, omniumque effectore proceſſiſti. De cætero ſi in medio cerebrum fuerit validum, tres facultates tuæ quatuor virtutes cardinales, inſtar alicuius quadrigæ generant. D Quæ ratione conſtat, prudentiam, & iuſtitiam; in qua irarum ardores exiſtunt, fortitudinem: cui libidines inſunt, temperantiam. Cerebro aut affecto, perdidiſti omnes, non ſolum quatuor has, & generales virtutes; ſed quotquot harum complexu coërcentur, memoriam puta, ratiocinationem, phantaſiam, opinionem, & vim ſentiendi mentem principem, & feneſtras meas ſentiendi quinque, quinque viſum, odoratum, auditum, guſtatum, tactum in manibus; omnia ſimul pereunt, quæ animæ & corporis, quæ occulta & manifeſta. Quod ſi bene valeat tripartita vis, rationalis, iraſcibilis, concupiſcibilis, nihilominus non habent quod agant hæc tria, patiente cerebro, quod omnibus excellit. Iam ſi vita mea ad ſenectutem maiorem pervenerit, & ad octogeſimum, aut eo diutius ſuperſim, languidaque, ac marcida membra evaſerint, E & alij ſenſus, quibus liberè uteris, nec ita tibi mens damni expers erit. Nec quando in febrim acrem, & quotidianam incidero. Nec cum muſtum bibero plurimum, ſicut Noë. (Gen. 9.) Quantum enim corporis vigor remittitur, tantum etiam intelligentia & cognitio vaneſcit. Inveteratum quippe organum, & vas, ſive etiam corpus totum vigorem efficientiamque priſtinum non ſervat, quæ unà cum corpore creſcit & convaleſcit, & cum eadem rurſum conſeneſcit & flacceſcit: & ex inſtrumento muſico, non bono, nec ſuaves eduntur ſoni. Cerno ego oculis, tu vero pupillis mentis: qua quidem non ſana, omnia perdidiſti. Intellexiſti, cognoviſti, domina, quid voluerim, & quo pacto ſine me honore aliquo dignanda non ſis? Anima. Intellexi, perſpexi penitus, & obſtupui. Vt dixiſti, ut locuta es, ut memoraſti, ita eſt. Neſcio autem, unde tibi horum cognitio, & unde, & à quo hanc ſcientiam compararis. Narra mihi de præceptore tuo, quis & F unde ſit. Caro. Percellis me verbis tuis, & premis, & mirari ſubit, quomodo me tam imperitè interroges, tamquam ſimpliciter percunctere. Dicam tamen veritatem. Nihil per me novi. Ex quo autem nata ſum, & in lucem edita, ſcrutata ſum, didici, Deo adiuvante, mediocriter. Cum didiciſſem autem quomodo quærens quæſitum inveniat, & convertiſſem me ad ipſum, inveni mihi datum, quod quærebam.

Iſidorus. *Mihi mediocrem cognitionem ſeceſſo in ſolitudinem peperit. Nam qui in mediis tumultibus verſatur, & cœleſtia cognoſcere nititur, ignorat in ſpinis ſeminatum ab iis ſuffocari; & eum qui non vacat, Deum non poſſe cognoſcere.*]

Ariſtoteles, & Hippocrates Cous mentis, ſeu animi ſedem eſſe volunt in corde potiſſimùm Galenus diſſentiens, eam in cerebro ponit. Gregorius Nyſſenus aliud iudicat, & phyſicis horum dogmatibus contradicit, dum ita ſcribit. Animus ut res incorporea, non poteſt circumſcribi, non hæret in locis, cum moveatur, nec cohiberi queat: nec in partibus corporis, & G membris manet. Totus autem totum corpus pervadens, quæ ſui muneris ſunt, ut natura ſua fert, ſuopte nutu agit, ſanis partibus pro inſtrumentis utens. Quod ſi aliquod horum infirmum præter naturam fuerit, non operatur animus in affecta parte, ut ſuperiore diſputatione ſatis ſuperque docuimus. Exemplo tibi quod dico dilucidius faciam. Quemadmodum ſi quis faber ferrarius quæ non ſunt agat, multiſque inſtrumentis ad opus è ferro conficiendum uſus ſit, præ aliis autem incude, malleo, forcipe, & his faciat quod facit: nihil enim ſine iis fabricare poteſt. Sic mihi & animum conſidera, ſi non ſanum cor, & ſanum cerebrum, ut inſtrumenta tractet, non habet quomodo convenientia naturæ ſuæ opera capeſſat. Quod autem in his excellentius atque præſtantius ac maius eſt, anima viva, & ad ſpiraculum vitæ condita eſt. Admiranda res maximè, immortalis, par Angelis. Non tamen poſtquam producta es in te ut conſiſteres accepiſti, ſed in me, & apud me, quod magnum eſt miraculum. Ego ficta ſum, & tu mecum condita. Non ſeorſum tu, ſeorſum ego. Non ita eſt domina, ne iſtuc cogites: ambæ ſi- H mul à conditore ſumus conditæ. Non eſt corpus fictum ante animam, nec anima ante corpus ſubſtitit, aut extitit. Hoc veriſſimum eſt Simul enim ambæ, & iterum ſeorſum. Non alterum alteri tempore antecedit, contemporanea, coæva, coætanea vocaris. Nec enim anima ſine carne, nec caro ſine anima omnino facta eſt, nec condita conſtat: ſed ex animatis animatum, & ex viventibus vivens utique corpus gignitur, vivens, animatum, mortale, & corruptioni obnoxium animal homo, ut dicitur.

CAPVT

A

CAPVT III.

Corpore per mortis fata diſſoluto, animam haudquaquam diſſolui & extingui, Platonis argumento confirmatum.

ANIMA. Dogma quod non facile intelligas & auſequare. Coniunctio admirabilis, mixtio noua maximè. Nunc mihi reſponde. Nos conditor creavit, vt dixiſti, ambas omnino, & colligatas vtramque commiſcuit, vt ipſe novit. Tu vero quomodo recedis & fugis a me putredo, & in puluerem terramque converteris, ac interis funditus? Ego autem etiam poſt diſiunctionem nunquam occido. Et ego quidem abſque te viuo, tu ſine me neutiquam. Ego, inquam, viuo, & vigeo. CARO. Rurſum audi dicta elegantia, quæ ego a veteribus ſapientibus audivi. Quod ab aliquo movetur, quidquid illud fuerit, non habet vitam a ſe, ſed ab alio potius, à quo & quod conſiſtit, & mouetur habet. Tantum enim eſt, & apparet, & ſpirat, quantum adeſt illi à quo agitatur, in quo & vna conſiſtit & permanet. Cum autem ab illo, à quo continebatur ſolutum fuerit, deſinit eſſe, quod motu ciebatur, cum deſit quod motum afferebat. Tu autem te ipſam moues, & ſemper moveris. Ex quo neceſſariò ſequitur, te æternam eſſe: Nam quod ſe ipſum mouet, quia nunquam deſeritur à ſe ipſo, nunquam ne moveri quidem deſinit. Quod autem ſemper movetur, viuere non ceſſat: quod non ceſſat, nec deſinit, & fine caret, eſtque à corruptione alienum. Tale autem eſſe immortale, ratione colligitur. Sed etſi ego & corruptioni obnoxia ſum, & mortalis, tamen abs te vim vitalem accipio, & ſpiro & moueor. Rurſum ſi a me ſeparata fueris, vivere amplius nequeo. Nec queo ſpirare ſi abs te divellar. Divellor autem propter ea, ex quibus ſum compoſita; & ſine te nihil ſum, niſi odor teterrimus.

B *Plato in Phædro.*

C

CAPVT IV.

Quam ob rem mundus ante hominem, & corpus ante animam procreatum ſit. Huius nobilitas, illius vilitas.

ANIMA. Et quomodo cum adeo vili & ingloria caruncula coniuncta ſum; Et quomodo non prior fui, præceſſique gloria, tu autem, vt inferior, poſterius è terra formata es? Et quomodo immortalis anima cum mortali carne colligata ſum? CARO. Si hæc vis cognoſcere, attende, diſces. Totus hic mundus animæ cauſa procreatus eſt: omnibus enim præſtantior eſt, non ipſa propter mundum condita. Quod autem inferius eſt, Dominus & creator primùm condidit: maius, vt melius, poſterius conſtituit. Quoniam autem natura animæ ſine comparatione melior & excellentior eſt, vt dixit Dominus, minus, nempe mundus debebat prius produci, vt quoddam palatium, deinde animæ vis imperatoria. Duplicem autem mundum condidit, ſuperiorem & inferiorem. Suprà Angelos, miniſtros, divinæ gloriæ ſpectatores, mentes à concretione materiæ ſegregatas, ſpiritus naturæ tenuis, & igneæ. Naturam inferiorem mortalem, creaturas diverſas, animalia quæcunque terreſtria, volatilia, & aquatilia. Fuerunt autem omnia bona valde, vt ſcriptum eſt. Intellectualia propter cœlum, miniſtratorias virtutes ſcilicet: ſenſibilia propter ſenſum, inferiorem ſcilicet hunc mundum. Naturam inviſibilem, & viſibilem, ſolam, ſimplicem, ſeparatim vtramque hanc quidem corporalem, illam incorpoream. Incorpoream mihi cogita ſupramundanorum, quotquot immaterialis & intelligibilis ſubſtantiæ ſunt. Corpoream autem inferiorem, & comprehenſibilium ſenſu. Nec igitur ſuprà corpora ſunt, nec materia expertia infrà. Homo autem præ omnibus ſolus ex duplici ſubſtantia, ex intelligibili, & ſenſibili, ſuperiorum & inferiorum, fictione & inſpiratione Dei à principio eſt productus. Nam corpus ex inferioribus, anima ex ſuperioribus eſt.

Mat. 16.
D
Pſ. 103.
Hebr. 1.
Geneſ. 1.

E

Chryſoſt. *Solus homo ex duplici ſubſtantia concretus eſt: cætera omnia tum ſuperioris mundi, tum inferioris ſimiliter ex vna tantùm producta ſunt: ſuperioris quidem incorporea, inferioris corporea, ſenſibilia, inquam, & intelligibilia.* IDEM. *Corpus, anima, & ſpiritus. Meminit autem & Moſes. Corporis quidem, dum ait,* Formauit autem Dominus Deus hominem de limo terræ. *Anima, ibi,* faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Spiritus ibi,* & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.]

Geneſ. 2.
Geneſ. 1.

Præſtantior pars de ſuperorum, deterior de inferorum numero eſt. Animal ſapientiſſimum, mixtum ex his ambobus, animam ad imaginem Dei continens. Et hunc, magnum mundum in parvo, & in medio intelligibilium, ſenſibilium, animatorum, inanimatorum collocauit: vt vtriuſque mundi oblectamentis & bonis, tanquam cognatorum, abundanter merito frueretur. Divinis quidem per animam à Deo ſuppeditatis; terrenis per corpus, vt ab ipſis ex fide conditori fructum afferret. Virtutes porrò adminiſtratoriæ, ordinum, qui intelligentia cernuntur, animæ, & tabernaculo eius præſunt: quemadmodum magnus, & divinus præco Paulus confirmat. *Nonne*, inquit, *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis?* Et Saluatorem docentem audi, *videte*, inquit, *ne contemnatis vnum de puſillis iſtis. Nam eorum Angeli ſemper vident faciem patris mei*, cui cum tremore aſſiſtunt.

F
Hebr. 1.
Mat. 18.

Chryſoſt. *Cæleſtes igitur Angeli hominibus bonis miniſtrant: mali autem dæmones ſuppliciis peccatoribus infligendis inſerviunt.* Immiſit enim in eos iram indignationis ſuæ. Indignationem, iram, & afflictionem per Angelos malos immittit. *Dæmones itaque licet voluntate rebellent, tamen iugo ſubiecti ſunt, & quaſi carnifices quidam, à Deo & ſanctis imperata exequi iubentur. Non enim ſua auctoritate, ſed inuiti faciunt, quæ illis mandantur.*

Pſal. 77
G

Propter hæc mundum hunc prius produxit, & veluti palatium aliquod tibi ſubiecit. Mundus autem è quatuor elementis compoſitus & coagmentatus eſt, quæ ipſe Deus nulla ſubiecta materia creauit: ex his, inquam, mundum verbo fabricatus eſt. Primum & ſummum elementum eſt æther, ſive ignis, cui ſubeſt aër, & huic aquæ: infimum locum terra obtinet. Reliqua ſingula, & particularia, quotcunque, & qualiacunque ſunt, minora & maiora, beſtiæ, iumenta, ſtirpes, reptilium genera, arbuſtorum germina, & herbarum ſemina, deinceps, vt magnus & ſapientiſſimus ſuperùm & inferùm opifex mandauit, ex elementis extantibus prodierunt. Poſtquam verò mundum hunc inferiorem conſummauit, poſtremo loco hominem, vt illius principem futurum, condidit. Nec enim prius regem venire oportebat, quàm ei tabernaculum & domicilium, & quibus egeret, eſſent conſtituta: ſed palatium paratiſſimum eſſe conveniebat, & omnia demum, quæ vſus, & commoditas poſtularent, & ita eum intrare. Siquidem & herbam ante, quam pecudes procreauit. Vt ſi quis inſignis paterfamilias amico, & vicino ſuo magnificum epulum appararet: ac principio vitulo, & tauris mactatis eſculenta, ac poculenta pararet, menſamque inſtrueret: deinde amicum conuiuam introduceret, qui lautiſſimis illis epulis deliciiſque ſe expleret. Itaque ſicut dixi, ita factum eſt, & vniverſitate condita, primùm fictum eſt corpus, poſtmodum anima, pars hominis præſtantior creata eſt. Prius extitit quod ſeruit, poſterius quod imperat.

H

Chryſoſt. *Cogita mihi formationis ordinem, & conſecta, quemadmodum teſſificatio Domini facta ſit ipſi*

A *in ſpiraculum vitæ*, & factus ſit homo in animam viventem. *Quid igitur formatum? Simpliciter imago inanima: & otioſa, & inutilis erat. Quare & prius corpus producitur, & poſt anima, ut honoratior, & nobilior.*]

Sapientium & antiquorum magiſtrorum ratio quædam ſeu doctrina eſt, quod propter aliud fit, quidquid illud aliud tandem ſit, inferius eſſe illo, propter quod ſubſiſtit: idque ante alios Salvator docet, Matt. 6. *nonne anima*, inquit, *plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum?* Nullo enim modo anima propter eſcam, nec corpus propter veſtimentum formatum eſt: quin contra potius, duo illa horum gratia quæruntur. Corpus autem ut vehiculum animæ honorandæ, & gloriolæ prius factum eſt. Sed age, attentionem renova. Quoniam hominem geminum, ſeu duplicem facere conſtituit, ex anima nimirum, & corpore, corpus priore loco B format ex quatuor primis corporibus, ex ignè, aëre, terra & aqua: ex calido item, & frigido, humido, & ſicco, ex ſanguine, phlegmate, flava, & atra bile, perque horum, & ex horum quatuor quaternione carnem fictor ille fingit. Poſtea animam quoque inſpirat. Inſpirat autem unde vult, & ut melius novit, non ex elementis, ut cætera, cohærentem: ſed ut ſuprà dixi, de ſupernorum ac cœleſtium ordine, conditioneque, immortalem, incompoſitam, ſimplicem, & divinam, ſupernæ nobilitatis angelorum participem, & ad illos amoris deſiderio contendentem: quanquam carni mihi, deorſum te trahenti alligata es. Ephes. 6. Vt cum luctata contra principes tenebrarum, ſupernæ gloriæ hæreditatem ſortita fueris, indeque certaminum præmium acceperis (ut quæ bonum ipſa elegeris, & non à Deo tantum) opitulatrix, & adiutrix ancillæ tuæ appareas, & hic infra morantem, ad ſuperos tecum evehas, & hoc onere levatam, me pauperem deſpicabilemque conſervam & *συνεργὸν* tuam ad Deum unà introducas, contubernalemque, & individuam comitem me, & civem eorum qui illic ævum agitant, quamvis indignam habeas. C Reginam te fecit, me autem ut ſubditam, miniſtram, famulam, alieno arbitrio ſubiectam, ancillam. En, quod quærebas diſſolui: quomodo nempe, tametſi naturæ nobilitate, prior me ſis, mihique honore & excellentia antiſtes, non tamen prior procreata ſis.

C A P V T V.

Vter Protoplaſtorum, & utra pars animæ potius peccarit. Superbiæ deteſtatio, cuius auctor & origo Lucifer.

ANIMA. Etiam hoc quæſitum ſatis ſuperque ſolviſti. Quoniam verò mihi imperium auctoritatemque, tibi ſubiectionem & locum ancillæ tribuis, hinc iam hoc quoque præter alia diſſere ac doce. D Vtrius protoplaſtorum in mandato tranſgrediendo delictum magis fuit. Et uter potius peccavit, ſpiritus intelligentiæ compos, an pars in qua non ineſt ratio. Vehementer ſcire iſtuc cupio. CARO. Difficilis eſt tua quæſtio, domina, meamque propemodum ſcientiam, & captum excedit. Veruntamen, ut ſcripturæ mediocriter perita, quæ inde habeo, & didici, fidenter tibi de re propoſita enuntiabo. Animam ratione præditam certo noſti, à conditore ab initio armis probè munitam fuiſſe, & munitam ad auxilium habendum, & pugnandum adverſus ſeductorem. Arma intellige vim iraſcendi, & concupiſcendi. Veruntamen quæ ad ſuum apparatum & munitionem habuit, his ipſis contra ſemet ſtultè uſa eſt.

Gregorius. *Anima intelligens non habet ſubſtantiæ ſuæ ſocias iram & cupiditatem, quæ animæ ratione carentis propria ſunt. Partes quidem illius ſunt, quatenus ei agnatæ ſunt. Veruntamen ſubſtantia & natura, ſicut* E *mens & ratio, cum ea non communicant: ſed ut adiuncta & adventitia.*]

Inimicus quippe improbi ſerpentis ſpecie velatus, verbiſque doloſiſſimis Evam allocutus, divinitatem eos conſecuturos, ſi de ligno vetito guſtarent, Gen. 3. nobilitatem ſpiritus in fraudem pellexit, & in iudicium rationi minimè conſentaneum ratio delapſa eſt, dum lignum guſtare, & Deum fieri ſibi utile futurum cenſuit. Peccavit item pars cupiditatis maxima, dum eſcam illam, & divinitatis adeptionem æquè amavit.

Sæpiſſime pars animæ, in qua ſunt cupiditates, ægrotat, & tunc mentem unà ſecum trahit, atque ad conſenſum in peccatum inneſcat.]

Primùm tentavit voluptas, mox vana gloria. Illa lignum oſtendit, fallacia quaſi flatu quodam incenſa, F quòd aſpectu delectabile, & bonum ad veſcendum. Hæc, divinitate potiri, maius eſſe rebus univerſis. Iſta duo, domina, Evam falſum perſuadendo circumvenerunt, perque illam, & ab illa etiam Adamum.

Eccl. 25. A muliere quondam initium peccati, & per illam Eccl. 24 omnes morimur. Parva eſt omnis malitia ad mulieris malitiam. Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. A mulieribus enim procedit iniquitas, ſicut à veſtimento tinea.]

Nec verò impoſtor ſolùm ratione & cupiditate affectis, fraudulentam hanc luſit comœdiam: ſed inſuper tertia facultas, iraſcendi videlicet, plagam ſenſit. Qua cum adverſus illum uti oporteret (quo conſilio Dominus ipſam dederat) Eva potius cum eo fœdus inivit, ad deteriora illecta, & mentem, qui eſt oculus interior, convulnerata. Et hinc, ſicut diximus, ſpe divinitatis obtinendæ, de ligno ſcientiæ boni & mali guſtavit. Anima igitur carnis expers peccato ſe obligavit. Veruntamen age, domina, attende, & vide ſuperbiam, moreſque inanis gloriæ, qui nos omnes perdiderunt. Quæ olim primum, & præcipuum, cœleſtiumque exercituum principem Angelum cœlo deturbavit, & natura lucidum, tenebroſum reddidit: qua G & ille cecidit, & omnes cadere concupiſcit, à quo ſuperbiæ morbus manavit, qui omnibus eo laborantibus exitium ſine controverſia parit, eſtque univerſis animi morbis deterior ac pernicioſior. Huic qui ſervit, Deum habet adverſarium; è diverſo, inimicum humani generis ſocium & amicum. Iacob. 4 *Superbis enim*, ait Scriptura, *Deus reſiſtit*, quemadmodum celeriter ſeductori reſtitit.

C A P V T VI.

Animam potius, quàm corpus ob ſcelus primævorum parentum pœnas luiſſe. Quo pacto utriuſque corpus miſerabiliter commutatum ſit. Mortem videri pœnam levem, & conducibilem. Animam hinc exeuntem, bene aut malè habituram.

ANIMA. Quod ex tuis verbis eſt colligere, videtur caro paſſa iniuriam. H Si enim anima deliquit, cur pœna ad carnem pervenit? Ea ſiquidem, ut patuit, morte damnata eſt, atque in interitum, & vitam ærumnis plenam ruit. Anima vero, antea immortalis, etiam poſt lapſum immortalitatem retinuit: & cum pœnas dare meritò deberet, nullas dedit.

Chryſoſt. *Quid igitur? iniuria afficitur caro, propter animam corruptioni obnoxia? nequaquam. Etenim propter animam caro, dicimus. Quæ igitur propter ipſam facta eſt, quomodo iniuriam accepit, ſi hoc ad ipſius emendationem paſſa eſt, & pro ipſa patitur? Nam quia illa peccarat, mortalis ipſa evaſit: quæ ſi rurſum iuſtitiæ ſervierit, magna denuo per illam gloria fruetur. Id quod & alibi factum invenies. Nam cum homo peccaſſet, terra*

maledicta

A *maledicta eſt :* Maledicta enim, *inquit* , terra in operibus tuis. Spinas & tribulos germinabit tibi. In dolore comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. *Etenim maledictio in ipſam, hominis voluptatem & licentiam labefactavit. Hoc item in diluvio perſpicies. Nam cum homines in ſcelera ſe effudiſſent , animalia bruta quoque cum nihil peccaſſent, eandem tamen cum ipſi pœnam ſubierunt. Semper quippe Deus peccante anima corpus punit. Sic & in Cain fecit. Anima peccavit cæde perpetrata, & corpus eius diſſolutum eſt, gemens & tremens ſuper terram. Similiter & in Ozia. Elevatum eſt cor eius , & mox in facie illius lepra apparuit, &c.*

CARO. Immo verò, tota animadverſio non ad corpus , ſed ad animam pertinet potius : tametſi videatur nihil pœnarum , ut ais, perſoluiſſe. Cuius rei paradigmate quodam tibi fidem faciam. Si rex quiſpiam natura humanus à crudeli tyranno mancipium emat lon- B ge calamitoſiſſimum , ærumnoſiſſimum, maximè miſerabile, exili corpore , nudum, macie confectum, natura morbidum , vehementer bilioſum, petulans, improbiſſimum , vituperabile, probroſum, indignum aſpectu, lepra & ſcabie coopertum, plenum dedecore , placidis oculis ; ſi , inquam , huiuſcemodi ſervum emat , eumque reſpiciat , curæ ac diligentiæ quam plurimum illi adhibeat , & quidquid habet morbi, ſordium , ac fœditatis, ab illo depellat , & deſtringat, veſte pulcherrima induat , ſtationeque & loco primo eundem dignetur, aulicorumque præcipuum faciat : ille autem iſta vilipendens , tantum beneficium nullo modo capere ac ſuſtinere, queat, contraque regem benefactorem maximum & Dominum malevolè manibus & calcibus inſurgat , & in illum aliquid novi ſceleris meditetur, deprehendaturque & cognoſcatur homo peſſimus, & auferantur ab eo pecuniæ , facultates , gloria , fœlicitas, panniſque vetuſtiſſimis, inutilibus, laceris ad riſum & ludibrium tandem induatur, ut qui manus adverſus benignum Dominum petulanter ſuſtulerit ; damnatuſque in C carcerem, aut in locum, inſulamve deſertam, & inhabitabilem proiiciatur : ut detrita , ac lacera veſtis , quæ ad annum ſeptimum , aut octavum ſuffecerat, putrefacta ſolvatur , indeque ille miſerrimus nudus obambulet, donec vitam ærumnoſam tot malis oppreſſus decurrat ; cedò , domina, cuius eſt damnatio, & quis delicta luit ? Num ſtolidus & petulans famulus , ut qui manus regi intulerit ? Ille proſcriptus, in carcerem concluſus, & iuſtè mala perpeſſus, qui natura intelligenti, & voluntate libera præditus eſt : an pecuniæ, facultates, divitiæ , & gloria , quæ animo externa ſunt , quibus eſt ſpoliatus? ANIMA Potius homo ipſe, ut demonſtraſti, damnatur, & pœnas ſuſtinet, quamvis corpus nondum ſuppliciis ſubiectum eſt, nec quidquam aliud extrinſecum pertulit. CARO. Dic mihi, & iudica, quemadmodum iudicas, num putas iuſtè latam eſſe ſententiam , qua ille proſcriptus , & gloria ſua eiectus eſt ? ANIMA. Iuſtiſſimè, probiſſimè. Niſi enim eſſet humanus ille rex, in membra corporis vindictam exercuiſſet, non tantùm externis ipſum multaſſet. Itaque contumelioſo illi corpus illæſum reliquit. CARO. Bene reſpondes, & ut ſe D res habet, fers ſententiam. Veruntamen ſuper anima & carne hæc ſcienda ſunt. Quoniam anima in his , propter quæ procreata fuerat, permanere noluit, nec contenta eſſe illuſtri dignitate , quam ſortita erat , & pulchritudine mundi legitimè frui, ut paterna hæreditate, natura & gratia ſibi tradita , & præſens tanquam non præſens rapere voluit , paremque illum cum domino honorem ad ſe derivare inſipienter ſtuduit , elata gloria, qua deſuper dives erat , carne à Deo ficta atque à principio condecorata , cuius ſubtilitas incredibilis, cuius pulchritudo admirabilis , lapſum privavit, ne iterum laberetur. Luci enim ſtellarum, & lunæ primævam protoplaſtorum pulchritudinem aſſimilavit , ſpectaculum ineffabile , ſingulare , incomparabile , ſine veſte, ſine artificio, non egens tegumentis, gloria & pulchritudine ſolem omnino æquans. Sic enim illi quamvis nudi, nihilominus clarum fulgebant , & gratiæ ſplen- E dores iaculabantur. Et hanc quidem carnem induuntur ex cauſa quam dixi. Fluxa autem & corruptibili natura , inſtar foliorum , ab univerſitatis opifice poſtmodum veſtiuntur. Non qui mutaſſet pulverem , aut naturam eius : ſed qui priorem ſubtilitatem abſtuliſſet. Et ab Eden , & deliciis illis eiiciuntur , ut ligno vitæ orbentur ; quòd Deus curaret , non autem (quod abſit) invideret , impetumque peccandi & errandi cohiberet. Mors autem non eſt mors, tametſi quædam pœna eſt : ſed remedium quoddam benignum, quo ad conducibile nobis tranſimus : & pœna eſt plena humanitatis, ut etiam malum non ſit tandem immortale : ſed ut mortui , à peccato iuſtificemur. Servit igitur animæ caro peſſima in annos viginti, aut amplius, vel centum etiam : quamquam quis eo uſque vitam producit? Quá enimcumque diu vincula illa duraverint , tandem rumpuntur , & corpus in ea reſolvitur , è quibus à F principio eſt formatum , terrenus poſtremò in terram redit. Corpore autem intereunte , penitus nudaris & deſolaris manifeſtè per quod appares , quodque ipſa contines , nec ullò modo ab ipſo contineris.

Gregorius *Non enim eſt anima in corpore ut in vaſe , aut in utre aliquo : ſed contra potius corpus in anima , quæ non ab ipſo continetur , ſed ipſum potius continet.*]

Soluta igitur , ſurſum ad conditorem proficiſceris. Veruntamen ſi cuſtodieris etiam mentem (ut fas eſt id, quod ad ſimilitudinem Dei eſt conditum) non depravatam , à vitiis liberam. Proficiſceris , inquam, intelligens ad intelligentes (ducibus angelis) quibus cum tibi cognationis & naturæ , & patriæ ſocietas intercedit ; ad lucidos , coruſcos, & lumina altera.

Haud enim per ſe anima ad vitam illam evolat , quod non poteſt : ſed à ſanctis angelis deducta.]

Chryſoſt. *Præſens enim vita via quædam eſt , ſuperna manuductione opus habens. Si namque in urbem aliquam abituri neceſſarius eſt nobis qui viam monſtret , quanto magis in cœlum abituri , ſuperna indigemus ope , quæ & monſtret iter , & nos confirmet , & manuducat. Multæ* G *enim ſunt viæ aviæ. Ceterùm duci nos eò , Dei munus eſt : ut autem digni ſimus Deo , & eius manu teneamur, ſtudii noſtri eſto. Si enim immundus fueris , non te illius manus continebit.*]

Pura ad puros, in virtute à Deo data , & gaudio impleris eorum , quæ in cœlis inveneris. Quod ſi contra aliqua & operibus nigra & caliginoſa fuerit, à tenebroſis & caliginoſis angelis abducitur. Et quia tenebræ eſt, cum his tenebras ſortitur (ut illaudatis motionibus implicita) cum earum præfectis, & curatoribus. Nam naturæ animarum reſpondent actionibus ſuis , & omnimodis unaquæque talis eſt , quales actiones eius apparent. Si opera lucis fuerint , illuminantur naturâ: ſin tenebrarum , participes fiunt tenebrarum. Anima quippe ab initio corpori immiſſa, velut viſco adhæret, & tota quodammodo illi coaluit , & per ſpeculum corporis inſinuatur & reſpicit , obſcurante & obtegente carne naturam incorpoream ; à qua ubi ſeparata fuerit, clarius perſpiciet.

Facie ad faciem. *Non quòd Deus faciem habeat ; ſed clarius videlicet, & manifeſtius.*] 1.Cor.13

H Hic paradigma ſive exemplum quod attuli , finem habet. Id ſi non optimè convenire , nec undique ipſi rei propoſitæ reſpondere exiſtimas , quodcumque paradigma conſidera , & diſce , ſemper illud leviter rem attingere , ſeu ſtringere , non planè tangere , nec eſſe omnino par : hoc enim modo eſſet idem. Quod autem idem eſt, nunquam παράδειγμα vocari queat.

Digitized by Google

A

CAPVT VII.

Quid ſignificet, ad imaginem, & ſimilitudinem: *& verius ſecundum animam nos eſſe homines. De celeritate animorum incredibili.*

ANIMA. Et qualem tandem arbitraris eſſe hominem? Explicandum mihi. An ſolum corpus, quod corrumpitur: an (penes quam imperium eſt) anima illud, *ſecundùm imaginem, & ſimilitudinem*, ut ſcriptum eſt, citra ullam mutationem ſervat? Moſes enim litteris tradidit, hominem ad imaginem Dei procreatum eſſe, eum quem primum ab initio Deus condidit. B Quonam pacto autem citra animam corpus homo vocatur? rurſumque, quinam ſola anima homo appellatur, abſque corpore, cum quo ſubſiſtit? Etenim ille (Geneſ.2.) ſpectator Dei ſcripſit in Geneſi, Deum de pulvere terræ hominem formaſſe. Corpus igitur quomodo tam apertè hominem nominavit? Nam ſpiraculum vitæ poſtea, poſt primam ſcilicet formationem, in faciem inſpiravit, ac poſtmodum in animam viventem factus eſt. Ad utrum igitur illud, *ad imaginem, & ſimilitudinem* pertineat, velim me doceas, ad animam ne, an ad ſervum, & conſervum corpus. CARO. Docebo, & ex Pauli ſcriptis teſtimonium firmum deſumam, unde rem cognoſcas. (2.Cor.4.) *Licet is, qui foris eſt, homo noſter corrumpatur*, inquit, *tamen is qui intus eſt, renovatur de die in diem.* Homines igitur hæc ambo nominavit, internum & externum: utrumque ſeparatim, quoniam utrumque animam habet & corpus. Veruntamen propriè ſecundùm animam homo vocari poteſt. Ne tu mihi externa, & quæ in oculos incurrunt, conſidera, neque illam corporis formationem tecum repu- C ta. Caro enim velut indumentum, & tegumentum quoddam concipienda eſt. Illud, *ſecundum imaginem*, ut paucis dicam, anima eſt. At enim ſecundùm gratiam iſtuc, non ſecundum naturam intellige. Noli enim exiſtimare, domina, corpus hoc quod corrumpitur, hominem nuncupari, tametſi ſcripturam dicentem audias, *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: Sed intellige animam potius ibi hominem dici, non, inquam, hunc quem videmus: ſed qui intus latet: naturâ ſcilicet aſpectum fugientem, interitus expertem, & præſtantiorem. Porrò hoc ipſum hinc aptius percipies. Ipſa ego ſecundùm animam homo ſum. Meum enim corpus dicitur: nam corpus eſt animæ corpus. Non enim aut manus *ego*, dicit aut pes, aut membrum aliud: ſed vox iſta, *ego* planè eſt animæ. Cætera omnia quæ corporis ſunt, pedes, manus, membra, & partes eius vocantur ab his, qui ſciunt illud à principio tanquam inſtrumentum aliquod, ſeu vehiculum eſſe fa- D ctum, ut oſtendimus. Itaque & hinc animam potius eſſe hominem exiſtimandum eſt. Ratio porrò regina in perturbationes imperium habuit, & homo imperium in creaturas totius orbis. Quatenus præeſt ut princeps, & Dominus, homo imago Dei eſt, & vocatur.

Theodoretus. *Homo neque ſecundùm corpus, neque ſecundùm animam, ſed ſecundùm imperij maieſtatem duntaxat Dei imago eſt. Vt igitur omnium quæ in terris ſunt principatu inſignitus, Dei imago appellatur. Mulier autem ut ſub viri poteſtate conſtituta, gloria eſt viri, & velut imaginis imago. Eſt quidem & ipſa aliarum rerum princeps, veruntamen viro ſubeſſe iuſſa eſt.*]

Præſtantiſſimum maximéque primum in anima certum eſt mentem eſſe, cui facultas celerrima, & incomparabilis data eſt. Habitat quidem in anima, & puncto temporis univerſum mundum peragrat, ac citra defatigationem, Boreæ. & Auſtri, orientis occidentiſque climata percurrit: mare, continentem, inſulas pervadit cœleſtia, & ſupercœleſtia attingit. Eſſentia quidem minimè, ne iſtuc cogites, neve dicas: ſed vi cogitationum, & imaginationibus ſolis. Sola divinitas omnibus E & ubique præſens adeſt, ſubſtantialiter, & naturaliter, ut natura ſupra naturam, ut ſola ſuperſubſtantialis, ut ſola inexplicabilis. Itaque *ſecundum imaginem* principatum dilucidè ſignificat. Verùm quemadmodum nemo eſt ſuperior, nec æqualis Domino (omnia quippe omnium conditori cedunt) ita in terris nihil eſt homine ſuperius ac maius. Ille enim Dominus & creator eſt omnium ſimul: te autem per gratiam ſuam principem omnium quæ in terris ſunt, facit. Omnibus iumentis præſumus, omnibus natantibus, & terrenis, univerſis, ut breviter dicam, imperamus, reptilibus, volatilibus, piſcibus, beſtiis, & quotquot tandem animantia ratione carentia Deus creavit. Iam igitur cuius, & quale ſit illud *ſecundùm imaginem*, cognoviſti. Rurſum illud, F *ſecundùm ſimilitudinem* in nobis ſitum eſt, noſtræque voluntatis, & conſilij, & morum eſt. Etenim aſſimulamur ratione etiam Domino, ſi mores ex virtute manentes, ut decet, induamus. Nam poteſtatem qua ſecundùm Deum vivere queamus, ſi modò velimus, ipſe nobis indidit, faciendique optima & ſalutaria, & divina, per quæ quis pro modulo ſuo ſimilis Deo evadit, quà veritate, miſericòrdia, iudicio videlicet.

Baſilius. Secundùm imaginem, *eſt nimirum poteſtas illa regia & imperatoria.* Secundùm imaginem *habeo ex eo, quod ratione ſum præditus*: ſecundùm ſimilitudinem *autem fio ex eo, quod bonus fio. Et*, ſecundum imaginem *quidem ſum, ut qui revera ſim, & ſemper ſim: & ſi non abſque principio: ſed tamen ſine fine.* Secundùm ſimilitudinem *verò, ut bonus boni, ut ſapientis & quidem naturâ ſapientis, ego per gratiam ſapiens. Et*, ſecundùm imaginem *quidem Dei eſt omnis natura intelligens*: ſecundùm ſimilitudinem *autem ſoli boni ac ſapientes.*]

Vt ſi ſtuduerimus vitam probam agere, & nos virtuti deditos probaverimus, etiam mercedem ut debitam, non gratuitatem: non temerè, ſed propter ope- G ra tantum præbitam accipiamus: ex quibus quiſpiam pro captu humano conditoris ſimilitudinem acquirit: ſicut homines docet perfectos fieri, cœleſtem, & omnimodis perfectum patrem imitantes, qui communiter, & ex æquo pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & ſolem ſuum omnibus oriri facit. (Matt.5.) Si igitur tu quoque vitam Deo placitam amaveris, fuerìſque fratrum amans, & miſericordiæ ſtudioſa, mitis, humana, conditorem ſimilitudine quadam expreſſiſti. Veruntamen *ſecundùm imaginem* habes donum à Deo, & facultatem rationem, & imperij principatum & (quod quartum eſt) auctoritatem, qua nihil maius: *ſecundùm ſimilitudinem* vero ex operibus virtutis. Si enim & hoc donum eſſet, ut prædicta, ubi eſſet quæ tibi refertur gratia? quomodo coronateris? & ſuperna regia quomodo aperiretur tibi? Itaque bonum eſt ſaluari, & ex laboribus ſuis, ex quibus coronam ut debitum, non ut donum adipiſceris: quod pigritantium, vel potius puſillanimium, & illiberalium ſervorum eſt. H

CAPVT VIII.

Corpus Adami nec interitui obnoxium, nec ab eo alienum eſſe conditum

ANIMA. Etiam hæc diſertiſſimè diſſeruiſti, ſatiſque demonſtraſti. Verùm agè, & hoc mihi cupienti ediſſeras, corpus protoplaſti, mortale ne tantùm, an contra immortale principiò formatum eſt? CARO. Nec mortale & corruptibile, nec contra immortale: ſed inter mortalem immortalemque naturam medium, & maximè inter hæc utraque. Vt ſi quidem partem meliorem eligeret, legiſque præſcriptum ſervaret, ex opere æternitatem conſequeretur. Si autem cupiditatibus rerum labentium cederet, & corruptibile, & mortale corpus geſtaret. Si enim conditor

A prorſus immortalem condidiſſet hominem, non eum morte damnaviſſet: immortale enim mortalitate, quis damnaverit? Sin condidiſſet mortis in omne ævum expertem, alimento corporeo & corruptibili, ac terreſtri non eguiſſet. —

Chryſoſt. *Quoniam enim hominem corruptibilem nutritura erat, creaturam ipſam quoque huiuſcemodi eſſe oportebat. Non enim intereuntia corpora incorruptibili alimonia victura erant. Sequebatur ergo, ut & creatura corruptibilis fieret.*]

— nec aliquo modo delicti cum pœnituiſſet: quomodo in ipſo primo angelo contigit: quem etſi, adverſus conditorem elevatus eſt atque inſurrexit, tamen cum immortalem, ut prius, manere ſivit, & manent immortales illi ſpiritus, tenebrarumque participes.

B

CAPVT IX.

In quas oras anima ex hac luce commigrent.

ANIMA. In longum huius dogmatis diſputationem produximus. Non quia dubitaremus, aut cavillaremur: ſed, quod in primis oportebat, ut diſceremus, non ut tantum percunctaremur. Quoniam autem & hoc finem optatum accepit, tempus opportunum eſt ad alia tranſeundi, quæ ab initio propoſui, ne in oblivionem veniant. In omnibus autem quæſtionibus, peto ut mihi ignoſcas. CARO. Eloquere quid quæras: haud enim memini. ANIMA. Illud erat quod percunctabar, quibuſnam in locis, & quibus regionibus iuſtorum, peccatorumque ſpiritus poſt diſceſſum ex hac luce, uſque ad Chriſti adventum vivere ſtatuendum eſſet. CARO. Si noſcere vis, quomodo ſe
C habeat, quod interrogas, adverte animum his quæ dicam, & veritatem percipies. Scripturæ docent, excelſiſſimum eſſe locum, in quo animæ iuſtorum requieſcant. Hic autem locus diverſis nominibus appellatur. Nempe regio viventium, terra mitium, tabernaculum à Deo factum, civitas altiſſima, torrens odoratiſſimus,
2. Cor. 5 ſonitus feſtum celebrantium. Et hæc quidem ex Epiſtolis Pauli ad Corinthios, & Philippenſes conſtant. Inferior autem incolatus, & temporaneus, & ſervilis eſt, tabernaculi huius, quo diſſoluto, domum aliam in ſuperis habemus, cuius ædificator Dominus, cuius opifex Deus.

Terrenam autem domum præſentis vitæ curſum & inſtitutum, tabernaculum corpus appellat. Si igitur, inquit, præſens vita finiatur, domum non manu factam habemus, *cæleſtem nimirum, nempe ut cum Chriſto ſimus.*]

Soluti igitur corporibus, conſtanter credimus abductum nos iri ad Dominum, quicum eſſe præſtat.
D Quare & amabilem illam vocem emittit, cupio diſſol-
Philip. 1 vi, & hinc abſolui, ut cum Chriſto vivam, quicum eſſe deſidero.

Propter perfectionem diſſolutionem deſiderat. Non enim ſimpliciter ex hac vita diſcedere bonum dicimus: ſed bonam famam conſecutum diſcedere.]

Sapient. 3. Et Salomon Rex, ut videns (futuri providus, ut Prophetæ, qui videntes dicebantur) ita ſcribit: *iuſtorum animæ in manu omnipotentis Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Ioannes autem Damaſcenus, vir ſapientiſſimus, verè ipſa gratia, quod eius nomen ſonat, animas quidem habetis (inquit in hymnis martyrum) in civitate cœleſti, in qua habitantes, cum domino vivitis, pro quo & occubuiſtis. Et plurimos alios teſtes, & maiores inter ſanctos dictis meis aſſtipulantes producam tibi, Gregorium, Baſilium ſummos magiſtros, Gregorium Nyſſenum, Andream Cretenſem, & illud aureum, divinumque, os, omnes ſimul concorditer, & unanimi conſenſu, omnium Sanctorum animas in cœlo eſſe confirmantes. Oportet enim mundum ſupernum impleri omnimodis (ut magna illa, & vigil mens Gregorius ſcribit) è quo delapſus Satanas, ut fulgur de cœlo cum angelis ſuis, domino E
teſte, proiectus eſt. Poſtquam autem locus ille vacuus Luc. 10.
impletus fuerit, conſumationem ſæculi, & iudicium exſpecta. Teſtis, & citra exceptionem Paulus, qui Coloſſ. 1. Rom. 8.
omnium caput & principem Chriſtum, poſtquam reſurrexit, primogenitum mortuorum, & primogeni- 1. Cor. 15.
tum in multis fratribus, & Adamum ſecundum nominat.

Chryſoſt. *Adam Chriſtum adumbrabat. Nam ſicut ille poſteris ſuis, quanquam de ligno non comediſſent, cauſa exitij per eſum illum inducti factus eſt: ita & Chriſtus in ſe credentibus, quanquam iuſtitiæ opera non habentibus, cauſa iuſtitiæ factus eſt, quam per crucem omnibus nobis donavit.*]

Qui & primo prior, & prodromus nobis ad patrem præivit, & in eius throno glorioſo ad dexteram conſedit, ſimul omnium caput, ut & capitis corpus paulatim eo congregetur, & congruenter aptetur & F
coagmentetur. Nec enim corpus ſit, abſente capite nec rurſum caput, ſi abſit corpus.

Chryſoſt. *Non quod ea ſola (anima) ſalvetur: ſed (ut eſt in confeſſo, & cui refragari nemo poteſt) quod ſaluata anima, etiam corpus in reſurrectione ſalutis particeps futurum ſit.*]

Cæterum animæ bonorum ſolæ nunc evehuntur, per ſe, ut poſſunt, omni nexu ſolutæ, ad omnium caput & Dominum vadentes: poſt reſurrectionem verò, etiam cum ipſis corporibus evehentur.

Climacus. *Qui ſapiunt quæ Dei ſunt, emigrantes ab his rebus caducis parte ſui ſuperna ſcandunt: contrà, qui res fluxas & infernè poſitas, infra deſcendunt. Nam quod ſeiunctum eſt, anima, inquam, de cætero in medio non manet: qui cæleſtia, inquam, ſapiunt, ita in ſuperna evolant, ut in terra corpus relinquant. Qui autem terrena & carnalia ſapiunt, poſt mortem ad inferos devolvuntur.*]

Papæ, quanta gloria, quantus honor? Papæ, quantum myſterium? quàm multa dona, quàm multa bene- G
ficia, in quibus à principio cum conditore communicavimus, & quæ à conditore uſque in finem, & in ſempiternum obtinemus. Tu crede, & fidem habe hæc dicentibus, ut vera de bonorum animabus ſentientibus ac docentibus. Quod ſi etiam cognoſcere lubet, ubi peccatorum animæ inveniantur, & quo deveniant, de hoc quoque dicam. In partes terræ infimas & locum abeunt, in mortem caliginoſam. Attende, & con- Pſal. 29.
ditionem illam defle. David pſallendo gratias agit, qui eduxerit ab inferno animam ipſius, ut omnipotens, Iob. 10.
nec ſiverit, ut miſericors, diutius tyrannidem pati. Quin & Iob inferni loca lamentatur, vocans terram tenebrarum & caliginis, ubi horror ſempiternus inhabitet: ubi nec videt quiſquam, nec videri poteſt. Eſt enim locus tenebroſus, & vallis caliginoſa, plena lachrymarum, & dolorum, longeque profundiſſima. Quò cùm deſcendiſſet Dei Verbum, animas, quotquot illud etiam ibi adorabant, & violentia tyranni detinebantur, eduxit, & trophæum victoriæ erexit. H

CAPVT X.

De reſurrectione hominum ſupremo illo die: & cuiuſmodi tum beatorum, tum damnatorum corpora futura ſint.

SED quod futurum eſt audi, & contremiſce, & horreſce ad alterum illum, extremumque adventum, & univerſorum communem reſurrectionem. Inde prodibunt ſingulæ animæ cum corpore, cum quo vixerant, & illinc rurſum, heu, ad infernum redibunt.

Iſidorus. *Cum vita præſens, ſive ſæculum paulatim deficiat, tempus reſurrectionis propius accedit. Quod ſi Deus ex non extante producere poteſt quæcunque vult, quanto magis ex eo quod extat, poteſt renovare corpora, quæ iam fuerunt, & in terram redierunt? Fore autem*

reſurrectionem,

Digitized by Google

A *reſurrectionem, & qualis futura ſit, & myſterium illud, quæ ſeminantur, omniumque plantarum motus te docebit: quæ cum hyeme moriantur, verno tempore reviuiſcunt.*]

Hoc magni Davidis verba docent quia peccatores ad inferos reverſuros affirmat, ait enim, *revertentur vnde exiverunt.* Ibi atrocia & plus quàm atrocia patientur, dolebunt, gement, plorabunt amarè, & plangent, & flebunt: veruntamen fruſtra & inaniter: nihil enim proficient, incaſſum lugentes. Parce mihi tunc Domine: ita parce mihi, obſecro te. Quod paulùm effugiſti, iterum cernes, & accedes vetus tuum tabernaculum: pro quàm horribile quiddam; & voles ad angelos confugere, ſed ab iis repellêre. Aſpicies autem abominandum, & deforme domicilium, & impuritate, & maculis, & ſtigmatis plenum, & formidabile intuens, averſata fugies. Sed minitantibus

B angelis, ac terrentibus, & ad ipſum flagris te violenter impellentibus, quanquam nolens, tuum corpus iterum ingredieris. Et hæc quidem huiuſmodi. Iuſtorum autem corpora vt margaritæ nitentes, vt carbunculus, vt lampades, vt ſol ſplendidiſſimus pulchritudine gloriæ. Quod ſi hæc doctrina tibi ambigua videtur, agam argumentis admodum probabilibus. ANIMA. Cuius nam argumentis? & vnde habes? CARO. Vnde? ex ſanctiſſimis, & plurimis, quorũ primus eſt Ezechiel, alter Iſaias, tertius David inclytus, & cum eo omnes, qui ante Chriſtum, & poſt eum inſignes extiterunt. Chriſtus autem amplius tibi huius quæſiti fidem facit, qui trophæum maximum adverſus mortem conſtituit:

1 Cor 15. nempe his quæ in Evangelio dixit. Magnus autem Paulus de reſurrectione ad Corinthios ſcribens, carnem velut ingloriam in terram lapſam conſumi, vt infirmam, vt animalem teſtatur. Condita enim ſepulchro putreſcit, & diſſoluitur & corrumpitur: reſurgit autem incorrupta in ſpiritu, & gloria, immortalis ſemper vivens, plena gratiarum Continuò huiuſmodi exemplum apponit. Quemadmodum granum primum quidem nudum in terram cadit: poſtea computrefactum non nudum quid germinat: ſed cum tunicula, &

C alia ſimul calamum, ariſtas, genicula, folia, & multitudinem compoſitam granorum ad viſum ſpecioſorum profert.

Chryſ. *Ne tu perinde in reſurrectione fieri exiſtima, vt cum frumentum ſeritur, & ſpica omnes è granis aſſurgunt, præſertim, cum nec in ſeminibus ſit æqualitas: ſed alia aliis potiora. Vnde diſcimus, quanquam omnes boni in regno cælorum futuri ſint, non tamen omnes iiſdem gaudiis fruituros. Et quamuis omnes peccatores in gehenna erunt, non tamen omnes eadem tormenta ſuſtinebunt: ſed vtrique multo diſcrimine, & illi lætabuntur, & hi cruciabuntur.*

Similiter mihi cogita de reſurrectione ab ipſo Adamo primo parente vſque ad finem, & inſpice, & admirare altiſſimam providentiam. Repente tunc omnis creatura mutabitur. Non enim tunc parvus, nec magnus, nec niger, nec albus, nec gracilis, nec craſſo corpore, nec ruffus, nec flavus, nec nigro capillo: non curvus, non claudus, non turpem affectum habens, non deformis, non carens manu aut pede, aut claudicans, non gibboſus, non cæcus, non balbus, non ſapiens, non ſtultus, non ſenex, non puſtulus, non ſervus, non liber, non barbarus, non Scytha. Nec enim vt moritur quis: ita etiam reſurget: ſed qualis primò conditus homo fuit; & qualis erat antequam de ligno vetito comedens, mandatum tranſgre-

D deretur. Non enim hoc corpus tunc craſſitiem habebit: ſed idem quidem erit: character & habitus autem diverſus: non generatio (nec enim virorum, mulierumque naturalia ad mixtionem, ad copulationem, libidinemque corporum ſervient:) ſed erit alius ſtatus, quem conditor ſolus novit, non ſolum vt oſtenſum eſt, ad rationem incorruptionis: ſed etiam extra omnem

Luc. 20. curam, & ſollicitudinem, & ſtudia mundana, conatuſque. Ceſſabunt poſt reſurrectionem nuptiæ: deſinet amor carnalis: nulla erit corporum venerea coniun-

E ctio. Non enim nubent, vt Chriſtus ait, nec adulterandi, aut fornicandi ſentientur impetus: non bellum: non irruptiones & luctæ: ſed natura hominum ſimilis, naturæ angelorum futura eſt: quod & Dominus proſpicuè docet.

Gregorius. *Tunc pelliceam tunicam deponemus, qua poſt tranſgreſſionem e pellibus brutarum animantium cooperti ſimus, & ſimul omnia quæ ſunt bruta pellis, in nobis, exuemus.*

Baſilius. *Linguæ ſeculi huius etiam poſt reſurrectionem exſpectandæ haud ſunt. Sed ſciendum, vitam angelicam, citra vllam egeſtatem in ſæculo futuro actum iri.*]

Et Paulus ſcribit, eos qui relinquentur, necdum 1. Cor. 15 morte obita, immutatum iri, cum in momento, in ictu oculi iudex aderit. Deinde vniverſos reſurrecturos, etiam immutatos: omnes ſiquidem eadem erunt ætate. Nudos autem, τετραχηλισμένους reſurrecturos. Nudum,

F & τετραχηλισμένον ab omnibus rationis expertibus, & ſacrificiis dictum eſt, quaſi dicas, reſupinata facie omnium oculis expoſitum. Nam antiquitus Lex à Moſe Hebr. 4. lata fuit, vt huiuſcemodi hoſtiis ſacrificandis pelles Leuit. 1 & alib. detraherentur, vt membra vndique rimari liceret, ne alicubi læſum quippiam, aut mancum ſubeſſet: quandoquidem tunc etiam tota res nudabitur.

Theodoretus. *Vide quid ſit τετραχηλισμένον. Lex iubebat, quæ in ſacrificium offerrentur, perfecta & integra eſſe vndequaque, non aure mutila, non clauda, non* Leu. 21 *vitium aliquod habentia. Abſtrahi etiam pellem, & ſi quid reperiretur maculæ, aut denigratio aliqua à parte quapiam corporis, Deo hoſtiam illam non ſacrificari.*]

Illud autem, *mortui reſurgent incorrupti*, hunc ſenſum habet: non erit aliqua ſubſtantiæ carnalis conſumptio. Sola quippe mors mortalitatem ſoluit, & naturæ pereundi finem affert, & mori poſſe tollit, naturam non tollit. Quanquam enim corpus evaneſcit, manet nihilominus, & illo die gloriæ plenum reſurgit.

Differunt hæc tria φθορὰ, διαφθορὰ, καταφθορά. Etenim φθορὰ interitus, eſt animæ à corpore ſeparatio, & corporis quies atque ab omni motione ceſſatio: quam & immaculatum Chriſti ſuſtinuit. διαφθορὰ corruptio, eſt putre-

G *factio, & paſtio ipſa vermium: quam immaculatiſſimum Chriſti corpus neſciuit. καταφθορὰ pernicies, eſt conſummata, & perfecta perditio, ſive exitium. Quo ſenſu dictum eſt illud*, diſperiit populus iſte propter peccatum.]

Verumtamen hoc non de omnibus hominibus intelligendum eſt. Reſurrectio quippe communis eſt omnium. Aſt quod ad gloriam, & communicationem gloriæ attinet, procul dubio niſi eorum erit, qui in Ioan. 5. Chriſto vitam exegerunt. Nam *qui bona fecerunt, in vitam reſurgent, qui verò mala, in iudicium*: vt ſcriptum eſt.

CAPVT XI.

Ecquid Chriſtus deſcenſu ad inferos, omnes animas inde eripuerit.

H ANIMA. Oratio tua nihil dubitationis habet, mihique per omnia ſummopere placet. Equidem credo iſta, & fidem habeo, extra hoc ſolum. Audio enim ſcripturam apertè dicentem, cùm deſcendiſſet Verbum ad inferos, ab illo dominatu omnes in liber- Zach. 9 tatem aſſeruiſſe. Tu verò paulò antè docuiſti peccatorum animas in tartaro detineri, manereque nihilominus, vt antea. Si enim ſimpliciter omnes à tyranno vindicauit, quo pacto tu contrà affirmas, animas illic retineri, & pati quæ patiuntur, qui pœnas perſoluunt? Mihi quidem ſacris literis parum conſentanea, falſitatiſque ſuſpecta videris diſſerere. CARO. Adverte animum, domina, hoc quæſitum tibi diſſoluam. Etenim & vera tibi dico, & Scripturæ congruentia. Paradigma rem confirmabit. Ponamus aliquem eſſe facinoroſum & fugitivum, ingratum, ſervum vernaculum Domini ac regis ſui, qui ſe loco

A munitiſſimo, expugnatuque difficillimo teneat; quo in loco vrbem ædificet, quam crebris & excelſis turribus communiat. In huius vrbis medio effodiat lacum profundiſſimum, qui ipſos terræ fines ac terminos infra attingat: cuius latitudo altitudini reſpondeat, lacum tenebroſum & obſcurum, lacum vmbræ mortis: & carceres in eo anguſtos, caliginoſiſſimos, & ad cruciatum aptiſſimos. Ad hæc aliam maleuolentiam conſidera. Poſtquam infelix tyrannus beſtias venenatas, & leones, & dracones, viſu deformes pardales, aſpides, rubetas, ſerpentes, ſcorpiones exitiabiles congregauit, has ſimul lacu caliginoſo ad dolores & pœnas eorum retinet, quotquot ſubactos ibi incluſerit. [illegible] Nec in hoc lacu, nec in hac vrbe vel ſolis vel lunæ lumen cernitur: Sunt autem tenebræ palpabiles, & tenebræ illæ Ægyptiæ, omnibus notiſſimæ. Iuxta vrbem eſto via militaris, ſive publica, quam omnes hominum nationes pertranſeunt: & alij quidem amici B regis, alij adverſarij, & inimici, qui omnes, alius aliunde à ſeductore capiuntur; nec aliò currere ſalutis cauſa poſſunt. Durauit dominatio tyranni huius diuturniſſime: omnes paulatim in ſuam poteſtatem redegit, violentia illi pro iure eſt, tyrannicè inſurgit, capit, verberibus indignè pulſat, premit, affligit inſignes, abiectos, omnes, bonos & malos ferreis compedibus in lacu conſtrictos: in quo locus nullus eiuſcemodi indignitate vacat. Quam tyrannidem rex amplius non ferens, ſed benignè reſpiciens, & populum miſerans, chariſſimum, & quem habuit vnicum filium ad generis humani liberationem, & auxilium miſit. Qui cum advenſſet, & cum ſeductore manus conſeruiſſet, eumque deieciſſet, & conſtrinxiſſet, & vi valida Pſal. 23. Matt. 12. Eccl. 24. eneruaſſet, victoriamque adverſus hoſtes, vt potens in prælio obtinuiſſet, vrbem peruaſit, turres diruit, ſimul quidquid inimicorum fuit, perdidit, occidit, eluit, & omnia vaſa rapuit ac diripuit. Et infima loci illius penetrans, omnia clauſtra, catenas, & portas confringens, omnes penitus in cuſtodiis illis vinctos liberauit, in lucem eduxit, multiſque videndos exhibuit. Sed animaduerte quod conſecutum eſt arbitrium & iudicium. Amicos quidem paternos ab aliis ſecretos, maximaque gloria & honore dignatus, regi & patri vniverſos adducit, vt ſint imperij cum Domino participes: non amicos autem, ſed hoſtes infra C reliquit, quoad dies extremi, & generalis iudicij illuceſcat, & de omnibus iuſta ſententia pronuntietur. Alioqui & tu, domina, planè iniuſtum iudicas, ſi impios & inimicos illos potentis, pari frui voluptate cum amicis eius, aut eadem cum ipſis præmia conſequi debere exiſtimas. Non autumo te iſtuc arbitrari. Et hoc illis ad miſericordiam maximum cenſeo, quod eandem vniversè libertatem ſunt adepti, proſtrato qui æquè in omnes crudelitatem exercebat ſuam, communiter cuſtodia leuati planè, vinculis ſoluti, & abſoluti, & à belluis, truculentiſque carnificibus liberi. Quodque amplius, & pulchrius eſt, quòd tranſire potuerunt, cùm non eſſet cuſtos carceris, non punitores acerbi. Si igitur animas adhuc in inferno manere audis, ſcito neutiquam tormenta ſuſtinere, vt prius, nec etiam vinculis teneri ferreis vtpote à tyrannide vindicatas. Et hoc munus eſt maximum atque ampliſſimum. Ad hæc dicito, ſi quid tibi in mentem venit. ANIMA. Quorſum ſpectet hoc paradigma, intelligo. Iuſto iudicio omnes quod debent, D amici maxima, inimici minora accipiunt. Veruntamen proportione gratiam omnes debent. CARO. Quo tandem modo intellexiſti problema: ſeu potius quo fine hoc paradigma allatum cenſes? Quis ſit hic tuus ſenſus, noſſe peruelim. ANIMA. Interpretationem maximè talem puto. Tyrannus idem eſt qui prius, Lucifer. Quam vrbem ædificauit, infernum eſſe coniicio. Profundiſſimus lacus, & carceris tenebræ, infernum ſunt, & mors, amborumque imperium. Via regia ſeu publica ſine dubio huius vitæ curſus. Inſidiæ propè hanc viam publicam mors, vt videtur, E quæ omnes rapit, & ad inferni ventrem demittit. Reptilia autem, & genera venenatorum peſſima, cruciatum illum intolerabilem interpretari oportet: Rex & Dominus, & filius regis, eſt omnium conditor, & ſaluator hominum Chriſtus. Amici ſunt iuſti: contra, inimici ſunt impij peccatores, quos enim alios eſſe dicam? Quô autem paternos amicos induxerit, regnum cœleſte quiſpiam non ineptè dixerit. CARO. Dexterrimè intellexiſti, & pulcherrimè declaraſti. Gratia Chriſto, qui hoc tibi inſpirauit. Veruntamen ſcito paradigma non vſquequaque illi quadrare, cuius eſt paradigma. Non enim iam paradigma, ſed omnimodis idem foret. De Chriſto vaticinans Iacob Patriarcha, *recumbens dormiuit vt leo*, inquit. Rurſum Gen. 49. Amos 5. alibi vrſus a Scriptura dicitur. Difficilia planè & ſymbolica, non tamen ex his audebit quiſpiam rationem feratum Verbo ac Domino prorſus attribuere. Quod F vtile eſt, & ad rem facit, id duntaxat à feris mutuandum eſt: quod blaſphemum, & rancidum, relinquendum. Leo quatenus animalium rex, & terribilis, huic comparationi ſeruit. Vrſus autem, vt quiddam natura iuſtum, & vltionis expetens. Tale eſt paradigma, non ſimile & aptum omnimodis. Quæ autem mihi dicenda reſtant, ea poſterius dicam. Nunc quod ad veritatem tuam addam S. Damaſceni eſt. Docet enim, & perſpicue demonſtrat, in Chriſto viventibus hanc rationem multò veriſſimam. Docet verò per iambos, num ſimpliciter omnes Chriſtus apud inferos ſaluaverit, an qui ibi crediderant, quod recipiendum.

Sermonem hunc non eſſe Damaſceni, propter characterem iamborum, hoc eſt, quia iambis conſcriptus ſit, affirmat in margine ſcholion: quanquam in illis iambis non dimenſionis ſyllabarum, ſed pedum ratio habita eſt potius. Eſt autem ſermo ſeu oratio pro defunctis cum hac inſcriptione. Quod ij qui cum fide ex hac vita exceſſerunt, viuorum miſſis, & beneficiis iuvantur.

CAPVT XII.

S. Ioannis Damaſceni locus, de iis quos Chriſtus ab inferis liberarit.

G AC nonnulli quidem per eos, qui antè crediderunt, Patres & Prophetas, & Iudices, & Reges, & Principes intelligunt, alioſque nonnullos, Hebraici populi, qui facilè recenſeri poſſunt, omnibuſque noti ac perſpicui ſunt. Nos verò adverſus eos qui ita ſentiunt, ad hunc modum diſſeremus. Nec beneficij loco ducendum, nec novum ac mirum hoc cenſendum eſt, iis nimirum, qui crediderint, ſalutem à Chriſto allatam eſſe: quippe cum ſolus ipſe Iudex æquitate præſtet, nec periturus ſit, quiſquis ipſius verbis fidem adhibuerit. Quocirca eos omnes ſalutem conſequi, atque ad Dei ac Domini deſcenſum inferni vinculis ſolui, neceſſe erat. Idque & ipſius providentia contigit. At verò cuncti illi, mea quidem ſententia, ſola ipſius benignitate ac miſericordia ſalutem acceperunt, qui etiamſi alioqui vitæ puritate excelluiſſent, atque optimis quibuſque actionibus perfuncti fuiſſent, tenuiter ac temperanter, & caſtè vixiſſent, tamen puram ac divinam fidem haudquaquam perceperunt, vt qui H nulla omnino diſciplina, aut cuiuſquam magiſterio eruditi exculti que fuiſſent. Hos quippe ille omnium moderator ac Dominus retibus divinis incluſos ſublimè traxit, eiſque cum divinorum radiorum ſplendorem iniceciſſet, ac veritatis lumen oſtendiſſet, ita eorum animos inflexit, vt in eum crederent. Neque enim illa natura miſericors tot labores fruſtra atque incaſſum ab ipſis ſuſceptos fuiſſe ſuſtinebat. Perdifficilem enim, & ærumnoſam, ac, ſupra quam dici queat, anguſtam vitam duxerant. Nam & animi perturbationibus imperaverant, & voluptates reſpuerant, & paupertatem

Digitized by Google

A ac continentiam ad extremum uſque coluerant, & vigiliis ſeſe confecerant, atque ut paucis complectar, omnia virtutis gratia, haud piè illi quidem, ſed tamen expleverant, ſummæque providentiæ (ut quidem, ipſis videbatur) præſtantiſſimè, tametſi non ſine erroris labe, cultum & venerationem adhibuerant. Quin fuerunt etiam nonnulli, qui divinam omnipotentis Trinitatis fidem, exiliter illi quidem ac perobſcurè, ſed tamen perceperunt. Alij Verbi incarnationem, venerandoſque ipſius cruciatus, reditumque ad vitam prædicarunt. Alij ortum ex Virgine, atque adeò nomen ipſius enuntiaverunt. *Maria*, inquit, *nomen puellæ*. Alij rurſus eximia illa omnia, naturæque vim excedentia, à Chriſto edita miracula vaticinati ſunt, hoc eſt, mortuorum excitationem, cæcorum, mutorum, leproſorum, ſurdorum, febricitantium, hydro-
B picorum, ac manus ſiccitate laborantium, paralyticorum, atque eorum, qui dæmonum intemperiis vexabantur, curationem, obambulationem item in mari, & panum ac piſcium benedictionem, curſuſque aquæ in vinum commutationem, hæmorrhoiſſæ denique, & curvæ prorſus mulierculæ ſanationem unà cum quàm plurimis aliis rebus prædicentes. Hos inquam divina Verbi potentia perire, optimarumque actionum fructu carere, minimè ſuſtinuit. Temporis enim pars ipſis, ut diximus, commodata, in obſcuritatem haudquaquam abit: verùm omnibus iis, qui vitæ curriculum honeſtè confecerint, ſervata, cumulatiore poſtea menſura refertur. Contra qui turpiter ac ſceleratè vixerunt, nihilque omnino, quod cum virtute conjunctum eſſet, egerunt, nec ſemen ullum, aut fructum habuerunt: verùm & vita, & ſermone, & fide prorſus aberrarunt, nec pluvia divina cœlitus in eos fuſa, ullum germen ediderunt (neque enim ut iam à me dictum eſt, ſementem ullam fecerunt) nec, ut prorſus ſteriles, illucente gloriæ ſole maturuerunt, his profectò nullo modo Chriſtus profuit, nec lapſos, ut opi-
C nor, ſecum excitavit, ut qui ſalute penitus indigni eſſent. Quin ne in ipſum quidem eos crediduſſe existimo. Primus etenim ille ex ſuperbia in tenebras lapſus draco, quem in prima ætate coluerunt, mentes eorum, ac ſpirituales cordis oculos cæcavit, ut videntes non viderent, quemadmodum ſcriptum eſt, & intelligentes omnino non intelligerent. Reliqui autem omnes, qui ſemen ſuſceperunt, illapſa pluvia germen protulerunt, atque exorto ſole maturitatem contraxerunt.

Eſa. 6.

CAPVT XIII.

Qua demum ratione qualibet anima ſuum ipſius corpus à mortuis exiſtens recognoſcet.

ANIMA. Optimè verò rem explanaſti, mihique tradidiſti. Divinum hoc teſtimonium amplector, & eo ſum contenta. Sed enim aliud habeo quærendum, atque id, ut opinor, difficile. Hoc etiam pro
D viribus tuis ſolvere velis. Cum enim mortale corpus anima immortalis deſeruerit, quonam modo id quod æternum eſt, iam corruptum ac deletum invenire atque cognoſcere valebit? Et alia reliquit corpus mutilum, alia ſurdum, alia ſurdaſtrum, alia mutum, alia virilitate ſpoliatum, alia macrum, alia vix oſſibus hærens, alia pingue, plenum, carnoſum, grave, inutile, ventrioſum, putredinem meram & marcorem. Alia iuvenile, imberbe. Alia ætate langueſcens. Alia pedum & manuum uſu deſtitutum. Alia infantile, nuper natum, in cunis adhuc vagiens. Alia confectum ſenio, & rugis exaratum. Alia coma nigra, alia ſubargentea, ſeu candidiſſima. Tu tamen aſſeris in communi reſurrectione excitatum, & mutatum iri, & tale futurum, quale primi parentis ab initio fuit conditum, expers, habitus priſtini & notarum, quibus antea præditum

E fuit. CARO. Mirum quiddam & inauditum audi. Ne tu illic naturæ proprietatem & faciem quæras; ſed omnia ſupra naturam fore crede & imaginare. In hac enim vita huiuſmodi differentiæ ac notæ, hic affectus iſti, affectuumque miſeriæ, quas in corporibus enumeravi, cernuntur: in futuro autem ſæculo nihil horum cernetur: ſed ſicut Dominus novit, & iudicio quod ipſe ſcit, ineffabili modo ſpiritibus ſigna dabuntur, quibus unuſquiſque corpus ſuum recognoſcat: quemadmodum oves ſuos agnos in ovilibus, viciſſimque agni matrum ſuarum ubera agnoſcunt. Non enim ex ſigno, aut ex aliquo indicio aſpectabili: ſed ex odore quodam eoque ſolo mutuum cognoſcunt, ut unaquæque procul ad ſuum accurrat. Frequenter ego mille oves vidi ab herba, & paſcuis in ovilia redeuntes, & matre etiam longius agnum requirente, accedere alios, aliarum fœtus. Verùm illa penitus negabat
F ubera, & lactis nutrimentum, nec eos admittebat, propter odorem alienum; ſuum autem, quem ex odore internoſcebat, non excludebat. Sic omnium corporum tunc quoque fiet agnitio, per indicium, quod divinitus dabitur, cùm ad tubæ cœleſtis ſonitum rediviva è ſepulchris prodibunt. Signum illud ego quidem ignoro, ſoli conditori notum. Non enim ſub ſenſus cadit, nec eſt corporatum: ſed intelligentia tantum percipi poteſt.

CAPVT XIV.

Generatim omnes inter ſe agnituros, donec alij ad dexteram, alij ad ſiniſtram iudicis ſeparentur. Inde iuſtos in omnem æternitatem, peccatores autem non amplius mutuum noſcituros.

G NON ſolum quiſque corpus, ſuum, ut allata ſimilitudine declaravimus, ſed etiam cognati cognatos, & amicos, & omnes alij inter ſe agnoſcent. Neutiquam enim putandum, neutiquam exiſtimandum non ſingulos ſingulis in illa communi omnium reſurrectione, & iudicio notos fore. Erunt utique, ſed eo modo quo dixi, non per figuram, & indicium ſignorum corporalium; ſed ſignis quibuſdam à materia & corpore ſeiunctis. ANIMA. Et unde conſtat iſtuc? quis huius ſententiæ teſtis? ſi enim teſtes idoneos dederis, credam, & probabo: interea fidem non adiungo. CARO. Primum audi Chriſtum in Evangelio, ubi de hoc dogmate ſperſpicuè loquitur, atque divitem illum agnoviſſe Lazarum in ſinu Abrahæ requieſcentem. Alibi rurſus ad Iudæos inquit: cum videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli. Hic clara agnitio, notitiaque exprimitur. Et quamvis hæc ſub parabola dicantur, tamen tu nul-
H lo modo dubita. Parabolæ enim rerum futurarum ſolent eſſe imagines, & illæ in primis, quæ ab ipſa veritate Chriſto, inquam, futura prædicente prolatæ ſunt.

Luc. 1
Luc. 1

Theodorus Studita, *Parabola eſt oratio, ex præſentibus rebus futuras indicans. Seu, imago rerum futurarum. Seu, futurarum rerum ſimilitudo, & ſpecie reſpondens: ſiquidem nemo unquam eius rei afferre parabolam potuit, quæ fieri nequiviſſet.*]

ANIMA. Dominus inter omnes, & ante omnes fide digniſſimus. Si aliud teſtimonium ſuppeditat, dictis abs te aptum & conveniens, addas licet. CARO. Plurima verò ſuppeditant. Veruntamen ex tanto numero non niſi tria, quatuor, aut quinque, eaque à primoribus Eccleſiæ magiſtris petita proferam. Ne longè abeam, Chryſoſtomus inter Patres eximius, præclariſſimè ſic docet. Non ſolum quos novimus familiares agnoſcemus, ſed etiam quibus nunquam viſi ſumus;

ant quos antea nunquam novimus Abraham, Iſaac, Iacob, omnes retro Patriarchas uſque ab origine, Prophetas, Martyres, Patres, Apoſtolos, omnes qui ab Adamo, inde uſque à primordio ad finem propagati ſunt, viritim, & ſeparatim perfectiſſimè cognoſces. Similia Baſilius in oratione contra divites avaros. Quomodo cauſam dicturus, inquit, coram iuſto iudice te defendes ab iis qui abs te láceſſiti acriter inſtabunt? Nam quocunque oculos circumferes, umbras ubique ſimulacraque malorum aſpicies. Hinc orphanorum lacrymæ, illinc viduarum gemitus, aliunde abs te oppreſſi pauperes: ſervi, quos laceraſti, vulneribuſque affeciſti: vicini, quos ad iram provocaſti: cuncta hic adverſus te conſiſtent. Scribit & Gregorius Theologus in hunc modum. Tunc & Cæſarium luce clariſſima circumfuſum videbo, qualis mihi per quietem frequenter apparuit. Quid verò beatus, & lachrymis addictus ille Ephræm Syrus? Tunc, inquit, liberi parentes ſuos redarguent, quod nihil operum legitimorum fecerint. Et alij, cum viderint notos ac familiares cum ovibus, ut optabant, ad dextram collocatos. lamentabuntur ob diſiunctionem, flebunt, dolebunt. Magnus Athanaſius Alexandrinorum Epiſcopus, doctrinæ orthodoxæ propugnator. fundamentum, & baſis ſic ait. Et hoc iuſtorum animabus præmium conceſſum eſt, ut cum reſurrexerint, omnes recognoſcant, unaque ſint, ſimul vivant, ſimul habitent, fruentes gloria, & cum Chriſto ævum ducentes. Peccatores autem etiam hoc, præter alia privantur, non habentes agnitionem: ſicut nec aliam delectationem, ex quo à iuſtis ſeparati fuerint. Sicut igitur actiones, & omnia tunc manifeſta erunt ita etiam omnibus omnium facies notæ: donec, ut dixi, ſegregatione facta, quiſque ad locum quem ſortitus erit, miſſus fuerit. Ad Deum quidem iuſti, & ordines ſanctorum: è diverſo peccatores ad loca horrida catervatim abducentur, cognoſcenturque ab aliis: ipſi inter ſe minimè agnoſcentes, alios ad maiorem cruciatum ſuum agnoſcent: Nam ſi tunc ab aliis non agnoſcerentur, quanam ignominia ſcelerati illi plecterentur? quæ tunc acerba & intoleranda eſt, cum quis alienos novit, & ab iis noſcitur. Quicunque enim mulctatur ſeu damnatur, non coram iis, quibus ignotus, ſed quibus notus eſt erubeſcit. Nam quem nemo novit, cur pudore ſuffundatur? at notus ſuffunditur neceſſe eſt. Et hoc quidem huiuſmodi & eſt, & dicitur: & omnes (exceptis quos excepi) viciſſim agnoſcent. Tu verò quid de iſtis probationibus ſentis? Credis, an non credis? ut mihi videtur.

CAPVT XV.

Magno, & noviſſimo die univerſam creaturam ad ſpeciem elegantiorem, & incorruptionem, ſimiliterque humana corpora & animas in melius immutatum iri: & earum partes duas, (in quibus ſcilicet ineſt iraſcendi & concupiſcendi vis) deſituras, τὸ κατ' αἰτίαν cum archetypo comparatur.

ANIMA. Neutiquam his fidem denego, qui enim poſſim, cum tu iſta tam verè, ac meritò diſſerueris, & docueris? potius tibi de perſoluto quæſito meo gratias habeo quando ex Chriſti ore didici, omne verbum fieri credibile, ſi à duobus aut tribus teſtibus fuerit confirmatum. Verum reſtat inſuper aliud ζήτημα, cuius cognitionem maximoperè deſidero. Exiſtimo enim (ſicut tute ſupra docuiſti) & cœlum, & terram; & omnem denique creaturam in conſummatione ſæculi ad naturam excellentiorem redactum iri: ſicut & corpora hominum, in vitam reverſorum mutationem naturæ in melius adipiſcentur. Sed in me, & meis rebus, dic, obſecro, quomodo tunc res ſe habebit? Egone talis etiam tunc ero, qualis modo ſum? nempe; ſecundum triplicem facultatem, & alia, quæ de me traduntur, & in his immutabilis penitus cernar, & in omne ævum ſic tripartita vivam, unaquaque parte, nimirum ratione, ira, & cupiditate definitam ſibi functionem exercente? Nam ſi & in futuro ſæculo huiuſmodi ſtatum tenebo, iterum perturbationibus ſubiecta, & contaminata, & vitioſa, dum vis iſtæc tripartita ad illicita me pertrahit, anima profecto in ſtatu puritatis & innocentiæ neutiquam verſabitur. Quod ſi fortaſſe ex his tribus duas amiſero, quomodo iis deperditis perfectio mea conſtabit? Nam cui plane deeſt aliquid, non eſt perfectum & abſolutum utique. Etſi bipertitò dividar, quomodo immutata, & truncata plenitudinem habebo? Rurſum, quo pacto ſecetur ſeparetùrque, quod natura eſt inſecabile, & inſeparabile? Quomodo ſeparetur ſeparatumque permaneat? Si enim, ut dixiſti, totum animæ gratia factum eſt, quidquid conditor & conſervator produxit, mundus autem iſte decreto ac nutu conditoris ac Domini in ſtatum nobiliorem migrabit, & elegantiorem formam accipiet, quam qua nunc ſuperbit, habitumque ſplendidiorem ac diviniorem conſequetur, efficitur hinc, mihi iniuriam irrogari. Quid tu adhæc; Si perſeverabo eſſe talis, qualis hodie ſum, nec ad decus & gloriam ampliorem provehar, perinde ut cætera omnia, atque etiam tu, & tota univerſi ſpecies, novitate quadam condecorata, & illuſtrata, & rebus alium ordinem atque modum præſtantiorem videlicet, & in omnium ſpatia ſæculorum permanſurum tenentibus: ſi creator carnem, contubernalem ac ſociam meam immutarit, & honorarit, ut decrevit, & decet, me autem dominam ſine honeſtamento reliquerit, quid dicemus? infima ſummis, ſumma infimis omnino miſcebuntur. Immutata enim inferiore ſubſtantia, me, quæ de ſuperiorum ordine ſum, nulla ratione fas eſt negligere: ſed cum honorabilis, & illuſtris, & natura ſim admirabilis, æquitas poſtulat, me dignitati meæ parem mutationem adipiſci, quæ præſentem hanc conditionem meam excellenti præſtantia multis partibus poſt ſe relinquat. Etenim ſi & inanimem naturam immutaturus eſt, & quidquid inter homines miniſtrat, ac ſervit, me unam mentis & conſilij participem, & ad imaginem Dei factam, an non exornare, an non etiam plus quam mundum cohoneſtare convenit? Iam tu me doce, quid exſpectare conſentaneum ſit. CARO. In altum quoddam pelagus cogitationum ac ſenſuum me inducis. Quod enim quæris laborioſum eſt & copioſum, nec facilè eius exitus inveniri poteſt, nec eſt ut quiſquam id parvo negotio aſſequatur & intelligat. Hæreo, timeo, obſcuritates & ænigmata loqueris. Doctiorem percunctare, mihi ut imperitiori ignoſce. ANIMA. Alium audire, & ab alio diſcere nolo. Nam quod tibi adeſt, cur id aliunde petitum eam? Quinam alium nondum mihi familiarem interrogabo? Tu intima, & tanquam convictrix mea, tu mihi reſponde. Si detrectaveris, ſcias velim, non te alam impoſterum; non cibum, non potum mecum ſinam capere. CARO. Tamen canis lorum non comedit, ut noſti. Quia verò me urges, dicendum eſt pro viribus. Et antea tibi affirmavi, & iterum affirmo, architectum univerſitatis huius tua cauſa mundum hunc duplicem, ſuperiorem, & inferiorem, ſub oculos cadentem & non cadentem, quodque in medio amborum mixtum & coagmentatum eſt, conſtruxiſſe. Quem cum rurſus immutabit & innovabit, etiam propter te, eiuſque ſplendorem & gloriam innovabit: mea quoque reformatio & refictio tuum eſt decus, quando honor corporis ad id, quod ad imaginem Dei factum eſt, redundat: ſicut contra, ſi contemnor, & dedecoror, id ipſum quoque tua refert. Deus ſibi ſufficit, nullo horum indiget: non lumine ſolis, & lunæ, non orbibus cœleſtibus, non terrarum

Mat. 18

ſpoliis, non quatuor elementis. Nulli prorſus egeſtati diuinum numen ſubiicitur. Quî enim vlla re egeret (ſed tibi omnia & nunc impertivit, & in futuro impertiet. Si ergo his quæ tua cauſa producta ſunt, ornamenta maiora quædam conferet, illa quoque propter te, & tua cauſa conferentur. Ablatis autem abs te hiſce duabus facultatibus, in quibus cupidines, & irarum ardores exiſtunt, quibuſcum nata & adulta es, ſimul certè à natura tua vitioſæ affectiones, quæ ex hiſce ad detrimentum tuum prodeunt, auferentur. (Si tamen ita eas vocare licet, unde ſæpenumero optima, & plurima ſanè promanant. Nam ſi mens, quemadmodum debet, omnibus præſideat, atque imperet, affectionum uſum rationi convenientem: ſin autem, earundem uſum à ratione averſum, & vitium nominare oportet.) Etenim ſi illis careas, ſimul cares bile, ira, iracundia, & iniuriarum memoria, timore, timiditate, nec eſt vlla apud te audacia, non æmulatio contentionis amans; non voluptas aliqua rationis expers, quæ animum fœde concitet: ſed vt ſimul ingreſſæ ſunt, ſic ſimul abeunt. Supercilium & oſtentatio ceſſabunt, ſi ira deſit. Non erit fides, non ſpes, ſi non ſit cupiditas. Memoria evaneſcet. Quis enim eius uſus? Atque hæc quinque ſunt rationis, vt ita dicam, germina.

Gregorius. *Memoriam dicimus de iis, quæ ad Deum, & divina ſpectant. Nam quod oculis uſurpatur, memoria non indiget. Similiter & fides, & ſpes tunc non aderunt: ſola charitas neque nunc deſinit, nec in futuro deſinet, ſed augeſcet amplius.*]

Vacabis igitur ira & cupiditate, ſeu concupiſcentia. Cum enim ad ipſum finem & extremum eorum, in quæ appetitus fertur perveneris, nullo horum tibi opus erit. Longè recedent. Veterem quippe hominem penitus exuens, vna cum ipſo quidquid habet exuis, iterúmque ad vitam omni dolore liberam recurris. Sola charitas in perpetuum tibi adeſt, propria ex omnibus quæ habemus, & comes individua. Hæc ambo autem principio non habuiſſe te ſcias, vim concupiſcendi, & iraſcendi puta, erant enim rationis expertia; ſed poſterius indita tibi, & appoſita ſunt, ——

Gregorius. *Simplex & uniformis ab initio anima procreata eſt, protoplaſti, inquam, cum mente ſua, & ratione, quod erat diuinum illud ſpiraculum. Deinde ſic illi ira & cupiditas natura irrationali conſtantes copulata ſunt.*]

—— tanquam arma ad propulſandum devincendúmque adverſarium: ut neque vulneraret te, nudam intuens: neque iaculis igneis, & acutis feriret. Finito autem bello, proſtratiſque inimicis, & pace tranquilliſſima conſecuta, impreſſionéque, lucta, & pugna confectis, hoſtibúſque robore, & audacia ſpoliatis, & longe in gehennæ ignem proiectis, quid iſta velut arma de cætero tibi proderunt, videnti, & ridenti adverſarium iam extinctum? Aderat autem tibi cum mente ratio pura puta, caſtiſſima, ſinceritate fulgens, vis contemplandi, iudicandi, & eius ideæ divinitas. Simplicitas, cum qua conditum eſt, quod eſt ſecundum imaginem Dei. Quale divinum ſpiraculum, per quod ſubſiſtis, à principio habuiſti, tale recipies, atque hinc nobiliſſima, & formoſiſſima, & ſupra omnes ordines cœleſtium apparebis. Auditu novum, & viſu tremendum erit, quomodo à gloria in ſublimiorem gloriam aſcendes. Hoc tamen κατ' εἰκόνα *ad imaginem Dei*, noſſe oportet archetypo eſſe ſimile, & ad illud imitatione contendere, eo reſpicere: & quod mente tantum & intelligentia continetur, velle illi menti divinæ evadere ſimile. Non apportat molem, nec latitudinem, nec profunditatem: non intervallum, non dimenſionem, non menſuram: ab hiſce omnibus omnino liberum eſt, κατ' εἰκόνα quod eſt in anima, aliud quiddam eſt, quod ex comparatione ad archetypon omnium antiquiſſimum & maximum, & quod ſecundum naturæ ſuæ proprietatem ſimul & ſemel tale eſt, intelligimus. Illud primum & increatum, hoc creatum eſt. Illud natura eſt expers principij, omnium rerum princeps, & plena cauſa: hoc autem omnino cœpit: eſt ſiquidem res condita (nec enim iam imago dici poteſt, ſi ſemper eſt) exemplari primo abſque mutatione quam ſimillimum. Hoc igitur manifeſte creata natura; & conditum quippiam eſt. Natura autem & ratio conditorum, quid tandem ſit, ſatis claret. Quod ſi verum eſt, quod dicitur, ſicuti plane eſt, quam tu maiorem hanc gloriam, aut quem alium honorem, divino præſtantiorem, tibi concupiſcis? Hæc à me diſputata intellexiſti, vt opinor. Verum ea citra dubitationem credas, & probes, & admittas, an nihili facienda, & falſa, & apertè ridicula, & nugas arbitrere (quod equidem non puto) noſſe cupio. Dic quid tandem, & quomodo de his ſentias. ANIMA. Non ego iſta nihili facio, abſit, Deus meliora: ſed delector dictis tuis, veriſſimè amplector, ſuſcipio, acquieſco, admiror, ſolutis, quæ dubitabam, quantum ſatis eſt. Si fidem denegem, meritò reprehendar. Nec eſt orthodoxus nec habet partem cum Verbo ac Domino, qui his adverſatur, nec dignus illius nuptiis, & thalamo: ſed infidelis, blaſphemus, Sadducæis deterior cenſendus. *Ioan. 13* Ego verò, gratia Chriſti, abs te auditis fidem adiungo, & ita facta eſſe hæc, vt tu doces, non repugno. Nullo modo contradico, crede mihi, & ita tibi perſuade. Illud tantummodo te obſecro, vt dictis quoque confirmationem adhibeas. Quam ſi pro quæſito accepero, ſatisfactum mihi putabo in omnibus: & hoc præ aliis immotum, inconcuſſum, & alta radice fixum ac firmum in pectore conſervabo. Tantum cave, ne aliquo modo voces ipſas commutes: ſed ut ſunt, ita referas: & ad verbum recita.

Quæ ſequuntur proximo capite, apud ipſum Gregorium non continuantur: ſed ea Philippus noſter multis identidem verſibus prætermiſſis (quod ea res ad inſtitutum ſuum minus pertinerent) ita congeſſit, & conſuit, vt orationem continentem efficeret.]

CAPUT XVI.

B. Gregorij Nyſſeni locus de anima tripartita, ex diſputatione de Anima & Reſurrectione, cum Macrina ſorore habita.

INTERROGATIO. Animum aiūt eſſe intellectualem naturam, & inſtrumentario corpori vitalem vim, ad ſenſuum efficientiam atque actionem ingenerare. Nam non ſolum circa eam mentis noſtræ agitationem, qua ſcientias percipimus ac ſpeculamur, efficax, & actuoſa anima noſtra eſt, per eam quæ mente conſtat, & intelligentia ſuæ naturæ vim talia efficiens; neque ſenſoria vaſa, inſtrumentáque ſola ad naturalem efficientiam, operationémque gubernat: ſed multus quidem cupiditatis, multus item iracundiæ quoque motus in eius natura cernitur. Cum autem horum utrumque generaliter in nobis inſit, in multa pariter, ac varia, actionibus efficientiiſque malorum progredi motum videmus. Nam multa quidem videre licet, quorum concupiſcendi vis auctor, ac dux eſt: rurſus item multa à cauſa iræ concitatrice naſcuntur, ac nullum horum corpus eſt. Quod autem incorporeum eſt, intellectuale prorſus eſt, ſoláque mente conſtat. Porrò intellectualem quandam, ſoláque mente conſtantem, & comprehenſibilem rem eſſe animam, definitio declaravit. Vt duorum abſurdorum alterum ex conſequentia orationis exiſtat atque emergat, aut ut iracundia quoque atque cupiditas aliæ in nobis animæ ſint, & pro una multitudo animarum deprehendatur atque animadvertatur: aut ne mentis quidem agitatrix, & intelligendi vis in nobis, anima eſſe putetur. Nam intellectuale ſoláque mente conſtans, & comprehenſibile, æqualiter omnibus accommodatum, aut omnia hæc animas eſſe demonſtrabit; aut unumquodque horum ex æquo eximet atque excipiet ex hac animæ proprietate.

A RESPONSIO. Hanc, inquit, (ſoror Marcina) rationem iam à multis etiam aliis quæſitam, conſequenter ipſe quoque requiſiviſti, quidnam tandem hæc eſſe oporteat exiſtimare, τὸ ἐπιθυμητικὸν, id eſt, vim concupiſcendi, & τὸ θυμοειδὲς, id eſt, vim iræ concitatricem, ſimul ne inſita in animæ natura, & quaſi coeſſentiata, atque conſubſtantiata, & ab initio cum ea ſint, atque à principio ſtatim unà cum creatione, & conſtitutione eius extiterint: an etiam aliquid aliud, atque ipſa ſint, & poſterius nobis acceſſerint. Nam quod hæc quidem in anima cernantur, ex æquo conſtat inter omnes. Quid autem de eis exiſtimare oporteat, nondum plene atque perfectè ratio aſſecuta eſt, ut firmam de his habeat opinionem: ſed vulgus etiamnum vagis, falſiſque, ac diverſis opinionibus de his ambigit. Nos
B verò externa philoſophia relicta, teſtem divinam ſcripturam aſciſcimus, quæ ſtatuit, vt nihil in anima putemus eximium & inſigne, quod non etiam divinæ naturæ proprium ſit. Qui enim ſimilitudinem Dei animam eſſe dixit, quidquid à Deo alienum eſt, extra ſimilitudinem animæ eſſe declaravit. Ergo quoniam huiuſmodi nihil cum divina cernitur natura, ne animæ quidem hæc inſita, & quaſi coeſſentiata eſſe, rectè ius exiſtimaverit. Quid igitur eſt quod dicimus? Quod hoc rationis particeps animal, homo nimirum, intelligentiæ atque ſcientiæ capax ſit, vel eorum, qui à ratione noſtræ fidei atque religionis alieni ſunt, teſtimonio comprobatum eſt: Quippe non ita naturam noſtram deſcriptura, ac deſignatura definitio fuiſſet, ſi quidem & iracundiam, & concupiſcentiam, & huiuſmodi omnia cum noſtra unita, & quaſi coeſſentiata, atque conſubſtantiata eſſe videret. Nam nec in vlla quidem alia re, loco proprij commune ponens, ſubiecti quiſquam cuſtoderit definitionem. Quoniam igitur & concupiſcendi, & iraſcendi vis æqualiter quoque
C tam in rationis experte, quam rationis compote natura cernitur, nulla ratione, nec rectè quis per communem notam id quod proprium eſt deſignaverit. Quod autem ad naturæ deſignationem ſupervacuum, ac reiiciendum eſt, quo pacto tanquam pars naturæ, poteſt id everſionem definitionis vires habere? Omnis enim definitio ſubſtantiæ, proprium ſubiecti ſpectat. Quidquid autem extra peculiaritatem, ac proprietatem fuerit, tanquam à definitione alienum deſpicitur, atque contemnitur. Atqui tam iraſcendi, quam concupiſcendi vim atque efficientiam cum omni natura, tam rationali, quam irrationali communem eſſe conſtat. Quidquid autem commune eſt, non idem cum peculiari eſt. Neceſſario igitur per hæc ſequitur, vt hæc in illis non eſſe exiſtimemus, per quæ præcipuè humana natura deſignatur. Sed quemadmodum ſi quis ſentiendi, nutriendi, & augendi vim in nobis conſpicatus, per hæc non reſolvit animæ demonſtratam definitionem (non enim, quoniam hoc eſt in anima, illud non eſt) eodem modo, ſi quis naturæ noſtræ
D circa iracundiam, & concupiſcentiam motus animadvertit, non etiam rectè definitionem oppugnet, vt quæ minus ſufficienter naturam oſtenderit. Palam eſt ergo, quod ex iis, quæ extrinſecus in rebus conſiderantur, hæc ſint, affectus & perturbationes naturæ, & non natura. Nam hæc quidem eſt, quod eſt: iracundia autem vulgo fervor ſanguinis, qui circa cor eſt, eſſe pleriſque videtur. Aliis verò, appetitio vlciſcendi eum, à quo laceſſitus, & ante læſus ſis. Sed ut nos arbitramur, iracundia eſt appetitio nocendi ei, qui concitaverit, & ad iram provocaverit. Horum autem nihil convenit animæ definitioni. Itemque ſi per ſe concupiſcentiam definiamus, appetitionem eſſe dicemus eius, quod deeſt: vel deſiderium fruendæ voluptatis: vel dolorem ob id quod non potimur eo, quod cordi eſt, atque animo gratum & acceptum: aut aliquam affectionem ad id, quod eſt ſuave & iucundum, quo frui non licet. Hæc enim, & eiuſmodi omnia cupiditatẽ quidem oſtendunt, ad definitionem autem animæ non pertinent. Quin etiam alia quoque, quæ circa animam

E cernuntur, quæ ſibi invicem ex adverſo poſita videntur, velut timiditas & audacia, dolor & voluptas, metus & contemptus, & quæcunque talia ſunt: quorum unumquodque cognatum quidem eſſe videtur cum iraſcendi, & concupiſcendi vi, peculiari autem definitione ſuam deſignant naturam. Quæcunque talia circa animam ſunt, anima non ſunt: ſed veluti quædam verrucæ ex cogitatrice parte animæ enaſcentes: quæ partes quidem ipſius eſſe, eo quod agnatæ ſint, non tamen id eſſe exiſtimantur, quod anima ex ſui natura atque eſſentia eſt. Dicimus enim animæ quidem ſpeculatricem & diiudicatricem, rerumque inſpectricem vim eius propriam eſſe ac naturalem: eiuſque gra-
F tiæ qua Deo ſimilis eſt, per hæc illam imaginem ſeſe conſervare. Quoniam ratiocinatione & coniectura colligitur, divinum quoque numen (quodcunque tandem id ex ſui natura eſt) in his occupatum eſſe: nempe tum in inſpiciendo omnia, tum in diſcernendo bonum à malo. Quæcunque autem in animæ confinio poſita ſunt, ad alterutrum ex contrariis propenſionem & inclinationem iuxta ſui naturam habent: quorum certus quidam uſus vel ad id quod bonum, vel bono contrarium eſt, ducit eventum: veluti ira vel metus, ac ſi quid motuum, qui in anima ſunt, eiuſmodi eſt, ſine quibus humana natura conſiderari non poteſt, id extrinſecus ei acceſſiſſe exiſtimamus, propterea quod in principali, & originali pulchritudine nullum eiuſmodi ſignum cernatur. Quæ non omnino mali alicuius cauſæ humanæ contributa naturæ ſunt (nam alioqui creatori cauſa malorum aſſignari poteſt, ſi illinc peccatorum neceſſariæ cauſæ ſimul in naturam collatæ eſſent) ſed certo quodam uſu voluntatis & arbitrij vel virtutis, vel vitij inſtrumenta tales animi motus exiſtunt. Quẽadmodum ferrum, dum ex ſententia artificis cuditur,
G quodcunque ferramentum artificis animo voluntas deſtinaverit, ad id etiam formatur: & vel gladius, vel ruſtici alicuius operis inſtrumentum fit, metu quidem obedientiam, ira verò fortitudinem, timiditate cautionem, atque ſecuritatem ingenerante: cupiditatis item impetu divinam ſimul, & immortalem nobis voluptatem conciliante. Sin autem ratio habenas amittit, & tanquam auriga aliquis implicitus currui retro ab eo trahatur, illoque abripiatur, quocunque eum rationis expers motus iumentorum auferat, tunc in perturbationem appetitiones convertuntur, (quale nimirum etiam in brutis videre licet, quoniam ratio naturaliter eis inſitæ motioni non præeſt) ſed quando motus eorum ad bonum inclinat, laudis materia fiunt, ut Danieli cupiditas, ac deſiderium, & Phineæ zelus, & bene lugenti dolor. *Dan.1. Num.25 Luc.7.* Sin autem ad deterius propendent, tunc hæc affectus ac perturbationes & ſunt, & nominantur. Speculandi, ac diiudicandi vis propria eſt eius animæ partis, quæ Deo ſimilis eſt, quoniam etiam divinum numen per hæc comprehendimus. Si igitur anima ab omni vitioſitate pura fuerit, in bono & honeſto prorſus erit. Bonum autem & honeſtum
H ex ſui natura numen divinum eſt, cum quo per puritatem anima coniunctionem habebit; quippe cum proprio cohærens atque coaleſcens. Si igitur hoc acciderit, non amplius cupiditatis motu opus erit, qui nobis præeat ac dux ſit ad id, quod bonum & honeſtum eſt. Nam qui in tenebris vitam degens, lucem deſideraverit: qui, ſi in lucem pervenerit, eaque frui cœperit, concupiſcere, atque deſiderare deſinet. Facultas enim atque poteſtas potiendi atque fruendi, vanam & inutilem efficit cupiditatem: ſed nobis quidem, propterea quod boni egena eſt, natura ſemper fertur, atque contendit ad id, quod deeſt, ac deſiderium eius, quod deficit, ipſe naturæ noſtræ concupiſcendi affectus eſt: qui vel aberrat, propter ſiniſtrum iudicium ab eo, quod verè bonum & honeſtum eſt; vel etiam conſequitur, & adipiſcitur id, quo potiri bonum eſt. At ea, quæ ſuperat omnem bonam cogitationem, natura, quæque ſuper omnem potentiam eminet, vt quæ nullius indigeat earum rerum, quæ circa bonum

&

A & honeſtum intelliguntur, cum ipſa ſit bonorum plenitudo, neque tanquam particeps alicuius boni & honeſti, in bono verſetur, ſed ipſa ſit ipſius boni, & honeſti natura (quodcunque tandem etiam bonum, & honeſtum eſſe mens ponit) neque ſperandi motum in ſeſe admittit (ſpes enim ad id quod non adeſt, duntaxat adhibetur: *quod autem quis habet, cur etiam ſperat?* Rom. 8. inquit Beatus Apoſtolus) neque reminiſcendi ac recordandi efficientia ad rerum ſcientiam opus habent. Quod enim videtur, recordatione non indiget. Quoniam igitur divina natura ſupra omne bonum eſt, ac bonum bono prorſus amicum eſt, idcirco cum ſe ipſum intuetur, & quod habet vult, & quod vult habet, nihil externum in ſe admittens. Extra autem eam nihil, præterquam ſola vitioſitas eſt, quæ (etſi dictu abſurdum, & à vulgari opinione alienum eſt) in eo quod non eſt, ſuum eſſe habet. Non enim vlla alia generatio vitioſitatis eſt, quam eius, quod eſt, privatio. Quod autem propriè eſt, B boni natura eſt. Quod igitur in ente non eſt, in eo quod non eſt, prorſus eſt. Poſtquam igitur anima quoque ſegregatis omnibus variis naturæ motibus, Deo ſimilis effecta fuerit, atque ſuperata cupiditate in illo fuerit, ad quod olim cupiditate erigebatur, & incitabatur, non amplius concupiſcendi locum in ſeſe dat, neque ſpei, neque recordationi. Nam quod quidem ſperabatur, habet: occupatione autem fruendorum bonorum, memoriam à mente removet, ac naſſam facit: atque ita vitam ſupremam, & excellentem, informata divinæ naturæ proprietatibus imitatur; adeo, vt nihil aliud ei relinquatur, præterquam dilectionis affectus, qui naturaliter ei quod bonum, & honeſtum eſt, adhæret. Id enim dilectio eſt, animo videlicet inſitus habitus ad id quod placet, atque cordi eſt. Cum igitur ſimplex, & vniformis, ac planè ſimilis Deo anima facta, nacta fuerit illud verè ſimplex, & materiæ dolique expers bonum, quod ſolum reverà dilectione dignum, & amabile eſt, cum adhæret eidem, tum vna commiſcetur atque contemperatur, per dilectionis motum & actionem ad id quod ſemper & comprehenditur, & invenitur, ſe ſe formans, atque id per ſimilitudinem boni euadens, quod eius, quod participatur, C atque percipitur, natura eſt. Cum autem in illo cupiditas non ſit (propterea quod nec vllius quidem boni defectus in eo ſit) conſequens fuerit, etiam animam, cum eo euaſerit, vbi rei nullius egeſtas eſt, ex ſeſe eiicere quoque concupiſcendi motum atque affectum. Talis autem doctrinæ atque ſententiæ divinus quoque nobis Apoſtolus auctor eſt. Cum enim omnium rerum, quarum nunc in nobis boni quoque cauſa, ſtudia vigent, abolitionem & quietem quandam, atque ſedationem & finem futurum ante denuntiaſſet, ſolius dilectionis & charitatis terminum non invenit. Nam prophetiæ abolebuntur, inquit, & ſcientia deſtruetur: charitas autem & dilectio nunquam excidit. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ſemper eadem eſt. Quin etiam, cum fidem, ac ſpem vna cum charitate atque dilectione permanere diceret, rurſus eam illis præfert, atque præponit, neque iniuria. Nam ſpes interim movetur, dum non licet frui atque potiri iis rebus, quæ ſperantur. Et itidem fides ſuſtentaculum ac firmamentum eſt incertitudinis earum rerum quæ ſperantur. Nam & ita eam definiuit, cum diceret, *eſt* D *autem fides ſperandarum rerum ſubſtantia.* Cum autem venerit id quod ſperatur, aliis omnibus quieſcentibus, charitatis ac dilectionis efficientia manet; quippe cum non inveniat, quod eam excipiat, & in locum eius ſuccedat. Quamobrem etiam vniverſarum actionum quæ cum virtute perficiuntur atque etiam legis præceptorum principatum tenet. Si igitur ad hunc finem anima aliquando pervenerit, aliarum rerum nimirum vniverſarum plenitudinem complexa. Nam cum vita, quam in præſentia tranſigimus, variè pariter, ac multifariam à nobis exigatur, multæ quidem res ſunt, quarum egemus & participes ſumus, vt temporis, vt aeris, vt loci, cibique ac potus, vt tegumentorum, vt ſolis, E lucernarumque, vt aliarum rerum multarum ad vſum vitæ neceſſariarum. Beatitudo verò quæ exſpectatur, nullius quidem harum rerum egena eſt; omnia autem nobis, locoque omnium erit divina natura, ad omnem vſum ac neceſſitatem illius vitæ ſeſe convenienter & aptè impertiens. Atque id planum ac manifeſtum eſt ex divinis oraculis, quod Deus & locus exiſtit iis, qui digni ſunt, & domus, & indumentum, & cibus, & potus, & lumen, & divitiæ, & regnum, ac quidquid vel mente concipi, vel nominari poteſt, quod nobis conferat, & conducat ad bonam vitam.

CARO. Hoc etiam mandatum tuum expleui, domina, & probationem attuli probatiſſimam, & quidem iis verbis, quibus ſcripta exſtat, vt voluiſti. Et plurimum fatigata ſum, elaboranique, & vbique conquiſivi, & ſcrutata ſum, quærendoque non paucos libros evolui, quo, quæ dicerem firmis argumentis, & teſtimoniis confirmare poſſem. Vt igitur apud auctorem F ipſum poſita inveni, ſic tibi propoſui, præclariſſimè vtique cum his de quibus agitur conſentientia; nec in elocutione quidquam immutatum eſt. Nunc tu ſuper his iudicium, & ſententiam expone, vtrum ea ſcopum orationis attingere putes. ANIMA. Congruenter conveniunt, & conſentiunt, & mihi dogmatis firmam ac ſolidam fidem faciunt, & in tabulis cordis, notis indelebilibus inſcripta ſunt, poſtquam probationem inſignem, quemadmodum petebam, accepi: cui nec contentioſus quiſpiam refragabitur. Qui igitur quæſivit diſcere tripartiam rationem animæ, rem inventu & explicatu difficilem, vt dixiſti, homo induſtrius, & ſapiens, vt apparet, fuit. Arbitror autem non plura mihi interroganda, & cognoſcenda in negotio perplexo & difficili. Si quid ergo amplius habes, hoc ſine mora affer in medium ad fructum, ad vtilitatem, & lucrum meum. Quod ſi vt ſegnis, & ſocors tergiuerſabere, & occultabis, fruſtrationis & damni mei vltio in caput tuum recidat. CARO. Quæ ille ſuper anima interrogauit, & didicit, plurima, admirando, & vtilia ſunt. Veruntamen vnum accipe, G idque etiam vtile, quod ad verbum, vt eſt, recitabo. Tu, ſi deſiderio cognoſcendi teneris, mihi attende, qui & quales in extremo die reſurrecturi ſimus, quando venerit dominus, & ad iudicandum conſederit.

CAPVT XVII.

De reſurrectione vberior diſſertatio, ex iiſdem Gregorij Nyſſeni Macrinets, vt auctor noſter appellat. Ad ſacros libros evoluendos cohortatio & ad ſacroſanctam Trinitatem gratiarum actio.

QVod reſurrectio aliquando futura ſit, & quod homo incorrupto iudicio ſiſtetur, cum propter ſcripturarum demonſtrationes, tum propter ea quæ iam ante exquiſita atque excuſſa ſunt, plerique audientium aſſentientur. Reliquum autem fuerit conſiderare, an prout eſt id, quod nunc eſt, ita etiam quod ſperatur, futurum ſit. Quod ſi ita fuerit, fugiendam eſſe dixerim ſpem reſurrectionis. Nam ſi qualia evadunt humana corpora, dum vivere deſinunt, talia rurſum vitæ reſtituuntur, H nimirum perpetua quædam calamitas ab hominibus per reſurrectionem ſperatur. Quod enim miſerabilius ſpectaculum fuerit, quam cum in extrema ſenectute incuruata atque contracta corpora ad turpitudinem ac deformitatem redacta fuerint? carne quidem eorum tempore conſumpta: rugoſa autem & arida cute oſſibus adhærente? Etenim neruis, quod naturali ſcilicet humore amplius non imbuantur, ac pingueſcant conuulſis, & idcirco toto corpore contracto, res quædam infirma, ac ſpectatu miſerabilis exiſtit, cum caput quidem in genua inclinatum ſit, manus autem vtrinque ad naturalem quidem vſum invalidæ ſint, &c.

A *Eloquentiſſimè Gregorius (eſt enim orator magnus) adverſus reſurrectionem agit in eo dialogo, cui Macrina virgo & ſoror, quam ut magiſtram introducit, doctiſſimè occurrit, veritatemque copioſiſſimè explanat. Cæterum quia Nyſſeni codex in promptu eſt, tot paginas ea diſputatione ad verbum, & ut ibi continens viſitur, deſcribenda conſumere, opere pretium non videtur. Si legeris, non pœnitebit. Quæ igitur hiſce Macrineis recitatis apud Philippum ſequuntur, quibuſque liber hic ſecundus abſolvitur, latina facere pergamus.*]

CARO. Audiuiti quæſtionem, & viciſſim reſponſum verè divini ac ſapientis illius Patris, quibus reſurrectio eximiè ſtabilitur. Age dic quid ſentias, & an tibi ſatisfaciant. ANIMA. Dicam verum, & quod ſentio. Multos ſuper hoc argumento differentes audivi, multorum ſcripta legi, orationes plurimas evolui: veruntamen nihil ſimile unquã inveni. Admiratione ingenium illius, ornatiſſimus ſermo. Tamen doce, qui ſint, & ex quo genere, qui hæc literis perſapienter accommodateque conſcripſerunt. CARO. Qui ſint, non dicam tibi: quære & cognoſces. Nam & ego quæſivi, & vix cum labore inveni. Tu quoque ſi quæſieris, invenies: ſi petiveris accipies, & cum huius diſputationis auctorem, tum genus illius, & nomen, & vitam ad unguem cognoſces. Vbi cognoris, cum animi tui fructu confirmabere. Non enim ad ingenuam cognitionem tardam ac pigram, ſed laboris & doctrinæ ſtudioſam eſſe, & præſertim (quod cupio) ſcripturas perdiſcere æquum eſt. Vtile enim præceptum, *ſcrutamini ſcripturas.* Me, utpote iam defatigatam, ne onera, quæ pro his Deo rependere laudum gratias volo. Solum Trinitatem venerari ſcio, Patrem, coæternum filium, & divinum ſpiritum. Tres hypoſtaſes glorifico, tres perſonas, omnino autem unam eſſentiam, unam potentiam, & unam naturam, individuam, inconfuſam, & incomprehenſam, omnium rerum inſpectricem, univerſorum procreatricem, bonorum amantem, ipſam bonitatem, omnium bonorum cauſam, quæ omnia condidit, gubernat, ſuſtinet, quam prædico, adoro, colo, glorifico.

B

Ioan. 5.

C

DIOPTRÆ
Liber Tertius.

CAPVT I.

Mentem citra corpus multa perperam committere: corporis cum anima ſola, abſque mente nullam eſſe functionem. Animam iuſtam ex hac cuſtodia eductam, ſimul cum angelis collaudare Dominum, rerum huius vitæ immemorem: peccatricem in inferno ſuorum ſcelerum reminiſci.

D

ANIMA. In ſecunda diſputatione ſuprà affirmaſti animam ſine tabernaculo ſuo, hoc eſt, corpore, nihil neque mediocre, neque magnum, in ſumma, nihil proprium, nihil commune, aut medium agere. Num igitur perinde ſe mens, ut anima, habet, & ipſa quoque citra corpus agere nihil poteſt? CARO. Mens ſine corporis ope multa ſæpenumero agit, eorum partim cum virtute, partim cum vitio coniuncti ſunt. Corpus per ſe, niſi a mente adiuvetur, nihil omnino, quamvis parviſſimi momenti, facere poteſt. ANIMA. Id verò quonam pacto, & unde fiat, videre nequeo. CARO. Mihi da operam, & videbis. Culparum, delictorumque noſtrorum, quæ noctes & dies conſciſcimus, quædam verbis quædam actionibus, quædam cogitationibus (qui ſunt intrinſeci ſermones) continentur. Horum trium generum diviſionem rurſus accipe. Quæ opere & verbis peccantur, in his mens carni ſociam ſeſe præbet. Quæ cogitatione, eorum contagia ad unam, & ſolam animam pertinent. ANIMA. De Anima porro quid ais? num ſi ex hoc domicilio diſcedat, ſine inſtrumento & membris functionem quampiam obire valet? Num ſeparata, & ſola quippiam agere poteſt? CARO. Anima carneis exſoluta vinculis, & ad Dominum ſuum egreſſa ſine ullo fine cum angelis tripudiat, divinaſque laudes modulatur, vocibus non quæ foras proferuntur, ſed intus tantum concipiuntur: quoad iudicij dies advenerit. Animæ, inquam, quæ vitam hanc innocenter degit, iſta beatitas contingit. Quæ ſe vitiorum ſordibus contaminat, & rationi reddendæ eſt obnoxia, eius alia eſt conditio, quæ & locorum, & perſonarum meminit, in quibus, & cum quibus alicuius nefariè commiſſi conſcientia urgetur. Omnia reputat, omnium ſpecies ſecum gerit, & eorum imbibere oblivionem neutiquam poteſt: ſed actorum ſuorum indelebilem memoriam retinet, indeque affligitur, & cruciatur, & pœnam ſuſtinet, quam verbis nemo explicaverit, quæ plurium illuſtriorumque de ſanctis Patribus doctrina eſt.

E

F

Sciendum, nos uſque ad nuda verba, & cogitationes rationem reddituros. Et ex verbis noſtris iuſtificamur, condemnamurque, ut Phariſæi, & Publicani parabola docet. De cogitationibus porrò & conſiliis quid Deus per Prophetam dicit, auſculta. Ego autem operam, & cogitationes eorum venio ut congregem. *Et David,* dixit enim in corde ſuo non requiret. *Et,* unuſquiſque cogitat in corde ſuo mala. *Et,* incumbit cogitatio hominis diligenter ad malum ab adoleſcentia ſua.] Luc. 18. Eſa. 66. Pſal. 13. Gen. 8.

Si igitur ob cogitationes ſuas torquetur, ut literis ſacris proditum eſt, utique memoriam habet, & aliquo modo, & alicunde patitur. Si ſecundum à vero diſtat, etiam primum. Contra, ſi primo ineſt veritas, ineſt item ſecundo. ANIMA. Quid igitur David ſecus ſcribit, *in illo die,* inquit, *peribunt omnes cogitationes eorum,* quo videlicet ſpiritus à carne ſeparabitur. CARO. Non ait cogitationes ψυχικὰς, hoc eſt, animæ proprias eſſe perituras: ſed curas & ſollicitudines huius vitæ, ſeu quas hæc vita parere conſuevit, de externis, de domeſticis, de cognatis, de liberis, de aliis, quæ longè plurima in rebus humanis verſantur, de plantatione, de agricolatione, de ædificatione, de veſtitu. Horum anima, cum ex hoc tabernaculo receſſerit, planè nullius recordationem habitura eſt. Quæ autem cum peccato & improbitate, voluptatum illecebris irretita factitavit, horum prorſus, & tantummodo tunc memor manet. De his cogitationibus ſcito Davidem loqui. ANIMA. Aſſentior. Iam hoc quoque ſuperiori non diſſimile, & æque ex Pſalmis depromptum mihi explanes velim., *Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.* Quæ ſubiecta eſt his ſententia? eloquere, & doce me. CARO. Exteriorem hominem, eiuſque gloriam fluxam & caducam cum fœno à Davide conferri certum eſt. Vt flos fœni, gloria & decus rerum iſtarum, ad breve tempus durantium, inquit. Et unuſquiſque homo inſtar floris effloreſcit, facileque defloreſcit ac marceſcit, & fervore ſolis iterum exareſcit, & defluit, & decidit, rurſumque in terram redit. Corpus fœnum, animam verò ſpiritum nuncupavit. Si in carne, ſeu corpore fuerit anima, motu agitatur corpus, eaque motione, quæ eius naturæ conſentanea ſunt, exſequitur. Si illa inde evolet, corpus nullum eſt; perinde ut ſi nunquam vixiſſet, nec in vita iſta floruiſſet: nec dici poteſt, cuiuſnam fuerit, nec iſtud illius, illud huius nominari. Nihil à floribus, nihil à foliis, nihil à fœno differimus. Verno tempore folia virent, autumno decidunt, diſpereunt. Hoc cum alij, tum

G Pſ. 145.

Pſ. 102.

H

Chryſoſtomus.

A Chryſoſtomus. ANIMA. Quid ego de anima abs te audio? Bona & iuſta, corpore exempta, malorum & à ſe cum vitio geſtorum non meminit: ſed inter angelos Dominum laudibus prædicat.

Gregorium Nyſſenus. *Omnino: huius vitæ eventa, vt ſanitas, divitiæ, deliciæ, gloria, paupertas, tribulatio, & quæcunque horum ſimilia, tunc ab ipſis memoria non tenebuntur. Non quod animas oblivio vincat & occupet: ſed quod præſens regni cœleſtis voluptas rerum triſtium recordationem excludat, iuxta illud, in die bonorum oblivio malorum.*]

Aſt quæ peccatis involuta hinc exceſſerit, illa & malorum ſuorum, & locorum, & perſonarum meminit, & improbè factorum ſuorum recordatur. Quod ſi iuſta, & nequam anima ſubſtantiæ intelligentes ſunt, ambæque iiſdem naturæ divitiis præditæ, in vtraque B ſimiliter eandem memoriam reperiri oportebat. Nunc, ut tu quidem affirmas, anima improba tantum ſuorum ſcelerum meminit. Atqui conſequens erat, bonam quoque malorum memoria tangi. CARO. Dubitationem tuam vide quomodo ſolvam tibi. Pura puris angelis conſociata, ſicuti ſupra oſtendimus, & bona illa ſplendida contemplans, illam lucem, illius voluptatis elegantiam, & divinitatem, illa dulciſſima carmina feſtum celebrantium, exultat, delectatur, & gaudio triumphat. Alia ex alia voluptas gignitur, & omnes divinæ ſunt; ac moleſtorum quidem univerſorum obliviſcitur: animarum autem in hac vita, quibus Dei gratiam implorat, legitimè memoriam uſurpat. At verò peccatis contaminata, ſimul corpus relinquit, ſimul ad infernum damnata abducitur, & cum horrore rapitur, ibidem ultionem, cruciatum, ſupplicium reperit, calamitatem inexſpectatam, dolorem C immenſum, tabeſcitque lachrymis & gemitibus. Tum cogitat, conſiderat, ſecum diſquirit, quinam in tantam ærumnam, & in illas tenebras inciderit, illicóque ab ſe acta occurrunt, & meminit, & conſcia eſt, & ipſa conſcientia torquetur.

Anima peccatoris & ipſius peccati ſpeciem, & locum ipſum, & perſonam qua cum peccavit, poſt exceſſum è vita meminit: &, ſi peccantes cor noſtrum vulneramus, & latere conſcientiam noſtram non poſſumus, quanto minus peccantes quippiam Deum latere poterimus?]

Exemplum rei illuſtrandæ gratia producam. Si quiſpiam maleficus & homicida captus fuerit, adhuc ſtillans ſanguine, & cruento pulvere ſordidus, habénſque manus & pedes currentes ad malum, qui Prov.1. in ligno maledicto eſt ſuſpendendus, cognoſcit qua Deut.21 de cauſa tantum ſibi ſupplicium irrogetur, & quomodo ad mortem maximè miſerabilem condemnatus ſit. Hinc & aliarum cædium redarguitur; hinc conſcientiæ telis iterum conſauciatur, quæ illum univerſorum ſcelerum ſuorum commonefacit. Sic tu D mihi animam quoque ſuppliciis addictam ſe habere intellige.

CAPVT II.

Angelos ſine inſtrumento corporeo divinas laudes celebrare. Eos ter tribus conſtare ordinibus. Vniuſcuiuſque ternary qualis hymnus.

ANIMA. De cætero de mentibus diſſere. Scriptura ſanè eas docet vacare corporibus, & intelligentia conſtantes, & miniſtras ac flammam ignis, & divinas, linguæ, oris, labiorum expertes. Qua igitur ratione Dominum collaudare non deſinunt? CARO. Hebr.1. Mentes, ſeu cœleſtes illi animi, natura ſimplices ſunt Pſ.109. creati, vt à Scriptura ſancta docemur, & hymnis Deum colere non ceſſant: non quaſi quodam organo ſeu inſtrumento corporato illum compellantes: ſed alium quendam ſonum edentes, citra pauſam canticum τρισάγιον ei modulantur. Subtiliſſimam autem ſortiti naturam, tanquam mentes, cantum, & voces ſuaveſonantes mire amant, & hinc quodammodo vocibus internis Domino canunt, vt inde ad eum melodia dulciſſima perveniat. Sed huius melodiæ ſonum nihil cum corpore commune habere exiſtima, qui non auribus, non ore, non lingua indigeat: verum abſque prolato formatóque ſermone, voluntate & ratione inter ſe communicant, & trigeminum illud SANCTVS omnipotenti Trinitati concinunt, dicentes, *Benedicta gloria Domini in omnia ſecula de loco ſuo ſanctiſſimo.* His tribus verbis hymni angelici continentur. Ezec.3 ANIMA. Vnde hoc noſcam? quis auctor? CARO. Magnus Dionyſius ex Areopago tam decantato, doctus à Magno Paulo videlicet, qui in cœlum tertium raptus, vt ipſemet ſcribit, & auditis illic verbis arcanis, & inſtitutus doctrina nova, & ob id quoque avis 2.Cor. cœlivolans nominatus, quæ ibi didicit, aliis revelavit. Tradidit autem cœleſtis ac principis illius militiæ novem eſſe ordines, qui communiter angeli appellantur: ſed ordine & ſtatu inter ſe differunt, omnéſque in tres ordines ſunt diſtributi. F

Sciendum noſtram quoque Eccleſiam habere novem ordines, ad imitationem virtutum cœleſtium: Patriarchas, Metropolitas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Monachos, & ſacrum laicorum cœtum. Alicubi ſic, & tot legi recenſitos Eccleſiaſticarum dignitatum gradus apud Græcos. Patriarcha, Metropolita, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Hieromonachus, Preſbyter ſeu Papas, Monachus, Diaconus, Hypodiaconus, Anagnoſtes. Monachi quoque τοὺς ἡγουμένους Præpoſitos, ſeu ἀρχιμανδρίτας habebant.

Primus ternarius Cherubinorum, Seraphinorum, G & Thronorum vocatur. Et hi hymnum concinunt venerandum, *benedicta gloria Domini omnipotentis de loco ſancto ſuo.* Medius Dominationes, Virtutes, Poteſtates complectitur, qui τρισάγιον ſolent canere. Vltimus Principatus, Archangelos, Angelos comprehendit, quorum hymnus eſt trigeminum Alleluia, quem divinè, & ſine fine vocibus non vocalibus concinunt. Hæc duo Prophetæ, divinus Ezechiel, & magnus Iſaias teſtificantur.

CAPVT III.

Humanam naturam dignitate angelis antecellere, duabus potiſſimum de cauſis. Christi ſponſam & reginam eſſe. Quantopere ſponſus eandem in cœlo honoraverit.

ANIMA. Obſtupeſco ſuper his, obſtupeſco ſuper illis, quæ congreſſu antecedente diſſeruiſti, H in quibus capite 15. de ſecundo Chriſti adventu diſputans, ſanctorum catervas gloria ipſos angelos anteceſſuros aſſeruiſti. Quæ oratio tua nondum mihi fit credibilis. Itaque præſta mihi hoc officium, & ſcrupulum exime. CARO. Nihil inopinatum, nec è cerebro meo dicam, ne tu ſermonem meum pro nihilo ducas, & reiicias. Probationem è ſacris petitam literis adducam, indéque difficultatem omnem diſcutiam. Ex Patribus enim antiquis interrogat quidam alicubi alium, eidem vitæ inſtituto & ſapientiæ conſecratum, his verbis. Dic mihi, honorande pater, promptóque ac libenti animo erudi me, qualia nam ſunt bona illa à Chriſto nobis donata, *in qua & angeli proſpicere deſiderant*, ſicut princeps Apoſtolo- 1.Petr rum Petrus ait. Reſpondit ille in hunc modum. Opinor ego, deſiderare angelos, vt in natura ipſorum, quemadmodum etiam in noſtra carne, ſecundum ſubſtantiam ſuam Deus Verbum ipſorum conditor, inhabitet. Deſiderant rurſum, vt ipſorum quoque natura à nobis adoretur & glorificetur, in throno Cherubico, & in ſinu patris ſedens, quemadmodum noſtra natura in Chriſto ab ipſis, & ab omni aſpectabili,

inaſpecta

A inaſpectabilique creatura adoratur. Deſiderant habe- *Mat. 16.* re claves regni cœlorum, & ſedere ſuper duodecim thronos cum Chriſto iudicantes, ſicut in die iudicij *Mat. 19.* piſcatores cum eodem iudicaturi ſunt. Deſiderant tanta apud Chriſtum potiri libertate, quanta potitus *Ioan. 13.* eſt, qui ſuper pectus eius recubuit. Dicam tibi quod maius eſt his omnibus. Affirmat Chriſtus, cum venerit in die iudicij, virtutes cœlorum commotum iri præ timore & tremore illius. Iuſtos autem *faciet diſ-* *Mat. 24.* *cumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Hæc & ſimilia *Luc. 12.* à Chriſto donata ſunt nobis dona, in quæ & angeli proſpicere, id eſt, intrare deſiderant. Tum alter ille rurſus interrogat, quid ita tandem Chriſtus naturam noſtram pluſquam angelos glorificavit & diligit? Occurrit interrogatus. Paulum audi, qui te modum incarnationis Chriſti, & multæ bonitatis eius erga *1. Cor. 2.* nos docebit. Ait enim, myſterium, quod prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, eſſe eiuſdem ad nos homines adventum & benignitatem. Favet itaque & complectitur Deus humanum genus B plus quam ullam creaturam, idque duabus de cauſis. Primum quia eſt plaſma, & opus manuum ſuarum, & quiddam præformatum œconomiæ ſuæ, animal, quod ſub aſpectum venit, & non venit, mortale & immortale: perinde vt Chriſtus. Deinde quia cognatus nobis, & eiuſdem ſubſtantiæ, eiuſdem generis ac formæ, homo natus videlicet. Ac proinde naturaliter deditus eſt, & diligit cognatos, & generis ſui ſubit intiæque ſocios. Hæc Præpoſitus monaſterij ad montem Sina, qui & cognomento Sinaita dicitur, quem ſi teſtem admittis (& dignus eſt admitti) dicito. ANIMA. Teſtem hunc amplector, ſuſcipio & approbo: meretur in primis fidem, & auctoritate valet. Quod ſi ſecundum appoſueris, tibi ea propter gratiam *Mat. 18.* habebo. Nam duobus potius, aut tribus, quam vni credendum audio. CARO. Non alterum ſolum, id quod petis, ſed tertium quoque, ſi requiris, & plures addam: nempe Paulum, Davidem, Chryſoſtomum. Tres hi divino probati teſtimonio, & tria ora C Verbi, clarè docent, naturam humanam eſſe ſponſam, & reginam aſtantem à dextris ſponſi myſtici, ac Do- *2. Cor. 11.* mini. Cuiúſque horum dicta & ſententiæ ad verbum, & ab initio recitandæ ſunt. Paulus itaque de hac ſponſa ſic ait, *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Et Ioannes Baptiſta, idemque præcur- *Ioan. 3.* ſor Salvatoris, *qui habet ſponſam*, inquit, *ſponſus eſt.* Sed ſponſus quidem caducus aliquanto poſt nuptias de æſtu amoris multum remittit: noſter autem ſponſus amorem ſemper intendit & auget. Meminit item Da- *Pſ. 44.* vid his verbis. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate* (veſte ſcilicet aurea & fimbriata.) Viſne etiam huius calceamenta videre? *Epheſ. 6.* Paulum Nymphagogum audi, *calceati pedes, in præparationem Evangelij pacis.* Placetne intueri cingulum, vt à veritate circundatum? *Succincti lumbos veſtros in veri-* *Ib.* *tate.* Aveſne etiam aſpicere eius pulchritudinem? *non* *Epheſ. 5.* *habentem maculam, neque rugam, neque aliud huiuſmodi.* *Cant. 4.* *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Viſne D cernere pedes? *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pa-* *Iſa. 52.* *cem!* Et cùm ita eam ornaverit, non venit tamen ita vt oſtendat, & exhibeat illi gloriam ſuam; ne immenſitate pulchritudinis ſuæ ipſam percellat, & à mente dimoveat. Sed venit veſtimento coopertus, ſicut ſponſa cooperta eſt. Non illam ſurſum acceſſit: ſed ipſe ad eam deſcendit, in hoc quoque ſponſi leges obſervans, qua ille ſponſam iubetur convenire; ſicut & Paulus ait. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem* *Epheſ. 5.* *ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Cum veniſſet igitur in eius diverſorium, inveniſſetque rugis obſitam ſqualidam, nudam, ſanguine inquinatam, lavit, unxit, veſtimento induit, cui ſimile non eſt reperire, factus ipſemet ei veſtimentum, & ſic eam ſibi copula- *Epheſ. 1.* tam in cœlum ſubvexit, & in ſuperis collocavit, *ſupra principatus, virtutes, poteſtates, & ſupra omne nomen, quod* E *nominatur non ſolum in hoc ſæculo, verùm etiam in futuro.* Vidiſti honoris magnitudinem: vidiſti dignitatis maieſtatem. Quæ pedibus ferebatur, quæ per terram trahebatur, eam in tantam altitudinem ſuſtulit, vt ei angeli quoque aſſiſtant. Illa captiva, illa abalienata, illa meretrix, illa impura, vidiſti in quantam altitudinem aſcendit. Quoniam enim caput noſtrum ſurſum eſt, ibique reſidet, nos corpus eius, eiuſdem gloriæ participes ſumus, ſi tamen ſtamus. Cernis, vt quæ ſponſa eſt, eadem filia: & quæ filiá, eadem & ſponſa ſit? quod ſane in corporibus humanis non datur: ubi aliud hoc, aliud illud. In Deo autem utrumque reperitur. Ipſe ſiquidem per baptiſmum aqua perfuſam regeneravit: ipſe eam ſibi coniugavit; ipſe illi pater, & ſponſus, & Dominus fieri voluit: Immo verò iſtuc ipſum, quod ei Dominus factus eſt, multæ adverſus eam curæ & benignitatis indicium eſt. Mancipium dæmonum, ludibrium ſeductoris, ſibi in propriam peculiarémque F deligere? Atqui ille non modò famulam ſuam, ſed & filiam & ſponſam ſuam fecit. Verè & aptè exclamemus, *quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes* *Pſ. 105.* *laudes eius?* Et rurſum, *quid retribuemus Domino, pro* *Pſ. 115.* *omnibus quæ retribuit nobis?* Quid enim cum tanto ho- *1. Cor. 15.* nore conferri poteſt? cum primitiæ generis noſtri, quod toties Deum offendit, neglectúmque & contemptum iacuit, in tam ſublimi loco conſideant, tantámque claritudinem obtineant? Et iſta quidem de ſponſa totidem verbis Ioannes Chryſoſtomus.

CAPVT IV.

Quamdiu, & quam ſtudioſè Dei filius ſponſam ſibi quæſiverit: quibus ipſam ornamentis cumulaverit, eleganti parabola demonſtratum.

SI porrò quæ dicta ſunt rurſum exemplo illuſtrari cupis, afferam, quod ad fidem patiendam ſufficiat, G cognoſcéſque cum admiratione quod quæris. Audi igitur attentè, & rationem adhibe. Erat quidam rex potens, dynaſta incomparabilis, qui habebat urbem regiam, cuius incolæ & plurimi, & optimi. Eidem regi erat filius venerabilis, cui pater uxorem deſpondere volens, puellas civium illorum ſummorum, ac principum filias ſibi prætereundas cenſuit: animo, inquam, & forma ſpecioſiſſimas, fœlices, honeſtas, bene audientes, inclytas, elegantiſſimorum & laudatiſſimorum peritas operum. Capto autem conſilio filium emittit, vti per omnem creaturam ſibi indaget, & conſociet ſponſam formoſiſſimam, ſuæ gloriæ maieſtatique proportione reſpondentem. Sibi enim nobilium illorum, de quibus diximus, filias non ita placere aiebat, vt ex iis aliquam filio connubio iungi vellet. Filius peragratis diligenter creaturis, perluſtratóque mundo terreno, & urbibus, & regionibus univerſis, viciniſſimis & remotiſſimis, mari & inſulis, & locis omnibus, toto oriente & occidente, ſeptentrione & meridie, in hac peregrinatione man- H ſit, vt mihi diſcere contigit, multorum annorum periodo: nempe ut ratio ſubducitur (ſecundùm Græcos) quinque millium, & omnino quingentorum. Tandem ut ſingulari pulchritudine conſpicuam (perridiculum vel dictu tantum) meretricem laſcivam pro ſponſa ſibi deligit, picularem, abominandam, vilem, ſordidam, vt erat, ſqualidam, vt invenit, morbidam, labore confectam, penitus deſpectam. Eam verò ad lavacrum adducit, purgat, unguento ungit, intaminatam reddit; ſtigmata delet, veſte pulcherrima induit, cui ſimilem haud facilè invenias. Alit eam cibis decentibus, victúque exquiſitiſſimo, & poſtremo in palatium ſuum ſurſum ducit. Quam ut rex ille magnus, & parens vidit, dilexit, & amavit, & aſpectu eius mirificè recreatus, corona impoſita ut reginam honoravit, ſubitoque in eodem throno illam ſibi

A aſſidere fecit. Et totius regni ſui hæredem inſtituit. Quin etiam ſponſæ huius genus in regiam ſeſe congregaturum, & vna cum illa decore & gloria affectu-rum eſt pollicitus. Vbi enim ſponſa filij mei, inquit, ibidem & genus eius univerſum eſſe, iuſtum, decorúmque iudico. Poſtquam vrbis incolæ ſponſam conſpexerunt, ſenatus & conſilium, magiſtratus, exteriorum interiorúmque ordinum cœtus, obſtupeſcere, ambigere, & timore quodam corripi vniverſi, cernentes rem maximam, & a ſuo genere alienam: filias nempe ſuas, illi naturæ ſocietate coniunctas ac domeſticas repudiari. Non enim apprehendit genus domeſticorum, nec ex illis, ſed vnde ſibi aſcivit, inde quamvis de peregrino genere ſponſam adducere voluit. Quoties igitur regi eiuſque filio regi laudes & honorem divinum oblaturi ſunt, etiam ſponſam, vt aſſidentem, & throni conſortem, vti diximus, cum religione & tremore volentes nolentéſque adorant: non ſine timore & ſtupore omnium cogitationes ſuperantem B prius damnatæ gloriam maieſtatémque intuentes. Anima. Audivi paradigma. Nunc idipſum fac mihi interpretere. Caro. Rex ille maximus, eſt dominus omnipotens, & rex gloriæ Civitas eſt urbs illa cœleſtis, cuius opifex Deus. Indigenæ illius, ordines τῶν νοερῶν animorum, horum filiæ, angelicæ multitudines. Filius dilectus, Verbum & Chriſtus meus. Genera creaturarum, natura communis hominum: quam autem ducit ſponſam, patet eſſe naturam mortalem, quam ex Maria Virgine aſſumpſit, cum qua tandem ad patrem eſt reverſus. Cognati ſponſæ & propinqui, ſunt qui à Chriſto nomen duxerunt. Reliqua paradigmatis tibi nota eſſe arbitror, vt & ſcripturarum teſtimonia, quæ, vt potui ad aſtruendam orationi meæ fidem produxi. Horum ſi tu quid nondum aſſequeris, vereor vt mentem ſanam & imperturbatam geras. Sed me miſſum fac quæſo: noli mihi exhibere moleſtiam: ad obſur-C deſcentes aures amplius verba facere nequeo. Natura mortalium iam inde a tranſgreſſione deſpicabilem & fluxam naturæ divinitatis, naturæ omnia ſuperanti hypoſtatice ſociatam & colligatam eſſe, hoc eſt, quod dixi, populum ſanctorum ſuper omnes angelos glorificatum eſſe.

Hebr. 2.

CAPVT V.

Naturæ humanæ cum divina coniunctio, collatione quadam declaratur, cum exaggeratione tanti beneficij.

ALterum, & breve paradigma tibi proponam. Aurum & plumbum natura diſcrepant, diſtántque inter ſe quam longiſſimè. Si igitur quiſpiam aurifex varia ratione & artificio uſus, plumbum in aurum probum mutaverit, & ita ſe ſolertem, ingenio-D ſúmque artificem oſtenderit, hoc novum, admirabile, & maximum videbitur; nempe plumbum ſupra naturam in aurum converſum eſſe, & aurum adhuc aurum manere, etiam poſt mixturam, & plumbum evaſiſſe id, quod natura ſua non erat. Sic & mihi de natura humana vili & abiecta ratiocinare, eam à Verbo in naturam glorioſiſſimam mutatam eſſe. O pelagus bonitatis. O gratia tanti doni. O magnitudo benignitatis. Prô divinas miſerationes. Prô immenſum amorem, quo Deus humanam naturam dignatus eſt tanta gloria, claritate, divinis chariſmatibus, & uſque ad finem, & uſque ad extremum dignatur.

Chirographum, quod Deus adverſus Adamum conſcripſit, nempe hoc, quocunque die comederis de ligno, morte morieris, *diabolus retinebat, nec reddebat. donec Chriſtus cruci affixus id ipſum delevit atque conſcidit. Quam tandem charitatem erga nos perpetuò conſervat. Non enim noſtri curam ac providentiam dimiſit: ſed & rogat pro nobis, quod ſummi amoris eſt, non ſolum quæ ſui muneris ſunt facere, ſed alium quoque pro nobis rogare.*

Gen. 2.
1. Ioan. 2.

E Chryſoſt. *Quanquam fortaſſe filij Dei facti ſumus, tamen id uſque ad ultimum ſpiritum incertum eſt. Quod ſi cum bona ſpe vitam clauſerimus, tunc donum iſtuc immobile, inconcuſſum, & gratia ſtabilis eſt; quando nimirum & corpus noſtrum à morte, & innumeris miſeriis liberatum fuerit Hæc enim eſt, & dicitur redemptio*]

Nos profanos, perverſos, & ingratos, audaciſſimos, peſſimos, petulantes, perditiſſimos: nos à quibus pulchritudo imaginis corrupta eſt, à quibus (ut ſimul & ſemel dicam) nihil niſi turpitudo perpetrata eſt, per invidiam illius invidi, tyranni, & malefici. Qui prius fuimus inglorij, qui canes rabioſi, qui ferocibus beſtiis immitiores, & donum recepimus, & gratis omnia, & gloria angelis ſuperiores facti ſumus, quod maximum, & optimum, & ſine comparatione præſtantiſſimum. Qui venditi eramus in ſervitutem, in libertatem vindicati ſumus. Qui eramus inimiciſ-F ſimi, declarati ſumus filij & hæredes, & *heredes quidem Dei* opificis & conditoris, *coheredes autem Chriſti*, quemadmodum oſtenſum eſt, & conformes, & throni, & gloriæ ſupremæ conſortes. Deus homo factus eſt, vt hominem quem manibus immaculatis formavit, Deum faceret. Hoc eſt illud magnum prorſus, divinúmque myſterium, quod omnem cogitationem, ſcientiámque, ſeu humanam, ſeu aliam ſuperiorem ſuperat. Illud verò eſt admirabile, & animadvertendum. Defecimus à conditore à quo prius deſcivit primus angelorum. Non tamen curæ fuit Deo, vt is ad ſe reverteretur, nec reverſus eſt, nec ad priſtinum locum revenit. Homini autem lapſo ſuccurrit, & ad primum ſtatum, eoque maiorem illum reduxit. Aliud ſi dixero, iterum obſtupeſces. Audio plane ſcripturam ſemper Deum prædicantem, vt hominum, animarum, pauperum amantem; nunquam audivi ab aliquo φιλάγγελον *amantem angelorum* nominari, tametſi angelus eſt ſubſtantia nobilis, & creaturarum excellentiſſima, G deitati familiaris & cognata, & mente duntaxat percipitur. Etiam hæc ſcripturæ ſunt ad gloriam hominum, nos omnes apertè Dei filios nominantis. *Filios genui*, inquit, *& exaltavi.* Et iterum, *filius meus primogenitus Iſrael.* Angelum autem nec Deum, nec filium, aut ſobolem uſquam appellavit.

Rom. 8.
Iſa. 1.

Cui enim dixit aliquando angelorum, filius meus es tu? *Et iterum*, non enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. *Nec enim naturam angeli, ſed hominis ſuſcepit. Natura quidem filij hominum: honore autem, & gratia filij Dei ſumus: ſed ſi imaginem eius in virtute poſitam illi puram incorruptámque conſervaverimus, tum demum donum hoc conſequemur.*]

Hebr. 1.
Hebr. 2.

Tantummodo flammam ignis, & adminiſtratorios ſpiritus appellat. Huiuſcemodi, & tot teſtimonia, firmamentum, demonſtrationémque ſolidam rei propoſitæ attuli, & dogma iſtuc iam ad fidem confirmatum eſt ſatis. Qui autem has confirmationes aſpernatur, & nondum recipit, non eſt ille fidelis, & deſipit. H

Hebr. 1.

CAPVT VI.

Creaturam cuiuſque generis, ſæculo quod exſpectamus, novam fore. Paradiſum, vetus Adami habitaculum, peracto iudicio nullum fore.

ANima. Accuratè rem cognovi ſermonémque tuum, & divinæ miſericordiæ pelagus obſtupeſco. Video enim in quantam gloriam ſublatus ſit homo, quantúmque cœleſtis militiæ principes antecellat. Quoniam autem ſecundo colloquio de tripartita anima, ſeu triplici vi & poteſtate animæ diſputationem feliciter abſolviſti, & ut ſe poſt reſurrectionem anima habitura, quomodo videlicet ſola ratio in ea permanſura ſit, demonſtraſti: & in hoc tertio, quod de ſanctis quæſivi, quomodo maiores angelis

A futuri ſint explicaſti: hinc iam mihi hoc exequere,
quomodo cœlum, terra, & alia, immutanda ſint; &
quo pacto omnia ad alium meliorem habitum reda-
cta, nova fient, uti ſcriptum eſt. Indicaſti enim de
Apoc. 21 ſchemate mutationis tunc futuræ. Nunc dilucidius
huius rationem ediſſere, ecquid omnes creaturæ im-
mutatæ, rurſum ornatum ſuum citra mutationem
aliam poſſeſſuræ ſint, quas David enumeravit, ſigil-
Pſal. 148 & 150. latim hortans omne opus Dei, omnem naturam ad
laudandum dominum: & quas ternarius puerorum
in igne ſalvatorum inducit; cœlum, & duo lumina-
Dan. 3. ria ſolem & lunam, lucem, ſtellas, mare, grandinem,
glaciem, pruinam, nivem, imbrem nivalem, ignem,
ventos, colles, imbres, fulgura, rorem, nebulam,
frigus, æſtum, noctem, diem, terram, ligna, colles,
clivos, valles, omne reptile, volatile, iumenta, be-
ſtias, abyſſos, tenebras, dracones: & quidquid humi
naſcitur, herbam, arbores, fœnum; maria, cete, flu-
mina, fontes, lacus, & omne quod movetur in aquis
B & natat. An igitur ſingula quæ hic recenſuimus, &
ſimul etiam locus Edem ut ſunt modò, ita tum futura
ſint, age perſpicuè doce. Caro. Etiam hic doctri-
nam ſinceram tibi tradam, & ne dicta, vt incredibi-
lia, improbes, teſtes promam ſanctos, virtutéque in-
ſignes, & mox probationem haud diſceptabilem ac-
cipies. Adhibe animum his, quæ hic ad verbum ex
iis à me repetita audies, & intelliges quod poſtulas.
Aliud ſapientes vani, occultorúmque myſteriorum
ſcrutatores dubitant, & nobis in quæſtione ponunt.
Quærunt noſſe, quale hoc univerſum iam diſſolu-
tum, hoc eſt omnibus defectum viventibus futurum
credamus. Quod illud novum cœlum quæ nova ter-
Apoc. 21. Gen. 2. ra, vt ait huius ſcientiæ coryphæus. Et num in Pa-
radiſo voluptatis plantato in oriente, in quo Adamus
protoplaſtus eſt collocatus, ſancti habitaturi ſint. Et
C num in illa nova terra peccatores ſupplicium expen-
ſuri ſint. Verùm ſublimior iſtorum notitia penes
eum eſt, qui ex nihilo fecit omnia, eadémque poſtea
immutaturus eſt, modis & rationibus, quas lingua
nulla effari queat. Tamen reſpondemus illis ad hunc
modum. Quidquid factum eſt à principio, propter
aliquam cauſam omnino factum eſt: cauſa illa fuit
homo. Omnibus itaque hominibus poſt univerſi re-
ſolutionem in unum congregatis ad iudicium, ut quiſ-
que præmium condignum ferat, iuxta ſanctum oracu-
Mat. 25 lum, inquit enim, *& ibunt hi quidem in vitam æter-
nam, illi autem in ignem exteriorem, & æternum,* non in-
tercedente alia cauſa, niſi ipſo homine, cuius tandem
gratia alia rurſum creatura ab opifice, nova, aſpecta-
bilis, & obiecta ſenſibus fiet? Si namque creatura
omnis, ab initio ex eo quod non erat, propter ipſum
hominem exiſtere iuſſa eſt, ſi Devs iterum novum
cœlum, & novam terram effecturus eſt, id eum face-
re ob aliquam cauſam oportet: hæc autem eſt homo,
vt diximus. Aliis porrò (ut aliter iſta conſideremus)
D raptis in aëre ad occurſum Chriſti, & ſic ſemper
1. Theſſ. 4. cum domino futuris, vt Paulus ait (*hoc enim,* inquit,
*dicimus vobis, in verbo domini, quia nos, qui vivimus,
qui relinquimur, ſimul cum illis rapiemur in nubibus ob-
viam Chriſto in aëra*) aliis ad pœnas inferni relictis,
quæ novarum iſtarum creaturarum vtilitas? Domino,
inquam ac Deo noſtro extra univerſum exiſtente, &
ſuper omnia in gloria beatitudinis ſuæ ineffabilis: ho-
minibus autem ita ſe habentibus, vt hi quidem ad lu-
cidas, illi ad caliginoſas & tenebroſas ſedes abeant,
quod antea demonſtravimus, quorſum illa præſtantia
& novitas creaturæ, & à nonnullis exſpectatum ita
ſenſibile cœlum, itemque ſenſibilis, & deſiderabilis
terra, quando, qui regnet, & fruatur ipſis, nemo erit?
Sed hæc infantium, & vix hominum, & à ſanitate
mentis deturbatorum, iudicio corruptorum, & à ra-
tione male habentium commenta ſunt. Quid igitur?
1. Petr. 3. inquit, qua de cauſa cœli calore ſolventur, & ele-
menta ardore liqueſcent; novos autem cœlos, & ter-
ram novam, ex promiſſo ipſius exſpectamus: ubi ergo
E iſta nobis promiſit? Exquiramus. Quando pietatis
gradus nobis enumerans, aſcenſionibus novem, deci-
mum gradum appoſuit, inter illos etiam novum cœ-
lum recenſuit. Ait enim, *beati pauperes ſpiritu, quo-* Mat. 5.
niam ipſorum eſt regnum cœlorum. Deinde, *beati mites,
quoniam ipſi poſſidebunt terram,* &, vt brevis ſim, *gau-
dete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in
cœlis.* In quibus tandem cœlis noſtram mercedem
multam fore ſpopondit? In quibus, vt meminit Petri
oraculum, iuſtitia habitat. Quis igitur eſt iuſtitia? 1. Petr. 3.
Deus. Si ergo ſol iuſtitiæ in novis illis cœlis habitat
(ut ſcriptura docet) Deus autem extra omne eſt, diſſo-
lutáque creatura in ſeipſo manet, ſimiliter & ſemper
exiſtens, & nunquam eſſe deſinens, nec in illis alio
quodam modo creatura habitabit, divinius vtique,
quam in lumine inacceſſo, in quo habitans Deus,
amicitur lumine tanquam veſtimento, & ſanctos ſuos
divinos reddit. Deinde iuxta ſcripturam mutata & alte- Pſ. 103.
rata creatura, incorruptionem ſuſcipiet vt nos, nec in-
teribit amplius, mutata, & à ſervitute liberata videli- F
cet. *Liberabitur enim & ipſa creatura à ſervitute corru-* Rom. 8.
ptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quod ſi liber-
tas electorum Dei divina eſt, & ſplendidiſſima gloria
(*erunt enim,* inquit, *ſicut angeli Dei*) utique libertas Mat. 22.
creaturæ ſimilis erit. Non tamen ſors ſanctorum rur-
ſus in ipſa erit, quandoquidem ſe cum Chriſto regna-
turos exſpectabunt. Chriſtus enim vt Deus, & quem Coloſ. 3.
nulla circumſcriptio definit, ab eis non ſeparabitur:
ſed ubi ille eſt, ad dexteram Dei patris ſedens, illic
item omnes, qui Chriſtum in ſe viventem, & loquen-
tem habuerunt, per ſpiritum erunt, ſicut ipſemet
Devs Verbum ad patrem dixit. *Pater, quos dediſti* Ioan. 17.
*mihi, volo, ut ubi ego ſum, & ipſi ſint mecum, ut videant
gloriam meam, quam dediſti mihi. Gloriam enim, quam
dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut nos unum ſu-
mus. Non pro iis autem rogo tantum: ſed & pro iis,* G
qui per verbum ipſorum in me credituri ſunt. Quod ſi
tibi ô homo chara eſt paradiſi voluptas potius, miſe-
ret me infœlicitatis tuæ.

Habes primum ac ſolidum teſtimonium: ſecundum
& tertium quoque, ut cupis, accipe. Magnus quip-
pe, & ſapientiſſimus Chryſoſtomus, ipſa feſtivitas,
ea quæ Paulus ad Romanos ſcripſit, ſapienter expo-
nens, ita docet, Sunt autem verba ipſa recitanda, ut
ſe habent.

CAPVT VII.

Locus Beati Pauli ad Romanos: nam exſpectatio creaturæ filiorum Dei revelationem exſpectat, *& quæ ſequuntur, ex S. Ioanne Chryſoſtomo propemodum explanatur. Statum corporis beati in hac vita perfectè non cognoſci.* H

HVnc ſenſum habet, quod ait. Interitus capax
creatura facta eſt, Deo ita volente iubentéque.
Voluit autem noſtri cauſa. Quoniam enim homi-
nem interitum nutritura erat, ipſam quoque huiuſ-
cemodi eſſe oportebat. Neque enim corpora corru-
ptioni ſubiecta, à creatura, quæ eſſet à corruptione
aliena, ſuſtentanda erant. Veruntamen non talis ma-
nebit, inquit: Sed & ipſa creatura liberabitur à
ſervitute inimici, id eſt, à corruptione. Deinde
ſignificans, quando hoc, & per quem futurum ſit,
adiunxit, *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cum enim
reſurrexerimus, inquit, & corpora nunquam de cæte-
ro moritura induerimus, tum & cœli, & terræ, & cu-
iuſque creaturæ corpus incorruptibile, & immortale
erit. Et hæc quidem Ioannes ille lingua aureus. Au-
di porrò huius loci & alium interpretem. Exſpecta-
tio enim creaturæ hoc ſibi vult. Et ipſa creatura, in-
quit, futuram gloriam noſtram vehementer exſpectat.

Quare?

A Quare? quia incorruptibilis creata, propter hominum peccata corruptibilis evaſit; quando & nos ex incorruptibilibus corruptibiles facti ſumus. Vult igitur creatura, inquit, hominem in ſuam incorruptionem reſtitui, quod in reſurrectione futurum eſt, & vt ipſa ſuam denuo adipiſcatur. Homine ; ſiquidem, propter quem creatura cœpta eſt corrumpi, ad incorruptionem reverſo, ipſa quoque ad ſuam incorruptionem revocabitur.

Pſ.101. Et omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur. *Omnia enim ſub oculos cadentia ſeneſcent, veſtimentorum vetuſtatem imitantia. Tu autem ipſa immutabis, & renovabis, & incorruptibilia facies in reſurrectione. Sicut enim corpora noſtra reſoluta eſſe deſinet, rurſúmque ad immortalitatem inſtaurabuntur; ſic & cœleſtia corpora renovabuntur, in meliorem ſortem reſilta de integro, ipſa quoque à* B *ſervitute corruptionis liberata.*]

Totum autem protopopœia quædam eſt, & bonorum amplitudinem declarat, oſtenditque nos hoc magis ſtudere debere, vt gloriam iſtam, & incorruptionem aſſequamur: ſiquidem & creatura id deſiderat. Cave enim exiſtimes, inanimem, ſenſúſque expertem creaturam vere hæc exſpectare & ſentire. *Ἀποκαραδοκία* autem vehementem exſpectationem ſignificat.

Chryſoſt. *avidiſſima exſpectatio eſt. Quo autem oratio ſignificantior fieret, mundum hunc unive ſum loquentem inducit; id quod & Propheta factitant, facientes tum fluvios manibus plaudentes, tum colles ſaltantes, tum montes ſubſilientes: non ut hæc animata eſſe putemus, neque ut illis cogitationem aliquam attribuamus: ſed ut hinc bonorum magnitudinem intelligamus, ut quæ vel ad ſenſum etiam carenti pertingat. Hoc ipſum autem & in rebus triſtibus perſæpe faciunt, inducentes & vitem lamentantem, &* C *vinum, & montes, & templi laquearia eiulantia; vt & hinc rurſus malorum gravitatem reputemus. Hos itaque Apoſtolus imitatus, hoc loco, perſonam creaturæ affingit, eamque ſuſpirare & parturire ait: non quod ſuſpirium aliquod à terra & cœlo editum ipſe audieris; ſed vt futurorum bonorum immenſitatem deſideriúmque declaret, quod habet, vt malis præſentibus liberetur.*]

Quod autem ſequitur, *revelationem filiorum Dei exſpectat:* id eſt, finem, quando apparebit, quinam ſint filij Dei, & qui filij diaboli. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt.* Id eſt, corruptioni. Hac enim condemnata eſt propter peccata noſtra. *Non volens.* Chriſti potentiæ & hoc argumentum eſt, invitam ſubiecere. *Sed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis.* Ita, inquit, & ipſa liberationem exſpectat. Sub ſpe igitur liberationis ſubiecta eſt. Deinde hoc ipſum interpretatur, quomodo in ſpe, *quia & ipſa creatura liberabitur*, inquit, *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* D Puta, propter libertatem gloriæ, hoc eſt, propter nos erit & creatura incorruptibilis. Sicut enim propter nos eſt corrupta: ſic viciſſim propter nos erit incorrupta. Quoniam in libertatem à corruptione vindicabitur, vtpote corruptionem incorruptione mutans. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc.* Si creatura ſimul ingemiſcit, volens corruptionem deponere, quanto magis nos hoc velle debemus?

Et has quidem percunctationes, ſolutionéſque propter creaturam ab illuſtri illo ſcripturarum explanatore Chryſoſtomo inductas audiviſti: nempe, quodnam novum cœlum, quæ nova terra, & quomodo etiam hæc tandem incorruptionem conſecutura ſint. Nihil igitur ambige, nec controverſare: ſed cum audieris creaturam fore incorruptibilem, & crede, & puta, & ſape, & dic, penitus nihil horum quæ creaturæ complexu continentur, & nunc corrumpuntur, 1.Cor.7. etiam tunc ſemina interitus habiturum. Nec enim in futura illa vita, gaudiiſque venturis vllus erit creaturarum uſus, cum figura huius mundi præteribit, nec quippiam omnino tale, quale nunc eſt relinquetur. E Dum enim creatura corruptionem, & ſenectutem exuet, ſimul vetus vitium, & defectum exuet; neque quos enumeravimus, vel Davide, vel tribus pueris, vel te indigebit, à quibus ad Deum laudandum excitetur, qui ſolus erit omnia in omnibus, 1.Cor & diſtribuet ſufficienter, & eximie pro cuiuſque uſu & merito omnibus, ſecundùm virtutis menſuram, & vitam probè peractam, pro omnimoda perfectione ſua ac plenitudine. Teſtis eſt Scriptura, & teſtis cui contradici nequit. Quoniam & locus Deus, & eſca, & potus, & lumen, & habitatio, & amictus, & divitiæ, & imperium ſine ſucceſſione, & omnibus erit omnia, & quidquid tandem eſt, & nominatur Deus, ad vitam illam ſempiternam idoneum. ANIMA. Vt igitur oſtendiſti probationibus neceſſariis, nec iſta quatuor, & prima omnium corporum, elementa videlicet, F aqua, terra, aër, æther ſive ignis, in quibus, & per quæ tota mundi machina ſubſiſtit, aſpectabilium, ſenſibilium, animantium, vegetabilium; & quæ *ζωόφυτα* vocantur, & plantarum, inanimatorum, inſenſibilium, manebunt. Nam ex his quatuor conflata ſunt omnia. Si igitur cum aliis & hæc tranſibunt, quibus tanquam principiis, vt dictum eſt, univerſa continentur, unde ego corpus ad reſurgendum inveniam? Quomodo etiam expers corruptionis erit, vt ſuprà docuiſti? quo pacto divinum, & à Deo reparatum, vt oſtenſum eſt? quomodo ſimplex quiddam natura & ſpectatu, conſideratione ſplendidum, natura ſplendidiſſimum, & ante omnia à corruptione alienum, immortale, ſenectutis exors, ſi in eo qualitas quædam & quantitas, & magnitudo manifeſta extiterit? Ad hæc reſponde. CARO. Vltra hæc ne quid diſcepta avidius, nec curioſè ex me ſcrutare profunda ſpiritus. 1.Cor.2. Non enim potes iſtis commentationibus ea liquidò perſpicere, quamdiu corpus geſtas, quæ ſermonum G iſtorum auditione corporea, & luteæ materiæ, & vno quodam de ſenſibus corporis non capiuntur. Quamdiu enim velamentum, carnem me ſcilicet, contines, nec claritatem illam inexplicabilem conſecuta fueris, impoſſibile prorſus eſt, vt ſe iſta habeant, cognoſcere. Id quod ex hiſce Pauli verbis liquet. *Videmus nunc* (dum ſumus in hac vita) *per ſpeculum, in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*, quando nimirum cum 1.Cor.13 natura ſubtiliore in vitam ex mortuis redierimus.

Nunc cognoſco ex parte, inquit Sanctus Apoſtolus, *ſentiens Deum etiam hic oſtenſurum fuiſſe ſapientiam ſuam, ſi quis eius capax foret cognitionis, quæ nunc quidem non capitur, capietur autem, quantum licebit, in futuro ſæculo videlicet.*]

Nunc mihi moleſta & oneroſa ne ſis: ſed ſi quid gryphorum, & difficilium noſſe voles, magiſtros percunctere, & ab iis diſcas licet: me indoctam ne vrge, vt hic optatum finem diſputatio accipiat.

H

CAPVT VIII.

Finem mundi incertum eſſe: ſuper eo plurium vaticinationes & coniecturæ. Gregory Nazianzeni ſententia.

ANIMA. Per ego te Deum, perque ipſa abs te dicta oro, ne ſilueris. Etiam de extremis mundi temporibus, & quomodo, & quando omnium ventura ſit conſummatio; & vnde, & quando infandus ille Antichriſtus ſit emerſurus. Timor enim vellicat me, volóque, & deſidero de eo cognoſcere: ne fortè impoſtor me indoctam inveniens ſeducat. CARO. Vnde, & quomodo venturus ſit, narrabo tibi. Tempus autem conſummationis, ut incertum prorſus, non habeo dicere: nihil enim cum Apoſtolis magiſter hac de re communicavit, ac ſæpe rogantes celavit. Hoc ſolum illis dixit, neminem noviſſe diem illum neque horam: non hominem, non angelum:

ſed Patrem ſolum. Quod igitur occultavit Dominus, ego quomodo eloqui poſſim?

Theophylactus. *Cum vellet Dominus cohibere diſcipulos ab indagatione diei illius ultimæ, ait, neque angelos, neque filium hominis illum ſcire. Nam ſi dixiſſet, ſe quidem noſſe, patefacere autem nolle, triſtitia eos affeciſſet. Nunc ſapienter agit, & eos ab iſta ſciendi cupiditate, & a moleſtia ſibi exhibenda planè revocat dum nec angelos, nec ſe ſcire confirmat. Ex parabola porrò rem ſaxo intelligas. Sæpenumero pueruli patres ſuos quippiam manibus tenere vident, quod concupiſcunt. Illi dare abnuunt: pueruli fruſtrati plorant. Tandem abſcondunt quod tenebant, illiſque manus vacuas oſtentant, atque ita fletum eorum compeſcunt. Perinde Dominus Apoſtolos tractat, & diem illum occultat. Nam ſi dixiſſet, ſcio equidem, non tamen vobis dico, contriſtati fuiſſent ea de cauſa, quia id ab eo non didiciſſent. Non ignorare autem Dominum, ex eo manifeſtum eſt, quod ipſe fecit ſæcula. Qui ergo fecit, quomodo ignorat?*]

Multi porrò plurima ex aliis ſuper hoc collecta diſputarunt. Nam nonnulli, ſecum reputantes, quoniam Deus ſex diebus in Verbo totum mundum procreavit, & ſpiritu ſuo ſuperiora & inferiora produxit, ac poſtea die ſeptimo ab operibus ſuis requievit, completo ſextæ chiliadis annorum numero, vitæ huius finem & conſummationem fore putaverunt. Nam vt David canit, *mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit.* Quare completa annorum ſexta chiliade, etiam totius mundi tempus compleri, & abſolvi neceſſe eſt. Sed iſti, non ſatis ad ſcopum collinearunt, vt equidem arbitror. Aliis cogitare in mentem venit; quoniam hoc ſæculum, ut aiunt, eſt humano generi ſeptimum, ſextam chiliadem, & totam ſeptimam præterire oportere: deinde finem, & iudicium futurum, vt ſecundùm Salomonem demus partes ſeptem, nec non & octo vitæ vtriuſque. Tempus ſive ſæculum ſeptimum iſtuc, operum eſt: octavum, quod exſpectatur, contrà præmiorum eſt. Horum ſententia omnium aliorum maximè præponderat. Alij ſcriptam auctoritatem ex Apocalypſi Ioannis Theologi afferunt. Agnum quippe Dominum, & purum agnum adoratum iri narrat mille annis, Satanam autem apoſtatam, beſtiam peſſimam vinctum, poſtea ſolutum iri, vt quidam Hebræorum aliorúmque ſeducantur. Rurſus poſt crucem & paſſionem Salvatoris, deſcenſúmque ad inferos beſtiam vinctum iri, agnumque pulcherrimum denuò in veneratione futurum. Et hinc ratiocinantes mille annos colligunt. Sed nec iſti per omnia probabiliter loquuntur. Etenim millenarium viri docti pro numero ac tempore indefinito accipiunt. Puto namque à Chriſto in præſens tempus annos evolutos mille centum quinque, ſicut accuratè rationem putando inveni. Quod ſi ab eius acerbiſſima nece, & ſepultura numeres, mille ſeptuaginta duos conficies, & hinc exactius tempus deprehendes. Ex quo enim ſol lumen maximum eſt fabricatum, uſque ad deſcenſum de cœlo Verbi & Salvatoris, abierunt nimirum millenarij annorum quinque, & inſuper centuriæ quinque, vt ratio ſubducitur. Tum Verbum, ad noſtram ſeſe miſeriam demittens, caro factum eſt. Poſt illud ſexcenti quinque & quingenti ad præſentem uſque indictionem, ſecundùm quam duodecima lunæ, ſolis autem vigeſima quinta periodus neceſſariò circumacta eſt.

Quod hunc in modum colliges. Ab orbe condito uſque ad Chriſtum natum numerat auctor 5500. poſt Chriſtum natum uſque ad ſua tempora (hoc eſt Alexij Comneni decimum ſextum) 1105. qui ſuperioribus additi efficiunt 6605. annos. Quos ſi per 19. partiaris, periodi aurei numeri trecenta quadraginta ſeptem exiſtent, & quadrageſima octava annus duodecimus agetur, quem auctor duodecimum Cyclum lunæ, ſive anni lunaris appellavit. Cycli verò ſolaris vigeſimus quintus numerus prodibit. Si eoſdem annos 6605. per 28. dividas, cuius integri orbes ſunt ducenti triginta quinque, vigeſimi ſexti, vigeſimus quintus eſt reliquus.]

Itaque à paſſione Domini annos omnes fluxiſſe collige mille ſeptuaginta duos, eoſque plenos. Optimus autem Alexius decimum ſextum in imperio nunc agit. Hæc igitur ſuper conſummatione ſæculi dicta ſint, nec ea exquiſitè, verùm ex quibuſdam ſignis, ſuper quibus neutiquam plura diſſerenda ſunt: ſed tacendum, cum non poſſit planè verum dici, ex iis quæ quidam horum indagatores dixerunt. Conſummationem porrò totius mundi, vt antè diximus, quam adhuc inveſtigando reperire nullus potuit, quo pacto ego poſſem exactè noſſe? Quod ſi quis neceſſaria argumentatione hic concludit aliquid, Gregorius ſapientiſſimus, Theologus magnus concludit, dum ait: Iubet Dominus, & nemo contradicit, ſuperiorem mundum inſtaurari & impleri: implebitur autem ſalvatis omnibus, quicunque ſecundùm virtutem, & Deum vitam traducunt, quorum ſors regnum cœlorum, nunquam ab eis auferendum. Vacuitatem illius ordinis complent à quo primus apoſtata defecit, & catervas ſimul deficientium, & ſub ipſo limites ſtationémque deſerentium ſecum traxit.

Nam quod ceciderunt angeli, non natura ipſorum, ſed arbitrij fuit: nec enim natura ad malum ſunt immobiles; alioqui nec Satanas cecidiſſet, vt in quem ex natura ipſius huiuſmodi caſus non conveniret. Verùm ad malum natura difficiles ſunt, ut ait Gregorius Theologus.

Quando igitur plenitudinem hic locus acceperit, præſentis quoque ſæculi ac vitæ plenitudinem exſpecta. Vnde autem Antichriſtus, & quomodo venturus ſit, deinceps pro facultate tibi conabor exponere. Tu mihi animum attende.

CAPVT IX.

De præcurſoribus ſecundi adventus Chriſti. De prænuntiis, mirandis operibus, & ortu Antichriſti.

PRimo adventui Verbi ac Domini lucerna, præco præcurſor, lumen præcurrens, Ioannes fuit. Secundum adventum eiuſdem Elias Theſbites præcurret, cui cognomentum Zelotes à zelo, quo ſupra Phinees excelluit: id quod Propheta Malachias prænuntiat, & cum ipſo, ac poſt ipſum os theologicum, in Apocalypſi ſua, Eliam hunc ſecundum adventum Domini præcurſorum tradit, & cum eo unum de primævis Patribus, admirabilem Enoch ſcilicet, duos hoſce coopertos ſacco omnibus palam teſtificaturos, Antichriſtum ad ſeductionem & perniciem mortalium venturum. Hi prævenient adventum Verbi diebus mille ducentis ſexaginta. Idem perſpicuè Daniel prædicit, aliis verbis, loquens de hebdomadibus annorum, & iis abbreviandis. Hinc gloria latriæ ſacrificij ſublata, Elias ille mirabilis, & Enoch Patriarcha paſſim ad omnes homines officio præcurſorum fungentur. Annis tribus & dimidio ſeductorem affore prophetabunt: & poſt hæc Antichriſtus exitiabilis aderit, & rerum potens ſcelera evomet, Chriſtique ſervos tormentis ſubiiciet. Falſos Prophetas habebit præcurſores, qui tyrannum illum, impoſtorem, & orbis corruptorem prædicabunt, ac promulgabunt. Sic autem adveniens variis oſtentis & prodigiis ſeſe commendabit, vt multi electorum, ſi fieri poſſit, in errorem inducantur. Verum inconcuſſos ac ſtabiles incidens ſeductor fruſtrà laborabit. Radicem unde prodeat, amaram, radicem peſtiferam (vt organum tanto perditore dignum & conveniens) inveniet. Virgo, ut putabitur, ſed impura meretrix erit, unde naſcetur, flagitioſus ex flagitioſa: videbitúrque imitari Dominum, ita ſimulabit ſanctimoniam & fraudulenter, ac ſecundùm imaginationem non reipſa perpetrabit miracula & portenta. Eum Hebræorum natio ſuſpiciet & complectetur.

CAPVT

CAPVT X.

Vaticinium Patriarchæ Iacob de Antichriſto explicatum: eiuſdem mores, ultimorúmque temporum illorum calamitates ac miſeriæ.

ANIMA. Ex qua porrò tribu, ſeu ex quo genere, & ex qua patria fucatus, & execrandus ille planus eſt proditurus? Narra etiam mihi, ſi quis Propheta aut Patrum aliquid de eo prædixerit. CARO. Priſcum quoddam vaticinium tibi dicam, vt vis. Patriarcha Iacob morti conceſſurus, cum 12. filiis bene precaretur, de genere Antichriſti apertè in ſpiritu prophetavit. Oraculum id potiſſimum ad Dan filium pertinet, & eſt omni ex parte improbi illius moribus aptiſſimum. Nam Dan ex Bala Rachaelis ancilla natus eſt. *Dan*, inquit, *iudicabit populum ſuum.* Eſt ſiquidem illa vna tribus ex duodecim. Sed quemadmodum Chriſtus cum ex familia David effloruiſſet, hominem ut fabricator & Dominus ſalvavit: ſic ex Dan ſerpens mortiferus, Antichriſtus exitialis ac pernicioſus, velut ceraſtes orietur. Hoc enim eſt, quod ſcriptum legimus. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor eius retro. Salutare tuum exſpectabo Domine.* Draconi natura doloſo & callido, quique multis undique utitur fraudibus, & vitæ huius iter peragentibus mortem afferenti eum comparat. Planè vt ſerpens horribilis, qui in via in inſidiis latens, clandeſtinis morſibus eam ambulantes interficit. Sed equum, opinor, inde cadens corpus appellavit. Cecidiſſe autem, & iacere ſupinum, ipſe habitus & forma mortui, vt arbitror, oſtendit. Rationem iam, & ſeductionem, prô, ſeductoris intellige: vngulæ enim explicatio, corruptorem inſinuat. Alios quidem inſidioſe lædet, alios in omnium aſperrima, & labores laborioſiſſimos inducet. Caſum igitur demonſtrat, ex eo quod equum dixit, quo graviſſimè morſo, celeriterque corrupto, interitus, & mortis conſumptio eos ſequitur, à quibus cœleſte præmium, & corona ſperatur. Fructus enim ſpei apud prudentes, eſt ipſa ſalus, quam deſiderant. Itaque naſcetur ex muliere libidinoſa, opinione quidem incarnatus; ſed non etiam re ipſa, mendaciſſimus, furaciſſimus, doloſus, vafer, ſpecie duntaxat iuſtus, quietus, veræ gloriæ amicus, falſæ inimicus, pauperum, fratrum amans, miſericors, pius, benignitatem ſimulans, gravitatem oſtentans, Hebræos, & genus Hebræorum omnibus præferens, mores minimè avaros, à facultatibus habendis alienos exhibens. Iucundum & lepidum ſe faciet, moroſitatem fugiet. Pacem videbitur colere & amare, perturbator omnium maximus. Apparebit ovis, cum ſit planè lupus, & in ſumma, nihil præter figmentum, ludificatio & techna; donec videlicet omnes ad ſe attrahat & ſubigat. Hebræorum autem improborum genus peſſimum, affectibus ratione carentibus cedens, & cum clamore accurrens, Amon, & Moab, & Edom, & huiuſmodi idololatrarum filij procidentes, eum ut regem & amicum adorabunt, quorum (vt ſibi præ omnibus acceptiſſimorum) rex erit, fictéque, & ad opinionem tantùm providentiam loci oſtentabit, quaſi templum ipſis reædificaturus. Seductor igitur, præſtigiatorque, & impoſtor arrepto imperio, dæmonas utique ſe prædicatum, & commendatum per orbem terrarum mittet. Surrexit, dicent, magnus rex Hieroſolymis, humanus, amans pauperum, omnes ad eum accedite. Eo iam omnem poteſtatem nacto, abominatio deſolationis à Daniele prædicta conſequetur: ——

Abominatio deſolationis vocata eſt & ſtatua, quam Adrianus Imperator in templo Hieroſolymitano, quod tunc erat, conſtituit.

—— de qua & Paulus, in templo Dei ſeſſuram. Et cum perſonam omnem cœperit deponere, latentémque intus hypocriſin paulatim aperire, primùm quidem Enoch, & Eliam, vt immanis carnifex trucidabit: & fraudulentiam exuens, furorem autem & iram aſſumens, crudelis, inexorabilis, arrogans, peſtilens, impudens, furioſus, audax, nec pilum boni viri habens, omnis nequitiæ diverſorium, terriculamentis, ſpectris, impoſturis, vt magus quiſpiam ſe oſtentans, ut tyrannus, vt invaſor, vt viſorum inanium, commentorum, & mutationum mirabilium artifex. Quin & figurarum, & colorum converſionibus omnino inſtar Protei alius ex alio. In ſublime volans vt angelus, (immò vt dæmon) & terrores ac prodigia ad deceptionem effingens, vt inconſideratis mentibus montes transferre videatur. Curatores, mandatorios, & curiales faciet, agoranomos (hoc eſt fori rerum venalium præpoſitos) conſtituet, caupones, panivendos, vt cum quis rebus ad vitam neceſſariis, & cibo potúque egnerit, ſigillum ſeu characterem ſeductoris in fronte, & in manu dextera accipiat; vt omnino crucis forma ad ſalutem ſignari nequeat. Cùm enim non ignoret quantam vim habeat divina hæc armatura, quam ſit inexpugnabilis, & invicta in omnibus, & quam eius duntaxat expreſſa figura dæmon[illegible]bilitet, hac ipſa Chriſtiani populi etiam frontes penitus ſpoliare machinabitur. Tunc mare perculſum refugiet; terra exareſcet; nullus deinper cadet humor, non ros, non pluvia: herba viridis & arborum folia morientur; omnes, alius in aliā regionem aufugient. Europæi in orientem ſe conferent, inde in occidentem & ad ſeptentrionem ex Libya current. Totus orbis in anguſtias redigetur: gentes timore corripientur. Fames, peſtis, terræmotus, quaſſationes, tremores in vrbibus, in oppidis, in continente, & in mari, & confuſio, & tribulatio, & afflictio in mundo ſentientur. Eſurient ſimul omnes, & dives & pauper. Sitient, nudi erunt, egeſtate cruciabuntur, & omne aliud nocumentum, acerbitatémque patientur. Nocentes etiam beſtiæ hominibus ad multitudinem, amplificationem & incrementum calamitatis immittentur. Extra & intus, vndique tremor, & gemitus, & ploratus, & lamentatio per humanum genus. Pater & mater lugebunt ſuper filiis: filij ſuper parentibus eiulabunt. Matres ſuper infantibus adhuc lactentibus: cognati ſuper cognatis: ſuper amicis amici. Mutuò ſuper ſe corruentes, miſerabiliter expirabunt. Magna tribulatio erit, & talis tribulatio, qualis prorſus nunquam fuit, ex quo mundus è nihilo ab univerſorum Deo conditus & conſtitutus eſt. Pulcherrima & maxima luminaria atque faces illæ cœleſtes lumen nullum fundent, nec micabunt aſtra reliqua. Frater fratrem, & filij parentes, & hi viciſſim filios ad necem tradent, natura & ſanguis plane confundetur, & tenebræ, & mortes quotidianæ, & cædes miſcebuntur. Nemo tunc opem feret: non erit qui ſepeliat: ſtirpes & bruta animantia ſimul corrumpentur. Vivi, beatos prædicabunt olim mortuos, & cum morientium putoribus computreſcent: qui in biviis videlicet temerè iacentes, aerem graveolentia ſummopere inficient. Die incipiente clamabunt cum gemitu: quando veniet veſpera? forſitan nos hoc dolore expediet. Rurſus cùm nox aderit, diem optabunt, vt inde in aliā quampiam regionem fugiant. Nulla omnino invenietur remiſſio: nullo loco tutamen, aut præſidium. Pecuniæ amor, divitiarúmque deſiderium evaneſcet: aurum, margaritæ, & lapis pretioſus abiicientur: purpura, byſſus, argentum ſpernentur ab omnibus; coccus auguſtus, hyacinthus, & alia ſumptuoſa negligentur. Vt paucis dicam, quidquid in terrenis rebus pretioſum, vt inutile, vt profanum, vt ignominioſum deſpicietur. Nemo nummis lætabitur, nec vitæ cupidus reperietur: ſed vt pulvis, palàm omnia reputabuntur. Qui igitur adverſante ratione Belial capita ſubmiſerint, atheique illius characterem acceperint, concurſantes contra eum murmurabunt. Hem, quid feciſti? inquient: fame enecamur; vivere nequimus amplius; prorſus

Gen. 49. — 2. Theſ. 2

A prorſus deficimus. Aufer, ſi potes, dracones hominum. Ille perditor haud potis, nec habens quid faciat boni (ſiquidem boni nihil didicit facere, cum audacia crudelem ſui defentionem aſſeret. Nulla cadit pluvia: humus non irrigatur imbribus: ſquallida tellus alimenta non ſuppeditat. Quid igitur poſſum facere? quid enim fruſtra moleſti eſtis? Vnde præbebo eſcas? vnde veſtitæ inopiæ ſuccurram? Tunc continens, & mare ſine lingua lamentabuntur, & aliæ creaturæ, vt dictum eſt. Omnia tremor, etiam montes, & colles occupabit. Sol, & Luna, & ſtellarum agmina mœſto vultu aſpicient ſeductionem tantam, qua genus humanum a ſuo creatore ad ſeductorem ſe applicuit, & ſignum eius ſuſcepit: quod utinam nunquam ſuſcepiſſent, & tuliſſent. Viæ Sion tunc lugebunt, ait Propheta, quia ſeductor abſtulit feſta Domini. A Chriſto

B — Thren. cognominatus populus in mœrore magno verſabitur; non enim erit oblatio, non ſacerdos, non ſacrificium. Deficiet & thymiama, & locus holocauſtorum, & omnes hymni pſalmique, & omne genus divini cultus, dominante nobis dæmone per annos duos cum dimidio. Niſi enim providentia opificis, Salvatoris, ac

Mat. 24. Domini *breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro. Sed propter electos breviabuntur dies illi*, ut ipſe

net aſſirmavit, fictor meus, & Dominus, & miſericors Dominus, qui ſupra vires tentari ſinit neminem. Ex-

1. Cor. 10. pletis itaque temporibus illis, vbi Satanas, & ſcandala quieverint, repente immenſa lux longè lateque corruſcabit. Tum maximus ille, & pulcherrimus, & immortalis ſponſus ad totum orbem, vt novit, iudicandum veniet, in multitudine, & virtute, & gloria, quam nullius

Luc. 21. Mat. 24. mens æſtimare queat. Sonante tuba, ſepulchra aperientur, & mortui reviviſcent univerſi, & quotquot

1. Cor. 15. poſt homines natos interierunt, excitabuntur. Viventes immutabuntur, ſcribit Paulus. Qui in occurſum Chri-

C ſti rapientur, in nubibus, in aera magno numero, iuſti erunt. Peccatores autem, vt ego, & quotquot improbiſſimi, in terra relinquentur, fruſtra lamentantes.

Chryſoſtomus. *Etenim rege appropinquante & adveniente, qui in honore ſunt, occurrunt damnati, quique offenderunt, domi manent. Super aere feremur ut vehi-*

Act. 1. *culo. Nam & Chriſtus in nubibus elevatus eſt, & nos in nubibus rapiemur; & quod omnium eſt beatiſſimum cum ipſo erimus ſemper.*]

Tyrannus cum omni potentia ſua condemnatus & ligatus, & quicumque characterem eius habuerunt, ante Verbum ſiſtentur. Tunc rex omnium & Dominus potentiſſimus ſententiam contra illos proferet, vniverſique in gehennam præparatam diſcedent. In iſtis tunc implebitur illa prædictio, quæ affuturos vl-

Eſa. 27. timos dies cecinit, quibus Dominus inducet gladium ſanctum, & magnum, & fortem ſuper magnum draconem, ſerpentem, maleficum, quem planè interficiet acie huius gladij. Draconem intellige Antichriſtum.

D *Sicut enim antea deſtructa & everſa ſunt imperia, & monarchiæ, vt Medorum à Babylonijs, Babyloniorum à Perſis, Perſarum & Macedonum à Romanis: ſic & hoc, Romanum, inquam, deſtruetur ab Antichriſto, & ille à Chriſto, nec amplius occupabit.*]

CAPVT XI.

Adhuc de ſceleribus Antichriſti, & cur Deus eum vivere, ac ſævire patietur.

ANIMA. Quænam porrò vtilitas in adventu Antichriſti, quod lucrum apportabit, cùm venerit, vt venturum dicis? Quis illius vivendi modus: & cur eum Deus naſci patietur? CARO. Ne te rei novitas perturbet: nihil enim ſine ratione fit eorum

Sap. 11. quæ ſunt, & ſine ratione conveniente: ſed in pondere, numero, & menſura. Paulus porro in altera epiſtola ad Theſſalonicenſes cap. 2. ad id quod quæris

E reſpondet. Eorum enim dominabitur Antichriſtus, qui gratia Dei ſunt deſtituti, qui teterrima, & teterrimis teteriora patientur: Hebræorum nempe gens, Chriſti interfectrix. Quoniam enim charitatem non receperunt (charitatem intelligit Deum, vocatur enim charitas) ad vtilitatem & fructum, ad ſalutem ſuam, Deus illis operationem erroris mittet, vt deinceps ſequitur, ad confirmationem fidei. Antichriſtum *operationem erroris* appellavit. Si igitur audaciſſima illa beſtia minimè veniret, nunquam ſuam perverſitatem agnoviſſent. Itaque ad Hebræos redarguendos veniet, vt ne figmentum quidem prætexentes dicere queant. Quoniam audivimus Chriſtum ſemet filium Dei nominantem, & Dei viventis progeniem ab aliis, nullo modo nos ei ſubiicere voluimus. Talia loquen-

F tibus Antichriſtus ex iis quæ ipſe dixerit, effinxeritque os obturabit: nihil enim ad veritatem, ſed mera mendacia ſemper loquetur & faciet, ſicut pater mendacij. Et cùm ſit Dei adverſarius, Deum tamen ſeſe non timide (ô importunam audaciam) appellaverit, etiam hinc ingratiſſimis ſilentiam imponet. Si enim non audiviſſent Chriſtum Verbum, Deum & hominem, tanto magis illi credere non deberent. Chriſtus enim in humilitate docebat, dicens, ſe miſſum à Patre: nihil ſine illo, & conſilio paterno habere à ſemetipſo quid faceret. Antichriſtus autem contraria & dicet, & faciet. Quis alius Deus? dicet, ego ſolus ſum Deus; præter me non eſt alius. Et quis ſimilis mei? ego cœlum & terram, & omnia procreavi. Huiuſmodi ille audaciæ pleniſſima effundet, nugabiturque. Quorum Dominus Iudæos admonens, aiebat, me qui veni in nomine Patris mei, & voluntate paterna, non ſuſcepiſtis: *alium in nomine ſuo veniet, hunc ſuſcipietis.* ANIMA. Ioan. 5.

Quomodo autem Satanas corpus geſtabit? quæſo; & quomodo carne continebitur? & quomodo animam

G mentemque, vt apparet, & alia habere videbitur? & quomodo ſecundùm ſubſtantiam ipſe quoque mortalis erit? CARO. Ita noli cogitare, nec ſentire, nec proloqui. Ex genere quidem Dan, & Galilæus erit. Virguncula falsò credita, & impudiciſſima meretricula ex cubili inconceſſo nefandum illum hominem pariet: in quo non obſcurè diabolus inhabitabit: & omnia ad voluntatem diaboli faciet, & tanquam dæmoni initiatus & loquetur, & aget: tractus, raptus in ſpiritu maligno, ſic procedet, neſciens quid faciat.

Qui ab immundo ſpiritu eſt obſeſſus, ut mente alienatus vaticinatur, & à dæmone trahitur, neſciens quid dicat. Hoc enim vaticinantium eſt proprium, in mentis poteſtate non eſſe, vim pati, impelli, trahi, raptari, furioſorum inſtar, & neſcire quid loquantur.

Chryſoſt. *Non ut Propheta loquentur; ſed quales fatidici erant. Ibi enim cum dæmon animam occuparit, mentem debilitat, & rationem obſcurat & ita loquitur ipſe omnia eorum ratione & mente totum ignorantibus: ſed*

H *ut tibia inanima ſonantibus. Sicut qui canunt oracula, & vates, qui cum multa dicant, nihil eorum ſciunt, quæ dicunt: ita & ille à Satana mente emotus, loquetur, & aget quæ dæmoni collibuerint.*]

En expoſui, quas ob cauſas ſceleratiſſimus Antichriſtus venire permittatur. Partim ut amputet excuſationes Hebræorum: partim vt fideles, fideliúmque certamina appareant, quæ adverſus & contra ipſum tunc ſuſcipientur: & alij aliis ſemper exemplo ſint, & ſic præmia, quibus ob zelum iſtum omnes digni ſunt, adipiſcantur. Nec enim ad univerſorum exitium, aut citra rationem probabilem convenientémque, ſed ad maximam utilitatem, ut ſupra docuimus, venturus eſt. Nam & carnes ſerpentum à medicis præſtantiſſimis ad medicinam, & vires hominum inſtaurandas aſſumuntur, vt alia inutilia, & quæ putantur noxia: tametſi Antichriſtus neutiquam eſt medicina, ſed pernicies potius.

Digitized by Google

A

CAPUT XII.

Ad perpetuam conſiderationem mortis incitatio. S. Trinitatis laus & admiratio.

NE igitur inveſtiga res huius, nec interroga: nihil quippe iſta ſcientia lucri acquires. Mortem autem & finem in horas exſpecta: neceſſe eſt enim naturam diſſolui. Meditare hanc ſemper; *memorare conſtanter noviſſima tua, & nunquam peccabis*, ut ait Scriptura. (Eccleſ.7.) Admiror etiam Græcos, qui ſapienter ſcripſerunt: philoſophiam eſſe meditationem mortis. Sicut enim panis præ omnibus eſcis eſt neceſſarius, & eſt firmamentum ac ſtabilimentum cordis: ſic & meminiſſe mortis, omnium eſt optimum. Eſurientem enim panis non recordari, eſt impoſſibile: & volenti ſalvari, non eſſe memorem ſui finis. B Mors tibi melior fuerit ad ſalutem: vivere autem occaſio peccandi, & morte peius. Animam non mors, nec mortis ipſa perpeſſio extinguet: ſed mores mali, & vita perdita. Etſi enim à principio immortalis, ut intelligentiæ particeps, creata es, tamen fuga virtutis mortem tibi affert. Tuam igitur emigrationem exſpecta, & ante oculos pone, nec ſolùm quotidie, ſed quamdiu ſpiras, cogita. Ante omnia ſupplica, & precare Dominum, ut in hora mortis fidelem tibi angelum mittat, qui te cuſtodiat, qui te in prælio adiuvet, qui te liberet, qui tui curam gerat, ut cuſtodiam & carcerem principis illius tenebrarum, & poteſtates tenebrarum, & formas, viſu horrendas, & impetum dæmonum effugias, ſurſumque ad lumen gloriæ Domini pervenias, & plenitudinem appetibilium, ut vis, attingas: quod eſt in uno, & communi principatu uniforme & ſplendet in omnibus ætatibus ſæculorum: ad gaudium ineffabile ſupernæ habitationis: ad illuſtrem panegyrim ſupernorum miniſteriorum. Etiam pater omnipotens ſuperum & inferum. O ſplendor Patris, virtus, & verbum, C per quod ex nihilo produxit omnino omnia. O ſpiritus Paraclete, per quem continet omnia, & conſtruit, & perficit, & complet, & portat. O trinitas & unitas, naturâ & perſonis. O lumen triplicis ſubſtantiæ, Pater, Verbum, Spiritus. Inſpira mihi gratiam ſapientiæ tuæ, & omnibus æternam dona lætitiam, quo ex omnibus rebus nihil eſt melius, nihil præſtantius. Sancta Trinitas, tibi gloria, unum omnis imperij principium, & origo. Fides mea, odoratio mea, lumen, & ſpiratio mea, gloriatio, fulcimentum, & ſalvatio mea, in generationes generationum, in ſæcula ſæculorum.

DIOPTRÆ REI CHRISTIANÆ

LIBER QUARTUS.

D

CAPUT I.

Quamobrem Deus cæleſtes, & intelligentes ſubſtantias prius & ſemel univerſas procreaverit: inferiores autem ſimiliter intelligendi vi præditos (animas hominum puta) adhuc ſingulas producat. Animæ cum beatis mentibus, cumque ipſo Deo affinitas, & immortalitas.

ANIMA. Quid ita tandem virtutes adminiſtratorias, & mentium illas legiones ſuas omnipotens Dominus & conditor antè condidit, quæ ut E conditæ ſunt, ità permanent; animas autem, ipſas æquè rationis beneficio cumulatas ſemper producit, procreat, & fabricatur? CARO. Summus opifex idcirco angelicas poteſtates principio produxit, ut ne humanum genus plus iuſto eas admirans, & carere initio exiſtimans, ex eo, quod innumerabiles nullo eſſent ortu generatæ, multos eſſe Deos opinaretur, & hinc loco unius Dei, penes quem ſolum eſt omnium rerum principatus, confuſum multorum dominatum, & omnino quendam populum Deorum introduceret: quandoquidem & creaturas nimiopere ſuſpicientes, & in iis hærentes, nec ultra progredientes, mundum nunquam exiſtere cœpiſſe, ut principij expertem, crediderunt, errorémque peſtiferum erraverunt. Quare & animas iſtas in quibus ineſt ratio, ſemper procreat; ſimul ſapientiam & potentiam ſuam infinitam demonſtrans: ſimul docens, F ſimul & ſemel omnia, quæque ad animas, quæque ad angelos attinent, à ſe facta eſſe, habereque unum principium, & ſubeſſe uni Domino, quidquid vel ſenſibus utitur, vel intelligentia ſola conſtat, vel ratione præditum eſt, vel ab his aliud eſt. Creatos verò angelos hinc item patet, ſi quis humanam naturam, quod ad animam pertinet, angelorum naturæ per cuncta ſimilem effectam conſideret. Noſtram enim procreationem ex alio ſemper atque alio ſurſum verſus intuens, mentemque tuam ad primam mentem referens, unum animarum, angelorumque dominum cognoſces, qui verbo angelos prius condidit, poſtea hominem fecit, & uſque nunc facit. Nihil ſupervacuum, nec ocioſum, aut inane divina virtus & ſola operans omnia ullo modo agit: nec eſt quando dominus agere ceſſet ac deſinat, aut ab operibus aliquantum requieſcat. Animam porrò neutiquam de eſſentia ſua condidit, ſed eam, (ut divinis litteris eſt proditum) imagine ſua honoravit; tametſi eam, ut ſubſtantiam ſempiternam, & intelligentem, & à materia ſeiugatam cum Deo ſolemus comparare.

Pſellus. *Cuius nulla origo eſt, id nimirum etiam æternum eſt: nec tamen ſi quid æternum eſt, id etiam ab aliquo principio ortum non eſt.* G *Anima enim, mens, & angelus æterna quidem ſunt: ſed principio & cauſa non carent: Omnia ſiquidem à prima illa cauſa ut exiſterent acceperunt.*]

Nunquam enim interit, ſeipſam ſemper movens. In quod autem cadit interitus, id immortali naturâ non ſimile, ſed ex diametro contrarium eſt. Talis anima iam olim & ab initio producta eſt, ſubſtantia quædam intelligentiam, & liberam voluntatem, & vitam in ſe habens, quam & corpori, quo utitur ut inſtrumento, cui copulata & implicatata eſt, dare atque impertiri poteſt. Cuius naturam, vim ac facultatem ſi è rebus externis & plurimis & diverſis perſpicias, meritò ipſam admireris. Nam ſeu artem, ſeu ſcientiam, ſeu actionem, ſeu operationem, ſeu contemplationem ſpectes, ex omnibus eius immortalitatem colliges, & qualis quantaque ſit intelliges; quemadmodum in ſecunda diſputatione ſuprà docuimus. Qui enim ab initio animabus ut eſſent præbuit, ille idem æternitate ipſas muneratus eſt: quod quidem munus cùm eis in naturam H verſum ſit, eo privari nunquam poſſunt. Quot autem numero ſint animæ, quamque magna eorum multitudo, hominum nemini cognitum eſt: cognitum autem & perſpectum Creatori, cui ſoli nota ſunt omnia. Qualis præterea quamque nobilis ſit cum angelorum, tum animarum natura, etiam hoc ille idem novit: quis enim noſſet alius?

CAPVT II.

Animas vacare prorſus corporeis accidentibus, & ſecundum ſubſtantiam nullo diſcrimine variari. In reſurrectione non beatorum corporum, nec animarum, ſed gloriæ, præmiorumque differentiam fore.

ANIMA. Aliud quæro, idque difficile, quod tamen pernoſſe volo, concupiſco & deſidero. Et ſcripturis docta ſum perſpicuè, eſſe animas, ut dixiſti, à materia ſegregatas, & ratione præditas. Quæ etiam eſſentia ipſa cum angelis conveniunt, ſuntque tripartitæ, ut diſputatione ſecunda oſtenſum eſt. Habent enim iram, cupiditatem, & in primis rationem, quæ item permanet: inſuper facultatem interiorem quintuplicem; mentem, ratiocinationem, phantaſiam, diſcretionem, quæ facultates quoque rationales appellantur. Etiam memoriam, quod maximum eſt. Æqualiter nempe hæc omnibus animabus contigerunt; non ut alia plus, alia minus obtineat; nec ut alter illa, aliter iſta ſe in his habeat, & alia cæteris in iiſdem ſuperior conditione ſit, alia maiorem puritatem, & præſtantius quiddam, ac potius ad res divinas contemplandas & agendas ſortita ſit. Itaque de his, & illis ſciſcitor, num omnes inter ſe ſimili ſint facie atque viſu, an in hoc varietatibus diſcrepent. Si tamen aſpectum, & formam eis tribuere fas eſt. CARO. Hæc de corporibus noſtris, deque omnibus quæ ſenſum tangunt, dicuntur, in quibus naturaliter quædam facies, conformatio, & ſpecies, aſpectus, aduncitas, & ſimitas quædam, album, fuſcum, nigrum, parvum, magnum, tenue, craſſum reperitur. Et eſt corpus aliud puſionis, infantis, modò geniti, & aliud ſeneſcens. Sunt demum qualia & quanta corpora, ut reliqua accidentia prætermittam. Veruntamen poſt reſurrectionem è ſepulchris etiam iſta, perinde ut corpora ipſa immutabuntur, ad unam eandemque ſpeciem redacta, & ad eandem ætatem, ut ſcriptum eſt: gloria tantùm non eadem ſingulis, ſed pro rebus in hac vita patratis tribuetur; & aliis alia bravia, ſeu præmia cum menſura conferentur. In corporibus nulla prorſus differentia cernetur. In animabus autem ſimilis in præſens natura & eſt, & fuit, iam inde ab exortu humani generis, ut è ſacra ſcriptura liquet, corporibuſque implicitæ ſunt, & unum animal videntur. Nulla igitur eſt inter eas ſecundùm naturam diſſimilitudo: nec alia alius ſpecies: ſed communi omnibus ratione, eſſentia, & forma, & natura omnibus eadem: ſi tamen ita de ſpiritibus loqui fas eſt. Subſtantia enim non corporata quamnam craſſitudinem, & latitudinem, & diſtantiam, aut profunditatem aliquam, aut figuram; aut pondus varietatis, inſtar molis habeat? longitudo etiam, & magnitudo iis inhærent, quæ ſub ſenſum veniunt. Hæc omnia longè ab animabus abſunt. Illud, & quidem ſolùm planè ſciendum unamquamque congruenter operibus & moribus ſuis præmium, mercedemque relaturam: quæmadmodum ſermone ſuperiore dilucidè explicatum eſt. Nam quæ bona fuerit, gloriam immenſam conſequetur: quæ mala & atra, tenebras ſortietur. Quælibet iuxta ſcopum propoſitumque ſuum, ſicut operata eſt, ita vel gaudium, & honorem, vel dolorem, & ignominiam inveniet. Anima quippe libera eſt, & quodlibet hoc facit. Corporibus autem perinde ut animabus accidit. Veruntamenverò naturam animæ nemo unquam vidit præter dominum, qui eam condidit, ut ipſe novit.

CAPVT III.

Mirifica & multiplex inter homines tum ab anima & moribus, tum à corpore & ſenſibus diſcrepantia. Corpus ſingulorum ex quatuor elementis æqualiter conſtare.

ANIMA. Si igitur, ut docuiſti, animæ ſecundùm naturam, nihil inter ſe differunt, quæque à principio habent, & facultates recenſitas pariter æqualiterque habent, etiam in omnibus aliis ſibi reſpondere homines oportebat, qua prudentia, quà cognitione, quà ſapientia, qua ſcientia, quà pulchritudine, qua ſtatura. Anima ſiquidem vivificat, & reſtaurat, & ſuſtentat, & alit, & firmat, & continet corpus, illique obtutum nunc hilarem & iucundum, nunc triſtem moroſumque affert, & omnia hæc pro arbitratu mutat. Quod maximum atque pulcherrimum eſt, loquendi facultatem dat, & ambulandi & agendi, quamcumque actionem nominaveris, & unde, & quomodo, & quando, & ubi, omnia iſta in poteſtate mentis ſunt, mens autem animæ idem eſt, quod oculus corpori. Abſque his corpus iners, & mortuum quoque eſt. Ego porrò diſcrimen nimis magnum obſervavi. Nam hic quidem homo eſt prudens & honeſtus, ille ingenium in promptu habet, alius eſt ſapientiſſimus, alius delirus; alius furioſus, alius attonitus, alius perſpicax & ſolers, alius torpidus & ingenio tardiſſimus. Rurſum in ſenſibus vidi diſſimilitudinem haud mediocrem. Nam hi acutùm cernunt, alij obtuſam habent aciem. Et quis ſatis tot diſcrimina eloquetur? Mitto guſtatum, tactionem, in quibus quanta reperiatur varietas, quis explicabit? In illis, oro, mihi differentiam multiplicem intuere. Nam unus quidem, quanquam naturæ conſors, mutus eſt, alius vocaliſſimus. Alius genitus eſt cum voce rauca, & maleſona, alius balbus, alius impeditiore lingua, alius tardiloquus, alius exili voce. Rurſum, alius promptè ac facilè loquitur, alius eſt inſtar tintinnabuli garrulus. Alius minimè probatur, alius laudatur ab omnibus. De ſtaturis autem quid dicemus? Hic brevi, ille longa, alius media ſeu iuſta. Alius pronus, alius erectus, alius gibboſus. Alius facie candida, alius nigra, alius media. Alius comatus, alius criſpus, alius depilis. Alius imberbis totus, alius promiſſa & denſa barba. Quidam pediculoſiſſimi ſunt, quidam habent pauciſſimos.

Chryſoſtom. *Seu quis ſenex, ſeu iuvenis fuerit, ſeu voce abſona, ſeu alterius cuiuſpiam concinnitatis expers, nullum eſt crimen. Quod enim hic requiritur, eſt anima ſobria, mens vigil, cor contritum, animus conſtans, conſcientia pura. Hæc ſi quis habuerit, Deo placere poterit. Tantum mens generoſa eſto, & ab hiſce corporeis defectibus nullum erit impedimentum*]

Alios cerno iracundos, bilioſos, & cholericos; alios manſuetos ac lenes animo & moribus. Alios imbelles, degeneres, timidos. Contrà, alios generoſos, fortes, & magnanimos. Sed finem faciamus enumerandi tot diſcrimina & diſcrepantias. Quis enim eas recenſuerit omnes, cùm ſint innumerabiles? Ne ultra quam decet ſermo extendatur. Tu me verum doce in his omnibus. Nam cum oſtenderis animas hominum eſſe æquales, tamen earum efficientiam diverſam conſiteris. Nam æqualitas in corporibus aperta eſt, utpotè quæ ex ipſis quatuor primis corporibus, & elementis, ex quibus penitus omnia concreta & coagmentata ſunt; ex calida, frigida, ſicca, humida ſubſtantia, quibus reſpondent ignis, aqua, aër, terra. Et hinc bilis atra, bilis flava, ſanguis, phlegma illis cognata, & æqualibus æqualia.

A

CAPVT IV.

Duplex mundus, ſuperior & inferior. Hominem vtriuſque participem eſſe. Cuiuſque elementi binæ qualitates. Ex quatuor humoribus quinam cui elemento propter ſimiles qualitates reſpondeant: quo pacto cum iiſdem elementis & quatuor humoribus totidem anni tempora conſentiant. Qua ratione cauſſa ſuperius explicatæ varietatis, qualitatum & humorum temperationi in corpore humano debeatur. Rei illuſtrandæ paradigmata.

CARO. Etiam in his deinceps te erudiam. Duos mundos ab initio, & vtrumque ſimplici ſubſtan- B tia conditor produxit: ſuperiorem, quem cogitatione percipimus; inferiorem, qui in ſenſus incurrit. Quæcunque autem in hoc gemino mundo ſunt, ſuperiora & inferiora, inquam, hæc quidem ex ipſis corporibus, illa incorporea condidit, incorporeas ſupernas legiones intellige, naturam materia vacantem, ſub oculos non cadentem & ſimplicem. Aſt, inferiora fecit corpora, materia videlicet conſtantia. Nec ſupra ſunt corporea, nec infra materiæ expertia. Homo autem, ô mira res, ex his ambobus concretus eſt, ex ſupernorum, inquam, intellectuali, & principe natura, & ex luto ac puluere, vnde inferiora extiterunt. Animal quoddam, corpore quidem inferum, anima verò ſuperum. In hoc igitur mundo quem ſentimus, etiam elementa perfecta, quatuor, & prima corpora è nihilo producta ſunt, ignis, aër, aqua, terra. Ignis calidus eſt & ſiccus, aër calidus & humidus, terra frigida & ſicca, aqua frigida & humida. Atram bilem terra generat & alit; eſt ſiquidem ſicca & frigida, quemadmodum eius mater terra. Phlegma debetur aquæ: nam frigidum eſt, & humidum, vt illa. Ab aëre procedit ſanguis, ſimiliter vt ille calidus, & humidus Ignis generat flauam bilem, ambo enim ſicca & calida ſunt. Ex hiſce quatuor ho- C minum corpora commiſta ac temperata ſunt, ex vtraque ſcilicet bile, flaua & atra, ex ſanguine, & phlegmate. Ex elementis fructus, nutrimentorumque vis: corpora autem animalium ex humoribus quatuor. Auctoritas enim quatuor elementis, vt quibuſdam aurigis aut ducibus magnis data eſt, quæ Deus omnium artifex præeſſe corporibus, eaque regere voluit. Quadripartitas temporum commutationes annus affert, nempe ver, æſtatem, auctumnum, hyemem. Verna tempeſtas humida eſt & calida. Æſtiua calida & ſicca. Autumnalis ſicca & frigida. Hyberna frigida & humida. Horum qualitatum temperamentum ediſſeram. Veruntamen diſſeram, & admodum perſpicuè in ſequentibus. Nunc quæſtionem abs te propoſitam expediamus. Deoque adiuvante fœliciter rem abſoluamus. Quatuor anni viciſſitudinibus conſtitutio quoque corporum eſt conſentanea neceſſariò. Vere augetur ſanguis, quia humidus, & calidus. Flaua bilis æſtate, quoniam ſicca eſt & calida. Atra autumno, nam ſicca eſt & frigida: Hyeme autem phlegma, quod frigidum eſt & humi- D dum. Cum quatuor itaque anni temporibus, vt dixi, etiam elementorum natura conſpirat. Si ergo vnum horum quæ nominaui modum exceſſerit, quando poſt commiſtionem humanorum corporum fit conceptio, huiuſmodi etiam craſis in anima ſequitur. Nam ſi vterque qualitatum binarius, calor & frigus, humor & ſiccitas probè conflatus & coëſſentiatus fuerit, quod generatur optimum temperamentum habebit. Quod ſi calidius elementum ſuperauerit, certum eſt, quod gignitur, pulchrum & fortiſſimum fore. Si frigidum, frigidius, & pigrum. Si ſiccum, acerbius, & ſubmoroſum. Si humidum, ventri deditum, & mobile. Clariſſimè igitur demonſtrauimus, creatorem ac

E dominum per res ab ſe effectas potentiam ſuam proportione quadam oſtendiſſe: in cœlo & aſtris, ſole & luna, in his quæ ſpiritu & vita fruuntur, in aquis, & omninò in cæteris vniverſis. In omnibus enim partem aliquam conditor videtur. Tale eſt etiam anima, hoc, inquam, quod eſt ſecundùm imaginem Dei, inaſpectabile. & viſum adhuc nemini, quod per corpus, in quo habitat, & inſtrumenta corporis ſuas actiones exerens, inde cognoſcitur. Animum quippe, cui tributus eſt principatus, cerebrum incolentem quaſi decenter ſaginans, cum triplici eius facultate, memoria, phantaſia, & cogitatione, corpus ad voluntatem aptè moderatur, quemadmodum vniverſam creaturam mens illa omnia operans, adminiſtrat. Rationi pro ſede cor tribuitur: iecinori agnata eſt cupiditas: riſui ſplenẽ ſervire conſtat, ſpiritum pulmones vti folles excipiunt & reddunt, vrina genitalis renibus innaſcitur: feruor iræ, & ardor è ſanguine circa cor bulliente exiſtit: noſcendi vis oculis eſt inſita; lingua loquendi facultatem poſ- F ſidet. Vt paucis complectar, per membra parteſque corporis vti per inſtrumenta ſuas actiones omnes exhibet. Etenim ſecundùm quam myſtionem naturam adeptum eſt corpus (eadem enim hæc iterabo) ad eandem animæ vis & opus ſeſe accommodant. Perſpicuitatis cauſſa exemplum affero. DEVS è ſuperis locis pluvia demiſſa, totam terram aqua naturà ſimplici irrigat, aqua autem variè in omnibus arboribus, & herbis humo prodeuntibus tranſmutatur, quorum vnumquodque hanc cœleſtem aquam cùm ſuſceperit, guſtatu & per ſe planè ſimplicem, immutat, & coactam transformat, & figuram quandam, & magnitudinem, & colorem accommodat, atque admiſcet, vnde mille qualitates. In roſa quidem odor ſuavis, in ruta teter, in allio, cepis & reliquis acerrimus, In lilio color candidiſſimus, in viola purpureo ſimilis, in roſa ſubrubeus, & coccineus & albus. In aliis hyacinthinus, cæruleus, varius. Oliua profert oleum, in vite pendet vinum, in omnibus omnia ex ſola aqua naſcuntur, non ſe mutante, nec per ſemet aliam formam induente, neque in aliam ſubſtantiam migrante cum de cœlo in terras præcipitat: ſed iuxta qualitates, & mutationes eorum, à quibus recipitur ipſa quoque alterata & immutata, pro cuiuſque natura commoda & vtilis euadit; & G quamvis arborem ſeu fructiferam, ſeu ſterilem nutrit: & omnem herbam agri, ſegetem & gramen, ſeu vtile, ſeu inutile educat, & producit. Nec enim quiſquam dixerit, quoniam aqua vnum quiddam eſt, etiam qualitates, & fructus omnium in vno guſtu & forma convenire oportere, minimeque in tantam multitudinem, atque varietatem diſcerni, vt alius eſſet ſapore iucundo, alius amaro, alius aſtrictorio, alius dulci. ſed quemadmodum aqua vna eſt, ſic & iſta ſub vnum redigi. Si quis ſic ratiocinetur, eum ego nugari, menteque ac ſenſu deſtitutum puto. Talem nimirum exiſtimare animarum naturam parem. Inſeruntur corporibus, & coaleſcentes ea & alunt, & ſuſtentant, & fovent omnimodis. Qualitas autem temperamenti, qualiſcunque tandem ipſis ex elementis, & humoribus contigit, immutabilis eſt, ſive quis calidam, ſive frigidam, ſive ſiccam, ſive humidam naturam obtinuit: & ſive quæpiam fœmina bene, ſive malè oleat: ſive candida, ſive fuſca ſit: ſive deformiſſima ſive formoſiſſima. Non enim animarum, ſed elementorum iuxta divinam H planè providentiam eſt iſta coagmentatio. Si igitur corpus bonam ex elementis temperationem habuerit, & quæ iſti porportione reſpondet, ex ſanguine, phlegmate, ex vtraque bile commiſtio æqua fuerit qualitateque & quantitate conſenſerint, & concordarint, tum pugna & ſeditio elementis nulla intercedit, nec ob aliquam exſuperantiam aut nimietatem in ſe mutuò inſurgunt; ſed pacem, & ordinem, & fœdera conſeruant, corroboranturque & florent, & corpus ſenſus ſuos bene firmos ac ſanos poſſidet: inſuper & cerebrum, vnde vita perſpicuè pendet, benè habet:

A Iſidorus. *Ab immodico intemperies fit. Quando enim elementa terminos ſuos egrediuntur, tunc morbi, & diræ mortes eveniunt.*]

— nec quidquam morbi, aut obſtaculi, aut nocumenti ſentitur: ſed maxima in tranquillitate corpus verſatur, ſimulque & unà cum ipſis viſcerum primaria, cor, iecur, ſtomachus, lien. Et tunc anima facilè corpus iſtuc tolerat, functioneſque ſuas citra impedimentum, optimè aliis iſta ſequentibus repræſentat. Nam reſpiratio valet, & præcordia ſunt incolumia, moreſque ad bonam habitudinem, & elegantiam eniteſcunt: quamquam ex anima, qua parte cum brutis nobis communis eſt, procedant. Quod ſi corpus quocunque modo ægrum fuerit, non poterit illud anima reſtituere. Rei declarandæ paradigma in medium adducam. Pſal. 18. Sol eſt pulcher, & lucet velut ſponſus, velut gigas ſpecioſus. Eius functio duplex eſt, lucere & calefacere. B Sunt etiam in terris diverſa, campi, valles, ſcopuli, colles, ſylvæ, pagi, quæ omnia radiis ſuis ferit ac perfundit. Sed ubi ſerenus ac purus eſt aër, in his nullo impedimento lumen radiorum iacit. Vbi verò nebulæ, & aereæ caligines ſe diffuderunt, denſiorque nubes ſe interponit, non lucet purùm ſol, neque calefacit, ſed tenuiſſimè, & opaco lumine. Non tamen tunc culpandus eſt ſol, quoniam non ipſe, ſed nubes, & aerea craſſities quæ prohibent, in cauſa ſunt. Corpus exiſtima eſſe mundum: vicos, & vrbes eſſe ſenſus, & membra, & partes corporis, & viſcera: nebulam ſymptomata corporum intellige: lucidiſſimum ſolem facultates animæ: in his namque paradigma ſolis accipiendum eſt. Si qua enim ſerena ſanitas è corporibus elucet, & membrum aliquod externum, aut pars interior ab aliquo ſymptomate neutiquam læditur, inde corpus belliſſimè ſeſe habet. In quibus ſecus fit, ibi etiam animæ facultates feriantur. C Atque hinc eſt, quòd homines tantùm invicem diſcrepant. Alius intelligentia iners eſt, alius perſpicax & ſolers. Alius bene moratus, alius improbus, alius ſuperbus. Alius fidelis, alius malevolus. Horum cauſam eſſe Deum cave putes, quod quibuſdam ſcilicet optimè velit, & optima illis donet, omnique bonitate & gratia eos cumulet: quibuſdam verò velit peſſimè, eoſque contrario modo tractet. Quomodo enim & iſta iudicij providentiæque divinæ ſunt? à qua ſi potiſſimùm ſuſpenſa eſſent, non æqua, ſed iniqua manifeſtè foret. Sed hæc blaſphemia etiam verbis tenus abſit. Sicut enim ſoli dedit quæcunque dedit, celeritatem, magnitudinem, pulchritudinem, ſplendorem; & terræ ſimiliter fœcunditatem: arboribus ferre fructus: frumento, & aliis unicuique functionem propriam, & naturam; ſic iſtis quatuor elementis auctoritatem & imperium corporis universè, eiuſque incrementum, immutationem, finem ac diſſolutionem commiſit, iudicio & ratione quam ipſe probè novit. Nihil enim rerum omnium Domino non ante intellectum & proviſum eſt; qui creaturarum parens & gubernator eſt, & omnibus ex omni parte adeſt; D & omnia permeat quæcunque fecit: & facere, & conſervare, & adminiſtrare, & portare non ceſſat. Si igitur bonus, & ſapiens eſt, ut eſt, qua bonus, omnia producit, ut bonum ſeſe diffundat, notumque & manifeſtum fiat. Quà ſapiens, providentiam & curam operum ſuorum oſtendit. Nam ſi nihil provideret, quomodo ſapiens eſſet? Nec bonus, nec ſapiens, ſi non provideret, rebuſque conſuleret. Igitur apud omnes, & præ omnibus certum eſt, opificem rerum omnibus quæ fabricatus eſt proſpicere, & providere. Cognitio autem futurorum in nobis non eſt, qui vix ſola quæ ante pedes ſunt, videre poſſumus, & vix memoriam & iudicium præteritorum habemus. Conditor autem, ut Deus, & illa præcognoſcit, & iuſtus iudex, & arbiter rectus eſt, Pſal. 35. *etſi iudicia divina abyſſus multa.* Quomodo igitur ſe, quod ad temperamentum attinet, corpus humanum habeat, E & quomodo effector ſummus elementis regnum impertiverit, & quinam ſecundùm qualitatem, & temperamentum tale, quali corpora conſtituta & coagmentata ſunt, ut diximus, etiam animæ facultas & actio pateſcat, quomodo propter hæc ſymptomata eveniant, & è contrario corpora bene valeant, & in melius proficiant, ſatis noſtra diſputatione oſtenſum eſt. Nihilominus paradigmate utar, quo dicta plus lucis accipiant. Terram aiunt cuniculoſam & cavatam, & habere quaſdam venas, per quas ab imo, & occultè rivos aquarum emittat, ex quibus & fontes terram irrigent. Per hos meatus aqua marina colatur, & curſu peregrino dulceſcit, & in qualitatem naturamque metallorum, & fontanam, ac putealem aquam mutatur. Quod ſi terra, ex qua puteus ſcaturiendo erumpit, amara, aut dulcis fuerit, aqua marina illam ipſam qualitatem, ſi F ita contigerit, ſeu acerbitatem, aut amaritiem videlicet, ſeu dulcedinem in ſe capeſſit. Sin autem meatus ſit anguſtus, dum ipſo fluxu luctatur, vehementius, caleſcit, & ut eſt conſentaneum, ferveſcit. Et in his iam dictis rurſum perſpecta eſt illa novitas, quomodo cum una quidem ſit aquarum natura, in aliis tamen aliud fiat, naturamque mutet, in qualitatem, in metallum, & habitum ſingulorum. Perinde corpora ſe habent. Animarum verò natura non eſt alia atque alia, ſed æqualis omnium. Aſt in corporibus minimè invenitur identitas ſecundum habitum: ſed alia alij craſis, ut oſtenſum eſt; ſiquidem nec in omnibus æqualiter elementa miſta & temperata ſunt: ſed unumquodque ut ſortitum eſt ſuam craſin, ita ad ſe animam quoque inflectit. Itaque ſive quis graviter iraſci ſolet, & eſt ſuperbus, ſive manſuetus, ſive tranquillus, ſive moderatus, ſive ſcortator, ſive laſcivus, ſive caſtus & probus, ſive magnanimus natura, ſive contra ſordidus, aut potator, aut ebrioſus, aut ſobrius, & aquæ potor, aut vigilans, aut celeripes, aut tardigradus, aut docilis, aut G indocilis, aut rudis, non eſt culpanda anima, quemadmodum oratio noſtra ſigillatim per omnia diſſeruit; ſed potius corpus, & temperamentum, quod illi contigit; propter quod non ſolent ſibi ſimulari corpora, inquam, nec eſſe affinia in quacunque re, ad ſcientiam aut ſapientiam, ad habitum aut naturam, ad aſpectum, aut figuram, ad venuſtatem formæ. Cùm enim ex elementis varia temperatio exiſtat, neceſſe eſt & corpora in his variè ſe habere, & animam ad ſe violenter trahere. Satis, ut arbitror, res probata eſt, & pluribus nihil eſt opus. Illud dictu valde eſt neceſſarium. Si unus quidam character in omnibus hominibus eſſet, multa in genere humano ſequeretur confuſio, & caligo & nox vitam occupatam teneret. Quibus enim indiciis, aut qualibus è ſignis peregrinus ab amico & familiari internoſceretur? inimiciſſimum, ab optimo quæ notæ diſcernerent? Non filij parentes, nec contra parentes filios, deficientibus huiuſmodi ſymbolis agnoſcerent. Cæterum ſapiens architectus, & largitor ſapientiæ, plaſmati ad notitiam mutuam conſuluit, H dum diverſa indicia hominibus & ex forma ſive lineamentis, & non minus ex voce quaſi infudit. Præterea divinam providentiam in tanta facierum diverſitate admirari digniſſimum eſt. Hinc namque animus occaſionem indagandæ veritatis, erroriſque vitandi inveniet. Quod ſi hæc tibi non ſatis perſuadentur, fidelem, & à Deo afflatum teſtem dabo, nomine Anaſtaſium, cognomento Sinaiten, docentem & ſcribentem clarè ſuper his, quæ interrogatus fuerat. Sed audi verba.

Interrogatio. Vnde ab ipſo ortu & teneris annis quidam inveniuntur natura mites, alij iracundi, alij iniurioſi, alij voluptati obſcœnæ dediti, alij oſores mulierum, & continentes? Rurſum quidam natura facilè ſua communicant, alij ſunt inhumani, nihil aliis de ſuo impertientes. Et quidam cernuntur ingenioſiſſimi, & ad excogitandum feliciſſimi, alij tardi & ſtupidi.

A Responsio. Non eſt Deus, qui hunc quidem pudicum, alium Veneris ſatellitem, iſtum iracundum, hunc lenem facit: ſed genera quædam ſunt, & temperamenta regionum, locorum, elementorum, aëriſque & temporum mutationes, ac viciſſitudines. Deinde & naturales cauſæ, elementorum in corpore temperationem comitantes. Per quas cauſas, & mutationes, & tempora, & temperamenta, ſi qua hora infans concipitur, calidum elementum exſuperaverit, quod generatur, calidæ conſtitutionis, ad vim & iniuriam propenſum erit, & libenter ſua communicabit. Sin frigidum elementum redundaverit, quod naſcitur, ex frigidiore conſtitutione ad caſtitatem cernetur propenſius. Idem de aliis duobus elementis dicendum. Secundum ſiccum namque ſolitarij, moroſi, ſobrij, & acres: ſecundùm humidum pigri & caduci, atque gulæ dediti, & immundi fiunt. Nam ſi dixerimus divino iuſſu ac voluntate generari hunc quidem improbum, illum pro-
B bum, non rectè dicemus, vel potius Deum maledicto inceſſemus. Nec iſtuc ſolùm, ſed etiam homo caſtus non invenietur dignus mercede; Deus enim caſtum fecit. Nec libidinoſus, & iracundus merebuntur pœnam, à Deo ſcilicet tales facti. Itaque hæc ex natura emanant, prudentia, temperantia, & reliqua, quæ à ſanctis Patribus non virtutes, ſed naturales eminentiæ & excellentiæ nominantur, quæ Græcorum aſtrologi ſtultè ſapientes ſecundùm motionem, curſumque ſiderum hominibus contingere fabulati ſunt. Fidei faciendæ ſatis eſto Sinaita: an adhuc præſtantiorem deſideras? Anima. Sufficit, & recipio, & eo ſum contenta, & eum veneror. Non opus mihi eſt longiore oratione, nec pluribus teſtimoniis, cum hæc dicat teſteturque multis æquiparandus, pluribus anteferendus Athanaſius. Nec illi quiſquam criminator hunc honorem invidebit.

C

CAPVT V.

In voce humana ſumma varietas ac diſſimilitudo, comparatione quadam lyræ, ſeu inſtrumenti muſici ante oculos ponitur.

DE cætero, age de natura vocis, & quomodo nec ipſa æqualiter hominibus, ſed aliis alia data ſit, multimoda, & varia: & ad varium uſum, ad loquendum, ad cantandum, ad intendendum, & remittendum. Caro. In hoc quoque morem geram tibi. Si organon ſeu inſtrumentum muſicum bene aptum, & ligno pulcherrimo, quod putreſcere nequit, nec marcidum quid, nec aliud vitium habente, ab aliquo excellentiſſimo artifice fabrefieri contigerit, & glutinatum, & compactum, & undique perfectum abſolutumque fuerit, & æquales chordas, nec aſperas, ut Eumolpi, & has congruenti proportione, ſecundum intenſionem & remiſſionem temperatas, & in nervis
D æqualibus momentum, & tractum, & alia habuerit, tunc melos muſicum, beneque numeroſum, & melos planè harmonicum artificij muſici reddit. Si autem chordæ æquales illi non contigerint; ſed alia tenuis, alia gracilis, alia craſſior ſit, & alia ordinem non habeat, ſimiliterque nec ratione intendatur aut remittatur, & lignum etiam ſit ſemiputridum, muſicus quamvis arte plurimum excellat, egregium melos, & omnimodis concinnum formare non poteſt. Nam ſi deſit cithara, & lignum, & illius apta compoſitio, & ars conveniens, artificem peritiam ſuam oſtendere impoſſibile eſt penitus. Non enim bonum & ſuavem ſonum lyra remittet. Et quamvis digitorum artificioſa mobilitate valeat, qua chordas omnes vel momento percurrat, non tamen numeroſiſſimum melos edet, lyra non bene, ut dicebamus, concinnata. Eadem prorſus de voce cogites velim. Os iſtuc tuum organum, ſeu inſtrumentum arbitrare, & dici patiare. Nervi & chordæ tibi ſint quæ vocem quaſi rotundam, & tornatilem
efficiunt, dentes, labia, fauces collum, lingua. unde E
ſonus melicus exiſtit. Ad hæc pectus, pulmo, muſculi. Iſta namque inſtrumentorum inſtar ſermoni ſubſerviunt. Inſuper aſpera arteria maxima: in quibus omnibus differentiam videbis ſummam. Quidam eſt lingua verſatili ac ſubtenui: alius tarda & carnoſa. Alius dentes maiores, alius minores gerit. Alius eſt dentatus, alius edentulus. Huic ſunt interiores, illi foras prominent. Alius lato collo, alius anguſto. Iam gurgulionis, faucium, labiorum conſtitutionem variam ac diſſimilem quis conſequatur? Nec verò in ipſo ore æqualitatem cernas. Ex omnium igitur horum diverſitate, veluti fidium pulſum & ſonum, vocem quoque inæqualem reddi, aliamque ab alia permultum diſtare contingit. Nec verò iſta ab anima; tanquam à cauſa: ſed à tabernaculo iſto, eiuſque membris & partibus pendent. Os, lyram dico, chordas iterum appello guttur,
fauces, collum, linguam, dentes, labra; hæc enim cum F
ad alia, tum ad vocem, cantum, & ſermonem efficiendum requiruntur. Anima verò, & in ea animus ipſe, eſt artifex. Ego porrò etiam nares vocem adiuvare video, ſine quibus nemo ς, & μ literas pronuntiare poteſt. Quanquam omnia lyræ & chordis, uti vocem & vocis ſonum perficientibus attribuimus, cum tamen non totum penes illa ſit. Etenim alia lyra ex ligno ſalicis conficitur, alia è ficulneo, alia querno, ſi voles, & alia inſtrumenta muſica fortè ex aliis tum ex aſtringentibus, & duris, tum ex marcidis & laxis. Et quomodo quis tandem ex tot, & natura diverſis lignis concordem modulationem eliciet? Nam etſi omnes chordas inter ſe æquales faciam, tamen earum contentio & temperatio melos & ſonum variant. Idem de ore iſto ad eandem rationem cogita. Aliud alterius poſitionis, & figuræ, & menſuræ eſt, & hinc anima, ut deberet, ſimilem per id ſonum exprimere, & aptare nequit. Nec ideo accuſandæ ſunt animæ, ſed ora potius, & omnia organa, per quæ ſonitus venit. Quod ſi etiam hæc ſubdi-
vidamus, & quale quali in his ad ſonum vocis, & ſo- G
num melicum impedimento ſit oſtendamus, & cur hic quidem blæſus, ille balbus ſit doceamus, ad alias demum, & naturales, & artificioſas demonſtrationes ex libris Galenicis petitas, devolvemur, & in longitudinem immenſam excreſſet oratio, ſi omnia exactè, & Prov. 9.
minutim velimus pertractare. Plura igitur præteriens, hoc ſolum dicam, ſapiens occaſionem nactus, ſapientior evadet; & ſola interrogatio ſapientis ſtultum erudit.

CAPVT VI.

Tametſi homo propter temperamentum ad vitia feratur, poſſe tamen ſeſe corrigere, ſi velit, Deo opitulante. Supra natura curſum & ordinem divina quadam opera. Dei beneficia deſide-
rantibus quid præſtandum ſit. H

ANima. Intellexi probè, quæ diſſeruiſti. Quam enim miſtionem corpora habuerint ex elementis, iuxta illam animam quoque gubernari atque regi. Itaque non aliam affectionem & motionem corporibus à conditore inditam concedemus, quam quæ ex eorum temperamento promanat, naturamque per ſe ſua ad iſtam elementorum coagmentationem dirigere, & accomodare, à qua omnia deducuntur, & prudentia & oratio, & ſeu quis natura valde iracundus, ſeu ſtolidus, ſeu inaffabilis, ſeu invidus, ſeu libidinoſus, ſeu ſceleſtiſſimus, ſeu impudens inſtar canis, in venerem pronus, fatuus, attonitus, delirus, immitis, durus, ſubamarus animi ſit. Rurſum iſtorum contraria naturæ, & temperamento elementorum adſcribemus. Improbos autem & conſceleratos an ab improba & ſtolida mente tales eſſe aſſeremus: nec in his quæ

diximus,

A dixÿmus, providentiæ indicium, nec elementorum miſtionem accuſabimus? Num igitur hi qui ad deteriora feruntur, peiora melioribus mutare poſſunt? CARO. Etiam poſſunt, & mutant. Verùm ſi mens ſecundùm rationem iudicet, ſecum agitando, ferventerque cupiendo meliora & omnia demum, in quibus natura verſatur optimè. Si mens, & illa alia hæc indicaverint, ut dixi, adiuvante deſuper divino auxilio, deteriora in meliora, & facillimè convertentur. Ex his quæ præſtantiora, & divina, & superna, & quæ à dæmonibus ſint, ut illa quidem recipiantur, hæc contra reiiciantur, & quæ conſcientiæ, quæ ſimplicis cogitationis, perfectorum eſt, mihi crede, ut oportet, diſcernere ac diiudicare, & prudentia valentium in omnibus, ut iudicent rectiſſime, penituſque omnia perſpiciant. Quæ autem admirationem ſuperant, iam dicenda ſunt: in quibus natura, & elementorum miſtio eſt inefficax,
B conditor autem naturæ rationibus agit, quibus novit, vtpote ſolus & Dominus & omnipotens, & omnium cauſa, & omnium adminiſtrator. Supergreditur enim naturæ ordinem & terminos eius, æquus & benignus quibus illi placuerit; & totus prævalet, & omni omnino poteſt, & omnia convertit, & affectus turbulentos coërcet, & omnem habitum vitioſum diſſolvit, facitque mirabilia, naturas permutat, omnia apud omnes ſolo verbo conficit in generationibus generationum uſque ad conſummationem ſæculi. Ad hæc igitur mirabilia aperienda, & edifferenda accedo, quibus natura ipſa cum ordine ac modo ſuo victa ſuccubuit. Mulier tamdiu concipit, quamdiu menſes ſanguinum conſuetos patitur. Qui ubi defierint, fœtu amplius non gravidatur. Veruntamen Deo iubente, plurimæ etiam præter naturam gerunt uterum & pariunt, anus, & ſteriles, ut Sara Iſaac, & Anna Deiparam, ævimatura Elizabeth, cui à gratia nomen, Ioannem præcurſorem. Huiuſmodi alias non paucas omni ſæculo quiſpiam invenerit. Generationem Verbi ex intacta puella libens ſilebo, cum ſit inexplicabilis. Silebo etiam prodigia, miraculorumque copiam, quæ ſupra naturæ vires in mu-
C tis, & cæcis, & aliis calamitoſis Dominus ipſe miraculorum, viis & modis ſibi notis perpetrare conſuevit. Samſonem quoque generoſum ac fortem reddidit. Ioſeph ea formæ præſtantia: qua olim Adamum illuſtravit. Salomoni ſapientiæ faſtigium & amplitudinem donavit. Græcos ad rerum pulcherrimarum cognitionem erudivit, ut libros ceu inſtrumenta conſcriberent, artis ac ſapientiæ plenos, Grammaticæ, Rhetoricæ, Medicinæ, & aliarum facultatum, & auguſtæ philoſophiæ, omniumque principis. Sed quid ego moror tibi inſigniora & meliora referre? In tertium cœlum, ô rem ad-
2. Cor. 12 mirandam, Paulum rapuit. Philippum improviſo Ga-
Actor. 8. za abreptum, in Azotum dicto citius abduxit. Abacuc
Dan. 14 ſublimen per aëra Babylonem portavit, & meſſoribus
Geneſ. 5. poſtea eodem die reſtituit, Enochum, & Zelotum Theſ-
4. Reg. 2. bitem de terra in cœlum ſubiectos, & viventes prætermitto. In quibus nec natura, nec elementorum miſtio, nec aliud ſimile quippiam valuit: quis enim id dicere audeat? Sed Verbum, quod omnia facit, & immutat.

D Baſilius. *Non poteſt homo à ſemetipſo accipere quid-*
1 Cor. 4. *quam, niſi ei datum fuerit deſuper.* Quid enim habes,
Epheſ. 2. quod non accepiſti? & Dei donum eſt, non ex operibus noſtris, ne quis glorietur.]

Vt inde diſcamus, & cognoſcamus imperium & magnitudinem poteſtatis eius in omnibus; ne quis dicat fictori ſuo, quare me ſic fingis? Figulus lutea utens
Eſai. 29. ſubſtantia, per figlinam de ea fingit quod lubet, aliud
Rom. 9. quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. Veruntamen ad demonſtrandam ſapientiam, & artem omnia.

Chryſoſt. *Ne propter fabricationis rationem: neve propter neceſſitatem voluntatis: ſed propter libertatem, & differentiam œconomiæ iſtæc dicta arbitrere.*]

Eloquar quod eſt mirabilius, ut amplius obſtupeſcas. Venerandum animal, & præſtantiſſimum homo eſt, ut docuimus; à Chriſto enim nomen duximus, & ad regnum cœlorum vocati ſumus. Quin etiam donum aliud
E maius accepimus. Nam ſi quis peccata animo & corpore admiſſa abſterſerit, & pro eo ac decet ſordes ſuas eluerit, in laboribus, in religioſis exercitationibus, in lachrymis, in gemitibus, iterum divinarum illuſtrationum diverſorium evadit. Spiritus docet omnia. Si illiteratos acceperit, ſapientes efficit. Si Paſtores, Prophetas, pſaltes ac reges reddit. Ad perfectionem actionis & contemplationis evehit. Quod ſi rurſum homines, ut dixit ipſe, inhabitarit, gratiamque ac lumen ſuum iis impertiverit, cœleſti & divina ecſtaſi alterantur, ut ſcribit Climacus, ſpiritualium divinarumque rerum ſapientiſſimus. Nam ſi cuipiam divina ſpiritus gratia quantumcunque gratiæ, ut ipſa volet aſpiraverit in eo ſtupenda, & opinionem ſuperantia fiunt, in quibus Verbum, & redemptio, & liberatio patent. Spirat etenim quibus, & quando, & ubi vult; id quod ſecunda diſputatione, ut puto, percepiſti. Hinc paſſiones omnes quæ in corde locum alienum temerè occuparant, exterminantur.

F Baſilius. *Non ſunt tacenda Dei beneficia, ſed ob ea gratia agenda ſemper: quòd cupiditatem debilitat, iram in manſuetudinem vertit, mentem tanquam alis ſubvehit, unde & ad Deum ab his rebus abit: nec tam talis ſecundùm, ſed ſupra naturam operatur. Quem enim Dei Verbum per purgationem inhabitat, in eo puritatem conſummat, mortemque, id eſt, affectiones vitioſas tandem occidit.*]

Mens autem purgatione elevata, ad Deum currit. Non tamen puritatem iſtam, & beneficia Deus omnibus perinde largitur, quibus largitur. Cuique enim proportione gratiam præbet, pro menſura purgationis, & fructu, ſeu probitate operum, ſecundum plus & minus, ſecundum partem & totum, ſecundum captum, & munditiam vaſis & domus.]

Iſidorus. *Quæ quæ enim gratia eſt, nec tamen ſimpliciter ineſt, ſed menſuram ab adipiſcentibus eam accipit. Tantum influit, quantum ſibi vas fidei exhibitum invenerit. Nam ſi non prius officium noſtrum requireretur, tota ſupervolaret. Quia verò voluntatem explorat, adeo quoque abundat, ut etiam de ſtrenuo milite Paulo dicat eum vas*
Actor. 9. *electionis fore. Et in alios quidem venit, ac manet; ab aliis*
G *diſcedit: in quoſdam prorſus non dimittitur. Quare etiam quod in nobis eſt, conferre debemus, alioquin eam non adipiſcemur.*]

Quo res intelligatur clarius, ſimilitudinem ſubiiciam. Quemadmodum enim uter aqua, aut vas muſto ad ſummum marginem repletum, non poteſt quippiam extrinſecum, præterquam ſpiritum ſive aërem recipere: ubi autem aliquid de iſta plenitudine defuderis, ſeu multum, ſeu modicum, quatenus depletur, eatenus aër ad locum vacuum æquabiliter replendum ſe infert, prorſus iiſdem dimenſionibus, ut inane in rebus ne detur. Sic iſta, de quibus eſt ſermo, animo concipe. Vterem homines interpretare; aquam perturbationum fluxum, in cordibus humanis, inquam, fluentes affectus. Quantum igitur de iſto fluxu per lachrymas, per luctus, per ſtudioſas actiones exhauſerimus, tantum viciſſim gratiæ influxum recipiemus. Quod ſi nos intus denuò non purgaverimus, non poterit in nos gratia derivari, quod ex argumentis allatis fit perſpicuum. Quod enim unguentum putrido receptaculo credatur? Paulus os domini, rurſum ſcripſit, aliis aliud chariſma, & donum à
H Deo contigiſſe. In unumquemque pro fide & moribus, cum menſura & ratione chariſma effunditur. In
1. Cor. 12 hunc gratia ſermonum, in alium prophetiæ, in alium poteſtas ſignorum, in alium gratia curationum. Vnus quidem ſpiritus eſt, non autem pares gratiæ, nec paria dona: —

Baſilius. *Spiritus quidem unus eſt, chariſmata autem ideo paria non ſunt, quia nec receptacula ſpiritus æqualia ſunt: ſed ſecundùm proportionem fidei in unumquemque à Deo dona, ad eius utilitatem conferuntur, ſive in hunc plura, ſive in illum pauciora. Quilibet ſiquidem iuxta proportionem fidei in ipſo apparentis operationem, & efficientiam ſpiritus ſortitur. Quocirca unuſquiſque gratiæ ſuæ diſpenſator eſt, quando in ipſo affectio, quæ ad bona*

ſuſcipienda

A *ſuſcipiendæ requiritur, eſt poſita: nec vnquam prudens aliquis proximo ob id inſigni & ſpectato invidebit.*]

1.Cor.12. —ſed minora & maiora. Nam ſi fortè receptacula affuerint inæqualia, quomodo divina munera paria & æqualia eſſe poterunt? Ad menſuram igitur fidei, & præſertim ad vtilitatem, etiam ſpiritus efficientia manifeſtatur, & bona ſuppeditat, & mala remouet, quantumque vult, ſuper iis requieſcit, ſupra naturæ leges, & omnes elementorum craſes. Qui enim per opera ex virtute profecta purgati nondum ſunt, his ad meliora pro deteriorum defluxu inſerenda elementaria temperatio non ſuffecerit. Atque hæc, vt exiſtimo, tibi quantum ſatis eſt declarauimus. Nobis autem ab initio divina ratione præditis, etiam illud agnatum, & natura datum eſt, dominos eſſe eorum quæ in actione verſantur, vt libera voluntate præditis, intelligentiaque B & facultate actionis pulcherrimè ornatis. Quod ſi improbi ſimus, etiam hoc noſtræ voluntatis eſt. Nam & voluntate & conſilio, non à natura, quod abſit vitium procedit, caue ſecus cogites. Non eſt ſcelerum quaſi lena, & cauſa natura: ſed ea affectio, & habitus voluntatis pariunt. Habitus autem doceri poteſt, naturæ neutiquam inſitus.

Iſidorus. *Si namque poſſumus mala & vitia diſcere, vtique etiam dediſcere poſſumus, cùm voluerimus; quandoquidem haud naturalia, ſed voluntaria ſunt. Natura quippe humana nec vitia & peccata non ſuſcipit, nec ea ex ſe continet: verum liberè illa admittens, bonis, quibus frui poterat, ſeſe priuat.*

Gregorius Theologus. *Virtutum aliæ naturales ſunt, aliæ morales, aliæ quæ doceri poſſunt. Naturales, vt illa, quæ ex temperatione, ſive craſi nobis inſunt. Verbi gratia, miles cum ſit conſtitutione calidus, per eam in pugna viriliter ſe gerit; forſitan autem libidinoſus idem & laſciuus eſt. Contrà, conſtitutione frigidus, temperans & caſtus eſt, in acie autem imbellis & inaudax reperitur. Morales virtutes ſunt, cum dominus quiſpiam mancipium ad vitam temperantiæ & iuſtitiæ deditam aſſuefecerit, non ita, vt ei doctrinam quandam temperantiæ, aut iuſtitiæ tradat; ſed ſi ita ſimpliciter viuere illud docuerit. Ipſæ autem naturales ac morales virtutes non ſolent eſſe ſimul. ſunt enim diſtinctæ inter ſe. Quæ doceri poſſunt, quoniam* C *cum ratione eas exercemus, ſemper iunctæ reperiuntur. Sunt præterea virtutes* [illegible] *, quando quis non ſponte & vltro, ſed malo coactus ad bonum ſe applicat, ſicut Paulus, & latro, & Manaſſes. Virtutum igitur quædam ſunt naturales, quædam morales, quædam ſub doctrinam cadunt, quædam ad caſus pertinent.*]

Id manifeſtum eſt ex iis quæ diximus, & dicemus. Habitus enim non eſt æqualis, idemque in omnibus; ſed alius in aliis: etenim ſub diſciplinam cadit. Quæ autem natura omnibus ſunt communia, ea æqualiter hominibus adſunt. Cum ſimus igitur voluntate liberi & rationis compotes, ad quæ ferimur & inclinamur, illa ſunt habitus noſter, ſive opera lucis, ſive tenebrarum ſint: ſeu cum veritate nobis commercium eſt, ſeu cum mendacio, ſeu cum fallacia, ſeu prudentes, ſeu ſtulti, & moribus proterui ſimus. Quare ſi quis præſtantius deteriori prætulerit, Deus adoptione, & filius Domini fiet: ſin peſſimum elegerit, filius diaboli. Teſtis locuples horum Maria Ægyptia, quæ cum Satanæ domicilium prius eſſet, poſtremo Dei habitaculum facta eſt. Audiui etiam Pelagiam, vitam Mariæ D magna cum ſua gloria imitatam eſſe. En omni ex parte, gratiæ vim quomodo operetur, & luceat docuimus. Quæ pœnitentiam adhibentibus prauas affectiones exſcindit, & contra divinarum rerum pulcherrimas aliis inſerit. Audis porro verba Verbi dicentis, *mala arbor* Matt.7. *non poteſt bonos fructus facere.* Bonos autem faciet, ſi Rom.11. fuerit in bonam inſerta. Rurſum Paulus ad Corinthios 1.Cor.2. ſcribit, *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Sin autem mores mutaverit, & percipiet, & amabit. Non enim dixit, *non percipiet*, ſed potius, E *non percipit*: hoc enim præſentis eſt temporis, illud futuri. Quemadmodum ſi quis ferrum ignitum intuens, affirmauerit, hoc non eſt frigidum, fiet autem, ſicut natura eſt, frigidum. Hæc mihi, & de quibus dixi conſidera: gratia enim ſæpe in malis quoque apparet, & facultatem prophetandi etiam his inſerit, diſpenſans videlicet, prout conducere novit. Nam & Saul inter Prophetas, & Balaam, & Caiphas, vel inviti teſtimonium ferunt, & Nabuchodonoſor, tametſi erant homines profani nulliuſque pretij.

Num & Saul inter Prophetas? vſque hodie proverbio circumfertur, quando iratus regiam ſtolam abiecit, & manibus plaudens ſaltauit, ac Davidi quoque regnum eſt vaticinatus.

Prophetia Balaam. Orietur ſtella ex Iacob, & exſurget homo de Iſraël. Num.24.

Caiphæ. Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Ioan.11. F

Nabuchodonoſor vidit lapidem abſciſſum de monte ſine manibus, qui percuſſit ſtatuam quam erexerat, & comminuit eam. Dan.2. *Erat autem lapis hic quem vidit, Chriſtus ipſe; quemadmodum Daniel cenſet, & interpretatur.*]

Sed habet cauſam conſentaneam ſpiritus, quomodo operetur, & virtutem tribuat aliquando etiam iſtis, vt perſequantur dæmonas, & ſpiritus nequam è corporibus expellant.

CAPVT VII.

Recenſentur varia corporis humani incommoda & miſeriæ. Origo ex conſtitutione inquiritur, propter quam de quatuor humoribus, de principio generationis, de quatuor ætatibus, & temporibus anni copioſe prius diſputatur.

ANIMA. Probo reſponſum: ſatis meo quidem animo abs te dictum ſuper his, quæ hoc loco ipſa ad diſputationem propoſuiſti. Quorſum autem, & vnde ſymptomata, & affectus amentibus? Aut enim hæc ſpiritibus eorum adſcribemus; aut à providentia G pendent; aut potius ab elementis. Scripturam certè Eſter.13. dicentem audio, abſque Deo nihil vel factum, vel futurum eſſe. Ad hoc mihi reſpondeas velim, ſicuti ad cætera reſpondiſti.

CARO. Percipe igitur quomodo ſe res iſta habeat, & diſce veritatem, quam Deus nobis ſuppeditauit, & quomodo alius ſit ſtolidus, alius minimè: alius ſubaridus fluidus, aut membris diſſolutus. Et quomodo alius ebrioſus, alius natura ſobrius. Hic quidem mentis compos, hic impos naſcitur. Alius inde à maioribus cæcus eſt, alius perſpicax, alius incuruus, alius gibboſus, alius claudus. Huis generis permulta, & varia hominibus eveniunt. Annum igitur ſcito quadripartitam commutationem habere; ver, & æſtatem concurrentes; ſimiliterque autumnum, & hyemem. Ver humidum & calidum eſt humidum quidem ab hyeme, cui proximè ſuccedit: hyemis quippe extremum, ſeu finis eſt: calidum ab æſtate, cui propinquat. Horum copulationem perpende, & effectorem admirare. Ab aëre illico exiſtit ſanguis. A terra, quæ natura ſicca eſt, atra bilis ſeu melancholia. Ab igne flava bilis, ſive cholera, quæ cum H æſtate augetur. Phlegma humidæ aquarum ſubſtantiæ partus eſt. His etiam quatuor hominis ætates aſſimilantur, principium, progreſſus, vigor & languor, puerorum videlicet, iuvenum, virorum, ſeneſcentium, & decrepitorum: qui gradus etiam quatuor anni temporibus reſpondent. Sed ſi placet, iſta clarius pertractemus. Phlegma ex aqua oritur, cum elemento illi ſocietas eſt. Atra bilis ex ſicca terra provenit. Flaua ex igne, cum ipſa quoque ad ignis naturam accedat. Per

A phlegma hybernam tempeſtatem intellige, quæ humida & frigida, & inſtar cuiuſdam ſenij eſt. Sanguis ipſum ver refert: Eſt enim humidus, & calidus, quemadmodum puerorum bona temperies. Flaua æſtati comparatur. Æſtatem quippe calidam & ſiccam experimur: ſicuti virorum ætas eſt robuſta. Atra bilis autumnum imitatur: eſt enim ille ſiccus & frigidus, quomodo ætas iuvenilis.

Communicet igitur ſanguis cum flaua bile in calore. Flaua bilis cum atra in ſiccitate. Atra bilis cum phlegmate in frigore. Phlegma cum ſanguine in humore. Rurſus vnuſquiſque humor propriam ſuam qualitatem habet, ſanguis calorem, bilis vtraque ſiccitatem, plegma frigus.]

Spacia autem cuiuſque ætatis, vniverſaſque cuiuſlibet proprietates & diſcrimina, ſuperuacaneum puto percenſere. Dicendum tamen adhuc de ipſis, ſi videtur. Ac in primis quidem & ante omnia omnium artifex Verbum divinum, theſaurus ſcientiæ, & abyſſus ſapientiæ cogitanda eſt. Inde ad cauſas miſeriarum, de quibus ſupra, veniendum. Generatur infans: principium eius generationis mihi conſidera. Non vt è lucta gymnaſtica, ſudore vndique manans: ſed in vtero & in ventre, non humectus, ſed humor. Lebes ab initio aquam frigidam capiens, continet eam, quamdiu frigida fuerit. Cum autem ferbuerit, & ob ignem adiacentem bullierit, tum mihi duorum contrariorum quaſi certamen, & victoriam inſignem, & ex certamine imperium vide, quomodo deterius meliori ſenſim cedens, quanquam volens, ſine tuba reddat ſonitum: ſtrepitum bullitionis videlicet, qui huic victoriæ pro tuba eſt. Semen aqua eſto, lebetem puta materni vteri ſinus, copulationem caloremque corporum, ignem interpretare. Lebetis igitur exemplo infantium gradum oſtendimus. Inde ad virilem tranſeamus, & in hac novam mutationem videamus; mutationem, de qua tanto ante magnus David, quæ eſt planè dexteræ excelſi. *Memor fui*, inquit, *operum Domini*. Quid igitur huic proprium? quod eius temperamentum? primùm eſt calor quidam, deinde ſiccitas. Accipit enim initium ex puerorum ætate, cui cognatio cum vere eſt, quæ terminus eſt hyemis, cuius finis eſt humidus, vt principium frigidum. Verum ego iſta quoque paradigmate quodam declarabo. Quatuor tempeſtates eſſe dicimus, & totidem elementa, ætates quatuor, totidem videlicet communione quadam illis reſpondentia. Sed quaternio eſt alius in parte patris. Vnumquodque enim tempus, æſtas, autumnus, ver, hyems omnino pars eſt anni. Cum igitur tempora iſta partes ſint anni, vt diximus, an non tibi pars partis videtur tempus diei atque noctis horarum 24. Dupliciter enim tempus dicitur, & in parte, & in toto. Noctem autem, etiam æſtatis, hyemem puta. Tota enim humida, & frigida eſt natura ſua, propter exſpirationem nocturnam, & rorem matutinum, cuius imaginem gerit ſenectus. Vbi igitur ſol exoriens caput protulerit, mediumque orbem inferiorem luſtrare cœperit vt ſponſus è thalamo, incomparabili ſpecie, & vt infans ex vtero materno proſpexerit, & ridentibus oculis terram deſpexerit, per omnia radios lucifluos diffundens, repentè expiratio humida rore manente, ceſſat. Rori porrò admixtus eſt & calor. An non hæc apertè iuvenum ætas? Poſtquam in medium cœlum, tanquam in prytaneum venit, in alto iam collocatus, hominem laborioſum, & durum repræſentat, & vt proceri corporis gigas aliquis laborare non ceſſat, nec admirabiliter invehi deſinit: ſed indefeſſo continentique curſu voluitur. Ros quidem per calorem ablatus eſt. Et hinc æſtas, ac virilis ætas inſinuatur. Rurſus, quando deuexus ad occidentem tendit, calorem relinquens, & ſiccitatem retinens, & partem frigoris habens, eamque à nocte, quæ vt dictum eſt, naturaliter frigida, humida eſt, annon vt ſenex quiſpiam aridus, laboreque languidus atque fractus, deorſum videtur præceps currere? Nonne videtur iſtuc autumno eſſe ſimile, indeque notari ſenum ætatem exſuccam eſſe & frigidam.

Margin: B — *Pſal. 76. Ibidem.* — C — *Pſal. 18.* — D

C A P V T VIII.

Explicaturus cauſam vitiorum corporis, aliò abripitur, & cur Deus hominem non ſimplicem, vt angelos creauerit docet. Deinde deliramenta Manichæorum inſectatur.

QVONIAM autem quaſi quinquertionem abſolui, id eſt, tempora omnia, & temperamenta adduxi, etiam reliqua, vt tibi promiſi, apponam. Scopus verò & propoſitum, eſt dicere, vnde ab ipſo ſtatim vtero infantibus huiuſmodi caſus; & rurſum vnde, temporis progreſſu, poſtquam in lucem ſunt editi. Dicere autem propitio numine, prout vires, & verba ipſum ſuppeditaverint. Et quomodo tandem huius generis incommoda alia ab ipſo matris aluo vſque, alia poſt ortum eveniunt? Et quænam perennant, quæ curationem, ac cito quidem admittunt? & quo facto quædam cum tempore augentur, quædam quaſi retrocedunt, & omnino retrograda evaneſcunt? Et quid eſt, quod quidam puniuntur, quidam coronantur? Et quomodo quibuſdam conducit ſeruitutem timere, quibuſdam in libertate viuere? Alij capiuntur, alij in honore & gloria ſunt, cum aliis aliter ſe res habet. Infinita cernuntur diſcrimina in rebus humanis, varieque commiſcentur. In Deo eſt poteſtas, & ſumma quidem atque omnipotens. Potuit ille animam condere ſimplicem, & ſubſiſtentem, ſicut angelos fecit incorporeos. Idem quippe animarum, angelorumque fabricator eſt: & condere omni turbida motione liberam, perinde vt cœleſtes illos animos. Huiuſmodi namque motiones corporatorum, non corpore vacantium ſunt: niſi quis intenſionem ad aliquid talem motum vocet, vt in angelis recens productis contigit: quorum alij ordinem ſuum, dignitatemque retinuerunt, cum qua procreati erant: alij ſuperbia inflati, ea deciderunt. Etenim cum ſic eſſent producti, vt ad bonum moveri facillimè poſſent, ipſi ad peſſimum incitati ſunt, & contra Deum ſe efferentes, maius quiddam quàm pro natura ſua conceperunt. Non ergo creati ſunt mali, ſed mali poſtmodum apparuerunt. Cum igitur animas tanquam mentes ſeparatas procreare poſſet, natura ſimplices, ratione ornatas, nullis perturbationibus obnoxias, non ſic eas, ſed alio, & miro quodam modo procreauit, hominemque miſtum quiddam, & coagmentatum effecit, corpore nimirum ex inferiorum ac terreſtrium, anima ex ſuperiorum ac cœleſtium ordine, mentis & conſilij compotem, & hoc, *ſecundum imaginem*, vt potentiam ac ſapientiam ſuam tanto euidentius oſtenderet, qua aliam adhuc, & novam creaturam creare poteſt. Nam ſi & hunc, hominem puta, ſimplicem procreaſſet, angelorum tantum procreator viſus fuiſſet. Etenim quidam prave opinantium, alium bonorum, alium malorum eſſe auctorem conditoremque arbitrantur. Nec putant, vt homines ſtolidi, peccatum non eſſe ſubſtantiam, nec extrinſecam nec intrinſecam: ſed melioris priuationem, ſicut tenebræ ex fuga lucis exiſtunt, & nox poſt occaſum Heſperi emergit, & viciſſim Lucifero reſplendente, ipſa repellitur, & fugit. Vt igitur bonorum omnium origo & cognitor, radicitus extirpauit germen nequitiæ, quam apertè appellavit Dominus domum, quam venti ſimul flantes auris divinis, & torrentes circumflui ex fonte à Deo ſcatente improuiſo irruentes, ad terram detraxerunt. Sed quos finxerit improbiſſimos ſeductor, edite. Amentes, deliri, & moribus vitioſiſſimi. Cur tantas nugas auſi eſtis nugari? Ad finem geminum, & contrarium omnem creaturam reſpicere aſſeritis. O inconſideratum errorem, adverſantem verbis Domini, qui neminem poſſe

Margin: E — F — G — *Auguſtinus contra hæreſ. ad Quod vult* — H — *Deus m. lib. contra epiſtolam Manichæi, c. 13. 14.* — *Mat. 7.* — *Mat. 6.*

A duobus dominis ſervire teſtatus eſt. Si enim aliquando duobus concordibus dominis ſervire nemo poteſt, diis ſententia & voluntate pugnantibus quis ſervierit? *Aut enim vnum odio habebit; alium verò diliget; aut hunc quidem ſuſtinebit, illum contemnet.* Hæc affirmatio eſt Domini, impuram & fraudulentam Manichæorum opinionem funditus evellentis. Vnus eſt verus Deus, vnus inſpector, vnus rerum parens, in tribus hypoſtaſibus, haud diverſis voluntatibus. Tribus enim vna voluntas, vna potentia, vnum imperium. Tres hypoſtaſes, deitatem vnam veneramur. Non tres Deos, ſed tres hypoſtaſes prædicamus, Deum vnum, qui cœlum in orbem vertat, & terram verbo fundauit, iumentiſque & animalibus vniverſis ſpiritum inſpirauit, & alia ex aëre, alia ex aqua, alia è terra, omnia ad generationem & interitum finxit, & hucuſque tantùm. Atque hinc Dominus animalium item apparet. B In quæ enim quis dominatur, in iis pro auctoritate agit.

CAPVT IX.

De providentia Dei in opificio mundi, & cur hominem immutabilem immortalemque non fecerit.

SED admirabilitatem rationum, quibus mundus eſt factus, perpende. Primum conſtituit cœlum & terram, & quæ eorum ambitu continentur. Elementa ſimul omnino, nulla ex materia condidit. Angelos cogitatione, vt exiſterent, fecit. Quantæ iſtuc potentiæ? Thronum præparauit: etenim throni Dominus eſt, non penitus honore æquali, ſed tantummodo adorandum, vt honoratum, vt glorioſum, propter inſidentem, & in eo requieſcentem, quem omnia timent ac tremunt. Creaturæ primæ ſunt iſtæ, quas aliæ conſequuntur. στοιχεῖα vero elementa dicuntur, ratione ordinis, ſecundum quem vniverſitas ordinatim eſt compoſita, nutu conditoris. Quid enim citra providentiam illius factum quæſo? Etenim vt quiſpiam mercator oneraria compacta, & ceteris armis eius vnà adornatis, gubernaculis, rudentibus, velis, antennis, C funibus, quibus malus in prora firmatur, remis anchoris, & pice circumlita, & minio depicta, ſi poſtea illam deduxerit, & pelago ſecando dimiſerit, ipſe verò relicto nauio domi ſedeat, nonne plurimis fluctibus, & ſub vnda latentibus ſaxis, ſcopulis, charybdibus, & ſcyllis, & prominentibus petris, & ventis, & procellis immanibus obiecta, & impacta frangatur, & in profundum hauriatur? Si ergo abſque gubernatore naues contineri, & ſervari nequeunt, hoc mundi vniverſi nauigium ſervari poſſe exiſtimas, ſi gubernatore careat? Quatuor elementa mihi vt onerariam intuere, per quæ alia quidem portantur, & nauigant, alia portabuntur, & nauigabunt. Sicut itaque pelagus, aut etiam fretum aliquod citra nauim traiicere nullus poteſt, ita nec ſine elementis quiſquam hanc vitam tranſmittit. Sic cenſuit, ſic ſtatuit Verbum vniverſorum artifex. Quare vt nauis rectore deſtituta non abeſt à diſcrimine: ſic, mihi crede, deſerta à providentia creatura, proxima eſt periculo. Hoc loco ſubit me dubitatio perplexior. Hominem volens producere conditor, ſicut produxit, vnum animal ex duobus, D quomodo non potius natura ſimplicem produxit, vt duraret ſemper, nec aliquando interiret? Ex quo enim effectum eſt ignis elementum, neutiquam vel lumen eius eſt obſcuratum, vel ardor extinctus. Sic item terræ, aliæque creaturæ in ſtatu ſuo perſeuerant. Homo autem ita creatus eſt, vt ſit natura caducus, brevis æui, ſui diſſimilis, & leuiſſimo momento mutabilis. Rurſum aliud audiui quærentes, quamobrem Deus hominem non creauerit à ſenectute immunem, vt vitam quam longiſſimam, ac ſine extremo propagaret? Quanquam autem rationis eſt compos, in eoque differt

E ac præſtat omnibus, non tamen inde annos ſuos longius extenderit. In brutis animantibus celeritate antecedit pardalis, malignus eſt camelus, vrſus auidus, lupus rapax & ferus, equus iracundus, pauo ſuperbus, columba laſciua. Aliis alia natura, habitus, & affectio ineſt. A mortuis autem ad iudicium, ad vltionem, & pœnas peccatorum ſuſtinendas animalia in vitam non redeunt. Sed homines peccatis obnoxij ſunt, pœnaſque & ſupplicia ante & poſt obitum ſubire habent, ſi ſcelera ſua per pœnitentiam non deleverint. Naturæ autem conduceret, ſi reſurrectio nulla eſſet. Nunc ad iudicium reſurgimus quotquot ſumus improbi. Verùm iſtanc dubitationem diſſoluit vir quidam ſecundum vtrumque, & præ omnibus probandus, qui apertiſſimè velut è ſublimi, & medio ſuggeſtu docet; clamat, prædicat, vitam hanc ſtadium, aut quinquertium ducendam. Stadiodromos videri homines virtutis ſtudioſos. Quid enim nobilius morum ſanctimonia? Qua præditi, Dei, F & divinæ gloriæ hæredes erunt. Voluptates autem eſſe flagella duellatoris Satanæ. Hic autem (Deus) velut è pugna redeuntem filium longè ſtrenuiſſimum excipiens lætatur & gaudet, cum, his verbis: O fili chariſſime, veniſti curſu tuo conſummato. Membris tuis patrum legitimè gloriaficaſti: accipe pro ſcopo & conſilio tuo laborum præmia, qualia diligentibus me præparaui. Tu autem volebas certamen conſtitui ſempiternum? Quis, obſecro, certationem ſuſtinere potuiſſet, tametſi eſſet adamantinus, & invulnerabilis, ſi inſuper hiſce vinculis corporis leuari non poſſet? Et quis vinctus adeò infelix, vt tenebras, & carcerem nolit effugere? Sin minus, at certè pro viribus hanc ſibi miſeriam ita imminuere vult, vt propter exiguitatem ab ea nullo negotio liberetur. Cupis autem perturbationibus inquinari ac pollui pulchritudinem à Deo datam, & illam magnam imaginem, ſi reſurrectionem pro remuneratione laborum non vis. Et quomodo homines quotidie in flagitia non prolabentur, ſi nullam ſupereſſe reſurrectionem iudiciumque crediderint? Quomodo porrò non eſt abſurdum, rationis munere decoratum, divinoque ſpiraculo prælatum omnibus, vitam in ſpe repoſitam nolle viuere? Ego verò etiam ipſam mortem haud mortem, ſed feliciſſimum tranſitum ad vitam ſenio carentem, & quæ ad tempus pertulimus, G eorum remunerationem, & ſolutionem quandam à carcere opinor. Mors Domini verbis meis aſtipulatur. Divinum quippe corpus ante necem haud erat alienum ab interitu, rediviuum, planè immortale, & à corruptione liberum evaſit, typum & formam præferens regenerationis. quæ omnibus Domino adveniente continget. Carnalis enim generatio ſymptomatum plena eſt, quorum plura ſunt genera, quam arbores in ſyluis, Quæ de anni temporibus, de elementis, de ætatibus, de humoribus, ſimplicibus & coagmentatis ſive concretis diſſeruimus, eiuſmodi ſunt. Deinceps de ſymptomatis agendum eſt.

CAPVT XI.

Tandem partuum monſtroſorum, & aliqua fœditate inſignium cauſam incontinentiæ parentum adſcribit. In his ipſis partibus vtilitatem ad mores hominum corrigendos ineſſe demonſtrat.

H QVædam enim ab ipſo conceptu, quædam poſt partum naturæ humanæ indita atque inſerta viſuntur. Etſi enim hæc vt portenta quædam per hominum vitam proterviant, nihilominus à rationibus divinæ providentiæ pendent, quæ ex comparatione deterioris, quod melius eſt, magis declarat. Vt illud quidem metu periculi declinemus, ad bonum autem præmiorum deſiderio acceleremus. Mox enim à complexu, corporum ſi craſis, & alia congruentia fuerint, & humor cum calore bene temperatus, ſecundum vtrumque qui naſcentur

A filij, habebunt optime. Sin calor humorem exſuperaverit, prudentia in ſobole elucebit. E contrario, ſi humor vicerit calorem, mens prudentia non multum, & corpus viribus parum valebit, membrorumque tremor ſequetur. Cum enim natura typum & formam haud ſatis ſeſe accommodaverit, conceptus ipſe & craſi, & formatione immutatur, geſtaturque in vtero opprobrium, prodigium, morbus, diſſolutum, fœdum, & prorſus malæ habitudinis, vel in membris omnibus, vel certè in aliquibus: ſtrabum puta, acuto capite, epilepticum, mutilum. Et talia ſanè vel ob exceſſum, vel ob defectum ſolent fieri. Qui moderatè amoribus vtuntur, opportunè coniunctionem illam diſpenſant. Qui impotenter in Venerem ruunt, & intempeſtive voluptatibus illis commiſcendorum corporum fruuntur, iis abuſio detrimentoſa eſt, & labuntur in ignominiam, & ſe deridendos propinant omnibus. Hinc & hominibus iſtiuſmodi calamitates inde vſque B ex vtero matris eveniunt, & præcipuè vecordibus. Ebrietas quoque propter nimiam intemperiem detrimentoſa eſt, genituramque non fœcundam, ſed inutilem ac ſterilem reddit. Hinc reprehendenda quorundam libido, qui ſecreta illa coniugalia imprudentius miſcent. Cæterùm totum crimen penes patres reſidet, qui mulieres ex menſibus immundas contrectare non parcunt, vnde portentoſum fœtus abominandi effunduntur.

Aiunt enim quidam ex huiuſcemodi commercio & probroſum quiddam, & lepram generari, propter redundantiam ſcilicet. Ac ſi quidem ſana fuerint corpora, etiam Leu. 15. *ſana erunt quæ generantur. Si corrupta & vitioſa parentum corpora, filij imitabuntur. Præcipit igitur lex, vt ne quis ad mulierem dum eſt in purgatione immunditiæ ſuæ ingrediatur. Contingit namque corpus viri impuro ſanguine mulieris commixtum, corpus generare minimè purum, nec bene temperatum; ſed variis affectibus obnoxium. Hæc mala legiſlator ante volens cohibere, natos ex tali concubitu eiecit, & ſacris ſeptis, conventibuſque* Hebr. 13. *excluſit, vt horum parentes non audeant de cætero tale quid committere. Et quanquam nuptiæ honorabiles ſunt, & cubile legitimum, non tamen ſemper id aſcendendum: ſed aliquo tempore vacandum, & naturæ concedendum, do-* C *nec purgatum, liberis ſuſcipiendis fiat idoneum.*

In aliis autem incontinentibus, dum ſe cognoſcunt, meritò etiam infantes fiunt ſicciores, ſemine ſcilicet feruore voluptuario areſacto. Hæc intemperantiæ patrum clara ſunt indicia. Simia generat ſimiam, vt æthiops æthiopem, caluus caluos, morboſi morboſos. Culpam potiſſimum patres ſuſtinent. Et horum tamen vtilitas aliqua in vita cernitur. Erudiuntur enim homines, ne præcipites abeant in obſcœnam voluptatem, neve proles in dedecus familiæ propagent, aliorum delictis ipſi cautiores, fiuntque tales magiſtri rei optimæ cæteris, & à priore ſtultitia ad vitam temperantem melioremque ſe convertunt, ac laudabili ſunt exemplo. Dominus enim qui nutu & verbo ſuſtinet omnia, multò ante proſpiciens, quid ex re cuiuſque ſit, hæc paſſus eſt accidere inter homines vt non omnes impure ac fœde generentur, ſed aliis quidem ſymptoma fructui ſit, alicubi ad fugienda vitia, quibus irretirentur conducat. Non tamen parentes vacant crimine, etiamſi liberi à caſibus quos percenſuimus, miſerante Deo, præſeruentur. Alia incommoda ab vtero vſque accipiuntur.

D *Qua de cauſa legiſlator leproſos, aliiſque morbis affectos ſacris ſeptis prohibuit? vt parentum incontinentiam reprimeret, & voluptatibus frenum iniiceret, coniunctionemque illam corporum terminis quibuſdam circumſcriberet: quandoquidem multi, quando haud fas, fœminis miſcentur, & ex intempeſtiuo congreſſu impura corpora progignunt. Hoc igitur ne fiat divinum numen providet. Nam cum parentes vident tales ſacris conventibus arceri, & cauſam huius rei incontinentiam ſuam eſſe cogitant, perenni dolore cruciantur.*]

Et lex præclara Lacedæmoniis fuit, quæ muliebre genus certaminibus exercere ludicris iubebat, quo robuſtos liberos generarent. Alia vero poſt ortum acci- E dût vtiliter. Quidam aſpectu vſurus erat male, oculis orbatus eſt. Alius addictus eſt ſeruituti, quod illi prodeſt. Alius eſt natus pauper, quem divitias habere non convenit, iis enim ad perniciem ſuam abuteretur. Alteri lingua eſt impedita, qui garrulitati ſeruiiſſet. Cuidam exaruit manus, quam perverſe extenſurus erat. Et his caſus iſti boni ſunt.

Interrogatio. Quid ita tandem multi, priuſquam ætatem eam attingant, qua internoſcere bonum à malo queant, quaſi magis impliciti ſceleribus, pœnas luunt? Reſp. Huius rei non vna ſed complures & diverſæ ſunt cauſæ. Nempe & propter parentum immodicam libidinem, & propter educatorum deſidiam, & propter cœli inæqualitatem, & propter alia multa, huiuſcemodi calamitates poſſunt evenire. Præterea, multos illorum novit Deus fore improbos. Eam ob rem ſuppliciis iſtiuſmodi veluti compedibus eos coercet. F

Verum animadverte quanta ſit Domini benignitas. Miſertus enim humaniter ſui plaſmatis, etiam iſta ad vtilitatem eius direxit, convertitque. Quin & mors munus quoddam illius benignitatis eſt. Rationes autem abortuum, & quomodo quædam in conceptione, alia poſt conceptionem, alia poſt formationem intus pereant, hæc, inquam, divino iudicio, & ſapientiſſimis diſpicienda relinquamus.

CAPVT XI.

Quomodo diabolus ſuperſeminet in animis noſtris zizania, & quibus armis ei reſiſtatur. Quare zizania hinc evelli Deus non ſinat.

ANIMA. Satanas porrò, quinam inſtar furis in corda penetrat, & hominibus dormientibus (vt Mat. 13. S. ſcriptura loquitur) impura, & peſſima ad fallaciam & deceptionem omnium zizania ſeminat?

Anaſtaſius. *Neſcit igitur diabolus, vtrum ſit intus in cordibus noſtris Chriſtus, nec ne: ſed cùm te viderit iraſcentem, aut iurantem, aut turpia loquentem, aut male-* G *dicentem, aut de aliis detrahentem, aut alios temerè iudicantem, aut odio proſequentem, aut inuidentem, aut iniurias irrogantem, aut ſuperbientem aut immodicè ridentem, aut ſupra alios ſe efferentem, aut non aſſidue precantem, mortiſque immemorem, tum Deum cuſtodem atque curatorem tuum in anima tua haud ineſſe intelligit, atque ita de cætero, tanquam fur ingreſſus ille malignus, vt divina lucerna in corde tuo non lucente, animæ tuæ donum deprædatur. Etenim dæmones rerum noſtrarum ignaros, nos gnaros culpa noſtra efficimus.*

Et quonam modo improbiſſimus à nobis repellatur? Quod ſi hoc facilè non eſt, quo pacto tamen dæmonum impetus, & divinas incitationes quiſpiam cognoſcat, ex quo mens bona & mala deprehendat, atque internoſcat? vt proinde ſe procul remoueat, & omni contentione tela Belial avertat, reddatque Domino hoſpitium mundiſſimum, purgans ſe totum ab inquinamentis interioribus, vt inhabitet gratia in corde eius, & apud ipſum Pater cum Verbo manſionem faciat. Et quid ita Ioan. 14. Deus dæmonibus ad oppugnandum genus humanum permittere aditum voluit CARO. Plaſtes ille, cùm effinxiſſet olim hominem, vt noſti, animam, & alia ei inſpiravit atque immiſit, creaturarumque terreſtrium Dominum conſtituit. Cæterũ invidiæ patens, & primus H apoſtata, iniquis oculis magnitudinem eius intuitus, invidit, & tantam eius gloriam ægrè tulit, & quod fecit, invidia erga hominem fecit. Procreator autem & Dominus, quod futurum erat proſpiciens, vt optimus quiſpiam medicus pharmacis comparatis, virtutem armatam homini ad pugnam, & propulſationem petitionum Satanæ inſeruit: ne imparatum, atque inermem inveniens, telis & vulneribus eum nullo negotio proſterneret, atque conficeret. Duplicibus porrò, & firmiſſimis armis eum communiuit.

by Google

A Ea ſunt cupiditas & iræ vis. Quæ quanquam in ea parte animæ verſantur, quæ conſilij expers eſt, quod nemo negauerit, nihilominus rationi ad auxilium & robur quoddam, ad ſeductorem laceſſendum, perſequendum, atque ad ſacrarum actionum rectam functionem, quibus divinum numen hominibus, quorum mores & ſtudia ad ſanctitatem feruntur, conciliari ſolet, data & conceſſa ſunt. Hæc duo ecquid animadvertis, tanquam matres virtutum & vitiorum eſſe: veruntamen non omnium prorſus, ſed quæ ex ipſis progigni conſueverunt, quæ oratio noſtra clarius demonſtrabit. Tu animum fac attendas, & rem omnem cognoſces. Cupiditatis germen, eſt charitas, per quam in cœlum aſcendimus. Sed enim libet accuratius ſuper hoc diſputare. Cogita iram, & cupiditatem triticum eſſe bonum, & tritici ſemen, quod ipſe, agricola & plantator bonorum Dominus cultura intrinſeca, gratia min ſeſta ſuperſeminauit. Primus igitur homo

Gen. 2. B conuerſus eſt in ſoporem, vt docet Scriptura. Sed ſoporem hunc intellige tres haſce paſſiones, oblivionem, ignorantiam, & ſtuporem.

Iſidorus. *Vnde, inquis, cogitationes malæ de corde exeunt, & hominem impellunt? Ex eo, quod dormiunt agricolæ, quos vigilare oportebat, & excubare, & efficere, vt ex bono ſemine bonum fructus prodiret. Niſi enim*

Mat. 13 *ſatietate & ſopore cuſtodiam noſtri prodidiſſemus, divinam imaginem fœdantes, hoc eſt, divinum ſemen adulterantes; zizaniorum ſator introitum non inueniſſet, nec digna flammis in nobis operatus eſſet.* Vis inquis, colligimus ea? *Inquiunt virtutes angelicæ. Sed facere iſtuc prohibentur, ne cum eis vnà triticum eradicetur: ne forte vna rapiatur peccator, de emendatione cogitans: ne cum parentibus improbis ſimul exſcindantur, & damnentur liberi, adhuc ſæpe in lumbis paternis, Deo autem iam exiſtentes; qui videt abſcondita, quique Eſau poſt peccatum non demeſſuit, ne ſimul Iob ex illo genus ducturum exſcinderet.*]

Inimicus ergo dormientibus protoplaſtis clam ad perniciem tritici zizania ſeminat. Zizania autem ſunt affectuum agitatio, & iudicij depravatio. Inde cum ſe homo contra rationem voluptatibus ſubmiſiſſet, quod præſtantius eſt, deteriori ſeruitutem ſeruire cœpit; quo nihil peius; hoc eſt, ſpiritus prudentiæ carnis, & comedit quod comedit de ligno, quodcunque

C tandem illud erat, idque actum inuidia diaboli & Euæ ſimplicitate. Hinc mortalitatem invenit, & creatura corrupta eſt ſimul; ſimul quoque corrupta prima quatuor corpora. Non enim oportebat, nec decebat, homine lapſo, mundum manere incorruptibilem, cuius ille erat dominus: ſed potius cum domino diffluere ac dilabi, vt cum habitatore habitaculum congrueret. Inde imaginis pulchritudo obfuſcata eſt, inde cordis regio fruticibus luxurians, vnde germen impurum germinavit. Inutiles herbæ coorientes, commodas & vtiles ſuffocarunt. Et celeriter ad vitam beſtiarum devolutus eſt: quæque præter naturam erant, inde ſecundum naturam evaſerunt, proceduntque & proficiunt ad finem vſque huius vitæ ambo hæc, & bona & mala, ſeminis, inquam, & invidiæ: Cum autem meſſis tempus advenerit, colligentur omnia. Inimicus enim, vt dictum eſt, deteriora ſuperſeminauit. Agricola ſinit ea cum tritico excreſcere, non vt meliora ſemina ſuffocarent: ſed vt & hæc ſimul in aruis manerent, id eſt, in cordibus, ſic enim tropicè vocavit: vt ex

D virtute intus inſita (ea eſt virtus & poteſtas mentis & conſilij, citra controverſiam) malum germen exareſceret, bonum augeſceret, ac ſolideſceret. Sin minus, at certè dum area purgaretur, qua purgatione vitioſum à probo ſecerneretur.

E

CAPVT XII.

De quatuor virtutibus cardinalibus, earumque vitiis oppoſitis. Multa item de animi perturbationibus, quæ & à quibus virtutibus edomentur.

MENS igitur, illud rationis particeps, vel potius illud *ſecundum imaginem*, vt princeps optimus, aliis, cupiditati nempe, & iræ quæ arma appellaui, præſidet. A mente igitur prudentia & iuſtitia effloreſcunt, duæ planè virtutes, per quas omnia bona, non bona rectiſſimè iudicat & diſcernit. Iudicij enim medulla eſt diſcretio, ſine qua propemodum omnis actio inanis eſt. Peccata igitur rationis, cuius eſt principa-

F tus, legibus puniuntur, & quidem grauius: iræ autem & cupiditatis minus, ex qua elegantia temperantiæ profluit: ſicut ex ira fortitudo: ex his tribus quatuor, & primæ virtutes generales, ſic enim dicuntur. Quatuor autem his bis quatuor vitia opponuntur, quando vnaquæque duo habet adverſaria, quorum vnum in exceſſu, alterum in defectu poſitum eſt. Ne longe abeam, prudentia hinc quidem ſimplicitatem, inde aſtutiam, ſiue calliditatem: iuſtitia vtrinque plus & minus habet: ſunt enim & hæc vitia. Fortitudini ſimiliter duo repugnant, quorum alterum audacia dicitur, alterum timiditas. Quæ reliqua eſt, temperantiæ, inquam, petulantia, & fatuitas adverſantur.

Iſidorus. *Prudentia media eſt inter ſimplicitatem & verſutiam. Liberalitas inter profuſionem & tenacitatem. Magnanimitas inter arrogantiam, & abiectionem animi. Fortitudo inter audaciam & timiditatem. Pietas inter ſuperſtitionem & impietatem. Extrema igitur fugienda, media autem perſequenda, & eligenda ſunt.*]

Quotcunque autem aliæ motiones, intus in medio cordis, ſeu prauæ, ſeu commendabiles concitantur, cogitationis, atque rationis fœtus ſunt. Ratiocinatur enim, & iudicat, tametſi nonnunquam fallitur.

Baſilius. *Perturbationes importunæ ac violentæ ſunt, ſi ceſſet ratio, quæ valemus. Ea imperante & inſtante, faciles in obſequium rediguntur.*

G Sunt autem timiditas, confidentia, timor, inuidia, ægritudo, ira, concupiſcentia omnium iucundorum. Etenim omnis ad aliquid concitatio ex corde eſt, ad eligendum maximè, & diſcernendum. Vtitur enim virtutis, & vult, & cupit melius ſtultius, præſtantius deterius. Nec verò quiſpiam ob hæc vel laudatur, vel reprehenditur, quæ ſua natura neque mala ſunt. Voluntas bene, aut ſecus iis vtentium ſpectari ſolet.

Maximus. *Horum alia bona, alia mala ab hominibus exiſtimantur. Atqui cum per ſe nihil ſit malum, propter vſum propriè ſive malum ſive bonum invenitur.*]

Si igitur de his præiudicium in partem deteriorem vergat, tum affectio illa mala & eſt, & dicitur. Si contra præiudicium ad partem meliorem inclinauerit, probanda magis & meliora inde procedunt, & vitioſa longiſſimè exterminantur, vt ſecunda diſputatione explicatum eſt. Quemadmodum enim ferrum ab arte ad quoduis opus artifici propoſitum conformatur, ac pro voluntate & vſu tractatum vel in haſtam cedit, vel in gladium, vel in machæram, vel in falcem ad meſſem,

H vel in aſciam, vel in terebram, vel in ſerram, vel in ſcalprū, eodem modo mens ad quæ vult, cogitationes convertit, quod inprimis clarè in iis apparet, qui in aſceticis illuſtres fuerunt, & ſolitarium vitæ genus probè excoluerunt. Carnem enim, vt decuit, ſpiritui ſubiugarunt, & tripartitæ animæ motus ad mores virtute plenos, præclaraſque actiones tranſtulerunt. Quod ſi tu enucleatius de his me diſſerere vis, diſſeram. A ratione hæc vitia manant, vt dixi: vana gloria, diffidentia animi, inſipientia, ignorantia, indiſcretio, blaſphemia, cogitationum lucta, quorum videlicet

A & medicinæ multæ, & tales. Fides in Dominum, germana gloria, dogmatum recta tractatio in ſermonum veritate, meditatio verborum ſpiritus, precatio vehemens, mores Deo placiti gratæ voluntatis. Hæc ſunt cupiditatis. Iræ autem primus partus odium, alter animus immiſericors, invidia, maleuolentia, ira diuturna. Etiam hæc contrariis medicamentis ſanabilia ſunt, iuxta proverbium, contraria contrariis curantur, ſi modo in omnibus auxilium Dei adſit.

Maximus. *Affectus eius partis, in qua irarum ardores exiſtunt, longè difficilius, quàm cupiditatis incitationes expugnantur. quo circa etiam mandatum de dilectione, vt maius remedium, adverſus illos datum eſt.*]

Medicamenta illa ſunt, amor erga fratres, dilectio, compaſſio, longanimitas, tolerantia, benignitas, amicitia. Quodnam autem horum cui adverſetur, invenies planè, ſi vigiles prudenter, & ad ea incumbas. B Rurſus ex cupiditate naſcuntur ventris ingluuies, laſcivia, fornicatio, voluptatum incontinentia, cinædica, ſpurcitia, affectus vanæ gloriæ, & ardens auaritia. Sed hæc quoque his contrariis tolluntur, quæ ſigillatim enumerabo. Ieiunium, continentia, humiliatio carnis, vita facultatum inops, & quod eſt præcipuum, pauperum propter Deum miſeratio, vivere ad remunerationem in futura vita, & tandem ad aſſequendam adoptionem filiorum Dei. Quòd verò ex his cui ex ſuperioribus opponatur, haud eſt obſcurum. Rurſum cupiditatis & iræ manifeſtè plura vitia cordi ſunt ingenita. Primum omnium ingluuies, & clam vorare. Alterum dæmon fornicationis, inde enim naſcitur. Tertium auaritia, & ſervitus idolorum. Quartum eſt iracundia, vnde mala exiſtunt plurima. Quintum ſcito eſſe ægritudinem. Sextum acediam. Septimum vanam gloriam, quod eſt peſſimum.

Iſidorus. *Videntur vnum & idem eſſe* θυμὸς *;* & ὀργὴ *ſed fortaſſis illud celerem & repentinam concitationem ſignificat, quæ cogitationes ſurripit, & rationem præcurrit. Hoc nempe* ὀργὴ*, longiorem in ea perturbatione moram. Idcirco* θυμὸς *dictus eſt quaſi* ἀναθυμίασις *vapor,* C *exhalatio;* ὀργὴ *ab* ὀργᾶν *turgere, &* ἀμύνειν ἐρᾶν *vindictæ cupidum eſſe. Ac* θυμὸς *quidem* ὀργὴν *generat, ex* ὀργὴ *clamor naſcitur, ex clamore maledicentia, ſive contumelia.*]

Triſtitiam autem ex his ambobus, cupiditate, & ira nimirum, ſecundum idem provenire, & rurſum vtrique ſuam & maximam eſſe proprietatem ſcias. Ira enim cum viciſſim contriſtare contriſtantem non poteſt, mœſtum ac demiſſum vultum ſubito parit. Quod ſi deſideratis prorſus exciderit, ex iſta paſſione iterum triſtitia progignitur. Triſtatur enim, qui, quod amat, eo fruſtratur. Iterum duæ iſtæ perturbationes alio modo, ſi videlicet contra tibi eueniat, voluptatem conciliant; nempe ſi fine ſuo potiantur; ſicut mœſtitiam, vt dictum eſt, ſi non potiantur. Opinio boni cupiditatem generat. Quod bonum ſi præſens affuerit, expletur animus voluptate. Contra, opinio mali timorem iniicit, cuius præſentia ægritudinem creat. Qua de cauſa quidam perturbationem in quatuor hæc genera diſtribuerunt, in cupiditatem, voluptatem, metum, ægritudinem. Cæterum ambobus hiſce vitiis deterius & maius arbitror ſuperbiam, & inanis gloriæ appetitum; ſiquidem à ratione oriuntur. Per quæ nonnulli, cum angelorum eſſent ſimiles, tantum decus D amiſerunt. In angelis enim nec ira, nec cupido reperitur: quæ quidem ad animum ratione carentem ſpectant: & horum vitiorum, vanæ gloriæ, inquam, & ſuperbiæ duplicem originem video: nam ex ratione & cupiditate erūpūt. Ex iſtis octo igitur enumeratis omnis peccati ſpecies, & affectus vitioſi pullulant. Sunt autem horum quoque, vt illorum, virtutes adverſariæ, à quibus ceu glacies à calore diſſoluuntur. A ieiunio enim, & à continentia magnæ belluæ gulæ & libidinis expugnantur. Ex amore autem, ferventique deſiderio erga Dominum & futuram fælicitatem, horroreque tormentorum, ſtatione per totam noctem, & acri

E ieiunio, incendiū & ſpiritus fornicationis extinguitur. Miſericordia, compaſſio, & hoſpitalitas, fides (quod melius, & præcipuum caput diligendorum omnium) auaritiam, fœtum infidelitatis profligat. Bonitas, & manſuetudo charitatis: iram frangit. Quin etiam bonorum, & miſericordiæ amor, propter gaudium ſpiritus, ægritudo in rebus præſentibus, & mundanarum contemptio. Vitium autem acediæ in gratiarum actione, & præclara patientia, ad Deum ducente, ab operibus denium virtutis occultè patratis, oratione, humiliatione ſuperatur. Quin & vanæ gloriæ cupidus liberaberis, ſi minimè contra proximum ſtultè eleveris, ſicut olim iactabundus contra publicanum phariſæus: te vero omnium vltimum & profiteberis, & reputabis, & Deo omnia rectè facta tua in acceptis referes. Nam ſuperbus quodammodo negat Deum. Si ergo adverſus recenſita pugnare vis, eaque proſternere maximè, & potenter fugare, tela his contraria, quæ expoſuimus, F adhibe, alia enim via hæc in fugam vertere non datur. Sed enim qui tres compreſſerit (id eſt, gaſtrimargiam, avaritiam, vanam gloriam, primum ſcilicet, tertium, & ſeptimum) etiam quinque alia comprimet, per quæ tria inſatiabilis, & nihil non audens dæmon emerſit, inſiluit, dominum tentauit: quibus dediti, longe principes ſunt vitioſorum omnium, mortales peſſimi. Comprimet, inquam, cæterorum audaciam & impudentiam, itemque philautiam turpiorem illis, cuius etiam mater eſt cupiditas, vt quidam ſapiens ſenex, & in actione verſatus dixit. Eſt autem philautia corporis amor irrationabilis. Tria prima horum octo: ——

Gula, libido, avaritia, ira, triſtitia, acedia, vana gloria, ſuperbia.]

—mundo ſubiectorum ſunt: quietam vitam ſectantibus quinque bellum faciunt. Qui tria neglexit, nec aliud reliquorum vincet. Vanæ autem & plurimæ horum octo malorum, peſſimæ proles ſunt numerum ferme ſtellarum, ſuper guttas pluviarum, & arenam maris. Procreant fœtus, & hi alios, & illi rurſum alios, zizania peſſima, & præter naturam, quæ inimicus dormientibus G hominibus ſuperſeminauit. Et triticum quidem virtutum gemina ſtatuimus, quæ ſecundùm naturam in interioribus in parte animæ intelligentis, iraſcentis ſentiuntur, ſicut ſingula iam & particulatim diviſimus, & à ratione prudentiam & iuſtitiam, à cupiditate temperantiam, ab ira fortitudinem, quatuor iſta prodire diximus, ex ſatu tritici videlicet. Cogitationes autem turbulentæ & improbæ tripliciter intus bellum apertè irritant. Aut enim ipſum appetitum cordis moventiaut animum ad iram, & bilem accendunt: aut denique rationi tenebras offundunt. Ex quibus contingit, mentem intimam obſcuratam producere in longum ſacras preces non poſſe, intelligentemque & divinam partem ad lumen divinum hebetari. τὸ λογικὸν autem omnibus intus præſidens, etiam his duobus ſummè imperat, eaque continet, agitque & fert vndecunque quo vult. Sed virtutum tanquam princeps eſt ratio, perturbationum non princeps, ſed imperatrix potius, τὸ λογικὸν autem eſt ipſiſſimus θεῖος νοῦς (divina mens) quæ paſſiones non ſimul & prorſus tollit; ſed vt fortiſſimus reluctator & adverſarius generoſus, & paſſionum & motum turbas ſternit, œſtrorum inflammationes reprimit, & motiones cohibet, & tela amorum ignitorum extinguit, & impetus cogitationum luctaſque avertit. Non tamen in omnibus æqualiter virtutem oſtendit; ſed quibus ineſt mens ſana & optimè H ſentiens, & timor divinus, & nouiſſimorum, in iſtis citra perturbationum moleſtias animus tenet principatum: ſicut quidam ſpiritualis & experientia doctus cenſet. Non poſſunt omnes, inquit, per virtutis ſemitam incedere: ſed ij tantùm, qui continentius vivunt. Virtutū autem & præſtantior, & melior eſt prudentia, quæ cogitatione & ratione vniverſe plurimū adiuvant. Si enim ratio vt bonus auriga, partes quæ quidem naturæ, vt dixi irrationalis ſunt, fræno autē rationis bene regentis

feruntur

ferontur & parent facilè, in quibus voluerit, bene rexerit, ea materia laudis fit ſanctioris vitæ ſtudioſis. Quæ ſunt ſecundum naturam fiunt, quæ contra ſunt, fugiuntur, ſicut in præcedentibus docuimus. Si autem ratio Princeps non bene regat, quia deficit, cuius eſt quid deceat iudicare, de cætero omne detrimentum in ſe vertit.

Gregorius Nyſſenus. *Deceptum intellectus iudicium, ipſa res ſequitur. Cum enim imperita ratio non invenerit ubi utiliter armis utatur, in ſe ipſam ferrum auxiliatorum convertit, ei qui malè uſus eſt, pernicioſum.*]

Res ſurſum ac deorſum eunt: illico enim veritas putatur mendacium, & quod dulce eſt, amarum, & amarum dulce. Lumen fit tenebræ, & tenebræ lumen; mala natura, videntur optima, & optima fugienda. Si quis huiuſmodi falſa iudicia faciat, vitium & peccati contagio abeſſe non poteſt. Et tunc zizania cum germine exteleſcunt, ſtupéſque inutiles in agris ſpiritualibus ſe profundunt, undéque triticum, & alimento idoneum diſcolorata, & a natura abhorrentia ſuffocant.

Maximus. *Res ipſæ quidem extra animum ſunt, earum vero cogitationes ac ſenſus intra animum conſiſtunt. Penes ipſum igitur eſt, hiſce aut bene, aut ſecus uti: nec aliud quidquam eſt malum, quam operationis facultatum natura ad finem propoſitum inſitarum defectio, ſive bona omnium rerum cauſæ contraria: quæ cum mentem humanam debilitaverit, ipſam à divina cognitione penitus peregrinam reddit, & aliud prorſus nihil.*]

Nam ne teterrima præterque naturam, & adulterina ſemina cum naturalibus comprehendant, & proveniant, fieri nequit. Voluntas corporis, prudentia carnis, voluptatum impoſtura præter naturam propagines ſunt. Quas ſi ſanctis laboribus oppreſſerimus, ſpiritualia creſcunt. Triticum eſt ſecundùm naturam. Etenim virtutis igniculi à natura nobis ſunt inſiti; motus autem turbidi, præter naturam ſunt, ut dixi.

Improbitas, aut illaudata affectio, naturaliter in natura non cohærent ac ſubſiſtunt; Deus enim turbulentarum motionum non eſt conditor.]

Si enim improbitas eſſet aliqua, ut ita dicam, ſubſtantiatio aut natura, nec ſectatoribus eius ſupplicium, nec virtutum cultoribus præmium eſſet propoſitum. Si quis ergo conſuetudine mala, & vita male ſeriata affectiones à natura alienas in habitum converterit, is rurſum conſuetudine bona vim illam vitij in virtutis vim remigrare cogat.

Iſidorus. *Multi mortales peccata & vitia quamvis non didicerint, tamen perpetrant, bona autem quamvis ea docti non intelligunt: ſed ſuppliciis gravida per ſe amare & concupiſcere non deſinunt: coronas autem conciliantia, ut exſequantur adduci neutiquam poſſunt.*]

Nilus. *Per conatum ſtudioſè amandi Deum, negligentia vim debellare, & frangere velis. Conſuetudo enim conſuetudine mutatur: tantum ne tyrannidem obtendas.*]

Poſtquam enim fines ſuos egreſſa fuerit denuo in ſeipſam celeriter redire compellatur. Et idcirco magnus ille agricola præcepit, relinquenda zizania, ut creſcant cum tritico, ut plaſtes providens nobis, ne re natura pulcherrima orbaremur, ne cupiditas cum germine improbitatis ſimul exſcinderetur. Nam ſi unà cum iis, quæ præter naturam ſunt, ea quæ ſecundum naturam ſunt omnia extraherentur, natura humana ad auxilium ſuum aliter, & bene iis uti non poſſet. Charitate enim, quæ pulcherrima cupiditatis proles eſt, è nobis ſimul exciſa, quod tandem pharmacum utiliter adhibebimus? Ita autem ſimul diffluente, quæ arma quis ad defenſionem ſui contra hoſtes occultè nos oppugnantes habeat? Armorum quippe loco hominibus ſunt appetitus, & ira. Quod ſi hæc radicitus evulſeris, quomodo nudus ſpiritus ad pugnam & luctam contra dæmones, atque ad aciem contra principes tenebrarum inſtruendam aggrediatur?

Cupiditatis ſtirpes ſunt charitas, & temperantia, ad hæc intemperantia & libido. Ex ira fortitudo emicat, inſuper audacia, & timiditas, præter naturam. Ex anima quæ eſt rationis particeps, prudentia & iuſtitia præter naturam vero ſtultitia, avaritia, inæqualitas, & iniuſtitia. Quod ſi, quæ præter naturam ſunt, evellenda eſſent, ſimul omnia quæ ſecundũ naturam ſunt evellerentur.

Baſilius. *Quid lucri eſt, in multis vacare omni perturbatione, ſi ab una corpus corrumpatur? Nam Petrus poſt tot egregia facta, & prædicationes tot, audivit, niſi* lavero te, non habebis partem mecum. Ioan. 13

Qui enim ſecundum ſpiritum, non ſecundum animam tantum, ſive ſecundum carnem hanc vivere conſueverunt, eos certum eſt à non bono propter bonum pungi ac ſtimulati. Qui verò vivunt in carne, carnalia ſapiunt. *Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus*, Paulus velut ex alto pronuntiat, non enim eſt ſpiritus, qui ſecundum carnem vivit, cuius prudentia eſt mors periculum magnum, & pugna & diſtantia à divinis penitus; divinis enim legibus omnimodis adverſatur. Prudentia autem ſpiritus, pacem vivam ſcaturit. Qui carnale ſemen ſeminat, de carne metet, metet autem mortem. Qui autem in ſpiritu ſeminat, ſpiritualia metet, & meſſem corruptionis. 1 Cor. 2. Rom. 8. Gala. 6

CAPVT XIII.

Quiſnam carnalis, quis animalis, quis ſpiritualis appellandus ſit. Solum id bonum quod ex libera voluntate procedit, laudem & præmium mereri.

ANIMA. Sed age, differentiam perſonarum, & quis carnalis, quis ſpiritualis, quis demum animalis ſit, mihi declara: nec enim noſcere queo.

CARO. Primus horum corpori obſequitur, & corporis voluptatibus ſervit, vitámque tantum ſenſibus ſubiectam in rebus caducis exigit, in quo & deterius à præſtantiore ſubactum eſt. Animalis ſolutus & laxus eſt ad habitus revera non bonos, animúmque nondum illuſtratum habet; ſed vivit ad appetitum, qui videtur optimus, motibus, deſideriis, & naturæ blandimentis indulget. Spiritualem vocamus, amantem rerum cœleſtium, qui internis oculis divina reſpicit, & tantummodo vitam ſempiternam diligit, omnia voluptuaria conculcat, ſanctis exercitationibus ſe dedit, & ſpiritui carnem ſubjicit. Quod ſi placet tibi, rem alio modo explanabo. Vnuſquiſque ſecundum naturam & carnem viventium, planè vocatur animalis, ut qui mente nondum profecerit.

Cyrillus. *Animalis eſt, qui ſecundum carnem vivens, animo per ſpiritum nondum illuſtratus eſt; ſed intelligentiam tantummodo humanam ingenitam habet, quam omnium animabus opifex inſerit.*]

Viventes intra ſpiritum, carnales appellamus. Qui autem naturam ad ſpiritum attemperarunt, ſpirituales audiunt, ut qui virtutem exerceant, Adhuc tertiam explicationem afferam mutuò adverſantur caro, & ſpiritus. In quo caro ſuperaverit, is dicitur carnalis. In quo ſpiritus vicerit, ille eſt ſpiritualis, & iure fructus ſpiritus dicendus.

Quemadmodum rebus fluxis immiſta anima evadit carnalis, ita corpus per incorruptionem animæ ſemini dominico unitum ſpirituale redditur.]

Quod ſi inter ambo pax inutilis fuerit, erit is homo animalis, qui verè cognitionem habet, & vitam animæ inſitam & conceſſam vivit. Nec enim ſeminavit in carne, ut corruptionem metat: nec rurſus in ſpiritu, ut vitam æternam metat; atque hinc ut medium quiddam, & animalis eſt.

Scio enim, ut diſcordiam quandam optimam, ſic etiam concordiam quandam nocentiſſimam eſſe. Melius eſt enim laudabile bellum, quam pax à Deo ſeparans.]

Qualis ſit carnalis homo, qualis ſpiritualis, & quo

pacto ſe vterque habeat, perfectiſſimè Paulus novit. Sed tamen eos inter ſe comparans, utrumque per ſe plurimum valere contra alterum affirmat. Medium tenent locum, quibus non ab exercitatione contigit, ſed abſque laboribus innata eſt caſtimonia, & honor nullus habetur, nec coronas merentur, qui ſtatum caſtitatis ſine certamine ſunt adepti. Etenim ex vtero matris eunuchi nati, nec moleſtias ſentiunt fœdi amoris, nec rerum cum perturbationibus coniunctarum. Nec proinde dignandi ſunt gloria, aut gratia, quandoquidem labores non toleraverunt. Bonum quippe naturale approbationem, & laudem non meretur.

Equidem multos habeo proferre, qui natura ab ineunda muliere abhorreant. An igitur hoſce caſtos appellabimus, aut præmio afficiemus? nullo modo. Caſtitatis enim eſt, continere ſeſe, & pugnando per labores ſudoréſque perturbationes, & cupiditatem ſubigere.

Sin ex animo & voluntate præſtetur, iuſtè coronam ſortitur. Prærogativa enim, & adiumentum, quod cuinſpiam naturæ adeſt, non eſt cauſa laudis in his, quibus adeſt; ſed id potius divino beneficio attribuendum eſt. Non habetur gratia igni urenti & illuminanti: ſed magis ei qui ignem ſtruxit. Minimè gratiæ aguntur nivi, quod frigefaciat. Sol clariſſimè lucet, lucet, inquam, nec vult lucere. Solum velle quæ præſtantiſſima ſunt, gratiam promeretur. Quod ſi modum exquiras, quamvis carne conſtes, ſuperior amore corporis apparebis, & ſeminabis in ſpiritu evacuata carne. Ego & tu ſpiritui ſerviamus, corpori nullo modo. Paulus hæc loquitur ad Romanos ſcribens: Si enim ſpiritus Chriſti eſt, etiam in nobis ſit, vt dixit. Si autem quis non fuerit particeps huius chariſmatum, non eſt hic Chriſti, ſed Antichriſti potius. *Quemadmodum igitur portauimus imaginem terreni* (*& factus eſt in animam viventem*, ut ait Scriptura) *portemus & imaginem cæleſtis*, ſi volumus, & quidem magis, eſt enim ſecundus Adam in quo eſt vivere in ſpiritu, & vivere in incorruptione.

1.Cor.15
Gen. 1.

Maximus. *Imago terreni hominis præcipua vitia ſunt, amentia, intemperantia, iniuſtitia. Imago autem cæleſtis cardinales virtutes, ut prudentia, fortitudo, iuſtitia, temperantia.*

Ioan 1.

Quicumque enim ipſum receperunt, dedit eis, inquit, filios Dei (per gratiam) *fieri*: deos, non filios, quod longè maius atque præſtantius eſt. Quæ ſequuntur, admodum, vt reor, intellexiſti.

CAPVT XIV.

Quemadmodum Deus hominem cum creaturis omnibus communicantem finxerit. Quomodo idem Trinitatis imaginem contineat.

SEd unde cœpit, eodem revertetur oratio, dicemúſque, ut poſſumus; de procreatione propter duo iſta, ſuperiora repetentes ſummatim, & tibi in memoriam dicta revocantes. Dominus igitur, qui hoſce duos mundos condidit, ſuperiorem nempe, & priorem, poſteriorem, & inferiorem, intelligentiam, & ſenſum, & hæc omnia, hic unum animal hominem facere voluit, quod ex ambobus iam dictis miſtionem & temperamentum haberet. Et factum, & conditum eſt voluntate creatoris, qui ſua manu & ſapientia hominem finxit.

Quintuplex eſt natura rerum conditarum omnium. Intelligens, ut Angelorum. Rationis compos, vt hominum. Sentiens, ut beſtiarum. Vim alendi, & augendi habens, ut plantarum. Inanima, ut lapidum: Hæc omnia rurſum aut cum materia coniuncta, aut ab ea ſegregata ſunt. Prioris generis ſunt terra, aer, ignis, aqua, & ex his concreta. Poſterioris Angelus, & anima rationis compos. Facultatum porro ad animam pertinentium alia eſt nutritionis, alia accretionis, vt in ſtirpibus videlicet. Alia imaginatrix, & appetens, ut in brutis animantibus. Alia ratiocinatrix, & cogitativa, ut in hominibus. Et quidem facultates ſuperiorum generum pereunt, tertij generis eſt ſempiterna. Opifex autem horum univerſorum Deus naturam omnem, eſſentiámque excedit.]

Conſidera myſterium, quod intelligentiam vincit. Vniverſam naturam ſuperûm & inferûm, & rationes omnis naturæ in unum frequentes conducens, & ex omnibus, ut collectam, quod eſſet præſtantius ſecernens, à terra frigus & ſiccitatem ſimul, & cum ipſis atram bilem ſumit. Phlegma, humorem, frigus ab aqua. Coæva autem aeris binarium humoris, & caloris, necnon ſanguinem ab eodem. Calorem, ſimilitérque ſiccitatem ab igne, unde certum eſt flavam bilem exiſtere. A ſtirpibus vim alendi & augendi, hæc duo inquam. Senſum à rationis expertibus, eúmque admirabilem. A lapidibus & lignis non ſentientibus denſitatem, & cohærentiam in nervis, in oſſibus. Rationem & mentem divinum quiddam utique ab angelorum natura, ad quorum ſimilitudinem per hæc accedimus. Animam autem à ſemetipſo contulit, inſpirans ſpiraculum vitæ. Animam ſeipſam moventem, & moveri nunquam deſinentem, animam ſimplicem, immortalem, nunquam ſeneſcentem, nihil habentem craſſitudinis, nec materiæ corporatæ, naturam ſui iuris & arbitrij, honoratam ratione conditámque maximè ad imaginem divinam, non tamen ex divina ſubſtantia, quod fuge vel cogitare, vel dicere: ſed ex virtute omnipotenti, qua creavit omnia.

Theodoretus. *Habet enim ipſa (anima) rationem, & liberam ſui poteſtatem. Et generat quidem mens rationem, cum qua procedit ſpiritus, qui non generatur, ut ratio; ſed eam ſemper comitatur, & cum generata procedit. Quam ob cauſam & ratio ſubſiſtit, & ſpiritus.*

Subſtantiam individuam, in qua ineſt intelligentia, & mens omnino, & verbum mente conceptum: Nam ſermo qui eſt in lingua, proferri & edi foras ad audientes poteſt. Mens, ratio, anima, hæc tria ſunt una natura, una eſſentia congenita, ſtabilitatem habens, ſeparationis & ſectionis, & diviſionis prorſus expers: quin contra potius, ut inſeparabilis Pater, & Verbum. & Spiritus, natura; & virtute; eſt enim μονὰς τριάς, quaſi dicas vnitas Trinitas, eſſentia uniformis, & dominatus unus.

Deus compoſitionem non admittit, omnéque quod immateriale eſt, & omnem ſimplicitatem ſuperat. Eſt enim quiddam ſimplex, & omnimodis ſincerum, non mixtum; non compoſitum, nec figuram aliquam recipere poteſt.

Vt autem & hoc dicamus, illud, *ſecundum imaginem*, id eſt, anima, mens & ratio, conſequens eſt, ut inſeparabilia ſint; nam imago, & prototypon eodem ferè modo ſe habent. Quod ſi nihil diſcrepuerint, eſt identitas: neque eiuſmodi res imago, nec ſimulacrum vocanda eſt. Illud enim increatum, imago creata eſt: Et hoc eſt rationale, regnum animæ & pars, & mentis quidam partus, & divinum propugnaculum, & animæ peculium, & ſimul prorſus cum ea natum. Ita porrò, & cupiditas ab anima bruta admiſtæ ſunt animæ humanæ; & cum eadem quaſi in vna ſtatione collocatæ, ut una uſque ad extremum cohabitent atque permaneant. Quod quidem quando venturum ſit, ſoli Deo cognitum eſt. Et quia ſimul extiterunt, partes quidem ſunt animæ, non tamen naturaliter ipſa anima; ſiquidem anima, non eſt ira, & cupiditas, ſicut ratio, mens, & ſpiritus cognata eiuſdémque generis ſunt. Neque verò iſta duo ab anima abeſſe nequeunt: eſt enim, cum illi adſunt, eſt cùm non adſunt. Quippe donec anima in corpore perſtiterit, hæc quoque ut inſeparabilia quædam propugnacula ei adhæreſcunt, per quæ adverſariis, oppugnantibus reſiſtit, & adverſum eos his indiget, ſicut carne ad operimentum & tegumentum opus habet, quamdiu in hac vita verſatur. Vbi è corpore iſto diſceſſerit, iis de cætero

non indigebit; ſicut nec corpus exanime tegumentis eget. Nam cum tandem iudicij illius tempus aderit, duæ partes iſtæ auferentur. Cauſa huius rei, ſupra libro ſecundo explicata eſt, ibique teſtis graviſſimus adductus Gregorius Nyſſenus. Sed vnde digreſſi ſumus, eò redeamus. Duplex dicitur anima, geminis è partibus coniuncta, quarum alia ratione conſtat, alia non conſtat. Eſt inſuper triplex ſeu tripartita, & meritò propter ternionem partium, quæ ſunt ratio, ira, & cupiditas: cum ſubſtantia vna ſit & ſimplex. Nihil enim naturæ corporeæ habet, non figuram, non colorem, non profundum, non intervallum, non longum, non latum. Nulla in ea magnitudo, nulla dutities. Quod rationis eſt compos, in eo Angelos æquat. Reliquis duobus ad naturam animantium rationis expertium accedit, ira, & cupiditate nimirum, quæ in beſtiis etiam reperiuntur: ex corpore ſiquidem, & anima, commiſtione, temperationéque admirabili Deus hominem effinxit.

Anima hic duplex & triplex dicitur: poſt reſurrectionem verò nec duplex, nec triplex, ſed tantùm ſimplex, ſive intelligens futura eſt.]

CAPVT XV.

Cur anima, cùm ſit incorporea, rebus tamen corporeis ac perituris adhæreſcat. Vnde bellum intra ipſam. Quis pacificator. Quatuor virtutum cardinalium officia. Gratia Spiritus ſancti quando hominibus auxilietur.

ANIMA. Admirationem & ſtuporem commovet mihi, quomodo anima, cum ſit gemina beatis illis mentibus (vacat enim omni concretione corporea) tamen adeò rebus inanibus quæ ſenſu percipiuntur, implicetur, illarum appetitu ferveat, illis dedita & affixa ſit, & ab iſtis inferioribus ſe abripi patiatur. Non enim oportebat à materia liberam quidquam cum iis habere commune, quo materia continentur; nec corruptioni obnoxia conſectari, adeóque corrumpi à corruptione alienam, & divinam; cuius proprium eſt reſpicere, & intendere illuc omne deſiderium, unde originem ducit. CARO. Quoniam creatura, & mutabilis eſt, etiam ſpiritum mutat. Quidquid enim conditum, & compoſitum eſt, mutationi ſubjectum eſt. Immutabilitas autem eius naturæ eſt, quæ ſola naturam omnem ſupergreditur. Animam porro ſimplicem, incorpoream ſubſtantiam procreavit, eique uſum liberum rationis conceſſit, & agere, ad quod ferri incitarique ſentit. Quamobrem ut quiddam ſui iuris ac poteſtatis, etiam ſpiritum mutat. Conſtat autem, ut dicebamus, duabus, & tribus partibus, ſeu bipartita, & tripartita eſt. Pars quippe illius altera cum intelligentia coniuncta eſt, altera eadem caret, ut ſupra docuimus. Ad ſubſtantiam verò & naturam quod attinet, ſimplex eſt. Atque hinc diviſio, in qua tertia pars reperitur: præter iram nimirum, & cupiditatem ratio, partium præſtantiſſima, confuſa, & ſimilitudine ſubſtantiæ devincta cum ſempiternis, quatenus Angelorum naturæ reſpondet: ſicut reliquæ duæ partes cum natura belluarum communicant. Paria enim paribus gaudent, & cum iis congregantur.

Omne animal diligit ſibi ſimile, & homo hominem, ſi modò omnis humanitatis expers non eſt.]

Quod mentis & conſilij eſt, ſubſtantiam eiuſmodi concupiſcit, immortalémque Angelorum alimoniam eſurit. Quod ratione caret, infra poſitum, humi naſcentem, corruptibilem & fluxum planè cibum appetit. Quoniam igitur hæ partes, licet ſimul ſint, inter ſe diſcordant, & cominus congrediuntur, & bellum quoddam conflatur, animâ & corpore decertantibus viciſſimque ſe acriter prementibus & ſeditioſè exagitantibus dum illa pars ſuperna deſiderat, eáque intuetur: iſta hæc inferiora propenſiſſimè appetit, & corpus pondere ſuo terreno ad infima declinat, ſpiritus violenter ac per tyrannidem deorſum trahitur, & ad improbos affectus impellitur, unàque prolabitur.

Paulus corpus carnem vocare conſuevit, non quidem naturam ipſam corporis hac voce intelligens, ſed perverſam voluntatem. Vt cùm dicit, vos non eſtis in carne: Rom. 8. ſed in ſpiritu. *Et iterum,* qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: *Nam ipſe ille, qui hæc dicit, an non carnem indutus erat? Non ergo hac ſibi adverſari ait; ſed de improborum, bonorúmque cogitationum certamine loquitur. Etenim velle, & nolle, penes animam ſunt. Atque idcirco ait,* hæc autem ſibi invicem adverſantur: *Et ut anima, in pravis cupiditatibus ſuis procedere ne permitteret, tanquam pædagogus,* Galat. 5. *& magiſter in viam meliorem nos ducens, hæc prolocutus eſt.*]

Mens autem ut imperatrix quædam, & domina etiam perturbationum, & ut ſuprà tetigimus, divinus animæ oculus, & ornamentum, & inſtrumentum ex altera parte tutamen rationis obiicit, & tota cogitationis vi intervenit, & momenta duelli huius inſpicit: arbitriúmque, ut iudex & diſceptator æquus ac ſapiens pronuntians, cogitationes meliores à deterioribus dirimit, & illas admittens, has foras eiicit, atque ut inſpector iudicans, ſententiam fert, ſeu quid natura inſitum, ſeu præter naturam fuerit. Menti τῷ νῷ quatuor facultates annexæ ſunt, intelligentia, ingenij acrimonia, comprehenſio, ſolertia. Hæc quatuor, inquam, inde tanquam à matre prodierunt, & velut à ſtirpe pullularunt. Aſt animæ tripartitæ germina rurſum hæc ſunt. Τῷ λόγῳ, rationis prudentia, & iuſtitia, ut ſapientiſſimus magiſter Ioannes Damaſcenus ait. Cupiditatis pulcherrima ſoboles eſt temperantia. E calycibus iræ fortitudo prorumpit. Prudentia, quæ prima, & pulcherrima eſt, peculiare munus habet, ſcrutari, & pernoſcere profunda ſpiritus. Iuſtitia æqualitatem ſervare, & amicitiam, bene iudicare, bene rationes ſubducere, convenientia, utiliáque diſpenſare. Æqualitas enim ad ius pertinet, quo enim alio pertineret? Temperantis, proprium eſt caſtimoniæ ſplendor, & gaudium ſpiritus, & alia quæcunque de ea ſcribuntur. Generoſæ fortitudinis bellum contra vitia, quod gladio inſtans, eorum impetus & incurſus prætruncat. Perſpicuitatis ergo exemplum, breviſſimámque notionem ad dilucidiorem notitiam eius quod diximus ſubiungemus. Eſt animæ conſcientia, ſive lex quædam, cum legibus præceptiſque divinis conſpirans, optimorum operum cooperatrix, & adminiſtra; & iſta conſcientia eſt lex ſpiritus. Contrà lex peccati, ſive lex carnis ſeductrix, ex impreſſione dæmonum inhærens membris noſtris, & ut ignis inflammans, & æſtuantium cupiditatũ dulcitudine demulcẽs, paribus armis legi cõſcientiæ adverſatur, volentémque parere legibus domini, laceſſit, indéque ſpiritum quanquam peccati fraudulentiam indignantem, velut captivum abducit. Vt inimiciſſima autem blandimento voluptatis pugnat, atque ita peccati, quod ſervile eſt, ſervum facit. Sed divinus paracletus miſerans hoc incommodum, adverſus ſpuriam & fallacem carnis legem robur deſuper præſtantiori legi ſubminiſtrat. Lex autem carnis eſt cupiditas, irrationalis animæ pars. ANIMA. Et quomodo, & quando gratia nobis opitulatur? CARO. Cum quis amorem & timorem domini acquiſierit, & perpetuò noviſſimorum, ut ſuprà monuimus, memor fuerit. Cùm res adverſas gratias agens toleraverit. Cum ſemper oraverit, & divinitus inſpiratas ſcripturas aſſiduò ſecum pertractaverit.

* * *

CAPVT

by Google

A

CAPVT XVI.

Prima origo belli inter corpus & animam. Diaboli oppugnationes nobis accidere ſalutares. Anima quorum extra corpus recordetur. Quomodo abſque corpore Deum laudet. Quo pacto afficiantur ſpiritus beati, exuti corporibus, & ſenſus ſine ſenſibus habeant. De incremento fœlicitatis animarum in ſecundo Chriſti adventu.

ANIMA. A principio corpus & anima in ſumma tranquillitate vivebant, conveniebâtque illis naturaliter, & vigebat inter ea nulla offenſione intercedéte concordia. Vnde ergo, & quinam in tantas dimicationes inciderunt? & quæ vtrinque pugnarum iſtarum cauſæ? CARO. Ex quo tranſgreſſio hominum generi evenit, ex quo, inquam, Adamus lapſus eſt, bellum B inter hæc geritur, & ex eo, abrupto fœdere intra nos, miſere & a Deo, & ab Edem exturbatos, natum eſt, de quo ſatis multa in præcedentibus diſſeruimus. Reſtat proinde diabolus, de quo etiam dicendum, quomodo tandem hoſtis hominibus relictus ſit, permiſſu creatoris, quo iudicio, ipſe novit. Et quomodo non perierit omnino, quo nihil eſt exitioſius. Sed age, huius cauſam, ſeu rationem nunc accipe. Vita iſta ſtadium, & certamen quoddam, & lucta eſt. Si hoſtis defuerit, quo pacto laudem aſſequemur? Si certamen nullum ſit, qua ratione dux quiſpiam regi charus fortiter ſe geret? Si abſint certamina, quomodo præmia certaminum, & honores, & dona his qui legitimè certaverint, tribuentur? Si ſcandala non veniant, quomodo firmus quiſpiam & conſtans apparebit? Si quem nulla inceſſat tribulatio, quomodo gaudium nanciſcetur? Si frigida hyems non præcedat, quando æſtas effulgebit? Itaque & dæmon ad bellum contra nos exardeſcat, ut dum tyranno reſiſtimus, adverſario percuſſo victoriam referamus (mirum cùm ſit incorporeus eum vinci ab hominibus) victoréſque, ut ſtrenui bellatores, honorentur, & coronam acC cipiant immarceſſibilem, quémque ille ante caſum ſuum tenuit ſtatum, conditionémque adipiſcantur. O abyſſum benignitatis, ô divitias miſericordiæ, odium, ſtudium perdendi, petitiones ſeductoris ad utilitatem, ad gloriam ſuorum amicorum convertit, qui omnia in melius mutat. Et fit quiddam tale, quale ſi medicus quiſpiam viperis, aut aliis quibuſdam tetris, & nocentibus alioqui medicamentis ad ægrotorum curationem vteretur; quemadmodum & fraternum odium Ioſepho utilitatem maximam apportavit, & ſingularis cuiuſdam œconomiæ materia fuit, qua Deus etiam vendi permiſit iuvenem pulcherrimum, ut eum Ægypti Principem conſti- Gen 37. 41. tueret. Similiter & Satanam certaminis noſtri præſes nos oppugnare non vetat, ut trophæa de inimicis ſtatuentibus coronas gloriæ nectat. Quanto difficiliora certamina, tanto illuſtriora decora: Qu ò graviores afflictiones, eò ſplendidiores coronæ. Proportione enim merces labori perſolvitur; id quod iam ante perſpicuè docuimus. Sed pelagus clementiæ & bonitatis perpende. Labores ac tribulationes unà cum hac vita finiri, abſolvique vult, quæ anguſtis terminis circumſcribitur, D & in qua cum perpetua ſint quæ affligunt, perpauca ſunt quæ animos recreant. Quia nimirum, quidquid eſt huius generis, futuro ſæculo reſervat, per cuius ſpatia nullo unquam fine claudenda fælicitas extendetur. ANIMA. Ego porrò illud etiam atque etiam, vehementérque admiror, quomodo anima divinarum mẽtium ſimilis, hoſtium intelligentia præditorum, atque ideo natura parium inſultus prævidere nequeat. Sed in cauſa eſt carnis craſſities, quæ prohibet. Itaque ubi corpore ſoluta fuerit, tum demque prævidebit. CARO. Signiſicatum eſt præcedentibus diſputationibus, tres in cerebro facultates ineſſe, reminiſcentem, imaginantem, cogitantẽ videlicet, per quas meminit, cogitat, & videt Sed ſi fortè lædatur aliquo modo vis cerebri, ictu teli E aut gladij mortifero, hæc tria à me dicta ſimul amittit, otioſa eſt enim memoria, & phantaſia tota, otioſa item cogitatio, prudentia, cognitio, actio, motio, & operatio. Num igitur dicemus animam, cum expedita cor- Epheſ. 1. pore ad Chriſtum, Eccleſiæ caput, ut ſcriptum eſt, exceſſerit talem exceſſuram? Recordari tum poterit notorum & cognatorum, & amicorum & fratrum ſuorum, & liberorum, & parentum, ac pro iis ſimpliciter orare dominum, ſicut tertia diſputatione confirmavimus, idque nec cerebrum, nec cor, nec aliud membrum corporis habens, in quibus mens, ut in ſedibus ſuis manere, & requieſcere creditur, nec organum aliquod vocis, non linguam, non labra denique. ANIMA. Exoritur mihi ſcrupulus. Quo pacto dixiſti ante, memoriam tunc amicorum nulla oblivione deletam iri, & tamen eam citra corpus nihil poſſe? CARO. Et hoc exemplo quodam brevi declarabo. Etiam pſaltes citharœdus arte muſica temperare melos citra inſtrumentum non poteſt, nec tibicen, ſi tibias fractas habuerit. Corpus eſſe F puta organum, ſeu inſtrumentum, artificem ipſam animam. ANIMA. Ne cuncteris, néve tardes dubitationem ſolvere. CARO. Apparet te valde oblivioſam, & immemorem eſſe eorum, quæ tertia diſputatione diſſerui, & memoravi. Mens enim quamvis penitiſſimè ſola longè plurima & bona & mala operatur, & Deum, ſi modò pura ſit, & ſi voluerit, vocibus cordis intrinſecis celebrat, nec alicunde prohibetur, quantumvis anima adhuc corpori colligata. A quo exempta, id magis etiam 1. Cor. 13 magiſque facit: quando Deo præſens, ſublato iam ſpeculo clarius ipſum manifeſtiúſque contemplatur, & pro amicis ſine voce precatur, ut quæ à ſemetipſa ſemper moveatur, & incitetur. Laudes enim divinas indefeſsè cùm Angelis celebrare non dormientis, ſed vigilantis eſt. Quod eam præſtare SS. Patrum cœtus docet. Lingua, & ſermone huic vitæ, & hominibus hic viventibus inprimis opus eſt, quod quidquam vel audire, vel efferre, vel ſenſa aliorum quæſtiones, placita niſi per ſermonem ore & lingua prolatum, & cogitata per aërem medium indicantem intelligere nequeunt. Nec poteſt anima quamdiu in tabernaculo ſuo habitat, ſine inſtrumentis, & voce ſententiam ſuam enuntiare, & agere G quæ vult, & agi eſt opus; nec motu externo ad opera moveri, per quæ qualis ſit agnoſcatur. Tunc abiecta carnis mole, cum ad mundum ſupramundanum pervenerit, ad mundum intelligentem, immortalem, omnis materiæ expertem ac divinum, ut materia vacans, ut ratione utens, & ſubſtantiæ ſocia non eget horum aliquo quæcunque corporata ſunt: non cerebro ad memoriam, non corde, & viſceribus. Præſtantiorem verò aſpectum conſequitur mens (quæ cum anima nata & cum ea unum & divinum eſt) ſermonis autem vocalis tunc nullus erit vſus.

Baſilius. *Viſus corporis eſt ab oculo, viſus animæ à mente ſibi ingenita videlicet; non ita tamen, ut alterum alterius natura ſit; ſed idem eſt mens & anima. Eſt ſiquidem naturalis quædam facultas partis animæ rationalis, & non adventitia. Et oculus quidem animæ eſt mens, oculus autem mentis cognitio.*]

Aſt interioris, qui in affectu, & motu rationali eſt ut partus, & notio, & munimen rationis, ſive animæ & mentis divini aſpectus, huius inquam vſus erit. Non H eſt autem aliud ab alio, ſed idem natura, ſupernis & à Deo donatis ſplendoribus excitatum, citra vocem, & ſermones qui ſentiuntur. Sermo autem iſte noſter per enuntiationem, nec aliter profertur, ut à circumſtantibus percipiatur. Paradigma verò prius de cithara, non uſquequaque cum anima, qua rationẽ obtinet congruit. Anima enim ſeiugata eſt à materia qua cithara conſtat, Incorporeum porrò & corporeum inter ſe diverſa ſunt, & nimium quantum alterum ab altero diſtat, & vtrumque comparationem propriam ex eodem, & ad idem, ſecundùm naturam ſortitur. Cum ſenſu enim ſenſus, & intellectio cum intellectione, ut ſimile cum ſimili comparatur. Ne putes autem ſpiritus perinde affici, cùm hinc evolarint, ut hic afficiebantur. Alio modo ſe habent

bet vtique. Illic enim divinis fulgoribus illuſtrantur, [Iacob. 1.] & à patre luminum luminibus replentur, prout quiſque ad fruendum lumen eſt idoneus. Sicut enim ignis ferrum penetrat, & quanquam denſum, tamen facilè penetrat, naturámque ferri ignitam, & ignem efficit: quòd cum alioqui nigrum ſit, rubeſcit, & obſcurum fulget, & frigidum caleſcit, & inceditur, & urit: quod tangi poterat, propter ſuſceptum ignem fit intractabile; ita tu de anima, & de eius ſplendore velim ratiocineris, à quo ex divinitatis contemplatione clareſcit, potéſtque intellectuali modo videre, loqui, & audire, & ſentire lumen, & cum Angelis exultare gaudio, & eadem cum illis contemplatione perfrui, & contubernalis, & cohabitatrix iuſtorum appellari: non tamen ſecundum ſenſum corporis, ſed intelligentiam ſolam. Sunt enim hæc eiuſmodi natura ſua, ut tantum intelligant, & intelligantur, & illos quinque corporis ſenſus omnes effugiant. Mente ſola utitur, ea videt, & prævidet, viſu acutiſſimo, Angelorum proprio, divináſque & nunquam viſas pulchritudines contemplatur. Quod ſi quæ dico tibi paradoxa videntur, ad fidem confirmandam paradigma adhibebo.

Sciendum, aliud eſſe paradigma, aliud parabolam. Paradigma quidem eſt, ſi ſimile ſimili conferam, & componam: ut rationale cum rationali, & rationis expers cum rationis experte. Parabola, cum inæquale, ſeu diſſimile cum diſſimili, ut hominem cum leone, aut planta, aut alio huiuſmodi.

Si noctu per quietem videres iuvenem aliquem ſtatura eximia, formaque pulcherrimum arte inſuperabilem opere inimitabilem, ſpecie maximè invidenda, procul a patria ſua, externis, interniſque claritatibus conſpicuum, incredibili candoris nitore ornatum, capillorum, auro magis radiantium varietate diſtinctum, undique circumfuſorum luminum flammis coruſcantem; plauſus & carmina à miniſtrorum turbis ferentem, & miniſterium perpetuum, longéque iucundiſſimum. Incidiſti tum quoque in amicum valde clarum quem vidiſti nunquam, quærebas autem reperire, & videre etiam oculis, ſicut cogitationibus vidiſti. Abſentem enim ex fama tantum dilexeras, ut amicum laude dignum, & in numero ponendum. Si tibi contigerit hæc in ſomnis videre, an potes dicere, quomodo tum ad locum acceſſeris, & quomodo in lectulo iacens, & manens, & dormiens, & interno motu immobili commotus ad res illas, ut putabas, adieris, quibus tandem pedibus, qua carne totum curſum repéte celeritérque peregeris? Quibus oculis intuitus ſis faciem, quibus auribus audieris, quæ te audiſſe putas? quibus porrò labiis amicum oſculatus? quo ore, qua lingua eum allocutus? Verè mihi reſpondebis, non vidi faciem oculis corporis; quomodo enim conſopitus viderem? ſed mentis & animæ pupillis, hoc certũ eſt. Si hæc mihi reſpondeas, id dicis, quod amantem veritatis decet, & ego teſtimonium tibi feram, & aſſentiar. Tale quid de ſpiritibus & animabus concipe: has, cùm hinc emigraverint, ſenſus aſſumere ad loquendum, & videndum, & cæteros omnes. Sed aſſumere ratione quadam non corporea, dum natura quæ eſt ſupra naturam operatur in omnibus & fit omnia omnib. ſupra quam comprehendi poteſt. Non enim divinum numen eget ore, non corpore, non lingua, non aliquo alio ad communciandum ſpiritibus, & animæ cuilibet, quæ voluerit. Sed quemadmodum virtutibus adminiſtratoriis, ita his eadem largitur. Sententia enim cum ſentientibus & intelligentia cum intelligentibus, ut ſimilia cum ſimilibus conferre iuſtum eſt. Intelligentia autem cum ſentientibus è diverſo comparare nefas, propter naturarum diſcrimen ſcilicet: ſed incorporea cum incorporeis, & corpora viciſſim cum corporibus componere oportet.

Comparationes enim in his quæ eiuſdem ſunt generis, adhiberi conſueverunt: ex ſimilibus quippe ſimilia diſcuntur. Ne igitur omnia in paradigmate reſpondere poſtules, aut in typo, aut in imagine. Nec enim iam paradigma, aut typus, aut imago eſſet, ſi haberet omnia abſolutè, quæ in ipſa re verè inſunt, ſed idem prorſus]

Quæ autem ſuperis ac cœleſtibus cum his infimis terreniſque comparatio, aut convenientia? aut quæ communio menti cum his quæ apparent; aut corpori cum his, quæ corpus non ſunt? Quod ſi quis tota cum totis contulerit, non iam paradigma, ſed, ut ita dicam, identitas erit. Cùm itaque in materia vacantibus comparationem non inveniam, paradigmatis materialibus neceſſariò vtor. Quare ne reprehende, ne indigneris, cauſam enim ignorantiæ meæ prius enuntiavi. Mens intrinſecus quæ concepit, ſeu cogitata ſua profert apud ſe, idque ſemper, nec patiatur; quæ quidem foras ad alios depromi, & ab iis cognoſci non poſſunt. Nec enim poteſt etiam lingua, & ad audientes notionum & intelligentiarum ſuarum fœtum proferre. Veruntamen quomodo non poſſit, dicere non habeo prorſus. Partus enim mentis, tametſi ſermone ſint explicabiles, tamen aliquando eos ſermo exprimere nequit. Si enim poſſes edere, & in lucem efferre, tunc etiam donum aliquantum maioris cognitionis, & ab univerſorum Deo chariſma qualecunque haberet.

Gennadius. *Eſt enim cognitio, quæ ſermone explicari poteſt abſque ſermone: & eſt cognitio cum ſermone. Sunt enim multi, cognitionem quidem habentes, ſermonem nequaquam; vt idiotæ, & qui non poſſunt ſignificare ac docere perſpicuè, quæ in mente habent, & proferre, donec Deus his ſermonem impertiverit.*

Paradigma breve in hanc rem afferemus. Vt ſi quis ad homines diverſæ linguæ venerit, & tempore quantum placuerit apud eos conſumpto, voces quidem ipſas intelligat, eas tamen ore pronuntiare nequeat, nec ullo modo dialectum, ſeu peculiarem genti linguam ſua lingua verſare. Tale igitur & mihi uſu venit. Senſum ac mentem ſcriptorum optimè percipio: ſed quæ percepi, non etiam lingua depromere poſſum. Sed unde deflexumus, eò rurſus redeundum, & probatio maior ponenda in eorum gratiam, qui res animæ è teſtimoniis ſcripturarum*, & doctrina ſacra perdiſcere cupiunt. Per quæ quantum animæ valeant peſpicias. Verum age, quæ hic ſcripta ſunt audi.

Ex Cyrillo Patriarcha Alexandrino.

Rationis capax, & intelligens anima, poſt diſceſſum ex hoc corpore & vivit, & permanet, & loquitur congruenter, & operatur ſimiliter, non ſub imagine, ſed verè, & ſubſtantialiter, erga Deum habẽs fiduciam, quo iubente mittitur in hanc vitam, propter aliorum multorum commoditatem. Etenim cum ſemper moveatur, nunquam non agit. Deus vtique non eſt mortuorum, ſed vivorum, omnes enim illi vivunt. Quod ſi non operantur animæ (ut multis placet) neque etiam vivunt. Nam non operari, corporum eſt mortuorum, & immobilium. Deus ſpirituum, & omnis carnis. Deus ſpirituum, videlicet animarum. Spiritus autem mortui, & immobiles non poſſunt eſſe. Aiunt itaque tres pueri, *benedicite* [Dan. 3.] *ſpiritus & animæ iuſtorum Domino.* Quod laudant & benedicunt iuſtorum animæ, non eſt dormientium, nec otioſorũ. Et qui videt angelorũ viſionẽ, angelos videt. Et qui videt animas ſanctorũ, animas ſanctorũ videt. Et ordo in ordinem non convertetur, & quæ ſequuntur.

Locus longior eſt fortaſſis, in libris contra Iulianum: & ipſa ſcripta B Cyrilli extant, unde ſibi reliqua petere quis poterit.

Anima. Si igitur veriſſimum eſt, ut eſt planè, ani- [Coloſſ. 3.] mas bonorum in cœlum ſubvehi, in quibus locis Dei filius, ſuper throno, ad dexteram Dei patris reſidet, ut ſcriptum eſt, & miniſtratoriæ virtutes cum timore circumaſtant, ut iam antea ſecundo libro docuiſti, evehuntur autem, ut præmia coronarum accipiant, quando iudex omnium ad iudicium exercendum venerit, num tanta gloria poterit contingere quippiam iucundius? Et quænam omnino gloria hac præſtantior contingat; aut quomodo glorificetur penes quod eſt omnis gloria, & gloriam omnem ſermonémque ſuperans? Apud quem ſunt

A ſunt omnes divinæ gloriæ theſauri. Nam quod plenum eſt, externa acceſſione haud indiget. Animabus autem tantum impertitur gloriæ & claritatis, habita ratione cujuſque meritorum, ut multum etiam ſuperſit. Idem Angelis fit.

Dionyſius. *Etenim ita intelligentes Angelorum naturas novitiam adhuc aſſumere, ſempérque à gloria in gloriam, & à cognitione in cognitionem, & à charitate in charitatem proficere.*]

CARO. Nunc pars modica gloriæ illius univerſæ, aut pignus potius quoddam conceditur, unde tanquam ex ungue leonem conjicias, gloriæ, inquam, quam iuſti ſunt adepturi, quando, ut docuimus, in gloria indicaturum venerit, & corpora rediviva prodibunt, ut ſimul gloria afficiantur & maiore, & inſigniore, & gaudium ex gaudio, gloriam ex gloria percipiant, præſente iam fine ſæculi cum Dominus ad finem rebus inducendum venerit, ut dixi.

B *Pars quædam doni eſt arrhabo, & parva gutta de gratia illa. Tunc univerſa gratia doni Chriſti dabitur hominibus & triſtitia quam habent animæ peccatorum, infernalis ſupplicij pars eſt. Si ſola anima rectè feciſſet, ſolam quoque coronari oportebat. Quia autem cum corpore bona egit, cum ipſo debet præmia accipere, & gloriam in futuro*]

Joan. 20. Iſaia 9. Quando igitur Salvator exſurgens e ſepulchro, primum ad diſcipulos intus congregatos acceſſit, & pacem dedit, ut princeps pacis munus maximum divinum ſpiritum eis donavit. ANIMA. Num perfectè & integre ſpiritum acceperunt, aut quid tandem? CARO. Ne itaque cogites, néve dicas, non totum, unum autem tunc chariſma, ſolvendi ligandique hominibus peccata acceperunt. Cùm adveniſſet autem deſtinatus dies, diſcipuli gratiam totam ſpiritus acceperunt. Simile de animabus cogita, cum iudicium venerit, & iudex ſederit, ut in 3. lib. dictum eſt. Nunc etiam ſuper hoc paradigma ponendum. Et plurimi & optimi viri in regali palatio degunt, & tempore aliquanto regi ſerviunt, eum intuentur quotidie, & amant: non tamen ſtatim honorum præmia conſequuntur. ſed poſt, ut merentur, ita eis gratia refertur, & conditione, & nomine, & ordine, & omni dignitatum ſplendore cohoneſtantur. Non admodum diſſimilis eſt animarum ratio. In cœlis quidem

C perfectè habitant, creatorique aſſiſtentes, eum contemplantur & gaudent. Sed cum tandem corpus quoque in reſurrectione illa omnium communi receperint, tunc etiam gratiæ gloriam, & laborum præmia pleniſſima, coronáſque adipiſcentur.

CAPVT XVII.

Chriſtum cum latrone in paradiſum illũ terreſtrem non introiſſe, nec ullam animarum ſanctorum poſt eius reſurrectionem eò introire.

CHriſto crucifixo, & in vitam reverſo, nunc iam nobis fidelibus poſt præſentem vitam terreſtri, & ſub ſenſum cadente paradiſo non eſt opus, ingreſſu in cœlum omnibus patefacto, exultantibus ſemper apud

D ipſum, ut & nos ſimus, ubi ipſe eſt. Ait enim, *ut ubi ego*

Joan. 14. *ſum, & vos ſitis.* Quod porrò Damaſcenus ait, in ſepulchro corpore, apud inferos anima, ut Deus in paradiſo cum latrone, & quæ ſequuntur, ad opinionem confirmandam mihi valet. Etenim in his omnibus Chriſtum eſſe dicit, ſed deitate ſola, qua implet omnia. Noſtræ autem carnis maſſa plenè ſubſiſtens, in cœlum aſcendit, & viam nobis eodem aperuit denuo, ut ſecundum divinum promiſſum, ubi Chriſtus ipſe eſt, &

2. Cor. 12. nos ſimus. Ait enim, *quò ego vado vos ſcitis, & viam ſcitis, ut ubi ego ſum, & vos ſitis.* In hunc enim raptus Paulus, & ingreſſus, audivit arcana verba. In paradiſũ, quem tu iuxta aſſirmationẽ divinarum litterarũ cognitione non aſſequeris. Sed Paulum mihi de hoc ad Corinthios ita diſſerentem conſidera: *ſcio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, quoniam raptus eſt in paradi-*

E *ſum, & audivit arcana verba.* Hunc paradiſum & magnũ Baſilium adeptum ſcito, ſuper cœlum cœlorũ, ubi ſedet filius patris. De hoc autem, & non de terreſtri paradiſo verba fieri confirmat ipſe Paulus, per ea quæ ſubjiciuntur. Poſt quam enim dixit: *ſcio hominem uſque ad tertium cœlorum raptum*, adiungit hæc, *& ſcio huiuſmodi hominem, quoniam raptus eſt in paradiſum.* Quin etiam ſignificat, ſe tertio cœlo penetrato adhuc in magnam ſublimitatem raptum eſſe, in qua eſt ipſe Deus. Hic eſt paradiſus, in quem raptus eſt Paulus in quem Gregorius, & magnus cum aliis ingreſſus eſt Baſilius, in infinita, & divina, & æterna bona illa, quæ oculus affectionum malarum cœno turbidus non vidit, auris incredulitate obdurata non audivit, & in cor ſordidum, quódque ex parte terrena iſta deguſtavit, non aſcenderunt. Totam tractationem diſſerendo abſolvi, ac pro eo ut mihi quoque ſcientiam dedit, qui ſcientiam docet, quæſtiones propoſui, propoſitáſque abſolvi.

F

CAPVT XVIII.

Rerum quarto libro pertractatarum anacephalæoſis.

DOcui quarto libro, quomodo ſemel quidem Deus mentes in cœlo produxerit, & quomodo infra omni hoc tempore operetur. Quomodo omnium hominum animæ æquales ſint inter ſe, eiuſdémque ſubſtantiæ. Conditorem non formaſſe ab initio hunc quidem ſapientem, illum inſipientem, nec alium pudicum, alium ſcortatorem. Hominibus diverſas eſſe voces ac pronunciationem. Quibus Deus bene velit, eorum voluntates ad bonas partes à deterioribus converti; præſertim ubi illorum quoque ſtadium acceſſerit. Quomodo & unde vitia corporum exiſtant, cum quibus naſcuntur, & quænam rei cauſa. Quomodo inexplebili præditus invidia Satan cogitationes malas in corde ſeminet; qua ratione nos eas, ſi velimus, radicitus extirpemus. Quomodo homines Deo connivente oppugnet. Quando animæ poſt hanc vitam amicorum, propinquorúmque reminiſcantur, ac demum pro ipſis precentur, quamquam ſolæ, & à corporibus ſeparatæ. Quomodo ſpiritus omnino vacui non ſint, ſed operentur potius, ut demonſtravimus; etſi hoc ſolo præmio careant (beatitudine corporis) præclarorum laborum ſuorum, licet modò cum Chriſto vivant.

G

CAPVT XIX.

Non ſua, ſed aliena voluntate, & auctoritate: ad ſcribendum ſe acceſſiſſe: Omnes actiones noſtras à Deo pendere. Libri utrinſque teſtamenti. Diverſa ſcripta SS. Patrum. Quomodo ſcriptoribus divino auxilio ſit opus. Unde profecerit. Nonnullorum ex medicis ſumptorum ſumma.

CÆterum, Patres in Chriſto, fratres & amici, nemo eorum, qui illuminet hunc evoluerint, me oſtentationis cauſa hæc ſcripſiſſe putet, ut inanis gloriæ cupidum, & ſua opinione ſapientem, & arrogantia, morbo peſſimo, laborantem, & propterea fruſtra hunc librum confeciſſe. Non ſpontè mea huc proſilui, ſed à ſpiritua-

H li viro Callinico nomine, in montibus Moglenorum habitante, mihi cómiſſum munus ſuſcepi. Patrum igitur hortationibus, & præceptis cedens, opus hoc pro viribus compoſui, nihil ferè è cerebro meo, verum quæ hinc inde collegi & corrogavi, hoc volumine ſum complexus, figura orationis in metri faciem cómutata, quod à doctis politicum vocatur, tametſi ſimplex, barbarum & ſolœcum inſuper, ut ab indocto & planè imperito 1. Cor. 2.

ſermone artificioſo, ſed non ſcientia, compoſitum.

Iſidorus. *Veritas ſapiens quiddam eſt, maximè ſi ſimplex & brevis eſt: contra ſtultum eſt, quod varietate diſtinctum eſt, quamvis dicendi vi, & elegantia ornatum videatur.*]

Nemo

Nemo igitur me irrideat, neve naſo ſuſpendat. Nam cùm obtemperare & cedere ſtatuiſſem eſſe optimum, venerabilium virorum auctoritati me ſubmiſi, ſciens penitus damnari inobedientiam. Obedientia vita, inobedientia mors eſt. Quod ſi quis mordax & convitiator inceſſere me vult, & probrum mihi inurere, ut faſtuoſus, ut arrogans, & dicax, dicat & faciat quod lubet.

Chryſoſt. *Quid enim nocumenti ſermonis imperitia afferat? Quid contra utilitatis verborum feſtivitas, ſi ſententia ipſa divinis ſenſibus careat? Vt gladius enim, ſi anſam habeat argenteam ferrum autem ipſum plumbo flexibilius, nihil prodeſt. Nam orationis, compoſitio, & diſtinctio à ſtudioſis elegantiarum, & plauſuum captatoribus, ornamentis iſtis veluti transformata, quodammodo corrumpit, quod propoſitum eſt ad conſiderandum, latenter notitiam ſuffurans, & in rei ſubiecta intelligentia lectoribus obſtans.*]

Ego ſanè, ut volui, pro ea qua ſum eruditionis mediocritate, & in primis Deo adiuvante hoc opus abſolui. Sap. 7. Psal 93. Ephes. 6. Iacob. 1. Sapientiæ enim ſuppeditator, & inſipientum emendator, qui docet hominem prudentiam & ſcientiam; qui dat virtutem ſermonis in apertitione oris, & verbum præbet prædicantibus in virtute, ut liber pſalmorum in ſpiritu docet, ipſe etiam hoc ſeu abiectum, ſeu magnum, inſpiravit.

Pſellus. *Splendens enim pulchritudo verborum, & tuba inſonans auribus eaſque concutiens, & iis oberrans, non fluens autem in animam, neque cor deliniens, qualis mentibus Dei amantibus in atticiſmo utilitas? Divinæ quidem ſapientiæ dictio humilis, ſententia ſublimis ac cæleſtis. Externorum nitet quidem elocutio, ſententia ipſa humi repit.*]

Niſi enim donum deſurſum deſcenderet, ſine plaſte, quid plaſma faceret? Quam enim quis intelligentiam, ut donum à conditore habuit, illa ipſa viciſſim ab eo tandem repetetur. Ligo enim, falx, raſtrum, ſerra, dolabra, terebra, gladius, haſta, & quidquid vitæ humanæ inſervit, unumquodque horum omnium ad opus eſt inventum, non tamen ullum prorſus per ſe motum habet: ſed alius aliud invenit, ut per id poſſet quod liberet efficere. Velle autem, & poſſe à Deo accepit, extra quem nemo quidquam poteſt, non agere, non velle, non paruum, non magnum denique: ſicut nullum iſtorum inſtrumentorum quippiam ipſum à ſe, & per ſe motum, facere, nec ſponte ad opus cieri poteſt, ſi artifex, & manus artificis, quæ moto ad operis alicuius uſum utatur, non affuerit. Nec ullo modo abſque divina ope quiſpiam vel agat, vel cogitet, vel loquatur. Deus enim condidit, Deus idem vitam largitur. Ab illo poſſe, & ſpirare, & velle ſumitur. Et quomodo citra potentiam ſuſtinentis omnia, & ſcientiam, & manus mihi & pedes impertientis, ipſe per me quidquam intelligere & agere divina deſuper poteſtate adverſante poſſem? Exemplo res clarior fiet. Ferrarij, quorum opus in ferro eſt, ferrum tractant atque ad largitorem ferri, & opificem omnium reſpiciunt. In maſſam autem primum coactum ferrum, ad varios uſus poteſt accommodari. Emit enim huiuſcemodi maſſas faber ferrarius, aut ſerarius, & quicunque mechanichus voluerit, eoque ad ſuum opus & negotium utitur. Fabricantur enim aſcias, falces, ſcalpra, rhomphæas, pugiones, gladios, machæras armorum omne genus, quibus ad vitæ uſum & commoditatem omnes egemus. Sed alius ut probatus ferrum emollit ac domat, ac fabricam ſuam artificioſè exercet, & quidquid operis efficitur, id omne ſpectantibus admirationem movet, ut elegans, utile, & laudabile videlicet. Qui autem artis eſt rudis, aut eam malè didicit, non ſolùm ſecundùm artem non fabricare, & opera de induſtria, & ut ratio poſtulat conficere nequit: ſed ferrum quoque fruſtra conſumit. Item de ſcriptura, & arte ſcripturæ ſimilia cogita. Spiritus ſanctus Prophetas purgavit, erudivit, gratia, & cognitione implevit. Etiam illiteratos ſapientiam docuit. Ita per gratiam docefacti & purgati, & ſpiritu corroborati, ſermones divinos ediderunt, & libros omnes, numero ſexaginta compoſuerunt. Sex & quadraginta teſtamenti veteris. Septem & viginti teſtamenti novi & recentioris, eoſque per orbem terrarum latè diſſeminarunt, quem etiam gratiam Dei publicando peragrarunt. Poſtea verò Patres complures humana ac divina ſapientia inſtructi, & ſacrarum rerum ſcientiſſimi, libris hiſce velut fundamentis quibuſdam nixi, cum martyribus ſuperædificarunt, & primævæ doctrinæ ex omni parte adhærentes, ſcriptis ſuis Eccleſiam mirum in modum exornarunt. Alius enim Odas compoſuit. Alius cantica quos εἱρμοὺς vocant. Alius verſus. Alius lepida στιχηρὰ triodia, troparia, προσόμοια, canonas, ἀναβαθμοὺς, καθίσματα, contacia. Alius ſpiritualium modulos Pſalmorum. Alij profunda ſpiritus, & Eccleſiæ dogmata tractaverunt. Alij de Incarnatione Verbi diſputantes, omnium blaſphemorum, perverſeque opinantium ora obſtruxerunt. Alius eloquentia excellentiſſimus. Alius diſputator acerrimus. Alius commentarios reliquit de anima, & eius tabernaculo, de pulchritudine virtutis, & de turpitudine vitiorum, ad commodum & utilitatem literas conſectantium. Cui igitur, ut dicebam, facultas orationis conceſſa eſt, hic etiam ex arte libros poteſt componere: quod idem imperitus & barbarus barbarè præſtabit. Sed quemadmodum faber ferrarius maſſas ferri tractat, materiam informem paratam, futuriſque laboribus ferrariis obviam habens, laborat autem in ea ut vult, & adhibito igne in formam quam voluntas fert redigit (nec enim citra ignem fabricabit, licet arte malleatoribus univerſis antecellat) ita divinam ſcripturam ſe penitus habere exiſtima. Apoſtoli prædicant, Prophetæ prænuntiant. Scriptor eorum dictis & locis utens, ſi non etiam Dei gratiam ſe adiuvantem habeat, nihil rectè intelligere, nec rectè diſſerere poterit. Fabro auxilium ignis, ſcriptori gratia divina præſtat. Citra hæc auxilia quæ in manibus ſunt, opera conficere neuter poteſt. Si enim alter alterum horum non aſſumpſerit, eius opus iniucundum, inutile, vitioſum evadet, incautiſque & ſimplicibus plurimùm incommodabitur. Quocirca monui, & rurſum nunc moneo, me in hunc librum nihil à ſcriptura alienum inſeruiſſe, ſed alia ex veteri, alia ex novo teſtamento, alia ex utroque hauſiſſe, alia è magiſtris & doctoribus ſacris excerpſiſſe, quæcunque nimirum ad inſtitutam ſcriptionem profutura cenſui. Plura autem & meliora è Gregorio Nyſſeno. Qui ergo hunc commentarium perlecturus eſt, ſi quid in eo novum invenerit, id gratiæ Dei adſcribat. Si enim eſt induſtrius ad diſcendum, aliquid novi, & unde hoc, & è qua ſcriptura ſumptum, cognoſcet. Quod ſi quis rudis & iners fuerit, ne unquam impoſſibilia tentare velit. Ex alienis item à fide Chriſtiana, & veteribus illis ſapientibus Galeno, & Hippocrate phyſica nonnulla opportunè mutuati ſumus, ubi potiſſimùm de materia, & de elementis, ſimplicibus quatuor & primis corporibus diſſerunt, & quomodo ex his quatuor humorum genera, ſanguis, phlegma, atra & flava bilis generentur, ex quibus humana corpora coagmentata ſunt, & de quatuor ætatibus totidemque anni temporibus quæ ſunt, ver, autumnus, æſtas, hyems. De utero quoque & craſibus infantium in eo fieri ſolitis egimus. Inſuper unde ſymptomata, & pathemata illa probroſa exiſterent, cauſam phyſicam accuratè indagavimus, ac de temperationibus qualitatum, earumque rationibus, morum ac temporum viciſſitudinibus, & qualis cauſa unumquodque antecederet, hæc omnia, inquam, libro quarto expoſuimus. Quod ſi in quibuſdam à decoro aberravi, id imperitiæ & inſcitiæ meæ tribuatur. Et omnes oratos volo, ut mihi ignoſcant, & peccata in hac ſcriptione commiſſa condonent: attendentes ad ſcopum mihi propoſitum præcipuè, non ad ea quæ vel riſum mereantur, ſi modò animarum ſuarum fructum concupiſcant.

CAPVT XX.

Flebilis lamentatio, & querimonia adverſus animam Multa de mundi vanitatibus. De extremo iudicio & ultima vitæ hora. De cæleſti paradiſo & inferis, conſiderationes tropicæ.

A QVID ita ſedes? quid omni cura vacas? quid temet ita negligis anima mea? quomodo eorum quæ inſipienter egiſti, cogitationem omnem abieciſti? quomodo amabilis pœnitentiæ rationem nullam habuiſti? Quomodo non properas quantum potes, quamdiu in hac vita manes, ad patres ſpirituales, & divinos magiſtros; eoſque oras, obſecras, obteſtaris aſſiduè, & cum gemitibus atque lacrymis percunctaris, B quo pacto delictorum remiſſionem poſſis invenite, & qua ratione tot tantaſque ſordes eluas? Quomodo horæ ultimæ tibi in mentem non venit, & quemadmodum iudici omnium reſpondeas? Quomodo oblita es ſtudioſè meminiſſe noviſſimorum tuorum, & quo pacto tandem ex hoc tabernaculo abeundum ſit? Multa, & nimium multa habes, quæ in te obſerves, & inſpicias. Polluiſti, contaminaſti, & inutilem vitam tuam reddidiſti. Si igitur creatoris iuſſu venerint angeli, ut te ab hiſce perituris educant, & corpore exſolvant, heu, væ tibi infelix, ſi tum talis reperiare, qualis nunc es, adeo nihil ſollicita, adeo vitiis dedita, adeo piaculis obruta. Gravis eſt abruptio animæ, gravis tunc ſentietur tumultus: multò gravius erit audire acerbos illos gemitus, quando lectulum tuum circumſtantes omnes tui fratres, cognati, patres, contribules, flebunt, eiulabunt, lugebunt, lamentabuntur, cernentes hinc nulla ſpe reditus diſcedendum eſſe. C Et omnia hæc videbis quidem, & ploratus audies, oculis corporis, & cordis fortaſſe. Non tamen lingua areſacta loqui, nec familiarium, & neceſſariorum luctum conſolari poteris: ſed obtutum in ſolis angelis defixum habebis, & apud animum tuum plorabis, & ſuppliciter eos orabis; in hæc verba. Date mihi ſpatium ad pœnitendum, & ad lamentandas atque abluendas peccatorum meorum maculas. Concedite mihi, obſecro, vel tantillum tempus utinam ego vitam in Chriſto vivere queam, & miſerias noſtras miſerantem magis miſerantem efficiam. Et tunc me ab his caducis auferte, atque abducite. Illi durè quidem, iuſtè tamen reſpondebunt. Tempus vitæ tuæ cunſummatum eſt; egredere, iudex decrevit, finis finem habet. Neceſſe eſt te tranſire: ne cuncteris, ne pigteris. Ætatem tuam in omni remiſſione, ſocordiaque contriviſti. Vitam prodegiſti, annos tuos fruſtrà abſumpſiſti. Non es recordata finis tui, non horæ ultimæ. Et nunc, ut ais, te horum, & vix etiam, pœnitet. An non quotidie patres clamantes audiebas, D qualia & quanta poſt mortem evenirent? Non videbas, quotidie hinc emigrantes, adultos, adoleſcentes, ætate florentes, omnes denique? Et quomodo mentem non mutaſti? quomodo recordata non es? Vadamus curſim abeamus, nulla datur procraſtinatio. Citò ſequere, perge ad creatorem.

Tum carnis huius, & membrorum & venarum, omniumque compagum nexibus violenter exſolveris, ac ſummo cum horrore abduceris. Quis tunc erit ſenſus tuus? quæ cogitatio? Non tunc uxoris, non filiorum ulla ſubibit memoria, cum perierint, ut dicit Pſ. 145. ſcriptura, & cogitationes totæ. Iudicium ſolum horrebis, iudicium tremendum, quod contra te à iudice proferetur. Vbinam tunc poſſeſſiones, ubi pecuniæ, & divitiæ, ubi genus, ubi fratres, ubi filij, & patres? Nemo tunc patronus, prorſus nemo liberator apparebit. Non illic eſcarum potionumque varietas: non exquiſita condimenta, non coci, menſarumque luxus, non voluptates, non vita mollis & E ſoluta, otioſa & delicata: non elaboratiores cantus, & choros ducentium plauſus, per quæ omnia mundi huius vanitates exercemus. Omnia mera ſunt ludibria, & ut ſomnium evaneſcunt, atque inſtar pulveris à turbine repente diſſipantur. Quid tum profuerit tibi corpus? quid amor & cura carnis? Quam etſi ſtudio ſingulari confoveris, nihilominus in ſepulchro putreſcet, & corrumpetur, & in pulverem nihil ſentientem redigetur, te verò dolor non deſeret. Impudicè aſpexiſti, coloris ſuavitate captus es. Lingua, & os tuum contumeliis vacarunt; aurium feneſtræ impuris auditionibus patuerunt. Manus tuæ ad vim & rapinam, ad proximumque ſine cauſa pulſandum extentæ fuerunt. Pedes tui ad opera nefaria, ad inhoneſta ſpectacula, ad pugnas, & nequitias cucurrerunt. Nunc te quidem premit lachrymarum plena neceſſitas, & corpus putrefactum vermibus ſcatet.

F Quis vel ſermo exprimet, vel intellectus tandem capiet, quam calamitatem neceſſariò ſubituru es, quando inſtabit à corpore ſeparatio? Dæmones malè feriati cum tumultu advenient, chirographa & peccatorum acervos apportantes. Angeli humaniter ea per trutinam examinabunt, quibus dæmones graviora tua crimina adiicient. Si iraſti, ſi furtum feciſti, ſi calumniam ſtruxiſti, ſi ſcortationes & adulteria perpetraſti, ſi averſus impudicus fuiſti, ſi te ſupra fratres extuliſti, ſi contra amicos mentitus es. Totum denique, & ſimpliciter peccatorum tuorum catalogum ſeu ſciens, ſeu neſciens, ſeu ſentiens, ſeu non ſentiens illa commiſeris. In humeris geſtabunt, & apportabunt omnia maleficè, feſtinabuntque, ut hominum exitio lætantes, & num peccatorum lanx deorſum vergat, obſervabunt. Boni verò angeli in alteram lucem decenti ſpecie bonas actiones imponent. Nempe ſi miſericors fuiſti, ſi fratribus peperciſti; ſi cibo eſurientem refeciſti; ſi ſitienti potum præbuiſti: ſi nudum quibus potuiſti tegumentis operuiſti: ſi carceri mandatos G & ægrotos inviſiſti; ſi peregrinos & hoſpitio carentes in ædes tuas induxiſti: ſi pauperibus & egentibus opem attuliſti: ſi aliud humanitatis officium humaniter cuipiam præſtitiſti. Hæc te in hora extrema tuebuntur. Quando igitur actiones tuas in medium protulerint, profanas quidem dæmones, angeli autem bonas, lucidi lucidas, tenebroſi tenebrarum, & iis lances oneraverint, utrorum pars præponderaverit, illos voluptas & gaudium inceſſet, tanquam victores ſcilicet, & victi contriſtabuntur vehementiſſimè, ut teſtantur Gregorius Romanus in dialogis, magnuſque & omnimodis magnus, & divinus Antonius, magiſtrorum reverendiſſimus, & ſanctorum decus.

Si igitur benignus, & miſericos Deus tunc, ô anima, humilitatem tuam viderit, vincentur dæmones, erubeſcent, abſcedent, angelique victores libentiſſimè te accipient, & gaudentes, pro more in ſedes æthereas inferent. Invenies & principes publicanorum in medio, tentantes, retrahentes, acerbè exigentes, manife- H ſtorum, occultorumque & omnium ultores. Hi ſunt ſuperbi mores, odium, invidia. Rationem repoſcent miſeri, & ad calculos vocabunt omnia, idque donec ad portas cœli perveneris. Poſtquam turbam horum adverſariorum effugeris, & ad incorruptum iudicem Dominumque tuum acceſſeris, procidens, legitimè illum adorabis. Inde divino accedente mandato, poſtquam & voluptatem, & cruciatus cognoveris, acceptam te adducent, & videbis quæ videbis, locum ſplendidiſſimum, ordines ſanctorum, Abraham, Iſaac & Iacob, ſedentes in gloria omnes, Patres, & ante legem & poſt legem, & quotquot Prophetæ Salvatorem prænuntiarunt, incarnationem videlicet eius, mortem & cruciatus, & quæcumque plaſmatis ſui ſalvandi cauſa ſuſtinuit. Verbi ſpectatores, agmina Patrum, ob certamina coronatorum, venerabilium, iuſtorum, & ſanctorum. Ante omnes genetricem Verbi θεανθρώπω, Gaudium illud ineffabile & inexplicabile quantum ſit, nec dici, nec intellectu vel humano, vel angelico cõprehendi poteſt.

poteſt. Poſtquam manſiones illas omnes pertranſiveris, exultabis, voluptatem iuſtorum intuens, & eorum contubernalis appellari deſiderabis, precaberiſque duces angelos, omnia tibi commonſtrantes, & per loca lucida, & viridantia, & fælicitatibus ſcatentia circumducentes, & timore lætitiæ mixto dices: Sinite me, domini, cum his manere, ſinite quæſo, & gratiam pro gratia debebo. Aſt illi iuxta mandatum Verbi, & Salvatoris, ſi idonea, & pura, & digna fueris, conſortem & contubernalem te iuſtorum facient, & quod tibi confirmare poſſum, cum illis deges, & lætaberis. Et hæc quidem ſi meliora pondere vicerint. Si autem gravitas delictorum lancem deorſum traxerit, tum principes tenebrarum, & bonis invidentes impudenter te abripient, & audacter ad inferos abſtrahent. Ac primum quidem tormentorum loca, tenebras exteriores, & peiores omnibus tenebris, vermem irrequietum, dolorem nunquam finiendum, fluvium igneum, ſupplicium gehennæ, ſtrepitum, ſtridoremque dentium oſtendent. Omnia plena ululatus, plena cruciatus.

Quæ oratio, quæ dicendi facultas declarare poterit, quæ ad ſupplicia peccatorum pertinent, quæque ad pœnas & afflictiones eorum parata ſunt? Ibi ploratus ſempiternus, ibi ingens lamentatio. Lamentabuntur in caſſum, vociferabuntur inutiliter. Pereat dies, clamabunt, qua in vitam fruſtra ingreſſi ſumus. Pœnitudine capieris tu quoque, & acerbe clamabis, heu heu miſera & infelix anima mea.

Vbi fœlicitatem, & cruciamenta ſuppliciorum, & omnia quæ ſunt luminis, & quæ tenebrarum videris, tandem in loco à iuſto iudice tibi definito te conſtituent, in quo ultimum omnium examen, & communem omnium reſurrectionem, vitamque & iudicium exſpectabis. Tunc tuba clariſſime canet, ut exaudiatur ab omnibus, tuba inſonabit, & omnes veluti concuſſi ſimul reſurgent. Reddent terra & mare quidquid habent, quotquot iam inde ab orbe condito homines acceperunt, ſeu leo illos devoravit, ſeu pardalis, ſeu cetus, ſeu draco, ſeu lupus, ſeu canis, ſeu aliud marinum, terreſtreve animal. Quivis homo reviviſcet, domini & famuli, nobiles, honorati, omnes dynaſtæ & principes, Toparchæ & Phylarchæ, monachi & iuſti, convenæ & peccatores.

Quis verbis conſequatur, quæ tunc erit omnium rerum turbatio? Quæ oratio, quæ cogitatio, quæ lingua, quæ mens? non fundet lumen ſol, non lucebit luna, ſtellæ de cœlo cadent. Terra & cœlum in melius mutabuntur. Magniloquus Iſaias, inſtaurationem creaturæ prævidens in poſterum, novum cœlum, & terram novam, omnem decorem, qualis omnium primus erat, reſtitutum iri vaticinatur, abiectis purgatiſque ſordibus & maculis univerſis: & omnia quæ intra polum, & terræ centrum ſunt, nutu & voluntate domini novitatem induent. Sceptrum regium, nempe crux, poſtea ut in pompa triumphabit, oſtentata in ſublimi, ut Matthæus ſcribit, intellectualibus ordinibus angelorum, archangelorum, principatuum, poteſtatum, virtutum, dominationum, thronorum, Cherubinorum, Seraphinorum conſpicuè præcedentibus: & venientem in gloria Chriſtum præcurrentibus in locum, in quo ad iudicium exercendum conſedere ſtatuerit. Poſitis itaque thronis, & paratis libris, iudex & dominus gloriæ ſedebit iuſte iudicaturus ſimul vivos & mortuos. Reges adducentur, dynaſtæ congregabuntur. Pauperes & divites cum tremore aſtabunt, agentibus rapientibuſque angelis, ut rationem factorum reddant, & operibus precium condignum accipiant. Libri aperientur, & exhibebuntur omnia. Ibi tum conſiſtentium hominum ſeparatio inducetur, cum oves, ut fructiferæ, à dextris, hœdi autem, & omnes infrugiferi & inutiles ſervi atque creaturæ, ut ego, ad ſiniſtram collocabuntur. Nudi porro & manifeſti palam ſtatuentur, lamentantes, ſed inaniter: clamantes, ſed fruſtra. Audient oves vocem benedictam: *venite amici, accipite regnum, quod vobis paratum eſt ante conſtitutionem mundi.* Eſurientem enim ac ſitientem me, nudum, ægrum, ſedentem in carcere, advenam, & hoſpitem hoſpitio cibo & tegumento dignati eſtis. Et hæc quidem oves. Aſt hœdis, quam ſæva, & dura, & intoleranda omnimodis dicentur? *Abite à me* procul, longe, *maledicti, in ignem exteriorem, qui praparatus eſt diabolo & angelis eius*, & omnibus qui ſervierunt operibus infructuoſis, & poſt voluntates ſuas ambulaverunt, qui male à Deo averſi ſunt, & ſermones meos, & mandata mea aſpernarentur, & omnia bapciſmi fœdera diſſolverent; omnia promittentibus & mihi tamen mentientibus, Satan autem malevolo, & quæ ſunt Satanæ adhærentibus. Ite igitur ad patrem veſtrum: Quod ſi poſſint emori, ruſumque reſurgere, tam horribili verbo expirarent omnes, tam acerbum arbitrium non ſuſtinentes.

Anima mea atra, miſerrima, ſtulta, væ tibi propter damnationem, væ propter iudicium. Convertes te crebrius, huc illuc reſpiciens; ſed propugnatorem & defenſorem nullum propter opera, cogitationes & conſcientiam invenies, quæ tunc aderunt, & teſtimonium contra te ferent, & recta in ignem & flammam te deducent, ubi cruciatus inenarrabilis, afflictio immenſa, pœna intoleranda, negotium omni patientia maius. Tempus animadverſionis finem nullum habet. Avellentur ab amicis & familiaribus, à filiis, & uxoribus, à cognatis amantiſſimis. Epiſcopi ſecernentur à coepiſcopis. Sacrifici, & preſbyteri à dignitatis ſuæ ſocijs. Et hæc quidem intolerabilia in ſiniſtra parte fient.

Qui autem cum ovibus à dextris ſtabunt, lætantes ad ſortem ſuam abibunt. Locus hic eſt gaudij, & viriditas. Edem. Non tamen locus Edem, in quo Adam eſt formatus. Sed paradiſus ipſiſſimus, in quem raptus eſt Paulus, & in hunc multitudines iuſtorum recipientur, Adam, Abel, Seth, Enoch, qui prius Domino ex operibus placuerunt. Abraham hoſpitalis, Loth, reliqui, Moyſes, Aaron, cœtus Prophetarum, & magis qui ſub gratia fuerunt, & ſpectatores Verbi Apoſtoli, catervæ & legiones Patrum ac Martyrum, Dei genitrix Maria, qui à gratia appellatur, Ioannes Præcurſor. Omnes viritim, & ſecundum faciem inter ſe noſcent, habitabuntque cum conditore omnium. Quotquot autem fuerint partis hœdorum, præter carcerem illum tartareum quem ſuſtinebunt, etiam non videbunt, nec agnoſcent mutuum. Vbi enim tenebræ ſunt, illic oculi officio ſuo non funguntur. Quomodo igitur inter ſe videre & agnoſcere queant? Commune autem malum erit, carcere concluſum teneri, lamentari propter cruciatus, lugere & ingemiſcere. Non enim datur ſuperas evadere ad auras, nec ullum tantorum malorum effugium patet.

Reſipiſce, reſurge: qui ita perpetuo dormis? Evigila, cogitationem ſeriam ſuſcipe, rem aggredere, ignaviam abiice, expergiſcere & feſtina ſomnum excute, pigritiam depone, quæ feciſti, ab initio uſque ad finem confitere, pectus percute, plora, ex imò pectore clamorem tolle, eleemoſynam pauperibus diſtribue, diſperti, ale illos. Nuntium mitte peccatis, operare bona, exitum vitæ ſemper expecta. Mors ſupervenit ſicut leo rapax, inſpirata, improviſa, non exſpectata, ut fur, & timendum ne te comprehenſum, ſubito auferat. Dimitte debitoribus tuis debitum. Proximo ignoſce, ut lex charitatis requirit. Proſterne te Deiparæ, ſupplica quantum poteſt. Vt mater, plurimum poteſt, ſi velit. Ora & martyres, ora ſanctos, ut apud Dominum cauſam tuam agant. Si hæc te agente mors venerit, noli timere. Mors, ſi mens pura fuerit, requies erit, & ſervanti ſermones eius, verè non mors, non pœna contingit, ut Iudæos docuit ipſe Dominus: ſed eſt potius quidam tranſitus ad vitam cœleſtem, cuius finis nullus erit, & gloria non intercidet. Vita eſt Chriſtus, & ipſemet vitæ ſuppeditator. En,

A omnia tibi propoſui, omnia ediſſerui, & inſuper conſcripſi, ſicut potui, & bonorum malorumque te admonui, ut te, quod ad ſalutem attinet, nullo prætextu excuſare poſſis.

Vos autem omnes in Chriſto Patres & amici, qui hoc opuſculum lecturi eſtis, flete & plorate mecum, ſecundum mandatum creatoris, charitas enim manifeſta eſt, flere cum flentibus, & gaudere, ut ſcriptum eſt, cum gaudentibus. Etiam rogo, mecum flete, & pro me ac peccatis meis conditori preces fundite. Inde enim veniam mihi & remiſſionem conciliabitis ab eo qui lapſis perfecte ignoſcit. Et manum mihi & auxilium præbete. Plaſten exacerbavi, creatorem irritavi, verbis, cogitatis, actionibus & factis. Affectibus ſervivi, & ſubmiſi me penitus. Indutus ſum viles pannos ad dedecus meum tantum. Voluptatibus affixus ſum, in immunditiis hæreo, pœnitentiam non habeo, mortem non tremo, ſtupor me oppreſſit, cæcus ſum animo, horæ ultimæ non memini. Imparatus ſum. Segnities me obſidet. Exſcindi, metuo, maledictum, & minas ignis, & ultionem in inferno conſternatus formido. (Rom. 12.) B

Sed pater miſerationum, ſolus miſericors, qui nunquam vis mortem peccatoris, ſed ut pœnitentiam agat, & vivat, & ſalvetur, atque iſtuc in longanimitate exſpectas, gemitum boni publicani mihi dona. Lachrymas Petri, & meretricis ad purganda & eluenda plurima inquinamenta mea mihi largire. Dixiſti enim, non ſanos, ſed ægros indigere medicina. Vt igitur corpore & anima ægrotum, viſita me Domine, obſecro, & rore miſericordiæ tuæ me aſperge. Sane qui ſolus facile reconciliaris, & ſolus es miſericors, per miſericordiam tuam digneris me miſericordia. Ego ſum illa ovis quæ à divino ovili longe aberravit. Quære & ſalva. Seu velim ſalva, ſeu non velim, ut cum magnitudinem beneficientiæ tuæ videro, os meum ad gratiarum actionem aperiam. Quid autem retribuat quis conditori pro omnibus, quæ retribuit nobis? David magnus ait. Sed Deus meus es tu, Domine, glorificabo te vehementer, & nomen ſanctum tuum cum Propheta laudabo: mirabilia enim & plurima in me es operatus. (Exec. 16. Matt. 9. C Ps. 115. Ps. 114.)

Finis Dioptræ.

R. P. IACOBI GRETSERI, SOCIETATIS IESV,

NOTÆ IN DIOPTRAM, Philippi Solitarij.

D QVID ſit διόπτρα habes in præfatione. Suidas ita deſcribit. διόπτρα μηχανικὸν τεχνούργημα δι' οὗ τὰ μεγέθη ἀπηχέσθαι τῶν ἀπὸ τῶν ἐπάλξεων ἐν διαστήματι, ἀλλὰ ἀπομετρῶν, ποίως, ταῦτα ... διόπτρας βλέπειν.

Citatur in Turcogræcia fol. 198. liber *Dioptra* inſcriptus, verſibus politicis conſtans, animæque & corporis diſputationem continens, *cur ad moriendum ſe non præparent*. Initium eius fertur hoc.

Πῶς κάθη, πῶς ἀμεριμνεῖς, πῶς ἀμελεῖς, ψυχή μου.
Ὁ χρόνος σου πεπλήρωται, ἐξῆλθε τῆς πορείας.
Ποῦ τὰ πολλὰ σου κάλλη; ...
Ποῦ τῶν αὐλῶν τὰ θέλγητρα, τὰ τέρπνα καὶ λύρας;
Ποῦ ἡ χαρὰ ἡ ... τῆς ζωῆς ἡ ματαία;
Ὡς ὄναρ παρελήλυθε, ὡς καπνὸς διελύθη.

Sed cum *Dioptra* noſtræ longe aliud ſit exordium: E haud temere ſuſpicamur, diverſam eſſe ab illa, cuius Turcogræcia meminit. Caput primum inſignem locum continet adverſus veteres & novos ſectarios de neceſſitate operum ad ſalutem, quorum commendationem cum in ſua quoque *Dioptra* reperiſſet Hæreticus auctor Turcogræciæ, continere ſe non potuit, quo minus oræ libri ſui hanc maculam allineret μοναστικὰ ἀσκήσεις σωματικαὶ καὶ ψυχικαί. *Monaſtica exercitationes ſunt corporales & animales* ἔργοις μὴ πίστευε. *operibus ne crede.* ... Sola gratia Dei ſalvat *quam fides accipit.* πίστιν δείκνυσι τὰ ἔργα. *Fidem monſtrant opera.* Quam appendicem adiecerunt iſti, poſtquam animadverterunt, quantam abſurditatis immenſitatem vox illa de ſola fide, excluſis cunctis operibus, ſecum traheret.

Lib. 1. cap. . in fine. *In quibus fides, etiam charitas*] loquitur de fide viva & *formata*, ut vocant, nam fidem alioquin ſine charitate conſiſtere poſſe, res eſt explorata apud orthodoxos, & cum paulo poſt ait; recedente charitate, omnia alia recedere, loquitur de receſſu quoad fructum reſpectu iuſtificationis, meriti, & conſequendæ beatitudinis, cum abſque charitate omnia ſint velut *æs ſonans & cymbalum tinniens*. Vide Bellarminum lib. 1. de Iuſtificatione c. 14. & 15. & ſeqq. F

Eod. lib. cap. 61. poſt medium, minime vult Auctor omnes beatos fore ſimpliciter pares in beatitudine, hæc enim eſt Iouiniani hæreſis iam olim damnata à Sanct. Hieronymo lib. 2. contra Iouinianum, & à Concilio Telenſi ſub Syricio Papa, & ab aliis; ſed vult pares fore ſecundum communem quandam rationem beatitudinis, ut ſcilicet eſt fruitio unius & eiuſdem ſummi boni, quod eſt Deus; omnes enim beati perfruentur eodem hoc ſummo bono. Cum hac tamen æqualitate ſecundum communem rationem beatitudinis; conſiſtit inæqualitas ſecundum particularem beatitudinis rationem, quatenus pro ratione meritorum alius alio perfectius ſummo bono fruetur, clariuſque Deum intuebitur. Vide Alphonſum à Caſtro V. Beatitudo Hær. 7. & Gregorium de Valentia 1. 2. B. Thomæ quæſt. 5. p. 3. G

Eod lib. cap. 11. per totum. Locus illuſtris pro confeſſione auriculari, de qua longe melius diſſerit Philippus Dioptræ parens, quam Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua Cenſura cap. 11. ubi ait: *Quæ autem* (peccata) *per oblivionem, vel animi pudorem confiteri* (pœnitentes) *omiſerint, precamur pium & miſericordem Deum, ut & hæc ipſa ſimul cum cæteris illis condonare velit, confidimuſque eos talium etiam à Deo veniam conſecuturos.* Et quidem quod ad oblivionem attinet, nemo id inficiatur. De pudore, alia ratio eſt: quia confeſſio debet eſſe integra, ut recte etiam Dioptra demonſtrat, integra autem non eſt, ſi quis peccata quorum memor eſt, ſolo pudore præpeditus, omittat. Probationes, quæ adferuntur ex veteri Teſtamento, rationes quædam probabiles ſunt, quales nimirum ex figuris duci ſolent. Lege de hoc argumentorum genere Bellarminum lib. 2. de Pœnitentia, cap. 3. Sic & Iſidori ſententia de confeſſione peccatorum Baptiſmo Ioannis præmitti conſueta plus nec evincit, nec evincere cupit, quam confeſſionem illam fuiſſe quendam typum confeſſionis noſtræ Sacramentalis, ut idem Bellarminus copioſius oſtendit, qui fere omnes locos ex veteri Teſtamento pro confeſſione à Dioptra adductos, egregie ab Hæreticorum nugis aſſerit. H

Lib. 2. cap. 3. ante finem. Ariſtoteles & Hippocrates) De hoc vide Conimbricenſes in 2. lib. de Anima, cap. 1. quæſt. 9. Inde etiam apparebit, quomodo explicanda ſit ſententia Nyſſeni, quam Dioptra ſtatim citat. Vide eoſdem quæſt. 4. in 1. cap. lib. 2. de Anima; ut intelligas, quomodo verum ſit illud: quod Dioptra mox ſubdit: *Non eſt corpus ſictum ante animam*, &c. Et ipſa Dioptra eod. lib. c. 5. prope finem, ita loquitur. *Corpus priore loco formatur ex quatuor primis corporibus*, &c. *Poſtea animã quoque inſpirat*, &c. Nec anima eſt

A ex traduce, etiam ex ſententia Dioptræ. Vide Conimbricenſes in lib. 2. de Anima, cap. 1. q. 3. & Alphonſum à Caſtro V. Anima. Errore V.

Quæ Dioptra de anima & corpore diſſerit eod. lib. cap. 7. *ἀρίς γνώμη* interpretanda ſunt; neque enim vult hominem propriè eſſe ſolam animam, vt Plato cenſuiſſe fertur? aut carnem propriè non aliter uniri animæ, quam indumentum corpori, aut navim nautæ, aut vehiculum ſeſſori. Meminerit lector & hic & alibi legis illius apud Iureconſultos admodum celebratæ: *Benignius leges interpretandæ ſunt quo voluntas earum conſervetur:* ſenſuque metaphorici & improprij, quos aliquando ſcriptores conſectantur, nequaquam proprias rerum rationes evertunt; niſi ſint eiuſmodi, qui cum veritate conſiſtere nequeant. Verum de anima, ut ſe habeat reſpectu corporis, lege Gregorium de Valentia 1. p. S. Thomæ d. 6. q. 1. part. 1. qui etiam diſp. 7. q. 3. p. 1. fusè docet, an & quomodo homo fuerit B ad imaginem & ſimilitudinem Dei Creatus.

Eod. lib. cap. 8. dicit Dioptra corpus Protoplaſti nec mortale, nec immortale fuiſſe; ſed inter mortalem, immortaléimque naturam medium: id ideo dicit; quia ut Theologi cum Magiſtro 2. d. 19. docent; duplex eſt immortalitas; una ſecundum quam quis poſſit non mori; altera ſecundum quam non ſolum poſſit quis non mori; ſed etiam non poſſit mori. Et quia poſteriorem hanc immortalitatem non habuit homo in ſtatu innocentiæ; (quam habent beati in cœlo) ideo Dioptra ait; eum habuiſſe mediam quandam inter mortalem & immortalem naturam; quia potuit peccare & mori; ſicut & peccavit & mortuus eſt. Quo fit; ut immortalitatem illam non habuerit, cujus beneficio non potuerit mori: tametſi hanc quoque immortalitatem habuiſſe dici poteſt; ſed ex hypotheſi, ſi ſcilicet non peccaret, ut aſſerit etiam Sanct. Bonaventura 2. d. 19. art. 2. quæſt. 1. Vide Gregorium de Valentia 1. p. C S. Thomæ d. 7. quæſt. 4. part. 1. & Bellarminum lib. de gratia primi hominis, potiſſimum cap. 9. ubi probat immortalitatem primi hominis fuiſſe ſupernaturalem, non naturalem, ac proinde commiſſo peccato ademptam protoplaſto. Angelis autem poſt peccatum non ademptam; quia erat illis naturalis & intrinſeca. Quod autem Dioptra ait: Si corpus Protoplaſti immortale fuiſſet, futurum fuiſſe, ut non egeret alimento, id non ſequitur; quia cauſa illius immortalitatis ex parte erat etiam eſus fructum arboris vitæ, nam in ſtatu illo non habebat homo corpus ſpirituale, quale habebunt beati, ſed animale, quod non poteſt conſiſtere ſine ciborum uſu propter continuam deperditionem humidi naturalis, quod eſt inſtaurandum nutritione. Vide Gregorium de Valentia tom. 1. diſp. 7. q. 4. p. 2. hæc ex S. Thoma & S. Auguſtino explicantem.

Quæ Dioptra diſputat, lib. 2. cap. 11. & 12. de deſcenſu Chriſti ad infernum; hoc eſt, ad locum damnatorum, déque animabus inde eductis, cautè legenda ſunt. Nec refert, quod aſſertionem ſuam confir- D mat auctoritate Damaſceni, nam librum illum ſeu orationem de defunctis, non eſſe Damaſceni, facilè probari poteſt, inquit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Purgatorio, cap. 8. quia in eo libro Auctor non ſolum dicit Traianum & Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum cœlorum tranſiviſſe, ſed etiam multos alios, qui in infernum deſcenderant, quia fide divina caruerunt, à Chriſto converſos & ſalvatos, quando ad inferos deſcendit: quod & per ſe erroneum eſt, & contrarium verbis Damaſceni lib. 2. de fide cap. 4. ubi dicit hominibus id eſſe mortem, quod fuit Angelis caſus. Hæc Bellarminus. S. Auguſtinus lib. de Hæreſib. cap. 79. inter hæreſes refert, quod deſcendente ad inferos Chriſto crediderint increduli & fuerint liberati. Et repugnat id ordinariæ Dei legi explicatæ in illis Scripturæ locis. 1. Corinth. 5. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Et Galat. 6. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.* Et infra: *Ergo dum tempus E habemus, operemur bonum.* Ex quibus & aliis ſimilibus locis conſtat, non niſi in hac vita eſſe tempus comparandi ſalutem: atque eadem eſt ratio de parvulis damnatis, qui cum ſolo peccato originali deceſſerunt. Hæc Gregorius de Valentia tom. 4. diſp. 2. q. 4. p. 3. De qua re copiosè etiam diſputat Franciſcus Suarez tom. 2. in 3. p. S. Thomæ diſp. 43. ſect. 3. Locum illum 1. Petri 3. *In quo his, qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicavit, &c.* ex quo errandi occaſio ſumpta videtur, fusè & rectè explicat Bellarminus lib. 4. de Chriſto, cap. 13. & Pererius in Geneſim.

Nec prætereundus ille Dioptræ error cap. 11. prope finem, in his verbis: *Si igitur animas adhuc in inferno manere audis, ſcito neutiquam tormenta ſuſtinere, ut prius, nec etiam vinculis teneri ferreis, utpote à tyrannide vindicatas.* Nihil minus; quia in inferno nulla eſt aut redemptio, aut remiſſio: & ſingulis damnatione dignis, etiam in hora mortis accinitur triſte F illud carmen: *Ite in ignem æternum.* Quare qui inferni tormentis addicti fuerant, ante Chriſti ad inferos deſcenſum, iiſdem adhuc addicti manent, manebuntque in perpetuum. Ea de cauſa negari non poteſt quin Dioptra nimium à vero abeat, aſſerens cum fictitio Damaſceno, quoſdam penitus ex inferno liberatos propter fidem in Chriſtum, quam tunc primum, Chriſto ad inferos deſcendente, adepti ſint, illos vero, qui non crediderunt, hoc ſaltem relaxationis conſecutos, ut pœna uſque ad extremum diem iudicij dilata fuerit. Nihil horum cum orthodoxis dogmatibus conſonat. Veniam tamen meretur Dioptra ob hos nævos, quos aut incuriè fudit, aut humana parum cavit natura, præſertim cum Damaſcenum ſeſe putarit ſequi; cujus non eſt exigua auctoritas; cumque etiam S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Paſcha agens de Chriſti ad inferos deſcenſu, ſub dubio reliquerit: G utrum Chriſtus omnes ſine ulla exceptione deſcenſu ſuo ſalvos fecerit, an eos duntaxat, qui crediderunt? Quamvis, ut notat Suarez, Nazianzenus, non videatur ſcripſiſſe illa verba quod de veritate dubitaret, ſed ſolum ut proponeret, quid de hac veritate inquirere ac ſcire oporteat. Locus quidam S. Auguſtini epiſt. 99. ad Euodium perobſcurus, Græcis iſtis notus eſſe non potuit. Qui tamen rectè accipitur de liberatione ex purgatorio, ut monet Suarez loc. cit. & Greg. de Val. tom. 4. diſp. 11. q. 1. p. 3.

Eod. lib. cap. 14. in fine. Quod damnati ſe mutuo non agnoſcant, non videtur ſatis conforme vero, idemque aſſeritur lib. 4. cap. ult. fol. 205. nam quem damnatus videbit in infernum iudicio peracto, detrudi, aut reipſa in inferni carcere verſari, eum utique damnatum eſſe certo cognoſcet. Etiamſi neſciat, quis qualiſve ſit in ſpecie. Quod autem quis eum, quem in hac vita novit, ut filius parentem, parens filium, amicus amicum, etiam in illo calamitoſo ſtatu agniturus ſit; id Theologi 4. d. vlt. tanquam per ſe notum H ſupponere videntur. Neque agnitioni huic obſtant tenebræ illæ exteriores in quas damnati dicuntur conijci, quia ut rectè Durandus 4. d. 50. q. 1. explicat *tenebræ illæ non ſunt intelligendæ per carentiam omnimodam luminis, ſed per carentiam, ut viſio eius eſt delectabilis, unde tales tenebræ erunt in inferno, quia nihil perſpicue videbitur; ſed ſolummodo videbunt ibi ſub quadam tenebroſitate illa, quæ afflictionem cordi poſſunt ingerere. Vnde, damnati videbunt pœnas ſuas, & illos quos ſecum per malum exemplum traxerunt de mundo: quod totum cedet eis ad augmentum ſupplicij.* Hæc Durandus. Dioptra arbitratur nihil prorſus luminis in inferno fore poſt extremum iudicium. Quod ſi verum eſſet, ſententia Dioptræ utcunque probabilis efficeretur, tametſi viſus non ſit unica agnoſcendi quempiam ratio: nam & auditu, & in tenebris conſtituti agnoſcere quempiam poſſumus; præſertim ſi antea nobis non fuerit ignotus.

Eod. lib. cap. 15. per totum diſſerit Dioptra de ſtatu animæ

animæ poſt reſurrectionem ad corpus regreſſæ. Pro quibus rectius intelligendis lege Franciſcum Suarez tom.1. in 3.p. B.Thomæ d.47. ſect.7. ubi accuratè explicat, quæ actiones animæ ſentientis, in corpore glorioſo ſint futuræ; nam de ipſis facultatibus,ſeu potentiis ſentiendi, dubium non eſt, quin eas omnes anima corporis glorioſi habitura ſit.

Lib.3. cap.1. ante finem commodo ſenſu accipiendum eſt, quod ait; animam beatam immemorem fore eorum malorum, quæ in hac vita geſſit: Aſſerit hoc, quia anima talis ſcelerum ſuorum memor non erit cum dolore & cruciatu ſicut memores erunt animæ damnatæ. Et hanc eſſe ſuam mentem, ſatis expreſse indicat ipſa Dioptra ad finem cap.1. lib.1.

Eod. Lib. cap.5. in princip. Similitudo de plumbo ſupra naturam in aurum converſo, dextre accipienda, & ad Incarnationis myſterium accommodanda eſt. Nam ut aliqua ſimilitudo ſit, ita utriuſque mixturam concipere debemus; ut utriuſque natura poſt unionem diſtincta & inconfuſa maneat; nam ſi ponamus confundi; aut naturam plumbi deſinere & penitus in aurum mutari; iam exemplum Eutychieniſmum oleret. Itaque legitimus ſenſus eſt iſte: ſicut maxima plumbi dignitas foret ſi arte ita cum auro coniungi poſſet, ut verum eſſet dicere: plumbum eſt aurum: ita maxima humanæ naturæ dignitas eſt; poſtquam ſic cum divina eſt unita, vt verum ſit dicere: Homo eſt Deus.

Eod.lib.cap.6. Ait,ſolam rationem poſt reſurrectionem in anima manſuram. Hoc non ideo dicit; quaſi potentiæ ſenſitivæ in anima corpori glorioſo unita,non ſint futuræ; ſed quia omnes cum actibus ſuis, quos exercebunt, perfecte ſubiiciuntur rationi; & proinde omnis rebellio inter appetitum ſenſitivum & rationem ceſſabit: quaſi ſola ratio in anima ineſſet; quia ipſa ſola dominabitur, neque ulla facultas ſeſe imperio ejus opponet; ut iam fieri conſuevit.

Eod. lib. cap.6. & 7. diſputet de renovatione mundi & creaturarum poſt extremum diem iudicij. Et rectè quidem. Non enim negat hanc inſtaurationem: etſi negat mundum hunc ſenſibus expoſitum, ideo renovatum iri; quod ſit futurus domicilium beatorum: non enim in his terris degent beati, ſed cum Chriſto in cœlis. Sub finem capitis ſeptimi dubium movet,num hæc quatuor elementa, ex quibus nunc mundus hic inferior coagmentatur, permanſura ſint. Nec ſoluit dubium; ſed inſolutum relinquit. Cæterum communis Theologorum ſententia eſt, elementa iſta ut & corpora cœleſtia ſecundum ſubſtantiam ſuam perpetuo manſura; tantumque in illa communi rerum reparatione *accidentaliter* mutatum iri. De quo fusè & doctè ſcribit Franciſcus Suarez tom.2. in 3.partem S. Thomæ diſp.58. ubi etiam accuratè explicat locum illum 2.Petri 3.*Cœli autem qui nunc ſunt,&c, igni reſervati in diem iudicij. &c.*

Eod. lib. cap.10. poſt princip. inſinuat Dioptra illam ſententiam, quæ dicit Antichriſtum non fore verum hominem, ſed dæmonem ſub ſimulata hominis imagine: ut ſenſit Hippolytus lib. de conſummat. ſæculi. Quæ opinio communi Theologorum conſenſu refellitur ut & illa, quæ vult Antichriſtum fore dæmonem, ſed ſimul hominem, incarnatum ſcilicet dæmonem in vera humanitate. Vide Suarez tom.1. diſp.54. ſect.1. & Gregorium de Valentia tom.4. diſp.11. q.2. p.1. licet ipſa etiam Dioptra ſequenti cap.11. non obſcurè veram ſententiam de Antichriſto indicet,fore ſcilicet hominem verum;etſi eximium Diaboli inſtrumentum & domicilium.

Lib.4. cap.2. in princip. docet Dioptra in corporibus reſurgentium nullam prorſus fore differentiam. Sed verior & communior eſt contraria Theologorum ſententia; nempe unumquemque reſurrecturum in vigore iuvenilis ætatis, quem circa trigeſimum à nativitate annum, vel habuit, vel habiturus fuiſſet, ſi eo uſque vixiſſet: itemque in ea corporis ſtatura,quàm iuxta proprium temperamentum & facultatem naturalem adipiſci potuerit, ſi nullum impedimentum obſtitiſſet. Vide Gregorium de Valentia tom.4. diſp.11.q.3. p.3. & Suarez tom.2.d.50.ſect.5.

Eod.lib.c.17. docet Dioptra latronem in paradiſum terreſtrem inductum, ex illo promiſſo Chriſti: *hodie mecum eris in paradiſo.* Sed communis & vera expoſitio eſt Chriſtum latroni illis verbis promiſiſſe viſionem beatificam, eamque *paradiſi* nomine deſignaſſe. Vide Franciſcum Suarez tom.2. in 3.p. S. Thomæ ad art.11. q.46. In cæteris planè non favet Dioptra errori recentiorum Græcorum aſſerentium, animam iuſtorum ante diem iudicij beatitudine non perfrui. Imo adverſus hunc errorem omnia verba Dioptræ hoc eodem cap.pugnare videntur. De quo multa etiam Gennadius adverſus populares ſuos Græcos in defenſione pro Concilio Florentino.

Finis Notarum Iacobi Gretſeri Societatis Ieſu in Dioptram.

FINIS TOMI XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google